STANISLAI HOSII

OPERA

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Stephani Szembrij Abbatis Pastovien. Archid.
Varmiensis. et Canonici Cathedr. Nitrien. donat.
à Nobili Dna Helena Szembrij 2ª. 1625.

COLL. SCRIPT. HIST. GERM. S. J.

D.

# STANISLAI HOSII, S. R. E. CARDINALIS, MAIORIS POENITENTIARII, ET EPISCOPI VARMIENSIS,

OPERA OMNIA IN DVOS DIVISA TOmos, quorum primus ab ipso auctore plurimis subinde in locis, integris & dimidijs paginis sic auctus & recognitus, vt nouum opus fere censeri possit. Secundus autem totus nouus, nunc{q}; primum typis excusus.

15723

Bibliotheca Facult. Philosophicae Prov. Cast. Orient. S. I.

*ACCESSERE NECESSARII ATQVE copiosi Indices, cùm locorum Sacræ scripturæ explicatorum, tum etiam eorum omnium, quæ in hisce operibus obseruatione digna censentur.*

Saluo in omnibus sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio.




COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
ANNO M. D. LXXXIIII.

COLL. SCRIPT. HIST.

*Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiest. in Decennium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

## OPERVM TOMI PRIMI CATALOGVS.


Confessio catholicæ fidei Christiana. folio 1.
Confutatio Prolegomenôn Brentij. 419.
De expresso Dei verbo libellus 611.
Dialogus de communione sub vtraq; specie. } 644.
de Sacerdotum coniugio, }
de Missa vulgari lingua celebranda. }
Iudicium, & censura de adoranda Trinitate. 669.
Stanislai Orechouij Epistola ad Stanislaum Hosium Cardinalem. 708.
Stanislai Hosij Cardinalis, ad eundem de loco, & auctoritate Romani Pontificis in Ecclesia, & in Concilijs 711.
Fabiani Quadrantini Recantationes. 719.


## OPERVM TOMI SECVNDI CATALOGVS.


De oppresso Dei verbo libellus. 1.
De Actis cum diuersis Hæreticis. 61.
Liber Epistolarum. 145.
Examen siue excussio Confœderationis Hæreticorum. 454.
Altera excussio eiusdem Confœderationis. 459.
Orationes funebres duæ, in Exequijs duorum Regum Poloniæ Sigismundi primi & secundi recitatæ. 462.469
Eiusdem auctoris Testamentum ex manuscriptis aduersarijs excerptum. 483.
Epistola Stanislai Rescij, de transitu Cardinalis Hosij. 485.
Eiusdem Ode lugubris. 495


# REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI ATQVE DOMINO, D. IVLIO, EPISCOPO HERBIPOLENSI, & Franciæ Orientalis Duci, &c. Domino suo clementissimo.

COmmunis omnium hæresium fons est, Reuerendiss. Illustrissimeq; Princeps, in Ecclesiæ de fide ac religione decretis nolle acquiescere. Sed non ex quolibet fidei errore secta consurgit: verùm si fortè multi de primo eius auctore magnæ eruditionis & pietatis opinionem concipiunt, quos huiusmodi persuasionis societas iungit, ij sectam conficiunt. Nisi enim vni alicui tanquam Prophetæ se formandos & fingendos præbeant rebelles Ecclesiæ filij, in vno quopiam doctrinæ capite inter se consentire, & à matre sua dissentire poterunt: in cæteris autem quod vnus probabit, hoc alteri perquam absurdum videbitur. Exemplo sit nostra ætas errorum propè innumerorum ferax, tot autem sectarum duntaxat, quot extitere homines, qui famam diuini afflatus apud vulgus mortalium, nescio quibus præstigijs collegerunt. Talis apud Germanos Lutherus, apud Gallos Caluinus, & si quem præterea vsquam gentium Prophetæ loco delyrum vulgus habendum censuit. Scio equidem hoc pertinacissimè negare sectarios, & mihil ægrius ferre, quàm se hominum mancipia dici: sed non sumus tam stupidi, vt haud sentiamus, nominis humani inuidiam ab illis fugi, re autem vera hominem sæpè non optimum ab illis fidei & doctrinæ dominum agnosci. Et qui inter Lutheranos verecundiores, id (opinor) non audebunt diffiteri. Nam velut certissimam hypothesin illi assumunt, Lutherum fuisse tertium Heliam, humano generi concessum obscurati Euangelij vindicem, idq; adeò velut fidei partem confessioni Antverpianæ Matthias Flaccius inseruerat. Ac Lutherus ipse nullum vult suæ doctrinæ iudicem ferre, vtpote certum se esse dictitans, eam sibi diuino munere patefactam, vt qui illi sectæ nomen dare velit, sciat sibi ingenium in obsequium Lutheri captiuandum esse. Quid multa? quoad Lutherus Missam non oppugnauit, neq; discipulis eius quicquam in illa displicuit: simulatq; verò is diabolo præceptore nonnullas, quibus eam arroderet captiũculas, inuenisset, eius iurati plenis velis in Missam inuehi cœperant. Simili ratione & Caluinistarum pectoribus altissimè infixum est, Caluinum fuisse organum Dei electum, Euangelicæ doctrinæ singularem patronum & assertorem, & de quo verè dici possit illud Homericum, ὅτιος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι: ac proinde quæ alias sine horrore audiri non possent, illo præeunte lubentes amplectuntur. Ac sanè in Ecclesiæ doctrinam impingi ab hominibus, adeò non miror, vt potius tantum animorum consensum in vnam etsi veram, tamen incomprehensibilem fidem miraculo deputem. Verum summopere mihi mirum videtur, sectas vnius hominis arbitrio mancipatas oriri. Nam si omninò seruiendum & iudicium ex alieno præscripto moderandum, multò tolerabilior & liberalior est ea seruitus, quæ nobis Catholicis in Ecclesia imponitur, quàm iugum quo suos discipulos sectarum Principes onerant. Non enim hæc sibi simpliciter & pro imperio credi postulat: sed habet suum senatum ac controuersiarum fidei ordinarios iudices, & prius causam suam apud hos agere sinitur, qui se falsò in crimen corruptæ doctrinæ vocari putat. Vidimus nostro æuo diem Luthero dictum fuisse, & causam eius integro biennio discussam, eoq; euoluto sententiam longa deliberatione concoctam in ipsum latam. Sic cum Ario, Pelagio, Donato, ac cæteris sectarum auctoribus actum esse, quia ex historia Ecclesiastica notum, multis hic declarare nihil attinet. Atqui Lutherus contra Zwinglium tanta moderatione vsus non est: verùm Sathanæ ipsum tradidit, cùm primum se inconsultò nouum dogma exorsum intellexisset. Quid igitur est, quod Ecclesiæ tam ingenuam seruitutem respuunt, qui in gratiam vnius hominis tam sunt ad quiduis credendum proiecti & faciles? An ingenij acumen in sectarum principibus tantum? an eloquentia, an vitæ sanctimonia tanta, vt omnes Ecclesiæ homines hac ex parte longè à tergo relinquant? Non opinor quenquam sectarum sui præceptoris amore adeò fascinatum, vt id dicere non vereatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



An Ecclesiæ doctrina captum mentis humanæ superat, hæresiarcharum non item? Sed neque hoc omnino verum. Nam quid æquè creditu difficile, quàm fidem adeò non posse cum flagitiosa vita consistere, vt quisquis flagitium committit, is mox & fidei iacturam faciat, quod crimina sint etiam ÿ concupiscentiæ motus, quos iusti homines inuiti patiuntur, quod iustus in omni bono opere peccet, quod Deus eorundem scelerum sit auctor, quorum & vltor? Atqui ista sunt nouorum huius sæculi Prophetarum paradoxa. Adhæc quid magis arduum habet Ecclesiæ fides, quàm trium personarum Patris & Filij & Spiritus sancti esse vnam & indiuisam essentiam? Et tamen cum non defuerint Serueti, Campani, & id genus alÿ, qui Arianam Trideitatem longo post limínio reuocare conati sunt, penuria applausorum ÿ sectam de suo nomine condere non potuerunt. An mitior & carnali homini commodior est noua hæc nouorum Euangelistarum, quàm Ecclesiæ doctrina? Non possum equidem negare, quamplurimos homines se Luthero in disciplinam tradidisse, quod is polliceretur se ex scripturis demonstraturum, frustrà à pœnitentibus laboriosas satisfactiones requiri, electitiam crucem ad traditiones humanas pertinere, peccatorum enumerationem confitenti necessariam non esse, nullam Episcopis obedientiam deberi, vota castitatis absque periculo rescindi posse. Hæc enim vetus noster Adam in magnis oneribus computabat. At vicissim qui Luthero tanquam Euangelicæ libertatis patrono morigeros se præbuerant, ÿdem Bucero pollicenti se alia non minus graui seruitute eorum conscientias exoneraturum, auscultare noluerunt. Quid durius, & ab omnium gentium consuetudine alienius ea lege, quæ maritum vxori tam firmo nexu coniungit, vt eum neque lepra, neque alia corporis quantumlibet diuturna infirmitas, neque morum & ingeniorum summa diuersitas, verum sola mors queat dissoluere? Quid acerbius, quàm neque omni spe sobolis ob vxoris sterilitatem sublata, neque mariti castitate ob eiusdem morbum periclitante, secundæ vxoris ducendæ cuiquam potestatem à CHRISTO factum esse? Hoc tanto onere Christianos leuare Bucerus voluit libro de Polygamia edito. Vsus est ille primum exemplo Patriarcharum: Cumque intelligeret sibi responderi posse, quod AVGVSTINVS & veteres respondent, Patriarchis gratiam primæ legis in Paradiso latæ factum esse, mox scripturæ testimonium, quo id probetur flagitat. Tale verò cum nullum extet, infert Patriarchas, opinatos illa primæ institutionis verba, Erunt duo in carne vna, Polygamiæ non aduersari. Ac posse eundem maritum cum diuersis vxoribus vnam carnem fieri, admodum probabiliter ex eo colligit, quod & PAVLVS auctor sit, eum qui scortis diuersis commiscetur, cum eorum quoque vnam carnem fieri. Qui, inquit, meretrici iungitur, vnum corpus efficitur cum ea. Addit PAVLVM cauisse, ne præter Monogamos quisquam sacris initietur: vnde sequitur, fuisse tunc in Ecclesia, qui plures simul vxores haberent. Atque iste locus etsi parum Catholicos vrgeat, Lutheranis tamen, qui Monogamos intelligunt eos, qui vno tempore multas vxores habent, negotium faceſſeret. Addit exemplum Valentiniani Imperatoris, qui etiam legem Polygamiæ tulit, nec à sancto Ambrosio, cui familiaris fuit, vnquam eo nomine reprehensus legitur. Item Caroli Magni, quem licet digamum Romani Pontifices impensè coluerunt. Hæc & plura alia Bucerus in Germanico dialogo, cuius interlocutores Eucharius & Parrhasius. Sed pressum est hoc opus, & Parrhasius cum blattis mussare coactus, neque tantum fuit animi Lutherano cuiquam, vt Bucero auctore multas simul vxores duceret. Quodsi horum nihil efficere potest, vt Christiani deserta Ecclesiæ sententia vnius cuiuspiam hominis seruituti sese addicant, quæ ergo tantæ vecordiæ causa? Nolo equidem horum quicquam excludere: sed lubens fateor, non parum in eo momenti situm esse, quod sectæ parens ingenium præstans, & insignem facundiam sit adeptus, ac insuper virtutis ac probitatis quandam speciem præ se ferat.

Multum quoque referre arbitror, an carni iucundum, quod pro vera Euangelij doctrina commendatur: sed hæc neque singula, neque omnia iunctim sumpta nascturæ sectæ occasionem præstare existimo, nisi DEVS fidei subducto lumine humanum genus in præceps ire sinat, partim vt ingratis merita supplicia rependat, partim vt electorum suorum robur & constantiam toti mundo conspicuam faciat. Imperat enim & abysso, nec ita temerariæ fluctuationi eam permittit, quin loca, tempora, & occasiones errorum ac lapsuum humanorum moderetur, prout suæ gloriæ & saluti electorum quàm maxime conducturum esse prospicit. Aliquando diabolum cathe-



athenis vincit, vt non seducat amplius gentes, & misericordiæ suæ propositum ruinæ fidelium prætendens, facit vnius moris habitare in domo. Aliquando vicissim laxatis abyssi claustris, Sathanam efficacem esse in filios incredulitatis permittit, eisque persuadere, quod minimè ferenda seruitus sit, Conciliorum & Patrum decretis subijci: pleraque huius æui controuersias multò ante veteres hæretici mouerunt, sed nullo successu. Virginitatis præ matrimonio prærogatiuam conuellere ausus est Iouinianus: verùm vbi suos conuentus habuerint, quibus peculiaris esset hic error, nusquam ex vetustatis monumentis apparet. Hierarchicum ordinem Ecclesiæ, & primam Romanæ sedis dignitatem Marsilius Paduanus impetijt, sed neque ipsum, cui ista scribebat, Ludouicum Bauarum Imperatorem, etsi capitalem Pontificis hostem, in suam sententiam traxit. Præterea vbi maior seges contentionum quàm in admirabili illo Eucharistiæ Sacramento? At cùm tam multos gloriæ auidos singulæ ætates extulerint, vix vnus aut alter de illo mysterio quæstionem excitauit, idque tam frigidè, vt extincto primo dissensionis auctore, mox totalis consopita sit. Serò tandem Oecolampadius & Caluinus sana de Eucharistia fide in multorum animis labefactata, Sacramentariorum sectæ originem dedere. Scilicet noluit DEVS initio nascentis Ecclesiæ rem tam arcanam cum maximo gentium conuertendarum scandalo vulgi prophanis disputationibus exagitari: sed illis iam conuersis, & apostasia quæ à Paulo prædicta est imminente, etiam hanc fidei partem in dubium vocari, & spiritum mendacem in ore Caluini & Oecolampadij præualere passus est. Cùm verò ipsi visum fuerit, dispersas oues suas denuò in vnum colliget, & Ecclesiæ hostes faciet eo loco haberi, quo nunc Arius, Eunomius, Pelagius. Hæc si nonnulli ea qua par est attentione cogitarent, desinerent abira, & derelinquerent furorem, nollent æmulari vt malignarentur, sicubi terrarum hæreses incrementa sumere, & numerum fidelium attenuari videant. Magnam animi tranquillitatem sibi pararent, si in hisce procellis & cæcis nubibus perpenderent, in naui Ecclesiæ CHRISTVM dormire quidem, sed ita, vt cor eius vigilet, & proin cùm velit è somno surrecturum, ventisque ac mari imperaturum. Quanquam & modo ille vigilat. Nondum enim ad speluncas & cauernas ventum est, in quibus Prophetæ habitarunt Adhuc ciuitates, immò ampliſsima regna habet verus Israel DEI, ad quæ sedibus suis pulsi fideles confugere non prohibentur: nec ante perfugij loca deerunt patrio solo eiectis, quàm filius hominis veniat. Cùm Heli denunciaretur totius familiæ suæ ruina ac interitus, etsi cætera non inculpatus, prudentissimè tamen respondit: Dominus est, quodcunque bonum fuerit in oculis suis, hoc faciat. Similiter & nos, cum Ecclesiam Dei vndique premi, & Sathanam cauda sua tertiam partem stellarum de cœlo detrahere cernimus, pari æquanimitate occultæ Dei iudicia ferentes dicamus, sicut est voluntas in cœlo sic fiat. Sed hæc dum nonnulli audituri sunt, putabunt nos Stoicorum ἀργὸν λόγον tueri, & prouidentiæ Dei ita Ecclesiam velle committere, vt in ea defendenda nullas partes humanæ industriæ relinquamus. Verum hi quod nos dextra manu porrigimus, sinistra excipiunt. Siquidem ita fiduciam Christianorum in DEO defixam esse volumus, vt interim & ipsi officij sui haud immemores, iuxta vetus prouerbium σὺν ἀθηνᾶ καὶ χεῖρα κινῶσι. Vt in communi quidem omnes precibus ad DEVM fusis rem gerant, speciatim verò quisque pro sua vocatione aliquid peculiaris operæ ad conseruationem domus Dei conferat. Pastores, doctores nimirum falsa dogmata refutent, typographi eorum lucubrationes quam limatissimè excusas in publicum emittant. Ego sanè vt hac in parte officio meo non deessem, post varios fidei Catholicæ Apologeticos libros editos, en STANISLAI HOSII opera omnia euulgo. Cuius mei consilij rationem hic multis exponere haud necessarium puto. Quis enim ignorat, Hosium quoad vixit innocentia vitæ singulari inter proceres Ecclesiæ eminuisse? scripta verò ipsius plena esse raræ cuiusdam & reconditæ eruditionis? nihil in sanctis Patribus, nihil in scholasticis Theologis fuisse, quod huius viri scientiam fugerit? quæ in plerisque neotericis fidei patronis desideratur eloquentia, hanc in nostro auctore talem reperiri, vt, cùm luxuriem styli & pigmenta superflua Panegyristis reliquerit, maiestate Theologica nusquam non sublimis incedat? Prædicabunt Hosium quibus otium & facundia tanto oneri par: nobis verò satius erit tacere, quàm frigidè laudando infra tanti viri dignitatem consistere. Id autem, quia paucis notum, præterire non debeo, multa in hac nouissima editione contineri, quæ in prioribus desiderabantur. Cùm enim totum opus in duos tomos dissectum nunc sit, prior illorum ex vltima auctoris recognitione ita locupletatus est, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca



*penè nouus videri posit. Posterior verò totus nunc primum in lucem prodit. Quoniam verò ex more nostri sæculi nouum hoc opus non sine patrono mihi euulgandum videbatur, ac proin dispiciendum erat: cuiusnam tutelæ potissimum id committendum esset, non habuit difficilem κρίσιν apud me illa deliberatio. Nemini enim maiori iure quàm Tuæ Celsitudini, Illustrissime Princeps, eam prouinciã competere existimaui: non solum quia par est Episcopi vigilias Episcopi patrocinio muniri, verum etiam quia fauoris ac beneuolentiæ, quibus me à pueritia inde prosecutus es, hoc publicum meæ gratitudinis testimonium extare congruebat, vt eo modo per immortale opus animi erga me Celsitudinis Tuæ propensio, ac vicissim meum de eadem bene merendi studium, æternæ memoriæ consecrarentur. Tua igitur Celsitudo sanctissimi & integerrimi præsulis nomini, eique quo nos hactenus complexa est, amori hoc tribuat, vt sub Celsitudinis Tuæ patrocinio tuti hi libri magno Ecclesiæ emolumento omnium manibus versentur: Quam CHristus IESVS Diœcesi suæ, atque toti adeo Catholicæ Ecclesiæ quã diutissimè incolumẽ & saluã cõseruet. Coloniæ Calendis Martij, 1584.*

*R. & Illustriss. Celsitudini Tuæ*

*longè deditissimus,*

*Maternus Cholinus.*

SAN-

# SANCTISS. D. N. GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO.

## STANISLAVS HOSIVS CARDINALIS, EPISCOPVS VARMIENSIS.

POST lucubrationum nostrarum toties repetitas editiones, & in Polonia, quæ patria mea est, & in finitima Germania, & in Belgio, & in Gallijs, & in vrbe Roma, prodit nũc & ex hæc vrbe Veneta nouissima, nõnullis accessionibus aucta, sanctorum Patrum pluribus testimonijs locupletata; (dies enim, vt est in prouerbio, diem docet, & liber librum aperit) neque paulò quàm ante fuerat, quantum nobis animaduertere licuit, emendatior, & à mendis omnibus repurgatior. Cùm autem absque Patrono fœtus hos nostros in lucem prodire noluissemus, nõ occurrit alius, cui rectius dicari possent, quàm tu Beatissime Pater: quandoquidem vetus hoc est institutum, iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Catholica semper obseruatum, vt quæcunque de causa religionis tractatio grauior susciperetur, ad eum, qui sedet in Cathedra Petri, de ea referretur, illius pedibus subijceretur, illius iudicio vel approbanda vel reijcienda. Quod etsi pridem à me factum est, cùm ante viginti annos quidam ex his nostris fœtibus in publicum prodire cœperint: facit nihilominus ea benignitas, qua nos, ex quo tempore tibi totius Ecclesiæ Catholicæ gubernacula delata sunt, singulari prosequi nunquam intermisisti: vt quod antea factum à nobis non est, simul iunctas has lucubrationes nostras omnes, & in vnum quasi corpus congestas, non sub alterius, quàm tuo nomine, tuo præsidio fultas, in lucem hanc venire vellemus: non solùm quia Pontifex es, verumetiã quia Gregorius Pontifex es: cui nomini sic actiones tuæ respondent omnes, vt vigilantiorem Põtificem hoc nostrũ sæculum tulisse nullum videatur. Nec enim vnquam eius obliuiscēris, quòd non vrbis, verùm orbis es Pontifex. Itaque non vnius ciuitatis mœnibus, quamlibet illustris ea sit & ampla, nec vnius aut alterius nationis finibus: sed quàm latè patet orbis totus Christianus, eius ambitu Pontificatum tuum esse vis circumscriptum, ad omnes ex æquo curas cogitationesq; tuas deriuas, & Orientales, & Septentrionales, Indos ex æquo respicis; non alia de re magis sollicitus, quàm vt ad ouile Christi reuocari possint, quotquot ab eo Sathanæ fraudibus abductos esse vides. Et fuit hoc peculiare quodammodo Pontificum eorum, quibus Gregorij nomen erat inditum; vt non ea solùm, quæ sunt ante pedes, spectarent: verumetiam qui longissimo à se interuallo disiuncti essent, ad eos iuuandos, Christoq; lucrifaciendos, oculos suos conuerterent. Qui primus fuit eius nominis Pontifex Gregorius, in quo, cum excellenti doctrina vitæ certabat admirabilis quædam sanctimonia, quid curæ, diligentiæ, laboris prætermisit, vt Angliæ populos, misso ad eos Augustino, ab idolorum cultu reuocaret: & ad verum veri Dei cultum adduceret, vnique viro virginem castam exhiberet Christo? Num autem in eandem curam pari studio non incubuerunt, Gregorius secundus; qui Bonifacium in Germanias misit, vt gentem illam Christianæ fidei mysterijs imbueret; & qui mox illi vita functo successit Gregorius Tertius; per quem, quod ab antecessore feliciter erat inchoatum; id, incrementum Deo dante, fuit ad optatum exitum perductum? Horum opera factum est, vt cùm alij Germaniæ populi, tum Saxones atque Turingi, Christi reciperent Euangelium; à quo, proh dolor, in aliud cuiusuis potius quàm Christi Euangelium astutia serpentis eos, hoc infelici nostro sæculo translatos videmus & ingemiscimus. Neq; minore diligentia contendit & elaborauit, vir omni virtutum genere celeberrimus Gregorius Septimus, vt Suecos atque Danos; in quibus iam rudimenta fidei posita fuerant opera Gregorij Quarti, magis indies atque magis confirmaret, eosq; diligentius instruendos curaret. Qua quidem in re, cùm permultum

Universidad de Deusto
Biblioteca



multum esse difficultatis videret; quod quorum vti posset hac in re ministerio, propter imperitiam linguæ non haberet; quæ fuit illius verè boni Pastoris pietas incredibilis, & zelus quidam ardens, nec satis vnquam prędicādus: datis ad vtriusq; gentis Regem litteris, ambos est hortatus, vt ad Sanctam Sedem Apostolicam suæ gentis adolescentes mitterent, Christianæ fidei mysterijs plenius informādos. Libet autem ex eius Epistola ad Olaum Norvegiorum Regem verba quædam adscribere. Quoniam, inquit, desiderium nostrum est, si quo modo possemus, ad vos aliquos è fratribus nostris mittere, qui fideles & docti essent, ad erudiendum vos in omni scientia & doctrina in Christo IESV; vt secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam decenter instructi, in nullo vacillantes essetis: sed radicati atq; fundati super stabile fundamentum, abundantius atq; perfectius in virtute Dei crescēretis, & secundum operationem fructum fidei æterna retributione dignum redderetis. Quod, quia nobis tum propter longinquitatem terrarum, & maximè propter ignotas linguas valdè difficile est; rogamus vos, sicut & Regi Danorum denunciauimus, vt de iunioribus vestris & nobilibus terræ vestræ ad Apostolicam aulam mittatis; quatenus sub alis Apostolorū Petri & Pauli, sacris ac diuinis legibus diligenter edocti, Apostolicæ Sedis ad vos mandata referrent; non quasi ignoti; sed cogniti; & quę Christianę religionis ordo postulauerit; non quasi rudes & ignari, sed linguæ atq; scientia moribusq; prudentes, dignè Deum prædicare, & efficaciter, ipso adiuuante excolere valeāt. Quod aūt officium ab amantissimo liberorum suorum parente prestari melius, aut quæ cura potuit maior adhiberi, quàm adhibitam legimus ab hoc vigilantissimo Pastore in Suedis atq; Danis ad Christi fidem adiungendis? similem de Tartaris, quamuis non simili successu curam, cogitationemq; suscepisse legitur Gregorius Decimus. Neq; segnior fuit Gregorius Vndecimꝰ, natione Gallus; cuius vitę sanctitas à multis commendatur, in Lithuanis, qui Regi Poloniæ subsunt, conuertendis: Perpetuum vt hoc & peculiare fuisse videatur omnibus ijs, qui te præcesserunt Pontificibus, quibus Gregorij nomen fuit impositum; vt in Septentrionalibus populis ad CHristum & ad Euangelium eius adducendis, cæteris essent vigilantiores; quorum exempla sic tu tibi videris imitanda proposuisse, nulli vt eorum in eadem cura & vigilantia secundus esse velis. Testatur hoc recens tuum de Collegio Germanico institutum, quo superiorum Pontificum omnium in simili causa liberalitatem longo interuallo superasti. Testantur hoc legationes in easdem illas oras ijs ipsis de causis à te missæ; testantur & sermones, quos & cum alijs, & mecum vnà crebros ea de re conferre consueuisti: cùm omnes curas cogitationesque tuas non alia magis in re defixas habere videaris, quàm vt etiam in remotissimis illis partibus, quod est proprium Romani Pontificis officium, quod infirmum est consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere possis & inuenire; non cum austeritate imperando & potentia, sed in spiritu lenitatis vnumquemque volentem instruendo; non alia de re magis sollicitus, quàm vt quos vides à CHRISTO & ab eius Euangelio per quosdam fraudi suæ nomen Euangelij prætexentes abductos; eos ad CHRISTVM, pro quo præcipua quadam legatione fungeris, reducere possis. Quas ego tam sanctas cogitationes tuas, tantò magis laudo, quantò longius absum ab eorum opinione; qui spem omnem de reducendis ad ouile CHRISTI, quos ab eo proximis superioribus annis aberrasse videmus, abiecisse videntur. Quid hoc est aliud, quàm fidem non habere? quàm de diuina misericordia desperare? nec eum deinceps eius gregis habere curam existimare, quem ille sanguine suo precioso collegit? Ego verò non dubitanter affirmauerim, quod non alio tempore quàm hoc spes affulsit maior vnquam; quæ per Sathanam dispersæ sunt oues, eas ad caulas Ecclesiæ, CHRISTO duce, reducendi. Quin & illud in Domino confido, quæ terra prima se transferri passa est ante quinquaginta hos annos ab Euangelio CHristi, quod in ea prædicauit à Gregorio Secundo & Tertio Pontificibus missus ante annos 800 Sanctus ille Saxonum Apostolus Bonifacius, qui sanguine etiam illis suo illud consignatum reliquit; quod ea prima sit, vnde discessit,

cò re-



eò reditura: & reiecto Islebiensi Antichristo, qui suum verbum pro Dei verbo, proque CHristi Euangelio tot iam annos illi populo venditauit; ad Christum, & ad sanctū eius Euangelium, quod multis ante sæculis ille sanctus Episcopus & martyr Bonifacius annunciauit reuersura; teque CHristi Vicarium, & legitimum Petri successorem agnitura; vt vbi Petrus per Bonifacium à legitimis Petri successoribus missum prædicauit CHristum, ibi idem ille Christus, & non alius annuncietur: te clauum Ecclesiæ tenente; idem illud & non aliud Euangelium doceatur. Quod vt ita futurum, & quidem opinione multorum citius existimem, Deo fretus, qui tandem aliquando suam Ecclesiam oculis misericordiæ suæ respiciet; nec ab istis nouis Euangelij ministris, & magistris, vetus illud Euangelium suum à sancto martyre suo Bonifacio prædicatum, tam crassis tenebris diutius inuolutum esse patietur; inde non leuem capio coniecturam, quòd, qui primus ætate nostra suam imposturam Dei verbum & Euangelium vocari voluit, &, proh dolor, vt id à pluribus quàm vellemus fieret, obtinuit; eius Cathedram à multis iam desertam, à præstantioribus autem discipulis omni genere machinarum oppugnari videmus; vt etiam hortentur suos, apud quos pro Sathana potius quàm pro Christo legatione funguntur, ne liberos suos ingenij cultus capiēdi causa VVittembergam mittant; quòd ibi coguntur, aiunt, abiurare verba Dei, & iurare in verba Philippi: quem, quamuis præceptorem suum, CHristi tamen vocant abnegatorem. Hæc ijsdem verbis legere licet & apud Osiandrū, & apud Heshusium, & apud Flaccum, & apud alios nonnullos: Quod à Propheta scriptum legimus, Diuisum est cor eorum, nunc interibunt; id in Saxonia iam inde à multis annis factum videmus: & fit in dies maior diuisio, certa spes vt sit, eos nunc nunc interituros. Vtinam autem interijsse videamus hæreticos, saluis hominibus; vt sic error eorum intereat, vt nihilominus ipsi salui sint, saluus sit spiritus illorum: vt eos ad mentem redijsse meliorem videamus. Quod olim de Donato scripsit Augustinus: sicut is CHristum diuidere conatus est, sicà suis ipse quotidiana cōcisione diuiditur; hoc de primo nostri temporis hæreseon architecto multò rectius dici potest. Conatus est ille CHristum diuidere: conatus est corpus eius, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam in multas partes dissecare: ecce autem, sic nunc ipse concisus est à suis ipsius discipulis, & in tot frusta comminutus; vt in eo doctrinæ suæ corpore, quod ille Dei verbum & Euangelium vocari voluit, vix quicquam ferè iam integrum reperire liceat. Nolo nunc de Sacramentarijs, deque reliquis hæreticorum portentis mentionem facere; quorum impios errores non magis nos Christiani, quàm etiam ipsi detestantur Lutherani; quibus etiam aqua & igni in suis terris interdicunt, nec vt eos quisquam tectis ac ædibus suis recipiat, permittunt, nec eos in colloquium suum vllum admittunt: neque stylo refutandos, sed sceptro magistratus esse docent coërcendos. De ijs tantum breuibus perstringam, qui sunt in sola sparsi Saxonia, ex qua duxerūt originem omnes hæreses istæ pestilentissimæ: quas, proh dolor, sub Euangelij specioso titulo per magnam orbis Christiani partem diffusas esse videmus. Posteaquàm ex hac vita migrauit anteſignanus ille nostri temporis hæreticorum, post illam, quæ dicta est, INTERIM, religionem, quo iure, quáue iniuria promulgatam, neque tamen ab omnibus receptam & approbatam; quæ non fuerunt exortæ contentiones inter præcipuos Confessionis Augustanæ magistros & ministros? Qui suis illam digitis conscripsit, is quòd eam corruperit & adulterauerit, à suis ipsius discipulis fuit insimulatus: & ob eam causam ex eorum cætu, qui sibi propriè confessionem hanc vendicant, explosus & eiectus. Quæ res, dici non potest, quantam inter præceptores & discipulos animorum acerbitatem excitauerit. Nullum est maledicti genus tam graue, quo se mutuò non proscindant. Accusantur à Ienensibus VVittembergenses, à discipulis præceptores, ab ouis pessimis mali corui; quod in ijs doctrinæ capitibus, vbi de libero arbitrio, de sola fide iustificante, de bonorum operum necessitate, deq; nonnullis alijs agitur, à Lutheri doctrina desciuerint, & in Papismum (sic enim lepidis hominibus vocare visum est Christianismum) inclinauerint; ac tanta verborum asperitate perstringuntur, vt vix vlla maior excogitari queat.

Vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca



Vbi fuit Cathedra Lutheri, nihil in ea iam de ſpiritu Lutheri reſidere querũtur; atq; haud aliter illos, quàm ſi ab ipſo Chriſto defeciſſent, inſectantur, & è ſynagogis ſuis eijciunt. Nec.n. alio loco, quàm quo Chriſtum ipſum, haberi Lutherum volunt. Itaq; non eſt illis inuſitatum ita loqui: Deus & Lutherus: CHriſtus & Lutherus: Dei verbum & Lutheri: CHriſti verbum & Lutheri: à Dei verbo & Lutheri diſceſſum eſt. Quæ poteſt autem eſſe, ſi non hæc eſt germana quædam idololatria? Plus quàm quadragies hoc genus locutionis in actis Aldemburgenſis colloquij reperire licet à Flaccianis vſurpatum; quod non ita ferè fit à V Vittembergenſibus, ſiue quis eos vocare malit Eberianos: hoc.n. illis nomen à Flaccianis tribuitur. Nec.n. ij omnia Lutheri ſcripta vel dicta pro diuinis habent oraculis; nec ſe grandi ſcelere putant obſtrictos, ſi qua in re ab illius placitis diſcedant. Cui ſe dum eſſet in viuis turpiter ſeruiuiſſe queſtus eſt in Epiſtola quadam Philippus; quam etiam ob cauſam grauiter à ſuis diſcipulis flagellatur: & vnà cum Eberianis deſerti Lutheraniſmi, receptiq́ue denuò Papiſmi, ſiue Chriſtianiſmi, inſimulatur. Quod quamuis ex omni parte verum non ſit, tamen ad Euangelicam illam puram & incontaminatam doctrinam, quam in Saxonia ante 800. annos ſanctus ille martyr Bonifacius prædicauerat, multò propius eos acceſſiſſe, qui ſunt partium Philippi, dubium non eſt. Quo nomine gratulatione potius proſequendi, quàm conuitijs aliquibus & contumelijs eſſe videntur inſequendi. Quid autem? an ad hæc maledicta muti ſunt præceptores illi V Vittembergenſes? quin illi cõuitia conuitijs multò grauioribus commutant: pridem benè ſopitas hæreſes per Flacccianos ex orco reuocatas, & nunc in lucem eſſe productas, in libro, quem hoc ipſo anno typis mandatum legimus, De perſona & incarnatione CHriſti, tragicè vociferantur: Samoſatenſium, Marcionitarum, Manichæorum, Sabellianorum, Arrianorum, Neſtorianorum, Eutichianorum, Monothelitarum horrendos errores illis impingentes. Et ſicut à diſcipulis præceptores in Papiſmum, hoc eſt, Chriſtianiſmum, ſic illi viciſſim ab his in Mahometiſmum inclinare dicuntur. Denique tot plauſtris tam atrocium conuiciorum in eos inuehuntur; vt negent Flacciani, donec terra ſtetit, & Sol illuxit (hæc enim eorum verba ſunt) ab vllo mortalium vnquam, tam impudentia, tam licentioſa, tam crebra, terraq́ue maledicta, prolata, lecta, audita, viſa fuiſſe. Talẽ inter iſtos (ſi Deo placet) Euangelicos modeſtiam & animorum concordiam videre licet: cùm de rebus ijs tractatur, quæ pertinent ad animarum ſalutem ſempiternam. Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores inuicem arbitrantes, dicit Paulus. Verùm id apud iſtos adeò nihil habet loci; vix vt vlla fuerit ætas à condito ſæculo, quæ magis contentioſos homines, & magis inanis gloriæ cupidos produxerit. Nullum inter eos reperias, qui non altero ſuperior eſſe contendat; qui ſapientiæ ſpiritum, qui ſanam ſcripturarum intelligentiam, ſibi præ cæteris non arroget. Ac queruntur diſcipuli de tyrannide magiſtrorum ſuorum, deq́ue libidine dominandi in conſcientias ſuas ſcholæ V Vittembergenſis, ex qua prodierunt, quodq́ue nouum in ea dominium Antichriſti videre liceat; dum à ſuis placitis nulla in re diſcipulos diſſentire volunt. Cæterùm præceptorum, de parum gratis diſcipulis, aliquantò iuſtior eſſe querimonia videtur. Durius enim accipiunt ij magiſtros, quàm accipiantur ab illis. Qua de re graues contexit querimonias, quem communem olim præceptorem appellabant, Philippus Melanchton, in admonitione quadam, quam operi præfixit, quod, vtinam verè, doctrinæ Chriſtianæ corpus inſcripſit, & poſtremum omnium edidiſſe videtur. Sic enim ibi loquitur de Matthia Flacco Illyrico, deq́; Nicolao Gallo, diſcipulis quondam ſuis: Cùm hoc mirabilium hominum genere agi nihil poteſt, qui ſuo arbitrio damnant quidlibet, neque perſonis auditis, neque rebus diiudicatis. Cogunt concilia, quando & vbi ipſis placet: & vendicant ſibi maiorem magiſq́; intolerabilem ac minus excuſabilem authoritatem & poteſtatem, quàm Papa Romanus vnquam; quæ quorſum tandem euaſura videantur, cogitetur. In præfatione verò, quæ præceſſit admonitionem, in anarchiam quandam euaſiſſe dicit. Multò Philippo tolerabilior eſt viſa Pontificum Romanorum, quàm horum ſuorum diſcipulorum authoritas; quorum conuitijs atque maledictis ita fuiſſe dicitur exacerbatus, vt non rarò de reditu





batus, vt non rarò de reditu ad Papiſmum, hoc eſt, ad Eccleſiam Chriſti cogitarit; ac feciſſet proculdubiò, niſi pudor quidam humanus obſtitiſſet. Nam & hæc ab eo vox audita fuit. Vtinam aliquando denuò congregatum Concilium videre liceret: quamlibet affecta ſit hæc ætas mea, proficiſcendi tamen ad illud laborem non ſubterfugerem; & quicquid in eo de quibuſcunq; tandem doctrinæ Chriſtianæ capitibus Spiritui ſancto ſtatuere viſum foret, in eo lubens acquieſcerem: cùm rationem aliam non videam, qua tã grauibus & acerbis contentionibus iſtis finis imponi queat. Hanc ex eo ſe vocem audiuiſſe, quidam ex diſcipulis eius vir nobilis & omni fide dignus mihi narrauit; & facturum illum omninò fuiſſe puto, ſi vitam ei Deus longiorem ſuppeditaſſet. Sed priuſquàm redintegratum eſſet Concilium, in viuis eſſe deſijt. Cæterùm ſi quid ab illo verè dictum vel ſcriptum eſt vnquam, hoc fuit longè veriſſimum, quòd non aliò res, quàm ad Anarchiam ſpectare videretur. Nam vbi volunt omnes eſſe Papæ; qui velit ingenio cedere, qui ſit alteri ſubeſſe paratus, qui ſe ſuperiorem alium arbitretur, non ferè quiſquam reperietur. Sed quorſum ad extremum res recidit? Dum ita certant inter ſe cum præceptoribus diſcipuli, nouum quoddam Pontificum genus exortum eſt; de quo graues cient quærimonias, qui Centurias quaſdam Eccleſiaſticas non optima fide conſarcinarunt: Olim, aiunt, vnicus Romanus Præſul poteſtatem ſibi ſumebat, leges etiam politicas reformandi; quid verò nunc fit? pro vno Pontifice innumeri ex politicis, eminentia locorum atque munerum ſuffultis atque elatis, exiliunt: qui vicem alternantes, nunc à forenſibus rebus ad Eccleſiaſticas tranſcendunt: & non contenti ſuis metis, religionum formulas Eccleſijs cum ſceptro, gladijs, & fulmine Iouis exhibent. Et vna vel altera pagina interiecta: Falcem, inquit, in alienam meſſem mittunt. & alienam functionem temerè inuadunt, ſanctũq́ue ſanctorum intrant, quemadmodum Oſias: qui cùm ſint Politici magiſtratus, aut ipſorum ſerui; tamen magno ſupercilio audent nouas religionum formas componere, easq́; Eccleſiæ miniſtris offerre tali cum imperio: Ni applaudant ſine contradictione, ſe ſuo ſceptro illos expulſuros aut puniturosq́; id quod etiam factitant abſque omni miſericordia. Hactenus Centuriarum compilatores. Quibus tantò maior hac in re fides haberi debet, quo niam experti loquuntur: cùm eos non ex vna ciuitate pulſos eſſe conſtet, Roſtochio, Heidelberga, Iena, Magdeburgo; vnde alij carbonario curru, Superintendentes autem (honoris gratia) tecto tamen carpento, noctu deportati ſunt, multis armatis circumſepti. Nec aliter à ſuis Politicis Ponrificibus eos tractari decuit; qui legitimi Pontificis iugo colla ſubmittere noluerunt. Vides itaque, Beatiſſime Pater, qui ſit earum terrarum ſtatus, in quibus ex mandato Gregorij Secundi & Tertij, primum Euangelium Chriſti prædicari cœptum eſt: dum inuicem mordent & comedunt magiſtri & miniſtri, ab inuicem conſumuntur; & ad Politicos Pontifices ventum eſt, quos & ipſos quibus tandem illi conuitijs non inſectantur? dum eos, & Politicos Tyrannos, & Politicos Antichriſtos appellãt; per quos fit, vt qualis in ciuitate vel oppido, quoque Politicus eſt Pontifex, talem in eo religionis formam videre liceat. Quodq́ue de Iuda ſcriptum aliquando legimus à Hieremia Propheta: Secundum numerum ciuitatum erant Dij tui Iuda, & iuxta numerum viarum Hieruſalem immolabant Baal: hoc totidem verbis nunc quoque de Germania verè dici poteſt, vbi, quot ſunt Politici Pontifices, tot eſſe quaſi Dij videntur: dum quam quiſque religionis formulam è cerebro ſuo confinxit, eam populo pro verbo Dei prædicandam obtrudit. Hunc autem rerum ſtatum, erit quiſquam, qui diuturnum fore credat? Si verum eſt, quod à veritate, quæ neſcit fallere, dictum eſt: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur: certè regnum hoc Hæreticorum ita ſuis ipſorum ſe telis mutuis confodientium diu ſtare non poteſt. Sicut ignis in ſtipites ſegregatus extinguitur; ſicut domus in lapides diuiſa corruit: ſicut nauis in tabulas diſciſſa demergitur: ſic ſathanæ regnum hoc diutius conſiſtere nulla ratione poteſt. Incipiunt iam homines intelligere, quod iſti vocari volunt Euangelium, nihil eſſe minus quam Euangelium. An autem & hoc præclarum non eſt, quòd, quid ſibi velit Euangelium; quæ ſit vis vocis huius, nondum ſatis inter illos ipſos de eo conuenit: qui, quoniam cum Euangelio Chriſti commune nihil habent,

Universidad de Deusto
Biblioteca



Christianorum nomen tanquam tritum & nimis vulgare fastidientes, Euangelici, quàm Christiani vocari maluerunt: quasi possit extra Christum vllū Euangelium esse. Statim in ipso Lutheranismi siue Sathanismi exordio, inter eos etiam, qui fuerunt ex eodem oppido Islebiensi prognati, Lutherum & Agricolam, de vi significationeq; vocis huius Euangelium, disceptari cœptum est, quæ cum fuisse disceptatio sopita iam videretur, nunc denuò recrudescit inter duos Islebienses, vnum Lutheri discipulum VVigandum, alterum Agricolæ, Crellium, qui negat Euangelium propriè significare lætum nuncium, deque Christi beneficijs loqui, crudeles præstigias & depravationes rectè dictorum (hæc enim illius verba sunt) esse dicens, si quis ita doceat, quo nomine grauiter à ciue suo VVigando flagellatur. Sed si Crellius de eo Euangelio dixit hoc, quod cum seculis aliquot sub scamno latuisset, à se tandem erutum & in lucem productum Lutherus gloriatur, nihil alienum à veritate dixit, nec erat, cur eum ciuis eius tam acerbè tractaret: nam certè nullum lætum nuncium, verùm tristissima quæque protulit, & malorum Iliadem quandam Euangelium istud secum attulit: initio enim rusticos contra suos dominos vt eis rebellarent incitauit, ex quibus plura quàm centum millia cæsa feruntur: deinde principes etiam ipsos, vt contra fortissimum Euangelij Christi propugnatorem magnum illum Imperatorem Carolum arma sumerent, commouit. Quamobrem cum in ipso statim huius Euangelij exordio fuisset à Luthero rogatus nunquam satis laudatus ille Saxoniæ Dux Georgius, qui ad extremum vsque vitæ suæ spiritum constans in fide Christiana permansit, cuius memoria nunc est in benedictione sempiterna, vt Euangelium ipsius reciperet; post enumeratos fructus illius, Hoc tuum, inquit, Euangelium, quod sub scamno latens produxisti, attulit, & rectum quidem ei nomen imponis, quod sub scamno latens produxeris: bonum profectò foret illud adhuc sub scamno latere; nam si adhuc alterum produxeris tale, nos nullum conseruabimus rusticum. Si Christus voluisset tale Euangelium, non tam sæpè dixisset, Pax vobis: Petrus & Paulus non dixissent, Superioribus obediendum esse: idcirco illi ipsi fructus nobis ingentem & nauseam & horrorem faciunt tuæ doctrinæ, tuique Euangelij. Euangelio Christi nos, volente Christo, assistemus corpore, anima, substantia, ac dignitate, ad quod nos sua adiuuet gratia. Tu nos admones mortis, cuius certi sumus: quid autem fieret si tuum amplexi Euangelium moreremur: nónne Deus dicere posset, Vnde hic qui nouum Euangelium cum tot fructibus malis secum adfert? Nónne dixi tibi vt arborem ex fructibus cognoscas? Si diceremus, Lutherus dicebat esse Euangelium, quod sub scamno latebat, Deus autem diceret, At aliter tibi dixit Ecclesia Catholica. Cum igitur quotidiè dicas, te credere Ecclesiam Catholicam, quare ergo Luthero credis, & non Ecclesiæ? Nequaquam Luthere, serua tuum Euangelium, quod sub scamno latens produxisti, nos permanebimus apud Euangelium Christi, sicut recepit illud Ecclesia Catholica, ac seruat. Sic ille vir simplex, & rectus, ac timens Deum, quem ego non dubito propter suam singularem in fide Christiana constantiam coronatum nunc in cœlis triumphare gaudijsq; perfrui sempiternis. In cuius terrarum imperium qui successerūt, eos in pietatem etiam eius tam sancti sui antecessoris precibus adiutos multorum opinione citius successuros, magnam in spem venio, nam non procul à Regno Dei abesse dicuntur, simul & illud vident, multò tristiora Germaniæ post optimi Principis illius mortem euenisse; quo superstite nondum Smalcaldicum illud bellum fuerat excitatū. Nam quæ supplicia de Germania Deus non sumpsit proximis istis superioribus annis, posteaq; clementer ab eo castigati, nihilominus vt resipiscerent, adducti nō sunt? Nónne concurrere fecit Aegyptios contra Aegyptios? nónne pugnauit vir contra fratrē suum, & contra amicum suum? nónne mutuis ipsi vulneribus atq; cædibus ita se inuicem confecerunt, vt in vno prælio quinque Principes, duodecim Comites fuisse trucidati ferantur? Tantis calamitatibus Euangelium hoc Germaniam affecit, tantis mactauit infortunijs, vt si quamlibet potens & truculentus hostis eam grandi cum exercitu peruasisset, vix illi maiorem cladem adferre potuisset. Quin & ante septem plus minus annos memini legere prelo mandatas Saxoniæ Principum Epistolas, cum inter ipsos bellum susceptum fuisset, quorum alter subiectos sibi populos sollicitatos fuis-

se



se scribit, vt à Domino, cui iureiurando fidem suam obstrinxerant, desciscerent, quòd is ad Papismum, hoc est, ad Christianismum inclinare diceretur, vt ex eo facilè constare possit, etiam illud inter arctissima propinquitate sibi coniunctos Principes bellum ex hoc Euangelio conflatum fuisse. Cum itaq; considerent ista Principes, cum videant instar Prothei quotannis Euangeliū hoc mutari, cum ipsos etiam illius proceres furialibus odijs inter se dissidere cernant, seq; mutuis conuitijs insectari, quin & hæreseon condemnare, nec à maledictis & concitandis aduersus ipsos Principes subditis abstinere; credent illis mutuum de se testimonium perhibentibus, & vtrosque tanquam hæreticos mutuo suo ipsorum iudicio condemnatos: haud aliter quàm viperas & basiliscos fugient, & remisso nuncio Malefacio, redibunt ad Bonifacium. Malefacium autem voco, quem nihil aliud quàm male facere docuisse constat. Huius enim sunt illæ pestilentissimæ voces. Euangelium pati non posse, vt prædicetur de bonis operibus, ouiculam Christi horrere, vbi prædicari ea audit, Fidem nullum opus bonum posse iuxta se ferre. Qui bonis operibus operti sunt sunt, eos vix posse cœlum penetrare: quòd ea etiam iustificationem consequentia sint impura, cum opus optimè factum sit peccatū; Pestilentos esse magistros, & radicem germinantem fel, qui in nouo testamento conscientias operibus vexant, nec esse simul in Ecclesia fidei magistrum & operum. Quantò sceleratior est homo, tantò citius ei Deus gratiam infundet. Huic igitur Malefacio cum suo Cacangelio (nec enim aliud nomen tam impiæ flagitiosæque doctrinæ tribuere fas est) nuncio remisso, redibunt ad sanctum illum Bonifacium, à Gregorijs Pontificibus missum, qui primus Turingis atq; Saxonibus lætum nuncium, quod Græci, εὐαγγέλιον vocant, attulit, qui primus eis magnum illud gaudium annunciauit, quòd natus esset Saluator, per quem peccatorum remissionem, per quem cum Deo Patre reconciliationē, per quem filiorū adoptionem, per quē regni cœlestis hæreditatem sumus cōsecuti. Nec aliud populis illis prædicauit, quàm pacem & charitatem: quòd charitas de cœlo Deum detraxit in terras, vt homines à terris attraheret in cœlum, vt per quam viam ipse descendere dignatus est, per eandem ascenderent ij, propter quos ille descenderat; nec solam fidem, sed eam quæ per charitatem operatur, ad iustitiam, & ad salutem, regnique cœlestis hæreditatem acquirendam, sibi sufficere posse putarent. Hoc fuit Euangelium sancti Bonifacij, non ab ipso inuentum, vel sub scamno latens erutum; sed à Gregorio Secundo, & Tertio Pontificibus, penes quos mittendi potestas fuit, tibi creditum: cuius non ipse fuit institutor, sed sectator; non autor, sed custos; non quod ipse sibi priuatim vsurpauit, sed quod publicè traditum accepit. Hoc Euangelium ille prædicauit, hoc Euangelium sanguine suo signauit, hoc Euangelium pluribus miraculis confirmauit: cū qui nostro seculo noui fuit author Euangelij, quo pacem omnem & charitatem è terris propulsauit, ne claudum quidem equum sanauerit vnquam; & multas miriades hominum ex viuis ad mortem, & quidem hominis vtriusq; mortem adduxerit, ex mortuis verò nullum ad vitam reuocauerit. Hoc igitur Christi purum Euangelium, quod in Germania Bonifacius annunciauit, cui contrarium per annos 50. & amplius in Saxonia prædicatū est, multorum opinione citius restitutum iri, magnam in Domini misericordia fiduciam habeo; cum eorum impostura, qui fraudi suæ nomen Euangelij prætexentes, & pacem & charitatem, quæ summa est totius Euangelij, quin & Christum ipsum ex bona Germaniæ parte proscripserunt, & extorrem fecerunt, iam sint patefactæ; cum iurgiorum & altercationum, quæ sunt inter sathanæ ministros, & Principes, & subiectos illis populos, iam pertæsum sit; cum non oculis modo suis ipsi videant, verùm & manibus, vt ita dicam, contrectent, quòd ista multitudo Pontificum siue Politicorum, siue quocunq; tandem alio nomine vocentur, qui sibi maiorem & minus tolerabilem authoritatem arrogant, quàm vllus Papa Romanus vnquam, tantam religionum varietatem inducit, & ex fide, quæ nisi sit vna, perfidia, non fides dici debet, fidium ludum facit; quamq; nobis Christus moriens testamento reliquit pacem & vnitatem, eam prorsus exterminat, cum tamen is sub illud ipsum tempus, quo mundum relicturus, & ad Patrem suum cœlestem erat migraturus, nihil ardentius ab illo petierit, quàm vt seruaret eos; quos sibi dederat, vt essent vnum, sicut ipse cum Patre vnum est, vt essent

cõsumati in vnum. Quamobrem bono animo esto Pater beatissime. Quod sub Gregorio Primo in Anglia, quod sub Secundo, & Tertio in Germania; quod IV. & VII. in Dania & Suetia, quod sub XI. in Lituania, per legatos & Apostolos à Gregorijs Pontificibus ad ea regna missos superioribus seculis Euangelium fuit prædicatum; illud idem in ijsdem terris te quoq; Gregorio XIII. clauum Ecclesiæ tenente breui prædicabitur. Te Christi Vicarium, te Petri legitimum successorem, te non vrbis tantum, verùm & orbis totius Pontificem omnes illæ gentes agnoscent & venerabuntur: erratorum suorum veniam à te supplices petent. Quos tu, quæ tua benignitas est, naturæq; bonitas, haud aliter quàm Euangelicus ille Pater prodigum filium ad se reuertentem, obuijs (quod aiunt) vlnis ad Ecclesiæ gremium redeuntes excipies, & salutari puræ Euangelicæ doctrinæ pabulo reficiendos curabis. Quã ipsem nostram vt citò Deus confirmet, & vt quam celerrimè diem illum nobis illucescere faciat, qui summo gaudio non modo terras, verùm & ipsum cœlum implebit, supplices misericordiam illius implorabimus. Quò videre nos faciat, qualem vidimus ante hos 50. Ecclesiam, terram vnius labij & eorundem sermonum, multitudinis credentium cor vnum, & animam vnam, & illud impletum cernamus, quod à Christo promissum est; Fiet vnum ouile, & vnus pastor: quò sic vnanimes vno ore glorificemus omnes Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, & nomen eius laudemus & superexaltemus in secula, Amen.

Ex nostro Sublacensi secessu, XVIII. Cal. Septembris. M. D. LXXIII.

# SERENISSIMO PRINCIPI, HENRICO VALESIO, CAROLI IX. CHRISTIANISSIMI REGIS FRATRI,

*Dei gratia Regis Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, &c. Domino, Domino suo clementissimo,*

Stanislaus Hosius Cardinalis, Episcopus Varmiensis, obsequium suum defert.

*DIVINITVS hoc ita factum esse puto, REX HENRICE, quòd cum hæc nostra Catholicæ fidei confessio Christiana, iampridem à nobis conscripta, toties typis mandata, multis accessionibus aucta & locupletata, quot annis quasi noua in lucem prodierit, nunquam tamen alicui per nos mortalium dicata fuerit. Nam expectare quodammodo visa fuit, vt non vulgaris aliquis verùm vnus omniũ excellentissimus & acerrimus existeret Catholicæ fidei, quæ docetur in hoc libro, propugnator: qui cũ apertè semper coram orbe terrarum vniuerso Christum esset confessus, hæc ei nostra confessio Christiana, tanquàm illi propriè debita, per nos nuncupari posset, cum initio sub nomine nostro nõ prodijsset. Cuius rei quæ causa fuerit, & vnde nobis eam scribendi sumpta sit occasio, priusquàm cætera persequar, vt me paulò rem altius repetentẽ, non grauatim audias abs te peto. Annus iam agitur vigesimus tertius, cùm in suspicionem ex clero prouinciæ Gnesnensis quidam vocati fuerant, quasi de quibusdam doctrinæ Christianæ capitibus, minus rectè sentirent. Id cùm animaduertisset Nicolaus à Dzierzgow Archiepiscopus eius Prouinciæ Regnig. Primas, non ille quidem excellenti doctrina præditus, sed qui memor esset personæ, quam sustinebat, quamq; Deo pro grege sibi concredito rationem olim esset redditurus, muneri suo deesse noluit: & qua posset ratione prouidere conatus est, vt quæ pullulare iam tum in eius prouincia cœperunt hæreses, eæ nascentes potius opprimerentur, quàm serpere longius permitterentur. Itaque Synodum Episcoporum prouinciæ suæ congregauit, ad quam inter alios me quoque vocandum esse duxit. Quamuis autem Varmiensis Episcopus, immediatè (liceat enim hoc*



*hoc vsitato verbo vti) Sanctæ Sedi Apostolicæ subiectus sit, quoniam tamen publicam Ecclesiarum omnium, ad Regnum Poloniæ pertinentium, in quorum numero mea quoq; est, non priuatam alicuius diœcesis, vel prouinciæ, causam agi videbam, accessi nõ imutus: cum communi consilio, communem totius Regni pestem facilius propulsari posse persuasum haberem. Fuerunt igitur in ea Synodo proposita certa doctrinæ Christianæ capita, de quibus etiam Episcopi nonnulli nonnihil ambigere credebantur, à quibus postulatum erat, vt suam de illis iurati sententiam dicerent. Quoniam verò nuda proferebantur, quam ob causam non nemo fuit repertus, qui subscribere detrectaret, nisi dilucidius explicata forent, mihi mandata fuit hæc prouincia, magis vt ea redderem illustria, quò facilius intelligere patres possent, quænam illa forent, de quibus interposito iureiurando, suam essent sententiam dicturi. Quam ad rem, cum quatridui tãtum spacium datum mihi fuisset, curatum est à me diligenter (pro eo vt angustiæ temporis ferebant) vt in ordinem ea capita redigerem, scripturarum etiam ac Patrum testimonijs, probabilibus quoq; rationibus, quam fieri maximè posset perspicuè conscripta, confirmarem: quò minus grauatim ad ea calculo suo comprobanda patres adducerentur. Neque prorsus irritus cecidit labor hic noster. Nam simul vt quæ scripseram, lecta coram patribus fuerunt, quotquot præsentes tum aderant Episcopi, statim in ea iurarũt, cũ prius propria manu quisq; libello subscripsisset, ac ita se credere testatus fuisset. Decretum etiam fuit, vt libellus in publicum ederetur, & excudendus typographo tradere tur: quod cum ego cum primis esse periculosum iudicarem, quandoquidem causa religionis agebatur, ne quid festinantius de tanta re statuerent, petiui, meq; facturum recepi, vt intra paucos menses, quæ præcipitata potius à me, quam scripta fuerunt, accuratius expenderem, pluribus etiam & scripturarum & Patrum testimonijs productis probabiliora redderem. Quod mihi concessum quidem fuerat: verum interea vehementer instabat & vrgebat Archiepiscopus, subindè suos ad me tabellarios mittens, vt editio maturaretur. Recens tum ad Ecclesiæ meæ Varmiensis gubernacula vocatus accesseram, varijs q; curis & molestijs distringebar: feci nihilominus quod potui, cumq; totũ opus absoluere tam citò non possem, saltem eam partem, in qua de Fide, deq; Spe tractabatur, confectam Archiepiscopo misi: quæ cum Romam perlata fuisset, Otho Truchses Cardinalis Augustanus (cuius insignis pietas, & in Ecclesiæ sana doctrina tuenda & conseruanda, zelus quidam ardens orbi testatus est vniuerso) Theologis quibusdam librum legendum dedit, quorum iudicio cum cum probari cognouisset, sic est laboresos nostros complexus, vt librum dignum duceret, quem in oppido suo Dilingensi Typis mandandum curaret. Postulauit etiam à me, quod reliquum erat operis, vt id ad se perferendum curarem, quò posset integrum excudi. Contendebat idem à me suis literis, qui tum Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgensis Archiepiscopus fuit Michael Teiemburch, cuius & ipsius ingens fuit studium in ea doctrina, quæ cum Euangelio Christi consentit, tuenda & propaganda. Quoniam verò datum iam opus per me fuerat Archiepiscopo Gnesnensi, qui Mogunt iæ totum illud excudendum curauerat, vt indè peteret, rescripsi. Prodierat autem in publicum aliquoties, authoris nomine suppresso, nec factum est quicquàm propius, quàm vt librum in terras inferioris Germaniæ Theologi Louanienses importari prohiberent: quem tamen statim vt legerunt, approbarũt, ac importandi facultatẽ bibliopolis concesserunt. Insignis autem ille Theologus Ruardus Tapper Louaniensis Academiæ Decanus, admoneri me curauit, si quid scripturus essem deinceps, aut quæ scripseram, denuò sub incudem daturus, meum vt nomen ederẽ. Nam qui libri nomen authoris præfixum non haberent, eos in terras Catholicorum importari minimè licere. Quamuis autem facti mei ratio mihi constaret, illius tamen consilio parui libens. Habes iam, Serenissime Rex, quæ mihi res dederit occasionem, vt librum istum conscriberem. Nec enim voluntate mea laborem hunc suscepi, cui me, tenuitatis meæ conscius, minimè parem fore, iudicabam. Sed cum tota Synodus Prouincialis instaret, illius auctoritatem defugere mihi non licuit. Quod autem ille dixisse legitur, se Tarentinis, & Consentinis, & Siculis scribere, cum doctiorum iudicium reformidaret, hoc ego multò rectius dicere possum, quòd Polonis hæc scribebam, Lithuanis, & Pruthenis meis: nec vlla de re minus cogitabam, quàm vt ad exteras nationes ij nostri labores peruenirent: quarum iudicium reformidare meritò debebam, cum sint omni liberalium artium doctrina, sacrarum etiam rerum scientia perpolitæ. Verum est, quòd agamus DEO gratias, et tam illis non displicuit labor hic noster, vt & in Germanijs, & in Gallijs crebrius quàm vel optare, nedum sperare fuissemus ausi, typis mandatus fuerit: quin etiam bis in Germanicam, semel in Gallicam linguam eũ conuersum, ac in lucem editum vidimus: ac si vera sunt, quæ nobis renunciantur, maiorem etiam apud exteros, quàm apud eos, quorum causa laborem hunc suscepimus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



fructum attulit,& gratior illis accidit. Qua de re tantum abest, vt gloriari velimus, oēm vt gloriam soli Deo, cuius hoc est beneficium, ascribamus. Quid enim nos? Plātare quidem potuimus, rigare potuimus: cæterùm incrementum dare, non alius q̄ qui docet intus, solus Deus potuit. Et est illud verissimè dictum, quòd neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Illius nomen sit benedictum in secula. Cæterùm cuius numine factum est, vt quod felix, faustum & fortunatum Deus esse velit, in quo Regno primùm ego lucem hanc aspexi, eius ad te gubernacula deferrētur, nihil ambigo, quin & hoc eiusdem acciderit prouidentia, quòd cùm per totos annos viginti & amplius liber hic noster, varijs in locis toties typis mandatus, nec vlli mortaliū vnquam per me dicatus fuisset, sub hoc ipsum tempus multò iam auctior, & castigatior in lucem prodijt. Nam te patronum expectare, tibi potissimum per me dicari velle visus est, quòd ex multis causis tibi præ cæteris deberetur. Nam præterquàm quòd nulla gens illustriore lucubrationes nostras excepit gratia, quàm ex qua tu ducis originem (sicut ex crebris & Parisiensibus, & Lugdunensibus editionibus, plenum omnibus, & perspicuum esse potest) vt non aliunde mihi quàm ex hac ipsa gente patronus illis quærendus fuerit, etiam fidei nostræ prima quasi crepundia non aly fere, quàm isti ipsi gēti nobis accepta ferenda sunt: cùm q primi nos quasi gemuisse videntur verbo veritatis, à Sancta Sede Apostolica in Poloniam Episcopi missi, Gallos illos ex magna parte fuisse, Catalogi testantur Episcoporum, quos in Cathedralibus Ecclesijs, Craccouien si præsertim, asseruatos legere memini. Testantur & ritus Ecclesiarum nostrarum, atque cæremoniæ, quæ cum Gallicanarum Ecclesiarum cæremonijs pulchrè consentire videntur: vt quòd iā inde à sexcentis annis Christo nomen dedimus, quòd eius Euangeliū recepimus, quòd sanam Ecclesiæ doctrinam per tot secula retinuimus, gentis tuæ doctrinis & institutis, cuius ministerio fidei fundamenta in patria mea iacta sunt, non minima ex parte debere videamur. Præter has igitur & alias causas, quas enumerando recensere longum foret, est hæc vna omnium grauissima, quòd qualem anno ferè toto, postea quàm Sigismundus Augustus è sui corporis diuersorio æternam illam in domum migrauit, dari nobis à Deo Regem supplices precati sumus, acerrimum Catholicæ fidei propugnatorem, talem ille te nobis de cælo mittere dignatus est: nullus vt iam longior cunctationi deliberationiq; locus nobis relictus esse videatur. Quam enim ille de te tulit sententiam, in ea libenter acquieſcimus. Quamobrem tibi tanquam acerrimo Catholicæ fidei propugnatori (nam hoc de te iudicium Deus ipse tulit) hanc nostram Catholicæ fidei Confessionem Christianam offero, cum qua me tibi totum simul dico & dedo. Quam Regi domino q; meo debeo, fidem, & subiectionem, eam qua summa possum animi mei submissione tibi defero: gratulor etiam, quòd hac te tāta gloria iustus ille cuius q; meritorum æstimator Deus, cumulatum voluerit, cùm propter multas alias, quæ de te prædicantur heroicas virtutes, tum propter zelum, quem in auita pietate, religioneq; tuenda singularem hactenus ostendisti. Semper tu, Pientissime Rex, apertè Christum coram hominibus es confessus, nec vnquam illius causam dissimulanter agendam esse putasti: num aut em sicut in terris illum tu coram hominibus, sic vicissim in cœlis ille te coram patre suo confessus non est? An quod olim sanctum illum Regem, & Prophetam de Christo vaticinatum esse legimus, Dominabitur à mari vsq; ad mare, suo modo quodam, ita Christo volente, nunc in te completum id esse non videmus? Quandoquidem illius benignitate, quem coram hominibus confiteri nunquam erubuisti, tu quoque nūc dominaris à mari Baltico, vsque ad mare Euxinum: vt & illud quod mox in eodem Psalmo sequitur, Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent, non ita multo pòst euenturum speremus. A Domino reuerà factum est hoc, qui te tam solidæ, tamq; cōstantis, & perpetuæ confessionis tuæ præmium istud ferre voluit in hoc seculo, multò maiorem in futuro mercedem daturus. Quò maiore studio tibi contendendum, & elaborandum erit, quandoquidem adeò te Deus amauit, & ornauit, ac tanta gloria, & honore coronauit, vt à populis à patria tua longissimo terrarum interuallo disiunctis, ad amplissimi Regni gubernacula capessenda vocare te voluerit, vt eum quem cœpisti vitæ cursum teneas, magis etiam in dies apertè Christum confiteri pergas, q tibi tantorum bonorum author fuit, & largitor: eius perduelles hæreticos eodem loco, quo tuos ipsius perduelles habeas, quin etiam odio maiore quàm tuos, prosequendos existimes, vt cum sancto Rege, & Propheta dicere possis: Nónne eos qui oderunt te odio habui, & super inimicis tuis tabescebā? Perfecto odio oderam illos. Quod est aūt perfectum illud odium, de quo Propheta loquitur, nisi quando non homines, sed peccatores odio habemus? qui quantò maiore sunt in odio, tantò maior elucet in ipsos homines charitas: cùm illud præcipuè seruatur, vt non alia de causa peccator Sathanæ tradatur, in carnis



carnis interitum, quàm vt spiritus eius fieri saluus queat. Tunc verè diligitur homo, quando maximo est in odio hæreticus: quem quò magis legitima potestas persequitur, quò grauiores de eo pœnas sumit, hoc magis homo diligitur: dum, vt spiritus eius fieri saluus queat, laboratur. Hoc abs te sedulo fuisse factum hactenus, non sine magna tui nominis laude commemorari audiui. Nec enim existimare debes, aliquam esse terrarum orbis partem, ad quam, rerum à te fortiter & fœliciter gestarum, fama non peruenerit. Quæ bella gesseris, vix dum ex ephebis egressus, contra sceleratissimos non tam tuos, vel Christianissimi Regis fratris tui, quàm ipsius Christi perduelles: quàm eos perfecto semper odio fueris prosecutus: quas etiam victorias atq; triumphos de illis reportaueris, orbi notum est vniuerso, qui cùm, temporis causa, se Christianissimi tui fratris perduelles esse desiisse simulassent, & in illius gratiam recepti, quæ contra eū sumpserant, arma parricidialia deposuissent, vt pro hostibus deinceps non haberentur: tu (quæ tua nunquam satis laudanda pietas est & religio) quoniam perduelles Christi esse non desierant, hostium eos loco semper nihilominus habuisse, nec, vt vultum saltem illis æquiorem ostenderes, vllis vnquam rationibus adduci potuisse, diceris. Hoc est, Serenissime Rex, apertè Christum confiteri. Perge qua cœpisti, nec ab hoc instituto tuo dimoueri te per quenquā patiaris: quod si persecutus in Regno quoq; tuo fueris, etiamsi nullum contra Christi perduelles gladium strinxeris (nec enim vnquam eò te necessitatis adactum iri spero) vel hac sola ratione perfeceris, vt qui per summum sacrilegium à Christo, & ab eius corpore Ecclesia se diuulserunt, eos intrà non ita longum tempus, ad eius compagem reductos videamus. Quòd si videris aliquem, te, qui non modò verbis, verùm & factis ipsis verè Christianissimum esse te Regem profiteris, non pro Christiano Rege, sed pro idololatra habere, nec in eodem tecum templo Deum colere velle, sed sacrilega separationis consilia sequi: quandoquidem separatus esse vult à communione tua, qualem se fecit ipse, suo ipsius iudicio condemnatus, talem illum habeto: & si nihil in eum statuere durius volueris, nec aue saltem illi dixeris vnquam, nec alio loco sit apud te, quàm quo præcepit Christus, tanquam ethnicus, & publicanus. Omninò sit separatus: & si quis in gratia esse tecum vult, ne cibum quidem cum eo capiat. Sit omnibus anathema, μαραναθα. Quam autem iniuriā feceris hæretico, si, cùm sacrilega separationis illi consilia tantoperè placere videris, suum ipsius de se iudicium confirmaueris, cùm à tua communione separatum esse permiseris, nec eum in vllam familiaritatē admiseris, etiam in politicis rebus nihil habere commune cum illo volueris? Hoc si factum fuisset proximis superioribus annis, nunquam eò ventum fuisset, quò nunc (proh dolor) ventum esse videmus, & ingemiscimus. Quicquid est in regno tuo malorum, nō aliunde nata sunt omnia, quàm quòd hæretici pro hæreticis nunquam habiti fuerunt, qui sibi nomen etiam Euangelicorum arrogare veriti non sunt, cùm tamen ex diametro pugnet eorum doctrina cum Euangelio Christi: quod adeò impunè tulerunt, vt etiam aucti sint & honestati, & modò non principem in Senatu locum obtinuerint. Hæc fuit fundi nostri calamitas, inde tot sacrilega schismata, tot horrendæ sectæ tam dissectæ. Proh dolor, eò res ad extremum redijt, vt in pleriſq; locis pro Deo, Deiq; filio, Christus Deus noster non agnoscatur, nec æqualis, nec consubstantialis esse Patri credatur. Et intereà ij dem isti, non minus quàm Lutherani, de Christi gloriantur Euangelio, sibiq; magis, quàm illis Euangelicorum nomen tribui debere putant. Tres in regno tuo sunt fratres, & ij non postrema nobilitate: quorum vnus Lutherista, alius Caluinista, tertius esse fertur Trideista. Num autem & nos dicere non possumus cum Propheta, Stupor & mirabilia? Tres fratres cùm sint ex vno & eodem vtero matris prognati, fidem tamen vnam & eandē non profitentur, verùm tribus ludunt fidiculis, & sibi sunt inuicem hæretici. Quis autem ex ijs tribus iustius Euangelici nomen sibi arrogauerit? Mirum ni Trideista. Nam is, cum doctior esse cæteris existimetur, nihil recipit, nisi quod est in Euangelio, & quoniam ibi non reperitur nomē Sanctissimæ Trinitatis, magna cum audacia, & impudentia voces has, quæ non sunt in Euangelio, reijcit: quo nomine se verius Euangelicum censeri posse persuasum habet, quàm omnes Lutheristas, & Caluinistas, quandoquidē illos ab Euangelio dissentire putat, in quo voces istæ non reperiuntur, reperitur autem, Pater maior est me, non est igitur Filius æqualis Patri, nec eiusdem cum eo substantiæ. De suis temporibus scripsit aliquando præclarum illud Galliarum lumē Hilarius: Periculosum nobis admodum, atq; etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribūtur, vt volumus, aut ita, vt volumus, intelliguntur: & cum, secundum vnum Deum, & vnum Dominū, & vnum baptisma, fides etiam vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id esse cœperunt, ne vlla sit. An autem in eadem illa tempora nos quoq; nūc

Universidad de Deusto
Biblioteca



non incidimus? An hæc verba, non magis etiam quadrant in hoc nostrũ infelix, quàm in illud seculum? An eo rem quo q. nunc recidisse videmus, post eaquàm excessum est ab ea fide, quæ sola est, vt ad id esse cœperint, ne vlla sit? Nihil est opus longius exempla petere. Quid agatur in vicina Regno tuo Germania, proculdubiò non ignoras. Nihil nũc dicam de ijs, quos in Gallijs Hugonotos, in Flandria Geusios vocant, qui sempiternam veritatẽ de sui corporis, & sanguinis veritate in sacrosancta Eucharistia disertis verbis pronunciantem, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, per summum scelus, arguere mendacij non verentur: quos pro indubitatis hæreticis habent vnà nobiscum etiam, quamlibet peruersi & à nobis auersi Lutherani, nec eis in suis terris receptum dari permittunt. Eorum tantùm volo meminisse, qui sẽ Confessionis Augustanæ censeri cupiunt: quæ tamen eò redacta iam est, vt non minus eam sibi propriè vendicent Caluinistæ, quàm Lutheristæ, vt coturnus etiam quidam esse dicatur viriq. pedi aptus, & in quodam hæreticorum conuenticulo non ita procul à Regni tui finibus habito, Polonam ocream, eam vocari legi. Sed mihi tamen hic sermo de Saxonicis tantum est, apud quos primùm, quod sub scamno diu latuisse dicebatur Euangelium, in lucem productum esse, Lutherani gloriantur, & à quibus Augustana Confessio conscripta, & Carolo V. Imp. fuit Augustæ oblata, multùm autem ab hac diuersa, quæ nunc Vittembergæ in vsu est. Cùm vrbanos calores fugiens in hanc solitudinem secessissem, legi grandem librum, quem de Persona, & Incarnatione Christi, lingua sua vernacula, schola Vittembergensis hoc ipso anno edidit. Bone Deus, quæ possunt hæreses esse tam horrendæ, quarum illi suos vicinos, quos eis Flaccianos vocare visum est, nõ insimulent? Marcionitarum, Samosatensium, Manichæorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutichianorum, Monothelitarum, & quos alios abominandos errores, ab orco reuocatos, apud eos nunc spargi, tragicè vociferantur, nec aliud illis esse propositum, quàm vt Mahometismo, & Alcorano viam præparent, & quod hactenus in Ecclesijs de officijs, & beneficijs Christi docebatur, id in dubium reuocent, vt sic impleatur illud quod à Christo prædictum in Euangelio legimus: Putasne filius hominis veniens inueniet fidem in terra? nec eos in suspicionem vocare dubitant, quasi nullum in cælo Deum esse credant. Monẽt etiam omnes, vt oculos tandem aperiant, quibus tam fœdos eorum & execrandos errores contemplari possint: fidem aduersus eos omnium, eorum præsertim, qui cum potestate versantur, implorant, at q. vt maturè venientibus malis obuiam ire velint hortantur, & obtestantur, simul & pœnarum admonent, quibus grauissimis affectus est Oriens, cùm eiusdem generis hæresibus infectus fuisset, vbi quondam insignes Ecclesias videre licuit, quæ ab ipsis Apostolis, & eorum successoribus plantatæ fuerunt, ibi nunc horrendam quandam desolationem, & vastitatem cerni. Nec enim potuisse Deum ferre diutius tot & tantas blasphemias, quin quas merebantur, de illis pœnas persequeretur. Vtinam autem hoc exemplo moueri possent, non solum ij, qui monentur, Flacciani, verùm & ipsi, qui nauigant in eadem naui, monitores, Eberiani, siue Vittembergenses, & vnde discesserunt, eo redeant, ad eam quæ Christi corpus est, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam: quandoquidem eadem vtriusq. calamitates, ita peccatis nostris exigentibus, impendere videntur, quibus obrutum Orientem, in manus Turcarum peruenisse frustra nunc lamentamur. Verùm quid ad hæc, qui sunt aduersæ factionis Flacciani? Num remissius causam suam agunt, an & ipsi minus tragicè contra scholam Vittembergensem exclamant, ex qua malorum coruorum oua pessima prodierunt? An modò non earundem hæreseon, præterea Pelagianismi, & Caluinismi, suos præceptores non insimulant? Omnia tela, quibus à Vittembergensibus petiti fuerunt, in eos ipsos retorquent: nec minore vociferatione Dei fidem, hominumq. contra illos implorant. Possem hic plura recensere, & de Eberianorum inter se, & de Flaccianorum (qui tamen ante paucos annos vnanimes aduersus Eberianos decertarunt) furialibus odijs, at q. diссidijs, quibus hostiliter inter se decertant, sed ne modum excedat epistola, non prorediar longius: cùm præsertim ex his ipsis, quæ cõmemorata sunt per me, qui sit status in vicina Regno tuo Saxonia facile perspicere queas, post eaquàm ex ea fide, quæ sola est, excesserunt, & in aliud Euangelium, quod cum Christi pugnat Euangelio, transferri se passi sunt. Num autem eius regni, cuius nuper Rex es creatus, melior est conditio? Quàm cuperẽ, vt id affirmare verè possem: sed, sicut paulò antè memini, nihilo res insunt loco meliore, nisi quòd qui sunt ibi religionis ergo motus excitati, eos tu cura, prudentia, vigilantiaq. tua, Christo duce, multo minore negocio cõponere posse videris, modò statim in ipso initio, virũ te præstes: ac, si quis nouas vt aliquas fiduculas approbes, à te cõtenderit, apertè nulla circuitione vsus, factũrũ te neges, vt ex fide, quæ sacrosancta semper esse debet, fidium ludum fieri, & eam ita ioculariter tractari permittas. Quod aliquando clarissimum illud Galliarum sidus Hilarius scriptum reliquit,

fidem



fidem dici non posse nisi vna sit, & quicquid est præter vnam fidẽ, perfidiam, non fidem esse, si fuerint importuni, nunquam auribus eorum inculcare desine: perfidiam cum fide coniungi, tenebras cum luce copulari, quiq. tenebrarum princeps est Belial, eum vnà cũ Christo, qui lucem habitat inaccessibilem, adorari nequaquam posse. Quantumcunq. vociferati fuerint ad rauim vsq. Hæretici, non aliud quàm hoc abs te responsum ferãt, Christianus sum, Christum semel in Baptismo indutus, & confessus, Christianissimis parentibus, auis, proauis, atauis, abauis prognatus: Christum, quem semel sum confessus, negabo nunquam: Christianam fidem, quæ iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus in patria mea, in Polonia vero à sexcentis & amplius annis recepta est, quoad spiritus hos reget artus, non deseram vnquam, prius vitam cum sanguine profusurus, quàm vt illam pro virili mea non tuear, ac defendam. Quamobrem apagite cum istis fiduculis vestris. Nunquam ego vel Augustanam, vel Geneuensem, vel Ienensem, vel Polonam aliquam ocream, vel quocunque tandem alio nomine vocetur, quodcunque sit illud perfidiæ genus, sed solam Christianam Catholicæ fidei Confessionem amplectar semper, omnia prius & facturus, & passurus, quàm vt alienum aliquid ab officio Christianissimi Principis faciam. Hac tu constantia tua facile perditorum hominum conatus fregeris, & furiosos eorum impetus retardaueris. Neque tibi præstò non est adfuturus, de cuius causa nunc agitur, Dominus IESVS CHRISTVS: in quo cum tuam spem omnem & fiduciam defixam habueris, non deseret ille te sperantem in se, proq. sua gloria dimicantem: cuius ego nomine, quamlibet indignus illius minister, tibi promitto & spondeo, si, quam certam de te spem concipio, statim in primo in Regnum ingressu tam apertè Christum semper confessus, de mentis tuæ statu te dimoueri passus non fueris, si solum reuerendum, solum illum tibi metuendum proposueris, quòd quietiorem deinceps Regni tui statum es habiturus, & feliciter in eo regnaturus. Tanquam numẽ aliquod e cælo missum pij te colent, & obseruabunt omnes: impijs verò statim ministris, cum viderint solum esse Deum, à quo tibi metuendum esse putas, tantum terrorem incuties, nihil vt contra voluntatem tuam deinceps vel mutire sint ausuri. Vel domestica exempla docere te potuerunt, quem semel permissus fidium lusus in patria tua fructum attulerit: in qua post eaquàm impunè sibi per summum scelus, quidam vsurparunt, vt cathedram contra cathedram constituerent, altare vel mensam potius, contra altare erigerent, num ibi solium quoque cõtra solium, sceptrum contra sceptrum erectum non est? Num vbi duæ fides permissæ sunt, duos quoque Reges constitutos non vidimus? An aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, à Domino coronatum & vnctum, à Christi perduellibus arma parricidialia sumpta non sunt? Ita duæ fides duos etiam in patria tua Reges pepererunt. Feliciter sapit, Pientissime Rex, quisquis alieno periculo sapit: quanquam illud abs te alienum non fuit. Quamobrem vel tuo ipsius periculo sapere velis. Sed ego prolixior esse nolo, ne de tua constantia dubitare videar: tantum hoc abs te nunc peto, quod à me tibi munus offertur, in hoc felici Regni tui exordio, vt id à subdito tuo, tanquam debitæ subiectionis testimonium hilari fronte suscipias, & quæ tibi traditur à me tãquam à Regni tui Senatore & Consiliario, Cardinali præterea & Episcopo, priscæ nostræ Catholicæq. fidei doctrina, in ea potius acquiescere subiectos Maiestatis tuæ populos iubeas, quàm vt eos quouis vento circumferri, & à nouis ac peregrinis doctrinis abduci patiaris, cum præsertim hæc nostra lucubratiuncula non solum Lutetiæ Parisiorum toties mandata typis in lucem prodierit, vbi princeps Academiarum omnium floret Academia, nec est in orbe terrarum vlla celebrior, & omni doctrinarum genere, sacrarum præsertim expolitior: & vbi dubijs temporibus ijs eius magistros in tuenda sana doctrina præclara suæ fortitudinis & constantiæ documẽta dedisse, magna cum sui nominis gloria, vidimus: verumetiam, sic volente PIO IIII. Pontifice, opera Pauli Manutij viri docti, solertisq. Typographi, in ea quæ caput est orbis vrbe Roma, cuius fidẽ Apostolica voce laudatã esse scimus: in qua perpetuò cõseruatam eam fuisse, quæ est ab Apostolis, traditionem refert Irenæus: cui totam doctrinam Apostolos, vnà cum sanguine suo, profudisse, Tertullianus asserit: ad quam accessum habere perfidiam nunquam potuisse, testatur Cyprianus: quam ita semper incorruptæ Patrum doctrinæ fuisse tenacem, vt quotties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex ijs quæ scripserunt Hieronymus & Ambrosius, didicimus: in qua semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum, narrat Augustinus: quam hæretici fœtoris semper expertem permansisse, nec vnquam in ea, qui contrarium sentiret, sedisse, quin potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuisse, testatur Theodoretus: ad quam propterea de fidei causis iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, nunquam non relatum fuisse, qui seculis aliquot fuit posterior Bernardus, asserit, quod ibi potissimũ sarcita iri dãna fidei spes foret, vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca



*fides non posset sentire defectum. Qui verò præcessit Bernardū, Lanfrancus, cui cum ijs quos nunc vocant Hugonotos, quorum primus author Berengarius fuisse videtur, acerrima semper pugna fuit, propterea à multas gẽtes morem Romanorū in sacris rebus imitatas esse scribit, quòd (sicut ipse loquitur) tanti magisterij ex Apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per orbem Ecclesia, æquè vt Romana, ab omni fæce hæreseon cunctis retrò temporibus pura permansit: & hæreticum pronunciare non dubitat omnem hominem, quisquis à Romana Ecclesia in fidei doctrina discordat. Cum itaq; præter alias nõnullas, in ijs omnium præstantissimis vrbibus liber hic noster non semel in lucem typis mandatus prodierit, quæ traditur in eo non debes dubitare, quin ea Romana sit, hoc est, Catholica fides. A qua qui discesserunt, quàm verum sit illud quòd non aliundè hæreses ortæ sunt, aut natæ schismata, q̃ inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, sed Episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur, nõ tam è Sancti Pontificis & martyris illius Cypriani scriptis, quàm ex ijs, quæ discessionem eorum consequutæ sunt, rebus gestis, quæ modo non edita voce sic se rem habere clamant, abundè iam didicisse potuerunt. Quod superest, iterum atq; iterum Diuinã hanc ad Regni Poloniæ gubernacula capessenda vocationem tibi gratulor, atq; vt eam cum tibi tum regno tuo, & Ecclesiæ vniuersæ feliciter euenire velit, supplex Deum precor: vt spiritum tibi consilij & fortitudinis largiatur: vt spiritu principali te confirmet: vt, præter vnum Christum, neminem in tuo Regno coli permittas, nec in societatem eius vllum Belial, aut Islebiensem, aut Geneuensem, aut quocunq; tandem alio nomine vocetur, admittas: præter vnum Christum, à nemine tibi metuendum esse persuasum habeas. Quod hactenus magna cum tui nominis gloria fecisse prædicaris, etiamsi constiterint aduersus te castra, non timeat cor tuum: etiamsi exurgat aduersus te prælium, in solo Christo sperato. Quod scriptũ apud Esaiã Prophetã legis: Et tu Israël serue meus, Ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te: & dixi tibi, Seruus meus es tu: elegi te, & nõ abiecite: ne timeas quia ego tecũ sum: ne timeas, quia ego Deus tuus. Ecce cõfundentur & erubescent omnes aduersantes tibi: erunt quasi non sint. Peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos: & erunt quasi non sint: & non erunt qui pugnent contra te, quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicens q̃ tibi, Ne timeas: ego adiuui te. Cùm hæc apud Esaiam legeris, tibi peculiariter esse dicta putato. Nam reuerà elegit te Deus, & non abiecit te, nec abijciet vnquam. Ab extremis terræ, & à longinquis eius vocauit te, & dixit tibi. Seruus meus es tu. Seruus esse Christi, Christianissime Rex, perge, sicut hactenus fuisse te semper à multis prædicatur: & audies vocem hanc illius, quam non semel audiuisse te puto, quoties cum Christi perduellibus tibi negocium fuit; Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus. Huius præsidio fretus, viriliter age, & confortetur cor tuum: cum Sancto illo Rege & Propheta dicito: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Quò maior in eo fiducia tibi collocata fuerit, hoc feliciorem consiliorum tuorum omnium progressum & exitum es habiturus. Quod vt ita fiat, ego quoq;, quamlibet indignus Dei minister, vnà cũ Ecclesiæ meæ clero vniuerso, supplex misericordiam illius implorare nõ intermittam. Qui te seruet in multos annos incolumem & felicem. Ex nostro Sublacensi secessu, xviij. Cal. Septembris. M. D. LXXIII.*

AV-

# AVCTORVM NOMINA, QVORVM IN HIS OPERIBVS FIT MENTIO.

Abbas Panormitanus.
Abbas Vrspergensis.
Abdias Babylonius.
Adalbertus Archiepiscopus Gnesnensis.
Adelhemus.
Adelmanus Brixiensis.
Adrianus Papa.
Agatho.
Aymonius historicus.
Albertus Magnus.
Albertus Pighius.
Albertus Pius Carporum princeps.
Albinus.
Aemilius.
Alexander IIII. & V.
Alexander de Ales.
Alexander monachus.
Algerus.
Aloisius Lipomanus.
Alfonsus à Castro.
Amalarius Trueren. Archiepiscopus.
Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Amphilochius.
Anacletus.
Anastasius Papa.
Anastasius Patriarcha Antiochenus.
Annales Polonorum.
Andreas Hierosolymitanus.
Andreas Cretensis.
Angelomus.
Angelus Politianus.
Anianus interpres Chrysostomi.
Anselmus Hauelsburgen. Episcopus.
Anselmus.
Antonius Episcopus Constantiensis.
Antonius Archiepiscopus Florentinus.
Antonius Abbas.
Apollonius vrbis Rom. Senator.
Aponius.
Aristoteles.
Arnobius.
Athanasius.
Augustinus.
Barlaam Eremita.
Basilius Magnus.
Basilius Episcopus Seleuciæ Isauriæ.
Beda.
Benedictus.
Bernardus.
Berno.
Bertramus.
Blondus.
Bonauentura.
Burchardus Episcopus VVormatiensis.
Canones Apostolorum.
Caius Papa martyr.
Calixtus Papa.
Capreolus.
Caroli Magni fragmenta.
Cassiodorus.
Celerinus.
Cæsarius Episcopus Arelatensis.
Claudianus.
Clemens D. Petri successor.
Clemens Alexandrinus.
Christianus Drutmarus.
Christophorus Longolius.
Chromatius.
Cœlestinus Papa.
Conciliorum liber.
Cornelius Episcopus & martyr.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hierosolymitanus.
Damascenus.
Decreta, Decretales.
Diadocus.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Pontifex.
Dionysius Carthusianus.
Dorotheus.
Didymus.
Drogo.
Ecclesiastica Historia.
Egesippus.
Emilius historicus.
Epiphanius.
Ephrem Edissenæ Ecclesiæ Diacon.
Erasmus Roterodamus.
Euagrius.
Euaristus.
Eucherius.
Eunapius.
Eunodius.
Eusebius Emissenus.
Euthimius.
Eustathius.
Fabianus.
Faustinus.
Franciscus VVargas.
Franciscus Torensis.
Fronto.
Felix Papa.
Fulbertus Episcopus Carnotensis.
Fulgentius Episcopus Masiliensis.
Gabriel Biel.
Gabriel Faernus.
Gaudentius.
Gelasius.
Gemma animæ.
Gennadius.
Georgius Patriarcha.
Georgius Cedrenus.
Georgius Vicelius.
Giselbertus.
Gotfridus Clarauallen. Monachus.
Gratianus.
Gregorius Magnus.
Gregorius IIII. Papa.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nissenus.
Gregorius Turonensis.
Guibertus de Tornaco.
Guilhelmus Durandi.
Guilhelmus Episcopus Parisien.
Guilhelmus bibliothecarius Mamelsbergen.
Guilhelmus Scirletus.
Guido Carmelita.
Guimundus Episcopus Auersanus.
Haimo.
Hesichius.
Hermannus patriarcha Constantinop.
Hieronymus.
Higinus.
Hilarius.
Hildelbertus Episcopus Cenomanensis.
Hippolitus.
Horatius.
Hormisda.
Hortulus animæ.
Hugo de S. Victore.
Hugo Cardinalis.
Hugo de Prato.
Hugo Lingonensis Episcopus.
Idacius Clarus.
Idiota.
Ignatius.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Gerson.

Ioan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannes Episcopus Romanus
Ioannes Scotus.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Belletus.
Ioannes Zonara.
Ioannes Monachus.
Ioannes Roffensis.
Ioannes Cochlæus.
Ioannes Fox.
Ionas Aurelianensis Episcopus.
Iosephus.
Irenæus.
Isidorus.
Isichius.
Innocentius III.
Iulius Pontif.
Iulius Pflug Episcopus Naumburgensis.
Ischiron Diaconus.
Iustiniani Imp. Codex.
Iuo Episcopus Carnotensis.
Iustinus Philosophus martyr.
Lactantius Firmianus.
Lantfrancus Episcopus Cantuariensis.
Leo Magnus.
Leo nonus Pontifex.
Leontius Episco. Neapol. insulæ Cypri.
Liberatus.
Liberius Papa.
Lucius.
Macarius Episcopus.
Macarius Monachus.
Marcus Eremita.
Marcus Exercitor.
Marcus Pont.
Martianus.
Martialis Lemouicen. Episc.
Marcellinus Pontif.
Mattheus Monachus.
Maxentius.
Maximus Taurinen. Episcopus.
Maximus Tyrius.
Maximus Monachus.
Melchiades Papa.
Methodius martyr.
Michael Merspurgen. Episcopus.
Nectarius.
Nicephorus.
Nicætas.
Nicolaus Papa.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Cabasilas.
Nilus Chrysost. discipulus.
Oecumenius.
Optatus.
Origenes.
Osius Episcopus Cordubensis.
Otho Frisingensis.
Pacianus.
Palladius.
Pamphilus martyr.
Paulinus Aquileiensis Episcopus.
Petrus Chrisologus.
Petrus Galatinus.
Petrus de Aliaco.
Petrus Antiochenus Patriarcha.
Petrus Lombardus
Petrus Abbas Cluniacensis.
Petrus Abailardus.
Petrus à Soto.
Petrus Canisius.
Philaster.
Philo.
Philoromus.
Photius.
Plato.
Platina.
Plutarchus.
Picus Mirandula.
Possidonius.
Primasius.
Proclus Constantinop. Episcopus.
Procopius.
Prosper Aquitanicus.
Prudentius.
Rabanus.
Rabbi Samuel.
Rabini
Radulphus Ardens.
Raynerius.
Remigius Altisiodorensis Episc.
Ricardus de Prato
Ricardus de media villa.
Robertus Episcopus Arboricensis.
Ruffinus.
Ruardus Tapper.
Rupertus Abbas Tuitiensis.
Rusticus Diaconus.
Sacerdotale Romanum.
Saluianus.
Satyrus.
Serenus.
Sedulius.
Seneca.
Sidonius Aruernus.
Simeon Metaphrastes.
Simon de Cassia.
Sixtus Papa.
Socrates.
Soter.
Sosimus.
Sozomenes.
Stanislaus Episcopus Craccouiensis.
Stephanus Papa.
Stephanus Episcopus Bostrorum.
Stephanus Brulepher.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius Seuerus.
Syritius.
Tharasius.
Terentius.
Tertullianus.
Telesphorus.
Theosterictus.
Theodoretus.
Theodorus.
Theodorus Balsamon.
Theonas.
Theophylactus.
Theophylus Alexandrinus.
Thomas de Aquino.
Thomas Valdensis.
Timotheus Alexandrinus.
Trithemius.
Vergilius.
Victor Episcopus Vticensis.
Victorinus.
Vigilius Papa.
Vigilius Episcopus Tridentinus.
Vincentius Lirinensis.
Vincentius Beluacensis.
Vrbanus Papa.
Xistus.
Zepherinus.

SCRI-

# SCRIPTVRAE SACRAE LOCA, QVAE IN PRIMO HOC TOMO AB AVCTORE D. Cardinale Hosio sunt explicata.

*Genesis.*

1. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. 218.261.312.
2. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas. 690
3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. 43.104.113.132.584.677.
   Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi. 690
   Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. 403
3. Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. 154
3. Eiecitq; Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. 158.159
4. Respexit Deus ad Abel & ad munera eius. 115
9. Quod cum vidisset Cham, verenda scilicet patris sui nudata, nunciauit fratribus suis. 68.563
11. Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorũdem. 424
11. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ. 51.177.408.262
14. At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei. 115
18. Si decem iusti Sodomis reperti fuissent, quod propter illos non fuerit ciuitatem deleturus. 69
48. Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum 213
61. Exurgens Abraham adorauit populum terræ. 218.

*Exodus.*

1. Bene fecit Deus obstetricibus. 278
12. Cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? Dicetis eis: victima transitus domini est, &c. 115
14. Credidit populus Deo & Moysi seruo eius. 200
18. Quicquid maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantum iudicent. 176
   Non habebis Deos alienos coram me. 314
   Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. 316
   Memento vt diem Sabbati sanctifices. 316
   Honora patrem. 320
   Non occides. 322
20. Non furtum facies. 326
   Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium 327
   Non concupisces, &c. 308.328
   Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. 320.583
   Non mœchaberis. 322.689
32. Dimitte me vt percutiam populum istum. 70
32. Recordare Abraham, Isaac & Iacob seruorum tuorum. 274
33. Est locus apud me, & stabis supra petram, tollam manum meam, & videbis posteriora mea. 24.
34. Non apparebis in conspectu meo vacuus. 202

*Leuiticus.*

11. Sancti estote quoniam ego sanctus sum. 269.293
14. Assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absq; macula, & tres decimas simile in sacrificium. 116

*Numeri.*

8. Applicabis leuitas coram tabernaculo fœderis conuocata omni multitudine filiorum Israël. 179
11. Quis tribuat vt omnis populus Prophetet. 502
12. Si pater eius spuisset in faciem eius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? 151.
16. Chore, Datan & Abiron, &c. descenderunt viui in infernum 181.2 1.699

*Deuteronomium.*

4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. 594
8. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. 307.311
11. Docete filios vestros. 470
12. Vide ne offeras holocausta tua in omni loco. 345
13. Si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum atq; portentum, &c. 26.314.384.638
13. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, clam dicens: eamus & seruiamus dijs alienis &c. 26.469
   Venies ad sacerdotes Leuitici generis quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. 461
17. Quodcunq; docuerint te iuxta legem domini. 494.494
   Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur. 466
20. Non timebis eos, quia dominus tecum est. 482.
23. Cum votum voueris domino Deo, non tardabis reddere. 188
30. Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo, &c. 316.405
32. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. 111.320.385

*Iudicum.*

14. Nisi vitula mea arasses, non inuenisses. 669
15. Cepit trecentas vulpes, caudasque eorum iunxit ad caudas. 52
17. In diebus illis non erat Rex in Israël. 465

*Primus Regum.*

1. Non est sanctus vt est dominus. 269.293
1. Neq; enim est alius præter te. 294
2. Filij Heli, filij Belial, nescientes dominum. 481
9. Ecce quod remansit pone ante te & comede. 151
10. Mutaberis in virum alium. 273
15. Quasi peccatum ariolandi est, repugnare & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. 391
15. Caput in tribubus Israel factus es. 595. in fine pag.
21. Ferebatur manibus suis. 43
26. Homo videt & quæ patent, dominus autem intuetur cor. 598

*Secundus Regum.*

12. Dominus transtulit peccatum tuum. 155.157

*Tertius Regum.*

8. Conuertit Rex Salomon faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ. 37.493
8. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possint, quanto magis domus hæc 343
12. Et indignatus est dominus in omni semẽ Israël. 699
12. Fecit Phana in excelsis (Hieroboam) & sacerdotes de externis populi. 480
18. Vsquequo claudicatis in duas partes? 43
20. Custodi virum istum. 451.723
22. Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. 688

*Quartus Regum.*

6. Præcidit lignum & misit illuc, natauitq; ferrum. 274

16. Ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca



16. Extruxit Vrias sacerdos altare, iuxta omnia quæ præceperat rex Achas. 480
19. Protegam hanc ciuitatem, propter me, & propter Dauid puerum meum. 70
23. Abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est 155

*Primus Paralipomenon.*

23. Dauid constituit quatuor millia ianitores & totidem psaltes. 470

*Secundus Paralipomenon.*

17. Iosaphat abstulit excelsa & lucos de Iuda. 471
18. Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, si quæsieritis eum, inuenietis, &c. 256
19. Constituit Iosaphat Leuitas & sacerdotes, &c. 471
26. Elatum est cor Oziæ in interitum suum. 299. 468

*Iob.*

7. Militia est vita hominis super terram. 324
9. Verebar omnia opera mea, sciens quod nō parceres delinquenti. 433
30. Derident me iuniores tempore. 399

*Psalterium.*

1. Et folium eius non defluet. 278
2. Et nunc reges intelligite, &c. ne pereatis de via iusta. 305 447
4. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum. 296
5. Non Deus volens iniquitatem tu es. 254
7. Iudica me domine secundum iustitiam meam. 294.306
8. Vt destruas inimicum & defensorem. 589.695
9. Constitue domine legislatorem super eos. 247. 321
16. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. 253
17. Filij alieni mentiti sunt mihi. 321
18. In omnem terram exiuit sonus eorum. 30
In sole posuit tabernaculum suum 394
Lex domini immaculata conuertens animas. 520
Præceptum domini lucidum illuminans oculos. 640
21. Deus Deus meus respice in me. 287
21. Diuiserunt sibi vestimenta mea. 689
23. Hic accipiet benedictionem à domino. 296
30. In tua iustitia libera me. 263. 287
31. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. 271
32. In Psalterio decacordo psallam tibi. 154
33. Hic accipiet benedictionem à domino. 296
33. Custodit dominus omnia ossa eorum. 329
36. Spera in domino & fac bonitatem 246
36. Cum ceciderit iustus non collidetur. 305
37. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. 250
37. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. 157
44. Pro patribus nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram 40.451
44. Omnis gloria filiæ Regis ab intus 333.380.
45. Vacate & videte quoniam ego sum Deus. 517
46. Ascendit Deus in iubilatione & dominus in voce tubæ. 9
49. Et cum mœchis particulam tuam ponebas 315. 689
50. Cor contritum & humiliatū Deus non despicies 144
54. Præcipita domine diuide linguas eorum. 396
Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquabit cor illius. 51
Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtiq;, &c. 598
57. Ad nihilum deuenient, tanquā aqua decurrens. 631.
64. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. 19
65. Iubilate Deo omnis terra. 49
70. In tua iustitia erue me. 263.264
70. Domine memorabor iustitiæ tuæ solius 264
72. Mihi autem adhærere Deo bonum est. 260
75. Vouete & reddite domino Deo vestro. 188. 573
77. Viam fecit semitæ iræ suæ. 687
78. Misericordia eius præueniet me, subsequetur me. 295
79. Singularis ferus depastus est eam. 34
88. Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit 289
86. Diligit dominus portas Sion. 219
88. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. 248
88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, &c. 155
90. Angelis suis mandauit de te. 106.614
94. Præueniamus faciem eius in confessione. 136
100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. 289. linea vltima
103. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, &c. 631
105. Et stetit Phinees & placauit & cessauit quassatio. 208.332
109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. 115.169
115. Omnis homo mendax. 460.622.489
115. Credidi propter quod locutus sum. 3
118. Latum mandatum tuum nimis. 250
Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine. 268
Particeps ego sum omnium timentium te. 69
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 520. 640
Feci iudicium & iustitiam. 303
Non dominetur mei omnis iniustitia. 331
Vide quoniam mandata tua dilexi Domine. 613
121. Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. 408
136. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram 687
137. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ. 467
137. Domine misericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne despicias 587
138. Viri sanguinum declinate à me. 456
138. Nónne qui oderunt te domine oderam. ibid.
138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. 310
142. Exaudi me Domine in tua iustitia. 263 296
142. Non intres in iudicium cū seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens 292. & seq.
150. Laudate eum in tympano & choro. 364
152. Exaudi me Domine in tua iustitia. 296

*Prouerbia.*

1. Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ 321
13. Inter superbos semper sunt iurgia 409
22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui 320. 385 541
24. Septies in die cadet iustus & resurget. 305
26. Vidistin' hominem, qui sapiens esse videtur? spes est de stulto, quoniam de eo multo maior. 41
27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera 358

*Ecclesiastes.*

1. Nihil sub sole nouum 400
2. Quid est homo vt possit sequi regem factorem suum 267
9. Nescit homo an amore vel odio dignus sit. 433
10. Qui dissipat sepem mordebit eum coluber. 321
10. Si momorderit serpens in silentio non est amplius habenti linguam 147

Can-



*Cantica.*

1. Osculetur me osculo oris sui. 4
2. Capite nobis vulpeculas exterminantes vineas. 52. 687
6. Vna est columba mea. 50
6. Terribilis vt castrorum acies ordinata. 28. 104
8. Quæ est ista quæ ascendit dealbata? 269

*Sapientiæ.*

1. In maleuolam animam non intrabit spiritus sapientiæ. 538
Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum. 538
5. Lassati sumus in via iniquitatis. 250
8. Adij Dominum & deprecatus sum illum. 134

*Ecclesiasticus.*

3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. 102. 691
3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. 153
5. De propitiato peccato noli esse sine metu. 432
7. Non te instifices ante Deum, quoniam cognitor cordis ipse est. ibid
15. In medio Ecclesiæ aperuit os eius. 622
16. Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum, & secundū intellectum peregrinationis ipsius. 287
19. Qui modica spernit, paulatim decidet. 606
34. Sacrificia impiorū execratio est Domino. 340
37. Propter crapulam multi perierunt. 382
52. Rectorem te posuerunt, noli extolli. 448

*Esaias.*

1. Principes tui inobedientes socij furum. 327
2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. 247
2. Repleta est terra idolis, opera manuum suarum adorauerunt. 314.469
4. Abluet Dominus sordes filiarum Sion. 157
5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris. 25
14. In cœlum cōscendam, &c & ero similis altissimo 455
19. Cōcurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios. 51 548
22. Comedamꝰ & bibamꝰ, cras enim moriemur 368
26. Domine omnia opera nostra operatus es in nobis. 281
28. Coangustatum est stratum, ita, vt alter decidat. 314. 633.
33. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster. 247
39. Nunquid obliuiscī poterit mulier infantem suum, &c. 143
42. Gloriam meam alteri non dabo 217
44. Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. 704
45. Rorate cœli desuper. 5
52. Mundamini qui fertis vasa Domini. 167
53. Propter scelus pópuli mei percussi eum. 7
54. Dabo vniuersos filios tuos doctos à domino. 517
57. Multiplicasti fornicationes tuas cum eis. 690
57. Dilexisti dormientes tecum. 696
61. Spiritus Domini vnxit me. 500
63. Tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum. 689
64. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. 214
Ecce tu iratus es, & nos peccauimus. 688
Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iusticiæ nostræ. 289

*Ieremias.*

2. confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. 694
2. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebatis meritrix. 325.546.690.694
5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetabunt. 272.613
6. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis. 393
7. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini. 482
7. Tu ergo noli orare pro populo isto. 70
8. In tempore illo eijcientur ossa Regis Iuda, & ossa principum eius, &c. 700
9. Quis dabit capiti meo aquam. 689
9. Extenderūt linguā suā quasi arcū mendacij. 694
12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. 15.112.186.564
13. Omnis lagenula implebitur vino. 295
13. Vbi est grex qui datus est tibi? 452. 703
17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? &c. 433.481
17. Maledictus qui cōfidit in homine. 68.84 318.481
23. Nolite audire verba Prophetarum. 482. 611
23. Currebant & ego non mittebam eos. 272. 482. 611. 500. 592.
23. Propterea ecce ego ad Prophetas, ait Dominus qui furantur verba mea. 327
25. Bibent vinum. 121
25. Vlulate Pastores. 704
31. Postquàm conuertisti me, egi pœnitentiam. 144

*Baruch.*

4. Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. 152

*Ezechiel.*

3. Væ Prophetis insipientibus, &c. 608
3. Fili hominis speculatorem dedi te. 451.665
14. Recedite ab idolis. 637
16. Fabricata est lupanar tuum in capite omnis viæ. 695
Accepisti vestimēta varia, & operuisti illa. 346
De auro & de argento meo fecisti tibi imagines. 314. 469
18. Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. 146
20. In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere. 383. 541
23. Cùm immolarent filios suos idolis suis, miserunt ad viros venientes de longe. 383. 696
28. Peccasti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub. 403
35. Nolo mortem peccatoris. 612
36. Faciā vt in iustificationibus meis ambuletis. 254
44. Sacerdotes Leuitæ filij Sadoc, populum meum docebunt, &c. 494

*Danielis.*

4. Peccata tua eleemosynis redime, &c. forsitan Deus ignoscet delictis tuis. 612
6. Abijt Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus. 371
13. Tunc resurgent qui sunt in puluere terræ. 214

*Oseas.*

2. Sponsabo te mihi in sempiternum. 324.
4. Peccata populi mei comedent. 359
7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. 689
8. Argentum & aurū suum fecerunt sibi idola. 469
10. Diuisum est cor eorum nunc interibunt. 51

*Ioel.*

2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu. 145
2. Quis sit si conuertatur. 612

*Ionas.*

3. Vidit Deus opera eorum, &c. 155.614
4. Tu doles super hederā in qua nō laborasti, &c. 135

*Micheas.*

6. Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? 289

*Abacuc.*

2. Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum. 326

*Aggeus.*

2. Interroga sacerdotes legem. 464.494

*Zacharias.*

4. Exequabit gratiam gratiæ. 296
5. Ecce talentum plumbi portabatur. 250
6. Ab ipsis sumes argentum & aurum, & facies coronas. 283

*Malachias.*

1. Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manibus

Universidad de Deusto
Biblioteca




vestris, &c. & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. 116.127
2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam. 454
3. Ipse enim quasi ignis conflans, &c. 158

*Secundus Machabæorum.*

12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 158

*Matthæus.*

3. Venit IESVS à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. 76
3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. 153
4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 217
4. Si filius Dei es, mitte te deorsum. 614.621
5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam. 436
5. Vos estis lux mundi. 53.520
5. Sic luceat lux vestra coram hominibus. 294
5. Non potest abscondi ciuitas supra montem posita. 535
5. Non exibis inde donec reddas nouissimũ quadrantem. 154
5. Nolite iurare. 316
6. Pater noster qui es in cœlis, &c. 320. & sequen.
6. Fiat voluntas tua, &c. 254
6. Lucerna corporis tui oculus tuus. 372
7. Intrate per angustam portam. 252
7. Attendite à falsis Prophetis. 453.456
7. Veniunt in vestimentis ouium. 456
8. Domine salua, nos perimus. 69
10. Omnis qui cõfitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. 11
10. Non enim vos estis qui loquimini. 281.536
10. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. 69.481
10. Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ. 276.300.302
10. Nonne duo passeres asse veniunt? 68.592
11. Abscõdisti hæc à sapientibus & prudẽtibus. 484
11. Iugum meum suaue est. 249.250.559 & seq.
12. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctũ non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. 158 457.525 636
12. Vespere facto discumbebat cum duodecim discipulis, &c. 626
15. Quicunq; dixerit patri aut matri munꝰ quodcunque est ex me. 385
15. Sine causa colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum. 385.541
15. Omittite illos, cœci sunt, & duces cœcorũ. 468
16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 53.544
16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 494.697
16. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. 143.149.539
18. Vbi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 489.494.499
18. Si peccauerit in te frater tuus dic Ecclesiæ. 22. 31.53.
18. Si nõ audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. 213
18. Quæcunque alligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo. 143.540
19. Quod Deus coniunxit homo non separet. 187
19. Nõ oẽs capiunt verbũ istud. 88.325 658. & seq.
19. Qui potest capere capiat. 525
19. Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te. 197
20. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. 301
20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. 590
21. Domus mea domus orationis vocabitur. 345
21. Osanna filio Dauid. 663
21. Malos male perdet. 582
22. Date quæ sunt Cęsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. 48
22. Deus Abraam Deus Iacob nõ est mortuorum Deus, sed viuorum. 215
23. Super Cathedram Moysi sederunt Scribę & Pharisæi. 67.428
23. Vnus est magister vester. 345
24. Tunc si quis dixerit, ecce hic est CHristus, ecce illic, &c. 30.393.607
24. Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ. 401
25. Venite benedicti patris mei. 292
26. Hoc est corpus meum. 95.528
26. Bibite ex hoc omnes. 103.529.560.625
26. Reus est mortis. 426
28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. 462
28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos. 22.105.569.

*Marcus.*

6. Et egressi prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dęmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros. 163
7. Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua. 82
9. Omnia possibilia sunt credenti. 659
10. Nemo bonus nisi solus Deus. 294
14. Vbicunque prædicatum fuerit Euangeliũ istud in vniuerso mundo. 22
14. Vbi vis eamus & paremus, vt mãduces Pascha? 114
16. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. 22
16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. 105

*Lucas.*

Aue Maria gratia plena Dominus tecum. 238
1. Nõ est impossibile apud Deum omne verbum. 94.
1. Conuertet cor patrum ad filios. 111
1. Vt impleti sunt dies officij eius. 174
6. Perfectus autem erit, si sit sicut magister eius. 308
6. Estote perfecti sicut & pater vester. 308
7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 132
10. Neminem salutaueritis in via. 211
10. Vnum est necessarium. 407
11. Date eleemosynam, & ecce omnia sunt munda vobis. 347 375
12. Domine die fratri meo diuidat mecum hæreditatem. 412
17 Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus. 296.433
18. Oportet semper orare & nunquam deficere. 359
21. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt 321
21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. 29
22. Hoc facite in meam commemorationem. 115. & sequent. 653.
22 Simon, Ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. 486
23. Hodie mecum eris in Paradiso. 146
24. Oportuit CHristum pati, & ita introire in gloriam suam. 248
24. Accepit panem, &c. aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, &c. 107.626

*Ioannes.*

1. De plenitudine eius omnes accipimus gratiã. 396
1. Gratiam pro gratia. 396.597
3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 75.80
3. Qui male agit odit lucem. 195
3. Qui non credit iam iudicatus est. 245
4. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 122
4. Venit tempus quando veri adoratores adorabunt patrem. 344.568
5. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionẽ vitæ, &c. 244
6. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 691


6. Nisi




6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. 107.543.627
6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. 138
6. Qui mãducat hunc panem viuet in æternum. 627
6. Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est. 591
6. Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. 57
6. Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat. 654
7. Propterea non potuerunt credere. 325.657
7. Turba hęc quę non nouit legem, maledicti sunt. 133.467
8. Ille erat homicida ab initio. 322
8. Ego sum lux mundi. 53
8. Qui loquitur mendaciũ, de suo loquitur. 460
8. Mendax est & pater eius. 327
8. Abraam pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit & gauisus est. 4
9. Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. 137
10. Erit vnum ouile & vnus pastor. 53.670
10. Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. 7
11. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius. 67.462
11. Vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. 140
12. Propterea non potuerunt credere. 325
13. In hoc cognoscent oẽs, quod discipuli mei estis, si charitatem habebitis inter vos mutuo. 599
14. Amen amen dico vobis, quia qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. 216
14. Pater maior est me. 23.624
14. Si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit, & ad eũ veniemꝰ, & mãsionẽ apud eũ faciemꝰ. 260
14. Iam vos mundi estis, propter sermonem quẽ locutus sum vobis 73
14. Ego sum via veritas & vita. 268
15. Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota vobis feci. 527
15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petetis. 533
16. Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo, &c. Ille vos docebit omnẽ veritatem. 386
16. Mulier cùm parit, tristiciam habet. 7
17. Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. 600
19. Nos legem habemus, & secundũ legem hanc debet mori. 462.626.638
19. Consumatum est 462
20. Gauisi sunt discipuli viso domino. 8.11
20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. 167.473

*Actus Apostolorum.*

1. Videntibus illis eleuatus est. 9
1. Hic IESVS qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, &c. 9
5. Et ponebant infirmos suos, vt veniente Petro, saltẽ vmbra illius obumbraret quenquam illorum. 216
5. Anima cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto. 448
5. Ibãt gaudentes à cõspectu cõcilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliã pati 190
9. Saule Saule quid me persequeris? 159.162.281
10. Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascẽderunt in memoriam in conspectu Dei 279
12. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. 135
13. Sacrificantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus S. &c. 174.502
15. Fide purificans corda. 73
15. Conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc. 37.509
17. Quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent. 461
17. Deus qui fecit mundum & cuncta quæ sunt in eo, &c. 117
20. Attendite vobis & vniuerso gregi, &c. 38.177.448.535

*Ad Romanos.*

1. Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. 73
1. Non erubesco Euangelium virtus enim Dei est in salutem omni credenti. 11
1. Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c. 687
2. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur. 134
2. Gloria aũt & honor, & pax omni operanti bonũ Iudæo primum & Græco. 217
3. Arbitramur hominem iustificari sine operibus legis. 242.617
4. Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. 8
5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 261
5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. 6.473
6. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus 8.83
6. Gratia Dei vita æterna. 284
6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. 77.329.331
6. Sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire immũditiæ & iniquitati, &c. 152
6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibꝰ nunc erubescitis 144
6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. 654
7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. 328
7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. 307
7. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum nõ inuenio. 309
8. Propterea Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati, vt quod legi præstare fuit impossibile, posteaquàm de peccato damnauit peccatum, &c. 311
8. Quis nos separabit à charitate Christi? &c. 256
8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. 78.275. & seq.
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum 306
8. Quos elegit, hos vocauit, &c. 590
8. Proprio filio suo non pepercit Deus. 7.463
8. Spe salui facti sumus. 215
8. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna. 214
10. Ignorantes Dei iusticiam & suam quęrentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti. 263
10. Finis legis Christus, ad iusticiam omni credenti. 267
11. Si autem gratia iam nõ ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. 129
12. Gaudete cũ gaudentibus, flete cum flentibus 561
12. Non plus sapere quàm oportet 691
13. Qui resistit potestati, dei ordinationi resistit, qui aũt resistũt, ipsi sibi damnationẽ recipiũt. 320.390
13. Qui diligit proximum, legem impleuit. 312.628
13. Plenitudo legis est dilectio. 259
13. Induimini Dominum IESVM CHristum. 77.266
13. Charitas est corde puro, conscientia bona, ex fide non ficta. 261
13. Qui resistunt potestati, ipsi sibi damnationem acquirunt. 390
13. Subditi estote nõ solùm propter iram, sed etiã propter conscientiam. 390
15. Non in comessationibus & ebrietatibus. 579

*Prima ad Corinthios.*

2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. 534

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quid igitur est Apollo ? quid verò Paulus nisi ministri eius, cui credidistis. 447
Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. 140.170.345
3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHristus IESVS. 28
Auditur inter vos fornicatio, &c. 448
Saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 158
Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. 624
4. Quid habes, quod non accepisti? 263.267
Imitatores mei estote. 218
Nolite ante tempus iudicare. 433
Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, &c. 448
5. Indicaui huiusmodi hominem tradere Sathanæ in interitum carnis. 72
Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? 71
Pascha nostrum immolatus est Christus. 114
6. Maledici regnum Dei non consequentur. 66
6. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christri, faciam membra meretricis. 142
6. Empti estis precio magno. 324
7. Propter fornicationem aũt vnusquisq; habeat vxorẽ suã, & vnaquæq; virum suum. 197.198
Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placent Deo, &c. 335
Qui non continent nubant, Melius est nubere quàm vri. 191.203.658. & seq.
Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus. 187
De virginibus præceptũ domini nõ habeo 574
Si nupserit virgo, non peccat. 205
Tempus breue est. 200.324.661

*Prima ad Corinthios.*

7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus vt vacetis orationi. 199
Volo omnes homines esse sicut meipsum. 203
8. Si esca scandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. 579
8. Scientia inflat, charitas ædificat. 403.411
9. Si enim volens hoc facio mercedem habeo, si aũt inuitus, dispensatio mihi credita est. 539
10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. 71.113.139
10. Fugite idola. 406
11. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. 391
Oportet hæreses esse. 638
Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. 95
Quod si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. 17.55. & seq.
Cætera cùm venero disponam. 55
Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 625
Quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. 138.628
Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. 111.130 628
11. Sicut serpens Euam seduxit astutia sua. 691
12. Nemo potest dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto, &c 488
Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum. 264
Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia aũt mẽbra nõ eũdem actũ habent 69
Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundũ eundem spiritum. 539
13. Si tradidero corpus meum, ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 256. & seq.
13. Siue Prophetæ vacuabuntur, siue linguæ cessabunt, &c. 518
13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 215
14. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. 131.663
An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit? 393
Qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem. 662
Omnia honestè & secundum ordinem in vobis fiant. 685
15. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. 253
Sed dicet aliquis, quomodo resurgũt mortui? quali autem corpore venient. 214
Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid oẽs doctores. 494.665

*Secunda ad Corinthios.*

1. Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. 5
4. Cùm enim qui foris est noster homo corrumpitur, tum is, qui intus est, renouatur de die in diem. 6
Semper mortem IESV in corpore nostro circumferentes. 162
Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. 501
Si adhuc velatum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt velatum est, in quibus Deus huius sęculi excęcauit mentes infidelium. 676
5. Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, &c. 230
5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi 244.603
5. Pro CHristo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos obsecramus, pro Christo reconciliamini Deo. 6.122.167.221.473
5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatũ fecit. 265
11. Eiusmodi Pseudoapostoli operarij subdoli transfigurant se in Apostolos Christi, &c. 456.616
11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 324.703

*Ad Galatas.*

1. Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit. 106.616
1. Si quis vobis Euangelizauerit præter quàm quod accepistis, anathema sit. 56.94.386.636
1. Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. 455
2. Viuo autem iam non ego, viuit autẽ in me Christus. 138.255 307
2. Qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me. 463
3. Quicunque baptizati estis, CHristum induistis. 266. 281
4. Dies obseruatis & menses & tempora. 12.362.560
5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. 330
5. Fides quæ per dilectionem operatur. 559
5. Omnis lex in viuo sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 639.640
6. In CHristo IESV, neque circumcisio valet aliquid, neque præputiũ, sed noua creatura. 261
Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV CHristi. 7.14.15
Alter alterius onera portate. 414

*Ad Ephesios.*

2. Gratia saluati estis per fidem, & hoc nõ ex vobis, 243.
2. Superædificati super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum. 544
4. Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, &c. 185
4. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominẽ, qui secundũ Deũ creatus est. 261
Qui furabatur, iam non furetur. 152
Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. 600

5. Mulie-



Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino, &c. 185
Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. 186
5. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, &c. 266
Vir caput est mulieris. 596
Viri diligite vxores vestras sicut & CHristus dilexit Ecclesiam, mũdans eam laua cro aquę in verbo vitæ. 76
6. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, &c. 217

*Ad Philippenses.*

1. Desideriũ habẽs dissolui, & esse cum Christo. 230
2. Si qua consolatio in Christo, si quod solatiũ charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis implete gaudium nostrum. 404
2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi. 193 489
2. In nomine IESV omne genu flectatur, cœlestiũ terrestrium & infernorum. 158
3. Ego me nondum existimo comprehendisse. 307
Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. 308
Quorum Deus venter est. 676
4. Omnia possum in eo qui me confortat. 190.304

*Ad Colossenses.*

1. Adimpleo ea quæ desunt passionum CHristi in carne mea. 159
2. Nemo vos iudicet in parte dici festi, aut nouilunij, aut sabbati. 560 583
2. Instructi in charitate, &c. 460
3. Quæ sursum sunt quærite, &c. 337
3. Expoliantes vos veterem hominem, &c. 261

*Prima ad Thessalonicenses.*

5. Sine intermissione orate. 359

*Secunda ad Thessalonicenses.*

2. Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, &c. 593
Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris. 388
State & tenete traditiones quas didicistis, per sermonem, siue per epistolam nostram. 55.384 564.593
3. Et non commisceamini cum illo, vt confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. 72

*Prima ad Timothæum.*

1 Finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta. 261. & seq.
1. Iusto non est lex posita. 368. & seq.
2. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS. 222
3. Oportet Episcopũ esse vnius vxoris virũ. 202.203
Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt. 320
In magna domo non solùm sunt vasa argentea. 702
4. Prohibentiũ nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit. 365
5. Adolescentiores viduas de vita. Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt. 208. 209.571. & seq.
6. O Timotheæ depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates. 21.270

*Secunda ad Timothæum.*

1. Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta. 591
2. Nam nisi commortui fuerimus, non conuiuemus. 5
Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus. 55.527
Nouit Dominus qui sunt eius, & receedat ab iniusticia omnis qui inuocat nomen Domini. 68.413.700
Sectare iusticiam, fidem, spem, & charitatem. 261
3. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, &c. 522
4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus. 271
4. Ego iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. 160

*Ad Titum.*

1. Diaconi sint vnius vxoris viri. 196
Confitẽtur se nosse Deũ, factis aũt negant. 402
Omnia munda mundis. 579
3. Non ex operibus iusticiæ quæ fecimus nos, &c. 74. & seq.
3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. 36. 71

*Ad Hebræos.*

3. Participes Christi facti sumus. 265
5. Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. 246
5. De quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum. 116
6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. 105
7. Translato sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat. 171
7. Hoc enim fecit semel, se offerendo. 122
9. Non in manu factis sanctis IESVS introiuit exemplaria verorum, &c. 105.118
9. Et ideo noui Testamenti mediator est. 221
10. Vna oblatione consumauit in æternum sanctificatos. 118
10. Vmbram habens lex, &c. 123
11. Credere oportet accedentem ad Deum. 3
13. Obedite præpositis vestris. 449 698.703.665
13. Non habemus hic manentem ciuitatem. 16

*Iacobi.*

1. Fides sine operibus mortua est. 243.145
2. Dæmones credunt & contremiscunt. 258.274
Nolite plures magistri fieri. 171
5. Confitemini alterutrum peccata vestra. 148
5. Infirmatur quis inter vos, inducat presbyteros Ecclesiæ. 163

*Prima Petri.*

2. Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium. 171
2. Christus passus est pro nobis, nobis relinquẽs exemplum, &c. 131
4. Cõmunicantes Christi passionibus gaudete. 6.263
4. Charitas operit multitudinem peccatorum. 131

*Secunda Petri.*

1. Habemus firmiorẽ Propheticum sermonẽ. 94.521
1. Neque voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. 23
2. A quo enim quis superatur, huius & seruus est. 314
3. In quibus quædam sunt intellectu difficilia, quę indocti & instabiles deprauant, &c. 617

*Prima Ioannis.*

2. Charissimi filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. 269
Qui odit fratrem suum, in tenebris est. 674
Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. 258
Ex nobis prodierunt, sed non erunt ex nobis, &c. 598. & seq.
3. Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est. 266
3. Charissimi, filij Dei sumus, & nondum apparuit quum erimus. 266
3. Nolite omni spiritui credere, sed probate si ex Deo spiritus sunt. 394.402.456
4. Omnis qui confitetur IESVM, Christum in carne veniſſe, ex Deo est. 402
Omnis spiritus qui soluit IESVM, ex Deo non est, & hic est Antichristus. 426.602
Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit mendax est. 312
Deus charitas est. 257
5 Mandata eius grauia non sunt. 249

*Ioannis secunda.*

Si quis venit ad vos, & doctrinã hãc nõ adfert, nolite recipere eũ in domũ, nec Aue ei dixeritis. 71

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Apocalypsis.*

1. Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo. 171.588
5. Nemo inuentus eſt nec in cœlo nec in terra, nec ſubtus terram, qui dignus eſſet aperire librum. 158
5. Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu, lingua populo. 31.171
6. Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. 250
7. Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. 588
13. Agnus occiſus ab origine mundi. 114.118.737
16. Commanducauerunt linguas ſuas. 52
20. In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, &c. 172
21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, &c. 54.544
22. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. 266
22. Si quis apposuerit ad hæc, apponat ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro iſto. 97

FINIS.

## EPITAPHIVM EIVSDEM CARDINALIS IN EIVS TITVLARI ECCLESIA B. Mariæ Tranſtiberim, in marmore nigro litteris aureis inſculptum.

D O M

STANISLAO HOSIO POLONO, S. R. E. PRESB. CARD. VARMIEN. EP. MAIORI POENIT. VITÆ SANCTITATE, ERVDITIONIS ET ELOQVENTIÆ GLORIA CELEBER. CATHOLICÆ FIDEI ACERR. PROPVGNATORI. QVI CVM ANTIQVÆ PROBITATIS ET EPIS. VIGILANTIÆ PRÆSTANTIAM IN HVMILITATE, CHARITATE, CASTITATE, BENEFICENTIA, EXPRESSISSET HÆRET. SECTAS SCRIPTIS ET CONSILIIS SAPIENTISS. FERVENTER OPPVGNASSET, MVLTOS AB ERRORIB. REVOCASSET, GRAVISSQ. LEGATIONIB. PRO PACE ECCL. DEI CVM APVD CAROL. V. ET FERD. CASS. TVM PRÆCIPVE IN S. CONC. TRID. PII IV. PONT. NOMINE FELICISS. PERFVNCTVS CHRIST. REIPVB. PLVRIMVM PROFVISSET, OMNIVM VIRTVTVM LAVDIB. ET EXEMPLIS AD IMITANDVM ABVNDANS, OBDORMIVIT IN DOMINO NONIS AVG. ANNO SALVTIS M. D. LXXIX. ÆTATIS SVÆ LXXVI.

STANISLAVS PATRVO ET STAN. RESCIVS PATRONO BENEFICENTISS. EXEQVT. TEST. POSS.

INDEX

# INDEX CAPITVM HVIVS CONFESSIONIS. PRIOR NVMERVS CAPVT, SECVNDVS VERO folium indicat.

Quòd fides fundamentum ſit religionis Chriſtianæ. Cap. 1. fol. 3.
Quòd fides mediatoris poſt lapſum primi hominis fuerit, & eſt omnibus ad ſalutem neceſſaria, neque potuerit aut poſſit quiſquam abſque illa ſaluari. 2.3
Quòd Eccleſia omnia, quæ ad fidem mediatoris pertinent, non modò ſcriptis & ſermonibus, verùm & certorum dierum obſeruationibus, & ſignis, & imaginibus, & habitu, & geſtu, & varijs cæremonijs mentibus fidelium imprimere conata eſt. Ac primum de anno in certa tempora diſtributo, deque beneficio Chriſti incarnationis. 3.5
De beneficio redemptionis per crucem, & mortem Chriſti factæ. 4.5
Quòd in die Paraſceues rectè deploratur Chriſti paſſio. 5.7
De gaudio Dominicæ reſurrectionis. 6.8
De aſcenſione Chriſti, deque extremo iudicio. 7.9
De Spiritu ſancto, de ſancta Trinitate, de feſto corporis Chriſti, deque pompa ſiue proceſſione, quæ ſolennis in eo quotannis haberi conſueuit. 8.10
Quòd dictum Apoſtoli, dies obſeruatis, & menſes, nihil aduerſetur obſeruationi dierum, quæ fit in Eccleſia. 9.22
Quomodo præcipuè CHriſti paſſionis beneficia varijs modis Eccleſia rudibus inculcare conata eſt, ac primum de ſigno crucis. 10.12
De crucifixi ſimulachro. 11.15
Quomodo ſacerdotes, & Epiſcopos ad contemplandum perpetuò crucis, & mortis Chriſti beneficiũ excitare mater Eccleſia conata eſt. 12.17
Quòd falsò quidam, Eccleſiam calumniantur de obſcuratis Chriſti beneficijs, quum per ipſos potius obſcurentur, & omnis eorum memoria extinguatur. 13.18
Quæ ſit vis huius articuli, credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. 14.19
Scripturæne magis, an Eccleſiæ teſtimonio ſit credendum. 15.22
Quòd Euangelio credimus, non tanquam hominis teſtimonio, ſed tanquam intus loquentis Dei voci. 16.23
Quòd ſcriptura nihil eſt certius, quodque certus ex ea ſenſus elici poſſit. 17.23
Quòd non liceat ad ſuam cuique mentem, ſcripturã accommodare. 18.24
Non propterea nõn eſſe conſenſum patrum in ſcripturis interpretandis ſequendum, quòd vnus aliquis aliquando errauerit 19.26
Deſcriptio Eccleſiæ, quodque ſibi nomen eius & auctoritatem vſurpant etiam hæretici. 20.27
Quòd quatuor ſunt Eccleſiæ notæ, prima eſt, quòd ſit ſancta. 21.28
Secunda nota Eccleſiæ, quòd ſit Catholica. 22.30
Quomodo dignoſci poſſit Catholicus, exemplis illuſtratur. 23.30
Quòd Concilium Oecumenicum Eccleſiam Catholicam repreſentat. 24.35
Tertia nota Eccleſiæ, quòd ſit vna. 25.60
Quòd aliter vnitas retineri non poteſt, quàm ſi vnus aliquis præſit Eccleſiæ, cui pareant omnes. 26.53
Quarta Eccleſiæ nota, quòd ſit Apoſtolica. 27.55
Quòd vbi legitima Epiſcoporum ſucceſſio eſt, ibi doctrina Apoſtolorum ibi vera eſt vna, ſancta, Catholica, Apoſtolica Eccleſia. 28.57
Quod fides Eccleſiæ propterea deſeranda non ſit, quòd præſident illi quandoque qui vitę non omninò ſunt inculpatæ. 29.66.30.69
Quæ ſit ſanctorum communio. 209
Qui ſint extra ſanctorum cõmunionem. 31.71
De Sacramentis. 32.72
De numero Sacramentorum. 33.74
De Baptiſmo. 34.74
De ſuſcipientibus baptiſmum. 35.80
De miniſtro huius Sacramenti. 36.83
De ritibus, & cæremonijs baptiſmi. 37.86
De ſacramento confirmationis. 38.88
De ſacramento Euchariſtiæ. 39.91
De materia huius ſacramenti. 40.104
Quòd hoc ſacramentum rectè dicatur ſacrificium. 41.112.
De effectu ſacramenti Euchariſtiæ. 42.137
Quemadmodum affectos ad hoc ſacramentum accedere oporteat. 43.142
De ſacramento Pœnitentiæ. 44.142
De materia, & forma huius ſacramenti. 45.143
De contritione. 46.144
De confeſſione, & quæ illi reſpondet, abſolutione. 47.146
De ſatisfactione. 48.150
De ſacramento extremæ vnctionis 49.163
De ſacramento ordinis. 50.164
De diſtinctione ordinum. 51.165
De ſacris ordinibus, qui maiores vocantur. 52.166
De Sacerdotio. 53.167
De miniſtro huius ſacramenti. 54.176
De ſacramento Matrimonij 55.184
De impedimentis matrimonij 56.183
De ijs, quæ reſtãt ex ſymbolo, Peccatorum remiſſione, Carnis reſurrectione, & vita æterna. 57.213
De ſpe. 58.215
Expoſitio Dominicæ orationis, auctore beato Cipriano martyre, quam ita deſcribi fecimus, quẽ admodum in exemplari quodam peruetuſto, & valdè caſtigato ſcriptam reperimus, quod cõmunicauerat nobiſcũ amicus ille noſter Gabriel Faernus, vir non magis doctrina, quàm probitate inſignis. 59.231
Explicatio ſalutationis Angelicæ. 60.238
De charitate, ac imprimis de eo, quòd iuſticia noſtra non ſit ſola fides. 61.242
Quòd peccato quolibet mortali fides nõ amittatur. 62.244
Quòd fides à ſpe, & charitate, non modò vocabulo, verumetiam rationabili differentia diſtinguatur. 63.246
Quòd fidei, vt prodeſſe queat, ſpem, & charitatem iungi neceſſe eſt. 64.246
Quòd nihil impoſſibile Deus præceperit. 65.247
Quòd non tam natura mandatorum, quàm noſtra fiat ignauia, vt implere mandata non poſſimus, cũ quæ timori grauia ſunt, leuia ſint amori. 66.252
Quòd operatur bona Deus in nobis, non ipſis nihil agentibus, verùm conſentientibus, & ſimul operantibus nobis. 67.254
Quòd ſemel iuſtificatum gratia ſua Deus non deſerat, ſi non ab eo deſeratur: quodque charitati non modò non impoſſibile, verùm nec difficile quicquam ſit. 68.256
Quòd Chriſtiana iuſticia charitas eſt, ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. 69.257
Quòd per fidem, & ſpem, & charitatem, quæ propemodum obſoleuerat in nobis, imago Dei reſtauratur. 70.261
Quòd iuſticia Dei iuſti ſumus, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit. 71.262
Quòd non ſola iuſticiæ Chriſti imputatione, ſed verè realiter inhærente nobis iuſticia iuſti ſumus. 72.269
Eorũ cõfutatio, quæ cõtra verè, & realiter inhærentẽ nobis iuſticiam à quibuſdam producuntur. 73.275

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX CAPITVM CONFESSIONIS.


Quòd præceptum charitatis, quæ est iusticia nostra, in hac vita expleri potest. 74.304
Explicatio præcepti de diligendo Deo, & proximo. 75.311
De præceptis decalogi. 76.313
De primo præcepto. 77.314
De secundo præcepto. 78.316
De tertio præcepto. 79.ibi.
De quarto præcepto. 80.320
De quinto præcepto. 81.322
De sexto præcepto. 82.323
De septimo præcepto. 83.326
De octauo præcepto. 84.327.
De nono & decimo præcepto. 85.328
De externo cultu. 86.333
Cæremoniarum diuisio. 87.334
De cæremonijs, quæ sumuntur à personis. 88.334
De cæremonijs quæ sumuntur à rebus. 89.336
De cæremonijs, quæ sumuntur à loco. 90.343
De cæremonijs, quæ sumuntur à tempore. 91.353
De traditionibus. 92.385
Parænesis cum totius operis peroratione. 93.404


CONFES-

# CONFESSIO CATHOLICAE FIDEI CHRISTIANA,

## Petricouiensis Synodi nomine, à D. Stanislao Hosio Cardinale, Episcopo Varmiensi, conscripta.

### PROOEMIVM.

QVÆ propria semper hominis existimata sunt, non defuere, qui cum cæteris animantibus ea nobis esse communia putarent. Nam siue sermone maximè differimus ab ijs, quæ bruta vocantur, præterquam quòd aues humana verba sonantes audire licet, quando suas voces cætera viuentia propriis inter se notis decernunt atq; dignoscunt, nonne mutuos inter se miscere sermones videntur? siue quis rideresic homini proprium esse dicat, vt & omni homini, & soli, & semper insit, an non apparet in quadrupedibus nonnullis ridendi quædam ratio, quando demulsis auribus, contractoq; rictu, & oculis in lasciuiam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque propriis fœtibus? Iam & prouidentia non carent bruta, quando sibi prospicunt in futurum, ac cibos olim sumendos reponunt. Ona in re adeò non sunt quibusdam etiam hominibus inferiora, vt pigriorem quendam ad formicã ire sapiens iusserit, vt eius vias consideraret, ac sapientiam disceret, quæ quùm non habeat ducem, non præceptorẽ, non principẽ parat æstate sibi cibũ, & in messe congregat, quod hyeme comedat. Rationis verò, qua solamaximè nos à reliquis animantibus differre persuasum habemus, nonne signa in multis deprehenduntur? Nam quando vtilia sibi appetunt, cauent ab ijs quæ sunt noxia: quando pericula fugiunt, quando latibula sibi parant in plures exitus disparentia, intelligerè certè aliquid videntur. Poterit autem aliquis rationem illis inesse negare, cum ipsum etiam hominẽ sæpe deludant? Poterit ea esse ratione destituta affirmare, à quibus vt sapientiam discamus, quorum vt prudentiam imitemur, non mortalium aliquis, verum ipse nos Deus admonet immortalis? Cuius enim nisi Dei vox est, vt discamus à formica sapientiam? cuius nisi Dei vox est, Estote prudentes sicut serpentes? Citat etiam Ambrosius quandam Scripturam: Vade ad apem, & vide quomodo operaria est.

Lactan. lib. 3. inst. cap. 10.
Hominis differentia & proprietas.
Ratio quomodo brutis competat.
Prou. 6.
Ratiori signa in brutis.
Matth. 10.

Deum itaq; sequutus auctorem, fecit sanctus pater Basilius, cum quintæ Diei opera in ijs libris, quos Hexameron inscripsit, enarraret, vt ad quorundam aquatilium, volatilium, & quadrupedum imitationem oratione sua mentes hominum inflammaret. Quod modò non totidem verbis postea factum est ab Ambrosio, cum idem argumenti genus pertractaret. Sed & B. Ephrem admonet nos: vt apem imitemur.

Basil. Homi. 7. & 9.
De compunctione cordis. lib. 1. c. 8.
Amb. lib. 5. Hexameron. c. 2.

Non omnino vana, vt eorum opinio fuisse videatur, qui quæ nos bruta vocamus animantia, rationis expertia prorsus esse negauerunt. Grauis apud Græcos auctor Plutarchus, librum etiam ea de re conscripsit, in quo quendam è sociis Vlyssis, Circes veneficijs in suem conuersum, illum persuadere conantem induxit, quod cum ratione, tum plerisq; mortalibus etiam virtutibus, non exæquent homines modò ea, quæ à nobis bruta dicuntur, verumetiam longo post se interuallo relinquant. Quin & Arnobius multa in illis conspici dicit rationis & sapientiæ simulachra.

Arn. lib. 2. contra gentes.

Ex ijs videre licet, quod quæcunq; tandem ea sunt, quibus placet sibi genus hominum, ac reliquis animantibus anteponi, seq; discerni ab illis vult, ea non minima ex parte cum illis habet communia. Quid igitur esse dicemus, quo maximè discerni possint homines à pecoribus? Non ratio, non oratio, non prudentia, non alia quæcunq;, sed sola est religio, quæ nos ab illis discernit. Hoc ideò ipsa etiam figura & status hominis indicat, qui cum cætera animalia prona terram spectent, solus ex omnibus est vultu in cœlum erecto, vt vel ex hoc admoneatur homo, quò vultum, eò & mentem spectare debere, nõ vt, quod Anaxagoræ visum fuit aliquando, solem & lunam, verum vt à quo sol & luna, à quo etiam ipse homo, à quo cuncta, quæ vel sub aspectum hominis cadunt, vel solo intellectu comprehendi possunt, condita sunt, & creata, eum vt contempletur, eum vt cognoscere, cognitum amare, & eo qui diuinitati propriè debetur, cultu prosequi studeat. Hoc est igitur in homine eximium, hoc est, quo vel solo vel certè maximè differt humanum genus à cæteris viuentibus. Ex quorum tot generibus, quemadmodum à M. Tullio scriptum legimus, nullum est animal præter hominem quod habeat notitiã aliquam Dei. Quamobrem apud Plutarchum etiam Vlysses non habuit, quo Grillirefelleret argumenta, quibus ille rationem inesse brutis probare contendebat, præter vnum hoc, quod graue diceret esse, rationem ijs cõcedere, quibus Dei cognitio non sit ingenita. Quæ cum ita se res habeat, quid est aliud, in quo magis elaborare mortales omnes oporteat, quam vt ad agnitionem Dei peruenire liceat? ad quem cõtemplandum nati esse videmur? vt nisi fecerit quis id, cuius causa productus in hãc lucem esse videtur, rectè de illo dici queat: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Neque enim iam ferè quicquam est in homine, quò dignosci possit à iumentis, si sit agnitione Dei destitutus. Deinde verò affluat aliquis omnibus ijs, quæ bona vocantur & sunt: sit iustitiæ, sit continentiæ laudibus insignis, sit omni virtutum genere perpolitus, sit Aristide, sit Catone, sit Phocione sanctior, nisi veri Dei veram agnitionem habuerit, superuacanea illi fuerint hæc omnia: frustra in illis assequendis laborauerit. Omnis eius iustitia, sicut à Lactantio præclarè scriptum est, similis erit humano corpori caput non habenti: in quo tametsi membra omnia & locis suis constent, & figura, et habitudine: tamen quoniam deest id, quod est omnium principale, & vita sensu caret. Itaq; membra illa formam tantummodo membrorum habent, vsum non habent: tam scilicet, quàm caput sine corpore. Cuius gerit similitudinem, qui cum Deum non

Religio sola Dei notitia à brutis hominem propriè distinguit.
Homo nascitur ad Dei contemplationem.
Psal. 49.
Lactan. lib. 6. ca. 9.
Iustitia sine Dei cognitione similis est corpori humano sine capite.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*um non ignoret, viuit iniustè. Id enim solum habet, quod est summum: sed frustra: quoniam virtutibus tanquam membris caret. Itaq; vt sit viuum & sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, quasi caput, & omnes virtutes quasi corpus: ita fiet homo perfectus ac viuus. Summa tamen omnis in capite est. quod quāuis constare non possit sine membris omnibus, sine quibusdam tamē potest. Et erit quidē animal vitiosum, ac debile sed viuet tamen: sicut & is qui Deum nouit, & in aliquare peccat: dat enim veniam peccatis Deus. Quamobrem sine membris, aliquis viuere potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, vt etiāsi natura boni sint philosophi, nihil tamen sciāt, nihil sapiāt. Omnis doctrina & virtus eorum sine capite est. quia Deum nesciunt, qui virtutis & doctrinæ caput est: quem qui non cognoscit, licet videat, cæcus est, licet audiat, surdus, licet loquatur, elinguis est. Cum verò conditorem parentemq; rerum cognouerit, tunc & videbit, & audiet, et loquetur: Habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati: hoc est oculi, aures, & lingua. Caput igitur teneamus, Deū cognoscere studeamus, etiam atq; etiam omni ope connitamur omnes, vt quo vultus nostros conuersos esse videmus, eò mentes, etiam nostras erectas habere queamus, atq; in illius, per quem conditi sumus, & redempti, contemplatione versemur, ne simus corpus sine capite, neq; simus ij, in quos rectè quadrare possit, quod in Psalmis scriptum legimus, Os habent, & nō loquentur, oculos habent & nō videbunt, aures habent, & non audient. Ad hanc agnitionem contemplationemq; Dei optimamaximi pios omnes, vt inuitaremus, hæc scribendi labor à nobis est susceptus, quæ quidem vno verbo religio siue pietas dici potest. Religio quidem, quod eatanquam vinculo quodam obstricti Deo sumus & religati: Pietas autem, quòd non aliter pios esse licet, quam Deum ritè colendo. Hac itaq; de re dicere nobis nunc est propositum, quæsit piè colendi Deum ratio, de qua non leues hoc infelici æuo nostro controuersias excitatas esse videmus. Supplices eum precamur, quem nosse vita est æterna, Dominum nostrum Iesum Christum, vt qui via nobis factus est, pro bonitate sua nobis concedat sicvt de eo, quod nobis institutum est disseramus, vt non declinemus, neq; ad dextram, neq; ad sinistram: sed viaregia incedentes, nihil proferamus, quod non ad ipsius gloriam, quam alteri non dat, propriè pertinere videatur: cui soli studere ipso inspirante, quam solam pro eo vt vires nobis fuerit suppeditare dignatus, propagare deliberatum habemus. Quoniam itaq; spiritus Deus est indubitatum illud erit, quòd in spiritu adorari, spiritu coli, spiritu alibus exercitijs venerari maximè vult: cuius generis sunt. fides nō ficta, spes firma, & charitas de corde puro profecta: Tribus ijs, qui propriè debetur Deo cultus absoluitur. Acsi non constaret homo nisi spiritu solo, nihil ab eo prætereà requireretur ad purè Deum colendum. Quoniam verò corporis quoq; mole premitur, aquum esse videtur, vt non hæc modo, quæ iam commemorauimus, interiora verumetiam externa quoq; ad colendum Deum adferat. Colat Dominum humana mens, fide, spe, & charitate: colat Dominum corpus hominis externis & corporeis rebus, quibus tanquam signis quibusdam suam erga Deum fidem, spem, & charitatem ostendat: vt sic totus homo dicere possit cum Propheta. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum: ac quemadmodum corpus ordinatur ad Deum per animam, sic exterior cultus ad interiorem referatur: sine quo frustrà Deus quibuscunq; tandem externis ritibus colitur. Priore itaq; loco de interno: posteriore de externo Dei cultu verba faciemus: nihil in medium allaturi, nisi quod verbo Dei consentaneum est futurum.*

Psal. 113. *Scopus huius libri est pios ad Dei agnitionem & contemplationem perducere.*

*Religio, siue pietas quid.*

*Ioan. 17.*
*Ioan. 14.*
*Deut. 28.*
*Esaiæ 20.*
*Ioan. 4.*

*Cultus diuinus, seu religio propriè fide, spe, & charitate interius vero constat, exterius paucis cæremonijs per corpus exercendis.*

*Psal. 8.*

*Causa ordinis tractandorum in hoc opere.*

QVOD



# QVOD FIDES FVNDAMENTVM SIT RELIGIONIS CHRISTIANAE.

## CAPVT I.

QVI fidem sanctissimæ religionis, doctrinæq; Christianæ fundamentum, simul ianuam, & viam in vitam, ac recursum quendam atque reductionem à corruptione ad incorruptionem, immortalitatemque esse dixerunt, ij verè vim eius expressisse videntur. Nam per hanc accessum habemus ad patrem, qui vitæ nobis, & immortalitatis auctor est. Credere enim oportet accedentem ad Deum. Accedit ad Deum, qui inuocat eum. Quomodo autem inuocabunt, dicit Apostolus, in quem non crediderunt? Fides itaq; cùm primis est necessaria, sine qua impossibile est placere Deo: Quam qui non habet, frustra accedit ad Deum, frustra loquitur, frustra inuocat Deum. Intellexit hoc Propheta, cùm dixit: Credidi, propter quod locutus sum. Quin & Apostolus: Et nos, inquit, credimus, propter quod & loquimur. Prima ergo vox eius, qui se Christianum profitetur, est, Credo. Hinc est, quòd nō Sophi, non Philosophi, sed fideles appellamur.

*Chrysost. Hom. de fide Abrahā, & immolatione Isaac*
*To. 1. & To. 4. Homil. de fide, spe, & charitate.*
*Cyril. lib. 4. super Ioan. cap. 9.*
*Rom. 5.*
*Heb. 11.*
*Rom. 10.*
*Heb. 11.*
*Psal. 115.*
*2. Cor. 4.*

Verùm quid tandem illud est, quod credere nos oportet? Nihil aliud, q̄ Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hæc est fidei nostræ summa, vt credamus, nos, qui primorum parētum nostrorum culpa facti eramus filij iræ, filij gehennæ, rei mortis æternæ, non potuisse neque posse à morte liberari, nisi per vnum mediatorem Dei & hominū, hominē Christum Iesum, qui dedit semetipsum redemptionē pro omnibus: qui factus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, verùm & totius mundi: qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, qui cùm inimici fuissemus, reconciliauit nos Deo patri. Quomodo autem reconciliauit? Vt sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti fuimus multi: sic per vnius obedientiam iusti constitueremur multi. Factus est enim obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis, quò sic lueret inobedientiæ peccatum, per primos parētes nostros admissum, & nos ex impijs iustos factos, per obedientiam suam, quam in perferenda morte crucis ostendit, cum patre suo cœlesti in gratiam reduceret. Hoc qui corde credit, sufficit illi ad iustitiam: qui verò confitetur insuper ore, consequitur salutem. Hoc solum scire se Paulus gloriabatur, scribens ad Corinthios: Cùm venissem, inquit, ad vos fratres, venì non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Non veni, inquit, syllogismorum captiones, non sophismata, non aliud quippiam huiusmodi vobis afferens: verùm sic me vobis exhibui, quasi nihil aliud scirem, præter crucem Christi.

*Christiani prima vox, Credo.*
*Fidei Christi anæ summa.*
*Ephes. 2.*
*1. Tim. 2.*
*1. Ioan. 2.*
*Apoc. 1.*
*Rom. 5.*
*Inobedientia primum Adæ peccatū.*
*Philip. 2.*
*Rom. 10.*
*1. Cor. 2.*

In hac sola gloriabatur Paulus, hanc solam se nosse profitebatur, & præ se ferebat: Ab ijs verò vehementer animus eius abhorrebat, & eorum consuetudine interdicebat, qui superbi, nihil scientes, languebant circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ: cùm seruum Domini non oporteat litigare, sed esse mansuetum ad omnes, docibilem, patientem, &c.

*Gal. 6.*
*2. Tim. 6.*
*2. Tim. 2.*
*Orig. Hom. 2. in Cant.*
*Aug. ad Dard. epist. 57. ad Hilar. 89. ad Innoc. 95. ad Optatum 157. de peccato originali contra Pelagianos cap. 27. in Psal. 77.*
*Hieron. c. 2. & 4. epist. ad Gal.*
*1. Cor. 4.*
*Origenes in præfatione Commentariorum in Ioannem.*
*Ambr. lib. 1. c. 3. de fide.*
*Act. 4.*
*Matt. 1.*
*Filius hominis cur Iesus vocetur, & in mundum venerit.*
*1. Tim. 1.*
*Aug. ser. 8. & 9. de verbis Apost.*
*Heb. 13.*
*Fidei gradus.*

*Quod fides Mediatoria, post lapsum primi hominis, fuerit, & est omnibus ad salutem necessaria, neque potuerit, aut possit quisquam absque illa saluari.*

## CAPVT II.

HÆc est igitur fides nostra, in cuius simplicitate regnum est Dei, non in contentione sermonis, vt credamus, & confiteamur, quòd non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo saluum quēquam factum, aut fieri oporteret, præter nomen illius, qui propterea vocari voluit Iesus, quòd saluum esset facturus populum suum à peccatis eorum. Ac fides quidem hæc, ante lapsum primi hominis minimè fuit necessaria. Neque enim alia causa fuit, quamobrem veniret in mundum Iesus Christus, quàm vt peccatores saluos faceret. Non illum de cœlo ad terram merita nostra bona, sed peccata traxerunt. Tolle morbos, Tolle vulnera, dicit Augustinus, & nulla est causa medicinæ. Sufficiebat igitur primis parentibus nostris, priusquam prolapsi fuissent, credere, quòd Deus est, & quòd inquirentibus se, remunerator est

Post admissum verò per illos peccatum, iam illud credere nequaquam sufficiebat: necessaria fuit prætereà fides mediatoris, quem cùm ipsi, tum liberi eorum, & posteri, sancti Patriarchæ, & Prophetæ magno desiderio venturum expectabant, certa spe, & fiducia futurū, vt per eum Deo patri reconciliarentur, & de diaboli potestate eriperentur.

Quis autem futurus esset mediator ille: Deine filius, an angelus, an alius quispiam, de eo certi aliquid persuasum habere non fuit omnibus necesse: satis erat ad salutem in genere credere, quòd rationem Deus esset initurus, & viam aliquam humanæ redemptionis inuenturus. Quod etiam Adam credidisse dicitur, de quo scribit Epiphanius, quòd Adam non erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum. Propheta erat Adam, & nouit quòd Pater dixerit Filio: Faciamus hominem. Quid igitur erat? neque circuncisionem habens, neque simulachra colens, sed Christianismi formam ostendens. Sic etiam de Abel,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Aug. de Ciu. Dei. li. 14. cap. 26.*

bel, & de Seth, & de Enos, & de Enoch, & de Mathusalem, & de Noë, & Heber vsque ad Abraham accipiendum est. Augustinus quoque scripsit, quòd in Adam flagrabat in Deum charitas, ex corde bono, & conscientia bona, & fide non ficta. Ad explicatius verò, & distinctius de mediatore singula credenda, tenebantur ij soli, quibus hoc fuit à Deo reuelatum, qui maiores vocantur, sancti Patriarchæ, & Prophetæ, simul sacerdotes, & pontifices, quibus populi docendi munus incumbebat: qui & ante legem obscurius, & post datam à Mose legem apertius, quibusdam sacrificijs, & cæremonijs venturum Christum mediatorem adumbrabant. Quorum significationem intelligebant ipsi quidem apertius maiores, quibus reuelatum erat, futurum, vt virgo conciperet, & pareret filium, qui passione, cruce, & morte sua pro peccatis hominum satisfaceret, qui tertia die à mortuis resurgeret, deinde verò in cœlos ascenderet, inde venturus iudicare viuos, & mortuos. In maiorum autem fide saluabantur minores, qui sub velamine quodam obscurius cognoscebant, ac fide apprehendebant venturum mediatorem, per quem essent à morte liberandi: cuius venturi fides illustrior fuit sub lege, quàm ante legem.

*Legalia vmbra Christi.*
*Esaiæ 7.*
*1. Cor. 15.*
*Actor. 1.*
*2. Tim. 4.*
*Vide D. Tom. de veritate. q. 18. artic. 3. 22. q. 5. art. 1.*

*2. Cor. 6.*
*Tit. 2.*
*Col. 1.*
*Credendum quid.*
*Luc. 23.*
*Rom. 10.*
*Act. 10.*

Posteaquàm verò venit tempus illud acceptabile, venerunt dies salutis, posteaquàm apparuit gratia Saluatoris nostri omnibus hominibus, q dedit semetipsum pro nobis: vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, tum verò fides mediatoris Christi, qui pacificauit per sanguinem crucis suæ, siuè quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt, ficut clarior, & apertior, ita magis esse cœpit necessaria, vt iam non adumbratè, sicut sub lege, vel ante legem, neque sub velamine (quandoquidem Christo mortuo velum templi scissum est) sed clarè, dilucidè, atque apertè crederent, & confiterentur omnes, quòd venerit iam is, qui finis est legis, Christus ad iustitiam omni credenti: cui testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum: cuius diem Abraham videre gestiebat, ac vidit, attestante ipso Christo, & gauisus est: vidit autem non carnis, verùm fidei oculis, quibus multò certius videtur. Pro quo mittendo Moses orauit, dicens: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Orauit Dauid: cùm alijs in locis, tùm ter in vno Psalmo repetens: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Orauit Esaias, cum desiderio clamans: Emitte Domine agnum dominatorem terræ. Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Orauit in Canticis Ecclesia, dicens: Osculetur me osculo oris sui: sonet vox tua in auribus meis. Quid enim aliud ijs verbis à sponso suo Christo petit? quàm vt qui loqueretur iã in Patribus, & Prophetis, idem ore proprio tandem aliquando loquatur in carne assumpta.

*Ioan. 8.*
*Exod. 4.*
*Psal. 79.*
*Esa. 16.*
*Esa. 64.*
*Cant. 1.*

*Hebr. 1.*
*Luc. 1.*
*Matth. 1.*
*Rom. 4.*

Neq; verò satis est credere, quòd venerit in hunc mundum, sed & illud fideles omnes tenere memoria necesse est, quòd conceptus est de Spiritu sancto, quòd natus est ex Maria virgine, quòd traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã, quòd ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos.

*Matth. 16.*
*Actor. 10.*
*Ephe. 4.*

Quoniam verò, qui Virginis filius, idem est & Dei filius, in patrem quoque omnipotentem credere necesse est, creatorem cœli & terræ: simul & in Spiritum sanctum, ex quo conceptus est. Vt in tribus personis credatur vnus Deus. Distinctionem verò personarum, & vnitatem substantiæ, si qui sunt rudiores, quàm vt comprehendere possint, non est adeò necessarium ad salutem, omnibus explicatè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salute dubitandum sit. Tractans materiam hanc Hugo de sancto Victore, vnam & eandem fuisse docet fidem præcedentium, & subsequentium, neq; tamen eandem fuisse cognitionem. Nam creuit, inquit, fides per tempora in omnibus, vt maior esset: sed mutata nõ est, vt alia esset. Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo salus & redemptio expectabatur, per quem verò, & quomodo eadem salus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à cæteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona redemptoris mittenda prædicebatur, & ventura expectabatur. Quæ autem persona hæc foret, homo, vel Angelus, vel Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognouerunt, qui per Spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifestè ab omnibus & prædicatur & creditur, & modus redemptionis, & qualitas personæ redemptoris. Semper tamen ab initio in Ecclesia fidem, & cognitionem fuisse credimus incarnationis, & passionis Christi, quia ab initio nunquam defuerunt, qui hoc cognouerunt. Alij saluabantur, quia horum perfectioni fide simplici iungebantur, & eos benè operando sequebantur. Et alio in loco: Verbum incarnatum, inquit, Rex noster est, qui in hunc mundum venit cum diabolo pugnaturus, & omnes Sancti, qui ante aduentum eius fuerunt, quasi milites sunt ante faciem Regis præcedentes, & qui postea veniunt vsque ad finem mundi, milites sunt Regem suum subsequentes, & ipse Rex medius est in exercitu suo, hinc inde vallatus incedens, & stipatus agminibus suis. Et licet in hac tanta multitudine diuersæ armorum species in Sacramentis, & obseruationibus præcedentium, & subsequentium populorum appareant: omnes tamen vni Regi militare, & vnum vexillum sequi probantur, & hostem vnum persequi, & vna victoria coronari. In his omnibus opera restaurationis considerantur, in quibus Diuinarum scripturarum tota versatur intentio. Et æqualis Hugoni Bernardus: Multi ante Saluatoris aduentum, inquit, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum Redemptorem, in hac fide & expectatione saluati sunt, licet quando, & qualiter, & quali ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Copiosius hac ipsa de re scribit Gregorius.

*In prolog. libr. de sacram. c. 2.*

*Epist. 78.*

*In Ezech. Hom. 15. & 16.*

Quod



*Quòd Ecclesia, omnia, quæ ad fidem mediatoris pertinent, non modò scriptis, & sermonibus, verùm & certorum dierum obseruationibus, & signis, & imaginibus, & habitu, & gestu, & varijs cæremonijs, mentibus fidelium imprimere conata est. Ac primum de anno in certa tempora distributo, deq; beneficio Christi incarnationis.*

## CAPVT III.

*Eccles. solicitudo in articulis fidei inculcandis.*

VERVM videre licet admirabilem quandam curam, & solicitudinem sanctæ matris Ecclesiæ: quæ non contẽta vel scripto, vel verbo singula, tradidisse, quæ necessariò credenda sunt ad salutem, diligenter vias & rationes omnes persecuta est, quibus ea quàm maximè clara, & manifesta redderet omnibus. Itaq; totum anni tempus ita distribuit, certos vt dies institueret, quibus eorũ, quæ credere nos oportet, si modò salui esse volumus, ita admoneremur, nunquàm vt elabi è memoria nostra possent.

*Dierum ratio.*

*Christi incarnatio.*

Quoniam verò primùm inter ea locum obtinet incarnatio Christi, non vtcunq; ad celebrandam huius tanti beneficij memoriam accedere libros suos voluit, verum tribus & amplius etiam hebdomadis, vt se præpararent instituit, ad mediatorem, redemptorem q; suum, eo quo par est honore, excipiendum. Quod quidem tempus vocauit Aduentum: in quo sanctorum Patrum desiderium nobis repræsentat, qui sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, incredibili quodam animorum ardore, venturum in carne, iustitiæ Solem, Dominũ nostrum Iesum Christũ expectantes, cõtinuis & flebilibus modis clamabant, dicentes: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Quæ verba & in primis vesperis primæ Dominicæ, & per totum aduentum singulis diebus in Missa B. Virginis cantantur, in Septentrionalibus præsertim regionibus. Ad quam diluculo surgunt homines, tanquàm vigilantes, atq; sui Saluatoris aduentum expectantes. Qui verò maiore feruntur erga Christum charitate, carnem etiam suam per omne id tempus ieiunio macerant, quo domitis illius cupiditatibus, tantò magis expediti esse queant, ad illum venientem excipiendum, debitoq; honore prosequendum, quem tanto studio præstolati fuerunt. Cuius posteaquã diu, multumq; expectatus ille dies incarnationis, & natiuitatis aduenit, quanta est, per Deum immortalem omnium lætitia? quàm profusum gaudium? quàm incredibilis exultatio? quod venerit tandem ille tantoperè desideratus, qui dissolueret iugum nostræ captiuitatis, & nos à graui seruitute, qua diabolo mancipati fueramus, in libertatem asseret. Surgitur nocte media, qua natum nobis puerum hunc admirabilem, ex historia didicimus Euangelica: Curritur ab omnibus ad videndum, ad amplexandum, ad exosculandum nostræ salutis auctorem. Illucescente verò Sole, posteaquàm solenni cum gaudio perfecta sunt in templo omnia, quæ ad diem hunc tam festum iusta celebritate peragẽdum pertinere videntur, nequaquàm ijs finibus gaudium, & exultatio piorum continetur: verùm in priuatis etiam cuiusq; ædibus, non ab adultis modò, verùm & à pueris, ac tantum non ab ipsis lactantibus, atq; infantibus, natus nobis puerulus, datus nobis filius, decantatur. Curritur per vicos & plateas, in singulis ædibus annũciatur cum iubilo gaudium illud magnũ, quòd natus est nobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.

*Ieiunium in aduentu.*

*Natalis Christi gaudia.*

*Gen. 49.*
*Agg. 2.*
*Heb. 2.*

*Esai. 9.*
*Colenda vulgo.*
*Luc. 2.*

Quoniam verò summa tum apparuit liberalitas Dei patris, qui cùm sit dives in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, misit filium suum factum ex muliere, qui mortem nostram moriendo destrueret, & vitam resurgendo repararet, inuitantur à tenuioribus locupletiores, vt & ipsi qua possint communis omnium tam benigni patroni, vel patris potius liberalitatem imitentur, atq; è suis copijs egentium subleuent inopiam.

*Ephe. 2.*
*Gal. 4.*

*Strenæ.*

Hac ratione mater Ecclesia, quæ in symbolo primo loco de Christo nato continentur, in pectoribus liberorum suorum defigenda curauit, vt ne facile excidere possent. Addidit ijs etiam ea, quæ non continentur in symbolo. Nam octauo die pòst, circunciſi: quatuor deinde diebus interiectis, à Magis adorati: quadragesimo die post natalem, in templo oblati pueri Iesu memoriam recolit.

*Ephe. 4.*

*Luc. 2.*
*Matth. 2.*
*Luc. 2.*

*De beneficio redemptionis per crucem, & mortem Christi facta.*

## CAPVT IIII.

PRiusquam verò ad ea veniat quæ deinceps habentur in symbolo, de eo, quomodo passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit, quoniam inter omnia Christi beneficia, crucis hoc & mortis eius, vnum omnium præ cæteris est insigne maximè: neq; enim nascendo, sed moriendo pro nobis, nos à morte redemit: non in cunis iacẽdo, sed in cruce spiritum exhalando, pro peccatis nostris satisfaciens, nos cœlesti patri suo reconciliauit: cruci peccatorum nostrorum chirographum affigens, tulit ipsum de medio, ac prorsus de rerum natura sustulit.

*Col. 2.*

Quoniam itaq; salus hæc est, & redemptio nostra, quoniam gloria nostra crux Christi est, triumphus noster crux Christi est, spes omnis, & fiducia nostra, sola crux est Domini nostri Iesu Christi, ad tantum hoc crucis, & mortis beneficium commemorandum, sancta mater Ecclesia non vtcunque, verum diligenter præparatis fidelibus suis, accedendum esse putauit. Atq; illud imprimis æquum esse duxit, vt socij Christi passionum esse conaremur, si volumus esse socij consolationis, quam cum illo resurgentes & in cœlum ascendentes accepturi sumus. Nam nisi commortui fuerimus, non conuiuemus: nisi sustinuerimus, nõ conregnabimus. Compati necesse est, si quis conglorificari vult. Nam & Christum pati priùs opor-

*Gal. 6.*

*Societas passionum Christi.*
*2. Tim. 2.*
*Rom. 8.*
*Luc. 24.*
*Vide Cyrill. Catech. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Communicare passionibus Christi quid sit.*
*2. Cor. 1.*
*Philip. 3.*
*1. Pet. 4.*
*Quadragesimæ ieiunium ad quid. Cal. 5.*

tuit, atq; ita intrare in gloriam suam. At rectè quidem communicare Christi passionibus intelligitur, qui pro nomine illius quosuis cruciatus, denicq; mortem ipsam perferre, si res ita postulet, animo prompto semper est, & parato. Rectè præterea compati & commori illo dicitur, qui desijt à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Cæterùm ad hæc perficienda, impedimento plerunq; caro est maximè, quæ spiritui aduersatur, vt non quæ volumus, illa faciamus. Hæc itaq; domanda est abstinentia, quò faciliùs crucifigi possit cum suis vitijs, & concupiscentijs. Nam sicut equis ferocientibus, & sessori minus iam obtemperantibus, pabulum subducitur, & pro auena fœnum datur: ita carni nostræ, ob succi & spirituum abundantiam spiritui rebellanti subduci alimoniam, & eiusmodi suppeditari ciborum genus expedit, vnde quàm minimũ animo sessori suo recalcitret: vt castigato corpore, & in seruitutem redacto, vegetior, ac liberior animus diuinis laudibus insistat, diuinæq; voluntati se tantò facilius attẽperet. Cùm enim qui foris est noster homo corrumpitur, tum is, qui intus est, renouatur de die in diẽ: quantò plus conficitur quotidianis laboribus, & ieiunijs exterior nostri pars corpus: tantò interior nostri pars, & ea potior, animus, deficiente corpore graui suo aduersario vegetior, ac valentior, & aptior efficitur ad hoc, vt Deo vacare, & illius voluntati obsecundare queat. His itaq; causis adducta mater Ecclesia, quò, quæ nobis in mora plerunq; sunt, carnis desiderijs vacui, vacare melius tanti beneficij contemplationi posimus, quadraginta dierum ieiunium instituit. Neque id sine exemplo seruatoris nostri Christi, qui & ipse quadraginta dies in deserto ieiunasse legitur: vt obiter etiam illud in memoriam nobis reuocet, quomodo ille, cuius beneficio nobis contigit, vt explere famem, vt saturi esse queamus, nostra causa esurire dignatus est.

*1. Cor. 9.*
*2. Cor. 4.*
*Sap. 9.*
*Vide Hiero. ad Demetr. & ad Eusto. de cust. virginitatis.*
*Matth. 4.*

*Hebdomadæ sanctæ observatio & encomiũ. vide apud Chrysost. hom. 30. in Gen.*
*Cor. 6.*

Posteaquàm verò ventum est ad finem quadragesimæ, ad hebdomadam illam, quam iure meritò sanctam vocamus, quòd in ea repræsentatur nobis Christi passionis mysterium, per quam abluti, sanctificati, iustificati sumus, tum verò maiore studio in eas res omnes incumbi voluit, quas ad frenanda desideria, atq; ad auertendum animum ab omni rerum terrenarum cura pertinere putauit. Hinc ille mos quondam à plurimis, nunc verò à paucis, quorum ardentior est pietas, obseruatus, quem etiam sua ætate scribit obseruatum fuisse Epiphanius: quòd humi cubabantur, quòd afflictiones tolerabantur, quòd sicca duntaxat edebantur, quòd precationes, vigiliæ, ieiunia seruabãtur, atq; omnes animarum salutes per sanctas afflictiones exquirebantur. Vacabatur ab omnibus sæculi negotijs, neq; alia in re per totam illam hebdomadam, quàm in contemplatione summi illius beneficij, quod nobis in ara crucis Dominus noster Iesus Christus, idem & sacerdos, & sacrificium conferre dignatus est, mentes & cogitationes hominum defixæ fuerunt: Quo singulari & inæstimabili beneficio, quoniam peccatorum remissionem, fuso pro nobis Christi sanguine, consequuti sumus, tũ verò sedulò facere omnes omnia iussit Ecclesia, quò tanti beneficij fructum consequi possent: Quem quoniam adipisci non licet, nisi ijs, qui peccata sua, quæ tãtis Christi cruciatibus causam dederunt in amaritudine mentis suæ recogitant, qui detestati ea, odium eorum concipiunt, ac iusto propterea dolore affecti, profusis lachrymis ea sacerdoti Dei ministro, cui ligandi, soluendiq; potestas à Deo data est, enumerando recensent, eiusq; ministerio, virtute verò ac merito passionis, & mortis Christi, ab illis absolui, ac Deo patri, quem toties tam graiter offenderunt, reconciliari ea, qua par est animorum submissione petunt: vt hoc quoq; sub id tempus à fidelibus fieret, instituit: quò cõmonefaceret illos, non nisi passionis, & mortis Christi merito peccata remitti.

*Epiph. lib. 3. Hæresi. 75. Esijs siccorum.*

*Cõfessio auricularis. Esa. 38. Matth. 18. Ioan. 20.*
*Absolutio à quo & cuius virtute fiat.*

*Communio, seu sacra Synaxis.*

Hoc nõ contenta, simul statuit, vt huius peccatorum remissionis, & cum Deo patre reconciliationis pignus acciperent, quò tanto magis certi de ea reddi possent: ad viuum & viuificum Christi corpus, & sanguinem sumendum, posteaquàm peccata sua confessi atq; ab eorũ nexu soluti essent, accederent: quò sicut ipse vna caro nobiscum, ita nos vicissim non modo caro vna, verum & spiritus vnus, &c. cum ipso efficimur, atq; illius corpori coniungimur.

*1. Cor. 6.*
*Reconciliatio inimicorum.*
*Rom. 5.*

Quoniam verò & in sacramento hoc, & quoties memoria dominicæ passionis recolitur, sicut sæpè iam anteà commemorauimus, reconciliationis illius admonemur in cruce peractæ, qua nos, qui inimici eramus, per mortem suam Deo patri Christus reconciliauit, fas non esse putauit mater Ecclesia, qui reconciliationis huius memoriam ageret, vt ij simultates aliquas gererent, ac odijs inter se mutuis flagrarent. Quamobrem & illud instituit, vt in hac præcipuè sancta hebdomada, priusquàm ad sumendum salutarem illum cibum fideles accederẽt, qui Sacramentum est pietatis, mysterium pacis, signum vnitatis, vinculum charitatis, confiterentur alterutrum peccata sua, simul veniam peterent, darentq; vicissim. Quod qui secus facerent, quiq; implacabile odium erga proximum retinerent, ij grauius etiam quàm ipsi Iudæi flagitium designarent, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes, vt meritò à sacris arcendi: quin etiam è piorum cœtu homines impij, neq; digni, qui Christianorum appellatione gaudeant, exterminandi sint.

*Iacob. 5.*

*Heb. 6.*

*Pœnitentia duplex, publica & priuata. Episcopi & sacerdotes Christi legati. 2. Cor. 5.*

Et quoniam duplex est pœnitentia, priuata vna, publica altera, sicut suo loco fusius dicetur: illam quidem quocunque die fieri permittit Ecclesia, hanc autem alteram statam solennem non existimauit, nisi feria quinta sanctæ hebdomadæ peragi oportere, sicut ex epistola Innocentij ad Decentium cognoscere licet. Est quidem ita, quòd omni tempore fungi debent Episcopi legatione ad reconciliandos peccatores, de qua loquens Apostolus, cum dixisset: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis: protinus adiunxit: Pro Christo ergo legatione fungimur, tãquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Visum est tamen, vt isto potissimum die legationis hoc munere fungerentur, quòd summus Pontifex noster Iesus Christus assistit vultui Dei pro nobis in multitudine misericordiæ suæ: & se-

*Hebr. 9. Psal. 109. Matt. 26.*



& semel Sacerdotij secundum ordinem Melchisedech officio perfunctus, cùm sacrificium incruentum corporis, & sanguinis sui sub panis, & vini speciebus in vltima illa cœna Deo patri obtulisset, ac eiusdem corporis, & sanguinis Sacramentum sub ijsdem speciebus post factam oblationem suis discipulis tradidisset: Paulò pòst, vt sacerdotio secundum Aaron, finẽ imponeret, posteaquàm nouum illud instituerat, sacrificium pro nobis cruentum factus est, semetipsum tradens oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis: capi se, ligari, conspui, flagellari, varijs probris affici, ac post multos grauissimos cruciatus sibi illatos, tandem se in crucem agi passus, atq; ibi pro nobis iustus pro iniustis mori dignatus est. Quam aũt ob causam ligata est misericordia? Nisi vt miseros peccatores à nexu peccatorum suorum solueret pœnitentes. Quam ob causam vita mori pro impijs, & mortis æternę reis dignata est? nisi vt, sicut iam toties dictum est, propitium nobis, & placatum patrem suum redderet, apud quem propitiator nobis factus est Christus in sanguine suo.

*Ephe. 5. 1. Pet. 3.*

*Rom. 3.*

Quàm uis igitur à diuitijs bonitatis Dei, nullum tẽpus vacet: hoc tamen tempus ad reco-ciliandos grauioribus flagitijs obrutos, visum est maximè accommodum, quo semotis alijs curis omnibus, ac postpositis quibuscunque sęculi cogitationibus per Christum in cruce factæ contemplationi vacatur, quo remissionis peccatorum nobis per mortis illius meritum obtentæ memoria refricatur: nulli vt iam quàmlibet grauibus presso criminibus dubitare fas sit, quin qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, is nunquàm sit commissurus, quin simul cum illo sit nobis donaturus omnia, sit concessurus veniam, & indulgentiam peccatorum nostrorum omnium: cum præsertim ob hoc ipsum, eum tradiderit. Quandoquidem per Prophetam testatur, quòd non ob aliam causam, nisi propter scelus populi sui percusserit eum. Qua de re sic aliquando scripsit Cyprianus, aut quisquis author fuit sermonum de cardinalibus operibus Christi, quem ex priscis patribus, & excellenti doctrina præditum fuisse constat. Is enim loquens de vnctione chrismatis, Hæc, inquit, dies nocti illi contigua est, qua absolutionis nostræ principium Dominus inchoauit: qua à Principibus Sacerdotum ad Romanum Præsidem ductus Iudex omnium sustinuit iudicari, passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensq; ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit. Hoc Ecclesiæ suæ hodierna traditione exemplum relinquens, vt fieret in Ecclesia absolutio peccatorum, & hæreditati redderentur electi, & præcedentibus beneficijs, quæ supra enumerauimus libertate donarentur pœnitentes: qui secundum merita, nisi gratia subueniret, fuerant condemnati. Et omnino conuenit, vt eo tempore, quo Christus captiuos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad Ecclesiam reducantur: & quo confracta sunt infernalis repagula carceris, iudiciaria seueritas mansuescat: & quo ab infernalibus tormentis cessatum est, humana supplicia crudelitatis horrorem deponant. Ex quibus verbis videre licet, quod per cæremoniam hanc, etiam illius articuli: Descendit ad inferna, & quemadmodum inde captiuos reduxerit admonemur.

*Rom. 8.*

*Esa. 53.*

*In sermone de chrismate.*

Hinc perspicuum cuiuis esse potest, quod non satis habuit Ecclesia commonefeciſſe nos, passi, crucifixi, mortui Christi: sed simul indicare voluit, quem essemus fructum ex hac illius passione, & morte consequuti: nimirum peccatorum remissionem, & cum Deo patre cœlesti reconciliationem.

*Passionis Christi fructus.*

*Quod in die Parasceues rectè deploraretur Christi passio.*

## CAPVT V.

QVA quidem ex re, & si gaudere nos æquum est & exultare, quòd in cruce salutem nostram operatus est Christus, non sine causa tamen gaudium istud In aliud tempus differendum, sanctam verò hebdomadã hanc oẽm, præcipuè verò diem Parasceues in mœrore, luctu, lachrymis consumendam esse censuit Ecclesia. Gloriari quidem nos oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, atq; ingẽtem ex eo consolationem accipere, quòd nos dignos iudicauerit, quos nõ corruptibilibus auro & argento, sed præcioso sanguine suo redimeret: Verùm sunt, quæ nos impediũt, quò minus, quo die redemptionis hoc nostræ mysterium celebramus, gaudere & exultare queamus. Vetat enim hoc nostræ culpæ conscientia. Nos enim sumus, qui passioni, qui cruci, qui morti eius causam dedimus, nos illius plaga doloris, nos illius culpa sumus occisionis: Nam ille, quæ non rapuit, exoluit. Traditus est propter delicta nostra: Vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Non ille sua, quæ nulla habuit, sed nostra peccata pertulit in corpore suo super lignum. Meritò itaq; gemitus edimus, meritò lachrymas fundimus propter peccata nostra, quæ tam grauia fuerunt, vt nisi morte Christi expiari non potuerint. Tum autem ipse Christus noluisse videtur eo die nos gaudere, quo crucia tus hos nostra causa pertulit. Sic enim dixit: Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quin etiam exemplo probabili confirmat, huic tantæ rei tristitiã conuenire. Mulier, inquit, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iã non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Mulieri cõparat Ecclesiam suã, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo patre genitũ in nostram naturã suscepit, rectè hoc die Parasceues moriente illo, & per mortem quasi per partum in vitam æternam, & in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, & dolet, vt in vtero habens, & clamat parturiens. Quoniam verò postquàm resurrexit æterno suo regno natus, gauisi sunt discipuli viso Domino, sicut ipse dixerat: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, perpulchrè perfecta est mulieris, quæ præmissa fuerat, similitudo, quæ postquàm peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

*Parasceues luctus.*

*Gal. 6.*

*1. Pet. 2.*

*Mortis Christi quo ad nos causa.*

*Psal. 68.*

*Rom. 8.*

*Esa. 53.*

*1. Pet. 2.*

*Ioan. 10.*

*2. Thes. 2.*

*Apoc. 12.*

*Ioan. 20.*

*Ioan. 16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



1.Cor.15. Hebr.2. Isa.53. Ioan.10. Psal.68. Zach.12. Luc.23. Luc.2. Ioan.20. Rom.4. Eccl.3. Psal.125. Matth.5. Luc.7. Rom.12. Actor.14.

Quare non sunt audiendi, qui Christi mortem lugubrem esse nolunt, & eam deplorari vetant. Nam etsi pretiosam illã & gloriosam esse libenter cõfitemur, vt quæ mortem, & mortis destruxit auctorem, non continuò tamen non est ipsa lugubris, & fidelibus deflenda, pro quorum salute sponte Christus illam exhibuit: Alioqui periculum est, ne de nobis quoq; per Prophetam suum Christus conqueri videatur: Sustinui, qui simul contristaretur, & nõ fuit, & qui consolaretur, non inueni. Cum præsertim per Zachariam prædictum sit, quòd dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti. Non gaudeamus itaque tum, quando mundus gaudebat, quando Christum Iudæi crucifigentes exultabant, & morienti insultabant. Non vociferemur cum insanis illis, & odio furentibus, crucifige crucifige illum: sed cum Maria matre Iesu, cuius tum animam doloris gladius pertransiuit, cum; sanctis Apostolis, quorum ingens luctus mentes occupauerat, diem, quo Christi crucifixi fit memoria, in fletu, & planctu transigamus: gaudium verò nostrum in id vsq; tempus differamus, quo ipsi quoq; gauisi sunt discipuli viso Domino. Differamus lætitiam nostram in perendinum diem, quo Christus deuicta morte resurrexit, propter iustificationem nostram. Tempus flẽdi, dicit Sapiens, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltandi: prius flendum est, vt exultare posteà liceat. Euntes ibant & flebant, dicit Propheta, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Beati flẽtes, ait Christus, quoniam ipsi ridebunt. Quando cantantur nobis lugubria, plangamus, vt cùm tibijs cantatum fuerit, exultemus. Fleamus cum flentibus Apostolis, & cum ijsdem gaudentibus gaudeamus: neq; cum perfidis Iudæis commune quicquam habeamus, Christo passo exultantibus, atq; illi acerbè insultantibus. Hunc morem iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus semper obseruauit sancta mater Ecclesia, simul docens fideles suos, quòd per luctum perue nitur ad gaudium, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Vidimus libellum quendam, qui inscribitur: Fragmenta Caroli Magni, in quo inter cætera est etiam fragmentum quoddam incerti auctoris. Ibi tractatur hæc quæstio. Cur Sanctorum dies, qui de hoc sæculo migrauerunt, solenniter, & cum magna exultatione celebremus, adeò vt in ipsis, abstinentiæ aliquanto rigore laxato, paulò remissius viuamus, diem verò passionis Christi, quo de hoc mundo per mortem transijt, in magna afflictione, & carnis maceratione, cordisq; cõtritione iubeamur celebrare, quem oporteret tanto festiuius, atq; alacrius coli, quanto constat Christum sanctorum omnium meritum transcendere.

*De gaudio Dominicæ resurrectionis.*

## CAPVT VI.

*Resurrectio Christi.* *Ioël 2.*

QVAMOBREM ad iucundam illam resurrectionis Christi solennitatẽ prius nos, peruenire noluit, quàm essemus conuersi ad Dominum in toto corde nostro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Etiam carnalibus hac in parte prouisum esse cupiebat, qui cùm non facilè possint mentis oculos ad ea videnda, quę sunt spiritus, attollere, nisi vi maiore corporaliter accidentium causarum excitentur, causas, quibus id perfici posset, peruestigauit.

*Quadragesima.*

Quare ieiunium quadraginta dierum, quod pro decimis anni totius offertur Deo, sic disposuit, vt ante sacratissimam Paschatis noctem nullo modo rumperetur à pijs. Ita fit, dum per abstinentiam corpus atteritur, nec aliunde laxatio, nisi ab hac Paschali nocte speratur, vt hæc beata nox etiam à carnalibus tanto maiore cum expectatione, & gaudio excipiatur, & antequàm veniat, sic omnes quadragesimæ dies, qui sunt interiecti, tanquàm diurna viatoris itinera, magno cum desiderio ad constitutum locum properantis, quotidiè penè diligenter computentur.

*Ioan.1.* *Ioan.4.* *Heb.3.*

Hac ratione dulcis omnibus hæc solennitas, chara omnibus, desiderabilis cunctis efficitur. Sicut lux in tenebris ambulantibus, sicut fons de petra salientis aquæ sitientibus: sicut quod fixit Deus tabernaculum peregrinantibus. Hic igitur tempus iam est lætitiæ, hic exultamus omnes gaudio, memoria nobiscum repetentes, quantum pro nobis precium Christus persoluerit, per quod peccatorum nostrorum remissionem consequuti, & à durissima captiuitate redempti sumus.

*Rom.4.* *Iustificatio quæ includit.* *Ephe.4.* *Rom.6.* *Rom.6.* *Spes resurrectionis nostræ.*

Quo magis autem absolutum sit gaudium nostrum, passioni, & morti Christi resurrectionem quoq; semper adiungimus, quæ nostræ causa est iustificationis. Nam sicut traditus est Christus propter delicta nostra, ita resurrexit propter iustificationem nostram. Vnde colligere licet, quòd qui iustificationem nihil aliud esse volunt, quàm peccatorum remissionem, & cum Deo Patre reconciliationem, ij toto (quod aiunt) cœlo errant. Neque enim in hac sola re consistit iustificatio, si vetus homo noster exuatur, necesse est insuper indui nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate, & iustitia veritatis. Non satis est veterem Adam eiecisse, nouum etiam Adam prætereà Christum complecti necesse est: Non tantùm peccato moriendum, sed viuendum est etiam Deo in Christo Iesu. Non sufficit à peccato liberari, seruos etiam oportet fieri iustitiæ, non commori tantùm, hoc est, defungi peccatis, verùm & resurgere cum Christo opus est. Istud itaque meritò Christi passionis nobis obtigit, quòd sumus mortui peccatis, quod vetus noster homo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Verùm hoc satis non est. Necesse est præterea, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos fide accensi, simul cũ eo resurgẽtes, in nouitate vitæ ambulemus, parati omnia & facere & pati pro ea fide, quã ipse tradidit, quam in symbolo posteà comprehenderunt Apostoli, quòd certi simus, tametsi propter eã fidem corpus nostrũ occisum fuerit, nihilominus facturũ Deum, vt suis promissis maneat



maneat, vtq; excitet & nos, sicut excitauit Christum in vitam æternam. Atque hoc est, quod vocat Paulus iustificari, post adeptam peccatorum remissionem, in eiusmodi vitæ nouitate ambulare. Crucifixus itaq; Christus est, vt in cruce veteris hominis occasum ostenderet. Resurrexit autem, vt in vita sua vitæ nostræ nouitatem demonstraret. Duplicatur itaq; gaudiũ hoc die nostrum, quòd non solùm abolita sunt peccata nostra per mortem Christi, verùm etiam illius resurrectio, documento nobis est & exemplo, quomodo mortui per illum pristinis culpis, mox vnà cum illo & per illum in nouam vitam resuscitati, deinceps iustitiæ viuamus, quam illius beneficio consecuti sumus. Quam etiam ob causam antè festum hoc vniuersale Resurrectionis, vt vniuersi peccata sua confiterentur, quò possent ab illis resurgere, & à mortuis operibus ad vitam reuocari, in Epistola sua Canonica ad Latoium, sancitum fuisse scribit Gregorius Nazianzenus.

*Iustificari apud Paulum quid sit.*

Hæc itaque duo sancta mater Ecclesia præ cæteris inculcanda suis fidelibus, nec ferè ab inuicem separanda esse duxit, tanquàm ad salutem apprimè necessaria. Nam cùm & illud credere necessarium sit ad salutem, Christum & verum hominem & verum Deum fuisse: verum hominem declarat passio & mors, neq; enim potuit pati & mori: nisi homo, verum Deum declarat resurrectio: neq; enim potuit sua ipsius virtute à mortuis resurgere, nisi Deus. Quamobrem non satis habuit in die parasceues mortis, in die Paschę resurrectionis Christi memoriam celebrasse, quin per totum annum vertentem vtriusque nobis memoriam, singulis hebdomadis renouet. Nam quòd à Christianis feria quarta & sexta ieiunatur, illam rationem reddi scribit Augustinus, quòd considerato Euangelio, ipsa quarta sabbathi, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi, die autem vno interiecto, cuius vespere Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quam vocamus quintam sabbathi, deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbathi, feriam sextam vulgò vocant, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Tertius autem dies post resurrectioni dicatus est, qui propterea dominicus etiam vocatur, quòd in eo Dominus à mortuis resurgens, verè se Deum & Dominum esse declarauit. Quare non solo die Paschatis, verùm singulis dominicis diebus processionem peragi videmus, qua repræsentatur Apostolorum processio, qui iuxta Christi præceptum iuerunt in Galilæam, vt ibi viderent Dominum à mortuis resurgentem, & Hierosolymam, inde posteà redierunt. Sic ergo duos articulos hos docuit nos Ecclesia, vnum de passo, crucifixo, mortuo, & sepulto Christo: alterum de eo, quo modo tertia die resurrexit, qui quo magis infigerentur memoriæ nostræ, singulis hebdomadis eorum commemorationem sextis ferijs, & diebus dominicis renouari voluit.

*Ieiunium quartæ, et sextæ feriæ.* *Aug. ad Casulanum epist.86.* *Matt.26.* *Processio dominicalis quid significet.* *Dominicus dies vnde dictus.* *Matth.28.*

*De Ascensione Christi, deq; extremo Iudicio.*

## CAPVT VII.

SICVT autem quadraginta dies ante dominicam resurrectionis in omni abstinentiæ, continentiæq; genere traducendos, ita deinceps iam quinquaginta diebus ieiunia censuit esse relaxanda: vt ad festum vsq; Pentecostes non ieiunaretur à cibis, quod est mœrentium: sed in Domino gauderetur. Illud etiam subiecit quasi sub oculos nostros, quomodo quadraginta dies cum suis discipulis versatus est, quibuscum etiam cibum interdum capere, visus est Dominus noster Iesus Christus, quo magis fidem faceret suæ resurrectionis, posteà videntibus illis eleuatus, & in cœlum assumptus est. Poterat quidem celerius in cœlũ ascendere, sed quoniam non quæ sua, sed quæ nostra sunt, quęsitum venerat (descenderat enim propter nos homines, & propter nostram salutem) quo magis claram, testatam; cunctis resurrectionem suam redderet, atq; omnem ex omnium animis de ea dubitationem tolleret, tãtisper interris commorari, ascensionisq; suæ gloriam in quadragesimum diem differre dignatus est.

*Inter Paschа, & Pentecosten non ieiunatur.* *Ascensio Christi.* *Actor.1.*

Nulla aũt res æquè spem nostram erigit, atq; gloriosa hæc Christi ascensio. Nam passio illi charitatem in nobis accendit, quam cùm ille summã erga nos declarauerit (nam dilectionẽ hac maiorem habere potest nemo, quàm vt animam suã ponat quis pro amicis suis, qua tamen maiorem habuit ille, qui posuit pro inimicis) fieri non potest, quin mutuo illius amore inflammemur, qui prior nos tantoperè dilexit. Resurrectio verò Christi, non modò de diuinitate ipsius, verùm & de nostræ carnis resurrectione fidem nostram confirmat, & roborat. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Ascensio porrò spem lætificat, quam firmã habemus, & indubitatã, quòd caput nostrum præcesserit, eò nos, qui sumus ipsius membra, sequuturos: cùm præsertim promissum eius habeamus, qui fallere nescit, vbi fuerit ipse, ibi futurum & ministrum.

*Ioan.15.* *2.Ioan.3.* *Passio Christi charitatem in nobis accendit.* *Resurrectio fidem confirmat.* *1.Thes.4.* *Ascensio spem lætificat.*

Sed ita nos in spem erigit ascensio, ne prorsus tamen securos & oscitantes esse permittat. Nam eodem ipso die nobis in memoriam reuocatur, quomodo qui ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram patris, inde venturus sit iudicare viuos & mortuos. Cantatur enim in Missæ introitu: Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Vnde docemur, venturum eum eadem forma hominis in corpore glorificato, quod in cœlum secum detulit, ad iudicandum viuos & mortuos. Cãtatur & illud ex Psalmo: Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Atqui in eiusdem voce tubæ nouissimæ, resurgent omnes incorrupti, sententiam Iudicis audituri: qui, quos à sinistris collocauerit, eos ad supplicium ignis æterni condemnabit, quos autem à dextris posuerit, eos ire iubebit in regnum suũ cœleste. Propterea & in Prosa canitur illud: Iudex cùm veneris iudicare sæculũ, da nobis quæsumus sempiternam requiem in sanctorum gloria.

*Ioan. 12.* *Iudicij divini commemoratio.* *Actor.1.* *Psal.46.* *1.Cor.15.* *Matt.25.*

Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Heb.10. Prima & secunda dominica Aduētus, cuius re. nos admonet. Zach.9. Luc.9. Ioan.3. Rom.2.*

Sic ergo gaudio, quod ex ascensione Christi capimus, quæ nos in spem erigit futurum, vt ipsi quoque simus, vbi caput nostrum est, miscere voluit Ecclesia solicitudinem, quam simul nobis adfert expectatio terribilis illius iudicij, quò & hunc articulum, qui extremus est de Christo, ne ignorare possemus. Cuius etiam commonefacit nos secunda dominica Aduentus. Nam cùm in prima nos amabilis illius admonuisset, quo venit mansuetus, non vt perderet animas hominum, sed vt saluaret: non vt iudicaret mundum, sed vt mundus per ipsum saluus fieret: in secunda dominica, meminit illius aduentus horrendi, quo qui diuitias bonitatis eius contempserunt, quem recipere redemptorem noluerunt, eum seuerum, & inexorabilem Iudicem experientur. Atque ita non tam scribendo, aut prædicando, quàm oculis quasi rem subijciendo, per certorum dierum obseruationes, absoluit omnia mater Ecclesia, quæ de Christo credere necessarium est ad salutem.

*De Spiritu sancto, de sancta Trinitate, de festo Corporis Christi, deq; pompa siue processione, quæ solennis in eo quotannis haberi consueuit.*

## CAPVT VIII.

*Pentecoste sancti Spiritus festum.*

SED nec eum articulum prætereundū putauit, quo nos in Spiritū quoq; sanctū credere profitemur. Nam & is quemadmodum dudum promissus Apostolis, tandem sit missus quinquagesimo die postquàm Christus resurrexit, festiua solennitate, magnaq; cunctorum hilaritate repræsentat, tunc indicans illud impletum esse, quod à Propheta dictum est de Christo: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

*Psal.64. Ephe.14.*

Quoniam verò & illud credere necessarinm est ei, qui saluus esse velit, tres personas vnū esse Deum, sanctissimæ quoq; Trinitati festum diem dicauit, quo non solum admoneri populus eius rei, verumetiam è superiori loco doceri posset. Rectè autē octauo die post, quàm Spiritus sanctus esse missus recolitur, festum hoc instituit. Nam antequàm datus esset Spiritus sanctus, confessio Trinitatis celebrata non est, quòd sine dono sancti Spiritus fides illius haberi non potest. Quamuis sanctos Patriarchas, & Prophetas Spiritu sancto afflatos, non omnino latuisse mysterium hoc Trinitatis, è multis scripturæ locis manifestum est.

*Trinitatis sanctissimæ festum.*

*Crucis signatio quando facienda.*

Quò magis aūt illud imprimeretur mētibus hominū, ita vt elabi facilè nō posset, instituit fideles Ecclesia iā inde à pueris, simul vt essent è somno expergefacti, vt surgentes è lecto, se cruce signarent, ac verba hæc proferrent: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quod ipsum similiter facerent cubitū euntes. Cùm dicerent: In nomine, non autem in nominibus, admonerētur vnius Dei, qui quamuis trinus in personis, vnus tamen est in substantia: simul & eius rei cōmonefierent, quòd salutē nostram, quæ crucis beneficio nobis obtigit, tota Trinitas est operata. Nam inseparabilia sunt opera Trinitatis. Pater filio, sicut & ipse filius testatur, calicem passionis dedit: & ipse filius animæ suæ in potestate sua propinauit, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam. Oblatus est enim, quia ipse voluit, & Spiritus sanctus illi propinari fecit, Apostolo teste, qui dicit: quòd Christus per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.

*Ioan.18. Ioan.10. Esa.53. Heb.9.*

Posteaquàm singula Christi beneficia, quorum in Symbolo fit mentio, diligenter Ecclesia mater nostra statis diebus ad memoriam eorum recolendam instituendis, oculis nostris repræsentauit: visum est etiam illi, sacratissimò Christi corporis & sanguinis mysterio celebrando, diem aliquem festum instituere: qui non propterea minore nobis veneratione prosequendus est, quod recentius institutus esse videtur. Vixdum enim anni trecenti intercesserunt, cū Spiritui sancto visum est, Vrbano quarto Ecclesiæ præsidente, dies vt hic festus in orbe ageretur vniuerso, ad eorum fidem illustrandam, qui sub specie panis, verum corpus & sanguinem Christi contineri, profiteri non erubescunt. Constat enim, quòd non ira multis ante annis, fuit Berengarius, fuit Petrus Adelhardus, quorum tamen vterq; suum hunc errorem reuocauit, fuerunt Henriciani, & Petrobrusiani, qui de veritate corporis & sanguinis Christi in venerabili Eucharistiæ sacramento, cuius multis antè seculis, certa fuit semper & indubitata fides in Ecclesia, primi dubitationem quandam iniecerunt. Quæ vt omnis ex animis hominū tolleretur, & ne quisquam esset, qui de veritate Christi corporis & sanguinis ambigeret, diem hunc festum instituit, in quo solennem processionem proxima feria quinta post festum sanctæ Trinitatis, fieri quotannis præcepit: qua testatū fieret omnibus, quotquot sumus fideles, & orthodoxi, quòd non solùm non erubescimus veritatem hanc, quam à Christo docti sumus profiteri: verum etiam de hoc Euangelio, hoc est, de Christi crucis & mortis annunciatione, præcipuè gloriamur, deq; eo maximè gaudemus & triumphamus. In cuius rei signum, sub visibili panis specie, corpus illud, quod pro nobis in crucem actū, & in mortem traditum est, publica cum lætitia per forum, perq; plateas maximo cum honore circumferimus, ac eam, quæ Christi corpori debetur adorationem præstantes, credere nos Christo dicenti profitemur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: nec Euangeliū illud erubescere, quo nobis hæc tam glorioſa crux illius & mors annunciatur.

*Eucharistiæ sacramento celebrādo festum diem Vrbanus quartus instituit.*

*Math.26.*

Obseruamus autem hoc in prouincia nostra, quòd in hac processione, quatuor Euāgeliorum initia decantantur ad quatuor mundi partes, vt palàm fiat hoc Euangelium crucis & mortis Christi, in omnibus mundi partibus ab Apostolis, & eorum successoribus fuisse prædicatum.

*Euangeliorum initia cur in festo corporis Christi decantentur.*

*Marc.14. Ioan.16. Luc.2.*

Ac fit quidem huius ipsius rei commemoratio, eo ipso die, qui propriè dies cœnæ Domini dicitur. Sed quoniam sub idem tempus, sicut paulò antè fuit à nobis demonstratum, tristis erat anima Dei & Seruatoris nostri vsque ad mortem, plorabat mater eius Maria, flebāt sancti eius Apostoli, mundus verò gaudebat, non visum est, satis esse conueniens, vt eo tempore,



pore, cum gaudio crucis illius & mortis memoriā celebraremus, quo Christum Iudæi crucifigentes exultabant, & morienti insultabant: sed cùm ipsius Christi, tum sanctæ matris eius, cuius animam doloris gladius pertransiuerat, & Apostolorum eius luctum, ac tristitiam exprimeremus, in mœrore & planctu dies illos transigentes, quibus tam crudeliter in Christi corpus est sæuitum. Itaque gaudium hoc in illud tempus, quo gauisi sunt etiam ipsi discipuli, viso Domino differendum esse censuit Ecclesia: vt posteaquàm illa pressura præterijt, posteaquàm à mortuis Christus resurrexit, in cœlos ascendit, & promissum Spiritum suum sanctum Ecclesiæ misit, quo docente, & sanctæ Trinitatis mysterium, & huius venerabilis sacramenti arcanum, intelligere nobis datum est, tum demùm summa cum exultatione, crucis hoc & mortis Christi beneficium recoleremus, deq; fructu, quem nobis attulit gaudium nostrum orbi testatum faceremus vniuerso.

*Ioan.20.*

Quamobrem nihil est aliud hæc processio, quàm glorioſa quædam Christi crucis & mortis prædicatio: deq; superato per crucem diabolo, de morte nostra per mortem Christi deuicta, de remissione peccatorum conciliata, de regni cœlestis hæreditate nobis parta, trium phus quidam & exultatio. Quid autem aliud, quàm hoc est Euāgelium nostrum, quod nos non erubescere, cum Paulo profiteri debemus? ac non modò non erubescamus, verumetiam cum eodem dicat quisque nostrum: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Nihil aliud scire, nihil aliud prædicare nos profiteamur, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis, atq; Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

*Processio in festo Corporis Christi quid.*

*Rom.1. Gal.6. 1.Cor.1.& 2.*

Vtinam autem non deessent etiam hoc infelici nostro sæculo, quibus Christi crux, & mors (in cuius memoriam diem hunc tam festum agimus, corpus illius pro nobis cruci affixum, & morti traditum circumferentes, & quòd nos non pudeat Christi crucifixi, palàm orbi ostentantes) vtinam non deessent, inquam, quibus ea res non esset scandalum, quibus non stultitia quædam videretur, qui veritatem de sui corporis veritate dicentem: Hoc est corpus meum, arguere mendacij non verentur, realem illius præsentiam in hoc venerabili sacramento negantes. Sed ea res nos deterrere non debet, quominus liberè fidem nostram profiteamur. Semper hoc fuit sathanæ studium, cùm non aliundè salutem nostram pendere videret, quàm ex hac iugi Christi crucis, & mortis recordatione, vt eam omni studio vellet extinctam, & ex animis mortalium euulsam: Quod ille quantò laborat diligentius, tantò nobis virilius illi resistendum, tantò magis immensum hoc Christi beneficium, præ nobis est ferendum. Ac si quis ex nobis quæsierit: Quid est, quod hodie tam festum diem agitis? quòd Eucharistiam ita per forum & plateas circumfertis? quòd cereorum tantam vim accenditis? quòd humana voce psallere non contenti, & cymbalis, & tubis, & omni musicorum instrumentorum genere lætitiam quandam ingentem præ vobis fertis? huic respondebimus. Hoc est Euangelium nostrum, quod nos non erubescere, in quo nos etiam gloriari cum Paulo profitemur. Christus in nouissima cœna sui corporis & sanguinis sacramentum nobis vtendum dedit, vt siue manducantes illud ore, & bibentes, siue etiam intuentes, & fide percipientes, meminissemus hoc esse corpus illud, quod pro nobis in mortem traditum: hunc esse sanguinem illum, qui in peccatorum nostrorum remissionem fusus est. Huius itaque Christi crucifixi pro nobis, & mortui corpus, sub illa specie, qua suis illud Apostolis in cœna nouissima dedit, omnibus ostentamus: illud quàm maximè veneramur & adoramus, in eo & de eo gloriari nos profitemur: de morte deuicta, deq; diabolo superato triumphum agimus, ac Deo patri cœlesti gratiam habemus, q per crucem, & mortē filij sui, remissionem nobis peccatorum nostrorum, in filios suos adoptionem, & regni cœlestis hæreditatem contulerit. Quorum omnium beneficiorum memoriam, quantò maiore studio per membra sua sathanas abolere conatur, tantò nos diligentius eam, & dierum obseruationibus, & signis, ac imaginibus, & gestu & habitu, & omni cæremoniarum genere, repræsentari cupimus. hunc verò diem, propriè tanto beneficio, cum lætitia & triumpho celebrando, consecratum habemus. Ad hunc modum si quis nos interrogauerit, respondebimus, simul fratres nostros admonebimus, vt ostendant, se non erubescere Euangeliū, se non erubescere crucem & mortē Christi, cuius memoria, cum gaudio & triumpho celebratur in hac solenni pompa. Nam quem huius Euangelij, quem crucis & mortis Christi pudet, is quiduis potius, quàm Christianus dici meretur: Nec est, quod se peruenturum ad ea præmia speret, quæ Christus non alijs promisit, quàm his, qui suam omnem fiduciam in crucis & mortis ipsius merito collocatam habent. Qui me erubuerit, dicit Christus, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua. Omnis autem qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Confiteamur itaque Christum, non sola fide, verùm & ore, hoc est, externis istis ritibus & cæremonijs, quibus maximè fides illius illustratur, & crucis hoc illius & mortis beneficium, summa cum animi deuotione, veraq; cordium lætitia celebremus.

*Sathanæ studium in abolendis Christi beneficijs.*

*Corporis Christi festum quare cum gaudio celebratur.*

*Rom.10.*

Hæc est fides Catholica, quam, vt paulò antè diximus, non scribendo, neque prædicando modo, verùmetiam annum vertentem ita distribuendo, dies vt certi constituerentur, quibus quasi ordine singuli articuli, eorum præcipuè, quæ de Christo cognoscenda sunt, non tam auribus, quàm oculis fidelium exponerētur, sitiens nostræ salutis mater Ecclesia, nos fideliter docere semper est conata, quòd in eo salutem nostram agi sciret.

*Quod dictum Apostoli, Dies obseruatis & menses, nihil aduersatur obseruationi dierum, quæ fit in Ecclesia.*

CA-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## CAPVT IX.

*Gal.4. Dierum obseruatio. Con.Celsum lib.8. Epiphan.hær.77. Hieron.in 4.cap. ad Galat. Aug.epi.119.cap.7. Et contra Adimantum.cap.16.*

NEQVE verò defuerunt, qui sanctæ matris nostræ sanctum hoc institutum reprehenderent, quod Iudaicas quasdam obseruationes amplexos esse fideles dicerent. Obiectum est etiam ante mille ducentos annos, quod nunc ab ijs, qui pridem sopitas hæreses suscitauerunt, obijci nobis audimus: Dies obseruatis & menses, & tempora, & annos. Sed ijs iam pridem ab Origene, atque Epiphanio Græcis, ac Hieronymo, atq; Augustino Latinis, ita responsum est, satis vt essent confutati videantur. Neque enim existimandum est, ignorasse matrem Ecclesiam, vel nunc etiam ignorare, quòd omnes dies æquales sint, quodq; non die Parasceues crucifigitur, neq; die dominico resurgit Christus, quòd q; nullus dies, atq; adeò nulla sit hora, qua non rectè passionis illius, & resurrectionis, ac aliorum quorumcunque beneficiorum fiat recordatio. Quamobrem receptus Ecclesiæ mos, quo singulis Christi beneficijs recolendis, certos dies instituit, nihil habet cum Iudæorum superstitione commune. Nam illis non est fas quouis tempore ieiunare, agnum immolare, Pentecosten ageret, abernacula figere: nobis verò quotidiè ieiunare, quotidie agnum immaculatum & offerre Deo patri, & oblatum manducare,

*Chrys.Hom. 60.ad pop.Ant.*

quotidie licet simul omnia Christi beneficia repræsentare, Sicut à Chrysostomo scriptum legimus. Itaq; Iudæis quidem annuatim propriorum monumenta beneficiorum solennitates Deus alligauit, tibi verò, vt ita dicam, per singulos dies per hæc mysteria.

Quoniam verò sæculi curis nimio plus plerique omnes immersi sumus, neque aut orationibus, aut gratiarum actionibus, Deiq; beneficijs recolendis, perinde vt oporteret vacamus, quid faceret sitiens nostræ salutis mater Ecclesia? permitterétne tantorum Christi beneficiorum interire memoriam? quæ quamuis in Ecclesijs prædicentur è superiore loco, tamen verbi Dei semen à spinis non rarò suffocatur. Non potuerunt hoc ferre plena charitatis

*Matt.13.*

illius erga nos viscera, cùm præsertim salutem in eo nostram agi videret. Cùm itaq; cerneret

*Dierũ obseruationis causa apud vulgum.*

adduci non posse liberos suos, vt quotidie ieiunarent, quotidie orarent, quotidie Christi corporis, & sanguinis communionem perciperent, ac in iugi beneficiorum eius meditatione versarentur, fecit illa, Deo & piorum omnium consensu approbante, fecit autem sancti Spiritus docta magisterio, certos vt dies institueret, qui præ cæteris tantorum commemoratione beneficiorum essent insignes, quibus ad officium fideles reuocarentur, ac munere suo curis alijs vacui diligentius fungerentur: non aliud spectans hac dierum præscriptione, quàm vt & admonerentur eorum, quæ Deus pro sua ineffabili bonitate, tam plena manu conferre dignatus est, & sepositum tamen tempus aliquod haberent, quo diligentius eorũ contẽplationi vacare liceret. Sic illa à Paulo edocta, omnibus facta est omnia, vt omnes lucri faceret, & qui non possent adhuc solidum cibum capere, quòd is perfectorum est, eos minimè negligendos, verùm tanquàm paruulis lac eis potum dandum esse putauit.

*1.Cor.9. Hebr.5. 1.Cor.1.*

Quò manifestius autem fiat omnibus, quòd Ecclesia nullum nouit dierum discrimen, vel

*Missæ ratio semper eadem.*

ex tremẽdo sacrificio (quam Missam vocamus) cuiuis id colligere licebit, in qua natiuitatis, passionis, mortis, resurrectionis, in cœlũ ascẽsionis, & Spiritus sancti missionis beneficia, nullo non die simul omnia celebrantur per totum terrarum orbẽ, quàm latè patet Christiana religio, nulla prorsus varietate. Etsi enim verba mutari videmus, idq; in ijs tantùm, quibus ad sacrificium hoc mentes præparantur, cuius generis sunt, Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Euangelium, Offerenda, Cõmunio, significationes tamẽ manent eædem. Quæ verò liturgiæ potissima pars est, & in quo vis tota consistit, Canõ, idem perpetuò legitur: vbi ad eundem semper modum præcipuorum Christi beneficiorum simul omnium fit com-

*Missa ab Euangelio nihil differt.*

memoratio: nihil vt ab Euangelio Missa differre videatur: quin ipsum potiùs Euangelium, & breuis quædam credendorum omnium non tam explicatio, quàm quasi sub oculos subiectio, ac fidelium ad recolendũ præcipuè passionis illud immensum beneficium sit, excitatio. Quod ita repræsentatur in hoc sacro: vt rectè à Cypriano dictum sit, passionem esse Domini, sacrificium quod offerimus. Ac rectè Germanus Patriarcha Constantinopolitanus ad-

*Cyp.lib.2.epist.3.*

*In lib. quem inscripsit rerum Ecclesiastic.consideratio.*

monuerat: Agnoscite vos Sacerdotes, qui sacro Altari assistitis, & incruentam victimam sacrificatis, quòd viuam Christi passionem annunciatis.

Ex ijs itaq; quæ peragũtur in hoc sacro, facilè cuiuis perspicuũ esse potest, quòd quotidie Christi natalem, quotidie Paraseuen, quotidiè Pascha, quotidie in cœlum ascensionẽ, quotidie Pentecosten celebrat Ecclesia. Sed quoniam hæc non ita attenduntur ab omnibus, rudioribus præsertim, qui minores etiam vocantur, ad eorum quoq; captum communis nostra mater Ecclesia demittere se dignata est, certis diebus instituendis, quibus eorum attentionem excitaret. Quare nihil est, quòd nobis Iudaismum quisquam obijciat, qui non aliud hac dierum obseruatione, quàm Christi beneficiorum cõseruare memoriam, & ea rudibus etiam inculcare conamur: nemo vt sit, qui ignorantiam prætendere queat.

*Quomodo præcipuè Christi passionis beneficia variis modis Ecclesia rudibus inculcare conata est, ac primum de signo Crucis.*

## CAPVT X.

NEQVE verò finibus ijs circunscripta fuit anxia de salute nostra matris Ecclesiæ cura, & solicitudo: non contenta fuit scriptis consignasse, verbis prædicasse, certis diebus instituendis inculcasse, quæ de Christo credenda sunt: maximè verò, quæ summa credendorum est omnium, ineffabile Christi passionis mysterium: etiam signis id repræsentare voluit oculis fidelium, vt nemo tam esset rudis, quin illud cognoscere posset.

Hinc



Hinc est ille cruce signandi mos, quem ex apostolica traditione peruenisse ad nos, vel ex eo satis apertè colligere licet, quod ipsos etiam Apostolos illo crebrius vsos, qui fuisse creditur æqualis ipsorum, & eorum res gestas cõscripsisse, testatur Abdias, si quis modo librum hunc tanquam ab eo scriptum recipiendum esse putauerit. Meminit & Dionysius Pauli discipulus moris huius cruce signandi, signiq; vitalis vocat impressionem. Clemens verò Pontifex inquit: Trophæo crucis consignans in fronte dicat, &c. Quin & Martialis Lemouicensis Episcopus, quem vnum è septuaginta Christi discipulis esse volunt, monet Burdegalenses, vt crucem Domini semper in mente, in ore, in signo teneant. Crux enim Domini, inquit, armatura nostra inuicta contra sathanam est. Et qui non multum fuit à temporibus Apostolorum remotus Tertullianus: Ad omnem, inquit, progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Quem secutus beatus Effrem, cùm admonuisset suos fratres, vt postes suos preciosa, ac viuifica cruce coronarent: Pingamus, inquit, in ianuis, atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum crucis, armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, Paradisi reseratrix, hæresium profligatrix, dæmonum expultrix, Monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna, salutarisq; custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Christiane, armaturam diebus singulis, & noctibus, horis, atq; momentis in omni loco circumferre non desinas, nihilq; sine ipsa perficias. Et in eo, qui proximè sequitur libro: Scuti vice crucis signo teipsum muni, signans ex eo membra omnia, & cor tuum. Validissima quippè armatura hæc est, nullusq; vnquàm tibi nocere poterit, si hac septus fueris. Cyrillus verò: Non pudeat nos, inquit, crucis Christi. Quòd si aliquis id occultet, tu manifestè signa te cruce in fronte, vt dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens: & sedens, & stans, & loquens, & ambulans: in summa, in omni tuo negotio. Et alio loco: Accipe arma contra aduersarios huius crucis. Trophæum statuas fidem crucis aduersus contradicentes. Cùm enim de Domino, cruceq; contra infideles quæstio tibi erit, prius statue manu tua signũ: & obmutescet contradicens. Non pudeat crucem Christi confiteri, Angeli enim gloriantur, dicentes Iesum crucifixum quæritis. Non potuisti dicere, ô Angele, Scio quem quæritis meum dominum, sed confidenter dicis: Scio quòd crucifixum. Corona enim est crux, & non ignominia. Et nonnullis interiectis. Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum. Triumphauit enim de illis in hoc signo, ostentat illud audacter, quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi. Metuunt eum, qui contriuit capita draconis. Neque propterea quòd est gratuitum, contemnas hoc signaculum, sed ideò magis venerare benefactorem. Et Hieronymus: Claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. Et alibi: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Qui etiam alio loco Dauidis illud: Signatum est super nos lumen vultus tui: ad crucem, quam fronti imprimimus, & ad solennem signandi nos crucemorem refert. Non dissimilia reperiuntur in Sermonibus Ambrosij, qui etiam in lib. de Isaac & Anima ita loquitur: Signaculum Christus in fronte: est signaculum in corde. In fronte, vt semper confiteamur: in corde, vt semper diligamus: signaculum in brachio, vt semper operemur. Et ante eum Prudentius:

*Dionys. de cœlest. Hierar. Par.3.c.5. Lib.8. cap. 13. constitutio. Apost. Martia.in epist. ad Burd.cap.8. Tertu. Crucis signatio vbiq; adhibẽda. Ephrem de vera pœnitentia. De armatura spirituali, cap.2. Hiero.ad Demetr. Cyrill.Catech.4. Crux quando, & vbi facienda, & eius efficacia. Catech.13. Hier. ad Demetriadem, & Ad Eustochium de custo. virginit. Ad Fabiolam de vest. sacerdotum. Serm.56.cap.8.*

*Cum vocante somno castum petis cubile,*
*Frontem, locumq; cordis crucis figura signet.*
*Reges, Prophetæ, Iudicesq; & Principes,*
*Virtute, bello, cultibus sacris stylo,*
*Non destiterunt formam pingere crucis.*

*Prudent. in hymno ante somnum.*

Et alio loco:

*Vbi Romani martyris supplicium describit.*

Quod verò de Regibus narrat Prudentius, primùm hoc fecisse constat Imperatorem Constantinum, quẽ non in fronte modò sua designasse, verum & in vexillis, & in manu gestasse, & numismatibus etiam insculpi signum crucis fecisse, victorias suas, ac triumphos omnes acceptos illi tulisse, qui temporis illius historiam scripserunt, Eusebius, Socrates, Zosomenus, Nicephorus, memoriæ prodiderunt. De Theodosio quoque Imperatore, scribit Nicephorus, quòd is armatura crucis fretus, intrepidus contra Eugenium progrediebatur. De Alexandrinis quoque refert Ruffinus, quòd crucis dominicæ signum vnusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisq; depingeret. Quod ipsum Chrysostomus non tantum apud Alexandriam, verùm & alibi passim ità factitatum esse testatur: Crucem, inquit, vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs, & insulis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposijs, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, &c. Ac paulò ante: Reges positis diadematis crucem suscipiunt mortis symbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super Solem fulget crux, Quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt vbiq;, ea inuenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos, subinde omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum, in fronte enim nostra quasi in columna quotidiè figu-

*Euseb.li.1.c.14.ac li. 3.ca.3. Fit etiam eius Crucis mentio lib.4.c.21. de vita Constantini. Socrat.li.1.c.1. Zoso.lib.1.c.4. Nice.lib.7.ca.37. & 46. Nice.lib.12.ca.39. Ruffin.lib.2.c.29. Chrys.in demõstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus. Homi.55.in Matt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore in mysteriis cœnis fulget. Et alio loco: Omnia, quæ ad salutem nostram conducunt, per crucem consumantur. Nam cùm regeneramur, crux Domini adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordinem consecrandi statuimur, vbiq; ac semper id victoriæ insigne nobis adsistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoq; ac mente, magno studio crucem inseramus. Et adferens illud ex Paulo: Pretio empti estis. Pretium, inquit, hic crucem appellauit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus sceleſtorum dæmonum cùm hastam videat, qua lethale vulnus susceperit, congredi tecum audebit. Et alio loco: A primis, inquit, annis filios vestros spiritualibus armis muniatis, & cruce frontem sibi signandam erudiatis, & prius quàm per se ipsi facere possint, vos id facite.

*Vide eius declarationes in Psal. 109. 1. Cor. 6.*

*Hom. 12. in epist. 1. ad Corinth.*

Ex his Chrysostomi verbis, tum aliorum sanctorum Doctorum videre licet, quàm creber vsus illo tempore fuerit signi crucis, quo persuasum erat, dæmones etiam ipsos fugari, quos, etiam vel inuitos confessos aliquando fuisse (scribit Ioannes Damascenus) Dominicæ crucis vexillum se sustinere non posse. Qua de re multa scribit Lactantius quoq;, quanto terrori sit dæmonibus hoc signum. Multa & Origenes, vbi inter alia de dæmonibus ait: Qui aurata capitolia non timent, crucem timent. Ignatius quoq; temporibus Apostolorum proximus, de crucis trophæo scribit: quòd illud videns dæmon expauescit, & audiens timet. Cuius rei documenta etiam aliquot profert Lactantius. Clarissimum autem documentum fuit illud: quod adfert Gregorius Nazianzenus, & eum secuti Theodoretus, Zozomenus, & Nicephorus, quòd cùm Iulianus apostata, qui fidem Christi deseruerat, ex consuetudine pristina crucis hoc signum ingruentibus, dæmonum terroribus, fronti impressisset, statim omni timore liberatus est, procul dæmonibus fugatis. Non dissimilia de quodam Iudæo scribit in Dialogis Gregorius. Athanasius quoq;: Omnia dæmonum præstigia signo crucis propelluntur. Qua de re plura etiam reperies in eo, qui proximè sequitur libro. Qui scribit etiam, Antonium Abbatem docuisse suos, vt cùm dæmones viderent, tam se, quàm domos suas crucis armarent signaculo. Confestim, inquit, soluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui, ac murum inexpugnabilem signum crucis appellat. Quam doctrinam discipulus eius Hilarió est sequutus: de quo scribit Hieronymus, quòd cùm in fronte crucem signasset, tali casside armatus, fortius contra dæmones præliabatur. Quod cùm alij similiter plerique fecerunt omnes, tum Gregorius etiam ille Thaumathurgus, de quo narrat Gregorius Nissenus, quòd ei non alia contra dæmones arma fuerint, quàm signaculum crucis, & Christi nomen. In Panoplia quoq; sua refert Euthymius, quòd idem Gregorius iusserit cruces ligneas quibusdam in locis à se collocatas adorari, & ad eas tanquàm ad sacra perfugia concurri. Chrysostomum quoq; cruces argenteas & ardentes faces ad supplicationes adhibuisse, memoriæ proditum à Socrate legimus. De Iosepho Scitopolitano scribit Epiphanius, quòd accepto vase aquæ, crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu, dixit: In nomine Iesu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit, & dissoluta sunt incantamenta.

*Damasc. in vita Barlaam, & Ioasaphat.*
*Lact. lib. 4. ca. 27.*
*Orig. Hom. 8. in diuersos Euangelij locos.*
*Ignat. ep. 5. ad Phil.*
*Lact. li. 4. ca. 27.*
*Greg. Naz. in priore contra Iulianum oratione.*
*Theod. lib. 3. ca. 3. Eccl. hist.*
*Zozo. lib. 5. cap. 2.*
*Nice. lib. 10. cap. 3.*
*Aug. tract. 148. in Ioannem.*
*Aug. serm. 181.*
*Aug. serm. 19. de Sanctis.*
*Gre. lib. 3. cap. 7.*
*Athanas. in 1. oratione contra Idola.*
*De humanitate verbi, eiusq; corporali aduentu.*
*In vita Antonij.*
*Euthym. tit. 20.*
*Socrat. lib. 6. ca. 8.*
*Epipha. hæresi. 30. contra Ebionæos.*

Quamobrem etiam in sacris operationibus magnus semper fuit crucis vsus, quemadmodum ex his, quæ citata sunt ex Chrysostomo videre licet, à quo non dissentit etiam Augustinus, cùm dicit: Nisi crucis signum adhibeatur, siue frontibus credẽtium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo: quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Et alio loco: Hoc signo, inquit, crucis, consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, iniciantur Presbyteri, & cæteri gradus ecclesiastici: omnia quecunq; sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis consecrantur. Et iterùm: Huius crucis ministerio, rudes catechisantur, eodem mysterio fons regenerationis cõsecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem, dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis charactere Basilicæ dedicantur. Altaria consecrantur, Altaris sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiũtur: Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad sacros ordines promouentur. Et vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur. Et alio loco: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquàm in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, si in conspectu filiorum hominũ nec ore, nec factis Christum negaueris, spera tibi perfici dulcedinem Dei. Ante vtrunq; verò Cyprianus: Neq; nos gloriamur in Paulo, sed in cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta: sine quo signo nihil est sacramentum, neq; aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas, & profundum, & longè, lateq; diffunditur plenitudo gratiarum. Et iterùm: Quicunq; sint sacramentorum ministri, qualescunq; sint manus, quæ vel mergunt accedentes ad baptismum, vel vngũt qualecunq; pectus, de quo sacra exeunt verba, operationis auctoritas in figura crucis omnibus sacramẽtis largitur effectum, & cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet, à sacramentorũ vicarijs inuocatum. Meminit idem ad Demetrium scribens, de more frontem cruce signandi. Quamobrem, quæ tanto consensu Patres ferè omnes affirmant, diuinam esse traditionẽ dubitandum non est: quam ab ipsis Apostolis ad nos esse deriuatam, ad Amphilochium scribens testatur Basilius.

*In Psal. 30. Conc. 3.*
*Cypr. ser. de baptis. Christi, & manife. Trinit.*
*Cyp. ser. de passione Christi.*
*Basil. de Spiritu sancto ca. 27.*
*Guibert. de Spiritu sancto ca. 27.*

Videtur autem totius fidei nostræ compendium in hac vna cruce signandi ratione contineri. Signum crucis tribus digitis exprimendum esse docet Innocẽtius, & eum secutus Guibertus de Tornaco, ad significandum Trinitatis mysterium. Quod etiam non tacuisse videtur Propheta, cùm dixit: Quis appendit tribus digitis molem terræ? Ducitur autem primũ à vertice capitis, siue frontis, vsq; ad vmbilicum: vt indicetur, de summo cœlo egressum in viscera matris descendisse Dei filium: atq; ex purissimis illius sanguinibus carnem nostram susce pisse. Deinde à sinistro brachio ad dextrum, vbi causa simul incarnationis exprimitur. Nam propterea descendit de cœlo in terram, propterea reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, dedit dilectam animam suam in manus inimicorum suorum: vt nos, qui eramus à sinistris inter hœdos collocandi, transferret ad dextram inter oues suas, vbi vocẽ illam desideratam audire nobis liceret: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

*Inno. li. 2. ca. 44. de altaris sacra.*
*Crucis signum tribus primis digitis faciendum.*
*Esa. 40.*
*Hiere. 12.*
*Matth. 25.*

Ecce quanta fidei nostræ mysteria vnica signandi nos cruce forma, nos mater Ecclesia docuit: vt si nihil præterea sciret rudis homo, qui satis assequi cætera non posset, vel hoc propè solùm ad salutem illi sufficere queat. Hic incarnatio, hic passio Christi, hic causa passionis, hic simul extremum illud iudicium, & spes nostræ vocationis, hic mysterium Trinitatis, per quam redempti sumus vnica signatione crucis exprimitur, quandoquidem adiunguntur hæc verba: In nomine Patris, & Filij & Spiritussancti. De qua nos propterea paulò fusius in hac nouissima editione nostra, nobis agẽdum esse duximus, quòd existere quosdam hoc infelici sæculo nostro videmus, qui non dubitent affirmare, magiam exerceri, quando fideles vt se cruce signent, docentur. Qui Iulianũ etiã apostatam impietate sua superare videntur, qui tanquàm probrum obijciebat Christianis, quòd crucis lignum adorarent, imaginem illius in fronte, & ante domos pingẽtes. Cuius picturæ causas, hæc illius impia verba refellẽs, profert Cyrillus Alexandrinus. Qui etiam enarrans illum Esaiæ locum: Erit altare domino in regione Ægyptiorum, & colũna ad confinia eius. Columnam interpretatur S. Crucis signum, quo obsepiri credentes solent. Vsi enim, inquit, semper sumus hac re, cùm omnem diaboli insultum euertimus: & dæmonum impetus infringimus. Murus enim infractus nobis est crux, & in ea est gloriatio verè salutem adferens.

*Mysteria fidei in crucis signatione quanta.*
*Brenius taxatur.*
*Cyrill. lib. 6. contra Iul.*

Quin etiam eò progressi sunt audaciæ, atq; amentiæ quidam, quos deflet Apostolus, inimici crucis Christi, vt non modò non venerẽdam, atq; adorandam, verumetiam confringẽdam, & conculcandam esse crucem doceant, & strenuè quod docent, exequantur. Henricianorum, & Petrobusianorum impietatem referentes, quos ante quadringentos annos, præclara quadam Epistola Petrus Cluniacensis confutauit, & quæ sit signo crucis veneratio triẽbuenda, piè diserteq; docuit. Quid autem non audent homines hoc infelici nostro sæculo? Non dubitauit quidam dicere, fidem Asinariam eum profiteri, qui prædicat Iesum Christũ, & hunc crucifixum, idq; signo crucis fronti impresso testatur. An autem hoc multum est ab eo diuersum, quod olim Christianos asinarios esse vocatos, Tertullianus scribit, & eum secutus Arnobius, cùm illis caput asininum, & cætera quędam insignia obijcerentur. Scripsit aũt ante 700. annos & Ionas Aurelianẽsis Episcopus aduersus blasphemias Claudij Taurinensis libros tres: in quorum primo meminit, quòd is in dehonorationem crucis asinum adorandum docuerit, & multa vt mentis inops, deliramenta subtexuerit. Quem videtur quidã ex nostri temporis hæreticis, in sua non dissimili blasphemia proferenda, secutus. Quem quasi perstringens ante 1200. annos ita scripsit Augustinus: Insultet ille crucifixo Christo. Videam ego in frontibus Regum crucem Christi: Quod irridet, ibi saluor. Nihil est superbius ægroto, qui deridet medicamentum suum: Si non derideret, acciperet ipse, & sanaretur. Crux illa signum est humilitatis. Ille autem superbia animia non agnoscit, vnde sanetur tumor animæ suæ. Si autem ego agnosco, in via ambulo, vsque adeò de cruce non erubesco: vt non in occulto habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa sacramẽta aliter, atq; aliter accipimus: quædam sicut nostis, ore accipimus: quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille qui dicit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eũ coram patre meo, qui in cœlis est: ipsam ignominiam quodammodo, & quam Pagani deridẽt, in loco pudoris nostri constituit. Hactenus Augustinus. Idem alio loco: Qui Christi crucem irridẽt, à dæmonibus tanquàm à bestijs deuorantur. Quid autem aliud per hos ministros suos molitur sathanas, quàm vt sublato signo crucis, nulla crucifixi mẽtio remaneat, sublato crucifixi vocabulo, mortis, & passionis Christi recordatio sit ablata, extincta passionis memoria, nulla redemptæ salutis spes, euacuato redemptionis precio, superfit. Scribit vetus auctor Hyppolitus Martyr, quòd Antichristus characterem sit in dextra manu, & fronte daturus, ne quis dextra sua preciosam illam Crucem pingat in fronte. An autem Characterẽ hunc, à præcursoribus eius, hoc infelici sæculo nostro datum non videmus: Sed nos cætera persequamur.

*Christiani asinarij vocati.*
*Tert. in apologetico cap. 16.*
*Lib. 2. contra gentes.*
*In Psal. 141.*
*In Psalm. 46.*
*In lib. de Consummatione mundi.*

## *De Crucifixi simulachro.*

## CAPVT XI.

*Crucifixi imagines, & vexilla.*
*Crux in supplicationibus cur præferatur.*

ADhunc signandi nos cruce morem adiecta præterea sunt Christi crucifixi simulachra, quæ præferuntur, quoties fiunt supplicationes (quas processiones vulgò vocant) vnà cum vexillis, quæ sunt Christi triumphantis, & in cœlum scandentis insignia, in quibus & ipsis Christus ferè depingitur, siue sculpitur cruci affixus. Præferuntur autem hæc ideò, vt indicetur nobis, atq; ante oculos nostros ponatur, in quo gloriari, in quo spem nostram habere, nos defixam oporteat. Per crucis enim vexillum, fortior armatus Dominus noster Iesus Christus morte mortem superauit, & effractis inferorum portis, aditũ in cœlos pijs omnibus patefecit. Absit igitur nobis gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: absit in alio quoquam fiduciam nostram collocare, quàm in hac, quæ salus est & redemptio nostra. Nam quæ potest ma-

*Gal. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Apo.19. Philip.2.* ior esse nobis gloriandi materia? quàm quòd Rex ille Regum, & Dominus dominãtium, cui donatum est nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, quòd ille Dei filius, Deus ipse, relicto excelso solio regni sui cœlestis, dignatus est in hanc lachrymarum vallem descendere, & exuisq; se deijcere, vt serui speciem in se susciperet, & quidem serui nocentis, cùm ipsa esset innocentia: dignatus est ceu facinorosus aliquis capi, alligari, flagris cædi, conspui, probris innumeris affici: dignatus est, quod vnum omniũ & probrosissimũ fuit, & atrocissimũ supplicij genus, morte crucis ad extremum condemnari: dignatus autẽ est hæc omnia tam dura perferre propter nos, qui serui, qui peccatores, qui inimici, qui impij eramus, oblitus suæ dignitatis, neq; nostræ memor indignitatis, dignatus est adeò nos diligere, vt semetipsum traderet pro nobis.

*Ephe.5.* Nunquid hæc non est iustissima gloriandi causa? Serui cùm ab heris laudantur, qui tamen eiusdem naturæ ex eodẽ luto confícti, ijsdem sunt fortunæ casibus obnoxij, placent sibi tamen vehementer hoc nomine. Nos non multò magis nobis placebimus, non multò magis de eo gloriabimur, quòd ille Dominus, qui solus est verus Deus, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, non est dedignatus nostra causa nostram carnem indutus, horrendos in ea sustinere cruciatus, ad extremum verò morte turpissima condẽnatus, per crucis crudele supplicium vitam pro nobis profundere? Quis hoc amicus amici causa faceret? quis pater propter vnigenitum filium tanta pateretur, quanta Dominus pro seruis pati dignatus est? Quam autem aliam ob causam? nisi vt è seruis liberos ex inimicis Dei, filios Dei faceret: filios quidem Dei Patris, fratres autem suos: hæredes Dei Patris, cohæredes autem suos. Nulla potest esse mundi tanta gloria, quæ cum hac vel minima in parte comparari queat. Est ergo quòd gloriemur in cruce Domini nostri Iesu Christi: est quòd firmam prætereà spem & fiduciam collocemus. Quid enim non certò nobis de tam beneficij, tamq; indulgentis, non domini, sed plus quàm patris misericordia pollicerí possumus, & debemus? Quid ille non dabit petentibus, qui semet tradidit in mortẽ? Quid est, quod negare queat rogatus, qui tot, & tanta beneficia contulit vltrò, non modò non rogatus, verumetiam grauissimis iniurijs multum prouocatus? Hæc est itaque causa, quamobrem in supplicationibus siue processionibus crux præfertur, vt in illa gloriari nos, in illa spem nostram omnem defixam habere, illius fiducia nihil non à Deo petentes impetrare posse, palàm omnibus faciamus.

*Rom.5.*

*Rom.8.*

*Crucifixi imago in medio templi, & crucis signum in turribus cur ponatur. Num.21.* Neq; verò præferri tantum crucem instituit Ecclesia, verum & in medio templi cuiusq;, in eminentiori loco, vt ab omnibus conspici posit, crucis signum & altissimis in turribus imposuit, & Christi crucifixi statuam erexit, quò sicut in serpentem æneum, quem in deserto Moses exaltauit, qui morsi à serpentibus intuebantur, sanabantur: sic qui vellent à morsibus peccatorum sanari, quos intulit serpens diabolus, in eum intuerentur, qui pro nobis in cruce pendens mori dignatus est, certa cum spe remissionis peccatorum, illius merito consequendæ.

*Crucifixi imago in vijs.* Ac non in templis modò, verum in vijs etiam, & compitis Christi crucifixi signum istud erigendum putauit. Fuit hoc priscis illis temporibus apud nonnullos in more positum, priusquam ad agnitionem veri Dei peruenissent, vt Mercurij statuas in vijs collocarent, quòd hunc Deum itineribus præesse, persuasum haberent. Posteaquàm verò depulsis errorum tenebris, Euangelij noua lux affulsit, deiectæ sunt statuæ Mercuriales, quæ viarum indices fuerant, & earum in locum erectæ sunt statuæ Christi crucifixi: vt ne viatores quidem aliud agentes, tanti beneficij possent obliuisci. Qui simul etiam obiter admonebantur, quandoquidem aduenæ sumus omnes & peregrini, neq; manentem hic habemus ciuitatem, sed futuram inquirimus cœlestem illam Hierusalem: quam ingredi viam oporteret ad eam anhelantibus. Via enim nostra Christus est, is qui dixit: Ego sum via, veritas & vita. Huius vestigijs incedamus necesse est, si volumus ad cœlestem patriam peruenire, ad quam nisi per crucem aditus non patet, ipso etiam Iesu Christo attestante, qui dixit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

*1.Pet.2. Heb.13.*

*Ioan.14.*

*Matth.10.*

*Crucifixi imago morituris ostenditur, & morte plectendis præfertur.* Sic igitur & ingredientium & egredientiũ templum, & in viam se dãtium oculis Christi crucifixi simulachrum obiectum, semper esse voluit Ecclesia: multò maximè verò eorum, qui ex huius vitæ diuersorio æternam illam in domum migraturi, præ cæteris consolationis plurimum indigent, quò suæ redemptionis precium agnoscerent, ac tanto æquiore animo corpus mortis huius relinquerent, indubitata spe cœlestis patris hæredes futuros, cui per Christum cruci affixum abundè pro peccatis omnibus est satisfactum. Quod in ijs maiore etiam cura obseruari voluit, qui propter crimen aliquod patratum ad extremum supplicium ducerentur. Quorum quo magis perterritas esse conscientias oportet, hoc maiore studio solicita de salute eorum mater Ecclesia succurrendum eis esse duxit, ne magnitudine flagitiorum deterriti, consequendæ veniæ spem abijcerent. Eius itaq; factum est institutione, vt cùm ad supplicij locum sontes ducerentur, Sacerdos eos comitaretur, Christi crucifixi signum præferret, plectendorum oculis illud ingereret, atq; in cruce Domini nostri Iesu Christi spem suam omnem eos collocare iuberet, de qua cantat Ecclesia: O crux aue, spes vnica. Crux enim est meritum nostrum, crux est refugium nostrum, crux est vita, salus, & resurrectio nostra. Quamobrem hortatur sacerdos ad mortis supplicium condemnatos, quãdoquidem sua non possunt, vt Christi crucifixi merita ad Deum patrem allegent. Quid est enim omne meritum cuiuscunq; hominis, nisi miseratio Domini? Quamobrem ne se crederent inopes esse meritorum, quandiu miserationũ ille Dominus non defuerit, cuius si multæ sunt misericordiæ, multa etiam esse merita sua considerẽt: quæ non aliundè magis, quàm ex sola Dei pendent misericordia. Illius ergo satisfactioni inniterentur, illius passionem, crucẽ, & mortem Deo patri ante oculos proponerẽt, cuius vel vna gutta sanguinis ad ab abluẽda

*Chryſ. hom. aduersus gentes, quòd Christus est Deus.*

*1.Reg.24.*

*Esa.53. Matth.27.*



da totius orbis peccata cumulatè satisfecit. Propterea damnatus est ille, vt liberaret damnatos: propterea doluit, vt sanaret infirmos, propterea timuit, vt securos faceret: propterea deputatus est inter latrones, quorum alter assumptus, alter est reprobatus, vt exemplum & forma daretur, indissolubilis manens in posteros, quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit, nec vlla hora sera est, cui compunctio districta occurrit, nec eos, qui vitæ suę quocunq; temporis articulo veri sunt iudices, iterũ iudicari. Neq; enim bis in idipsum Deus iudicat, cùm & Paulus dicat: Quòd si nos ipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Impœnitentes itaq; Deus iudicat, & damnat: pœnitentes verò, quia susçipit à seipsis iudicatos absoluit: neq; iudicio, quod humanæ pœnitentiæ seueritas protulit, aliquid iustitia cœlestis apponit. Iudicati sunt Ægyptij, cùm redeuntibus super se maris fluctibus inuoluerentur. Iudicati Sodomitæ, cùm subuersis vrbibus eorum sulphureis flammis cremarentur: sed si in eisdem subuersionibus gemerent, pœnitentes, temporali pœnæ non succederet æterna: sed esset illis pro remedio supplicium, & pro absolutione tormentum, neq; corde contritos æternum contereret, & aggrauaret iudicium. Sic in cruce latro confitens non tantùm indulgentiam meruit, sed etiam Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, & regni factus est particeps. Ad hunc modũ etiã eos, quorum omnis vita in omni flagitiorũ genere volutata est, noluit mater Ecclesia de peccatis suis desperare, sed concepto de illis iusto dolore, ad crucis Christi remedium confugere, atq; inde salutem expectare iussit: nullum vt genus hominum fuerit, cui non maximè, cùm alia omnia, tũ hoc præsertim crucis & mortis Christi beneficium sit manifestare conata.

*Luc.23.*

*Naum.1. 1.Corin.11.*

*Exod.14.*

*Quomodo Sacerdotes, & Episcopos ad contemplandum perpetuò crucis, & mortis Christi beneficium excitare mater Ecclesia conata est.*

## CAPVT XII.

QVOD quoniam populo frequenter inculcare, proprium sacerdotum est munus, hos verò non alia in re dies, noctesq;, quàm in eius assidua meditatione versari voluit, ex eo natæ sunt preces, quas vocant horas canonicas, vt septies in die laudem Deo dicerent sacerdotes, quò sic implerent illud, quod ab Apostolo scriptum est: Sine intermissione orate: simul illius immensi Christi beneficij recordarentur, per vulgò notos omnibus rythmos: Patris sapientia, veritas diuina, & cæt. quid matutina, quid prima, quid tertia, quid sexta, quid nona, quid vespertina, quid hora completorij de Christo factum sit, per singula suppliciorum genera, cum grati animi significatione recolentes, omne vt vitæ suæ tempus in hac vna cogitatione traducere sacerdotes voluerit. Porrò quoties Missæ peragunt sanctum sacrificium, tum verò, sicut anteà mentio facta est, quicquid est in Euangelio, quod scire omnium interest ad salutẽ, id non verbis explicant modò, verum & habitu, & gestu, & signis, & cæremonijs sub aspectum populi subijciunt, illud præ cæteris inenarrabile passi, crucifixi, mortui Christi beneficium, non auribus magis, quàm oculis hominum inculcantes. Inde signa crucis tam crebra, cùm singula tormentorum genera designant, quæ propter nos nocentes, innocens agnus ille, cuius sanguine redempti sumus, perferre dignatus est. Cùm dicit sacerdos: Indulgentiã & remissionem, &c. signum crucis effingit, vt per crucem nos reconciliatos, & indulgentiã, remissionem q; peccatorum nostrorum consecutos esse, meminerimus. Idem facit Euangelium lecturus, vt nihil aliud Euangelium, quàm crucis esse prædicationem intelligas. Idẽ quoties protectionis ab æterna damnatione ereptionis, benedictionis, & sanctificationis facit mentionem: vt nobis in memoriam reuocet, quod omnis protectio, ab æterna damnatione ereptio, benedictio, & sanctificatio nostra non est aliundè, quàm à cruce Domini nostri Iesu Christi. Similiter cum dicit: Pax domini: crucem effingit, vt in memoriam nobis reducat, quod à Paulo scriptum est: Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Quò sic planum fiat omnibus, quòd indulgentia, remissio q; peccatorum nostrorum, quòd protectio, & ab æterna damnatione ereptio, pax & reconciliatio nostra, quòd benedictio & sanctificatio nostra, non est nisi crux Domini nostri Iesu Christi, in qua sola gloriamur, in qua sola spem & fiduciam nostram omnem collocatam habemus. Et est ab eo præclarè dictum, qui scripsit librum de montibus Syna, & Sion, cuius author Cyprianus creditur, quòd lex Christianorum Crux est: cum nihil aliud sit lex nostra, quàm Crucis prædicatio.

*Missæ ritus.*

*Hebr.5. Cyp. de montibus Syna & Syon.*

Iam ad quorum officium pertinet non modò sacrificium offerre pro populo, verumetiam sacrificantibus præesse, & eos gubernare, atque vniuerso gregi attendere, cuius generis sunt Episcopi: ne quaquam satis illis esse iudicauit, vel cùm sacris operarentur, vel cùm precum suarum pensum absoluerent, Christi crucis meminisse, quin punctum temporis nullũ propè prætermitti voluit, præcipuè quoties domo prodeundum eis foret, quò crucis beneficium non recolerent. Hinc ille mos, quod pendentem de collo crucẽ gestant Episcopi, nõ ob id modò, ne parum aliquando sint memores beneficij per crucem accepti, verumetiã vt admoneantur, quò crucifixi vestigijs incedant, vt sicut ille verè bonus pastor posuit animã suam pro ouibus suis, ita & ipsi à bono pastore pastores ouium eius cõstituti, ne dubitarẽt, si res ita ferret, exemplo domini sui ponere animas suas pro ouibus suis, & quàmlibet acerba supplicia in ipsius præsidio fiducia collocata, sustinere. Hoc enim est quod à suis exigit Christus, cum tollere crucem suam iubet, qui sequi se vult. Quin etiam quò se cunctis crucis esse ministros declarent, cùm aliàs, tum præcipuè quoties primum in suæ diœceseos ciuitates ingrediuntur, cruce signant obuios quosq;, idq; magis, maioreq; solennitate quadam, cùm sacris operantur, signo crucis benedicunt hominibus: simul illud in memoriam eis reuo-

*Crucem cur gerant Episcopi. 1.Ioan.3.*

*Benedictio Episcoporum. Matth.16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cantes, quod per crucem peccatorum remissio nobis obtenta est, neque fructus huius tanti beneficij nisi per crucis memoriam, perq; fiduciam in illa collocatam ad nos redundare queat,

*Crux cur præferatur Archiepiscopis.*

Cæterùm Archiepiscopo vltra crucem de collo pendẽtem, præfertur etiam crux, quoties in publicum prodit, quò nunquam non ante oculos ipsius versetur, vt quemadmodum Princeps est Episcoporum, ita se Principem esse debere meminerit, ad quæuis adeunda pericula pro fide & Ecclesia Christi, proq; salute concrediti sibi gregis conseruanda, quin & ad mortem ipsam, si qua id necessitas postulet, oppetendam.

Potuitne amplius aliquid facere mater Ecclesia, quàm quod fecit, ad mediatoris fidem illustrandam, & quàm maximè propagandam, atq; ad redemptionis nostræ mysterium non auribus modò, verùm & oculis fidelium ingerendum? Quod tanto studio feciisse videtur, vt si qui ratione, aut memoria comprehendere non possent, vel oculis aspicere, ac modò nõ manibus eis contrectare liceret: adeò se demisit ad captũ omnium, vt ne quem laterent ea, sine quorum fide saluus esse nemo potest. Non illa scriptis modò, non viua voce tantùm è superiore templi loco, verùm & certis diebus instituendis, & signis, & imaginibus, & habitu, & gestu, & varijs cæremonijs, & quascunq; vias & rationes ad eam rem accommodatas diuini numinis afflatu excogitare potuit, omnibus ijs in mentibus fidelium imprimere conata est, cùm alia omnia quæ in symbolo continentur, quæ breuis est credendorum collectio tum præcipuè mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, & hunc crucifixũ vt ex illo penderent omnes, in illo proram, quod aiũt, & puppim suæ salutis collocarẽt.

*Symbolum quid.*

## *Quod falsò quidam hoc æuo nostro calumniantur Ecclesiam de obscuratis Christi beneficijs, cùm per ipsos potius obscurentur, & omnia eorum memoria extinguatur.*

## CAPVT XIII.

*Esa.30.*

ET sunt intereà filij desertores, qui ab omni pietate alieni, ab omni veritate remoti, perfricta, quod aiunt, fronte, omni pudore prorsus abstersо, matrem suam audent insimulare, quòd parùm in ijs, quæ ad salutẽ nostram pertinent, docendis, officio suo functa fuerit. Comminiscuntur homines audaces & impudẽtes, quòd iam inde à quadringentis & amplius annis, ignotus orbi Christiano Dei, & hominum mediator Christus, quòd eius beneficia obscurata, q; Euangelium absconsum, quòd quiduis aliud potius, quàm Christus in Ecclesia fuerit annunciatus: verum his tandem triginta annis per ipsos mentibus hominum Euangelij noua lux affulserit. Quæ est, si non hæc est summa impudentia, atq; vna omniũ grauissima, minimeq; ferenda calumnia? Legantur Theologorum libri, qui sunt his quadringentis annis conscripti: reperire licebit, quòd non aliam plerisq; Theologiæ materiam esse voluerint, quàm reparationem hominis lapsi per Christum seruatorem. Notum est autem illud, quod à Petro Lombardo diligenter tractatur axioma, quòd sine fide mediatoris Christi nullus mortaliũ vel ante legem, vel sub lege, vel sub tempore gratiæ saluus factus sit, aut saluus aliquando fieri possit. In quo explicando ita versantur sancti Doctores omnes, vt non aliunde salutem nostram pendere doceant, quàm ex cruce, & morte Christi: quam nisi quis expressè crediderit, maximè post peractum iam in cruce redemptionis mysterium, nisi spem omnem in ea defixam habuerit, eum ad vitam æternam peruenire non posse: cùm tamen implicita mediatoris huius fides ante Christum natum ad salutem suffecerit.

*Patres docuisse rectam fidem.*
*Fides mediatoris.*
*Lib.3.sent.dist.25.*

Neq; verò scripta magis Doctorum ætatis illius, impudens hoc eorum commentum refellunt, q̃ ea, quæ non semel iam cõmemorata, iterum atq; iterũ repetenda sunt, quò magis planum omnibus fieri possit, quàm falsò hæc à filijs desertoribus Ecclesiæ impingantur. Quid enim, ita sapienter annus ab ipso Spiritu sancto distributus, nullus vt sit propemodum articulus fidei, cui non summa cum celebritate recolendo dies aliquis sit dicatus? quid signa? quid **simulachra**? quid habitus? quid gestus sacerdotum, præcipuè sacris operantium? quid varij **ritus**, & cæremoniæ? quid omnia illa, quæ geri cernimus in Ecclesia? quid sibi volunt? quid, nisi quòd modò non edita voce clamant, quòd sicut scriptis, & sermonibus, ita dierũ obseruationibus, signis, & omni cæremoniarum genere nihil aliud grandi cum fiducia prędicamus, nihil aliud scire nos iudicamus, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum: quòd in hoc solo, in solo passionis, crucis, & mortis eius merito, spem omnem & fiduciam defigendam esse docemus. Hic est scopus, ad quem hæc omnia referuntur.

*1.Corint.2.*

*1.Cor.3.*

*1.Ioan.2.*

Ex quo liquidò, perspicueq; cognosci potest, quòd licet nõ omnes fortassis ex ijs, qui per quadringentos hos annos scripserunt, aurum, argentum, lapides pretiosos, verùm alij lignum etiam & stipulam ædificauerint, tamen fundamentum, super quod ædificauerunt, nemo posuerit aliud, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, Dei & hominũ mediator, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam totius mundi. Quòd si vnquam alias, hoc vel maximè tempore videtur mater Ecclesia verbis illis rectè conqueri posse, quæ leguntur in Canticis: Filij matris meę pugnauerunt contra me. Qui sunt enim illi, nisi qui per grauem calumniam ab ea, quæ Christi corpus est, quàm plurimos auellere laborant? qui ignorati Christi, neq; agniti Euangelij matrem Ecclesiam arguunt? qui non verentur etiam horrendum idololatriæ crimen impingere? quinam alij, quàm filij quondam eius, fratres non ita pridem nostri: rectè vt de illis dici possit: Inimici hominis, domestici eius: & quod ab alio Propheta scriptum est: Et fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce. Et iterũ ab alio Propheta: Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem, quodq; apud eundem in alio Psalmo reperitur: Si inimicus meus maledixisset mihi,

*Ecclesiæ querelæ contra hæreticos.*
*Cant.1.*

*Hier.12.*

*Michææ 7.*
*Psal.50.*
*Psal.54.*



mihi, sustinuissem vtique: & si is qui oderat me, super me maligna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu. Ante triginta hos annos ambulauimus cũ consensu in illa domo Dei, in qua non facit habitare Deus, nisi vnanimes. Fuit vna fides, vnum baptisma, terra fuit vnius labij, multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: ad quod faciendum iterum atq; iterum repetendo, atq; obsecrãdo nos Paulus admonet. Idipsum dicebamus, idipsum sentiebamus, idem sapiebamus, vno ore honorificabamus omnes Deũ & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Sed non potuit ferre sathanas consensum hunc piorum, qui cùm sit mendax, & mendacij pater, hæc tam apertè falsa de matre Ecclesia cõfinxit, quòd alia ratione se gregem Domini dispergere posse non videbat. Verùm quid in eo ipso loco subiungit scriptura de ijs, qui consensum hunc piorum, & vnanimitatẽ rumpunt? Veniat inquit, mors super illos, & descendant in infernũ viuentes. Legimus hoc euenisse Chore, Dathan, & Abiron, qui schismatis auctores facti, quoniam seorsum à Mose sacrificare volebant, viui descenderunt in infernum, operti humo. Verùm & ijs, qui nostro hoc æuo segregauerunt semetipsos, idem propemodum hoc accidere videmus. Etsi enim terra illis non dehiscit, tamen, quod est in prouerbio, viui, videntesq; pereunt. Neq; enim illi non intelligunt vana esse, de quibus Ecclesiam insimulant, sed studio contentionis eò progrediuntur, vt videntes non videãt, audientes non audiant, neq; intelligãt. Quin quod nobis impingunt, id in reprobum dati sensum, ipsi faciunt. Quæcunq; enim Spiritui sancto per os Ecclesiæ statuere visum est, ad illustrandam mediatoris Christi fidem, & ad eius beneficia omnibus inculcanda, hæc isti prorsus euertere sunt conati. Nam obseruationem dierum, quæ non ex Iudaica superstitione inducta est, verùm vt quorum mẽtes terrenis adhuc desiderijs implicantur, & seculi curis impediuntur, vel ex interuallo tamen ad diuinorum beneficiorum contemplationem respirent, ieiuniorumq; tempora, præcipuè sextæ feriæ, quando Christi passionis admonemur, & illi nos quasi compati velle declaramus, risu & cachinnis omnia prosequuntur. Porrò simulachra crucifixi, quæ terrori sunt dæmonibus, ne quid esset, quod eorum oculos offenderet, quibus cum non vnum se salismodium comedisse gloriantur, non è vijs & compitis modò, verùm etiam è templis ipsis eiecerunt, vt ne qua tanti beneficij memoria superesset. Benedictionum vsum, quæ per signum crucis fiunt, quò nos per crucem à maledicto liberatos palàm facimus, habẽt ludibrio, neq; ferre possunt, vt per verbum Dei signo crucis vlla creatura sanctificetur. Pensum quoq; precum, quas horas canonicas vocant, sustulerunt: Et quæ res in terris est vna omnium sacratissima, maximè venerandum illud sacrificium, quod Missam vocamus, vbi summa cum pietate simul omnia Christi beneficia recoluntur, & sub aspectum eorum, qui intersunt fidelium subijciuntur, diabolo suggerente, quòd ipsi apertè profitentur, & præ se ferunt, abrogarunt: neq; metuunt idololatram pronunciare, si quis ei sacrificio, quod in ara crucis pro nobis Christus obtulit, cuius in Missa memoria quædam fit & repræsentatio, remissionem peccatorum acceptam ferat, ac vt fructum illius ad se redundare faciat, Deum Patrem per ipsum, qui pro nobis factus est sacrificium, filium deprecetur. Adeò quicquid ad crucem pertinet, id eorum oculi ferre non possunt. Neq; mirum, cùm non aliud sit scutum, in quo maligni sagittas extinguere liceat, præter signum crucis: quo cùm semel victi sunt per eum, qui pro nobis in cruce pependit, horrent illud dæmones, & eo viso statim in fugam conuertuntur: quorum instinctu fieri ab istis hæc omnia, vt euacuetur crux Christi, manifestius est, quàm vt dubitari queat.

*Schismatorum.*
*Psal.67.*
*Ebes.4.*
*Gen.11.*
*Acto.4.*
*Philip.3.*
*1.Cor.1.*
*Rom.15*
*Ioan.18.*

*Schismatis pœna.*
*Num.16.*

*Hæreticorum malignitas.*
*Esa.6.*
*Matth.13.*
*Hæretici obscurant fidem, & beneficia Christi.*
*Dierum obseruationis causa.*

*Lutherus.*

*2.Timo.4.*

*Ephe.5.*

Hic homo Christianus expendat ipse, atq; intra se tacitus conferat, quæ tot seculis ab Ecclesia facta sint, vt non scriptis & sermonibus modò, verumetiam dierum obseruationibus, signis, imaginibus, gestu, habitu, varioq; ritu & cæremonijs, Christi beneficia quamlibet etiam rudium pectoribus imprimerentur, atq; ea, quæ credere necesse est ad salutẽ, quasi præmansus ori cibus inserentur: quæ contrà facta sint à filijs alienis hoc infelici æuo nostro ad illa omnia subuertenda, & eorum memoriam ex animis hominum prorsus euellendã: non modò falsa esse intelliget, quæ tam impudenter isti de Ecclesia commenti sunt, verum in eos ipsos multò verius retorqueri posse cognoscet. Sed nos quærimoniam hanc missam faciamus, & eò, vnde deflexit oratio, redeamus. Hoc igitur constitutum iam sit, quod à matre nostra Ecclesia docti sumus, vnum esse mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, extra cuius fidem, neq; fuerit adhuc salutem quisquam consecutus, neq; consequetur deinceps vnquam. Nam sicut qui præcesserunt Christi passionem, non nisi per illius futuræ, ita qui sequuti sunt, non nisi per illius præteritæ fidem salui facti sunt, & fient. Huc pertinent omnia illa, quæ in symbolo continentur, breuibus per nos, iuxta dierum anni vertentis obseruationem commemorata.

*Fides sub lege & sub gratia.*

## *Quæ sit vis huius articuli, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.*

## CAPVT XIIII.

SED nunquid hæc ita credere satis est? an alia præterea requiruntur, quæ nisi quis crediderit, saluus esse non possit? Est vnus articulus in symbolo cumprimis necessarius, quem qui credit, iam cuncta credit ad salutem necessaria. Hic ille est, quo nos credere profitemur, sanctam Ecclesiam catholicam: quam ex nostris animabus constructam domum esse dicit Chrysostomus. Quam describit Augustinus, ex multis animabus vnam ciuitatem habentium vnam animã, & cor vnum in Deum: quæ vnitatis nostræ perfectio post hanc peregrinationem futura est. Et alio loco dicit eam esse populum sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium, quæ Ciui

*Ecclesia vnde constructa.*

*Chrysost. hom. 10. in Epist. ad Ephes.*
*Genes.7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De bono coniugali. cap.18.* tas corpus est Christi, cui caput est Christus, Hanc qui credit, non hoc solum credit esse
*In Psal.50.* Ecclesiam, quod credunt hæretici quoque, & schismatici : sed simul credit, extra illam, sicut olim extra arcam Noe, salutem non esse : credit vera esse omnia, quæ in scripturis omnibus Canonicis ab illa receptis, scripta continentur: credit illam Spiritu sancto congregatam per eundem conseruari, & gubernari. Quo duce cùm regatur, credit simul eam errare non posse. Quamobrem sanctissimam hanc parentem suam, ea, qua decet pietate veneratur, illi se permittit, illi credit, illam audit, illam secundum Deum ipsum veretur, quæ de diuinis rebus ipsa sentit, sentienda, quæ de humanis præscribit, facienda, quæ prohibet fugienda esse, sine vlla dubitatione censet. Huius articuli tanta vis est, vt si quis hebetioris ingenij cætera non possit assequi, verùm hoc tantum cum Paulo profiteatur, se scire Iesum Christum, & hunc crucifixum, deinde se credere sanctam Ecclesiam Catholicam, vel hoc ad salutem illi sufficere queat. Neq; enim qui doctrina, sed qui pietate cæteris præstat, is est regno cœlorum propinquior. Ignorare pleraque melius est, sicut præclarè scripsit Tertullianus, ne quid, quod non debeas, noris, quia quod debeas, nosti. Fides tua, dicit Christus, te saluum fecit, non exercitatio scripturarum. Nihil scire, omnia scire est. Et eius æqualis Clemens presbyter Alexandrinus : Fides, inquit, non sapientum secundum mundum, sed eorum, qui secundum Deum sunt sapientes, est possessio. Illa autem etiam absque literis discitur. Eius autem scriptum, quod ad rudes, ignarosq; homines pertinet, & est diuinum, vocatum est Charitas, quæ est decretum spirituale. Et eos sequutus Hilarius: Habet, inquit, non tam veniam, quàm præmium ignorare quod credas : quia maximum fidei stipendium est sperare, quæ nescias: Et Cyrillus Hierosol. In his, inquit, quæ de Deo dicuntur, hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. Ante quos etiam Irenæus: Melius est, inquit, nihil omninò scientem quempiam credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quàm per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere. Et alio loco: Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus, à blasphemo & impudente sophista. Quamobrem Scribas, ad quos percontatum Herodes miserat vbi Christus nasceretur, alloquens Leo Pontifex : Felicior, inquit, est ignorantia infantium quos persecutor occidit, quàm vestra scientia, quos in sua perturbatione consuluit. Vos noluistis regnum eius recipere, cuius oppidum potuistis ostendere: Illi potuerunt pro illo mori, quem nondum poterant profiteri. Huc etiam spectare videntur illa Philonis verba, qui fuit omnibus his antiquior: Omnis motus absque diuino fauore damnosus est. Et præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quàm ad cœlum à seipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut plurimis sophistis contigit, ratis sapientiam inueniri per rationes probabiles, & non per fidem in rebus certissimam. Non ergo qui quamplurima memoriter è scripturis, plerunque etiam Psittaci more non intellecta recitat, sed qui quæ scripta sunt opere complere studet, is est, de cuius salute sperandum est maximè: cùm pietas diuina non attendat, quanta cognitione credatur, sed magis quanta deuotione, quod creditur diligatur, sicut ab Hugone scriptum legimus. Cuius etiam æqualis Bernardus quæritur de eo, quòd multi quærunt scientiam, pauci verò conscientiam, cùm sit vtilius currere ad conscientiam, quàm ad sapientiam, nisi sapientia sit, quæ ædificet conscientiam : Quos sequutus Ioannes Gerson : In die, inquit, examinis nouissimi, non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noster acutus & eruditus, sed qualis fuerit affectus noster ad Dominum Deum nostrum, hoc est, quàm simplex, quàm rectus, quàm pius, humilis & deuotus, quàmq; spontaneus, & fidelis in Dei seruitio. Ante quem Augustinus. In die Iudicij non damnor, quia dicam nesciui naturam creatoris mei: Si autem aliquid temerè dixero, temeritas pœnam habet, ignorantia veniam promeretur. Et alio loco: Melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Scientia enim inflat, charitas ædificat. Surgunt indocti, dicit idem alio loco, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine. Gregorius quoque Pontifex: Nulla est scientia, si vtilitatem pietatis non habet, & valde inutilis pietas, si scientiæ discretione caret. Præclari, quamuis Leonini, versiculi leguntur apud Bonauenturam, Hoc est nescire, sinè Christo plurima scire. Qui Christum benè scit, satis est, si cætera nescit. Hoc est autem sine Christo plurima scire, sine corpore Christi, sine ea, quæ columna, & firmamentum est veritatis, Ecclesia: ab ea se per summum sacrilegium separare: priuatum suum iudicium, illius iudicio anteponere : proprium & singulare suum, non autem communem illius sensum & consensum sequi.

*Fides præfertur scientiæ. 1.Cor.2.*

*Tert.li. de præscriptionibus aduersus Hæreticos.*

*Clem.lib.3.pedagogi,cap.11.*

*Hil.li.8.de Trinit.*

*Cyrill.cath.6.*

*Iren.lib.2.ca. 43.*

*Lib.5.*

*Sermo.2.de Epiph.*

*In lib. de migratione Abrahami.*

*Deus quid in nobis attendat.*

*Hugo li.1.parte 10. ca.6.de Sacramentis.*

*Gerson in libello, An Monachus pro studio possit negligere diuina.*

*Consideratione 9.*

*In die Trinit.ser.1.*

*Aug.de verbis Apostoli.ser.20.*

*1.Cor.8.*

*Idem lib.8.confess. cap.8.*

*Li.1.moral.c.16.*

*In Col.de Contemptu seculi.*

Quapropter ei, qui est ex minoribus, hoc est, cui munus alios docendi non incumbit, posteaquam ea crediderit, quæ de Patre, quæ de Filio, quæ de Spiritu sancto nudis verbis in symbolo sunt expressa: satis est, si de reliquis ea se credere profiteatur, quæ credit sancta Ecclesia catholica, etiam si nullam de illis explicitam fidem habeat. Atque hic est articulus, quo præcipuè descernuntur à Catholicis hæretici & schismatici, qui si crederent sanctam Ecclesiam Catholicam, nulla hæresis, nullum esset schisma, Crediderunt omnia Nouatiani, quæ in symbolo, quæqúe in scripturis Canonicis continentur : crediderunt Pelagiani : crediderunt Donatistæ : crediderunt & alij multi hæretici : neque cum illis aut de symbolo, aut de scripturis vlla fuit Catholicis controuersia : sed quia sanctam Ecclesiam Catholicam non crediderunt, inde tot hæreses, tot schismata, tot sectæ tam dissectæ, non prioribus modò seculis, verùm & hoc nostro conflatæ sunt. Nam si crederetur sancta Ecclesia Catholica, non ab ea discederetur, neque sibi quisquam sumeret, vt suo potius priuato, quàm illius spiritu, scripturas interpretari vellet. Hanc igitur mordicus tenea-

*Hæresium fons. Catholicos ab hæreret. quid discernat.*



teneamus, quodq; ab ipsis Apostolorum temporibus vnanimiter ab omnibus obseruatum esse summo Christianorum omniũ consensu constiterit, de eo dubitare nefas esse putemus. Neq; nos vlla ratione de eo deduci patiamur, etiamsi, quemadmodum ipse per se Christo quondam, ita per sua membra Sathanas millies nobis dicat: Scriptum est enim. Non illi se transfiguranti in angelum lucis, atq; ouium vestimentis induto, verùm Ecclesiæ credamus, quæ nunquàm sancti Spiritus magisterio destituitur, quem se missurum illi Christus promisit, qui suggereret illi, qui doceret illam omnem veritatem, qui cum illa maneret in æternũ. Suus quemq; priuatus spiritus fallere potest, cùm scriptũ sit: Vę Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident : Ecclesiæ spiritus nunquàm fallere potest. Illius itaque definitionibus pareamus: illius, non priuato nostro spiritu, scripturas esse nobis interpretandas existimemus. De quibus nobis, qui per Dei gratiam Catholici sumus, qui cum Cypriano gloriari possumus, quòd non nos ab illis, sed illi recesserunt à nobis, nulla est cum nouatoribus huius temporis controuersia: De intelligentia hæresis est, non de scriptura: sensus, vt est apud Hilarium, non sermo fit crimen. Neque in legendo, sicut scribit Hieronymus, sed in intelligendo scripturæ consistunt. Non in scripturarum verbis Euangelium est, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis.

*Matt.4. 2.Corin.11. Matth.7. Iohn.14. Ioan.16. Ezech.14.*

*Cyp. de Vnitate Ecclesie Catholicæ.*

*Hil.li.2. de Trinit.*

*Hiero.contra Lucifera.*

*Idem in.1.c.ad Gal.*

Quamobrem æquum non est, quod priuato suo iudicio rectum sentit aliquis, id totius vt Ecclesiæ sensui, & cõsensui anteponat: & quæ sunt in œcumenicis Cõcilijs rectè cõstituta, ea in dubium reuocari velit: Quin ea nos mente potius esse præditi debemus, vt in ijs, quæ didicimus, permanendum nobis esse putemus. Didicimus enim ab ea, quæ firmamentum est, & colũna veritatis, Ecclesia: quod in illius interpretatione, diffinitioneqúe nos acquiescere, neque fluctuare, atque omni doctrinæ vento circumferri oportet. Quod Paulus Timotheum hortatus est, id sibi quisque nostrum dictum existimet, quicunque veri Dei verus cultor censeri vult: depositum vt custodiamus, ac deuitemus prophanas vocum nouitates, quas vniuersitati, quas antiquitati, quas consensui sanctæ Catholicæ contrarias esse constat: Quæ si reciperentur, necesse foret, vt fides beatorum patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violaretur : vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, leuitæ, sacerdotes, tot confessorum millia, tantus martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, prouinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremò iam penè terrarum orbis, Christo capiti per Catholicam fidem incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, quid crederet nescisse, quodqúe dictu est abominabile, idola coluisse pronunciaretur. Quod credere, quid aliud fuerit, quàm euacuare crucem Christi? quàm abolere, obliterare, irritum reddere beneficium illud immensum passionis & mortis Christi? Quid enim? an non iure merito nobis quoque dicere liceret, quod Galatis quõndam dixit Paulus: Si seipsum tradidit Christus pro Ecclesia, neque tamen sanctificauit illam, neque sanguis illius eam ab operibus mortuis, præcipuè verò ab idololatria emundauit, ergo gratis Christus est mortuus? Quis enim incarnationis, quis crucis, quis mortis illius fructus est, si cuius causa tulit hæc omnia, sponsa ipsius Ecclesia, mater omnium fidelium, in idolorum cultu perstat nihilominus? si versatur adhuc in ignorantiæ tenebris? Vbi illa Christi promissa? Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis: sed verum est, quod dicit veritas : falsum est, quod mentita est iniquitas sibi. Non destituit corpus suum Ecclesiam caput ipsius CHRISTVS, necaut defuit illi, aut deest, aut deerit vnquam sanctus Spiritus, qui viuificet, qui vegetet, qui doceat illam omnem veritatem, qui regat, & gubernet, nullum vt in errorem aliquando labi potuerit, aut possit. Præclara sunt Ambrosij verba. Nouerimus, quia non sine discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores ociosa disputatione contendas. Itaque iure meritò Gregorius Nazianzenus exclamat in eiusmodi

*2.Cor.1.*

*Gal.2.*

*Matth.28. Ioan.14.*

*Psal.26. Amb.serm. 93.*

*Epist.2. ad Cledonium.*

Ἐπὶ τοσαύτῃ τὴν ἀποκεκρυμμένων μυστηρίων σήμερον καταγγέλλεται φῶς ὁ δὲ δάκρυόν ἄξιος. Εἰ γὰρ πρὸ τριάκοντα ἐτῶν ἡ πίστις ἤζητο, τετρακοσίων σχεδόν ἐνδον γεγονότων ἀφ' οὗ χριστὸς πεφανέρωται, καὶ ὃν οὐκ ἦν τοῦτο χρόνῳ τὸ εὐαγγέλιον ὑμῖν, καὶ ἡ πίστις ἡμῶν ἐν μάτην μὲν οἱ μαρτυρίσαντες ἐμαρτύρησαν, μάτην δὲ τὸ λαὸ προέκηπαν οἱ προφῆται καὶ τηλικοῦτοι προφῆται.

Quod ita Latinè reddi potest. Proh Deum immortalem, quænam hæc est absurditas? Nunc demum eam sapientiam, quæ tot seculis post natum Christum fuit abscondita, nobis annunciant. Cui rei cũ lachrymis indolendum est. Nam si à 30. his annis fides initium sumpsit, cum 400. ferè anni intercesserint, ex quo Christus manifestatus est, inane fuit per omne tempus hoc Euangelium nostrum, inanis fuit & fides nostra, frustra tot adierunt supplicia S. Martyres frustra tot populo præfuerunt tales, ac tanti Antistites. Ad eundem autem modum Tertullianus quoque. Quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt quoquo modo sit erratum, tandiu vtiq; regnabit error, quandiu hæreses non erant. Aliquos Marcionistas, & Valentinianos (possemus nos mutatis nominibus dicere Lutheristas, & Caluinianos) liberanda veritas expectabat. Interim perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.

*Vocum nouitates vitandæ.*

*In lib.de præscriptionibus aduersus hæreticos.*

Seri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Scripturæ ne magis, an Ecclesiæ testimonio sit credendum.*

## CAPVT XV.

SED hic dicet aliquis, extenuari Dei verbum, eius auctoritati detrahi, maiestatemq; diuinorum oraculorum obscurari, cùm tantum Ecclesiæ tribuitur. Vocatur in disceptationem hoc tempore, scripturæ ne magis, an Ecclesiæ testimonio sit credendum. Quæ planè videtur inutilis esse contentio. Nam hoc quærere, quid aliud est, quàm quærere magisne credendum sit Spiritui sancto loquenti per os Ecclesiæ, an eidem Spiritui sancto loquenti in scripturis per literas amanuensium suorum Prophetarum, & Apostolorum? Omnis veritas à spiritu sancto est. Ille est enim, qui docet omnem veritatem. Vt rectè dictum sit à S. Marco Eremita. Quòd veritas non loquentis, sed operantis Dei est. Cùm autem Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis, æquè à Spiritu sancto illius, atq; scripturarum est veritas: cum præsertim, qui docet illam omnem veritatem, vel ipsa veritate attestante, sit Spiritus sanctus.

*Ioan. 16.*
*1. Timo. 3.*
*Marcus Erem. de lege Spirituali. cap. 168.*

Quin tamen prior sit auctoritas Ecclesiæ, quàm scripturæ, negari non potest. Multis ante seculis, quàm hæc verba scripta fuerunt: Dic Ecclesiæ, qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquàm ethnicus & publicanus: non fuit obscura Ecclesiæ & natura, & auctoritas: quæ cum fuerit antiquior, quàm vniuersa non modò noui, verum & veteris testamenti scriptura, creditum est illi sine omni scripturarum præsidio. Apud quoscunque fuit fides mediatoris, apud eos Ecclesiam fuisse, quatenus ab illa se non præciderunt, dubium non est. Constat autè Adam, Abel, Seth, Enoch, & cæteros deinceps Patriarchas, ac Prophetas fidem habuisse mediatoris, quem signis etiam, sacrificijs, cæremonijs adumbrabant. Ex illo itaq; tempore cœpit Ecclesia, quæ nunquàm vna & eadem esse desijt, iuxta seriem successionis, continuata ab orbe condito vsque ad nos, vsque ad seculi consummationem duratura. Scriptura verò multis fuit seculis posterior, quam ante Moysen nullam fuisse palam est, inter quem & primum hominem creatum, annorum duo millia trecenti septuaginta tres intercessisse putantur. Nouæ quoque legis scripturam, ea, quæ Christum passum, & mortuum est consequuta, præcessit Ecclesia. Quin & inter alia visum est inter legem veterem & Euangelicam hoc interesse, quòd illam in tabulis lapideis Moses consignauit, hanc verò Christus in animis hominum, in visceribus, & in corde bus eorũ, sicut ab Hieremia prædictum erat, inscripsit. Nemini obscurum est, Christum nihil ipsum scripsisse, sed neque scribendum quicquam Apostolis præcepisse. Nam vt euntes docerent omnes gentes, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, mandasse Christum legimus: vt autem scriberent, mãdatum nullum inuenimus. Quam etiam ob causam hæreticos nonnullos Euangelijs credere noluisse, scribit Augustinus. Quin etiam hæc ipsa vox, Euangelium, traditionis est, non scripturę. Quid enim aliud significat Euangelium, quàm lętum & bonum, optatumq; nunciu m? nimirum redemptionis nostræ peccatorum remissionis, & obtentę salutis ęternę, quę passim annunciabatur & prędicabatur omnibus: neq; tamẽ vlla ea de re scriptura extabat totis annis octo post Christi in cœlos assensum. Qui cùm interc essissent, tum primum, quę de Christo Matthęus tradiderat scripto mãdasse legitur: quemadmodum ex Eusebij Chronicis colligere licet. Quem posteà sequuti sunt Marcus, & Lucas, quorum neuter Christum vidisse, sed Marcus ea, quę de Christo Petrus viua voce prædicauerat, scriptis consignasse, Lucas autem Euangelium suum ex ore Pauli scripsisse dicitur. Ioannes verò per annos sexaginta quinque à Christo mortuo Dei verbum, sicut Augustinus testis est, absque adminicule scribendi vsque ad vltima Domitiani tempora prędicauit.

*Scriptura à Mose sum sit exordium.*
*Moysis ætas.*
*Legis veteris, & nouæ discrimen.*
*Exod. 34.*
*Hier. 31.*
*Matth. 28.*
*Marc. 16.*
*Li. 2. Retra. c. 16.*
*Euangelium quid.*
*Euangelium quando scriptum.*
*Euseb. lib. 3. ca. 24.*
*Iren. lib. 3. cap. 1.*
*Cont. Valent.*
*August. in prolog. Euangelij secundum Ioan.*
*Mar. 14.*

Ex quo satis liquet, quòd prior est Ecclesia, prior est illius traditio, prius est Euangelium, quàm scriptura. Dixerat Christus: Amen dico vobis, vbicunq; prędicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, & quod fecit hęc, narrabitur in memoriam eius: At quo tempore dixerat hęc Christus, de scribendo Euangelio ne cogitasse quidem videtur Matthęus, aut quispiam Euangelistarum. Habuit nihilominus auctoritatem suam illius temporis Ecclesia, non à scripto, sed viuo Euangelio, hoc est, viua voce tradito & prædicato. Sed nos tamen libenter assentimur, eius temporis Ecclesiam, quæ scripturam est sequuta, ab eadem scriptura suam auctoritatem habuisse, & habere. Illa enim nos docet, quòd instruatur à Spiritu sancto: illa nos docet, quòd sit columna & firmamentum veritatis, & quòd etiam inferorum portæ non præualebunt aduersus eam: illa nos docet, quòd qui non audierit Ecclesiam, sit habendus tanquàm Ethnicus, & Publicanus. Sed videant interim, qui nomen Ecclesiæ ferre non possunt, qui tantoperè cupiunt auctoritatem eius eleuatam, ne, qua ratione constitutam volunt scripturarum auctoritatem, ea in contrarium illis recidat, atque magis ad euertendam, quàm ad stabiliendam illam pertinere videatur. Quantum enim de Ecclesiæ fide imminuerint, tantum de ipsorum Euangeliorum auctoritate, detractum iri, dubium non est. Nam vnde illi scire possunt Euangelij scripturam hanc esse Matthei, aut Marci, aut Lucę, aut Ioannis? Certè nõ aliundè, nisi ex Ecclesiæ testimonio: cui si nõ sua tribuetur auctoritas, nulla erit eorum quæ scripta sunt ab Euangelistis, auctoritas. Illa enim nos docuit, vera esse quatuor hæc Euangelia: Nam hoc scriptura nulla probatur, sed sola Ecclesiæ traditione: cui tantum tribuit Augustinus, vt non dubitãter diceret, Euangelio nõ crederem, nisi me commoueret auctoritas Ecclesiæ. Hæc est enim, quæ nos inter scripturas iudicare, quæ canonicam à non canonica discernere docuit. Marcus Christum nõ vidit, vidit Nicodemus: Ecclesiæ tamen auctoritate commoti, atque ab illa edocti, recipimus Marci, reijcimus Euangelium Nicodemi. Quid igitur aliud agitur extenuanda Ecclesiæ auctoritate, quàm quòd maiestas diuinorum oraculorum obscuratur, quodque auctoritas omnis illis detrahitur?

*Ecclesiæ, & scripturæ auctoritas.*
*Ioan. 16.*
*1. Tim. 3.*
*Matth. 16.*
*Matth. 18.*
*Euangelia ex Ecclesiæ testimonio.*
*Aug. tom. 6. contra Epist. fundamenti cap. 5.*

Sed



Sed libet hac de re, Ioannis Gersonis, viri cùm docti, tum pij sententiam adscribere. Scripsit is libellum cùm primis lectu dignum, de examinatione doctrinarum: in eo tractans materiã hanc, Durandum à Sancto Portiano sequutus auctorem sic loquitur: Quamuis ab initio militantis Ecclesiæ, quæ componebatur ex Apostolis, & immediatis successoribus, nouiter & certitudinaliter à Christo doctis, de multis, quæ non sunt scripta, plus esset credendum auctoritati talis Ecclesiæ, quàm Euangelio cuicunq;, priusquàm esset ab eo receptum, vel auctorizatum: Nihilominus post approbationem, & auctorizationem quatuor Euangeliorum per dictam Ecclesiam, plus esset credendum Euangelio, quàm alteri cuicunq; humanæ auctoritati. Non dicitur quàm totius Ecclesiæ, quoniam illa est auctoritas Dei, & Euangelij, nec potest errare in fide legestante.

*Gers. Par. 1. cõs. 5.*
*Durand. in 3. sent. dist. 14. q. 1.*

*Quòd Euangelio credimus, non tanquam hominis testimonio, sed tanquàm intus loquentis Dei voci.*

## CAPVT XVI.

SED hic iterum dicet aliquis: Ergo tu me iubes Euangelio credere tanquàm hominis testimonio, & non tanquàm intus loquentis Dei voci: vis vt accipiã Dei verbum ex humana traditione, & non ex infusa desuper fide? atqui contrariũ me docet Paulus, cùm dicit: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Sed & Christus ad Petrum: Beatus es, inquit, Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Iterum Paulus gloriatur, quòd non ab homine acceperit Euangelium, sed ex reuelatione Iesu Christi. Nos verò libenter concedimus, accipienda esse Euangelia, vt verba Dei intus docentis & reuelantis, neq; credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis. Sed illud interea scire oportet, ne quis erret, quòd Deus multifariam, multisq; modis loquutus est olim patribus, ac nunc etiam loquitur filijs: Loquutus est per Prophetas, quemadmodũ vnus ex illis testatur, dicens: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: loquutus est per angelos, sicut in Genesi, apud Zachariam, & in Euangelio videre licet: loquutus est per filiũ suũ incarnatum, loquutus est per Apostolos: loquutus est, & loquitur etiã nunc per Ecclesiã, cui dixit Christus: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

*Euangelium verbum Dei.*
*Ephe. 2.*
*Matth. 16.*
*Gal. 1.*
*Hebr. 1.*
*Psal. 44.*
*Gen. 18.*
*Zach. 2.*
*Luc. 2.*
*Matth. 10.*

Quando igitur scripturam hanc esse reuelatam à Deo, nos adductos Ecclesiæ auctoritate credere profitemur, hoc affirmare videmur, quod Spiritus sanctus, qui docet Ecclesiam, qui loquitur per os eius, docet nos, quod scriptum est à Matthæo, non esse vocem hominis, verùm intus loquentis Dei: contra, quod scriptum est à Nicodemo, non Dei, sed hominis vocẽ esse. Atq; ita omnis auctoritas & scripturarũ & Ecclesiæ nõ est aliunde, nisi à Spiritu sancto, à quo etiã est veritas omnis, par vt sit auctoritas vtriusq;. Scriptura sortitur auctoritatẽ ab Ecclesia, quatenus ab illa planum fit omnibus, hanc & non aliam esse scripturam canonicam. Rursus, Ecclesia accipit auctoritatem à scriptura, quatenus illa testificatur, quod suggerit illi Spiritus sanctus, quòd docet illam omnem veritatem, quòd nunquàm illam destituet, sed manebit cum illa in æternum, quòd portæ inferi non præualebant aduersus eam: Quo nomine vocat etiam eam columnam, & firmamentum veritatis: & qui nõ audierit illam, eum haberi vult pro ethnico & publicano.

*Scripturæ, & Ecclesiæ par auctoritas.*
*Ioan. 14.*
*Ioan. 16.*
*Matt. 16*
*1. Tim. 3.*
*Matt. 18.*

*Quòd scriptura nihil est certius, quòdq; certus ex ea sensus elici possit.*

## CAPVT XVII.

QVòd verò certi aliquid è Scripturis elici non possit, hoc nemo dixit vnquam Christianus: quin illud etiam indubitatum habet Ecclesia, nihil esse scriptura certius. Est enim diuinitus inspirata, neq; voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Quamobrem adeò firmiter habuit persuasum semper Ecclesia, nihil scriptura neq; verius esse, neq; certius: vt & quæ auribus audiuntur, & quæ oculis videntur, & quæ manibus contrectantur, ea non æquè certa iudicet, atq; illa, quæ in scripturis continentur. Hinc est, quòd in venerabili Eucharistiæ sacramento non oculis fidelium quisquã, non gustũi, non tactui credit, sed credit verbo Dei dicentis: Hoc est corpus meum. Dicat Zuuinglius, dicat Oecolampadius, dicat Caluinus, hoc significat corpus meum, aut hæc est figura corporis mei, non credit Ecclesia, nisi Christo in Euangelio dicenti, hoc est corpus meum. Tanta est apud illam scripturæ certitudo: Cœlum & terram transitura citius credidit, quàm vt vel hæc, vel alia quæuis illius verba pessum ire queant.

*Scripturæ certi tudo.*
*2. Timo. 3.*
*2. Pet. 1.*
*Matth. 26.*
*Luc. 21.*

Sed quin è scriptura, quæ ipsa vera est & certa, falsus elici sensus queat, quis est, qui ire inficias audeat? cùm de ijs ipsis tribus verbis hoc ipsum factum esse, infelici hoc æuo nostrò videamus. Nam cùm planam, apertam, & omnibus expositam scripturam esse velint, sicut certè in ijs verbis, vel ipsa luce clarior est, modò captiuet aliquis intellectum suum in obsequiũ Christi, tamen inter ipsos etiam Zuinglianos, decem sectas de tribus his verbis natas esse testatur nostri temporis hæresẽon architectus. Non quòd certum sensum ex eis pridem Ecclesia non elicuerit, sed quòd non defuerint, quibus non placerent, nisi singulares intellectus. Sicut à Cyrillo quoq; scriptũ legimus, quòd omnes hæretici de scriptura diuinitus inspirata sui colligunt erroris occasiones, ea quæ à Spiritu sancto rectè dicta sunt, sua malitia corrũpentes, & super sua capita flammam inextinguibilem haurientes.

*Scripturæ sensus ab hæreticis depraua tur.*
*2. Cori. 10.*
*Luth. lib. 1. contrà Zuinglium.*
*Cyril. Epist. 28.*
*Hil. cont. Const.*
*Epiph. in ep. ad Iob.*
*Hieros. de Origine.*
*Et in cap. 23. Hier.*

Sic ex alijs Christi verbis, Pater maior est me, certũ sensum elicuit Ecclesia: quæ quatenus exinaniuit semetipsum Christus, formam serui accipiens, in similitudinẽ hominũ factus, & habitu

*Ioan. 14.*
*Philip. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



habitu inuentus vt homo, maiorem eo patrem fuisse confitetur: quatenus autem in forma Dei est, Deus ipse & Dei filius, æqualem eum esse patri asseuerat. Verùm Arrio non satisfecit hic Ecclesiæ sensus, singularem suum intellectum attulit, ac per omnia patrem esse filio maiorem asseuerauit. Si quis explicare conatus esset, qua parte inferior, qua parte filius esset æqualis patri, tanquam humanas traditiones afferentem prorsus eum respuebat, neq; audiendum esse putabat, non aliò semper, quàm ad scripturas prouocabat, subinde & ipse vociferans, verbum Domini, verbum Domini: Euangelium, Euangelium. Ostendi sibi ab Athanasio postulabat, vbi scripta vox hæc Homousios in Euangelio reperiretur, quòd extra scripturas nihil esse recipiendum diceret: quemadmodum in ea disputatione videre licet, quã Arrium habuisse cum Athanasio, Vigilius Episcopus Tridentinus confinxit. Scribit autem hoc Athanasius etiam ipse in epistola quadam ad Afros, cuius etiam verba Theodoretus recitat: quòd ex non scriptis vocibus, piè tamen excogitatis Arriani condemnati sunt. Ipsi enim voces sui erroris extercore eruentes vti verè terrenos decebat, locuti sunt. Episcopi autem non suopte ingenio verba excogitantes, sed à patribus petentes testimonia sic scripserunt. Sic apud eundem Theodoritum, Eranistes cum Orthodoxo disputans: Ne mihi rationes, inquit, & humanas ratiocinationes adferas. Ego enim soli Diuinæ scripturæ fidẽ habeo. Sic Eutyches in Chalcedonensi cõcilio, solas se scripturas scrutari profitebatur, tanquàm firmiores patrum expositionibus: Et quærebat, In qua scriptura iacent duæ naturæ? A quo vicissim quæsitum est, quæ scriptura diceret Homousion. Cumq; ille diceret, Ego à sanctis scripturis non didici de duabus naturis, dixit Mamas vicissim, Neque de Homousio à sanctis scripturis edocti sumus, sed à sanctis patribus, qui scripturas & piè intellexerunt, & fideliter exposuerunt. Non ergo nulla est in scripturis certitudo, sed verum est, quod ab Hilario dictum est: Forma fidei certa est, sed quantum ad hæreticos, omnis sensus incertus est.

*Hæreticis ex scripturis colligunt sui erroris occasiones.*

*Athanas. in disputatione cum Arrio coram Probo iudice habita.*

*Lib. 2. de Trinitat.*

*Dialog. 1.*

*Actione 1.*

Certus est ergo scripturam sensus in Ecclesia; sed in priuati hominis intellectu tantò minor est certitudo, quantò suæ magis innitens prudentiæ suum admirans ingenium, atq; ideò semetipsum segregans, non Ecclesiæ, sed suum spiritum sequitur, dum singularem aliquem intellectum anteà in Ecclesia non auditum adferre conatur: Quod faciunt homines audaces, sibi placentes, qui sectas non metuunt introducere, dum nihil eis placet, quod receptum, & quod est Ecclesiæ iudicio comprobatum. Non itaque nutat verbum Dei in Ecclesia, neq; nihil è scripturis elici certi potest, sed quod de Paulinis epistolis dicit Petrus, esse in eis quædam intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem: hoc de cæteris quoq; scripturis rectè dici posse manifestum est. Neq; propterea dubitationis, & fluctuationis aculeus animis fideliũ infigitur, quòd è scripturis protulit sententias Arrius, quas ipse iudicauit inexpugnabiles, cum tamen Ecclesiæ auctoritate sint expugnatæ: sed ex eo potius discitur, in scripturis interpretandis non debere quenquam ingenio suo fidere, non debere suum priuatum & singularem, sed Ecclesiæ sensum, & consensum sequi. Sola namque illa est, sicut à Gregorio Pontifice verissimè scriptum legimus: in qua superna mysteria veraciter contemplamur. Vnde ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram. Et paulò pòst: Tollam manum meam, & videbis posteriora mea. Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur: in petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit: de qua soliditate Dominus dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et paucis interiectis: Hæretici autem, pro eo, quòd in petra stare contemnunt, transeuntis Domini posteriora non aspiciunt: quia extra Ecclesiam positi, incarnationis eius sicut sunt, mysteria non agnoscunt.

*Scripturarum certus sensus tantũ in Eccle.*

*2. Pet. 2.*

*2. Pet. 3.*

*Greg. li. 35. moral. cap. 4.*

## *Quòd non liceat ad suam cuiq; mentem scripturam accommodare.*

## CAPVT XVIII.

VERVM hic iterum quiritabuntur Martini, verbum nos ad Ecclesiam accõmodare velle, cùm Ecclesiam ad verbũ accõmodari potiùs oporteat. Quis aũt vnquam ira fuit ineptus, vt verbum ad Ecclesiam, nõ aũt Ecclesiã, ad verbum accommodandam esse diceret? Nos verò libenter cum Hieronymo confitemur, quòd non sensui nostro scripturas attemperare, sed scripturis iungere sensum nostrum debemus: quominus etiam ferre possumus, quòd ad Martinorum sensum accommodatur verbum, & secundum eorum dogmata Scripturæ torquentur, tantumq; tribui suo iudicio velle Martinos, vt id Ecclesiæ iudicio anteponant: quodq; dicit alio loco Hieronymus, de Euangelio Christi suum faciant Euangelium, aut quod peius est, Diaboli, cùm intelligentiam scripturæ absque Dei gratia & doctrina maiorum, imperitissimi quique sibi vel maximè vindicent. Quæstus est etiam aliquando Basilius, quòd veritatis deprauatores non suam scripturæ mentem accommodant, sed ad suam voluntatem mentem scripturarum trahunt. Hoc nos minimè ferendum existimamus, neq; fas esse cuiquam putamus, secundùm spiritum suum, aut, secundùm sensum humanum scripturas intelligere, cùm quo spiritu factæ sunt, eo legi desiderent, eo & intelligi velint. Quare cùm humanum esse constet Martinorum spiritum, fas non esse putamus, vt ad eorum sensum scripturæ torqueantur, verùm illum sensum retinendum esse censemus potiùs, quem tot seculis Ecclesiam tenuisse videmus. Glorientur Martini quantum volent de spiritu, quòd certò sciant se eum habere: gloriantur ad eundem modum, & Anabaptistæ, & Sacramentarij, & Suermeri. Nobis autem dubium non est, quòd sicut illi, sic & Martini spiritum habẽt, sed eum, de quo alter eorum non obscurè fert, quòd non vnum salis modum cũ illo comederit:

*Hæretici ad suam mentem scripturas accõmodari volũt.*

*Hier. in c. 10. Mat.*

*Idẽ in epist. ad Gal. cap. 1.*

*In lib. hexameron Hom. 2.*

*Bernardus ad fratres de mõte Dei.*

*Lutherus.*



derit: Hunc spiritum, dolenter quidem, sed concedimus illis tamen: verùm absit, quòd secũdùm illum interpretari scripturas velimus. Ecclesiæ sanctum spiritum esse promissum, & missum certò scimus, quo nunquàm destituitur, sed eo afflatur fouetur, vegetatur. Quare cùm illius mentem sequimur, non hominis, sed Dei mentem sequimur: neq; iuxta hominis, sed iuxta Dei sensum, per os Ecclesiæ loquentis, Dei verbum interpretamur.

Elaborandum est omnibus, vt scripturas eodem spiritu, quo scriptæ sunt, intelligere queant: sed non ideò spretis Patrum interpretationibus, aut Conciliorum definitionibus, quod ab hæreticis factitatum semper legimus, & nunc etiam fieri videmus, suæ quisq; debet inniti prudentiæ: cùm scriptum sit: Ne innitaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud temetipsum. Spiritus veritatis olim Ecclesiæ datus manens cum eadem vsq; ad consummationem seculi, cùm sit spiritus humilitatis, charitatis, vnionis, & pacis, non suggerit, vt reiectis Patrum interpretationibus, innitamur prudentiæ nostræ, neq; vt sepositis sacris literis, solis hominum commentarijs inhæreamus: sed suggerit, vt intellectum scripturarum, & è scripturis apertioribus, & à sacris interpretibus, & ex antiquis Ecclesiæ traditionibus addiscere studeamus.

*Patrum interpretationes & Conciliorum definitiones retinendæ.*

*Pro. 3.*

Quare qui verum è scripturis elicere sensum conatur, ei cauendum est imprimis, ne velit esse prudens apud semetipsum. Non alta sapientes, dicit Paulus, verùm humilibus consentientes. Noli altum sapere, sed time. Grauiter enim talibus per Prophetam comminatur Deus, dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vosmetipsis prudentes: Abhorret ab huiusmodi sanctus spiritus, qui non requiescit nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones suos. Quamobrem illud seruari oportet, quod beatus Clemens Petri successor admonet: vt cùm lex Dei legitur, non secundum ingenij proprij intelligentiam legatur, seu doceatur: Sunt enim multa in scripturis diuinis, quæ possunt ad eum sensum trahi, quem vnusquisq; sibi præsumit. Et ideò scripturarum intelligentiam oportet ab eo discere, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat. Quem sequutus Irenæus: Vbi charismata, inquit, Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, & id quod est sanum & irreprobabile sermonis constat. Hi enim & eam, quæ est in vnum Deum fidem nostram custodiunt, & scripturas sine periculo nobis exponunt. Hoc ipsum factum legimus à Gregorio Nazianzeno, & Basilio Magno, præcipuis Græcorum Theologis: de quibus in Ecclesiastica historia scribit Ruffinus, quòd cum omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dedissent, eorum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate, sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione regulam intelligendi suscepisse constabat. Et Gregorium Nazianzenum præceptorem suum secutus Hieronymus, Vt docerem, inquit, quod didiceram, non à meipso, id est, à præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris. De Bernardo quoque scribit Guilielmus æqualis eius, quòd legebat ille quidem diligenter Canonicas scripturas; sed simul etiam sanctos, & orthodoxos earum expositores humiliter legens nequaquàm eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subijciebat formandos, & vestigijs eorum fideliter inhærens, sæpè de fonte vnde ipsi hauserunt, & ipse bibebat. Hoc à reliquis quoq; sanctis Patribus obseruatum fuisse videmus, quoties illis cum hæreticis congrediendum esset: qui cùm sub vnius vmbra scripturæ versarentur, & in hac sola tanquàm in cardine quodam, omnem suæ disputationis vim constituerent, non ad confirmationem veritatis, verùm ad perfugium erroris, cui non potuit honestius, magisq́ue populare patrocinium inueniri, scripturas Patres reuerenter accipiebant, sed qui sensus ab hæreticis allatus esset, eum productis maiorum interpretationibus refellebant, simul Ecclesiasticam sæpè traditionem opponebant. Non satis esse putabant, si veræ, si salutares, si diuinæ scripturæ esse crederentur, & dicerentur (credunt enim hoc & Iudæi, totius legis, & Prophetarum scripturas esse verissimas, esse salutares, esse diuinas) sed sicut illi nos falsò, sic nos verè vicissim illos malè intelligere scripturas, & secùs interpretari arguimus. Credunt & hæretici magna ex parte, verissima, & certissima esse omnia, quæ in scripturis continentur, nihil non salutare, nihil non planè diuinum in illis haberi, qui subinde etiam contra Catholicos, & orthodoxos illos illud proferebant: Scrutamini scripturas: Quærite, & inuenietis: quemadmodum ex Tertulliani libro contra hæreticos scripto videre licet: Verùm id nunquàm sufficere visum est catholicis, & orthodoxis. Illud prætereà necessarium esse iudicauerunt, vt quis in captiuitatẽ redigeret intellectum suum in obsequium fidei: scripturasq́ue veras esse crederet, non secundum suum sensum. quem sibi præsumpsisset: multò minus autem secundum adulterinas interpretationes eorum, qui segregauerunt semetipsos, sed secundum antiquam Ecclesiæ traditionem expositas: quam sancti patres tanti fecerunt, vt non alia machina contra suorum temporum hæreticos vsi magis fuerint. Hac vsus est antiquissimus Irænus contra Valentinum hæreticum: hac Tertullianus contra Marcionem: hac Origines contra Celsum: hac Nicænum concilium contra Arrium: hac Basilius contra Eunomium, & contra Pneumatomachos ad Amphilochium scribens: hac Hieronymus contra Vigilantium, Iouinianum & Luciferianum: hac Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium: & ad Armenios scribens Proclus Constantinopolitanus Episcopus: hac Theodoretus in Polymorpho contra sui temporis hæreticos: hac Augustinus contra Donatistas & Iulianum: hac Leo, Gelasius & Ioannes Romani Pontifices, & Vigilius Episcopus Tridentinus contra Eutychen & Nestorium: hac Fulgentius contra Arrianos: hac Maxentius in libello fidei, quem sedi Apostolicæ legatis obtulit, contra diuersos hæreticos: hac sexta Synodus contra Monothelitas: hac septima contra Iconomachos: hac Beda Venerabilis, vbi de diuersitate lunaris discursus agit: hac Petrus Cluniacensis contra Henritianos & Petrobrus-

*Ioan. 5.*

*Matth. 7.*

*2. Corin. 10*

*Ecclesiasticæ traditionis vis.*

*Lib. 1. & 2.*

*De natura rerum cap. 42.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



brusianos: hac æqualis eius Bernardus contra Petrum Habailardum: hac Euthymius contra varios multorum temporum hæreticos: hac reliqui sancti Patres ad hæc vsque nostra tempora contra diuersi generis hæreticos vsi sunt.

*Non propterea non esse consensum Patrum in scripturis interpretandis sequendum, quòd vnus aliquis aliquando errauerit.*

## CAPVT XIX.

*Cyprianus cur errarit.*

SED hic iterùm nobis obstrepunt Martini, sanctos Patres homines fuisse, atque ideò errare potuisse, quin & erasse nonnullos. Objicitur sanctissimi Cypriani martyris, objicitur Origenis, objicitur & Tertulliani error. Atqui hoc ipsum plus facit, ad corroboranda, quàm ad infirmanda ea, quæ per nos afferuntur. Qui enim factum est, vt erraret Cyprianus? Non illi tantus hic error obrepsit aliundè, quàm quòd aliter sentiebat, quàm Ecclesiæ Romanæ consuetudo tulisset: vt iure optimo huic errori illius intercedens Papa Stephanus, nihil nouandum esse, verùm id, quod fuit traditum, obseruari debere sanciuerit: quòd intelligebat vir sanctus, & prudens, rationem pietatis aliud non admittere, quàm vt omnia qua fide suscepta forent à patribus, eadem fide filijs consignarentur: eosq; religionem non qua vellemus ducere, sed qua duceret illa, sequi oportere: idq; proprium esse Christianæ grauitatis & modestiæ, non sua tradere maioribus, verum à maioribus accepta seruare: ac iuxta Pauli præceptum, depositum custodire, profanasq; vocum nouitates deuitare. Retenta est itaque auctore Stephano antiquitas, explosa nouitas.

*1. Tim. 6.*

Neque verò existimandum est nouitiæ adinuentioni de rebaptizandis hæreticis scripturarum patrocinia defuisse: imò verò tanta vis adfuit ingenij, dicit Vincentius Lirinẽsis, tanta fuerunt eloquentiæ flumina, tãtus assertorũ numerus, tanta veri similitudo, tanta diuinæ legis oracula, sed planè nouo, ac malo more intellecta, vt omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videretur, nisi sola tanti moliminis causa, ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata nouitatis professio destituisset.

*Contra Cresconium lib. 2. cap. 32.*

Ex his perspicuum est non propterea Cyprianum errauisse, quòd eum defecerint in eo, quod asserebat, diuinæ legis oracula, quibus abundabat, sed quòd ea suo, non Ecclesiæ sensu interpretari conabatur. Hoc est, quod dicit de eo Augustinus: Non accipimus quod de rebaptizandis hæreticis Cyprianus scripsit, quia hoc Ecclesia non accepit, pro qua Cyprianus sanguinem suum fudit. Non dixit Augustinus: Non recipimus quia diuinæ legis oraculis nõ probauit, quæ diceret, (ijs enim, verum prauè intellectis minimè destitutus fuerat Cyprianus) verum non recipimus, inquit, quia Ecclesia non recepit. Idem de Origine, deq; Tertulliano dici potest, qui cùm ingenio suo nimium indulgerent, sibiq; plus satis fiderent, cùm antiquam religionis Christianæ simplicitatem paruipenderent, cum se sapere plus cæteris existimarent, cùm Ecclesiasticas traditiones, veterumq; magisteria contemnerent, scripturas nouo more quodam interpretati, in absurdas opiniones inciderunt, atq; documento nobis fuerunt, vt nõ credamus vni alicui, quantalibet doctrina & eloquentia polleat, quantacunq; etiam sanctitate & auctoritate sit præditus contra cõmunem totius Ecclesiæ sensum, & consensum aliquid adferenti: etiam si quam plurima diuinæ legis oracula proferat, etiamsi nihil nisi scripturas, nisi verbum Dei, nisi Euangelium crepet. Illum verò solum verè Catholicum & orthodoxum existimemus, qui veritatem DEI, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil anteponit: non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non doctrinam, sed hæc omnia pro nihilo habens, in fide verò fixus, & stabilis permanens, quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam catholicam docuisse cognouerit, id solum sibi tenendum, credendumq; esse, firmiter deliberatum habet. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes potius, nouum & inauditum ante hac adferri senserit, non ad religionem, sed ad sui potius tentationem id intelligat pertinere: sibiq; dictum illud existimet: Si surrexerit in medio tui Propheta, & prædixerit signum, atque portentum, & venerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, hoc est, extraneas quasdam opiniones, quæ ab Ecclesiæ traditione sunt alienæ, quas propterea Deos vocat Propheta, quòd haud aliter eas colunt & obseruant hæretici, quàm suos DEOS Ethnici: Non audies, inquit, verba Prophetæ illius, quia tentat vos dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

*Errorum causa.*

*Deut. 13. Dij alieni qui.*

*Opinioni singulari alicuius docti, & sancti non est standum, sed Ecclesiæ iudicio.*

*i Ecclesia est multitudinis nomen. Hom. 1. in 1. ad Thess. Ad Hieronymum epist. 19.*

Quæ ergo de Cypriano, de magistro eius Tertulliano, deq; origine proferuntur, pro nobis magis, quàm contra nos faciunt: Nos enim sumus ij, qui dicimus, non esse cuipiam alicuius quamlibet docti, quamlibet etiam sancti viri singularem opinionem sequendam, etiam si scripturarũ examen protulerit: atque in scripturis interpretandis non vnius alicuius, verùm Ecclesiæ iudicio standum esse: Neque fuit quisquam aliquãdo catholicus, qui parem esse censeret canonicarum scripturarum, & vnius alicuius quamlibet excellentis doctoris auctoritatem: sed eandem Ecclesiæ totius, quę nequaquam in vno aliquo consistit: cùm nomen Ecclesiæ, sicut etiam à Chrysostomo traditum est, nomen sit multitudinis, & iustæ iam ac absolutę congregationis. Eandem igitur Ecclesiæ & scripturæ canonicæ veritatm esse, ab eodem auctore spiritu sancto profectam, nemo catholicus dubitauit vnquàm. Libẽter & nos cum Augustino solis scripturarum libris, qui Canonici vocantur, timorem hunc, honoremq; deferimus, vt nullum eorum auctorem aliquid erasse scribẽdo firmissimè credamus: alios autem ita legimus, vt quãtalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleãt, non ideò verum putemus, quòd ipsi ita senserunt, sed quia nobis, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Atque ita non solum, quæ scripturis proba-



probauerint, sed etiam quæ probabili ratione persuaserint, ea nobis iuxta Augustini sententiam amplectenda putamus.

*Ratio probabilis quæ.*

Probabilem autem rationem eam intelligimus, quæ tot seculis vniuersæ Ecclesiæ probata, atq; illius iudicio semper fuit recepta. Si quæ verò magni alicuius doctoris sententia ab vniuersa Ecclesia reiecta est, & explosa, qualis est illa Cypriani de re baptizandis hæreticis, quãlibet multis diuinæ legis oraculis nixa sit, eam nihilominus non modò non sequendam, verumetiam prorsus esse fugiendam existimamus. Qua verò de re ita ab vno aliquo scriptum est, priuata vt eius opinio esse videatur, non esse nefas arbitramur de ea nonnunquam dubitare: quinetiam examinare, ac excutere diligentius, &, si qua nos ratio probabilis moueat, contrarium sentire licet. Sicubi verò idem sentiunt omnes, ita vt quod scriptum est à Tertulliano, & Augustino in Aphrica, idem visum fuerit Hilario in Gallia, Ambrosio, Leoni, Gregorio in Italia, Ioanni Chrysostomo in Thracia, Theophylacto in Mœsia, Ioanni Ephrem, Ioanni Damasceno, & Hieronymo in Syria, Basilio in Cappadocia, Origeni, Cyrillo, & Athanasio in Ægypto: & qui ad hæc vsq; nostra tẽpora istos sequuti sunt in diuersis orbis regionibus cõmorati, idem & ipsi tanto locorum, & seculorum interuallo disiuncti senserint, sicuti de baptismo paruulorum: de tremendo mediatoris Christi sacrificio, quod offertur in altari: de veritate corporis & sanguinis eius: de sanctorum inuocatione: de oratione pro defunctis: de statis ieiuniorum diebus: de sacerdotum cœlibatu: de votis monasticis: de q; alijs multis factum esse videmus. Vbi tantus est omnium consensus, minimè dubitare debemus non hominum hanc, verùm Dei vocem esse, per membra sua loquentis: atq; ideò, qui contradicit huic Dei voci, eum iure meritò tanquàm ethnicum habemus & publicanum.

*Singulares sensus, & opiniones examinandæ, vniuersales verò amplectendæ.*

Sed hæc iam dicta sufficiant, ad ostendendum parem esse scripturarum & Ecclesiæ auctoritatem: quandoquidem vtriusq; veritas à spiritu sancto est, quo regebantur amanuenses illius, cum ea, quæ nobis reliquerunt scripto, consignarent: quo regitur etiam nunc Ecclesia, nec ab ea quicquàm decernitur, nisi quod visum est spiritui sancto.

*Descriptio Ecclesiæ, quodq; sibi nomen eius, & auctoritatem vsurpant etiam hæretici.*

## CAPVT XX.

QVoniam verò fieri videmus, quòd sicut scripturas & earum verum intellectũ sibi falsò arrogant hæretici, ita & Ecclesiæ nomen, cuius auctoritate se premi vident, sibi temerè & impudenter vsurpant: ac sicut scripturarum possessione, in qua pridem præscriptum est à catholicis, à quibus eas habere se nègare non possunt: ita piorum cœtu homines impij pios omnes, & in Christiana fide, religioneq; fixos, & immobiles permanentes, excludunt: illud nobis docẽdum restat, quibus notis Ecclesia, quæ domus est Dei viui, ab ea, quam odiuit Deus, Ecclesia malignantium discerni rectè possit.

*Psal. 25. Li. 5. cont. Valenti. Li. 4. c. 30. diuinarum institutionum. In li. ad Lpbatanũ. Li. 4. contra Martionem. Lib. ad Constant. Aug. ser. 60. in Cat. Aug. de vnitate Ecclesiæ c. 12. De pastorib. ca. 14. Matth. 5.*

Neq; verò nouum hoc est, quòd qui hostes Ecclesiæ sunt, ipsi dici & videri volunt Ecclesia: Et Irenæi, & Tertulliani temporibus factitatum hoc legimus. Sic enim de sui temporis hæreticis scribit Tertullianus: Faciunt fauos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ. Lactantius quoq; scribit, quòd singuli quiq; cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse catholicam Ecclesiam putãt. Et ante eum Cyprianus de Nouatiano memoriæ prodidit, quòd more simiarum, quæ cùm homines non sint, homines imitantur, cùm ipse in Ecclesia non esset, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis extitisset, hoc sibi vendicàbat, vt apud se Ecclesiam esse diceret, ac nos hæreticos faceret. Et qui sequutus vtrunq; videtur: Hilarius narrat de Antichristi synagoga, quòd se Christi esse Ecclesiam mentiebatur. Idem faciebant Augustini temporibus Donatistæ. Suo quoq; seculo fuisse scribit Bernardus quòdam, qui se vocabant Apostolicos, qui se Ecclesiam esse dicebant, sed contradicebant ei, qui dixit: Non potest absconditi ciuitas supra montem posita. Quorum temeritatem imitati sunt proximis superioribus seculis pauperes de Lugduno, siue Picardi, Vicleffistæ, & alij id genus hęretici: qui & ipsi sibi ficur sanam doctrinam, ita Ecclesiæ auctoritatem impudenter arrogant. Quamobrem vt ne quis dubitet, vbi sit vera Ecclesia, quæ sint illius notæ breuiter accipiat.

*Hæretici Gnostici & Apostolici vocari volunt.*

Sunt qui duas tantùm esse velint Ecclesiæ notas, sanam doctrinam, & legitimũ Sacramentorum vsum. Quæ quin Ecclesiæ notæ sint, negari non potest: Certum est enim, quòd verbũ Dei, quòd sanus illius intellectus, quòd Sacramentorum verus vsus, nusquàm est alibi, q̃ in Ecclesia catholica. Sed facit hæreticorum audacia, difficulter vt is notis à quibusuis agnosci possit Ecclesia, quibus iam inde à multis seculis nulli fuerunt in eis sibi vsurpandis pertinaciores: Nam sicut nunc sunt qui magis Euangelici dici gaudent, q̃ Christiani, vel hac ratione palàm facientes omnibus, quòd à Christo & eius corpore, extra quod haud dubiè nullum est Euangelium, se diuulserint: propterea verò sibi nomen hoc arrogant, quòd se solos Euangelium, vt ipsi comminiscuntur, multis iam seculis absconditum, è densissimis tenebris eruisse, ac in lucem protulisse, se solos verum illius intellectum inuenisse, persuasum rudibus esse volunt. Sic & olim fuerunt, qui Gnostici, quòd se solos sapere, se solos omnia scire & intelligere iactarent: fuerunt qui Apostolici, quòd Apostolorum, & doctrinam & vitam imitari se solos gloriarentur, appellari vellent: Christianorum nomen tanquàm ritum & vulgare aspernantes, quòd simplicitatem quandam columbinam redoleret, atque ideò congregatione magis, quàm diuisione, aut singularitate gauderet. Iam inter istos ipsos, qui se vocant Enangelicos, varias sectas reperire licet: sunt Lutherani, sunt Sacramentarij, sunt Anabaptistæ, quorum singuli ita duas has notas Ecclesiæ suæ proprias esse contendunt, sibiq;

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Euangelicorum illorum variæ sectæ.*

pugnantes inter se, verbi puritatem, & verum sacramentorum vsum ita arrogant, vt neutri alteris eas concedant. Quare quærendæ sunt præter has certiores aliæ notæ, quibus omnis de Ecclesia, penes quos ea sit dubitatio tollí posit: Vnde autem eas petemus, nisi è symbolo? partim eo, quod Apostoli conscripserunt, partim eo, quod à Patribus conditum est in Concilio Constantinopolitano. In illo duas notas reperimus: appellatur enim sancta & catholica Ecclesia: in hoc adduntur aliæ præterea duæ, quòd sit vna, & Apostolica. Hæ quatuor ita sunt Ecclesiæ propriæ notæ, vt eas vsurpare sibi nequaquam possint hæretici.

*Ecclesiæ veræ nota vnde petendo.*

Vt autem qua de re agatur intelligi posit, scire oportet, quòd sicut videmus in vno homine esse vnum animum, & vnum corpus, & tamen esse diuersa membra ipsius: ita Ecclesia catholica est vnum corpus, & habet diuersa membra, sicut etiam Paulus meminit: anima autem, quæ corpus hoc viuificat, est Spiritus sanctus, caput verò illius est Christus.

*Rom.12*
*1.Cor.12.*

*Quòd quatuor sint Ecclesiæ notæ: Prima est, quòd sit sancta.*

CAPVT XXI.

*Ecclesiæ veræ quatuor notæ.*

QVatuor autem habet notas, quibus agnosci posit, & ab Ecclesia malignantiũ discerni. Est enim sancta, est catholica, est vna, est Apostolica. Primò dicitur Ecclesia sancta, non quòd in ea soli iusti sint, & sancti: Cùm enim, quod etiam ab Augustino legimus annotatum, à vocatione nomẽ ducat, multi q̃ sint vocati, pauci verò electi, certum est, plures in ea peccatores, quàm iustos: plures esse malos, quàm bonos. Quamobrẽ designatur in scripturis nomine areæ, in qua sicut est triticum, ita sunt & paleæ: vocatur ager, in quo cum tritico crescunt & zizania: vocatur sagena, in qua congregantur boni pisces & mali: vocatur vinea, in qua sunt palmites proferentes vuas: sunt etiam qui labruscas producant: sunt qui aliquem tamen, sunt qui nullum fructũ ferunt: confertur gregi, in quo sunt & hœdi, & oues: sunt & arietes & hirci: confertur domui, in qua sunt vasa aurea & argentea, sunt etiam lignea & fictilia: quædam in honorem, quædam verò in cõtumeliam: Assimulatur thesauro, in quo sunt vasa iræ, & vasa misericordiæ: Comparatur decem virginibus, quarum quinq̃ sunt fatuæ, & quinq̃ prudentes.

*Inepist. ad Rom.*
*Matth.22.*
*Luc.3.*
*Matth.13.*
*Esaiæ 5.*
*Ioan.15.*

*Matth.25.*
*Ezech.34.*
*1.Tim.2.*
*Matt.25*

Quamobrem permixti sunt mali bonis in hac Ecclesia, quæ militans dicitur, Sacramentorum communione, non morũ: hoc est, Societate credulitatis, non similitudine conuersationis. Nam soli boni sunt in cœlo, quæ est Ecclesia triumphantium, idem nobiscum corpus: soli mali sunt in inferno, qui ad corpus hoc nostrum, quod idẽ Christi corpus est, non pertinẽt. Hæc autem nostra Ecclesia, quæ est super terram, in qua perpetua quædam est militia, habet per Dei gratiam electos, quos cœlo Deus dignatur: habet alios etiam vocatos quidem Dei misericordia, sed sua posteà culpa reiectos, quos iure suo sibi vendicat infernus. Quare non ideò sancta dicitur Ecclesia, quòd non sint in ea reiecti quoq̃ & reprobi, putrida quædam huius corporis membra: sed quòd quicunq̃ sancti sunt, non nisi in hac Ecclesia sancti sunt: extra quam species sanctitatis esse potest, vera sanctitas esse non potest. A meliore itaq̃ sui parte sancta dicitur, sicut regnum quoq̃ cœlorum sæpè vocatur à Christo, quòd non nisi intra ipsius septa continentur, quibus potiri datum est regno cœlorum. Quod etiam indicat author operis imperfecti in Matt. cùm ait: Vide quomodo tunc in regno Iudæ quidam Reges exiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores, in regno autem Israel nemo Regum inuentus est iustus: sic & in Ecclesia Christi inueniuntur quidam Episcopi boni & peccatores: in hæresibus autem nemo inuenitur omnino rectus, sed omnes peruersi: Quia in auro quidem inuenitur scoria & sordes, in sordibus autem non inuenitur aurum. Dicitur etiam sancta, quasi Christi sanguine tincta: Christus enim eam lauit à peccatis suis in sanguine suo, qui sic eam dilexit, vt seipsum traderet pro illa, vt eam sanctificaret, atq̃ ab operibus mortuis emundaret sanguine suo. Hac ratione, sicut etiã Augustinus testis est, fideles omnes olim sancti vocabantur. Qua ratione & ab Optato dictum est: Ecclesia vna est, cuius sanctitas de sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur. Ioannes quoq̃ Chrysostomus. Omnis fidelis, inquit, sanctus est, secundum quod fidelis est. Sanctificationem enim fides facit. Ac paucis interiectis: Alios dicit esse sanctos vita & fide, alios autem fide tantùm.

*Mali in Ecclesia.*
*Matth.13.*
*Tob.7.*
*Vide Origenem Hom.3.in Hieremiã. & Greg. Hom.38. in Euangelia.*
*Sancta Ecclesia dicitur à meliore sui parte.*
*Matt.13.*
*Matth.25.*
*Apoc.1.*
*Ephe.5.*
*Hebr.9.*
*Hom.1.Chrys.*

*Aug. in Psal. 85.*
*Sancti olim qui.*
*Sanctum quid.*
*Lib.2. contra Parmenianum.*
*Hom.10.in epist. ad Hebr.*

Sunt & aliæ causæ, quamobrem sancta dicitur, sed ijs prætermissis, ad eam significationẽ veniamus, quæ propriam & peculiarem Ecclesiæ catholicæ notam adfert. Apud eos, qui latinè scripserunt, sanctum dici legimus, quod firmum est & munitum, vt violari facilè non posit, neq̃ debeat: Sic muros leges vocãt sanctos, sic tribunos sanctos, sic ærarium quoq̃ sanctius appellatum legimus. Hac ratione quoq̃ vocatur Ecclesia sancta, qua nihil firmius, nihil est fortius, vel quia Christo dicata est, cui quod dedit pater, nemo potest eripere: vel quia super petram ædificata est, ita vt neq̃ pluuiæ, neq̃ flumina, neq̃ venti irruentes eam subuertere possint, atq̃ adeò ne portas quidem inferorum aduersus eam præualituras dixit Christus. Habet enim firmum & stabile fundamentum, de quo dicit Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Huic fundamento cùm innitatur, nulla est, neq̃ fuit, neq̃ erit vis vnquam tanta, qua superari possit. Ideò Chrysostomus fortiorem eam terra, imò fortiorem esse dicit ipso cœlo, vbi radices eam fixas habere affirmat, non in terra, solem vt extingui sit facilius, quàm Ecclesiam obscurari. Hæc est illa terra, quam fundauit Deus in setula, de qua dicit idem Propheta: Fundasti eam super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Hoc est illud regnum, de quo scriptum est: Regnum ipsius omnibus dominabitur: de quo & alius Propheta dixit: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit: Quod ita factum videmus de omnibus ijs gẽtibus, & regnis, quæ ab hac Ecclesia desciuerunt. Hæc est illa, quam sponsus in Canticis terribilem esse dicit, vt castrorum aciẽ ordinatam. Castra Dei sunt sancti Dei, charitate ordinati, quibus tan-

*Ioan.17.*
*Matth.7.*
*Ecclesiæ soliditas & robur firmissimum.*
*Matth.16.*
*1.Cor.3.*
*Tom.3.*
*Homil. de expulsione sanct. Chrysost.*
*Psal.120.*
*Psal.77.*
*Esa.60.*
*Acies castrorum Ecclesiæ, quæ.*
*Cant.6.*
*Castra Dei.*



tanquàm Christi militibus & fidei propugnatoribus munitur, protegitur, & defenditur Ecclesia Dei: de quibus apud Zachariam dicit Dominus: Circundabo domum meam. Ecclesiã intellige ex ijs, qui militant mihi. Sunt autem qui militant, doctores, antistites, & principes Ecclesiæ: qualis fuit Timotheus, cui dicit Apostolus: Labora sicut bonus miles Iesu Christi: quales fuerunt innumeri martyres, qui vsq̃ ad sanguinem, quin ad mortem vsq̃ resistentes, vitam etiam suam pro fide Christi certando profuderunt. Hanc aciem perrumpere conati sunt pagani, omni suppliciorum genere de pijs sumendo: conati sunt tyranni, libertatem eripiendo. conati sunt falsi fratres, charitatem exterminando: conati sunt Iudæi, fidem impugnando: conati sunt schismatici, obedientiam tollendo, & eius vnitatem scindendo: conati sunt hæretici, scripturas adulterando, veritatem earum obscurando, praueq̃ eas interpretando: Sed fuit hæc acies terribilis omnibus: vicit, fudit, fugauit omnes: vicit paganos, pro Christi fide vitam cum sanguine profundendo tanto animi robore, tanta constantia, tanta alacritate, vt gauderent etiam cum digni essent habiti, qui pro Christi nomine contumeliam aut supplicium aliquod perferrent: magisq̃ tortores cruciando, quàm Ecclesiæ filij cruciatus perferendo fatigarentur: vicit tyrannos, in Deo spem ac fiduciam omnem collocando, ac pro se persequentibus illum deprecãdo: vicit falsos fratres, tolerando: vicit schismaticos, ordinem retinendo, & vnius dictum sequendo, vt de illa quoq̃ dici rectè posset: Egressi sunt omnes filij Israel, & pariter congregati quasi vir vnus. Erat namq̃ multitudinis credentiũ cor vnum, & anima vna: vicit Iudæos & Hæreticos, verum scripturarum sensum, ab illis non intellectum, ab ijs prauè detortum aperiẽdo: Nam Ecclesiæ suæ dixit Christus: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri, Neq̃ dixit magis, quàm præstitit. Quoties enim Ecclesiæ fuit cum Iudæis & hæreticis de scripturis concertatio, dedit ei hoc os, dedit hanc sapientiam, cui nequaquã resistere & contradicere potuerunt. Omnibus autem his, à quibus oppugnabatur, vsa est ad profectus suos, & ad correctionem cum euigilare voluerit. Gentibus vtitur ad materiam operationis suæ: hæreticis ad probationem doctrinæ suæ: schismaticis, ad documentum stabilitatis suæ: Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.

*Zach. 9.*
*2.Timo.2.*
*Ecclesiæ hostes varijs fortiter superati.*
*Actor.5.*
*1.Reg.11.*
*Acto.4.*
*Luc.21.*
*Aug. de vera relig. cap.6.*

Est ergo verè sancta, inuicta, & inexpugnabilis Ecclesia, quæ tot, tantisq̃ grauissimorum hostiũ oppugnationibus, non modò fracta non est & debilitata, verùm confirmatá magis & corroborata, rectè vt verus Israel noster verba illa Prophetæ vsurpare sibi queat: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Cui proprium hoc etiam semper fuisse videtur, magis vt impugnationibus cresceret. Quemadmodum id in figura quadam accideratfilijs Israel: quos quantò magis opprimebant Ægyptij, tãtò magis multiplicabantur & crescebant. Quamobrem verè dictum est ab Augustino, quòd Ecclesia oppugnari potest, expugnari non potest. Qua de re sic aliquando scripsit Clemens presbyter Alexandrinus: Et Græcam quidem Philosophiam si quiuis magistratus prohibuerit, ea statim perit: nostram autem doctrinam à prima vsq̃ prædicatione prohibent simul & reges & tyranni: & singuli duces & magistratus, cum vniuersis satellitibus & innumerabilibus etiã hominibus, in nos belligerantes, & nos pro viribus excindere conantes: illa aũt magis etiã floret. Non enim emoritur, vt doctrina humana, neq̃ flaccescit, vt donum imbecillũ. Nullum enim Dei donum est imbecillum, manet aũt eiusmodi, vt prohiberi nequeat. Et æqualis eius Tertullianus de Christianis loquens: Semen est sanguis Christianorum, plures efficimur: quoties metimur à vobis. Exquisitior quæq̃ iniquitas vestra, illecẽbra est magis sectæ. Et iterũ, Non deficiet, inquit, hæc secta, quã tũ magis ædificari scias, cùm cædi videtur. Quisq̃ enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causa, & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur. Et post eum Hilarius ita de Ecclesia loquitur: Dũ persequitur, floret: dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dũ læditur, vincit: dũ arguitur, intelligit: tunc stat, cùm superari videtur. Gregorius quoq̃ Nazianzenus, Christianismũ honoratiorem, q̃ imbecilliorem persecutionibus redditum esse scribit, quoniã his animæ magis in pietate sunt obfirmatæ, & per discrimina tanquàm ferrũ candens aquæ vi temperatæ, ac solidiores redditæ. Solet enim generosa prudentia pertinaciùs violentiæ resistere, non secùs ac flamma ventis agitata, tantò plus accenditur, quãtò vehementius inflatur. Et eius discipulus Hieronymus dicit, Ecclesiã persequutionibus inflammari, & ardere, sicut olim rubũ Moysi, verùm loquente in illa Domino: non perire, neq̃ consumi. Sed & Ambrosius. Sicut aurũ bonum, ita Ecclesia, cùm vritur, detrimẽta nõ sentit, magis fulgor eius augetur. Et alio loco: Vt vinea dum iugatur, inquit, erigitur, & recisa nõ minuitur, sed augetur: sic Ecclesia dũ ligatur, exuitur: dũ humiliatur, attollitur: dũ reciditur, coronatur. Qui videtur hæc mutuatus ex Iustino Philosopho & martyre, sic scribẽte: Quãtò magis in nos sæuitur, tantò plures pietatem, fidemq̃ per nomẽ Iesu profitentur: haud secùs, q̃ si quis vitẽ putatione prouocet ad vbertatẽ fructuũ. Nam vitis à Deo & seruatore Christo plantata est eius populus. Quanti initio oppugnarunt Ecclesiam, ait Chrysostomus, cùm fidei semina iacerẽtur, & arma contra eã cõmota sunt? sed quantò magis impugnabatur, tãtò clarior reddebatur. Et alio loco: Facilius esse dicit, Solẽ extingui, quàm Ecclesiã obscurari. Quos soẽs sequutus Leo Pontifex: Non minuitur, inquit, persequutiõibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadũt, multiplicata nascuntur. Et eius æqualis Theodoretus de legibus Apostolicis loquens: Quãlibet eas abolere conati sunt ethnici, non dissoluisse tamen dicit: sed multò validiores oppugnando reddidisse. Planeq̃ illis persimiles inuenti sunt, inquit, qui flãmam quidẽ restinguere cõcupiscunt, oleum verò instillantes ardentiorẽ illam efficiũt. Etenim hi quoq̃ contra pietatẽ bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararũt. Ac veluti quondã rubus ille, quẽ vidit Moses ardore ignis nõ est absumptus: ita nec Christianos impiorum bellis petitos tela

*Doctrina Dei prohibitione magis crescit: contra doctrina humana.*
*Hier. ad Fabiolam Manf.8.*
*Lib.9.in cap.20.*
*Ambr. in Psal. 118. ser.3.*
*Iust. in Colloquio cum Triphone.*
*Inser. de Pentecost.*
*De verbis Esaiæ. Hom.4.*
*Inser. de festo sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



hostilia consumpserunt. Quin potius sicut lignatoribus siluam cædentibus multò plures pullulant propagines ab radicibus, quàm sint rami qui inciduntur: Ita nunc quoq; pijs compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accedebant, cruorque ille cæsorum corporum irrigatio quædam erat, nouis in Ecclesia emergentibus plantis. Cuius rei fidem ea nobis faciunt, quæ nunc videmus: Infinita enim proportione qui nũc Christianæ fidei titulo decorantur, eos excedunt, qui prisci olim temporibus in Christum crediderunt. Hæc nota ita est Ecclesiæ propria, vt eam hæretici sibi nulla ratione queant vsurpare. Stat enim fides & doctrina Ecclesiæ, ac quantò grauioribus machinis ab hæreticis oppugnatur, sibi sanam doctrinam, sibi Ecclesiæ auctoritatem falsò arrogantibus, tantò fit clarior omnibus & illustrior. Contrà verò hæreticorum dogmata diuturnitatem non habuerunt, cùm & ea, quæ nunc è tenebris eruuntur, & sub Euangelij speciosò titulo, populo venditantur, iam inde à mille & amplius annis confutata, abolita, antiquata, calcata sint: sicut paulò post clarius iudicabimus. Habemus ergo iam Ecclesiæ notam vnam, quam vsurpare sibi Sathanæ synagoga non potest.

*Hæreticorum dogmata diuturnitatẽ non habent.*

## *Secunda nota Ecclesiæ, quòd sit Catholica.*

## CAPVT XXII.

*Ser. 131. & 181. de tempore. Catholica Ecclesia quid. Contra Gaudent. lib. 2. cap. 2. Cypr. lib. de Vnitate Ecclesiæ.*

Secunda nota in eodem symbolo Apostolico expressa, quòd vocatur catholica: quod nomen explicans Augustinus: Catholicam, inquit, dicit toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideò catholicæ non dicũtur, quia per loca, atque per suas quasque prouincias continentur: Hæc verò à Solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. Et alio loco proferens illa verba Cypriani: Ecclesia Domni luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largius expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Tandem alloquitur Donatistas: Si huius Martyris testimonio vestra est Ecclesia Catholica, ostendite illam per Orbem totum radios suos porrigere: ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copia vbertatis extendere. Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim Græcè ὅλον dicitur, Latinè totum vel vniuersum interpretatur. Per totum ergò, siue secundum totum est καθ' ὅλον, vnde Catholica nuncupatur. Extat autem Epistola Patiani de Catholico nomine ad Symphorianum, quod irrisisse Nouatianum indicat, quia sub Appstolis nemo catholicus vocabatur. Nouatianum autem sequutus Martinus Lutherus, etiam ex Apostolorum symbolo, quæ fuit sacrilega hominis audacia, vocem hanc erasit, & illius loco Christianam Ecclesiam posuit. Adeò notam hanc abolitam prorsus cupiebat. Omnes autem Ecclesiæ per orbem, sicut apud Bedam scriptum legimus, vnam catholicam faciunt, vt rectè dictum sit ab Origine: Catholici dicimur, quia sentimus idem quod vniuersus mundus. Optatus quoq; ab Episcopis diffinitum fuisse scribit: eam dici Catholicam, quæ esset in toto orbe diffusa terrarum. Quam Græcivocãt catholicam, eã Latinè licet dicere vniuersalem: pertinet enim ad vniuersa loca, pertinet ad vniuersa tempora, pertinet ad vniuersa hominum genera, pertinet ad nationes vniuersas.

*Li. 5. hist. Anglica. De recta in Deum fide. Opta. lib. 1. Vniuersalis quomodo Psal. 18. Mar. vlt. Rom. 1.*

Quòd ad omnia loca pertineat, docet scriptura, quæ dicit: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Apostoli enim in mundum vniuersum ire iussi sunt, & prædicare Euangelium omni creaturæ: quod etiam ita fecerunt. Hinc est, quòd commendans Romanos Paulus: Fides, inquit, vestra annunciatur in vniuerso mundo.

Quòd pertineat ad vniuersa tempora, ex ijs, quæ superiùs dicta sunt, facilè perspici potest, cùm demonstratum est, ab Adam cœpisse Ecclesiam, atque ad nos vsq; peruenisse: ita vt cùm ortu, tum diuturnitate par ipsi mundo sit & æqualis: neq; vt reliqui conuentus hominũ, mu rorum ambitu quodam circumscribatur, ac ne regionis quidem alicuius finibus terminetur, sed ab ortu Solis vsq; ad occasum sit laudabile nomen Domini. Sumpsit igitur initium simul cum orbe condito, duratura vsq; ad finem orbis eiusdem. Fundauit enim eam Deus in æternum, qui dixit: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Et alio loco: Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Et (vt etiam superius adduximus) scribit Epiphanius, quòd Adam non erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum. Propheta enim erat Adam, & nouit quòd pater dixit filio: Faciamus hominem. Quid igitur erat? Neq; circuncisionem habens, neq; simulachra colẽs, sed Christianismi formam ostendens. Sic etiam de Abel, & de Seth, & de Enoch, & de Mathusalem, & de Noe, & Heber vsq; ad Abraham accipiendum est. Ab Adam igitur sumpsit exordium in Christum credentium Ecclesia.

*Psalm. 112. Psal. 47. Matth. 28. Luc. 21. Epiph. lib. 1. tom. 1. contra hæreses, statim in initio.*

Quòd pertineat ad omnia hominum genera, cuiuscunq; status, conditionis, ætatis, sexus, gentis etiam fuerint, testis est Paulus dicens: Non est in ea distinctio Iudæi, & Græci: non est in ea circuncisio & præputium: non Barbarus & Scytha: non seruus, & liber: non masculus neq; fœmina: sed omnia in omnibus Christus: idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

*Rom. 10. Col. 3. Gala. 3. Ioel. 2.*

Quòd pertineat ad vniuersas nationes, indicat ille locus ex Apocalypsi: Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, lingua, populo, ac natione, & fecisti nos Deo nostro regnum. Quodq; dicit Petrus: In veritate comperi, quia nõ est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & qui operatur iustitiam, acceptus est illi.

*Apoc. 5. Act. 10.*

Si ergo per omnia loca, per omnia tempora, per omnes hominum status, & conditiones, per omnes gentes, & nationes dispersa est & diffusa Ecclesia, vbi sunt, qui triginta his annis

*Hæretici paucitate gloriantur.*

nati,



nati, cum Donatistis de sua paucitate gloriantur? Christi regis nostri dignitati, sicut Augustinus alicubi quæritur, ea re detrahentes, cum scriptum sit: In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis. Habet, & semper habebit integram Christus hæreditatem suam, & possessionem suã terminos terræ. Se potius subtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Christo illam conantur subtrahere. Non relinquet Dominus plebem suam, quæ est sicut arena maris: nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui omnes redemit. Neque enim parua, sed planè copiosa apud eum redemptio. Quantus verò numerus istorũ ad magnitudinem pretij? Etiam Eunomium hoc aliquando postulasse legimus, vt ne maiori parti, néue antiquioribus plus tribuerent: Sed eum Basilius audiendum non esse putauit: cui visum est indignum, non plus aliquid antiquitati dare, non reuereri multitudinem Christianorum, tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt ex eo tempore, quo prædicari cœptum est Euangelium. Vbi sunt, qui tenebras imperitis offundere conantur? dum talem Ecclesiam depingunt, quæ ignoretur, atque aspectum ac sensum omnem effugiat. Cùm tamen Ecclesiam audiri, atque ad illam fratris delinquentis nomen deferri Christus iusserit: cùm Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, Ecclesiæ Thessalonicensium scribat Paulus, quas vtique sub aspectum hominum cadere oportuit, si denunciari frater, si reddi literæ debuerunt. Christus verò tabernaculum suum, hoc est Ecclesiam suam, in Sole posuisse legitur, vt eam claram, manifestam, & illustrem omnibus faceret. Qua etiam de causa vocat eam ciuitatem in monte positam, quæ non potest abscondi. Posita est autem supra eum montem, de quo & Esaias & Michæas prædixerunt. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & super colles eleuabitur, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Hic est ille mons, quem vidit Rex Nabuchodonosor, ex lapide sine manibus excisso creuisse in montem magnum, & orbem vniuersum impleuisse: in quo comminutis regnis alijs vniuersis, iuxta Danielis interpretationem, Deus cœli suscitauit regnum, quod in æternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur. Hunc Danielis locum adducens Bernardus contra sui temporis hæreticos: Itáne, inquit, lapidem de monte abscissum sine manibus, montem factum, & implentem mundum, vestris creditis intrusum antris? De hoc monte nemo se Christianus deturbari patiatur. Quòd si quis dixerit homini Christiano, sicut Sathanas olim dixit Christo: Si filius Dei es, mitte te deorsum, quamlibet multa diuinę legis oracula produxerit, non committat vnquam, vt ei parere animum inducat. Si quis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic: monet nos ipse Christus, nolite credere. Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Pulchrè hac de re scribit Augustinus: Non audiantur illi, qui ad religionum scissuras traducunt, dicentes: Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt dicentes: Ecce hic, ecce illic. Cùm illa ciuitas super montem sit: quem montem? nisi eum, qui secundum Prophetiam Danielis, ex paruulo lapide creuit, & factus est mons magnus, ita vt impleret vniuersum orbem. Nec illi audiantur, qui nomine secretæ & apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt: Ecce in cubiculis, ecce in deserto, quia non potest abscondi ciuitas super montem constituta: quia sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra. Ex quibus Augustini verbis appareret, quod faciunt nostri temporis hæretici, fecisse quoq; Manichæos, vt de paucitate suorũ gloriarentur. Quod apertius etiam indicat in libris, quos scripsit contra aduersarium legis, & Prophetarum. Paucitatem, inquit, hominum in suo errore commendat, quia videlicet paucorum est sapientia, quod omnibus hæreticis aduersarijs Ecclesiæ catholicæ, quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuiusque propria vanitate commune est. Omnes enim de paucitate gloriantur, & seducere si possent multitudinem quærunt. Iulianus quoque Pelagij discipulus: cùm pleraque dixisset de inuidia, quam suos sustinere pro veritate iactaret, & de paucitate velut prudentium, quibus eos placere gauderet: Obiter illi respondens Augustinus: Hæc, inquit, & veterum, & nouorum omnium vox est hæreticorum, ipsa consuetudine iam sordidata, atque pertrita. Idem Donatistæ quoque fecerunt. quemadmodum apud Optatum videre licet: Præ cæteris autem Rogatistæ sicut scribit Augustinus epistola 48. cuius alio loco de Donatistis hæc verba sunt: Nec eos audiamus: qui sanctam Ecclesiam, quæ vna catholica est, negant per orbem esse diffusam, sed in sola Aphrica, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi aduersus Prophetam dicentem: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuã terminos terræ. Cresconius quoq; dicebat: In paucis frequẽter est veritas: Errare multorũ est. Perisse de cætero mũdo dicebant Ecclesiã, & in parte Donati in sola Aphrica remansisse, quod etiã exemplis probabant Enoch vnũ inter omnes homines placuisse Deo. Noe cum coniuge & nuribus & filijs solos in arca seruatos. Loth solum cum filiabus de Sodomis liberatum, & alia eiusmodi, quæ recensет Augustinus in libro de vnitate Ecclesiæ, inter quæ duas etiam tribus recensebat, quæ solæ remanserant apud filium Salomonis, cùm aliæ decem ipsius seruo se tradidissent. Sic inquiebant, & nunc totus mundus apostatauit: nos autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc est, in Ecclesia permansimus. Sic autem eos alloquitur Augustinus: Quid est hæretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea dominus noster Iesus Christus traditus est ad mortẽ, vt hæreditate multos possideret? Neque dissimilibus verbis vsum fuisse quendam ante Augustinum scribit Hieronymus. Qui cum Luciferiani dicerent, vniuersum mundum esse diaboli, & factum de Ecclesia lupanar, non sine causa Christum fuisse mortuum respondit, nec ob Sardorum tantum mastrucam Dei filium descendisse. Ac aliquot chartis interiectis: Si Ecclesiam per totum Orbem diffusam, non habet, inquit, Christus, aut si in Sardinia tantum habet: pauper factus est. En si Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, & totũ semel mundum possidet Sathanas, quomodo ad angulum vniuersæ terræ crucis trophæa collata sunt? Quod Hieronymus de Sardinia, possumus idem & nos dicere de Saxonia, mo-

*Lib. 1. cap. vlt. & li. 2. cap. 19. Lib. 2. cont. Epist. Parmen. cap. 19. Et lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 84. Psal. 85. Prou. 14 Psal. 2. Psal. 120. Hæreti corum paucitas. Basil. lib. 1. contra Eunomium. Ecclesia visibilis. Matt. 18. Psal. 18*

*Matt. 5. Esai. 2. Michæ. 4. Dan. 2. Bern. serm. 66. in Cant.*

*Matth. 4. Matth. 24.*

*Aug. con. Faust. Manich. lib. 13. c. 13*

*Lib. 2. Cap. 12.*

*Li. 5. Cont. Iul. c. 1. Lib. 2. c. 8. con. Parm. Aug. lib. 3. con. Crescen. c. 66*

*Cap. 12. Cap. 7. Aug. de agone Christiano. c. 29. Hieronymus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Lib.5.cap.10.* dò non totidem verbis: Non propter Saxonum tantum mastrucam Dei filium descendisse, nec in Saxonia tantum Ecclesiam & Euangelium Christum habere. De Arrianis quoq; scribit Socrates. Quòd cum illis multitudo populi adhæreret, de multitudine gloriabantur. Cùm autem à se multos ad Ecclesiam deficere viderent, illud ex Euangelio proferebant.

*In 24.ca. Matt. Lib.1.cont. Eunomium.* Multi sunt vocati, pauci verò electi. Tale quid etiam de Eunomianis refert Basilius. Quamobrem nihil est, quòd de paucitate sua glorientur hæretici, nec est quòd dicant: Ecce in cubiculis, ecce in deserto Christus est. Non est caput, nisi in corpore suo: nō est Christus, nisi in sua sancta catholica Ecclesia. Præclarè dixit Hieronymus: Stultum est eum paruo loco vel absconditò quærere, qui totius mundi lumen est. Ecclesia porrò catholica ibi est, vbi est fides catholica. Fides autem catholica ea est, quæ per orbem vniuersum iuxta Christi præceptum eadem semper annunciatur: nec vel tempore, vel locis vnquam variatur: à qua si quis dissentiat, is catholicus non est, quòd singularem quandam opinionem, non vnam communem omnium fidem amplecti videtur.

## *Quomodo dignosci possit Catholicus, exemplis illustratur.*

### CAPVT XXIII.

VOniam verò sicut Ecclesia, sic fides etiam catholica dicitur, & homo catholicus: quo magis dignoscere catholicum à singulari siue schismatico aut hæretico liceat, exemplis id planum facere conabimur.

*Arbitrium seruorū & non liberum. Clem.lib.3. recogn. epistio.190.* Dicit aliquis, absoluta necessitate euenire omnia: non esse liberum, sed seruum hominis arbitrium, non est catholicus. Quid ita? quia doctrinam hāc nō recipit Ecclesia Catholica. Cuius primus auctor cùm fuisse videatur Simon Magus, à Petro Apostolo legitur esse confutatus, sicut à successore ipsius Clemente memoriæ proditum est. Simonem posteà sequuti fuerunt in hac hæresi pertinaciter tuenda Marcion, & Manichæus: à Tertulliano, & Augustino, Petrus Habailardus: ab Anselmo, Bernardo, & Thoma confutati: Ioannes Vicleff in Constantiensi primùm, deinde & in Basiliensi Concilio condemnatus. Ab ijs maioribus prodierūt, qui nostro hoc æuo Euangelici, quàm Christiani dici malunt. Acrectè quidem: Hoc enim Euangelium, si modò tam impiam, tamq; absurdam doctrinam, tam præclaro nomine dici fas est, è densissimis, vt gloriantur, tenebris erutum, atq; in lucem prolatum, non à Christo, non à quoquam Apostolorum, sed à Simone Mago sibi per manus traditum acceperunt.

*Euangelici nostri temporis.*

*Omnes esse sacerdotes, & fœminam, et puerum eorum officio fungi. Hære.49. Hære.27.* Dicit aliquis: Christianos omnes esse sacerdotes, æquè mulierem, aut puerum, vt Papam absoluere, non est Catholicus. Quid ita? Quia doctrinam hanc nō recipit Ecclesia catholica. Vetus est hæresis hæc Quintilianorum, apud quos Episcoporum & Sacerdotum officio fœminæ fungebantur, sicut auctores sunt Epiphanius, & Augustinus. Quem errorem sequnti sunt ante trecentos triginta annos pauperes de Lugduno, qui & Valdenses vocantur: centum verò & octoginta post annis Ioannes Vicleff hanc hæresim sopitam resuscitauit. Atq; ij sunt Apostoli, à quibus hoc Euangelium ad nostri temporis Pseudoeuangelicos manauit. Hæresim hanc suo quoq; tempore fuisse, Tertullianus indicat in libro de præscriptionibus contra hæreticos.

*Fides sine operibus. 2.Pet. vlt. Augusti. de hæresib. hæresi. 54. De fide & operibus cap.14.* Dicit aliquis: Fidem solam ad salutem sufficere, neq; prodesse quicquam opera: non est catholicus. Quid ita? Quia hanc doctrinam non recipit Ecclesia catholica. Sumpsit error hic originem ex Pauli scriptis malè intellectis, ipso adhuc Paulo superstite, sicut indicare nonnihil videtur Petrus. Quæres, vt Augustinus testatur, adegisse videtur Iacobum ad epistolam suam scribendam. Posteà, sicut idem tradidit, per Eunomium quēdam error hic fuit renouatus: quem ipse refellit in libro, quem inscripsit de fide & operibus.

*Virginitatis meritum. Aug.li.3.de peccatorum meritis, & remissione, cap.7. 2.Pet.2. 1.Tim.5.* Dicit aliquis: Omnia opera esse æqualia, neq; ieiunium vllius, neq; virginitatē esse meriti maioris, quàm coniugium: esse virginitati pares nuptias: non est catholicus. Quid ita? Quia non recipit doctrinā hanc Ecclesia catholica, quæ profecta est ab auctore Iouiniano, qui cùm esset Monachus, sicut apud Augustinum legimus, relicto monachatu, velut canis ad vomitū est reuersus: cuius errore seductæ sanctæ virgines, irritam facientes primam fidem, nupserunt. Quem duobus libris iugulauit Hieronymus.

*Sanctorum inuocatio, & reliquiæ.* Dicit aliquis: Non esse sanctos inuocandos, nec haberi reliquijs eorum honorem oportere: non est catholicus. Quid ita? Quia non recipit doctrinam hanc Ecclesia catholica, cuius primus auctor fuisse videtur Eustathius, in Concilio Gangrensi damnatus, quem sequutus est posteà Vigilantius, per Hieronymum erroris conuictus.

*Missa sacrificium.* Dicit aliquis: Missam non esse sacrificium: non est catholicus. Quid ita? Quia doctrinā hāc non recipit Ecclesia catholica. Fuit error hic impius Petrobrusianorum, quos ante quadringentos annos confutauit, vir doctus & pius, Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis.

*Ciborum ac dierum delectus. Pro mortuis orandum.* Dicit aliquis: In ieiunando neque ciborum delectum, neque dierum discrimen vllum habendum esse, quouis tempore cibos quoslibet, etiam si secùs Ecclesiæ constitutionibus cautum sit, rectè sumi: non esse pro mortuis Deum orandum, aut Mediatoris sacrificium offerendum: non est catholicus. Quid ita? Quia doctrinam hanc non recipit Ecclesia catholica, quæ videtur auctores habuisse Iouinianum, & Aerium, sicut Philaster, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus testantur, ante mille ducentos propè annos hæreseos damnatos.

*Epipha.hære.57. Lib. de hæresibus. Hæresi.53.* Dicit aliquis: Christi & Sanctorum eius imaginibus non modò nullum habendum honorem, verumetiam è templis eas eijciendas esse: non est catholicus. Quid ita? Quia doctrinā hanc non recipit Ecclesia catholica. Hæc hæresis totis à Christo nato, septem seculis nullas egisse radices videtur. Etsi Patriarcha Constantinopolitanus Tharrasius (quemadmodum ex actis Nicænæ secundæ Synodi, quæ fuit septima vniuersalis, cognoscere licet) Manichæos, Mar-

*Imagines sanctorū honorandæ.*



cionistas, & eos, qui Christi naturas confundebant, quorum Princeps Fullo fuit, imagines respuisse narrat. Præterea Xeneam quēdam Hieropolitanum prius Episcopum, quàm esset Christo per baptismum initiatus, & Seuerum hæreticum. Porrò Xenæ, siue Xenaiæ tribuit hoc Elogium Euagrius, quòd verè vir fuerit à Deo alienus. Nicephorus verò & ante eum Georgius Cedrenus, cuius Annales nuper in lucem prodierunt, peridoneum sathanæ ministrum & impietatis mancipium vocat. Primus, inquit, Xenaias. O audacem animum, & os impudens, qui vocem illam euomuit, Christi & eorum, qui illi placuerunt, imagines venerandas non esse. Floruit autem Xenaias hic sub Anastasio Imperatore, post annum Christi 500. Ioannes verò Monachus Vicarius Orientalium Episcoporum, in eadem septima Synodo primum auctorem huius hæreseos esse vult quendam Sarantapechim, quem officinam diabolorum appellat, hominum præstigiatorem, & veneficum, & Ecclesiæ Dei hostem implacabilem: qui quo tempore vixerit, non satis constat. Eodem autem seculo quo Xenaias, fuisse videtur Serenus quoque Masilienfis Episcopus, verùm plus quàm 80. annis interiectis: quem grauiter à Gregorio primo reprehensum esse legimus, quòd imagines confregerit. Quamuis autem primus ex Imperatoribus idem fecerit Philippicus, qui non solùm è templis eas eijcere, verùm & sextam Synodum œcumenicam ex omni hominum memoria tollere conatus est, primum tamen huius hæreseos auctorem Theosterictus esse vult Leonem Isaurum, qui propterea vocatus etiam est Iconomachus, at q; Theomachus, quem hoc nomine tribus libris grauiter in sectatus est Ioānes Damascenus: quibus tam piè, tā doctè, tā diserte cultum imaginum defendit, vix vt quicquam ea de re scribi melius potuerit. Quòd autem hic Imperator imagines deijci, abradi, conteri, comburi iusit, fecit in duorum Iudæorum gratiam, & fecit reclamante Patriarcha Germano, viro non minus doctrina, quàm vitæ sanctimonia celebri: quem etiam libidini suæ resistentem loco mouit, ac sua dignitate priuauit. Quod facinus minimè sibi ferendum duxit Gregorius Pontifex. Ita q; cùm tres anni nondum interceslissent, Concilium Romæ congregauit, ad quod cùm Episcopi propè 1000. conuenissent, imaginum veneratio comprobata. Leo autem Imperator, & communione fidelium, & Imperio priuatus est: quodqúe per summam iniuriam Germano Patriachæ fecerat, idem ipse optimo iure passus est. Huic autem scelesto patri multò successit scelestior filius Constantinus, non sine causa Coproninus appellatus. Hunc Theodorus, quem Græci Studitam vocant, malitiæ domicilium, & multorum capitum draconem appellat. Hunc ingenti crudelitate præditum Venerem coluisse, dæmones inuocasse, nocturna sacra, in quibus pueros mactabat fecisse. Paulus Diaconus, Zonaras, & Suidas, Georgius Cedrenus, & alij nonnulli memoriæ prodiderunt. Is igitur talis cùm esset, & Romæ Synodum à Gregorio tertio congregatam, ingenti Patrum numero veneration em imaginum approbasse cognouisset: Congregauit ipse quoque Constantinopoli Synodum, quam septimam Oecumenicam dici voluit, in qua quod Principi placuit, legis vigorem obtinuit. Ejectis igitur ex templis imaginibus, interdictum est omnibus, ne quis eas venerari deinceps auderet. Quod eius decretum cùm posteà Constantinopolitanus Patriarcha sibi displicere non obscurè tulisset: primùm in exilium est missus, deinde cùm fuisset reuocatus, alapis cæsus, asino impositus, in Iudis Circensibus circunductus, conspútus, puluere conspersus, ad extremum capite truncatus est. Oecumenicum quoque professorem in schola Constantinopolitana, cum 12. collegis in ædibus Regijs noctu subiectis ignibus idem tyrannus comburi fecit. Adeò libera fuit illa Synodus, quam nostri quoque temporis hæretici septimam œcumenicam fuisse volunt, cùm tamē & à tyranno coacta, tyrannicéq; gesta fuerit, & in ea nullus Romani Pontificis Legatus adfuerit. Quin & ab alijs catholicis solijs (libet enim vti Georgij Cedreni verbis) nimirū Alexandria, Antiochia, & Ierosolyma nemo præsens aderat. Indixit autem Romæ Stephanus Papa paulò post Conciliū, ad quod cùm frequentes Patres vocati venissent, Synodus illa Constantinopolitana, quæ se dici volebat œcumenicam, tanquam execrabilis & pernitiosa fuit abrogata, simul vt restituerentur imagines vnanimi Patrum consensu decretum est. Cuius etiam successor Adrianus Pontifex iterum Niceæ sub Constantino Copronimi filio, & Irene matre eius verè Concilium œcumenicum conuocauit. Sic enim de eo scribunt Patres in eo congregati, Spiritus sancti inspiratione in hoc ipsum conueni entes, eiusdem cooperatione omnes idē in consensimus: Oriens, inquam, Occidens, Septentrio, & Meridies, in vnā vnionem, vt ita dicam, conuenimus. Vbi conuenerunt Patriarchæ, si minus per se, saltem per Legatos suos, vbi totus Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies, congregatus est: quis ibi dubitet œcumenicum Concilium fuisse: cùm præsertim etiam octaua Synodus habita Constantinopoli, & Florentina, & Anastasius, & Photius, in libro quem de septem œcumenicis Concilijs conscripsit, & Paulus Diaconus, & Iuo & Gratianus, & Nicephorus, & alij multi, eā pro œcumenica agnoscant. Contra quam tamen editus est liber quidam sub Caroli Magni nomine, anno 1549. cùm tamen nihil minus Carolus Magnus cogitauerit, quàm vt Synodum illam oppugnatam vellet. Nam quòd Synodum etiam Francoforti Carolo Magno imperante congregatam aiunt, in qua septima Synodus fuerit abrogata: de septima Synodo rectè potest intelligi, quæ fuit habita sub Constantino Copronino: non autem ea, quæ sub Constantino, & Irene, quæ non Constantinopoli, sed Niceæ habita fuit. Aimoinus certè de gestis Francorum scribens disertis verbis Synodum, quæ ante paucos annos Constantinopoli congregata fuerat, & ab ipsis non septima, verumetiam vniuersalis appellata, in totum ab omnibus abdicatam fuisse scribit. Et constat quatuor annis post libellum hunc æditum à Romano Pontifice Imperatorem Carolum, salutatum, & inauguratum esse. Præstitisset autē hoc beneficium illi Pontifex, si in eundem Iconoclastarum errorem incidisset, propter quē à Græcis ad Germanos Imperium translatum fuit? Clamat autem res ipsa fallum esse, quod ab istis asseritur, Nunquàm enim ante nostrum hoc seculū in Germania deiectas fuisse ima-

*Euag.lib.3.ca.31.*

*Acto.5.*

*Greg.li.7.epi.109 li.9.c.9.*

*Theost. in vita Nicetæ.*

*Paul.lib.21. Zonaras lib.3. Suid.in sui Lexico.*

*Act.7.epist.2.*

*Anast. in præf.8. Synodi. Paul.l.21.suo.l.4. cap.130. Gra.dist.16.cap.6. Nice.c.1.Tom.20. Lib.4.cap.85.*

Universidad de Deusto
BibliotecA



imagines constat,quod proculdubiò factum fuisset, si tale quod voluntisti, Concilium in Germania celebratum fuisset. Itaque rebus ipsis etiam & factis mendacium,hoc ipsorum,apertissimè confutatur. Scripsit autem Adrianus Papa libellum quendam ad Carolum Magnum,quo liber ille confutatur. Fuit alia quoque Synodus habita sub eodem Adriano Pontifice Frãcoforti,quo tempore Carolus Imperator Magnus regnabat, vbi similiter Pseudosynodus illa septima Constantinopolitana tanquam adulterina reiecta, quin & vsus imaginum est approbatus. De quarum cultu tres etiam extant Aurelianensis Episcopi Ionæ libri, quibus ita iubente Ludouico Pio, qui Caroli Magni fuit filius, impia Claudij Taurinensis contra cultum imaginum scripta piè,doctèq; confutauit, qui cùm sub illud idem tempus vixerit,quo Synodus Francoforti fuit habita,quamuis non loci Synodi,tamen illius meminit,quæ Caroli Magni iussu coacta fuit,adhibita etiam S. Romanæ auctoritate, in qua Felix damnatus fuit: cuius tamen errorem pestiferum, nullum apud Galliam Germaniamq; locum inuenisse dicit. Totis itaq; 100. & paulò plus annis,post annum à nato Christo 700. de imaginibus magnæ fuerunt contentiones, quæ tamen seculis posterioribus repressæ sunt: præterquàm quòd hac ætate nostra,& quibus in locis Valdensis hæresis ante annos plus minus 500. vigebat,in eas alicubi sæuiri cœptum est. Cùm itaq; tot Synodorum decretis Iconoclastarum heresis iugulata sit,præcipuè verò secundæ Nicenæ, quam œcumenicam fuisse, nemo sanus dubitat, quisquis diuersum ab ea sentit, quæ Catholicam Ecclesiam repræsentabat, Catholicus dici non potest.

*Lib.1. contra Claudium.*

*Sacerdotũ cõiugia. 1.Corin.11. Hære.25.*

Dicit aliquis: Vxores ducendas esse Sacerdotibus: non est catholicus. Quid ita? Quia doctrinam hanc non recipit Ecclesia catholica, quæ cum Paulo dicit: Si quis contentiosus esse velit, nos consuetudinem hanc non habemus. Hæc hæresis ad auctorem Iouinianum referri potest. Quamuis Epiphanius eam ad Nicolaum, qui fuit Apostolorum temporibus, referre videatur: Nunquam in Ecclesia catholica fuit sacerdotibus licitum vxores ducere, quamuis fas aliquando fuerit, quas duxissent ante sacerdotium, deinceps retinere. Sed alio loco fortasis ea de re fusius dicetur.

*Catholicus quis. Singularis schismaticus, & hæreticus est. Ep.52. ad Antonianum.*

Verùm quid est necesse singulos hæreticorum errores, quos pridẽ sopitos, videmus hoc tempore resuscitatos, enumerando recensere ? Vno verbo rem omnem complecti licet. Quisquis œcumenico Concilio legitimè congregato non credit, neque decretis eius paret, sed suum iudicium totius orbis iudicio præfert, non catholicus, verùm singularis est ; hoc est, schismaticus & hæreticus, neque Christianus dici meretur: cùm verè scriptum sit à Cypriano, quòd Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est, quod pluribus etiam verbis

*Bern. in Cãt. ser. 65*

Dialogo contra Luciferianos demonstrat Hieronymus. Rectè enim à diuo Bernardo dictũ est, quòd omnibus vna intentio semper fuit hæreticis, captare gloriã de singularitate scientiæ. Qui etiam alio loco, Lepra, inquit, proprij consilij eò perniciosior est, quò magis occulta, & quantò plus abundat, tantò quisq; sibi sanior esse videtur. Hæc illorum est qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum & obstinati in eo, ita vt nullis velint consilijs acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat ? tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei. Idololatriæ scelus est nõ

*Bern. serm. 3. de Resur. Domini.*

*Iren. lib. 3. c. 2. Hier. in c. 19. Esai. Greg. lib. 4. moral. cap. 18. Gala. 6. Gal. 2.*

acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare. Quod ante Bernardum quoque seculis aliquot his verbis è Gregorio scriptum legimus: Communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur: occulta & noua semper exquirunt, quæ dum alij nesciunt, apud imperitorũ mentes ipsi de sciẽtiæ singularitate gloriantur. Atq; ideò nisi quod ipsi sentiunt, rectum putant nihil. Catholicus, sicut antè dictum est, idem est, quod vniuersalis. Nam quod vniuersis probatur, in eo facilè acquiescit. Qui verò de singularitate scientiæ captat gloriam, existimans se esse aliquid, cùm nihil sit: atque inflatus sensu carnis suæ, & non tenẽs caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei: non quod vniuersis, verùm quod sibi soli placet, id solùm recipit: omnes desipere, se solùm sapere persuasum habet: atque ita, quoniam segregat semetipsum ab vniuersitate, neq; rectum esse quicquam putat, nisi quod ipse intelligit, singularis est, hæreticus est, schismaticus est: non est catholicus, neq; pertinet ad Ecclesiam catholicam, verùm ad sathanæ synagogam. Nihil autem potest hac singularitate Ecclesiæ Dei esse pernicio-

*Singularitate nihil perniciosius Ecclesiæ. Psalm. 79. Esai. 47.*

sius, quod etiã Propheta indicat, cùm de vinea Domini, quæ est Ecclesia eius, loquitur, quòd singularis ferus depastus est eam. Quem locum enarrans Augustinus: Singularis ait, quia superbus. Hoc enim dicit omnis superbus: Ego sum, ego sum, & nemo: sicut etiam apud Isaiam scriptum legimus: Sapientia tua, & scientia tua, deceperunt te, & dixisti in corde tuo: ego sum, & præter me non est amplius. Libet hic ex Vincẽtio Lyrinensi Catholici definitionem adscribere: Ille est verus & germanus Catholicus, qui veritatẽ Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei nil præponit. Non hominis cuiuspiã auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam : sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus stabilis parmanens: quicquid vniuersaliter Ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solũm sibi tenendum, credendumq; decernit. Quicquid ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes sanctos, nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Et qui fuisse videtur æqualis eius Ioannes Cassianus, vbi tractat de Incarnatione Christi: Sufficere, inquit, solus nunc ad confutandam Hæresim deberet consensus omnium, quia, indubitatæ veritatis manifestatio, est auctoritas vniuersorum : & perfecta ratio facta est, vbi nemo dissensit. Ita vt qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quàm damnanda peruersitas, quia præiudicium secum damnationis exhibuit, qui



qui iudicium vniuersitatis impugnat: & audientiæ locum non habet, qui à cunctis statuta conuellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quicquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscenda est, quòd à veritate dissentit. Ac per hoc sufficere si etiam id solum conuenit ad sententiam damnationis, quod discrepat à iudicio veritatis.

## *Quòd Concilium Oecumenicum Ecclesiam Catholicam repræsentat.*

## CAPVT XXIIII.

*Concilium generale Ecclesiam Catholicam repræsentat. Aug. li. 1. cap. 18. de bap. par. cont. Donatist. In epi. de Synodis Arimini, & Seleuciæ congregatis. Actione 5. Hier. aduersus Luciferianos.*

NEque verò dubitare debet quisquam Christianus, quin Concilium Oecumenicum legitimè congregatum, Ecclesiam catholicam repræsentet. Quamobrem quod ab illo statuitur, ab Ecclesia sancta catholica statuitur. Quod etiam Augustinus indicat, cùm plenarij concilij sententiam totius Ecclesiæ consensionem vocat. Et ante eum Athanasius: Ea, inquit, causa fuit, cur vniuersus orbis in concilium coiret. Vniuersum orbem vocat trecentos decem & octo Patres in concilio Niceno congregatos. Cùm in Ariminensi Concilio fuisset obreptum Episcopis, vt Arrianæ factioni subscriberent imprudentes, exclamat Hieronymus, ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Totum orbem vocat, Concilium Ariminense. Et in Ephesino Concilio, quod fuit œcumenicum tertium legimus decreuisse Patres, vt pro omni simul orbe terrarum, qui per eos qui in Ephesina Ciuitate collecti sunt, correcta fide, certamen susceperit, ad Imperatorem legati mitterentur. Et in Epistola eiusdem Concilij ad Augustum, vno animo Patres communiq; decreto totius Orbis terrarum à nobis prolata est sententia. Et in octaua Synodo, quæ quarta fuit Constantinopolitana, Bahanis Photium sic alloquutus legitur: Loquere domine Photi, totus mundus hic est. Totum mundum vocauit Synodum œcumenicam.

*Concilij generalis decretis qui non credit, non credit Ecclesiam catholicam.*

Quoniam igitur Ecclesia Spiritu sancto regitur, in his, quæ pertinent ad fidem, errare nullo modo potest. Qui itaque non credit œcumenico concilio, qui non acquiescit in eo, quod ab illo hoc est ab orbe toto Christiano definitum est, sed in dubium reuocare conatur, denuoq; disceptari vult de his, quæ semel illius iudicio terminata, rectèq; constituta sunt, non credit sanctam Ecclesiam catholicã: Spiritui sancto per os illius loquenti repugnat: atq; ideò catholicus, aut Christianus dici nõ meretur: sed habẽdus est, iuxta Christi præceptũ, tanq; ethnicus & publicanus. Præclarè Leo Pontifex: Quæ patefacta sunt quærere, q̃ effecta sunt retractare, & quæ sunt definita conuellere, quid aliud est, q̃ de adeptis gratiam non referre? & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Quamobrem non sunt audiendi, qui denuò de his referri volunt, de quibus decreta conciliorum intercesserunt. Quid enim? Superiorum conciliorum actis rescissis, an non ingens disciplinæ, religionis, & institutorum perturbatio, neq; mediocris rerum diuinarum, & humanarum omnium esset confusio sequutura? Quid fide nostra incertius? quid institutis mutabilius? quid Ecclesiæ statu futurum esset perturbatius? Quis tandem quærendi? quis disputandi finis esset expectandus?

*Matt. 18. Leo epist. 78.*

*A conciliis definita, non esse reuocanda in dubium.*

Exoptatur Concilium ab omnibus. Quis autem erit eius vsus? si posteaquàm decretum in eo quicquam fuerit, post aliquod temporis interuallum de eo, quod semel est decretum, disputare atq; illud rescindere, vel saltem in dubium reuocare licebit ? Quid aliud hoc fuerit, quàm efficere, vt semper fluctuent hominum conscientiæ, si nihil pro certo & indubitato habuerint? vt possit Paulinum illud dici: Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Postulabatur hoc priscis etiam temporibus ab Arrianis, vt quibus de rebus Nicenæ Synodi decretum intercesserat, de his denuò disceptare liceret: verùm decretum est à pijs, sufficere debere Nicænæ Synodi decreta : nec in illis quicquam deinceps curiosè diuexandum esse. Cumq; nouam quandam scripturam de fide (quam nunc vocant cõfessionẽ) Valens & Vrsatius produxissent: iussit Synodus, & aliarũ hæresum, & Nicæni quoq; concilij expositionem legi: vt alijs hæresibus damnatis, Nicænis decretis consentirent: & in posterum nemo de istis conquereretur, aut Synodum efflagitaret, sed præteritis contentus esset. Absurdum enim esse, quasi iam primùm credere incipientes talia conscribere, & præcedentium temporum traditionem traducere, qua vsi tam ipsi, quàm maiores, Ecclesijs præfuissent. In Chalcedonensi verò concilio non permissum est itidem in decreta Nicænæ Synodi inquiri: quin clamauit sancta Synodus: Si quis retractat, anathema sit. Si quis super ista inquirit, anathema sit. Maledictus qui addit. Maledictus qui aufert. Maledictus qui innouat. Ibidem cùm esset proposita Leonis epistola, nihil aliud quæsitum est, quàm illud: Num expositionibus trecentorum octodecim sanctorum Patrum & centum quinquaginta apud Constantinopolim, & in Ephesino Concilio à sanctissimo Episcopo Cyrillo expositæ fidei concordaret. Cumq; omnes Episcopi concordare dixissent, ita statim recepta est, vt qui contrà sentirent, pro hæreticis haberentur. Hoc est, quod ab Athanasio quoq; scriptum legimus: Quæ nunc à tot ac talibus Episcopis, pbata sunt ac decreta, clareq; demõstrata, superuacaneũ esse denuò reuocare in iudicium, nemo non confitebitur: ne si nunc quoq; examinentur, & denuò iudicentur, ac rursus examinentur, atq; iterum, in infinitum exeat ista curiositas. Leo quoq; Pontifex: Quotiescunq; diuina gratia administrante, illos qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus aut purgamus, in nullo ab illis, quas spiritus sancti diuinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter vtrunque hostem nouellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela liberemus: nõ iam, quod absit, tanquam de dubijs differentes, sed auctoritate sua, quæ benè definita sunt, adstruentes. Et iterum: Præ-

*Athan. Apol. 2.*

*Leo Epist. 63.*

*2. Timo. 3. Socrat. lib. 2. ca. 20 eccle. histo.*

*Zozom. li. 4. c. 17*

*Idem epist. 78.*

noscat, inquit, pietas vestra venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos, à sede Apostolica profectu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cturos: quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonam ſicut Deo placuit definitis, nihil nũ audemus inire tractatũ tanq; dubia & infirma ſint, quæ tanta per Spiritũ ſanctũ fixit auctoritas. Quem ſequutus Leontius Epiſcopus in libro quem aduerſus Acephalos edidit, Iudicium, inquit, Synodorum, ſolutio eſt dubitationis, ſecundum Canones Eccleſiaſticos, vtriq; parti contendenti: cum quo iudicio qui pugnat, non iam cum aliquibus perſonis pugnat, ſed cum toto Chriſtianiſmo.

*Chalce. ſyn. actione 3.*

*Non diſputandum de ijs, quæ ſemel ſtatuta ſunt.*

Extat Valentiniani Imperatoris, ſimul & ipſius collegæ Martiani edictum, in quo decreta Synodi Chalcedonenſis rata ab omnibus haberi volunt: vbi his verbis vtuntur: Ceſſet igitur iam prophana contentio. Nam verè impius, atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis, & aduenientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſsimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit, cùm ea, quæ nunc de fide Chriſtiana ſtatuta ſunt, iuxta apoſtolicas expoſitiones, & ſtatuta ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, definita eſſe noſcuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non ſolùm contra fidem benè compoſitam veniunt, ſed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine prophanant veneranda myſteria. Quibus verbis etiam ad Palladium ſcribens Martianus vſus fuiſſe videtur, ſicut in codicem Iuſtiniani relatum eſſe legimus.

*Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*

Eſt & aliud edictum Martiani ad Conſtantinopolitanos, vbi dicit: Admonuimus vniuerſos, vt de religione diſputare deſinerent: quoniam vnus & alter tanta ſecreta inuenire non poteſt, maximè cum ſummo labore & ampliſsimis orationibus tot venerabiles Sacerdotes, niſi Deo, vt credendum eſt, auctore, ad indaginem veritatis non potuerint peruenire. Leonem quoque Pontificem ſequutus Gelaſius: Patres, inquit, noſtri catholici, docti Pontifices in vnaquaque hæreſi, quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica, atq; Apoſtolica ſecundum ſcripturarum tramitem, prædicationemq; maiorũ, facta ſemel congregatione ſanxerunt: inconuulſum voluerunt deinceps, firmumq; conſtare: nec in eadem hac cauſa denuò, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recentiori præſumptione permiſerunt, ſapientiſsimè prouidentes: quoniam ſi decreta ſalubriter, cuiquam liceret iterare, nullum prorſus contra ſingulos errores ſtabile perſiſteret Eccleſię conſtitutum, ac ſemper ijſdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur. Neque diſſimilia leguntur apud Symmachum ad clerum Dardaniæ, & apud ſucceſſorem eius Hormiſdam ad Epiphanium ſcribentem. Quos ſequutus Gregorius, quatuor Concilia, quæ ſuã ætatem præceſſerant, ſicuti ſancti Euangelij quatuor libros ſe ſuſcipere, & venerari fatetur, quorum fidei ſi quis addere vel adimere aliquid præſumpſerit, eum anathemate ferit. Cunctas, inquit, perſonas, quas illa reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector. Quia dum vniuerſali ſunt conſenſu cõſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere, quos ligant: aut ligare, quos ſoluunt. Quod ante Gregorium feciſſe quoq; Theodoſium Cœnobiarcham, auctor eſt Symeon Metaphraſtes. Cùm enim ſuggeſtum is conſcendiſſet, in quo ſolent legere Sacerdotes. Si quis, inquit, quatuor ſanctas Synodus non tanti eſſe æſtimat, quãti quatuor Euangelia, ſit anathema. In quam ſententiam ab Agathone quoq; nonnulla ſcripta ſunt ad Conſtantinum Imperatorem, ſicut in actione quarta ſextæ Synodi Conſtantinopolitanæ legitur.

*Greg. in regiſtro li. 1. c. 24. & li. 2. ca. 49. & li. 3. cap. 33.*

*Quatenus licitum ſit diſputare de ijs, quæ ſemel in Concilijs ſunt decreta, vide 2. epiſtolam ſynodalẽ concilij Baſilienſ.*

*In vita eius, quæ habetur 5. tomo Lipponani.*

Verum iſti putant, quod de Dialecticis ſuis & Rhetoricis, quodq; de locis communibus faciunt: vt quotannis propè ſcripta ſua mutent, idem in tam ſerio fidei catholicæ negotio facere licere. Sed alia eſt catholicæ, alia ſingularis & priuatæ fidei ratio. In illa eſt conſtans & ppetua voluntas: in hac & ritus, & doctrina mutatur in annos, ac modò non in dies ſingulos ſicut ſcriptum eſt: Stultus vt luna mutatur. De Regis hominis decreto, poſteaquam ſemel pronunciatum eſt, diſputare fas non eſt, ſed ei parere neceſſe eſt: & fas erit de Spiritus ſancti decreto per os Eccleſiæ loquentis diſceptare, atq; illud in dubium reuocare? Abſit à piorum cordibus hæc tam impia cogitatio. Libet autem etiam eius ea de re ſententiam adſcribere, qui fuit noſtri temporis hæreſeon architectus. Is Pſalmum 82. enarrans. Legimus, inquit, quid ſancti Patres in Concilio Nicæno fecerint, ſimul vt Arrianorum doctrinam legi audierunt, exhibilarunt eam vnanimiter, neque dignati ſunt eam audire, nec paſsi ſunt, vt eam defenderent, ſed condemnarunt eos eueſtigiò abſque vlla diſputatione tanquam manifeſtos blaſphematores. Moſes etiam in ſua lege præcepit, vt tales falſi doctores lapidentur. Ad eundem modum, & hic non eſt multum diſputandum, ſed inauditi, atq; inaudita cauſa condemnandi ſunt tales manifeſti blaſphematores. Sicut etiam præcipit Paulus ad Titum 3. Debere hæreticum vitari poſt vnam atq; alteram admonitionem. Et Timotheo prohibet contentiones & diſputationes, quæ nihil aliud efficiunt, quàm quòd auditores perturbant. Nam tales communes articuli totius Chriſtianitatis, ſunt iam ſatis auditi, declarati & concluſi, ſcripto & confeſsione totius communis Chriſtianitatis: ſunt multis miraculis confirmati, ſunt multo ſanguine ſanctorum martyrum conſignati, ſunt omnium doctorum libris defenſi, neque deinceps vllius indigent magiſterio aut artificio. Deinde verò angularium prædicatorum nequitia eſt cohibenda: qui non vocati, neque miſsi, repunt in domos, & venenum ſuum effundunt, priuſquam Parochi aut Magiſtratus reſciſcere poſsint. Hi ſunt fures & latrones, de quibus loquitur apud Ioannem Chriſtus, qui in alienas Eccleſias irruunt, & alienum officium ſibi vſurpant, quod eis non commiſſum, ſed prohibitum eſt. Hactenus Lutherus.

*Lutherus.*

*Deut. 13.*

*Titum 3.*

*Prædicatores angulares.*

Sed



Sed ſcriptum eſt, aiunt, ab Auguſtino, etiam ipſa plenaria Concilia, ſæpè priora poſteriorib⁹ emendari. Scriptum eſt: ſed non eo ſenſu, quaſi quod ſemel in cauſa fidei ſtatutum eſt in vno aliquo plenario Concilio, id in altero retractari poſteà liceat. Vel vnum Concilium aliquod plenarium legitimè congregatum proferatur, in quo prioribus plenarijs Concilijs itidem legitimè congregatis, contrarium ſit aliquid conſtitutum in his quæ ad fidem pertinent: proferri proculdubio nullum poterit. Nam ſi quis vel Ariminenſe, vel Syrmienſe, vel Antiochenum, vel Epheſinum ſecundum, aut ſi quæ fuerunt alia eiuſdem generis Concilia congregata protulerit, quandoquidem auctoritate Romani Pontificis vel congregata, vel comprobata iuxta canones Nicæni Concilij non ſunt, legitimè congregata Concilia nequaquam dici poſſunt. ſed conuenticula potius & conciliabula. Eſt quidem ita, quòd in his quæ facti ſunt, fieri poteſt, vt fallatur aliquando plenarium Concilium, non autem in his, quæ fidei. Quò reſpexiſſe Auguſtinum, cùm diceret, plenaria Concilia priora, poſterioribus emendari, vel ea, quæ ſtatim ſequuntur verba, planum faciunt. Subiungit enim eueſtigiò: cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat. Quamobrem in his, quæ ſunt iuris poſitiui, quæ vel ad externum aliquem ritum, vel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, quoniam pro perſonarum, locorum, & temporum circunſtantia, mutationem aliquando requirunt, fit nonnunquam, vt prioria Concilia poſterioribus emendentur: quòd quædam ſuperioribus ſeculis quadrare poterant, quæ poſterioribus minimè conuenire, vel ipſa magiſtra rerum experientia compertum eſt. Itaq; cùm longè ſint omnium vetuſtiſsimi canones, qui vocantur Apoſtolorum, quoniam tamen in eorũ pleriſq; nimio plus inerat ſæueritatis, quàm poſteriora ſecula ferre poſſe videbantur: factum eſt, vt poſterioribus Concilijs emendarentur, mitigarenturq;. Eſt canon Apoſtolicus: deponi debere presbyterum fornicantem: quem in Concilio Gangrenſi, ſicut à Gratiano citatur, legimus emendatum, pœnamq; mitigatam: Sic in Concilio Nicæno conſtitutum fuit, vt Alexandrinus Patriarcha proximum à Romano Pontifice locum teneret: cui nõ ita multo poſt in Conſtantinopolitana Synodo prælatus eſt Conſtantinopolitanus. Adeò verum eſt, quod Iſidori, Gregorij, Hieronymiq; productis ſententijs oſtendit Gratianus, in pleriſq; decernendis, cauſam, locum, tempus, perſonas conſiderari oportere: quæ quoniam perpetua non ſunt, fit vt in eiuſmodi, etiam plenariorum conciliorum decreta nonnũquam priora poſterioribus emendentur, quæ tamen in his, quæ pertinent ad fidem, fixa & immobilia eſſe oportet, ac ſempiterno tempore duratura.

*Lib. 2. cont. Donat. cap. 3.*

*Concilia priora à poſterioribus quomodo corrigantur.*

*Can. 75. diſt. 82. c. presbyter.*

*Cap. 6.*

*Cap. 5.*

*Diſt. 29. cap. 3.*

Neque verò propterea Concilium œcumenicum non repræſentat Eccleſiam catholicã, quòd non omnes è vulgo ad illud conuocantur, eiq; interſunt. Nam nec fieri id vlla ratione poteſt: etſi maximè fieri poſſet, quid tamen aliud turba, quàm turbationem eſſet allatura? Præclarè dictum eſt à Ioanne Chryſoſtomo, quòd multitudo eſt mater ſeditionis & contumaciæ, paucitas verò magiſtra diſciplinæ. Neque ſine cauſa multitudo bellua multorum capitum à quodam Poëta vocatur. Patres liberorum ſuorum ſaluti & tranquillitati proſpicere tenentur: Patrum autem locum in Eccleſia tenent Epiſcopi. Satis itaque ſemper fuit exiſtimatum, ſi quos oportet de ſalute liberorum eſſe ſolicitos, ad quos ea cura propriè pertinet, hi ex vniuerſo orbe Chriſtiano ad Concilium eſſent conuocati. Cùm de ſeculi rebus agitur, cumque de his, quæ ad ſecularem rempublicam pertinent, habetur conſultatio, fieri videmus, vt non omnes accerſantur vndique, quòd ea res magis ad excitandum tumultum, quàm ad aliquid ex vſu reipublicæ ſtatuendum pertineret. Sed conueniunt Senatores, Optimates, ac Primarij terræ cuiuſque viri: qui poſteaquam conuenerunt, regnum vniuerſum aut reſpublica conueniſſe dicitur, & quæ fiunt in eiuſmodi conuentu conſtitutiones, regni conſtitutiones vocantur. Sic Leo Magnus, canonum Nicææ habitorum decreta, quò trecenti tantùm decem & octo conuenerant Epiſcopi, à totius mundi Sacerdotibus dicit eſſe conſtituta. Et alio loco canones illos Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia ſcribit eſſe conſecratos. Quò magis autem intelligi queat, ita ſe rem habere, manifeſtum id è ſcripturis faciemus. Poſt deſcriptam illam magnifici templi à Salomone fabricationem, dicit ſcriptura: Tum congregati ſunt omnes maiores natu Iſraël ad Regem Salomonem in Hieruſalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid. Ac paulò pòſt: Conuertitq; Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ. Omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat. Omni Eccleſiæ benedictum: omnem Eccleſiam Iſrael ſtetiſſe dicit: cùm anteà maiores natu tãtùm Principes tribuum, & Duces familiarum commemoraſſet. Quid aliud his verbis indicans, quàm quòd illi repræſentabant omnem Eccleſiam? Nam reliquus ferè cœtus omnis, à primarijs pendere conſueuit. Apoſtolorum temporibus Concilium Hieroſolymis legimus eſſe celebratum, quod Lucas deſcribens: Conuenerunt, inquit, Apoſtoli, & ſeniores, qui Græcè presbyteri vocantur, videre de verbo hoc. Conuenerunt, ait, non fœminæ, non iuuenes, non laici, ſed Apoſtoli & Presbyteri. Mox inducit Petrum loquentem: quem rectè ſcribit Hieronymus, Principem in eo Concilio lati decreti fuiſſe. Poſt cuius orationem, tacuit, inquit, omnis multitudo: & audiebant Barnabam ac Paulum narrantes, quanta Deus fecit ſigna & prodigia in gentibus per eos. Et poſtquam tacuerunt reſpondit Iacobus, &c. Hi ſunt omnes, quos dixiſſe ſententiam ſcribit Lucas: Petrus primo loco, tum Barnabas, Paulus, Iacobus. Omnis, inquit, reliqua multitudo tacuit. Quod verò ſubiungitur: Tum placuit Apoſtolis & ſenioribus, cum omni Eccleſia: nequaquam ex eo colligi rectè poteſt, præter Apoſtolos quenquam alium dixiſſe ſententiam, cum diſertè ſcripſerit Lucas, multitudinem omnẽ tacuiſſe. Quoniam verò Apoſtolorum decreto libenter pro eo vt debuit, paruit omnis multitudo, nec ab eo diſſentire ſibi quiſquam fas eſſe putauit, quod fuit ab Apoſtolis decretum: omnibus placuiſſe, omnes in eo ſcribitur acquieuiſſe, & omnium nomine epiſtola mittitur.

*Concilia generalia repræſentant vniuerſam Eccleſiam. Chry. Hom. 1. in Matt. operis imperfecti.*

*Leo ep. 24. & 26.*

*5. Reg. 8.*

*Actо. 15.*

*Hiero. in ep. ad Auguſt. epiſto. 11.*

*Placuit & Apoſtolis & ſenioribus, &c.*

D Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Concilia Episcoporũ sunt:*

Neque verò necesse est hac de re multa verba facere. Quotquot habita sunt deinceps Concilia, non ab alijs, quàm Episcopis habita esse, qui libros Conciliorum legerit, cognoscet. Itaque & Augustinus vocat non se[cr]l Concilia Episcoporum: ante quem Papa Marcellus, Synodum vniuersalem, Synodi [cr]iscoporum nominauit. Leo quoque Papa frequenter in epistolis suis vocat Episcopa[cr]oncilium. Itidem & Flauianus in epistola ad Theodosium, quæ est inter epistolas Leonis nona. Et Ruffinus nunc Episcopale, nunc Episcoporum Concilium vocat. Extat epistola Pulcheriæ Augustæ inter præambulares epistolas in Synodum Chalcedonensem, qua monet Bythiniæ Strategum, vt Clericos, Monachos, laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat, omnino de ciuitate, deque locis ipsis vbi Concilium haberetur, expelleret. Si quis autem propterea edictum hoc putat auctoritatem non habere, quòd à fœmina profectum est, is, si fortè ignorat, discat, hanc Deo dicatam virginem, cùm ad fratrem eius Theodosium recens ablactatum orbis terrarum imperium esset deuolutum, & fratris, & imperij procuratricem à Deo fuisse constitutam, cumquę de ipsius sententia Martianus fuisset mortuo fratre, Imperator designatus, imperij nihilominus consortem fuisse, ac vnà cum illo Chalcedonensi Concilio interfuisse. De qua scribit Sozomenus, quòd nondum quintumdecimum ætatis annum egressa, supra ætatem sapientissimum ac diuinum spiritum accepit: eiusque studio & sapientia perfectum esse narrat, vt suis temporibus hæreses non obtinerent. Quam & Leo Pontifex ille, quem ter sanctum & œcumenicum Patriarcham, sancta Synodus Chalcedonensis appellauit, scriptis ad eã epistolis aliquot, magnis effert laudibus: Quã Gregorius quoq; Nyssenus oratione sua celebrat, qua vitam illius describit. Quin & in octaua Synodo cùm pro more laudare vellent Eudoxiam Augustam, vocauerunt eam nouam Iudith, nouam Helenam, nouam Pulcheriã. Adeò celebre fuit Pulcheriæ nomen etiã sexcentis pòst annis, quàm fuisset mortua. Sed & in actis Concilij Chalcedonensis semel & iterum has voces emissas legimus: Synodus Episcoporum est, non Clericorum: superfluos foras mitte: vt quod à Pulcheria præceptum, id auctoritate Synodi confirmatum esse videamus. Ibidem etiam scriptum reperimus, quòd cùm ad Martinum Archimandritam directa fuisset chartula, vt subscriberet, non acquieuerit, dicens: Non est meum subscribere: Episcoporum tantùm est. Auxentius autem Abbas, cùm esset ad eandem Synodum inuitatus, ne venire quidem ad eam voluit, dicens: Non est Monachorum docere, sed potius doceri: hoc verò ijs solis conuenit, qui sunt honorati Pontificatu. Vidit hoc Theodosius Imperator, qui sanctæ Synodo scribens Ephesinæ primæ: Illicitum est, inquit, eum, qui non sit ex ordine sanctorum Episcoporum, Ecclesiasticis immiscerì tractatibus. Et in epistola ad Cyrillum, quæ habetur in operum eius Tomo quarto. Nos sanè non patiemur, inquit, vt simul & vrbes & Ecclesiæ turbentur: neque vt inexcussa nobis sit ea doctrina, cui dijudicandæ præfici oportet eos, qui circunquaque Sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis firmiores sumus, & posthac erimus. Vidit & Valentinianus, qui cùm per Episcopum Hypatianum verbis Episcoporum per Hellespontum & Bythiniam agentium, fuisset rogatus, vt ipsis ad corrigendum dogma conuenire permitteret, sic eum respondisse narrat Sozomenus: Mihi qui in sorte sum plebis, fas nõ est talia curiosius perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, inter seipsos quocunq; loco voluerint, conueniant. Ac rectè quidem Valentinianus. Nam sicut legimus in Actis Apost. solos Episcopos posuit Deus regere Ecclesiam suam: illis dictum est: Pascite, qui in vobis est gregem. Et per Hieremiam Dominus, Dabo, inquit, pastores, qui pascant vos scientia & doctrina. Et ad Timotheum ac Titum scribens Apostolus, quem Episcopum, eundem & doctorem esse vult. Pastorum est, gregis curam habere pascendo, iubendo q; ducere. Ouiũ est, discendo & obtemperando sequi.

*Augu. cont. Iulianũ Lib. 2.*
*Aug. ep. 119. c. 19. et 152. cõt. Donat. post collationem. c. 13.*
*Et de bap. cont. Donat. li. 6. ca. 35.*
*Et in breuiculo collationũ diei tertiæ.*
*Aug. ep. 94. & 118. & ep. 95. & lib. 2. cont. Iulianum.*
*Marcel. epi. 2.*
*Leo epis. 53. 16. 17. 88. 23. 53. 82. 91.*
*Sozo. li. 9. c. 1. eccle. hist.*
*Act. 1.*
*Sozo. li. 6. c. 7. eccl. hist.*
*Actum 10.*
*1. Pet. 5.*
*Hiere. 3.*
*Timoth. 3.*
*Titum 3.*
*Pasterum regere, & ouium obedire.*

Sed nescis, dicit quidam, ex ouibus pastores esse solere? Scio. Verùm & illud scio, priusquam id sint assequutæ, priusquam legitimè sint ad hoc munus vocatæ, pastorum eis officio fungi non licere, cùm scriptum sit: Nec quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Expectent igitur dum vocentur, dum pastores fiant, neque se prius, quàm factæ fuerint, ad munus pastorum ingerant: Quamobrem semper hoc à sancta catholica Ecclesia fuit obseruatum, vt ad iudicandum de his, quæ ad fidem catholicam, sanamq; doctrinam pertinerent, non admitterentur nisi catholici Episcopi, etiamsi ad concilium communicandum ex ordine quoque Sacerdotum viri doctrina excellentes adhiberi consueuerunt.

*Hebr. 5.*
*Imperatorum & Regum officium in concilijs.*

Quòd autem Reges & Imperatores Concilijs interfuisse quandoque legimus, non ob eam rem adfuisse credendi sunt, vt aliquid ipsi statuerent de rebus ad fidem pertinentibus, vt q; sibi earum cognitionem aut iudicium vsurparent, verùm vt auctoritatem, vnitatem, & concordiam Concilij tuerentur: & quæ salubriter essent in eo constituta, ea, vt seruarentur ab omnibus, prouiderent. Sed hic Varemundus, & hi qui sunt in eadem hæresi, Nicolai Pontifícis auctoritatem nobis obijciunt, cuius verba Gratianus in eum librum retulit, quem ipse decretorum inscripsit: ex quibus probare conantur, etiam laicis vel sententiæ dicendæ, vel iudicandi de controuersijs concedi potestatem oportere. Quid autem? an non rectè de Nobis, inquit, opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur. Nisi fortè scire quid loquantur existimandi sunt, qui ipsi tela contra se ministrant, qui pro sua sententia tuenda, testimonium ex illa Nicolai Pontificis epistola producunt, in qua nihil aliud per Pontificem agitur, quàm quod etiam Imperatoris Theodosij scripto, cuius paulò antè meminimus, prolato, tractatibus ecclesiasticis eos immiscere se, qui non sint ex ordine sanctorum Episcoporum, illicitum esse docetur. Quæ nam q; res alia causam Nicolao dedit eius epistolæ conscribendæ? quàm quòd Michael Imperator Constantinopolitanus ad votum secularium, quorum numerosa millia collegerat, congregato Concilio Præsularem cathedram ascendit, & aduersus Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum Sacerdotalis officium arripuit ministerij: quem de sede sua deiecit, & in eius locum Photium quendam suffecit, qui posteà per Adrianum, Nicolai successorem, congregata etiam Synodo Constantinopoli, quæ dicitur octaua, legitimè depositus, & in sedem suam Ignatius restitutus est. Hunc igitur Michaelẽ alloquitur Pontifex his verbis: Dicite, quæsumus, vbi legistis, Imperatores antecessores vestros in synodalibus conuentibus interfuisse: nisi fortè in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad Clericos, verumetiam ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Christianos? Quid aliud hæc verba sibi volunt, nisi quòd quoties de Domini Sacerdotibus erat iudicium, nemo Imperatorum Synodo interfuerit, cui nec Valentinianus Augustus interesse voluisse in eadem epistola commemoratur, cùm Sixto Pontifici quædam crimina fuissent obiecta: sed surgens à Concilio, dedit in arbitrio Sixti Episcopi, vt iudicaret iudicium suum: cùm autem de fide tractatum est, Imperatores nonnunquam interfuisse? Nunquid autem quoniam interfuerunt, ideò statim, quod proprium munus est Episcoporum, sententias dixerunt? de fidei controuersijs iudicauerunt? Minimè gentium: Verùm ad hoc tantum interfuerunt, vt pacem, tranquillitatem, & concordiam tuerentur, quodque de sententia Patrum in Concilium statutum esset, id firmum & ratum esse iuberent, edictisque propositis, inuiolatè ab omnibus obseruari præciperent.



*Fides vniuersalis.*

Verùm vniuersalis est, inquit Nicolaus, fides, communis est omnium, non solùm ad Clericos, verùm & ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Christianos. Quid igitur ex eo colligis? Pertinet ad omnes fides, ergo pertinet ad omnes iudicium de fide? Quin tu eadem ratione colligis, vniuersalis est iustitia, communis est omnium: quid enim sunt regna remota iustitia, nisi mera latrocinia? pertinet ad omnes vt ius suum cuiq; tribuatur, pertinet igitur ad omnes ius dicere? neq; soli Reges, aut Principes, aut quibus hæc ab illis est mandata iurisdictio, de causis ciuilibus, vel criminalibus iudicandi potestatem habebũt? Quid est hoc aliud, quàm ordinem ex rebus tollere, quàm sursum & deorsum omnia miscere? quàm dum à tyrannide metuis, anarchiam quandam inducere velle? Profertur & alia Gratiani sententia. *Dist. 18. cap. 1.* Episcoporum Concilia sunt inualida ad definiendum, atq; ita, si Dijs placet, argumentatur homo Dialecticus: Nihil quod est inualidum ad definiendum, est Concilium generale: Concilia Episcoporum sunt inualida ad definiendum, Cõcilia igitur Episcoporum non sunt Concilia generalia. Quid huic homini facias tam Dialectico? qui tanquam Psittacus verba profert non intellecta? Scilicet de generalibus Concilijs legitimè congregatis ibi loquitur Gratianus? Verba Gratiani sunt: Episcoporum Concilia, vt ex præmissis apparet, sunt inualida ad definiendum, ad constituendum, non autem ad corrigendum. Quòd si præmissa legisset hic homo, nunquàm sententiæ Gratianæ contrarium syllogismum produxisset. Quid enim est in præmissis? Legatur tota distinctio, quæ præcesit, nihil aliud in ea reperietur, quàm q; Marcelli, Iulij, Damasi, Gregorij, Pelagij, Symmachi, sententijs probatur. Concilia Episcoporum, quæ præsentiam Papę non habent, aut eius auctoritate congregata nõ sunt, ad definiendum & constituendum aliquid, nihil roboris habere. Saltem glossam legisset subtilis iste disputator, si præmissa legere non vacabat: de prouincialibus Concilijs loqui Gratianum didicisset, quòd in eis nihil generaliter constitui potest. Quamobrem non contra alios magis hęc verba faciunt, quàm contra eos, qui Nationale Concilium expetunt, in quo de fidei controuersijs constitua tur aliquid. Huius generis Concilia planè sunt inualida, & conuenticula potius, conciliabula q; quàm Concilia dici merentur. Siquidem fides, quam profitemur, Catholica est, & dicitur, nec ad vnam gentẽ aliquam, sed ad omnes & vniuersos pertinet, qui Christiani censeri volunt, in quacunq; tandem orbis parte sint constituti. Quamobrem seorsum aliquid in gente quapiam à reliquo Christiano populo constituere velle, quid fuerit aliud, quàm ab Ecclesia, fideiq; catholica se velle segregare? Huc itaq; respexit Gratianus, cùm dixit, Episcoporum Concilia ad definiendum esse inualida, non quòd non aliud in illis definiri & constitui possit, sed quòd iuxta morem in Ecclesia Dei, iam inde à temporibus Apostolorum semper obseruatum, de maioribus causis, fidei præsertim, ad sedem Apostolicam, aut ad Concilium œcumenicum illius auctoritate congregatum, referre sit necesse. Scripsit de Vandalica persequutione tres libros Victor, Augustini propemodum æqualis. In eorum altero, crudelem illum tyrannum Hunericum Vandalorum Regem edixisse narrat catholicis, vt ad certum diem Carthaginem venirent, de fidei ratione cum suis Episcopis conflictum inituri. Sed quid ad hæc Eugenius Episcopus Catholicorum nomine? Agnoscat, inquit, Rex, nos disputationem legis, cum adiutorio Dei nullatenus declinare, vel fugere: sed sine vniuersitatis assensu, nos non debere asserendæ fidei nostræ causas assumere: debere etiam trãsmarinarum omnium partium, qui nobis sunt in vna religione, vel communione consortes, agnoscere, quòd totius mundi causa agitur, non specialis prouinciarum Aphricanarum tantummodò. Cumq; per Obadum Præpositum regni sui dici rex iussisset: Subde mihi vniuersum orbem terrarum, vt sub potestatem meam totus mundus redigatur, & facio, ô Eugeni, quod dicis. Respondit Eugenius: Quod rationem non habet, dici non debuit: sic est hoc, quomodo si dicatur homini, vt per aera feratur & volitet, quod moris non est humanæ naturæ. Dixi enim, si nostram fidem, quæ vna & vera est, potestas regia cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos, scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum. Senfit igitur hoc ipsum Eugenius apud Victorem, quod Gratianus: in vna aliqua prouincia, siue natione, de fide, quæ catholica est, & ad

*Gratianus.*
*Concilia Episcoporũ quomodo inualida.*
*Cõcilia Nationalia.*
*Victor de Vandalica persec. lib. 2.*
*Ecclesia Romana omnium ecclesiarũ caput est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vniuersos pertinet, nihil ita constitui posse, vt ratum ab omnibus haberi sit necesse, nisi fortè sanctæ sedis Apostolicæ subsequuta sit approbatio. Quamobrem hæc Gratiani sententia non contra nos facit, sed contra eos potius, à quibus tanto studio Nationale Concilium expeti videmus.

*Laici docti an in cõcilijs locũ habeant.*

*Potestas spiritualis seculari potestate est superior & dignior.*

Sed inueniuntur inter laicos, dicis, multi doctrinis varijs perpolliti, in Theologia etiam exercitatiores quàm sunt multi Episcoporum. Fac ita esse, nunquid ideò tollemus ordinem ex rebus? & non illud studebimus potius, vt in eligendis Episcopis Pauli præscriptum, Cano num̃ decreta seruentur? Reperiuntur etiam de populo priuati multi, quibus maior inest iurisprudentia, quàm nonnullis ex his, qui cum potestate versantur, siue Regibus, siue Principibus, siue Iudicibus, siue quibuscunq; tandem alijs, quibus iuris dicendi potestas est permissa: num igitur tu, quia catus & prudens tibi videris, ac præ cæteris Iurisconsultus, Regẽ, aut Principem de suo solio deturbabis? ac tibi ipsi dicendi iuris auctoritatem à nemine concessam vsurpabis? Potéstne cogitari, vel dici quicquam absurdius, & ad seditionem in populo contra legitimam potestatem excitandam aptius? Habet autem, vt ne sis nescius, suos etiam Principes Ecclesia, de quibus per Prophetam dictum est: Constitues eos Principes super omnem terram. Hos, inquit Clemens Romanus, Principes vobis, & Reges, præsse putate, ac tributa, sicut Regibus pendite, à vobis enim & ipsos, & familiares ipsorum ali oportet, quemadmodum Samuel præcepit populo de Rege, & Moses de Sacerdotibus in Leuitico, sic & nos vobis de Episcopis præcipimus. Nam si ibi multitudo pro rata portione tanto Regi munera præstabat, quantò magis & nũc Episcopus accipere debet à vobis, quæ sunt à Deo sibi constituta ad sustentationem suam, & eorum qui sunt cum ipso Clericorum. Quod si verò aliquid etiam huic orationi addi oportet, plus hic accipiat, quàm ille quondam. Nam ille tantùm ea, quæ pertinent ad militiam administrat, belli, pacisq; moderator, ad tuenda corpora. Hic verò Dei Sacerdotium administrat, corpus, & animam liberans à periculis. Quantò igitur anima est corpore præstantior, tantò Sacerdotium regno sublimius. Ligat enim Sacerdotium & soluit eos, qui vel pœna, vel venia digni sunt. Itaq; Episcopum amare debetis vt patrem, timere vt Regem, honorare vt Dominum. Fructus vestros, & opera manuum vestrarum in benedictionem vestram offerentes illi primitias vestras, & decimas vestras, partes vestras, & munera vestra, dantes ipsi tanquã Sacerdoti Dei, primitias frumenti, vini, olei, fructuum, & omnium quæcunq; vnus Deus suppeditat vobis, & erit tibi oblatio tua accepta in odorem suauitatis Domino Deo tuo. Et benedicet Dominus opera manuum tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ, quandoquidem benedictio super caput largientis. Oportet autem vos nosse, quòd quamuis liberauerit vos Dominus à seruitute vinculorum, quæ fuerunt inducta super vos, & deduxerit vos in locum refrigerij, nec amplius permisit vos sacrificare ratione carẽtia animalia pro peccatis, liberauerit etiã vos illis expiationibus ab hircis emissarijs, à lauacris continuis, & aspersionibus: non tamen ab oblationibus vos liberauit, quas debetis Sacerdotibus, neq; ab ea, quam debetis egentibus, beneficentia. Dicit enim Dominus vobis: Nisi abundauerit vestra iustitia plus quàm Scribarum. & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Sic autem abundabit iustitia vestra, si maiorem curam habueritis Sacerdotum, orphanorum, & viduarum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in secula. Et iterum: Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Et rursus: Anima benedicta omnis simplex. Sic itaque facies tu, sicut Dominus ordinauit, & dabis Sacerdoti ea, quæ debentur ei, primitias, & decimas, area & torcularia pro peccatis, tanquàm mediatori inter Deum & eos, qui purgationis indigent & venia. Tenamque dare conuenit, illum autem dispensare tanquàm œconomum, & administratorem Ecclesiasticarum rerum. Neque verò discuties tuum Episcopum, nec obseruabis dispensationem illius, quemadmodum in ea se gerat, quando, cum quibus, vbi, benè, vel malè, vel conuenienter. Habet enim, Iudicem Deum, qui in eius manus dispensationem commisit, & dignum eum effecit Sacerdotio tanti loci. Hactenus Clemens de principatu Sacerdotum.

*Psalm. 44. Clem. li. 2. c. 37. 38. 39. constitut. Apost.*

*Episcopis & clericis fructus, & primitiæ soluendæ.*

*Cap. 39.*

*Sacerdotibus quæ dari debent.*

*Episcopus ecclesiasticarum rerum dispensator ex Dei commissione.*

Principatus autem hic Ecclesiæ, de quo tractat Clemens, tantò est omni regno excellentior: sicut à Chrysostomo & Gregorio Nazianzeno in oratione, quam de Hieremiæ dictis, præsente Imperatore habuit, scriptum legimus, quãtum inter spiritum & carnem, inter cœlum & terram, inter diuina, & humana, discrimen & interuallum esse potest. De quo scribit etiam Ambrosius: Quòd si Regum fulgori sublimitatem Episcopalem compares, & Principum diademati: longè diadema fuerit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Chrysostomus quoque: Maiorem, inquit esse Principatum Sacerdotis, quàm Regis, Propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungebant Reges. Enarrans illum Psalmi locum Augustinus: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est, inquit, pro patribus tuis tibi sunt nati filij? patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, non vides Paulum, quia non vides eos, per quos nata es: de prole tua tibi creuit paternitas: pro patribus tuis tibi sunt nati filij, constitues eos Principes super omnem terram. Hæc est Ecclesia catholica, filij eius cõstituti sunt Principes super omnem terram, filij eius constituti sunt pro patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem, adducantur ad templum Regis, &c. His igitur Principibus, non his, qui sibi docti præ cæteris videntur, & ad hoc munus vocati non sunt, Ecclesias regendi, ligandi, soluendi, deq; fidei causis cognoscendi potestas est concessa.

*Chrysost. de verbis Esa. homi. 4. & 5.*

*Amb. de dignit. sacerd. c. 2.*

*Chry. li. 3. de sacer.*

*Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, &c. explicatur.*

Sed libet hic Catholici cuiusdã Imperatoris verba adscribere, ex octaua Synodo Cõstantinopolitana, quàm in Ecclesiæ nostræ cathedralis Varmiẽsis Bibliotheca pulchris characteribus in charta pecorina scriptam reperimus. Is, absoluta iam Synodo, oratione quadam ad omnes, qui tum præsentes aderant, vsus, his tandem verbis laicos alloquitur: De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem mouere, neq; penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hoc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas ac cœlestes adepti sunt claues: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantęcunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursusq; Quantumcunque Episcodus sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, pastoris nominis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo ratio est, in ordine ouium constitutis pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ super nos sunt quærendi & ambigendi? Oportet ergo nos cum timore & fide syncera hos audire, & à facie eorum vereri, cùm sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant, & nihil amplius, quàm ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem vt videmus, adeò multos malitia in insaniam accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quòd pedes sint minimè cogitantes, legem ponere velint oculis. Oculos vocare Basilius videtur Episcopos, quos Ambrosius, Basilium Cæsariensem auctorem secutus, oculorum in Ecclesia fungi scribit officio. De quibus etiam in octauo Concilio Toletano legitur, dum secundum carnis assumptæ mysterium Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus, meritò in membris ejus, intentio Episcoporum, officia cernitur peragere oculorum. Sic & Augustinus sanctos Apostolos vocat oculos. Quantacunque religione sit & sapientia laicus, etiamsi vniuersa virtute polleat, fas tamen non esse censet Basilius, illi de ecclesiasticis causis sermonem mouere, quòd proprium hoc sit Episcopi munus, etiamsi multò sit is in virtute, sapientiaque inferior: idque Gregorij, quem Theologum Græci vocant, sententiam sequutus, qui in oratione septima, qua se excusat, cur tam diu, à functione abstinuerit ecclesiastica, sic populum affatur: Vos oues, nolite pascere pastores, neque super terminos eorum eleuemini: satis enim vobis est, si rectè pascimini: nolite iudicare iudices, nec legem feratis legislatoribus. Deus enim nequaquam Deus est seditionis & confusionis, sed ordinis & pacis. Nemo igitur caput sit, qui vix manus, aut pes esse possit, siue membrum aliud corporis honorabilius. Sed vnusquisque fratres in eo ordine, in quo vocatus est, permaneat, licet etiam dignior existat: in illóque magis præsentem amet claritatem, quàm vt eam quam non accepit, quærat. Nemo, qui sine periculo subesse potest, imperare desideret: nec subiectionis lex soluatur, qua tam terrestria, quàm cœlestia sunt colligata, neque dominationem multiplicem sine dominatione faciamus. Hæc Gregorius. Quæ postrema verba sic habent Græcè, μηδὲ πολύμον ἀναρχίαν τὴν πολυαρχίαν. Quæ sic Latinè significantius reddere possis. Neque committamus, vt dum imperare multos volumus, anarchia quædam efficiatur. Qui plura scribit in eandem sententiam in oratione de moderatione in disputationibus seruanda, quæ est in ordine vigesima tertia. Et in Poemate quod ad Populum Constantinopolitanum de vita sua scripsit, ἀναχία, inquit, γὰρ ἔστιν ἡ πλειαρχία, hoc est, Plurium dominatus efficit anarchiam.

*Imperatoris in octaua Synodo Constantinop. verba.*

*Episcoporum dignitas.*

*Nota. Ecclesiasticas causas laicæ potestati discutere, & iudicare non licet.*

*Oculi Ecclesiæ Episcopi Basil. cap. 4. Epist. 30.*

*Ambr. de dignitate sacerdo. c. 6. in Psa. 87.*

*In sua vocatione euiq; perseuerandũ.*

Intereà tamen illud non concedimus, inueniri multos laicos, multis etiam Episcopis in Theologia magis exercitatos: Neque enim si quis communes alicuius locos legit diligentius, ideò statim in Theologia dici debet exercitatior, quàm Episcopus. Ac fieri quidem potest, vt reperiatur nonnunquam Episcopus minus in scripturis versatus, quàm exigere videtur ea persona, quam sustinet: num idem propterea de omnibus iudicium esse debet? Nulla est prouincia, in qua non reperire tamen aliquos liceat, minimè vulgari doctrina præditos. Certè in eo Concilio, quod proximis superioribus annis Tridenti fuit habitum, etsi cœtus ingens fuisse dicitur inferioris ordinis virorum, qui doctrina præstare multum existimarentur: non alij tamen excellere magis visi sunt, quàm Episcopi, à quibus pleraq; sunt animaduersa, quæ inferioris ordinis viri docti minimè considerassent. Sed nouum non est, quòd ab hæreticis Episcopi catholici prius omnia & facere & pati parati, quàm vt scindi Christi tunicam inconsutilem permitterent: stupidi, bardi, trunci iudicantur. Sic Arrius hæreticus, vir Dialecticarum nugarum non imperitus, in quadam epistola, quam historiæ suæ Theodoretus inseruit, eos Episcopos, qui sententiæ suæ sunt aduersati, non inerudi-tos modò, verùm & hæreticos, hæreticus ipse vocat. Sic de Sabino narrat Socrates, quòd is Nicænæ Synodi Patres tanquàm simplices & idiotas perstrinxerit, quibus tamen hoc elogium tribuit Eusebius, quòd eorum alij celebres erant verbo sapientiæ, alij firmitudine & tolerantia continentiæ, alij medio modo ornati. Semper enim quæ præclara, rara sunt, neq; fieri potest, vbi maior est aliqua congregatio, vt excellenter omnes docti sint. Sunt alij mediocres, sunt & infra mediocritatem constituti: qui si cubi tumor abest & arrogantia, quæ solet eos ferè comitari, qui sunt aliqua doctrinæ opinione inflati, doctiorum sententiam non inuiti sequuntur. Et certè præstat in eiusmodi cœtu esse aliquem non doctissimum, qui cùm se videre minus intelligat, in eorum, quos plus videre persuasum habet, sententia lubens acquiescit: vt sit non interalta sapientes, verùm humilibus consentientes: quàm tales multos, quales describit Sapiens: Vidistin hominem, qui sibi sapiens esse videtur? spes est de stulto, quàm de eo multò maior: Nam qui sunt præfracto animo, nihil vt nisi quod ipsi intelligunt, rectum esse putent, quamuis ad rem potius quàm ad componenda dogmatum in Ecclesia dissidia idonei esse videantur. Quam in sententiam etiam à Iohanne Chry-

*Lib. 1. cap. 9. Soc. Libr. 1. cap. 5. Euse. lib. 3. de vita Constantini.*

*Episcoporum doctrinæ.*

*Rom. 12 Prou. 16.*

*Chry Hom. 76. in Matth.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ignorare quàm falsa nosse præstat.*

sostomo scriptum legimus: Præstat proba ignoratione detineri, quàm falsa opinione mancipari. Nam qui nescit, facilè ratione ducitur: qui verò scire credit cùm nesciat, non potest facilè veritatem suscipere, sed maiori sudore opus est, vt antequam vera inculcentur, falsa ex animo eius eijciantur. Nam & in charta vbi nihil scriptum est facilimè scribitur, literis verò plena, non similiter: necesse enim est priora deleri. Et terra facilius aratro proscinditur, quæ nihil habet, quàm quæ vepribus est referta. Nihil igitur impedit, quominus esse Concilia dicantur Episcoporum, etiam si non ita, vt deberent, in sacris literis omnes Episcopi sint versati, cùm præsertim neq; fuerit, neq; futurum sit Concilium vllum tam œcumenicum, vt omnes ad illud orbis Christiani totius Episcopi conueniant: neq; mitti ferè consueuerunt ex vnaquaq; prouincia, nisi de quibus est opinio doctrinæ singularis.

*Concilijs generalibus Imperatores & Reges solùm interfuerunt, non vt de fidei causa sententias dicant, aut iudicent.*

Verùm interfuerunt Imperatores, & Reges Concilijs. Quis negat interfuisse? cùm eos etiam nostro tempore literis Pontificijs ad Concilium inuitari, nemini sit obscurum. Quod verò de causa fidei iudicauerint, hoc est quod constanter negamus. Euoluantur omnia Concilia, quæ à nato Christo habita sunt ad hæc vsq; nostra tempora, nullum reperietur, in quo sibi quisquam Imperatorum de fidei causa iudicium arrogauerit. Longum autem esset enumerare omnia, præsertim prouincialia, quæ rectè Gratianus ad definiendum, & constituendum inualida esse docet, de quibus etiam Canonem quendam legimus octauæ Synodi generalis, in quo hæc verba reperiuntur. Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absq; principali præsentia celebrari, cùm nusquam sacri Canones conuenire seculares Principes in Concilijs sanxerint, sed solos antistites. Vnde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Concilijs vniuersalibus inueniemus. Neq; enim fas est seculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquàm eueniunt.

*Actione 10.*

*Concilijs prouincialibus Principibus secularibus interesse non licet. Distinct. 16.*

Cæterùm recenset idem Gratianus, & ante eum Iuo Carnotensis, octo Synodos œcumenicas: quarum prima, sicut à Damaso scriptum legimus, cum Sylueſtri consensu, Nicææ habita est à Christo nato trecentesimo tricesimo plus minus: quod etiam indicat epilogus Romanæ Synodi sub eodem Sylueſtro habitæ: vbi legitur 318. Episcopos Sylueſtri vocatione fuisse Nicææ congregatos. Quin & in sexta Synodo scriptum est, Constantinum, & Sylueſtrum Nicææ magnam Synodum congregasse. In ea Synodo, qui Christum creaturam esse asserebat, & eiusdem cum patre substantiæ negabat, Arrij hæresis est extirpata. Secunda, quinquaginta sex annis, vel si Georgio Cedreno credimus, 60. annis post, Constantinopoli, per Damasum congregata, quod ex Patrum verbis in Epistola quadam ad Damasum scripta colligere licet, vbi sic loquuntur: Constantinopoli, mandato literarum superiori anno à vestra Reuerentia post Concilium Aquilienſe ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque faciundum nos præparauimus. Quã Epistolam legat apud Theodoretum, qui volet, in Ecclesiastica historia. In hac Synodo Macedonius à Damaso, Petro quoque Alexandrino præsente, sicut in responso Damasi apud eundem Theodoretum legere licet, est damnatus, qui Spiritum sanctum esse Deum inficiabatur, simul & Apolinarius, qui Christum, ipse demens, esse sine mente blasphemabat. Tertia quadraginta annis interiectis, Ephesij, Cœlestino instante Pontifice congregata, quod indicat illa Epistola Patrum Ephesi congregatorum ad Cœlestinum, vbi sic loquuntur: Tum Ecclesiæ Canonibus, tum Epistola Sanctissimi Patris nostri, & collegæ Cœlestini Episcopi Romanæ Ecclesiæ necessariò compulsi, idque non sine crebris lachrymis ad hanc seueram sententiam contra Nestorium pronunciandam venimus: in qua Nestorius est anathemate redditus execrabilis, qui propria stultitia seductus, alium ante secula Deum verbum, alium verò ex Virgine pro nostra salute incarnatum nugatus est. Quarta, post interuallum annorum triginta Chalcedone, iussione Leonis Pontificis congregata. Sic enim scribunt ad Leonem Augustum Episcopi secundæ Mediæ: in Chalcedonensium ciuitate, multi Episcopi conuenerunt per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum. Et ad Martianum Augustnm scribens Leo: Poposceram, inquit, à gloriosissima clementia vestra, vt Synodum, quam pro reparanda Orientalis Ecclesiæ pace à nobis etiam petitam necessariam iudicastis, aliquantisper differri ad tempus oportunum iuberetis: in qua Eutyches vnà cum Dioscoro, qui duas in vno Christo naturas incommutabiliter vnitas negauerat: vnam autem naturam ex duabus fuisse compositam prodigiosè pronunciauerat, infinitis execrationibus est deuotus. Quinta, centum & duobus annis post, iterum Constantinopoli, instante Iustino Imperatore per Hormisdam Papam congregata fuit, sicut in Pontificali legitur: in qua Origenes, Euagrius, Didymus, propter falsa quædam & peregrina dogmata sunt damnati. Sed Germana quinta Synodus primum in lucem prodijt anno 1567. Nam quæ legitur in priorihus editionibus secundi tomi Conciliorum, non fuisse videtur Germana quinta Synodus œcumenica. In hac igitur quinta Germana sicut etiam à Gregorio scriptũ legimus, Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur, & scripta Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Sexta posteaquàm centum vigintinouem anni interesserunt, tertium Constantinopoli: in qua Sergius, Pyrrhus, Petrus, Polychronius, qui vnam tantùm in Christo voluntatem, & operationem esse contendebant, è cœtu piorum eiecti, & anathemate sunt percussi. Quod idem aliquot annis ante factum fuit à Martino Papa in Concilio Lateranensi. Septima, sexaginta post annis, iterum Nicææ, in qua qui demoliti fuerant imagines, & eas idola vocabant, Basilius, Theodosius, Sisinius, & alij nonnulli sunt hæretici pronunciati. Octaua, post centum plus minus annorum interuallum, quartum Constantinopoli, in qua Photius, qui per vim de sede sua deturbato Ignatio Constantinopolitano Patriarcha, in

*Acto. 18.*

*Lib. 5. cap. 9.*
*Ibidem cap. 10.*

*Vide Euagrium lib. 1. ca. 4.*

*Hæretici in concilijs generalib. damnati.*

*Leo Epist. 43.*

*Greg. Li. 1. epi. 24.*

*In concilijs fuerunt Imperatores.*

locum



locum eius inuaserat, legitimè de eo deiectus, & tanquam nouus Dioscorus, & qui cum Iconomachis facere videretur, anathema pronunciatus est.

Interfuit Nicænæ Synodo Cõstantinus Imperator, sed quomodo interfuit? Cùm paucis postremus omnium ingressus, posita modica quadam sede, non prius consedit, quàm annuissent Episcopi: cum q; de concordia, & pace pleraque disseruissent, diligentiorem dogmatum inquisitionem ipsorum sententiæ permisit, sicut in historijs suis Eusebius, Socrates, Theodoretus, memoriæ prodiderunt. Itaque trecentos decem & octo Episcopos in eo Concilio subscripsisse legimus, Constantinum subscripsisse non legimus. Quin illud de eo tradit Zozomenus, quòd cùm ipsi fidei scripturam artificiosè constructam Arrius obtulisset, arbitratus fuit Imperator, eum conformia cum illis sentire, de quibus in Nicæna Synodo conuenerat: quo nomine gauisus quidem est, verùm tantùm ipse sibi non permisit, vt eos ad communionem reciperet, priusquam causa ab illis, penes quos erat potestas, sicut Ecclesiæ norma postulat, & dijudicaretur, & diligenter examinaretur. Mittit igitur ad Episcopos Hierosolymis tum temporis congregatos. Ex quibus verbis manifestè constat, quòd secundum Ecclesiæ legem de rebus fidei non licebat alijs cognoscere: præter Episcopos.

*Constantini Imperatoris in concilijs mobestia.*

*Euseb. lib. 3. de vita Constantini.*

*Soc. lib. 1. cap 8.*

*Theod. lib. 1. cap. 7.*

*Zozo. li. 2. c. 26.*

Interfuit Constantinopolitanæ Synodo Theodosius. Nunquid subscripsit? Solos Episcopos centum quinquaginta subscripsisse legimus. Tertiæ Synodo, quæ fuit Ephesi habita, ducentorum Episcoporum, non quidem interfuit Imperator, sed misit loco suo Candidianũ, Scribit autem ipse ad Synodum, qua cum potestate miserit, his verbis: Deputatus est, inquit, Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum, transire vsque ad sanctissimam Synodum vestram, & in nullo quidem, quæ faciendæ sunt de pijs dogmatibus quæstiones communicare: Illicitum namque est eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immiscerì tractatibus. Ac miserat idem ad eam, quæ iterum fuit Ephesi congregata, Synodum, quæ tamen inter approbatas non numeratur, Elpidium Comitem, & Eulogium Tribunum, non vt de causa fidei iudicarent, sed valentes, inquit, nostris iussionibus ministrare de his, quæ in Epheso à sancta Synodo fuerint constituta, & nullum fieri tumultum permittere: Sed & si quem videritis conturbationibus & tumultui studentem ad læsionem sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipare. In quam sententiã etiam ad Proclum Asiæ Proconsulem scripta eiusdem Imperatoris extat epistola.

*Thdodosius.*

*Ad concilium legatus Theodosij cum missus.*

*Actione 1. Synodi Chalcedonẽsis.*

Interfuit Chalcedonensi Martianus, sed à legatis Leonis Papæ petitus: vt sui præsentiam præstaret Concilio: quòd ipso absente, se ad Concilium non occursuros dicerent, sicut in Breuiario suo testatur Liberatus. Quam autem ad rem interfuit? Narrat hoc ipse dicens: Ad confirmandam fidem, non ad ostendẽdam virtutẽ, vt nunc per hanc sanctam Synodum deposita nebula, quæ nunc in his paucis annis ex prauitate quorundam, & auaritia visa est exoriri, semper seruentur quæstatuta sunt. Sexcentos triginta Episcopos subscripsisse legimus, Martianum subscripsisse non legimus. In quinta, quæ est Constantinopolitana secunda, non interfuit quidem Imperator ipse: verùm Theodorum Sileuciarum cum literis misit ad Synodum scriptis, quæ, posteaquàm lectæ fuerunt per Stephanum Episcopum Raphiæ, dixerunt Episcopi: Theodorus vir magnificus exeat, cùm satisfecit pijssimi Imperatoris iussioni. Soli centum sexagintaquinque Episcopi, & sententias dixerunt, & subscripserunt, in hunc modum: Eutychius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos, decreui, & subscripsi. Qua forma etiam subscripserunt omnes alij, Vigilius Pontifex præsens tunc aderat Constantinopoli. Sed quamuis & à Patribus, & ab Imperatore fuerit inuitatus, nec ipse tamen venit, nec misit suo nomine quequam. Nihilominus recitatæ sunt epistolæ quædam Vigilij ad Rusticum, & Sebastianum, & ad Valentinianum, & Aurelianum Episcopos, quarum auctoritatem se secutos Patres ostenderunt in his condemnandis, quos anathema pronunciauerant, vt ne quid præter sententiam eius fecisse viderentur. Scribit autem Photius in eo libro, quem de Concilijs edidit, quòd quamuis ad sacri cœtus prouentus Vigilius promptus non esset, communem patrum fidem libello comprobauit.

*Martianus. Cap. 3.*

In sexta, quæ fuit Constantinopolitana tertia, & Imperator Constantinus interfuit, & multi cum eo viri illustres, qui etiam gloriosissimi iudices vocantur, itidem vt in Chalcedonensi Synodo fuerant vocati. Sed nec Imperator, nec quisquam eorum, qui vocantur iudices, hoc sibi arrogauit, vt de fidei causa iudicaret. Sicut autem in Chalcedonensi, ita in hac sexta Synodo Constantinopolitana non aliam ob rem & Imperatorem, & iudices istos interfuisse liquet, quàm vt ordine omnia agi procurarent, ne quid per vim, aut per tumultum fieret, vt libera cuique potestas dicendi daretur. Si quid per vim, aut tumultum factum esset, de eo cognoscerent, ac de sontibus pœnas debitas sumerent. Atque ad hanc, non ad aliam rem iudices constituti fuisse videntur, quod ex actis vtriusque Synodi, & quarræ Chalcedonensis, & sextæ Constantinopolitanæ videre licet. Quid enim aliud ibi iudices, aut etiam Imperator ipse, quàm legi preces, quæ acta essent, recitari, authentica monumenta proferri, ad obiecta responderi, si qui cupiebant audiri, eos intromitti mandabant: vociferationes prohibebant, si qua vis illata, si quid per tumultum factum esset, cognoscebant: vbi de fide agebatur, Synodo iudicium permittebant. Quod vel illa verba indicant in actione prima Chalcedonensi, vbi iudices & Senatus dixerunt, Dicat sancta Synodus, si canonicis epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli consonat interlocutio Eustathij reuerendi Episcopi. Et in octaua actione ijdem iudices. Omnis iam dubitatio de Theodoreto reuerendo est soluta, quippè & Nestorium coram nobis anathematizauit, & à sanctissimo Leone susceptus est, & definitionem fidei suscepit, & epistolæ sanctissimi Leonis subscripsit. Deest igitur, vt sententia à Deo amabilitate vestra proferatur, vt Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo iudicauit. Qua sententia per Episcopos lata, dixerunt iudices, vt secundum decretum sancti Concilij (non suum, aut Imperatoris) Theodoretus Ecclesiam reciperet. Similiter & de Iba

*Constantinus. In concilijs Iudices de fidei causa non iudicãt, & cur interfint.*

*Actione 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



factum est, & de alijs nonnullis. Ad eundem modum in sexta quoque Synodo Imperator. & sanctum Concilium dixisse leguntur. Discurrat Georgius codices, proueniat lectio, fiat lectio, alter liber relegatur. Itidem & glorioſiſsimi iudices nunc hunc, nunc illum intromitti iusserunt. Posteaquàm verò ventum est ad sententiam contra Macharium ferendam, iam nec Imperator loquitur, nec Iudices, sed sola sancta Synodus: quemadmodum ex duodecima & sedecima actione videre licet. Sed & in actione decimaoctaua, posteaqnàm subscripsissent, trecenti quinquaginta Episcopi, in ipso fine subscripsisse legitur Imperator in hæc verba: Et subscriptionem pijssimi & Christo dilecti Constantini Imperatoris, legimus & consensimus. Acmox: Constantinus pijssimus Imperator dixit: Edicat sanctum & vniuersale Concilium, si cum consensu omnium Episcoporum promulgata est definitio, quæ ad præsens celebrata est. Cumq; sanctum Concilium exclamasset: Omnes ita credimus: edictum scribi fecit Imperator, vt quod fuit à Concilio definitum, id omnes firmiter obseruarẽt. Ac primus fuit hic, qui subscripsisse Concilij definitioni videtur, sed non iudicans, verum consentiens tantùm: quod factum etiam à quibusdam in Concilio Arausicano viris illustribus eadem forma legimus. Quamuis in octaua Synodo generali, cùm postularetur à Basilio Imperatore, vt primus ipse subscriberet Concilij decretis, respondisse legitur: Tranquilissimum imperium nostrum sequutum, præcedentes & iustissimos Imperatores, Constantinũ videlicet Magnũ, & Theodosium, ac Martianũ, ac cæteros, vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum: sed quoniam postulat præferri nos sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum Vicariorum: Edocti enim sumus à Christo vero Deo nostro, habere exaltantem humilitatem.

*Constantini Imper. subscriptio.*

*Basilij Impe. modestia.*

*Act. 10.*

Ex quibus verbis colligitur, subscripsisse quidem Imperatores in alijs Concilijs œcumenicis, verùm in his acts, quæ habemus, præterquàm in sexta & octaua Synodo nullius Imperatoris subscriptionẽ reperire licuit. In Chalcedonẽsi verò concilio Episcopi subscripserũt hac forma: Flauius Episcopus Constantinopolitanus iudicans. Et alio quodam loco definiens subscripsi: Presbyteri verò simpliciter: Eusebius presbyter subscripsi. Quæ forma etiam in quinta Synodo inter Episcopos & presbyteros fuit obseruata, vt Episcopi subscriberent, definiui, & subscripsi. Presbyteri, sequendo definita subscripsi. In septima Synodo, quæ est secunda Nicæna, interfuerũt quidem duo Senatores: sed initio pauca loquuti, perpetuò posteà tacuerunt: Episcopi, qui numero fuerunt trecenti quinquaginta, decreuerunt & subscripserunt, prætereà nemo. In octaua Synodo, quæ fuit Constantinopolitana quarta, interfuit quidem Basilius Imperator & subscripsit, sed quàm ab eo fuerit alienus, vt aliquas in iudicando sibi partes de fidei negotio sumeret, ex his, quæ superiùs scripta sunt, cognoscere licet. Primo loco subscripserunt legati, quos Adrianus pontifex Romanus miserat, hac forma: Ego Donatus Dei gratia Episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini mei Adriani summi Pontificis & vniuersalis Papæ, omnia quæ superiùs leguntur, huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens, atque ad voluntatem eiusdem eximij præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi: Qua forma & collegæ eius duo vsi sunt. Ignatius verò hac forma subscripsit: Ignatius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ, sanctam hanc vniuersalem Synodum suscipiens, & omnibus, quæ ab ea iudicata, & scripta sunt, concordans & definiens subscripsi manu propria. Quam eandem formam in subscribendo sequuti sunt Ioseph vices, agens Patriarchiæ Alexandrini, Thomas Antiocheni, Helias Hierosolymitani. Post quos tandem subscripserunt Imperatores hac forma: Basilius Constantinus, & Leo perpetui Augusti in Christo Deo fideles Principes Romanorum: & magni Imperatores, sanctam hanc & vniuersalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt, concordantes, subscribimus manu propria. Ex eo videre licet, quòd Imperatores, vel quicunque alij non Episcopi, etiam in subscriptionibus suis diligenter caue rint, ne quid tanquàm iudicantes in fidei aut quacunq; tandem Ecclesiastica causa fecisse viderentur, vt astitisse tantum in Concilijs, ad pacem eorum & tranquillitatem conseruãdam, non autem præsedisse, vel aliquam sibi de rebus Ecclesiasticis iudicandi potestatem arrogasse videantur.

*In concilijs quibusdam Imperatorum subscriptiones reperiuntur.*

*Concilijs Episcoporũ & presbyterorum subscriptiones.*

*In concilijs Principum laicorum subscriptiones.*

Simul & illud notatu dignum est, quòd in œcumenicis Concilijs præsidebant Romani Pontificis legati. Extat in bibliotheca Vaticana Vigilij libellus manuscriptus, nec adhuc quod sciamus in lucem editus, in quo inserta est professio Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani. In ea quatuor synodis œcumenicis enumeratis sic loquitur Mennas: In quibus iuxta tempora sua prædecessores Sanctitatis vestræ beatissimi Papæ senerioris Romæ ipsis synodis præsederunt. In Ephesina Synodo in relatione ad Imperatores transmissa, scribunt Patres præsedisse Celestinum Pontificẽ. In Chalcedonensi quoq; synodo sic legitur: Paschasius & Lucensius Reuerendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter tenentes locum sedis Apostolicæ, quia missi Apostolici semper in synodis prius loqui & confirmare soliti sunt, per Paschasium dixerunt. Et aliquanto superius: Paruitatem nostram Pontifex huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideoq; necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.

*Vigilius.*

*In concilijs generalibus Pontificis Romani legati præsidebant.*

*Act. 10.*

*Act. 3.*

Vsq; eo autem Imperatores catholici iudicium in causa fidei sibi non arrogarunt, vt neque tamen iudicium de fide sibi sumpsit, sed Patriarcham Cyrillum iudicem esse permisit. Theodoricus itidem Arrianus ad iudicium Ecclesiasticum vocatus, in Synodali arbitrio esse dixit, in tanto negocio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negocijs pertinere. Quid autem? quod vix hæreticorum aliquem fecisse quisquã reperiet, id facturum quenquam putamus, qui vel micam in se Christiani pectoris habeat, quiq; catholicus & orthodoxus dici & esse velit? Nihil est, quòd in priscis illis commemoran dis

*Hæretici Principes recusarunt iudiciũ in causa fidei ferre. Victor. li. 2. de persecutione Vandal. in 4. Synod. Rom. sub Symmacho Papa.*



dis longiores simus, nostri etiam seculi principes non minori præditos religione videre licuit.

Anni iam triginta & amplius interceſſerunt, cùm noua quædam & peregrina dogmata sparsit in vulgus Martinus Lutherus, qui princeps fuit & auctor sectarum, quibus miserandum in modum Germaniam dissectam esse videmus: Quas, quæ clades, quæ sint calamitates consequutæ, quis est qui sine lachrymis commemorare queat? Si Turcarum ipse tyrannus cum quamlibet numeroso exercitu Germaniam peragrasset, maiore illam clade vix afficere potuisset. Huncitaq; Martinum Lutherum tot sectarum, totq; claudium auctorem, paternè monuerat initio Leo Pontifex, vt errores suos reuocaret, atq; ad sanam aliquãdo mentem rediret: Sed cùm nihil paternis adhortationibus suis profecisset, de Concilio patrum amplissimorum, & eorum qui doctrina sacrarum literarum præstabant, Martinum hæreticum pronunciauit: ac misso ad vnum omnium Christianissimum Imperatorem, vereq; catholicum Regem Carolum eius nominis Quintum, qui feliciter adhuc imperat, legato, postulauit ab eo, tanquàm primario Ecclesiæ filio & aduocato, vt sententiam sedis Apostolicæ sequutus, pœnas contra eum decerneret, quibus hæretici condemnari consueuerunt, iuxta morem à veteribus Christianis & orthodoxis Imperatoribus obseruari solitum. Neq; enim nouum hoc est, quòd Episcoporum sententiam Imperatores & Reges exequutioni mandare consueuerunt: Sic namq; Constantinum, sic Valentinianum & Theodosium, sic Arcadium & Honorium, & Martianum, & alios fecisse legimus. Et extat in Synodo quinta Constantinopolitana constitutio Iustiniani Imperatoris contra Anthimum, Seuerum, Petrum, & Zoaram, in qua his verbis vtitur: Rem non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychen, Arrium, Macedonium, Eunomium, & quosdam alios, ad iniquitatem non minores illis, toties imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum auctoritate fuit. Horum igitur exemplum sequutus Carolus Quintus Imperator, puri Dei verbi propugnator acerrimus, non grauatim se facturum ostendit, quod à primario Ecclesiæ filio, & aduocato factum oportebat. Quoniam verò vehementer instabant nonnulli, vt priùs hominem ad se vocaret, quàm ad exequutionem decreti à sede Apostolica lati processisset: cùm illis negare non potuisset, ne quis factum hoc illius secùs interpretari possit, in edicto suo, quod promulgari fecit, causam cur eum accersiri fecerit, his verbis adscripsit: Non vt nos, inquit, de hoc negocio iudicaremus, aut cognosceremus, cùm id proculdubio ad Romanum Pontificem & sedem Apostolicam pertineat: neque vt res sacrosanctæ fidei nostræ nunc tandem post tot secula per nouas altercationes, cũ magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione, in controuersiam vocari pateremur, sed vt cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione, hominis animũ percontantes, eum bonis monitionibus ac suasionibus ad rectam semitam, si fieri posset, reduceremus. Nunquid & hic obscurè tulit, minimè suarum esse partium de fidei causa cognoscere? Quod clarius etiam ostendit posteà, cum postulantibus id à se nonnullis, non velle se quicquam determinare, neq; posse cõcludere de negotio religionis, respondit: sed apud Põtificem Romanum pro officio suo diligenter se daturum operam, de congregando Concilio generali: sicut in Angustanæ confessionis exordio legitur.

*Lutheranæ hæreseos ortus.*

*Decretorum Ecclesiasticorum principes executores. Act. 1.*

*Caroli 5. Imper. factum præclarum & laus.*

*Caroli 5. Impe. fidei & religionis causam, & negocium cognoscere, & iudicare non ad se, sed ad Romanum Pontificem, & sedem Apostolicam pertinere dixit.*

Sed iam ad reges nostros veniamus, qui, ex qua Carolus Imperator paternum, ex eadem clarissima Austriæ familia maternum suum genus ducunt. Et sanctus ille Rex Sigismundus, eius nominis primus, qui ante annos non ita multos in Christo obdormiuit, cùm alijs heroicis virtutibus multis clarus, tùm in tuenda fide catholica constantia quadam & animi robore singulari præditus: & qui libenter vestigijs eius incedit Serenissimus filius hic eius, eiusdem nominis secundus, quem vtinam paterna felicitate paternos annos assequutum, regni huius gubernacula longissimo tempore tenentem videamus: nunquid non & ipsi non eodem animo, eadem sententia, eademq; religione fuerunt? Postularunt ab vtroque nonnulli (quibus rectè dici potuit, nescitis quid petatis) vt purum Euangelium in regno suo prædicari permitterent: Respondit Diuus Pater: sui non esse muneris de puritate verbi cognoscere: ad Episcoporum id officium pertinere, quorum quidem hac de re iudicio se etiam ipsum libẽter maiestas eius submitteret, eorumq; iurisdictionem saluam in omnibus esse vellet. Respondit ijsdem propè verbis Serenissimus filius eius. Neq; dubitãdum est, quin quotquot sunt catholici Reges & Principes, si quis eis iudiciũ de causis fidei delatum veller, idem omnes vno sint ore responsuri. Quòd si maximè secùs aliquis fecisse reperiretur, nec allegandus tamen est error, nec defendendus, & verum est, quod prouerbio dicitur: vna hirundo non facit ver.

*Sigismũdi primi regis Polon. pietas & constantia.*

*Sigismundi Augusti reg. Pol. pietas. Matth. 20.*

*De fidei, & religionis causis cognoscere & iudicare non ad se, sed ad Episcopos pertinere dixerunt reges.*

Ausus est & re & nomine Basiliscus Imperator circulares dare literas, quibus Chalcedonense Concilium, & Leonis libellum per anathema damnaret: Quod tamen ipsum fecit Episcoporum suorum sententiam sequutus, qui circularibus eiusmodi literis etiam subscripserunt, vt magis exequutoris, quàm iudicis officio functus videri queat. Sed has tamen ipsas circulares literas non ita multò pòst aboleri, & eis contrarias scribi iussit, sicut apud Euagrium, Liberatum, Nicephorum, scriptum reperimus. Ausus fuit & Leo Imperator imagines demoliri, & sanctorũ veneration detrahere, sed aduersus eum in hæc verba scripsit Ioãnes Damascenus: Non approbo Imperatorem, qui rapta & inuecta tyrannide inuadit sacerdotij dignitatem. Non Imperatores potestatem acceperunt ligandi, atq; soluendi. Ac paucis interiectis: Non consentio vt Ecclesia pacisc atur, se exequuturam imperialis edicti formulã: imò vt mordicus tueatur traditiones à patribus acceptas, siue scripto proditas, siue citra scripturam vsu Ecclesiæ comprobatas. Magis autem placidè simul & festiuè Eulogius Presbyter, quem cùm Barses Valentis Imperatoris Præfectus hortaretur, vt in doctrina fidei se cũ

*Basiliscus Imp. accepto ab Episcopis. Euag. li. 3. c. 4. Li. c. 16. in breuiar. Niceph. lib. 16. c. 3. eccle. hist.*

*Episcopi iudicãt de principibus in causis Ecclesiasticis. Theod. lib. 7. ca. 8. eccl. hist. Theod. lib. 4. c. 16. histo. eccle.*

Impe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Imperatore coniungeret. Nunquid, ait, vnà cum imperio etiam ille Pontificatum est consequutus? Nam & Pastorem habemus, & nutus illius sequimur.

Cùm Gaianus præsente Ioanne Chrysostomo peteret ab Imperatore suæ quoque partis hominibus, hoc est, Arrianis, vnam è sacris domibus concedi. Respondit Chrysostomus: Non licere Imperatori aliquid audere in rebus Ecclesiasticis, si velit esse omnino pius: quemadmodum in illius vita scribit Symeon Metaphrastes. In eâdem sententiam quosdam patres contra Leonem Isauricum dixisse, narrat Theosterictus, vitam Nicetæ magistri sui describens, inter quos & hæc Theodori verba recitat: Ne tentes nunc ô Imperator Ecclesiasticum statum dissoluere. Ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia sua, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò pastores, & doctores, ad perfectionem sanctorum. Non dixit Reges. Tibi quidem ô Imperator ciuilis status & exercitus commissus est, hæc igitur cura. Ecclesiam autem pastoribus, & doctoribus, vt ait Apostolus, derelinque. At si non vis hoc facere: si quis peruertendæ fidei nostræ causa de cœlo nobis aliquid nunciauerit, ipsum non audiemus, tantum abest vt te audituri simus. Neque dissimilia de quodam Episcopo Oeniandro refert Georgius Cedrenus in suis Annalibus. Cæterùm Lucifer & Hilarius non minore libertate Constantium adorti sunt, quàm Ioannes Damascenus Leonem. Libet autem absscribere verba Luciferi. Cùm is Deuteronomij locum illum produxisset: Loquere ad sacerdotes & iudices, & nunciabunt tibi iudicium, & facies secundum omne præceptum, quod nunciauerint tibi. Homo quicunque fecerit in superbia, ne audiat sacerdotem, morietur homo ille, & tollet malum de Israel. Quomodo, inquit, dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris iam, quantum apud Deum mortis pœna fueris multatus. Cùm hæc ita sint. Tu qui es profanus ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei sacerdotem authoritatem, cùm etiam ipsos iudices Iudæos, tum quando in lege manebant Dei, ex genere habere permiserit suo. Hortatus est eundem Constantium Osius Episcopus Cordubensis, vt ne suos comites ad synodos mitteret: Quid enim tale, inquit, à Constante actum est? Aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quando iudicijs Ecclesiasticis interfuit? aut quis ipsius palatinus vim adhibuit, vt contra aliquem subscriptio fieret? Desine quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij: serua te in illam diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium oculis malignis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est, nobis in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator. Hæc illius epistolæ verba in sua quadam ad solitariam vitam agentes epistola inserit Athanasius: qui nonnullis interiectis: Istud est, inquit, iudiciũ Episcoporum. Quid cũ eo commune habet Imperator? Sin contrà, ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopi? Quando à condito æuo auditum est? quando iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem suam accepit? aut quando vnquàm hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac synodi fuerunt, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt, sed neque patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt: nec Princeps in rebus ecclesiasticis curiosum se præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicio socios assumpsit. Nunc autem nouum quoddam ab Arriana hæresi spectaculum editur: conuenerunt in vnum hæretici, & Imperator Constantius, vt ille quidem sub prætexu Episcoporum sua potestate aduersus eos, quos velit vtatur, & tamen in persequutione mouenda persequutor non appelletur: illi verò succincti principis potestate insidias faciũt, quibus volunt. Hactenus Athanasius: Et interea profert quidam disputationem à Vigilio conscriptam, inter Arrium & Athanasium: in qua Probus quidam ethnicus sic alloquitur vtrunque, Imperatoris Constantini auctoritate commonitus, præcepi inter vos fidei negotium ventilari. Respondit Athanasius: Et quis tam vecors audeat principalia præcepta abnuere? Sic ille fictus Athanasius. At verus Athanasius, cuius verba ex illius germano libro citauimus, longè diuersum sensit. Cæterùm, vt ne rerum imperitis imponatur, sciat lector, inter Arrium, & Athanasium Alexandrinum coram Probo iudice, nullam vnquam disputationem habitam fuisse. Fatetur hoc etiam ipse Vigilius, qui fuit auctor huius libelli de disputatione hac, quòd eam sub nomine Athanasij conscripserit, tanquam si præsentes, inquit, cum præsentibus agerent: vbi etiam cognitoris persona videtur inducta. Si fuisset vnquam hæc habita disputatio, certè Eusebius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Zozomenus, Nicephorus, & alij scriptores Ecclesiasticæ historiæ mentionem illius aliquam fecissent: ficulneum vt planè sit istorum in hac Arrij cum Athanasio disputatione præsidium. Sed in causa Cæciliani Carthaginiensis Archiepiscopi, Constantinum Imperatorem iudicem fuisse, certius est, aiunt, quàm vt inficias ire quisquam possit. Demus hoc. Nam quod hæretici Donatistæ causam hanc ad eum detulerint, & Optatus, & Augustinus testantur. Sed interea scribit Augustinus, quòd non est ausus Imperator de causa Episcopi iudicare: quare discutiendam eam, atque finiendam Episcopis delegauit: Quod & factum est in vrbe Roma, præsidente Melciade cum multis collegis suis. Et extat apud Eusebium Imperatoris epistola, quam ad Melciadem Pontificem ea de re scripsit. Si nulla religione prohibebatur Imperator, quo minus de causis ecclesiasticis iudicaret, cur dicit Augustinus: quòd non fuerit ausus id facere: Sciebat ille, quòd hoc sui muneris non esset, quamobrem ad Pontificem Romanum, ad cuius cognitionem propriè pertinebat, causam remisit. Quin addit Optatus, quòd cùm ei preces Donatistarum oblatæ fuissent, liuore plenus responderit: Petitis à me in seculo iudicium, cùm ipse Christi iudicium expectem. Sed quæ posteà consecuta sunt videamus

*Theost. in vita Nicetæ in 7. tomo Lipomani.*

*Ad Constantiũ Imper. pro sancto Athanasio libro priore.*

*Athanasius.*

*Lib. 1. cont. Parmenianum. cap. 7.*

*Augu. in breuiculo collationum, & alijs multis locis. ep. 166.*

*Li. 10. c. 5. eccl. hi.*

*Ostij Episcopi adhortatio ad Constantiũ Imperator Constantius, ne fidei & religionis causis se immisceat, hortatur.*



mus. Fuit Cæcilianus innocens à Pontifice Romano pronunciatus. Donatistæ verò, libet autem Augustini verbis vti, tantæ auctoritatis Episcopos non apud alios collegas, sed apud Imperatorem ausi sunt accusare, quòd malè iudicarint. Dedit igitur ille aliud Arelatẽse iudiciũ, aliorũ scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorũ peruersitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum qui Romæ sederent ipse iudicaret, sed alios Episcopos dedit. Quem etiam iterum exclamascribit Optatus: O rabida furoris audacia. Sicut audaciam & impudentiam Donatistarum grauiter Augustinus reprehendit, sic religionem hanc & modestiam Imperatoris laudat: ac lógè ordinatius eum egisse dicit, cùm Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos remisit, quandoquidem eam ad iudicium suum non pertinere sciebat. A quibus tamen cùm iterum ad Imperatorem prouocatum fuisset, scribit Augustinus, quòd ipsorum hanc pertinaciam admodum, detestatus tandem eorum importunitati cesserit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus. Habes qualis iudex in ecclesiastica causa fuerit Constantinus, quàm sit hanc hæreticorum importunitatem detestatus, quàm inuitus munus hoc, quod ad se minimè pertinebat, susceperit. Et intereà non est veritus blatero quidam ineptissimus, qui fingit ipse sibi monstra, quæ oppugnet, nesciens quid loquatur, aut de quibus affirmet, non est inquam veritus asseuerare, quod Augustinus Constantini factum hoc non modò non reprehenderit, verumetiam cum laude retulerit. Si cum laude retulerit, quòd cesserit hæreticorum peruersitatibus, cur addidit, veniam à sanctis Antistitibus petiturus. Certè quæ cum laude geruntur, eorum veniam petere necesse non est. Quamobrem peccasse quidem Constantinum innuit Augustinus, quod de Episcopis, etiam post Episcoporum iudicium iudicauerit, sed quoniam inuitus fecit, victus importunitate Donatistarum, quorum pertinaciam hanc vehementer detestatur, huius delicti sui veniam non difficulter eum esse consecuturum iudicauit: cùm præsertim execuquem sicut memoriæ prodidit Possidonius, velut lupum occidendum esse in defensionem gregis, scilicet, sui, dicebant. Hæc igitur necessitas compulit Catholicos, vt ab Imperatore iudicem dari sibi peterent. Et erat hoc extraordinarium, & agebatur causa mixti fori, cùm in ea ciuilis quæstio facti de Cæciliano versaretur, deque ordinatore eius Felice, quam ipsi priores olim ad Constantinum detulerant. Deinde, qui præsidebat ei collationi, cognitio magis illi, quàm iurisdictio mandata videbatur: vt cognitoris potius, quàm iudicis personam sustineret. Scripsit breuiculum collationis huius Augustinus, non aliud ei, quàm cognitoris nomen in eo tribuit. Idem facit & Possidonius. Graues nihilominus ea de re Donatistæ querimonias edebant. Nefarium esse scelus quæritabantur, Imperatorem de causis Ecclesiasticis iudicare: adeò nec ipsis hæreticis tolerabile facinus hoc videbatur. Hæc nos hoc in loco pluribus verbis commemoranda duximus in hac nouissima æditione, quod vidimus insulsi battologi cuiusdã librũ, quem de traditionibus inscripsit, in quo multis modis pro-

*Epist. 162.*

*Epist. 50.*

*Epist. 162.*

*Aug. epist. 162.*

*Aug. epist. 48.*

*Lib. 1. ca. 2.*

*Aug. Epist. 50.*

*Optatus.*

*Lib. 3. cont. Iulian. Cap. 1.*

*Li. 3. cont. Iulianũ. cap. 1.*

*In vita Aug. Possidonius. cap. 9.*

*Cap. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



probare nititur iudicium de causa religionis ad Reges, & Principes pertinere. Quo libro sicut nihil infantius, ita nihil potest esse maledicentius: Cum enim habere se malam causam intelligat, sic se tandem in ea fore superiorem persuasum habet, si Græca, Latina, Germana lingua, quàm plurima probra, conuitia, maledicta mendaciter eiaculatus fuerit in eum, quē non nouit: si sceleratum, impium, diabolicum vocauerit, si in ima tartara detruserit. Quasi verò maledixisse vicisse sit. Nos verò caput hoc insanum ad Antyciras relegabimus, & ad Imperatoris Valentiniani res gestas veniemus. Is Iustinæ matris impulsu, cùm puer adhuc esset propemodum, sibi de fide iudicium vsurpare conatus est. Cæterùm his ad eum verbis Ambrosium scripsisse legimus: Dalmatius me tribunus & notarius mandato, vt allegauit, clementiæ conuenit tuæ, postulans vt ipse iudices eligerem, sicut elegisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati, sed id addidit, quòd in consistorio esset futura contentio, arbitro pietatis iudicio tuæ: Cui rei respondeo, vt arbitror, competenter, Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermone respondit, sed etiam legibus sanxit suis. In causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis (hæc enim verba rescripti sunt) hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides, confessionis constantia probata est, & sapientia, melioratæ reipublicæ profectibus prædicatur. Quando audisti clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuabimur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequitur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat? Episcopus discat à laico? At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat, in causa fidei, in causa inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo fauente. vir matutioris ævi dicebat, non est meum iudicare inter Episcopos: tua nunc dicit clementia, ego debeo iudicare. Neque verò scripsit hæc modò, verùm & dixit Ambrosius, quemadmodum ad sororem scribens ipse narrat: Noli te grauare, inquit, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere, nolite extollere. Esto Deo subditus: Scriptum est: Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Atque hæc quidem contra Valentinianum Ambrosius. Qui cum Aquileiensi Concilio interfuisset, in quo quidam Arrij sectator Palladius, itidem vt nostri temporis hæretici, iudicium Episcoporum fugiebat, ac alios quosdam ex vtraque parte auditores venire volebat. Quos quæris auditores? inquit Ambrosius: Sacerdotes de laicis iudicare debent, non laici de sacerdotibus. Ac paulò pòst: Etsi in multis impietatibus deprehensus sit Palladius, erubescimus tamen, vt videatur qui sacerdotium sibi vendicat à laicis esse damnatus, qui & in hoc ipso damnandus est, quòd laicorum expectat sententiam, cùm magis de laicis sacerdotes debeant iudicare.

*Amb. ep. 32. inli. 5. Imperator Valent. se Ecclesiasticis rebus immiscens ab Amb. valde reprehenditur.*

*Theodosij rescriptū de iudicio in fide.*

*Amb. Epist. 33.*

*Matt. 22.*

Audin tu Varemunde, quid dicat Ambrosius? In causa fidei negat laicos vnquam de Episcopo iudicasse: in causa fidei Episcopos de Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis iudicare dicit solere: nec esse dignum censet, Episcopi nomine, qui laicis ius sacerdotale substernit: Palladium autem vel hoc ipso nomine damnandum iudicat, quòd laicorum expectat sententiam, cùm magis de laicis sacerdotes debeant iudicare. Quod si tyrannicum esse putas affirmare, ad iudicium de rebus religionis solos Episcopos in concilium admittendos, nónne tyrannum apertè vocas Ambrosium, cuius hæc est sententia? qui mortem prius oppetere, quàm laicis ius sacerdotale substernere fuit paratus: At quem tu virum insimulare tanti criminis audes? eum cuius iam inde à mille ducentis annis semper in Ecclesia Dei sacrosancta fuit apud omnes memoria: quem Ruffinus Ecclesiæ murum & turrim validissimam: quem Augustinus ab illo baptizatus, in optimis notum esse scribit orbi terræ, & pium Dei cultorem appellat: quem epistola quadam Basilius celebrat. Cui Pelagius quoque quamuis hæreticus hoc elogium tribuit, quòd in eius præcipuè libris Romana fides eluceat, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituerit: cuius fidem & purissimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus sit reprehendere: quem denique tanta fuisse vitæ sanctimonia narrat Augustinus, vt eum viuum adhuc etiam dæmones confiterentur, atque vt sibi parceret, obsecrarent. Hūc tu talem virum, cui non catholici modò, verumetiā veritatis hostes hæretici, quin & dæmones ipsi, fidei, doctrinæ, sanctimoniæ, tā illustre testimonium tribuerunt, vocare tyrannū, & hanc ei tam turpem notā inurere audebis? Sed non est tyrannus, Varemunde, qui ius suum tuetur: sed Episcopi nomine dignus non est, qui laicis ius sacerdotale substernit. Quin tu potius Varemunde gladiatorio quodam animo viā ad tyrannidem affectare videris, qui pastores loco submoues, qui per vim Episcopos iure suo spoliare, & in ordinem cogere, qui, quæ propria est eorum iurisdictio, eam laicis mandare contendis. Fecit quidem hoc Valentinianus quondam Imperator, vt virum hunc sanctissimum, episcopale suum ius pro eo vt debuit viriliter tuentem, tyrannum & plusquàm tyrannum appellaret, sed fecit puer, fecit à matre deceptus, & eum facti non ita multò post pœnituit: informatusq; fide ac institutis catholici principis Theodosij, tanto in Ambrosium affectu post incubuit, vt quem anteà persequebatur, eum diligeret: quem antè vt aduersarium

*Amb. ep. 32. inli. 5. Imperator Valent. se Ecclesiasticis rebus immiscens ab Amb. valde reprehenditur.*

*Theodosij rescriptū de iudicio in fide.*

*Episcopi de Imperatoribus, & laicis in causa fidei iudicant, non laici de Episcopis.*

*Amb. Epist. 33.*

*Matt. 22.*

*Varemundus valde confutatur.*

*Episcopi nomine indignus qui laicis sacerdotale ius substernit.*

*Ambrosij Elogia. Ruff. lib. 2. cap. 15. eccle. hist.*

*Aug. lib. 5. confess. Cap. 13.*

*Basil. epist. 55.*

*August. de nupt. & concupis. li. 1. ca. 35.*

*Idem de cura pro mortuis. ca. 17.*

*Amb. epist. 34.*

*Theod. lib. 5. c. 17. eccl. hist.*



sarium repellebat, eum vt parentem putaret. Pientissimus autem Imperator Theodosius, quamuis propter patratam cædem Ecclesiæ primum ingressu per Ambrosium prohibitus, deinde iam reconciliatus, cancellos egredi iussus esset, intra quos mysteria peragebantur, quòd Imperatores purpura faceret, sacerdotes non faceret, non modò tyrannidis ei probrum non obiecit, verumetiam hac ipsa de causa præ cæteris eum Episcopi nomine dignū esse iudicauit, neq; se nosse quenquam affirmauit, qui sciret Episcopum agere, præter vnum Ambrosium. Da Christe tales tyrannos Ecclesiæ tuæ multos, qualis vel Ambrosius hic fuit, vel ante eum Babilas à Chrysostomo celebratus, vel posterioribus seculis Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in Anglia, Stanislaus Cracouiensis Episcopus in Polonia. Tales, quos tu tyrannos, Christus autem bonos pastores vocat, si nunc haberet multos Ecclesia, qui laicis ius sacerdotale non substernerent, qui ascenderent ex aduerso, qui murum se pro domo Israel opponerent, ac starent in prælio in die domini, parati semper animas ponere pro ouibus suis: neque tibi viam ad tyrannidem affectare liceret, neq; tot lupi grassarentur in ouili Christi, neq; tam diu tam fædè scissam inconsutilem Christi tunicam videremus. De Sancto Martino scribit Seuerus Sulpitius his verbis: Martinus vir planè Apostolis conferendus, satis superq; sufficere dicebat, vt Episcopali sententia hæretici Prisillianistæ iudicati, Ecclesijs pellerentur. Nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. Nouum & inauditum esse nefas dicit Martinus, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicet. In Synodo autem sub Papa Symmacho Romæ habita, cum Basilius Patricius vices Regis Odoacris agens, edixisset de rebus Ecclesiasticis, non quidem quatenus Ecclesiasticæ fuerunt, verum sub hac specie, ne per occasionem seditionis status ciuilis vocaretur in dubium: tamé Episcopi omnes id statutum seruari prohibuerunt, quod contra Patrum regulas esset, aliquid de Ecclesiasticis facultatibus disponi à laicis, quamuis religiosis, quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus disponendi aliquid legitur vnquam attributa facultas. Hæc Eulalius: cui omnes alij Episcopi assensum præbuerunt. In quarta autem Synodo, quæ sub eodem Papa Symmacho habita est, ne Theodoricus quidem Rex, licet Arrianus esset, sibi iudicium in Episcopos arrogauit, sed postquam ab Episcopis plurimis audisset, Papam Symmachum ob prærogatiuam suæ sedis non posse compelli, vt minorum iudicio se subijceret, respondit: In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reuerentiam, de Ecclesiasticis negotijs pertinere. Quin & Caluinus, quamlibet impius, in eandem sententiam scribere vi veritatis compulsus est. Nos, inquit, libenter concedimus, si qua de dogmate incidat disceptatio, nullum esse nec melius, nec certius remedium, quàm si verorum Episcoporum Synodus conueniat, vbi controuersum dogma excutiatur.

*Lib. 1. Theo. pietas, & patientia, & in Amb. amor.*

*Episcopi pro eccl. iuribus zelosi referuntur.*

*Seuer. Sulpitius sacr. hist. lib. 2.*

Quid autem dicis Varemunde? si quod tu tyrannicum esse vis, id iustum & legitimum esse iudicaueritis etiam hi, quorum te partis esse non obscurè fers: qui confessionis Augustanæ, quàm Christianæ censeri malunt? Tanta est vis veritatis, vt etiam per hostium veritatis iugula nonnunquàm erumpat. Nunquid non hæc verba sunt vestræ confessionis Augustanæ? Secundum Euangelium, seu, vt loquuntur de iure diuino nulla iurisdictio competit Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi, & sacramentorum, nisi remittere peccata: itē cognoscere doctrinam, & doctrinam dissentientem ab Euangelio reijcere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ. Audin tu Varmunde, quid illi ipsi confiteantur, quorum tu partis es? Cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, nulla circuitione vsi, disertis verbis iurisdictionis Episcoporum esse dicunt, atq; hac in parte cum catholicis consentiunt. Cur igitur tu, quod in eadem illa confessione, quam es amplexus, prohibetur, commisces potestates, Ecclesiasticam, & ciuilem? cur laicos irrumpere iubes in alienum officium?

*Confess. Augustana concedit iudicium episcopis in causa fidei.*

Sed in re vel meridiana luce clariore confirmanda, quam etiam ipsi concedere coguntur aduersarij, longiores esse nolumus, cùm præsertim instituti nostri non fuerit, hoc loco de iurisdictione Episcoporum differere: sed illud modò propositum habuimus, quæ sit Ecclesia catholica, demonstrare: quo nomine non pars, neq; enim sunt partes in Ecclesia, verùm totum quiddam significatur. Docet hoc Augustinus, explicans illud ex Psalmo: Iubilate Deo omnis terra. Nemo, inquit, in parte iubilet, omnis terra iubilet, catholica iubilet. Catholica totum tenet, quicunque partem tenet, à toto præcisus est, vlulare vult, non iubilare. Et iterum alio loco: Non audio ostendentes partes: Deus deorum totum mihi ostendit, qui vocauit terram à Solis ortu vsq; ad occasum, totum redemit: partes autem, id est, calumniantes condemnauit. Non sunt ergo partes in Ecclesia, quæ totum tenet, in qua idipsum dicunt omnes, vt rectè de ea Propheta scripserit: Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipsum. O diosum est partis nomen. Siquidem de parte dici volunt, ait Augustinus, qui in vnitate non sunt, de altera parte sunt, & de ipsa parte ascendunt, id est, extolluntur, & volunt tollere oues. Et alio loco: Væ illis, qui oderunt vnitatem Ecclesiæ, partes sibi faciunt in hominibus. Et iterum: Omnes hæretici in paucis & in parte sunt: Et ad Seuerinum scribens: Catholica Græcè appellatur, quòd per totum orbem terrarum diffunditur, hanc ignorare nulli licet, ideò secundum verbum Domini nostri Iesu Christi abscondi non potest. Pars autem Donati in solis Aphris calumniatur orbi terrarum. Et de baptismo contra Donatistas: Induentes lupos suos pellibus ouium, dicunt: Ecce hic est Christus, ecce illic, & ab vniuersitate ciuitatis super montem constitutæ, ad particulas insidiarum suarum multos separant, & iugulatos absumunt. Et in Ioannem scribens: propter illos, qui se diuisuri erant, & dicturi, Ecce hic est Christus, ecce illic. Et vellent eum ostendere in parte. Qui emit totum, & possedit totum, continuè secutus, adiunxit: Non tantum nostrorum, sed & totius mundi. Apud eos itaque partes sunt, qui se præciderunt à catholi-

*Partes non esse in ecclesia, sed apud hæreticos.*

*Psal. 65. In Psal. 49.*

*Psal. 121. Aug. de verbis domini. serm. 49.*

*Idem tract. 12. in Ioan. cap. 3. In Psal. 31. Epist. 170.*

*Matth. 5.*

*Tract. 1. in ep. Ioan. de Cap. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ca, de quibus dicit Iudas, q̃ ſegregauerũt ſemetipſos. Quomodo aũt ſegregauerũt? Segregauerunt ſe ſuo quodam ſingulari iudicio, ſua quadam ſolitaria opinione. Nam cùm idẽ anteà ſenſiſſent, quod nos, ac quod vniuerſa ſentit, ac ſemp ſenſit Eccleſia, ab eo poſteà receſſerũt, atq; ita ſingulares quoſdam ſuos intellectus, ſolitarias ſuas opiniones ſequuti, in varias partes diſſecti ſunt. Sic à Cypriano dicitur pars Nouati: & in octaua ſynodo œcumenica pars Photij: ab Auguſtino pars Maximiani, pars Primiani, pars Maiorini, pars Donati ſexcentis in locis. Et ferè videre licet Auguſtinum catholicam, ſiue orbem terrarum, aut totum, Donati parti opponere. Sic in Pſalmo contra partem Donati. Ego catholica dicor, & vos de parte Donati. Et contra Parmenianum, contra pacem vnitatis, etiam in parte Donati. Et iterum: Frumenta præter partem Donati, in toto terrarum orbe defecerunt. Et iterùm: Ab ipſa parte Donati ad vnitatem catholicam remeare. Sic ad Honoratum ſcribens: Eccleſia catholica, inquit, eſt etiam in Aphrica, quia per omnes terras eam Deus eſſe voluit, & prædixit: pars autem veſtra, quæ Donati dicitur, non eſt in omnibus illis locis, in quibus & literæ, & ſermo, & facta Apoſtolica cucurrerunt. Et ad Donatum: Vtrum nobiſcum in Chriſti pace, in Eccleſiæ catholicæ vnitate, in fraterna charitate gaudere, an pro nefaria diſſenſione, pro Donati parte, pro ſacrilega diuiſione, importunitatem, noſtræ circa ſe dilectionis diutius ſuſtinere. Et ad Celerem: Nullam fuiſſe iuſtam cauſam, cur ab orbe terrarum, quo Eccleſia catholica diffunditur, ſe pars Donati dirimeret. Et ad Generoſum: Si tibi angelus de cœlo diceret: Dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partem Donati, cuius ordo tibi exponitur in epiſtola Epiſcopi tuæ ciuitatis, anathema eſſe deberet: quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare à promiſsis Dei. Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus? cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſsit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, &c. In hoc ordine ſucceſsionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. Et alio loco: Vtrum ſicut à catholicis videbat, ita etiam in parte Donati electi eſſent. Et in eodem libro: Quicunque recitabantur catholici Epiſcopi ex his locis, vbi non erat pars Donati. Et in Pſalmos ſcribens: Ponite ante oculos vnitatem orbis terrarum, vnde ſe iſti diuiſerunt, ponite & partem Donati. Et in alium Pſalmum ſcribens: Tu qui dimiſiſti vnitatem omnium gentium, & in parte remanſiſti, polluiſti teſtamentum Chriſti. Et iterum in aliũ Pſalmum: Qualem veſaniã patiantur hæretici, quæſo vt attendatis. Illi præciſi à compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, totum omittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quo diffuſa eſt gloria Chriſti. Nos autem catholici in omni terra ſumus, quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Chriſti diffuſa eſt. Et de verbis Apoſtoli: Si tu dicis, Chriſtus eſt ſponſus partis Donati: ego tabulas lego, & inuenio eſſe Chriſtum ſponſum Eccleſiæ diffuſæ toto orbe terrarum. Et contra Creſconium: Non inuidemus in parte Donati pacem damnatorum, ſic & Chriſti pacem non reſpuant in orbem terrarum. Et de vnitate Eccleſiæ: A Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ita diſſentiunt, vt eorum communio non ſit cum toto quacunque diffunditur, ſed in alia parte ſeparata inueniatur. Quod genus loquendi etiam in Cõcilio Aphricano vſurpatum videmus: Vbicunque catholica fuit, & pars Donati. Et iterum: Si fortè antiqui catholici ſuum Epiſcopum voluerint, & illi ſuum: qui ex Donati parte conuerſi ſunt. Et paulò poſt: Si fuerit Epiſcopus ad catholicam ex Donati parte conuerſus. Optatus grauiter inſectatur Parmenianum, quòd is dixerit duas Eccleſias, duas, inquit, Eccleſias comparare voluiſti, quaſi ſola Aphrica habeat populos Chriſtianos, in qua vitio veſtro duæ videntur partes effectæ. Et dum immemor factus es Chriſti dicentis: Vnam eſſe ſponſam ſuam. Tu in Aphrica non dixiſti duas eſſe partes, ſed duas Eccleſias. Certè vna eſt, quæ ex voce Chriſti meruit iudicari. Qui ait, vna eſt columba mea, vna ſponſa mea. Et paucis interiectis, vt oſtendam partem veſtram cunctis morſibus paſtam. Et iterum nonnullis interiectis: Gaudet totus orbis de vnitate Catholica, præter partem Aphricæ: & in eodem libro ſcribit: Cum veniret aliquis Donatiſta, ſolitum eſſe dicere: Quid apud vos agitur de parte mea? Quaſi iam populũ cum Deo diuideret, vt intrepidè ſuam diceret partem. Et interrogati apud Iudicem: Dixerunt ſe eſſe de parte Donati, de Chriſto tacuerunt. Sic noſtra ætate rectè dicitur pars Lutheri, pars Caluini, ſiue magiſtri illius Zuinglij, pars, Balthaſaris Anabaptiſtæ, & aliorum, qui cùm ſint à toto præciſi, Eccleſia & in Eccleſia eſſe deſierunt, cùm Eccleſiæ nomen, ſicut etiam à Chryſoſtomo traditũ legimus, conſenſus, concordiæq; nomen ſit: vt qui diſſecti ſunt in varias partes, nequaquam poſsint appellari hoc cognomine. Nam niſi vna ſit, vnam fidem, vnã ſpem, vnam charitatem retinendo, Eccleſia dici & eſſe non poteſt. Sicut Chriſtus diuiſus nõ eſt, ita neq; corpus eius Eccleſia: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, vna eſt domus Dei viui, ſancta catholica Eccleſia.

*Lib.1.cap.4. Hæretici quomodo ſegregant ſemetipſos.*
*Cyp.li.1.epi.3. Aug.epiſt.162. In princip. tom.3. lib.1.cap.4. Lib.2.cap.19. Lib.2.cap.22. Epiſt.104.*
*Epi.204. In appendice epiſtolarum. Epiſt.8. Pſal.166. Pſal.56. Epiſto.165.*
*In breuiculo collationum primi diei. cap.8. cap.12.*
*Pſal.54 In Pſal.56.*
*Serm.31. de verbis Apoſtoli. Lib.4.ca.64. Cap.4. Cap.84. cap.85. Cap.86. Lib.2.contra Parmenianum. Optatus.*
*Chryſo. in 1.cap.ad Galat. 1.Cor.1. Ephes.4. 1.Tim.3.*

*Tertia nota Eccleſiæ, quòd ſit vna.*

## CAPVT XXV.

*Eccleſia vna.*

ATQVE hæc tertia eſt Eccleſiæ nota, qua dignoſci poſsit ab ijs, qui vel præciſi ſunt ab ea: cuius generis ſunt, quibus interdictum eſt piorum cœtu, quos vocamus excommunicatos, vel qui ipſi ſe vltrò præciderunt: quales ſunt hæretici, & ſchiſmatici. Quos cùm in tot ſectas miſerè diſſectos videamus, manet nihilominus Eccleſia noſtra catholica vna, de qua ſponſus in Canticis clamat: vna eſt colũba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ. Hanc illius vnitatẽ ſignificauit inconſutilis illa Chriſti tunica, quam qui Chriſtum crucifixerunt milites, non ſcinendam, ſed iuxta id, quod prædixerat Propheta, ſortem ſuper eam mittendam eſſe cenſuerunt. Hanc ſignificauit vna illa domus, in qua comedebatur agnus, qui figura fuit agni illius incontaminati Chriſti ab origine mundi occiſi. Hanc expreſsit Apoſtolus cùm dixit: Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Viſibilibus illa rebus, nimirum ſacramentis, fidei confeſsione, bonis operibus, publicis orationibus, in locum etiam ſæpè viſibilem, quæ domus orationis dicitur, congregatur. Et propterea vocat eam Apoſtolus vnum corpus, quòd ex multis viſibilibus membris conſtet, ne quis commentitiam aliquam eſſe dicat, quæ ſub hominis aſpectum non cadat. Porrò, qui congregat eam, qui vitam huic præſtat corpori, Spiritus ſanctus eſt: Propterea ſpiritum etiam vnum appellat, quòd per eum in cordibus hominum diffuſa charitate retinetur vnitas in vinculo pacis: vt idipſum dicant, idipſum ſentiant, idem ſapiant omnes, atq; vnanimes vno ore honorificent Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

*Pſal. 21. Exod.12. Apoc.13 Ephe.4 Vnitas Eccl.*

Sola ergo ſancta catholica Eccleſia vna eſt, terra eſt vnius labij, vnus in ea Chriſtus adoratur, vna regula veritatis obſeruatur, denicq; multitudinis credentium eſt cor vnum, & anima vna, non concordia & voluntate, ſed ſecundum naturam fidei, quæ vna eſt, quemadmodum Hilarius interpretatur. Quod etiam Beda teſtatur his verbis: Re vera omnes per orbẽ catholici vnam veritatis regulam ſequuntur, non autem omnes hæretici & infideles vnanimo errori conſentiunt, verùm non minus ſemet alterutrum, quàm ipſam veritatis viam impugnant. Videre autem licet admirabilem curam illius, & ſolicitudinem in vnitate ſpiritus retinenda. Cùm enim ex multis conſtet Eccleſijs, quæ tamen omnes vna ſunt Eccleſia, cùm per orbem vniuerſum longè lateq; diffuſa, linguarumq; & morum in ea ſit magna diuerſitas: eoſdem tamen ritus, eaſdem vbiq; ſeruat cæremonias, quin & lingua non niſi vna & eadem nimirum Latina, ſacrificia peragit, laudeſq; Deo decantat, ea præſertim, quæ eſt occidentis, & ſeptentrionis Eccleſia, vt ſi quis etiam ab extremo orbe veniat homo Chriſtianus, eſſe ibi cor vnum, animam vnam, ſpiritum vnum intelligat.

*Rom.5. Rom.15. Gen.11. Act.04. Hil.lib.8. de Trin. Beda in 2.ep. Ioan.*

Nunc tu mihi eos circumſpice, qui nomen Euangelij prætendentes, vt erroris in eo ſui latebras conſtituant, ſe ab vna hac ſancta catholica Eccleſia ſegregauerunt: quot homines, tot eſſe propè de dogmatibus fidei ſententias, neq; nobiſcum magis, quàm ipſos inter ſe digladiari & diſſidere videbis, vt nullum adferri certius erroris eorum argumentum poſsit. In vna domo duos aliquando reperire vix licet, qui ſibi inuicem ex omni parte conſentiant, quodq; maiore etiam dignum eſt admiratione, aliud eos ijſdem de rebus hodie, cras aliud ſentire videas. Hinc illud præclarè dictum à Chriſtiano & catholico Principe Georgio quondam Saxoniæ Duce commemoratur: Nam ſcire ſe quidem dicebat, quid hoc anno crederent vicini ſui VVittembergenſes: quid verò proximè inſequenti anno credituri eſſent, ſe neſcire, quòd ſubindè dogmata ſua variarent. Indicant hoc non modò libelli eorum, verùm & ritus toties correcti & mutati. Conati ſunt illi alta ſapiendo, & humilibus non conſentiendo, turrim Babel extruere. Ecce autem, quomodo depreſsit Deus eorum arrogantiam. Quæ fuit aliquando terra vnius labij, tantam in ea nunc linguarum confuſionẽ factam eſſe cernimus, vt non modò mutuò ſe, verumetiam ipſi ſe non intelligant. Sic vbi fuit non ita pridem ſancta ciuitas Hieruſalem, cuius participatio in idipſum, ibi nunc facta eſt Babylon mater fornicationum, & abominationum, terra facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. De vtraque ciuitate ſic ſcribit Venerabilis Bedà. Benè in Babylonis conſtructione linguarum vnitas per ſpiritum ſuperbiæ ſciſſa, in Hieroſolyma eſt per gratiam ſancti Spiritus linguarum varietas adunata: & illa confuſio, hæc viſio pacis interpretatur: quia videlicet electos in pluribus linguis & gentibus, vna fides ac pietas toto orbe pacificandos confirmat, reprobos autem plures ſectæ quàm linguæ diſſociando confundunt. Quis autem alius exitus eſt expectandus, niſi quem prædixit Propheta? Diuiſum eſt, inquit, cor eorum, nunc interibunt: cùm præſertim à Chriſto quoque dictum ſit, quòd omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ: Fidem illi noſtram, ſicut ab Hilario ſcriptum eſt, dum ſibi aduerſantur, confirmant. Et præclarè ſcriptum eſt à Gregorio: Magna omnipotentis Dei eſt gratia, quòd in ipſis, qui à ſanctæ Eccleſiæ doctrina diuiſi ſunt, vnitas non eſt, quoniam omne regnum in ſe diuiſum non ſtabit: & ſancta Eccleſia ſubtilius in ſua ſemper eruditione inſtruitur, dum hæreticorũ quæſtionibus impugnatur: ita vt apertè impleatur, quòd per Pſalmiſtam contra hæreticos de Deo dictum eſt: Diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Nam dum ipſi in ſuo prauo errore diuiduntur, cor nobis Dei appropinquat: quia eruditi aduerſitatibus, intellectum eius ſubtilius inuenimus. Neq; verò noſtro tantùm hoc æuo ſic accidiſſe putandum eſt: Iampridem hoc ita futurum Propheta prædixit. Et concurrere, inquit, faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios. Scripſit etiam antiquiſsimus Tertullianus de ſui temporis hæreticis, quòd etiam à regulis ipſi ſuis variant inter ſe, dum ſuo proinde modulatur vnuſquiſq; arbitrio, quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ſuo ea compoſuit ille, qui tradidit. Suo quoque de ſeculo ſcribit Hilarius: periculoſum nobis admodum atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quod vitia ſunt, dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut ita, vt volumus, intelliguntur. Et cùm ſecundùm vnum Deum & vnum Dominum, & vnum baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt, & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit. Gregorius quoque Pontifex, Habent, inquit, hoc hæretici proprium: quòd in eo gradu in quo de Eccleſia exeunt, diu ſtare non poſ-

*Pſal. 21. Exod.12. Apoc.13 Ephe.4 Vnitas Eccl.*
*Rom.5. Rom.15. Gen.11. Act.04. Hil.lib.8. de Trin. Beda in 2.ep. Ioan.*
*Hæreticorum diſſensiones.*
*Georgij Saxoniæ Ducis dictum.*
*Rom.11 Gen.11.*
*In c.5. Marci.*
*Oſeæ 10. Hil.li.7. de Trin.*
*Epiſto.3.lib.2. Luc.11.*
*Eſa.29.*
*Tert.de præſcr. aduer. Hæreticos.*
*Hæreticorum mos vt ab inuicem ſemper diſſideant.*
*In lib.ad conſtantium Auguſtum.*
*Greg.lib.3. Moral. ca.19.*
*Greg.lib.3. Moral. Cap.14.*



Bibliotheca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orientalis

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Chry. hom 20. Actio. 6. secundæ Nicænæ Synodi. Veritas. Mendacium. Lib. 4. cap. 5. Nicephorus.*

sunt, sed ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo peiora, in multis se partibus scindũt, atq; à semetipsis plerunq; longius confusionis suæ altercatione diuiduntur. Ante quem auctor operis imperfecti in Matthæum hæreticorum perfidiam assimilat arenæ. Nunquam enim, inquit, sapiunt vnum, sed quot sunt, tot sententias habent. Et in confutatione Synodi, quæ falso septima dicta est, Epiphanius: Hunc morem habent hæretici, quoties vno verbo pietatem contempserint, & à via veritatis aberrauerint, in multos & varios errores labi: vniformis enim res veritas, mendacium autem in varia distrahitur. Et Nicephorus in sua Ecclesiastica historia sic scribit: Sed non diu hæreticos tulit, qui salutis nostræ curam gerit Deus. Nã adulterina Ecclesiæ dogmata, quæ paulatim emicuerant, breui sunt extincta: ita seipsis inter se abolita, cùm alij super alios nouis rebus studerent, atque inter se conflictarentur, non aliter quàm fluctuum commotiones insurgentes subinde atque decidentes in varias multiplices; q; abeunt formas, & postremò, vt nihil eorum appareat, euanescunt. Contrà veritatis ipsius causa tum incrementa sua capiebat, magisq́ue indies augebatur, accessionem quãdam & robur certum ex hæreticorum insultu sumens. Semper enim sibi constabat Ecclesiæ catholicæ splendor & status, & grauitas eius, modestia, libertas, diuinus vitæ, morumq́ue diuersorum ordo, doctrinæq́ue synceritas apud Græcos simul & Barbaros mirificè relucere cernebatur.

*De fide lib. 1. ca. 4. Hæresi 73. lib. 1. ca. 25. Lib. 5. ca. 23. & 4. Hæresis nunquam sola Lib. 2. cap. 29. Lib. 8. ca. 1. Lib. 4. cap. 7. Nicep. lib. 12. c. 29. 30. 31. & 32. eccle. hist.*

Quoties hæresis exorta est in Ecclesia, non ferè sola exorta est. Nolo hic commemorare Arrios, Ennomios, Macedonios, Marciones, Seueros, quorum sectæ iam sunt obsoletæ, quos in partes aliquot fuisse diuisos Ambrosius, Epiphanius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Theodorus in sua Isagoge ad Anastasium, Nicephorus, ac qui præcesit hos omnes Eusebius, memoriæ prodiderunt, ita vt cùm eorum essent plura nomina: vna tamen esset perfidia, impietate non dissonans, communione discordans, non dissimili fraude, sed cogitatione discreta. Neq; dicã de ijs, quibus æuo suo ante quadringẽtos annos idem accidisse scribit Bernardus. Patrum aut certè auorum nostrorum memoria secta quædam in Boëmia & Morauia nata est eorum, qui vtramque Speciem eucharistiæ necessariò sumi à Christianis omnibus debere contenderent. Nunquid ea sola fuit? minimè gentium. Simul vt ab Ecclesiæ consensu semel discessum est, ita variæ sunt & multæ ex vna hac hæreses propagatę, vt, quod omnibus in confesso est, qui per eas prouincias iter faciunt, intra vnius oppidi mœnia sex aut septẽ etiã sectas reperire liceat, rarãq; domus est, in qua nõ aliud maritus, aliud vxor, aliud liberi, aliud credat familia. Cùm verè dictũ sit ab Euagrio, cùm de fide disceptatur: dissident patres à filijs, ac filij à parentibus: maritus à coniuge, ac coniux à marito. Sic fit, vbi ab vno, vbi à vero, vbi ab vnius sanctæ catholicæ Ecclesiæ consensu disceditur: Veritas enim haudquaquam esse multiplex potest: sed vt spiritus diuinus vnicus est, ita verum, quod illo docente cognoscitur, non nisi vnum est. Atque ea demum vera doctrina est, & hoc veros doctores arguit, quemadmodum à maioribus traditum esse refert Athanasius, vt eadem inter sese profiteantur, neque diuersa sentiant, vel inter ipsos, vel à suis maioribus dissidentes. Etenim qui in hunc modum affecti non sunt, improbi potius quàm veri doctores dicendi sunt. Quamobrem euenit eiusmodi, quod viatoribus vsu venire solet: si quando à recto itinere aberrarunt: Vt enim illi alias ex alijs semitas ingredientes vagantur & errant, nullum peritum regionum ducem sequuti, sic isti Duce carentes Ecclesia, quam reliquerunt, cùm de rectæ fidei, religionisq; curriculo deflexerint, alia ex alijs impietatis diuerticula sunt ingressi, capitibusq; dissecti, cauda verò colligati, in sola vnius sanctæ catholicæ Ecclesiæ sentẽtia oppugnanda sunt concordes, haud aliter, q̃ olim Herodes & Pilatus inter se paulò antè dissidentes, in Domini passione fuerunt amicitia fœderati. Huius rei figuram fuisse putat Augustinus, quòd Sampson vulpium caudas colligasse legitur: Vulpes enim insidiosos maximè hæreticos significant, dolosos, fraudulentos, cauernosis anfractibus latentes & decipientes, de quibus etiam in Canticis dicitur: Capite nobis vulpeculas exterminantes vineas. De ijs intelligi vult Rupertus, quod in Apocalypsi scriptum est: Commanducauerunt linguas suas. Quomodo, inquit, commanducauerunt? nimirum contra semetipsos sentiendo. Nã contra catholicã quidẽ Ecclesiam pari, & quasi concordi malignitatis spiritu depugnant, sed contra semetipsos discorditer confligendo, hæreses multifidas fecerunt, & ita suas quisque partes defendendo, contendendo, atque rixando, linguas suas commanducant. Præclarè scriptum est ab Epiphanio: Quemadmodum si quis transitum reperiat in sepe circa publicam viam, & per hunc sibi eundem esse putet, & relicta publica via per hunc eat, putans se propinquissimum habere, vnde reflexu facto rursus viam apprehendat. Ignoret autem, quod murus consistit altissimus, & longo interuallo extructus. Percurrat autem & non reperiat, per quam viam exitum faciat: & per vnum signum siue miliare progressus, adhuc amplius viam non reperiat, & sic ad plures se conuertat. Quum autem sic laboret, & facultatem non habeat per quam viam ad rectum iter perueniat: fortasis neq; inuenire poterit, nisi reflexerit per eam, per quam etiam ingressus est. Sic omnis hæresis velut compendium quoddam inuenire putans, à longa via discesset. Inuentus est autem illi murus infractus ipsa ignorantiæ implicatio. Et non vtique inuenerit talis quomodo ad veram viam perueniat, nisi reflexerit ad primariam viam, hoc est Regiam. Sicut etiam lex ipsa palam clamat sancto Mose dicente: Non declinabimus ad dextram aut ad sinistrã: non declinabimus hinc aut illinc, via Regia ibimus. Est enim via Regia sancta Dei Ecclesia, & iter veritatis, vnaquæque verò harum Regia relicta, & ad dextram aut ad sinistram inclinatione facta, vbi deinceps nimium se in errorem dederit, distrahetur, & non amplius mensuram habet, apud vnamquamq; sectam erroris impudentia.

*Lib. 4. cap. 10.*

*Veritatem doctrinæ probat concordia & consensus docentiũ. Athanasius. Lib. de decretis Nicænæ synodi cont. Eusebium.*

*Hæretici in quibus conueniant.*

*Ioan. 19. Vulpes hæreticos significant & In Psa. 80. & 61. Chryso. in Psal. 96. Hiero. in 13. c. Eze. Ruper. lib. 9. in Apoca. Bern. in Cãt. ho. 56. Cant. 2 Epiph. Tom. 1. li. 2. hæres. 59.*





*Quòd aliter vnitas retineri non potest, quàm si vnus aliquis præsit Ecclesiæ, cui pareant omnes.*

## CAPVT XXVI.

QVAM autem causam esse dicemus, quòd cùm perpetuò sibi constet Ecclesia, sitq; admirabilis quædam in ea fidei dogmatum consensio, qui semel ab ea desciuerunt, tanta est eorum inter se distractio, & opinionum varietas? Quam aliam? nisi quòd qui permanent in Ecclesia, fas eis nõ est, vt ambulent inflati sensu carnis suæ, vt suos aliquos intellectus adferant singulares, quos mordicus posteà tueantur & defendant: sed cùm sint vnius corporis membra, cuius caput Christus est, necesse est, vt caput suum teneant, atq; in illius obsequium intellectum suum captiuent. *Col. 2. 2. Cor. 10.*

Porrò qui caput est Ecclesiæ Christus, ad patrem suum cœlestem ex hoc mundo migraturus, atq; ita facturus, vt genus humanum corporali sua præsentia destitueret, cùm sub suæ tempus passionis orasset patrem, vt eos, quos dederat sibi, seruaret, vt essent vnum, sicut ipse cum patre vnum est, quo facilius vnitas hæc sempiternis temporibus retineri posset, ascẽsurus ad patrem, vni curam Ecclesiæ suæ mandauit, vni Petro pascendas oues suas commisit, vnum illum principem designauit multis argumentis: vt ipse quidem in cœlis auctor esset vnitatis perpetuæ, Petrus autem, & quisquis ei succesisset, eiusdem retinendæ dux & princeps in terris haberetur. *Vnitatis Ecclesiastici cæ causa. Ioan. 18. Ioan. 21.*

Vnitatis itaq; constituendæ principium Christus, & retinendæ per eundem Christum Petrus, & eius successor statuitur. Hoc vniuersa credidit antiquitas: Hoc sacrosanctum Nicænum Concilium confessum esse legimus: Hoc modo non ædita voce clamat ipsa natura, quòd non potest aliter ordo consistere, non potest aliter vnitas in ecclesia retineri, quàm si præsit vnus. Hoc in apibus, hoc in gruibus, hoc in alijs etiam plerisq; brutis animantibus videre licet. Habent caput vnum, ducem vnum, quem sequuntur: Sic in arboribus videmus multos ramusculos ad virgam, multas virgas ad ramum, multos ramos ad stipitem, multos stipites ad radicem vnam infigi: vt omnia socia fiant, & succũ, qui est in radice, participent: sicut à Paulo dicitur: Socius radicis & pinguedinis factus es. Quòd si in naturis rerum, multò magis idem fieri necesse est in humana societate, quæ nisi ab vno aliquo gubernetur, stare non potest. Propterea dicit Dominus per Prophetam: Suscitabo super eos pastorem vnum. Et rursus: Pastor erit vnus omnium eorum. Et in Euangelio. Erit vnus pastor, & vnum ouile. Quem vnum & solum bonum pastorem libenter Christum agnoscimus, libenter eum esse caput & fundamentum Ecclesiæ profitemur. Quin & illud non obscurè ferimus, nos credere, quòd solus ille sufficiat ad Ecclesiam suam regendam, gubernandam, & in vnitate conseruandam. Cæterùm sicut ipse est, qui sacramenta perficit omnia, ipse est, qui baptizat, ipse est, qui peccata dimittit, ipse est verus sacerdos, qui cùm semetipsum semel obtulerit in ara crucis, sua virtute corpus suum & sanguinem ex eo, quod panis erat & vinum conficit, vt iterum offeratur non in mortem, sed in mortis recordationem: & tamen quia cum suis fidelibus non erat in corpore permansurus, ministros elegit, quibus in sacramentia administrandis vteretur: Sic ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ suæ, ipse ordinem in ea simul & vnitatem conseruat. *Rom. 11. Ezech. 34. Ezech. 37. Ioan. 10 Vnus pastor Christus,*

Quoniàm verò præsentiam sui corporalem & visibilem Ecclesiæ subtracturus erat, vnius vti ministerio voluit, per quem vnitas hæc retineretur. Et sicut scribit Augustinus: In cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis. Huic itaque præ cæteris oues loco sui pascendas cõmisit, ac à seipso petitum cognomen tribuit. Nam cùm petram esse Christum dicat Apostolus, cum Petro in consortium indiuiduæ vnitatis assumpto, nomen hoc communicare dignatus est: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ab ipso, sicut scribi. S. Leo, quasi quodam capite dona sua velut in corpus, in Ecclesiã diffundi voluit, vt exortem se mysterij intelligere esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc, &cæt. Vt æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret. Cùm autem hrs Christi verbis vno ore à sanctis Patribus tam Græcis quàm Latinis Ecclesia super Petrum ædificata dicitur, tantum abest, vt quicquam ea re Christi gloriæ detractum existimari possit, magis vt etiam illustrata videatur. Neque enim quisquam est, qui eat inficias: quin illud vniuersa prædicat Ecclesia, Christum esse petram illam inuiolabilem, esse lapidem illum angularem, qui fecit vtraq; vnum: esse fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere. Sed cùm verum sit illud, quod à Diuo Dionysio scriptum est: Bonum esse sui ipsius maximè diffusiuum & communicatiuum, quid magis facere potuit ad gloriam illustrandam, ad incredibilem sui bonitatem toti mundo manifestandam, quàm si quod ipsi potestate proprium est, id participatione quadam esse sibi cum homine commune voluisse diceretur? Nunquid non solus ipse est lux inaccesibilis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? & tamen Apostolis dixisse legitur: Vos estis lux mundi. Nunquid non ipse solus bonus est? nam nemo bonus nisi Deus: Sunt & hæc tamen illius verba: Bonus homo de thesauro cordis sui profert bona. Nunquid non solus ipse peccata remittit? nam hoc non est nisi Dei proprium: eandem tamen potestatem sacerdotibus quoque concesit, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Sed quid opus est hæc enumerando recensere? Potéstne quicquam esse gloriosius, quàm & dici, & esse Dei filium? Hanc quoq; gloriam adeò non inuidit mortalium generi summa illa bonitas, vt quod solus ipse natura est, nos quoq; per adoptionis gratiam *Aug. Epis. 166. Vnius pastoris Christi decedentis vnus in terra vicarius pastor constituitur. Leo ep. 89. ad Epis. Prouinciæ, Vien. Ioan. 21. 1. Cor. 10 Matth. 16. Ecclesia super Petrum ædificata. Ephe. 2. 1. Cor. 3. De diuinis nominibus. cap. 4. Christus sua natura lia bona dignitatesque sua nobis communicat. Ioan 8. Matth. 6. Matth. 19. Luc. 5. Ioan. 20. Rom. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Dei patris filios & hæredes, fratres autem suos & cohæredes esse vellet. Et non intelligunt spiritus isti fanatici, iustò Dei iudicio in reprobrum sensum dati, se esse potius, qui Christi gloriam obscurent, dum de illius bonitate detrahunt, quæ illi tanta est, vt cùm semetipsum tradiderit, cum sanguinem suum pro nobis fuderit, verisimile non sit, esse quicquam, quod communicare nobiscum paratus non sit: cùm præsertim ista causa fuerit, quamobrem Dei filius, hominis filius fieri dignatus est, vt hominum filijs Dei filios esse liceret. Adducens hunc Euangelij locum Basilius de pœnitentia: Etiamsi Petra est, inquit, non vt Christus petra est, sed vt Petrus petra. Christus enim reuera petra est immobilis & inconcussa, Petrus verò propter hanc petram. Largitur enim Deus suas dignitates, non euacuans se, sed habens dat. Lux est, vos estis, inquit, lux mundi: Sacerdos est, sacerdotes facit. Ouis est, ecce, inquit, mitto vos tanquam oues in medio luporum. Petra est, petram facit, & quæ propria sunt illius largitur seruis. Hoc signum est, aliquem esse diuitem, habere & largiri. At nostri diuites quando largiuntur, imminuunt aliquid ex ijs, quæ habent, non enim verè sunt diuites, aliena sunt, quæ possidemus : hic verò fic diues, vt quantumcunque largiatur, nihilominus æquè diues maneat, tanquam fons quidam perennis, quantumcunque ex eo hauseris, fluxus non imminuitur. Cui non dissimilia scribit, qui libenter eum imitatur, Ambrosius. Et æqualis eius Paulinus. Enumeratis multis nominibus, quæ nobiscum Christus communicauit, inter quæ recenset etiam hoc ipsum petræ nomen, cuius gratiam discipulo suo non negauit. Sed quid miramur, inquit, cum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus & patrem suum participat & regnum? Dedit enim potestatem excipientibus se filios Dei fieri, & quantum in ipso est, omnibus dixit hominibus, Dij estis & filij excelsi omnes. Et secutus hos Cyrillus Alexandrinus pluribus verbis docet. Quòd cum ipse Christus lux vera sit, lucem vocauit Sanctos Apostolos. Et cum ipse natura solus verè sit filius, nobis in ipsum credentibus potestatem dedit patrem vocandi Deum, vtpotè qui dignitate ac iure filij locupletamur. Cùm ipse sit vnus vniuersorum præceptor, & fortitò habeat orbem terrarum: hoc dedit sanctis eos coronans sua gloria: quia ipsius cooperarij extiterint, & ingenui, & germani populorum moderatores, multos lucrati fuerant. Sic etiam fundamentum & basis inconcussa Christus est, qui omnia coërcet ac continet, vt benè firma sint. In ipso enim ædificamur oës domus spiritualis compacti per Spiritum, & cæt. Nihilominus & Apostolos & Euangelistas scriptura vocat fundamẽta & proxima & viciniora, qui fuerunt omnes testes & ministri sermonis facti in confirmationem fidei. Sicut dictum est voce psallentis. Fundamenta eius in montibus sanctis. Et à Paulo superædificati super fundamenta Apostolorum & Prophetarum. Sic in Apocalypsi. Murus ciuitatis habens fundamenta 12. & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum. Christus igitur est primum & maximum fundamentum. Qui sicut apertè dicitur, Sanctus Sanctorum: sic figuratè fundamentum fundamentorum. Si Sacramenta cogites, Christus est Sanctus sanctorum: si gregem subditum cogites, Christus est pastor pastorum : si fabricam cogites, Christus est fundamenta fundamentorum. Ijsdem prorsus verbis vtitur Augustinus, ac mox subdit: In ædificijs istis non potest idem lapis esse in imo & in summo. Si fuerit in imo, in summo non erit. Si in summo fuerit, in imo nõ erit Angustias enim omnia penè corpora patiuntur, nec vbique esse possunt, nec semper. Diuinitas autem quæ vbique præstò adest, vndique ad eam potest duci similitudo, & totum potest esse in similitudinibus, quia nihil eorum est in proprietatibus. Nunquid Christus est ianua, quemadmodum ianuas videmus factas à fabro? Non vtique. Et tamen dixit: Ego sum ianua. Aut nunquid sic est pastor, quemadmodum vidimus pastores istos præpositos pecorum? Et tamen dixit: Ego sum pastor. Et vno loco ambas res dixit: In Euangelio dixit: Quia pastor per ianuam intrat. Et ibi dixit: Ego sum pastor bonus. Et ibi dixit : Ego sum ianua. Pastor intrat per ianuam. Et quis est pastor, qui intrat per ianuam? Ego sum pastor bonus. Quæ est ergo ianua, qua intras tu pastor bone? Ego sum ianua. Quomodo ergo tu omnia: quomodo ergo per te omnia? verbi gratia, cum Paulus intrat per ianuam, nonne Christus intrat per ianuam? Quare? Non quia Paulus Christus, sed quia in Paulo Christus, & per Christum Paulus ipsè dixit: An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? Cùm sancti eius & fideles eius intrant per ianuam, nonne Christus intrat per ianuam? Quomodo probamus? Quia sanctos ipsos persequebatur Saulus, nondum Paulus, quando exclamauit de cœlo: Saule Saule cur me persequeris? Ergo fundamentum & lapis angularis est ipse ab imo surgens, si tamen ab imo. Etenim origo fundamenti huius summitatem tenet. Et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est: sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Quia cœlestis fabrica est, ad cœlos proceſsit fundamentum nostrum. Ipse ergo angularis lapis, mõtesq; Apostoli, Prophetæ magni portantes fabricam ciuitatis, faciunt vnum quoddam ædificium.

*Basilius.*

*Diuitis signum.*

*Amb. in Luc. ca. 9. Et de pœnitentia li. 1. ca. 7. Ep. 4. ad Seuerum. Ioan. 1. Psal. 81. Lib. 4. in Eſa. Orat. 2.*

*In Psalm. 86.*

Continet itaque virtute sua molem Ecclesiæ Christus, ac inuisibiliter eam gubernat: sed quemadmodum in Sacramentis cum ipse solus inuisibiliter operetur omnia, ministerio tamen vtitur visibilium sacerdotum: sic visibilem in terris elegit ministrum. per quem Ecclesiæ molem hanc sustineret: per quem gregem suum visibilem inuisibilis ipse gubernaret. Est igitur fundamentum & petra Christus, est fundamentum & petra fides de Christo, quam confessus est Petrus: est fundamentum & petra Petrus ipse confitens Christum. Hæc adeò sibi non aduersantur, vt nisi credas, Ecclesiam super Petrum confitentem Christum ædificatam esse, nihil credas, nec vbi sit Ecclesia scire queas. Nam si petram nolis nisi Christum ipsum intelligere: quod futurum Christus prædixit, dicet Lutherus: Ecce hic est Christus: dicet Zuinglius, siue Caluinus, ecce hic est: Anabaptistæ contrà, apud neutrum esse dicent, sed sibi solis eum vendicabunt: idem Adamitæ facient, idem Iconomachi. Quid ergò aliud q̃ com-

*Petra est Christus, & fides de Christo est Petrus ipse.*



commentitia erit Ecclesia, cuius nec fundamentum, nec ædificium agnosci poterit? Si verò petram interpreteris fidem, quam confessus est Petrus, idem illud eueniet. Nam & hanc isti certatim ad se rapient, sibiq; singuli certatim vsurpabunt.

Quamobrem si talem esse volumus Ecclesiam, quæ videri & agnosci possit, necesse est, vt visibilem esse petram statuamus, super quam illa sit visibilis ædificata, vt petræ nomine, Petrum Petriq; successorem confitentem Christum intelligi velimus. Hoc est, quod dicit Hieronymus: Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant: vt ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Quod ante illum scriptum erat etiam à Cypriano. Hoc erant vtiq; cæteri, inquit, Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis, sed exordiũ ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Sed & ante hunc Anacletus, qui vixit Apostolorum temporibus: Licet omnes, inquit, pares essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt: vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolorum.

*Hiero. Lib. 1. cont. Iouinianum.*

*Cypria. De vnitate Ecclesiæ.*

*Anacl. Epist. 3.*

Quoniam itaq; vna est Ecclesia, super vnum, qui claues eius accepit voce Domini fundata est: per quem fit, vt Episcopatus etiam vnus sit multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus: sicut ad Iubaianum, & ad Antonianum scribens, testatur Cyprianus. Ambrosius quoq; explicans illum Pauli locum : vt scias quemadmodum te oporteat in Dei domo conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentũ veritatis. Cùm totus, inquit, mundus Dei sit Ecclesia, tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Et eum secutus Augustinus. Contra sedentem, inquit, in cathedra, cui totus orbis Christianus in transmarinis & longè remotis terris, & in ipsis Aphricanis grauioribus, & aduersus eiusmodi fallacias robustioribus communicaret Ecclesijs, Episcopum alterum ordinauerunt. Hieronymus quoq; salutem Ecclesiæ dicit à summi sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Neq; enim aliundè schismata & hæreses obortæ sunt, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur: quemadmodum ad Florentium Pupianum, & ad Cornelium scribens testatur sanctus ille martyr Cyprianus. Vnum itaq; toti præesse Ecclesiæ vsq; eo necessarium est, vt absq; hoc Ecclesia vna esse non possit. Vnus autem hic Petri Apostoli successor sit oportet: atq; inde est, quòd Ecclesia nostra, quemadmodum vna, ita etiam Apostolica dicitur.

*Amb. in ep. Pauli 1. ad Timo. 3. Aug. cont. Parmenianum. li. 1. ca. 3.*

*Lib. 4. epist. 2. Hie. cont. Luciser. Hæreseon & schis. ortum.*

*Lib. 4. epist. 9. Lib. 1. epist. 0. 3.*

## *Quarta Ecclesiæ nota, quòd sit Apostolica.*

## CAPVT XXVII.

Et hæc quarta iam est Ecclesiæ nota. Cùm autem vocamus eam Apostolicam, non excludimus Patriarchas & Prophetas. Neq; enim ab Apostolis, quemadmodum anteà dictum est, verùm ab ipso Adam, siue filio eius Abel exordium sumpsit Ecclesia, quæ ædificata est super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Nam quod Apostoli factum esse prædicauerunt, id Prophetæ futurum prædixerunt. Qua de re sic aliquando scripsit Origenes: Non ex aduentu Saluatoris in carne sponsam dici, aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi. Ac paucis interiectis: prima fundamenta congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita, vnde & Apostolus dicit: Ædificari Ecclesiam non solùm super Apostolorum fundamentum, sed etiam Prophetarum: inter Prophetas autem numeratur & Adam, quia magnum mysterium prophetauit in Christo, & in Ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem suum, &c. Ob hanc etiam causam vocatur ab Esaia filia Sion, quod sicut annotauit Cyrillus, primi ex sanguine Israelis oriundi crediderunt. Et gentium Ecclesia velut filia quædam dicta est eius, quæ ab initio ab illis constituta est. Nec dissimiliter Hieronymus hunc Esaiæ locum interpretatur. Dicitur itaq; Ecclesia Apostolica, in qua & doctrina Apostolorum, & legitima est Episcoporum successio, à temporibus Apostolorum ad hæc vsq; nostra deducta. Porrò doctrina Apostolorum non scripto tantùm, verùm & traditione constat: quo, q̃ ad constituendam Ecclesiam, quæ ad fidem, quæ ad religionem, quæ ad ritus & cæremonias pertinent, multa docuisse dubium non est, quæ nusquam scripta reperiũtur. Scribens ad Thessalonicenses Apostolus dicit: State & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quibus verbis palàm indicat, præter ea, quæ scripserat, se non minus præclara, quin & præclariora solo sermone docuisse, cùm sermonem prius, quàm epistolam nominat. Id quod vel inde magis etiam liquet, quòd qua ratione cœnæ Dominicæ memoria celebrari debeat, verbo tradidisse videtur. Ita enim dicit scribens ad Corinthios: Cætera (nimirum de Sacramento Eucharistiæ) cùm venero, disponam. Ex quo loco scribens ad Ianuarium colligit Augustinus, à Paulo totum illum ordinem agendi, quem vniuersa per orbem Ecclesia tenet, institutum esse, quod nulla morum diuersitate varietur. Alio quoq; loco dicit Paulus: Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea, tenetis. Rursus Timotheo scribens: Quæ audisti, inquit, à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Quibus ex verbis illud intelligere licet, quod etiam ab Irenæo scriptum est: de multis rebus, quæ literis mandatæ non erant, edoctam ab Apostolis recentem illam Ecclesiam fuisse, quæ successores Apostolorum Episcopi sibi per manus ab illis tradita, suis viciſsim ipsi successoribus, Ecclesiæq; tradiderunt.

*Ephe. 2.*

*In Cantica Canticorum. Hom. 2. Ecclesiæ initium in Adã & Eua.*

*Gene. ca. 2.*

*In locum Esaiæ 22.*

*Apostolica Eccles. Apostolica doctrina.*

*2. Thes. 3. Traditio Apost.*

*1. Corin. 11. Epist. 118. ca. 6. Ordo circa Eucharistiam à Paulo institutus.*

*1. Corin. 11. 2. Timo. 2. Lib. 3. cap. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quamobrem quisquis Apostolicam Ecclesiam credere se profitetur, eum non modò, quæ scripta, verumetiam quæ viua voce tradita sunt per Apostolos, tenere oportet: Quæ nisi recepta fuerint, de summa fidei nostræ periclitabimur. Neque enim alia re magis differre visi sunt à Catholicis hæretici plerique, quàm quòd hi solas recipiebant scripturas, illi verò traditionibus etiam ecclesiasticis inhærendum esse censebant. Sic de Montano scribit Eusebius: Quòd is insolita non contra scripturas, sed contra traditionem & consuetudinem antiquæ successionis, sub specie prophetiæ loqui cœperit. Sic Hilarius, suo quoque tempore cùm dixisset quidam: Nolo verba, quæ non scripta sunt dici. Dic, inquit, prius si rectè dici putas: Nolo aduersus noua venena nouas medicamentorum comparationes, nolo aduersus nouos hostes noua bella: nolo aduersus insidias nouas Concilia recentia. Athanasij verba sunt hæc, cùm ex Theognosto, Dionysio Alexandrino, & Origene probasset, filiũ eiusdem esse cum patre essentiæ. Ecce, inquit, nos quidem ex partibus ad patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem, ô noui Iudæi & Caiphæ discipuli, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? Ad eundem modum Ambrosius quoque. Sed dicis, inquit, Homousion nominari non debere, quia in scripturis diuinis non contineatur. Quæro & ego homo, qui hoc prohibes, si ideò nominari non debet, quia scriptum non est, an ideò, quia ita credi non liceat. Quòd si ita credendum est, cur non ita profitendum? Corde enim, inquit Apostolus, creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et paucis interiectis: Si enim Substantiæ vocabulum inde times dicere: quia scriptum non est, timere identidem debes Deum ex Deo, lumen ex lumine profiteri. Videtur autem hæc Ambrosius à Gregorio Nazianzeno mutuatus. Similiter Epiphanius cùm quærerent Arriani, quæ scriptura dixit de coëssentialitate, quis ex Apostolis essentiam Dei dixit, quærit vicissim. Respondete nobis Arrij discipuli, vbi scripta est hęc vox ingenitus, ostendite locum. Neq; enim lex dixit, neq; Prophetæ, neq; Euangelium, neq; Apostoli. Si itaque piè dicimus, dictionem non scriptam, estqúe recepta dum pro gloria Dei dicitur: quid nos reprehendit etiamsi vox coëssentialis non est scripta? Quem sequutus Cyrillus cùm diceret Hermias: At nomen Homousion vbinam ponit scriptura? Respondit: Vbinam oro nominauit scriptura Deum incorporeum, infigurabilem, incircumscriptum, & inregnatum siue Regi non subditum, & nihilominus ita est nolentibus illis. Nihil damni verbum secum adfert, etiamsi non reperiatur in scripturis: siquidem verissimum fuerit, quod per id significatur. Ex his igitur Athanasij, Epiphanij, Hilarij, Ambrosij verbis, discimus quòd Arriani Seleucæ congregati palàm prædicabant, se nihil præter scripturas diuinas recipere.

*Catholicorum & hæreticorum discrimen.*
*Lib. 5. hist. c. 16.*
*In libr. ad Constantium Augustum.*
*Hæretici traditionibus conuicti.*
*In lib. de decretis Nicænæ Synodi cont. Eus.*
*Lib. de fide contra Arrianos. cap. 3.*
*Hæres. 23.*
*Lib. 1. de Trin.*

Quamobrem ex non scriptis sermonibus, piè tamen intellectis damnati sunt. Nam cùm reijcerent illi vocẽ Homousij, propterea quòd nusquã in scripturis reperiretur, Athanasius & qui cum eo faciebant Episcopi catholici, testimonio Patrum, qui doctrin ãhanc ab Apostolis receperant, eos refellebant. Nam Apostolorum esse traditionem, quòd filius eiusdem cum patre sit substantiæ, Felix Pontifex ad Benignum scribens, testatur. E scripturis Eluidius Mariæ perpetuam virginitatem: è scripturis Donatistæ paruulorum baptismum impugnabant. Sed sicut illum Hieronymus, ita hos Augustinus Ecclesiæ traditione refellit: Cuius tantam esse vim Paulus voluit, vt non dubitanter diceret: Etiamsi nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit: Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Non dixit, Si quis vos docuerit aliter, quàm scripsit Matthæus, aut Marcus, aut Lucas, aut Ioannes, aut quàm ipsi scripsimus, sed præter id, quod euangelizauimus, hoc est, prædicauimus vobis, præter id, quod ipsi coràm docuimus, & concionando tradidimus vobis, præter id, quod accepistis, hoc est, audiuistis, & coràm didicistis à nobis quatuor esse Euangelia, quæ scriptura nobis prodit? & tamen si quis ea non credat, hæreticus est. Credimus igitur, non quia scriptum est, sed quia sic ab Apostolis legitima Episcoporum & Sacerdotum successione per manus nobis traditum est. Ad eundem modum, tres personas Deum vnum esse, nulla nobis expresè tradis scriptura, atque adeò ne reperitur quidem personæ nomen in scripturis de Deo dictum, sicut nec Trinitatis: nos tamen tres personas dicimus, non quia scriptura dicit, inquit Augustinus, sed quia scriptura non contradicit, & quia sic ab Apostolis & eorum successoribus traditum accepimus: quorum etiam esse traditionem, vt paruuli baptizentur, Dionysius & Origenes testantur. Sed & quòd in Missæ sacrificio pro defunctis oratur, Apostolorum esse traditionem narrat Chrysostomus. Quòd de maioribus Ecclesiæ causis ad sedem Apostolicam sit referendum, Apostolos instituisse scribit Zepherinus Pontifex & Martyr: quamuis ante eum, alij quoque nonnulli Symbolum quod vocant Apostolicum, ab Apostolis confectum esse narrant Clemens, Cyprianus vel potius Rufinus: illius enim videtur esse symboli explicatio, quæ Cypriano quoq; inscribitur, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Leo Pontifex & alij. Neq; tamen vel in Actis Apostolorum, vel in reliqua noui Testamenti scriptura vniuersa, vltra sit eius rei mentio.

*Gal. 1.*
*Quæ scripta nõ sint credantur tamen.*
*Aug. li. 7. de trinit. cap. 4.*
*Dionys. c. ap 7. eccl. Hierar.*
*Orig. lib. 5. in epist. ad Rom.*
*Chrys. hom. 3. epist. ad Philip.*
*Clem. in epist. ad Iacobum fratrem Domini.*

Sed quorsum attinet singulas Apostolorum traditiones enumerare, quarum bonam partem inuenire licet apud Iustinum, Origenem, Tertullianum, Athanasium, Basilium, Hieronymum. Multa esse refert Augustinus, quæ neque in literis Apostolorum, neq; in Conciliis posteriorum reperiuntur, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis Apostolis tradita & commendata creduntur.

*Hiero. ad Pammachium aduersus hæreses.*
*Ambr. ser. 38.*
*Ioan. Hier. ser. 88.*
*August. ser. 115. & 118. de tempore.*

Quòd

*Leo epi. 24. & 13.* *Iust. quæst. 115. & 118. ad orthodox. Orig. hom. 5. in Numeros. Tertul. de corona militis. Athan. in lib. de variis quæst. Basil. lib. de spiritu sancto cap. 28. 29. Hier. contra Luciferanum. August. de Bapt. paruul. lib. 2. ca. 7. Ecclesia vera vbi sit.*



*Quòd vbi legitima Episcoporum successio est, ibi doctrina Apostolorum, ibi vera est vna, sancta, catholica. Apostolica Ecclesia.*

## CAPVT XXVIII.

DIdicimus ergo iam, ibi esse Apostolicam Ecclesiam, vbi est doctrina Apostolorum. Porrò doctrina Apostolorum ibi est, vbi est legitima Episcoporum successio, à temporibus Apostolorum ad hæc vsq; nostra: quę successio vbi nõ est, ibi nõ est Ecclesia Christi, sed Sathanæ Synagoga. Hãc Ecclesiæ notam quia nõ habent, non agnoscunt hæretici: nam neque traditiones Apostolicas admittunt, cum Arrianis atque alijs hæreticis nihil præter scripturas recipientes: neque ferre possunt aures eorum, vt de legitima Episcoporum successione quicquam dicatur. Nobis verò tantò maiore alacritate excipienda est nota hæc, quantò magis abhorrere ab illa hæreticos & schismaticos videmus, quandoquidem non fuit ferè quisquam sanctorum patrum, qui non eam inter præcipuas Ecclesiæ notas numerauerit: Irenæus Apostolorum temporibus fuit proximus, eius hæc verba sunt: Agnitio vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita. Et alio loco ijs tantùm Episcopis obedire iubet, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum successione Episcopatus charisma veritatis certum acceperunt: Reliquos verò, qui ab sistunt, à principali successione quocunque loco colligantur, suspectos haberi vult. Neque multò posterior Tertullianus, vbi de hæreticis ait: Cupio, inquit, ostendant mihi, ex qua auctoritate prodierint: ædant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Ecclesia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem, à Petro ordinatum ædit, proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Idem scribens aduersus Marcionem versibus, enumerat omnes Pontifices Romanos, qui sibi succedentes inuicem longè diuersam ab ea doctrinam tradiderunt, quàm protulerat Marcion. Qui verò fuit propemodum æqualis eius Origenes: Cùm, inquit, multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsq; ad præsens in Ecclesijs permanens: Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.

*Li 4. c 63. & 43: Pontificum & Episcoporum successio.*
*De præscrip. aduersus hæretic.*
*Lib. 3. In proœmio libr. 2. Periarchon.*
*Lib. 4. Epist. 9.*

Porrò Cyprianus tantum huic notę tribuit, vt Ecclesiam esse dicat, plebem Sacerdoti suo adunatam, & pastori suo gregem adhærentẽ. Adducens verba illa Petri: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes: Loquitur, inquit, ibi Petrus, super quem ædificanda erat Ecclesia, docens, etsi contumax & superba audire nolentium multitudo discedat, quòd Ecclesia tamen Christianorum non recedit. Ad extremum scire debes, inquit, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, etsi qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse, & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, cùm Ecclesia, quæ catholica vna est, scissa non sit, neq; diuisa, sed sit vtiq; connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata. Ac rursus ad Magnum scribens: Ecclesia, inquit, vna est, quæ vna intus esse & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit: si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est. Ibi indicauit Ecclesiam esse Cyprianus, vbi fuisset Papa Cornelius. Qui alio loco, cum Cornelio esse, idem esse scribit, quod cum catholica Ecclesia communicare. Et iterum alio loco: Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia se esse confidit: Quem sequutus Optatus, dum probare conatur, Cecilianum esse Catholicum, & Maiorinum hæreticum: Non Cecilianus, inquit, recessit à Cathedra Petri, sed Maiorinus, tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Maiorinũ originem non habebat. Et Ambrosius, vbi Petrus, inquit, ibi Ecclesia est.

*Ioan. 6*
*Lib. 1. epist. 6. Ecclesia ibi, vbi Papa.*
*Lib. 4. epist. 2.*
*Lib. 1. contra Parmenianum.*
*Hiero. in ep. ad Damasum.*
*Ambr. in Psal. 40.*

Neq; dissimiliter Hieronymus, qui scribens ad Damasum: Faceſſat, inquit, inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: Si quis in arcá Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Ac paulò pòst: Non noui, inquit, Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: quicunq; tecum non colligit, spargit: qui Christi non est, Antichristi est. Sic ille vir sanctissimus iuxtà ac doctissimus, quicunque cum successore piscatoris Damaso Papa non colligerent, Sathanistas & Antichristos eos haberi voluit: itaq; nihil habere cùm illis commune volebat. Quod apertius etiam in proximè insequenti scribit epistola: In tres, inquit, partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Tanta fuit Apostolicæ sedis auctoritas, vt illi se hærere etiam hæretici fingerent, cui qui non esset iunctus, eum pro suo non habebat Hieronymus. Qui quod eo loco scribit, idem etiã Theodoretus testatur de Paulino, deq; Apollinare, quod asseuerabat, vterq; se cum Damaso sentire, quò facilius morbum suum tegere posset.

*Genes. 7.*
*Hæretici etiam fingebant se tum Rõ. Pont. sentire.*
*Lib. 5. c. 3. epist. 14.*

Augu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In Ecclesia ali quê retinent. Aug. cont. epi. Manichei. ca. 4. Explicationem huius sententiæ Augustini vide fol. 423. Idem in principio Tom. 7.*

Augustinus in pluribus locis notam hanc agnoscit: qui dissertis etiam verbis extra Ecclesiam esse pronunciat, qui relicto Episcopo, Dei ordinatione succedanea præsidente, aut sibimetipsis, aut semetipsos constituunt Episcopos, Præpositos, Primates. Cuius hæc etiam verba leguntur. Multa sunt, quæ me in Ecclesiæ gremio iustissimè tenent. Tenet cõsensio populorum, atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dominus post resurrectionem suam commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio: tenet postremò ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur? nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Rursus in Psalmo contra partem Donati: Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Quod autem in eo Psalmo scripsit, in epistola ad Generosum ipse fecit, ac Romanos Episcopos inuicem sibi succedentes enumerauit à Petro vsq; ad Anastasium: Quibus enumeratis: In hoc ordine, inquit, successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Et contra Faustum scribens: Vides, inquit, quid hac in re Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsq; ad hodiernum diem succedentium sibi Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Et paulò pòst: Quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Quod idem ab Optato quoque, qui fuit æqualis Augustini, factum legimus. Is contra Parmenianum scribens, eum scire dicit, Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, vt iam schismaticus esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima, sedet prior Petrus, cui successit Linus, ac enumeratis vsq; ad Syricium, qui tum in cathedra sedebat, Romanis Pontificibus: Vestræ, inquit, cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Simili enumeratione successionis Pontificum Romanorum, vsus est antiquissimus Epiphanius, & qui præcesserit eum Irenæus. Quo in loco simul illud asseuerat, quod ad Romanam ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndiq; fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Enumerationem autem Irenæi transcripsit in Ecclesiasticam suam historiam Eusebius.

*Epist. 165.*

*Lib. 11. cont. Faust. cap. 5.*

*Lib. 2. cont. Donat. A B. Petro Apostolo Episcopo primario Episcoporum huc vsq; successio in vera ecclesia est, & nõ apud hæreticos.*

*Lib. 3. ca. 3. Epip. 27. hæres.*

*Lib. 5. cap. 6. eccle. hist.*

Longum esset singulos enumerando recensere, qui ex hac nota successionis Apostolicæ, Ecclesiam agnoscendam esse putauerunt. Qua in sententia cùm fuerint antiquissimi, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Optatus, nota hæc Ecclesiæ, quam sancti Patres agnoscunt, vna omnium clarissima maximeq; Ecclesiæ propria est habenda, quantumlibet reclamantibus hæreticis, qui eam sibi nulla ratione possunt arrogare. Quibus & nos cum Tertulliano & Optato dicere possumus: Ostendant ex qua auctoritate prodierunt: ædant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum: reddant originem cathedræ suæ: confingant saltem aliquid de successione legitima: sed neque quod confingant habent. Nam illud in confesso est, non modò nullam esse apud illos Sacerdotum & Episcoporum successionem, qui ante triginta hos annos nati sunt, verumetiam eorum Ecclesias nunc quoq; Sacerdotibus & Episcopis legitimè ordinatis, præterquam si qui à catholica defecerunt, prorsus carere. Quamobrem apud eos templa videre licet, sicut sacrificio, ita & Sacerdotio destituta, in horrea nonnulla, pleraq; in stabula vel in caulas cõuersa. Egregia verò Ecclesia, in qua nullus Episcopus, nullus Sacerdos, nullum est sacrificium: in qua cuiuis de fæce vulgi prorsus illotis, quod aiunt, manibus, & ad Sacramentorum, & ad verbi ministerium, citra vocationem vllam legitimam, accedere licet. Quare cùm ipsi in Ecclesia non sint, illud omni ope contendunt & elaborant, vt ne vlla sit Ecclesia. Cùm enim nisi vna sit, vlla esse non possit, vna autem esse nequeat, nisi ex vno pendeat, qui præsit omnibus, ad vnum hunc expugnandum suas omnes machinas conuertunt. Quod ideò per membra sua facit satanas, sicut à Cypriano scriptum est, ideò præpositum Ecclesiæ sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato, atrocius atq; violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur.

*Apud hæreticos successio Episcoporum nulla.*

*Hæreticorũ tẽpla.*

*Hæreticorum studium in euertendo Papatu.*

*Lib. 1. epist. 3.*

Itaque Satanistarum non est maius aliud studium, quàm, vt quem Christi vicarium, quẽ Petri successorem esse vident, cuius ministerio fieri perspiciunt, vt in Ecclesia spiritus vnitas in vinculo pacis retineatur, eius auctoritati detrahant, eum inuisum & exosum reddant omnibus: Aliter enim dispergere cum satana non possunt, nisi quo ministro Christus vtitur in colligendo grege suo, quem precioso sanguine suo redimere dignatus est, ab eo quàm fieri possit maximè voluntates hominum auersas reddant. Quemadmodum qui vult regnum euersum, aut aliquam in eo seditionem concitatam, caput regni petit imprimis, illud famosis libellis proscindit, & quibuscunque potest artibus in odium & contemptum omnium adducere conatur: Sic illi, dum hoc vnum student, vt Ecclesiam perturbent, vt illius vnitatem scindant, caput Ecclesiæ sub Christo capite, quibus modis possunt, etiam confictis criminationibus oppugnant. Intelligit sathanas, quod etiam à Cypriano scriptum est, concordiam simul iunctam omninò vinci non posse. Quamobrem sicut lupus ouem à grege secernere, sicut accipiter columbam ab agmine volantium separare, sic ille, cùm sibi satis aduersus omnes virium non esse videat, circumuenire quærit solitudinem singulorum, ac per quem fieri videt, vt simul iungantur, omnes, eum omni ratione cupit euersum. Sed ea sathanæ insidiæ cauendæ sunt pijs omnibus, tantoq; maiore studio

*Lib. 1. epist. 1.*



enitendum illis est, vt in vna, sancta, catholica, Apostolica Ecclesia perseuerent, quem q; illi præsidere suo loco Christus voluit, ei dicto sint audientes, ad eum, si qua sit de fidei dogmatibus dubitatio exorta, referant. Nam hoc ita fieri oportere, ab ipsis Apostolis institutum est, neq; secus fuit vnquam in Ecclesia catholica obseruatum.

Habentur libri Conciliorum, in quos non modò acta Synodorum, verumetiam epistolæ multorum sanctorum Pontificum & martyrum sunt relatæ. Legat qui volet Anacleti, Euaristi, Alexandri, Zepherini, Marcellini, Cornelij, Lucij, Melchiadis, Marci, Iulij, Innocentij, Damasi, Leonis, Agathonis, Gelasij, Hormisdæ epistolas, non aliter se rem habere, perspiciet. Verùm & ex quatuor illis Concilijs, quæ haud aliter atq; quatuor Euangelia recipiũtur ab omnibus ijs, qui Christiani censeri volunt, idipsum cognoscet. Neq; diuersum reperiet in ecclesiastica historia, vbi commemoratur Concilium quoddam Antiochiæ celebratum, auctoritatem vel hoc nomine non habuisse, quod ei nec Iulius interfuit maximæ Romæ Episcopus, nec in locum suum aliquem destinauit: cùm vtiq; regula ecclesiastica iubeat, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Extat inter Augustini epistolas vna Patrum Concilij Carthaginensis: in qua petunt ab Innocentio Papa, vt Concilij sui statutis Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas. Extat & alia eiusdem argumenti, ab Augustino & cæteris Episcopis in Concilio Mileuitano congregatis, scripta. Cui respondẽs Innocentius: Diligenter, inquit, & congruè Apostolico consulitis honori: honpri, inquã, illius quem solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulę formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nouistis esse seruatam. Ac paulò post: Scientes, quòd per omnes prouincias, de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant, præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Episcopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere. Quod autem à Patribus in Aphricano & Mileuitano Concilio congregatis, idem cùm ab alijs quibusdam orientalibus Episcopis ad Symmachum scribentibus, tum ab his, qui cũ Athanasio conuenerant Alexandriæ, & à Petro Diacono & alijs, qui in causa fidei à Græcis ex Orienté Romam missi fuerunt, antè mille propemodum annos, factum esse legimus. Quin & Synodi magnæ & vniuersalis Chalcedonensis ad Leonem extat epistola, qua petunt, vt suis decretis eorum honoret iudicium.

*Synodorum sententia de auctoritate Romano. Pont. Socrat. lib. 2. cap. 8. eccl. hist. Epist. 90. li. de virginitate. Cathedram Pontificis Romani in causis fidei, & religionis consulunt aliæ ecclesiæ.*

*Act. 3.*

Sed quid ego Synodum Chalcedonensem commemoro? non fuit vlla ferè Synodus vel prouincialis, vel œcumenica de rebus grauioribus, præsertim ad fidem pertinentibus habita, quæ decreta sua Romani Pontificis authoritate confirmari non peteret: quod vetusto more iam inde ab ipsis Apostolis per longam Episcoporum, & Sacerdotum successionem, quasi per manus traditum, sic semper fuisse receptum, indicat etiam factum Polycarpi: quẽ propterea Romam aduentasse narrat apud Eusebium Irenæus, vt cum Aniceto Pontifice de controuersia, quæ de die Paschatis celebrando fuit, susceptа conferret: apud quẽ etiam, vt ei patriũ ritum obseruare liceret, impetrauit. Cæterùm, qui successit Aniceto Victor Pontifex, cõgregato Romæ Cõcilio, tandẽ decreuit: vt Romanus ritus obseruaretur ab omnibus. Ac renuerunt quidẽ aliquãdiu Asiatici Episcopi, sed progressu temporis, quam Sedi Romanæ debuerunt obedientiã, præstiterunt: & adeò decretum hoc Victoris, obtinuit: vt qui nõ paruissent hęretici censerentur, & quartadecumani vocarẽtur: sicut apud Philastriũ, Epiphanium, Augustinum, Theodoretũ, & alios nonnullos videre licet. Scribit etiã Hieronymus, q; Irenæus Photini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiã, presbyter, à martyribus eiusdem loci, ob quasdã Ecclesiæ quæstiones Legatus Romã missus, honorificas super nomine suo ad Eleutheriũ Episcopum perferret literas. Orientales etiam Episcopi, cum de nouo chrismate conficiendo Romanam sedem consuluissent, hoc à Fabiano Pontifice responsum tulerunt, vt habetur in primo tomo Conciliorum. Exigit dilectio vestra sedis Apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus: hoc aũt & prædecessores nostros egisse liquet: & nos, qui in eadem sede collocati sumus, agere debere, fraterna charitas, & obedientiæ debitum compellit. Etiam Origenẽ scribit Hieronymus ad eundẽ Fabianũ, dedisse literas, quibus quorundam se pœnitere scriptorum indicat: & causam temeritatis in Ambrosium quendam refert. Cyprianus Romanã sedem tanti fecit, vt quamuis ea vacaret, mortuo Fabiano Pontifice: tamẽ ad clerũ Romanum de communione lapsis danda referendũ, nec ea de re sibi quicquam statuendum esse censeret, antequam Fabiano successor datus fuisset. Quin cum electus esset Cornelius, non vrbis, sed orbis totius Episcopum eum etiã hi confessi sunt, qui prius Nouati partes sequebantur. Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ electum à Deo scimus: Non Romanæ tantum, sed sanctissimę catholicæ, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ Pontificem agnoscunt Cornelium. Dionysius quoq; Alexandrinus, cum apud Pontificem eiusdem nominis, quemadmodum Athanasius testatur, quasi de fide non rectè sentiret, accusatus fuisset: re comperta, dari sibi, quæ fuerant obiecta à Pontifice postulauit: quibus acceptis, opus ædidit sub nomine Elenchi, & Apologiæ ad se purgandum. Idem ad Xistum quoque Pontificem Stephani successorem, de eo, num essent hæretici rebaptizandi, retulit: metuens, ne per errorem laberetur. Extat etiam Dionysij Pontificis epistola ad Seuerum Episcopum: de Ecclesijs, inquit, parochianis, vnde Apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint per Cordubensem Ecclesiam diuidendæ Sacerdotibus, nihil aliud intimare possumus: quàm vt sequaris ea, quæ nos in Ecclesia Romana nuper egimus. Extat etiam Ephesini Concilij epistola ad Cælestinum: ad quem his verbis vtitur: Est enim vobis tam eximijs hoc in more positum: vt fulcra Ecclesiarum constituatis. Expresit interpres vim verbi Græci σκρίγμα, quo Synodus est vsa, respiciens in illum Euangelij locum: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Græcè est, σκρίζον. Qui verò nomine Romani Pontificis eidẽ Concilio præfuit Cyrillus Alexandrinus, ad eundem

*Hier. ad Pammachium de Origenis erroribus scribens. Cypr. lib. 5. epist. 4.*

*Lib. 3. epistol. 1.*

*Lib. 5. de sententia Dionysij.*

*Euse. li. 5. eccl. hist. cap. 8.*

*In primo tomo conciliorum.*

*Hier. in lib. de viris Illustr.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dem Cælestinum, de hæresi Nestorij referens: Quandoquidem, inquit, Deus à nobis in eiusmodi causa vigilantiam postulat: & longinqui temporis Ecclesiarum consuetudo suadet, communicare cum tua sanctitate, necesse est mihi scribere, &c. Habetur autem hæc epistola in Actis Concilij Ephesini, quæ nuper prodierunt. Tomo 1. cap. 22. Necessariũ esse dixit Cyrillus communicare cum sede Romana: quandoquidem longinqui temporis consuetudo postulat. Cuius consuetudinis meminit etiam aliquot seculis post Sophronius: Apostolica, inquit, & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur (vocat autem Hierarchiam Episcopatum) ad eos, qui in Hierarchijs administrandis maiores sunt, omninò syncerè referant quid sentiant: & qua fide sint, vt Paulus illis tradidit, valdè cautè, ne in vacuum currerent, si qua in parte fides manca esset. Paulus enim, cum alioqui arcana Dei, quæ non licet homini loqui, audiuisset: metuebat tamen, ne cum alijs Euangelium prædicaret, ipse reprobus fieret. Vnde & Hierosolymam ascendit, quanquàm Christi discipulus cœlestis, & antecessoribus suis diuinis discipulis se submisit: & euangelicam doctrinam, quam prædicabat ijs, qui videbantur alijs antecellere, manifestauit, ac dogma cum eis communicauit: poscens, vt firmum sibi fieret, quod tradebat. Hunc itaque Paulum secutus Sophronius, subiungit: Huic nos consuetudini seruientes, ad vos θεοσοφῶς, id est, diuina sapientes, qualis sit fides nostra, scribimus, vt probetur: ne terminos æternos, quos Patres nostri posuerunt trãsire videamur. Scribimus, inquam, ad vos, qui non solum discernere nostis ab adulterinis legitima dogmata: sed etiam supplere, quæ desunt, potestis. In eandem sententiam scribit & Basilius in epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: Reuera, inquit, dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum iudicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino est: scilicet, vt quod adulterinum est, à legitimo & puro discernas: ac fidem Patrum sine vlla distractione prædices. Quamobrem ex Basilio, Sophronius illa postrema verba mutuatus fuisse videtur: vt non Sophronij magis, quàm Basilij sententia fuisse videatur: Proprium esse Pontificis Romani munus, ab adulterinis legitima dogmata discernere. De quo Sophronio, sicut in actis Concilij Lateranensis, quod sub Martino primo fuit habitum, legimus, narrat Stephanus primus Hierosolymitanæ prouinciæ Episcopus, quòd sibi mandauerit: adiurans etiam, vt id faceret: vt de finibus terræ ad terminos eius deambularet, donec ad Apostolorum sedem, vbi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, perueniret: ac ibi proponeret, quæ vulnera sunt ab hæreticis quibusdam Ecclesijs inflicta: simul medicinale consultum peteret. Nam sic, inquit, olim & ab antiquis fieri per Apostolicam, siue Canonicam consueuit authoritatem. Apostolicam hanc fuisse traditionem innuit Sophronius. Petrus etiam Antiochenus Patriarcha, promotionem suam ad Episcopale fastigium, non ita multis post seculis, & electionem à clero & populo factam: quin & fidem suam, secundum antiquæ consuetudinis religiosum, & valde necessarium studium, Apostolicæ & primæ sedi, cui tum Leo nonus præsidebat, annunciare & exponere curauit: sicut ad eum scribens ipse Leo testatur: qui promotionem eius Episcopalem libens approbat, collaudat, & confirmat. Et qui præcessit hos duos, Theodoritus, ad Leonem magnum scribens: Si Paulus, inquit, prædicator veritatis, & Spiritus sancti tuba, ad Petrum accurrit: vt his, qui Antiochiæ de viuendo secundum legem Moysis disceptabant, definitionem, & explicationem ab eo ferret: multò magis nos, qui pusilli sumus, & viles, ad solium vestrum Apostolicum accurrimus: vt à vobis medicinam vlceribus Ecclesiarum feramus: si quidem vobis conuenit, in omnibus rebus primas tenere. Extat Epistola quædam ad Fulgentium Petri Diaconi & aliorum, qui causa fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuerunt. Extat etiam epistola Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani Apologetica, quam dedit ad Constantinũ Syrum Pontificem Romanum, in qua his verbis vtitur: Deus, inquit, qui Diuinitatem ac potentiam suam in eorum quæ cernuntur magnifica fabrica declarauit, in natura nostra, quam finxit omnium quę sub sensum cadunt nobilissimam, gloriam & potentiam suam præcipuè ostendit. Vndè Prophetа, admirabilem esse factam Diuinam scientiam clamauit. Ipse ergò naturæ nostræ auctor, caput totì corpori artificioſe præfecit, ac præcipuis sensibus in eo collocatis, fecit vt omnis inde reliquorum membrorum motio & integritas existat ac conseruetur. Et si quid horũ labi aut aliter quomodocunque offendi contingat, non inaccuratam diligentiam eis adhibet: quin potius naturali cognatione etiam cum extremis membris ostensæ, partem ægrotã ministris manibus, & ducibus oculis curat, non spreto, neq; reiecto horũ auxilio ceu inutili. Cum his, inquit, vestrum Apostolicum præsidendi munus possumus comparare, sanctissimi: & qui vos caput Sacerdotij secundum Christum reputamus, meritò damus operam, vt à vobis corpori Ecclesiæ nostræ alleuationem offensionis, quam ex pestifera animarum tyrannide accepit, feramus. De Tharasio quoq; scribit Georgius Cedrenus, & ante eum Landulphus: quòd cum fuisset electus Patriarcha Constantinopolitanus, misit Romam literas, fideiq; suæ confessionem: & est ab Adriano Papa, quemadmodum petiuit, approbatus. Similiter & successor eius Nicephorus, misit & ipse fidei suæ confessionem ad Leonem tertium, & eam firmari petiuit, his verbis vsus: Quia vestra fides Euangelica, munda & immaculata est, extra quam non est alia: neque Romanis finibus terminata circumscribitur, neque terminis mundi finitur: sicut Propheticæ & Apostolicæ voces testantur: In omnem terram exiuit sonus diuinæ prædicationis, & in fines orbis terræ verba prædicantium. Hæc præfatus, petit vt mittat λόγους ἑρίζοντας, καὶ συνεπίζοντας, hoc est, sermones firmantes fidem suam, & intellectum dantes: alludens ad illud Christi dictum: Tu autem conuersus, confirma fratres tuos: vt, inquit, vestris doctrinis stemus in hac fide integri & solidi. Extat hæc Nicephori epistola in actis Synodi Ephesinæ. Fuit autem & hoc ex Apostolica traditione profectum: vt Romanus Pontifex, simul vt erat creatus, ad firmandos fratres in fide, fidem suam, tanquam regulam, & formam eis mitteret. Quod Gelasius testatur ad Laurentium de Lygindo scribens

*In epist. quam scripsit ad Honorium.*

*In supplementa hist. Pauli Diac. Lib. 23.*

*Tomo. 5. Cap. 22.*



bens: quinos, inquit, admones, vt velut medicinam quandam fidei Episcopis per Illyricum, vel alijs ministrare debeamus: quanquam hoc copiosissimè factum est à beatæ recordationis prædecessore nostro. Et quia mos est Romanæ Ecclesię, sacerdoti nouiter constituto, fidei suæ formam ad sanctas Ecclesias prorogare: hæc eadem compendiosa nimis breuitate studui renouare: vt sub qua fide viuendum sit, secundum statuta Patrum, in hac epistola nostra per breuitatem sine fastidio lector cognoscat. Et ante hos omnes, monet Stephanũ Pontificem Cyprianus: vt non solum excommunicet Martianum Arelatensem Episcopum: verumetiam alium in locum eius substituat, propterea quòd Nouatiani sectam secutus, multos seduxerit. Extat epistola Syricij Papæ ad Mediolanensem Ecclesiam, qua certos quosdã hæreticos damnat: cui respondens Ambrosius cum suis Coepiscopis: Iouinianum, inquit Auxentium, &c. quos sanctitas tua damnauit, scias à nobis quoq; secundum iudicium tuum esse damnatos. His non dissimilia leguntur etiam in epistola quadam Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad Hormisdam Papam. Sed quorsum attinet omnes recensere, quos idem fecisse constat? scribit Hieronymus, quòd in chartis ecclesiasticis Damasum iuuerit Romanum Episcopum: hoc est, vt nunc loquuntur, à secretis illi fuerit: & Orientis, & Occidentis Synodicis consultationibus responderit. Ex quo cuiuis perspicuum esse potest: quòd & Oriens, & Occidens vniuersus de causis ecclesiasticis ad Romanum Pontificem referebat, & ab eo consilia petebat. Quod ipse quoq; fecit Hieronymus, cum esset in Syria. Nam cum in tres partes ibi scissa esset Ecclesia, & Hieronymum vnaquæquæ ad se rapere festinaret: petit à Pontifice doceri, apud quem communicare debeat: & noli despicere, inquit, animam, pro qua Christus mortuus est. Ac in præcedenti epistola: non timebo, inquit, tres hypostases dicere, si iubetis. Absurdum videbatur Hieronymo, tres hypostases dicere: sed si censeret ita Pontifex Romanus, non se recusaturum scribit. Tanta fuit apud virum hunc sanctissimum sanctæ Romanę sedis authoritas. Scribit idem alio loco, Orientis, & Occidẽtis Episcopos ob quasdã dissensiones, Romã Imperiales literas contraxisse. Quid autem aliud inde rectè colligi potest, quàm quòd etiam Imperatores de rebus ecclesiasticis iudicium sibi non arrogabant: sed litigantes ad Romanum Pontificem tanquàm legitimum earum iudicem remittebant: sicut Constantinum de Cæciliano fecisse, iam antea commemorauimus. Ad Athanasium scribens Basilius, monet, vt scribatur Episcopo Romano, vt quæ geruntur in his terris, consideret, & iudicij sui decretum interponat. Et quia difficile est, inquit, aliquos inde de Concilij sententia mitti, ipse authoritatem rei tribuat delectis viris: qui laborem quidem itineris perferre possint: lenitate verò ac facilitate morum, tum etiam commoda oratione, & prudentia, eos, q à recta via deflexerũt corrigere: quiq; acta Ariminẽsis Cõcilij secũ ferant, ad ea rescindendum, quæ violenter isthic acta sunt. Sic Basilius etiam acta Concilij, ad quod propè 400. Episcopi conuenisse leguntur: Romano Pontifici potestatem tribuit rescindendi. Ac testatur hoc etiam Gelasius aliquot exemplis productis: quòd Apostolica sedes, frequenter more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & soluendi, quos iniquè Synodus damnauerat: & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit potestatem. Qui verò libenter Basilium sequitur Ambrosius, Theophilum admonet, vt in causa inter Euagrium, & Flauianum, ad Romanæ sacerdotem Ecclesiæ referat, quod ipsum vt faceret, auctor ei fuisse dicitur Theodosius Imperator, quemadmodum in Socratis, & Theodoriti Historia Ecclesiastica videre licet. Itidem & Augustinus cum esset in Concilio quodam prouinciali, sententia lata contra quendam Antonium Episcopum Suffalensem obsecrat Cælestinum, vt quæ fuerunt acta in eo Concilio, rata habere velit: quæ quidem Epistola nondum typis mandata, nuper est in Vaticano reperta. Inde liquet, quòd Apostolica fuerit hæc traditio semper in Ecclesia catholica obseruata, vt in causis fidei ad Pontificem referretur: simul etiam, de iniurijs, si quas vel ab ipsis Imperatoribus accepissent Episcopi, etiamsi Synodi alicuius decretum intercessisset, quæ nunquam ex Imperatoris nutu pendebat: si qui de suis sedibus illius authoritate fuissent eiecti, tanquam ad tutissimum suæ communionis portum, eos Romam confugisse narrat Hieronymus, & in Ecclesiastica legimus historia. Sic Alexandrinis Athanasium: & Antiochenis Paulum à Iulio: sic Petrum Athanasij successorem à Damaso, & alios multos, quos recensere longum foret, Ecclesijs suis legimus restitutos: sic de Ioanne Chrysostomo narrat Georgius Patriarcha, qui conscripsit vitam eius: quod cùm ad instantiam Imperatricis Eudoxiæ Synodus habita fuisset, cuius decreto, de cathedra sua deturbatus, & in exilium actus fuerat, confugit ad sedem Romanam, & per Innocentium primum Ecclesiæ suæ Constantinopolitanæ fuit restitutus: Qui scribens ad Arcadium Imperatorem his verbis vsus est: Vox sanguinis fratris mei Ioannis clamat aduersum te, ô Imperator. Et paulò post: quamobrẽ ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli concreditus est, separo te, & illam (Eudoxiam intellige) à participatione immaculatorum Sacramentorum, & quemcunque Episcopum, & clericum, qui præsumpserit ea vobis ministrare. Meminit autem huius historiæ non modo Georgius Patriarcha, verùm & Palladius Helenopoleos Episcopus: & Theodorus Ecclesiæ Latinæ diaconus: & Prosper cõtra collatorem: & Gelasius ad Episcopos Dardaniæ scribens: & Nicephorus, & Simeon Methaphrastes, & alij nonnulli. De Briccio quoque Diui Martini successore scribunt, Seuerus Sulpitius, & Gregorius Turonensis: quòd cùm ex Ecclesia sua Turonensi fuisset eiectus, eam Bonifacij decreto recuperauit. Extat epistola Theodoreti ad Leonem in fine voluminum Conciliorum, quæ Coloniæ anno 1567. sunt impressa: in qua post multa Romanę sedis præconia scribit se à Cyrilli Alexandrini sententia ad eum appellasse, ac ipsius iudicio, qualecunque tandem id fuerit, se stare velle promittit: & est is in Concilio Chalcedonensi postea per Legatos Leonis Pontificis Ecclesię suæ restitutus. Idem fecit hic ipse Leo Pontifex de Proterio quoque Alexandrinæ vrbis Episcopo, qui cum satisfactionis plenas de fide sua ad

*Cypr. lib. 3. epist. 3.*

*Epist. 11.*

*Epist. 11. ad Agruchiam.*

*Epist. 58.*

*Epist. 57.*

*Hiero. Epist. 11. ad Eustochium.*

*Epi. 52.*

*Gelas. in Epist. ad Episcopos Dardaniæ.*

*Amb. in Epist. 78.*

*Socr. lib. 5. ca. 15. Theod. li. 5. ca. 23.*

*Epi. 16. ad Principiam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum literas direxisset, noluit vt honorem suæ perderet Ecclesiæ: sed sedis suæ priuilegia paternæ antiquitatis exemplo, iuxta Canonum illibata iura possideret: quemadmodum in epistolis, quas ad Iulianum & Martianum Augustum Leo scripsit, videre licet. Extat eiusdem Leonis Epistola ad Anastasium, ex ea quanta fuerit illo seculo S. Sedis Apostolicæ auctoritas facile quiuis perspicere poterit. Idem aliquot seculis pòst fecit Adrianus Pontifex de Ignatio Patriarcha Constantinopolitano: qui cum per iniuriam eiectus de sede sua, & in eius locum Photius fuisset receptus: hunc exturbauit, illum autem sedi suæ restituit: sicut in actis Concilij octaui Constantinopolitani legitur. Extat autem etiam epistola Episcoporum Aphricanorum in Concilio Mauritaniæ congregatorum ad Damasum Pōtificem, in qua queruntur de vicinis Episcopis, qui non consulto Romano Pontifice, quosdam ex fratribus damnassent, & vt eos defendat, petunt. Quod etiam ab illo Pontifice postea factum fuit. Vnde satis constat, quòd ex omni terrarum orbe, semper ad Romanum Pontificem de causis grauioribus relatum fuit, ac si quis grauatum se sensisset, appellatum. Extat Symmachi Episcopi Romani Apologeticus aduersus Anastasium Imperatorem, in quo scribit, quod Catholici principes, Apostolicos præsules institutos suis literis præuenerunt, & illam confessionem fidemq; præcipuam tanquam boni filij quæsierunt debitæ pietatis affectu, cui ipsius Domini saluatoris ore, cura totius Ecclesiæ delegata est. Et sub finem Epistolæ: Omnes Catholici Principes siue cum Imperij gubernacula susceperunt, siue cùm Apostolicæ Sedis nuos agnoscunt Præsules institutos, ad eam protinus sua scripta conferunt, vt se docerent eius esse consortes. Itaque qui hoc non faciunt, ab eadem se ipsos profitentur alienos. Ad eundem Pontificem scribentes orientales Ecclesiæ: Omnimodo, aiunt, & qui videntur communicare orthodoxis, & qui à communione abstinent, omnes post Deum, tuæ lumen visitationis & assumptionis operimur. Quare festina iuuare Orientem, ex quo vobis duo grandia lumina Petrum & Paulum ad illuminationem totius mundi saluator direxit. Qui de bello Gothorum scripsit Procopius, ex Bizantio quoque legatos ad Romanum Pontificem venisse narrat, Christianorum altercationis sedandæ causa. Quod adeò fuit moribus receptum, vt ab ipsis etiam hæreticis persæpe id factitatum esse memoria proditum sit. Antiquissimus author Tertullianus de Praxea, quamuis hæretico, scribit: quòd cum ab his, qui Montani sectæ fuerunt, per falsam narrationem literæ pacis à Pontifice impetratæ fuissent: ipse fraudes eorum detegendo, vt literas pacis iam emissas reuocaret, effecerit veritate manifestata. Literas autem pacis Tertullianus appellat eas, quas Romanus Pontifex ad Ecclesias mittebat, earum fidem, communionem, & societatem approbantes, quas Augustinus communicatorias literas vocat. Cuiusmodi literarum exemplum apud Leonem ad Anatolium scribentem, videre licet. Vocat eas etiam idem Augustinus Formatas, dicens: Quærebam, inquit, vtrum Epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, posset quò vellem dare, & affirmabam, quod manifestum erat omnibus, hoc modo facillimè illam de Ecclesia catholica terminari posse quæstionem. Ante quem etiam Optatus de Damaso, vel Syricio loquēs: Cum quo nobis totus orbis, inquit, commercio formatarum in vna communionis societate concordat. Hic in Tertulliani scripto duo consideranda sunt: primum, quòd Montanistæ, quamuis hæretici, fidem tamen suam à Pontifice petierunt approbari: deinde, quòd Praxeas & ipse hæreticus ad eundem Pontificem confugit, eorum dolos detexit, & vt literas pacis reuocaret, obtinuit. Ex ijs verò, quæ leguntur apud Optatum facilè liquet, quòd non alius esse catholicus censebatur, quàm qui cum Pontifice Romano commercio formatarum in vna communionis societate concordaret. Quas autem Augustinus & Optatus Formatas, eas Theophilus Alexandrinus, Ecclesiasticas literas vocat, cùm quorundam nomina recensens, ijs, inquit scribite, & ab eis iuxta morē Ecclesiasticas suscipite literas. In Prima verò Paschali epistola quando similiter quorundam nomina recenset, vocat illas Pacificas. His, inquit, scribite, & ab his accipite Pacificas iuxta morem Ecclesiasticum literas. Fortunatum etiam ab hæreticis Pseudoepiscopum constitutum: & Basilidem ad Petri cathedram appellasse, & eos Pontifici Cornelio propemodum obrepsisse testatur Cyprianus. Et ad Felicem scribens queritur, quòd Stephano Pontifici Basilides obrepserit & exambiuerit iniustè se reponi in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus. Eusebius quoque Constantinopolitanus Episcopus ad Iulium Pontificem Romanum Legatos misit, atq; ab eo petiuit, vt in Athanasij causa iudex esse vellet: quòd ipse quoque fatetur Athanasius. Quin illa tota Synodus Episcoporum, quæ fuit Antiochiæ cum Eusebio congregata, petiuit acta sua Pontificis eiusdem iudicio comprobari: Romanam Ecclesiam primas apud omnes ferre confessa: vtpotè, quæ Apostolorum schola & pietatis esset metropolis: quemadmodum apud Zozomenum videre licet. Ante quem etiam Athanasius in epistola quadam ad solitariam vitam agentes, historiam hanc diligenter tractauit, vbi narrat, quòd cum Eusebiani Romam contra Athanasium scripsissent, Episcopus Romanus fieri Synodum iussit, ac presbyteros suos ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut se sisterent præsentes, aut se suspectos haberi modis omnibus cognoscerent. Narrat idem de ijsdem, quòd cum à Marcello Gallatiæ Episcopo de hæresi reprehensi fuissent, idem ipsi quoque crimen impegerūt, & eum in exilium iecerunt: ille autem profectus Romam se innocentem docuit. Et extat apud Epiphanium eius ad Iulium Pontificem epistola, qua petit, vt qui contra se scripserunt, eos accersat, vt se Romæ sistant: quos etiam per annum & menses tres Romæ se dicit expectasse: cumq; non venirent, inde discessurus, suam fidem sua manu conscriptam Pontifici tradidit. De Vrsacio quoq; ac Valente refert Epiphanius, quòd vnà cū libellis profecti sunt ad Iulium Romanum Pontificem, pro ratione reddēda de suo errore, ac delicto, quòd calumnias struxissent Athanasio: ac susciperet nos, inquiunt, ad communionem & pœnitentiam. De Eustachio quoque scribit Basilius, quòd cum in Melitina Synodo depositus, & Episco-

*Epistol. ad Iulianū & S. ad Martianum 69. Epi. S4. In Tom. 1. Concilio rum.*

*Epi. ſt 162.*

*Epiſt. 40. Aug. epi. ſt 163.*

*Op. lib. 2. cont. Parmenianum.*

*Theop. Epi. Paſchali 3.*

*Lib. 1. epiſt. 4. Cyp. li. 1. epiſt. 3. ad Corne.*

*Lib. 5. epiſto. 4. ad Felicem.*

*Atha. in 2. Apolog. & Socr. lib. cap. 11*

*Zozo. li. 3. c. 3.*

*Eodem lib. Hæreſi. 72.*

*Epip. lib. 2. hareſi. 28.*



scopatu suo eiectus esset, Romam profectus est: & cum in conditiones quasdā à Beatissimo Episcopo propositas cōsensissent: ab eo scriptā epistolam attulit, per quā restitueretur: eam vbi Thianæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Queritur autem de eo Basilius, quòd iam fidem eam, in quam receptus fuerat, depopularetur: cumq; illis faceret, qui homousion anathemate percel erēt. Quoniam igitur, inquit, isthinc vires accepit lædendi Ecclesiam, ac publicandæ suæ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subuersionem multorū vsus est, necesse est, vt isthinc quoq; veniat malorum istorum correctio: scribaturq; Ecclesijs, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: simul verò adijciatur, quomodo iam immutata sententia gratiam à Patribus, qui tùm aderant, acceptam irritam reddat. Meminit Gregorius quoq; Nazianzenus Vitalij cuiusdam Appolinaristæ, quòd is, ita postulante Damaso Romæ Episcopo, fidem suam literis consignatam ædidit, & eam Orientales amplexi fuerunt. Sed posteaquam idem Damasus rectius edoctus fuit, simul etiam qui Vitaliū sequebantur, in pristinis expositionibus perstare audisset, eos ab Ecclesia proscripsit, fideiq; libellum eū anathematismo deleuit, ac fraudem eam, in quā per simplicitatem inciderat, permolestè tulit. Pelagium quoq; literas, quibus se purgaret, libellumq; fidei suæ misisse Romam ad Innocentium Pontificem: quin & ad Sosimum successorem eius, & ab vtroque damnatum esse, testis est Augustinus. Qui etiam post eius damnationem, Quatuor libros, contra ipsum ad Bonifacium Sozimi successorem conscripsit: & eos illi examinandos, ac si quid displiceret, emendandos misit. Cælestium quoq; Beati Papæ Innocentij literis nō fuisse ausum obsistere, imò se omnia, quæ sedes illa damnauerat, se damnaturum promisisse: neque tamen quæ promiserat præstitisse. Libet autem hic adscribere Prosperi quoq; verba contra collatorem de Cælestino Pontifice. Venerabilis memoriæ Pontifex Cælestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est: scients damnatis non examen iustitiæ, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum: Cælestinū quasi non discusso negocio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iusit extrudi. Nec verò segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit: quando quosdam inimicos gratiæ suæ solum originis occupantes, & ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet seruare, catholicam fecit, & Barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt: quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti, gloriosissimo fidei catholicæ defensori, ad execrādam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis consœderantur erroribus, iterum prosternerentur: per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas: quando consultantium actione susceptā, & librorum, qui errantibus displicebant, pie re laudata, quid oporteret de eorum authoritate sentiri, sancto manifestauit eloquio. Extat Epistola Cælestini Pontificis ad Nestorium, in eo quod hoc anno fuit editum 1574. Concilio Ephesino, cuius etiam exemplum habetur in Quinta Synodo Constantinopolitana, Sessione sexta. In ea monet Nestorium, vt errorem suum damnet: quod nisi fecerit intra decimum diem, ab vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ communione sit eiectus. Cuius sententiæ suæ exemplum idem Cælestinus misit ad clerum & populum Constātinopolitanum ad Iohannem Antiochenum, Iuuenalem Hierosolymitanum, Ruffum Thessalonicensem, & ad Cyrillum Alexandrinum, per quem eam exequutioni mandari iussit: quod non segniter ab illo factum est. Ex ea quanta Romani Pontificis auctoritas fuerit, facilè cognosci potest. De Xisto quoque Cælestini successore loquitur hic idem in eodem libro: Confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Sosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur etiam & in Xisto: vt sicut illi lupos abegêre manifestos, ita hic depellat occultos. Et in chronicis Iulianus Pelagiani erroris assertor, correctionis spem præ se ferens, molitus est in Ecclesiæ cōmunionem irrepere. Sed his insidijs Xistus Papa, Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes catholicos, detectione fallacis bestiæ, gaudere fecit: quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius obtruncasset. Æqualis autem Prosperi Possidius hac ipsa de re scribit, Quoniam Pelagiani peruersi Sedi Apostolicæ per suam ambitionem, perfidiam suam persuadere conabatur instantissimè, etiam Concilijs Africanis Sanctorum Episcoporum gestum est, vt Sancto Papæ vrbis Romæ, & prius Venerabili Innocentio, & postea S. Zosimo eius successori persuaderetur, quam illa secta à Catholica fide & abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites suis diuersis temporibus eosdem notantes, atq; à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidētis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Catholicæ Ecclesiæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter Hæreticos haberi debere constituit. Ex hoc loco facilè quiuis perspicere potest, si quid in Concilijs Episcoporum de causa fidei gestum esset, quod ad Pontificem Romanum prouocabatur: quod ille decreuisset, id ratum habebatur, & ab Imperatoribus exequutioni mandabatur. Eutichen etiam libellum Leoni misisse, deq; iniusta damnatione quæstum esse: patet ex ijs, quæ scripsit Leo Pontifex ad Theodosium, & ad Flauianū. Flauianus quoq; cur eum excommunicauerit, eidem Leoni causam reddit, & approbat eius hoc factum Leo. De Anthimo Constantinopolitano Patriarcha, quanto studio fuit laboratum à Iustiniano Imperatore, & ab eius coniuge, vt eum Agapetus in communionem susciperet: qui deceptibilibus rationibus vsus, sicut habetur in Synodo secunda Constantinopolitana, promisit se omnia facere, quæcunq; summus Pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret. Et ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se per omnia sequi sedem Apostolicam. Sed cum ipse Constantinopolim Agapetus venisset, & fraudem eius cognouisset, eū de-

*In 2. ad Cledonium epiſt.*

*De gratia Chriſti lib. 1. ca. 2. & 3. de peccato originali li. 2. cap. 7. & 8. Contra Iul. lib. 6. cap. 4. Cont. duas ep. Pelagianorum. lib. 2. c. 3. & 4.*

*Epiſt. 7. 8. 9. 10.*

*Poſſidius in Vita Auguſt. cap. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sede sua deiecit,& in locum eius Mennam suffecit: quem tamen Agapeto mortuo, vt reuocaret successor eius Siluerius, Augusta petiuit. Sed is rescripsit, si quid Aimonio credimus: Augusta Domina, rem hanc nunquam faciam, vt reuocem hominem in damnata perfidia permanentem, quem Augusta postea curauit in exilium deportandum: & in eius locum Vigilium sufficiendum, cum prius fidem illi suam obstrinxisset, quòd esset Anthimum in sedem suam restituturus. Verum is Pontifex factus Augustæ rescripsit: Absit hoc à me Domina Augusta, prius locutus fum malè,& insipienter: nunc aũt nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum,& anathematizatum. Qui cum Constantinopolim adductus,& multis probris, atq; cruciatibus affectus fuisset, nihil tamẽ in gratiam Augustæ fecit: quin potius contra ipsam & Acephalos, vt scribit Gregorius, damnationis promulgauit sententiam: extrema quæquæ pati prius paratus, quàm vt aliquid indignum Petri cathedra faceret. Pyrrum, refert Zonaras, cum in sedem suam Constantinopolitanam redire cuperet, simulasse: quod Monothelitarum hæresim deseruerit, libellumq; de fide sua Theodoro Papæ obtulisse: in quo acta sua contra catholicam fidem omnia damnauerat: sed clam postea Rauennam digressum, hæresim celare non potuisse. Quo comperto Papa, conuocatis suis Episcopis, eum sub anathematis vinculo condemnauit. Idem testantur Leo quoq; nonus Pontifex, Beda,& Cedrenus. De Legatis Armeniorum Episcoporum, & eorum Metropolitano (quã quòd amplius mille Episcopos sub se habet, catholicon vocant) scribit Otho Frisingensis in historia sua, quòd ab vltimo penè Oriente summũ Pontificẽ Eugeniũ Viterbij, post iter vnius anni & sex mensium adierunt: eiq; ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam (nobis, inquit, cum alijs multis præsentibus) obtulerunt. Cum enim inter eos & Græcos de ritu sacrificij disceptaretur: Romanam Ecclesiam iudicem eligentes formam sacrificij iuxta consuetudinem eius, sibi tradi deposcebant. Et alibi: Vidimus etiam ibi tunc de Syria Gabulensem Episcopum, cuius præcipuè opera, ad plenum, Antiochia Romanæ sedi subesse cæpit. Petrus etiam Habailardus, ipso Bernardo teste, sedem Apostolicam appellauit. Qua de re sic scribit Gotfridus Clarauallensis Monachus, Bernardi vitam describens. Quando verò Petrus ille refugium inueniret in sede Petri, tam longè dissidens à fide Petri? Et ipsum ergo authorem eadem sententia, cum erroribus suis Apostolicus Præsul inuolues, scripta incendio, scriptorem silentio condemnauit. Idem factum est de Berengario quoq;, qui primus Christi corporis & sanguinis veritatem in Eucharistiæ sacramento negauit: qui Leonis IX. Victoris II. Nicolai II. & Gregorij VII. sententijs condemnatus, tandem errorem suum reuocauit. Cuius exemplum sequutus etiam fuit Petrus Habailardus, pœnitentiam egit vterq;, & in Ecclesiæ catholicæ communione decessit vterq;. De Valdensibus narrat Abbas Vrspergensis, quòd ante 300. ferè annos, genus quoddam vitæ monasticæ professi fuerint: pauperes etiam de Lugduno vocati: quos etiam se vidisse scribit apud sedem Apostolicam, petentes ab ea sectam suam confirmari, quòd se vitam Apostolorum agere dicerent: cùm nihil ipsi possiderent, nec vllum certum locum haberent; cæterùm circuirent per vicos & castella. Cùm verò, qui tum Ecclesiæ præerat Lucius Pontifex, & hipocrysim eorum, & fœdos errores quosdam cognouisset eorum petitionem reiecit: duos autem ordines, Prædicatorum, & Minorum approbauit. Quòd cum animaduersum ab illis fuisset, iugum Pontificis excusserunt, & ei nomen Antichristi tribuerunt: libenter eum pro Christi Vicario agnituri, si detestabilem eorum sectam approbasset. Quod præter Abbatem Vrspergensem testatur etiam Guido Carmelita, Tritemius, & Emilius de gestis Francorum. Scripsit ætate nostra rerum quarundam gestarum commentarios Ioannes Fox. in quibus recitat quædam ex epistola Ioannis Vicleff ad Vrbanum Papam: in qua verbis istis vtitur: Gaudeo planè detegere cuicumq; fidem meam, & specialiter Romano Pontifici: quia suppono, quòd si sit orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit: & si erit erronea, emendabit. Et paulò post: Supponoiterum, quòd Romanus Pontifex, cum summus Christi Vicarius in terris sit, ad illam legem Euangelij interuiantes, maximè obligatur. Et iterum paucis interiectis: Si in istis errauero, volo humiliter, etiam per mortem emendari: & si in persona propria ad votum potero laborare, vellem præsentiam Romani Pontificis humiliter visitare. Num autem & is Romani Pontificis principatum in Ecclesia non agnouit? Num ad eum pertinere de doctrina iudicium ignorauit? An autem idem non fecit eius discipulus nostri temporis Hæresiarcha Martinus Lutherus, cum ante 53. annos ad Leonem X. ita scripsit: Beatissime Papa, prostratũ me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cũ omnibus quæ sum & habeo: viuifica, occide: voca, reuoca, approba, & reproba vt placuerit: vocem tuam, vocẽ Christi in te præsidentis,& loquentis agnoscam. Sed simul vt ab eo suos errores condemnatos esse vidit, statim eandem quam Valdenses,& Vicleff, cantilenam canere cœpit. Ex his cuilibet perspicuum esse potest, quòd etiam ipsis hæreticis certum est hoc & indubitatum, legitimum in causa fidei iudicem totius Ecclesiæ sub capite Christo caput, Christiq; Vicarium in terris non alium esse, quàm Romanum Pontificem. Quamobrem quoties nouam aliquam doctrinam proferunt, ad illum initio referunt, ab illo iudicari petunt: sed simul, vt quod petunt, non obtinuerunt, iam illis Christi Vicarius esse desinit: & nullum esse potest conuitij genus, quo illum non afficiant: Magnus fuit orbis totius Imperator hæreticus ille Constantius: cuius opera perfectu est, vt in Cõcilio Tyri celebrato condemnaretur Athanasius: qui tamen irritũ esse putabat id omne, quod in Concilio fuerat constitutũ, nisi Romani Pontificis accederet authoritas: cui nunc precibus nũc minis persuadere conatus est, vt Concilium illud ratum haberet Athanasijq; damnationi subscriberet, quem etiam ipse coram allocutus: Totus, inquit, terrarum orbis de eius impietate sententiam tulit. Cumq; refragaretur, nihilominus Liberius Pontifex: Tantáne, inquit, Orbis terræ pars. Liberi in te refidet, vt tu solus homini impio subsidio venire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas?

*De gestis Francorũ lib. 2. ca. 17*

*Lib. 2. epistolarũ. epist. 36.*

*In vita Constantis,*

*Lib. 7. cap. 32.*

*Cap. 33. Epist. 100.*

*Vide Theodoretum eccle. histo. cap. 16.*



audeas? Cui Liberius: Esto, inquit, quod ego solus sim, non tamen propterea causa fidei fit inferior. Hic videre licet, quantum authoritatis, quamuis impius & hæreticus Imperator ille, Romano Pontifici detulerit, vt nisi subscripsisset vnus ille, minimè ratum fore crederet, quicquid esset ab orbe toto constitutum. Quod admiratus etiã, quamuis Etnicus Ammianus ille Marcellinus, historiam hanc tractans: licet sciret, inquit, impletum de Athanasio Imperator, quod cupiebat: tamen authoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, ardenti desiderio firmari nitebatur. Æternam Vrbem, Ecclesiam Romanam vocabat: aduersus quam non posse prævalere portas inferi, in Euangelio scriptum, à Christianis aliquando audierat. Nam quæ fuit ex lapidibus,& cæmento fabricata, eam æternam vrbem esse vt crederet, verisimile non est: cum vetustate consumi posse non ignoraret. Quin & alius quamlibet magnus Christianæ fidei persecutor, Aurelianus Imperator, cùm ad eum relatum esset de Paulo Samosateno, quòd is in Synodo quadam Episcoporum condemnatus, episcopalíq; dignitate priuatus, domo nihilominùs Episcopali excedere nollet: cumq; peteretur, vt Synodi sententiam approbaret, adeò non ignorauit, ad Romanum Pontificem de fide, deq; causis Ecclesiasticis iudiciũ pertinere, vt eos Romam remitteret: vt cui Romæ domus adiudicata fuisset, is ea potiretur. Sic insita fuit hæc opinio mortalium omnium animis, etiam eorum, qui Christum ignorabant: si quid inter Episcopos & sacerdotes, vel de fidei causa, vel quacunq; tandem alia de re controuerteretur, id nullius alterius, quàm Romani Pontificis iudicio terminari debere. Neq; verò temerè factum existimari debet, vt Ecclesiæ Romanæ tanta semper esset authoritas: nam præter quàm quòd ea maxima est omnium & antiquissima, à gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo constituta, atq; fundata: vt ab ea sacerdotalem vnitatem exortam esse dicat Cyprianus: ac propterea radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ vocet: & Apostolicæ Cathedræ semper in ea viguisse principatum asserat Augustinus. Tertullianus vero totam doctrinam Apostolos ei cum sanguine suo profudisse dicat, cum omnes aliæ Ecclesiæ, quibus Apostoli præfuerunt, à fide defecerint: sola hæc sancta & Apostolica mater omnium Christi Ecclesiarum Ecclesia: sicut à sancto Martyre Lucio, & ab alijs quibusdam scriptum legimus: postea per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur: nec hæreticorum nouitatibus deprauata succubuit: sed quã ab exordio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit, in ea semper illibata permansit: secundum ipsius Domini nostri diuinam pollicitationem, qui dixit: Petre, Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego aũt pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu conuersus confirma fratres tuos. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui præsedit Iacobus: defecit Achaia, vbi Andreas: defecit Asia, vbi Ioannes: defecit Æthiopia, vbi Matthæus: defecit Phrigia, vbi Philippus: defecit Græcia, vbi Paulus Euangelium prædicauit: soli fuerunt Romani, quorum fides, cum Apostolo prædicante, laudata sit, nunquã ad eos vel habuit, quemadmodum scriptum est à Cypriano, vel habere potest accessum perfidia. Cui tale tribuit elogium Theodoretus ad Rhenatum presbyterũ ex Cardinalium collegio scribens. Tenet, enim, inquit, sancta ista sedes gubernacula gerendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit: neq; vllus vnquam, qui contra sentiret, in ea sedit: quin potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuit, An te quem etiam Basilius scribens ad Occidẽtales Episcopos. Haud enim, inquit, tantum habet efficaciæ sermo consuetus, qnantum vox peregrina ad cõsolandum deiectos valet, præsertim si illa adferatur à viris, qui cum primis gratia Dei instructi esse cognoscuntur, quales vos cũctis mortalibus prædicamini, quòd in fide illibati permanetis,& Apostolicum depositum illæsum seruetis. Non sic habent res nostræ,&c. Et ad Ruffinum scribens Hieronymus: Scito, inquit, Romanam fidem Apostolico ore laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatũ sit, Pauli authoritate munitam non posse mutari. Ad Damasum quoq; scribens, apud solos Romanos incorruptam seruari dicit Patrum auctoritatem. Quodam etiam loco Romanam fidem, eandem esse vult fidem catholicam Fidem suam, inquit, quam vocat? eamne qua Romana pollet Ecclesia, an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo catholici sumus. Rursus ad Pammachium, & Oceanum scribens: Quisquis es, inquit, assertor nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescisse uimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus ædere noluerunt? vsq; ad hũc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Ad Demetriadem quoq; scribens hortatur, vt S. Innocentij, qui Apostolicæ Cathedrę successor est, fidem teneat, nec peregrinam doctrinam recipiat. Ambrosius verò: Percõtatus est, inquit, ab Episcopo, vtrum nam cum Episcopis catholicis, hoc est, cũ Romana Ecclesia conueniret? Qui etiam alio loco se cupere scribit in omnibus Romanam Ecclesiam sequi. Vsq; adeò autem Romana fides catholica semper fides est habita, vt Gratianus Imperator, quo imperante vixit Hieronymus, noluerit de fide disputari: verùm edictũ fecerit, vt cũcti subditi eam religionem retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus initio tradidisset, ac tum Damasus Romanus Episcopus custodiret: Quod non modò in Ecclesiastica legitur historia, verumetiam edictum ipsum in codicem Imperatoris Iustiniani relatum est. In Chalcedonensi quoq; Cõcilio legimus acclamatum: Omnes ita credimus. Papa Leo sic credit, Cyrillus ita credit, Papa Leo ita interpretatus est. Et iterùm: Oẽs sic credimus. Papa Leo sic credit. Anathema ei q partit,& ei q diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi: Leo sic credit. Leo & Anatholius sic credunt. Et iterùm: Petrus per Leonem ita loquutus est, Apostoli ita docuerũt, piè & verè Leo docuit. Ac paulò pòst: Omnes ita credimus, sicut Leo, ita credimus. In quinta quoq; Synodo Constantinopolitana, Menas Patriarcha Constantinopolita-

*Lib. 15.*

*Lib. 1. Epist. 3. lib. 2. Epist. 10. lib. 4. Epist. 8. Epist. 102. de præscrip. Hæreticorũ.*

*Inter Epist. quæ sunt sub fine Basilij librorum adiuncta. Epist. 1. Hiero. lib. 1. contra Ruffinum.*

*In oratione funebri de obitu fratris. Sozo. lib. 7. cap. 4. Li. 3. de Sacra. c. 3.*

*C. de summa tri. L. cunctos populos. Actio. 2.*

*Actio. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nus cum facta mentione Agapeti Romani Pontificis, quòd Antimum condemnasset, pœnitentiæ nihilominus tempore ei dato damnauit eum, & ipse sua sententia, & posteà verbis his vsus est: Nos enim sicut scit vestra charitas, Apostolicam sedem sequimur, & ei obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus. In sexta quoq; Constantinopolitana Synodo, cùm itidem legeretur, Pontificis Agathonis epistola, quæ scripta fuerunt ab illo tanquam à Spiritu sancto dictata, ac per os sancti ac beati Principis Apostolorũ Petri, statim receperunt, & amplexi sunt omnes: ac in prophanetico sermone dictum fuit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. Et in septima Synodo, quæ fuit iterum habita Nicææ, cùm lectæ fuissent epistolæ duæ Pontificis Adriani, ad Imperatorem vna, ad Patriarchã Tarasium altera, acclamauerunt Patres, Vniuersa sancta Synodus sic credit, & sic docet. Ac singuli posteà sic se credere, sic sentire, sic tenere, sic docere, sic in toto corde confiteri, professi sunt.

*Ad Ecclesiã Rom. de fidei causis semper referebatur. Actione 2.*

Ex his omnibus perspicuum cuiuis esse potest, ex eo tempore, quo Christus in cœlum ascendit, quantum fuerit Apostolicæ, hoc est, Romanæ semper Ecclesiæ tributum, ad quam de fidei causis referebatur, quòd ibi potissimum sarcita iri damna fidei spes esset, vbi non posset fides sentire defectum: Quam solius sedis huius prærogatiuam esse dicit Bernardus. Et sunt intereà, qui nescio cuius VVittembergensis, heri, quod aiunt, & nudiustertius natæ Ecclesiæ iudicio, scripta sua subijcere malunt, quàm illius omnium antiquissimæ, sanctissimæq; Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, cui Euangelium suum Petrus & Paulus sanguine quoq; suo signatum reliquerunt: quæ mille iam quingentis & amplius annis ita est catholica semper & Apostolica habita, nunquam vt vlla fuerit hæreseos labe maculata. De qua proximis etiam superioribus seculis cui perpetua cũ Berengario pugna fuit, sic ab Archiepiscopo Cantuariensi Lantfranco scriptum legimus. Romanorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes imitantur: quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per orbem Ecclesia æquè vt Romana ab omni fece hæresum cunctis retrò temporibus pura permansit. Beati Doctores, si non ijsdem verbis, eisdem tamen sententijs multis in locis concorditer astruxerunt: Hæreticum esse omnem hominẽ, qui à Romana & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat. Sic ante 400. & amplius annos: Hęreticũ ille pronũciauit, quicũq; diuersum ab Ecclesia Romana docuisset. In qua quicquid grauioribus de causis, fidei pśertim decernitur: non est existimandũ, quòd solus sit Iulius, verbi gratia, aut Pius, qui decernat, vt errare tanquam homo possit. Habet ille, sicut Cyprianus loquitur, Florentissimum clerum secum vnà præsidentem, singulari doctrina præstantem: de cuius consilio, si quid grauioribus de rebus, præsertim de fidei causis decernit, labi & errare non potest.

*Epist. 190.*

*Ecclesia Rom. nulla vnquam hæresi maculata.*

*Cypr. lib. 1. Epist. 3. ad Cornel.*

*Quòd fides Ecclesiæ propterea deserenda non sit, quòd præsidentes illi quandoq; qui vitæ non omnino sunt inculpatæ.*

## CAPVT XXIX.

ÆTERVM verum esse illud comperimus, quod ab Augustino scriptum est, quòd cùm non habeant hæretici quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactant, vt quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odiũ, de quibus fingere quicquid in mentem venerit, possint. Nunquam enim id ab vllis hæreticis tam est impudenter factum, quàm hoc infelici nostro seculo fieri videmus. Cùm enim se malam habere causam intelligant, ad eas se artes conuertunt, quibus vti consueuerũt ij, qui malas causas defendendas susceperunt. Cumq; sint in Rhetorum præceptis diligenter exercitati, non alia in re magis laborant, quàm vt odio, inuidia, & huiusmodi motibus animorũ excitandis, hominibus imperitis errorem obijcere queãt. Quamobrem Ecclesiæ Præsides, præcipuè verò Christi vicarium, Petriq; successorem falsis etiam criminationibus in odium & contemptum omnium adducere conantur. Quæ est autem ista tam insana maledicendi rabies? aut à quo alio quàm à Satana auctore profecta? facilè vt sataniſtam agnoscere liceat. Certè Dei præceptum est: Principi plebis tuæ non maledices. Dei digito scriptum est: Maledici regnum Dei non consequentur. Atqui ex istorum libris si quis maledicta & conuitia, si falsas criminationes auferre velit, chartas propemodum omnes vacuas reliquerit. Is demũ Euangelij propugnator habetur acerrimus, qui Pontificem Romanum, & reliquos Episcopos omni conuitiorum genere quàm acerbissimè fuerit insectatus. Et quod suo quoq; tempore quæritur euenisse Basilius, vt quisq; lingua est ad maledicendum & ad blasphemandũ procacissima, ita præ cæteris maximè iudicatur idoneus, qui verbi ministerio fungatur.

*Epist. 157.*

*Hæretici criminatores.*

*Exod. 28.*
*1. Cor. 6.*

*Basil. Epist. 69.*

Ac demus hoc illis: deflexisse aut deflectere quandoq; de recto vitæ curriculo Pontificẽ: nunquid ideò fides in Christum, quam ille docet, abijcienda est? Præclarè dictum est à Tertulliano: ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Dũmodo ille recta doceat, quẽadmodum recta docere certum est, quid mea refert, qua sit ille vita? Deinde verò, quis ego sum, qui sedentem in Petri cathedra seruum iudicem alienum? Domino suo ille stat aut cadit, vni illi vitæ suæ, commissiq; Pontificatus rationem redditurus. Cùm ventum erit ad Christi tribunal, ante quod omnes nos oportet manifestari, nõ quæretur à nobis, quid Pontifex fecerit: non illius, sed nostræ à nobis vitæ ratio reposcetur: referet vnusquisque propria corporis, prout ipse gesserit, siue bonum, siue malum: Prout ipse (inquit) non prout Pontifex gesserit. Quamobrem non sibi sumat ouis, vt à quo venit ipsa iudicanda, pastorem

*Fides ex personis non probanda.*
*Tert. de præscriptionibus aduersus hæreticos.*
*Rom. 14.*
*2. Cor. 5.*



rem suum iudicet, neque qua sit ille vita, quicquam ad salutem suam interesse putet. Securum te Christus in hac parte fecit, dicens: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite: Dicunt enim, & non faciunt: Dicunt quæ Dei sunt, faciunt quæ sua sunt: Dicunt bona ex cathedra Mosi, faciunt mala ex pestilentia sua.

*Matth. 23.*

Non est itaq; deserenda sanctitas cathedræ: neq; propter pastores malos, gregis est vnitas diuidenda. Præclarè Augustinus: Si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit? & in qua hodie Anastasius sedet? vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant vllam facit iniuriam? Nonne illam cathedram Mosi commendauit, & illos seruato cathedræ honore redarguit? Ait enim. Super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedrã Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud quàm nescire dicere, & tamen non posse nisi maledicere. Monet Iacobus, ne Christi fidem in acceptione personarum habeamus, quando quidem personarum respectus, vt est apud Augustinum, erroris est mater, qui etiam à perfido fidem percipi posse docet. Per asinam loqui Dominus dignatus est, qui minus loquatur per hominem, quamuis grauibus flagitijs coopertum? Spiritus vbi vult spirat, etiamsi voluntati eius is, qui loquitur, non conueniat. Balaam precio conductus vt populo Dei malediceret, profectus fuerat, cõtrà tamen atq; animo destinauerat, simul ac in conspectum populi venit, ei benedixit. Saul Rex ad occidendum Dauidem properauerat, cuius posteaquam potestas erat facta, contra quam proposuerat, veniens ad cuneum Prophetarum, in quo fuerat Dauid, prophetauit & ipse coram Samuele cũ cæteris, cùm factus esset super eum spiritus Domini. Quis ignorat quales fuerint Sacerdotũ Principes & Scribæ temporibus Herodis? qui tamen vbi nasceretur Christus interrogati, semota quauis cunctatione, dixerunt: In Bethleem Iudæ. Caipha quid esse potuit nequius? qui quem scelerate nactus erat Pontificatum precio redemptum, gesit etiam sceleratius: & tamen is cùm diceret, expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, non à semetipso hoc dixit, quemadmodum Ioannes testatur, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Si non destituebatur dono prophetię, quamlibet esset impius, qui sedebat in Moysi cathedra, certè multò minus eo destitui credẽdus est, qui sedet in cathedra Petri, super quem Christus ædificauit Ecclesiam suã, cuius à Domino cura suscipitur specialis, pro cuius fide propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit: aduersus quem nunquam esse portas inferi præualituras promisit is, qui mentiri & fallere nescit. Numerentur omnes Pontifices à Petro ad hunc vsq; Gregoriũ XIII. nullus in ista cathedra sedit Arrianus, nullus Donatista, nullus Pelagianus, nullus Lutheranus, nullus qui hæresim aliquam professus esset. Non abs re autem fuerit: quæ scripta sunt in annalibus de Vigilio Papa, quamuis ea paulò ante recẽsuerimus, nunc quoq; breuibus commemorare. Cùm is per scelus ad Pontificatum peruenisset, nam Siluerium Papam, cuius erat Diaconus, instigante Augusta de sede sua deturbandum, atq; in exilium deportandum curauerat, quòd is omnia se prius & facere & pati paratum diceret, quàm vt, quòd Augusta tanto studio postulabat, Anthemium, qui propter Eutychetis hæresim de sede Constantinopolitana per Agapetum antecessorem suum deiectus fuerat, in sedem illam restitueret: posteaquam in locum Siluerij opera Augustæ suffectus, ac Pontifex Romanus designatus est, ea lege, vt quod Siluerius constanter facere detrectabat, id ipse facturum se, atq; Anthemium restituturum ad Ecclesiam Constantinopolitanam promitteret: res est admiratione digna, statim vt Petri cathedram ascendit, idem illi quod Saul euenit: nam super eum quoq; factus est spiritus Domini, cumq; longè alio animo ad Ecclesiæ gubernacula accessisset, admonitus ab Augusta promissi, prius extrema quæq; se passurum respondit, quàm vt hæreticum in sedem, ex qua merito suo deturbatus fuerat, restitueret. Quòd se negaret in beati Petri sede constitutum, quòd Apocrisarius cùm esset, impudentissimè promiserat adimplere posse. Cumq́ue multa probra, multos etiam graues cruciatus, famemq́ue diuturnam in carcere pertulisset, tulit omnia forti animo, quòd multò se grauiora supplicia commeritum diceret, qui malis artibus Pontificatum assequutus, horrendum facinus contra sanctum Pontificem Siluerium designasset. Non fuit hic Pontifex in primo suo ingressu Caiphæ dissimilis, effecit tamen sedis huius priuilegium, vt à fide aberrare non potuerit, quodq́ue impiè promiserat, id piè posteà negauit, ac eo, quod decebat animo Christianum Pontificem, tulit omnia potius fortiter quamlibet acerba, quàm vt aliquid indignum Petri successore dereligione statueret.

*Contra literas Petil. lib. 2. cap. 51.*

*Personarum respectus in fide periculosus. Iacob. 2.*

*Cont. literas Petil. lib. 1. cap. 2.*

*Nume. 22.*

*Per malos quoq; agit & loquitur Deus.*

*2. Reg. 19.*

*Matth. 2.*

*Ioan. 18.*

*Matth. 23.*

*Matth. 16.*

*Romana cathedra prærogatiua.*

*Vigilij Papæ factũ memorabile.*

*Blondus ab inclinatione Rom. Imperij Decade. lib. 6.*

Ex quo videre licet, quantum sit Romanæ sedis priuilegium. Nam vt ab alijs peccatis non semper immunes fuerint Romani Pontifices, obtinuit tamen hoc venerabilis & efficax oratio Christi, quemadmodum scribit Leo nonus ad Petrum Episcopum, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in seculum. Quæ propriæ sunt inferorum portæ, nunquam aduersus hanc sedem hæreses vllæ pręualuerunt, nec deinceps etiam per Dei misericordiam prævalebunt. Quare meritò sanctissimi vocantur, qui sedent in illa cathedra. Quamuis enim non omnes habeant vitæ sanctitatem, quam habere sine innocentia nemo potest, est tamẽ, sicut ab Augustino memoriæ proditum legimus, quædam vnctionis: est quædam sacramenti quoq; sanctitas, qua carere nunquam possunt. Quamobrem nihil pios mouere debẽt, si fortè ij præsunt aliquando in Ecclesia, qui non sunt sine

*Pontifices Rom. cur sanctissimi.*

*Cont. literas Petil. lib. 2. c. 40.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Præsides Ecclesiæ non sine voluntate Dei sunt. Matth.10. Lib.1.epist.3. Scire & nescire Dei quid sit.*

crimine Quin & illud potius reputare secum debet homo Christianus: quòd non sine iusto Dei iudicio dantur Ecclesiæ præsides. Nonne duo passeres asse veneunt, dicit Christus, & neuter eorum cadit in terram sine patris vestri voluntate? Cùm ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna aut nō sciente, aut non permittente Deo in Ecclesia fieri? & Sacerdotes & dispensatores eius non de eius sententia ordinari? Hoc est, dicit Cyprianus, fidem non habere, qua viuimus, hoc est, Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi omnia & gubernari scimus & credimus. Ex quibus Cypriani verbis illud discimus, quòd certò nobis persuasum esse debet, Dei iudicio fieri Sacerdotes, Episcopos, & Ecclesiæ Præsides, & eos aut sciente, aut permittente Deo ordinari. Scit aũt Deus quos probat, nescit quos reprobat. Sic enim ait Paulus de ijs, qui probati sunt: Nouit Dominus qui sunt eius. Reprobis verò dicit ipse Dominus in Euangelio: Nescio vos vnde sitis. Sic & fatuis virginibus: Amen dico vobis, nescio vos. Sciente ergo Deo fiunt probati Sacerdotes & Pontifices, permittente autem Deo fiunt ij, qui sunt minus probati. Nam facit quandoq; Deus hypocritam regnare propter peccata populi, vt sit sicut populus ita & Sacerdos: Qui si malus est, sibi malus est, neq; tibi quicquam eius improbitas officit, si factis eius malis non communicas. Tibi mandatum est, non vt in vitam illius inquiras, sed vt, quæ dixerit, facias, cùm præsertim ex ea dicat cathedra, cuius quemadmodũ anteà dictum est, cura Deo est specialis. Explicans illa verba diuus Hieronymus, qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: Præmiserat, inquit, qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eũ, qui me misit. Ad susceptionẽ magistrorũ discipulos prouocauerat. Poterat occulta esse credentium respõsio, ergo & Pseudoprophetas & Iudam proditorem debemus recipere, & illis alimoniam ministrare? Hoc Dominus anteà procurans dicit, nõ personas suscipiendas esse, sed nomina: & mercedem non perdere suscipientes, licèt indignus fuerit, qui susceptus sit. Non personas itaq; Christus, sed nomina suscipi vult, hoc est, nõ vult attendi, qualis persona sit, quóve vitæ merito, cuius ministerio Deus vtitur, siue in Ecclesia sua gubernãda, siue in doctrina propaganda, siue in Sacramentis administrandis: Iudas ne sit, an Petrus, an Paulus, attendi non vult, sed solùm hoc quòd sedet in cathedra Petri, quòd

*Matth.10. Malach.2.*

Apostolus, quòd Christi legatus, quòd Sacerdos, quòd Episcopus, quòd Angelus est Domini exercituum, de cuius ore legem Dei requirere iussus es, hoc solum spectari vult. Si Iudas est, quandoquidem Apostolus est, & pro Christo legatione fungitur, nihil te moueat, quòd fur est. Audi nihilominus reuerenter, audi diligenter, audi legationem eius obedienter: Quæ dixerit, facito: quæ fecerit, facere nolito. Non ad ipsum refer animum, verùm ad illum, cuius nomen gerit. Euangelium, dicit Augustinus, fur quoq; Iudas sine detrimento fidelium prædicauit, ac quicunq; non recepit illum, Christum ipsum non recepit, qui æquè Iudæ dixerat, atq; Petro vel Ioanni: Qui vos reijcit, me reijcit. Si verò Petrus est, aut Ioannes, qui eadem legatione fungitur, & dictis pareto, & facta imitare. Incerta erit salus nostra, si ex sanctitate pendebit docentium, aut Sacramenta ministrantium. Prauum est & inscrutabile cor hominis, vt qui sanctus, quíve minus sanctus sit, non possit nisi solus ille scire, qui scrutatur corda & renes. Itaq; fit non rarò, sanctus vt esse videatur, qui non est: quiq; persequutor est, aut Publicanus hodie, cras fiat Apostolus. Quamobrem rectè à Propheta dictum est: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Etiam si quis certò sciat, iustum aliquem & innocentem esse, atque omni prorsus macula carere, tamen si in illius sanctitate spem suam collocat, si salutem ab illo expectat, maledictus est. Nam Domini est salus, &: Vana salus hominis. Pridem hæretici sunt habiti, & Augustini seculo Donatistæ, & Bernardi æuo, qui se vocabant Apostolicos, qui vtriq; noluerunt ibi esse Ecclesiam Apostolicam, vbi non esset vita Apostolica, & Sacramentorum dignitatem ex ministrorum virtute metiebantur.

*Lib.2.cont.epist. Parmenian.c.11. Ioan.12. Hiere.17. Hiere.17. Psal.3. Psal.53. Berna.serm. 66.in Cant.*

Quamobrem procul abfit à mentibus piorum error hic, quin ij potius cùm audiunt eos, qui præsident, aliquorum criminum insimulari, ac eos infamię nota aspersos per hominum ora traduci, meminerint scriptum esse: Qui citò credit, leuis est corde: ac Sem & Iaphet imitentur potius laudatos Noë filios, qui tegere sunt & cooperire conati, quàm impium illum Cham, cui meritò posteà pater maledixit, qui verenda patris nudare ausus est. Certum est, multa crimina falsa contra eos, qui sedent in cathedra Petri, à sataniſtis confingi: & euenire ferè solet ijs, qui summa cum potestate versantur, etiam si nulla in re ab officij sui religione declinauerint, vt voculas tamen hominum, eorumq; reprehensionem quandoque non effugiant: vt non sine causa dictum illud celebretur, Regium est malè audire, cùm benè feceris. Tutius fuerit in hanc partem peccare, si conuitijs istorum, & impudentibus nonnunquam calumnijs non modò fides non habeatur, verùm ne aures quidem accommodentur: si modò peccatum dici potest, quod in laude potius poni debet. Ingentem gloriam ex hac sua Christiana pietate & modestia Christianissimus Imperator Constantinus consequutus est, cui cùm essent oblati libelli, in quibus crimina quædam Sacerdotum & Episcoporum continebantur, non satis habuit, quòd eos exuri fecit, cùm se ab illis, non illos à se iudicari oportere diceret, verùm & hoc insuper adiecisse legitur, si fortè suis oculis turpe facinus aliquod Episcopum designantem conspexisset, obtecturus id fuerit paludamento suo, ne cuius oculi ea re offenderentur. Gregorius tractans illum locum ex Genesi de Cham. Quid est ergo, inquit, quod filij verenda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt, nisi quòd bonis subditis præpositorum suorum mala displicẽt. Vt tamen hæc ab alijs occultent, operimentum auersi deferunt: quia indicantes factum, & venerantes magisterium nolunt videre quod tegunt.

*Eccles.10. Genes.9. Constantini M. reuerentia erga sacerdotes. Libelli criminosi contra sacerdotes ab Imp.Constantino combusti. Theodo.lib.1. c.11. Genes.9. In 24.cap.Iob.lib. 25.Moral.c.15.*

Sed hic dicet aliquis: Quid autem si testatiora sunt non vnius alicuius, verumetiam multorum oculis, quæ ab ijs, qui præsident, nefaria patrantur: si non eam quam oporteret Eccle-

*Præsidentibus malis quid agendum.*



Ecclesiæ curam gerere, ac quibusuis alijs in rebus potius, quàm in ijs, quæ propriè ad ipsorum officium pertinent, mentes occupatas habere videntur? Quid aliud quàm illud faciendum est, quod fecisse discipulos legimus, cùm dormiente Christo nauiculam fluctibus operiri vidissent. Excitarunt enim eum dormientem, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Hoc discipulorum exemplum, quicunque pij sunt, imitari debent. Vident nauiculam, in quam ascendit Christus, hoc est, vnam Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam, ita procellis ac tempestatibus iactari atque agitari, vt mergenda iamiam esse videatur: Simul & hoc intelligunt, tempestatis huius non postremam esse causam, quòd in vicarijs suis obdormiuit Christus, qui commodis huius mundi deliniti, profundo somno ita sunt consopiti, vt quamlibet vellices, quamlibet inclames, non queant expergisci. Confugiant ad summum nauclerum Christum: accedant ad ipsum nihil in fide hæsitantes: eum in vicarijs suis dormientem excitent, ac supplici voce precantes, exclament: Domine, salua nos, perimus. Expergiscere in ijs, quibus in gubernãda Ecclesię tuę naui, vices tuas committere dignatus es. Excitet eos è profundo somno spiritus timoris tui, ac per eos iam experrectos impera ventis & mari, quò tandem aliquando sedatis tempestatibus, ab omnibus exoptata tranquillitas consequatur, vt videntes homines mirentur, & glorificent te, dicentes: Qualis est hic, quia etiam ministris eius venti & mare obediunt?

*Matth.8.*

Hæc est ratio, qua succurri possit malis præsentibus, vt vita nostra in melius commutata, supplices Deum vno ore cuncti precemur: si fortè per eos stat, qui præsunt, quo minus Ecclesiæ periclitanti succurratur, quandoquidem in ipsius manu corda sunt Principum, vt ipse inclinet ea ad illa consilia capienda, quibus diu desiderata pax & tranquillitas Ecclesiæ Dei restitui tandem possit. Quam enim Sataniſtæ rationem sequuntur, vt siue declament de loco superiore, siue scribant aliquid, non alia in re plus temporis consumant, quàm in Pontificibus maledictis incessendis, in fama eorum multis etiam confictis criminibus laceranda, magis id adeò ad maiorem etiam excitandam tempestatem, quàm excitatam tranquillandã facere videtur. Sed hæc tandem dicta sufficiant, quò ad explicationem huius articuli, quo nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam profitemur.

*Malis præsentibus qua ratione succurri possit. Prou.21.*

## *Quæ sit Sanctorum communio.*

### CAPVT XXX.

Vlsum est autem operæprecium, aliquid etiam de Sanctorum communione dicere. Sunt qui putent ijs verbis Ecclesiam definiri, quòd ea sit quasi communio quædam, hoc est societas Sanctorum. Quorum nos hanc sententiam non reijcimus, modò ne solos iustos intelligi sanctos velint. Primis illis Ecclesiæ temporibus, sicut superius etiam à nobis dictum est, vocabantur sancti fideles omnes, quicunque Christo nomen dedissent, & eius Ecclesiæ asscripti essent, etiam si minus sanctè atque integrè vixissent. Horum communionem, hoc est, societatem quandam, Ecclesiam esse libenter concedimus. Est enim Ecclesia fidelium congregatio, est corpus vnum ex multis membris compactum, cuius caput est Christus: ipsum enim Deus dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnũ corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Qualis itaq; membrorum inter se societas est, vt operatio cuiusq; membri cadat in commodum totius corporis, talis est inter Ecclesiæ membra, qui sunt fideles, bonorum operum quædam communio, non solùm eorum, quæ fecit Christus caput huius corporis, ex quo manat in reliquum corpus omne, & in singula eius membra quicquid est boni, quicquid est meriti: verùm & piorum hominum omnium qui sunt, quiq; fuerunt ab initio mundi, nobis vt eorum benefacta subueniant, nos iuuent, nos ædificent, vt bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, & quæ facta sunt olim in Ecclesia, quo ad illius esse mẽbra non desierimus, participes efficiamur. Hoc est quod à Propheta dicitur, Particeps ego sum omniũ timentium te, & custodientiũ mãdata tua. Hoc est, quod Christus nos orare docens, iubet non sibi quemq; peculiariter petere, sed velut vnius corporis mẽbra, eodem animata spiritu, quod in commune cũctis expediat, à cõmuni omnium patre postulare, dicendo: Da nobis, dimitte nobis: libera nos, ita vt alter alterius onera portemus, & sic legem Christi adimpleamus. Hoc est quod apud Hieremiã dicit quoq; Dominus: Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum qui faciat iudiciũ, & quærat fidẽ: & propitius ero ei. Propitiũ se fore promittit Hierusalẽ dummodo vel vnus aliquis vir iustus reperiatur in ea. Similiter & in libro Iob legimus, quòd ad Elipham Themanitem dixerit Dominus: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septẽ tauros, & septẽ arietes, & ite ad seruum meũ Iob, & offerte holocaustũ pro vobis, Iob aũt seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, & non vobis reputabitur stultitia. Qui scripsit opus imperfectum in Matthæum: Totus, inquit, populus Clericorum meritis & sanctitate saluatur. Hoc est, quod in Euangelio legimus: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Hoc est, quod in Genesi quoq; scribitur: Si decem iusti Sodomis reperti fuissent, quod propter eos non fuerit Deus ciuitatem deleturus. In quẽ locum scribens Ambr. vnde discimus inquit, quantus murus patriæ sit vir iustus: quemadmodum non debeamus inuidere sanctis, nec temerè derogare. Illorum enim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoq; si habuisset viros iustos decem, potuit non perire. Sic apud Ezechielem dicit Dominus: quæsiui de eis virum, qui interponeret septẽ, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Neq; verò eorum tan-

*Sancti olim qui. Ecclesia quid. Ephe.5. Rom.12. 1.Corin.12 Communio bonorũ in Ecclesia. Psal.118. Matth.6. Gal.6. Hier.5. Iob. Cap.42. Hom.40. Matth.10. Gen.18. Amb. de Abraham Patriar. li.2.ca.6. Ezech.22. Sanctorum merita alios adiuuat etiam post mortem. Hom. 4.in Mat.hom.41.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tantùm, qui nobiscum in hac vita degunt, verùm & illorum, qui multò felicius cum Christo viuunt, nobis & orationes patrocinantur, & merita suffragantur. Hoc est, quod de tribus pueris dicit Ioannes Chrysostomus: Quoniam seipsos ad impetrandam populo veniam sufficere non credunt, ad Patrum merita cõfugiunt, ipsi verò nihil se amplius profitentur adferre, quàm humiliatum spiritum, ac dolore contritum. Et apertius adhuc in Genesim scribens: Sæpè quando non est inuentus iustus in præsenti vita, propter defunctorum virtutem, viuentium Deus miseretur, & curam habet, vnde clamat, dicens: Protegam ciuitatẽ hanc propter me, & propter Dauid puerum meum. Quasi diceret, licet ipsi indigni sint, & nullam salutis habeant occasionem: verùm quia solitus sum misericorditer agere, & ad misericordiam propensus sum, propter meipsum faciam, & propter puerum meũ Dauid, qui ante hos annos è vita migrauit: Hic erit auctor salutis ijs, qui sua sese perdiderunt desidia. Vidisti Domini misericordiam? quomodo eos, qui virtute pollent, toti multitudini opponit, & rependit. Rursus explicans Psalmum quinquagesimum: hic, inquit, sanctus Dauid, non solùm cùm esset in corpore, placuit Deo, sed & post mortem suam viuis grande præstitisse solatium inuenitur. Contigit namque Ezechiæ Regi, inimicas in temporibus Iudæorum gentes Hierosolymam circumuallasse, & cùm esset Ezechias iustus vir, rogauit Deum, & prostratus lachrymis deprecabatur vltionem de aduersarijs postulans: Venit ad eum Esaias Propheta, & dicit: Ne putaret ille, quia iustitia sua exauditus est: & certè iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens: Quid ergo dicit ei? Protegam hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & merita eius vigent. O rem admirandam, ô ineffabilis clementia Dei: Homo mortuus viuo patrocinatur. Et rursus alio loco: Adeò post illa vulnera Dauid refulsit, sic se à maculis abluit, ita mundum effecit animum, vt vel mortuus precantibus succurreret. Et quod de Abraham, id de Dauid quoque Deum dixisse scriptura testatur, imò verò multò magis de Dauid: De Abraham enim scriptum est: Recordatus sum testamenti mei, quod erat ad Abraham: hic verò non dicit testamenti, sed propter Dauid seruum meum protegam ciuitatem hanc. Repetit idem breuiter scribens in epistolam ad Philippenses. Protegam, inquit, ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si memoria duntaxat iusti tantum valuit, quando & opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserũt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Hieronymus quoq; locum hunc explicans Esaiæ Propter Dauid seruum meum: In tantum, inquit, iustitiam diligit Deus, vt etiam posteros sanctorum hominum, non suo merito, sed maiorum virtute tueatur. Quem secutus Cyrillus quoque: Propter Dauidem, inquit, quod sanctorum virorum memoriæ hoc beneficij dar, vt obliuiscatur malorum, quæ posteri ipsorum interdum admiserint. Gregorius quoq; Magnus: Aliorum, inquit, bono opere alij adiuuantur, sicut ad peccantem Regem Salomonem à Domino dicitur: Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo, veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum, neq; est quisquam ferè sanctorum, qui non eiusdem sit sententiæ. Nam quòd obijcitur ex Hilario, quòd is cum parabolam de prudentibus virginibus explicaret, quæ fatuis oleum à se petentibus impertiri noluerunt, per eam significari dixerit, alienis operibus ac meritis neminem adiuuãdum esse, de iudicij die rectè potest intelligi, quo virtutes aliorum, aliorum vitia minimè subleuare posse Hieronymus quoq; sequutus Hylarium affirmat. Nullus tunc erit pœnitentiæ locus, nec vllius intercessiones vel merita quidquam eo tempore proderunt, sed vnusquisq; sui mercedem operis accipiet.

*Homil.2.*

*Hom.27. in Matt. Ser.3. & 77. ad populum Anti. & li. 3. aduer. vituperatores vitæ monasticæ. Hom. de virtutibus & vitijs in 4. tom.*

*In 1. ca. ad Philip. ser.3.*

*Cyril. li.3. tom.4. Cap.13*

*Gregor. lib. 5. in 1. Reg. ca.4.*

Hæc itaque sanctorum est intelligenda communio: quòd merita sanctorum omnia, tam eorum, qui militant adhuc nobiscum in terris, quàm illorum, qui posteaquam certauerunt bonum certamen, & coronam gloriæ consequuti sunt, iam triumphant in cœlis, nobis communicantur, nobis suffragantur, nos adiuuant. Hoc est, quod contra Faustum scribens dicit Augustinus: Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, & orationibus adiuuetur. Idem enarrans illud exodi: Sine me, & iratus conteram eos. Hunc verborum istorum sensum esse vult, vt eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo, releuari nos apud Deum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Nam cùm ab omnipotente dicitur homini: Sine me, & conteram eos, quid aliud dicitur, quàm contererem eos, nisi diligerentur abs te. Hieronymus explicans illum Hieremiæ locum: Tu ergo noli orare, &c. Ne videatur rogans Propheta non impetrare quod postulat, præcipit Deus: ne pro populo peccatore, & nullam agente pœnitentiam deprecetur. Quod autem dicit: Et non resistas mihi, illud ostendit, quòd sanctorum preces Dei iræ possint resistere. Vnde & Dominus loquitur ad Moysen: Dimitte me, vt percutiam populum istum: & faciam te in gentem magnam. Et in Psalmis legitur: Et stetit Phinees, & placauit, & recessit quassatio: & reputatũ est ei ad iustitiam. Aaron quoq; accepto thuribulo inter ignem arsurum; q; populum medius stetit, & Dei ira cessauit. Et explicans illa verba: Et si prophetæ sunt, occurrant Domino exercituum. Quod ait, inquit, occurrant Domino, illud ostendit: verum prophetam posse Domino precibus resistere, secundum quod & Moyses stetit in percussione contra Dominum, vt auerteret iram furoris eius. Samuel quoq; idẽ fecit. Et Dominus ad Moysen: Dimitte me, vt percutiam populum istum. Quando autem dicit, Dimitte me, ostendit se precibus sanctorum posse retineri. Et in Ezechielem scribens, sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contraq; venienti, ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Quibus aũt sanctorum preces & merita prosunt, docet sequẽs caput explicans his verbis. Quòd si aliquando propter Abraham & Dauid in posteros eorum misericordiam suam pollicetur, notan-

*In cap.14. Ezech.*

*Festiuitates sanctorum cur instituta.*

*Li.2. quæst. in Exo. cap.149.*

*Serm. 91.*

*Hier.27.*



notandum, quòd non his parcat, qui in sceleribus perseuerent, sed qui agant pœnitudinem, vt merita patrum filiorum adiuuet conuersio. Queritur autem & Ambrosius, Arrianos in tantum amentiæ prodijsse, martyrum vt negent merita, quorum opera dæmones etiam confitentur: vt ipsis etiam dæmonibus esse peiores videantur. Cæterùm, est sanctus sanctorũ Dominus noster Iesus Christus, cuius sanctitate sanctus est, quicũq; sanctus est: cuius iustitia iustus est, quicũq; iustus est: cuius nisi crux intercessisset, nulla esset sanctitas, nulla esset iustitia, nulla essent merita cuiusquã. Quid enim aliud est hominis meritum, ni si, quemadmodum superius dictum est, miseratio Domini? nisi mors illa crucis acerba, quam ille misertus generis nostri, nostra causa subire dignatus est? Hanc si sustuleris, quid erunt aliud vniuersæ iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? quæ erunt alia merita nostra, nisi ignis gehennæ? Hic itaque sanctus sanctorum, quem dedit Deus caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, merita sua omnia, præcipuè verò passionis & mortis suæ meritum, cum membris suis communicat. Fit autem ista communicatio per Ecclesiæ Sacramenta, quæ vocantur sancta, quorum & ipsorum est in Ecclesia communio quædam & societas, quemadmodum Paulus dicit: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Quamobrem vbi ijsdem sanctis, hoc est, communibus Sacramentis vtuntur omnes, per quę Christi meritorum facti participes, vnum cum illo capite suo corpus efficiuntur: vbi præterea societas quædam est & communio bonorum operum omnium, quæcunq; vel faciunt, qui versantur adhuc in hoc seculo, vel fecerunt, quitiam recepti sunt in sedes beatorum, ibi rectè sanctorum esse communionem intelligimus.

*Lib.20.ca.21.*

*Merita sanctorum vnde sint.*

*Esai.64.*

*Sacramenta sancta.*

*1.Cori.10.*

## *Qui sint extra Sanctorum communionem.*

## CAPVT XXXI.

*Ethnici, hæretici, & schismatici extra ecclesiam.*

*1.Cor.5.*

*1.Ioan.2.*

*Matth.24.*

*ad Titum 2.*

*2.Ioan.1*

EXtra communionem hanc sanctorum sunt infideles omnes, quos Ethnicos siue Paganos, aut Gentiles vocamus, qui nunq; in Ecclesia, sed foris fuerũt semper: Quod Paulus indicat, dicens? Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Sunt extra eam, qui prodierunt ex illa, sed segregauerunt semetipsos, vt dicit Iudas Apostolus, animales, spiritum non habentes, hæretici & schismatici: de quibus dicit Ioannes: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nã si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: qui non satis habent segregasse semetipsos, verùm seducunt præteà multos, dicentes: Ecce hic est Christus, ecce illic: ecce in deserto, ecce in penetralibus. Quos non audiri iubet Christus, quos post vnam atque alteram correptionem vitare præcipit Apostolus, tanquam viperam & basiliscum: quibus etiam auedici prohibet Ioannes: qui tantùm abest vt in Ecclesia cõmunicandũ cũ illis putauerit, vt ne balneum quidem ingredi voluerit, in quo Cherinthum viderat veritatis inimicum lauantem. Sunt & Iudæi, quorum patres, nimirum sancti Patriarchæ & Prophetæ, quamuis ad Ecclesiæ nostræ communionem pertineant, quoniam tamen in quem illi venturum credebãt Christum, eum isti venisse non credunt, extra communionem hanc sunt. Omnibus ijs ad suos profectus, & ad correctionem eorum cùm vigilare voluerint, vtitur Ecclesia. Vtitur enim Gentilibus ad materiam operationis: Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ: Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ: Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem, siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi. Sunt autem in Ecclesia carnales etiam quidam, id est, viuentes aut sentientes carnaliter, quos tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accusatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem, aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentiæ, aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ, aut hæresim aliquam faciunt ad examen siue occasionem nostræ diligentiæ. Hæc ex Augustino transcripsimus, qui pulchrè docet, tandiu peccatum aut errorem cuiuslibet sustineri, donec accusatorem inueniat. Simul autem vt accusati fuerint & conuicti, tanquam putrida membra ab Ecclesiæ corpore resecti, pro ea potestate ligandi & soluendi quæ data est Apostolis & eorum successoribus, declarantur, vt pro Ethnicis & Publicanis iuxta Christi præceptum habeantur, atq; à communione fidelium reijciantur: vnde etiam excommunicati dicuntur, quòd neq; Christi, neque sanctorum cum eis vlla merita communicantur. Quamobrem & à Sacramentis arcentur, & eorum consuetudine pijs omnibus interdicitur. Quod, si quis rectè expendat, incomparabile damnum est: traduntur enim eiusmodi Satanæ, qui cùm & Christi meritis, & Ecclesiæ sint suffragijs destituti: plenam in eos accipit potestatem. Hoc nunc agit in Ecclesia, dicit Augustinus, excommunicatio, quod agebat in veteri Testamento interfectio. Tũc, vt est apud Cyprianum, gladio occidebantur, quando adhuc & circuncisio carnalis manebat: nunc autem quia circuncisio spiritualis esse ad fideles Dei seruos cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum ab Ecclesia eijciuntur: neque enim viuere foris possunt, cùm domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt, nec obtemperant consilijs salubribus, testatur scriptura, quæ dicit: Non diligit indisciplinatus castigantem se, qui autem oderunt correptionem, consumentur turpiter. Sic ab Hieronymo quoque scriptum legimus: In veteri quidem lege quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio

*Augu. de vera religione cap. 6*

*Excommunicati.*

*Excõmunicationis vis.*

*Excommunicatio in nouo testamento & in veteri interfectio fuit.*

*In Deut. ca.37. & 39.*

*Cyprianus ad Pomponium. li.1. epi.11.*

*Hiero ad Heliodo.*

*Excõmunicatio maxime formidanda.*

*Epi. 1. ad Heliodorum, Hiero.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gladio ceruice subiecta contemptum expiebat cruore. Nunc verò inobediens spirituali mu
crone truncatur, aut eiectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur. Quamobrem
nihil æquè formidandum est homini Christiano, quàm à Christi corpore, quæ est Ecclesia,
separari. Si quis enim ab ea separatur, iam non est membrum Christi, non vegetatur Spiritu
Christi: à communione sanctorum, hoc est, à participatione sacramentorum, & ab Ecclesiæ
suffragijs excluditur. & fit tanquam Ethnicus & Publicanus: quod multò grauius esse scri-
bit Augustinus, quàm si gladio feriretur, si flamma absumeretur, si feris subijceretur.

*Aug. contra aduersarium legis, & Prophet. Lib. 1. ca. 17.*

*Arist. 10. Ethic.*

*Excommunicatione primum vtendum.*

Quamuis autem hæc sit pœnarum grauissima, quoniam tamen, sicut à quodam huius se-
culi sapienti scriptum est, medicinæ quoq; pœnæ sunt, medicinæ causa debet adhiberi. Ne-
que propterea à nobis hoc animaduersionis genere vtendum est, vt quem è cœtu piorum e-
ijcimus, eum perpetuò iam condemnatum, ac gehennæ supplicijs traditum velimus: ve-
rùm illud magis propositum esse nobis debet, vt q castigatur ad hunc modum, is ad mẽtem
aliquando sanam redeat, atque ab eo, quo ligatus est vinculo, absolui petat. Hoc à Paulo ita

*2. Cor. 5.*

ita faciendum esse discamus licet: is enim ad Corinthios scribens, iudicaui, inquit, tradere
huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit. Non ad spiritus,
sed ad carnis interitum tradidit eum Satanæ, hoc est, vt libido, vt tumor, superbia, contu-
macia, & si quæ sunt alia carnis opera, ea domarentur, ac planè mortificarentur, quo domi-
tis ijs, tanto minore negocio spiritus saluus fieri posit. Ad Thessalonicenses quoque scri-

*2. Thes. 3.*

bens: Quod si quis, inquit, non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non
commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripi-

*Aug. in Psal. 54.*

te vt fratrem. A quo separationem indixit, dilectionem non præcidit, in hoc modo vitari
eum volens, vt erubescat, & ad mentem sanam redeat. Quod si pudore correptus non fue-
rit, tum ipse sibi causa est mortis, non is, qui sanatum eum hoc remedij genere cupiebat. Do-

*Aug. de correp. & gratia. cap. 15. Tomo 6. cap. 9.*

cet Augustinus corripiendo nihil aliud agere nos debere, nisi vt ab ista pace, quæ est ad De-
um, non recedatur, aut ad eam qui recesserat, reuertatur. Extat in Actis Ephesinæ Synodi,
quæ recens in lucem prodierunt Homilia quędam Theodoti Ancyræ Episcopi, in qua pul-
chrè materiam hanc tractat. Quod corporibus, inquit, nostris medicus, hoc animabus no
stris est Sacerdos. Quia ergò animi morbus est error, qui diu multumq; dissimulatus, mor-
tis supplicium inducit, spiritus Sancti gratia, animarum medicinam Sacerdotium, instituit,
membrumq; morbo dudum labefactatum excidi curauit, non quidem in illud desænire in-
stituens, sed reliquis membris consultum cupiens, Cùm enim iugis illa tabes prauæ corru-
ptionis incrementa paulatim generaret, membrum putridum præcidendum existimauit,
quò omnem simul corruptionis maliciam è medio tolleret. Est hæc curandi ratio non cru-
delitas, sed salubris & necessaria medicina. Sanè medicus flens interdum membrum præ-
scindit, verùm dum sectioni non parcit, sanitatem inducit. Et paucis interiectis. Obtinet
Sacerdos gladium, non vt lædat, sed vt medelam ferat. Quæ fuerint autem pœnæ siue me-
dicinæ Hæreticis constitutæ, legat qui volet in Epistola Georgij Nisseni ad Latoium.

*Excommunicatio mortem æternam affert.*

*Ecclesiæ bona in prophanos vsus & proprios expendentes excõmunicantur.*

*Act. 5.*

Quòd autem excommunicatio mortem & quidem æternam adfert, præter multos alios, docet etiam is, qui pro Christi fide sanguinem suum profudit, sanctus ille Pontifex Vr-
banus: Qui prohibens ne facultates Ecclesiæ raperentur in alios vsus conuertendæ, vnicui-
que diripienti excommunicationem minatus: Hæc, inquit fratres valdè cauenda sunt & ti-
menda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed vt communes & Domino oblatæ, cum sum-
mo timore non in alios, quam in præfatos vsus fideliter sunt dispensandæ, ne sacrilegij rea-
tum incurrant, qui eas inde abstrahunt, vbi tràditæ sunt: ne pœnam & mortem Ananiæ &
Saphiræ incurrant, & quod peius est, anathema maranatha fiant, & si nõ corpore, vt Anani-
as & Saphira mortui ceciderint, anima tamen, quæ potior est corpore, mortua, & à consor-
tio fidelium alienata cadat, & in profundum baratri labatur. Vnde attendendum est omni-
bus, & fideliter custodiendum, & vsurpationis illius contumelia depellenda, ne prædia vsi-

*2. Cor. vlt.*

bus sacrorum cœlestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fece-
rit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua dam-
netur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis seruetur: quoniam iu-
xta Apostolum tradere oportet hominem huiusmodi Satanæ. Hæc sanctus ille martyr, ante
mille trecentos & amplius annos.

## *DE SACRAMENTIS.*

### CAPVT XXXII.

*Sacramenta signa efficacia.*

QVoniam verò sancta Sacramenta, per quæ sanctificamur, & sanctorum com-
munionem, sacramẽtorum participationem significari diximus, horum quo-
que nobis ratio venit explicanda. Sunt autem Sacramenta signa quædam. Por
rò signum, vt est apud Augustinum est, quod præter speciem quam ingerit sen

*Signum quid. Lib. 2. de doct. christ. c. 1.*

sibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: Sicut vestigio viso, transisse a-
nimal, cuius vestigium est, cogitamus: & fumo viso, ignem subesse cognoscimus: & voce animantis audita, affectionem animi eiusdem aduertimus: & tuba sonante, mi-
lites vel progredi, vel regredi, & si quid aliud pugna postulat, oportere nouerunt. Sic circun
cisio fuit signum, per quod veniebatur in agnitionem, eum, qui circunciſus esset, esse Iudæ-
um. Sic baptismus, Eucharistia, & alia Sacramenta sunt signa, quæ præter speciem quam in-
gerunt sensibus, faciunt in agnitionem venire, qui vtuntur illis, eos esse Christianos.

*Lib. 19. con. Faust. Cap. 11.*

Sunt igitur Sacramenta signa quædam siuè symbola, aut notæ, quibus Christiani à non
Christianis discernuntur, qualia signa quæuis vt habeat congregatio, necesse est. Nam sicut
ab eodem Augustino scriptum est, in nullum nomen aut verum, aut falsum coagulari pos-
sunt



sunt homines, nisi signacula rum vel sacramentorum visibilium aliquo consortio colligen-
tur. Neque verò huius tantùm generis signa sunt sacramenta, sed sunt signa sacræ rei, nimi-
rum inuisibilis gratiæ, quæ in visibili elemento confertur. Neque qualiacunque signa, sed

*Sacramenta quorum rerum signa sint.*

efficacia, vt quæ & continent ipsam gratiam, & eius causa sunt, atque id quod signant, effi-
ciunt. Sunt signa, quibus & præteritorum admonemur, & præsentium, & futurorum. Ad-
monemur eius, quæ præterijt, Christi passionis, ex qua virtutem habent omnia sacramen-
ta: admonemur præsentis gratiæ, quæ nobis confertur sacramenta sumentibus: admo-
nemur futuræ gloriæ, cuius quasi pignora quædam sunt, quòd per illa nos ad illam peruen-

*Rom. 6.*

turos certam spem concipimus. Exempli gratia: Cùm baptizamur, admonemur Christi
passionis & mortis, quæ iam præterijt: consepelimur enim cum illo per baptismum in mor
tem, & in morte ipsius baptizamur, ipsam in nobis repræsentantes. Admonemur præterea
gratiæ, quæ nobis confertur in Baptismo, nimirum peccatorum remissionis, à quibus ita
cor emundatur, dum aqua corpus tangitur, quemadmodum sordes corporis per aquam
abluì consueuerunt. Admonemur postremò vitæ illius & gloriæ æternæ, ad quam nobis
aditus patet per baptismum, quam nos cõsequuturos hoc quasi pignore dato certos Chri-
stus reddidit, si in ea puritate, quam nobis baptismus attulit, permanserimus. Ex quo vide-
re licet, non vnius rei signum esse sacramentum: sicut baptismus passionis Christi, quę prę-
terijt signum est rememoratiuum, præsentis gratiæ demonstratiuum, futuræ gloriæ pro-
gnosticon. Signa autem hæc eiusmodi sunt, quæ sub sensum cadere, quæ videri possint, sub
quorum tegumento diuina virtus secretius operatur salutem.

*Cur in visibilibus signis Deus virtutem suam operari voluit.*

*Chrysost. hom. 83. in Matth.*

*Arist. 2. Posteriorum & 2. de anim.*

*Rom. 1.*

Propterea autem virtutem suam in visibilibus eiusmodi signis operari voluit, vt nostræ
se imbecillitati diuina maiestas accommodaret. Si tu incorporeus esses, dicit Chrysosto-
mus, nuda ipsa bona incorporea tradidisset tibi: Quoniam verò corpori coniuncta est ani-
ma tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. Ita autem natura comparatum est, vt ad
eorum, quę intelligenda sunt agnitionem, non ferè nisi per ea, quę sensu percipiuntur, per-
uenire possimus. Quod non ab huius modò seculi sapiente traditum est, qui dixit: princi-
pium nostræ cognitionis esse à sensu, & nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sen-
su: verùm ab illo quoque, qui plenus cœlesti sapientia, scriptum reliquit, quòd inuisibilia
Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quo facilius itaque
secretior operatio Dei, mente comprehendi possit, signis quibusdam visibilibus id demon-
strari Deus voluit: cuius etiam sapientiæ congruebat, vt sicut à visibilibus lapsus occasio
sumpta fuit, sic in eisdem visibilibus remedium inueniret. Signa autem hæc, elemẽta quo-
que licet appellare, ad quæ simul vt accesserit verbum, iam erunt sacramenta. Quæ cùm

*Sacramenta corporibus & animis accommodata.*

esse medicinæ quædam videantur homini adhibendæ, qui ex corpore constat & anima,
quam etiam ob causam ab Ambrosio remedia peccantium vocantur ad vtrunq; eas accom-
modari oportuit: vt esset quod corpus tangeret, esset præterea quod animã afficeret. Cor-
pus tangit elementum, animam afficit verbum: quod illa cùm audit, credit, credendo ve-
rò munda fit, & sanatur à lepra peccatorum, sicut dicit Christus: Iam vos mundi estis pro-
pter sermonem. Quem locum explicans Augustinus: Quare non ait mundi estis propter
baptismum, quo loti estis, sed ait, propter sermonem quem loquutus sum vobis? nisi quia
& in aqua verbum mundat: Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum
ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Ac paulò pòst.
Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia
dicitur, sed quia creditur. Hinc est, quod in actis Apostolorum legimus: Fide purificans
corda. Fides autem ex auditu, auditus per verbum Dei. Ante quem etiam Chrysostomus:
Aqua primatum tenet in elementis, sed cùm istud elemẽtum acceperit Spiritum sanctum,
fit sacramentũ, & iã non erit aqua potationis, sed sanctificationis nõ erit aqua cõmunis, sed
refectionis. Certũ aũt est, quod non prius accepit Spiritum sanctũ, q̃ verbum accesserit. Est
itaque signum vel elementum in sacramento instar materiæ: verbum verò instar formæ.

*Amb. lib. 2. ca. 9. de pœniten.*

*Ioan. 15.*

*Aug. tract. 80. in Ioan.*

*Omnis virtus aquæ in baptismo est à verbo.*

*Act. 15.*

*Rom. 10.*

*Chrysost. in Psalm. 22.*

Neque verò eiusmodi signa sunt sacramenta nouæ legis, qualia fuerunt sacramenta ve-
teris legis: Cùm præclarè scriptum sit ab Eusebio Emiseno, non enim sacramenta Eccleſię,
sicut sacramenta synagogę, medicinam docent & ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina,
& remissio peccatorum. Hoc est, quod ab Augustino quoq; scriptũ legimus, sacramenta no
ui Testamenti dant salutẽ: sacramenta veteris legis promiserũt Saluatorẽ. Illa nihil aliud q̃
significabãt, hæc verò quod significãt & continent in se, & efficiũt. Cõtinent enim in se gra
tiã, & propterea à vocantur vasa gratiæ: & sunt causa illius: non quòd in eis gratia substantia
liter contineatur, vel causaliter efficiatur, cùm receptaculum gratiæ sit anima, sed quod ip-
sa significant gratiam, quæ in ipsis inuenitur, & semper confertur. Deinde verò sicut quod
est in vase, non est de ipso, nec ex ipso, sed ab ipso hauritur: sic gratia non est à sacramentis,
nec de sacramentis, sed hauritur à fonte æterno, & ab illo hauritur, ab ipsa anima, de ipsis
sacramentis. Et sicut quis recurrit ad vas, cùm requirit liquorem, sic quærenti gratię liquo-
rem & non habenti, recurrendum est ad ipsa sacramenta, per quæ tanquàm instrumenta
quædam & vasa, gratiam curationis à summo medico Christo haurire oportet: qui tamen
haud ita gratiam suam sacramentis alligasse credendus est, vt non per alias quoq; vias quan
do vult, eam conferre queat.

*Sacramentorum veteris & nouæ legis discrimen.*

*Euseb. in Homil. sabbati post primam dom. quadrag.*

*In Psal. 73.*

*Infra. cap. 34. 35. 38. & 39.*

*Sacramenta vasa gratia quomodo.*

*Sacramentis Deus non alligauit virtutem suam.*

Quò melius autem res intelligi possit, exemplo siue similitudine quadam illustrabimus.
Quis non intelligit in curatione morbi, quo corpus afficitur, solum esse Deum, qui virtute
potestateq; sua pulso, morbo sanitatem restituit? Sanare tamen dicitur nihilominus medi-
cina, quòd subtracta materia, quæ peccabat, sanitatem efficit: sanare dicitur dieta, quòd ho-
minem in sanitate conseruat: sanare dicitur vas, in quo medicina continetur, quòd ex illo
hauritur: postremò sanare dicitur medicus, tanquam minister & instrumentum Dei. Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sanctificationis causæ multæ. Infra c.39.*

in curatione morbi spirituàlis, quæ nil aliud est quã sanctificatio: sanctificat solus Deus auctoritate sua: sanctificat gratia formaliter expellendo morbũ, hoc est, peccatum: sanctificat impletio mandatorũ vt dicta: sanctificãt sacramenta, tanquàm vasa medicinalia, in quibus confertur gratia: sanctificat sacerdos tanquam minister. Atque hæc quidem de vi sacramentorum dicta sufficiant.

## *De numero Sacramentorum.*
## CAPVT XXXIII.

QVod ad numerum sacramentorum attinet, sunt qui iam olim receptum & vetustate consecratum, parum prudenter, minus ipsi prudentes institutum fuisse dicunt, atq; ideo ad examen eum reuocare conantur. Quod quid aliud est, quàm velle populo persuadere, non satis tuta esse ac firma fidei nostræ fundamenta? Quid autẽ habet ea res reprehensionis, si maioribus nostris visum fuit. sacramenta nouæ legis eo numero complecti, qui sacris literis admodũ est familiaris? præsertim cùm non eadem neq; vis neq; necessitas tribuatur omnibus. Quid hic vel Euangelicæ doctrinæ aduersatur, vel eam obscurat, si qui Spiritu sancto familiaris est numerus, eo sacramenta comprehendi voluit Ecclesia? cùm etiam dona Spiritussancti septem recensean tur: cum septem sigillis, quibus fuit veteris testamenti pagina signata, quæ agnus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, reserauit, septem tubis, quibus Angeli cecinerũt. septem stellis, quas habebat similis filio hominis in dextera sua, septem panibus, quibus Dominus turbas pauit, septem oculis super vnum lapidem, septem lucernis tabernaculi super vnum candelabrum positis, septẽ lotionibus Naaman, ea adumbrata esse existimentur: cùm ad septẽ etiã virtutes animos hominũ præparare videãtur. Baptismus enim est sacramentum fidei: confirmatio spei: Eucharistia charitatis: pœnitentia iustitiæ: extrema vnctio perseuerantiæ quæ perfectio quædam est fortitudinis: ordo prudentiæ: matrimonium temperantiæ. Ad septem etiam hominum genera accommodentur. Baptismus enim est intrantium in vitam: confirmatio pugnantium: Eucharistia vires resumentium: pœnitentia de lapsu resurgentium: extrema vnctio ex hac vita exeuntium: ordo, ministrantium: matrimoniũ nouos milites introducentium. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, ac in nouã vitam ingredimur: per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & corroborati, nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia: quòd si per peccatum in ægritudinem animæ inciderimus, præstò est pœnitentiæ remedium, quo spiritualiter sanamur. Porrò extrema vnctione, non solùm spiritualiter, verum etiam pro eo vt animæ expedit, corporaliter sanamur: per ordinem autem Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter: per matrimonium augetur corporaliter.

*Sacramentorum septenarius numerus. Vide Greg. Nazian. in orat. in sanctam pente. Esaiæ 11. Apo. 5. Apo 8. Apo. 2. Matt. 15. Zach. 3. Zach. 4. 4. Reg. 5. Sacramenta præparant homines ad septem virtutes. Quomodo accommodentur ad septem hominum genera.*

Summa itaq; ratione factum est, vt septenario numero sacramenta comprehenderẽtur: Ad quæ ritè perficienda tria requiruntur: res, tanquàm materia: verba, tanquàm forma: & ministri sacramentum conferentis persona, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Horum trium si desit aliquid, non perficitur sacramentum. Tria autem sunt sacramẽta, quę characterem imprimũt in anima, hoc est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctum, indelebile: Baptismus, confirmatio, & ordo, propterea iterari nõ possunt: reliqua verò quatuor, quoniam characterem non imprimunt, iterantur.

*In sacramentis requiruntur tria. Sacramento characterem imprimẽtia.*

## *De Baptismo.*
## CAP. XXXIIII.

ACC primum quidem locum inter sacramenta baptismus obtinet, quem fidei sacramentum esse diximus, quòd in eo Christianam fidem profitemur: qua etiã ex causa fidei sigillum ac tessera quædam Christiani militis vocatur à Basilio. Ante quem etiam Hermas Pauli discipulus aquã Baptismi, in quam descendũt homines morti obligati, ascendunt verò vitæ assignati sigillum vocat. Et auctor operis imperfecti in Mat. Baptismum vocat signaculum fidei. Tertullian etiam appellat lauacrum obsignationem fidei. Gregorius verò Nazianzenus causam etiam addit cur sigillum vocetur, quia conseruatio est, inquit, ac dominij significatio. Hoc est, vt Nicetas interpretatur, quoniã per eum cõsignati cuiusnam Domini sumus, cognoscimur, atque ab infidijs tuti conseruamur. Quod enim sigillo aliquo notatum est furum aggressioni minimè patet. Hæc est ianua sacramentorum omnium, in quorum communionem non admittuntur nisi baptizati: Hoc est nostræ iustificationis exterius ac visibile principium. Quamobrem Dionysius quoq; vocat illud principium sanctissimorum mandatorum, Nam per baptismum incipimus esse membra Christi & corporis eius Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium: & illius virtute primò fides datur omnibus. Est in hoc sacramento visibile signum, aqua materiæ locum obtinens: quod, accedente verbo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, quod verbum forma est huius sacramenti, fit signum sacrę rei, hoc est, inuisibilis gratiæ, quę non modò significatur, verum etiam confertur multiplex per aquam baptismi, sicut etiam varia est & multiplex aquæ proprietas. Ac prima quidẽ gratia, quæ & confertur & significatur per aquam baptismi est hæc, quòd qui nati eramus mũdo, renascimur cœlo: qui nati eramus serui peccati, renascimur liberi iustitiæ: qui nati eramus filij iræ, filij diaboli, filij gehennæ, renascimur filij gratiæ, filij Dei, hæredes regni cœlorum. Hoc est, quod Paulus baptismum vocat lauacrum regenerationis, dicens: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritussancti, quem effudit in nos abundè, per Iesum Christum Dominum nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ

*Li. 1. similitudine 9. Lib. 3. con. Emnc. & in exhort. ad baptis. & Hom. 5. in c. 4. Matt. Greg. Nazian. in orat. in sacrũ Baptis. Lib. de pœnitentia. Eccle. Hierar. c. 2.*

*Baptismi gratiæ multæ. Regeneratio. Rom. 6. Ephe. 2. 1. Pet. 3. ad Titum 3.*



æternæ. Quibus verbis indicat simul Paulus & causam nostræ salutis, & rationem, & modum, & finem. Causam esse dicit Spiritum sanctum, cui regenerationem hanc attribuit: sic enim edoctus erat à Christo, qui dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, non introibit in regnum Dei. Quem locum explicans Cyrillus Alexandrinus Gregorij Nazianzeni & Nysseni & Cyrilli Hierosolimitani sententiam sequutus: Cùm non simplex, inquit, sit homo, sed compositus ex corpore sensibili & intellectuali anima, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate sua ad vtrumque possit accõmodari. Spiritu enim sancto spiritus hominis, aqua verò corpus sanctificatur. Quemadmodum enim viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quàm ignis vrit, sic Spiritussancti operatione ad diuinã aquę reformãtur virtutem, qua baptizati, corpus abstergunt. Ambrosius quoq; Cùm ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat: & corpore: visibile p visibile inuisibile, per inuisibile mysteriũ consecratur. Aqua enim corpus abluitur, spiritu animæ delicta mũdãtur. Et alio loco, Impossibile, inqt, videbatur, vt peccatũ ablueret aqua, sed q; impossibile erat, fecit Deus possibile esse, qui tãtam nobis donauit gratiam. Chrysostomus, Quẽadmodum aquæ natura, quę fuit in Probatica piscina per se non sanabat, sed duntaxat cùm ab Angelo mouebatur: Ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cùm spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata. Cuius diligens sectator Theophilactus illum Euangelistæ locum explicans. Nisi quis renascatur ex aqua & spiritu, &c. Homo, inquit, cùm ex duobus constet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoque duplicem modum. Aqua enim si visibiliter accipiatur, ad corporis pertinet purificationem: Spiritus verò inuisibiliter concurrens ad inuisibilis animæ regenerationem pertinet. Quod si rogas, quomodo aqua potest generare. Interrogabo & ego, quomodo semen & ipsum aquosum existens potest in hominem transformari. Igitur sicut in corporali semine totum est gratiæ diuinæ: ita & in baptismate, aqua subdita est, & Spiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, imò DEI præsentia, Symbola enim sepulturæ & resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones triduanæ sepulturæ symbola sunt. Deinde regreditur homo sicut dominus fulgidior & clarior, in corruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit. De Syluestro Papa scribit Nicephorus, quòd baptizaturus Imperatorem Constantinum, sic eum fuerit allocutus: Hæc Imperator aqua diuina virtute per inuocationem viuificæ Trinitatis concepta, sicuti extra, corpus hominis abluit: ita etiam animam intra à sorde & inquinatione omni mundificans, splendidiorem solaribus radijs efficit.

*Salutis humanæ ratio. Ioan. 3. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 42. Naz. in ser. de baptis. Cyril. Cathe. 3 Amb. lib. 2. in cap. Lucæ. 3. Amb. lib. 2. de pœnitentia. Chrys. hom. 35. in Ioan. Nicep. lib. 7. Cap. 33. Vis aquæ baptismi.*

Quæ ergo gratia est in aqua, non ex natura est aquæ, sed ex præsentia Spiritussancti: qui tamen non ita causa est regenerationis & renouationis nostræ, vt non simul causa sit eius & pater & filius, cum inseparabilia sint opera Trinitatis. Et ideò tres personas hoc ponit loco Apostolus, in quarum vno nomine baptizat sacerdos: Non enim dicit in nominibus, sed in nomine patris, & filij, & spiritussancti: vt quorum vna est diuinitas, vna est largitio, nomenq; trinitatis, vnus esse Deus intelligatur: tres enim personæ Deus vnus est. Ac singulis quidem personis sua quasi propria tribuuntur: aliter enim causa est pater, aliter filius, aliter spiritussanctus. Pater est causa efficiens principalis, qui saluos nos fecit: filius meritoria, nam per sanguinis ac mortis eius meritum saluos nos fecit: per eum spiritumsanctum in nos effudit, misit eum in corda nostra, clamantem Abba pater. Huic ergo Paulus tribuit regenerationis & renouationis beneficium, cuius causa est spiritussanctus, ex quo & ex aqua renascimur. Deus itaq; trinus & vnus, ipse est, qui saluos nos fecit. Quibus autem rationibus adductus est, vt saluos nos faceret? Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, dicit Paulus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Sed & ad Israël dixit Moses: Scito quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc: Quid enim opera, quæ fidem præcesserunt, nisi pœnas ignis æterni merebantur? Facti eramus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: vt rectè cum Propheta nobis dicere licuerit: Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia nõ defecerunt misericordiæ eius. Verùm qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, misit Deus filium suum vnigenitum, vt sicut per Mosen exaltatus est in deserto serpens, sic ille exaltaretur in cruce, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.

*In nomine patris & filij & spiritussancti, & non in nominibus patris & filij & spiritussancti dicendum est. Rom. 8. Gala. 4. Tit. 3. Deut. 9. Esa. 64. Thren. 3. Ephe. 2. Ioan. 3.*

Neque tamen satis esse voluit credere: sed adipiscendæ salutis, & ad vitam æternam perueniendi, ac in Dei regnum introeundi nobis modum hunc præscripsit, vt fide susceptа renascamur ex aqua & spiritu. Regenerationis itaq; nostræ causam instrumentalem aquam esse baptismi voluit, quòd ad illam repræsentandam nihil aptius aqua reperiri potuit, cui generandi vis conuenire maximè videtur. Nam & semina ex quibus generantur omnia, non ipsa magis animantia quàm plantæ, humida sunt & ad aquam pertinent. Qua etiam ex causa non defuerunt Philosophi quidam, qui rerum omnium principium aquam esse dicerẽt. Quare cùm aqua baptizatur homo, nõ modò significatur, verùm etiã cõfertur ei regenerationis gratia: vt qui natus fuerat filius iræ, ex aqua & spiritu renascatur filius gratiæ.

*In baptismo cur aqua adhibeatur.*

Vim autem hanc regeneratiuam & purgatiuam aquis tactu suæ mundissimæ carnis Christum contulisse, testatur Augustinus cùm dicit, Quia per vniuersum mundum Sacramentũ Baptismatis humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alucum vnica ac singulari pietate descendit. Tunc enim Christum Dominũ, non tam lauit vnda, quàm lota est. Ambrosius quoq; baptizatus est, inquit, Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quę peccatum nõ cognouit, baptismatis ius haberent. Et alio loco. Ideò baptizatur Christus non vt sanctificetur ab aquis, sed vt aquas sanctificet, & purificatione sui purificet fluenta illa quæ tangit. Consecratio. n. Christi, consecratio maior est elementi. Cùm enim saluator abluitur, iam tum

*Aquæ virtus purgandi vnde. Augu. Ser. 29. & 36. de tempore. In cap. 3. Lucæ. Serm. 18. Serm. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Beda in lib.1.c.10. in Lucam.* in noſtrum baptiſmum tota aqua mundatur,& purificatur fons, vt ſecuturis poſtmodum populis lauacri gratia miniſtretur. In eandem ſententiam pleraque ſcribit in ſequenti ſermone. Et eos ſequutus Beda: Saluatoris enim baptiſmo purgata ſunt potius fluenta, quàm vt ipſum purgarent: ac nouo ſanctificationis genere Chriſtum non tam lauit vnda, quam lota eſt: atque ex quo tempore ſe in aquam merſit, ex eo gurgitum omnium tractus, cunctorumq; fontium venas myſterio baptiſmatis conſecrauit, vitalemq; gratiam non corpus ex flumine, ſed flumen mutuatum eſt ex corpore. Et qui præceſsit Bedam, Maximus Taurinenſis Epiſcopus: Quod verò fluentis Iordanis baptizatur Ieſus, aquæ noſtro baptiſmati conſecrantur. Et paucis interiectis: Baptizatur ergo Ieſus non ſibi, ſed nobis: Baptizatur, nõ vt purificetur aquis, ſed vt aquas ipſe purificet: Baptizatur nou⁹ homo, vt noui baptiſmatis cõſtituat initiũ. Et iterũ: Dominus noſter Ieſus Chriſtus vel tactu corporis ſui, vel tranſitu.

*Aqua Chriſti baptiſmo ſanctificata ſanctificat.*

*Hom.7. in Epiph.*

gloriæ ſuæ omnem ad momentum creaturam ſanctificat, viuificat, & illuſtrat. Aquas enim conſecrat, dum baptizatur: terram ſanctificat, dum ſepelitur: mortuos ſuſcitat, dum reſurgit: cœleſtia glorificat, dum aſcendit in cœlum. Chromatius quoq; in libello de octo beatitudinibus, Chriſtus inquit Baptizari dignatus eſt, non vt peccata deponeret, qui peccatum ſolus non fecerat, ſed vt aquas baptiſmi ſanctificaret ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ baptiſmi purgare peccata potuiſſent, niſi tactu dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent. Et paucis interiectis. Baptizauit quidẽ Ioannes Dominũ ac Saluatorẽ noſtrũ, ſed potius baptizatus ille à Chriſto eſt. Quia ille aquas ſanctificauit, hic aquis ſanctificatus eſt: Ille gratiã donauit, hic accepit, hic peccata depoſuit, ille remiſit. Quia hic homo, ille Deus, Dei.n.eſt peccata remittere. Greg. Nazianz. in oratione, quã habuit in Chriſti Natiuitatem. Videbis, inquit, Ieſum in Iordane meam expurgare purificationem, vel potius purificatione aquas ſanctificantẽ. Idem repetit in ea quæ ſequitur oratione, & in Priori Oratione de Filio. Et eius diſcipulus Hieronymus: Ipſe, inquit, D.N. Ieſus Chriſtus qui non tam mundatus eſt à lauacro, quàm lauacro ſuo conuerſas aquas mundauit. Et auctor operis imperfecti in Matthæum, quod Chryſoſtomo tribuitur. Venit, inquit, Ieſus ad baptiſmum, non vt ipſe remiſsionem peccatorum acciperet per baptiſmum, ſed vt ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodum Baptizandis. Optatus quoque: Caro Chriſti ipſo Iordane ſanctior inuenitur, vt magis aquam ipſam deſcenſu ſuo mundauerit, quàm ipſa mundata ſit. Et Apponius miratur, inquit, Ioannes, cùm videt Chriſtum propter aquarum ſanctificationem ad baptiſmum venientem. Et Bernardus, Baptizatus non te in aquis, ſed aquas in te ſanctificas, vt per eas ſanctificares nos. Qua de re ſi cab Euſebio Emiſſeno ſcriptum legimus: In Iordanis alueo aquas omnibus gentibus ad ſalutem humani generis ſuo baptiſmate conſecrauit: eas enim ille omnibus aquis purior, non tam ſanctificãdus quàm ſanctificaturus intrauit. Quẽ ſecutus Leo Pontifex, ait: Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in ſolo beatæ virginis partu germen edidit benedictum & à vitio ſuæ ſtirpis alienum: cuius originem ſpiritualem in regeneratione quiſq; conſequitur, & omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu ſancto replente fontem, qui repleuit & virginem: vt peccatum quod ibi vacuauit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio. Et proximè in ſequenti ſermone: Niſi verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis, niſi in communionem creaturæ creator ipſe deſcenderet, & vetuſtatem humanam ad nouum principium ſua natiuitate reuocaret, regnaret mors ab Adam vſq; in finem, & ſuper homines inſolubilis condemnatio permaneret, cum de ſola conditione naſcendi vna cũctis eſſet cauſa pereundi. Solus itaq; inter filios hominum Dominus Ieſus innocens natus, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione ſuſceptus, factus eſt homo noſtri generis, vt nos diuinæ naturæ poſſemus eſſe conſortes. Originem quam ſumpſit in vtero virginis, poſuit in fonte baptiſmatis: dedit aquæ, quod dedit matri: virtus enim altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem: eadem fecit vt regeneret vnda credentem. Inde eſt q; matrem filiorum ſiue matrem adoptionis, vocat aquã baptiſmi Dionyſius.

*De octo beatitudinibus.*

*Ioan.1.*

*Cap.2.Eccl.Hierarchiæ.*

Hæc eſt itaq; prima gratia, cuius ſignum efficax eſt, quamq; nobis re ipſa confert aqua baptiſmatis, regeneratio ſpiritualis: qua iuſtificati hæredes efficimur ſecundùm ſpem vitæ æternæ, qui finis eſt regenerationis huius, quam præcedit ablutio peccatorum, quę & ipſa eſt inuiſibilis gratia, cuius viſibile ſignum, & quidem efficax, eſt baptiſmus: Propterea vocatur à Paulo lauacrum, non hoc tantum loco, quem nunc explicauimus, verùm etiam cùm ad Epheſios ſcribens dicit de Eccleſia, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Hæc eſt aqua illa, de qua Propheta prædixit: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Hic eſt ille fons, de quo narrat alius Propheta: In die illa erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Huic ablutioni ſignificandæ quid eſſe potuit magis accommodum, quàm aqua, per quam ſordes corporis abluuntur.

*Ablutio peccatorũ.*

*Eph.5.*

*Ezech.36.*

*Zach.13.*

*Baptiſmi effectus.*

Datur itaq; baptiſmus in ablutionem, remiſsionem, & indulgentiam omnium peccatorum. Quod ita intelligi vult Auguſtinus, vt auferre credatur crimina, non radere. Nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcãt iterũ reſecãda peccata. Cæterùm quamuis, vt idem ait Auguſtinus, omnia peccata baptiſmus abluat, & quidẽ prorſus omnia, dictorũ, factorũ, cogitatorũ, ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt, non tamen aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur: conſentit autem, quando ſicut homo in aliquo delicto præoccupatur. Deleta eſt igitur per baptiſmum iniquitas, ſed manet infirmitas. Porrò infirmitas hæc, eſt concupiſcentia carnis, quæ dimittitur quidem in baptiſmo, verùm non ita vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Nam cùm ſine aduerſario marceſcat virtus in hoc relinquitur, vt habeat homo baptizatus materiam,

*In oratione in Theophania.*

*Hom.in 22.Pſal.*

*Cont. Luciferianũ.*

*Hom.4.in c.Mat.3*

*Baptizatus cur ſit Chriſtus.*

*Optat.lib.1.*

*Appo. in commentarijs in Cantic.*

*Bern.in ſer. de paſſione domini qui ſermo à nonnullis Anſelmio aſcribitur.*

*Hom.1.de Epiph.*

*Sermo.4.de natiuitate domini.*

*Gen.3.*

*Contra duas epiſ. Pelag.lib.1.c.13. & lib.3.c.3.*

*2.Tit.4.*

*Gala.6.*

*Baptiſmo infirmitas non tollitur.*

*Concupiſcentia manens poſt baptiſmũ, peccatum figurat et vocatur, ſed nõ eſt.*



teriam, virtutem ſuam, exercendi. In huius figura dictum eſt in libro Iudicum: Hæ ſunt gentes: quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & haberent conſuetudinem præliandi.

Vocatur autem hæc concupiſcentia peccatum, non vtiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato primi hominis facta eſt: ſicut ſcriptura manus cuiuſq; dicitur, quòd manus eã fecerit: ſiue etiam quòd peccandi delectatione moueatur, etſi ei vincente delectatione iuſtitiæ non conſentiatur. Quamobrem & Paulus de hoc peccato ſcribens non dixit, non ſit, ſed non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Quia quamdiu corpus noſtrum mortale, hoc eſt, neceſsitati mortis addictum eſt, fieri non poteſt, quin ſit in illo fomes concupiſcentiæ, qui minus quidem propriè, ſed peccatum tamen vocatur.

*Roma.6.*

Quoniam verò per baptiſmum, in quo vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, virtus peccati, ſic eſt debilitata, regnum vt illius prorſus eſſe ſublatum videatur: moner, Paulus, vt omni cura prouideamus, ne quod ſemel amiſit regnum recuperet. Nam quod habemus concupiſcentiam, nihil ex eo nobis damnationis eſt: cæterùm ſi ſeruiamus illi, ſi regnum illius feramus, ea demum res reos nos facit æternæ damnationis. Quamobrem haud aliter ſe habet baptiſmus ad refrigerãdum æſtum concupiſcẽtiæ, quàm ſe habet aqua ad calorem nimium temperãdum: vt aptè admodum & appoſitè huius quoque rei ſacræ, hoc eſt, inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum aqua baptiſmi dicatur, & quidem ſignum efficax.

*Rom.6.*

*Concupiſcentiæ refrigeratio.*

Remiſsis autem peccatis, à quibus abluimur per aquam baptiſmi, conſequens eſt, ſimul vt remittatur pœna, quæ peccatis debetur: quod & ipſum fit per aquã baptiſmi. Sicut enim elementum aquæ flammas huius ignis temporalis extinguit, ſic & illa delet incendium ignis æterni. Hoc enim perſuaſum eſſe debet omnibus in Chriſtum credentibus, quod à Paulo ſcriptum eſt: In baptiſmo Chriſto nos commori, atq; haud aliter paſsionis eius & mortis participes fieri, quàm ſi paſsi ipſi & mortui eſſemus. Quoniam verò paſsione ſua Chriſtus pro peccatis totius mundi ſatisfecit, poſteaquàm per baptiſmum ipſius mẽbra facti ſumus, haud aliter ac magis etiam hac ſatisfactione Chriſti liberamur à pœnis omnibus, quæ peccatis noſtris debebãtur, quàm ſi ipſi pœnas eaſdem ſuſtinendo pro illis ſatisfeciſſemus. Quod tamen de ſolis æternis pœnis intelligi debet: has enim & non alias morte ſua Chriſtus aboleuit. Pamem autem, ſitim, & alia corporis incommoda, morbos etiam, quin & mortem ipſam, qua ſeparatur à corpore anima, minimè ſuſtuliſſe morte ſua Chriſtus credendus eſt: Nã poſt acceptum etiam baptiſmum, eq; ſumus ijs malis obnoxij, atq; anteà fuimus, quoad in corpore mortis huius verſamur: poſteaquam verò corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, tũc ab ijs quoq; malis omnib. erimus liberati.

*Pœnæ æternæ remiſsio per baptiſ.*

*Cõperatio elegans.*

*Rom.6.*

*Pœnas æternas & non temporales mortesua Chriſtus abolet.*

Habet hoc quoq; natura aquæ, clara vt ſit & perſpicua. Qua ratione cumprimis eſt idonea ad ſignificandum ſplendorem iuſtitiæ, qui baptizatis infunditur: eius iuſtitiæ, quæ virtutes in ſe continet oẽs, qua renouatur homo, nõ vt iam idem ſit, qui prius fuit, verùm à ſordibus peccatorum ablutus, omnium virtutum ſplendore fiat illuſtris: quod quidem fit domino Spiritus ſancti, quem gratiarum & virtutum omnium largitorem accipimus in baptiſmo, remiſsionem peccatorum conſequuti. Quod illa Petri verba indicant, dicentis: Baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.

*Iuſtitiæ quæ virtutes in ſe continet omnes fuſio.*

*Act.2.*

Confertur & hæc in baptiſmo gratia, quòd qui de eo egreditur, illi ianua regni cœleſtis aperitur. Quam etiam ob cauſam, eum clauem cœlorum vocat Gregorius Naziãzenus. Applicatur enim baptizato virtus paſsionis Chriſti, per quam, quæ fuit antea clauſa, cunctis fidelibus ianua regni cœleſtis eſt aperta. Huic virtuti Chriſti paſsionis impiè detrahunt, qui non dubitant affirmare, etiam poſt paſſum Chriſtum & mortuum, non peruenisſe quemq; ſanctorum ad regnũ cœlorũ. Quod ſi concedi debeat, nihil nobis fructus attuliſſe videbitur Chriſti paſsio, ſi non meliore nunc ſumus cõditione poſt profuſum illius ſanguinem, quàm fuerunt ſancti Patriarchæ & Prophetæ, qui paſsionem illius & mortem præceſſerunt.

*Cœli apertio.*

*Eph.4.*

*Sancti poſt mortem in cœlo ſunt.*

Habemus ergo iam, quàm varia ſit & multiplex gratia, cuius aqua baptiſmi ſignum eſt, & quidẽ efficax: verùm quo nobis hæc ordine conferantur, breuiter explicemus. Primò, quoniam iniquitates noſtræ ſunt, quæ diuidunt inter nos & Deum, quæ nos ab illo ſeperant & elongant. (nam odio Deus habet impium & impietatem eius) reconciliari cum eo neceſſe habemus. Quod fit, quando pro foribus templi ſtantes, neq; nos illius ingreſſu dignos iudicantes, abrenunciamus Satanæ, operibus eius, atq; nos in Chriſtum credere, in illo fiduciam noſtrã oẽm collocare, illi tota mẽte nos adhærere velle profitemur. Qua profeſsione facta, quo planum ſiat omnibus reconciliatum nobis eſſe Deum, accedimus ad aquam baptiſmi: qua cùm abluimur, indubitatum ſignum accipimus, nos cum Deo patre per mortem filij eius reconciliatos, atq; haud aliter à peccatis omnibus ablutos, q̃ ab inquinamentis ablui corpus aqua conſueuit: neq; ſecùs per baptiſmum ignis æterni pœnas, quę peccatis noſtris debebantur eſſe deletas, quàm extingui flammarum incendia, per aquam videmus: ita vt plenè iam ſimus & culpæ & pœnæ remiſsionem conſequuti.

*Gratiarum quæ in baptiſmo conferuntur, ordo & ratio.*

*Eſa.50.*

Neq; vero finibus his clauditur diuina in nos miſericordia. Nõ ſatis habet poſt factam reconciliationem nos à peccatis mundaſſe, & ea nobis vnà cum pœnis illis debitis clementer condonaſſe: verùm omne gratiarum genus nobis infundens, quo poſsimus in conſpectu illius grati eſſe, iuduit eum, qui baptizatur, nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate. Nouus hic homo Chriſtus eſt, de quo Paulus ait: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Hunc induimus in baptiſmo, ſicut idem teſtatur, dicens: Quicunq; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Quid hoc eſt, Chriſtum induiſtis? Facti eſtis hoc, quod Chriſtus eſt. Quid eſt Chriſtus? Eſt filius Dei: Quod ille natura eſt, hoc vos per grã-

*Induere nouũ hominẽ & Chriſtũ quid: Eph.4. Rom.13. Gal.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Comparatio.*

tiam adoptionis facti estis filij Dei. Christus est hæres regni cœlorum, vos quoq; non vestro, sed illius merito facti estis hæredes regni cœlorum. Qui veste aliqua induitur, protegitur & contegitur ea, & apparet sub colore vestis eius, occultato colore proprio. Ad eundē modū qui Christum induitur, protegitur, & contegitur à Christo, neq; iam apparet in eo peccatum, quod fuit antè, sed sola iustitia & innocentia Christi. Et sicut lignum accensum induitur ignem, & virtutis eius fit particeps: ita baptizatus in Christo Christum induitur, & virtutum eius fit particeps. Non amplius dicitur filius Adam, neq; reus est deinceps peccati eius, verùm dicitur filius Dei, frater Christi: dicitur hæres Dei, cohæres Christi: dicitur sanctus, innocens, immaculatus, non suam, sed Christi iustitiam indutus, hoc est, non quam à seipso habet, quamve suo merito consequutus, sed quam à Christo acceptam illius meritis est adeptus. Neq; enim audiendi sunt, qui nos ea iustitia, qua Christus ipse iustus est, iustos dici volunt: Quin illud potius modis omnibus est tenendum, Christi quidem iustitia nos iustos esse, verùm non ea, qua ipse iustus est, sed ea, quam nobis impertit, qua nos ipse iustos facit: qua donati ab eo renouamur spiritu mentis nostræ, ac non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus. Neq; enim existimandum est nihil aliud nos in baptismo, quàm remissionem peccatorum consequi: renouamur præterea, atq; vt Paulus vocat, noua quædam creatura efficimur.

*Iustitia Christi, quam nobis impertit. iusti sumus: non Christi iustitia, qua ipse iustus est.*

*Ephe.4.*

*Noua creatura quid.*

*Gal.6.*

*Cyp. lib.2. Epist.2.*

*Optat.lib.5.*

*Ad Seuerū epi.12.*

Neq; verò aliud est noua creatura, quàm fides charitate formata, quæ cum baptizamur, per Spiritum sanctum, qui datur omnibus renatis, diffunditur in cordibus nostris, & nobis inhæret. Quamobrem à Cypriano, & qui eum secutus est, Optato, baptismus non modò mors criminum, verumetiam vita vocatur virtutum, quòd in eo iustitia, quæ virtutes in se continet omnes, baptizatis infunditur. Quod eleganti quodam carmine sic expresit Paulinus. Culpa perit, sed vita redit, vetus interit Adam, & nouus æternis nascitur imperijs. Manet quidem post baptismum eadem compago corporis, quæ fuit antè, sed sepulta peccatorum vetustate mens nominis renouatur, & ad integritatem naturæ quodammodo reditur. Itaque non dubitauit Chrysostomus affirmare, quem abluit baptismus, Solis radijs eum habere mentem puriorem, & qualis erat iam olim dum conderetur: imò hac illustriorem, quod per illud etiam radicale peccatum euelli patet: vt tu ferrum aurumve recoquendo purum nouum q; facis: ita Spiritus ille sanctus in baptismo velut in fornace recoquit mentem, & peccatum consumendo quolibet auro purius splendentem reddit. Propterea Paulus hoc sacramentum vocat lauacrum regenerationis, & renouationis, in quo adeò mutamur ab illis qui fuimus antè, vt veterem hominem cum suis actibus expoliantes, diuinæ naturæ consortes efficiamur, filijq; Dei nominemur & simus: Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Posteaquàm enim in baptismo Christum induimus, debemus sicut ipse ambulauit, & nos ambulare: & cùm illum oportuerit pati prius, & ita intrare in gloriam suam, non debemus meliore conditione esse velle, quàm fuerit ille, qui principalis est hæres, cuius merito factū est, vt & nobis eiusdem regni cœlestis hæredibus esse liceret, vt sine vllis operibus, sine vllo labore nostro aut molestia, hæreditatem hanc assequi nos posse credamus. Præclarè Paulinus: Tolle crucem, si vis auferre coronam. Si quid autem aut facere nobis, aut pati pro Christi nomine contigerit nemini dubium esse debet, quin id nobis iam regeneratis & renouatis, iam Christi corpori insitis, iam in Dei filios adoptatis, ad promerendam hæreditatem illius æternæ gloriæ sit vel maximè profuturum.

*Tit.3.*

*Col.3.*

*2.Pet.1.*

*1.Ioan.3.*

*Luc.24.*

*Merita nostra.*

*Rom.8.*

*2.Cor.4.*

*Colo.1.*

Est quidem ita, quòd non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, sed nihilominus, quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur. Tolle sublimitatem hanc, ad quā nos Deus benigitate sua prouehere dignatus est, qui nos in filiorum suorum numerum adoptauit: qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum: qui diuinæ suæ naturæ consortes reddidit: quis ambiget, quin omnes labores, omnes passiones & tribulationes nostræ, quoniam sunt huius temporis, leues & momentaneæ, neq; ad futuram gloriam, quæ sempiterna est, sint condignæ?

*Meritorum compēsandi ratio duplex.*

Cæterùm duplici ratione meritis operum, quæ fiunt à regeneratis & renouatis, deberi cœlestia præmia dicimus: primùm ex Dei promisso liberali, qui fallere nescit: deinde ex ea dignitate, quam regeneratis nobis præter omne meritum nostrum conferre dignatus est. Christum enim induimus in baptismo: quod ille natura est, per adoptionis gratiam filij Dei facti sumus. Quare si Christum induimus, quæ proficiscuntur à nobis opera tanquā Christi opera placere Deo, neq; secùs ab illo acceptari persuasum habere debemus. Et sicut Paulus dicit: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus: ita & nos post acceptam regenerationis gratiam dicere possumus: Operor autem iam nō ego, operatur verò in me Christus: mereor iam non ego, meretur in me Christus: satisfacio iam non ego, satisfacit in me Christus. Huius enim vita viuimus, huius merito meremur.

*Operum nostrorum dignitas.*

*Gala.2.*

Ex quo videre licet, quemadmodum Christi gloriam obscurare, crucē euacuare, & sanguinis eius precium imminuere conantur, qui vitæ, qua viuit Christus in nobis, qui meritis operum, quæ operatur in nobis, omnem dignitatem atq; omne præmium ademptum cupiunt. Reuera, si ipsa opera ex se metiare, momentanea sunt, leuia sunt, non sunt condigna ad futuram gloriam, quæ æterna est: Rectè enim illud dictum est, quod finiti ad infinitum nulla est proportio: Sed si consideres immensum illud precium sanguinis Christi, quo respersa sunt, ex quo meritum habent omne illius, dignitati derogaueris, quantum operibus derogaueris. Si spectes etiam ea tanquàm ab Adæ filio profecta, in quo mortui sumus oēs, quamlibet iusta, quamlibet in speciem sancta videantur, haud aliter tamen apparebunt in conspectu Dei, quàm pannus menstruatæ. Si verò contempleris ea tanquàm à filio Dei, tanquā ab eo



eo profecta, qui Christum induit, in quo Christus viuit, in quo Christus operatur, non iam hominis, verùm Christi meritis detraxeris, si nullum eorum esse meritum dixeris.

Hæc nos ideò fusius aliquantò duximus explicāda, planum vt omnibus faceremus, quantum sit discrimen inter opera regeneratorum, qui Christum induti sunt: & eius corpori insiti: atq; infidelium, qui sunt adhuc filij iræ, filij diaboli. Illis Deum diligentibus, omnia etiā peccata cooperantur in bonum, vsq; adeò prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant, & exorbitent, etiam hoc ipsum scribat Augustinus facere Deum, vt eis proficiat in bonū: quia humiliores redeunt, & doctiores. Sicut etiam à Propheta dictum est: Cùm ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam: His contrà, etiam quæ rectè facta vidēbuntur, magis adeò ad damnationem, quàm ad gloriam æternam profecerint. Nulla enim iustitia extra Christum, nulla sunt extra fidem eius rectè facta: abominatio sunt apud Deum, quæcunq; fiunt ab ijs, qui non credunt in eum. Quamobrem non mediocria bona sunt, quæ nobis baptismus affert. Per illum reconciliamur cum Deo: reconciliatis & culpa & pœna omnis peccatis debita remittitur: postquam remissa sunt nobis peccata, regeneramur & renouamur infusa nobis fide, spe, & charitate, quæ dicitur iustitia Christiana: neque iam deinceps filij Adæ, sed filij Dei nominamur & sumus: Si filij, & hæredes: hæredes autem secundum spem vitæ æternæ, quam nos assequuturos certò persuasum habemus, si vel baptizati statim ex hac vita excesserimus, vel post baptismum ambulauerimus dignè Deo, Deo per omnia placentes: & abundauerimus in omni opere bono: sciētes quòd labor noster nō est inanis in domino, cùm bonorum laborum gloriosus sit fructus, neq; iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis nostri & dilectionis, quam ostenderimus in nomine ipsius.

*Lib.2. de correptione & gra.c.9.*

*Psal.37.*

*Rom.8.*

*Baptismi bonorum epilogus.*

*Rom.8.*

*Colo.1.*

*1.Cor.15.*

*Sapien.3.*

*Heb.6.*

Cyrillus recensens ea bona, quæ nobis adfert baptismus, vocat eum captiuitatis liberationem, peccatorum remissionem, mortem peccati, animæ regenerationem, vestimentum cādidum, signaculum sanctum, & indelebile, currum ad cœlum, delicias Paradisi, regni cœlestis conciliationem, charismaq; adoptionis filiorum. Ante quem etiam Gregorius Nazianzenus: Baptismus, inquit, splendor est animarū, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deū interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum, Baptismus carnis est abiectio, spiritus assectatio, verbi participatio, figmenti instauratio, peccati diluculum, lucis communicatio, tenebrarum depulsio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis Regni clauis, vitæ commutatio, seruitutis abrogatio, vinculorum solutio, compositionis, & coagmentationis nostræ in meliorem statū conuersio. Quid plura commemorare attinet, Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum.

*In procatechesi Catecheseon.*

*Baptismi nomina diuersa.*

*Orat.in sacrum Baptisma.*

Atque hæc quidem de eo, cuius inuisibilis gratiæ visibile signum sit baptismus, dicta sufficiant. Visum est autem, quandoquidem offenduntur fortasse nonnulli verbis illis nostris. Quid enim opera, quæ fidem præcesserunt, nisi pœnas ignis æterni merebantur? quo sensu producta sunt à nobis explicare. Fortasis enim sic accipiūtur à nonnullis: quasi nos omnia opera, quæ facta sunt ante fidem, quamlibet ea sint laudabilia, peccati rationem habere doceamus: & quidem talis peccati, quod hominem æterni supplicij reum faciat. Cum tamen constet, esse quædam opera fidem præcedentia eius generis, vt præparent ac disponant hominē ad gratiam: qualia Cornelij fuisse creduntur. Quod nobis negare, cùm hæc scribere mus, nunquàm in mentem venit, cùm in cap.73. & sequenti, copiosius etiam de illis tractauerimus. Concedimus itaq; libenter, etiam ante fidem esse quædam opera, quæ præparant hominem & disponunt ad gratiam: sed ea tamen eius generis esse non concedimus, vt mereantur gratiam: multominus, vt mereantur eam, quæ & ipsa gratia est, vitam æternam: vt ex eo satis liquere possit, quod ante fidem, nullum est meritum (de merito loquimur mercedis æternæ) nisi supplicij. Non quòd non sint opera quædam ante fidem, quæ scholastici vocant ciuiliter bona, quæ nonnunquàm disponunt ad gratiam: sed quod infidelitatis peccatum tantum est, vt sub hoc vno quasi generali nomine, putet Augustinus omnia peccata contineri: vsque eo etiam, vt quæ bona videntur opera, si fiant ab infideli, peccata esse doceat: quòd omnis infidelium vita peccatum sit. Porrò stipendium peccati mors: vt nō possit non esse verum, quòd ante fidem, nullum sit nisi supplicij meritum. Et hoc est, quod ab Augustino scriptum legimus: Quæ sua merita iactaturus esset liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Et iterum. Quid merebaris peccator? Contemptor Dei, quid merebaris? Vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit tibi nisi supplicium. Et iterum alio loco: Vna erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur. Et paucis interiectis. Si Dominus retribuere vellet, nihil nisi pœnam debitam retribuisset. Et alio loco: Attenduntur opera tua, & inueniuntur mala. Si quod debetur istis operibus, Deus redderet, vtique damnaret. Et alio loco: Nihil præcesserat in meritis nostris, nisi vnde damnari deberemus. Et iterum alio loco: Si aliqua bona opera tua præcesserunt, precium accepisti, non gratis, precium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Itaq; neq; Catonis, neq; Photionis, neq; Aristidis, quamlibet ij fuerint iustitiæ laude celebres, eius generis opera fuerunt, vt illis ex hac vita migrantibus aliud deberetur, quàm æternum supplicium. Cùm certissimum sit illud axioma, quod sine fide mediatoris Christi, nullus mortalium vel ante legem, vel sub lege, vel sub tempore gratiæ, saluus factus sit, aut saluus aliquando fieri possit. Hæc fuit, & est sententia nostra. Libenter enim confitemur, quicquid est in nobis meriti, quod id non aliundè sit, quàm ex Christi crucis, & mortis merito. Itaque si quis in Christum pro nobis crucifixum & mortuum non credit, si quis in illo fiduciam suam omnem collocatam non habet, indubitanter asserimus, quòd is æternum supplicium mereri potest, æternam gloriam mereri non potest, cùm Christi meritum sit omne meritum nostrum:

*De operibus fidem præcedentibus.*

*Act.10.*

*Infra cap.73.*

*Tract.89. in Ioan. & contra duas epi.*

*Pelag.lib.3.c.3.*

*Lib.4.con.Iul.c.3*

*Epist.105.*

*In Psal.144.*

*De verbis Apost. ser.11. in Psal.94.*

*In Prologo. Psa.31.*

*In Psal.18.*

*In Psal.70.*

*Canone 2.*

*Petrus Lombar. lib.3.sent. dist.25.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



strum: Illius enim crucis & mortis merito, meremur quicquid meremur. Quem cùm semel induerimus in baptismo, ipse est, qui viuit in nobis, ipse est, qui operatur in nobis, ipse est, qui meretur in nobis. Tolle crucis & mortis eius meritum ex operibus nostris, quid aliud erunt omnes iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? Quamobrem, sicut ante fidem nullū esse tale meritum persuasum habemus, cui merces æterna debeatur: sic eorum cæcitatem satis mirari non possumus, qui regeneratorum & fidelium operibus meritum omne detrahere conantur. Videntur enim ij non intelligere, se non hominum, sed Christi, quem induimus in baptismo, viuentis & operantis & merentis in fidelibus, meritis detrahere, & quantum in ipsis est, crucem eius & mortem euacuare.

*Esa. 64.*

## *De Suscipientibus baptismum.*

## CAPVT XXXV.

*Baptismi necessitas. Ioan. 3.*

EX omnibus Ecclesiæ sacramentis, nullum est æquè cunctis necessarium atque baptismus, sine quo aut eius voto nihil est, quod quisquam salutem se consequi posse speret. Clara enim sunt & aperta Christi verba, dicētis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Cuius hæreditatem quisquis adire cupit, necesse est, vt ab eo statu, in quo natus est filius primi Adæ transferatur in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Iesum Christum saluatorem nostrum. Quæ translatio, quoniam, vt diximus, in baptismo fit, ad assequendam illam æternam gloriam, apprimè cunctis est necessaria. Quamobrem ferendus non est error hic nostri seculi Pelagianorum, qui contra clarum & apertum Dei verbum, contra communem totius Ecclesiæ sensum & consensum asseuerare non dubitant, paruulos fidelium hoc solo, quòd filij sunt fidelium, regnum cœlorum consequi. Contra quorum errorem sic iam inde à multis seculis ab Augustino scriptum est: Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari omninò non posse. Nec illud mouere quemquā debet, quòd Paulus sanctos vocat fidelium filios. Nam & si de baptizatis hoc rectius intelligi possit: tamen, si non de baptizatis etiam accipiatur: sancti videntur appellari, quemadmodum & à Tertulliano, & ab Hieronymo legimus annotatum: quoniam candidati sunt fidei, & nullis idololatriæ sordibus polluti: Sicut & vasa sacra in tabernaculo legimus & cætera, quæ ad ritum cæremoniarum pertinent: cum vtique sancta esse non possint, nisi ea, quæ sentiunt & venerantur Deum. Sed quocunque tandem modo sanctificati, vel sancti, in eo Pauli loco accipiantur: tenenda tamen est illa Augustini sententia: Quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione, & sacramentis efficiantur fideles. Nam nec coniuges in fideles, quamlibet sanctis & iustis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à Regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisque procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint Baptizati: pro quibus tanto impensius loqui debemus, quanto pro seipsis minus possunt. Verùm idem illi contra sanctorum patrum omnium & Ecclesiæ totius receptum sensum, non verentur illa Christi verba. Nisi quis renatus fuerit ex aqua: non de aquæ elemento, verùm de mortificatione accipi debere, affirmare. Huc audaciæ atque amentiæ progressi sunt homines inflati sensu carnis suæ, & non tenentes caput, dum sibi licere volunt iuxta priuatum spiritum suum scripturas interpretari. Gaianam hanc hæresim Tertullianus vocat factione Quintillæ exsuscitatam, quam etiam ante Tertullianum, Irenæus notauerat. Augustinus verò de Seleucianis vel Hermianis scribit, quòd baptismum in aqua non accipiunt. Sed nos repudiatis horum tam crassis erroribus, cum Christo capite nostro, & cum eius corpore Ecclesia dicamus & sentiamus, quòd nisi quis renatus fuerit ex aqua visibili, & spiritu inuisibili, nō potest introire in regnum Dei. Qua tamen de re sentiendum est & illud, quod ab Augustino scriptum est: Baptismi vicem, inquit, aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in Paradiso, non leue documentum beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans inuenio, non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conuersionemq; cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Nec enim latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit: Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cùm mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Qui etiam alio loco: Quicunque, inquit, non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum id eis valet ad dimittenda peccata, quantum si ablouerentur sacro fonte baptismatis. Et iterum alio loco: Latro ille non ante Crucem Domini sectator, sed in Cruce confessor de quo nonnunq; præiudicium captatur siue tentatur cō: tra Baptismatis Sacramentum à Cypriano Sancto inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizatur, quod plerisq; non baptizatis feruente persequutione euenit. Tanto nanque pondere appensum est, tantumq; valuit apud eum, qui hæc nouit appendere, quod confessus

*Baptismus omnibus & fidelium proli- bus necessarius est. Epist. 28.*

*Tertul. de Monogamia. Hieron. in Epist. ad Paulinum. 153. Aug. de peccatorum meritis & remiss. lib. 3. c. 12.*

*Ioan. 3.*

*Tertul. in lib. de Baptismo. Aug. de Hæresibus. Hæresi. 59.*

*Lib. 4. de baptismo Cont. Donat. c. 22. Luc. 23. Cypr. ad Iubaianū de Hæret. rebapt.*

*Rom. 10.*

*Lib. 13. de Ciui. Dei cap. 7.*



fessus est Dominum crucifixum, quàm si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit &c. Quamuis paucis interiectis. Non incredibiliter dicitur, inquit, latronem qui tūc credidit iuxta Dominum crucifixum, aqua illa quæ de vulnere lateris eius emicuit, tanquam sacratissimo Baptismo fuisse perfusum.

*Aug. de Anima & eius Origine lib. 9 cap. 9.*

Ex quibus Augustini verbis triplicem esse baptismum patres nostri collegerūt, flaminis, fluminis, & sanguinis: quem vltimum eminentiorem esse docet Origenes, eo, qui per aquā traditur. Quo baptismo baptizatam Emerentianam fuisse scribit Ambrosius. Qua de re Clemens quoque scribit his verbis: Qui martyrium consequi meruit, gaudeat in Domino, quòd tantam Coronam est adeptus, & per confessionem diem clausit extremum: ac quamuis fuerit Catechumenus, letus discedat, passio enim quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, quoniam reipsa cōmoritur Christo, alij in figura. Tertullianus, Sordes, inquit, baptismo abluuntur, maculæ verò martyrio candidātur, de quo etiam Cyprianus scribit, q̄ sit in gratia maius, in potestate sublimius, in honore preciosius. Baptisma, inquit, in quo angeli baptizāt, & in quo & Deus & Christus eius exultat, baptisma, post quod nemo iam peccat, baptisma, quod fidei nostræ increméta conseruat, baptisma, quod nos de mundo recedentes Deo statim copulat. In aquæ baptismo remissio percipitur peccatorū, in sanguinis corona virtutum. Et in libro de singularitate clericorum, Martyrium appellari tàm coronam, quàm baptismum scribit: quia baptizat pariter, & coronat: Quem tamen librum Origeni quidā tribuere malūt. Eusebius Emissenus de Genesio scribens: Nō tingitur fonte, sed abluitur passione: non viuificatur baptismate, sed morte regeneratur. Et quid tā dē crederet, vel quid pro eo redēptori suo deberet profusione sanguinis cōfitetur. Non potest quidē dicere cōsepultus sum Christo per Baptismū in mortē: sed potest dicere, p mortē illi iūgor in Baptismo, id est, in morte. Ipse enim Dominus mortē suam baptismum pronunciauit dicens: Baptismate habeo baptizari quod vos nō scitis. Beatus ergò & inclytus Christi testis, hanc Domini sui mortem, & si non edidit mysterio, plus est quod imitatur exemplo. Gregorius quoque Nazianzenus, ait: Est & quartum baptisma, quod per martyrium & sanguinem fit, quo Christus ipse baptizatus est, longè reliquis venerabilius: quoniam ita baptizati, secundis sordibus haud inquinantur. Chrysostomus & Baptisma crucem, & crucem baptisma rectè dici scribit. Bernardus quoque de Baptismo sanguinis multa scribit ad Hugonem de S. Victore. Epist. 77. Quintū baptismū addit Ambrosius in Paradisi vestibulo. Posteaqnā enim peccator exclusus est, inquit, cœpit esse rhomphæa ignea, qua purificabantur qui in Paradisum redire cupiebant. De hoc scriptum esse vult. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne, nimirum igne purgatorio. Auctor etiam operis imperfecti in Matthæum quinque genera baptismatum recenset. Augustinus eleemosynam secundum Baptismum vocat. Qua de re sic loquitur Cyprianus. Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccata. Hic ostenditur, inquit, & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur. Ambrosius quoquè quodammodo animarum aliud esse lauacrum dicit Eleemosynā: vt si quis forte post Baptismū humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum eleemosynis emundetur, sicut ait Dominus. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrū: lauacrum enim semel datur, & semel in eo etiam pollicetur: elemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Eadem reperiuntur apud Maximum. Ioannes verò Damascenus octo recensēt genera baptismatū, ex quibus tamen solum illud rectè Sacramentum dicitur, quo regeneramur ex aqua & Spiritu. Ac paruulos quidem non saluari persuasum habuerunt, nisi aut aqua, aut, quod de innocentibus illis Herodis iussu trucidatis factum legimus, sanguine suo fuissent baptizati. Quæ etiam res in causa est, quòd fœminis baptizandi quoque potestas conceditur, si periculum sit, ne prius infans moriatur, quam copia sacerdotis haberi queat. Cęterùm si quis ex adultis, nec opinata morte præuentus cùm cuperet maximè, sacerdotis tamen baptizantis potestatem habere non potuit, fit illud, quod ab Augustino scriptum est: Coronat Deus intus voluntatem, cùm non inuenit facultatem: Si enim voluntas prompta est, secūdum id, quod habet, accepta est, non secundùm id, quod non habet. Affectum Deus pensat, non effectum: Voluntas pro facto reputatur, vbi factum necessitas excludit. Quod etiam exemplo Valentiniani comprobatur, qui quamuis ex aqua & spiritu renatus non esset, quia tamen popposcit, eo ipso quod popposcit, quam desiderauit gratiam, eum accepisse scribit Ambrosius. Fuit Bernardi temporibus, qui diceret absque actuali baptismo saluari posse neminem. Cuius errorem ad Hugonem scribens grauiter confutauit.

*Lib. de exhortatione martyrij. Greg. orat. 2. de Theophania. Matth. 6. Hom. 24. in Ioan. Ambr. in Psal. 118. serm. 3. Hom. 5. in 4. cap. Matth. Lib. 4. ser. cap. 10. Cypr. de opere & eleemosyna. Amb. serm. 31. de eleemosyna. Ser. 2. de Eleemosyna. De corona militis. Baptizandi potestas fœminis permissæ. Affectum Deus pensat. Aug. in psalm. 103. Concione 1. 2. Cor. 8. Amb. in orat. funeb. de obitu Valentiniani. Bern. epist. 77. Infantes sine baptismo morientes à cœlo arcentur. Infantium fides, est ecclesiæ fides. Epist. 106. Epist. 57.*

Est itaque baptismus omnibus ad salutem necessarius, quem nisi re paruuli receperint, ab ingressu regni cœlorum arcentur. In adultis tamen (modò contemptus absit) si baptizandi potestas non datur, voluntas prompta sufficit. Indulgentius autem agitur in eo cum Paruulis, quàm cum adultis, quòd illis hoc regenerationis beneficium non solùm non libentibus, verum etiam reluctantibus quandoq; datur, nec fides in eis propria requiritur, sed satis ad salutem esse fides Ecclesiæ creditur. Nam quod asserunt quidam, propria fide, quam ex auditu verborum formæ baptismatis concipiunt, iustificari paruulos, commentum id absurdius est, quàm vt refelli oporteat: quandoquidem sensus etiam ipse communis satis refellere videtur: ac verissimum illud esse constat, quod ab Augustino scriptum est: Eius muneris merito iustificari paruulos, quod eis cùm profuit, nescierunt. Vsque adeò autem nescierunt, vt vocibus etiam quibus possent, & motibus reluctari visi fuerint. Quam etiam causam esse scribit idem quod eis non imputatur, atque omnis hic eorum renisus nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca



hil penditur, donec in eis sacramenta peragãtur, quibus id, quod de originali damnatione tractum est, expietur. In tantum enim nesciunt quid faciunt, vt nec facere iudicentur.

Quamobrem cùm fides in intellectu & voluntate sit, paruuli autem rationis & voluntatis arbitrio non vtantur, portentosum quiddam esse videtur, fidem illis, quæ ex auditu est, tribuere, cùm quæcunq; fiunt in paruulis, in Ecclesiæ, non in eorum propria fide fiant. Mater enim Ecclesia, cuius brachijs ad baptismum feruntur infantes, cor maternum, vt est apud Augustinum, eis præstat, vt sacris mysterijs imbuantur: quia non dum possunt corde suo proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Sicut autem cor ad credendum, ita aures ad audiendum, intellectum ad capiendum, linguam accommodat ad confitendum. Neq; verò id rationi & æquitati consentaneum non est. Nam cùm aliena præuaricatione peccatum paruuli contraxerint, vt iræ filij nascerentur, non iniquum visum est, vt aliena quoq; fide intercedente mundarentur, quo filij gratiæ regenerarẽtur. Credit infans in altero, dicit Augustinus, quia peccauit in altero. Et paucis interiectis. Credunt, inquit, & infantes, quomodo credunt? fide parentum: si fide parentum purgantur peccata: peccato parentum polluti sunt: corpus mortis in primis parentibus eos generauit peccatores, spiritus vitæ in posterioribus parẽtibus regenerauit eos fideles. Et alio loco, paruulis ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur. Vt quascunq; maculas delictorum per alios ex quibus nati sunt contraxerunt: aliorum etiam interrogatione, & responsione purgentur. Et alibi: Per alios paruuli credunt, sicut & ex alijs, quæ illis in baptismo remittuntur peccata, traxerunt. Cæterùm quomodo peccatum originis alienum esse peccatum dicatur, docet idem Augustinus alibi: Peccata, inquit, ista originalia, ideò dicuntur aliena, quòd ea singuli de parentibus trahunt. Sed non sine causa dicũtur & nostra: quia in illo vno omnes, sicut dicit Apostolus, peccauerunt. Et alio loco: Parentum, inquit, peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis: & nostra sunt contagione propaginis. Et iterum alio loco de peccatis Originalibus loquens: Nec sic dicuntur, inquit, ista aliena peccata, tanquam omnino ad paruulos non pertineant: si quidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa infita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt: Sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat. Aliena quippe erant, quando hi, qui ea propagata portarent nondum erant, nunc verò carnali generatione iam eorum sunt, quibus nondum spirituali generatione dimissa sunt. Nec verò solus ita sensit Augustinus. Nam & Prosper eius discipulus aliena confessione, credere paruulos docet: & Augustini præceptor Ambrosius. Baptisma inquit, corporis mundacio non est, sed animæ, si fides adest baptizato siue parentum, siue sui ipsius, si ad rationabilem ætatem peruenerint. Quos Fulgentius quoq; secutus. Paruulos, inquit, nouimus ministerio alienæ confessionis absolui, quos vinculo constat alienæ iniquitatis obstringi: vt alijs spiritualiter confitentibus accipiant iustificationis beneficiũ, qui alijs carnaliter generantibus portant originale peccatum: & sicut ad primam natiuitatem obfuit nondum natis nec aliquid agentibus parentum carnalis concubitus, sic eis nescientibus prosit ad secundam natiuitatem fidelium pro eis confitentibus spiritualis affectus. Et qui propemodum eodem vixit seculo Auitus in præclaro Poemate suo, vbi de initio mundi scribit.

*Vel quod polluti videantur origine mores,*
*Quos aliena premunt, priscorum facta parentum,*
*Addatur quanquam nostra pro parte reatus.*

Et qui sæculis aliquot fuit ijs posterior Bernardus. Saluantur, inquit, paruuli per fidem non tantum suam, sed alienam. Dignum est enim, & ad Dei spectat benignitatem, vt quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim omnipotentis iustitia propriam ab his putat exigendam fidem, quos nouit propriam nullam habere culpam. Porrò aliena opus est fide: cum sine sorde nõ nascantur aliena: quatenus nec à paruulis alienum sit, quod idem omnibus generaliter dicitur, fide mundans corda eorum. Et alio loco: Aliena lauit aqua, quos culpa inquinauerat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, vt negem nostram. Alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccauimus. Nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccauimus: & nobis iusto Dei iudicio imputabatur licet occulto. Et alio loco: Nemo mihi dicat, quòd non habet fidem infans, cui mater impertit suam inuoluens illi in sacramento, quousque idoneus fiat proprio, non tantum sensu sed assensu euolutam puramq; accipere. Et æqualis eius Petrus Cluniacen. ait: Sacramento igitur circuncisionis, & aliena fide saluabatur Iudæus. Sacramento baptismi, & aliena fide saluatur per Christi gratiam Christianus: Et qui sub idem tẽpus floruit Hugo Eterianus cùm peccatum Originale, definiuisse esset fomitẽ actualis peccati, concupiscentiam, languorem naturæ, qui mouet mala desideria. Quod quidem peccatum, inquit, primi hominis ex voluntate prodijt, sed posteris non ex voluntate inest, sed sicut dictum est ex societate. Nec mireris si à parentibus ab illo peccato mundatis per baptismum, filij traducunt originale peccatum, quia in puro seminis grano remanet palea. Item pater nõ generat filium in eo quod baptisatus, sed in eo quòd carnaliter ipse generatus fuit. Itaque Gregorius Nazianzenus de peccato loquens originis. Prô meam, inquit, imbecillitatem. Mea enim est quæ fuit primi parentis infirmitas. Et eo vetustior Cyprianus. Quanto magis, inquit: prohiberi non debet infans à baptismo, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit: qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et adhuc vetustior Iustinus paruulos dignos haberi

*De peccatorum meritis & remissione lib.1.c.25.*
*Ephe.2.*
*De verbis Apost. ser.14.*
*In li.hom.50.hom.*
*Lib.1.con.2 Epist. Pelagianorũ. c.12.*
*Lib.de correptione & gratia. cap.6.*
*Aug.li.6.cont.Iul. c.4.*
*lib.50.Homil.Homil.39 tractatu de opere, & eleemosynis.*
*In ep.ad Heb.c.10.*
*Aug.de pecc.remissione li.3.c.7.et 8.*
*Fulgentius de remiss.pecc.li.1.c.14*
*Bern.epist.17.*
*Serm.1. Dominica 1.post Epiph.*
*Hom.66.in cantic.*
*Lib.1.Epist.2.*
*Hugo Eter. De regressu animarum. cap 4.*
*Greg. in Theop. & Pascha Epist.8.*
*Iustin. in Respon.*



beri dicit bonis, quæ baptismus adfert eorum fide qui illos baptismo offerunt. In eadem est sententia, qui præcessit Iustinum, Dyonis. Areopagita. Enarrans illum locum Euangelistæ Beda venerabilis, vbi dixit Christus mulieri Cananitidi: Propter hunc sermonem vade: exijt dæmonium à filia tua. Propter humilem, inquit, matris fidelemq; sermonem, filiam deseruit dæmonium. Vbi datur exemplum catechisandi & baptizandi infantes, qui videlicet per fidem & confessionem parentum in baptismo liberantur à diabolo paruuli, qui necdum per se sapere, aut aliquid agere possunt boni aut mali. At in adultis & propria fides requiritur, & ea pœnitentiæ pars, cuius causa fides est, quam contritionem vocamus. Nam per baptismum veteri vitæ peccati moritur homo, & nouam vitam inchoat: Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Is autem veteri vitæ peccati mori dicitur, quem illius pœnitet, quiq; deinceps à peccatis abstinere deliberatum habet: neq; ad nouam vitam, cuius principium est ipsa baptismi susceptio, nisi per veteris vitæ pœnitentiam cuiquam ingressus patet. Hoc est quod ab Augustino dictum est. Nullus voluntatis suæ arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat. Propterea Petrum admonuisse baptizandos legimus, prius vt pœnitentiam ageret. Quod etiam ab Augustino in catechisando factum esse diligenter videmus. Hæc autem pœnitentia quæ requiritur in adulto baptizando, nihil est aliud quam odium & detestatio vitæ prioris. Neq; verò si quis eam aut fidem, aut pœnitentiam, quam oportet, non adferat, ideò non valebit baptismus: cùm verè scriptum sit ab Augustino, quòd non interest cùm de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accepit Sacramentum: Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, vt homo integrum habeat Sacramentum & peruersam fidem, sicut fieri potest, vt integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat. Et alio loco. Non si vnus bonus, alius malus fit, in malo malus est baptismus, & in bono bonus, sed in vtroq; bonus. Sicut lumen Solis vel etiam lucernæ, non vtiq; deterius est in oculis deterioribus, quàm in melioribus sed idem in vtrisq; quamuis eos diuersè pro illorum diuersitate, vel lætificet, vel excruciet. Et alio loco. Quibusdam baptismus est odor mortis in mortem, quibusdam verò odor vitæ in vitam. Sicut enim qui manducat & bibit sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè baptisma, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptisma Christi percepit. Sed quia bono benè non vsi sunt, mali male vtendo deleti sunt. Bonum est baptisma, bonum est Christi sanguis & corpus, bona est & lex: sed si quis ea legitimè vtatur. Neq; enim & quia foris est, diuina non est, aut quia ab alienis habetur, aliena putabitur, aut quia à malis iniustè tractatur, à nobis iustè damnabitur. Atq; hæc quidem de susçipientibus baptismi sacramentum.

*De ministro huius Sacramenti.*

## CAP. XXXVI.

QVod autem ad ministrum attinet, proprius est huius sacramenti minister sacerdos, nisi necessitas aliud postulauerit, quo tempore cuiuis baptizare licet. Hinc est quòd de Eunucho scribit Hilarius, quòd sacramentum baptismi adeò impatientis cupiditate desiderij præuenerit, vt à diacono ministerium Apostolici officij salutis suæ cupidus exigeret. Baptismum Apostolici, hoc est, sacerdotalis officij ministerium vocat. Augustinus contra Parmenianum scribens. Et si laicus, inquit, aliqua peremptis dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acceperit, dandum esse addidicit, nescio an piè quispiam dixerit esse repetendum. Nulla. n. cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est. Si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet, cuilibet detur: quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam ergo vsurpationem corrigit reminiscentis, & corrigentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurpatoris, quod datum est, vel eius qui illicitè accepit: non tamen pro non dato habebitur. Neque vllo modo per deuotum militem, quod à priuatis vsurpatum est, signum regale violabitur. Extat apud Clementem Canon Apostolicus, in quo decernitur, neq; clericos baptizare debere, sed solos Episcopos & Presbyteros, quod etiam apud Tertullianum similiter scriptum legimus. Neq; verò ad integritatem baptismi quicquam refert, qua vita sit præditus, qui baptizat: Nam neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Hic est, qui baptizat. Huius instrumentum est sacerdos. Cæterùm qui sanctificat, qui mundat lauacro aquæ in verbo vitæ (vbi minister videtur corporaliter operari) non nisi Christus est. Præclara sunt Ambrosij verba: Non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mũdauit Gregorius, nostra. n. seruitia, sed tua sunt sacramenta. Neq; enim humani operis est diuina conferre, tuum domine munus & patris est, qui loquutus est per Prophetas, dicens: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et loquens de Spiritusancto. Homines in remissionem peccatorum ministerium suum adhibent, non ius alicuius potestatis exercent: neq; enim in suo, sed in Patris & Filij & Spiritus sancti nomine peccata dimittũtur. Isti rogãt, diuinitas donat: humanũ. n. obsequiũ, sed munificẽtia superne est potestatis. Et q fuit æqualis Ambrosij Greg. Naziãzenus: Ita cõsidera, ingt, sint annuli duo: aureus hic, ferreus alius, vterq; eadẽ regia imagine sculptus, cereq; ambo imprimãtur, quid inter signũ hoc & illud intererit? nihil. Discerne materiã in cera, etiã si sapiẽtissimus existas, dic quodnam ferri, quòd ve sit auri signaculum? Sed quo pacto vnũ est, quia inter materiam, non characterem est diuersitas: ita & tibi sit omnis baptizator, q tametsi cõditione excellat, æqualis tamẽ baptismatis vis est, ac vnusquisq; tibi æqualis sit expurgator, q fide eadem est formatus. Ante quos

*De necessarijs quæstionibus cap. 156.*
*In fine Eccle. Hyerarchiæ.*
*Marc.7.*
*Pœnitentia in bap. adultorum necessaria.*
*Rom.6.*
*Mori peccato quid sit.*
*In tract. de utilitate pœnitentiæ. Act.2.*
*In eodem, quo supralibro.*
*Aug.lib.3.c.14. de baptismo. contra Donatist.*
*Lib.4.cap.20. contra Donatist.*
*Contra Fulgentiũ cap.6.*
*Baptismi minister proprie sacerdos.*
*In Psalmo 67.*
*Quis baptizet.*
*Lib.2.ca.13. cõtra epist.Parm.*
*Lib.3.cap.11. Const.Apost.*
*1.Cor.3.*
*Ioan.1.*
*Ephe.5.*
*In prologo librorum de Spiritusancto.*
*Baptizantis dignitas non attendenda.*
*In oratione in sanctum lauacrum.*
*Amb.lib.3.c.19.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In oratione de baptismo Christi.*

quos etiã Cyprian. Si in Petri vel Pauli nomine baptismi gratia donaretur, posset alius alio videri sublimior, & secũdũ ministrorũ merita hæc singularis gratia æstimari, vt melior esset baptismus eius, q̃ sanctior videretur, & indigna esset, q̃ab eo acciperetur, quẽ nõ amplior æstimatio commendaret. Hæc & in alia sacramenta transferretur iniuria, vt non in eis vnitas, sed diuersitas haberetur, si censerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent vtilitatis & ponderis q̃ fierent ab indignis. Sic Eucharistia vna alia melior, & baptismus pro ministerio vel melior, vel deterior crederetur. Absit hoc à fide catholica. absit in religione Christiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides, vnus Dominus, vnum baptisma: quòd si ab indigno fortè fuerit consecratum, non audet iustus iterare vel corrigere quod semel est factum, quia per quemcunq; fiat, idem est: nec hoc priuilegium meritis est datum, sed gratiæ, & propterea sibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum. Quem secutus Ioãnes Chrysostomus. Nunquid homo est qui baptizat? Homo dexteram porrigit, sed Deus manum gubernat. Noli de gratia dubitare charissime, quia donum Dei est. Attende diligenter, quæ dicuntur. Si fortè aliqua causa sacra explicanda est, cùm obtuleris preces, & susceptam acceperis sacram, non requiris, quali calamo subscripserit Rex, neq; in quali charta, neq; quali quoue attramento, sed vnum solummodo quæris, si Rex subscripserit: sic & in baptismo, charta conscientia est, calamus lingua Sacerdotis: manus gratia est Spiritus sancti. Siue ergo per me illum qui officio fungitur Sacerdotis, ipsa manus scribit, nos ministri sumus, non authores. Scripserat olim Cresconius. Sicut qui plantat & rigat, non nisi colonus fidelis & diligens quæritur: Sic etiam in Sacramento baptismatis non nisi fidelis & iustissimus operarius adhibetur. Cui respondet Augustinus. Quasi verò quod infidelis colonus plantauerit propter eius infidelitatem non germinet: vis seminis ac fœcunditas terræ, cœliq; temperies, hanc efficatiam diuinitus acceperunt, vt ad propagandos fructus plantatorem vel rigatorem operarium tantummodo expectent qua mente operetur, qua laboret intentione, non curent: vtrum Dominum agri fideliter diligat, an sua non illius lucra conquirat. Idem alibi. Si bonus est minister, adhæret Deo, & operatur cum Deo: si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipsi autem donat inuisibilem gratiam. Dispensator fidelis mercedẽ accipiet vitã æternã. Dispensator aũt infidelis cũ cibaria dominica distribuit conseruis, absit vt per suã infidelitatem cibaria inutilia faciat. Idẽ cùm diceretur ibi esse verum baptisma, vbi est vera fides: fieri potest, inquit, vt aliqui verum habeant baptismũ & nõ habeãt verã fidẽ, sicut fieri potest, vt habeant verũ Euangelium, quod non rectè intelligendo, falsi aliquid credant de Deo: Nunquid propter ipsam fidei fallitatem etiam Euangelium, quod verum apud eos inuenitur, detestandum aut emendandum putabimus? Idem alio loco: Sacramenta si eadem sunt, vbique integra sunt, etiam si prauè intelliguntur & discordiosè tractantur, sicut scriptura ipsius Euãgelij, si eadem ipsa est, vbiq; integra est, etiam si innumerabili falsarum opinionũ varietate asseratur. Et paulò superius. Baptismus Christi verbis Euangelicis consecratus, & per adulteros & inadulteris sanctus est, quãuis illi sint impudici & immũdi: quia ipsa eius sanctitas pollui nõ potest. Et in sacramento suo diuina virtus assistit. Siue ad salutem benè vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. An verò Solis vel etiam lucernæ lux cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, & Baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari? Quem locum imitatus ad Anastasium Augustum scribens Anastasius Papa. Baptismum, quod procul fit ab Ecclesia, siue ab adultero, siue à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit il libatum: quia vox illa quæ per columbam sonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, & dicitur, hic est qui baptizat. Nam si visibilis Solis istius radij, cùm per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Siquidẽ omnes qui baptizant, quemadmodum rectè dictum est ab Optato, operarij sunt, non domini, & Sacramenta per se sunt sancta, non per homines, nam Deus lauat, non homo, iuxta illud, Lauabis me, & super niuem dealbabor: operantibus cunctis humana sunt opera, sed Dei sunt munera. Quamobrem siue à fideli, siue à perfido dispẽsatore baptismi sacramentũ aliquis perceperit, spes ei omnis in Christo esse debet, cuius baptismũ percipit, non in homine à quo pcipit. Nã maledictus homo, qui spem suã ponit in homine & ponit carnẽ brachiũ suum. Benedictus vir qui in confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Quid Ioanne Baptista fuit sanctius? cui propter singularem virtutem & sanctimoniam hoc à Christo tributum elogium legimus, quòd inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista? Quid contra Iuda proditore sceleratius? Et tamen post Ioannis baptismum, quòd baptizauerit Paulus, scribitur: post Iudę baptismum baptizasse quenquam non comperimus. Quid ita? Quoniam ille baptismus hominis erat Ioannis, per hominem autem gratia remissionis peccatorum & renouationis, quod Christi munus est proprium, conferri non potuit. Quo verò baptizauit Iudas, fuit baptismus Christi, agni illius immaculati, qui tollit peccata mundi. Non Iudam Ioanni, dicit Augustinus, sed baptismum Christi etiam per manus Iudæ datum, baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato, rectè proponimus. Præclarè verò discrimen inter Ioannis & Christi baptismum Tertullianus describit, cùm ait: Nihil eum cœleste præstitisse, sed cœlestibus præministrasse. Quod prædicabat, inquit, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, in futuram remissionem enunciatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alij perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo: Qui de terra est, de terra loquitur: qui de supernis venit, super omnes est. Item sola se pœnitentia tingere, venturum mox qui tingeret in spiritu & igne. Quẽ secutus Cyprianus: Præparabat, inquit, viam Domino lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum securum baptisma, in quo conferretur animarum ablutio & peccatorum remissio. Et Petrus Chrysologus: Per baptisma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promouebatur ad gratiam. At verò Christi Baptisma, sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere nouum: vt præterita nesciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cœlestis, cœlestia iam possidet & diuina.

*Anastasius.*

*De passione Domini*

*Thom. 5. hom. de in regressu ex Asia.*

*Aug. con. Cresc. li. 3. cap. 8.*

*Epist. 166.*

*Li. 3. c. 49. cont. literas Petiliani.*

*Idem de vnico baptismo, c. 11.*

*Lib. 3. de bap. c. 15. & 10.*

*Cap. 10.*

*Anastasius.*

*Optat. lib. 5.*

*Actor. 9.*

*De vnitate Ecclesiæ. c. 18.*

*Aug. Tract. 5. in Ioan.*

*Vide eundem epist. 48. de Baptismo cont. Don. li 5. c. 9.*

*Tertul. oratione de baptisf. Christi.*

*De baptisf. Christi.*

Porrò Christi baptismum cuiuscunque tandem ministerio semel datum iterari fas non fuit, adeò vt etiam si ab hæretico datus esset, cum repeti non liceret: Quodque maius est, etiam si non baptizatus baptizasset, modò formam debitam obseruasset valere baptismum nec eum iterandum esse visum est.

*Ioan. 1.*

*Baptizati ab hæreticis nos rebaptizandi.*

Verùm illud interea scire oportet, baptismum esse quidem extra Ecclesiam posse, prodesse non posse. Ecclesia enim Paradiso comparata, sicut ab Augustino scriptum est, indicat nobis posse quidem eius baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut scriptura testatur, etiam foras largiter manauerunt: nominatim quippe commemorantur per quas terras fluant, & quia extra Paradisum constituta sunt, omnibus notum est: Nec tamen in Mesopotamia, vel in Aegypto, quò illa flumina peruenerunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur: ita fit, vt cùm Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra Paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam. Et sicut in arca Noë quæ & ipsa figura est Ecclesiæ non alia, sed eadem aqua in arca positos saluos fecit, & extra arcam positos interemit: sic non alio, sed eodem baptismo & boni Catholici salui fiunt, & mali catholici vel hæretici pereunt. Communis itaq; nobis est cum hæreticis baptismus, sicut & Euangeliũ cum illis est commune, verum illis extra arcam positis, & Euangelium, & baptismus in damnationem, nobis verò vtrunq; est in salutem. Quod pluribus etiam verbis persequitur diligẽs Augustini sectator Fulgẽtius in eo libro, quem de Remissione peccatorum inscripsit. Quãobrem redeuntes ad Ecclesiam hæretici rebaptizandi non sunt, verùm post abiuratam hæresim, per manuum impositionem suscipiendi, vt quod acceperant ad perniciem, habere iam incipiant ad salutem, sicut copiosè de eo contra Donatistas scribens multis in locis disserit Augustinus.

*Gene. 2.*

*Gene. 7.*

*Lib. 1. c. 19. & seq. Hæretici abiurata hæresi in ecclesiam recipiendi.*

Quòd autem diximus, baptisma Ioannis gratiam remissionis peccatorum non contulisse, vetus est hæc orthodoxorum sententia: sic enim scribit Hieronymus: Sicut Ioannes præcursor Domini, sic & baptismus eius præuius Dominici baptismatis fuit. Ego baptizo vos in aqua, ille vos in spiritu baptizabit. Si aũt Ioannes, vt confessus est ipse, non baptizauit in spũ, consequenter neq; peccata dimisit, quia nulli sine spiritu sancto peccata dimittũtur. Quamobrem & Ambrosius vocat Baptisma Ioannis oculum suppliciorum: Baptisma Christi, oculum gratiarum. Gregorius verò Pontifex: Ioannes, inquit, peccata soluere non valet, baptizatorum corpora per aquam lauat: sed tamen mentem per veniam non sanat. Chrysostomus quoq; Baptisma Ioannis, alterius, id est, Christi baptismatis præparationem esse dicit, quod remissionem habuisse negat. Hoc enim, inquit, munus illius baptismatis erat, quod posteà Christus instituit. In hoc enim vetus homo noster crucifixus est ac sepultus, & ante crucem nusquam prorsus remissio extitit peccatorum, siquidem vbiq; ipsius hoc sanguini deputatur. Idem enim istud Paulus affirmãs, inquit: Sed emũdati estis, sed sanctificati estis, non per baptisma Ioannis, sed in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri. Et alibi ipse dicit: Ioannes quidem prædicauit baptismum pœnitentiæ, & non ait remissionis, sed vt crederent in aduenientem post eum. Cùm enim nondum pro peccatis mundi hostia fuisset oblata, cùm necdum Spiritus sanctus descẽdisset, nec peccatum esset solutum, nec inter Dominum atq; homines inimicitia sublata, nec maledictio expuncta, quomodo remissio peccatorum facta dicitur? Et non multò pòst: Sancti spiritus gratia in Christi baptismate est, Ioannis verò baptisma hac donatione priuatur. Et alibi sub ipsius Ioannis Baptistæ persona loquens, Non alia, inquit, ratione lauacrum illud est institutum, quàm vt viam reliquis ad Christi fidem præberet. Non enim vt ablutos baptismate mundem, neq; vt à peccatis liberem ad baptizandum veni, sed vt manifestetur in Israël. Et iterùm: Sicut Ioannes Baptista præcursor fuit Domini Saluatoris, sic & Baptisma Ioannis præcursor fuit Domini Saluatoris. Illud datum est in pœnitentia, hoc in gratia. Nec diuersum ab eo sentit auctor operis imperfecti in Matthæum. Itidem & Augustinus: Non renascebantur, inquit, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino, huic vni, in quo solo renasci poterant, parabatur. Huius enim baptismus est nõ in aqua tantùm, sicut fuit Ioãnis, verùm etiam in Spũ sancto, vt de illo Spiritu regeneretur, quisquis in Christũ credidit: de quo Christus generatus, regeneratione non eguit. Scribit idem contra Donatistas, quod Baptisma Ioannis non dabat remissionem peccatorum nisi in spe, reipsa verò fiebat remissio in Baptismo Domini. Et Cyrillus: Ego præparando aqua in quinatos peccatis lauo, vt initium pœnitentiæ, & hoc pacto ab his minoribus ad sublimiora vos præparabo. Idẽ sensit aliquot seculis antè Iustinus. Qui & ipse præludiũ quoddã Ioannis baptismũ fuisse docet Euangelij gratiæ. Gregorius quoq; Nazianzenus: Baptizauit Ioannes, inquit, verùm non iã Iudaicè. Quia nõ in aqua solùm, sed in pœnitentiam: no tñ pœnitus spiritualiter, non enim addidit, in spiritu, Baptizat Iesus: verùm in spiritu, hoc erat perfectio. Quẽ locum Gregorij Nazianzeni Nicætas explicans: Ioannis, inquit, Baptismus puerilis cuiusdam institutionis vice erat: Christi aũt Baptismus perfectionem afferebat: ille pœnitentiæ, hic adoptionis: Ille secessio erat à peccato, hic adiunctio ad Deum. Albinus quoq; baptismo Ioãnis homines renatos accepisse Spũm sanctum negat.

*Cont. Luciferianos*

*In Psal. 37. & 118. Jer 16.*

*In lib. 40 hom. 7.*

*Chrysost. hom. 10. in Matth.*

*1. Cor 6.*

*Actuum 1.*

*Homil 10.*

*Hom. 16 in Ioan.*

*Homil. 1. de principio Euangelij secundum Marcum.*

*Hom. 3.*

*Aug. in Enchirid. cap 49.*

*Lib. 5 cont. Donat. cap 10.*

*Cyril. li 1. c. vlt.*

*Vide eundem cont. literas Petiliani li. 2. c 36. & de baptismo cont. Donat. li 5. c. 7.*

*In lib. responsionũ de necessarijs quibusdam quæstionibus quæst. 7.*

*In sancta Epiphania rum lumina.*

*Alb de trinitate li. 3. c. 17. in c. Ioan. 1. & in Matt. c 3*



*Lib. 2. par. 6. ca. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Et alio loco de eodem loquens: Per aquam, inquit, lauat, sed per veniam non lauat. In eadē sententia est Hugo quoq; de S. Victore, & ante Hugonem Anselmus. Baptismus, inquit, Ioannis non conferebat remissionem peccatorum, quia nondum effusus erat sanguis Christi. Quæritur ergo, si moriebantur, an saluabantur baptismate Ioannis lauati. Si fidem habebant, in sinum Abrahæ descendebant, in inferno redemptionem expectantes, sicut Abraham, Isaac, qui non receperant remissionem peccatorum, nisi sub expectatione. Omnes enim antiqui peccatum originale, & sua actualia retinebant, sed quasi dimitti sibi dicebant, dum effusione sanguinis Christi ab eis relaxari in futuro se credebant. Ex quibus omnibus cuiuis perspicuum esse potest, quòd qui baptismo Ioannis remissionem peccatorum tribuunt, euacuant crucem Christi, iuxta Chrysostomi sententiam, & mortis illius beneficium extenuant, cùm ante Christi crucem non fuisse putet ille remissionem peccatorum, quę sanguini ipsius deputatur. Quod haudquaquam sic est intelligendum, quasi non fuerint aliqui sanctorum Patrum ante crucem remissionem peccatorum consecuti: sed quòd nō fuit illa plena remissio, quæ tunc est, quando cum culpa simul & pœna remittitur omnis, de qua dixerunt Prophetæ: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata Mea. Proijciet in profundum maris peccata nostra. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Hæc remissio datur in baptismo Christi. Cæterum est alia remissio minus plena, quando culpa sic remittitur, vt non statim pœna quoq; omnis tollatur. De qua dixit Paulus: Propter redemptionem præcedentium delictorum. Et iterum: In redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento. Antiquis igitur Patribus ante crucem & mortem, culpam quidem omnem, quin & pœnam æternam remissam fuisse dubiū non est. Quandoquidem iuxta fidem, vt ait Apostolus, defuncti sunt, testimonio fidei probati sunt. In fide sanguinis Christi, quem fundendum esse pro peccatis totius mundi certò persuasum habebant, saluati sunt. Quòd autem non fuerint illis plenè remissa peccata, testatur idem Paulus, dicens, Christum esse mortuum in remissionem præcedentium delictorum. Quæ si plenè condonata fuissent Mosi, Aaroni, Dauidi, & alijs sanctis Patribus, qui fuerunt sub lege naturæ, & sub lege scripta, nec ianua cœlestis illis occlusa, nec limbus pro carcere deputatus fuisset. Nec fuisset necesse Zachariæ Prophetæ Christum his verbis alloqui: Tu verò in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Plenā itaq; remissionem illam, per quam etiam ad cœleste regnum aditus pateret, nemo fuit ante crucem consecutus. Nondum enim fuit, vt ait Apostolus, propalata via sanctorum. Nondū erat apertum ostium cœlorū. Quæ fuit illa via? Christus, qui dixit: Ego sum ostium. Prius q̄ igitur is per crucem suā nobis viam demōstraret, & ostiū regni cœlestis ipse primus ingressus, morte sua nobis patefaceret, nemini sic remissa peccata fuerunt, vt ei simul aditus ad regnum cœleste statim pateret. Hoc enim solius crucis, & mortis Christi beneficium est.

*Zach. 9.*

## *De Ritibus & Cæremonijs baptismi.*

## CAP. XXXVII.

*Baptismo cæremonia cur adhibenda.*

ADhibentur autem huic sacramentò quædam cæremoniæ, non illæ quidē adeò necessariæ, vt sine illis baptismus perfici non possit, sed quas tamē peccet, si quis nulla vrgente necessitate, solo contemptu prætermittat. cùm earū vsum antiquissimum esse constet: vt si quis ab ipsis Apostolis per longā Episcoporū & Sacerdotū successionē nobis per manus esse traditas affirmauerit, minimè à verbo aberrasse videatur. Meminerunt. n. earū antiqssimi quiq; scriptores.

Adhibentur autem ii ritus, maioris cuiusdam solennitatis & decoris gratia, tribus potissimum ex causis: primò, vt tantò maiore pietate ac reuerentia ad sacramentum hoc accedatur: néve communis ablutio, quædam esse putetur, si citra solennitatem vllam fiat, atq; ita sacramentum hoc contemni incipiat. Deinde, vt per benedictiones, orationes, & alia id genus, vis dæmonis arceatur, qui nihil non facit, vt impediat, quo minus fructum huius sacramenti baptizandus percipiat. Postremò, quò per hęc exteriora, qui sunt ex fidelibus rudiores, diligentius instruantur, aut saltem excitentur ad hoc, vt instrui desiderent, quid sibi ritus isti velint, atq; ita quæ gerantur in baptismo cognoscant: nihil enim eorum vacat mysterio singulari. Quamuis autem hæc pluribus persequi non est præsentis instituti, quoniam tamen instigante satana factum videmus, vt cæremoniæ vetustate consecratæ à plerisq; contemnantur, breuiter quid sibi nonnullæ earum velint explicabimus.

*Baptismi cæremoniarum expositio.*

*Statio ante fores templi.*

*Psal. 2.*

*Insufflatio.*

*Ioan. 20.*

*Aug. de symb. ad catechumenos. Lib. 1. cap. 1.*

*Aug. de gratia & peccato originali cap. 60.*

*Dion. eccl. hier. c. 1.*

*Exufflare exorcisare quid.*

*In homil. de Adam & Eua. Lib. 4 cont. Parmenianum.*

*Crucis signatio.*

Principio non statim baptizandus templum ingreditur: neq; n. se dignum iudicat, q domum illam ingrediatur, quam decet sanctitudo, cùm non modò sit expers omnis sanctitatis, verùm adhuc diaboli potestati subiectus, omni sit spurcitia plenus. In hunc pro foribus templi constitutum insufflat Sacerdos: neq; id sine exemplo Christi, cuius personam gerit, cuius virtute sacramentum id confert: qui & ipse insufflasse in discipulos legitur, Spiritum sanctum eis daturus. Propterea autem exsufflantur paruuli & exorcisantur, dicit Augustinus, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines. Quā alio loco priscam esse traditionem scribit: Acrectè quidem: cùm & Dionysius Areopagita Pauli discipulus, exsufflationis & exorcismi meminerit.

Insufflatione facta, Sacerdos exorcisat: cuius moris meminit etiam Chrysost. Est aūt exorcisare, nihil aliud, quàm per diuina verba spiritum immundum adiurando expellere: quod Apostolorum quoq; temporibus factitatum legimus. Qua de re si aliquando scripsit Optatus. Neminem fugit, quòd omnis homo, qui nascitur, quamuis de parētibus Christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non potest, quem necesse sit ante salutare lauacrū ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spūs immundus depellitur.

Dum



Dum exorcisatur baptizandus, signat eum Sacerdos signo sanctæ crucis in fronte primum, vbi sedes est pudoris: deinde in pectore, vt intelligat diabolus, expelli se virtute eius, qui in cruce pependit, vnde suam virtutem crux contra eum accepit: neque impedimento sit, quominus, qui baptizatur, & corde credat ad iustitiam, & ore confiteatur ad salutem. Quantum autem exorcismo & catechismo, qui baptismum præcedunt, sancti Patres tribuerint, vel ex eo Chrysostomi loco perspicuum esse cuiuis potest: vbi quę præcedunt baptismum, vocat arcana verba & metuenda, ac horribiles canones dogmatum de cœlo transmissorum. Talia visa sunt priscis temporibus viris grauissimis: Nunc non desunt homines impij, qui cachinnis etiam ea prosequi non verentur. Gregorius quoq; Nazianzenus hortatur baptizandum, vt ne ægrè ferat exorcismi culturam longiorem, neq; ob ipsius prolixitatem defatigetur. Ea enim, inquit, ritè, quæ ad gratiam spectant, peragantur. Quæ verba Nicætas exponens, exorcismum definit: exorcismus est cōscripta verborum series, in qua is qui Baptistæ munere fungitur, diabolum Dei nomine adiuratum, ab eo qui baptizatur, excedere, & procul fugere iubet.

*Hom. 40. in epist. ad Corinthios.*

*In oratione in sanctum lauacrum. Marc. 9. Luca. 17.*

Post exorcismum leguntur super baptizandum orationes, vt fiat catechumenus, hoc est, vt edoceri possit mysterium sacræ fidei, quæ cùm Dei solius donum sit, ab illo petendam esse docemur, qui & adiuuat in credulitatem nostram, & fidem adauget: qui nisi docuerit intus, frustra vox hominis docentis foris perstrepit. Rectè autem atq; ordine fit, quòd præcedit catechismum exorcismus: priùs enim eripi vasa necesse fuit iniusto possessori diabolo, ac ita demum in possessionē victoris illius transferri, qui captiuā duxit captiuitatē.

*Orat. in sacrum Bapt.*

*Psal. 67.*

Quòd verò sal in os infantis imponit Sacerdos, quòd aures & nares posteà sputo linit. aurium linitio significat receptionem doctrinæ fidei: narium, approbationem: sal missum in os, confessionem. Aperiuntur aures ad audienda mandata Dei: nares, ad percipiendum odorem notitiæ eius: labia ad respondendum Sacerdoti de fide interroganti. Facit autem & hæc Sacerdos ad imitationem Christi, quem legimus liniuisse lutum super oculos cæci, & iussisse abire vt blueret: misisse deinde digitos in auriculas surdi, dixisseq; Epheta, quod est aperire: expuentem etiam tetigisse linguam muti. Huius autem linitionis minimè recentem vsum esse, vel ex Ambrosij scriptis videre licet.

*Sal & lutum. Ioan. 9. Marci. 7.*

*De sacra lib. 1. ca. 1.*

Legitur autem dum catechisatur baptizandus, Euangelium, admonentur posteà susceptores siue patrini, vt manus imponant capiti paruuli baptizandi, ac eius nomine profiteantur symbolum & orationem Dominicam. Tenentur autem susceptores dare operam, vt instruantur paruuli, cùm ad vsum rationis peruenerint, de ijs, quæ ad fidē pertinent. Quos & Augustinus in sermone quodam admonuit his verbis: Admoneo fratres charissimi, quicunq; viri, quęcunq; mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, agnoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum extitisse, & ideò semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant. Meminit susceptorum Dionysius quoque.

*Euangelij lectio Susceptorum officium, vt fide instruātur baptizati. Serm. 163. de tempore.*

Quod autem benedictiones cum impositione manum super catechisandum fiunt, causa hæc est, vt qui semel per exorcismum pulsus iam est diabolus, ei reditus præcludatur.

*Eccle. Hier. cap. 2.*

Introducitur posteà baptizandus in Ecclesiam, ac interrogatus à Sacerdote, respondet per susceptores suos, (nisi fortè sit adultus, tum enim ipse loquatur necesse est) abrenunciare se Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, ac Christo se coniungi velle: in cuius etiam rei signum, singulos articulos fidei, de quibus interrogatur per Sacerdotem, credere se respondet. De hac abrenunciatione ita scribit Augustinus: In veritate & non in falsitate potestas diabolica exorcisatur in paruulis, eiq; renunciant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur. Idem ad Valerium scribens, antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse dicit, qua exorcisantur & sufflantur paruuli. Ioannes Chrysostomus nihil hac voce scribit esse tutius: Abrenuncio tibi satana, si ipsam per opera exhibeamus. Hæc enim, inquit, vox, confœderatio cum Domino est, & sicut nos seruos ementes, ipsos qui venduntur prius interrogamus, an nobis seruire velint: ita facit & Christus, quando debet te in seruitutem capere, prius interrogat, an velis illum crudelem tyrannum dimittere & immitem, & à te fœdera susципere. Non enim coactum est ipsius imperium. Hortatur itaq; non modò cùm in forum prodimus, verumetiam cùm fuerimus egressi ianuæ vestibulum, ijs prius verbis vtamur. Abrenūcio tibi satana, & coniūgor tibi Christe: nec, vnquam absq; hac voce exeamus. Hæc sit nobis baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. De hac abrenunciatione, sic ab Hieronymo quoq; scriptum legimus: In mysterijs primum renunciamus ei, qui in occidēte est, nobisq; moritur cum peccatis, & sic versi ad orientem pactum inimus cum Sole Iustitiæ, & ei seruitores nos esse promittimus. In Concilio Parisiensi pluribus verbis docetur, quid sit abrenūciare diabolo, operibus eius & pompis eius: simul etiam, quod summopere omnes fideles meminisse oporteat pacti quod in baptismate cum Deo fecerunt.

*Benedictio & manuum impositio. Abrenunciatio. De nupt. & concup. lib. 1. cap. 20.*

*De nupt. & concup. lib. 1. cap. 29. Hom. 21. ad populum Antioch.*

*In editione nouissima Conciliorum tomo 3. lib. 1. cap. 9. & 10.*

Posteaquàm abrenunciauerunt diabolo, & Christo nomen dederunt, vngit eos Sacerdos oleo, more athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt, vt futuri iam Christi athletæ designentur: quibus colluctatio futura est, non aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Qua de re ita scribit Augustinus: Christi nomen à Chrismate dictum est: Chrisma autem Græcè, Latinè vnctio nominatur. Ideò autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Sed & ante eum Cyprianus: Vngi quoque necesse est eum, qui sit baptizatus, vt accepto Chrismate & vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Quin & vetustissimi Dyonisius & Tertullianus vnctionis meminerunt. Iustinus quoq; martyr. Vnguento porrò inungimur eius memoriā recolentes, qui vngūenti perfusionem sepulturę causa fieri voluit, & figura quidē in hac vita, veritate autem in futura,

*In amos cap. 6. Vnctio pectoris & scapularum. Eph. 6. Tract. 33. in Ioan. Lib. 1. epist. 12. Dion. eccle. hier. cap. 7. Tert. de baptismo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In respons. de necess. quæst. 137.*

tura, vt participes fiamus, & eorum quæ perpessus est Christus, & eius gloriæ. Vngitur autem & in pectore, vt intrepidus diabolo resistat charitate erga Deum inflãmatus, cui nihil est difficile, & inter scapulas, vt ad suaue iugum Domini ferendum tanto fiat robustior.

*Matth. 11. Immersio trina quid. Damas. leb. 4. cap. 10. Epist. 4. cap. 3. Græss. 124.*

Vnctione facta baptizatur, ac ter immergitur: quę trina immersio, vt est apud Damascenum, tres dominicæ dies sepulturæ repræsentat, vel etiam trinitatem personarum. Ante Damascenum autem idem à Leone quoq; Pontifice annotatum est. Sepulturam, inquit, triduanam imitatur trina demersio: & ab aquis eleuatio, resurgentis ad instar est de sepulchro. Et ante vtrunque Athanasius: quod infantem in aquam ter immergimus, mortem & triduanam Christi resurrectionem significat. Et Gregorius Nissenus: In terra quidem non sepelimur, sed ad terræ cognatum elementum aquam venientes, in illa sicut Seruator in terra, nos abscondimus. Idq; cùm ter simul facimus, triduò peractam nobis resurrectionis gratiam effingimus.

*In lib. de S. baptismate. In baptismo perfusio & aspersio. Baptismi aqua consecratur. Lib. 4. epist. 7. Amb. lib. 2. cap. 5. Chrismatis linitio. Coloss. 3. In baptismo vestis candida. Amb lib. de ijs initiantur qui mysterijs cap. 7. Dionys. eccles. hist. cap. 2. Albati. Dominica in albis cur dicta. Susceptores. Eccl. hist. lib. 7. Cognatio spiritualis. Rom. 6.*

Neq; verò id ita fieri necesse est, vt non vna immersione baptismus absolui possit, qua & vnum esse Deum, qui trinus est in personis, & semel tantùm mortuum, nec deinceps amplius moriturum significetur. Quod etiam in Concilio quodam Toletano in detestationem erroris cuiusdam ita constitutum esse legimus, vt vna tantùm fieret immersio. Quin & ipsa immersio prætermitti rectè potest, ac vel sola aspersio, vel perfusio, qua multi nunc vtuntur, sufficit, quemadmodum Cyprianus etiam testis est. Porrò aquam qua baptizabatur, consecrari prius consueisse, tradit Basilius ad Amphilochium scribens, & Ambrosius de Sacramentis, Et Cyprianus ad Ianuarium scribens.

Baptizatum puerum signat cruce, cum Chrismate in vertice capitis Sacerdos super cerebrum, vt hoc signo illum admoneat, quandoquidem vetus homo crucifixus in illo est, atque cum Christo consurrexit, vt in nouitate vitæ ambulet, quæ sursum sunt quærat, vbi Christus est in gloria Dei sedens, quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram: quãdoquidem ex terreno cœlestis, ex Adæ filio, DEI filius factus est, vt iam non ad aliam illi magis, quàm ad cœlestem hæreditatem aspirare fas sit.

Posteà dat illi vestem candidam, vt sit indicium, quemadmodum scribit Ambrosius, quòd exuerit inuolucrum peccatorum, & induerit innocentiæ casta velamina. Meminit etiam Socrates post Dionysium in ecclesiastica historia candidæ vestis huius, quæ dabatur baptizatis. Quin & adhuc durat nomen dominicæ in albis. Nam in primitiua ecclesia fuit mos, vt non baptizarentur nisi in vigilia Paschæ, & Pentecostes. Qui itaq; baptizabantur in vigilia Paschæ, incedebant veste candida induti per octo dies, ac vocabantur albati, atq; octauo demùm die vestem albam deponebant: vnde tractum nomen dominicę in albis.

*In baptismo cereus ardens. Osea. 2. Matth. 25.*

Quod autem Susceptores, quos Patrinos vocant, adhibentur in baptismo, qui quasi sponsores paruulorum voluntatis esse videntur, atq; instruere baptizatos de ijs, quæ ad fidem pertinent, obstricti sunt: est & hoc, sicut Dionysius testatur, Apostolicę traditionis. Contrahi autem cognationem ex baptismo, recens non est. Antiquissimus Origenes huius cognationis meminit, explicans illum Pauli locum: Lucius & Iason, & Sosipater, cognati mei: Hanc inquit, cognationem vel consanguinitatem arbitror esse ex baptismo contractam.

*In tribus primis Catechesibus Mystagogicis.*

Datur extremò baptizato cereus ardens, vt meminerit, quandoquidem sponsauit eum sibi Christus in fide, cumvenerit sponsus ad nuptias, quo se præparet ad occurrendum ei cum lampade non extincta sicut fatuæ illæ virgines, sed ardente, hoc est, cum fide, non illa mortua, sed quæ igne charitatis accensa, ociosa esse non potest.

*Lib 3. cap. 17. Constitut. Apost. Baptismi cæremoniarum significationes & in ijs ordo. Lib. 7. cap. 23. const. Apost.*

Hic perspicere licet, quàm nihil non sacrum, nihil non veneratione dignum sit in his cęremonijs, in quibus recòdita sunt mysteria multa homini Christiano cognitu cum primis necessaria, quæ vt scrutetur diligentius, per exteriora hæc excitari videtur. Non sunt itaq; temerè prætermittendæ, quas ipsis etiam Apostolorum temporibus obseruatas, ac deinceps longo seculorum tractu nunquam intermissas, ad hęc vsq; nostra tempora, ex vetustissimis quibusq; scriptoribus abundè liquere potest. Inter quos Cyrillus Hierosolymitanus, & eum sequutus Gregorius Nazianzenus diligẽter cęremonias omnes in baptismo solitas, obseruari persequitur. Præ cæteris verò Clemens Petri successor, baptismi rationem explicans, his verbis vtitur: Datur, inquit, baptismus in mortem IESV, aqua pro sepultura: signatio, pro cruce: vnguentum est confirmatio professionis. Mentio fit Patris, vt causæ, & mittentis Spiritus sancti, vti testis: Demersio significat, quòd commorimur, emersio quòd resurgimus. Et alio loco: Baptizare debes in nomine Patris, qui misit, Christi, qui venit, Paracleti, qui testimonium dedit: Vnges autem prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremò consignabis vnguento, vt vnctio sit participatio Sancti spiritus, aqua sit Symbolum mortis, vnguentum sigillum pactionum. Si desit oleum, vel vnguentum, sufficit aqua & ad vnctionem, & ad sigillum, & ad promissionem morientis, vel potius commorientis. Et aliquot capitibus interiectis, de abrenunciatione, de mystici olei, & mysticę aquæ, & vnguenti mystici benedictione, pluribus verbis tractat. Verùm nos reliqua persequamur.

*Cap. 41. 42. 43. & 44.*

## *De Sacramento Confirmationis.*

## CAPVT XXX VIII.

*2. Timoth. 2.*

BAptismus intrantium est, vt diximus: confirmatio verò pugnantium. In Baptismo Christo nomen damus, & eius milites efficimur, atq; ad incundum prælium cum aduersarijs potestatibus præparamur, coronam accepturi, si victores euaserimus: Neq; enim coronabitur quisquã, nisi qui legitimè certauerit. Est quidẽ ita, quòd si qui baptizatur, paruulus præsertim, ex hac vita statim vt baptismũ accepit, migrauerit, citra vllã dubitationẽ, nõ suis verũ Christi, quę induit, cuius corpori



*Confirmationis causa & necessitas.*

corpori insitus est, meritis, coronam gloriæ consequitur. Sed cui iam vsum rationis adepto, post acceptum baptismum vitam Deus in hoc seculo propagare dignatur, non est quòd existimet is, nihil aliud sibi restare post baptismũ, quàm vt credat ociosus: Imò persuasum sibi hoc habere debet, se ad graue certamen vocari. Quod nisi certauerit bonum hoc certamen, cursumq; consummauerit, nihil est quod se iustitiæ coronam, quæ non est reposita nisi legitimè certantibus, assequi posse speret. Neque enim perinde oppugnat homines ante baptismum Satanas, atq; post: nam qui non sunt baptizati, eos pro suis habet, & omnem in eos tanquam sibi subiectos, potestatem exercet: Qui verò castra sua deseruerunt, atque ad Christi vexillum confugerunt, eos à potestate sua ereptos dolet, ac omni insidiarum genere pertrahere rursus in eam, in qua fuerunt ante captiuitatem conatur. Ipse etiam Christus documento nobis esse potest, quem non prius aggressus est tentare Satanas, quàm fuisset à Ioanne baptizatus.

*Iob. Ephe. 6. 2. Thim. 4.*

*Nondum baptizatos pro sibi subiectis habet diabolus. Matth. 12. Luc. 11. Matth. 4.*

Quamobrem cùm in baptismo non ad fidem ociosam, sed ad pugnam periculosam vocati simus, ad quam rectè gerendam vires nostræ sufficere nequaquam possunt, dare nobis remedium dignatus est Christus in Sacramento confirmationis, in quo confertur nobis is, cuius ope adiuti, facilè possumus & carnem & mundum, & eum cui semel in baptismo renũciauimus, diabolum superare. Is est Spiritus sanctus, qui adiuuat infirmitatem nostram: qui nisi præstò nobis adesset, turpiter nos ex acie fugere, atq; hostibus nostris terga dare oporteret, quorum maior est vis, quàm vt solis humanis viribus ei resistere queamus. Quãobrem sicut in baptismo Spiritum sanctum accepimus in remissionem peccatorum, ita in confirmatione datur nobis idem Spiritus sanctus in robur contra hostes nostros, quo adiuti atq; animati facilius impetum eorum propulsare queamus.

*Iob. cap. 41.*

*Confirmationis antiquitas. Epist. 3.*

Sacramenti huius meminit Petri successor Clemens, ac absque eo negat aliquem perfectum Christianum esse, aut sedem habere inter perfectos posse, si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit. (His enim ille verbis vtitur.) Acmox subdit: Quod à Petro inquit, accepimus, ac cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. Sententiæ Clementis Cornelius quoq; subscribere vester Pontifex & Martyr, ad Fabium scribens, cùm de Nouato, qui iam baptizatus fuerat, dicit: Nec reliqua consequutus est post morbum, quæ iuxta Ecclesiæ canonem consequi debebat, obsignationem videlicet ab Episcopo collatam. Cùm autem illa potitus non sit, quomodo Spiritum sanctum est consequutus. Quæ epistolæ illius verba in libris Ecclesiasticæ historiæ Ensebij legere licet.

*Obsignatio. Lib. 6. cap. 35.*

*Materia. Forma.*

Materia huius sacramenti est Chrisma ex oleo oliuarum & balsamo confectum. Forma est hæc, quòd præmisso nomine eius, qui confirmatur, dicit Episcopus. signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vt replearis eodem Spiritu sancto, & habeas vitam æternam. Simul vt ad signum & elementum visibile vnctionis, quę fit in fronte Chrismate, verbum accesserit, fit sacramentum, hoc est sacrę rei, nimirum inuisibilis gratiæ, qua confertur Spiritus sanctus, signum visibile. Simul enim vt prolatis verbis vnctus fuerit confirmandus, eucstigiò datur ei Spiritus sanctus, qui tueatur eum aduersus insidias diaboli qui vires & robur suppeditet ad omnes aduersarias potestates debellendas. Cùm itaq; tam sacrę rei signum sit confirmatio, & quidem efficax, nihil est quòd quisquam dubitare queat, ei sacramenti nomen tribuere, cùm ab ipsis Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra fuerit inter sacramenta numerata. Certè Augustinus vocat sacramentum Chrismatis: quod quidem, inquit, in genere signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Non minus id quam ipsum baptismum sacrosanctum esse vult. Ambrosius, vocat illud spirituale signaculum.

*Confirmatio sacramentum est. Lib. 2. contra liter. Petiliani. Cap. 104. Cap. 7. de ijs qui initiantur mysterijs.*

Quòd autem in hoc sacramento Spiritus sanctus conferatur, aperta sunt scripturę testimonia. Legimus in actis de Petro, & Ioanne, quòd imponebant manus super illos, qui Dei verbum in Samaria receperant, & erant baptizati in nomine Domini IESV, & accipiebant Spiritum sanctum. Acrursus alio loco de Paulo: Quo facto imposuit illis manus. Hoc ex actis priore loco producto Cyprianus. Quod inquit, nunc quoq; apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consumentur. Qui etiam alio loco nomen illi sacramenti manifestè tribuit, dicens: Parum est eis manum imponere ad accipiendum spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum: tunc enim plenè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si sacramento vtroq; nascantur.

*De sacram. lib. 3. cap. 2. Act. 8. In confirmatione confertur spiritus sanctus vires cõtra diaboli potestates suppeditans. Act. 19. Cyprianus de rebaptizandis hæreticis ad Iubaianum. Fabianus in Epist. Lib. 2. epist. 11. ad Stefanum. Ioan. 13. Chrismatis antiquitas & consecratio. Optat. lib. 2. ca. 4. Dio. Eccl. hierar. cap. 4.*

Neq; verò quia Chrismatis mentio non fit, ideò putandum est eius vsum non fuisse temporibus Apostolorum. Extat inter alia in libro Conciliorum epistola sancti Fabiani Pontificis & martyris, qui fuit à Petro decimus octauus, quam scripsit ad Episcopos orientales, in quà disertis verbis testatur, quòd postquam cœnauit Dominus cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, Chrisma conficere docuit, Sicut, inquit, à sanctis Apostolis præcessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt. Et subdit: Ipsa enim lotio pedum, nostrum, significat baptismum, quando sancti Chrismatis vnctione perficitur atq; confirmatur. Hęc ille ante mille trecentos annos. Et eius æqualis Cyprianus, aut quisquis fuit operum quæ inscribuntur de Cardinalibus Christi operibus auctor, librũ etiam edidit de Chrismate. Quod etiam in ampulla seculo suo consecrari solitum fuisse meminit Optatus. Sed & vtroq; vetustior Dionysius Areopagita copiosè de eo multa scripsit, sanctiq; Doctores passim in multis locis meminerunt. Ante mille centum annos in Carthaginensi tertio & quarto, & Toletano primo concilijs, posteà verò in Anthisiodorensi & Bracarensi fuit constitutum, vt ne quisquam alius præter Episcopum Chrisma consacrare auderet. Quod etiam à Leone Pontifice cautum est, dum ad Germaniæ & Galliæ scribit Episcopus. Est autem materia Chrismatis cum primis idonea ad exprimendam significationem eius rei, quæ non modò

*Epist. 88. Chrismatis materia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



significatur, verùm etiam confertur in hoc sacramento. Datur enim in hoc sacramento plenitudo Sancti spiritus ad robur spirituale, quod perfectæ iam ætati conuenit, ad quam cùm peruenit homo, incipit: actiones suas ad alios quoq; communicare, cùm anteà sibi soli viueret. Gratia itaq; Sancti spiritus designatur oleo. Vnde & Christus dicitur vnctus esse oleo lætitiæ, propter plenitudinem Sancti spiritus, quam habuit. Admiscetur autem balsamũ, propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. Hoc est quod dicit Apostolus: Christi bonus odor sumus, Quamobrem non quia non est expressè quicquam in scripturis de eo traditum, id circo vsum eius fuisse negandum est. Rectè enim ab Augustino scriptum est: Non omnia, quæ facta sunt ab Apostolis, etiam scripta inueniuntur, veruntamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Fit autem vnctio in fronte Chrismate signo crucis, quod nisi adhibeatur, siue frontibus credentiũ, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, nihil eorum ritè perficitur, dicit Augustinus: Fit itaque in fronte tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat: quin illud potius præ se ferat: de illo glorietur, in illo fidat: ex illo animum sumat viriliter contra hostes pugnandi.

*Psal. 44.* *Balsamum cur misceatur oleo.* *2. Cor 2.* *Aug. epi. 108.* *Chrismate cur in fronte vnguntur fideles.* *Tract. 118. in Ioan.* *Aug. in Psalm. 30. concione 2.*

Institutum autem est hoc Sacramentũ à Christo, non exhibendo, sed promittendo: Promisit enim ille cùm dixit: Ego mittam promissum patris in vos. Item: Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: Non ille per se, sed per Apostolorum ora sacramentum hoc patefacere nobis voluit, neq; id sine causa. Nã cùm sacramentum hoc contineat in se plenitudinem Sancti spiritus, quæ confertur omnibus, qui Chrismate consignantur quamdiu Christus in hoc seculo versabatur, hæc plenitudo Sancti spiritus dari non debuit. Sic enim ille dixerat: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Quamobrem antequam in cœlum Christus ascendisset, dari plenitudo sancti spiritus non debuit: quod etiam ille locus indicat: Nondum erat Spiritus sanctus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Neque verò propterea minoris auctoritatis esse debet hoc sacramentum, quod à Christo promissum tantùm, ab Apostolis verò est exhibitum. Nam nõ minus ratum est, dicit Cyprianus, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quòd ipse Christus tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.

*Confirmatio à quo instituta.* *Luc. 24.* *Ioan. 14.* *Ioan. 16.* *Ioan. 7.* *In ser. de ablu. ped.* *Confirmare est Iulius Episcopi.* *Euseb. epi. 83.*

Minister aũt huius sacramenti, quod vocat sacramentum manuum impositionis Eusebius Pontifex non est nisi Episcopus, q; præter Apostolos nemo sacramẽtum hoc contulisse legitur, quemadmodum etiam ab Vrbano, Damaso, Innocentio, & Leone sanctissimis Pontificibus traditum est. Constitutum autem id esse scribit Hieronymus, ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. Quin & in Aurelianensi & Meldensi Concilijs idem est constitutum. Notandum scribit venerabilis Beda, quòd Philippus qui Samariæ Euangelizabat, vnus de septuaginta fuerit. Si enim Apostolus esset, ipse vtiq; manum imponere potuisset, vt acciperet Spiritum sanctum, hoc enim solis Pontificibus debetur. Nam Presbyteris, siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos vngere licet: sed quòd ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum baptizatis.

*Epist. 4.* *Epist. 1. c. 2.* *Leo epist. 88. cons.* *Lucif.* *In act. Apo. c. 8.*

*Confirmationis varij fructus et effecta*

Quò magis autem vis huius sacramenti cognosci possit, visum est adscribere quædam ex epistola Melchiadis Papæ, quam ille ante mille ducentos annos ad Episcopos Hispaniæ conscripsit. De ijs verò, inquit, super quibus rogitastis vos informari, id est, vtrum maius esset sacramentum manus impositio Episcoporum, aut baptismus, scitote vtrunq; magnum esse Sacramentum: Et sicut vnum à maioribus, fit, id est, à summis Pontificibus, quòd à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum est. Sed ita coniuncta sunt hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non potest. Nam vnum præueniente morte saluare sine altero potest, aliud autem non potest. Vnde scriptum est: In diebus illis, dicit Dominus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Aduertamus summas diuitias bonitatis Dei, quod in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donauit vniuersis. Sed quia diximus, quòd manus impositio & confirmatio ad baptismi perfectionem pertineant, & qui iam regeneratus in Christo est, confirmare aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione noui generis indigemus. Non ita, dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, vt cùm Imperator quemcunq; in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adiumentum militiæ. Nunquid prodest, si quisquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Itaq; paracletus regeneratis in Christo, custos ,, & consolator, & tutor est. Ideò dicit sermo diuinus: Nisi dominus custodierit ciuitatem, fru ,, strà vigilat, qui custodit eam. Ergo Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero de ,, scendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter visibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Ac si continuò transturis sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat, mox in pace beati seculi recipiendos: confirmatio autem armat & instruit, ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Qui autem post baptismũ, cùm acquisita innocentia, immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia non po

*Psal. 126.* *Ioel. 2.*



potest peccare post mortẽ. Hic si fortè illud etiam requirere velimus, post passionem & resurrectionem Christi, quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti, ipse Dominus eis euidenter exponit: Quæ dico, inquit, vobis, nõ potestis ea portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem. Vides, quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. Itaq; ante descensionẽ Spiritus sancti, vsq; ad negationem Apostoli deterrentur: post visitationem verò eius, vsq; ad martyrium contemptu salutis armantur. Secundum hoc per Christum redimimur, per spiritum verò sanctum dono sapientiæ spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consummamur, vt illam Sancti spiritus vocem audire possimus: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris. De Spiritu sancto accipimus, vt spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus inter bonum malumq; discernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt malitiæ ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac diuersis illecebris & fœdis, indignisq; cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto acipimus vitæ amorem, & gloriæ ardorem, vt succensi diuinitus erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus. Hæc ideò visum est ex epistola sancti Pontificis adscribere, vt & dignitas & effectus huius sacramenti iuxta eam doctrinam, quæ fuit ante tot sæcula, cognosci posset. Cæterùm non esse dissimulandum putauimus, quòd vidimus homilias quasdam sub Eusebij Emisseni nomine editas Lutetiæ. Anno 1561. in quarum vna, quæ est in die Pentecostes, omnia hæc, quæ Melchiadi Pontifici tribuuntur, ad verbum descripta sunt, ab eo loco incipiendo. In diebus illis, &c.

*Psal. 31.* *1. Cor. 2.*

Porrò q̃ ad Chrismatis rationẽ pertinent, accuratius ea persequitur in tertia sua mystagogica Catechesi Cyrillus. Quo etiam in loco non dubitauit, ijs verbis vti. ὡσπερ γὰρ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐκέτι ἄρτος λιτός, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον οὐκέτι ἁπλοῦν, οὐδ' ὡς ἄν ἕτεροί τις κατὰν μετ' ἐπίκλησεως, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίας τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον. Quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti spiritus inuocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquam iam consecratum est: sed est Charisma, quod Christi & Spiritus sancti, id est, diuinitatis eius præsentiam efficit. Persequitur autem idem Cyrillus diligenter omnes ritus, & cæremonias, quibus vtimur in baptismo, & hac, & duabus præcedentibus catechesibus. Ex quo facilè perspicere licet quantum sacro chrismati prisci patres tribuerint etiam ipsis Apostolorum temporibus. De sectatoribus verò Nouati Theodoretus narrat, quòd his qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbent: quo circa eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi iusserũt. Hos igitur authores nostri quoq; temporis hæretici sequi videntur, quando chrisma nõ modo reiciunt, verum etiam cachinnis prosequuntur.

*Cyrillus.* *Theod. hær. fab lib. 3.*

## *De Sacramento Eucharistiæ.*

## CAPVT XXXIX.

PEr baptismum exuto veteri homine, nouam quandam vitam ingredimur, & Christi militiæ adscribimur. Quò fortius autem ac virilius hostium impetũ propulsare queamus, in sacramento confirmationis chrismate vngimur: in quo nobis datur Spiritus sanctus, qui & fiduciam ad pugnandum, & robur præstet ad hostes superandos. Cæterum cui non modò viuendum, verum etiam pugnandum est, is alimonia si destituatur, neq; viuere diù, neq; vires ad resistendum habere potest. Quare cùm & vita, quam ingressi sumus baptizati, & pugna, quam gerimus chrismatis vnctione confirmati, vtraque sit spiritualis: pater ille misericordiarum, & Deus totius consolationis, vt ne vires nostræ deficerent, de spirituali nobis alimonia prouidendum esse putauit. Qua in re singularem suam erga nos charitatem, maioremq; quàm vt vlla vis orationis eam satis explicare queat, nobis declarauit. Neq; enim vulgari aliquo & vsitato cibi genere, sed sui sanctissimi corporis, sui preciosissimi sanguinis alimento nos reficiendos esse putauit: quod Angeli videntes tremunt, nec absq; pauore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, eo vt aleremur nos dignos iudicauit: quò sic in vnam cum illo massam reduceremur: vnum Christi corpus omnes, vna Christi caro effecti. Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor vnquã suis membris oues suas nutriuit? Quàm multas matres videmus, quæ non suis vberibus, quos pepererunt infantes lactauerunt, sed eos nutricibus alendos dederunt? At non ita Dominus noster Iesus Christus. Nulla dilectio, non dicam verbis explicari, sed neq; cogitatione concipi tanta potest, quæ sit cum hac illius dilectione conferenda. Proprio illecorpore suo, proprio sanguine suo nos alere, sibiq; coniungere & conglutinare dignatus est. Illud ipsum corpus, quod pro nobis in cruce pependit, illum ipsum sanguinem, qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorum, nobis in cibum & potum dedit. Ipsum, vt suo loquitur, & non ipsum: ipsum quidem materiali essentia, sed non ipsum visibili forma. Ipsum quidem, sed non eo ipso modo, quo fuit in cruce. Nam neque sub illa specie visibili, qua pependit in cruce: sed ipsum quidẽ inuisibile sub visibilibus panis & vini speciebus: neq; quale fuit tũ, quũ esset cruci affixum, corruptioni & morti obnoxiũ, sed prorsus incorruptibile iam & immortale, Christus enim resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi amplius non dominabitur. Illud corpus nobis manducandum dedit, quod per clausum Virginis vterum

*Eucharistiæ effecta.* *Eucharistia cib. est.* *Psalm. 109.* *Matres ne nutricibus proles nutrient.* *das dent. admonentur.* *In Eucharistia qua le corpus Christi.* *In epist. ad Halmericum Abbatem.* *Rom. 6.* *Ioan. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



terum transiuit, quod clauso tumulo resurrexit, quod per clausas ianuas in eum locum, vbi erant Apostoli, ingressum est: corpus spirituale, corpus incorruptibile, corpus glorificatum.

*Sacramẽtum quid.*

Aliud est igitur in hoc sacramento quod oculis cernitur, aliud quod sola fide comprehẽditur. Et propterea à vocatur sacramentum: sacræ rei signum, & quidem efficax. Sacra res, cuius est signum hoc sacramentum, est viuum & verum corpus: est viuus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: quod ita per species istas visibiles panis & vini significatur, vt simul sub illis re ipsa, quamuis inuisibiliter contineatur. Est præterea signum inuisibilis gratiæ, quæ confertur dignè accedentibus sub istis panis & vini visibilibus speciebus, qua de re posteà disseremus. Nam illud admonendum prius duximus, esse quoddam discrimen inter hoc sacramentum, & alia, quæ & ipsa materiam habent sensibilem. Nam Eucharistia continet in se rem sacram absolutè, nimirùm Christum ipsum, quo nihil magis est sacrosanctum: aqua verò baptismi continet rem sacram, quatenus ad alium illa refertur, & alij communicatur: continet enim virtutem ad abluendum, ad sanctificandum, ad iustificandum. Eadem est & Chrismatis, & similium ratio. Quamobrem sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa materiæ consecratione, alia verò non perficiuntur nisi in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Exempli gratia: Si benedicatur aqua baptismi, manet nihilominus aqua: neque enim fit vlla ipsius transmutatio: neq; sacramentum dicitur, nisi cùm homo abluitur. At in hoc sacramento simul vt ad elementum panis & vini, verbum accesserit, fit sacramentum: fit, vt Chrysostomus dicit & Theodoretus, μεταστοιχίωσις, hoc est, Transmutatio Quo verbo etiam Damascenus vtitur: vel vt Theophylactus μεταστοίχωσις, hoc est, transelementatio, vel vt in magno illo Concilio Lateranensi, in quo & Cõstantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchæ præsentes adfuerunt, definitum est, fit transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Ante quod, aliquot etiam seculis scripsit his verbis venerabilis ille Beda: Panis fit per transmutationẽ corpus Christi. Transit enim substantia panis in Corpus Christi, non forma.

*Inter Eucharistiã & alia sacramenta discrimen.*

*Transsubstãtiatio. Transelementatio Chrys. in Missa. In Polymorpho Dialogo. Theoph. in cap. 14. Marc. Dam. lib. 4. c. 14. In librum Boetij. de Trinitate.*

Quamobrem audiendi non sunt, qui negant esse Christi corpus, nisi cùm sumitur. Fuit hic error etiam Cyrilli temporibus (cuius etiam Thomas meminit) qui scribens ad Calosirium Episcopum Arsinoitem, his verbis vtitur. Libet enim ea Græca adscribere. ἀκούω ὅλ εἰς ἀγιασμὸν ἄτοκλον φασὶν τὴν μυστικὴν εὐλογίαν, εἰ ἀπομείνοι τὰ λίψανα αὐτῆς εἰς ἑτέρων ἡμέραν: μάγονται δ ταῦτα λέγοντες, οὐ γὰρ ἀλλοιοῦται Χριστὸς, οὐ τὸ ἅγιον αὐτὸ σῶμα μεταβληθήσεται, ἀλλ' ἡ τῆ εὐλογίας δύναμις κ ἡ ζωοποιὸς χάρις δυνατικὴς ἐστὶν ὁ αὐτός. i. Audio, inquit, quòd dicãt, mysticam benedictionem si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse: Sed insaniunt hæc dicentes: Non enim alius est Christus: neq; sanctum eius corpus immutabitur, sed benedictionis virtus & viuifica gratia perpetuò manet in illa. Hæc ille ante mille ducentos annos. Et eius hãc Epistolã diu q̃sitã tandẽ Coloniæ typis mandatam inuenimus, Anno 1573. & à Bonauentura Vulcanio Latinam factam. Benedictionem autem vocat Eucharistiam. Sicut & Chrysostomus explicans illum locum: Calix benedictionis. Cùm benedictionem, inquit, dico, Eucharistiam dico, & dicendo Eucharistiam, omnẽ benignitatis Dei thesaurum aperio, & magna illa munera commemoro.

*Chrys. homil. 24. in epi. 1. ad Corint.*

Quæ autem per Deum immortalem hæc est audacia atq; amentia, Christi præsentiam in sacramento temporibus & momentis circumscribere velle? deniq; tanquam finium regundorum fis arbiter constitutus, inter sacramentum & sacramentum fines & terminos distinguere? Verbi gratia: Si sumpserit communicaturus, sit ita demùm sacramentum: ne sit autem, si non sumpserit. Quid si eo animo communicaturus accedat, vt statim sumat: quoniam verò non temerè dictum est illud, Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra, subitò ac repentino casu aliquo ne sumat impediatur, aut animi passus deliquium aut comitiali morbo correptus, aut quicquid tandem eiusmodi euenerit, quod impedimento sit, quòd minus sumere queat, quin dicent isti finium regundorum arbitri à Satana constituti? Continuóne Christum à Sacramento discedere, an expectare paulisper dum ad se redeat communicaturus, dum respiret, dum vires colligat ad sumendum? Quòd si pro sua benignitate Christus expectet aliquantisper, scilicet isti præscribent moræ terminum? vt vnam horam, mediam, aut quartam communicaturum impeditum expectet, duas ne expectet. Quis est q statuere possit, absurdane magis an impia sint hæc Sataniſtarum commenta, quæ non modò cum verbo Dei, verumetiam cum ipso communi sensu pugnare videntur?

Ecquam scripturam proferunt isti, qui scripturas erroribus suis libenter obtendunt, ex qua possint ostendere, non esse sub speciebus istis corpus Christi, nisi cùm sumitur sacramentum. Dixit Christus, Hoc est corpus meum. Nunquid addidit quando sumitur? quod certè addidisset ille, qui tantoperè fuit salutis nostræ sitiens, nec nos reos idololatriæ fieri passus esset, si extra sumptionem Christum in hoc sacramento adoraremus. Indicare videtur Gregorius quoq; Nissenus, Basilij Magni frater, errorem hunc suo tempore fuisse, cùm dicit: ὁ ἄρτος καθὸς φησὶν ὁ ἀποστόλος, ἁγιάζεται διὰ λόγου θεοῦ κ ἐντεύξεως, οὐ διὰ βρώσεως πρωΐαν εἰς τὸ σῶμα γενόμενον τοῦ λόγου, ἀλλ' ἔνθις πρὸς τὸ σῶμα: διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος καθὼς εἰρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτ' ἔστι τὸ σῶμα μοῦ. Panis, vt inquit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem, non per manducationem eo progressus, vt corpus fiat verbi: sed statim in corpus per verbum transmutatus: quemadmodum dictum est à verbo, quòd hoc est corpus meum. Posset his rectè dici, quòd illi populo dictum est quondam ab Elia: Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal sequimini illum. Si Christum Deum agnoscitis, sequimini illum: credite illi dicenti: Hoc est corpus meum: non solùm cùm sumitur, sed statim etiam vt verbo Dei consecratur: cuius verbi Dei, non sumptionis

*Cap. 37. sermonis catechetici.*

*3. Reg. 18.*



tionis meæ, aut alterius virtute, quod erat ante consecrationem panis, fit corpus Christi. Neque enim manducatio mea, sed sermo Christi, panis & vini substantiam conuertit in substantiam corporis & sanguinis Christi. Sin autem non creditis Christo dicenti, Hoc est corpus meum, quod re vera facitis, cur id obscurè fertis? cur non apertè confitemini vos Baal sequi & illius Prophetis credere, qui dicunt: hoc non est corpus meum: nõ est verum quod dixit Christus: non est corpus, sed significat corpus: non est corpus, sed est figura corporis Christi. Si sic detecta persona rem ageretis, quis non statim agnosceret angelos satanæ? quis non quo summo posset studio ab illis sibi caueret? Sed verum est quod dicit scriptura: Erat serpens callidior cunctis animantibus: Nulla est astutia, quæ cum illius astutia possit comparari. Intelligit ille, qui non aliundè constat nisi ex dolo & fallacijs, si se subitò talem exhiberet qualis re vera est, nihil se profecturum. Nam si statim prorumperet per membra sua, & diceret: Non est corpus Christi, sicut ipse dixit, sed significat modò corpus: est figura corporis: quis esset, qui quos tam impiam vocem proferre audiuisset, eos ferendos, ac non auserendos potius, atque extremis supplicijs afficiendos censeret? Quamobrem pedetentim callidissima bestia in mentes hominum illabendum, ac per gradus quosdam ad extremam hanc impietatem eos adducendos esse putauit. Principio verbi Dei speciem prætexens (neque enim ad homines decipiendos alia magis apta & expedita via est) de speciebus huius sacramenti disceptationem induxit, vt sic, cuius rei symbolum est hoc Sacramẽtum, charitatem ex animis hominum tolleret, vnitatemq; scinderet. Deinde corpus exangue dari nobis ad manducandũ, neq; verum sanguinem, sed cruorem dari bibendum persuadere conatus est: affirmando quòd sub specie panis corpus tantùm sine sanguine, sub specie vini sanguis tantùm sit sine corpore. Hac ille arte cùm effecisset, minus vt iam reuerenter ad hoc sacramentũ homines accederẽt, quod fruſtrà ab eo vita expectetur, in quo vita non est, progressus est vlterius: Neq; tamen statim negauit esse corpus Christi sed panem in sacramento simul esse cum corpore Christi docuit, iam pridem sopitam Ioan. Vicleffi, & Ioannis Husi hæresim renouans: cùm tamen Christus non dixerit, hic panis est corpus meum, sed hoc est corpus meum.

*Gen. 3. In hæreticis diaboli astutia ad Eucharistiæ sacramentum abolendum.*

*Panis & vinum in Eucharistia in Christi corpus verum et sanguine.*

Explicans Augustinus illam inscriptionem Psalmi: Psalmus Dauid, cùm mutaret vultum coram Abimelec, & dimisit eum, & abijt: ac locum illum ex libris Regum, secundum editionem septuaginta, pertractans, Ferebatur in manibus suis: Hoc verò fratres, inquit, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum portari potest homo, suis manibus nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum, Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Videtur autem hæc Augustinus ab Ambrosio mutuatus, qui Psalmi locum hunc enarrans, Adorate scabellum pedum eius: Per scabellum, inquit, terra intelligatur, per terrã autem caro Christi, quam hodie quoq; in mysterijs adoramus, & q̃ Apostoli in Dño Iesu adorauerunt, vtrunq; secutus Prosper Reginensis Episcopus Portatus est, inquit, & Iesus dominus in manibus suis, dum suum corpus in sanctificato pane gestans manibus suis, dixit. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: de quibus mysterijs, qui etiam illud nosse desiderat, quomodo sit Dauid saltans ante arcam nudatus coram seruis & ancillis suis, vt Christum crucifixum præsentibus viris, & fœminis demonstraret, venerandæ memoriæ Augustinus dicta inspiciat: quibus latius in his peruagatus penè omnia comprehendit. Seipsum itaque, sicut ab Augustino scriptum est, ferebat Christus in manibus suis, quãdo dixit, hoc est corpus meum, non panem cum corpore, quod nunc per membra sua falsò docet Satanas: Qui posteaquam id persuasit hominibus, manere panem cum Christi corpore, neque parum venerationis huic venerebili sacramento falsa hac doctrina sua detraxit: serpit bestia longius. Neque tamen adhuc audet profiteri quod sentit, verùm concedit esse ibi corpus Christi, sed non alio tamen tempore, quàm quo sumitur: qui verò extra sumptionem adorauerit, eum idololatriæ reum pronunciat. Hoc posito & concesso, tollit sacerdotium, tollit sacrificium, omnem Christi beneficiorum memoriam prorsus obliterare conatur, atq; omni ratione diligenter cauet, ne qua in Ecclesia Dei summi illius & immensi beneficij, quo semetipsum Christus dedit redemptionem pro nobis, fiat repræsentatio. His ex animi sui sententia confectis, tùm demum eò peruenit, quò tendebat initio, vt dicat impius, dicat insipiens in corde suo, non est Deus. Non est Deus in hoc sacramento, non est in eo corpus Christi, merus est panis pistorius, cui diuinos honores tribuere, est idololatrã esse. Hoc si callida & truculenta illa bestia statim initio per mẽbra sua dixisset, nullo negocio semota quauis cunctatione fuisset obstructum os loquentium iniqua: neque facilè quenquam in nassam suam pertraxisset, vt tam impiè voci auscultaret, eique fidem haberet. Verum, vt dictum est, paulatim irrependum in animos hominum, atq; ijs gradibus, qui iam enumerati sunt, incedendum esse putauit, quòd sciret extremè impiam doctrinam non ita subitò Christiano homini persuaderi posse.

*Aug. in Psaml. 33. 1. Reg. 21.*

*Par. 2. c. 25. de præ dictionibus & præmissio.*

Quamobrem quicunq; catholicam & orthodoxam fidem amplectitur, diligenter sibi caueat ab his serpentis insidijs, qui nunquam calcaneo nostro insidiari cessat. Cauendi autem hæc est ratio, si oẽm disputationem fugerit de hoc sacramẽto, in quo stultam Deus fecit sapientiam huius mundi. Nusquam enim Dei maior est tentatio, quàm in hoc sacramento, in quo tentat nos Deus, vtrum credamus illi. Noluit Adam credere Deo, dicenti: In quacunque die comederitis ex hoc ligno, morte moriemini: credidit serpenti decipienti, cùm diceret: Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij. Credidit quod non videbat: nam in illo fructu ligni virtutem tantæ rei effectiuam, quam serpens promisit, oculis nõ cernebat. Credidit serpenti diabolo, non credidit creatori suo Deo, quo illius peccato facti sumus omnes

*De Eucharistia dẽ spitatio fugienda. 1. Cor. 1. Fides probatur in Eucharistia. Gen. 2.*

rei

Universidad de Deusto
Biblioteca



rei mortis æternæ. Sacrilegium illud per istud eucharistiæ sacramentum emendati Deus voluit, vt sine vlla dubitatione crederemus filio, dicenti: Accipite & comedite, hoc est corpus meum: non autem crederemus serpenti decipienti, hoc non est corpus Christi, sed figura eius. Sicut cibum à Deo vetitum Adam gustando è vita beata excidit, sic nos, quem Christus præcepit cibum manducantes, & verbo eius credentes, ad vitam per illum amissam redire oportet.

*Corpus & sanguinem Christi verè esse in Eucharistia.*
*Ioan.6.*
*Psal.115.*
*Rom.3.*
*Psalm.148.*
*Ioan.6.*
*Luc.1.*
*Gal.1.*
*Esa.40.*
*Matt.9.*

Quamobrem non quærat homo Christianus cum Capharnaitis: Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum, sed captiuet intellectum suum in obsequium Christi. Dicat quicquid velit: omnis homo mendax: nos credamus ei, qui solus est verax, Deo, Ipse dixit & facta sunt. Ipse dixit, Hoc est corpus meum: ipse dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Credamus veritati de veritate sui corporis nos admonenti, nec deinceps quæramus, quomodo, Non est impossibile apud Deum omne verbum. Etiam si Angelus de cœlo, nobis aliud annunciaret, quàm quod Christum Dei filium dicentem audimus, anathema sit, non ei credamus. Non potest mentiri veritas. Verbum Domini manet in æternum. Sensus nostri falli possunt: Christus, qui est veritas, neque falli potest, nec fallere. Viderat Petrus Christum in monte transfiguratum, audiuerat vocem de cœlo allatã. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè placui, ipsum audite: & tamè habemus, in

*2.Pet.1.*

quit, firmiorem propheticum sermonem. Certius illi visum est & firmius, quod à Prophetam illi certus visus est, quantò nobis certior videri debet Christi sermo, qui Prophetas inspirauit? Qua de re sic aliquando scripsit Ambrosius: Sermo Christi conficit hoc sacramentum. Quis sermo Christi? Nempè is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quòd iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum: ipse mandauit, & creatum est. Et alio loco: Fortè dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis? Probemus nõ hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit. Maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ? Ac post multa alia exempla eius generis ex veteri Testamento producta subiũgit. Quòd si tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret: quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantùm valuit sermo Eliæ, vt ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quòd non erat, non potest ea, quę sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Sed quid argumentis vtimur? Suis vtamur exemplis, incarnationis ip exemplo astruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præcesserit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueuit. Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine. Cùm autem legis apud Ambrosium, quantò magis operatorius est sermo Christi vt sint quæ erant, & in aliud commutentur. Non sic accipias quasi remaneat ibi panis & vini substantia, sed sint quæ erant secundum visibilem speciem, commutentur autem in aliud secundum interiorem essentiam, hoc est, in corpus Christi. Non dixit, vt sint quod erãt, sed vt ea quæ erant sint, sed aliud quàm erant. Sunt enim species quæ erant, sed non ea substantia quæ erat. Non sunt id quod natura formauit, non sunt panis & vinum: sed in aliud commutantur, & sunt id, quod benedictio consecrauit, hoc est, corpus & sanguis Christi: quia natura ipsa benedictione mutatur non species. Sicut etiam à Cypriano legimus scriptum: Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus. Ad eundem modum qui scripsit eruditas quasdam Homilias sub Eusebij Emisseni titulo, cùm tamen eum Latinum non Græcum fuisse constat. Sicut, inquit, quicunque quiad fidem venit exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi corpus, & sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? imò iam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio suscitare: cui facilè fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiam suæ diuinitatis induere: cui promptum est eum rursum reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine Angelum facere: corpus humanum conforme corpori claritatis suæ reddere, & figmentum suum in regni sui consortio sublimare, vt qui corpus nostræ fragilitatis assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis

*Lib. 4. de sacramento. c.4.*
*Sermo Christi operatorius est.*
*Psal.148.*

*De ijs qui initiantur mysterijs c.9.*
*Benedictionis maior vis quàm natura.*

*Exod.4.*

*4.Reg.1.*

*Euseb. hom.5.de Paschate.*

*Panis & vini in consecratione in corpus verum Christi & sanguinẽ transubstantiatio.*



talitatis assumat. Ad quam glorioſam reſurrectionem pijs vos operibus præparare dignetur, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Hæc Euſebius. Nec dissimilia his apud Ioannem Damascenum in 4. lib. de fide orthodoxa reperire licet.

Cyrillus quoq; Hieroſolymitanus Græcus (cuius catecheſes communicauerat nobiſcum, Romæ cùm eſſemus, Guilhelmus Scirletus Protonotarius Apoſtolicus, vir pius & doctus, nec mediocri trium linguarum peritia præditus, quam etiam ob cauſam dignus eſt à Pio IIII. Pontifice iudicatus qui in ſacrum Cardinalium collegium referretur) in quarta ſua catecheſi, quam de hoc ſacramento conſcripſit, ijs verbis vtitur:

Καὶ αὐτὴ τοῦ μακαρίου Παύλου ἡ διδασκαλία ἱκανὴ κατὰδεῖξαι ἦν πληροφορῆσαι ἡμᾶς περὶ τῶν θείων μυστηρίων, ὧν καταξιωθέντες, σύσσωμοι καὶ σύναιμοι τοῦ Χριστοῦ γεγόνατε. αὐτὸς γὰρ ἄρτῳ ἔφη, ὅτι ἐν τῇ νυκτὶ ἢ παρεδίδοτο ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς, λαβὼν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔκλασε καὶ ἔδωκε τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς, λέγων, λάβετε, φάγετε, τοῦτό μοῦ ἐστι τὸ σῶμα, καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας, εἶπε λάβετε, πίετε, τοῦτό μου ἐστι τὸ αἷμα. αὐτῷ οὖν ἀποφαινομένου, καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα· τίς τολμήσῃ ἀμφιβάλλειν λοιπὸν, καὶ αὐτοῦ τοῦ βεβαιοῦντος, καὶ εἰπόντος, τοῦτό μου ἐστὶ αἷμα, τίς ἐνδοιάσῃ ποτὲ, λέγων μὴ εἶναι αὐτὸ αἷμα: τὸ ὕδωρ, ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν, οἰκεῖον αἵματος ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβάλλων εἰς αἷμα, εἰς γαμον σωματικὸν κληθεὶς, ταυτην θαυματοῦργησεν τὴν παραδοξοποιΐαν, ἢ τῆς ὑοῖς τοῦ νυμφῶνος, οὐ πολὺ μᾶλλον τὴν ἀπόλαυσιν σώματος αὐτοῦ καὶ τὸ αἷματος διῤῥηγμένος ὁμολογηθήσεται, ὡς τε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ, ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα. ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτῷ. οὕτω γὰρ καὶ Χριστοφόροι γινόμεθα. τῷ σώματος αὐτοῦ καὶ τῷ αἵματι, εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδεδεγμένοι μέλη. οὕτω, κατὰ τὸν μακάριον Πέτρον, θείας κοινωνοὶ φύσεως γινώμεθα. ποτὲ Χριστὸς τῆς Ἰουδαίοις διαλεγόμενος ἔλεγεν, ἐὰν μὴ φαγητέ μου τὴν σάρκα, καὶ πίητέ μου τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς, ἐκεῖνοι μὴ ἀκηκοόδες πνευματικῶς τῶν λεγομένων, σκανδαλιζόντες ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, νομίζοντες, ὅτι ὀπτὰ σαρκοφαγίαν αὐτοὺς προτίθεται. ἦσαν ἐν παλαιᾷ διαθήκῃ ἄρτοι προθέσεως, ἀλλ' ἐκεῖνοι παλαιᾶς ὄντες διαθήκης, τέλος εἴληφασιν. ἐν δὲ τῇ καινῇ διαθήκῃ ἄρτος οὐράνιος. καὶ τὸ ποτήριον ζωτικόν, ψυχὴν καθαίρον καὶ σῶμα ἀγιάζοντα. ὥσπερ ὁ ἄρτος σώματι καταλλήλος, οὕτω καὶ ὁ λόγος τῇ ψυχῇ ἁρμόδιος, μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ. Σῶμα γὰρ καὶ αἷμα τὸ Χριστοῦ, εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησις σοι τοῦτο οὐκ ἀπαγγέλλει, ἀλλὰ πίστις σε βεβαιούτω. μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνης τὸ πρᾶγμα ἀλλὰ ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφορῶ ἀνενδοιάστως, σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθείς, καὶ ὑπαγορεύει σοι Δαβὶδ τὴν δύναμιν, λέγων ἡτοίμασας ἐνώπιον μου τράπεζαν, ὅς ἐναντίας τῶν θλιβόντων με. ὅδε λέγει, γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστός ἐστιν ὁ κύριος. πρὸ τῆς σῆς παρουσίας, τράπεζαν οἱ δαίμονες τοῖς ἀνθρώποις ἡτοίμασαν, ἠλγημένῳ καὶ μεμιασμένῳ καὶ διαβολικῆς πεπληρομένῳ δυνάμεως, ἀλλὰ μετὰ τὴν σὴν παρουσίαν ὦ δέσποτα ἡτοίμασας ἐνώπιον μου τράπεζαν, ὅταν ἄνθρωπος λέγει δεῦρο, ἡτοίμασας ἐνώπιον μου τράπεζαν, τί ἄλλο σημαίνῃ, ἢ τὴν τράπεζαν, ἣν ὁ θεὸς ἡμῖν ἡτοίμασεν ἧς ἐναντίας ἀντιτέθεται, ἐκ τοῦ ἐναντίου ἀνελκομένου τοῖς δαίμοσι, καὶ μάλα εἰκότως. Ἐκείνη μὲν γὰρ κοινωνίαν εἶχε δαιμόνων. αὕτη δὲ κοινωνίαν θεοῦ. ἐλίπανας ἐν ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου, ἐλίπανέ σου τὴν κεφαλὴν ὅτι μετώπου διὰ τὴν σφραγίδα ἣν ἔχεις τοῦ θεοῦ, ἵνα γένησαι εἰς τύπωμα σφραγίδος, ἁγιάσματος θεοῦ. καὶ τὸ ποτήριόν σου μεθύσκον με ὡς σὲ κράλεσον ὅρας ἐναῦθα ποτήριον λεγόμενον, ὁ λαβὼν Ιησοῦς μετὰ χεῖρας, καὶ εὐχαριστήσας, εἶπε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, διὰ ὃ καὶ Σολομὼν λαὸν ἀφιλόμυρος τὴν χάριν. ἐν ᾧ ἐκκλησιάσῃ, λέγει. δεῦρο φάγε ἐν εὐφροσύνῃ τὸν ἄρτον σου τὸν πνευματικὸν δεῦρο καλεῖ, καὶ εἰς τὴν σωτήριον καὶ μακαροποιὸν κλῆσιν. καὶ πίε τὸν οἶνον σου τὸν πνευματικὸν, οἶνος καὶ ἔλαιον ὑπὲρ κεφαλὴν ἔχειδῶ ὁρᾷς αὐτὸν καὶ τὸ μυστικὸν αἰνιττόμενον χρῖσμα. καὶ διαπαντὸς ἔστω σου τὰ ἱμάτια λευκά, ὅτι εὐδόκησε κύριος τὰ ποιήματά σου ἀποδυσάμενος τὰ παλαιὰ ἱμάτια καὶ ἐνδυσάμενος τὰ πνευματικὰ καὶ λευκά, καὶ λευχημονεῖν διαπαντὸς, οὐ πάντως δὲ τολμῶμεν ὅτι σὲ δεῖ λευκὰ ἱμάτια περιβεβλῆσθαι ἀεὶ, ἀλλὰ τὰ οὕτως λαμπρὰ καὶ λευκὰ ἀναγκαῖον ἐστι περιεβεβλῆσθαι. ἵνα λέγῃς κατὰ τὸ μακάριον Ησαΐαν, ἀγαλλιάσθω ἡ ψυχή μου ἐν κυρίῳ ἐνέδυσε γὰρ με ἱμάτιον σωτηρίου, καὶ χιτῶνα εὐφροσύνης περιέθηκέ με. ταῦτα μαθὼν, καὶ πληροφορηθείς, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν εἰ καὶ τῇ γεύσει ἀπέτος, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος, οὐκ οἶνος ἐστιν. εἰ καὶ ἡ γεύσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ, καὶ ὅτι περὶ τούτου ἔλεγεν ὁ Δαβὶδ ψάλλων καὶ ἄρτος καρδίαν ἀνθρώπου στηρίζῃ. τὸ ἱλαρύνειν πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ στηρίζει τὴν καρδίαν, μεταλαμβάνων αὐτὸ ὡς πνευματικὸν, καὶ ἱλαρὸν τὸ τῆς ψυχῆς σου πρόσωπον, ὁ γένοιτο σε ἀνακεκαλυμμένῳ ἔχοντα ἐν καθαρᾷ συνειδήσει θεᾶσθαι αὐτὸ τὴν δόξαν, ἐν Χριστῷ Ιησοῦ ᾧ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δοξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Α̅ΜΗΝ.

*Cyrilli Hieroſo. catecheſis quarta.*

**Quæ nos ita in Latinã linguam conuertimus. Vel ipsa beati Pauli doctrina abundè sufficere videtur, vt certam vobis de diuinis mysterijs fidem faciat, quibus digni reddi-**
**ti, concorpore i, vt ita dicam, & consanguinei Christi facti estis. Ipse enim nuper cla-**
**mauit, quòd in nocte, qua tradebatur Dominus noster Iesus Christus, accipiens panem,**
**& gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, hoc est cor-**
**pus meum. Et accipiens calicem, & gratias agens, dixit: Accipite & bibite, hic est san-**
**guis meus. Cùm igitur ipse de pane pronunciauerit ac dixerit, hoc est corpus meum,**
**quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseueranter dixerit, hic est san-**
**guis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius sanguinem? Aquam olim in**
**vinum conuertit in Cana Galilææ, quod quandam habet cum sanguine propinquitatẽ.**

*1.Cor.11.*

*Matth.26.*

*Ioan.2.*

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca



Et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutet? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: Et non multò magis sic eum corpus & sanguinem suum fruenda nobis donasse, persuasum firmiter habebimus, vtea cum omni certitudine tanquàm corpus ipsius & sanguinem sumamus: Nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem: vt cùm sumpseris corpus & sanguinem CHRISTI, efficiaris, vt ita dicam, concorporeus & consanguineus eius. Sic enim efficimur Christophori, hoc est, CHRISTVM in corporibus nostris ferentes, cùm corpus eius & sanguinem in membra nostra recipimus: sic secundùm diuinæ naturæ consortes reddimur. Olim cum ludæis CHRISTVS differens: Nisi manducaueritis, inquit, carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cùm autem illi, quæ dicta fuerant, non spiritualiter accepissent, offensi abierunt retrò: putabant enim, quòd eos ad manducandas carnes hortaretur. Erant & in veteri testamento panes propositionis, verùm illi cùm fuerint veteris testamenti, finem iam acceperunt. In nouo verò testamento, panis est cœlestis & calix salutaris, quæ & animam & corpus sanctificant. Quemadmodum panis corpori congruit, sic sermo hic animæ competit. Quamobrem, non sic hæc attendas velim, tanquam sint nudus & simplex panis, nudum & simplex vinum: corpus enim sunt & sanguis CHRISTI. Nam etiamsi sensus illud tibi renunciat, fides tamen te confirmet. Ne iudices rem ex gustu: sed te citra vllam dubitationem fides certum reddat, quòd sis dignus factus, qui corporis & sanguinis CHRISTI particeps fieres. Cuius rei quæ sit vis, explicat tibi Dauid, dicens: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me. Hoc est autem quod dicere vult: Ante aduentum tuum mensam dæmones hominibus parauerant plenam doloris, pollutam, & refertam omni potentia diabolica: sed posteaquàm tu aduenisti, ô Domine, parasti in conspectu meo mensam. Quando dicit homo, parasti in conspectu meo mensam, quid aliud significat, quàm mysticam illam mensam, quam nobis Deus præparauit ex aduerso? hoc est, quæ planè sit aduersa & opposita dæmonibus. Et rectè id quidem: illa enim communionem habebat cum dæmonibus, hæc verò communionem habet cum Deo. Inpinguasti in oleo caput meum. Inpinguauit caput tuum in fronte per signaculum quod habes Dei, vt per illud efficiare vas sanctificatum Deo. Et calix tuus inebrians quàm præclarus est. Vides hic calicem vocari, quem cùm accepisset Iesus in manus suas, & gratias egisset, dixit: Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Propterea à Salomon quoque cùm gratiam hanc in Ecclesiaste significare vellet: Vade, inquit, comede in lætitia panem tuum spiritualem, veni ad salutarem, & quæ te beatum reddere possit vocationem, & bibe vinum tuum spirituale, vinum & oleum super caput tuum effundantur: (Vides quemadmodum alludat ad mysticum chrisma) & omni tempore vestimenta tua sint candida, quia Deo placent opera tua. Posteaquàm semel exuisti vetera vestimenta, & induisti alba spiritualia, semper te candidis vestitum esse oportet. Non hoc dicimus, vt quoquo modo vestimentis albis induare semper, sed quæ verè nitida sunt & alba, ea te induere oportet: vt cum beato Esaia dicere queas: exultet anima mea in Domino. Hæc cùm didiceris, & cùm certò persuasum tibi fuerit, quòd qui videtur panis, non panis est, quāuis talis gustui videatur, sed corpus CHRISTI: & quod videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus censeat, sed sanguis Christi. Et quoniam de hoc dixit Dauid psallens: Et panis cor hominis confirmat, vt exhilaret faciem in oleo, confirma cor tuum, cùm illum sumpseris tanquam spiritualem cibum, & exhilara animæ tuæ faciem. Vtinam autem hac facie reuelata, cum pura conscientia videre tibi contingat ipsius gloriam, in CHRISTO IESV Domino nostro, cui gloria in secula seculorum, AMEN.

*Corpus Christi verum sub panis, & sanguinem Christi verum sub specie vini nobis dari, clarè exponit.* *2. Pet. 1.* *Ioan 6.* *Exod. 15.* *Psalm. 22.* *Matth. 26.* *Psal. 103.*

Animaduerte Lector diligenter, quòd non dicit in pane, vel sub pane, vel cum pane, sed ἐν τύπῳ, hoc est, in specie vel sub specie panis, dat nobis corpus. Non dicit in vino, vel sub vino, vel cū vino, sed ἐν τύπῳ, hoc est, in specie vel sub specie vini, dat nobis sanguinem. Verùm & illud accuratius expende quod dicit: Qui videtur panis, non panis est, quamuis talis gustui videatur, sed corpus Christi. Et videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus censeat, sed sanguis Christi. Quasi diceret: Est quidem ibi species panis & vini, sed res ipsa non est. Manente enim specie, res ipsa, hoc est panis, in substantiam corporis, & vinum in substantiam Christi sanguinis transformatur vel transelementatur.

*Aug. ad Neophitos.* *Hom. de Euchar. in Encenijs.* *Lib 4. c. 14.*

Sed & Augustinus in sermone quodam. Hoc accipietis, inquit, in pane, quod pepēdit in cruce: & hoc accipietis in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit enim illi mors & non vita, qui mendacem putauerit vitam. Neque multò secus Iohannes Chrysostomus, qui fuit Augustini æqualis. Num vides, inquit, panem? Num vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Atq; Ioannes Damascenus cùm pleraque scripsisset in eandem sententiam, sicut ex Ambrosio citauimus, subiungit posteà: Non est figura, panis & vinum, corporis & sanguinis CHRISTI: absit enim hoc: sed est ipsum corpus Do-



Domini deificatum: ipso Domino dicente: HOC EST MEVM (non figura corporis) sed CORPVS: & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis: Quoniam nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et rursus: Qui manducat me, viuet. Ac Damasceno posterior Theophylactus: Attende, inquit, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantum figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis: sed caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Qui verò multò fuit vetustior Eusebius Emissenus verba cœnæ Domini exponens. Exponit, inquit, Dominus in hoc loco quod significaret cùm alibi diceret: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ecce sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Panem & vinum virtute ineffabili in sui corporis & sanguinis substantiam conuertit. Sicut enim Dominus & viuebat & loquebatur, & tamen à discipulis suis comedebatur, & bibebatur ita modò integer & incorruptus manet, & à fidelibus suis in panis & vini Sacramento quotidie bibitur & manducatur. Nisi enim panis & vinum in eius carnem & sanguinem verterentur, nunquàm ipse corporaliter manducaretur & biberetur. Mutantur enim ista in illis, comeduntur & bibuntur illa in istis: quod qualiter fiat ipse solus nouit, qui omnia potest & omnia nouit. Dixit enim tunc per se, dicit & modò per suos ministros. Hoc est corpus meum. Et tanta est eius verbi virtus & efficacia, vt statim fiat quod dicitur. Et hoc aliquot seculis posterior vir doctissimus Rupertus abbas Tuitiensis, qui vixit ante annos quadringentos. Nonne hic idem Euangelista Ioannes dicit in Apocalypsi? Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri huius, auferat Deus partem eius de libro vitæ. Nunquid verò minus timenda est hic illa maledictio, vt non detrahamus vel apponamus quicquam verbis dicentis, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur? Hic est sanguis meus? Cū enim illo dicente, hoc est corpus meum, nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figuratiuum, vel per similitudinem dictum: cùm, inquam, illo dicente, hoc est corpus, nos dixerimus, hoc significat corpus, nonne multum est, quod apponimus, vel parua demutatione detrahimus, & sensum generamus, quem tantus auctor Deus & homo nunquam est loquutus, nec ascendit vnquàm in cor eius? Nēpè cùm obijcit quis, suisq; scriptitat in schedulis, quòd itidem dixerat eadem veritas: Ego sum vitis, tam audacter quàm imperitè in argumentum mendosum illud attrahit: cùm statim subsequentia verba dicentis, sicut palmes non potest fructū ferre à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis: manifestè per similitudinem dictum compellant intelligi, præsertim cùm non signanter dixerit, ego sum hæc vitis, sicut signanter dixit, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, apposita protinus descriptione veræ proprietatis de corpore inquiens, quod pro vobis tradetur, de sanguine autem, qui pro multis effundetur. Igitur ne veniant super nos plagæ nouissimæ, nec; apponimus, nec; diminuimus quicquam diuinæ definitioni vel descriptioni, quam in carnatum verbum ore proprio deprompsit. Imò quia perfecta charitas foras mittit timorem, non tam plagarum timore, quàm veritatis amore confitemur, quòd panis iste corporeus postquàm signauerit eum pater, & vinum hoc expressum acinis præsentibus, mox vt eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi: vsq; in mei memoriam facietis, corpus & sanguis eius, qui huius traditionis auctor est, & hoc sacrificiū ipse Christus est: cuius passionis, vt sacrificium fieret à Deo patre in veritate signatum est. Docet idem, tres modos esse essentiæ, quibus Christi corpus est in Eucharistia, quartò autem differre. Est enim nomine, re, atq; effectu. Est nomine, quia summus cœlorum Pontifex, qui cùm sit ipsa veritas, nomina non vana rebus imponere solet, adeò fortiter hoc nomen impressit, vt non solum diceret, hoc vocetur corpus meum, hic vocetur sanguis meus, sed hoc est, inquit, corpus meum: hic est sanguis meus. Est etiam re, quia nimirum sanctum sanctorum est, quia verè in illa specie, qua traditus & lanceatus est, ipse sanctus sanctorum est. Est nihilominus effectu, quia quam verè in illa specie, qua pependit in cruce, remissionem peccatorum operatus est omnibus, qui illam expectabant ab origine mundi cum fide, sine legalibus fidei sacramentis à iusto Abel vsq; ad latronem, quem in cruce confitentem suscepit: tam verè in ijsdem speciebus panis & vini eandem remissionem operatur omnibus, qui sunt ingressi, vel ingrediuntur ad eam fidem, postquàm illa species hinc trāsiuit, & in cœlum sese recepit. Quartò idem specie differt, quod & plurimū prodest: non modò ne color & sapor humani sanguinis horrorem sumentibus illum faciat, sed vt competenti antidoto nimia parentum nostrorum curetur credulitas. Crediderunt enim deceptori diabolo in eo, quod non videbant, videlicet quod illi signo cōsequēdæ diuinitatis effectiua virtus ineesset, & comedētes mortui sunt. Credamus econtra fideli saluatori Deo, in eo quod nō videmus, scilicet panē & vinū in verā corporis, & sanguinis trāsiuisse substantiā: vt comedentes atq; bibentes viuamus in æternū.

*Matth. 26.* *Ioan. 6.* *In ca. 6. Ioan.* *In cap. 6. Ioan.* *Euseb. Hom. in dominica palmarum.* *Rupertus in cap. 6. Ioan. Apoc. vlt.* *Obiectio.* *Ioan. 15.* *Solutio.* *1. Ioan. 14.* *In Canone Missæ.* *In Eucharist. quomodo sit & tribus modis in ea esse dicetur.* *Corpus Christi.* *Eucharist. nomina quam figura, signū, similitudo, & exēplar dicitur & explicatur.* *Rom. 6.* *Coloss. 1.* *Heb. 1.*

Ac reperiuntur quidem veteres, figuram, signum, similitudinem, exemplar, sacramentum hoc appellasse: verùm non ita, vt ideò veritatem in eo corporis & sanguinis Christi negarent. Nam & Paulus quòd Christus à morte ad vitam resurrexit, nostri à morte peccati, ad vitam gratiæ resuscitationis similitudinem esse vult. Nunquid ideò veram fuisse mortem, veram Christi resurrectionem negauit? Dicit idem Paulus de Christo, quòd sit in similitudinem hominum factus, num ideò non eum verum hominem esse dicimus? Vocat idem Christum imaginem inuisibilem Dei, & figuram substantiæ patris, erit autem quisquam tam excors, vt propterea Christum Deum inuisibilem, & eiusdem esse cum

Universidad de Deusto
Biblioteca



patre substantiæ negare audeat? Itaque nihil impedit, quò minus idem mysterium & sit veritas, & figura dicatur. Quemadmodum pluribus id verbis Rabanus in suo libro, quem de Sacramento Eucharistiæ inscripsit, ostendere conatur. Proferunt Augustini verba Petrus Lombardus, & frater eius Gratianus, & Algerus: corpus Christi & veritas & figura est: Veritas, dum corpus CHRISTI & sanguis virtutè spiritus in verbo ipsius, ex panis viniqúe substantia efficitur. Figura verò, quod exterius sentitur. Quæ tamen verba non facilè reperiuntur apud Augustinum, sed esse Paschatij videntur, qui in libro de Corpore & sanguine Domini, modò non ijsdem verbis vtitur. Ex quibus apertè videre licet id, quod ipsi quoque sensus nobis renunciant, aliud esse quod videtur, aliud quod intelligitur. Neque enim quæ videntur species panis & vini, sunt ipsum Christi corpus: quod sub illis realiter continetur, sed rectè dici possunt figuræ quædam, siue exemplaria Christi corporis. Repræsentant enim nobis illud Christi corpus exangue, quod in cruce pro nobis pependit: simul & sanguinem, qui fusus est ibidem in remissionem peccatorum nostrorum, quod exangue corpus, & cruor ab illo separatus, nequaquam sub istis speciebus continetur, sed est ibi verus & integer Christus, cum carne, sangine, anima, & diuinitate sua, qualis à Thoma post resurrectionem visus fuit & palpatus. Repræsentant præterea istæ species mysticum Christi corpus, quæ est colligatio Christianorum ad inuicem, velut membrorum sub vno capite. Vocauit etiam Damascenus hæc mysteria exemplaria futurorum, verùm quo sensu, ipse interpretatur, dicens: Non quòd non verè existant corpus & sanguis Christi, sed quòd nunc quidem per ipsa participes reddimur Christi diuinitatis, tũc autem videbimus eum sicuti est, facie ad faciem. Hoc & Cyprianus indicat, dicés: Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestius edemus in cœlis, non ministerio corporali, sæpè repetitis actionibus ad eundem reuertentes, sed consummato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, qua proferet se palam, absq; vllis integumentis, omnibus conspicabilis, summi præsentia sacerdotis.

Cap. 12. Lib. 4. Dist. 10. Grat. De Consec. dist. 2. c. Quia corpus.

In Eucharistia species quid repræsentent. Lib. 4. c. 14.

In ser. de Cœna Domini.

Itaq; ante quingentos etiam annos illa fuerunt Augustini verba catholicis obiecta, quæ ex libro sententiarum Prosperi citant ijdem illi, quorum suprà meminimus. Sicut ergo cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm re vera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce suspensum est, vocaturq; ipsa carnis immolatio, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non in rei veritate, sed significante mysterio: Sic sacramentũ fidei, quo baptisma intelligitur, fides est. Vnde idem Beatus Augustinus ad Bonifacium: Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento, non solùm per omnes Paschæ solennitates, sed omni etiam die pro populo immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quãdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, pleraque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est. Quod ibi dicit Augustinus, secundum quendam modum, non excludit præsentiam realem corporis Christi, sed singulari modo quodam ibi veritatem adesse declarat. Quem alio quodam loco explicat, id est, non vt videatur, quia non hoc corpus, inquit, quod videtis comesturi estis, sed spirituali modo, non sensibus exposito, nec illo manifesto modo in cœlo contemplabimur.

Aug. ad Bonifaciũ.

Sacramentum corporis Christi Corpus Christi est.

Fidei sacramentum fides est. In Psal. 98.

Sed audiamus, quid ijs olim responderit Algerus. Notandum, inquit, est, immolationem, quam nõ rei veritate dixit fieri, sola similitudine sacramẽti veram immolationẽ Christi repræsentantis mortem, passionem, crucifixionem ipso mysterio significante debere intelligi: sicq; baptisma quod est sacramentum fidei, non in rei veritate, sed sola similitudine fidem dici. Quod verò veram carnem Christi suo modo corpus Christi dixit vocari, cùm re vera sui ipsius sacramentum sit, non ita intelligendum, quasi non verè dicatur corpus Christi, sed suo modo, id est, sibi singulariter proprio: quia cum omne corpus sit visibile atque palpabile, solum corpus Christi post resurrectionem mutata natura non substantia, non est corporale, sed spiritale, inuisibile, vt dictum est superius. Quòd verò dixit ad Bonifacium, Augustinum sicut sacramentum corporis Christi secundum quendam modum corpus Christi est, ita sacramentum fidei fides est, intelligendum est de forma panis & vini, quæ non verè, sed figuratè & nuncupatiuè dicitur corpus Christi. Quia igitur Augustinus ad comprobandum, quod sacramentum fidei, fides diceretur, duas similitudines dedit, vnam actualis sacramenti, immolationis scilicet imaginariæ: alteram verò realis, formę scilicet panis & vini, vt sicut immolatio imaginaria figuratè vocatur mors, crucifixio Christi, & sicut forma panis & vini figuratè vocatur corpus Christi, sic sacramentum fidei, scilicet baptisma figuratè vocatur fides: Notandum, quòd in altera harum similitudinum, cœlestem panem, qui verè Christi caro est, non communi, sed suo & quasi proprio modo corpus Christi vocari dixit: Quia scilicet corpus illud non corporale sed spiritale & diuinum præ omnibus corporibus singulariter vidit: In altera autem sacramentum corporis Christi, id est, formam panis, absolutè secundùm quendam modum corpus Christi dixit, quia communi figura non existentium quod dicũtur illud dici corpus Christi notauit. Quod aũt inuisibile corpus Christi sacramentũ visibilis corporis Christi dixit, intelligibiliter tantùm per exteriorem aliquam actionem, & non sensualiter accipiendum est. Quomodo enim more cæterorum sacramentorum visibilium, id quod videri non potest rei visibilis esse poterit signum, nisi exterioris alicuius actionis circa se imaginem habuerit? Hæc Algerus.

Algerus lib. 3. de sacrament. Eucharist. c. 18.

Gui-



Guimundus verò eadem Augustini verba adferens: Hoc, inquit, libera facultate intelligere possumus dictum esse de manna, vel de pane, vel vino Melchisedech, vel de aliquo veterum sacrificiorum, quæ sacramenta corporis & sanguinis Christi fuerint. Possunt enim quodammodo per figuram corporis & sanguinis Christi appellari, sicut petra vocatur Christus. Et ideò non satis attendit homo quid apponat. Nam si ex abundantia de sacramentis quoque altaris nostri id velimus accipere, fidelis & facilis intelligentia patet. Cùm enim sacramenta nostra sint substantiuè corpus illud quod est filij Dei proprium, sunt quodammodo per figuram ipsum corpus Christi, cuius sacramenta sunt, id est, Ecclesia. Quod in expositione super Ioannem confirmat Augustinus his verbis: Hunc itaq; cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est ecclesia. Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, & de dominica mensa sumitur. Idem in quodam sermone de sacramentis. Quia passus est, inquit, pro nobis, commendauit nobis in isto sacramento sanguinem suum & corpus, quod etiam fecit, & nos ipsos: nam & nos ipsius corpus facti sumus per misericordiam ipsius, & quod accepimus, nos sumus. Ecce quomodo cibum & potum altaris, dixit esse quodammodo societatem corporis, quod est Ecclesia: Non quod ipse cibus & potus sit ipsa societas, sed ipsius societatis sacramẽtum: Et hoc quod accepimus dixit quodammodo esse nos, quia nostri sacramentum. Ita ergo corpus Christi proprium est quodammodo per figuram illud corpus Christi, cuius est sacramentum, quod est Ecclesia: Nec mirum, cùm ipse Dominus per Propheram dicit: Indumento iustitiæ circũdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Se dicit sponsum, quia ipse sponsus est, se dicit sponsam, quia ipse est quodammodo illud corpus suum, quod est Ecclesia, cuius ipse est sacramentum. Hanc intelligentiam nobis apertissimè similitudo sequuta commendat. Sicut enim dicimus proprium corpus Domini, alterius sui corporis, quod est Ecclesia, sacramentum: sic baptismum visibilem, visibilis alterius inuisibilis scilicet baptismi cognoscimus sacramentum. Est namq; baptismus exterior, aqua visibilis carnem abluens: est baptismus interior, fides inuisibilis animam simili modo purificans, teste beato Apostolo, qui ait: Fide mundans corda eorum. Et iterum: Sic & nos saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Proinde satis conuenienti & sana fide intelligere possumus dixisse Augustinum, sicut sacramentum corporis Christi, id est, sicut illud proprium filij Dei corpus, quod est sacramentum corporis Christi, quæ est Ecclesia, secundum quẽdam modum corpus Christi est, illud scilicet cuius est sacramentum, id est Ecclesia: ipsa enim sponsus: ipse secundum quendam modum & sponsa: ita sacramentũ fidei, id est, exterior baptismus pro eo quòd fidei signum est, secundum quendam modum fides est.

Guimundus contra Berengarium li. 2.

Esai. 61.

Actor. 15. 1. Pet. 3.

Ex his patrum sententijs cuiuis perspicuum esse potest, quæ fuerit Ecclesiæ catholicę per vniuersum orbem diffusæ, iam inde ab Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra tempora constans fides de veritate corporis & sanguinis Christi: Itaq; totis mille & amplius annis inconcussa stetisse videtur Ecclesiæ fides de præsentia Christi corporis & Sanguinis in venerabili Eucharistiæ Sacramento, Quod etiam confessus est ipse Ioannes Vicleff, quemadmodũ à Thoma Valdensi citatur. Anselmus quoq; testatur his verbis. Inter omnes inquiẽs hæresium diuersitates, quæ singulæ suo tempore impugnauerunt petram super Petrum ædificatam, & quæ in soliditate sua permanente petra collisæ, in illa, vt lutea vasa, sunt confractæ: huius quæstionis nec mentio facta est, nisi in Nestoriana hęresi sola. In qua assertores eius, in persona Christi diuina ab humanis penitus separantes, Mariam Theotocon, id est, Dei genitricem penitus negantes, sed solius hominis matrem esse affirmantes, cum requirerẽtur: Corpus quod de mensa Domini sumimus, cuius esse profiterentur? hæretica prauitate vel temeritate ad suum errorem detorquebant verba Domini dicentis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, Et ex his verbis astruere conabantur, quod ibi sumimus, carnem esse tantũ filij hominis, ne si illud corpus Domini esse confiterentur, contra se loquerentur, consentientes in Christo Deo & homine esse vnitatem personæ. Hæc Anselmus. Theodoretus autem, quo tempore vixit Ignatius, hæreticos fuisse scribit, qui non confitebantur Eucharistiam esse carnem saluatoris, quæ passa est pro nobis. Tertullianus verò, Martionem eius auctorem fuisse vult. Cæterum ante septingentos plus minus annos dubitari nonnihil ea de re cœptũ est. Quam etiã ob causam à Carolo Caluo Rege iussus presbyter quidã Bertramus librum scripsit, in quo quale corpus in Eucharistia contineretur, explicare conatus est: atq; ita perplexè materiam hãc tractauit, vt quid senserit intelligi vix queat: ac magis in eorum sententiam propendere, sit visus, qui præsentiam Christi corporis in hoc Sacramento negant. Nil tamen is egit ea de re pertinaciter. Quin suam insciitiam propemodum confessus, libellum suum his verbis clausit: si hæc minus placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ, quę quod optauit, minus efficaciter valuit explicare. Neq; desunt qui negent hunc librum à Bertramo scriptum vnquam fuisse. Pertinacior autem paulò fuit in ea sententia Iohannes Scotus Monachus Benedictinus æqualis Bertrami. Cuius librum ea de re scriptum nobis videre non contigit. Verùm adeò non fuit hæc illius opinio recepta, vt cùm eam in auditorio publicè defendere conaretur, graphijs discipulorum prius excæcatus, deinde confixus, iustam impiæ suæ doctrinæ mercedem acceperit. Quoniam autem vixit eodem illo seculo Paschasius, librum & ipse scripsit de corpore & sanguine Domini in Sacramento Eucharistiæ, quo quæ minus Catholicè dicta fuerant, à Bertramo & Scoto, confutauit.

De Sacrament. corporis Christi. ca. 18. c. 18. de sacrament.

Dialog. 3.

Lib. 4. cont. Marcionem.

Bertramus.

Ioan. Scotus.

Paschasius de Eucharistia scripsit.

Ex huius autem Scoti libris hæresim suam hausisse Berengarium narrat Lanfrancus, primus

Berengarij hæresis vnde.

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus vt ille fuisse videatur, qui manifestè Christo aduersari non dubitaret dicenti: Hoc est corpus meum: ac figuram, significationemq; corporis esse affirmaret. Quam etiam ob causam à Leone Nono Pontifice Romæ Concilio congregato, communione sanctæ Ecclesiæ fuit priuatus. Quoniam autem id absente Berengario factum erat, & adfuturus propediem sperabatur: eodem anno. Vercellense Concilium fuit indictum. Ad quod ipse quidem non venit, duo tamen Clerici, qui se legatos eius dixêre, præstò fuerunt. Qui cùm defendere Berengarium, & eius errorem tueri vellent, primo statim congressu victi sunt. Itaq; post exactam de veritate Christi corporis & sanguinis in Eucharistia disquisitionem, Berengarius perpetuo anathemate, nisi resipisceret, ab eodem Pontifice damnatus est. Mortuo verò Leone, cum nondum prorsus malum esset sopitum, Victor secundus Papa Concilium Turonis congregauit, in quo tum præsidebat illius nomine Hildebrandus, qui postea Papa factus, Gregorius septimus fuit appellatus. Coram hoc Berengarius panem & vinum in Sacrificio Domini non vmbraticè, sed verè Christi carnem & sanguinem fieri, dato propria manu Sacramento confirmauit. Sed accidit illi, quod est in prouerbio: Canis ad suum vomitum reuersus est: & sus lota in volutabro cœni. Quapropter mortuo Victore, Nicolaus secundus Romæ Concilium iterum celebrauit, vbi rationibus apertissimis conuictus Berengarius, coram Pontifice & vniuersa synodo centum tredecim Episcoporum errorem suum anathematizauit, & confessionem bonam (libet enim Guimundi verbis vti) quam Turonis fecerat, præbito identidem propriæ manus Sacramento, libris q; suis in medio Concilio vulcano traditis, renouauit illis verbis, quæ in decretorum & sententiarũ libris videre licet. Mortuo verò Nicolao, tertiò in eundem errorem recidit. Quamobrem denuò Romam accercitus est, anno millesimo septuagesimo nono, mense Februarij. Pontificatus Gregorij septimi anno sexto, vbi cùm ipsius causa toto biduo diligenter examinata fuisset, errorem suum tertio die confessus, coram vniuerso Concilio, tertiò palinodiam cecinit, & abiurata hæresi, veniã nihilominus impetrauit. Nec ex eo tempore fuisse relapsus legitur. Quin illud potius de eo scribit æqualis eius Guilhelmus Bibliothecarius Malmesberiensis, quòd cùm in Epiphaniarum die mortem instare sibi videret, producto gemitu, recordatus quot miseros quondam adolescens, primo erroris calore, secta infecerit. Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus: propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam: vel propter alios, vti timeo, ad pœnam. Sic ille non mediocrem dolorẽ ostendit, quòd multos mortalium in hunc tam impium errorem adduxisset. Oppugnauerunt autem Berengarium strenuè, Lantfrancus & Anselmus Cantuarienses: Guimundus Auersanus: Fulbertus Carnotensis: Hugo Lingonienses: Adelmanus Brixiẽsis, Episcopi. Hildebertus Archiepiscopus Turonẽsis, & Algerus monachus Cluniacẽsis. Primus igitur here sis huius auctor Berengarius fuisse videtur, cum ante illum nemo tam apertè dogma ecclesiæ de Eucharistia oppugnauerit, quem tamen illius ex animo pœnituisse, non obscuris cõiecturis colligere licet. Itaq; cùm, ipso palinodiam canente, fuisset extincta, nondum anni centum intercesserant, cùm per Petrum à Brugis fuit renouata. De quo scribit Petrus Cluniacensis, quòd Zelus fidelium apud sanctum Ægidiũ, flãmas dominicæ crucis ab eo succẽsas eum concremando vltus est: atq; ita impius ille de igne ad ignem: de traseunte ad æternum transitum fecit, hærede nequitiæ suæ relicto quodam Henrico. Vtriusq; autem impia dogmata non dissimilia his, quæ nunc sparguntur, grauiter admodum, idem Petrus Cluniacensis in eadem illa Epistola confutat. Et ab hoc Petro à Brugis atq; Henrico videntur originem traxisse Valdenses, quos etiam Pauperes de Lugduno siue Picardos vocant, cùm sub illud ipsum tempus hæc secta exorta fuisse credatur. Vixit autem sub idem tempus Petrus Abelhardus quoq; Cui & ipsi Bernardus impingit, quòd de Sacramẽto altaris parum rectè senserit, & veritatem in eo corporis negauerit. Extant apud Otthonem Frisengensem Epistolæ quædam Innocentij duæ, quibus hæresim eius damnat. Idem à Lucio quoq; secundo factum scribit Platina. Verùm & hic suos errores omnes recantauit, ac pœnitentiam actus, vltrò sibi Cluniacum elegit, vbi reliquum vitæ suæ tempus degeret, ac seculi curis omnibus relictis, Deo soli contemplando vacaret, assentiente coniuge sua, quę & ipsa monasterium virginum ingressa, facta fuit Abbatissa. Ad quam extat Epistola Petri Cluniacensis, qua miris laudibus Petri huius Abelhardi sanctimoniam extollit.

*De Conf. dist. 2. cap. ergo.*

*Berengarius errorem reuocauit. & abiurauit, & Christi carnem verè & sanguinem in sacrificio domini fieri, sacramento confirmauit.*

*Berengarius tertiò hæresim renouauit.*

*Berengarius de sua multorumque seductione dolebat moriturus.*

*Guilhel. lib. 3. cap. 58. & 59. de gestis Angelorum.*

*Petrus à Brugis Epist. 1.*

*Henricus.*

*Valdenses seu Picardi.*

*In vita Bernardi lib. 3. cap. 5.*

*Lib. 1. cap. 8. Frederici.*

*Bern. in vita Malachiæ & epist. 187.*

*Lib. 5. epist. 20.*

Sub idem tempus fuisse nonnulli volunt Almericum quoq;, qui docuerit non aliter esse Christi corpus in Eucharistia, quàm in alio quopiam pane, sed inter errores eius ab Innocentio tertio in Concilio Lateranensi damnatos hic non reperitur. Propius verò videntur ad errorem Berengarij accessisse, non ita multis post ipsum annis Albingenses, Albanenses, Aganenses, & Fratricelli.

Quod autem in Oriente quoq; secta Sacramẽtariorum aliquãdo floruerit, non ita facilè reperiri posse putamus. Quamuis in secunda Nicæna Sinodo cuiusdam erroris circa sacramentum Eucharistiæ Iconomachos arguere videtur Epiphanius.

*Epiph. act. 6.*

*Nicætas Lib. 3. de rebus gestis Alexij Angli.*

Ducentis plus minus post Berengarium annis, historiam quandam scripsit Nicætas, in qua narrat, quòd cum dogma de diuinis mysterijs vulgatum fuisset, in contrarias factiones Christianos diuiserit. Palàm igitur, inquit, in foro & in triuijs ab vnoquoq; res venerationi & silentio dignæ, in contemptum adducebantur. Nam post Gregorium Xiphilinum, qui septem annis Ecclesiam gubernauit. Ioannes Camaterus Patriarchalem sedem suscepit, quem cùm oportuisset, quod Xiphilini tempore dogma pullulare cœperat, radicitus extirpare, & subijcere quidem anathemati qui fuit auctor illius pseudomonachum Sicidi tam tanquam hæresiarcham, & noua introducentem dogmata, & alijs ipsius exemplo silentium imponere, vt mysterium rursus esset mysterium: nihil tale fecit. Verùm differendi quadam arte, & domonstrationibus vsus est, quibus adduci possent ad consentiendum cõtradicentes:



tradicentes: in his, quæ humani ingenij captum excederent, nec vllius artificij indigerent: quin & catecheticas quasdam orationes cõposuit, quibus ieiuniorũ dies instare nunciaret, vt ad spirituale certamen se se instruerent: ac ex parte dogmatis huius meminit, vnde ortũ habuerit, & quę sibi de illo videretur. Quę verò dicerent qui contrà sentiunt, silentio prę terijt: puto propterea, quod esset refutationem veritus. Cumq; in dogma tractandũ incubuisset: ea obijciebat tanquam à contraria sentientibus dicta: quæ neq; norant, neq; cogitarant vnquam. Nam cùm in quęstionem vocaretur, vtrum quod percipitur à nobis, sanctũ Christi corpus incorruptibile sit, quale fuit post passionem, & resurrectionem, an corruptibile: quale fuit ante passionem. Orthodoxi quidem dicebãt incorruptibile, cùm diuinorum mysteriorum perceptio, confessio quędam sit & recordatio, quemadmodum p nobis mortuus sit & resurrexit dominus, sicut magnus ille Cyrillus in Theologia tradit: & quòd si quis particulam acceperit, totũ eum Christũ acceperit, quem Thomas palpauit: & quòd manducat eum qualis fuit post resurrectionem: vt Ioannes Chrysostomus affirmat ijs verbis: O rem admirandam, qui sedet ad dexteram patris, in manibus nostrûm peccatorũ inuenitur. Et iterum: Floruit in lege, adoleuit in prophetis, maturuit in cruce, manducatur post resurrectionem. Et paulò pòst: nihil aliud id est quod percipitur, quàm illud corpus, q morte superata, vitę nostrę fuit exordiũ. Vt enim modicum fermentũ, sicut ait Apostolus, totam massam sibi reddit similem, sic immortale factũ Dei corpus, cùm in corpore nostro fuerit, totum id in se cõmutat & transfert. Illa quoq; producta fuerunt Ecclesię luminaris Eutichij: totũ igitur sacrosanctum Christi corpus & sanguinem accipit homo, etiamsi particulam aliquam acceperit. Distribuitur enim indiuisibiliter inter omnes propter immixtionem. Quemadmodũ sigillum vnum, omnes imagines suas & formas omni materię, cui imprimitur, impartit, & nihilominus manet vnũ post factam cõmunicationem: non immutatum nec mutatum, propter ea, in quibus expressum est, etiam si numero plura sint. Itidem, quemadmodum vna vox ab vno aliquo prolata, & in aëre diffusa, & in eo qui protulit eam, tota manet, & per aërem diffusa tota ad aures oiũm perfertur, nemine auditorũ plus aut minus percipiente: verùm tota est indiuisibilis & integra apud oẽs, quamuis ij, qui audiũt decem millium numerum superent: cùm tamen & ipsa sit corpus. Nihil enim aliud est vox, quàm ictus aër. Nullus itaq; dubitet, post mysticum sacrificium & sanctam resurrectionem, incorruptibile & immortale sanctum & viuificum corpus & sanguinem Dñi, quod exemplaribus per Sacerdotes imprimitur, non minus, quàm prædicta exempla, suas vires integras seruare, & totum in totis inueniri. Ponit postea Nicętas diuersam hæreticorum opinionem, quam adscribere longum esset. Meminit etiam huius disputationis Eustachius, vitã Eutichij Cõstãtinopolitani Patriarchę describẽs, quę est in 7. tomo Lippomani.

*Corpus Christi totum, quomodo simul multi sumant, declaratur.*

*Lib. 2. de sacra. cap. 23.*

Ex quo colligere licet, quòd etiam illo tempore fuerit de hoc sacramento non leuis disceptatio. Quę tamen citò fuit sopita. Nondum autem interceserunt anni ducenti, cùm sicut Berengarius in Gallia, sic extitit in Anglia Ioannes Vicleff, qui cùm de venerabili Eucharistię Sacramento non diuersum à Berengario sentiret, quoniam tamen, quàm fuisset error illius omnibus detestabilis, non ignorabat, minimè fuit ausus id prę se ferre, sed sicut narrat de eo Thomas Valdensis, qui pluribus voluminibus impios eius errores cõfutauit, se nobiscum esse simulabat, cùm non esset, volens videri Catholicus, & æmulus scripturarum in vultu, plenus Berengarius in fructu, damnat eum, inquit, in verbis, honorat & saluat in sententijs. Vicleffum sequutus est Ioannes Hus, eadem & ipsa lepra infectus. Pręter hos vix fuit alius quisquam, qui palàm hoc tam impium dogma pertinaciter tueri conaretur. Oriens pręsertim, intactus ab hac peste fuisse videtur: cùm pręter Nestorium, de quo suprà meminimus ex Anselmo, nemo secùs de Sacramento hoc sensisse credatur. Porrò Berengarij seculo Galliam solam & eam non totam, lues hęc fuit peruagata, nusquam extra fines Gallię progressa. Similiter & Vicleffi doctrina, trecentis plus minus annis post, nõ ferè spargebatur, nisi in certis quibusdam Anglię locis.

*Lib. 2. de sacra. cap. 23.*

Cęterum hoc infelici quo nostro, posteaquàm non infeliciter audacia sua Luthero cessit, & eius verbum apud multos, tanquam Dei verbum adorari cœpit. Andreas Carolstadius, qui Lutheri fidus Achates initio fuerat, suum & ipse nomen ad posteros illustre transmittere cupiens, Berengarij veterem hęresim renouauit, ac primus ętate nostra sectę Sacramentarię fuit auctor. Cuius ingenium non dissimile Berengarij fuisse narratur. Nam sicut Berengarius fuisse scribitur stupidus & arrogans, ac leuissimis moribus prędituś, non aliter à Melanchtone depingitur Carolstadius. Sic enim de eo loquitur, vbi agit de causa Sacramentaria. Carolstadius primus excitauit hũc tumultũ, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu cõmuni, quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animaduertimus, tãtũ abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Addit aũt & hoc alio quodam loco. Quot sicut Lutherus Papę, sic ille viciſsim odio Lutheri non aliqua pietatis opinione, controuersiam hanc de cœna Domini mouerit. Ab his itaque Ducibus Sacramentariorum hæresis est profecta, Berengario & Carolstadio, qui stupidissimi fuisse feruntur. Carolstadiũ porrò, quandoquidem impunè quiduis audẽdi cuiq; licẽtia fuit permissa, secuti sunt Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, per quos tam longè, tamq; latè hærfies hæc spurcissima propagata nunc est, vt Lutherana iam extincta propemodum esse videatur. Qua de re gloriantur etiam Sacramentarij, quorum vnus libellum edidit, cuius hæc est inscriptio. Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici. Constat autem, etiam ipsi Luthero, sectam hanc tantę semper abominationi fuisse, nihil vt sit visus magis execrari, Itaq; propagatores illius vocat Sathanę ministros, mendaces, imò mendaciũ ipsum. Et monet omnes, vt haud aliter sibi caueant à Zuinglio, quàm à Sathanę veneno. Scribit & hoc in quodam libro suo nunquam se legisse turpiorem hęresim, quæ statim initio

*And. Carolstadius sacramentariam hæresim renouauit.*

*In epist. ad Fredericum Niconium.*

*Sacramentariam hæresim Lutherus & Lutherani abdominatus.*

*In epist. ad Albertum Maschionẽ in Prussia Ducem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*contra Zuinglium & Calui. & alios nouos Vicleffiſtas Ariſt. lib. 2. Phyſicorum. Sacramentariæ hæreſis propagatio. & blaſphemia.*

initio tot inter ſe capita, tot ſectas habuerit, etiamſi in principali cauſa, vtpotè in perſequendo Chriſtum vnanimes exiſtant. Huius igitur exemplo, qui ſunt hodie veri Lutherani, ſectam hanc ſic execrantur, vt aqua & igni illis interdicant, nec in ſuis terris Zuingliano, aut Caluiniano cuiquam receptum impunè dari permittant. Quis autem vnquam futurum initio putaſſet, quæ ſecta non Catholicis magis, quàm ipſis etiam hæreticis tam eſt deteſtabilis, eam intra paucos annos tam longè tamq; latè propagata miri? ſed verum eſt, quod ſcribit ille, quamuis ethnicus: ἕνος ἀτόπως ῥηθέντος, τἆλλα συμβαίνει δεῖν. Licere ſibi voluit Lutherus, in pluribus Eccleſiaſticæ doctrinæ capitibus, Eccleſiæ iudicio, ſuum iudicium anteponere, veteres ritus & cæremonias abolere, nouos inſtituere, ſacramentorum numerum imminuere, Sacerdotium & ſacrificium abrogare, atq; ita Deum in ordinem quodammodo cogere, cui ſoli propriè debita ſeruitus eſt ſacrificium. Plus aliquid permitti ſibi voluerunt Zuinglius & Caluinus, & quæ duo Lutherus reliqua fecerat Sacramenta reiecerunt, Quin & Chriſtum ipſum ex Euchariſtia ſuſtulerunt, neq; mendacij veritatem arguere veriati ſunt, de veritate, deq; præſentia ſui corporis dicentem: Hoc eſt corpus meum. Quo magis autem blaſphemam hanc ſuam opinionem confirmare queant, negant Chriſtum in natiuitate ſua tranſiuiſſe per clauſum virginis vterum: negant, cùm à mortuis reſurgeret, clauſo monumento exiuiſſe, negant à reſurrectione per oſtia clauſa ad diſcipulos intraſſe.

Quorſum autem rem ad extremum euaſuram putamus? Quòd ſi non eſt verum, quod ipſa dixit veritas, accepto pane & vino, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, iuxta receptum tot ſeculis in Eccleſia ſenſum, quid impediet, quò minus eadem hac ratione verum eſſe negetur, iuxta ſenſum eiuſdem Eccleſiæ tot ſeculis approbatum, quod veritatis dixit diſcipulus, Verbum caro factum eſt? Si nihil, niſi quod rationi conſentaneum eſt, credere nos oportet, certè non minus abhorret à ratione, neque minus cum ea pugnat, eum, qui natura Deus eſt, carnem noſtram indutum, tot & tantis calamitatibus ſubiectum, tot probris affectum, tot ſupplicijs excruciatum, mortem ad extremum, & quidem non magis acerbam, quàm ignominioſam crucis mortem oppetiuiſſe: quàm quòd idem Deus, panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum conuerterit. An autem deſunt hoc infœlici noſtro ſeculo, qui ſicut illud, Hoc eſt corpus meum, ſic & hoc negare non dubitent, Verbum caro factum eſt? Et fertur quidam, cùm opinionem ſuam confirmare conaretur, non eſſe præſens in Euchariſtiæ ſacramento Chriſti corpus: hanc rationem produxiſſe, quòd nullam de virgine carnem Chriſtus vnquam ſumpſerit, ſed haud aliter, atque Sol pertranſit per aquam, nec humoris ex ea quicquam contrahit, ſic illum per vterum virginis tranſiuiſſe.

Quis autem pius non obturauerit aures ſuas ad has tantas blaſphemias? Quis cum illo ſancto viro non exclamauerit, Bone Deus, in quæ tempora me ſeruaſti? Sed quod ſuo tempore dixit Baſilius, reſolutam eſſe quamuis blaſphemam linguam, id hac ætate noſtra, non minus verè dici poteſt. Nulla eſt enim tanta blaſphemia, quã vel eorũ linguæ proferre nõ audeãt, qui dũ Eccleſiæ iudicio ſuũ iudicium anteponunt, contra ſenſum & conſenſum illius venire nihil dubitant: vel eorum aures ferre non poſſint, qui magiſtros hos ſequuti ſemel ab Eccleſia Dei voluntarij ſe præciderunt. Huc demùm redacta res eſt, poſteaquam ſibi quiſq; licere voluit, quamlibet occulta fidei myſteria pertractare, ac ore in cœlum poſito, ſecreta cœleſtia ſic rimari, nihil vt ſuo non tribuat, nihil Eccleſiæ iudicio non deroget. Non poteſt hac vna re quicquam eſſe perniciоſius. Siquidem homini Chriſtiano credendum eſt, non diſputandum, non diſcutiendum, non quærendum, quomodo. Iuſtus ex fide viuit, dicit ſcriptura, non ex argumentis, aut rationibus. Cœleſtibus myſterijs fidem adhibendo, fit, vt ad fidei præmia perueniamus, ſicut ſcriptum eſt: Credite & intelligetis. Fide autem omiſſa in ratione comprehendendis ijs, quæ ſenſum omnem & intellectum humanum ſuperant, fruſtrà laboramus. Hoc eſt quod Sapiens nos admonet: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ tibi præcepit Deus, ea cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ ſunt abſcondita, videre oculis tuis. Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Præclarè dictum eſt à Cæſario, Chriſtianorum quidem certè dogmata fide continentur ac fulciuntur, non ratiocinationibus, per quas plurimi prorſus mentem amiſerunt: & ab Euſebio Emiſſeno. Non cogites, nec intra te dicas: quomodo, aut quo ordine hoc fieri potuit? Diuina opera non diſcutienda ſunt, ſed credenda. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum nouitas. Sed ſufficiat tibi omnipotens auctoritas, ſed ſit pro luce rationis omnipotentia conditoris: Non cauſeris, ſi non ſubiaceat ſenſui tuo ordinationum cœleſtium magnitudo: excedit diuini opificij dignitas humanæ mentis anguſtias. Quid ſibi ſpeciale, quid proprium reſeruaret in comprehenſibilis illa maieſtas, ſi ſemper comprehendere poſſit ſapientia hominum altitudines cœleſtium ſecretorum? Quiſquis ergo ille es, qui obſcurorum profunda, non fide, ſed curioſitate rimaris, hoc potius infinua cordituo, vt diuinas diſpenſationes, quantò difficilius inueſtigare videris, tanto reuerentius admireris. Quid haberent ſuperna pretioſum, ſi noſtræ familiariter ſcientiæ ſubiacerent? Et ideò quantò minus capis operis intellectum, tantò magis diſpenſatoris mirare conſilium. Et iterum: Ne dicas, illud poſsibile eſt, illud fieri non poteſt, quia qui te magna credere iuſsit, omnipotens eſt. Diuinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas abneganda. In omnipotentem te credere confirmas, ſed fide factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis accuſas. Antè quem etiam Diuus Ephrem, Quid ſcrutaris, inquit, inſcrutabilia. Si iſta curioſè rimaris, non iam fidelis vocaberis, ſed curioſus. Eſto fidelis atque innocens. Participa immaculato corpori Domini tui fide pleniſſima, certus quòd agnum ipſum ipſe integrè comedis. Ignis immortalis, ſunt myſteria Chriſti. Noli ea temerè ſcrutari, ne in ipſorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cœleſti-

*Abac. 2. Eſai. 7. Eccle. 3.*

*De Symbolo. Hom. 1. Opera diuina credẽda, ſed non diſcutiendæ. Cæſ. Dial. 3. Hom. proximi ſequenti.*

*Ephrẽ lib. de ijs qui dei naturam ſcrutari volunt. Cap. 5.*



leſtibus Angelis, terrenos appoſuit cibos, illiq; comederunt. Grande profectò miraculum. aſpicere incorporeos ſpiritus in terra carnium cibos edentes. Sed hoc ſanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemq; ſermonem, quod fecit nobis vnigenitus filius Chriſtus ſaluator noſter. Ignem ac Spiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus ſcilicet ac ſanguinem ſuum. Et quidem, fratres, cum Chriſti ſacramenta non capiam, vlterius progredi non audeo, neque arcana illa ſacratiſsima myſteria rurſus attingere. neq; ſi voluero de his procaciter loqui, Dei Sacramenta comprehendere poſſum, ſed ero temerarius, imprudens, & cum irritis conatibus luctans. Aërem quippè obtenuitatem ſuam penitus tenere non poſſum. Illa nempè Sancta & reuerenda myſteria, ingenij mei vires excedunt. Agnoſco humilitatem conditionis meæ, creatoremq; meum ſcrutari nolo. Terribilis enim eſt, naturaq; incomprehenſibilis. Benedico & adoro illius excellentiſsimam poteſtatem in ſecula ſeculorum. Amen. Et qui fuit Euſebio aliquot ſeculis poſterior Bernardus: Mira ſunt, inquit, fratres, quæ de Sacramento iſto dicuntur. Fides eſt neceſſaria: ſcientia rationis ſuperuacua. Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut nõ inuentum putet incredibile, aut repertum, non credat ſingulare. Et ideò credi oportet ſimpliciter, quod inueſtigari non poteſt vtiliter. Nolite itaque quærere quomodo fiat: nolite dubitare vtrum fiat: nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortem fiat.

*Bern. in ſerm. de Cœna Domini.*

Hæc de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in ſacramẽto Euchariſtię dicta ſufficiãt. Sed viſum tamen eſt quædã addere ex Guimundo Auerſano Archiepiſcopo, ad hæc noſtra tempora valdè accommodata. Contra Impanatores grauiter antè quingentos annos inuectus eſt Guimundus Auerſanus Archiepiſcopus: Hos, inquit, Impanatores ſuos, ipſe Dominus Ieſus verbo oris ſui interficit, cùm accipiens panem gratiasq; agens, ac benedicens, ait: Hoc eſt corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum. Nec dixit: in hoc vino eſt ſanguis meus, Sed dixit: Hic eſt ſanguis meus. Et paucis interiectis: Equidem ego de hac Impanatione mecum etiam atq; etiam retractans, non ſatis verbis exprimere poſſum, quantum ſuper iſtorum ſtultiſsima audacia, & inſaniſsima præſumptione admiror, pariter & indignor. Nã contra Diuinas auctoritates humana ratione incedere, id quidem inſanum, ſinè ratione autem, id longè inſanius. At verò & ſinè ratione, & contra rationem aduerſus Deum ſemmis, fratres ſuos vmbraticos præ ſe iuſtificauerunt. Illi quippè iudicium ſenſuum tranſcendere non valentes tanquam exinfirmitate erraſſe videri poſſunt: hi verò neq; ex vlla ratione, neq; ſcriptura aliqua cauſſas erroris ſui mutuantes, ſola penitus ſupermodo enim in ſolido corpore panis, alterum corpus latere poſsit, videri non poteſt) reclamante, inquam, natura reclamantibus Scripturis ſacris, nullo Sanctorum Patrum teſtimonio, nullo Diuino oraculo, nullo miraculo fulti, munitam vndique Catholicam pietatem, beſtialiter obſtinati, ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi eſſe videantur. O infelices, quos pietas non vincit: O infeliciſsimos, qui dum ſubijci pietati renuunt, impietatis ſerui eſſe non erubeſcunt. Contra quorum manifeſtiſsimam ſtultitiam, reſpondere indigniſsimum videretur, niſi quia ad cumulum perditionis ſuæ non eis mors propria ſufficit, niſi etiam quoſcunq; poſſunt, viliſsima falſitate, perditum eant. Et hæc quidem ſpecialiter contra illos. Deinceps verò vtroſque præfatos Hæreticos communiter, Deo propitio, diſputatio ſequuntura percutiet. Quibus quàm maximè imprimis ad argumentum videndæ falſitatis ſuæ ipſa Hæreſum ſciſſura ſatis eſſe debuerat, quòd nunc videlicet, nihil carnis & ſanguinis, niſi tantum vmbram & figuram Sacramentis Dei ineſſe, nunc verò ſubſtantiam carnis & ſanguinis, in eis latere contendunt. Fides namque Apoſtolica, quæ ſola vera fides eſt, in affirmationem & negationem non ſcinditur. Apoſtolus nãq; dixit: Vnus Dñs, vna fides, vnũ Baptiſma. Apoſtolica igitur fides vna eſt tantũ. Iſtorũ aũt vana credulitas, nõ eſt Apoſtolica fides, atque ideo neque vera fides. Quapropter Apoſtolicam fidem non habentes, ab Apoſtolica quoque Eccleſia ſeiuncti ſunt: contingetq; illis quòd Saluator, ait: Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur. Berengariani quippe in ſeipſis diuiſi ſunt, vt oſtẽdimus. Hactenus Guimundus: qui ſcripſit hæc antè quingentos annos contra Berengariũ. Neq; verò deſunt qui nihil habere cum Berengario commune, Martinum Lutherum exiſtimãt, quòd is Zuinglianos, quos nunc vocant Sacramentarios, in multis locis grauiter eſt inſectatus. Verùm ex his quæ ſcripſit Guimundus cuiuis perſpicuum eſſe poteſt, quòd ij qui Confuſionis Auguſtanæ videri volunt, non minus Berengariani ſunt, ſiuè, vt nunc vocant, Sacramentarij, quàm ij, qui de Sacramento Euchariſtiæ vel Zuinglij vel Caluini doctrinam ſequuntur, niſi q; ij ſunt Vmbratici ſiuè Figuratores, illos verò vocant Guimundus & Algerus, Impanatores: illi figuram tantum & vmbram eſſe dicunt in hoc Sacramento. Lutherani verò in pane, ſub pane, cum pane Chriſti corpus eſſe affirmant. At Impanatores iſtos tantum abeſt, vt Sanctus hic Pater eſſe tolerabiliores vmbraticis exiſtimet, vt eos nequiſsimis etiam nequiores, & Vmbraticos præ ipſis eſſe, iuſtificatos aſſerat. Qui cùm ſenſuum iudicium ſequantur, nec illud tranſcendere valeant, ex infirmitate peccare videntur. At Impanatores, inquit, ſine ratione, contra rationem, aduerſus Deum latrãt, reclamante natura, cùm in ſolido corpore panis, alterum corpus latere non poſsit, reclamantibus ſcripturis Sanctis, quibus nihil eſt magis dilucidum, quando Chriſtus dixit accepto pane, Hoc eſt corpus meum: accepto calice. Hic eſt ſanguis meus: nullo Sanctorum Patrum teſtimonio, nullo Diuino oraculo, nullo fulti miraculo: quibus omnibus munitam vndique Catholicam pietatem, beſtialiter obſtinati. propterea tantum oppugnant, ne ab ea victi fuiſſe videantur. Hoc fuit Sancti Patris huius de Lutheranis, quos Impanatores vocat iudicium. Et intereà quos ille præ Impanatoribus iuſtificatos eſſe dicit, quos nequiſsimis nequiores pronunciat, ij nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca



stylo tantum verùm & sceptro Magistratus Vmbraticos siue Figuratores persequuntur, capitis etiam supplicium de illis sumentes. Nam eos indignos esse censent, quos terra sustineat, & exerto gladio protinus memoriam eorum delendam esse docent. Ac rectè quidem illi, dummodo quam contra sobolem suam, contra discipulos suos, contra malorum coruorum oua pessima ferunt sententiam, eandem contra se quoque qui Patres, qui magistri, qui progenitores eorum fuerunt, exequutioni mandari, ne molestè ferant. Gloriatur Caluinus in quodam scripto suo, quòd classicum cecinerit Lutherus ad Sacramentariorum Hæresim excitandam, cùm receptam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, de panis in carnem, deq; vini in sanguinem conuersione negaret. Itaq; rudimenta doctrinæ suæ iecisse Lutherum, sibiq; viam commonstrasse. Esse autem præpostero quodam ingenio, si qui rectam viam ingressus est, simul vt demonstrator iter suum reflexit, vlterius progredi recusat. Quâobrem si rectè sæuitur in eos, qui paulò sunt longius progressi, cur non rectè sæuitur in eos quoq; qui classicum cecinerunt, qui tot errorum duces & auctores alijs fuerunt? Præclarè verò Guimundus, ad Argumentum, inquit, videndæ falsitatis suæ, ipsa hæresum scissura satis esse deberet, cum Apostolica quæ sola vera fides est, non possit esse nisi vna, istorum autem perfidia potius quam fides, in tot adeò dissectas inter se sectas, mirandum & miserandum in modum dissecta sit. Contra quam hoc æuo nostro multi scripserunt viri doctrina, pietateq; præstantes. Inter quos & si posterior tempore, nihilò tamen cæteris rebus inferior, ingens volumen antè paucos annos edidit de Sacrosancta Eucharistia Claudius Sanctus Episcopus Ebroicen, in quo dissidentes eorum interpretationes octuaginta quatuor enumerat, de paucis istis verbis: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Sic eos cæcitate Deus & amentia percussisse videtur, vt ipsi se mutuò non intelligant, nec sibi satis constent, & subinde dogmata sua varient, qua nulla potest esse nota falsitatis apertior. An autem illud euenisse non videmus quod in Leuitico Dominus comminatur? Si ambulauerint ad me peruersi, & ego ambulabo contra eos in furore peruerso. Peruersi ambulant quicunque ducem Ecclesiam non sequuntur, quam columnam & firmamentum veritatis esse docet Paulus. Hoc isti fecerunt de quibus sermo nobis est. Et ambulauit vicissim Deus contra eos in furore peruerso, vt eos errare faceret, illudens illusoribus suis, sicut in Prouerbijs legimus. Nisi fortè non sunt illusores: qui cùm apertè dicat veritas, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, tam claris nihilominus & perspicuis verbis contrarium sensum adferunt. Quod posteaq; vnus facere fuit aggressus, illud consequutum est, quod in libris Regum legimus, Ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum. Contigit illis quod ijs euenisse legimus qui turrim ædificare conati, cuius culmen pertingeret ad cœlum vt celebrarent nomen suum, ita confusi sunt, vt non audiret vnusquisq; vocem proximi sui. Et quæ fuit terra vnius labij & eorundem sermonum, vt quàm proximè accederet ad illam Hierusalem cuius participatio in idipsum, ex ea Babylonem factam, videmus & ingemiscimus. Est autem illud verissimum, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Vterus noster Ecclesia est: in ventre Ecclesiæ veritas est: Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur.

*Leuit. 26.*

*1. Tim. 1.*

*Ezech. 14.*
*Pro. 3.*

*3. Reg. 22.*
*Gen. 11.*

*Psal. 57.*

## *De Materia huius Sacramenti.*

## CAP. XL.

*Eucha. materia.*

MAteria huius Sacramenti panis est, & vinum aqua mixtum, Neq; enim aliter aliud conficere licet, cùm ita sit institutum à Christo, cuius institutionem ab homine violari fas non est. Quam etiam ita firmiter obseruauit semper, & obseruat etiamnum Ecclesia Dei, nunquam vt ab ea sibi discendendum esse putauerit. Quamobrem nec licuit per eam aliquando, nec licebit cuiquam aliter aut consecrare, aut post consecrationem offerre, aut oblatione facta sumere: nihil vt sit, quod arguere quisquam Ecclesiam institutionis Christi violatæ iurè possit.

*Satanæ fraudes in decipiendis fidelibus.*
*Cant. 6.*

Verùm hic videre licet miram serpentis calliditatem: qui cùm intelligat inuictam esse rem concordiam simul iunctam, omnia facit vt illam rumpat, vt vnitatem scindat, vt coniunctos diuidat ac separet, quod non aliter suis insidijs eos oportunos fore perspicit. Nam castrorum hanc aciem ordinatam perrumpere nulla ratione potest: sed qui deseruerint ordines; in his debellandis nihil est ei negocij. Huc ergo vt adducat homines, quo segregent semetipsos, nihil curæ, diligentiæ, ac laboris prætermittit. Quamobrem non statim orditur ab eo, quod solùm habet maximè propositum vt Christum tollat ex Eucharistiæ sacramento, vt corporis eius & sanguinis veritatem negare doceat, neque enim non intelligit versipellis ista bestia, quòd hac ratione facilè deterreret omnes. Quamobrē captat initio beneuolentiam, cùm sit in artis Rhetoricæ præceptis diligenter exercitatus: fingit se Christi causam agere, illius iniuriam dolere: quæritur huc audaciæ progressos homines, vt illius institutioni derogare, vt contra illam plebi calicem adimere veriti non sint: Esse diserta Christi verba. Bibite ex hoc omnes: contra hæc ventum esse, cùm populo calix est subtractus. Nō esse ferendam tyrannidem hanc Pontificum, qui tantùm sibi licere volunt, vt Christi etiam institutionem violent. Vides lupum, à quo vt caueremus, monuit Christus, vestimentis ouium indutum? vides Satanam in angelum lucis transfiguratum? Dolet scilicet iniuriam Christi, qui studium suum omne in hac vna re consumit, vt Christum tollat non ex hoc modò sacramento, verùm ex omni etiam hominum memoria. Quid nos ad hæc? Vellera, quibus obuoluit se lupus, hoc est, è lege Dei prolatam sententiam, libenter amplectimur: grata nobis

*Matt. 26.*

*Hæretici lupi dæmoniaci.*
*2. Cor. 11.*



nobis est lanarum hæc mollities, verùm intereà cauendum nobis est ab aculeis dentium lupi ferocis. Diximus hac de re non pauca, cùm de ecclesia sermo nobis esset. Quoniam verò temporum horum peruersitas hoc imprimis postulare videtur, inculcandum est etiam diligentius.

*Hilarius.*
*Hæretici scripturam & verbū Dei prætexunt suis dogmatibus.*

Liber autem hic ascribere grauissimi, doctissimiq; viri, cui perpetuum fuit cum hæreticis certamen, sententiam. Memento, inquit, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum scripturas prædicare ea, quæ blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcion, verbum Dei cùm legit, nescit: hinc Photinus hominem Iesum Christum cùm loquitur, ignorat: hinc & Sabellius, dum: Quòd ego & pater vnum sumus, non intelligit, sine Deo patre, & sine Deo filio est: hinc & Montanus per insanas fœminas suas Paracletum alium defendit: hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus est. Omnes scripturas sine sensu loquuntur, & fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo: non in preuaricatione sunt, sed in charitate. Ex his Hilarij verbis illud discimus, vt non statim quicquid verbum esse Dei prætenditur, id verbū esse Dei credamus. Non enim quod scriptum in libris Canonicis reperitur, sed quod sanè in illis intellectum est, hoc verbum Dei censendum est. Diximus de Arrio, quòd scripturam protulit, Pater maior est me: Sed quo sensu ille protulit, non erat Verbum Dei. Neq; verò solus id Arrius. Omnes propemodum hæretici scripturarum testimonijs ad errores suos cō firmandos vsi sunt. Nulla enim est ad fallendum via facilior, quàm si vbi nefarij erroris subinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborū prætendatur auctoritas. Quomodo solent qui mortiferos herbarum temperant succos, in cōdito, aut in aliquo mellito poculo, nescientibus propinare, quod gustus mentita suauitate componunt, virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis. Prouocat prius odor poculi, sed præfocat infusus sapor in venis: mel est quod ascendit in labia, fel est, quod descendit in viscera: sic isti sub specioso scripturę & Euangelij titulo, suum legentibus virus, & fel propinant. Mel est, quod ascendit in labia scripturæ & Euangelij nomen: Fel & virus pestilens est, quod in viscera descendit scripturæ prauus intellectus.

*Parturiunt montes.*

*Ioan. 10.*

*2. Cor. 11.*

*Scripturæ non in legendo, sed intelligendo sunt.*

*Ioan. 14.*

*Ex Euseb. Emis. hom. 3. de Epiph.*

*Hæretici comparantur pharmacopolis.*

Scripturam proferebat Nouatus. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam: Si hoc sensu protulisset, negari vt diceret per hæc verba secundum baptismum, quod, sicut Ambrosio, & Augustino animaduersum est, ipsum etiam renouationis verbum satis indicat, quæ in baptismi, non in pœnitentiæ Sacramento confertur. Dei verbum erat, neq; fas esset cuiquam homini Christiano contradicere. Quoniam verò non secundum baptismum per hæc verba, sed lapsis negari pœnitētiam intelligi voluit, tuum hoc verbum erat ô Satana per Nouatum loquentis, non erat Dei verbum. Nunquàm enim, quō dictante scripsit hæc Apostolus, Spiritus sanctus, qui summa bonitas est, qui spem in nobis erigit, hoc sensu verba hæc accipi voluit, vt omnem veniæ spem præcideret, si post baptismum in peccatum prolapsi essemus.

*Hebr. 6.*

*Amb. lib. 2. de pœnitentia cap. 2.*
*Aug. in epist. ad Rom.*

Proferetur & nunc scriptura. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Si hoc sensu profertur, vt quicunq; rationis compos est, cùm ad baptismum accesserit, fidem adferat, sine qua impossibile est placere Deo, quam nisi attulerit, salutem consequuturus non sit, Dei verbum est omni veneratione amplectēdum: Sin autem per hæc verba paruulos à baptismi Sacramēto velis excluſos, quod ii fidem non habent, quæ est ex auditu: tuum est hoc verbum Satana, qui saluti mortalium inuides, & quibus potes modis etiam impedire conaris, non est verbum Dei. Nam qui vult omnes homines saluos fieri, qui gustauit mortem pro omnibus, qui sanguinē suum æquè pro paruulis fudit atq; pro adultis, nunquàm eos excluſos à regno suo voluit, ad quod extra baptismum aut baptismi votum aditus mortalium patet nulli: cùm præsertim etiam in terris versatus, testatam omnibus voluntatem ea de re suam fecerit, dicens: Sinite paruulos venire ad me. Et nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quamuis illi fidem suam propriā ad baptismum non afferant, sufficere tamen illis voluit benignus & misericors Dominus Ecclesiæ fidem, in qua, cùm baptizantur (quoniam fidei sacramentum baptismus est) habitum in eo fidei consequuntur, & iam deinceps fideles vocantur & sunt: vt si eo ipso momento, quo baptizati sunt, decesserint, in fide & confessione Christi nominis decessisse credantur. Nam etsi propter defectum rationis actu fidem adhuc exercere non possunt, si tamen vita suppeditauerit, cùm ad vsum rationis peruenerint, exercebunt.

*Mar. vlt.*
*Mat. vlt.*
*Heb. 1.*

*Baptismus paruulorum.*
*1. Tim. 2.*
*Heb. 2.*
*Paruuli baptizandi ex scriptura.*
*Matth. 16.*
*Matth. 18.*
*vide hic Clem. Hom. lib. 6. ca. 15. Const. Apostolic.*

Proferturab alijs quoq; scriptura. Non in manu facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neq; vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos, in sanguine alieno (alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mūdi.) Nunc autem semel in cōsummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Et iterum: Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: de cætero expectans, donec ponātur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consumauit in sempiternū sanctificatos. Si quæ scripta sunt ab Apostolo sic accipiantur, vt visibiliter & sensibiliter semel tantum Christi corpus in ara crucis oblatum fuisse dicatur, eo genere oblationis, quo inspectāte populo vniuerso mortem pro nobis oppetere dignatus est, quodq; deinceps eiusdem generis alia oblatio non sit expectanda (nam neq; necessaria est, cùm ad redimendum genus humanum vniuersum, ad abluendos omnes à peccatis, ad sanctificandos, ad iustificandos

*Heb. 9.*

*Heb. 10.*

*Sacrificium missæ à Paulo non tollitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dos omnes, vna illa hostia abundè suffecerit) Dei verbum est: Certum enim est & indubitatum, quòd Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Sed si ita hæc verba interpreteris, vt incruentum illud sacrificium (sic enim non à Gregorio modò Nazianzeno, verùm & patribus in sacrosancto Concilio Ephesino congregatis appellari legimus) in quo memoria fit & repræsentatio sacrificij pro nobis in cruce peracti per Pontificem nostrum Dominum Iesum Christum, vt illud in Ecclesia deinceps amplius non esse celebrandum existimes: tuum hoc est verbum, ô Satana, qui per impium Caluinum, & eiusdem farinæ non paucos alios id populo persuadere conaris: non est Dei verbum. Nunquam enim spiritus sanctus, quo suggerente Paulus hæc scripsit, sic ea verba intelligi voluit. Cuius rei, ne cæteros commemorem, vel solus Ioannes Chrysostomus, Pauli germanus interpres, locuples testis esse potest: qui scribens in illud caput ad Hebræos: Quid ergo nos, inquit? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius: Et vna hæc est hostia, non multæ. Quomodo vna est, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar est illius: idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium, hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam: sed vnus vbique Christus, & hîc plenus existens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur, vnũ corpus est, & nõ multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in cõmemorationem quidem fit eius quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur.

Quid dici potuit clarius ad quotidiani sacrificij nostri rationem explicandam? & ad Pauli vel spiritus sancti potius per Paulum loquentis sententiam explanandam? Primùm discrimen ostendit inter sacrificium quod offert à nobis in altari quotidie, & quod in cruce semel est oblatum à Christo, nunquam ad eundem modum amplius offerendum: quod illud in mortem oblatum sit, hoc fiat in mortis recordationem. Deindè eandem hanc & illã hostiam esse demonstrat: idem enim verum & viuum corpus immolatur in altari, quod semel in ara crucis fuit immolatum, quamuis immolationis eadem ratio non est. Propterea sacrificium hoc vocat exemplar illius, quod in cruce peractum est. Ibi enim verè oblatus verè passus, verè mortuus est Christus: hic eorum, quæ ibi acta sunt, fit representatio. Docet ad extremum, quicquid eius facit Ecclesia, eam ex Christi præcepto facere, qui, quod ipse corpus, suũ in mortem semel obtulit, à nobis in suę mortis recordationem iugiter offerri iusserit. Verùm hac de re paulò pòst pluribus differemus, nam nũc ideò tantùm ista cõmemorare visum est, planum vt omnibus faceremus, non esse statim tanquam Dei verbũ accipiendum, quicquid è scripturis in prauum aliquem sensum detortis, profertur.

Scriptura fuit ea quoq;, quam contra Christum ipsum tentans eum Satanas adduxit: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quem locum scripturę quum produxisset Ireneus ante mille quadringentos annos, dicit, mendacium eum abscondisse per scripturam, quod omnes faciunt Hæretici. Nam quo ipse sensu produxit, non Dei, sed ipsius fuit Satanę verbum, qui si se transfigurat in Angelum lucis, non est magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitię: Non est magnum si fuerunt semper, & sunt etiam nunc Pseudoapostolici & operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Etiam ante natum Christum non nisi sub verbi Dei prętextu Satanas per Pseudoprophetas populum seducebat. Quoties enim id apud Prophetas legimus de illis dictum: quòd currebant, cum eos non misisset Dominus: quòd subindè vociferabantur, Verbum Domini, os Domini loquutum est: Hęc dicit Dominus: cùm tamen hęc Dominus loquutus nõ esset, quę ipsi dicerent. Iam qui Galatis aliud annunciabant, quàm quòd à Paulo acceperant, sub Euangelij titulo doctrinam suam populo venditabant. Sic enim ad eos Paulus loquitur: Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: quod nõ est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Quem locum enarrans Ioannes Chrysostomus: Huiusmodi, inquit, diaboli fraus est, haud quaquam nudos proponere laqueos, quibus venetur homines. Etenim si dixissent: Desciscite à Christo Galatę vitassent eos velut impostores & corruptores: Nunc verò, sinẽtes eos in fide manere, & interim fraudi prætexentes Euangelij nomen, impunè summaq; audacia perfodiebant domum, videlicet ijs, quę dixi, obtentis, velamentis, per hęc nomina cęlantibus parietum perfossores. Quoniam igitur illi suam impostura appellabant Euangelium, ipse etiam aduersus nomen repugnat, &c. Quid? an tibi non videtur his verbis eos graphicè depingere, qui Euangelium, qui Dei verbum nostro seculo sic sibi solis arrogauerunt, vt eius possessione Christianos omnes excluderent? adeò, vt nisi Lutheri quis amplectatur impostura (hanc enim bona pars eorum, qui discesserũt ab Ecclesia, vocat Euangelium) Christianum censeri nolint, quamlibet is Christi se doctrinam & eius Apostolorum sequi profiteatur, & prę se ferat. Quibus nos rectè cum Paulo dicere possumus: An à vobis Dei verbum processit, aut in vos solos peruenit?

Sed expendamus nunc & hanc scripturam, cuius gratia iam alias aliquot excussimus. Scriptum esse aiunt Bibite ex hoc omnes.

Quibus autem verbis rectius istis respondebimus, quàm quibus non dissimili Arianorum insaniæ, respondit olim Ambrosius. Scriptum est, inquiunt, Nemo bonus nisi vnus Deus

*Rom. 6.*

*In libris carminũ, & in priore ac posteriore contra Iulianum Oratione.*

*Chrisost. Hom. 17. Sacrificium Christi, & nostrũ idem & vnum vbique offertur.*

*Luc. 22. 1. Corinth. 11.*

*Sacrificij Christi in cruce oblati à Missę sacrificio discrimen.*

*Psal. 90. Matth. 4. 2. Corinth. 11. Satanas per pseudo apostolos olim populum seducebat. Hie. 23. 24. 27. & 29. Irenæ. lib. 5. ca. 21.*

*Galat. 1.*

*1 Cor. 14. & 11. Laicis sub vna ne an sub vtraque specie communicandum. Bibite ex hoc omnes, quid sit. Matth. 26. De fide Lib. 2. c. 1. In scriptura expo-*



Deus. Scriptum est, agnosco, sed litera errorem non habet, vtinam Arriana interpretatio non haberet. Apices siue crimine sunt, sensus in crimine. Dictum Domini Saluatoris agnosco, sed consideremus quando dicat, cui dicat, qua circunspectione dicat. Similiter & istis respondere licebit. Litera non habet errorem, quæ dicit. Bibite ex hoc omnes, sed videndum est, cui dicantur hæc. Quamobrem si sensum horum verborum esse vis, vt quibus hoc dictum est, non licere putes Sacerdotibus aut conficere aut offerre, aut oblatione facta Christi corpus & sanguinem sumere, nisi sub vtraque specie, Dei verbum est: quod obuijs, quod aiunt, vlnis reuerenter amplectimur. Sic enim Christus instituit, sic vna, sancta, catholica, Apostolica semper obseruauit Ecclesia, neq; faciet vnquam vt istud Christi mutet institutum. Sin autem illud ex his verbis colligere conaris, quod eis tanquam Christi præcepto cuncti compellantur ad vtriusq; speciei communionem, quod aliter saluo esse nemini liceat: tuum est hoc verbum, ô Satana, qui per hanc viam & opinionum, & animorum in Ecclesia Dei dissidium excitare conaris, non est verbum Dei. Legantur, quæ præcedunt verba: tus ille locus accuratius expendatur, cuiuis erit perspicuum, cùm in domo vbi Pascha cum discipulis suis Christus manducauit, quam fuisse, Mariæ domum, quæ fuit Marci mater, scribit Alexander monachus in laudatione, quam edidit in Apostolum Barnabam, vt habetur in septimo tomo vitarum Lipomani: alij quoq; nonnulli fuerint, neminem tamen in illa cœna presentem adfuisse præter duodecim Apostolos. Quod etiam à Symione Metaphraste memoriæ traditum, accepimus: qui scribit, quòd cùm traderet mysteria Dominus, discipulos quidem vnà habuit accumbentes, matrem autem iusit curam gerere mulierum, quæ ministrabant. Clarius autem id à Clemente demonstratur libro vltimo Constit. Apostolicarum, & à Iustino in Apologetico. Itaq; solis Apostolis accumbentibus hæc verba dicta esse videntur. Dicit Matthæus: Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis. Dicit Marcus: Vespere autem facto, venit cum duodecim. Dicit Lucas: Et cùm facta esset hora, discubuit: & duodecim Apostoli cum eo. Putasne temerè factum esse, quòd numerus iste duodecim ita diligenter ab omnibus Euangelistis expressus est? Præuidebant illi Spiritus sancti pleni, futuros nouissimis temporibus, qui ex verbis ipsorum, tanquam à Christo præceptum esse defenderent, quod ab ipso præceptum est nunquam: atque ideò in exprimendo numero tam cauti fuerunt & diligentes, ad solos vt duodecim Apostolos, quos etiam tum Sacerdotes instituit Christus, verba hęc pertinere demõstrarent: vt illi necessariò sumerẽt sacris operantes: cæteri verò, quin & illi ipsi extra sacrificium, Eucharistiã sub vtraq; specie sumendi, nulla essent necessitate adstricti.

Quamobrem nihil adferunt isti ad institutum suum probandum ex eo loco, vbi cœna Domini describitur. Nam quod præceperat Christus, id ab Apostolis factum est, attestante Marco, quòd biberunt ex eo omnes, & fit etiam nunc ab ijs, qui sacris operantur. Intellexerunt hoc, quiante centum annos vetustum Ecclesiæ morem, quo sub altera tantùm specie communicatur, mutantes priuata sua auctoritate sibi calicem vsurparant, ex his verbis: Bibite ex hoc omnes, errorem suum confirmari non posse: quamobrem ad adstruendum illum, verba potius Christi, quæ sunt apud Ioannem, producenda putauerunt: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: Quæ tamẽ verba, qui triginta his annis prodierunt de spirituali, nõ de sacramentali manducatione intelligi volunt: Quæ etiam si de sacramentali manducatione accipiantur (sicut accipi rectè possunt de vtraq;) tamẽ in toto illo capite, neq; calicis, neq; vini fit vlla mentio, magis vt ad receptum Ecclesię morem, quàm ad istorum errorem probandum, facere videantur. Quamobrem non modò præceptum, vbi dari iusserit, sed nec exẽplum vbi dederit, sub vtraq; specie Christus alijs, quàm Apostolis quispiam in scripturis reperiet, cùm ostendi contrà possit à nobis, qui non erant ex Apostolorum numero, duobus illis in Emaus euntibus, hoc sacramentum sub altera tantùm specie datum esse. Nam quem illis fregerat panẽ Christus, non simplicem panem, sed sacramentum fuisse corporis & sanguinis Christi testantur vno ore Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophylactus. Quin & Hierosolymis vniustantùm speciei communionem in vsu fuisse, ex his, quæ de fractione panis in actis Apostolorũ scripsit Lucas, discimus. Totum præterea Ioannis caput sextum, sicut paulò antè commoratiuimus, nullam neque calicis, neque vini facit mentionem, nec obscurè indicat, sufficere solam speciem panis, cùm dicit: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quod si spectes figuras, quibus hoc Sacramentum in lege fuit præsignatum, agnum illum Paschalem, & manna quod de cœlo Iudæis fuit suppeditatum, figuram illius gessisse reperies: De ijs comedebant omnes, de liquore verbum nullum. Quin illud in Leuitico potius legitur, quæ libamina iuxta ritum illius temporis oblata, confitebant in liquidis, in vsum Sacerdotum omninò cessisse, neq; sibi portionem eorum aliquam offerentes, laicos vsurpasse: vt hæc quoq; figura ad eum, quem retinet Ecclesia catholica, morem confirmandum pertinere videatur. Ad quem abrogandum non modò nihil profertur è scripturis, verùm etiam ex ijs sanè intellectis cuiuis perspicuum esse potest, vtranq; speciem ab ijs tantum, qui sacris operantur, alteram extra sacrificium ab omnibus rectè sumi.

Quid ergo quiritaris, ô Satana, præceptum Christi violari, quod hac quidem de re nullũ esse constat? Quid si ille ipse, quo tu quasi flabello quodam vsus es ad istos in Ecclesia Dei vẽtos & tempestates excitandas: cuius opera tam multos à Christo, & à corpore eius Ecclesia segregasti, testimonium contra te feret, nihil esse de vtraq; specie sumenda à Christo præceptum? Lege quæ scripserit ad Boëmos nondum in reprobum sensum datus: hæc illius verba reperies. Quoniam pulchrum quidem esset vtraque specie Eucharistiæ vti, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret pacem & vnitatem, quam vbique Christus præcepit, sectari, quàm de speciebus sacramenti contendere. Lege quæ scripsit idem

*nenda consideranda circunstantiæ.*

*Pœna Domini in domo Mariæ matris Marci, solis Apostolis præsentibus.*

*In oratione de vita & dormitione sanctissimæ Deiparæ, quæ habetur inter tomos vitarũ, quos in vnum collegit Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis. tomo. 6. Cap. vlt. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

*In cœna Apostolos Sacerdotes instituit*

*Ioan. 6. Communio sub vna specie.*

*Luc. 24. Chrys. Hom. 17. in Matth. Aug. li 3. de consensu Euangelistarum cap. 25. Et de tempore ser. 140. Beda in Luc. lib. 6. Theoph. in Luc. Actor. 2. Exod. 12. Exod. 16. Leuit. 46. & 16. Communio sub vtraque specie laicis neque præcepta neque necessaria.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Luth. ad Boemos*

idem in Eucharistiæ declaratione. Non dixi, inquit, neque consului, neq; est intentio mea, vt vnus, aut aliquot Episcopi propria auctoritate alicui incipiant vtramq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur & mandaretur in Concilio generali. Sic ille non prorsus adhuc odio erga catholicam Ecclesiam excæcatus. Sed & postquam argumenta illi per te Satana suppeditata sunt, quibus sacrosanctum Missæ sacrificium euertere, atque ita redemptionis nostræ per Christum in cruce factæ memoriam omnem abolere penitus conaretur, scripsit his verbis in libro, qui de formula Missæ inscribitur: Si quo casu Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraq; potiri: imò tum primùm in despectum Concilij vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri, & planè eos anathema habere, quicunque auctoritate talis Concilij potirentur vtraque. Hæc iuratus ille tuus, œstro tuo percitus: in cuius scriptis, vt facilè mendacem agnoscere liceat, vix vlla pagina reperitur, in qua secum ipse non pugnet.

*Communicandi mos vetus. Infantibus data olim Eucharistia. Dion. Eccle. hier. cap. 7. Cyp. tract. de lapsis. 5. Augustſ. epist. 107. Et de peccat. merit. & remiss. lib. 1. cap. 20. Et contra Iulia. lib. 3. cap. 11. Et contra Pelag. Hipognosticon. lib. 5. Innoc. epist. 26.*

Cùm itaq; scripturæ, pro recepto magis Ecclesiæ more, quàm contra illum facere videantur, causæ nihil est, quamobrem tanta contentione calix nunc exigatur. Sed fuit, aiunt, eius vsus in primitiua Ecclesia. Fuit, sed non in vniuersa. Dedit vtraq; speciem Corinthijs Paulus: dedit alteram tantum Hierosolymitanis Iacobus. Qua de re nullum extabat Christi præceptum, abundabat vnusquisq; in sensu suo. Etiam infantulis mox vt lauacro regenerationis sanctificati sunt, Eucharistia dabatur in Ecclesia primitiua, sicut ex Dionysio Areopagita, Cypriano, Augustino, Innocentio, & Zozimo Pontificibus abundè liquet. Neq; id sine obtentu verbi Dei fiebat. Nam siue illud proferas: Bibite ex hoc omnes, si ad alios etiam, quàm ad quos dictum est Apostolos, referendum existimas: siue illud, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: vtrunque æquè ad paruulos atq; ad adultos pertinere videtur. Nam qui dicit omnes, neminem excludit: excluſi sunt nihilominus infantes ab vtriusque speciei, vel potius ab ipsius corporis & sanguinis Christi sacramentali participatione, neque tamen quisquam est ex nouatoribus istis, qui propterea cœlum terræ miscendum putet.

*Actor. 4.*

Quid autem causæ est, quamobrem, qua auctoritate fecit Ecclesia, vt ab omni sacramentali Christi corporis manducatione paruulos excluderet, eadem auctoritate non liceat illi iustis & grauibus ex causis, non ab ipsius Christi corporis & sanguinis, sed à speciei tantum alterius vsu, eos, qui sacris non operantur, arcere, cùm sub vna æquè sit integer Christus, atque sub vtraq? neq; sit in specie salus, sed in eo, qui sub specie continetur, Domino nostro Iesu Christo, extra cuius nomen aliud non est, in quo nos fieri saluos oporteat, neq; vel de altera, vel de vtraq; specie extra sacrificium sumenda, Christi præceptum extet vllum, verùm Ecclesiæ potestas concessa sit, quòd ratio temporis postularet, ea de re statuendi. Quàquam & eius rei licet exempla proferre, vbi cùm ratio postulabat, non modo ventum est sine peccato contra Dei præceptum, verum etiam illud ipsum sine expresso Dei mandato est abrogatum, Circuncisio, & Sabbatum, quin à Deo præcepta sint, inficias ire potest nemo: & tamen etiam sub lege & circuncisio in deserto, & sabbati sanctificatio bello ingruente sine peccato fuit à Machabæis intermissa. Quin etiam vtrunq; posteaquam Christus morte sua, quod illa figurabant, impleuerat, ab Ecclesiæ consuetudine remotum & prorsus fuit abrogatum. Non quòd vtrunq; obseruare malum esset, sed quòd solicita de salute nostra mater Ecclesia, nihil nobis cum Iudæis esse cõmune voluit. Sed ad nostra Sacramenta veniamus. Nonne Christus formam baptizandi præscripsit? In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Formam tamen hanc Apostolos non obseruasse legimus, quos in solius nomine IESV nomine baptizasse scribit Lucas, neq; tamen vociferabatur quispiam Christi institutionem violari, contraq; præceptum eius veniri. Quod apertius certè est de hoc Sacramento quàm de Eucharistia sub vtraq; sumenda specie. Postulabat hoc illorum temporum ratio, vt IESV nomen & eius virtus quàm maximè inculcaretur fidelium mentibus: tum & illud intelligebatur, quòd solius huius nominis appellatio, totius esset deitatis confessio, sicut à Basilio scriptum, & ab Ambrosio legimus repetitum. Quare non hoc ipsum cogitatur in alterius speciei ademptione? quando quidem vuius sumptio, totius est Christi communicatio. Factum est tamen posteà, vt quam Christus præscripsit formam, ad eam Ecclesia redeundum esse putaret. Deinde verò, Nonne præceptum à Christo videtur, prius vt doceantur, qui baptizandi sunt? Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos. Et alio loco: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Velle videtur, vt fides, quæ ex auditu est, baptismum præcedat. His scripturæ locis vrgent maximè Anabaptistæ, clamant & ipsi, violari præceptum Christi baptizandis paruulis, qui doceri non possunt: Et tamen ab ijs, qui malunt Euangelici quàm Christiani vocari, quòd cuiusuis potius, quàm Christi Euangelium amplectuntur, illi ipsi Anabaptistæ pro hæreticis habentur. Neque videtur eis (& quidem rectè, nam hac in parte cum Ecclesia sentiunt) quicquam fieri contra Christi præceptum baptizandis paruulis, cùm ad solos adultos hæc verba pertineant. Iam verò quid est baptizare? Nonne immergere, & in aquam deprimere? Quem immergendi ritum religiosè tenuit, & ad posteros etiam transmisit Ecclesia primitiua, neque tamen continuauit posteritas. Quanta autem religione mos hic in Ecclesia primitiua fuerit obseruatus, vel ex eo colligi potest, quòd cùm Clinici, hoc est, in lecto propter ægritudinem decumbentes, aspergi siue perfundi cœpissent, dubitatum est de perfusione illa, quæ nunc etiam in vsu est, vtrum pro baptizatis habendi essent, qui perfusi tantùm siue aspersi fuissent. Quam dubitationem discutiens Cyprianus nihil referre scripsit, perfunderenturne, an mergerentur: quòd in Sacramentis salutaribus necessitate cogente, & Deo suam indulgentiam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia. Non putauit ille diuinam benignitatem externis rebus alligatam esse, sed fide potius, excipi cœlestem munificentiam. Ecce in

*Præcepta Dei mutata. Gen. 17. Exod. 20. Iosue. 1. 1. Machab. 2.*

*Matth. vlt.*

*Actor. 1. Christi nomen.*

*Basil. ad Amphilochium cap. 12. Ambr. lib. 1. de spiritu sanct. cap. 3.*

*Baptizare quid sit.*

*Aspersio Clinicorum efficax.*

*Lib. 4. epist. 7.*





vno baptismi sacramento q̃ multa mutata sunt, non dicam contra præceptum Christi, sed quod negari certè non potest, contra scripturæ verba: nullos tamẽ ea res in Ecclesia Dei motus peperit, neq; est aliquis, qui tria verba cum quoquam hoc nomine cõmutanda esse putet.

Quæ malum, est hæc amentia? quòd de speciebus, ex quibus non est salus, tanta est altercatio, cùm tamen neq; recens, neq; perpetuum sit hoc Ecclesiæ de vtraq; specie sumenda interdictum? Non desunt etiam ex eorum numero qui segregauerunt semetipsos, qui ante mille & centum annos in Ephesino Concilio, quod est vnum ex quatuor illis, quæ tanquam quatuor Euangelia à Christianis omnibus recipiuntur, fuisse scribunt decretum, vt sub specie panis tantum, à laicis Eucharistia sumeretur. Inde traxisse putatur à nonnullis nomen, laica communio, cuius in Sardicensis, & in Agatensis Concilij decretis fit mentio. Decretum autem illud fuisse creditur propter abolendam hæresim quæ sub specie panis carnem sine sanguine, hoc est cadauer: sub specie vini sanguinem absque carne, hoc est cruorem, contineri blasphemabat. Hic error durat etiam nunc. Quem viri quidam Catholici excellenti doctrina, pietateq; præditi, Nestorio tribuunt. Sed quidquid sit de Ephesino Concilio, vel de hoc Nestorij errore, vel etiam de laica communione: quandoquidem his de rebus, quod quidẽ videre nobis licuerit, nulla apud vetustiores scriptores nulla fit mentio, nihil tanquam certum affirmamus: cum præsertim alio sensu Cyprianum, veteresq; scriptores laicam communionem vsurpare, non ignoremus: hoc tamen scimus quod hic error durat etiam nunc: nec enim obscurum est ante annos 24. vtriusque speciei vsum permissum fuisse alicubi quibusdam, cætera catholicis, hac verò sola in re ab Ecclesia segregatis, modò confiterentur, sub specie panis corpus & sanguinem, sub specie vini sanguinem, & corpus contineri. Quorum sacerdotes cùm deliberandi spacium sibi dari petiuissent, postridie in templis populum è superiore loco admonuerunt: dixisse Christum, accepto pane, hoc est corpus meum, non addidisse & sanguis: accepto verò calice, hic est sanguis meus, non addidisse & corpus: hominẽ verò velle, vt dicatur, hoc est corpus & sanguis: hic est sanguis & corpus. Quæ fiuerunt deinde, vtri magis credendum sit, Christo ne Deo, Deiq; filio, an homini? magnosq; motus excitarunt, atq; irritos Pontificis conatus, in reducendis illis ad vnitatem Ecclesiæ fecerunt. Non vetur autem hic error esse dissimilis errori Lucianistarum, simul & Apollinaristarum, sicut legitur apud Augustinum. Qui cùm legerent, verbum caro factum est, negabant animam in Christo fuisse, quòd nudè scriptum esse, verbum caro, non autem, caro & anima factum est. Quos reprehendens Epiphanius: Ecce, inquit, dicit scriptura, Formauit Deus hominem: & non dixit, fecit ipsi ea par, aut pulmonem, aut cor, aut venas, aut neruos, aut alia quæ sunt in corpore: per hoc intelligimus, vnum quid esse ex toto fabre factũ hominẽ ipsum, eò q; non particulatim compositionẽ totius animalis scriptura explicat.

*Vrbanus Regius in prioribus locis communibus. Communio laica sub panis specie tantum in Ephesino concil. decreta.*

*Cypr. lib. 4. epi. 2.*

*Augu. de anima & eius orig. li. 1. c. 18. Epiph. in Ancorat.*

Quæ fuerit igitur causa secundum quosdam interdicendi speciei alterius vsum, iam diximus. Porrò sub lata causa, non multò pòst cessauit hoc interdictum, & vtraq; species vsurpari rursus cœpit. Qua tamen in re non idem apud omnes mos obseruabatur, quòd apud alios vtriusq; apud alios alterius tantùm speciei fuit vsus, donec ac Gregorij tertij Pontificis Romani tempora ventum est: Quo ad Ecclesiæ gubernacula sedente, magna pars Germaniæ, quæ vergit ad septentrionem, Christi recepit Euangelium: ac ducentis pòst annis Polonia, & succedente tempore nonnullæ Septentrionales aliæ nationes: apud quas vini vsus prorsus fuit incognitus. Nam & in Germania non multò amplius quàm trecenti anni intercesserunt, cùm excoli vineæ cœptæ sunt, quæ tamen & ipsa non vbiq; vini ferax est. Apud nos verò nunc quidem frequentior, parentum verò nostrorum & auorum memoria, rarus & perexiguus vini fuit vsus, ac minor etiam, quo tempore primum nostris maioribus Euangelij lumen affulsit. Hoc itaq; Gregorio tertio Ecclesiæ vniuersali præsidente ante octingentos plus minus annos tacito quodam populorum omnium consensu vtriusq; speciei cõmunio videtur abrogata. Nam qui vino abundabant, cum alios nuper ad Christi fidem conuersos propter vini penuriam vtraq; specie vti non posse viderent, ne quid ea res pareret offendiculi, quòd non vnus & idem apud omnes ritus obseruaretur in hoc præsertim Sacramento, quod propriè symbolum est vnitatis, ab vtriusq; speciei vsu abstinendum sibi esse putauerunt, altera tantùm contenti. Giselbertus vixisse creditur ante annos plus minus 600. Docuit is transire substantiam panis in substantiam corporis & sanguinis Christi, & sufficere vnam tantùm speciem exhiberi multitudini.

*Speciei alterius vsus quando inoleuerit.*

*Germania fidẽ toto pore Gregorij recepit.*

*Deinde 200. annis pòst, Polonia.*

*In libro altercationum.*

Ac durauit hæc sub vna tantùm specie communicandi consuetudo sine cuiusquam interpellatione vsq; ad tempora Concilij Constantiensis, quod fuit habitum ante annos centum quadraginta: in quo etiam præsentes adfuerunt ex prouincia nostra. Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, Andreas Posnanienſis, & Nicolaus Plocensis Episcopus, qui fuit iudex commissarius ad audiendas omnes causas nomine nationis Germanicæ constitutus: ex terris Prussiæ, Ioannes Varmiensis, Procurator Pomesanienſis, Culmenſis, & Sambiensis Episcopus, vel cœna, suscipere Eucharistiam debere. Qua de re, cùm esset ad Patres Concilij relatum, qui ex toto orbe conuenerant viri sacrarum literarum peritissimi, post maturam deliberationẽ habitam decretum ab illis est, quòd consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta communicandi populũ sub vna specie tãtùm, & diutissimè obseruata, habẽda est pro lege, quã nõ licet reprobare, nec sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare: quodq; dicere quòd hanc consuetudinem obseruare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debeat erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum, tanquam hæretici sint arcendi. Decem & septem annis post habitum est aliud Cõcilium Basileæ, cui & ipsi Andreas Posnanienſis Episcopus, tunc à sacro Concilio nationis Germanicæ Præsidens designatus, & Franciscus Episcopus Varmiensis interfuerunt. In quo cùm itidem de vtraq; specie disceptaretur,

*Concilio Const. qui Episcopi Poloni interfuerunt.*

*Cõmunio sub panis specie ex Concilio probata.*

*Communionẽ sub alterius specie consuetudinem sacrilegam esse asserentes pertinaciter tanquam hæretici arcendi. Sess. 13. & 30. Matt. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



decretũ est & declaratum, quòd fideles laici communicantes & non conficientes, nõ astringantur ex præcepto Domini ad suscipiendam Eucharistiam sub vtraq; specie: sed ecclesia, quæ regitur spiritu veritatis, & cum qua Christus est vsq; ad consummationem seculi, ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur: prout pro reuerentia ipsius sacramẽti & salute fidelium viderit expedire. Siue autem sub vna specie, siue sub duplici quis communicet (secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ) proficit dignè communicantibus ad salutem. Nec vllatenus ambigendum est, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integrè totus Christus. Laudabilis quoq; consuetudo, communicandi laicum populum sub vna specie ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à Doctoribus diuinæ legis, sacrarum scripturarum ac canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ ipsam immutare. Ecce duorum Conciliorum decreta, quibus vsus hic Ecclesiæ sub vna specie communicandi confirmatus est: in quibus præsentes etiam adfuerunt ex hac prouincia nostra Episcopi à Rege missi, qui regni totius nomine ad ea, quæ sunt in illis constituta, suum assensum præbuerunt.

Fingamus autem controuersiam adhuc esse, num adstringamur ex præcepto Domini ad Eucharistiam sub vtraq; specie suscipiendam. Tibi sic, mihi secùs videbitur: quis erit contentionis huius nostræ finis? Iudex vt sit aliquis oportet. Postulari nunc à multis audimus Concilium, atq; id liberum. Quæ potuerunt autem esse Cõcilia magis libera, quàm hæc duo fuerunt in Germania congregata, in quibus ipsos etiam Pontifices loco suo motos legimus? Vt admiranda sit eorum vel insciti a, vel impudens comminiscendi quiduis audacia, qui Pontificia tyrannide calicem ademptum, populo vociferantur: cùm non modò nullum ostendere queant Pontificis alicuius de eo abrogando decretum, verum contrarium à nobis doceri posit. Nam post Ephesinum Concilium, cùm interdicti causa iuxta quorundam opinionem cessasse videretur, ad intermissum sub vtraq; specie communicandi morem à Leone Pontifice populus inuitatus fuisse videtur: Quod etiam à Gelasio factum volunt isti ipsi, qui nunc tantopere calicem vrgent, cùm tamen Philippus, qui Chronici cuiusdam supplementi auctor fuit, à Gelasio sanctionem esse latam, qua cautum est, vt sacerdotes nec Eucharistiam sub vna tantum consecrarent, nec sub vtraq; populo distribuerent, memoriæ prodiderit. Sed isti verum an falsum dicant, nihil sua referre putant, dum Pontifices quibuscunque confictis criminationibus exosos populo reddant. Intelligit enim Satanas, quod à Cypriano scriptum anteà commemorauimus, gubernatore sublato facilius circa Ecclesiæ naufragia se grassari posse. Quamobrem hoc laborat per membra sua, vt illius auctoritatem eleuet, vt ab illius obedientia homines abstrahat.

*Serm. 4. in Quadrages.*
*Lib. 1. epist. 3.*

Cæterùm quæ tyrannis est tueri Concilij decreta, neq; permittere quæ sunt Ecclesiæ totius auctoritate constituta, vt absque eiusdem auctoritate abrogentur? Si quæ per Principem in comitijs de cunctorum regni ordinum assensu constituta sunt, contra eorum aliquid Princeps ipse venerit, quàm durum id multis videtur? Si verò contraria constitutione aliqua, quod in maioribus regni comitijs summa voluntate omnium sancitum est, id extra comitia solus ipse, paucis in Concilium adhibitis, antiquare conaretur, qui non ederentur clamores? qui motus non excitarentur? Et quòd Principi licere nolunt, id licebit monacho apostatæ, vt excæcatus erga monacham libidine, ac propterea sursum ac deorsum miscere volens omnia tyrannidem hanc sibi vsurpet, vt quæ nõ de vnius alicuius regni, aut prouinciæ sed de totius orbis Christiani, de tot regnorũ, prouinciarum, populorum, nationum assensu, doctissimis, grauissimis, sanctissimis viris in Concilium adhibitis, in generali Concilio, & eo quidem duplici constituta sunt, ea priuata sua auctoritate, quid dicam auctoritate, quam nullam habet, quin potius affectata tyrannide quadam abrogare conetur? Si quæ paulò grauior est causa, dicitur hic esse comitialis articulus: neq; Principi fas esse putatur, extra comitia quicquam de ea decernere: Et de Eucharistia statuere articulus est monachalis, vt ipse cum sua Nonna decernat, num Constantiensis & Basiliensis Concilij decreta rectè se habeant, necne? Quæ est, si non hæc est extrema dementia, tantam aut monacho apostatæ, aut Rhetorculo alicui tyrãidem permittere, vt is mihi de Conciliorum decretis, deve sanctorum Patrum scriptis ferat sententiam? vt hoc rectum, illud minus rectum: hoc amplectendum, illud reijciendum esse pronunciet? Certè si quis hoc de regni comitiorũ statutis facere tentaret, aut pro insano haberetur, aut sibi debitas pœnas non effugeret. Quid aũt causę est, cur sanctior esse debeat comitiorum, quàm Conciliorum auctoritas? Cur nõ liceat in illa, quod licere volunt in hac? Dicat quispiam, Legem in comitijs non rectè latam esse, ac suum iudicium omnium eorum, qui legem hanc sciuerunt in comitijs, iudicio anteponendum (neq; enim deerunt illi rationes, modò non prorsus ingenio sit destitutus, quibus eam infirmare conetur) fortasis etiam contra vtam & mores eorum, qui legem sanxerũt, declamabit: verè, an falsò, non multum sua interesse existimans (neq; enim fuit maior vnquã nõ modo dicendi, verumetiã mentiendi quiduis impunitas & licentia, q̃ sub isto Euangelio) atq; ita seditionẽ concitet, num ferendus videbitur? Scilicet, quod contra Regni alicuius comitia factũ fuerit, nemo tolerandum putabit: quod verò contra totius orbis comitia factũ erit, id ferri poterit? Meritò commendatur ab Eusebio & à Theodoreto præclara Platonis illa sententia. Vobis quidem, inquit, si rectè constitutæ sunt leges, vna certè lex erit præclarissima, quæ iubeat, ne quis iuuenũ quærere audeat, rectene an contrà, se leges habeant: sed vno omnium ore, vnaq; voce, rectè tanq̃ à Dijs posita concedi præcipiat: nec vllo modo aliter pati quicquã à iuuenibus cogitari. Senem aũt, si quid excogitarit, Principibus & æqualibus, nemine iuuenũ audiẽte, referre. Ne quærere quidẽ vir ille sapientissimus adolescẽtibus per-

*Non iudicandum de decretis maiorũ priuatis hominibus, sed obediendum.*

*Iuuenes de legibus non iudicent. Plato li. 1. de legib. Euseb. lib. 12. de præparatione Euangelica c. 1.*



permittit, num Laconum, aut Cretensium lex rectè se, an contrà habeat. Seni verò non plus concedit, quàm vt Principibus referat. quò si iustas & graues aliquas causas attulerit per quos condita lex est, per eos aut declaretur, aut mutetur, aut prorsus abrogetur. Vult autem id à sene fieri, nemine iuuenum audiente, quòd hæc ætas affectionibus magis, quàm rationis magisterio gubernari consueuerit. Quam etiam ob causam Aristoteles, humanæ quoque Philosophiæ minus eos idoneos auditores esse censet. Notum est illud quoque ex Neuij ludo: Percunctantibus enim, cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito? respondetur. Prouenichant oratores noui, stulti, adolescentuli. Temeritas videlicet est florentis ætatis, prudentia senectutis. Nunc non alij de Conciliorum decretis iudicant audaciúsne dicam an impudentius, quam oratores noui, stulti, adolescentuli: qui simul vt alicuius locos communes perlegerint, statim se Theologos profitentur, quos facetè quidam trium grossorum Theologos appellauit, ac eiusmodi Theologos, vt non illud modò, Super senes intellexi: verùm & id quod proximè præcedit, super omnes docẽtes me intellexi, sibi arrogare audeant. Adeò verum est quod prouerbio dicitur: Inscitia confidentiã, eruditio cunctationem parit. Dicit scriptura: Interroga patrem tuum, & annuciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Et alio loco de Christi præcursore Helia Propheta: Conuertet cor patrum ad filios. Nunc à filijs discunt parentes malè credere, aut nihil credere illos interrogant, ab illis docentur, & per Antichristi præcursorem corda filiorum in patres, non patrum in filios conuertuntur: vt non hoc filij, quod patres quondam eorum, sed hoc credant superstites patres, quod ab imperitis sæpè adolescentulis filijs suis docentur. Quid esse potest magis absurdum ac præposterum? Laconum aut Cretensium leges haberi Plato vult tanquam à Deo sancitas, vt neque mutire quisquam contra eas audeat: & quæ citra omnem dubitationem à Spiritu sancto latæ sunt, qui Concilijs præsidet, afflatuq; suo fouet ac vegetat Ecclesiam, nec eam in errorem vllum labi permittit, non modò quærere de ijs, verum etiam eas conuellere, & labefactare velle, rerum imperito adolescenti licebit? At qui in temporalibus etiam legibus, dicit Augustinus, quanquam de ijs homines iudicant cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ, & confirmatæ, non licebit Iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Quantò magis obseruandum, id est, in legibus diuinis, hoc est, auctore Spiritu sancto latis, cuius generis sunt, quæ feruntur in generali Concilio legitimè congregato, vt ne cuiquam de illis Iudicium permittatur. Præclarè Iulianus ab Imperatore Leone de Calcedonensi Concilio sententiam rogatus, vbi inquit, tantorum erat congregata multitudo Pontificum, & sanctorum præsentia Euangeliorum, & frequẽs simul oratio: illic creaturæ totius opificem inuisibili virtute credimus fuisse præsentem. Atq; hæc quidem, de vtraq; specie.

*Lib. 1. Græcarum affectionum.*
*Lib. 1. Ethicorum.*
*Remp. adolescentiũ temeritas perdit.*
*Psal. 118.*
*Deut. 23.*
*Luc. 1.*
*Aug. de vera religione c. 31.*
*De legibus iam constitutis non est iudicandum.*
*Est inter circulares epistolas in 2. Tomo Conciliorum nouissimè æditorũ post Calcedonen. Concilium.*

Hortamur autem, oramus, & per viscera misericordiæ Dei obsecramus fideles omnes in prouincia nostra constitutos, quandoquidem in hoc sacramento varia est & multiplex Satanæ tentatio, fortiter vt illi resistant. Neque enim aliud ille agit, quàm vt hac de specie bus altercatione à Christo & ab eius corpore Ecclesia segreget homines, quòd segregatis facilè se cætera, quæ velit omnia persuadere posse credit. Decet autem fideles omnes expendere, quòd sicut in hoc Sacramento verum est & viuum Christi corpus, sic qui volunt illud sumere ad vitam æternam, & non ad mortem æternam, eos & ipsos oportet esse Christi corpus. Considerent quid sit quod agatur in hoc sacramento. Quid enim aliud, nisi quod dicit Paulus, mors Domini annunciatur? Quare autem mortuus est? Vt filios Israel qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ipse mortuus est ideò, vt congregaret, tu propterea sub vtraque specie sumendum asseris, vt segreges, vt diuidas, vt dispergas, quod ille precioso sanguine suo collegit? Quid est, si hoc non est Antichristum esse? Quid hic est nisi sacramentum pietatis, nisi signum vnitatis, nisi vinculum charitatis? Qua tu fronte audes illud facere causam dissidij, materiam diuisionis, fomitem odij? Saltem signa ipsa attende, neq; aliud esse velis, quàm quod per illa notatur. Neque enim sine causa Christus in specie panis hoc sacramentum esse voluit. Vnus enim panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Nos ergo designauit in hoc sacramento Dominus, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis in hac mensa consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non pro se mysterium, sed contra se testimonium accipit: indignè enim sumit, ac reus erit corporis, & sanguinis Domini: occisor Christi reputabitur: nec minus peccabit, quàm si Christum ipsum crucifixisset, si sanguinem eius fudisset. Ex multis granis vnus efficitur panis: & nos ex multis membris efficimur vnum corpus: corpus autẽ Christi. Hoc ergo corpus si lanias, si diuidis, quid aliud, quàm denuò flagellas, denuò crucifigis, denuò Christum interficis? Qua crudelitate quæ potest maior excogitari? Quamobrem iterum atq; iterum obtestamur per eum ipsum D. N. Iesum Christum, cuius viuum cor pus in hoc Sacramento continetur, vt ab hac tanta crudelitate sibi temperent, quin potius, quod mortis Christi beneficio facti sumus omnes, id esse & permanere velint. Fecit ille nos corpus suum, tradito pro nobis in mortem corpore suo, simus & permaneamus huius, & quidem vnius corporis membra. Erimus autem vnius corporis membra sub Christo capite, si nos ab Ecclesiastici ædificij compage auelli non permiserimus: si id ipsum omnes dicerimus: si non fuerint in nobis schismata: si in eadem fidei regula permanserimus: si cum alijs de rebus ad fidem pertinentibus, tum de hoc venerabili sacramento vnanimes idem omnes senserimus. Quamobrem non contendamus de speciebus, in quibus nihil est, quod aliquid fiduciæ quisquam collocet, in illo solo spes nobis est omnis defigenda, qui sub speciebus istis visibilibus inuisibilis ipse latet, vereq; continetur. Neque enim quod videmus, salutem nobis adfert, sed quem oculis carnis huius cernere non possumus, quem sola fide

*Mortis Christi causa. 1. Cor. 11. Ioan. 11.*
*Eucharistia sacramentum Christus cur in panis & vini specie instituerit. 1. Cor. 10.*
*1. Cor. 11.*
*De speciebus non contendendum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



comprehendere licet, Dominus noster Iesus Christus, qui sub his, quæ videntur, speciebus inuisibilis ipse & immortalis verè continetur, ipse est & non alius, in cuius nomine nos omnes fieri saluos oportet. Qui cùm æquè sit integer sub vna, atque sub vtraque specie, quorsum attinet de speciebus disceptare, ex quibus non est salus? Etiam atque etiam nobiscum expendamus quod à Chrysostomo scriptum est: Quamdiu, inquit, lapides bene compacti sunt, nihilq; vacuum inter se habent, firmi & infracti perstant. Si verò vel foramen acus duntaxat, quod vtrinque penetret, aut scissuram, quæ capilli locum teneat fieri contigerit, omnia dissoluuntur, ac pereunt. Ita & Diabolus, donec compacti quidem ac benè compositi fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. Quamprimùm verò vel modicum nos relaxare poterit, non aliter quàm quasi quidam torrens toto impetu infunditur. Nam vbicq; illi solis duntaxat initijs opus est, & hoc laboriosum est. Si verò nactus fuerit initium nocendi, omnia sibijpsi subindè suopte ingenio vestigat, & amplificat. Præclarè Chrysostomus: Vbique solis tantùm initijs opus ait esse Diabolo, nec aliud illi magis esse laboriosum, quàm initium. Quod simul vt nactus est, iam omnia suopte ingenio vestigat, & amplificat. An autem hoc ita iam euenisse non videmus? Quandiu erant compacti Ecclesiæ lapides, nec vllum vel acus foramen, vel scissura quæ capilli locum haberet, fieri permissa est, firmi & infracti persistebamus, nec vllas vires diabolus contra nos habere potuit. Simul vt autem initium separationis & diuisionis in vsu specierum sacramenti Eucharistiæ factum est, quorsum impietatis res progressa no est? Qui de vtraque specie primùm contendere cœperunt, an ij Christum ex vtraque paulò pòst non amiserunt? Neque enim credit iam bona pars eorum quicquam in hoc sacramento, nisi merum panem & merum esse vinum. Quæ quàm sit horrenda blasphemia, quis non intelligit homo Christianus? Verum est quod dixit quidam, quamuis Ethnicus: Nimium altercando veritas amittitur. Amiserunt illi veritatem, amiserunt Christum de hoc sacramento, dum altercationi studentes magis quàm dilectioni mutuæ non credunt veritati, de veritate sui corporis disertè dicenti: Hoc est corpus meum. Huc perduxit miseros priuatus spiritus, cui plus fidendum esse putauerunt, quàm ei, qui publicè promissus & missus est Ecclesiæ vniuersæ. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Num autem his finibus eorum impietas est circunscripta? An & Sacerdotium & sacrificium non abrogarunt? an & Sacramenta simul omnia non abstulerunt? an ipsis etiam scripturis auctoritatem omnem non detraxerunt? An eo demùm audaciæ atque amentiæ progressi non sunt, vt & adorandam Trinitatem blasphemarent, & Christum Deum, Deiq; filium esse negarent? Nec id obscurè faciunt: Quin gloriantur etiam, & præ se ferunt Lutherum tectum Papatus tantum diruisse, Zuinglium parietes, & viciniora fundamento membra disiecisse dicunt. De verò pro suo inuicto robore, singularisq; animi magnitudine ad ipsum fundamentum, quod intactum illi reliquerant, subruendum aggressos esse. Fundamentum autem Papatus, hoc est, Ecclesiæ Dei, vocant summum salutis nostræ dogma, quo Deum trinum in personis & vnum in essentia, colendũ & adorandum esse profitemur. Quàm verè dictum est à Chrysostomo, quòd initijs tantùm opus est diabolo. Posteaquam hoc fecit initium schismatis in vsu specierum sacramenti Eucharistiæ, quo tandem impietatis ad extremum non prorupit?

*Veritas nimiũ alter cando amittitur.* *Matt. 26.* *Epilogus.* *Actor. 4.* *Chrysost.*

Quamobrem cùm nullum Christi institutum, nullum præceptum videamus de calice cuiquam extra Missæ sacrificium dando, cùm Christum etiam ipsum & Apostolos absq; calice sub specie panis tantùm Eucharistiam dedisse legamus: cùm certò nobis persuasum sit, nihilo plus sub vtraque, quàm sub vna specie contineri, sub qua æquè vt sub vtraq; integer Christus accipitur, ac eadem gratia confertur: Cùm & illud apertè videamus, quòd in hac altercatione de vtraq; specie nihil aliud quærit diabolus, quàm vt foramen duntaxat in Ecclesiæ tecto faciat: vt eo facto haud aliter, quàm torrens aliquis toto impetu in eam infundere se possit, non altercemur cum inimicis crucis Christi: qui quæ pacificauit ille per sanguinem crucis, quæ per mortem suam congregauit, ea spargere conantur: non contendamus de speciebus, ne quod illis accidit, & ipsi Christum amittamus, ac ad eum similiter, vt ab illis fit, blasphemandum inducamur: verùm ad quod peruenimus, iuxta Pauli consilium, in eo permanentes, idem sapiamus omnes. Ita futurum est, vt ipsi facti corpus Christi mysticum, non ad mortem æternam corpus Christi verum sumamus, sed ad vitam æternam. Verùm ad reliqua pergamus.

*Col. 1.* *Phil. 3.*

## *Quòd hoc Sacramentum rectè dicatur sacrificium.* CAP. XLI.

*Eucharistiæ excellentia.* *Eccl. Hier. li. 3.* *Hier. 12.* *Heb. 8.*

INTER omnia Sacramenta nullum est hoc vno Eucharistiæ Sacramento excellentius: quam etiam ob causam à Dionysio, & eum secuto Bernardo, sacramentum sacramentorum, & hostia vocatur hostiarum. Nam cùm tria sint, quibus ritè Deus colitur, fides, spes, & charitas, baptismus fidei: ab eo enim fides appellamur: confirmatio spei, per illud enim erigitur spes nostra, tutore nobis dato Spiritusancto: Eucharistia verò charitatis est Sacramentum: quòd in eo recolimus, quanta fuerit charitas Dei & Domini nostri Iesu Christi ergo nos, qui dilectam animam suam dedit in manus inimicorum suorum, ac semetipsum tradidit oblationẽ & hostiã Deo patri pro nobis, vt sanguine suo nos emundaret ab operibus mortuis, ac vicissim charitate erga tam pium & beneficũ Seruatorem nostrũ accendimur, omnia & facere, & pati parati, dum gratos nos & memores tanti beneficij præstare possimus. Quare quantò est excellentior charitas, q̃ sit fides & spes, tantò præstat hoc Sacramentum alijs omnibus, q̃ non modò significat & confert gratiam sicut alia sacramenta, sed eum ipsum, qui fons est & largitor omnis gratiæ verè in se continet Dominum nostrum Iesum Christum.

Intel-



Intelligit hoc Satanas, quòd nullius sacramenti dignitas maior est vel vtilitas, proinde nusquam etiam grauius quàm in sacramento fideles tentat, quod aut sublatum ex omni hominum memoria, aut certè debito honore spoliatum, ac prorsus contemptum esse cupit. Qua tamẽ in re, vt paulò antè diximus, nihil agit festinanter, sed illud molitur ante omnia, vt à Christo, & ab eius corpore Ecclesia segreget homines, quò segregatos facilius, eò quò cogitat, perducat. Itaq; primùm inijcit altercationem de speciebus, vt persuadeat hominibus, non hoc amplectendum esse, quod visum est Ecclesiæ vniuersæ, neq; illius, sed priuato sensu scripturas interpretari oportere: Quod posteaquàm obtinuit, iam reliqua minore negotio persuadet. Nihil autem æquè conatibus eius obstat, atq; iugis recordatio sacrificij illius, quo semetipsum patri suo cœlesti Christus in ara crucis hostiam obtulit pro peccatis nostris: videt illius virtuti se resistere nequaquam posse: quamobrem illud oppugnat maximè: Neq; tamen apertè, verùm astutè prorsus & callidè. Prædicationem illius permittit, à repræsentatione tamen abstineri prorsus vult, quòd ea sublata, fore intelligit, vt prædicatio quoq; succedente tempore langueſcat. Quamobrem hic neruos suos omnes exerit: neq; satis habet omnia dixisse, quibus persuadeat non esse à Christo aut sacerdotium, aut sacrificium vllum institutum, verùm affingit Ecclesiæ multa, quasi ea sentiat & doceat de hoc tremendo sacrificio, quæ ne cogitare quidem illi in mentem venit vnquam. Quare quæ sit Ecclesiæ hac de re sententia, & quàm falsò illi per membra sua Satanas impingat, de eo nonnihil disserendum esse putauimus.

*In Eucharistia abolenda Sathanæ conatus.*

Illud itaq; scire imprimis oportet, quòd cùm diuersæ sint res, quarum per hoc sacramentum admonemur, diuersæ sunt etiam illius appellationes. Nam quorum admonemur, partim præterita sunt, partim præsentia, partim futura. Admonemur præteritæ Christi passionis, quæ fuit longè gratissimum Deo sacrificium, quo nos ille Deo patri suo reconciliauit, pro peccatis nostris morte sua satisfecit, ac non modò remissionem peccatorum nostrorũ nobis meruit, verumetiam dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, dignos fecit, qui in filios eius & hæredes adoptaremur. Atque hac ratione vocatur hoc sacramentum sacrificium. Sic enim à Cypriano dictum est: passio Christi est, sacrificium quod offerimus. Vocatur etiam Eucharistia, hoc est gratiarum actio, quòd in hoc sacrificio grata quadam recordatione prosequimur, cùm alia omnia, tum præsertim immensum illud redemptionis nostræ beneficium. Admonemur præsentis vnitatis, quam hoc sacramentum efficit, atque ita vocatur Synaxis Græcè, Latinè communio, quòd per illud, sicut à Damasceno traditum est, Christo communicamus, carnis eius & diuinitatis participes efficimur, ac sicut cum illo, ita ipsi etiam inter nos vnum reddimur, vt simus omnes vnum corpus sub vno capite Christo, iuxta illud quod à Paulo dictum est. Vnum corpus, vnus panis multi sumus, qui de vno pane participamus. Admonemur postremò eius quòd futurum est, quod sicut in hoc sacramento Christo coniungimur, & eo fruimur, non in sua, sed in panis & vini specie, ita posteaquam qui non habemus hic manentem ciuitatem, verùm aduenæ sumus & peregrini, ex huius vitæ diuersorio in cœlestem illam patriam, ad quam anhelamus, peruenerimus: non iam amplius per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem videbimus eum sicuti est, atque illius aspectu satiabimur, iuxta illud quod scriptum est: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Hac ratione vocatur viaticum, quòd viam nobis præbet eò perueniendi, quandoquidem in se verè continet eum, qui via nostra est, Dominum nostrum Iesum Christum. Qui etiam est ostium illud, per quod solum, & non per aliud, ad cœlestem illam gloriam ingressus nobis patet.

*Euchar. appellationes de quibus nos admonẽt.* *Col. 1.* *Sacrificium quid operetur.* *Cypr. lib. 2. epist. 3.* *Eucharistia quid.* *Synaxis seu communio.* *Damasc. li. 4. c. 14.* *1. Cor. 10.* *Hebr. 13.* *1. Pet. 2.* *1. Cor. 13.* *1 Ioan. 3.* *Psal. 60.* *Viaticum quid.* *Ioan. 24.* *Ioan. 10.*

Vt autem intelligi possit, qua ratione sacrificium vocetur, paucis non capitis nostri somnia, neq; cordis nostri visiones, verùm quæ doctissimis, grauissimisq; viris iam inde à tot sæculis ea de re visa sunt, enarrabimus. Inter quos cùm Principem locum teneat Augustinus, is vbi sacrificium definit, in hæc verba scribit: Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est. Quoniam verò erant ipsius quoq; sæculo, qui nullum externum & visibile sacrificium esse oportere in ecclesia Dei dicerent, contra hos quoque his verbis loquitur. Qui verò putant hæc visibilia sacrificia Dijs alijs congruere, illi verò tanquam inuisibili inuisibilia, & maiori maiora, melioriq; meliora qualia sunt purę mẽtis & bonæ voluntatis officia: profectò nesciunt hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocircà sicut orantes atq; laudantes, ad eum dirigimus significãtes voces cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm illi cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Ac paulò pòst, de nostro sacrificio mentionem faciens. Verus, inquit, ille mediator (in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei, & hominum homo Christus Iesus) cùm in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus Deus est, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere: per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio: cuius rei sacramentum esse voluit quotidianum Ecclesiæ sacrificium: cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam consuetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia, variaq; signa erãt sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquam multis verbis res vna diceretur, vt sine fastidio multùm commendaretur. Huic summo, verò q; sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt.

*Sacrificij ratio.* *Lib. 10. de ciuit. Dei, c. 19.* *Sacrificium quid.* *1. Cor. 9.* *Vocis officium est mentis conceptum significare.* *Cap. 20. Ibid.* *Sacrificij altaris varia signa erant.*

Ex his Augustini verbis docemur, quale sit hoc Ecclesiæ sacrificium, de quo nunc disserimus: Est enim sacramentum, hoc est, sacrum signum, illius, nunc quidem nobis inuisibilis sacrificij, quo Christus in cruce semetipsum visibiliter obtulit hostiam Deo in odorem suauitatis. Hoc est quod apertius alio loco scribit idem August. Hebræi, inquit, in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam

*Contra Faustum li. 20. cap. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Ac apertius etiam paulò pòst discrimen ostendit inter sacrificia Iudæorum, & quod in cruce Christus obtulit, & quod ex illius institutione nunc offertur in Ecclesia. Loquens enim de eo: Huius, inquit, sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatẽ reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Quod ergo per figuras fuit significatum, & promissum, & naturæ & legis tempore, hoc in cruce redditum in altari nunc repræsentatur, & oculis nostris subijcitur, vt iugis tanti beneficij sit memoria. Sacrificia priscorum, figura tantùm fuerunt, & adumbratio quædam: in cruce verè fuit in mortem oblata pro nobis victima nostra, Dominus noster Iesus Christus: qui posteaquàm in cœlum ascẽdit, nihil nunc aliud fit in Ecclesia, quam illius oblationis, quæ in cruce facta est, memoria quædam & repræsentatio.

*Cap.21. Sacrificia Iudæorũ à Christi & ecclesiæ sacrificio variè differunt.*

*Sacrificium Missæ quando Deo rectè offertur.*

Hinc intelligimus quale sit sacrificium hoc, de quo nunc agimus. Est enim sacrum signũ, quo admonemur illius sacrificij, quod non videmus, quod in cruce pro nobis peractum est. Docemur prætereà ex his quæ ex Augustino adduximus, quòd ita demum sacrificium hoc visibile rectè Deo offertur, cùm illius in cordibus nostris inuisibile sacrificium ipsi facti fuerimus. Qua de re, qui fuit quadringentis plus minus annis Augustino posterior, Amalarius Treuerensis Archiepiscopus, his verbis admonet: Illud intendendum est, inquit, in omnibus officijs immolationis, tali nomine censendum esse visibile altare, quale est cor offerentium. Quare falsum est, quod fingunt inimici crucis Christi, docere Ecclesiam, quòd cæremonia Missæ ex opere operato sine fide nos Deo reconciliat. Quin quod à Bucero scriptum fuit aliquando priusquam segregasset semetipsum, id docuit, docet, & docebit semper Ecclesia, quòd Missa ex opere operato, id est, ex eo quod institutum Domini est, id quod geritur, non ex opere operantis, hoc est, ex merito ministri prodest: sed his, qui in illa communicant per fidem & charitatem. Hoc est, quòd ex Augustino adduximus: Sacramentum in cruce peracti sacrificij, esse quotidianum sacrificium Ecclesiæ, cùm ipsius corporis ipse sit caput Christus & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam consuetus offerri. Quo in loco non obscurè illud indicat, & Ecclesiam per Christum, & Christum offerri per Ecclesiam: quæ nisi capiti suo Christo fide sit & charitate connexa, ex ea oblatione, cuius repræsentatio fit in altari, fructus percipi potest nullus. Hoc est etiam, quòd à Bonauentura traditum legimus: quòd virtus sacrificij dicitur ipsa fides, quæ faciebat sacrificium valere: vel dicitur interna mentis contritio, quæ faciebat externum sacrificium virtuo-
*In 4. li. sent. dist. 1.* sum. Hoc & S. Thomas apertè declarat, cùm dicit: Sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & ad adoptionem gratiæ & gloriæ, sed effectum non habet, nisi in illis qui passioni coniunguntur per fidem, & charitatem: ita & hoc sacrificium quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum, nisi in illis quæ coniunguntur huic sacramento per fidem & charitatem: Vnde & Augustinus dicit ad Renatum: Quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi.

*Opus operans & operatum quid. Missa quomodo prodest.*

Sacrificium itaq; nostrum non est aliud, quàm illud, de quo dicit Paulus: Pascha nostrum immolatus est Christus. Nam quod Paschæ nomine non solùm illa diei solennitas, verùm & agnus ille significatus fuerit, qui tum iuxta ritum legis immolabatur, & immolatus mandu-
*1. Cor. 5. Paschæ nomine quid intelligendũ. Mar. 14. Luc. 22. Hier. 15. Esai 53. Ioan. 11.* cabatur, indicare videtur ille Marci locus: Vbi vis eamus & paremus, vt manduces Pascha? Et alius apud Lucam, Venit dies azimorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Pascha itaq; nostrum est ipsemet Dei filius: Hic est ille agnus, de quo dixerat Hieremias: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: de quo prædixerat Esaias: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum: Hic est ille agnus, quem venientem ad se quasi digito Ioannes Baptista demonstrabat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est ille agnus immaculatus, cuius precioso sanguine nos redemptos esse scribit Petrus: quem in Apocalypsi ab origine mundi occisum esse legimus. Quotquot enim ab origine mundi salutem consequuti sunt, quotquot deinceps etiam ad finem vsq; seculi salutem consequentur non per alium cõsequuti sunt, & consequentur, quàm per agnum hunc pro nobis immolatum, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Agnus innocens pro nocentibus, iustus pro iniustis fudit sanguinem suum, crudelemq; & ignominiosam crucis mortem obiuit, atq; isto corporis & sanguinis sui sacrificio mundum Deo reconciliauit. Hoc est illud sacrificium, illud, inquam, vnicum & singulare sacrificium, quod adumbrabant, cuius figuram gerebant varia illa Patrũ sacrificia, quæ & naturæ, & legis tẽpore fuerũt, incipiẽdo ab Abel iusto deinde per Noë, Melchisedech, Abraham, ad sacrificia legalia Aaron & filiorum eius transeundo: quibus nõ aliud actum est, quàm vt fixum hoc in hominum memoria permaneret, quòd à mundi exordio nulli salus aliter, quàm per huius hostiæ, quam illa sacrificia figurabant fiduciam, con-
*1. Pet. 2. Apoc. 13.*

*1. Pet. 2. 1. Pet. 3.*

*Sacrificia cur data patribus.* tigerit. Sicut autem illa sacrificia Deus Patribus tradiderat, vt per ea magni huius, quod futurum expectabant, sacrificij memoriam in animis suis renouarent, fidem confirmarent, & credendo atq; orando fructum eius in se transferrent, ac per eorum oblationem Dei beneficia grata recordatione prosequerentur: sic Ecclesiæ suæ Christus mundam, & salutarem

*Oblatio corporis & sanguinis domini cur nobis relicta.* sui corporis & sanguinis oblationem sub speciebus panis & vini commendauit, qua corporis eius in cruce pro nobis appensi & effusi sanguinis memoriam in animis nostris subinde renouaremus, & fructum illius oblationis in cruce factæ perciperemus, eam nobis applicantes.

*Obiectiones hæreticorum.* Cæterùm quod obijcitur ab inimicis crucis Christi, nusquam præcepisse Christũ offerri, sed manducari tantùm carnem, & bibi sanguinem suum iussisse, ac idololatriam esse extra ver-



verbum & sine verbo cultus instituere. Si verùm est quod ab illis dicitur, ergo idololatra fuit Abel. Quod enim præceptum habuit de suis primogenitis & eorum adipibus offerendis? & tamen dicit scriptura: Quòd respexit Deus ad Abel & ad munera eius. Idololatra fuit Noë. Nam & ille quod præceptum, aut quod habuit Dei verbum de altari ædificando, & holocaustis in eo offerendis? Idololatra fuit Abraham: idololatra fuit Iob: idololatræ fuerunt & alij nonnulli, quos obtulisse Deo sacrificia, atq; ea illi grata & accepta fuisse legimus. Quod dicere quàm sit absurdum, quis non intelligat?

*Cultus Dei sine verbo Dei. Genes. 4. Genes. 8. Genes. 12. Iob. 1.*

Quàm falsum autem est, idololatriam & impium atque ingratum DEO cultum esse, qui sine certo & expresso DEI mandato sit institutus, tam falsum est, eum cultum, quem vocamus Missæ sacrificium, sine verbo Dei & citra mandatum eius institutum esse: Clarum enim est & apertum Dei verbum, Hoc facite in meam commemorationem: quo non illud modò præcipit Deus, vt distribuatur sacramẽtum corporis & sanguinis eius, verumetiam vt benedicatur siue consecretur, ac deinde immoletur, immolatum verò mãducetur. Fuit autem hoc etiam apud Ethnicos vsitatum, vt facere dicant, pro, offerre, vel sacrificare, quod vel ille Maronis versiculus indicat. Cum saciam vitula, magis verò proprium hoc Hebræorum Idioma fuisse videtur. Nam facere agnos anniculos in Exodo: facere hircum pro peccato in Leuitico: facere turtures in Numeris: facere hędum in lib. Iudicum: facere holocaustum in lib: Regum: facere septem arietes & septem vitulos in Ezechiele legimus, & in alijs multis locis ita inuenimus vsurpatum. Quod vsq; eo non eunt inficias illi ipsi, qui Missam sacrificium esse negant, vt cùm aliter elabi se non posse videant, hoc genere cauilli vtantur. Esse quidem apud Hebræos idem facere quod offerre: sed cum additamento, sicut dictum est, facere holocaustum, facere hircum, facere hœdum. Quasi verò non legatur apud Lucam: vt facerent pro eo iuxta legis præscriptum, sine additamento. Et ex Leuitico citat Hieronymus iuxta interpretationem septuaginta. Accede ad altare, & fac pro peccat tuo: ac paulò pòst: Descenditq; cum fecit pro peccato. Quę posteà idem vertit ex Hebręo: Accede ad altare & immola pro peccato tuo. Et rursus: Completis hostijs pro peccato descendit. Vnde perspicuum cuiuis esse potest, quod facere etiam absq; additamento significet immolare & hostias offerre. Sed demus hoc illis, quod non aliter apud Hebręos facere significet offerre, quàm cum additamento. Quid hoc ad eam rem facit, de qua nunc est sermo? Nunquid hìc additamentum non est, cùm dicitur? Hoc facite. Præmiserat: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, subiunxit euestigiò: Hoc facite, corpus meum offerte: Qua de re ergo quiritaris? cùm additamentum videas.

*Lege Thomam in 3. partem quæst. 22. ad sextum. Exod. 12. Exod. 14. Luc. 2. Leuit. 6. Num. 6. Iud. 6. 3. Regum. 8. Ezec. 45. & 43 Hier. lib. 1. con. Pelagianum. Hoc facite.*

Porrò nemini dubium est, fuisse Christum sacerdotum secundum ordinem Melchisedech, quod & Paulus testatur, & ante illum Propheta dicens, Tu es Sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech. Vbi autem hoc sacerdotio functus sit, in Euangelio nusquam reperimus, præterquam in nouissima illa cœna. Nam quale fuit sacerdotium, quale sacrificiũ Melchisedech? Scribitur in Genesi: q; panẽ & vinũ obtulerit. Erat n. Sacerdos Dei altissimi. Nõne Melchisedech Christum sacerdotem adumbrabat? qui & ipse sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem suum obtulit: in qua oblatione se sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech declarauit. Nam in ea oblatione, quę facta est in ara crucis, magis expressa fuisse videtur figura sacerdotij secundum ordinem Aaron, quàm secundũ ordinem Melchisedech. Ibi enim cruentam victimam obtulit, & semetipsum verè morti tradidit: Tales autem victimas offerebant Sacerdotes secundum ordinem Aaron. At in nouissima cœna eandem illam hostiam corporis sui & sanguinis obtulit, sed sub ijs, quæ Melchisedech obtulerat anteà, panis & vini speciebus. Nihil aliud Melchisedech, quàm panẽ ipsum & vinũ: at Christus corpus & sanguinem suum sub panis & vini speciebus obtulut. Et sicut in ara crucis, qui finis legis est Christus, sacrificijs, quę sacerdotes Aaronitæ offerebant, finẽ imposuit: ita in nouissima cœna nouum sacerdotium, nouum sacrificium instituit secundũ ordinem Melchisedech. Cõstat etiam, quòd in illa cœna Pascha cum suis discipulis manducabat: Pascha autem non veruecinum, sed multò prestantissimum. Quemadmodum etiam Tertullianus testatur, dicens: Professus, inquit, Christus se concupiscentia cõcupisse edere Pascha vt suum, indignum enim vt quid alienum cõcupisceret Deus: Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit. Si autem (q; in cõfesso est) Pascha cum suis discipulis celebrabat, proculdubio, qui non venerat soluere legem, sed implere, iuxta ritũ legis celebrabat, iuxta quem immolabatur prius agnus, deinde comedebatur. Quare vt figuræ veritas respõderet, necesse fuit, vt q; Pascha cum discipulis suis manducaret Christus, prius offerret corpus suũ & sanguinem Deo patri, posteà verò mãducandũ traderet. Nam & illud certũ est, & indubitatũ, quòd agnus ille paschalis in veteri lege, figura fuit agni i incõtaminati Dñi nostri Iesu Christi: q semetipsum in ara crucis oblaturus erat hostiã Deo patri: Atqui ea figura non oñi ex parte respõdet rei gestę in ara crucis, sed magis ei quę gesta est in cœna. Nã agnũ ab Hebręis immolatũ legimus in recordationẽ eius beneficij, quo liberatus erat populus Israël de seruitute Pharaonis, & eductus de Ægypto: At immolatio agni immaculati, qua semetipsum obtulit hostiã, p nobis in ara crucis, nõ fuit facta in recordationẽ alicuius beneficij, sed fuit ipsum beneficiũ, fuit ipsa liberatio à peccatis: fuit ipsa redemptio de durissimo iugo diabolicę captiuitatis. Quãobrẽ necesse fuit, vt p illã immolationẽ agni paschalis, alia quędã prẽter illã in cruce peractã immolatio significaretur, quę p Christũ in nouissima cœna facta est: q etiã à sacerdotibus fieri deinceps in suã cõmemorationẽ, in passiõis & mortis recordationẽ instituit. Præcepit Deus, cùm esset agnũ illũ immolaturi Iudęi filios vt suos docerẽt, qd sibi vellet hęc immolatio. Cùm dixerint, inqt, vobis filij vestri, q̃ est ista religio? Dicetis eis: Victima trãsitus Dñi est, quãdo trãsiuit super domos filiorũ Israël in Ægypto, p cutiẽs Ægyptios, & domos nostras liberans. Huius beneficij sui ꝑpetuã memoriã

*Christum sacrificasse in vltima cœna. Hebr 7. Psal. 109. Genes 14. Vide Thomam in 3. partem quæst. 22. ad sextum. Rom. 10. Christus in cruce finem imposuit sacrificijs Aaronicis. Lib. 4. aduersus Marcionem. Matth. 26. Matth. 5. Exod. 12. Agnus paschalis figura Christi immolatus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in immolatione illa celebrari Deus voluit. Non dissimile quiddã fit in hoc altaris sacrificio. Nam & hic si interrogẽtur filij Israël (nõ secũdũ carnẽ, sed secũdũ promissionẽ) quę nam est ista religio? qd sibi vult quòd sacrosãctũ corpus & ãguis Christi sub panis & vini speciebus offertur in Missa? Rectè respõdere possunt, Grata quędã fit cõmemoratio immẽsi illius beneficij, quo Dei filius homo factus corpus suũ ex Virgine assũptũ, p nobis in mortẽ tradidit, sanguinẽ suũ in cruce fudit, vt mũdũ vniversũ à peccato, & ab ęterna dãnatione liberaret.

*Oblatio corporis & sanguinis Christi sub panis & vini speciebus in Missa quid.*

Hic videre licet agni immolationem magis repręsentare eam, quæ fit in altari, quàm quę facta est in cruce. Nam sicut in Paschate Iudæorum, ita & hic pręteritę redemptionis fit recordatio, in cruce autem ipsa pręsens fuit redemptio. Quod etiam Chrysostomus indicat, enarrans illa verba: Hoc facite in meam cõmemorationem. Vides, inquit, quomodo ab Iudaicis abducit & auocat moribus? Nam sicut illud in rememorationem miraculorum, quæ in Ægypto Patres vestri viderunt, faciebatis, sic & hoc facite in meam cõmemorationem. Quamobrem cùm & mandatũ Christi habeamus, dicentis: Hoc facite in meam cõmemorationem, & cõstet Christum Sacerdotem fuisse secũdum ordinem Melchisedech, neq; reperiatur in scripturis, vbi sit functus hoc Sacerdotio, prętereà manifestũ sit, q; in illa cœna Pascha cum discipulis manducauerit, q; offerri priusquam manducari iuxta ritum Iudęorum cõsueuerat, quis est qui dicere iam audeat, sine Dei verbo cultũ hunc institutum esse? quem nõ his modò scripturę testimonijs, verumetiam Prophetarũ oraculis astrui legimus. Apud Malachiam Prophetam ad sacerdotes Iudęorũ loquitur Dominus: Nõ est mihi volũtas in vobis, & munus nõ suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim Solis, vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda. Quibus in verbis tria nobis cõsideranda veniunt. Primũm, q; abolitum Deus voluerit vetus illud sacerdotium, q; erat secũdum ordinem Aaron, quo solus vtebatur populus Israël. Deinde, q; illi succedere voluerit nouum & ęternũ sacerdotiũ secũdum ordinem Melchisedech, nõ ex vna Aaron familia, sed ex omnibus Gẽtibus eligendum. Tertiò, q; oblatio per sacerdotes nouos offerenda, futura erat munda, & quę in omni orbis totius loco offerretur. Si quis Prophetę locum hunc ad eam, quæ in cruce facta est, oblationem referre velit, constat, nec inter Gentes, nec in omni orbis loco, sed in vna Iudæa Christum in mortem semetipsum obtulisse: vt hic sensus ei Prophetæ loco quadrare non possit. Si autem de cõtriti & humiliati cordis sacrificio, deq; purę mentis & bonę voluntatis officijs intelligẽdum existimet, quæ in omni orbis loco offerri Deo dubium nõ est: ne id quidem procedet. Et si enim dubium non est, huius generis sacrificia Deo accepta esse, quis tamen erit, qui gloriari possit se mundum cor habere, atq; illius oblationem mũdam esse? cùm omnes iustitias nostras esse dixerit alius Propheta, velut pannum menstruatę, nulla vt alia absolutè munda oblatio rectè intelligi possit pręter illam quę semel in cruce oblata est, cuius in Ecclesia iugis fit cõmemoratio. Deinde cordis contriti sacrificium nõ magis huius Ecclesię, quæ secuta est Christi passionem & mortem, quàm illius quæ præcessit, proprium esse videtur, vt æquè in lege atque nunc offerri potuerit. Quinetiam non ad sacerdotes magis eiusmodi oblatio pertinet, quàm ad alios cuiuscunque tandem ordinis fideles. Iam & iuge sacrificium illud quod nouissimis temporibus per Antichristum sublatum iri Daniel prędixit, quid aliud intelligi rectè potest, quàm istud Christi corporis & sanguinis sub speciebus panis, & vini sacrificium? quod vsq; ad consummationem seculi duraturum esse, dubitandum non est: quantumlibet nunc etiam illud per suos præcursores oppugnare conatur Antichristus. Sed & similia, quæ pro mundatis à lepra solebat offerri ex more, quemadmodum à Iustino scriptum legimus, figuratè significabat panem Eucharistiæ quem in memoriam passionis suæ purgantis ab omni peccato animas hominum, IESVS CHRISTVS Dominus noster tradidit posteris: vt interim gratias agamus DEO cùm pro mundo propter hominem creato, tum cęteris, quæ hoc continentur, tum pro redemptione, qua liberati sumus à peccatis, Principatibus ac Potestatibus in vniversum debellatis iuxta diuinum consilium.

*Hom. 83. in Matth.*

*Luc. 22. 1. Corinth. 11.*

*Malach. 1. locus explicatur.*

*Oblatio munda in omni loco.*

*Prouerb. 20.*

*Esaiæ 64.*

*Sacrificium iuge est Missa. Daniel. 8.*

*Leuit. 14. Similia quid significabant.*

*In colloquio quod habuit cum Tryphone Iudæo.*

Habemus itaque iam ita clara & aperta scripturæ testimonia, de quotidiano hoc Christi corporis & sanguinis sub panis & vini speciebus Ecclesię sacrificio, nihil vt magis perspicuè dici, scribiuè potuerit. Facit nihilominus omnia Satanas, vt clarum etiam scripturarum intellectum obscuret, ac prætium redemptionis nostræ ex omni hominum memoria deleat. Ac primùm quidem, quod ad Melchisedech attinet, aiunt ministri Satanæ, Apostolum, vbi de Sacerdotio illius tractat, singula accuratè ac propemodum scrupulosè excutere: nomen hominis, sedem regni, perpetuitatem vitæ, ius decimarũ, benedictionem persequi, in quibus omnibus minus momenti sit, quàm in oblatione panis & vini, de qua tamen verbum nullum fecerit. Nunquid existimandum sit obliuione lapsum esse Dei spiritum, vt dum rebus minutis immoratur, q; erat pcipuum, & ad causam maximè valebat, id omiserit? Quàm ineptum autem hoc est argumentandi genus? non scripsit Paulus, ergo non est? Non scripsit in tota illa epistola esse Christum conceptum de Spiritu sancto, esse natum ex Maria virgine, nunquid ideò negabimus ita esse? Non est obliuione lapsus Dei spiritus, ô Satana, quin eo potius vsus est consilio, quo CHRISTVS olim, cùm diceret: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modò. Clarè hoc ipsa Pauli verba indicant, statim enim vt fecit Melchisedech mentionem: De quo nobis, inquit, grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Illorum itaque imbecillitas in causa fuit, quod lacte adhuc opus habebant, nec solido cibo vti poterant, quòd non omnia, ea præsertim, quæ captum illorum excedebant, de Melchisedech Apostolus fuit persequutus. Quod etiam testatur his verbis Hieronymus: Super quo multus nobis sermo est, & interpretabilis: Non quia Apostolus non potuerit id interpretari, sed quia illius

*Sacrificium Melchisedech.*

*Ioan. 10. Hebr. 5.*

*Ad Euagr. Tom. 3.*



illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id est, Iudæis persuadebat, non iam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum. Verumetiam, si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat ineffabile confitetur, quantò magis nos vermiculi & culices, solã debemus scientiam insciticæ confiteri, & ampliſimam domum paruo qua fi foramine ostendere: vt dicamus duo sacerdotia inter se ab Apostolo comparari, prioris populi, & posterioris, & hoc agi tota disputatione, vt ante Leui & Aaron sacerdos fuerit Melchisedech ex gentibus, cuius tantùm prædicat meritum, vt futuris sacerdotibus Iudæorum in lumbis benediceret Abraham, totumq; quod sequitur in laudes Melchisedech ad Christi typum referri, cuius profectus Ecclesiæ sacramenta sunt.

*Sacerdotia prioris & posterioris populi inter se comparantur.*

*De Theologia li. 1.*

Extat oratio Gregorij Nazianzeni digna quæ teratur manibus omnium, in qua præclarè de eo differit, quòd non omnia, nec omnibus, nec ab omnibus, nec omni loco & tempore dici oporteat. Tum enim vnaquæque res bona dicitur, si benè fiat. Neque tam est rectum aliquid, quod si desit prudentia, non ęquè pernicioſum euadat, atq; sapienter administratum futurum fuerat salutare. Docere nos hoc vel Christi potest exemplum, qui de sua morte, qua vna re nihil esse potuit humano generi vniuerſo salubrius, verba facturus, eã cum discipulis tantum seorsum communicandam esse putauit, q; vulgò mysteriũ hoc rectè committi non posſit. Permultum in eo positum est, q̃ opportuno loco & tempore fiat aliquid, cùm etiam Deum ipsum, si quis consideret diligentius, opportunitatem quandoq; spectasse videamus, præsertim dum se mortalibus aperire, dum luce suæ veritatis mentes eorũ illustrare conatur. Nonne vetus testamentum patrem apertè prędicauit, de filio verò loquutum est obscurius? At noua lex Deum filium palàm est professa: sancti verò Spiritus diuinitatem non ita latè patentibus argumentis explicauit: quę posteà tamen intellecta & ipsa est. Neq; verò non maxima ratione id ita factum est: sicut à Gregorio quoq; Naziãzeno legimus annotatum. Nam nondum patris diuinitate confessa, manifestè filium Deum prædicare: ac rursus nondum Deo filio declarato, Spiritui sancto diuinitatem apertè tribuere, quid futurum erat aliud, quàm infantibus lacte alendis solidum cibum manducandum dare? Fecit itaq; Paulus, quod Propheta faciendum admonet, disposuit sermones suos in iudicio, vt ea tantùm proferret, q̃ profutura putaret, cętera quamuis cognitu dignissima atq; adeò necessaria, in tempus aliud magis opportunum reseruaret. Quod idem fecisse legitur, cùm sermonem apud Athenienses habuisset. Neq; enim statim à primo destruendas putauit cæremonias idolorum: Statim namq; sermonem eius aures gentiliũ respuissent: verùm ab vno Deo operatore mundi incipit, dicens: Deus qui fecit mundum, & cuncta quæ sunt in eo. Negare non poterant vnum operatorem esse mundi, vnum Deum, vnum omnium creatorem. Adiunxit eò quòd cœli & terræ Dominus in manufactis non dignetur habitare. Deinde quod intra auri argentiq; cassam materiam nequaquã verisimile sit artificio hominis vim diuinitatis includi: erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Tunc venit ad Christum, nec tamen Deum maluit q̃ hominem nuncupare, dicens: In viro quo definierit omnibus fidem, suscitans eum ab inferis. Qui enim tractat, inquit Ambrosius, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur quàm audiatur. Quando enim Athenienses credirent, quia verbum caro factum est, & de spiritu virgo concepit, qui irridebãt, quia resurrectionem audierant mortuorum? Tamen & Dionysius Areopagites credidit, & alij crediderunt in virum, vt in Deum crederent. Quid interest, quo quisq; credat ordine? Non in principijs perfecta quæruntur, sed de principijs ad ea quæ perfecta sunt, peruenitur.

*Matt. 20. Deus in aperiendo se hominibus, opportunitatem spectasse videtur.*

*Lib. 5. Theologiæ. Et in Orat. in sanctam Pentec.*

*Psalm. 111.*

*Actor. 17.*

*Auditorum ratio habenda.*

*Lib. 6. in Lucam.*

*Vide Aug. de bono perseuerantiæ.*

*Lib. 2. ca. 16. & in Ioan. tract. 98.*

*Lib. de spiritu sancto c. 27.*

Neq; verò Paulus modò, verùm & alij Apostoli, sicut à Basilio scriptum legimus, mysteriorum reuerentiam & auctoritatem silentio conseruandam esse putauerunt, ne si vulgò essent omnibus cognita, in contemptum venirent. Inde etiam vocata sunt mysteria, quòd ea occulta esse, neq; in vulgus prodi oporteret. Quæ etiã causa fuit, quod literis non mãdabantur, sed per manus tantùm tradebantur: Sicut de hoc ipso sacrificio loquens, dicit Basilius. Inuocationis, inquit, verba, dum Eucharistiæ panis ostenditur, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Quamobrem & apud Chrysostomum ita scriptũ legimus: Mysteria ideò clausis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt adesse prohibemus: Non quia infirmitatem mysteriorum aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem eorum illi adhuc quos arcemus infirmi sunt. Quin etiam illum locũ explicans, Tu es Sacerdos in æternum, Augustinus: Vident Iudæi perijsse iam sacerdotium secundum ordinem Aaron, & non agnoscunt sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Fidelibus loquor, si qui non intelligunt cathecumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est mysteria promere: scripturæ vobis intiment, quid est sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Si Augustinus non putauit omnibus prodenda mysteria, quo tempore terrarum orbis magna ex parte Christum agnoscebat, quantò minus id factum oportuit à Paulo, cùm ad eos qui recens ad fidem Christi conuersi fuerant, neque tanta mysteria capere adhuc poterant, scriberet. Non rectè itaq; colligitur, non meminit sacrificij panis & vini Paulus, vbi de Melchisedech tractat, malè igitur ad Christi sacrificium refertur.

*Despiritu sancto cap. 27.*

*Hom. 24. in Matt.*

*Psal. 109.*

Quod verò dicunt scripturam dicere, quod protulerit Melchisedech, non autem obtulerit. Siue dicas protulisse, siue obtulisse, quod posterius magis fuit in vsu sanctis Patribus, nihil interest. Nec enim contraria sunt inter se proferre & offerre. Quin offerre nemo potest, nisi prius proferat quod offerat. Sed non ad offerendum, ais, protulit, verùm ad edendum & bibendum. At sicut in scriptura non reperitur quod protulerit ad offerendum: sic nec hoc quod protulerit ad manducandum & bibendum. Itaque si nihil dicendum est, quod in scripturis expresse nõ habetur, quid restat aliud quàm vt dicamus quod protulerit ad inspiciendum? vt videret Abraham panis & vini copiam, & admiraretur, neq; tamen de ijs quic-

*Contra sacrificium obiectionum solutiones.*

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam gustaret. Quod quàm sit absurdum, quis non videt? At Iosephus non obtuliſſe DEO
*Ioseph. lib. 1. Cap. 18. Antiq. Iud.* scribit, sed ijs qui cum Abraham fuerunt in cibum & potum panem & vinum suppeditasse.
Posterius quidem hoc scribit Iosephus, prius autem illud nequaquam: Quin contrarium
ex illius verbis docebimus. Quemadmodum non pugnant inter se proferre & offerre, ita
non pugnant inter se proferre ad manducandum, & proferre ad offerendum. Quin grauis
*Greg. Niss.* auctor Gregorius Nissenus non dubitauit dicere, quòd nemo comedit, nisi quod prius immolatum sit. Quæ verba Theophilactus quoq; repetit in Matthæum scribens, & iam docuimus quòd agnus Paschalis, qui fuit huius nostri sacrificij figura prius immolabatur, deinde manducabatur. Sed excutiamus verba Iosephi, quemadmodum habentur in Græco textu. Suppeditauit, inquit, Melchisedech exercitui Abraham Xenia, & magnam copiam commeatus præbuit. Et instituto sacro conuiuio, ipsum Abraham in hoc laudauit, & Deum qui
inimicos eius subiecit, benedicere aggressus est. Non qualecunque, sed sacrum conuiuium
instituisse dicit, quod epulum Latinè, Græcè dicitur ἔνοχία. Quamuis autem quoduis epulum etiam prophanum hoc nomine possit appellari: tamen in vtraque lingua tam Græca
quàm Latina, non ferè tribuitur nomen hoc nisi publico, solemniq; conuiuio, quod vel in
dedicatione templi, vel in funere magni alicuius viri, vel in honorem Dei propter partam
victoriam institutum sit. Et qui præerant apud Ethnicos huic epulo sacerdotes, Latinè vocabantur epulones, qui solemnem ritum in sacrificio peragebant. Præcedebat itaq; sacrificium, sequebatur epulum, siue sacrum cõuiuium, prius offerebatur, posteà comedebatur.
Ad eundem modum & Melchisedech, quandoquidem erat Sacerdos altissimi, sicut scriptura dicit, prius offerebat Deo, posteà dabat epulũ his, qui cum Abrahamo venerant. Quod
*Philo.* clarius etiam ostendit Philo, qui fuit æqualis Iosephi, cùm tractans eandem historiam, ita loquitur: Conspicatus, inquit, magnus ille Pontifex Dei Max. redeuntem Abraham, reducentemq; suos omnes ad vnum incolumes & victores attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat, cogitans præsentem eis opem diuinam adfuisse, manus ad cœlum tendens fausta illi precatus est, & epulum victoriale sacrificauit, sociosq; certaminis
eius splẽdidissimo cõuiuio excepit: quod Iosephus ἐγκώμιον, hoc Philo dixit, τὸ ἐπινικιὸν ἔθυσε,
hoc est epulum victoriale sacrificauit. Prius itaq; sacrificauit epulum, deinde socios certaminis refecit. Qui verò potuerunt melius explicare Mosis verborum sententiam, quàm ij
duo, qui fuerunt eiusdem Hebrææ gentis viri doctissimi, disertissimiq;, qui non tantum ad
manducandum, verùm & ad offerendum protulisse Melchisedech panem & vinum diser-
tis verbis ostendunt. Quamobrem commentum hoc non succedit. Quemadmodum nec
*Hebr. 9. Heb. 10.* illud, quod adferunt ex epistola ad Hebræos. Neq; vt sæpè offerat semetipsum. Alio qui oportebat eum frequenter pati: Semel oblatus est ad exhaurienda multorum peccata: Vna
oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Nam quod à Paulo dictum est, libenter
accipimus: Quod verò per hæc verba Satanas intelligi vult, reijciendum esse putamus.
Quotquot enim sanctificati & iustificati sunt aut erunt, per vnam oblationem illam in ara
*Theodore. in cap. 8.* crucis factam, sanctificatos non obscurè ferimus. Explicans epistolam ad Hebræos Theodoretus, quærit: Si & sacerdotium, quod est ex lege, finem accepit, & sacerdos qui est secũdum ordinem Melchisedech obtulit sacrificium, & effecit, vt alia sacrificia non essent necessaria: cur noui testamenti sacerdotes mysticam lyturgiam seu sacrificium peragunt? Sed clarum est inquit, illis qui sunt in rebus diuinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus: Hoc facite
in meam commemorationem.

*Serm. 2. de cœna Domini. Oblatio Christi virtutem & efficatiam omnibus sacramentis dedit. Leo.* Præclarè dictum est à Bernardo: Christus pro salute mundi semel factus est hostia salutaris rei reconciliatio generalis, omnibus sacramentis, tam præcedentibus, quàm subsequentibus virtutem dedit, & efficatiam, vt tanta & tali hostia sanctificarenrur omnes liberandi
per illam, vnde legitur. Quia agnus occisus est ab initio seculi, ijs videlicet, qui fuerunt ab
initio, ita vt per hoc, quod dicitur, ab initio, determinet, non tempus occisionis, sed salutis.
Prius enim mors eius profuit, quàm fuit. Prius promissio, posteà exhibitio. In quam sententiam à Leone quoq; Pont. quędam scribuntur. Et pulchrè cum Bernardo consentit æqualis
eius Hugo de S. Victore. Scias, inquit, quocunq; tempore ab initio mundi vsq; ad finem nullum fuisse virum bonum nisi iustificatum per gratiam. Gratiam autem nunquam adipisci
potuisse nisi per Christum, ita vt homines siue præcedentes, siue subsequentes vno sanctificationis remedio saluatos agnoscas. Aspice ergo castra Regis nostri & exercitus eius refulgentes armis spiritualibus, quanta præcedentium subsequentiumq; multitudine stipatus
incedat. Ex his, cuiuis perspicuum esse potest, ab initio mundi fuisse genus Christianorum
vsq; eo etiam vt Philastius non dubitet inter hæreticos referre, qui Christianos Iudæis &
Paganis fuisse posteriores affirmant, quos longè illis priores fuisse docet. Idem facit etiam
Augustinus, qui priores omnes Patriarchas & Prophetas quotquot fidem habuerunt vni-
us Dei, Christianos dici vult. Ab initio enim, inquit, Saluator promissus est. Quod suprascriptio Apocalypsis loco probat. Itaq; semper Christiani reipsa fuerunt, etiamsi nondum nomine primi illi, sicut alio loco dicit idem Augustinus, & ante eum Eusebius. Nec vllus vnquam iustificatus aut sanctificatus est, nisi per vnam illam oblationem, in ara crucis, vel prę-
uisam, vel exhibitam. Sed nec deinceps quenquam iustificatum & sanctificatum iri, nisi per
vnam illam oblationem, iam exhibitam. Explicans illum Psalmi locum idem Augustinus:
Nolite tangere Christos meos, quærit quomodo fuerint Christi appellati, antequam fieret
vnctio, ex qua hoc nomen impositum est regibus, & respõdet. An ideò Christi, quia etiamsi
latteer iam tamẽ Christiani. Quamuis enim caro Christi ex illis, tamẽ Christus ante illos, q
& Iudæis respondet dicens: Antequam Abraham fieret ego sum. Quomodo ergo hunc illi
ignorarent aut in eum non crederent, cum propterea Prophetæ dicerentur, quia licet oc-

*Christus ab initio seculi occisus. In lib. quæst. veteris & noui testamenti cap. 3.*

*Li. 3. c. 4. con. 24. epistolas Pelagia. Euseb. lib. 1. Eccle. Historiæ cap. 1.*

*Psal. 104.*

*Ioan. 8.*



cultus, tamen Dominum prænunciabant. Vnde apertè ipse dicit, Abraham concupiuit videre diem meum, & vidit & gauisus est. Non enim quisquam præter istam fidem quæ est in
Christo IESV, siue antè eius Incarnationem, siue posteà reconciliatus est Deo: cùm sit ab A-
postolo veracissimè definitum, Vnus enim Deus & vnus mediator Dei & hominum, ho-
mo Christus IESVS. Cæterùm sicut oblatione illa præuisa, non fuêre sublata, quæ pro pec-
catis offerebantur, vel ante legem vel sub lege sacrificia, quin ea Deo grata potius accidere,
quatenus ad præuisum illud in ara crucis, quod præfigurabant, Christi sacrificium refere-
bantur, sic per eandem oblationem exhibitam non tollitur quotidianum hoc quod Eccle-
sia frequentat sacrificium, sed est Deo tantò magis acceptum, quantò crebrius & religiosi-
us, per id oblationis in cruce factæ, memoria repræsentatur. Cùm ergo dicit Apostolus: Se-
mel oblatus est, ad exhaurienda multorum peccata, vna oblatione consummauit in æter-
num sanctificatos. Hoc dicere videtur, quòd nulla fuit, nec est, nec erit vnquam oblatio,
qua sint exhausta peccata, vel exhauriantur: qua fuerunt homines sanctificati, vel sanctifi-
carentur, præter vnam illam in ara crucis factam. Quæ tam accepta Deo fuit, vt propria
sua virtute, ac merito sanctificet, quotquot Deo patri reconciliantur, & reconciliando san-
ctificantur. Quotquot autem alia sacrificia pro peccatis offerebantur, exhauriendi pecca-
cata, & sanctificandi vim, ab hoc vno mutuabantur: huius vnius virtute, ac merito sancti-
ficabantur quatenus ad hoc vnum referebantur. Huic igitur vnico sacrificio veterum om-
nia sacrificia cessisse, quæ typum huius immolationis gesserunt, & vmbram eius fuisse ab
Ecclesia docti confitemur.

*1. Tim. 2.*

*Sacrificia vetera ob promissi sacrificij in cruce offerendi relationem exercebantur, ita sacrificium nouum ad memoriam illius in cruce iam oblati sacrificij quotidie Deo patri offertur.*

Siquidem oblatione, hoc est, morte sua, Christus illud ipsum perfecit, & consummauit,
quod hostiæ, victimæ, sacrificia veterum promittebant. Promittebant autem fore, vt ali-
quando Dei filius in assumpta carne morte sua, & profuso prętioso sanguine suo genus hu-
manum redimeret. Quod illa vna oblatione perfectum est, cuius oblationis futuræ fide,
Deo reconciliati sunt, & sanctificati, quotquot reconciliati sunt & iustificati. Nec alia fuit
vnquam, nec est, nec erit reconciliandi ratio. Quamobrem adueniente veritate cesserunt
figuræ, adueniente luce cessit vmbra, nec deinceps adumbratum illud amplius oportuit,
quod iam exhibitum est, & omnibus reuelatum. Sed non propterea tanti beneficij iam
nobis reipsa præstiti memoria debuit intermitti. Hoc verò cùm illa pugnaret Euangelij
voce: Hoc facite ad meam commemorationem, oblationis illius in cruce factæ memori-
am, hoc quotidiano sacrificio perpetuò Deus in Ecclesia sua celebrari voluit, nec vnquam
ante consummationem seculi intermitti, vt iugiter coleretur per mysterium, quod semel
offerebatur in pretium, & illa perennis victima, viueret in memoria, & præsens esset sem-
per in gratia, Et sicut priorum temporum oblationes, ad exhibendum olim Christi sacri-
ficium in cruce, sic nouæ legis hoc sacrificium ad exhibitum iam refertur. In carnalibus il-
lis victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato fuerat
oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum. In hoc sacrificio
præsens adest caro Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis effudit.
In sacrificijs illis, quid nobis donandum esset, figuratè significabatur: in hoc, quid iam do-
natum sit euidenter ostenditur. In illis prænunciabatur Dei filius, pro impijs occidendus,
in hoc autem occisus annunciatur. Et sicut illa non propterea non fuerunt vera sacrificia,
quia signa fuerunt veri sacrificij: quod erat in cruce peragendum, sic & hoc non propte-
rea, non est verum sacrificium, quia signum est eiusdem veri sacrificij, quo semetipsum in
ara crucis pro nobis Christus obtulit. Nisi quis fortè sic insaniat, vt magis ad rationem sa-
crificij pertinere putet, quod rem faciendam significet, quàm quod rem iam factam com-
memoret. Certè sicut cœna nostra non esset commemoratio cœnæ dominicæ, imago q; il-
lius & exemplar, nisi verè manducaremus: ita nec Eucharistia nostra, verum exemplar, &
imago foret sacrificij, quod in cruce Christus obtulit, nisi verè sacrificaremus. Cuius au-
tem rei apud S. Patres mentionem fieri legimus crebriorem quàm huius, quæ fit à sacerdo-
tibus Christi corporis & sanguinis oblationis. Quod si Christi sanguis offertur in hoc myste
rio, quis iam negare poterit, quin id verè fit sacrificium, etiam si nihilominus exemplar sit
illius hostiæ cruentæ, cùm in pretium redemptionis nostræ profusus Christi sanguis in ara
crucis offerebatur. Quapropter meritò quosdam ridet Innocentius Pontifex, qui crede-
rent in Eucharistiæ sacramento, non esse Christi corporis, & sanguinis veritatem, ex eo,
quod non rarò misterium id & imaginem, & exemplum vocari legimus. Quorum erro-
rem refellens, Si quia figura, inquit, est sacramentum altaris veritas esse negatur, ergo nec
mors, nec resurrectio Christi veritas est, si quidem eas imaginem, & similitudinem esse tra-
dit Apostolus, quin & Petrus, exemplum in sua passione Christum nobis reliquisse scribit.
Qua de re etiam pluribus verbis ante eum tractauit Hugo de S. Victore. Chrisostomus
quoq; Pauli locum illum explicans vmbram habens lex futurorum bonorum non ipsam
imaginem rerum imaginem interpretatur veritatem. Nam quoad velut in pictura circum-
ducat quis colores vmbra, quædam est: quum vero flores ipsos superliniuerit & colores
inspserit, tunc imago efficitur. Tale quiddam lex erat: vmbram, inquit, habens futuro-
rum bonorum, non ipsam imaginem rerum: hoc est, non ipsam veritatem sacrificij & re-
missionis. Nihil igitur impedit, quominus in externo sacrificio forma sit, species, imago, &
exemplar sacrificij crucis, in corpore verò & sanguine quæ sunt res intus inclusæ, veritas
existat eiusdem sacrificij. Sed quoniam in cruce palàm, & sine mysterio fuit hostia cruenta
in altari verò occultè, & mysticè abscondita, ne nos eodem, quo Christus modo sacrificare
putaremur, cum suo Theophilacto, rectè Chrysostomus admonuit, nos non immolare
Christum, sicut se ipse in cruce immolauit, sed illius in cruce facti sacrificij recordationem
facere. Quæ tamen recordatio, siue commemoratio non est ociosa, nec vmbratilis, verùm
efficit,

*Veritate, & luce præsente cessit quidem vmbra, tamen veritatis, seu tanti exhibiti beneficij memoria ob id intermitti nõ debuit.*

*Sacrificium quotidianum est verisacrificij imago & verum sacrificium in quo verum corpus & sanguis Christi offertur & sumitur.*

*Lib. 4. Mysteriorum Euangelicæ legis. Lib. 2. par. 8. cap. 6. & 7. Chrisost. in cap. 10. epist. ad Hebr. Hom. 17.*

*Theo. in ea. ver. ad Hebræos. Chrysost. hom. 17. ad Hebræos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



efficit, quod significat. Nam & si Christum denuò non occidimus, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, mortem tamen illius haud aliter, quàm si nunc eam oppetijsset, applicamus: nec sola fide, nec solis verbis, verùm & Symbolis id facimus. Quæ non minorem habent vim, quàm ipsæ res haberent, si, cùm earum commemoratio fit, verè patrarentur. In cruento sacrificio crucis, mors quoq; cruenta fuit, in hoc incruento mors etiam est mystica & incruenta, hoc est effectus mortis, haud aliter, quàm si præsens nũc adesset. Sic enim in hoc mysterio Christi mors, & eius fructus nunc applicatur, ac si nunc ille moreretur: Verissimum enim est quod Abbas Rupertus vir cumprimis doctus aliquando dixit. Quàm verè Christus in illa specie qua pependit in Cruce remissionem peccatorum operatus est omnibus, qui illum expectabant ab origine mundi cum fide, sine legalibus fidei Sacramentis, à iusto Abel vsq; ad Iatronem, quem in Cruce confitentem suscepit: tam verè in istis speciebus panis & vini eandem remissionem operatur omnibus qui sunt ingressi, vel ingrediuntur ad eam fidem, posteaquàm illa nimirum humana species hinc transiuit, & in cœlum sese recepit. Ex quo facilè perspicere quiuis potest, quicquid fuit propitiationis, vel in veteris legis sacrificijs, quę signa fuerunt futurę, vel in hoc nostro, quod pręteritę mortis Christi signum est, id omne tribui ei, quæ facta est in cruce oblationi, quæ licèt semel peracta, semper tamen viget, adeoq; perpetua est, quo ad efficaciam. Atq; illius virtute, quod nunquam excidit æternum Christi sacerdotium, quo ministros etiam suos fungi voluit sulcitur. Cyrillus Hierosolymitanus, de Missa verba faciens, vocat illam. Τὴν πνευματικὴν ταύτην θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν, hoc est, spirituale sacrificium & incruentum cultum. Christi verò corpus, quod præsens adest in altari, vocat ibidem, Τὴν θυσίαν ἱλασμὸν, hoc est hostiam propitiationis. Non obscurè indicans quicquid est propitiationis, non tam actioni sacerdotis, quàm illi hostiæ deberi, quæ pro nobis oblata est in ara crucis, propter quam vocatur Missa, propitiatorium sacrificium: quandoquidem præsens adest in altari corpus illius & sanguis, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, Domini nostri IESV CHRISTI. In cuius præsentia, sicut verè dictum est à Cypriano, non superuacuę mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Et aliquot seculis posterior Paschasius, Quotiescunq; bibis hunc calicem aut manducas hunc panem, nõ alium sanguinem te putes bibere, quàm qui pro te & pro omnibus effusus est in remissionẽ peccatorum. Neque aliam carnem quàm quæ pro te & pro omnibus tradita est & pependit in cruce. Quia sic Veritas testatur, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, & de Calice. Hic est enim sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Vndè sicut in remissionem peccatorum fusus est & traditus, ita adhuc hodie in remissionem comeditur & potatur delictorum, vt quia in terris sine quotidianis leuibusq; delictis viuere non possumus, vt præmissi tali esca & potu refecti sine macula & ruga inueniamur & non solum hoc, sed etiam omni benedictione cœlesti, quæ in illis est, repleamur: ac per hoc vnum corpus cum illo, & in illo maneamus, vbi Christus caput & nos omnes mẽbra censeamur. Et qui seculis eliquot præcessit. Origenes sacrificia veteris legis extenuans: Si referantur, inquit, hæc ad mysterij magnitudinem, inuenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Sed si redeas ad illum panem qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam, illum panem propositionis quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius: & si respicias ad illam commemorationem de qua dicit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, inuenies quod ista est commemoratio solaq; propitiũ faciat hominibus Deũ. Si ergo intẽtus Ecclesiastica mysteria recorderis in his quæ lex scribit futuræ veritatis, inuenies imaginem præformatam. Quam etiam ob causam Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, θυσιαστήριον, hoc est altare, vocat ἱλαστήριον, id est propitiatorium, propter præsentiam illius in ipso, qui est propitiatio nostra. Alexander etiam & Iulius Pontifices, omnia crimina, & peccata delere dicunt hoc Sacrificio: per quod etiam Cyprianus, Athanasius, & Damascenus, omnes expiari sordes affirmant. Nec dubitauit Augustinus dicere de sacrificijs altaris, quæ pro defunctorum animabus offeruntur, quòd pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt. Eusebius vocat redemptionis oblationem. Chrysostomus, & eum secutus Theophilactus, remissionem ei peccatorum tribuere videntur, vt non temere sacrificium hoc, non Eucharisticum tantum, verùm & propitiatorium esse dictum intelligas, propter eam, quæ præsens adest in altari propitiationem nostram. Quamobrem cum Ioanne Chrysostomo vnam hanc esse dicimus hostiam cum illa, quæ in cruce peracta est: vnum sacrificium & non aliud, nisi quòd offerendi modus non est idem. Ibi facta est oblatio in mortem, hîc fit in mortis recordationem, illa fuit immolatio sanguinea, hæc verò est incruenta: Sic enim appellatur non modò à Gregorio Nazianzeno, Cyrillo, Eusebio, Athanasio, verum etiam à patribus in sacrosancto Concilio Ephesino, Congregatis, tum ab ischirione Diacono in Calcedonensi Concilio: Et ab Epiphanio in secunda Niceena Synodo, cuius verba sunt hæc. Nemo enim vnquam Sanctorum Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus Sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini Dei nostri, & totius suę dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Quo loco pluribus verbis Epiphanius Iconomachos insectatur, qui negabant veritatem Christi corporis in Eucharistia sed imaginem tantum, & figuram vocabant, quos posteaquam conuicit multis locis ex scriptura prolatis, tandem his verbis vtitur. Legas quousq; voles, nunquam inuenies, neq; Dominum, neq; Apostolos, neq; Patres, incruentum illud sacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse: verùm ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam Patribus piè sanè visum est ἀντίτυπον, hoc est, exemplar similis formæ nominare, quorum de numero Eustathius,

*In sacrificio cruento mors cruenta, in sacrificio incruento mors incruenta & mystica.*
*In cap. 6. Ioan. Rupertus.*
*Catechesi mystag. 5.*
*Serm. de cœna domini. Paschas. in lib. de corpore & sang. Domini cap. 15.*
*Hom. 13. in Leuiticus. cap. 22.*
*Germanus.*
*Dam. li. 4. par. 14.*
*Homil. 5. de Paschate.*
*Sacrificio missæ omnium peccatorum remissionem tribuunt doctores.*
*Hostia eadem diuerso modo oblata.*
*Hom. 17. in epist. ad Hebræos.*
*Hostia incruenta.*
*Greg. Nazian.*
*Cyrillus interpretatione Anathematismi vndecimi. Et alibi cont. Nestorium scribens.*
*Euseb. lib. 10, cap. 4. Eccles. & in vita Constant. libr. 4. in lib. car. & orat. cont.*
*Sacrificium incruentum quod à sacerdote offertur nuncupatur imago dicitur.*



thius, constantissimus propugnator orthodoxæ fidei, & Arrianicæ insaniæ expugnator clarus, item Basilius eiusdem superstitionis auerruncator: Quorum verbis recitatis, ante sanctificationem, inquit, ἀντίτυπα vocauerunt, post consecrationem autem corpus & sanguinem Domini. Athanasij verba citantur hæc à Ioanne Damasceno in quodam sermone de ijs qui obdormiuerunt: Si quis, inquit, diem obierit, licet in aëre deponatur inhumatus, ne oleum misericordiæ, & ceram inuocato Christo Deo ad sepulchrum accẽdere, accepta enim Deo sunt, plurimamq; secum referunt retributionem. Oleum enim & cera holocaustum est: incruentæ autem hostiæ oblatio, propitiatio est. Sed & ante hos omnes Clemens Petri successor ita loquitur de sacerdotibus assistentibus ad altare Dei, προσάγοντες αὐῷ γοντὰς λογικὰς, καὶ ἀναίμακτος θυσίας διὰ ἰησοῦ τῷ μεγάλου ἀρχιερέως, hoc est, offerentes ei rationales & incruentas hostias per Iesum magnum Pontificem. Et alio loco. Pro sacrificio cruento λογικὴν, καὶ ἀναίμακτον, καὶ τὴν μυστικὴν, hoc est rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur. Et iterum: Offerentem tibi κάθαρσιν, καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, hoc est puram & incruentam hostiam, quam per Christum instituisti mysterium noui testamenti. Cruentum igitur sacrificium semel est oblatum in cruce, sed incruentum offertur quotidie. Sic Timotheus etiam Alexandrinus de Constantino Imperatore scribit, quòd iusserit mundum & incruentum Christo Deo nostro quotidie offerri sacrificium. Et eius successor Cyrillus, explicans illum Esaiæ locum. Bibent vinum: Per vinum, inquit, mysticam benedictionem, & incruentæ hostiæ modum significant, quam in sacris Ecclesijs consueuimus administrare. Eustathius quoque de Eutychio scribit. Quòd sacrificium sine sanguine, & sine diuisione diuisum semper faciebat. Itidem de quatuor Patriarchis Constantinopoli congregatis. In magnam inquiens Ecclesiam ingressi sunt, & diuinum incruentumq; sacrificium obtulerunt: semel & solum Christum Dominum, Pastorumq; Principem imitati, qui vnica oblatione sanctificauit vniuersos, semel passus in fine seculorum. Sic ab Augustino dictum est: Sæpè ita loquimur, vt pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam esse Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus est, nec omninò nisi semel illa passio facta sit. Nempè ipso die dominico dicimus: Hodie Dominus resurrexit: cùm, ex quo resurrexit, tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, vt dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius: & dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed iam olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacramento non solùm per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur. Nec vtiq; mentitur, qui interrogatus respõderit eum immolari. Pascasius, inquit: Iteratur autem hæc oblatio in conspectu patris intercessione (pro peccatis nostris) filij eius, summi ac veri Pontificis, quotidie: licet Christus semel passus in carne, per vnam eandemq; mortis passionem semel saluauerit mundum, ex qua morte idẽ resurgens ad vitam iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quia profectò sapiens Dei patris pro multis causis necessarium hoc prouidit quas mox enumerando recenset. Gregorius: Debemus quotidiana Deo lachrymarũ sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippè ibi corpus sumitur: eius caro in populi salutem patitur, eius sanguis nõ iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi: vnum quoq; ex visibilibus atq; inuisibilibus fieri: Et alio loco: Singulariter namq; ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis saceri altaris hostia suffragatur, quia is, qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Adferuntur etiam causæ à Solitario quodam in eo libro, quem inscripsit gemmam animæ. Cùm Christus semel, inquit, sua morte credentes redemerit, hoc tamẽ sacramentum quotidie ob tres causas Ecclesia necessariò repetit. Vna est causa, vt in vinea laborantes quotidie eo reficiantur. Alia, vt hi, qui numero fidelium quotidie associantur per illud Christo incorporentur. Tertia vt memoria passionis Christi quotidie mentibus fidelium ad imitationem inculcetur. Est & alius liber venerandæ vetustatis, quem & ipsum sicut priorem hunc in lucem produxit vir benè meritus de Ecclesia Dei Iohannes Cochleus, qui inscribitur Expositio Missæ, in quo proposita quæstione cur quotidie iteratur ista oblatio, cum CHRISTVS saluauerit mundum per vnam passionem suam, & mors illi vltra non dominetur. Respondetur, quòd pro multis causis. Prima quia peccamus quotidie. Secunda eò quòd corpus Christi pœnitentibus post peccata offerri iubeatur, vt salutem per corpus CHRISTI inueniãt, atq; exeant post pœnitentiam. Tertia, vt magnum beneficium passionis Domini obliuioni non tradatur. Quarta, vt simulet in Ecclesia diem iudicij, in quo iusti ab iniustis separabuntur. Scripsit ante annos quingentos versus quosdam de concordia veteris & noui sacrificij Cœnomanensis Episcopus Hildelbertus: inter alios etiam leguntur hi versus:

*Damas. in Oratione quod qui in mala fide migrarant, eos Lyturgiæ viuorum beneficio iuuent.*
*Cle. li. 2. c. 20.*
*Lib. 6. c. 13.*
*Lib. 8. c. 3.*
*Timotheus vbi scribit de Mænæ miraculis.*
*Li. 3. Tom. 1. c. 25.*
*August.*
*De sacrificio altaris cap. 9.*
*Greg. li. 4. dialog. cap. 58.*
*Hom. 37.*
*Cap. 30. Oblationis quotidianæ vires.*
*Ioan. Cochlens. 4. causas assignat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Cap. 41.

*Mortuus ille semel, licet vltra non moriatur:*
*Idem quotidie sine vulnere sacrificatur.*
*Nam quia peccantes medicina semper egemus,*
*Hanc pro peccatis medicinam semper habemus.*

*Cap. 22. de sacramentis altaris lib. 1. cap. 16.*

Ineandem sententiam scripsit propemodum æqualis Pascasij, vel qui paulò eum præcessit Rabanus, quicq; subsequutus est posteà Algerus. Ex eo facilè colligimus, quale sit hoc sacrificium, de quo tractamus. Est enim idem cum eo, quod in cruce peractum est, nisi quod non eodem modo fit: In cruce cruento modo oblatus est dominus noster Iesus Christus, in altari incruento. Ibi passibilis & mortalis, hic impassibilis, & immortalis: ibi visibilis, hic inuisibilis: ibi in humana specie, hic sub specibus panis & vini: ibi oblatus, credentibus remissionem peccatorum, & plenam redemptionem obtinuit, hic non vt peccatorum remissionem, & animarum salutem iam primum ex eo quod per sacerdotem fit promereamur: sed vt pridem promeritam, per Chistum in cruce pendentem, per hoc sacrificium, quod passionem & mortem eius repræsentat, ac memoriam eius nobis refricat, fide & deuotione nobis applicemus. Quamobrem externo hoc, quod Ecclesia celebratur sacrificio, non modò non obscuratur illud, quod in cruce peractum est, verumetiam illustratur magis. Neque enim aliò confugimus, quàm ad vnicum illud, quo defunctus est Pontifex noster Christus in cruce, quo corpus suum tradidit in mortem, per quam nos, qui inimici eramus, Deo patri suo reconciliauit: quo sanguinem suum fudit in remissionem peccatorum nostrorum. Itaq; D. Thomas locum illum Pauli explicans. Vmbram habens lex, &c. Non offerimus, inquit, aliam hostiam, quàm illam, quam Christus obtulit pro nobis, scilicet, sanguinem suum. Vnde non est alia oblatio, sed est commemoratio illius hostię quam Christus obtulit. Hoc facite in meam commemorationem.

*Rom. 5. Matth. 10. Thomas.*

*Semel reconciliati, an opus habeant alia reconciliatione.*

Hic iterum obganniunt isti. Si credis te reconciliatum, peccataq; tibi per sacrificium in cruce peractum esse remissa, quid ergo denuò te reconciliari, peccataq; tibi remitti postulas, ac Deum iratum fingis, quem credere potius oportuit filij morte placatum? An illa tibi parum sufficiens videtur oblatio: aut de promissis Christi dubitas? Minimè verò dubitamus: quin illud potius libenter cum Paulo confitemur, quòd omnis homo mendax, Deus autem verax, atque adeò veritas ipsa. Neq; potest quicquam esse certius, quàm quod ab illo dictum aut promissum est. Cæterùm qui dixit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, nimirum in redemptionem vestram: idem dixit, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quoniam verò conscij nobis sumus nos ea sæpè transgressos esse, à facie peccatorum nostrorum nō est nobis pax, & à facie iræ eius spiritum timoris concipimus, & cum Prophetà à iudicijs eius timentes, qui reddit vnicuique iuxta opera sua, etiam de verbo ocioso rationem exacturus, illi reconciliari postulamus per Iesum Christum, quem posuit propitiatorem pro peccatis nostris per fidem, in sanguine eius. Quamobrē profusi sanguinis illius & corporis pro nobis traditi memoriā subinde renouamus, ac quam ille obtulit in cruce hostiam, eam patri sistimus, supplices orantes, vt illius contemplatione nobis placatus & propitius esse, suæq; promissionis, ac fructus illius quē illa mundo attulit vniuerso, nos participes esse velit. Scilicet ignorabat Christus remissionē omnium totius mūdi peccatorum sacrificium illud crucis allaturum? & tamen, etiam post obtentā illam suę mortis beneficio, cunctos orare docuit, Dimitte nobis debita nostra. Quod quorsum attinebat petere secundum istos, quando quidē semel iam per sacrificium crucis remisio nobis est obtenta? Deinde verò, ignorabat Paulus per sacrificium illud in ara crucis oblatum, esse mūdum Deo reconciliatum? & tamē clamat ad Corinthios: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. An ille parum illi in cruce factæ reconciliationi fidebat? Imò verò fidebat plurimum: sicut & nos omnem spem & fiduciam nostram non alia in re, quàm in vnica illa oblatione collocamus, per quam Deo mūdum Christus reconciliauit. Cætrùm intelligebat ille spiritu Dei plenus, adferri aliquid à nobis oportere, quo fructum illius consequi possemus: Quamobrē non sunt audiendi, qui dicunt: oblatus est semel Christus ad exhaurienda peccata nostra, & fuit illa oblatio sufficiens pretium redemptionis nostræ, non est igitur vlla in Ecclesia deinceps oblatio facienda. Nam ad eundem modum argumentari licebit. Orauit pro nobis Christus, & fuit eius oratio sufficiens ad obtinenda omnia ad salutem nobis necessaria, nā exauditus est pro sua reuerentia, nihil itaq; necesse est nos orare: tulit crucem Christus pro nobis, nihil opus est, vt nos crucē feramus: Quæ quā sit absurda collectio, quis nō intelligit?

*Rom. 3. & Psal. 115.*

*Matth. 9. Psal 37. Esaiæ 26. Psal. 118. Psal. 16. Matth. 12. Rom. 3.*

*2. Cor. 5.*

*Heb. 5.*

*Sacrificij vtriusq; effectus. Ioan. 4.*

Verùm vt planum fiat omnibus, quid illi semel in cruce peracto, quid huic quotidiano sacrificio tribuat Ecclesia, paucis de eo disseremus. Sic enim rem accipi volumus. In Christi latere, quod in cruce pro nobis apertum est, fontem esse aquæ vitalis salientis in vitam æternam. Ex hoc fonte quisquis haurit, quisquis aqua illius abluitur, ab omnibus iniquitatibus suis mundatur: Per hunc enim fontem abluti, per hunc sanctificati, per hunc redempti, per hunc vitam æternam sumus consequuti. Cæterùm qui vult hoc fonte irrigari, & quæ salus ex eo permanat ad omnes, eius particeps fieri, ad eum accedat necesse est. Patet hic quidem fons omnibus, & est ita copiosus, vt ad abluendas sordes omnium, ad salutem omnibus conferendam abundè sufficiat. Sed nisi accedas ad illum, nisi haurias ex illo, nihil est, quod alicui vsui fore tibi speres. Quam multi sunt Turcæ, quàm multi hæretici & infideles, quàm multi mali Christiani, quos neque abluit fons iste, neque salutem illis adfert. Atqui apertus est omnibus: Gustauit enim Christus mortem pro omnibus: dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: factus est saluator omnium, factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi: Intereà tamen pereunt multi, non solùm infideles, verumetiam mali fideles, qui confitentur quidem se nosse Deum,

*Heb. 2. 1. Tim. 2. & 4. 1. Ioan. 2. Tit. 1.*

sed



sed factis abnegant. Vident mensam apparatam: vident delicatissimis epulis instructam: vident fontem aquæ salientis in vitam æternam, fame nihilominus & siti moriuntur. Quam eius rei causam esse dicemus? quam aliam? Nisi quòd non attingunt id, quod vident, non eo fruuntur. Quamobrem confitemur, & quidem libenter cū Ecclesia Dei, confitemur, quòd solus Christus per illud in ara crucis oblatum sacrificium Deo patri suo cumulatè satisfecit: peccatorum nostrorum remissionem, cum Deo patre reconciliationē, filiorum eius adoptionem, regni cœlestis hæreditatem nobis sufficienter promeruit. Addimus & hoc, quòd ad hæc omnia denuò promerenda, nullis sacramentis, nullis sacrificijs, nullis operibus nostris opus nobis est: quòd hæc omnia, tradens semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis, abundè nobis Christus promeruit. Hæc est clara & aperta confessio nostra.

*Sacrificij in ecclesia peracti fructus.*

Dicet hic aliquis è satanæ ministris, Ergo tu sententiam nostram confirmas: neq; vlla est eius pro quo tantopere pugnas sacrificij vtilitas. Absit à nobis vt impiam satanæ & ministrorum eius sententiam confirmemus: verum hoc dicimus, non in hoc, aut sacramentis, aut hoc tremendo sacrificio nos vti, quòd noui aliquid nos denuò promereri per hunc vsum persuasum habeamus: verùm vt quod pridem promeruit Christus in ara crucis, id in nos transferre, & eius fructum nobis applicare possimus. Hanc ad rem opus est nobis operibus, opus est nobis sacramentis, opus est nobis quotidiano sacrificio, quod in Ecclesia celebratur.

*Sacrificij Christi fidei ficientia exemplo ostenditur.*

Quo magis autem intelligi possit, quod dicimus, exemplo id illustrabimus. Est fons in medio ciuitatis collocatus, omnibus expositus, à quo nemo arcetur, quin eo liberè vti possit: tam est autem copiosus & redundans, vt ad sordes omnium abluendas, ad sitim omniū sedandam, ad reliquas necessitates omnes omnium explendas, abundè sufficiat. Num ideò tu sitim tuam expleuisti, aut sordes abluisti, quòd hic fons est in medio omnibus expositus tam copiosus? Certè nisi ad eum accesseris, nisi ex eo hauseris, neq; sordes ablueris, neq; sitim sedaueris, neq; vllum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus & redundans. Proinde qui vult ex eo fonte fructum capere non spectat illum ociosus, ac illius tantùm copiam & abundantiam admiratur: verùm illud agit, vt quod videt omnibus communicatū, eius ad se quoq; partem aliquam deriuet: fistulas admouet, siue tubos aut canales, per quos communem aquam in suum quoq; priuatum & proprium vsum transferat. Non dissimilis est ratio fontis huius vitæ perennis, qui in latere Christi in cruce pendentis apertus est. Est fons perennis, fons copiosus & redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus conferendam prorsus sufficit. Sed si vis vsum aliquem huius fontis habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est, vt ad Christi latus in cruce pendentis fistulam applices, & per eam, qui solus peccata nostra abluit salutemq; nobis confert, Christi sanguinem ad te deriues atq; attrahas: vt per eum ablutus & sanctificatus, æternam beatitudinem adipisci queas: non ipsius fistulæ siue canalis, verùm Christi sanguinis te per canalem irrigantis, virtute.

*Sacrificij & sacramenti vsus.*

Hinc videre licet, quòd omnia quæcunq; ad salutem nostram pertinent, non nisi illi soli sacrificio in cruce peracto non nisi fonti, qui apertus est in Christi latere, tribuuntur: verùm fructum ex illo fonte capere non possumus nisi qui fusus est ex Christi latere, sacrosanctus Christi sanguis, eum per instrumenta, & quasi canales quosdam ad nos deriuemus. Eiusmodi canalis est baptismus: eiusmodi canalis est quotidianum hoc sacrificium, quod vocamus Missam, per quam illius in cruce peracti sacrificij, & fusi pro nobis precioſi sanguinis, fructū in nos transferimus, nobis applicamus & appropriamus. Falsò itaq; nobis impingunt satanæ ministri, quod per quotidianum hoc sacrificiū, illud in cruce peractum obscuretur, cùm illustretur magis. An non absurdè facere censeretur, si quis baptizare se volentem insimularet, quòd is per baptismum obscurare velit redemptionis beneficium in cruce nobis obtentæ? & redemptionem suam in aqua baptismi collocare potius, quàm in Christi sanguine, quo solo redempti sumus? cùm baptismo nihil aliud agatur, quàm vt redemptionis in cruce nobis obtentæ particeps fieri, qui baptizatur, & eius fructum in se transferre queat. Atqui non minus absurdè faciunt, qui nobis obijciunt, quòd per quotidianum istud sacrificium, illud quod in ara crucis peractum est obscuremus, & eius dignitati ac meritò detraha mus: cum nihil aliud agatur, nihil aliud quæratur à nobis in hoc quotidiano sacrificio, quā vt quod Christus nobis promeruit vnica illa oblatione in cruce facta, id in nos transferre, & eo ad salutem nostram vti queamus.

*Sacrificium Missæ.*

Cæterùm nequis existimet nos cordis nostri visiones loqui, quæ fuerit per tot secula cōstans & perpetua Ecclesiæ sententia, de hoc sacrificio paucis adscribendum esse patauimus. Nam sicut humanæ, sic diuinæ quoque legis melior interpres esse non potest, quàm sit diuturna ipsa consuetudo. Quod autem hæc verba Christi. *Hoc facite, &c.* eo sensu quem nunc Ecclesia retinet, accepta semper fuerint, vel ipsa praxis illius indicare satis videtur. Totis mille quingentis annis, quotidianum hoc & iuge sacrificium nunquam in ea celebratū non fuit: nec per tot secula quisquam repertus est, aut ex priscis, aut ex recentioribus Theologis, quos quidē Catholicos esse constaret, qui cōtrarium his verbis sensum affingere auderet. Habemus Missæ canonē, quē Romana recitat Ecclesia. Simul vt sub Christi persona dixit Sacerdos. *Hoc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* statim subiungit, in sua & cuius ministeri est, Ecclesiæ persona. Vnde & memores Domine nos serui tui eiusdem Christi filij tui tam beatæ passionis, &c. offerimus, &c. De Christo quoque loquens Ambrosius in sua Missa. Qui formam inquit, Sacrificij salutis perennis instituens, hostiam se prius obtulit, & primus docuit offerri. Et in libro de Sacramentis. Quantum sit Sacramentum cognosce. *Quotiescunq; hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adueniam.*

*Ambrosius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ergo memores gloriosissime eius passionis & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum & calicem vitæ æternæ. Et petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias, in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech. Ne verò quis putet solius Ecclesiæ Latinæ sensum hunc fuisse. D. etiam Iacobum, quem Hebræum fuisse cõstat, recitatis his verbis *Hoc facite, &c.* subiunxisse mox legimus: Memores igitur & nos peccatores passionum eius viuificarũ crucis salutaris, & mortis offerimus tibi Domine hoc sacrificium verendum, & incruentũ, &c. Sed neq; Græcorum diuersa fuit sententia. Missam Iacobi breuiorem reddidit Basilius. Is recitatis verbis. *Hoc facite, &c.* subiungit è vestigio. Memorantes igitur & nos salutarium eius passionum, &c. Tu ex tuis tibi offerimus, Ac aliquantò superius: Tu Domine ostendisti, inquit, nobis magnum salutis mysterium, tu idoneos nos fecisti fieri ministros Sancti altaris tui. Ministros altaris dicit, non verbi tantùm. Liturgiam Basilij breuiorem reddidit Ioannes Chrysostomus: Recitatis verbis cœnę, subiungit mox Memores igitur salutaris huius mandati, & omnium eorum quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulchri, &c. Tua ex tuis tibi offerentes, &c. Quæ verba Germanus Patriarcha Constantinopolitanus explicans Dominus, inquit noster Iesus, precioſum suum corpus & sanguinem nobis dedit, inquiẽs: *Hoc facite in mei commemorationem.* Nos autem memores eius mandati, ἀντίτυπα hoc est: configuralia (sic enim vertit interpres) offerimus, tua ex tuis, &c. Ac paulò superius idem Chrysostomus, Fac nos dignos vt offeramus tibi sacrificia immaculata pro populo tuo, & idoneos nos redde, quos in hoc ministerio tuo posuisti. Et paucis interiectis, Summus Pontifex noster, Sacrificiorum ritum instituisti, ac solennis huius & immaculati sacrificij celebrationẽ nobis mandasti. Extat apud Clementem quoque Lyturgia, qui fuit Pauli discipulus, vbi similiter his verbis recitatis: *Hoc facite, &c.* Memores, inquit, igitur passionis eius & mortis, &c. Offerimus tibi Regi & Deo secundum ipsius ordinationem panem hunc, & calicem hunc, &c. Et aliquantò superius, vbi tractat de ordinatione Episcoporum: Placeat, inquit, tibi laudabiliter offerendo mundam & incruentam hostiam, quam per Christum instituisti, mysterium noui testamenti, &c. Extat Æthiopum quoque Missa. Posteaquàm in ea dixit Sacerdos. *Quotiens hoc feceritis, &c.* subiungit: Nunc autem recordamur mortis tuæ, atque resurrectionis tuæ, offerimusq; tibi hunc panem, & hunc calicem, tibiq; gratias agimus, quòd per hoc Sacrificium dignos nos fecisti, standi in conspectu tuo, & sacerdotale coram te officium exercendi. Sic videmus quòd non solùm apud Latinos, quin & apud Hebræos (fuit enim Iacobus Hierosolymitanus Episcopus) & apud Græcos, & apud ipsos extremos Æthiopes, nunquàm hæc verba fuerunt secùs intellecta. Sed iam patrum quoque sententias videamus. Ac primum quidẽ quod his verbis, hoc facite in meam cõmemorationẽ, Christus hoc in ecclesia fieri sacrificium præceperit, testatur idem Ioannes Chrysostomus, (ex cuius Lyturgia quædam recitauimus) epistolam ad Hebræos enarrans, quemadmodum anteà commemorauimus. Qui etiam illa verba Apostoli explicans: Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? In veteri quidem testamento, inquit, cùm imperfectiores essent, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, vt ab idolis eos auerteret, quod etiam inenarrabilis amoris signum erat: hic autem multò admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, cùm sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet. Ac vetustior etiam illo Cyprianus. Si Iesus Christus, inquit, Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primum obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtiq; ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Ac vtroque vetustior Irenæus. Suis, inquit, discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est meum corpus: & calicem similiter qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo testamento: de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris: Quoniam ab ortu Solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter Gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum. Et qui fuit Irenæo vetustior Martialis, vnus ex septuaginta discipulis Domini: Quod, inquit, Christi corpus Iudæi per inuidiam in ara crucis immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iusit eos agere, in sui commemorationem. Eusebius quoque Post omnia quasi mirabilem quandam victimam sacrificiumque eximium patri suo operatus, pro nostra omnium salute obtulit, eiusque rei memoriam vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. Itidem & Ambrosius Deum alloquens. Accedo, inquit, ad altare tuum, vt offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Et æqualis eius Gaudentius. Et ideò discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ

*Lib. 8. c. 17. Const. Apostolicarum. Ibid. cap 3.*

*Chrys. hom. 17.*

*Hom. 3. in epist. ad Ephe.*

*Cypr. lib. 2. epist. 3.*

*Irenæ. lib. 4. c. 32. & 34. in fine.*

*Martialis in epi. ad Burdegal. c. 3.*

*Euſ. lib. 1. demonst. euangelicæ c. 10.*

*Amb. in orat. præparatoria ad Missam.*

*Gaudentius ser. 2.*



vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus, per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsquequo Christus iterum de cœlis adueniat, quò & ipsi sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore redemptionis nostræ, incredibilem memoriam teneamus, & contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur. Et qui fuit proximus Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, de Eucharistia verba facies: Hoc, inquit, facimus (vt eloquia aiunt) in eius recordationem. Ac paucis interiectis. Quod hostiam salutarem, quę supra ipsum est, litat, excusat se decenter, ad ipsum exclamans, Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem. Et in alio loco capite, vbi de sacerdotibus tractat. Ipse, inquit, noster primus & augustissimus Põtifex, discipulos ad sacerdotalẽ functionem promouens, quamuis esset tanquam Deus, mysteriorum Princeps, ad patrem tamen sanctissimum diuinumq; spiritum, huiusmodi consummationis officium refert, discipulos vt legimus admonens, ne ab Hierusalẽ discederẽt, sed expectarẽt promissionem patris. Quibus verbis docet, in nouissima cœna, promouisse quidẽ Christũ Apostolos ad sacerdotalẽ functionẽ, quã τελετάρχίαν vocat, Cęterũ τελετάρχίαν quod vertit interpres consummationis officium, clarius autem explicabitur, si quis exercitium dicat sacerdotalis functionis, id in illud vsq; tempus reiecit, dum acciperẽt promissum Spiritum sanctum. Nec prius eos hoc munere sacerdotali functos fuisse testis est Clemens, qui pulchrè cum Dionysio cõsentiẽs, his verbis vtitur. Primus igitur natura Põtifex & vnigenitus Christus, qui nõ sibiipsi honorẽ arripuit, sed cõstitutus fuit à patre, qui propter nos factus homo & spirituale sacrificium offerens Deo, & patri suo ante passionem nobis solis præcepit hoc facere, quãquam præsentes essent nobiscum alij, qui in ipsum crediderũt. Sed nõ omnino, omnis qui credit cõtinuò sacerdos est, & Põtificium cõsequitur honorem, post autem assumptionem ipsius nos oblato secũdum eius ordinationem sacrificio puro & incruento, cõstituimus Episcopos, Presbyteros & Diaconos numero septem, è quo rum numero erat Stephanus. Hic manifestè Clemens indicat, quòd ante passionem quidẽ præcepit Christus facere, hoc est offerre: verum ipsi nõ obtulerunt nisi post assumptionem. Fuit igitur ante passionem τελείωσις, τελετάρχία vero non nisi post assumptionem. Iustinus quoque: Apostoli enim in Cõmentarijs suis, quæ Euangelia dicuntur, ita sibi IESVM præcepisse tradiderunt, eum accepto pane cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei memoriam, hoc est corpus meum, dixisse etiam accepto poculo cùm gratias egisset, hic est sanguis meus, sibiq; solis dedisse. His autem omnibus posterior Leo: IESVS, inquit, discumbentibus secum discipulis ad edendam mysticam cœnam corporis & sanguinis sui ordinans sacramentum, docebat qualis hostia deberet offerri Deo. Bernardus sacerdotes alloquens: Audite modò & obstupescentes admiramini: Nulli angelorum, nullis spiritibus supernis, sed hominibus: nec tamen omnibus, sed ordini vestro tantùm, mandatam esse tanti sacramenti celebrationem in altari, quod CHRISTVS fecit manibus suis in cœna paschali. Expositis igitur forma & efficacia sacramenti, restat dicendum: quibus in verbis mandauerit CHRISTVS illud celebrandum: Hoc facite, ait, in meam commemorationem. O verba nimis affectuosa, ô verba pungitiua & penetratiua vsque ad animam. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Propheta etiam dixit: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. O summe pia & verè suauis memoria, annunciare mortem Domini, donec veniat. Hactenus Bernardus. Gregorius verò Nissenus docet, quòd in illa cœna nouissima se obtulerit his verbis. Qui prodominica pot estate & auctoritate administrat omnia, non expectat vel ex proditione necessitatem, vel Iudæos grassantes, vel iniquum Pilati iudicium, vt illorum scelus ac malitia principium & causa communis hominum salutis esset. Verùm præoccupat Oeconomia quadam violentum impetum, & iuxta quendam ineffabilem sacrificij modum, & qui ab hominibus cerni nequit, seipsum offert oblationem & hostiam pro nobis, idem simul & sacerdos & agnus DEI, qui tollit peccatum mundi. Quando autem id fecit? Quando tale suum corpus effecit, vt manducari, talem sanguinem, vt potari posset à suis familiaribus. Hanc Gregorij Nisseni sententiam sequutus quoque videtur, qui fuit propemodum æqualis eius, Ischius Gregorij Nazianzeni discipulus. Eius enim hæc sunt verba: Propter quod non solùm dicebat: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, sed & præueniens, semetipsum in cœna Apostolorum immolauit, quod sciunt qui mysteriorum percipiunt virtutem. Hunc Sacerdotem Ixx. non solum vnctum siue linitum, sed & consummatũ manibus appellauerunt. Consumatus est in manibus prius in mystica cœna, accipiens panem & frangens, deinde per crucem, quando ligno affixus est. Tunc sacerdotij susciens dignitatem, vel potius cùm semper habuerit, tũc opere explens etiam hoc, quod pro nobis erat sacrificium, consumauit. Et aliquot seculis post Theophilactus. Quinta, inquit, vespera fecit Dominus Cœnam, & discipulis dixit: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum: & ita, qui potestatem habebet ponere animam suam, manifestum est, quod tunc immolauerit seipsum, ex quo tradidit discipulis corpus suum. Quod etiam testatur Beda locum illum explicans, Primo die Azimorum, vbi Dominum in cœna sacrasse scribit suæ passionis exordium. Et qui posterior his omnibus ante 400. annos vixit, vir egregiè doctus Rupertus Abbas Tuitiensis. Dñs noster, non tũc solũ, vel tũc primùm immolatus est, sed & pridie quã pateretur: quãdo accipiẽs panẽ, & calicẽ benedixit, & dedit discipulis suis dicẽs: Hoc est corpus meũ: Hic est calix sanguinis mei: suis manibus immolatus est: suis ipse manibus nobis iugiter vt immolaretur agnus cõmendatus est. Ex quibus tot sanctorũ. Patrum testimonijs, liquidò cuiuis apparet, Christum in cœna sacerdotio secũdum ordinem

*Dionys. de Eccle. Hierar. Hier. cap. 5. parte 3.*

*Cœna vltima.*

*Apostolos ad sacerdotalem functionẽ Christus promouit. Clemens lib. 8. Const. Apost. capite vltimo.*

*In Apologi. secunda.*

*Iustinus. Leo serm. 7. de pass. Bernardus serm. 2. de cœna Domini.*

*Luc. 22. Psalm. 144. Greg. Nisse. de S. festo Paschæ. Orat. prima.*

*Ischius lib. 1. Leu. cap. 4.*

*Theophil. in cap. Matth. vltimum. Rupert. lib. 6. cap. 22. de diuinis officijs.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Hier. in cap. 27. Matth.*

Melchisedech functum fuisse. Testatur autem hoc & Hieronymus, dicens: Postquàm typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat: ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. Quod autem hic Hieronymus typicum, hoc Eusebius in Chronicis vocat Vmbraticum Pascha. Et in Epistola quadam Paulæ & Eustochij nomine scripsit ad Marcellam. Melchisedech, inquit, in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Et in quæstionibus Hebraicis. Quod autem ait, tu es Sacerdos in æternum, &c. Mysterium nostrum verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini. Testatur

*Amb. lib. 4. cap. 3. Se Sacramentis. Et de his qui initiantur cap. 8.*

Ambrosius, vbi docet anteriora esse mysteria Christianorum, quàm Iudæorum, & diuiniora Sacramenta. Ibi, inquit, sacramentorum horum figura præcesit, quãdo Abraham victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit illi panem & vinum. Ipse ergo auctor sacramentorum. Quis est Melchisedech? Rex iustitiæ, Rex pacis. Quis ergo Rex iustitiæ, nisi iustitia Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia, qui potuit dicere: Pacem meam do vobis. Testatur & Eucherius, dicens: Christus non ex tribu Leui, sed ex tribu Iuda ortus est, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit, vtiq; propter mysterium sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, vt non secundum Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis eius, sacramentum in sacrificium offeramus,

*Euch. lib. 2. in Genesim.*

*Aug. lib. 16. de ciuitate Dei Cap. 21.*

ibi primùm quippè apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. Testatur Augustinus, cùm ait: Tunc benedictus est à Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi, de quo in epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, multa & magna conscripta sunt. Ibi quippè primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum: impleturq; illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur. Complura sunt autem Augustini loca, in quibus figuram fuisse docet Melchisedech sacrificium, eius quod nunc offertur in Ecclesia. Verùm adducere singula longum foret, neque necessarium. Testatur Theodoretus explicans illum Psalmi locum. Tu es sacerdos in æternum. Cæterum, inquit, Melchisedech non Iudæorum, sed gentium est sacerdos. Sic & Dñs Christus non ꝓ Iudæis tantum, sed pro omnibus hominibus, semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem Sacerdotiũ in nocte qua crucem subijt, cùm accepit panem, & gratias egit, fregit, & dixit: Accipite, & comedite ex ipso, Hoc est corpus meum: Similiter & Calicem cùm temperasset dedit discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et his omnibus vetustior Eusebius: Et sanè oraculi exitus admirabilis, ei qui contempletur, quemadmodum Saluator noster IESVS, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquàm videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus ipse Saluator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes in omnibus Gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeũtes, vino ac pane & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentãt: quæ sanè mysteria Melchisedech, tanto ante spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat, sicut etiam Mosi scriptura testificatur, vbi ait. Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: Erat autem sacerdos Dei altissimi. Epiphanius: Visum est vt in veteri sacerdotio sacerdotalis dignitas ne constituatur, verùm ad id, quod ante Leui, & ante Aaron fuit secũdùm ordinem Melchisedech sacerdotium transferatur: quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo & hucusque: Ioannes quoque Chrysostomus Melchisedech typum gessisse scribit nostri sacerdotij. Ioannes Damascenus: Pane & vino susceptis Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat sacerdos Dei altissimi: illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam: Sacerdos ille, Christi veri sacerdotis figuram præ se ferebat & imaginem. Tu es, inquit, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et æqualis eius Beda, Christus legalia Sacrificia, secundùm ordinem Aaron institutа, conuertit in sacrificia panis & vini secundùm ordinem Melchisedech. Neque diuersa leguntur apud eis discipulum Albinum. Clemens quoq; Alexandrinus, Melchisedech, inquit, sacerdos Dei altissimi vinum & panem sanctificatum dedit in typum Eucharistiæ. Arnobius ante mille trecentos annos, explicans illum locum: Tu es sacerdos in æternum, ita de Christo loquitur. Hic qui per mysterium panis ac vini sacerdos factus est in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Cyprianus, cùm docuisset Melchisedech typum Christi portare, prolatis illis verbis. Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo, inquit, vtique hîc est de sacrificio veniens, & inde discedens. Quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster IESVS Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem? Et paucis interiectis. Vtin Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit antè imago Sacrificij pane scilicet & vino constituta: quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Et alio loco: Significata, inquit, olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos panem profert & vinum. Hoc est, inquit, corpus meum. Ex recentioribus Rupertus: At verò Christus Rex Salem, id est, pacis, Rex inquam, idemq; Pontifex magnus, illorum talium hominum dignatus, sacerdotio suo functus est secundùm ordinem Melchisedech: protulit enim panem & vinum dicens, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus: & sic obtulit semetipsum pro fideli Abrahã verũ sacrificiũ. Eusebius Emissenus inquit, Melchisedech fuit Sacerdos Dei summi dum à præputio, id est, à gentili, circuncisio futura benedicitur, Ecclesiæ gloria prædicatur, & Synagogæ infideli plebs ex gentibus acquisita præponitur. Hic ergo Melchisedech cuius genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit, oblatione panis & vini hoc Christi sacrificium præsignauit. De quo Propheta prænunciat. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hæc ille.



*De cœna Domini.*

*Rupert. li. 5. de trinit. cap. 12.*

*Melchisedech sacerdos. Ho. 5. de Paschate.*

*Rabbi Samuel.*

Ac ne Iudæorum quoque testimonia deesse putentur. Ante quingentos quinquaginta annos scripsit Rabbi Samuel ad Isaac in hæc verba: Secundum quod Dauid dicit de eo (Christum intelligit) ipse est ille, cuius sacerdotium in æternũ erit secundũ ordinẽ Melchisedech, qui fuit Rex & sacerdos Dei altissimi ante Aaron. Et attende Dñe mi, quanta sit differentia inter sacerdotium Aaron, & Domini iusti illius. Dixit Dominus Domino meo, tu es sacerdos in æternum, Sacrificium Aaron fuerunt carnes: & sacrificium istius iusti Domini, fuit panis & vinum, quòd est secundum ordinem Melchisedech. In quibus verbis Deus per Prophetam manifestè ostẽdit, ꝙ sacrificium finiretur, quando inciperet istud sacrificiũ in æternum: & ordinatio sacrificandi secundum ordinem Aaron ex toto cessaret, quando inciperet sacrificium in pane & vino æternaliter duraturum. Atq; huius quidem Rabbi Samuelis librum in Antonini reperimus historia. Cæterùm prodiere nuper comprimis eruditæ notationes in historiam Sulpitij Seueri, Petri Galesini: qui locum de Melchisedech explicans, producit etiam alios Hebræorum Rabinos, nimirum, Nadarzan, Pinam, & Onchelum, qui Ianathan Chaldæum auctorem secuti, verba Geneseos de Melchisedech oblatione volunt intelligi de sacrificio panis & vini, quod Messias erat instituturus: quod aliquanto ante plurium etiam Hebræorum testimonijs, itidem probauit Petrus Calatinus, quin & substantiam panis in substantiam Christi corporis: substantiam vini, similiter in substantiam Christi sanguinis mutari, claris eorundem testimonijs docet. An autem & nobis exclamare cum Propheta non licebit? Stupor, & mirabilia, quod qui sunt hostes Euangelij Iudæi, vi veritatis coacti, negare non audent, hoc eos, qui volunt Euangelicorum nomine censeri, tam impudenter negare? Non alio scopo, quàm vt redemptionis nostræ precium nobis auferant, & omnem tanti beneficij memoriam ex hominum animis deleant.

*Rabbi Samuel.*

*Petrus Calat. li. 10. cap. 4. 5. & 6.*

*Hierem. 5.*

Malachiæ quoq; locum, quem adduximus, de hoc sacrificio interpretatur: præter antiquissimum Irenæum August. his verbis: Hæc quippe ecclesia est Israel secundum spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui seruiebat in vmbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundũ spiritum, cui dictũ atq; ꝓdictũ est: Audi populus meus, & loquar tibi, Israel & testificabor tibi: & cætera, quæ iã suprà cõmemoraui. De huius enim domo nõ accipit vitulos, neq; de gregibus eius hircos. Iste immolat Deo sacrificiũ laudis non secundùm ordinẽ Aaron sed secundũ ordinẽ Melchisedech. De eo enim dictum est: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ secundùm ordinem Melchisedech. Nouerũt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & si iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutauit quippè sacerdotium secundum ordinem Aaron: Vnde alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit & dicit: quia ab ortu Solis ad occasum glorificatum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur incensum nomini meo, & hostia pura. Ecce quod est secundum ordinem Melchisedech. Eusebius. Hæc omnia quæ ab initio diuinitus prædicta sunt in præsenti tempore per Euangelicam Saluatoris nostri doctrinam, ab omnibus gentibus celebrantur, Propheticæ voci testimonium afferente veritate, per quam vocem Deus Mosaicis reiectis sacrificijs, quod futurum erat, nostrum ipsorum institutum nunciat dicens: Quoniam ab ortu Solis vsq; ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco offertur incensum nomini meo, & hostia munda. Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificiũ laudis: sacrificamus Deo, plenum & odorem afferens, & sacrosanctum sacrificium: sacrificamus nouo more secundum nouum Testamentum, hostiam mundam. Ac paulò pòst: Sacrificamus & incendimus alias quidem memoriam magni illius sacrificij, secundum ea, quæ ab ipso tradita sunt mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes. Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus ipse Saluator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus spiritualis secundum Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant.

*Mal. c. 11.*

*Aug. cont. aduers. legis & prophet. li. 1. c. 20.*

*Malachiæ locus de hostia munda explicatur.*

*Iuratio Dei inero dulorũ increpatio.*

*Vide eundem ca. 9. aduersus Iudæos.*

*Euseb. li. 1. demõstrationum. Euang. cap. 10.*

*Sacrificijs corporalibus Melchisedech non fuit vsus, sed pane & vino.*

Ioannes quoq; Chrysostomus hunc ipsum Malachiæ locum adferens: Vides quàm luculenter, quaq; dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Ac paulò pòst: Vides quòd vbiq; concessum est angelicum illud sacrificium inclarescere: vides nullis finibus circumscriptum, neque altare, neque canticum: in omni loco thymiama offertur nomini meo. Est igitur hostia pura, prima quidem mystica mensa, cœleste summeq; venerandum

*Chrys. in Psal. 95.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



randum sacrificium. Copiosius etiam ac magis diserte in secunda contra Iudæos oratione, cùm eundem Prophetæ locum adduxisset. Quando, inquit, hæc euenerunt Iudææ? Quando in omni loco incensum oblatum est Deo? Quando sacrificium purum? Non possis aliud tempus proferre, quàm hoc, posteaquam Christus aduenit. Quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de Iudaico, etiam legi repugnat Prophetia. Nam cùm Moses vetet vllo alio in loco sacrificium fieri, præterquam quem elegit Dominus Deus, quumq; ille in vnum locum sacrificia illa concluserit: nimirum Prophe ta dicens: quòd in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum aduersatur ac repugnat Mosi. Verùm nulla est inter eos pugna, neque dissensio. Ille de alio loquutus est sacrificio, & hic de alio pòst vaticinatus est. Vnde hoc declaratur? Tum ex his quæ dicta sunt, tum ex alijs plurimis signis. Ac primum ex ipso loco. Non enim in vna ciuitate, quemadmodum sub Iudæis, sed ab ortu Solis vsque ad occasum prædixit hanc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificij modo, siquidem puram illam appellans, declarauit de qua loqueretur. Denique à personis offerentium. Non enim dixit, in Israel, sed in gentibus. Ac ne putares: quòd in vna duabusve aut tribus ciuitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, nõ enim simpliciter dixit in omni loco: sed ab ortu Solis vsque ad occasum: demonstrans, q; quantum Sol terræ aspicit, tantundem Euangelium esset occupaturum. Purum autem dicit sacrificium, quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suapte natura, sed iuxta voluntatem offerentium. Et ideò dixit: Incensum abominatio est mihi: Quanquàm & alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens discrimen inueniet, vt iuxta cõparationis rationem solùm hoc purum dici mereatur. Quod q; de lege & gratia dixit Paulus, ne glorificatum quidem fuit, quod erat glorificatum, propter eminentem gloriam. Idẽ & hic iure dixerimus, videlicet quòd hoc sacrificium cum illo collatum solùm dici debeat purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per sanguinem acredemptionis precia, sed per spiritus gratiam offertur. Ioannes quoque Damascenus, hæc est, inquit pura, scilicet hostia, & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum, ipsi offerri, Dominus per Prophetam loquitur: Corpus videlicet & sanguis Christi in stabilimentum videlicet animæ & corporis. Haymo quoque scribens in Malachiam: Manifestissima, inquit est Prophetia, nec eget profundiori expositione: Loquitur autem ad sacerdotes propriè, qui illicitas victimas offerebant, atque ideò voluntas Dei, quem exacerbabant, non erat in eis: simul etiam docet carnalibus illorum victimis, Spirituales victimas succeßuras, nec in vna tantùm prouincia Iudæorum: Sed in omni loco offerri Deo mundam oblationem, hoc est, sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia. Et eum secutus Remigius Antisiod. Episcopus ante 700. prope anno. locum hunc explicans: Mundam oblationem esse dixit sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia. Rupertus similiter eum locum enarrans. Et offerent, inquit, nomini meo oblationem mundam, oblationem panis & vini, sacramentum corporis & sanguinis redemptoris sui. Hæc oblatio sic est munda, vt exteriùs nullum habeat cruoris horrorem, & interius sine inuisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaque in gentibus talem oblationem offerentibus magnum est nomen meum, &c. Et qui præcesserit hos omnes longè vetustissimus Iustinus Philosophus & martyr, de sacrificio quod offertur in omni loco à nobis gentibus interpretatur Eucharistiæ, tũ pane, tum poculo, quo nos clarificare nomen Dei, quod à Iudæis prophanatur, docet. Rabbi Samuel ad Isaac scribens capite vigesimo: Timeo Domine mi, quòd Deus elongauit nos à se, & sacrificium nostrum: sed & acceptauit sacrificium gentium, sicut ipse dicit per os Malachiæ Prophetæ: Non est mihi voluntas in vobis dicit Deus, neque recipiam sacrificium vestrum, quoniam ab ortu Solis vsque ad occasum eius, magnum est nomen meum in gentibus, quæ offerunt nomini meo sacrificium mundum. Ergo apud Deum sacrificium gentium est mundius, quàm sacrificium nostrum. Et insuper quia Deus priuauit nos omni sacrificio, & mundo sacrificio, vt alios doceret Christianos, vt ipsi vitarent nos, vt non contaminarentur, sicut nos vitauimus gentes omni tempore, quo sacrificium nostrum fuit mundum apud Deum & acceptum. Quod verò produximus ex Daniele de iugi sacrificio, vetustissimus auctor Hippolytus de Missa, quã Græci Liturgiam vocant, rectè intelligi posse docet, cùm de consummatione mundi déque Antichristo scribens his verbis vtitur. Lugebunt Ecclesiæ luctum magnum: quia nec oblatio, nec suffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt, preciosum q; corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit: Et paucis interiectis: Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die nocte q; obtulistis, ac preciosum corpus & sanguinẽ meum immolastis quotidie. Et beatus Effrem totidem ferè verbis vt Hyppolitus, in eo sermone quem de Antichristo habuit: Lugebunt, inquit, Ecclesiæ Dei vniuersæ, luctu ineffabili, quia non offertur oblatio diuina, & sanctificatio. Et qui sequutus est eum Chrysostomus, aut quicunque fuit auctor operis imperfecti. In dimidio hebdomadis, hoc est tribus annis, & sex mensibus, hoc sacrificium Christianum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Et qui præcesserit vtrumq; Irenæus: In tempore tyrannidis Antichristi fugabuntur sancti, qui purum sacrificium offerunt Deo. Et in dimidio hebdomadis (ait Daniel) tolletur sacrificium & libatio.

Li.4.c.14.

In Malach.

In colloquio quod habuit cum Triphone Iudæo. R. Isaac.


Hyppolitus de Antichristo.

Hom.40. in 24. cap. Matt.

Irenæus li.5. in fine

Sed quid opus est omnium ea de re sententias adferre? cùm veterum scriptorum plenæ sint omnes paginæ. In sacrosancto Nicæno Concilio simul & in Ephesino, quæ non minoris auctoritatis habita sunt, quàm ipsa Euangelia, fieri sacrificij huius mentionem legimus. In illo enim hæ verba reperiuntur: Peruenit ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam & ciuitatibus Presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neq; regula, neq; consuetudo tradi-

Sacrificij Missæ in Nicæno & Ephesino Concilijs quomodo fiat mentio.






tradidit, vt ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Ex Ephesino vero scribunt ad Nestorium patres Concilij annunciantes ei: Sicut secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius & in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris, effecti.

Fuerunt Augustini temporibus, qui non putarent visibilia Deo sacrificia offerenda, apud quem ita Faustus loquitur: Pagani aris, delubris, simulachris, victimis atq; incenso Deum colendum putant. Ego ab his in hoc quoque multum diuersus incedo, qui ipsum me, si modo sim dignus, rationabile Dei templum, puto viuum viuæ maiestatis simulachrũ, Christũ filiũ eius accipio: Aram, mentem bonis artibus & disciplinis imbutam: honores quoq; diuinos ac sacrificia in solis orationibus, & ipsis puris, ac simplicibus pono: quomodo ergo schisma sum Paganorum? Ex his facilè perspicere licet, Manichæos fuisse, qui nec externa sacrificia, nec externas imagines admittebant: atq; ab his nostri temporis hæreticos originem duxisse. Verum eorum hanc opinionem in eodem illo libro præclarè confutat Augustinus. Centum annis pòst fuerunt hæretici, qui sacrificium hoc corporis & sanguinis Christi, quod in Ecclesia celebratur, soli patri immolandum existimarent. Quorum sententiam ad Monimum scribens, grauiter Fulgentius confutauit. Et qui videtur eum præcessisse Idacius Clarus aduersus Varimadum Arrianum scribens: vbi docet quòd sicut patri, ita etiam filio non solùm Christianis temporibus, verumetiam à prisci temporis sacerdotibus multis variisq; modis sacrificium fuerit oblatum. Prolatisq; ex Daniele, ex Psalmis, & Euangelio Matthæi testimonijs, tandè ita cõcludit. Sacrificium itaq; quod à Christianis sacris altaribus admouetur, non solùm Deo patri, sed etiam filio communi deuotione offertur, quoniam nec patri sine filio potest offerri, nec filio sine patre sanciri. Omnia autem, quæ scribit in eo loco Idacius, reperiuntur ijsdem verbis in Epistola Marcellini Pontificis ad Salomonem, quæ habetur in primo Conciliorum tomo. Similiter Augustinus docet Filio vnà cum Patre & Spiritu sancto sacrificium panis & vini, in sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terrarum offerri.

Aug. lib. 10. de ciuit. Dei, c. 9.

Lib. 20. con. Faust. cap. 3.

Cap. 15. & 18.

Fulg. li. 2. Idacium.

Aug. de fide ad Petrum Diac. c. 19. & lib. 10. de ciuit. dei. cap. 20.

Ante quadringentos verò annos, fuerunt, quemadmodum anteà meminimus, Henricia ni & Petrobrusiani, qui & veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia negarent, & Missam nihil esse, nec celebrari debere contenderent. Contra quos, quæ scripta sunt à Petro Abbate Cluniacensi, viro & eruditione, & vitæ sanctimonia præstanti, quoniam digna sunt, quæ legantur ab omnibus, visum est paulò altius repetita inserere. Loquens enim de sacrificio in cruce peracto: Hoc est, inquit, nostrum sacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc noui Testamenti, hoc noui populi holocaustum, quod tunc semel in cruce à Dei & hominis filio Deo oblatum est, & quod semper in altari ab ipsius populo offerendum, ab eodem præceptum, & institutum est. Non enim aliud tunc oblatum, aliud nunc offertur: Sed quod (vt dictum est) semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit. Et quia iam expeditior via se præbuit, per quam liberior sermo ad ostendendum, & confutandum stultissimum errorem decurrat: audite, non me, sed dominum: non Christianũ, sed Christũ, non hominem tantùm sed Deũ, audite eũ, quem q non audierit, exterminabitur de populo suo. Dic Domine Iesu Deus noster, Saluator noster, Sacerdos noster hostia nostra dic: respon de aduersarijs Testamenti tui, qui volunt rescindere, q̃d statuisti: eradicare, quod plantasti: destruere quod constituisti, Dic: forsan acquiescent tibi, qui Ecclesiæ tuæ resistunt, verebuntur faciem tuam, qui tuis irreuerenter obuiant mandatis, & si oues tuæ sunt, vocem tuam audient. Ignosce & mihi præsumptuosè interroganti, sed tamen pro ecclesia tua, columba tua, sponsa tua, quã isti violare conantur, zelãti. Planè isti redemptorẽ te negant, qui pretiũ redẽptionis humanæ, quod nobis & pro nobis dedisti (corpus dico tuum) redẽptis auferre contendunt. Voluntrursum vincire à te olim solutum nodum captiuitatis, dum largitorẽ respuunt libertatis. Dic ergo Domine testator noui & æterni Testamenti, vtrum Testamentum hoc vnius diei, sicut isti dicunt, esse volueris, an potius æternum esse decreueris. Audiant isti, non me, sed te, vt conuertantur non ad me, sed ad te. Quid ergo? In cœna vltimâ, quam cum discipulis tuis vetus Pascha nouo commutans celebrasti, accepisti panem gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis. Sed quid dixisti? Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Et quid addidisti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnasti, dicens: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Audistis? Nolite fieri simulachra, quæ oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. Auditis hæc non à quolibet doctore, sed ab illo, de quo pater clamans præcipit: ipsum audite: Auditis eundem dantem corpus. Sed quod corpus? Sunt enim corpora cœlestia & terrestria, & quicquid visui, auditui, olfactui, gustui, tactui hic subiacet, corpus est. Vnde ne quis putaret animalis cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus, ad excludendum omne aliud sensibile vel insensibile corpus, postquam dixit, accipite, hoc est corpus, adiunxit, meum. Suum ergo, non alterius corpus discipulis dedit. Rursum ne fortè alicui cogitatio occulta subreperet: Potuisse creare in manibus corpus, quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat non esset, addidit, quod pro vobis tradetur: Ac si diceret. Nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare: quia hoc est corpus, non alterum, non alterius, sed meum, non permutatum vel nouiter creatum, sed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur. Sic & de calice: Hic est, ait, sanguis, non bouis aut arietis, non agni, aut cuiuslibet hominis, sed meus: non alius, vel noua creatione productus, sed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lanceâ excussus. Quid ad demonstrandam

Petrus Abbas Cluniacens. Epist. 1.

Deut. 19.

Contra sacramenta rios admonitio grauissima.

Ioan. 10.

Matt. 26.

Luce 22.

Hoc est corpus meũ bene explicatur.

Psal. 113.

Matth. 17.

Corpus suum non alterius discipulis tradidit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



dam veritatem corporis & sanguinis Domini dici potuit clarius, lucidius manifestius? Nonne & longè ante passionem commendans magnificum & salutare sacramentum discipulis & Iudæis, sæpè dicebat: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Et: Panis quem ego dabo, caro mea est? Et: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hoc quare? Vt dum nomine corporis circa diuersa corpora cogitando vagaris, audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuoceris: Rursum audito nomine filij hominis, non alterius alicuius carnem existimes, nisi illius, qui cum esset Dei filius, singulari gratia, solitaria operatione factus est hominis filius. Vnde quia tenacissimè recolendum, quia vnicè complectendum est tantum tantæ misericordiæ opus, tacito sæpè nomine filij Dei, quod pro se est, nomen filij hominis frequentat, quod pro nobis est. Idcircò vocat carnem, ne quodlibet corpus putetur: idcircò filij hominis, ne alterius quam sua existimetur. Ac paginis aliquot interiectis, quibus transsubstantiationem probat, quòd panis in carnem, vinum commutetur in sanguinem, postquàm de iugi quoq; sacrificio multa præclara dixerat, de iteratione illius his verbis vtitur. Iam illud quod non modò ab incredulis opponitur, sed à fidelibus quæritur, cur hoc sacrificium toties iteratur, cum Christus semel in cruce oblatus ad tollenda totius mundi peccata sufficiat? maximè cùm non hic aliud, & ibi aliud, sed hic & ibi idem prorsus sacrificium, hoc est, idē Christus offeratur, videndum est: Si enim illud in cruce sufficit, superfluum hoc in altari videtur. Sed non est superfluum: quia certa de causa à Dei filio, qui est iuxta Apostolū Dei sapientia, factum & traditum est: quæ sapientia quia summè rationabilis, imò totius rationis fons & perfectio est, nihil agere, nihil iubere irrationabiliter potuit. Vnde cùm hoc dixit, cùm hoc sacramentum suis tradidit, non absq; certa ratione, vt certum est, fecit, quæ sola omnibus ratio satisfacit, quicunq; Christum huius sacramenti auctorem Deum, & Dei esse sapientiam credunt. Placuit tamen largitori tanti muneris causam reddere tantæ largitionis, quam causam dando ipsum sacramentum aperuit. Nam postquàm dixit: Hoc facite, statim addidit, in meam commemorationem. Hæc est ergo causa sacramenti commemoratio Christi. Nouerat Saluator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem: nouerat singulare opus quod gesserat induendo hominem: nouerat stupendum quod gesturus erat moriendo propter hominem. Sciebat se hoc opere saluaturum hominem, sed absq; huius operis dilectione nullum saluari posse hominem. Sciebat quia humanitatis & mortis suæ opus, sicut super omnia opera sua summè celebratum, sic mortalibus pro quibus fiebat, summè erat commendandum. Commendandum erat, vtpotè cuius caro pro illis torquebatur, cuius anima pro istis tristabatur, cuius nouissimè mors illorum vitæ ministrabatur. Hoc certè solenniter commendandum erat, vt Christus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc eius dilectio ab hominibus seruari non poterat, memoria perente, nec fugax memoria diu retineri valebat, nisi signo congruo apparente. Ne igitur à corde fugeret, quod maximè cordi inesse oportebat, signo rei congruente veluti fune insolubili, colligata est cordi memoria, qua fortiter vinciente, semper redemptus redemptionis pretium cogitaret, indeq; redemptori agens gratias, fide, quę per dilectionem operatur, nequaquàm se ingratum tantæ gratiæ demonstraret. Et posset quidem mentibus humanis huius rei vtcunq; absq; signo visibili inesse memoria, sicut multarum rerum tam diuinarum quàm humanarum recordatio, fama, lectione, doctrina in eis aut gignitur, aut conseruatur: sed quia iuxta quendam:

*Segnius irritant animos demissa per aurem,*
*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

Et res tanta erat, vt & ad eam cogitandam, amandam, amplectendā, non segniter, sed insigniter humani animi mouendi essent, dignum & iustum fuit, vt humanitatis & mortis Christi memoria non tantùm auditu per aures, sed etiam visu per oculos iuuaretur. Ea de causa signum hoc à Christo propositum est, quod ita signum est, vt sit tamen idem quod signat.

Hoc autem contra veteris sacrificij multiplicitatem, quæ in nullo erat idem quod signabat, præter hoc, quod hoc illud sacrificium erat & istud sacrificium est: & illud Deo offerebatur, & istud eidem Deo offertur: Signabat verò (addo illud) hoc nostrum nostri temporis sacrificium, sed non erat hoc, quod istud: quia illud vmbra, hoc corpus: illud figura, hoc veritas: illud de cadaueribus & cruore animalium, hoc de corpore & sanguine filij Dei. Iecircò non erat idem quod signabat: sed istud nostri sacrificij signum non aliud, sed ipsum est quod signat. Ita verò est ei idem quod signat, vt quantum ad corpus, id est, ad veritatem carnis & sanguinis Christi pertinet, sit idem quod signat. Neque enim ibi Christus, vt olim dolorem & mortem patitur, cùm tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari, cùm licet inuiolabiliter in altari frangitur, diuiditur, comeditur: cum ijs, & quibusdam alijs signis, in quantum fieri potest, mors Domini maximè repræsentatur. Vnde, sicut dixi, quantum ad veritatem corporis & sanguinis Christi pertinet, est idem quod signat, quam tamen maximè signat, maximè autem dixi, quia hoc apertissimè Apostolus dicit in versu, quem suprà comemoraui: Quotiescunque, ait, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Quare hoc? Quare non similiter ô Apostole Dei, dixisti, incarnationem domini, natiuitatem Domini, circuncisionem Domini, baptismum Domini, vel quod magis videretur resurrectionem Domini, ascensionem Domini? Quare dixisti mortem Domini, quare illa, quæ gloriosa videntur, dimisisti, & quod erat ignominiosius, elegisti? Vt, inquit, ostenderem, in morte domini singulariter constare salutem mundi: vt ostenderem istud opus eius præponderare omnibus operibus eius: vt ostenderem tormento illo requiem, ignominia illa gloriam, morte illa mortuis redditam vitam. Ita planè & iuxta Apostolū, quando manducatur panis Domini, hoc est, corpus Domini: quando bibitur calix Domini, id est, san-

*Sacrificium corporis & sanguinis Christi quare toties iteratur.*
*1. Cor. 1.*
*Missæ sacrificio memoria Christi beneficiorum in nobis excitatur.*
*Horatius in arte poëtica.*
*Sacrificij veteris et noui signa differūt.*
*Christus quomodo in altari dicatur immolari.*
*1. Cor. 11.*
*Mortem domini annūciabitis quid.*
*Ioan. 6.*



sanguis Domini, annunciatur, hoc est, repræsentatur mors Domini quam passus est in cruce, non alia, sed eadem quæ est præsens, caro Domini: qua fusus est, non alius, sed idem qui sumitur sanguis Domini. Quod cùm fit, ad hoc vtiq; fit, vt mens longè vehementius excitata corporis domini susceptione, quàm posśit excitari verbi domini admonitione in amorem eius, quē non tantū audit, sed etiā videt & suscipit, inardescat: & videns verbū carnem factū vt habitaret in nobis, habitans etiā corporaliter, & in se obliuiſci iam nullatenus possit, quem fide credit, amore amplectitur, manu contrectat, ore suscipit: quem quondam, p se mortuum ipsa susceptione recolens, & morte ille vitam sibi paratam agnoscens à mortis operibus abstineat, & sic eidem Christo Domino suo immortaliter iam viuenti in sempiternum conuiuat. Hoc igitur Ecclesię sacramentum, quoniam sic assidua fui repręsentationem memoriam innouat, fidem auget, spem roborat, charitatem confirmat, non superfluū, sed valdè necessarium est. Ea propter vt dictum est, Dominus hoc in sui cōmemorationem fieri iussit, ea de causa mortem Domini isto sacramento denunciari Apostolus docuit: vt Christi & mortis eius memoria auelli de cordibus humanis nulla mūdi inquietudine, nulla temporū prolixitate valeret. Quæ memoria amorem excitans, de animi recessibus mala omnia effugaret, virtutibus vniuersa repleret, sicq; quotidie per hoc sacramentum innouans redemptionem, quotidianam pœnitentibus peccatorum gigneret remissionem. Solui quidem, & plenè tollit peccata mūdi agnus Dei in cruce immolatus, nec tamen idcircò, vt dixi, superfluus est in altari oblatus. Et vt, in teipso, à teipso hoc discas, aduerte quicunq; hęc legis, teq; ipsum interroga, quando magis mouearis (si tamen quod profiteris, firmiter credis) vtrum quando dicitur: Christus olim inter homines apparuit: aut quando dicitur: Christus nunc inter homines cōuersatur? quando dicitur: Olim in cruce pependit: an quādo dicitur: nunc in altari offertur? Vtrum, inquam, te magis moueat, & ad admirandum, & amandum accendat, eius prędicata absentia, an demonstrata prędsentia? Sed scio, quia non diffiteris, quod verum est, magis humana corda moueri prędsentibus, quàm absentibus rebus, mouetur igitur magis ad prędsentē quàm ad absentem: mouetur magis ad visum, quàm auditum Christum: mouetur ad admirandum: mouetur ad amandum, quo amore amanti generatur remissio peccatorū. Cui quantus erga Christum amor est, tanta est & indulgentia, ipso Dño attestante, qui de peccatrice Maria sic ait: dimissa sunt ei peccata multa, quoniā dilexit multum. Et cùm rursus scriptum sit: Charitas operit multitudinem peccatorum. Quantam multitudinem peccatorum operit charitas in proximum? Non est ergo, vt dictum est, superfluum Christi corporis & sanguinis sacramentū, quo viuacior memoria excitatur, quo feruentior dilectio prouocatur, quo plenior peccatorum remissio comparatur. Non est superfluum: quia nō tantùm per id, quòd Deus est, sed etiam per id, quòd homo est, nobiscum est vsq; ad consummationem seculi. Non est superfluum, quia qui per corpus suum redemit nos, per id corpus suum reficit nos, vt redempti per corpus eius, & refecti corpore eius, nutriamur & pascamur humanitate eius, donec satiemur deitate & gloria eius. Hactenus Petrus Cluniacensis.

Quid autem dici potuit magis piè, magis religiosè, magis etiam disertè, vel ad rationem huius sacramenti & sacrificij explicandam, vel ad immēsum illud redemptionis nostræ beneficium illustrandum, vel ad mentes hominū amore tam benefici redemptoris inflāmandas, quàm quod ab hoc venerabili patre spiritu Dei pleno dictum est? Ex cuius nos libello propterea tam multa describenda, atq; huic loco inserenda curauimus, vt quę fuerit Ecclesię fides de hoc sacramento, ante quadringentos annos planum omnibus fierit: simul intelligi posset, quàm impudens commentum sit eorum, qui quadringentis his & amplius annis extinctam Euangelij lucem in Ecclesia Dei, Christiq; beneficia omnia obscurata esse literarum monumētis prodere veriti non sunt. Cùm si vnquam anteà, illo tempore vel maximè clara, aperta, testataq; fuerint omnibus: Quemadmodum ex eorum scriptis videre licet, qui vixerunt illo seculo, quod ferax doctissimorum hominum fuisse constat. Nam intra centum annorum spacium tulit ætas illa viros insignes, Anselmum & Landtfrancum Cantuarienses Archiepiscopos, Guimundum Episcopum Auersanum, Algerum Presbyterum & Petrum Abbatem in monasterio Cluniacensi, Bernardum Clarævallensem, Hildelbertum Cenomanensem, Hugonem de Sancto Victore, Richardum de S. Victore, Petrum Lombardum, fratrem eius Gratianum, & alios nonnullos non doctrina magis, quàm vitę sanctitate claros & illustres. Atqui horum omnium, & cum ea, quę prędsecessit, quę fuit ab ipsis Apostolis, & eorum successoribus, & cum ea, quę sequuta est Ecclesia, vsq; ad hęc nostra tempora, cùm de rebus alijs omnibus, tum de iugi hoc sacrificio mirus cōcentus, & incredibilis quędam est consensio. Nam quod Arnobio, Cypriano, Augustino, Fulgentio in Aphrica, idem visum fuit Irenæo, Remigio, Antisiodorensi, & Petro Cluniacensi, Bernardo clarævallensi, Hilderberto Cenomanēsi in Gallia: idem patribus in sacrosanctis Nicæno, & Ephesino Cōcilijs, ex toto orbe Christiano congregatis, idem Ambrosio in Italia, Chrysostomo in Thracia, Theophilacto in Mœsia, Hieronymo & Ioanni Damasceno in Syria, Cyrillo in Ægypto, Eusebio in Palæstina, Landtfrāco in Anglia, Epiphanio in Cypro, Amalario, Rabano & Ruperto Tuitiensi in Germania, Adalberto Gnesnensi Archiepiscopo, & Stanislao Cracouiensi Episcopo, qui nostrę gentis Apostoli fuerunt in Polonia, qui Euangelium sanguine suo signatum nobis reliquerunt. Quod ergo isti omnes, & qui eos vsq; ad hęc nostra tempora sequuti sunt, vnanimiter senserunt, prędicauerunt, literis etiam consignauerunt, atq; ad nos transmiserunt, vicissim à nobis ad posteros nostros transmittendum: isti, inquam, omnes, in tam diuersis regionibus commorati, tanto & locorum & seculorum interuallo disiuncti, quod nos tanto consensu docuerunt, non hominum hanc magis quàm DEI peros Ecclesiæ suæ loquentis, doctrinam existimare debemus. Quo minus ferendus est inflatus ille

sensus

*Ioan. 2.*
*Mortis domini quotidiana cōmemoratio quid nobis dat.*
*Missæ sacrificij quotidiani effectū.*
*Luc. 7.*
*1. Pet. 4.*
*De sacrificio Missæ patrum consensus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sensu carnis suæ, qui nihil morari se scribit, quid tanto consensu loquantur vetusti scriptores. Scilicet tu ille es incircuncisus Philistæus, qui exprobrare audes aciei Dei viuentis? qui Ecclesiam vniuersam, quæ columna est & firmamentum veritatis, erroris arguere: qui grauissimum etiam idololatriæ, crimen illi impingere non vereris? Sed qua alia ratione agnosci posset illius minister, qui dixit: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo: Qui postea ad infernum detractus est in profundum laci. Nisi quòd impius hic non vult esse similis altissimo, sed vult esse supra altissimum. Altissimus enim promisit se missurum Spiritum suum, qui doceret Ecclesiam suam, & cum ea maneret in æternum: & iste nescio quis Satanista audet altissimũ arguere mendacij, cùm tot seculis Ecclesiã Spiritu Dei destitutã, ac in idololatria versatam esse, impudenter asserit. Percurre Ecclesiam totius orbis vniuersam: Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Hungariam, Boëmiam, Insulas in mari Oceano, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Suetiam, Noruegiam, deinde quę sunt Mediterranei maris, Siciliam, Cretam, Cyprum, Rhodum, Sardiniam, Corsicam: Adde Græcos, Ruthenos, Moschos, tametsi iam schismaticos: adde quotquot in Syria & Armenia Christi nomen ,profitentur: adde postremò numerosissimos Indiæ populos, toto propemodum orbe à nobis disiunctos: in omnibus his regnis & prouincijs (præterquam si qui alicubi se viginti aut triginta his annis à Christo & ab eius corpore segregauerunt) iuge hoc sacrificium corporis & sanguinis Christi, & nunc Sacerdotes celebrare, & ex quo tempore omnes isti populi Christum cognouerunt, nunquam celebrare intermisisse reperies: Quod à Christo, vt diximus, institutum, ab eius Apostolis per longam successionem Sacerdotum & Episcoporum per manus traditum, & obseruatum in Ecclesia fuit, ad hæc vsque tempora, & non prius intermittetur, quàm finis mũdi aduenerit. Et huic totius orbis Christiani consensui vnuis alicuius hominis fanatici, nihil sibi non arrogantis, omnia sanctis Patribus detrahentis, omnem omniũ Conciliorũ auctoritatem eleuãtis, sensum anteponemus? O Christe, qui es via nostra, veritas nostra, vita nostra, prius fortunas nostras oẽs, prius vitã hãc nostrã mortalem, prius omnia, quæ sunt in hoc seculo mortalibus charissima, nobis eripe, quàm in hanc nos mentem impelli patiaris. Nullum est discrimen tantum, quod non alacriter subire: nulla tanta difficultas, quam non constanter perferre: nullum tantum certamen, cui non intrepidè nos prius offerre sumus, & esse parati debemus, etiam si eundem illum gustare nos calicem oporteat, quem tu pro nobis amarissimum bibere dignatus es, te vires suppeditante non modò non fugiendum nobis, verum etiam expetendum esse putamus, priusquã id faciamus, quod nos impij isti facere iubent, vt te Redemptorem negemus, vt redemptionis nostræ pretium sacrosancti corporis, & sanguinis tui iuge sacrificiũ p Satanam & ministros eius auferri nobis patiamur.

*1. Reg. 17.* *1. Tim. 3.* *Esaiæ 14.*

*Sacrificium iuge per omnes mundi partes celebrari.*

*Vnius hominis fanatici sensum totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponendum non esse.*

*In Missæ sacrificio euertendo Sathanæ astutia.*

Verùm, quod sæpè monuimus, nihil est hoc virulento serpente callidius. Nam verbo quidem ille redemptionis nostræ pretium auferre se negat, quin illud potius prædicare velle simulat, cùm tamen re ipsa nihil agat aliud, neq; alia in re curas suas & cogitationes consumat omnes, quàm vt omnem tanti beneficij memoriam sempiterna quadam obliuione prorsus obruat. Contendere quidem primùm illud modò videtur, vt ne sit externum vllum sacrificium. Scriptum est enim: Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Verũ posteaquã hoc obtinuerit, serpet euestigiò lõgius, simul & prædicationẽ externã abolendam esse docebit. Scriptum est enim in eadem epistola, & ex Propheta citatum: Non docebit vnusquisq; proximum suum, & vnusquisq; fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me, à minore vsq; ad maiorem. Sed fanatici tibi videntur, qui per hunc scripturæ locum, externum verbi ministerium abolere conantur? Atqui eadem hoc auctoritate, qua tu, faciunt, & æquè tu fanaticus videri debes, qui per ea, quæ & in hoc & in proximè sequenti capite scripta sunt, & sacerdotium, & sacrificium externum abrogare niteris: vnde occasionem isti sumpserunt, idem de externa, quam vos in Ecclesia solam esse vultis, prædicatione sentiendi. Qui magis autem vobis vestro, quàm illis, quos meritò fanaticos vocatis, suo iudicio scripturas interpretari licebit? Estis autem vtriq; fanatici, qui vos à Christo, & ab eius corpore Ecclesia segregastis, atq; ideò tanta errorum caligine oppressi estis. Verum est enim, quòd vt diceres, dum fanaticos istos insectaris, ipsa abs te inuito veritas extorsit, sanæ intelligentiæ lucem Ecclesiæ promitti. Ac rectè admones, peculiariter id notandum esse. Non est enim extra illam sanæ intelligentiæ scripturarum lux, cui promissus & missus est Spiritus sanctus, à qua, cùm vltrò ipse te præcideris, mirandum non est, si sanæ intelligentiæ lux à te recesserit. Scit Satanas, quemadmodum ab Augustino quoq; scriptum legimus, externum sacrificium Deo deberi, atq; hoc vno signo diuinam seruitutem ab humanis obsequijs discerni. Nam obsequia cætera, quæ diuinitati debẽtur, ausi sunt sibi etiam superbię fastu homines arrogare, Rarissimi autem cõmemorantur, qui sibi, vt sacrificaretur cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare: Quicunq; tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt. Quamobrem vt ne quod esset discrimen inter diuinam maiestatem, & inter mundi principes, vt nullus peculiaris illi cultus tribueretur, hoc summo studio contendit & elaborat, vt externum tollat sacrificium, quo nulla vnquam ętas ab orbe condito caruit, etiam si nunc apud plures, nunc apud pauciores vsus eius fuerit: quòd sic tandem dicat impius, dicat insipiens in corde suo, non est Deus. Hic est scopus, ad quem tendit Satanas, cuius si nouam hanc doctrinam de externo sacrificio abrogando (quod pro sua misericordia procul Deus auertere dignabitur) mundus exaudiat, faciet, quod nunquã fecerat, & more captiuati illius populi sedebit absque lege, absq; Rege, absq; Sacerdotio, absque Ephot & Teraphin: cumq; Deo sacrificare cessauerit, & ipse Dei esse cessabit. Erit his temporibus gratiæ, quod nunquam fuit nec tempore iræ, vt Christianis DEO sacrificare cessan-

*Heb. 9.* *Heb 8.* *Hier. 9.*

*Intelligentia sanæ lux Ecclesiæ promissa.*

*Lib. 1. Contra aduersarium legis & prophetarum cap. 18. & de ciuitate Dei lib. 10. cap. 4. & lib. 15. cap. 16.*

*Osea 3.*



cessantibus, cultus qui semper in mundo fuerat, omninò de mundo pereat: & qui Deum ritu suo colens, Deo subditus esse probatur, cultum eius abijciens absq; aliquo Deo prorsus esse videatur. Cùm itaq; detectæ iam sint Satanæ fraudes, cùm quorsum tendat serpens hic astutus, planum & manifestum factum sit (neq; enim aliud illi propositum est externo sacrificio abolendo, quàm vt redemptorem, vt redemptionis nostræ precium auferat: deniq; vt nos sine Deo esse faciat) viriliter illius conatibus resistamus, ac quantò magis ille cultum hunc Deo debitum, & ab ipso Deo institutũ oppugnare fuerit adortus, tantò nos cum maiore pietate frequentemus, tantò crebrius iuge sacrificium hoc, per quod recõciliationem in cruce factam & peccatorum nostrorum remissionem ibidem nobis obtentam, in nos transferre conamur, in Ecclesia celebremus.

*In sacrificio abolendo Sathanæ studium & scopus.*

Neq; moueat quemquam, quòd non ea lingua peragatur, quæ ab omnibus intelligi possit. Iam enim anteà satis docuisse videmur, non in eo quantum intelligamus, sed in eo quàm piè Deum colamus, salutem nostram positam esse. An existimandum est intellexisse pueros Hæbreorum, quid agerent, cùm in templo clamarent: Osanna filio Dauid? Atqui adeò non fuit hęc eorũ quãlibet imperitorũ pietas ingrata Christo, adeò non aspernatus est nõ intelligentium laudem, vt cum Principes Sacerdotum & scribæ indignati dixissent, Audis quid isti dicunt? non obscurè tulerit, se laude eorum delectari, ac iam pridem à propheta fuisse prædictum admonuerit: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Qui vel solus scripturæ locus docere nos potest, non quæ ab eorum supercilio proficiscitur, qui sibi nihil non arrogant, sed infantium & lactentium laudem gratam esse Deo. Iam verò quotusquisque fuit in populo Israël, qui quid sibi vellent ritus, cæremoniæ, sacrificia veteris legis, perspectum haberet? Certè præter Sacerdotes, Scribas, & Phariseos, vix millesimus quisque, quid ea sibi vellẽt, assequebatur, vt nõ temerè dictum fuerit à Pharisæis: Turba hęc, quę nõ nouit legem, maledicti sunt. Et tamen ex hac turba, quæ legem ignorare visa est, non ex sapientibus secundum carnem, elegit Christus: per quos Euangelij sui luce mundũ illustraret: cum interea quid de verbo Dei, de scripturarum, de legis peritia tantoperè gloriabantur, & sibi solis earum intelligentiam arrogabant sibi cum sua arrogantia relicti, filij gehennę facti sint. Non scisciabantur curiosè qui fuerant è turba, quid in sacrificijs istis fieret: illud scire contenti erant, venturum aliquando mediatorem, per quem salutem ipsis conseq; liceret: illum expectabãt, illum coli, & adumbrari sacrificijs istis persuasum habebant. In cęteris omnibus maiorum suorum, hoc est eorum, ex quorum ore legem requirere iussi fuerant, fidem sequebantur, in qua non pauciores proculdubiò ex imperita multitudine & simplici plebecula, quàm ex illis, qui diuinæ legis præ cęteris esse periti videbantur, salui facti sunt. Non alia ratio existimãda est eorum, qui Christum sequuti sunt. Etiã si nõ omnia vulgus intelligat, quæ gerũtur in hoc altaris sacrificio, saltem nouerit IESVM Christum, & hunc crucifixum, atq; sacrificium quo semetipsum in cruce Christus obtulit hostiam DEO in odorem suauitatis, in altari representari intelligat, tam facilè, ac facilius etiam in hac sua simplici fide saluari poterit, quàm qui anxiè disputant, vtrum ea iustitia, qua Christus ipse iustus est, an ea, quam nobiscum cõmunicat, & suo modo nostram facit, nobis eam imputans, an (quæ est Ecclesiæ sana doctrina) ea quæ Christi merito nobis cõmunicata nobis inhæret, iusti efficiamur.

*Sacra an peragenda sint lingua cuiusque vernacula. Matth. 21.*

*Cantare vel legere diuinam scripturam non intellectam, Deo etiam accepta esse ostenditur. Psalm. 8.*

*Ioan. 8.*

*Fidem maiorum suorum sequatur vulgus, leuis & mysteriorum secreta non scrutatur. Malach. 2.*

Cùm locum illum produxisset Origenes ex Paulo, in quo spiritum in nobis ita orare docet, vt sensus sine fructu sit: Intellige, inquit, ex hoc, quia sit aliquando noster quidem sensus sine fructu: Spiritus autem, id est, virtutes illæ, quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt, pascũtur & reficiuntur ex auditu animę sanctę, velut ex diuinis & rationalibus cibis. Quid dico? quia diuinæ virtutes pascantur & epulentur in nobis? Si nos verba diuinæ scripturæ proferamus ex ore, ipse Dominus noster IESVS Christus si nos inueniat his vacantes, non solùm pasci & refici dignatur in nobis, verumetiam si has epulas apud nos viderit apparatas, patrem secum dignatur adducere. Ac paucis interiectis, etiam malignarum virtutum insidias effugari sermonibus eiusmodi docet, haud aliter atq; precationibus sopitus serpẽs portatur in manibus. Si legis, inquit, scripturam quam nõ intelligis, interim hanc primam susçipe vtilitatem, quòd solo auditu velut incantatione quadam noxiarum virtutum, quæ tibi insidiantur, virtus depellitur. Et iterum post pauca: Hæc idcircò diximus, ne fastidium capiamus audientes scripturas, etiam si non intelligimus: sed fiat nobis secundum fidem nostram credentibus, quia omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, etiam si non sentiamus vtilitatem, credere tamen debemus, quia vtilis est. Solent Medici præbere interdum cibum aliquem vel potum (verbi gratia) ad discutiendum caliginem visus: nec tamen in edendo siue potando sentimus, quia vtile est & prodest oculis, sed cùm transierit visum cibi illius aut potus virtus, paulatim purgat aspectum, & tum demùm sentire incipimus, quia cibus ille aut potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum est etiam de scriptura sancta, quia vtilis est, & animæ prodest, etiam si sensus noster ad præsens intelligentiam nõ capit: quoniam vt diximus, & bonæ virtutes reficiuntur, & male torpescunt & effugantur.

*Hom. 20. in Iosue.*

Quamobrem rectè populum institutum fuisse videmus à maioribus nostris, cùm Eucharistiam Sacerdos eleuat, quod est sacrificij signum (nam & in lege quæcunq; sacrificabãtur, eleuari cõsueuisse docemur ex Leuitico) vt in genua procidentes, Christum in Eucharistia præsentem adorent: simul in memoriam redeant illius sacrificij, quo ille in crucem sublatus, se pro nobis hostiam obtulit Deo. Recogitent etiam secum, quàm acerbos cruciatus, quàm ignominiosam mortem sustinuit, quodq; his illius tam grauibus supplicijs non nisi peccata nostra causam dederunt. Quare iustum de cõmissis illis dolorem cõcipiant atq; modis omnibus ea sibi odio esse, seq; vel maximè ea detestari declarent, & pectorum tũsionibus, & quibuscunq; rebus alijs externis. Quoniam verò tam preciosa morte sua pro pec-

*Eucharistiæ Eleuatio quare fit, & quid inter eleuandum meditari debeat. Leuit. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



catis noſtris omnibus Chriſtus planè ſatisfecit, nulla vt eſſe poſsint flagitia tanta, quæ per
*Hebr. 4.* illam abolita non ſint, concepta inde fiducia, adeant ad thronum gratiæ Dei, & cùm noſtra merita non habeamus, quæ allegare poſsimus, allegent Chriſti merita, hoc ipſum corpus, quod pro nobis in cruce pependit, hunc ipſum ſanguinem, qui fuſus eſt in remiſsionem pec catorum noſtrorum, Deo patri ſiſtentes: ac ſupplices illum precentur, qui protector noſter
*Pſal. 36.* eſt, vt auertat faciem ſuam à peccatis ipſorum, & reſpiciat in faciem Chriſti filij ſui vnigeni-
*Pſal. 44.* ti, qui cùm eſſet ſpecioſus forma præ filijs hominum, factus eſt noſtra cauſa deſpectus, & no uiſſimus virorum, vir dolorum, & ſciens infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius &
*Eſai. 53.* deſpectus: Ipſe languores noſtros tulit, & ipſe dolores noſtros portauit: ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: ipſe oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit. In huius itaq; faciem reſpiciat huius merito peccata remittat: atque concedat, vt quẽ fructum crucis illud ſacrificium quod in altari repræſentatur, toti mundo attulit, eũ in ſe trãsferre queant. Sic à maiorib. noſtris vulgus fuit inſtitutum. Quòd ſi nihil præterea de hoc ſacrificio intelligeret, vel hoc ſolùm intellexiſſe ſatis illi foret ad ſalutem.

Quoniam tamen id horum temporum ratio poſtulat, dabitur à nobis opera, vt è ſuperiore loco doceatur populus de omnibus his, quæ ad miſſæ ſacrificium pertinere videbuntur. De quo conſcripti ſunt ſermones aliquot viri cum primis docti & pij, vereq; catholici.
*Michaelis Epiſcopi Merſburgenſis de miſſa ſermones.* Michaelis Epiſcopi Mersburgenſis, quos interim omnibus commendatos eſſe, atq; manibus omnium teri cuperemus, quòd pro eo, vt hæc tempora poſtulabant, nemo diligentius eſt omnia, quæ ad hoc argumenti genus pertinent, perſequutus.

*Sacra in occidentali ecclſia peraguntur ſola lingua Latina.* Neq; tamen exiſtimet aliquis temerè ac ſine cauſa factum eſſe, quòd vna & ſola Latina lingua in occidentali Eccleſia ſacra peraguntur, in qua ſicut vna eſt fides, ita viſum eſt æquum, vt vna eſſet quaſi catholica lingua communis omnium gẽtium & nationum, qua res diuina fieret, per quam vnitas etiam fidei retineretur. Non eſt in orbe Chriſtiano gens vlla, in qua
*Poloni ſtudioſi Latinæ linguæ.* non multos reperire liceat, ex ijs præſertim, qui ſunt liberalius educati: qui linguam Latinam ſi minus exactè, vtcunq; tamen callent. Ac ſi qua gens alia, noſtra præcipuè permultos habet eius linguæ non omninò rudes: cùm etiam colonos & agricolas reperire liceat in Eccleſia laudes Deo decantantes, ac verba Latina vtcunq; ſonantes, eaq; præſertim, quæ cãtantur in Miſſæ ſacrificio intelligentes. Quàm pulchrum autem & decorum eſt, cùm peregrinus
*Rom. 15.* venerit aliquis, ſi ea lingua peragi audiat, cuius & ipſe rudis non ſit? cùm ea quaſi propria ſit
*Actor. 4.* gentis Chriſtianæ: ſi vnanimes, vno ore, vna etiam lingua glorificantes omnes Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi eoſdem ritus, eaſdem cæremonias obſeruantes videat: vt vel ea res documento eſſe queat, totius quæ eſt in orbe Chriſtiano multitudinis credentiũ eſſe cor vnum, & animam vnam: Cùm longè diuerſum cernere liceat apud eos, qui ab Eccleſia diſceſſerunt, apud quos ſicut fides inſtabilis eſt, neq; vna, ſic ritus quoq; & cæremoniæ,
*Linguæ vernaculæ vſus in templis cariſsimus.* quæ cum doctrina ſimul quotannis variantur. Neq; tamen ſuis locis & temporibus etiam in templis vernacula lingua cantari prohibuit Eccleſia. Iam anteà commemorauimus, quemadmodm etiam vulgaribus cantilenis quàm maximè voluerit inculcata nobis Chriſti beneficia ſitiens noſtræ ſalutis mater Eccleſia: quod in feſtis Chriſti natalitijs, feſtis etiam Paſchæ, & Pentecoſtes dudum recepto more fieri videmus, vt hac quaſi nouitate mentes hominum magis etiam excitentur ad ſpiritualem lætitiam, & cuius beneficij ſit in Eccleſia cõmemoratio, eius memoria tenacius eorum animis infigatur. Cæterùm illud ferendum non eſt, priuatus vt aliquis, cui nulla mandata eſt auctoritas, quin decet eum potius, ei qui poteſtatem hanc à Deo cõceſſam habet in omnibus dicto eſſe audientem, is hoc ſibi ſumat, aliquid vt in Eccleſia ſuo iudicio mutare, aut ritus nouos, nouas etiam cantilenas inducere
*2. Reg. 11.* licere ſibi putet, cum ne ipſis quidem Epiſcopis eius rei plena poteſtas conceſſa ſit. Vel Ozæ Regis exemplum deterrere prophanos debet, ne, quid eiuſmodi ſibi arrogent. Longum autem foret omnia perſequi, quæ ad Miſſæ ſacrificium explicandum pertinere videntur, neq; eſt hoc præſentis inſtituti. Quamobrem hic finem faciemus.

*Miſſa ne, an concio præſtet.* Quoniam verò quærunt hoc tempore multi, num Dei verbum è ſuperiore loco prædicantem, an ſacris operantem ſacerdotem audire præſtet: viciſsim ab illis rectè quæri poteſt. Scire ne præſtet, an facere voluntatem Domini? Non auditores, dicit Paulus, ſed factores le-
*Rom. 2.* gis iuſtificabuntur. Seruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, dicit Chriſtus, & non fe-
*Luc. 12.* cit ſecundum voluntatem eius, vapulabit plagis multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Porro cùm ſacerdotem audis è ſuperiore loco ſcripturas enarrantem, fit vt intelligas, quæ ſit voluntas Domini, vt autem facias, id ab eo præſtari non poteſt, qui prædicat: ſed neq; tu quicquam potes viribus tuis ſolis, opus eſt eius auxilio, à quo
*1. Cor. 3.* tanquam à fonte quodam perenni manat, quicquid eſt rerum bonarum. Nam neq; qui plan
*Sap. 8.* tat, eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus: hoc eſt quod ille dixit Sapiens: Vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum & deprecatus ſum illum. Huius exemplum diuinitus inſpirata ſequi nos docuit Eccleſia, ſimul vt cognouiſſemus è ſuperiore loco voluntatem Domini, ſtatim vt adiremus ad Dominum, ac deprecaremur illum, quo tem-
*Miſſa poſt concionem.* pore illius in cruce factæ oblationis fit repræſentatio, vt eam explendi facultatem nobis cõcederet: cùm Auguſtino dicentes, Da quod iubes, & iube quod vis: Da non noſtro merito,
*Lib. 10. confeſ. cap. 31. & 39.* ſed eius qui corpus ſuum pro nobis tradere, qui ſanguinem ſuum pro nobis fundere dignatus eſt, cuius rei nunc repræſentatio fit in altari: Huius meritis concede nobis, vt iuxta voluntatem tuam, quam è ſacerdote verbum tuum annunciante cognouimus, vitã noſtrã inſtituere, & quẽ fructũ acerba mors tua toti mundo attulit, eius participes eſſe queamus. Sic olim ſanctitatũ eſt in Eccleſia Dei, nõ vt hoc infelici ſeculo noſtro: quo ſimul vt audita eſt cõ-





cio, ſtatim proruunt omnes è templo, quaſi vel ſufficiat noſſe voluntatem Dei, neq; facere ſit neceſſe, vel ſi neceſſe ſit facere, quaſi ipſe ex ſe ſatis virium habeat homo ad faciendum, nec opem diuinam implorare oporteat.

*De incomprehenſibili Dei natura contra Anomœos, homil. 3.* Libet hîc adſcribere verba, quæ fecit ad populum hac de re Ioannes Chryſoſtomus. Ingentem, ait, & penè inauditam hanc populi multitudinem, quę modò affluxit, tantaq; cum attentione ſermonem audit meum, ſępenumerò tempore illo perhortẽdo requiſiui, & tamen nunquam videre potui, atq; ita me vehemens cepit ſuſpirium, quòd cùm ego diſputo veſter conſeruus, ſtudium adhibetis & ingenium, cõtenditis animum, alter alterum impellit & iactat, vt ipſe proprius adſit, frequentes ad finem vſq; dicendi patiẽtiſsimè perſeueratis. Cùm autem ipſe Chriſtus cõmunis Magiſter & Dominus, ſemet in ſacris myſterijs oſtenſurus eſt, vacua deſertaq; Eccleſia redditur. Proh fidem hominum Chriſtianorum, quo pacto iſthęc veniam conſequantur? Facit profectò veſtra iſta ſiue deſidia, ſiue negligentia, vt laudem ſtudij auſcultandi illius omnem amittatis. Quis enim nõ tam vos, quàm me damnet ac reprobet, cùm fructum omnem audienti delapſum cernat & vanidum? Nam ſi cum diligentia his quę docuiſſem attenderetis, facto palàm ſtudium faceretis veſtrum non verbis tenus, corde habere monſtraretis. Sed quod ſtatim cùm audiſtis, diſceditis & fugã, quaſi vos hoſtis inſectaretur, arripitis: cõiectari omninò licet, nihil vos recepiſſe & recondidiſſe animo vtilitatis. Nam ſi quæ propoſita ſunt, recõdita in animis veſtris ſeruarentur, prorſus vos illa in templo tenerent, & ad rem horribilem maiore cum deuotione hortarentur & mouerent. Nunc verò quaſi fidicinam audiretis aliquam, ſic omni vtilitate vacui, ſimul ac factus finis dicendi eſt, diſceditis. Sed, ô frigidam excuſandi rationem, quam à compluribus reddi audio: Orare vel domi poſſumus. dicunt, ſed homiliam, doctrinamq; audire non niſi in Eccleſia poſſumus. Te homo decipis, & magno in errore verſaris. Nam ſi & domi quoque datur ornãdi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam benè ores, quàm in Eccleſia, vbi tot Patres, vbi clamor felici ſocietate excitus, ad Deum immortalem refertur, non pariter exoras cùm ſolus Dominum obſecras, atq; tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet cõcordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, ſacerdotum clamores: prę ſunt enim ob eam rem ſacerdotes, vt populi orationes, quę infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexę ſimul in cœlum euehantur. Adde quòd nihil fructus capi ex homilia poteſt, niſi oratio adiũgatur. Porrò ſermoni oratio debet anteire. Sic Apoſtoli dicũt: Nos in orationę & ſermonis doctrina perſeuerabimus. Sic Paulus facit, cùm in exordijs ſuarũ epiſtolarũ orat, vt perinde quaſi lamen lucernę, lux ipſa orationis regat ſermonẽ ac dirigat. Profectò ſi orare cum diligẽtia inſuescas, nihil eſt, quòd doctrinã tui cõſerui deſideres, cùm ipſe Deus ſine vllo interprete mẽtem tuã abũdè luce afficiat. Quòd ſi omnis oratio tantã vim habeat, lõgè magis eam, quę ore multorũ prouenit valere cõſentaneum eſt. Plus enim neruorum in ea eſt, & multò audientia maior, quàm in domeſtica illa & priuata. Vnde id conſtat? Paulum ipſum dicentem audi: Qui extãtis periculis eripuit nos, & eruit, etiam ſperamus quòd adhuc eripiet, vobis quoq; in oratione pro nobis ſubuenientibus, vt dono in vos collato, à multis perſonis gratię agantur pro nobis. Sic etiam Petrus carcerem euaſit. Oratio enim, eo ab Eccleſia ſedulò agebatur ad Deum. Quòd ſi Petro oratio Eccleſię profuit, & columnã illam ac ſtabilimen noſtrę religionis carcere liberauit, cur eius vim tu cõtemnis & negligis? Quate poſsis purgare ratione? Deum quoq; dicentem audi, quàm populo cum beneuolentia inuocante placetur, & parcat. Quippè qui ſe excuſans apud Ionam Prophetam, fructis argumento cucurbitę, verba ad hũc modum faciat: Tu doles ſuper cucurbita, in qua nõ laborasti, neq; fecisti vt creſceret. Ego non parcam Niniuę ciuitati meę magnę, in qua habitãt plures quàm centum viginti millia hominum? Non ſine re amplum populi numerum proponit, ſed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quę cum conſenſu agitur, & iugi concordia plurium hominum. Quod exemplo quoq; rei humanę libet explanare. Nam ante hos annos capti nonnulli ſunt tyrannidem appetentes: cuius rei vos etiam meminiſſe arbitror. Fuit inter eos quidam, dignitate ac principatu pręditus, qui cùm damnatus capite ad ſupplicium duceretur, populus motus miſericordia, vniuerſus Prętorem adijt, & deprecãdi cõmuni opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus, liberaretur ab ira Imperatoris. Quod ſi cùm iram terreni Imperatoris velitis extinguere, vniuerſi cum liberis & vxoribus feſtinatis, cur quoties ad cœleſtem illum Imperatorem placandum, reddendũq; propitium ire pergitis, vt eius irę eximatis non vnum, vt tunc, nec duos, aut tres, aut centum, ſed omnes orbis terrarum peccatores, omnes dęmone agitatos à flagello liberetis diaboli, foris ſedetis, non vniuerſi cõcurritis, & Eccleſiam penetratis, vt Deus veſtram reuerigocijs neceſſarijs non omni leone vehementius diſruptis omnibus vinculis curriculo is, & te cõfers ad ſupplicationem cõmunem, quam ſpem habere poſsis ſalutis, ni ita facias? Tempore illo, mi frater chariſsime, non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiã Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant. Habent ſibi tempus ad id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itaq; vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges cõſueuerunt, eoq; arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatem: ſic Angeli tũc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano. Quaſi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus hoc corpus immolaſti. Agitatos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput inclinare. Cùm eos vna cum fratribus orare non liceat, adducit eos, vt miſeratus, & quia tam acerbè vexan-

*Actor. 1. & 2.*

*1. Corinth. 5.*

*Actor. 12.*

*Ionæ vlt.*

*In Niniuæ pleſquam centum viginti millia hominum habitabant.*

*Oratio multorum cum concordia animorũ efficaciſsima.*

*Angeli orant pro nobis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur, & quia vocem reddere nequeũt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem & auxilium. Quæ verba reperiuntur etiam ex magna parte apud eundem, in Homelijs ad populum Antiochenum. Et alio loco: Hæc ego dixerim ad eos, inquit, qui sanctorum communionem & congregationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti sacerdoti qui dixit: Sursum mentem & corda. Et dixisti, Habemus ad Dominum? Non reuereris & erubescis? Et illa ipsa hora mendax inueniris, papè, mensa mysterijs instructa est, & agnus DEI pro te immolatur: Sacerdos pro te angitur: sanguis spiritualis ex sacra mensa refluit: Seraphin adstant, sexalis faciem tegentia: omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt: ignis spiritualis de cœlo descendit: sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est: & non erubescis? non reuereris? non confunderis? neque DEVM tibi propitium facis? non conscientia tua te iudicat, ô homo? Centum sexaginta horas habente hebdomada, vnam & solam horam sibi ipsi segregauit DEVS, & hanc in opera secularia, & in ridicula, & in conuenticula insumis: cum qua posteà fiducia ad mysteria accedes? ô quàm polluta conscientia. Et paulò post. Quo circa, fratres, oro vos & obsecro, ne absimus ab Ecclesijs, neque in alijs colloquijs occupati simus. Stemus trementes & timidi, demissis oculis, renata autem anima, gementes sine voce, iubilantes corde. Itidem & Cæsarius qui fuit Episcopus Arelatensis ante annos plus minus octingentos. Rogo vos fratres Charissimi, & paterna pietate commoneo, vt quotiens aut in die Dominico, aut alijs maioribus festiuitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donec diuina mysteria compleantur. Et quamuis multi sint, de quorum fide & deuotione gaudeamus, sunt tamen plures, minus de salute animæ suæ cogitantes, qui lectis diuinis lectionibus, statim de Ecclesia foris exeunt, cùm tamen etiam dum ipsæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otiosis & secularibus fabulis occupentur, vt eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant. Isti tales, minus à nobis culparentur, si ad Ecclesiam non venirent. Quia ibi probantur amplius Dominum lædere, vbi peccatorum potuerunt indulgentiam promereri. Vnde rogo vos fratres, vt humilitatis nostræ suggestionem, non solùm patienter, sed etiam libenter accipiatis. Si enim diligenter attenditis, cognoscetis quia non tunc fiunt Missæ, quando diuinæ lectiones in Ecclesia recitantur: sed quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones siue Propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris, aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis. Consecrationem verò corporis & sanguinis CHRISTI non alibi nisi in domo DEI audire vel videre poteritis. Ideò qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare vsquequò oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, cumpunctoque corde debet se in Ecclesia continere. Cùm enim maxima pars populi, imò quod peius est, penè omnes, recitatis lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus est Sacerdos: Sursum corda? Nunquid respondere possunt, quando deorsum in plateis & corpore simul & corde discedunt? Vel qualiter cum tremore simul & gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Benedictus qui venit in nomine Domini? Aut quando oratio Dominica dicetur, quis est qui humiliter & veraciter clamet: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Cum enim etiam illi, qui se in Ecclesia continent, si non dimiserint debita debitoribus, ad iudicium magis, quàm ad remedium orationem Dominicam proferunt ex ore, quam implere non probantur in opere, & fine causa dicunt, Libera nos à malo, quando ipsi non desinunt reddere malum pro malo. Si ergo etiam illi periclitantur, qui intus sunt, si implere noluerint, quod promittunt, quid de se cogitant illi, quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor seculi istius, ita detinet implicatos, vt eos vnius horæ momento stare in Ecclesia non permittant? Quibus non sufficit, quòd per totam hebdomadam aut pro necessitate, aut fortè (quod verius est) pro cupiditate iugiter occupantur: adhuc insuper post vnius aut duarum horarum spatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Ecclesiam conuenire, mittentes dorsa sacrificijs, vel sacerdotibus DEI ad amplexandam voluntatem seculi huius sine mora aliqua reuertuntur, non agnoscentes quid expetant, quid relinquant, sequuntur tenebras, & deserunt lucem: amplectuntur vmbram, & despiciunt veritatem: dimittunt dulcedinem CHRISTI, & requirunt amaritudinem mundi: diligentes vanitatem, & quærentes mendacium: Verè ignorat, quantum boni in celebrandis missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur: Cum tamen istos tales, si aut Rex, aut aliqua potens persona vocasset ad prandium, velim scire si præsumerent discedere, nisi prius totum prandium compleretur? Etiamsi persona non teneret, gula tenerentur. Quare de conuiuio hominis nisi prius expeditum fuerit, non discedimus? Nisi quia & ventrem fortè plus quàm expedit implere volumus, & hominem lædere formidamus. Quare de spirituali & diuino cõuiuio citò discedimus? Timeo dicere, ne fortè aliqui irascantur, sed tamen tam propter meum, quàm propter vestrum periculum, dicturus sum. Hoc ideò facimus, quia nec de cibo animę curamus, nec Dominum timemus, nec hominem reueremur. Et quia Deo propitio non sunt toti in hac parte culpabiles, sed multi inueniuntur, qui vsque quò benedictio super populum detur, de Ecclesia non discedunt, & humiliter orare non solũ pro se, sed & pro alijs non desistunt. Illis quibus tantam compunctionem DEVS dedit, vt in Ecclesia perseuerent, retribuet mercedem: eos verò, qui negligentes sunt, iusto iudicio damnabit. Et ideò, fratres monete eos, qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt, & non definite castigare, dicen-

*Hom. 29. Chrysost. tomo 3. ser. de Euchar.*

*Obambulones in templo grauiter reprehenduntur.*

*Ante benedictionem sacerdotis non discedendum è templo. Homil. 5.*

*Missa celebranda in Ecclesia & non alibi quomodo ea audiri debeat fructuosè.*



dicentes eis, & infinitissimè cõminantes, quia nihil eis prodest, quòd lectiones diuinas audiunt, si antequam diuina mysteria compleantur, abscedunt. Illis tamen qui in publicis necessitatibus occupantur, & eis qui aliqua infirmitate prohibente expectare non possunt, imputare non possumus, nec debemus. Ipsi tamen videant in cõscientia sua, vtrum eos necessitas retrahat, an voluntas. Vnde iterum atq; iterum rogo, pariter & contestor, vt omni die Dominica, & præcipuè in maioribus festiuitatibus, donec mysteria diuina compleantur, nullus ab Ecclesia abscedat, nisi fortè (de quibus suprà diximus) quos aut grauis infirmitas, aut publica necessitas, stare diutius non permittit. Verè dico fratres, satis durum & propè nimis impium est, vt Christiani non habeant reuerentiam diei Dominico, quam Iudęi obseruare videntur in Sabbato. Cùm enim ipsi infelices ita Sabbatum obseruent, vt in eo nihil terreni operis exercere præsumant, quanto magis illi, qui non argento, neq; auro, sed pretioso sanguine CHRISTI redempti sunt, debent attendere pretium suum, & resurrectionis die orationi vacare, & de salute animę suę attentius cogitare? Ad extremum, si toto die Dominico lectioni insistere, & Deo supplicare negligentes, non leuiter in Deum peccamus, quantum mali est, si vel vnius vel duarum horarum spatio, cùm diuina mysteria celebrantur in Ecclesia, standi patientiam non habeamus? Sed quod peius est, ita nos amor seculi huius inebriat, vt nos vmbra volaticę falsitatis, ad vana & falsa gaudia, quę veros dolores pariunt, hoc est, voluptas mundi atque cupiditas iugiter trahat. Vnde iterum atque iterum rogo, vt nullus ex vobis de Ecclesia discedat, nisi cùm diuina mysteria ad integrum fuerint celebrata. Et ita vos in Ecclesia continete, vt nullus ex vobis, otiosis aut terrenis se fabulis studeat occupare. Ego quod & mihi expedit dicere, & vobis audire, humiliter admoneo, pariter & contestor. Qui cotemnit Prędonem, sentiet Iudicem. Ille autem qui me libenter audierit, & quod supplicaui implere contenderit, credo in Dei misericordia, quòd illi & in hoc seculo, & in futuro repensabuntur prędmia glorioſa. Ille verò qui contemnere voluerit, nõ se poterit ante tribunal Christi excusare, dicendo, se nec à malis prohibitum, nec ad ea, quę sunt sancta, & Deo placita, admonitione assidua vocatum sed credimus, de DEI misericordia, quòd non de contemptu incursuri estis iudicium, sed magis pro benigna obedientia, peruenietis ad regnum. Prędstet qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ante mille & centum annos in Agatensi Concilio fuit sancitum, vt Missas die Dominico seculares audirẽt, & ante benedictionem sacerdotis egredi populus ne prędsumeret: Quod si fecissent, ab Episcopo publicè cõfunderentur. Quod ipsum etiam in Aurelianensi Concilio tertio paulò pòst fuit repetitum. Ac fuerunt illo tempore & auditores & factores legis plurimi: nunc auditores multos, factores raros admodum videre licet, quòd ad eum non confugitur, qui solus faciendi, quod audimus, vires suppeditat. Verùm de his satis.

*Concil. Agath. Canon. 47.*

*Concil. Aurelian. Canon. 28.*

## *De effectu Sacramenti Eucharistiæ.*

## CAPVT XLII.

CVM esu ligni vetiti primus parens noster prolapsus esset in mortem, quam vnà cũ peccato propagauit ad vniuersum genus humanum, seipsum Christus in nouissima cœna cibum fidelibus instituit, per quem in vitam resurgere, & illam amissam recuperare liceret: vt quemadmodum per vetitum cibum lethaliter sumus sauciati, ita per hunc nobis præceptum sanaremur: & vnde vulnus est ortum: inde medicina prodiret: vnde subrepsit mors, inde vita veniret. De illius cibi gustu dicitur: Quacunque die comederitis, morte moriemini: Contrà verò de hoc: Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Hoc ergo primum nobis præstat hoc sacramentum, vt viuamus. Vita porrò duplex est. Est enim vita gratiæ, quę nobis re ipsa confertur Eucharistiam sumentibus: est vita gloriæ, quam spe quidem consequimur manducantes corpus & sanguinem Domini, reipsa verò non prius adipiscemur, quàm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. De vita gratię dicit CHRISTVS: Qui manducat me, viuet propter me. De vita glorię: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Tanta est igitur huius cibi vis, vt si quis eum dignè manducauerit, non spirituali modò coniunctione, verumetiam naturali quadam & ea arctissima Christo copuletur, particeps effectus verè viuificatricis, quę verbi propria facta est, carnis, & pretiosi sanguinis CHRISTI. Quæ sumpta faciunt, vt CHRISTVS in nobis sit, & nos in CHRISTO, non animum tantùm reformante, sed carnem etiam nostram ad vitam, incorruptionem, & immortalitatem prępparante: sicut & ab Hilario, & à Cyrillo ante mille ducentos annos traditum legimus. Hęc ergo prior est vita, quam qui vita nostra est CHRISTVS, qui prędsens adest in hoc Sacramento, sub alia quidem forma, sed in propria tamen substantia, nobis confert, cùm corpus illius & sanguinem dignè sumpserimus, vt iam viuamus propter CHRISTVM, hoc est, vt mortui peccatis, viuamus deinceps iustitię, quę Christus est: vt cum Paulo dicere possit vnusquisq; nostrum, Mihi quidem viuere Christus est, mori autem lucrum. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Hanc vitam posteaquam consequuti fuerimus per Dei gratiam (illius enim donũ est) fieri nõ potest, quin qui viuit in nobis Christus, cuius spiritu agimur, posteaquam bonum certamen in hoc seculo certauerimus, cursum cõsummauerimus, fidem seruauerimus, concedat nobis coronę loco vitam glorię, vt quę ipsi tanquam ei, qui natura est filius Dei, regni cœlestis hęreditas debetur, eam nos ex huius vitę diuersorio migrãtes, per adoptionis gratiam consequamur. Atq; hic primus est effectus huius Sacramenti.

*Genes. 3. Ioan. 9.*

*Vita duplex per Eucharistiam.*

*1. Cortuh. 15.*

*Eucharistiæ sacramenti efficacia.*

*Hilar. lib. 8. de trinitate. Cyrill. lib. 10. in Ioan. cap. 13.*

*1. Pet. 2. Philippen. 1. Galat. 2. 2. Timoth. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Remissio peccatorum.*

Quoniam verò cùm illud sumimus, Christi passionis & mortis recordari iussi sumus, fit vt quem illa toti mundo fructum attulit, eius per sumptionem Eucharistię participes efficiamur. Fusus enim est de Christi latere in cruce pendentis sanguis in remissionem peccatorum nostrorum. Hanc nobis confert istud Sacramentum. Quamobrem enarrans illum locum Ioannes Chrysostomus, Et continuò exiuit sanguis & aqua. Sciunt, inquit, hoc initiati, per aquam enim regenerati, sanguine & carne nutriti: hinc mysteria ortum habuerunt, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Neq; tamen, quod de remissione peccatorum diximus, id ita accipi velimus quasi eundem effectum Eucharistię, quem baptismi & pœnitentię sacramento, tribuamus. Remittuntur quidem in eo peccata, sed venialia tantùm. Cùm enim in hoc Sacramento insignis illa Christi charitas ante oculos nostros subijciatur, qua adductus semetipsum redemptionem dedit pro nobis, fit vt vicissim erga illum charitate inflammemur, quę operit multitudinem peccatorum. Charitas autem cum peccato mortali consistere non potest. Quamobrem prius id expiatum oportet per pœnitentiæ Sacramentum, quàm ad mensam hanc terribilem accedatur: ad quam si quis venerit criminis alicuius capitalis reus, non vitam, sed mortem habebit æternam: reus erit, vt dicit Apostolus, corporis & sanguinis Domini. Quare monet ille, vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

*Eucharistiam dignè sumenti, venialia peccata remittuntur.*

*1. Petri 4.*

*1. Corinth. 11.*

Ex his Pauli verbis non obscurè colligi potest, quòd non omnes, qui Sacramentum accipiunt, rem accipiunt Sacramenti, posterius enim hoc non accipiunt nisi pij: cùm illud prius commune sit pijs cum impijs. Sacramentum autem vocat Giselbertus exterius elementum, rem verò Sacramenti interiorem gratiam, quę visibiliter percipitur & inuisibiliter operatur. Et eum secutus Petrus Lumbardus, prolatis Augustini verbis: Bonus accipit Sacramentum & rem Sacramenti: malus vero Sacramentum & non rem. Sacramentum appellari dicit corpus Domini. Bonus ergo accipit Sacramentum, id est, carnem Christi propriam, & sanguinem, & rem, id est, vnitatem Ecclesię: non enim efficitur membrum corporis Christi, quam Augustinus vocat rem siue virtutem sacramenti, non consequitur effectum siue fructum Sacramenti, quamuis verum & proprium Christi corpus manducet. Quod ab indignis quoq; manducari, docemur his Pauli verbis, & sic habet Ecclesię traditio. Itaq; verè dixit ille: Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inequali, vitę vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus. Ipsum quidem Sacramentum nihil est aliud, quàm vita, quam etiam ob causam à Punicis Eucharistiam vitam appellari solere scribit Augustinus. Sed præclarè dictum est ab eodem. Mutet vitam si quis vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanatur, magis occiditur, quàm viuificatur. Constat in nouissima cœna, Christum discubuisse cum duodecim, inter quos & Iudas fuit ille proditor, qui factus est & ipse particeps corporis & sanguinis Domini, sicut apertè docent Chrisostomus, Augustinus, Theodoretus, Leo Pontifex, Hieronymus, Dionysius, Beda, & alij nonnulli: Sed quoniam non mutauit vitam, ad iudicium accepit vitam, & magis occisus est ex illa, quàm viuificatus. Sicut Iudas, inquit Augustinus, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit. Sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ille malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit, corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus sunt etiam illis, de quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, &c. Et alio loco: De ipso pane, & de ipsa dominica manu & Iudas partem, & Petrus accepit, & tamen quę societas, quę consonantia, quę pars Petro cum Iuda? Et iterum alio loco: Ex vna re sancta, Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem. Et aliquantò antè Cyprianus Christum alloquens: Ad mensę tuę participationem, inquit, Iudas est admissus. Qui verò præcesserit vtrumq; Origenes: offulam ab IESV datam Iudę dicit eiusdem generis fuisse cum ea, quam IESVS cęteris dedit Apostolis, dum diceret. Accipite & commedite. Sed illis quidem ad salutem, Iudę verò ad condemnationem ita vt post offulam ingrederetur in eum sathanas. Quos secutus Anselmus in libro, quem inscripsit de corpore & sanguine Domini. Sicut Sol vno radij sui calore, hinc ceram soluit, inde lutum stringit, & non diuersus in se, diuersa operatur in rebus, vtens earum materijs, sicut eas inuenit: sic Christi gratia, quantum in ipsa est, vno modo se in omnes effundit, sed diuersos inuenies animos, diuersè in eis operatur: hunc in amorem sui miseriorditer emoliens, illum iustè non miserendo indurans. Nam cui vult, miseretur, & quem vult, indurat. Talis fuit Iudas in conuiuio Saluatoris, cui fuit venenum buccella dominica, quam de manu eius susceperat. Quam cùm susceperit, inimicus in eum intrauit. Non quia malum, sed quia bonum malus malè accepit. De vno enim pane, & Iudas accepit & Petrus: sed tamen quę pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem Quæ postrema verba mutuatus est Anselmus ab Augustino, cuius diligęs admodum sectator fuisse videtur. Et qui fuit propemodum Anselmi æqualis Bernardus, adducęs illa Christi verba: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De bonis, inquit, & dignè sumentibus hoc sentiendum est, non de flagitiosis & pessimis. Sanè in mensa vna in cœna Domini, de vno pane consecrato, Petrus & Iudas accepit, bonus in vitam, pessimus in pœnam. Bonus in beneficium, pessimus in testimonium. Bonus in salutem, pessimus in mortem. Quod totum vsq; adhuc in Ecclesia completur in sacramento altaris: bonis quidem in bonum sumentibus, canibus verò, & immundis, non sic. Canes sunt qui irreuerenter accedunt, & ideò iudicati abscedunt. Qui enim secundum carnem viuunt, & post carnalia euagantur, catena vitiorum compediti, cum Iuda proditore venenum

*Sacramentum & sacramẽti res quid.*

*In altercatione Synagogæ & ecclesiæ cap. 1.*

*In cap. 11. primæ ad Corinth.*

*August. tract. 25. in Ioannem.*

*Cœnam domini Petrus & Iudas à domino acceperunt.*

*August. serm. 1. de Temp.*

*Chrys. Hom 28. in Matth.*

*August. de peccatorum meritis & remissione li. 1. c. 24.*

*Et in homil. 29. quod nemo læditur, nisi à seipso.*

*Et ea, quæ proximè sequitur in dictum Apostol oportet hæreses esse.*

*Leo serm. 3. de passione Domini.*

*Hier. lib. 2. contra Iouinianum.*

*Dyo. eccl. Hier. cap. 3.*

*Beda in cap. 11. 1. ad Corinth,*

*Aug. de Baptismo contra Donatist. lib. 1. cap. 8.*

*August. ep. 162. & sequęti in Psal. 10.*

*Aug. in tract. 26. in Ioan. sermon. de ablutione pedum.*

*Et sermon. 11. de verbis Domini.*

*Contra Fulgent. ca. 6. de adulterinis cõiugijs lib. 1. cap. 26.*

*Contra Donatist. post colat. cap. 8.*

*Orig. Tom. 32. in Ioan.*

*Ansel. cap. 9. de Sacramento corporis Christi.*

*Bern. in 2. serm. de cœna Domini.*

*Ioan. 6.*



num accipiunt, spiritualis suspendij laqueum incurrunt, grauissimè damnandi: tum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu, quod re vera accipiunt, sed essentia, non salubri efficacia. Et paucis interiectis. Tria in Sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Vsque ad speciem panis, sensus pertingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, ad virtutem gratiæ spiritualis, charitas superior. Speciem panis, rodit aliquando sorex paruissimus, veritatem carnis, Christianus etiam recipit pessimus, virtutem gratiæ spiritualis, non nisi prædestinatus accipit. Quod itaq; videmus, species est panis & vini. Quod autem sub specie illa credimus, verum corpus est, & verus Christi sanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Comestio itaq; Sacramentalis, quantum ad visibilem speciem, & quantum ad corporis Christi veritatem, conuenit bonis & malis communiter. Sed est alia comestio, sicut iam diximus, bonorum solummodo, quam per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem, vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium intercedente spirituali & subtiliori quadam vnione, capitis & membrorum. Vnde est illud: Vt nobis fiat corpus & sanguis filij tui. Nobis, inquit, fiat. Fit enim proculdubiò corpus Domini in mensa altaris semper, cùm solemne illud celebratur misterium, ritu debito: Sed non semper eis fit per quos fit. Vnde illud item in Canone. Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Non enim omnes qui corpus Domini sumunt, ex participatione altaris spiritualiter illa benedictione cœlesti & gratia replentur. Vnde est illud: Vt quod temporaliter gerimus, inuisibili consequamur effectu.

*Panis speciem rodimus, sed non Christi carnem.*

*Christo capiti membra eucharistiæ sumptione vniuntur.*

Ex his quoq; Bernardi verbis perspicuum fit, quod multi sumunt sacramentum corporis & sanguinis Christi: rem verò Sacramenti siue fructus eius & effectus non ita multi. Inter quos effectus, est & hic non postremus, quòd sumentes verum & viuum Christi corpus, efficimur & ipsi corpus Christi mysticum, de quo dicit Paulus: Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Ac significantius alio loco: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Huius rei quædam indicia sunt species illæ, sub quibus latet hoc sacramentum, sicut & ab Augustino, & ante eum à Cypriano scriptum legimus. Nam Dominus noster corpus & sanguinem suum in ijs rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Nam panis ex multis granis in vnum constat, & vinum ex multis racemis in vnum confluit, vt vel ex hoc, quid significet hoc Sacramentum, admoneri possimus. Significat enim, quod & nos ad eundem modum cùm simus multi, vnum tamen corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Similiter Eusebius Emissenus. Etiam in hoc ipso, inquit, quod numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatem constat assignari populorum. Sicut enim frumentum, quod solita purgãtis solicitudine præparatũ in candidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis substantiam congregatur: sic variæ gentes, diuersæq; nationes in vnam fidem conuenientes, vnum de se Christi corpus efficiunt: & Christianus populus quasi tritici innumerabilia grana, à sacrilegis nationibus fide purgante atq; cribrante discernitur: & in vnum quasi inmentum gemino molarum opere curatum, nitescit: & in illam primæ originis dignitatem fidelium lolio pertranseunte colligitur: & duorum testamentorum instructione, velut fru natiuo candore mutatur: ac per aquam baptismi, vel per ignem Spiritus Sancti æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriam redire substantiam vino mixta iam non potest: sic & fideles quiq; atq; sapientes, qui redemptos se Christi sanguine & passione cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo fidei conseruatione, & ardentissima religione sociari: vt ab eo non voluntate, non necessitate seiungi, non vlla terrenæ spei ambitione, non deniq; ipsa possint morte auelli. Nec dubitet quisquam, primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis, in dominici corporis transire posse naturam, cùm ipsum hominem videat, artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Ex quibus verbis colligitur, quòd sacramentum hoc non significat magis, quàm efficit hanc vnitatem. Hæc est enim huius sacramenti virtus & efficacia, si dignè sumptum à nobis fuerit, vt vnum cum capite nostro Christo, vnum etiam ipsi inter nos efficiamur. Quòd enim ex hoc mundo migraturus patrem suum cœlestem precatus est Christus, vt quos dederat sibi, eos seruaret, vt omnes vnum essent, sicut pater in ipso, & ipse in patre, vt & ipsi in vtroq; vnum essent, hoc perficitur in hoc sacramento: Vnum enim efficimur cum Deo patre, cui voluntate adhærenim dedit Deus caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Vnum etiam ipsi inter nos, cùm simus membra multa, quæ corpus vnum efficiunt, cuius caput est CHRISTVS.

*Corpus Christi efficimur.*

*1. Cor. 11.*

*1. Cor. 10.*

*Aug. Tract. 6. in Ioan.*

*Cyp. li. c. epist. 6.*

*Rom. 12.*

*Hom. 5. de Paschate.*

*Panis mistici interpretatio.*

*Ioan. 17.*

*Eph. 1.*

Ad hoc autem Christi corpus non ij modò pertinent, qui sunt in hac vita superstites, verùm & pij omnes, qui cœlestibus iam gaudijs perfruuntur, & ij simul, qui fœlicitatem quidem eandem expectant, sed quoniam purgationis indigent, abditis adhuc receptaculis cõtinentur, ex quibus nisi purgatis illis egredi, regniq; cœlestis, quo nihil coinquinatum introibit, potiri non licet. Quæ causa est, quòd cum tremendum illud corporis & sanguinis Christi sacrificium peragitur, quòd facilius obtineri possit, quòd illius immolationis merito, quę in cruce facta est, cõcedi nobis petimus: corpus hoc vniuersum simul quasi cõgregatur. Adest enim in eo caput huius corporis Christus, vnum cum illo manens, cui offertur, vnum ipse faciens eos, pro quibus offertur, vnus ipse, qui offert & quod offertur: ipse &

*Ad Christi corpus pertinent etiam defuncti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ioan.11. Sacerdos & sacrificium, cuius passio & mors in altari repræsentatur, quam ille propterea dignatus est oppetere, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Est itaq; inter alios fructus, quos nobis attulit Christi mors, etiam hic, quòd per illam congregamur in vnum. Quamobrem congregantur in hoc sacrificio non modò qui corporibus præsentes adsunt, & hac vita mortali fruuntur, verùm & ij, qui iam in cœlis cum Christo triumphant, & qui purgatione adhuc opus habent, superstitum precibus adiuuantur, quò celerius ad illorum societatem peruenire possint.

*Mortuorum memoria in sacrificio.*

Terribilis est hæc quasi castrorum acies ordinata, Satanæ. Videt enim præsentem in altari Christum cum omnibus corporis sui membris, cuius ipse caput est. Quare cum aperto Marte nihil sibi proficí posse intelligat, quibuscunq; potest artibus & insidijs, vt solui possit hæc acies contendit & elaborat. Ac primùm quidem caput ipsum petit: quod quamuis adesse in altari non ignoret, aliud tamen persuadere membris suis conatur, vt aut esse omnino neget, aut non alio tempore, quàm quò manducatur, esse concedat: oblationis etiam nomen ipsum ferre non potest. Deinde verò nec membris parcit, quæ & ipsa grauiter oppugnat. Diximus hoc antea quoq;, quod nihil obstat æquè conatibus eius, atq; vnitas. Quare sicut Christus omnia fecit, ac mortem etiam acerbam & ignominiosam oppetijt, vt congregaret dispersos: sic iste contrà nihil non facit, vt congregatos dispergat. Vult ab isto corpore, quod in terris adhuc militat, diuisos & segregatos eos, qui cùm & ipsi membra sint eiusdem corporis, deuictis hostibus nostris sempiternis, carne, mundo, & diabolo, iam cũ Christo triumphant in cœlis. Vult & eorum memoriam prorsus abolitam, qui quamuis in fide & confessione Christi nominis obdormiuerint, non ita tamen in hoc seculo vixerunt, vt statim ex eo migrantes, ad sedes beatorum recipi mererentur. Atqui non heri, quod aiunt, & nudiustertius, sed iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, vt & sanctorum Martyrum, & aliorum in Christo defunctorum in sacrificio missæ fieret memoria, per manus nobis traditum accepimus. Meminit huius consuetudinis Augustinus his verbis: Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vt non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur: Iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: Et rursus alio loco: Ideò quippè ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus: sed magis vt ipsi orent pro nobis, vt eorum vestigijs adhæreamus, quia impleuerunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit non posse esse maiorem. Et clarius etiam contra Faustum scribens: Populus, inquit, Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorũ consocietur, atq; orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorũ corporũ asistens altari, aliquãdo dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, q Martyres coronauit apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur sancti Deo homines, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò deuotius, quantò securius post incerta omnia superata: quantò etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam diuinitati propriè debita seruitus, nec columus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Neque dissimilia scribit in libris de ciuitate Dei. Atque his verbis abundè declarat, quod sit discrimen inter cultum, qui sanctis tribuitur, & eum qui Deo soli debetur. Illos enim vt pro nobis intercedant orare possumus & debemus, sacrificium autem præterquam soli Deo offerre fas non est. Quod propterea tantopere cupit abrogatum Satanas, vt ne sit aliquod discrimen inter Deum & homines, quo sine Deo nos esse faciat. Neque verò solus Augustinus, verùm & ante eum Cyprianus commemorationis huius sanctorum, quæ fit ad altare per Sacerdotem, mentionem facit, vt longè vetustissimum morem hunc fuisse facilè cuiuis conijcere liceat. Quemadmodum & illum quo cæterorum quoque, qui in Christo defuncti sunt, fit memoria, de quo & ipse his verbis meminit Augustinus: Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnũ Christi: alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi. Et alio loco, cùm protulisset illud ex Machabæorum libris, de oblato pro mortuis sacrificio: Sed etsi, inquit, nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Chrysostomus verò Apostolicum hoc esse institutum asserit, dicens: Non frustrà ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem vniuerso populo, manus in cœlos extendente, cœtu item sacerdotali, verendoq; posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Eadem repetit in Homil. ad populum Antiochenum scriptis. Sed & ante illum idem prodidit Areopagita, qui & ipse commemorationem defunctorum in Missæ sacrificio, Apostolicam vult esse traditionem. Quod vel inde certius cognosci

*Aug. Hom. 17. de verbis Apost. Sanctorum inuocatio.*

*Tract. 84. in Ioan. Vide eundem de sancta virginitate cap. 45.*

*Ioan. 15.*

*Lib. 20. c. 21.*

*Latria vno verbo propriè reddi non potest.*

*Deo soli & nõ ipsis sanctis sacrificium & altaria fiunt.*

*Lib. 8. c. 27. & li. 22. c. 10 & Ho. 71 de verbis Apost. & tract. 84. in Ioan.*

*Cultus duplex, alter Dei, alter vero creaturæ.*

*Cypr. li. 3. epi. 6. & lib. 4. epist. 5.*

*Aug. lib. 20. de ciuitate Dei c. 9.*

*In libr. de cura pro mortuis geren. c. 5.*

*1. Mach. 12.*

*Chry. in epist. ad Philippen. hom. 3.*

*Defunctorum memoria & sepultura in Cœmeterijs cum cantu.*

*Homil. 69. & in 1. ad Cor. cap. 15.*

*Hom. 41.*

*In epist. ad Heb. Hom. 32.*

*In act. Apo. hom. 21*

*Dion. eccl. hier. c. 7*

poteſt



poteſt, quòd à Peri quoq; ſucceſſore Clemente ſcriptum legimus in hæc verba: Conuenite, inquit, in cœmiteria, ſacros libros in his legentes & pſallentes pro his qui dormierunt, Martyribus atque animabus ſanctis, qui à ſeculo fuerunt, proq; fratribus noſtris, qui in Domino obierunt, & antytipon regalis corporis Chriſti, acceptabilemq; Euchariſtiam offerte in Eccleſijs & cœmiterijs veſtris, atque in exitu mortuorum pſallentes eos deducite, ſi fideles fuerint in Domino. Ioannes verò Damaſcenus his poſterior, librum etiam ſcripſit de ijs, qui in fide hinc migrarunt, quòd ſacris operationibus & viuorum orationibus multum iuuentur, quem Ioannes Oecolampadius cum adhuc eſſet catholicus, in Latinam linguam tranſtulit. In eo, illud ipſum quod Chryſoſtomus, atteſtatur his verbis: Diui autem Apoſtoli diſcipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum viuum cepere prædicando verbum, quod ſuis oculis viderant, in tremendis, vitalibusq; Sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Idem ante Ioannem Damaſcenum teſtatur Iſidorus, dicens: Sacrificium pro defunctorum requie offerri, quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Aſſerit idem Hugo Eterianus in Libro quem ſcripſit de regreſſu animarum. Extat Miſſa D. Iacobi cum præfatione Procli Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qua teſtatur eam ipſius eſſe. Quod ipſum Patres etiam 227. in Trullo Regij Palatij Conſtantinopoli ſub Imperatore Iuſtiniano congregati, teſtantur, tum & Nicolaus Metonenſis Epiſcopus, & Beſſario Cardinalis. Extat & Æthiopum Miſſa. In vtraque ſit & S. Mariæ Virginis, & aliorum multorum ſanctorum commemoratio. In poſteriore verò formulam hanc videre licet Latinis inuſitatam. Per Stephanum protomartyrem, Zachariam Sacerdotem, Ioannem Baptiſtam, & per omnes ſanctos Martyres, & cæt. Item per preces & interceſsionem quam pro nobis facit Domina noſtra ſancta & immaculata virgo Maria, & per preces maiorum Angelorum, &c. Fit etiam dormientium & quieſcentium in fide Chriſti memoria. Extat Miſſa Baſilij, extat & Chryſoſtomi, extat vtriuſque in libro ſacerdotali Græco explicatio. Similiter in vtraq; ſanctiſſimæ & intemeratæ, ſuper omnes benedictæ dominatricis noſtræ Dei genetricis & ſemper virginis Mariæ, ſancti Ioanis præcurſoris & Baptiſtæ, ſancti etiam, cuius dies celebratur, & omnium ſanctorum ſimul & dormientium in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ fit memoria. Legimus autem & Liturgiam quandam D. Clementis, in qua itidem precationes fiunt, & pro viuis, & pro mortuis. Vtitur autem his verbis: Offerimus tibi pro omnibus, qui à ſeculo placuerunt tibi, ſanctis Patriarchis, Prophetis, iuſtis, Apoſtolis, Martyribus, &c. Et paulò pòſt pro Regibus, & his qui in ſublimitate ſunt conſtituti, oremus vt in pace per ipſos viuamus, vt quietam & tranquillam colamus, vtque participes fiamus certaminum, quæ ipſi pertulerunt, digni efficiamur. Pro his qui in fide quieuerunt oremus. Quod verò dicit Clemens: Offerimus pro ſanctis Patriarchis, &c. non ſic accipiendũ eſt, quaſi precibus & oblationibus noſtris ipſi indigeant, ſed magis offerimus in commemorationem eorum. Certum eſt, quòd ſancti Martyres ſimul admodum ijs ipſis verbis ſcribit etiam Cyprianus: Et tamen idem de Martyribus loquens: Sacrificia, inquit, pro eis ſemper offerimus. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi ipſi indigeant, ſed magis, vt gratias agamus Deo de victoria illorum, & vt ipſi intercedant pro nobis. Quod etiam indicat Cyrillus Hieroſolymitanus cùm ita loquitur. Hoc ſacrificium tibi offerimus, vt memores ſimus etiam eorum qui obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus & interceſsionibus eorum, ſuſcipiat noſtram deprecationem. Deinde etiam pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis, denique pro omnibus, qui nos præceſſerunt, magnam vtilitatem credentes acceſſuram eorum animabus, pro quibus offertur deprecatio, præſente ſancto & tremendo ſacrificio. Et volo vobis id exemplo demonſtrare. Scio enim multos hoc dicere, quid inde capit emolumenti anima, ſi poſtquam in peccatis migrauerit ex hoc ſeculo, in precibus quæ funduntur ad altare, earum fiat memoria. Agè igitur, ſi Rex quiſpiam, eos, à quibus offenſus eſt, mittat in exilium, deinde qui ſunt illi neceſsitudine coniuncti, corona contexta pro his, qui ſunt ea pœna mulctati, eam ipſi offerant, an illis non remittat aliquid de pœna conſtituta? ad eum modum & nos pro his, qui obdormierunt, Deo preces offerentes, etiam ſi peccatores ſint, non coronam conteximus, ſed Chriſtum immolatum pro noſtris peccatis offerimus, deprecantes pro ipſis, & pro nobis benignum Dominum. His verbis Cyrillus, quorum poſtremam partem à Dionyſio Areopagita mutuatus videtur, non obſcurè ſignificat, in memoriam martyrum offerri ſacrificia: non quòd nos oremus pro ipſis, ſed vt ipſorum potius precibus & meritis iuuemur. Ad eundem modum & Epiphanius quoque docet, quod in ſacris myſterijs, & pro peccatoribus memoriam facimus, vt miſericordiam conſequantur. Et pro iuſtis Patribus, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Euangeliſtas, Martyribus, & cæt. Cur autem ea fiat, rationem reddit Nicolaus Cabaſilas in eo libro, quem de diuino altaris ſacrificio inſcripſit: Vbi ſimul & illud oſtendit, plus ad ſanctificationem prodeſſe ſacrificium hoc animabus, quæ ſunt ſolutæ corporibus, quàm ijs, quæ viuunt in corporibus: quòd expurgantur, & peccatorum remiſsionem accipiunt per orationes Sacerdotis & donorum interceſsionem, nihil minùs quàm eorum, qui viuunt. In eo autem ſunt meliore conditione, quòd non peccant amplius, nec noua veteribus crimina adijciunt, ſicut faciunt vt plurimum viuentium animæ. Hactenus de Sacramenti huius effectu.

*Quem-*

*Iu Matt. 32. Ho. 1.*

*Eccl. Hier. c. 7.*

*Lib. 6. c. 30. const. Apost.*

*Isidor. lib. de. offic. cap. 18.*

*Cap. 14.*

*Lib. 8. c. 18. Constit.*

*Pro defunctorum animabus Missæ celebrantur.*

*Pro martyribus & alijs sanctis quomodo celebretur.*

*Ad pref. & lib. 4. Epist. 1. tracta.*

*Lib. 4. epi. 5. li. 5. epist. 12.*

*Catech. vlt. mystagogica.*

*Pro animabus in peccatis hinc discedentibus cur celebretur.*

*Epiphan. hæref. 71. Cap. 33. 44. 47. & seq.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quemadmodum affectos ad hoc Sacramentum accedere oporteat.*

## CAP. XLIII.

*1.Cor.11. Eucharistiam sumpturus quomodo se probet.*

VAliter autem affectum esse oporteat, qui dignè manducare corpus, & bibere vult Christi sanguinem, indicat Paulus cùm dicit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Quòd si in veteri lege, vbi figura tantùm fuit, non permittebatur accedere ad altare, qui maculam haberet, quantò minus illud licere debet in hoc Sacramento, in quo verum corpus, & verus est Christi sanguis? Quamobrem suam quisq; conscientiam diligenter examinet, priusquam ad hanc mensam accedat, ne quod bonum est, malè malus accipiat. Hoc est quod fideles admonet Augustinus: Videte, inquit, fratres, panem cœlestem spiritualiter manducare, innocentiam ad altare apportare, peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis attendite quod dicitis. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi, securus accede, panis est, non venenum: sed vide si dimittis: Nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes: Deum fallere non potes. Nouit ille quid agas, intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat, aut coronat. Et alio loco, indignè dicit eum accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam. In summa quisquis ad salutem vult accipere corpus & sanguinem Christi, hoc imprimis eum contendere & elaborare oportet, vt sit membrum Christi, hoc est, vt per fidem & charitatem Christo adhæreat. Nescitis, dicit Paulus, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.

*Tract.26. in Ioan.*

*Epist.118.c.3.*

*1.Cor.6.*

Ex hoc Pauli loco discimus, eius quemq; membrum esse, cui adhæret. Qui adhæret Christo, membrum est Christi: qui adhæret meretrici, membrum est meretricis: qui adhæret Satanæ, membrum est Satanæ. Quamobrem nisi quis hoc egerit, vt sit membrum Christi, nihil est quod communicet corpori & sanguini Christi. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? Non est autem Christi membrum, qui plus diligit creaturam, & ei magis adhæret, quàm creatori redemptorique suo Christo. Non est membrum Christi, qui fratrem ad Christi corpus pertinentem odio habet. Non est membrum Christi, qui segregat semetipsum à corpore Christi. Deniq; quicunq; criminis alicuius capitalis reus est, non est membrum Christi. Quamobrem si quis eius rei sibi conscius est, non prius ad sumendum viuum & verum Christi corpus accedat, quàm corporis eius mystici membrum factus fuerit, atq; vnde auulsus est peccatis suis, Christi corpori se rursus inseri curauerit. Quod ita demum futurum est, si & cũ Deo, & cum proximo, qui eiusdem corporis membrum est, reconciliari studuerit, & offensam ipse remittens, & remitti sibi vicissim postulans. Nam cum omni immunditia atq; omni crimine vacare oporteat ad mensam hanc accessurum, nihil tamen æquè illi aduersatur, atq; diuisio, atq; voluntatis alienatio, atq; ira, odium, æmulatio. Rectè enim vocatur hoc ab Augustino sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis. Rectè idem admonet, quòd qui accipit mysterium vnitatis, & non seruat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Annunciatur in hoc sacramento Christi mors, dicit Paulus. Porrò Christus mortuus est, vt morte sua nos Deo patri suo cœlesti reconciliaret, vt reconciliatos vnum cum illo, vnum secum, vnum nosipsos inter nos faceret. Quisquis igitur hanc vnitatem rumpit, & vel à Christo se lethaliter peccando separauit, vel ab eius corpore, quæ est Ecclesia, suo plus quàm illius iudicio tribuendo, segregauit, vel à quocunq; eiusdem corporis membro per odium & malevolentiam se diuisit, quid aliud quàm rursus crucifigit sibimetipsi filium Dei, & ostentui habet? dum eadem illa designat, propter quæ Christus crucifigi & mori dignatus est: quem peccata nostra de cœlo detraxerunt, ac tam acerbis illius cruciatibus causam dederunt. Atq; ita fit, vt non ad vitam, sed ad mortem sumat vitam. Reus enim efficitur corporis & sanguinis Domini. Quapropter quisquis vel Deum, vel proximum se offendisse sibi conscius est, non prius ad hanc mensam accedat, quàm reconciliatus fuerit: ne illud ei eueniat, quod à Propheta dictum est: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Qua de causa monet Athanasius, vt omnes qui pacem amant, inter se concilientur, ac deinde vbi conciliati fuerint, Synaxis celebretur. Narrat idem fuisse morem tunc obseruatum, vt in orationibus peruigilarent, & in vigilijs pernoctarent, Synaxim celebraturi. Et quam Latini confessionem, Græci vocant, ἐξομολόγησιν, eam præcedere communionem debere docuit antè 1200. Annos Patianus. Et eo vetustior Cyprianus. Quoniam verò reconciliatio eiusmodi fit per pœnitentiæ sacramentum, de eo nobis dicendum deinceps restat.

*1.Cor.11. Eucharistiam qui indignè accipiunt infirmi fiunt & dormiunt, multi.*

*Heb.6.*

*1.Cor.11.*

*Psal.68.*

*Athana. in epist. ad Antiochenos.*

*In Apologia ad Constantium, & in ea quæ sequitur de fuga sua.*

*In Paræneſi ad pœnitentiam.*

*Lib.3.epi.14.& aliquot sequentibus. Et in tractatu de lapsis.*

*De Sacramento Pœnitentiæ.*

## CAP. XLIIII.

*Eph.6.*

PEr lauacrum regenerationis nouam quãdam vitam ingredimur. Nam in eo vetus homo noster crucifigitur, neq; viuit iam in nobis, nisi is qui propter nos & propter nostram salutem homo fieri dignatus est, Deus & Dominus noster Iesus Christus, quem baptizati induimus. Ingredimur aũt in hanc vitam, non vt ocio vacemus & delicijs, sed vt contra mundum, carnem, & diabolum in acie semper stemus. Ad quos hostes nostros superandos, datur nobis in sacramẽto con-



confirmationis adiutor sanctus spiritus, cuius virtute facilius impetum eorum propulsare possimus. Datur etiam ad sustentandos nos in Eucharistia, nõ quiuis cibus, sed pretiosi corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Fit nihilominus, quod in prælijs vsu venire solet, vt sæpè grauiter ab hostibus nostris sauciati corruamus, & quam per lauacrum regenerationis adepti vitam fueramus, eam morte commutemus. Sed ne sic quidem oblitus est misericordiæ suæ pater ille misericordiarum, & Deus totius consolationis. Ipse enim est, qui alleuat omnes qui corruũt, & erigit omnes elisos: Cuius tanta est benignitas & clementia, omnem vt humanam affectionem longo interuallo superet. Magna est matris erga puerum suum infantem benignitas, sed hanc superat patris nostri cœlestis bonitas. Quod hæc ipsius per Prophetam loquentis verba testantur: Nunquid obliuisci, inquit, poterit mulier infantem suum, vt non reminiscatur filij vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen, inquit, non obliuiscar tui. Non vult ille benignus & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, quenquam de venia lapsum desperare, sed huic quoque rei remedium instituit, pœnitentiæ sacramentum, per quod lapso resurgere liceret. Quamobrem sicut baptismus intrantium, confirmatio pugnantium, Eucharistia vires resumentium: sic hoc resurgentium sacramentum esse dicitur, cuius virtute fit, vt cùm corruerimus, eleuemur, vt si in ista colluctatione, quæ nobis est aduersus principatus & potestates tenebrarũ harum, nos prosterni contigerit, non propterea statim animum abijcere, verùm ad hoc pœnitentiæ remedium confugere nos oporteat, per quod erigi prostrati, ac vires ad pugnandum recuperare possimus: Vt rectè dictum sit à Philone, Pœnitentiam secundo post integri tatem gradu consistere, sicut post sanitatem corporis, reualescentiam. Nam qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, non vult mortem impij, sed magis vt conuertatur, & viuat. Sic enim per Prophetam loquitur: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Ac paulò pòst: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem moriẽtis dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite. Adeò ipse nos inuitat pius & misericors pater, vt reuertamur potius & viuamus, quàm vt in peccata prolapsi, de illius benignitate desperemus. Promptior est admiserendum, quàm nos ad misericordiam ab eo petendam. Iucundius enim dat Deus, ait Gregorius Nazianzenus, quàm alij acceptant: vt rectè dictum sit ab Anselmo, cùm Deum alloquitur: Ex naturali bonitate tua in infinitum promptior es ad exaudiendum quantum in te est, quàm nos auidi ad rogandum. Simul vt dereliquerit impius viam suam, ac vir iniquus cogitationes suas, ac ad Dominum conuersus fuerit, obnijs, quod aiunt, manibus eum ad se reuertentem excipit. Estq; maius gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis,

*2.Cor.1.*

*Psal.144.*

*Esa.39.*

*Ioel.2.*

*Sacramentorum in ordine vires.*

*Eph.6.*

*Pilo.li. de Abraha. mo.*

*Matth.9.*

*Ezech.18.*

*In oratione in sanctum lauacrum.*

*In lib. de mensura tione crucis.*

*Esai.55.*

*De materia & forma huius Sacramenti.*

## CAP. XLV.

*Pœnitent. à Christo instituta.*

NEque verò dubitandum est, quin hoc ipsum Pœnitentiæ sacramentum ab ipso Christo fuerit institutum: cuius hæc clarissima verba sunt ad Petrum: Dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis: Tum & ad reliquos Apostolos: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Ac post resurrectionem ad eosdem: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis & materiam & formam huius sacramenti satis expressisse videtur. Est autem duplex materia, propinqua & remota. Sicut statuæ propinqua materia est metallum, remota verò aqua: sic & in hoc sacramento, remota materia sunt peccata, non quatenus amplectenda, sed quatenus detestanda, ac quàm longissimè propulsanda sint, quorum sit à Christo mentio. Vt enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumũtur, ita peccata quæ pœnitentia delentur, rectè huius sacramenti materia vocantur. Proxima autem materia, sunt actus ipsius pœnitentis. Cùm enim aliquis iusto dolore concepto de peccatis admissis firmo etiam proposito non modò cauẽdi deinceps, verumetiam satisfaciendi pro illis, ea sacerdoti confessus fuerit, hæc ipsa confessio ad hunc modum facta, signum est visibile sacræ rei, hoc est, inuisibilis gratiæ, qua sic confesso peccata remittuntur: & quidem efficax signum. Nam simul vt ad confessionem huiusmodi verbum accesserit à sacerdote prolatum, ego te absoluo, statim peccata omnia contrito & confesso remittuntur.

*Matt.16.*

*Matt.18.*

*Ioan.20.*

*Pœnitentiæ materia duplex.*

Est autem in huius & aliorum sacramentorum materia, nonnullum discrimen. Nam in alijs substantiæ quædam exteriores materiæ locum obtinent, sicut in baptismo aqua, in confirmatione chrisma, in Eucharistia panis & vinum, in extrema vnctione, & in ordine, vnguentum olei: in hoc ipsa hominis actio materiæ loco est, quodq; fieri videmus in medicinis, quibus corpus curatur, idem etiam vsu venit in sacramentis, quæ medicinæ quædam sunt animarum. Sicut enim quædam sunt medicinæ, quæ in sola illius, qui curatur passione consistunt, cuius generis est sectio vulneris: quædam verò in actione, cuiusmodi est exercitatio corporis: Sic in sacramentis cernere licet alia, quæ consistunt in eius passione, qui sanctificatur & non actione nisi per accidens, vt illa quinq; quorum antè meminimus: alia verò in actu eius qui sanctificatur, cuiusmodi sunt hoc pœnitentiæ, matrimonijque sacramen-

*Pœnitentiæ & aliorum sacramentorũ materiæ diuersitas.*

*Sacramenta quinq; in passione & duo in actione consistũt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mentum Quamobrem actus isti, materiæ locum obtinent, qui sunt tres, contritio, confessio, satisfactio: formæ autem absolutio. Neq; verò propterea à reijci debet ea forma absolutionis, qua vtitur Ecclesia, quòd ea à Christo institutа aut præcepta esse non legitur: Nam eadem ratione baptismi quoque formam reijciendam esse dixerimus. Neq; enim alia auctoritate dicit sacerdos: Ego te absoluo, quàm qua dicit: Ego te baptizo. Sicut baptizandi formã ex Christi verbis mutuatur, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. sic & absoluendi formam ex eiusdem Christi verbis mutuatur, dicentis ad Petrum: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Et ad Apostolos omnes : Quorum remiseritis peccatã.

*Pœnitentiæ actus tres, materia, absolutio, pœnitentiæ forma.*
*Mat. vlt.*
*Matt. 16.*
*Ioan. 20.*

Cæterum in pœnitente veraciter tria considerari scribit oportere Gregorius: conuersionem mentis, confessionem oris, & vindictam peccati: quæ vulgo vocant contritionem, confessionem, & satisfactionem. Ante quem etiam Chrysostomus: Perfecta inquit, pœnitentia cogit peccatorem omnia sufferre libenter. In corde eius contritio, in ore eius confessio: in opere tota Humilitas. Hæc est perfecta & fructifera pœnitudo. De singulis ordine differemus: ac primùm de contritione, siue conuersione mentis.

*Greg. lib. 6. c. 2. in 1 Reg. Pœnitentiæ tres partes.*

## *DE CONTRITIONE.*

### CAP. XLVI.

*Contritio quid. Gen. 4. secundum lxx. Esa. 55. Esa. 1.*

CONTRITIONEM rectè dixerimus iustum esse dolorem de peccatis conceptũ, cum eorum detestatione. Dolere autem de peccatis nemo potest, nisi prius ab illis cessauerit. Propterea monet scriptura: Peccasti, quiesce. Et in alia scriptura prius illud legitur: Derelinquat impius vias, & vir iniquus cogitationes suas: Posteà adijcitur, & reuertatur ad Dominum. Atque apud eundem Prophetam: Quiescite agere peruersè: deindè: Discite benefacere. Paulus etiam cùm esset hortatus Romanos vt induerent arma lucis, prius admonuit, vt abijcerent opera tenebrarum. Et Ephesios prius deponere iussit secundùm pristinam conuersationem veterem hominem: deinde dixit. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem. Qui reconciliari vult amico, quibus eum antehac iniurijs afficiebat, ab eis deinceps iam abstinet, quò facilius redire possit in gratiam. Quæ autem est alia pœnitentiæ ratio, quàm vt reconciliemur Deo, remissione peccatorum nostrorum impetrata? Cessemus itaque à peccatis necesse est, in quibus quàm diu perstat aliquis, dolere de illis, eaq; ex animo detestari non potest. Primùm itaque cessandum est à peccatis: quod tamen solum non sufficit. Doleamus insuper oportet, quòd ea patrauerimus aliquando: ac sicut ea placuerunt anteà, sic deinceps detestemur & odio habeamus.

*Rom. 13. Ephe. 4.*

*Aug. li. de vtilitate pœnitentiæ, c. 1.*

Est quidem ita, quod optima pœnitentia est, noua vita: verùm & illud verum est, quod ab Augustino dictum existimatur. Neminem nouã vitam inchoare, quẽ veteris nõ pœnituerit. Qui namq; fieri potest, vt proponat deinceps aliquis, nihil se nisi benefacere velle, cui, q̃ præterierunt malefacta, non displicuerunt? Quam Latini pœnitentiam, eam Græci vocant Metanæam, quæ Latinè dici potest mentis mutatio, siue resipiscentia: ipso etiam Tertulliano teste, qui scribit in Græco sono pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum esse. Quæ autem esse potest animi demutatio, vbi quæ prius placuerunt, ea deinceps non displicent? Quomodo mutasse priorem affectionem animi dici poterit, cui placet aliena rapuisse, verùm in posterum nihil eiusmodi patrare deliberatum habet? Quamobrem vel communis ipse sensus indicat, ad nouam vitam inchoandam, opus esse detestatione vitæ prioris & displicentia. Etiam homini si quis reconciliari vult, ostendit sibi displicere, quòd eum aliquando offenderit. Quòd si delectari se offensionibus istis indicauerit, atq; eo nomine sibi placuerit, tantùm abest, vt in gratiam redeundi potestas illi fiat, maiorem etiam vtiram sibi cumulet. Si ad hunc modum agi par est cum homine, æquè vt nos mortali, quo ore ad Deum accedemus? qua fronte ei reconciliari postulabimus, nullum de eo quod offenderimus, quodq; iustam illius contra nos iram prouocauerimus, dolorem præ nobis ferentes?

*Tertul. lib. 2. cont. Marcionem.*

*Contritio in scripturis ostenditur. Ezech. 18. & 33.*
*Hier. 31.*

Quamuis autem ineptum sit ad hunc modum colligere: Non est scriptum, ergo approbandũ non est: tamen & res & nomen ipsum contritionis è scripturis ostendi potest. Nam quòd vnus ex Prophetis auersionis ab impietate meminit, quid aliud significare vult hoc nomine, quàm odium eorum & displicentiam, quæ prius placuerunt? Nam quem odimus, ab eo libenter nos auertimus. Iam verò ille locus: Postquàm conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi cor meum: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, nonne apertè vim contritionis demonstrat? in quo conteritur & percutitur cor, fitq; vt confundamur & erubescamus de his, quæ patrata sunt per nos. De hoc genere confusionis dicit Augustinus: Est quædam confusio temporalis, vtilis perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione perhorrentis, horrore erubescentis, erubescentia corrigentis. Vnde dicit Apostolus. Quam enim gloriam habuistis tunc in ijs, in quibus nunc erubescitis? Ergo erubescere eos dicit iam fideles, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formidet Christianus, imò si hanc non habuerit, æternam habebit. Quam in sententiam scribit etiam auctor operis imperfecti in Matthæum, his verbis: Nunquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem? & quia hoc ipsum erubescere pœna est grauis? Sed ideò magis iubet nos Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij. Et

*Aug. Concione 1. in Psal. 30.*
*Rom. 6.*

*Homil. 3.*

*Cæsarius. Hom. 6.* Cæsarius: Erubescimus modò paruo tempore pœnitentiam agere, & non timemus sine vlo ter-



lo termino æterna supplicia sustinere. O infelix homo, de ipso vulnere non erubescis, & de ligaturis vulneris erubescis? Peccatum enim vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est. Tu qui pœnitentiam non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere, & non agnoscis, quia plus factum est, & maiorem horrorem vulnus generat deopertum, quàm si esset medicamentis appositis inuolutum. Neque minus clarus & manifestus est ille locus, quo Dominus non contentus dixisse: Conuertimini ad me in toto corde vestro: addit insuper, in ieiunio, in fletu, in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quando flere, quando plangere, quando scindere cor iubet, quid aliud quàm contritionem præcipit, sine qua in toto corde nostro conuerti ad Deum non posse videmur? Sed non hoc modo quod significatur eo nomine, verùm ipsum etiam contritionis nomen in scripturis reperire licet. Quod apertè illa verba indicant: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et illa alterius Prophetæ: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Et apud eundem alio loco: Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde. Ex quo vel solo discere possumus, qui sanari vult per pœnitentiam, eum contrito corde esse oportere.

*Ioel 8.*
*Psal. 50.*
*Esaiæ 60.*

Sanctorum verò doctorum vix quisquam est, qui ad contritionem compunctionem q̃ cordis nõ inuitet. Inter Augustini opuscula, etiam vnum illi inscriptum videre licet, de cõtritione cordis. Certè Cyprianus grauiter eos obiurgat, qui pœnitentiæ partem hanc sublatam voluerunt: Agite, inquit, pœnitentiam plenam doloris, ac lamentantis animi probate mœstitiam. Neque vos quorundam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cùm teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cęcitate, vt neq; intelligant delicta, neque plangant. Ac aliquantò pòst: Qui pœnitentiam criminis tollunt, satisfactioni viam præcludunt: ita fit, vt dum temeritate quorundam promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Sed & vetustior Cypriano Tertullianus scripsit librum de pœnitentia: in quo inter cætera de exomologesi in hunc modum loquitur: Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens miseri cordiæ ilicem: de ipso quoque habitu atque victu mandat: Sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quę peccauit tristi tractatione mutare. Cæterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animę causa. Plerunque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctes q̃ ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari. Scripsit Ambrosius quoq; de pœnitentia libros duos. Et inter Augustini libros recensentur vnus de vtilitate pœnitentiæ alius de medicina pœnitentię. Chrysostomi verò complures de ea sunt Homiliæ: de compũctione verò cordis libri duo: ac totidem etiam eadem de re lib. beati patris Ephrem: quem ad tantam venisse claritudinem scribit Hieronymus, vt post lectionem scripturarum, publicè in quibusdam Ecclesijs eius scripta recitarentur: qui de pœnitentia quoq; libros duos, & sermonem vnum conscripsit: neq; alia in re magis occupatur, quàm in mentibus hominum ad compunctionem excitandis. Cuius etiam hæc verba sunt: Proijce abs te onera peccatorum, offer munera obsecrationum, suppone lachrymas in putredine vulnerum. In tantum enim cœlestis medicus bonus est, vt lachrymis & gemitibus donet vulneribus sanitatem. Accede peccator, & procidens huic benignissimo medico offer lachrymas, quę ad huiusmodi medicamentum proficiunt. Sic enim vult cœlestis medicus sanare vnumquemq;, medicamentum diligens lachrymarum. Nihil est enim, quod non cedat & sanetur medicamento pœnitentiæ Hoc enim medicamentum non vsq; quaq; detinet ægrotum, sed statim sanat. Expectat ergo medicus videre lachrymas tuas: accede, noli timere. Ostende ei vulnus, & offer mendicamentum lachrymarum & fletum. Ecce enim apertum est ostium pœnitentiæ. Festina peccator, priusquam claudatur. Et alio loco: Beatus homo qui habet compunctionem iugiter secundùm Deum, Compunctio fratres sanitas animæ est, illuminatio mentis est: compunctio fratres remissionem delictorum nobis conquirit: compunctio fratres, IESVM vnigenitum facit in nobis habitare, cùm eum desideramus, & quęrimus. Volo vobis fratres enarrare pœnitentiam lachrymarum: Anna per lachrymas à Deo Samuẽlem Prophetam accepit, ad sublimitatem & gloriationem animæ suæ. Mulieris etiam peccatricis debita in domo Simonis à Christo domino dimissa sunt, quę lachrymis pedes eius rigabat, & crine tergebat. Grandis virtus est lachrymarum, multumq; prævalent lachrymæ, quę secundum Deum sunt. Fiduciam Domini semper acquirunt lachrymę, sordidas cogitationes expellunt, nec proximare eas permittunt animę compunctionem cordis habenti. In quam sententiam pleraq; scribuntur etiam à Macario. Gregorius quoque Nazianzenus vocat pœnitentiam baptismum lachrymarum. Sic Abdias quoq; de quodam: Vberrimis, inquit, lachrymarum suarum fontibus iterum baptizatur. Chrysostomus quoq; lachrymas vocat secundum Baptisma. Sic & Gregorius Nissenus: Lachrymarum, inquit, effusio baptismi vim habet: gemitusq; reducit gratiam, quę paulisper excesserat. Isidorus lachrymę, inquit, pœnitentiam apud Deum pro baptismate reputantur. Scribit Anastasius Episcopus Nicœnus duos esse fluxus qui cõsistãt ex corpore, vnus qui sępè polluit & inquinat, & vnus qui sanctificat. Nempè semen & lachrymę, & quomodo omne peccatum quod facit homo, est extra corpus, qui autem fornicatur tãquam ex sua carne maligno offert hostiam, nempè suum semen: ita quę cũq; bona facit homo sunt extra corpus, lachryma autem Deo offertur ex ipsa nostra essentia. Sicut etiam sanguis martyrum: Vndè oportet etiam post Pœnitentiam seruare lachrymas peccatis, & non rursus polluere animam & corpus. Isaac quoque Presbyter: Oblatio iustorum lachrymę oculorum suorum, & sacrificium acceptabile gemitus eorum in vigilijs.

*Tertull. lib. de pœnitentia.*
*Pœnitentiæ conditiones.*
*Ephrem in primitiua ecclesia auctoritas.*
*Hier. de viris illustrib.*
*Confessarij est ad compunctionẽ mentem excitare.*
*Ephrem de Pœnitentia cap. 1.*
*De extremo iudicio cap. 5.*
*Compunctionis effecta.*
*1. Reg. 1.*
*Luca 7.*
*Homil. 25.*
*Nazian. in serm. de sanctis luminibus:*
*Epiphan. lib. 5. Homil. 9. de pœnitentia.*
*Greg. in homil. ad eos, qui durius alios iudicant.*
*Pœnitentia tempus definire non hominis esse videtur.*
*In 8. Dessensione ad interrogationes Orthodoxorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quamobrem & è scripturis, & ex consensu doctorum omnium Ecclesię, pars hęc pœnitentię probari potest. Quantum autem temporis ad eam requiratur, non videtur hominis esse definire. Præclarè enim scripsit Leo Pontifex, quòd misericordiæ DEI nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras cõuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Et alibi: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Et iterum: Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio. Sed & ante eum Cœlestinus Papa: Salutem, inquit, hominis adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegauerit, & desperat de clementia Dei, qui eã ad subueniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Cum esset in pœna, promittit: & per vnius sermonis promissionem, habitaculum Paradisi promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda, quàm tempore: Propheta hoc taliter asserente: Cum conuersus ingemueris, tũc saluus eris. Et æqualis eius Augustinus: Pœnitentia quamuis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Iudicem iustum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum synceritatis pœnitentis pensat, quanquam alio quoque loco terribilia sunt eiusdem verba: Qui positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus qui petit, sed nec præsumo, quia benè hinc exit: non præsumo, nõ polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens, securus hinc exit: agens pœnitentiam, dum sanus & recõciliatus, & postea benè vixerit, securus est. Quæ tamen verba non Augustini, verùm Cæsarij videntur esse, qui fuit vno & altero seculo posterior. Inter cuius Homilias vltimo loco reperiuntur. Et qui præcesit hos Ioannes Chrysostomus, cum esset hortatus populum, vt ablueret peccata, tum maximè, cùm adhuc relicta esset quadragesimæ pars, subdit: Hoc autem dixi, non quòd solùm tanto tempore opus habet peccatorum correctio, sed quia Dominum habemus misericordem & benignum, & non indigent magno tempore, tantùm magno feruore & sobrietate ad ipsum accedamus, reiectis secularibus curis omnibus, & superną gratiæ inuitamur. Nam & Niniuitæ tanta peccatorum multitudine aggrauati, quia magnam & veram pœnitentiã egerũt, non indigebant ampliori quàm trium dierum tempore ad prouocandam Dei bonitatem, & irritandã, quæ aduersus se lata erat, sententiam. Et quid dico Niniuitæ? Latro in cruce neq; vno die opus habebat: Et quid dico die vno? neq; breui hora. Tanta est erga nos Dei misericordia. Nam vbi viderit voluntatis nostræ firmũ propositum, & feruenti nos desiderio ad se accedere, non retardat neq; differt, sed accelerat, suamq; solitam liberalitatem exhibens, dicit: Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum. Ac qui fuit omnibus his vetustior Cyprianus: Sed & in eodem articulo temporis cùm iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirãtis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur, nec serum est quod verum, nec irremissibile, quod voluntariũ, & quęcunq; necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, sed in amplitudine sinus sui, mater charitas prodigos suscipit reuertentes, & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ac latronis mentionem faciens: Latrocinium, inquit, damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & statim consummatus ciuis sanctorum & domesticus DEI permissus est in regnum. Quos omnes secutus Isidorus. In actione, inquit, pœnitentis, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris, si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideò debet desperare, quod in termino & vltimæ vitæ: quoniam DEVS non respicit quales anteà fuimus, sed quales circa finem vitæ existamus. Ex fine enim suo vnumquemque aut iustificat aut condemnat. Sicut scriptum est: Ipse iudicat extrema terræ: Et alibi: Vniuersorum finem ipse considerat.

*Leo epist. 91. ad Theodorum.*
*Ezech. 18.*
*Esai. 43.*
*Psalm. 129.*
*Cœlest. ad episcop. Gall. epist. 2. cap. 2.*
*Luc. 23.*
*Augu. serm. 66. de tempore.*
*Pœnitentis affectus potius quàm longum tempus considerat Deus.*

*De confessione, & quæ illi respondet, Absolutione.*

## CAPVT XLVII.

Cæterùm in pœnitentia hominis Christiani post lapsum, non solùm à peccatis cessatio continetur, & eorum detestatio, aut cor contritum & humiliatum, verumetiam eorundem sacramentalis confessio, saltem in voto, suo tempore facienda: & sacerdotalis absolutio. Nam cùm sacramentum hoc medicina sit à summo medico Christo instituta, qui sanitatem quidem ipse confert, sed in ea conferenda sacerdotis vtitur ministerio, quemadmodum etiam Origenes admonet, oportet nos morbum nostrum coram eo, quo ministro Deus in curando eo vtitur, non celare. Fortasis enim, inquit, sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmata, stomacho grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam ij, qui peccauerunt, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictũ, atq; omnem morbi digerit causam. Ac ne quis hoc de ea accusatione confessioneq; dictum interpretetur, quę coram Deo fit, subdit mox, tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum

*Confessio.*
*Homil. 2. in Psalm. 37.*
*Ionæ cap. 3.*
*Cyp. serm. de cæna domini.*
*Pœnitentes gratis Dei omni tempore recipit.*
*Isido. de pœnitentibus cap. 16.*
*1. Reg. 2.*
*Iob. 28.*
*Confessio cui sacerdoti facienda.*



medicum, cui debeas causam languoris exponere qui sciat infirmari cum infirmante, fieri cum flente: qui & condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demùm, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequaris. Si intellexerit & prouiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortasis & cæteri ædificari potuerunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Et alio loco: Si reuelauerimus peccata, non solùm Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Quem sequutus Pacianus: Rogo vos, inquit, fratres, per illum Dominum, quam occulta non fallunt, definite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus, etiam secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam, remota etiam & verecundia membrorum, non erubescentes, in ferro & cauterio, & grauissima illa pulueris mordacitate, durasse: Et quantum est illud, quod homines præstiterunt? Peccator timebit? peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid quod in illo erubescat, qui Dominum lesit. Ac sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus sine pudore morearis, nõ faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui pro te melius est etiam perire? Quod si fratrum oculos erubescitis, cõsortes casuum vestrorum timere nolite. Auctor operis imperfecti in Mattheum, Confessio peccatorum est testimonium conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit non timet. Perfectus enim timor soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus, quòd confessio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipsum erubescere pœna est grauis? Sed ideò magis nos iubet Deus confiteri peccata nostra: vt verecundiam patiamur pro pœna: Nam & hoc ipsum pars est iudicij: ô misericordia Dei, quem toties ad iracundiam excitauimus, sufficit ei solus pudor pro pœna. Ioannes quoque Climacus de Confessione loquens: Absq; pudore non potes liberari à pudore. Aperi, aperi medico tuum vulnus: ne erubescas dicere: Meum est vulnus, ô Pater, mea est plaga, à mea negligentia, & non ab alio profecta. Et in sequenti mox capite: Pœnitens, inquit, est reus, confessione liber. Quid autem aliud nouisse dicere visus est, quàm iustus est accusator sui ipsius: hoc est, qui fuit iniustus, qui fuit reus pœnitens: confessione, hoc est, accusatione sui, fit liber, hoc est iustus. Chrysostomus Genesim explicans: Confessio, inquit peccatorum, ablutio est delictorum. Vnde cùm Lamech ille suis mulieribꝰ cędes à se cõmissas detegere, & confiteri non refugit, quali erimus venia digni, si ei qui omnia nostra nouit delicta, confiteri nolumus peccata. Eundem de Lamech homicidio locum tractans Theodoretus. Pœnam tamen, inquit, euasit propter confessionem, & contra se ferens sententiam euitauit sententiam diuinam. Gregorius quoque Nazianzenus. Ne peccatum, inquit, tuum confiteri graueris, vt per huius vitæ pudorem, futuri seculi pudorem ignominiamq; fugias, (nam hoc quoque sempiterni supplicij pars est) ac perspicuum facias te serio atque ex animo peccatum odisse, tum illud tanquam contumelia dignum traducis, & velut ludibrio exponis, de eoq; triumphum agis. Sic & Ambrosius: Plurimum reo suffragatur verecunda confessio: & pœnam, quam euitare defensione non possumus, pudore subleuamus. Et alio loco: Ostende medico vulnus tuum, vt sanari possis: & si non monstraueris: nouit. Sed à te expetit audire vocem tuam. Neque dissimilia sunt, quę scribit Hieronymus, illud enarrans ex Ecclesiaste. Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam. Si quem, inquit, serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. Et æqualis eius Augustinus: Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit? Deus confessionem nostram desiderat, vt iustam habeat cognoscendi causam. Gregorius quoque Pontifex: „Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Ante quem etiam Basilius: Confessio, inquit, peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis vel passio, quæ medico demonstranda est. Si ergo non omnibus, qui vitia vel vulnera corporis sui reuelat, nec quibuslibet, sed ijs tantummodo, qui summæ peritiæ testimonium habent, & curæ ac medelæ disciplinam, ita confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodò, qui curare hæc prævalent, & emendare secundum quod scriptum est: Vos qui fortiores estis, infirmitatem infirmorum portate, hoc est auferte & exportate per curationem. Et in eodem libro aliquanto antè. Necessarium, inquit, videtur ijs, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim & ij, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud sanctos, confessi esse peccata sua. Scriptum est in Euangelio: Quia Ioanni Baptistæ cõfitebantur populi peccata sua: & in Actis Apostolorum, Apostolis ij, qui baptizabantur.

Ex quibus verbis colligere licet, quanta sit confessionis antiquitas, quam à Domino instituta esse scribit Tertullianus, ac Ecclesiæ consensus obtinet. Videtur autem illis verbis institutum, quibus Petro cęterisq; Apostolis ligandi soluendiq;, remittendi, retinendiq; peccata, potestas à Christo concessa est. Qua vti quemadmodum potuerint Apostoli, vel etiam nunc possint eorum successores, intelligi non potest, nisi prius cognouerint, cuius generis ea peccata sint, & quæ medicina sit illis adhibenda. Rectè dicitur à Sapiente: Qui iudicat

*Hom. 17. in Luc.*
*In pareneſi ad pœnitentiam.*
*Lib. 2. de pœnitentis. cap. 8.*
*Confessio peccatorum est testimonium conscientiæ deum timentis.*
*In cap. Matth. 3. Homil. cap. 3.*
*Gradu 4.*
*Hom. 2.*
*quæst. 44.*
*In orat. in fun. Basilij.*
*In Psal. 36.*
*Lib 2. de pœnitentia cap. 8.*
*Hieron. in Eccl. 10.*
*Augu. serm. 66. de tempore.*
*Greg. in Euang. Hom. 40.*
*Basil. in regula Monachor. cap. 98. Et in quæst. compendiosis. 288. quæst.*
*Confessarius peritus quærendus.*
*Rom. 15.*
*Cap. 21.*
*Matth. 3.*
*Act. 19.*
*Tertull. de trinitate.*
*Confessio instituta à Christo.*
*Matth. 16.*
*Matth. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod nouit, iustitiæ iudex est, Verũ est & illud, quod ex Hieronymo proximè citauimus, qđ ignorat medicina, nõ curat. Cùm itaq; sacerdos, & iudex vice Christi sit, & medicus ab ipso constitutus, quomodo aut iudicabit de incognitis, aut morbũ, quẽ cuiusmodi sit ignorat, curabit? Deinde verò non sola remittendi, verumetiam retinendi, neq; sola soluendi, verũetiá ligandi potestas illi data est. Quid aũt retinere, quid remittere, quid ligare, qd soluere debeat, quis scire poterit, si non fuerit illi vulnus indicatum, si peccacum non fuerit manifestatum? Ac fatendum quidem est, quòd ab ignotis etiam nonnunquam sacerdos absoluit, sed non ab his tamen, quæ sciens aliquis proferre nolit, verùm ab ijs, quæ vel peccata esse nescit, vel eorum reminisci non potest, Verùm est enim quod ait Propheta: Delicta quis intelligit? Neq; rarò fit, vt etiam grauia peccata per ignorantiam committantur. Quin & illud ab eodem Propheta non sine causa dictum est: Ab occultis meis munda me. Quamobrem ad ea manifestanda, quæ vel esse peccata nescimus, vel memoria non tenemus, nemo fuit vnquam obligatus.

*Absolutio ignotorũ peccatorum.*

*Psal. 18.*

*Psal. eodem.*

Non est itaq; dubitandum, quin sicut absolutio à Deo est instituta, ita & confessio, quæ fit per peccatorum enumerationem Dei ministro sacerdoti facta. Quæ duo ita sibi mutuò respondent, vt vbi non est confessio, ibi nulla esse possit absolutio. Sed si quis alium scripturarum locum à nobis exegerit, vbi Christus confessionem præceperit, præter ea, quæ per nos adducta sunt, ad Petrum & ad reliquos Apostolos, ab eo vicissim exigere licebit, vt & ipse iocum ostendat, vbi primùm Ecclesia confessionem præceperit. Quod cùm graue multis onus videatur, certè nemine præcipiente susceptum à fidelibus vltro fuisse, verisimile nõ est. Quin & illud difficile est creditu, hominis alicuius auctoritate ad hanc rem tam grauem fideles adigi potuisse, Atqui ostendi non potest, quòd ea fuerit ab Ecclesia instituta, cùm ab ipsis Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra in vsu semper fuerit. Ex quo colligere licet, quòd viua voce proculdubiò fuerit à Christo tradita, cuius multò maxima dictorum, & factorum pars mandata scripturis non est. Clemens Petri successor hanc Petri doctrinam fuisse refert, quam illum à magistro suo Christo accepisse dubium non est, vt si fortè alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei, qui præest, vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur. Quò faciliùs autem perspici possit, eum de occultis peccatis loqui, subiungit hæc verba. Abijcienda prorsus è corde est omnis intrinsecus latens amaritudo peccati, si qua fortè ex desiderijs iniquis, velut ex cibis noxijs, congregata est.

*Clemens epist. 1.*

*Iacob. 5.*

*Locus de confes. explicatur.*

Iam illis verbis: Confitemini alterutrum peccata vestra: non tam institutam à Iacobo & præceptam sacramentalem confessionem, quàm eam, quæ pridem instituta esset & præcepta, promulgatam, rectè viri quidam pij & docti existimauerunt. Neque mouere quenquam debet vox hæc alterutrum, vt putet eam ad sacramentalem confessionem, quæ sacerdoti fit, referri non posse. Vir fuit excellens & doctrina & vitæ sanctimonia Hugo de sancto Victore, Bernardi æqualis: is cùm adduxisset hunc Iacobi locum: Quid est, inquit, alterutrum? Ac mox respondet: non solùm homo Deo, sed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues pastoribus, subiecti prælatis, ij qui peccata habent, ijs qui peccata dimittere potestatem habent. Et certè communis hoc loquendi mos obtinet, vt dicatur aliquando ab Episcopo, siue eius Vicario: Confiteare cui vis. Quæ tamen verba non ita accipiuntur, quasi non sacerdotibus etiam confitendi potestas permissa sit: verùm illud concedi verbis ijs videtur, vt non proprio sacerdoti, cui iure tenetur, verum cuicunque velit alij, modò sacerdoti confiteri possit. Constat hoc, Iacobum non prius hæc verba protulisse, Confiteamini alterutrum, quàm presbyterorum fecisset mentionem, vt ex vi cuiusdam consequentiæ de illis dicta videantur. Inter opuscula quæ adscribuntur Augustino, extant etiam duo de visitatione infirmorum: In eorum altero scribit his verbis: Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt siue dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem constituit dominus. Sed nolo, vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris cõfiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel cerucosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges sacerdotem, & facipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Nolo seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia saluat, sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non denegamus, quin sit ad Deum frequenter conferenda peccatorum confessio. Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram, petra autem Christus est: Sed testamur, & testatur illud sana doctrina: Ne ti bi applaudentium faueas auribus, quoniam prius eges sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum salubri iudicio. Alioqui & sub lege & sub gratia, Ite, & ostendite vos sacerdotibus, responsum Domini quomodo cosummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter, Dei vice presbyter adhibeatur, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis. Beda quoque diligens Augustini sectator, verba hæc Iacobi itidem de sacramentali confessione interpretatur, quam esse necessariam cum alio quodam in loco, tum in libro quinquaginta homiliarum, testatur Augustinus, dicens: Qui post vxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago: Ergo sine causa dictum est: Quæ solueris in terra, soluta erunt in cœlo? ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Christi, promittimus vobis quod ille negat, nonne vos decipimus. Sed hæc de necessitate, vtili-

*Aug. ca. 4.*

*Deut. 17.*

*Psalm. 136.*

*1. Cor. 10.*

*Luc. 17.*

*Iacob. 5.*

*Beda in Iacobum.*

*Aug. hom. 49.*

*Marc 19.*

*Matth. 26.*



tate; q; confessionis, aut re, aut saltem voto de; eo quod à Christo sit instituta, dicta sufficiant.

Cæterùm confessioni respondet absolutio. Ac illa quidem præcepta est omnibus, siue ij è clero sint, siue è populo. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Ius autem ligandi & soluendi, sicut ab Ambrosio quoque scriptum legimus, permissum est solis sacerdotibus. Quamobrem crassus est error eorum, qui dicunt non magis absoluere sacerdotem, aut Episcopum, aut Papam, quàm vel mulierem, vel puerum (addere debebant psitacum quoq;, nam & is æquè vt puer, aut mulier doceri potest, vt dicat, ego te absoluo) At non ita Ioannes Chrysostomus, vir non doctrina magis, quàm vitæ sanctitate conspicuus, qui vel hoc nomine sacerdotij dignitatem cuiuis alteri anteferandam esse censet, quòd terrestres dignitates habent quidem vinculi potestatem, sed in corpora tantùm: At sacerdotum vinculum ipsam etiam animam attingit, atq; ad cœlos vsq; peruadit, vsq; adeò, vt quæcunq; infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Quam potestatem non modò nullis regibus & principibus, verum ne ipsis quidem angelis, aut archangelis datam esse dicit: Et alio loco. A terra, inquit, iudicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis cõprobat. Itaq; medius stat sacerdos inter Deum & naturã humanã. De qua Hilarius quoq; Petrum alloquens ita dicit: O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. ô beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo, vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.

*Absolutio peccatorum solius sacerdotis & non laici est.*

*Rom. 3.*

*Amb. lib. 1. de pœn. c. 2.*

*Chry. li. 3. de sacerdotio.*

*Sacerdotalis dignitas, quæ animam etiam attingit, secularibus dignitatibus præfertur Cano ne 16. in Matt.*

*De verbis Esaiæ. Audi dominus. Hom. 5.*

Ex quibus verbis illud simul discere possumus, quæ sit absolutionis vis neque enim hoc est absoluere, quod nonnulli somninat, absolutum ostendere, sed quod dixit Christus peccata remittere, simul etiam à pœnis, quæ illis debentur soluere. Quod prius in terris, quàm in cœlis fieri etiã Cyprianus indicat dicẽs: Cùm permiserit ipse, qui legem dedit, vt ligata in terris etiam in cœlis ligata essent, solui autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur. Quos sequutus Bernardus, de Petro scribens, ait, quòd claues regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri, sententiam cœli. Ac ipse quidem hoc auctoritate sua Deus efficit, sed in ea tamen re ministerio sacerdotis vtitur. Itaque quicquid eis sacerdos facit, non sua propria, sed à Deo sibi concessa potestate facit. Eorum igitur errorem, qui negant sacerdotem absoluere, sed tantum absolutum ostendere, notasse videtur Ioannes Chrysostomus, his verbis: Corporis lepram purgare, seu verius dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare. Iudæorum sacerdotibus solis licebat: Neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquirebatur. At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Et in Leuiticum scribens Theodoretus. Quemadmodum Sacerdos lepra discernit, ita peccatorum animæ Iudicem ipsum esse oportet.

*Absolutionis vis quæ sit.*

*Cyp. li. 1. epist. 2. ad Cornelium.*

*Bern. serm. 1. in die Petri & Pauli.*

*Chryso. lib. 3. de sacerdotio.*

*Quæst. 15.*

Ante quadringentos plus minus annos fuerunt: qui absoluere interpretarentur, absolutos ostendere. Sed eos viri pij & docti, Hugo, & Richardus de sancto Victore grauiter admodum reprehendunt. Ille quidem his verbis: Non dicit quodcunque solueris, hoc est, vt illi aiunt, solutum ostenderis, fuit solutum, sed erit solutum: quia sententiam Petri non præcedit, sed subsequitur sententia cœli. Ac interiectis nonnullis, de eo quod commune fuerit hoc omnibus Apostolis & eorum successoribus, quoniam omnibus ipsis dictum est: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c. continenter subdit: Vbi dixit: Si ostenderitis, fuit: Nusquam dixit hoc: sed dixit: Si feceritis, erit. Richardus autem etiam acrius: Extat, inquit, quorundam de potestate ligandi atque soluendi sententia, vt ridenda videatur potius, quam refellenda. Putant enim & prædicant, sacerdotes non habere potestatem soluendi & ligãdi, sed ostendendi homines esse solutos siue ligatos. Sed nunquid Dominus dicit: Quodcunque ligatum ostenderis, erit ligatum, & quodcunque solutum ostenderis, erit solutum? Non ostendendi aliquem ligatum aut solutum, sed ipsa ligandi soluendiq; potestas sacerdotibus à Christo data est, quæ clauium nomine appellatur. Scimus autẽ, quòd clauis instrumentum est, quo ostium aperitur & clauditur. Regni autem cælorum ostium per peccatum clauditur, & quo ad maculam, & quo ad pœnæ reatum. Clauium itaque nomine potestas significatur, qua obstaculum eiusmodi remouetur. Hæc potestas est in summa trinitate per auctoritatẽ, vt rectè penes illam dicatur esse clauis auctoritatis: in Christo homine fuit hæc potestas ad remouendũ prædictũ obstaculũ per meritũ passionis, quæ etiã dicitur ianuam aperire, & ideo dicitur à quibusdam habere claues excellentiæ: Quoniam verò ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricata est, ideò in sacramentis Ecclesiæ manet efficacia passionis: propterea ministris etiam Ecclesiæ, qui sunt dispensatores sacramentorũ aliqua potestas ad prædictum obstaculum remouendum est collata, non propria, sed diuina virtute, & merito passionis Christi, & hæc potestas metaphoricè clauis Ecclesiæ dicitur, quæ est clauis ministerij. Clauis auctoritatis est penes Deum trinum & vnum: clauis excellentiæ penes Christum hominem, cuius passionis merito, quæ clausa fuerat anteà, nobis ianua regni cælestis est aperta. Clauis ministerij est penes sacerdotes, qui potestate vtuntur ligandi & soluendi sibi à Christo concessa. Sed hac de re satis.

*Absoluere non est absolutos ostẽdere. Hugo. lib. 3. de sacramentis par 14. cap. 8.*

*Ioan. 20.*

*Richard. cap. 12. de potestate ligandi & soluendi.*

*Claues regni cæl.*

*Regnum cælorum claudiur per peccatum.*

*Clauis Ecclesiæ triplex.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De Satisfactione.*

## CAP. XLVIII.

*Ter. in li. de pœnit. Cap. 11.*

TErtia pœnitentiæ pars est ea, quam Tertullianus confessione disponi scribit, Satisfactio, quam si quis malit Sequelam appellare, nulla est litigandi causſa. Nam quæ præcedebat semper absolutionem, nunc sequi plerunq; consueuit. De hac parte sic loquitur Chrysostomus: vult Deus confessione viuere eum, qui præcepta contempserat periturus: vt cui peccatum attulit mortem, ei confessio adferat sanitatẽ: cõfessio enim pœnitentiã mõstrat, satisfactio veniã tibi cõciliat, nec enim poterit indulgẽtia tribui, nisi ira Dei posit confessione placari. Fit aũt satisfactio per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia. Quod etiam indicat idem Chrysostomus, cùm ait: Si orareris & ieiunaueris, & eleemosynam iustè feceris, complesti pretium, redemisti peccata tua, remissa sunt crimina, reparata est vita tua: quam etiam ob causam hæc opera vocat August. remedia peccatorum. Qui alio loco quotidianis, inquit, peccatis sacrificia eleemosynarum, ieiuniorum, & orationum quisque pro suis viribus offerre non cesset. Fit autem hæc satisfactio non pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto vna cum culpa remittitur, verùm pro pœna temporali, quæ vt sacræ literæ docent, non tota semper (vt in baptismo fit) dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti.

*In lib. 50. hom. Homil. vlt.*

*Chry. Tom. 5. Hom. de pœnitentia*

*Aug. lib. de decem chordis, c. 11.*

*Chry. in serm. de pœnitentia Tom. 5.*

Diximus initio cùm de sacramentis agere cœpissemus, quòd baptismus fidei, confirmatio spei, Eucharistia charitatis est sacramentum, pœnitentia verò refertur ad iustitiam, maximè in ea parte quæ dicitur satisfactio, quæ videtur iniuriæ illatæ quædam esse recompensatio. Iam enim baptizatis non perinde facilis, neq; tam liberalis & gratuita via patet ad misericordiam diuinam, quàm fuit ipsis baptismus, quem qui suscipiunt, nulla requiritur ab eis satisfactio. Sic enim scriptum est ab Ambrosio: Gratia Dei in baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem, verùm quia grauiter deliquerant non recipiendo promissum Dei: & quia, quæ grauiter peccantur, non nisi fletu & gemitu ad veniam pertingunt, ne ideò, illos non posse iam accipere misericordiam putarent, quia dolere illos non videbant: ostendit hoc inter primordia fidei non requiri: Donum enim Dei gratis donat peccata in baptismo. In quam sententiam etiam pleraque scribuntur à Gregorio Nazianzeno. Et ante Ambrosium Arnobius Nouatianum alloquens: Tu dicis, inquit, qui adhuc non sunt redempti, ipsi possunt ad indulgentiam per pœnitentiam peruenire. Nos dicimus, illi per fidem solam ad indulgentiam attingunt. Isti autem qui iam redempti sunt non per fidem solam, quia iam crediderunt: sed per pœnitentiam peruenerunt ad misericordiam Saluatoris. Contra igitur est in hoc pœnitentiæ sacramento. Quantò enim grauius peccat homo fidelis per baptismum Christo semel incorporatus, tantò maior illi difficultas, impendet in misericordia diuina impetranda: Vt iure merito Gregorius Nazianzenus, & eum secutus Ioannes Damascenus verè laboriosum baptismum, pœnitentiam appellauerit. Et Ioannes Climacus Pœnitentiam esse dixerit, Reuocationem baptismatis & reconciliationem Domini per bona opera peccatis repugnantium. Iustum itaq; est, vt ipse à se peccati pœnas exigat, vt illud impleatur quod scriptum est: Pro mensura peccati erit plagarum modus. Et alio loco: Quantùm se glorificauit & in delicijs fuit, tantùm date ei tormentum & luctum. Si magnus est lapsus tuus, dicit Chrysostomus maior sit lachrymarum tuarum torrens. Grandi plagæ, dicit Ambrosius, alta & prolixa opus est medicina. Et Petrus Chrisologus: Pro modo vulneris modus est adhibendus medicinæ. Et ante vtrunque Cyprianus, Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus: Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit. Et secutus eum Augustinus. Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi de ijs etiam quæ facta sunt satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus Eleemosynis. Et eum secutus Eusebius Emissenus: Non putemus tam facilè remitti posse iniusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa viscеribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. Tota insistendum est spiritus contritione, vt vetusta mala, tanquàm sagittæ de conscientia euellantur. Non sufficit summis labijs dicere: Peccaui: parce, remitte. Saul dicebat: Peccaui, sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confessionem nuda magis verba, quàm veri gemitus exprimebant. Quia non compensabat magnitudinem criminis lenta humiliatio supplicantis. Nec leui agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur. Non transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quę paratus est ignis æternus. Quæ omnia verba repetit Cæsarius in suis Homilijs. Et Homilia decima: Ieiunia, inquit, ac vigiliæ, ac sanctæ afflictiones, humiliata corda macerant, sed maculata corda purificant, membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientijs addunt nitorem. Nihilominus de contritione animi redimuntur crimina voluptatum. Per duræ crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur. Ac sic mortificatione præsenti, futuræ mortis sententia præuenitur, & dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur, dumq; exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi iudicij offensa sedatur, & ingentia labor soluit exiguus, quæ vix consumpturus erat ignis æternus. Tractantes ergo cau sam salutis nostræ, faciamus intra nos, quod circa nos facere solent Medici, si læsura aliqua vel quærela in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur: si verò

*Ambr. in cap. 11. ad Rom.*

*In Orat. in sancta luminaria.*

*Arnob. in Psa. 106.*

*Greg. in Orat. in sanctum lauacrum.*

*Pœnitentia laboriosus baptismus.*

*Damasc. li. 4. c. 10.*

*Suæ Theol. ser. 176.*

*Ad virginẽ lapsam cap. 8.*

*Deut. 25.*

*Apoc. 18.*

*Chrys. hom. 22. ad populum Antioch.*

*In serm. de Lapsis.*

*In lib. 50. homil. homil. vlt.*

*Euseb. homil. 5. ad monachos.*

*Cæs. Hom. 15.*

*Hominem interiorem & exteriorem similis curandi ratio.*



verò in ossibus vulnus absconditum, aut in viscera profunda immersum est, austeriorem & fortiorem poscit vis occulta medicinam, vt vlceris magnitudo aut sectione, aut exustione superetur, & dolor dolore pellatur. Similis ratio est in ægritudine hominis interioris adhibenda, si leuia sunt fortasse delicta. Verbi gratia: Si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluptate, si oculo peccauit, aut corde, verborum & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione tergendæ sunt. Si verò quisquam conscientiam suam intus interrogans, facinus aliquod capitale commiserit, aut si fidem suam falso testimonio expugnauerit, ac sacrum veritatis nomen periurij temeritate violauerit: si veram baptismi tunicam cœno commaculati pudoris infecerit, si in seipso nouum hominem nece hominis occiderit, si per augures & diuinos atque incantatores captiuum se diabolo tradiderit: hæc atque huiusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri, vel secreta satisfactione non possunt: sed graues causæ, grauiores & acriores publicas curas requirunt, vt qui cum plurimorum destructione se perdidit, cum plurimorum ædificatione se redimat. Homo enim seipsum decipit, si quum in medullis feruere sibi sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat vnguentum. Sic & Theodoretus in præclaro illo libello, quem inscripsit diuinorum Decretorum epitome. Sunt ergo medicabilia etiam, quę post baptismum fiunt vulnera, medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina sunt eius manu impartienda. Nolite, inquit, sanctum dare canibus, nec margaritas porcis. Et aliquot seculis antè Clemens. Quòd eum qui deliquit, oportet proprij delicti pudore affici, satis demonstrat sermo Mosis pro Maria dictus, quando rogabat, vt ei peccatum remitteretur, ait enim Deus Mosi: Si pater eius spuisset in faciem illius, nónne verecundia affecta esset? septem dies eijciatur extra castra, & posteà ingrediatur: idem nos facere debemus, & eos qui se peccatorum pœnitere dicunt, segregare per certum tempus secundùm proportionem peccati, deinde pœnitentia peracta recipere, tanquàm patres filios. Et post aliqua interiecta. Nolite pro omni peccato eandem sententiam ferre, sed vnicuiq; propriam pœnam statuite cum multa prudentia, iudicantes singula delicta parua ac magna, atque aliter quidem æstimabitis peccatum operis, vel sermonis, aliter propositi vel conuicij vel suspicionis. Atque alios quidem minis subijcies, alios subsidijs pauperum, alios ieiunijs affliges, alios segregabis pro delicti magnitudine. Nam lex quoque non omnibus delictis eandem pœnam decreuit: sed aliter puniebat quæ in Deum, & quæ in sacerdotem, & in sacrum, & in hostiam committebantur: aliter quę in Regem & Principem, atque ea quæ in militem, & in subditum æqualem, siue quæ in seruum, vel in bona, vel in bruta delinquebantur. Et rursum non erat eadem ratio peccati in parentes, atque consanguineos, & non eodem modo vindicabantur, quæ ex proposito fiebant, & quæ casu, atque illis quidem mors per crucem, vel per lapides pœna statuebatur, ijs multa vel verbera vel talionis pœna. Quare vos quoque diuersis delictis diuersas pœnas imponatis, ne forte aliqua iniuria interueniens prouocet Deum ad iram. Nam si quòd iniustum exercebitis, eius à Deo mercedem capietis, sicuti enim iudicio iudicatis, iudicabimini. Extat liber qui Spirituale pratum inscribitur, quem Sophronio Ioannes Damascenus & Eustachius in secunda Nicæna Synodo, Photius autem Ioanni Moscho, quem Latinè dicere posis Euiratum, tribuerat: vbi memoratur Ioannes Abbas Monasterij Gigantum, sic peccatorem quendam allocutus esse: Sicut multa & varia sunt vulnera, ita quoq; varia sunt & plurima medicamẽta. Sed tu si curari vis dic mihi in veritate opera tua vt & ego cõgrua illis adhibeã medicamẽta. Aliter enim curatur fornicator, aliter homicida: aliudq; est auari remedium, alia mendacis medicina: atq; alio fur, alio iracundus, alio adulter medicamine sanatur. Et ne tibi plura vitia enumerem: quemadmodum incorporalibus infirmitatibus varijs varia quoq; remedia adhiberi conspicimus, ita & animæ vitijs, quæ plurima sunt, medicina quoq; variè succurrit.

*Theo. c. de pœniten.*

*Absolui qui non possunt.*

*Matt. 7.*

*1. Ioan. 2.*

*Lib. 2. c. 19. Const. Apostolic.*

*Peccati proprij pudore affici oportet.*

*Cap. 52.*

*Satisfactio seu pœnitentia culpis qualis imponenda.*

*Cap. 78.*

Fit autem eiusmodi satisfactio non ad culpam vel pœnam æternam expiãdam, hæc enim satisfactio soli Christo tribuenda est. Solus ille factus est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris tantùm, verùm & totius mundi. Solus ille mortem moriendo destruxit, per eam pro peccatis nostris abundè satisfecit, per eã patri suo cœlesti nos roconciliauit. Nõ de hac itaq; satisfactione nunc loquimur, sed de ea quæ in ijs maximè pœnitentiæ fructibus cõsistit, quos iustitiæ nomine Christus dignatur, in ieiunio, oratione, & eleemosyna, de quibus etiã Augustin. ita loquitur. Hæc iustitia hominis in hac vita, ieiuniũ, eleemosyna, oratio siue à nobis ea susceptа, siue per parochos nostros sacramentorumq; dispensatores nobis iniuncta fit: quæ cùm ex fide & charitate peragitur, peccatorum causas excindit, peccati reliquijs medetur, ac temporalem pœnam vel tollit, vel mitigat: deniq; & in exemplum adhibetur.

*Satisfactio duplex.*

*Matt. 6.*

*Aug. in Psal. 42.*

Est quidem ita, quòd Christus pro peccatis nostris abundè satisfecit, pro nobis tot cruciatus, ac mortem etiam ipsam perferendo: sed num ideò passus est? num ideò satisfecit, vt nos nihil iam patiamur, nihil faciamus, pro peccatis nostris, posteaquam semel à gratia illa exciderimus, quam illi commortui, per baptismum consequuti fueramus? Quin ille nobis exemplum dedit potiùs, vt eius vestigia sequamur: vt sicut ipse tulit crucem suam, carnem nostram indutus, verùm ab omni peccato prorsus immunis, ita & nos tot peccatis contaminati, tollamus & ipsi crucem nostram. Hoc est quod nos admonet, dicens: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Explicans illa verba Samuelis ad Saulem Gregorius: Ecce quod remansit, pone ante te. Remansit quidem, inquit, quia non omnia nostra Christus expleuit. Per crucem quidem suam omnes redemit: sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò resi-

*1. Pet. 2.*

*Satisfactionis vsus*

*Matt. 16.*

*Greg. li. 4. in libr. Reg. c. 4.*

*1. Reg. 9.*

*Rom. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



duum viderat qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus. Quasi dicat: quod expleuit CHRISTVS, non valet, nisi ei, qui id quod remansit, adimplet. Immò beatus Petrus Apostolus dicit: CHRISTVS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hinc Paulus ait: Adimpleo ea, quæ desunt passionum CHRISTI in corpore meo. Sic & à Basilio scriptum legimus: DEVS pro remissione peccatorum nostrorum *Basilius Coloss. 1.* demisso vnigenito filio suo, quantum in ipso est, ea ante iam omnibus condonauit. Quoniam autem, misericordiam & iudicium sanctus vir canit, & testatur Deum misericordem esse & iustum: necesse est, vt quæ & à Prophetis, & ab Apostolis suis locis de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur: vt appareant iudicia iustitiæ Dei, & misericordia eius consumetur ad condonationem peccatorum.

Dicet hic aliquis: Quid ergo mihi contulit crux Christi, si nihilominus opus est assiduè portare me crucem propriam, quasi illa non sufficerit? Multum adeò contulit. Nullus enim esset nostræ crucis vsus, neque fructum ex ea caperemus vllum, nisi Christi crux præcessisset, cuius merito valet nostra crux, quicquid valet. Ad eundem modum & satisfactionis *Satisfactionis vis à Christo.* nostræ pro peccatis nulla esset prorsus vtilitas, nisi Christi satisfactio præcessisset, per cuius *August. lib. 2. c. 4. de peccatorũ meritis* mortem & sanguinem efficacia redduntur, & DEO grata, quæ fiunt à nobis in satisfactionem pro peccatis nostris. Quam etiam ob caussam Augustinus cùm docuisset quod concupiscentia consentiente sibi ad illicita reos tenet, & nisi per medicinam pœnitentiæ & operа misericordiæ per cœlestem sacerdotem pro nobis, interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemqúe perducit. Sanari quidem ille docet peccata per Pœnitentiæ medicinam, & per opera misericordiæ rerum non aliter quàm per cœlestem sacerdotem pro nobis interpellantem: cuius nisi sanguis pro nobis interpellaret, nullum nobis pœnitentiæ medicina, nullum opera misericordiæ quæ facimus nos fructum afferrent. Quòd ergo prodest nobis nostra satisfactio, non aliter prodest, nisi virtute, merito & efficacia CHRISTI passionis, quæ fons & fundamentum est omnium bonorum operum nostrorum: quæ iam non nostra magis sunt, quàm eius qui viuit in nobis, qui operatur in nobis CHRISTI. De quo dicit Propheta: Domine, omnia opera nostra operatus es in no- *Esa. 26.* bis. Hunc itaque passionis, crucis & sanguinis CHRISTI fructum habemus, quòd quæ opera nostra quamlibet in speciem bona, nihil nobis antea fuerant profutura, ea postquam CHRISTI sanguine tincta sunt, prodesse nobis incipiunt ad placandam iram DEI, & ad satisfaciendum pro peccatis nostris. Noluit CHRISTVS passionem & *1. Pet. 2.* mortem suam operculum esse turpitudinis & asylum iniquitatis nostræ, vt quoniam ille satisfecit pro nobis, licere nobis existimemus, vt deinceps ventri iam liberè seruiamus, in omni peccatorum cœno volutemur, atque omnia quæ libido nostra fert, faciamus. Non propterea passus est, non propterea satisfecit pro nobis: sed sicut PETRVS docet, ideò peccata nostra, hoc est, pœnam nobis pro peccatis nostris debitam, ipse pertulit in corpore suo, super lignum crucis, vt peccatis mortui, non modò non peccemus deinceps, verùm etiam iustitiæ viuamus, & exhibeamus nos DEO, tanquam ex *Rom. 6.* mortuis viuentes, vt sicut exhibuimus anteà membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita deinceps exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem, ne tanti redemptoris mortem & sanguinem, quo sumus à peccatis nostris abluti, pro nihilo habuisse videamur.

*Satisfactio vera. Baruch. 4. Satisfacere qtid.* Et hoc est, quod nos satisfactionem vocamus, exhibere membra nostra seruire iustitiæ in satisfactionem, sicut anteà exhibuimus ea seruire immunditię, & iniquitati ad iniquitatem: vt fiat illud quod est apud Prophetam: Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuertentes, requiretis eum. Hoc est enim satisfacere, quantum offendisti DEVM peccando, tantum dare operam, vt eum tibi placatum reddas, non tantum à peccatis abstinendo, verumetiam indebita quædam bona opera faciendo: vt quo ad eius fieri possit, infectum reddere coneris, quod perperam factum est, & præcedentis vitæ stu- *Ephe. 4.* dia in diuersum mutes. Qui furabatur, iam non furetur, dicit Paulus: magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Non furari eum, qui furatus anteà fuerat, sed honestis operibus se alere est resipiscentiæ: suis verò laboribus etiam indigenti victum parare, satisfactionis est: non illius, qua dominis ablata restituuntur: nam hæc restitutio vocari propriè consueuit: sed huius, quam veræ pœnitentiæ partem esse dicimus. Quamobrem Christianus homo non solùm aliena non tollere iubetur, sed & de labore suo penuriam patientibus submINistrare, vt bonis operibus deditus, rependat quæ prius abstulerat, & de cætero thesaurizet sibi in futurum. Quid *Luc. 9.* enim magnũ, aut cuius meriti est ab alienis temperare? Faciunt hoc etiam ethnici viri boni: *Satisfactio Zachæi.* illud verò ad meritum proficit, cùm quis de proprio tribuit egenis. Talis fuit satisfactio Zachęi, qui verè, & ex animo pœnitens, dixit: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum: Quæ tam grata Christo fuit, vt mox ei diceret: Hodie salus huic domui facta est. Talẽ satisfactionem laudat etiam *Greg. Hom. 33.* in Maria Magdalena Gregorius Pontifex: Liquet, inquit, fratres quòd illicitis actibus prius mulier intenta vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergò sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergò in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum: vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa. Ad talem satisfactionem inuitat *Ambr. serm. 15.* nos Ambrosius, dicens: Nos quoque si tam graue peccatum fuerit, vt minimè solis fletibus abluatur



abluatur, addamus misericordiæ oleum, acrimoniamq; ieiunij. Nullum enim tam graue delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur. Ait enim Sanctus Propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccata. Magna est *Eccl. 3.* ergo eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, *Deus cogitur à nobis quomodo.* & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eodemqúe homine nunc seueritate iudicis permoueri, nũc patris pietate blandiri. Pater enim nobis Deus est, cùm benè agimus: iudex noster est, cùm peccamus. Compellitur ergo operibus nostris Dominus, vt nobis misericordiam suam largiatur: atque ideò ipse in Euangelio sancto dicit: A diebus Ioannis Baptistæ regnum *Matth. 11.* cœlorum cogitur.

Hinc perspicuum cuiuis esse potest, quantum ei satisfactioni tribuat Ambrosius, quæ fit per ieiunium & eleemosynam. Neque verò solus ille. Nam & Basilius, per ieiunium, *Basil. in 1. oratione de laudibus ieiunij.* inquit, satisfacite Deo. Et Eusebius Emissenus: Omnia, inquit, quæ illic finiri non potuerunt, hic redimi possunt per emendationem prioris vitæ, per eleemosynas, per lachrymas, per humilitatem cordis, per corporis castitatem, per exercitia iustitiæ & misericordiæ. Nullus est sanctorum, qui non idem cum ipso sentiat. Inter alios præclarè scripsit Origenes explicans illa Pauli verba: Sicut exhibuistis membra vestra, & cæt. Du- *Orig. in cap. 6. ad Rom.* dum currebant pedes vestri ad dæmonum templa, nunc autem concurrant ad Ecclesiam DEI: Currebant prius ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currebant: protendebantur manus prius vt aliena diriperent: nunc protendantur, vt propria largiantur: circumspiciebant prius oculi mulierem, aut alienum aliquid ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes egenos, ad miserendum: aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum verbum DEI, ad explanationem legis, ad capiendam sapientiam & disciplinam. Lingua quæ conuitijs, maledictis, & turpiloquijs fuit assueta, nunc conuertatur ad benedicendum Dominum, in omni tempore sermonem sanum proferat, & honestum, vt det gratiam audientibus, eloquatur veritatem cum proximo suo. Sed quid opus est singula persequi, cùm pateat etiam vniuscuiusque membri ministerium, quod exhibuit vitijs, aptare virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctificationemq; conuertere.

Est autem admirabilis eorum cœcitas, qui non verentur affirmare, per hæc opera satisfactoria meritis & satisfactioni CHRISTI derogari. Nonne sicut ille pro peccatis nõ stris copiosè satisfecit, ita copiosè quoque nos ab illis redemit, perfectè nos patri suo reconciliauit, omnia peccata nostra pertulit in corpore suo, ac ex condigno meruit omnibus vitam æternam? Atqui non obstantibus ijs, fatentur isti, qui nihil iudicio suo non tribuunt, atque illud Ecclesiæ totius iudicio anteponunt, nasci nihilominus paruulos iræ filios, & nisi baptizati fuerint, condemnari: quin & adultos vt iustificentur, & fide & baptismo opus habere: iustificatis item, præcepta decalogi, lapsis pœnitentiam interiorem esse necessariam. Si nihil derogat plenissimæ CHRISTI satisfactioni fides, si nihil derogat baptismus, si nihil derogat interior pœnitentia, cur, secùs iudicant de exteriore pœnitentia, quæ interioris index est, deqúe ijs operibus, quæ CHRISTVS ipse, qui est iustitia nostra, iustitiæ nomine dignatur, quibus etiam mercedem pollicetur? quæ tamen & ipsa, quod iam toties admonuimus, non aliundè pretium habent, quàm ex CHRISTI sanguine, quo respersa sunt: ad quem si referantur, non possunt Deo grata non esse. Quemadmodum rursus si quis aliò referat, nihil aliud sunt *Esa. 64.* omnes iustitiæ nostræ, quàm pannus menstruatæ. Sic à Bonauentura scriptum legimus: *Par. 4. dist. 15. Quæst. 1.* In sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur. Et secundum hoc omnis satis factio nostra virtutem habet à satis factione Christi. Sed ipsa satis factio Christi habet effectum in membris per Sacramentum Baptismi plenum, per Sacramentum pœnitẽtię secundum partem per fidem ante nouam legem, & etiam post & in his qui non possunt confiteri, effectum habet ad huc minorem: Vnde omnis satisfactio non tantum de peccatio primi parentis, sed etiam de alijs fundata est super satisfactionem mediatoris.

Verum & illud ineptum est, quòd propterea à satisfactione reijciendam putant, q; nomen hoc in scripturis nõ reperiri dicãt. Non dissimili ratione reijciebant vocẽ Homousion Ar- *Satisfactio an in scriptura fundamẽtum habeat.* riani, q; eam in scripturis non reperiri dicerẽt. Ac fuit hoc propriũ & perpetuum hæreticorum, vt nihil reciperent, quod in scripturis non esset, quemadmodum fusius à nobis anteà scriptum est. Quasi verò de nomine magis, quàm de re laborandum sit! Atqui re- *Hæretic orũ mos.* periturip sa res. Quid enim aliud sibi volunt digni fructus pœnitentiæ, ad quos faciẽdos hortatur Ioannes? Quid aliud sibi vult, quod annunciabat Paulus, vt pœnitentiam age- *Matt. 3. Pœnitentiæ dignos fructus facere quid sit.* rent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes? Quid aliud hęc significant, quàm eam, de qua nunc loquimur, satisfactionem? Dignos fructus pœnitentiæ facimus, dicit Chrysostomus in Matthæum, cùm commissis peccatis aduersa facimus. Aliena rapuisti incipe donare propria: longo tempore fornicatus es, à legitimo *Chryſ. Hom. 10.* quoq; coniugij vsu suspendere, ac perpetuam continentiam paucorum dierum castitate *Pœnitentiæ opera.* sæpius meditare: iniuria vel opera quenquam vel sermone affecisti, refer benedictionis verba: conuicijs te percucientem, nunc officijs, nunc beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem spicula de corpore euellere, sed etiam

reme-

Universidad de Deusto
Biblioteca



remedia vulneribus oportet adhibere.) Delicijs anteà & temulentia diffluebas, ieiunio & aquæ potu vtrunque compensa, vt famem superes imminentem: Vidisti impudicis alienum decorem oculis, fœminam omninò iam videas, maiore tactus cautione post vulnera. Et in Iohannem: Oportet vulneribus contrariam adferre medicinam. Verbi gratia: Rapuisti, pone modum rapinæ, & eius vulneri eleemosyna medearis. Scortatus es, huic vulneri castitatis imponatur medicina. Fratrem calumniatus es & offendisti, cessa à maledictis & charitatem amplectere: & ita per singula faciemus, quæ perperam commisimus, neque simpliciter his abstineamus. Et in eundem locum scribens: Sicut constituistis membra vestra serua immunditiæ, ita constituatis seruire iustitiæ, illum sic tractat. Vt quantum laboris & molestiæ capiunt homines impuras mulieres amando, idqúe magna cum alacritate, tantundem impendant studij, in amandum Deum & proximum. Quamuis vel dimidiam, vel tertiam eius partem ad extremum exhiberi DEO vult, quam amantes adhibent meretricibus. Similiter & Basilius explicans illa psalmo trigesimo secundo verba: In psalterio de cachordo psallam tibi. Quandoquidem in corpore peccauimus, inquit, cùm membra nostra ad iniquitatem exhibuimus, corpore etiam confiteamur, eodem instrumento vtentes ad peccati dissolutionem. Conuiciatus es, benedicito: Plus quàm oportet accepisti, reddito: ebrius fuisti, ieiunato: arrogans fuisti, humiliate: inuidisti, consolare: occidisti, martyrium pro gratia subi, vel quod par est, martyrio per tuam exemologesim proprium corpus affligе: & tunc post confessionem dignus es psallere Deo psalterium decem chordarum. Et alio loco: Medicina, inquit, sanat peccata magna, ieiunium ebrietatem curet, psalmus turpem cantum lachryma sit risus medicina, pro saltatione genu DEO flectatur, pro tripudio pectus pulsetur, pro vestium ornatu succedat humilitas: super omnia autem eleemosyna redimat te à peccato: Redemptio enim viri diuitiæ eius. Cyrillus verò Hierosolymita nus, dignos pœnitentiæ fructus intelligi vult illuc, quod ab eodem Iohanne Baptista dicitur: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Vis, inquit, fieri particeps gratiæ spiritus sancti. & non dignaris cibo sensibili pauperes? Magna petis, parua communicare non vis. Quam illius interpretationem sequitur etiam Augustinus. Præclarè Gregorius Nissenus, peccatorem pœnitentem cum ægroto morbo suo remedium adhibente comparat. Non est consentaneum, inquit, vt qui se ægrotare confitetur, eadem victus ratione vtatur, qua vtuntur illi qui prospera sunt valetudine. Quòd cum pluribus verbis demonstrasset, tandem ad peccatorem conuersus: Tu verò, inquit, cuius animus æger est, cur non ad Medicum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? Quid pateris, vt depascatur, vt serpat, vt inflammetur? Tandem aliquando resipisce, & teipsum nosce: Deum offendisti. Procuratorem tuum irritasti: eum qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futuræ Dominus ac Iudex est. Delitijs indulgens in morbum delapsus es, eum inedia & ieiunijs cura. Animus laborat incontinentia, adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrem incidisti, liberalitate & eleemosyna depellatur: hæc enim est nimium expletæ mentis curatio. Læsit te rerum alienarum direptio, quæ rapta sunt ad proprios dominos reuertantur: mendacium te proximè duxit ad interitum, veritatis studio periculum euitetur. Quid autem aliud est satisfacere, quàm quod his verbis exprimitur, quodque Iohannes admonuit, dignos pœnitentiæ fructus facere? Quem locum de hoc genere satisfactionis rectè intelligi non modò Iohannes Chrysostomus, verumetiam Basilius, Augustinus, Gregorius, Isichius, Christianus Druthmarus, Beda, Angelomus, & alij scriptum reliquerunt. Ireneus de primo parente nostro scribit in hunc modum: Per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam, folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus, & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecit: conterritus amore Dei, & retundens petulantem carnis impetum: velut tale quid significans, quoniam quam habui à spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sum dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Ex quo loco licet illud colligere, etiam in Paradiso quodam genere satisfactionis primum parentem nostrum vsum esse. Cyprianus quoque lapsos ad satisfactionem inuitat, his verbis: Ne cesset, inquit, in agenda pœnitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est. Conuertamur ad Dominum tota mente, & pœnitentiam criminis, veris doloribus exprimentes, DEI misericordiam deprecemur: illi se anima prosternat, & cæt. modumque satisfaciendi pluribus verbis posteà persequitur: Quàm frequens autem est illud, apud eundem, fatitfactionibus, & lamentationibus iustis delicta redimi, vulnera lachrymis ablui, precibus Dominum longa & continua satisfactione placandum esse. Deum plenis satisfactionibus deprecandum, operationibus iustis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari. Dominus orandus, Dominus nostra satisfactione placandus est.

*Hom. 33.*

*Hom. 78. in Ioan.*

*Basil. in Psal. 32. homil. contr. ebriosos.*

*In hom. contra ebriosos.*

*Pro. 13.*

*In Catec. 4. Cyrill.*

*Ser. 50. de tempore.*

*Greg. in orat. adeos, qui durius alios iudicant.*

*Hom. 41. & 80. ad pop. Anciochenum.*

*Basil. in Ethnicis. Reg. 1. cap. 4.*

*Aug. lib. 21. de ciui. Dei, c. 27. & serm. 50. c. 66.*

*Gre. hom. 20. li. 6.*

*Isichius li. 4. c. 14. Leuit.*

*Druthmar. in ca. 3. Matth.*

*Beda li. 1. in Luca.*

*Angelomus cap. 13.*

*Iren. li. 3. cap. 35.*

*Cyp. tract. de lapsis.*

*Lib. 1. ep. 3. & 8. de vnitate eccles.*

*De opere & eleemosyna.*

*De lapsis, &c.*

*Esai. 53.*

Quod aũt semel & iterum admonuimus, satisfactionẽ hanc non ita velimus accipi, quasi culpæ propitiatoria, & æternæ pœnæ sit abolitoria: soli Christo tribuendum est hoc: solus est ille qui delet iniquitates nostras, solus est ille qui factus est propitiatio pro peccatis



tis nostris, solus est ille, qui mortẽ æternam moriendo destruxit: Quodq; scriptũ est. Et sanguis Iesu filij eius emundat vos ab omni peccato, id tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum esse, verissimè docet Hiero. Sed solet Deus in hac vita, temporariam pœnam, æternæ loco, peccatis nostris infligere. Sic enim ait per Prophetam: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Qui locus non obscurè indicat, quam pœnam comminatus est Dominus, q. ea non ad internecionem, sed ad correptionem vti voluerit. Multa in scripturis eius rei exempla reperire licet. Remissum est peccatũ diffidentiæ Moysi & Aaron, non tamen est remissa pœna temporaria: neque enim ingressi sunt in terram promissionis. Hoc de reliquo populo Israël: hoc de Maria sorore Moysi, hoc de Dauid Rege factum legimus: quibus omnibus remissis peccatis, non sunt remissæ pœnæ temporariæ: quas effugere nobis licet, quando ieiunio, oratione, eleemosyna Deum nobis placatum reddere conamur, sicut Niniuitas, sicut Ezechiam, sicut Achab, & alios fecisse legimus. Hoc est quod à Paulino dictum est. Niniuitæ probant, quantum apud diuinam clementiam peccatori remedium sit, ne sibi ipse non parcat, quandoquidem suffragio pœnitentiæ reconciliati Deo, meruerunt denunciatum euadere excidium, quia se spontaneis luctibus cruciando, diuinam sententiam præuenerunt sua. Hoc est quod ab Eucherio Lugdunensi Episcopo scriptum est: Si peccatum Dauid tam detestabile Dominus transtulit, quid est quòd omnia, quæ de eodem peccato, per Prophetam, ei à Domino dicta sunt, postmodum tolerauit? sed proculdubiò Dominus delet illud: sed sine vltione non deserit: Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit, quod nullatenus sine vindicta dimittit. Sic enim Dauid audire post conuersionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuũ: tñ & multis pòst cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum quem perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluit, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque, adhuc carnaliter obimus: quia delicta nostra, siue per nos, siue per seipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare. Quod ijsdem propè verbis in Moralibus à Gregorio scriptum legimus, qui fuisse videtur ducentis plus minus annis posterior. Itidem & ab Angelomo in his commentarijs, quos in libros Regum scripsit, vbi Dauidis hanc historiam tractat. In quam sententiam dictum est etiam à Prospero: Peccata siue parua, siue magna, imputata esse non possunt: quia aut homine pœnitente, aut Deo in iudicio iudicante, plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos iudicant, non iudicare. Qui verò fuit proximus Apostolorum temporibus Iustinus Philosophus, quærit: Cùm omnium Regum Israëlitarum & Iudæorum ardentissimum religionis studium præstiterit Iosias, qui factum sit, quòd Gentili gladio vitam violenter posuerit? Ac respondet, hoc ideo factum esse, quia non obtemperauit Hieremiæ præcepto, qui denunciauerat ei iussu Dei, ne exiret obuiam Ægypti Regi in prælium. Vt igitur eum purum à peccatis ex vita reciperet Dominus Deus, propterea permisit eum gentili gladio dare pœnas huius inobedientiæ, ac docendum in posterum hominibus parcere, & eos, qui semetipsos iudicant, non iudicare. Amat enim Deus confitentium

Universidad de Deusto
Biblioteca



nitentiam, sed ipse præueni tortoris manus: quia si te ipse emendaueris, si te ipse correxeris, pius est Deus & misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo præuenit. Nam qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur, dicit Gregorius. Ac qui fuit eiusdem cum Tertulliano gentis Augustinus: In hac, inquit, pœnitentia maiorem in se seueritatem vnusquisque debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Deo, sicut Apostolus ait: Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Et illum psalmi locum enarrans. Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Iniquitas, inquit, omnis parua magnave sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicâte. Nam & quẽ pœnitet, punit seipsum. Ergo fratres puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiã Dei. Non potest Deus misereri omniũ operantium iniquitatẽ, quasi blandiẽs peccatis, aut nõ eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit, vis nõ puniat punitu. Nã & illud fecisti, quod impunitum esse non potest: sed à te puniatur potius, vt facias quod in illo psalmo scriptum est: præueniamus faciem eius in confessione. Quid est, præueniamus faciem eius in confessione? Antequam ipse attendat & puniat, tu præueni confitendo & puni: ne ille inueniat, quod puniat. Quia cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem, & ideo tui miserebitur Deus. Quid est operantem iniquitatem? quia hoc in te odisti, quod & odit ille, vt incipias placere Deo: quia hoc in te punis, quod displicet Deo: nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est: Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Ioannes quoque Chrysostomus eundem illum locum adferens, Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Vides, inquit, quomodo hic inflicta pœna, liberat à pœna, quæ illic est. Et in ea Homilia, quæ proximè sequitur, post adducta eadem illa verba: Vt igitur, inquit, neque puniamur, neq; pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamq; explicet, cunctisq; commissis diligenter excussis, condemnet animam, quæ hic patrauit, puniatq; cogitationem, affligat, crucietq; suam ipsius mentem, suppliciumq; à seipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam & charitatem, vt possimus omnes, omni modo hic depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci. Sic & Cæsarius Gregorij Nazianzeni frater. Qui hic pœnas subeunt, & pœnam futuræ vitæ præuenientes dependunt, in eos mihi videtur non amplius inquisitum iri super his de quibus satisfecerunt. Non propter ea quæ variè commisit homicida, sed ob id cuius causſa recens damnatus ad mortem ducitur, vt oculum pendat pro oculo, dentem pro dente, item vt ille qui sanguinem effudit, interficiatur: lex Diuina præcipit. Et ne rursus ijdem afficiantur supplicio propter eadem delicta apertè dicitur: Non capiet vltionem Dominus bis de eodem. Et alius Cæsarius Arelatensis Episcopus. Si enim, inquit, nosmetipsos propria seueritate distringimus, sententiam futuri Iudicis præuenimus. Qui enim pro peccatis sibi ipsi non parcit, Deus citò illi indulgentiam tribuit. Omne peccatum, quod in hoc mundo non corrigitur, in futuro seculo punietur. Cyprianus: Nec eos qui vitæ suæ quocunque articulo temporis veri sunt Iudices iterum iudicari: quia cum Iudicis & tortoris vices non parcens, peccator assumit, semetipsum persequens dum Confessionem confusione honorat, holocausti huius incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum iudicat Deus, sed impenitentes ipse iudicat & damnat: Pœnitentes verò quia à seipsis suscepi, iudicatos absoluit. Maximus: Omne peccatum committitur propter aliquam voluptatem, quæ extinguitur aut ἀσκήσει, id est, dura quapiam exercitatione corporali, aut dolore voluntario per pœnitentiam, aut œconomicè illata aliqua calamitate. Si enim nos dijudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino Eusebius quoque Emissenus ait: Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipsi quodam modo sub priuata cognitionis sententia, & testis, & accusator, & Iudex est. Ad tales meritò ipsa Dominus loquitur: Non iudicabo bis in idipsum, id est, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscã: quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam: quod tu recordaris in publicum, ego obliuiscar in æternum. Et quia per pœnitentiam tuam præuenisti sententiam meam, recondam gladium meum: ac me tibi ad remunerationum tempora reseruabo. Ergo charissimi, vnusquisque respiciens se arguat intra se gesta improba, & ante se constituat peccata sua, pronuncians cum Propheta: Et delictum meum contra me est semper. Ante vos sit, vt contra vos esse non possit. Ita illud: conuersatio obliuiscatur, vt compunctio recordetur: Ita illud, reatus confessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat: Ita viuat in conscientia, vt moriatur in vita. Bernardus quoq; Vnum est, inquit, si nosmetipsos iudicauerimus, non vtiq; iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto, diuinoq; iudicio subducit & abscondit: prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis: volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus: Spiritalis homo omnia dijudicat, & ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona, mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisq; sanctæ laboribus disciplinæ: In bonis de me humiliter sentiam, & iuxta præceptum Domini, seruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui tantùm feci. Dabo operam, nec solia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ego vias meas & studia mea, quo is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, siue indiscussum inueniat: neque enim iudicaturus est bis in idipsum. Ex his, & alijs multis, quorum verba longum foret recensere, colligere licet, remissa culpa superesse adhuc reatum ad pœnam temporariam. Quamobrem rectè Sapiens admonuit: Fili peccasti, ne adijcias iterum, Et ne hoc solo securum se quisquam esse putaret, & de pristinis, inquit, deprecare, vt tibi dimittantur: parum esse iudicans recedere à peccatis, si præterita curare neglexerimus.

*Lib. 11. c. 19. Moral. Aug. de pœnitentiæ medicina c. 2.*

*Chrysos. de Lazaro concione 3. In Psal. 58.*

*Cæsar. Dial. 1. Hom. 6. Hom. 28.*

*Cyp. in serm. de passione.*

*Maxi. in 2. Hecacomade c. 41.*

*Hom. 6. Homi. de pœnitent. Niniuitarum.*

*Ber. ser. 55. in Cãt.*

*Heb. 10. 1. Cor. 2.*

*Vitam hic corrigendam esse ostenditur Luc. 17.*

*Sophon. 1.*

*Naum 1.*

*Eccle. 21.*

*Culpam non statim*

Neque verò pœna tantùm remanet dimissa culpa, verùm & ipsa culpa non ita per pœnitentiam



tentiam aboletur, vt non illius aliquæ maneant reliquiæ, quæ purgationis indigent. Hoc Dauid exemplo didicimus, cui dixerat quidem Nathan, Dominus transtulit peccatum tuum, sed quia remisso peccato reliquiæ peccati remanserant, orat nihilominus Deum Dauid, vt secundum multitudinem miserationum suarum deleat iniquitatem eius, atq; amplius lauet eum ab iniquitate, & à peccato mundet. Non satis habet curatum esse vulnus (ait Chrysostomus) etiam cicatricem sanari, pristinum etiam decorem restitui petit. Pristinum decorem vocat Chrysostomus splendorem animarum, & pulchritudinem illam, quam nobis Baptismus attulit: quæ posteaquàm semel est amissa, quamlibet eam obnoxis precibus multorum, luctu, ac gemitu, lachrymisque requiramus, vix vlla tamen ratione consequi possumus. Nam licet lachrimis cicatrix ægrè tandem obducatur, (quam obduci tamen credit Gregorius Nazianzenus, iuxta illud Hieremiæ: Inducam ipsis cicatricis obductionem, & medelam) præclarè tamen, inquit, mecum agi putarem, si ipsæ quoque vulnerum notæ delerentur, vt nullum eorum vestigium relinqueretur. Quamobrem hortatur, vt ita post Baptismum viuamus, vt in illa quam in eo sumus, adepti purgatione, quæ fit per Baptismum lachrymarum, qui cumprimis asper & laboriosus est, non indigeamus. Et alio loco, Lachrymis vix obducta vulnera consanescunt. Nam cicatrices de mea quidè sententia nihilominus remanent pessimorum vulnerum, quibus affecti prius eramus, accusatrices. Hoc est, quod à Bernardo quoque dictum est, lauari citò possumus, nimirum per Baptismum: ad sanandum verò opus est curatione multa. Has peccati reliquias pulchrè describit Chrysostomus his verbis: Non in hoc solùm lęditur à peccato quod peccamus, sed & aliud grauat, quod anima recipit habitum: sicut in corpore per exemplum manifestius videre licet. Sicut enim qui febre laborat, non in hoc solùm lęditur, quod ægrotat, sed etiam quòd post morbum infirmior fit, licèt à morbo diutino ad bonam valetudinem redeat. Ita sanè & de peccato dicendum, licèt sanemur, adhuc tamen egemus magna fortitudine. Vide enim, quæso, quendam qui contumelia affecit, & non supplicio affectum: non propter hoc solùm debet lachrymari, quia non contumeliæ dat pœnam, sed etiam propter aliam causam, vt lugeat dignum. Et qualis hæc? Quia impudentior facta est anima. Nam vnumquodque peccatum, vbi patratum fuerit, & ad finem peruenerit, relinquit in animo venenum. Non audis quosdam dicentes, quando à morbo confirmati fuerint: Non ausim aquam bibere? quamuis sanus sit, sed ita morbus lęsit. Athanasius hoc interesse scribit inter baptismum & pœnitentiam. Quod cùm pœnitet homo, cessat quidem à peccando, sed habet vulnerum cicatrices: Cæterùm qui baptizatur, veterem quidem hominem exuit, renouatur autem vt denuò renatus per spiritus gratiam. Et Basilius in Homilia de pœnitentia: Est spes etiam post peccatum, est sanatio etiam post vlcus, sed manet cicatrix. Et frater eius Gregorius Nissenus. Si quo perturbationum impetus duxerit, bestiarumq; pellem, ad vitia ministram & adiutricem habebit, aliud ei deinde ineundum erit consilium, vt ad bonum perueniat: cùm è corpore egressus, cognita quæ inter virtutem & vitium est differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas, purgatorius ignis abstulerit. Ac paucis interiectis: Alijs autem post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes & propensionem ad malum abstergentibus, & ad gratiam initio naturæ concessam, voluntaria bonorum cupiditate redeuntibus. Et his omnibus vetustior Origenes: Transi nunc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus accepit, etiam, si curetur, tamen habet in loco cicatricem vulneris residentem, quæ cicatrix non solùm à DEO videtur, sed ab ijs, qui acceperint ab eo gratiam, per quam videre possint animæ languores, & discernere, quæ sit anima ita curata, vt omni genere vestigium illati vulneris, abiecerit, & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi ipso vestigio cicatricis indicia. Cyrillus quoque explicans illa Psalmi verba: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Verberum, ait, & vulnerum reliquias esse dices cicatrices, quæ in carne manent si ab aliquo vapulare contingat: quæ nisi sanentur, dolorem non mediocrem afferunt, quoniam in vlcera dilatantur interdum, & ad initia sua recurrunt. Simile quoddam in animis hominum videre licet. Ferit enim peccatum, & tanquam vulnus illis morbum infert, si ad opus deducatur. Quod si quis à peccato desistat, hoc est ab execranda turpium rerum voluptate capienda cesset, & quantum potest cupiditatis vim prohibeat & opprimat, & si à cogitationibus illis quodammodo abscondatur, habet tamen vulnerum cicatrices, quæ si diu immorare contigerit, hæ interim, vt dixi, in vlcera conuertuntur, dum fœda voluptas perpetuò ad prauos exitus deducat. Et Cyprianus: Quàm necessaria, quàm benigna est diuina clementia, quæ cum sciat non desse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis, sanandisq; denuò remedia salutaria. Et his omnibus vetustior Philo Iudæus: Manent nihilominus in animis cicatrices quædam & vestigia nequitiæ pristinæ.

Neque verò tantùm in viuentibus, verumetiam in vita functis manent & cicatrices quędam, ac maculæ peccatorum per ignem purgandæ, & pœnæ per quas pro peccatis satisfit, venialibus tantum, pro quibus debita pœnitentia in hoc seculo peracta non est. Quorum vtrunque necessariò credi oportere, grauissimis rationibus discimus. Primùm enim illud constat, quòd illa cum Christo triumphantium Ecclesia, sicut Apostolus testatur, sine macula est & ruga: de qua scriptum etiam legimus, q̃ non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Nam & illud ad eam referri potest, quòd via sancta vocabitur, nec transibit per eam pollutus. Quamobrem purgari necesse est cicatrices & maculas peccatorum, priusquam ad Ecclesiam illam, quæ est sine macula & ruga, peruenire liceat. Quod ex illo Esaiæ liquet loco: Abluet Dominus sordes filiarum Syon, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et ex altero Malachiæ loco: Ecce venit, dicit Dominus

*pœnitentiam aboleri per pœnitentiam.*

*2. Reg. 12.*

*Psal. 30.*

*Chrysost. Homil. 2. in Psalmum 30.*

*Peccati reliquias pijs exercitijs semper mortificare debemus.*

*Greg. Nazianz.*

*Greg. in verè Cygneis carm. de Episc.*

*Ber. in serm. de cæna Domini.*

*Chrysost. in acta Apost. Hom. 41.*

*Peccatum relinquit in anima venenum.*

*Anima impudentior per peccata efficitur & infirmior.*

*Athana. in libro de blasph. in spir. sanc.*

*Greg. in orat. non esse dolendum ob eorum obitum, qui in fide discesserunt.*

*Purgatorius ignis.*

*Orig. Homil. 8. in Leuiticum.*

*In orat. in sanctum lauacrum.*

*Cyp. ser. 1. de eleemosyna.*

*Philo lib. 2. de monarchia.*

*Purgatorium post hanc vitam.*

*Ephe. 5.*

*Apoc. 21.*

*Esaiæ 35.*

*Esaiæ 4.*

*Malach. 3.*

*Aug. libr. 20. de ciuitate Dei. cap. 25.*

*Matt. 12.*

*August. lib. 21. cap. 24. de ciuitat. Dei.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Greg lib. dial. 4. cap. 39.*
*Beda in cap. 3. Marci.*
*Ber. Hom. 66. in Cant.*
*1. Corinth 3.*
*Orige. Hom. 6. in Exod. & 8. in Leuit. & super Hier. Hom. 12.*
*Tom. 8. in Psal. 37. Et in Gene. contra Manicheos.*
*August. homil. 26. in numeros.*
*Hier. in fine comment. super Es.*
*Aug lib. 21. cap. 6. de ciuitat. Dei, & in Psal. 37 ser. 38. & 41. de sanctis. In Ench. & hom. 16. in lib. 50. hom. Greg. libr. diac. 4. cap. 7.*
*Ambrosi. in cap. 12. Cypr. lib. 4. Epist. 2. Et in libro de laude Martyrij. Luc. lib. 7. Philippen. 2. Apocalyp. 5.*

nus omnipotens, & quis sustinebit diem introitus eius? aut quis ferre poterit vt aspiciat eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit quasi conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Ex vtroque hoc loco rectè purgatorias pœnas colligit Augustinus. Qui simul ex illis verbis, vbi dicitur, peccatum in Spiritum sanctum non dimitti, neque in hoc seculo, neque in futuro, docet esse quędam peccata, quę si non in isto, tamen remittantur in futuro seculo. Quod non tam de pœna peccati, quàm de ipso peccato rectè intelligi, cùm ipse Augustinus, tum secuti illum Gregorius,, Beda, & Bernardus, atque alij complures auctores sunt. Deinde verò ita misericors est Deus, vt sit iustus nihilominus: neque boni quicquam est, quod non remuneretur, neque mali, quod pœna aliqua non prosequatur. Remittit itaque pœnam æternam pro sua misericordia, sed exigit nihilominus temporalem pro sua iustitia, ne sit malum prorsus impunitum. Quamobrem certò persuasum esse debet pijs omnibus, restare post hanc vitam pœnas ignis purgatorij, quibus expiantur leuiora peccata eorum, qui dum viuerent, ipsi pœnas de illis sumere conati non sunt. Hic est ille ignis, de quo dixisse Apostolum: Saluus erit tanquam per ignem: vetustissimus Origenes, & eum sequuti Hieronymus, Augustinus, Sedulius, Gregorius, Cæsarius, Anselmus, memoriæ prodiderunt: Sed libet Augustini verba adscribere. Dicitur, inquit, Saluus erit, sic tamen quasi per ignem: & quia dicitur, Saluus erit, contemnitur iste ignis. Ita planè quamuis salui per ignem: grauior tamen erit iste ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Hunc esse carcerem, de quo Christus loquitur: Non exibis inde, donec reddas nouissimũ quadrantẽ, intelligi vult Ambrosius. Ante quos etiã Cyprianus. Aliud est, inquit ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire inde, nisi soluat nouissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse. Hoc loco Cyprianus, pro eodem accipere videtur, ad veniam stare, missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: & quæ sunt his tribus opposita, ad gloriam peruenire: statim fidei ac virtutis accipere mercedem: peccata omnia passione purgasse. Et alio loco: Legi scriptum esse, vsq; ad quadrantem nos vltimum reddere: Sed hæc pars ablata martyribus. Etenim, qui salutis æternæ cupiditatibus freti vitæ huiusce desideria vicerunt: hos expertes doloris vniuersi Domini propiciatio coronat. Videtur ijs in locis non obscurè Cyprianus, esse purgatorium ignem, asseruisse: & solos martyres eius doloris expertes esse, declarasse. Boëtius quoque suppliciorum duo genera post mortem relinqui scribit, quorum alia pœnali acerbitate, alia verò purgatoria clementia exercentur. Iam illa Apostoli verba: Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et alia rursus ex Apocalypsi: Quòd nemo inuentus est, nec in cœlo, nec in terra, nec subtus terram, qui dignus esset aperire librum: nunquid non apertè purgatorium indicant? Cui enim dubium esse potest, qui subtus terram in gehenna sunt, eos in IESV nomine genua non flectere, quem iugiter potius blasphemant? Sed nec aperiendi libri vlla de eis est probabilitas, vnon de alijs intelligi locus hic posit rectius, quàm de ijs, quorum in purgatorio delicta expiantur. Sed & ex illo Machabęorum libri loco: Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: rectè colligi potest, esse quædam abdita receptacula, in quibus eorum animæ detinentur, qui cum signo fidei in confessione Christi nominis ex hac vita decesserunt. Nam pro his qui sunt in cœlo nihil attinet Deum precari, qui cùm summa beatitudine perfruantur, gratiæ potius agendæ sunt Deo, qui tantæ beatitudinis eos participes facere dignatus est, quàm, vt orare pro illis necesse sit. Iniuriam facit Martyri, dicit Augustinus, qui pro illo orat. Qui verò sunt ignis ęterni supplicijs destinati, pro eis superuacanea est omnis oratio. Nam in inferno nulla est redemptio. Si itaque salubris est cogitatio pro defunctis exorare: neque necesse est orare pro ijs, qui sunt in cœlo, quò nulli patet aditus, nisi prius omni peccati reatu sit solutus, superuacaneum autem sit pro ijs orare, qui sunt in gehenna: quid restat aliud nisi tertium esse locum aliquem, in quo pœna quadam temporaria purgentur ij qui non satis purgati ex hac vita migrauerunt? Legimus in Genesi, flammeum gladium atq; versatilem ante Paradisum esse collocatum. Quid autem sibi vult flammeus iste gladius? nisi quòd sicut hunc locum Rupertus interpretatur, quicunque deinceps admittendi sunt, illos transire per examinatorium ignem oporteat. Scribit Basilius de gladio hoc, quòd ligni vitam custodit, in fidelibus quidem formidandus, credentibus verò propitius. & amenè coruscans. Et versatilem illum fecit Dominus: quando fidelem conspexerit, ensis terga ostendit. Et frater eius Gregorius Nissenus: Non semper, inquit, ingredientibus, ex aduerso eum stantem scriptura demonstrat, verumetiam verti fingit, vt indignis quidem aduersus appareat, dignis verò versus à tergo existat, expeditum eis aditũ patefaciens ad vitam, intra quam illi fiducia certaminum, illęsi flammam transgressi penetrarunt, qua etiam nos intrepidè superata, intra Paradisum perueniamus per illorum intercessionem confirmati ad bonam Confessionem Domini nostri IESV CHRISTI. Quem secutus Ambrosius, plura genera baptismatum enumerat. Est etiam baptismum, inquit, in Paradisi vestibulo, quod antea non erat, sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse: Romphea ignea, quam posuit Deus, quę antè non erat, quando peccatum non fuit, culpa cœpit, & baptismum cœpit, quo purificentur, qui in Paradisum redire cupiebant, vt regressi dicerent: Transiuimus per ignem, & aquam. Hic per aquam illic per ignem: Per aquam, vt abluantur peccata: per ignem, vt exurãtur. Et paucis interiectis: Et si aliquis vt Petrus sit, vt Ioannes, baptizatur hoc igni: Veniet ergo Baptista magnus, mouebit Rompheam versatilem, dicet his qui à dextris sunt, non ha-

*Lib. 4. de Conf. Phil. Prosa 4.*
*2. Machab. 12.*
*Hom. 17. de verbis Apostoli.*
*Genes. 4. Gladius flammeus & versatilis quid sit, prolixè exponitur.*
*Ruper. lib. cap. 32. in Genesim.*
*Basil. in exhortatione ad Baptis.*
*Orat. 2. in 40. Martyres.*
*Ambr. in psal. 118.*
*In psal. 111. serm. 3.*



non habentibus grauia peccata: Intrate qui præsumitis, qui ignem non timetis. Et aliquanto pòst in eundem Psal. scribens: Omnes oportet per ignem probari, quicunq; ad Paradisum redire desiderant. Non enim otiosè scriptum est: Quod eiectis Adam & Eua de Paradisi sede, posuit Deus in exitu Paradisi gladium igneum versatilem. Omnes oportet transire per flammas: Siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere, quid ad te, tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem non possumus dubitare, quia in Paradiso est, nec separatur à Christo: Siue ille sit Petrus, qui claues accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulauit, oportet dicat: Transiuimus per ignem & aquam, induxisti nos in refrigerium. Sed Ioanni citò versabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas. Sed si quid in eo fuit humani vitij, charitas diuina decoxit. Alæ enim eius, sicut alæ ignis. Qui habuerit hic charitatis ignem, illic ignem gladij timere non poterit. Ipsi Petro qui mortem suam toties pro Christo obtulit, dicet: Transi, recumbe, sed ille dicit, igne nos examinabit, sicut examinatur argentum. Etenim in quo aqua multa excludere non potuit charitatem, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabitur vt argentum, ego examinabor vt plumbum, donec plumbum tabescat, ardebo: si nihil argenti in me inuentum fuerit, heu me, in vltima inferni detrudar, aut vt stipula totus exurar.

*Sermo. 20.*

Quod si scripturis etiam probari purgatorium non posset, cùm tamen vnanimes, vno ore sancti Doctores omnes à Christo nato ad hæc vsq; nostra tempora, vel pœnarum ignis purgatorij, vel orationum & sacrificiorum pro defunctis meminerint, cùm plerique eorum, nominatim verò Augustinus & Ioannes Damascenus, etiam libros de cura pro mortuis gerenda conscripserint, quis est, qui dubitare queat, Apostolicam hanc esse traditionem, quæ tanto omnium consensu, tot seculis in Ecclesia semper fuit obseruata? Cui qui contradixit Aërius, ante mille ducentos annos, pro hæretico habitus est, quòd superuacaneas esse diceret orationes & oblationes pro defunctis, sicut apud Philastrium, Epiphanium, Augustinum, Damascenum legimus. Ante quadringentos etiam annos fuerunt Henriciani quidam & Petrobrusiani: qui cùm ad eundem lapidem offendissent, per Petrum Cluniacẽsem, & Bernardum Abbatem Clareuallensem confutati sunt. Libet autem vnicum hic Augustini locum adscribere: Hi qui temporalibus pœnis, inquit, digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem: per fluuium igneum, de quo propheticus sermo cõmemorat: Et fluuius igneus curebat ante eum: per fluuiũ igneum & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora: Quantũ exegerit culpa, tantũm sibi ex homine vendicabit quædam flãmæ rationabilis disciplina: Et quantum stulta iniquitas suggesserit, tantùm sapiens pœna deseuiet. Et quia sermo diuinus quodam loco æneæ ollæ comparat, dicens: Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat æs eius, & stagnũ eius defluat: illic sermones ociosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ, illic multitudo leuiũ peccatorum, quæ puritatem nob lis naturæ infecerant, exudabunt: illic stagnum vel plumbũ diuersarum passionum, quæ aurum diuinæ imaginis adulterauerant, consumentur. Quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas & lachrymas compendiosa transactione potuissent: Quæ eadem ad verbum ferè reperiuntur apud Eusebium Emissenum. Qua de re qui volet plura legere, poterit apud Lactantium lib. 7. institutionum. ca. 21. Prudentium in Hamartigenia, Hieronymum cap. 20. in fine cõmentariorum in Esaiam, Et Gregorium Nissenum in disputatione de anima & resurrectione cum sorore Macrina: Nam nobis hoc loco propositum non est, hoc argumenti genus tractare. Obiter tantùm illud significãdum esse duximus: Si volumus pœnas effugere temporarias, vel in hoc, vel in futuro seculo pro peccatis nostris nobis infligendas, opus esse, vt ipsi nos iudicemus, vt ipsi supplicium de nobis sumamus, vt per ieiunium, orationem, & eleemosynam peccata nostra expiantes, Deum nobis placatum reddamus, vt cùm ipsi nobis non pepercerimus, parcat ille nobis, atque à pœnis, quas longè grauiores eramus commeriti, nos liberet.

*Aërij error. Libr. de hæresibus. Libr 50. Homilia. rum Hom 16. Hom. 3. Epiphan.*

Atque hæc est satisfactionis ratio, quæ inter partes siue actus pœnitentiæ tertio loco numeratur, quę tollitur tamen nonnunquam per indulgentias, quę & ipsę valent ad peccatorum remissionem. Quo magis autem intelligi possit, quæ sit indulgentiarum vis, sic accipi rem oportet. Dominus noster Iesus Christus, sicut ab Augustino traditum legimus, vnus est homo cũ capite & corpore suo, saluator corporis & mẽbrorũ corporis, duo in carne vna, & in voce vna, & in passione vna, & cùm transierit iniquitas in requie vna. Passiones itaque Christi nõ in solo Christo, imò passiones Christi, nõ nisi in Christo. Si enim Christũ intelligas caput & corpus, passiones Christi nõ nisi in Christo. Si autem Christũ intelligas caput tantùm, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, siue in solo capite, vnde dicit quoddam membrũ eius Paulus Apostolus, vt suppleam, quæ desunt passionum Christi in carne mea? Nunquid aliquid passionũ deerat in Christo capite? an nõ passus est, quicquid pati debuit? Nõne ipse dixit: Consummatum est? Quibus verbis significauit iam de mensura passionum suarum nihil deesse, quia omnia, quæ dicta de se fuerant completa essent. nihil ergo deerat passionibus Christi, quatenus caput est, sed restabant adhuc, & restant Christi passiones in corpore, in eo corpore, de quo dixit alibi Paulus: Vos estis corpus Christi, & membra de membro. In huius ergo corporis mẽbris, hoc est, in pijs hominibus, qui tanquam caput semel passus est, passus est sæpè, & patitur Christus. Nam vnusquisq; piorum pro modulo suo exoluit, quod debet, & pro posse virium suarum quasi canonem passionum infert, quarum non erit finis, nisi cum seculum finitum fuerit. Sic patiebatur Christus à Saulo, quando dixit illi: Saule, Saule, quid me persequeris? Membra persequebatur, & tamen se in membris suis pati Christus interpretabatur. Quomodo solet lin

*Satisfactio tollitur indulgentia. Indulgentiarum vis. Aug. in psal. 61. & 86. Christi duplex ac ceptio. Coloss 1. Ioan. 19. Christi passiones in corpore complẽtur. 1. Corinth. 12. Actor. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gua dicere calcato pede, calcas me: Linguam nullus tetigit: compassione clamat, non attri-
1. Corinth. 12. tione: Ita Christus, si quis membro suo faciat iniuriam, si quis illud persequatur, sibi fieri quicquid illi fit, imputat. Quam verò verborum illorum interpretationem adfert Augustinus, eandem & Petrus Lombardus & Anselmus, & alij multi ex recentioribus sequuntur. Libet autem D. Thomę verba adscribere: Hęc verba secundum superficiem, malum possent habere intellectum, scilicet, quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem multorum mundorum. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Sic intelligendum est quòd Christus & Ecclesia est vna persona mystica, cuius caput est Christus, corpus omnes iusti. Quilibet autem iustus est quasi membrũ huius capitis, & membra de membro. Deus autem ordinauit in sua prædestinatione quantum meritorum debet esse per totam Ecclesiam, tam in capite quàm in membris, sicut & prædestinauit numerum electorum, & inter hæc merita pręcipuè sunt passiones Sanctorum Christi scilicet, capitis merita sunt infinita, quilibet verò Sanctorum exhibet aliqua merita secundum mensuram suam. Et ideò dicit, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, id est, totius Ecclesię, cuius caput est Christus, adimpleo, id est: addo mensurã suã, & hoc in carne mea, id est ipse patiẽs. Hactenus Thomas.

*Christi passiones adimplere.*

Hãc qui capitis cum corpore cõiunctionẽ intelligit, facilè perspicere potest, quæ sint Christi capitis, quę sint corporis & membrorum eius merita. Nam sicut viuit Christus in membris suis, ita patitur in membris suis, ita meretur in membris suis, ita satisfacit in membris suis. Hoc est quod dicit Paulus, adimplere se, quę desunt Christi passionũ in carne sua. Non quòd congeries Christi passionum, quas tanquam caput pertulit, non fuerit sufficiens ad exolutionem pœnarum, quæ totius Ecclesię peccatis debebãtur, sed quòd multa pars passionum eius adhuc corpori eius, quæ est Ecclesia, deest, priusquam persequutionũ Christi sit finis: quia vsq; in finem seculi patitur Christus in suis membris.

*Meritum passionis ac mortis. Christi & sanctorum eius superat multo omnia flagitia totius orbis.*

Hinc colligere licet, quòd meritum passionis & mortis Christi, ac sanctorum eius, in quibus patitur & patietur Christus vsq; adcõsummationẽ seculi, multò fuerit & sit abũdãtius, quàm fuerint & sint, & esse possint omnia totius orbis flagitia, ad illa abluenda, pro quibus vel vna gutta sanguinis sui satisfacere poterat. Nam si potuit dicere beatus Iob: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris grauior hæc appareret: certè multò rectius de Christo dici potest, quòd calamitas, quam pertulit iustus pro iniustis, multò grauior est si in statera appendatur, quàm sint omnia peccata in vnum collecta, non vnius, verumetiam si dici possit multorum mundorum, pro quibus eam sustinere dignatus est: meritum vt illius infinitis partibus omnes iniquitates & scelera totius orbis superare videatur. Ex hac itaq; superabundãtia meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum eius, hoc est, capitis & corporis, pendet & constat indulgentiarum thesaurus: cuius dispensatio cùm ad alios Episcopos, tum ad summũ Pontificem præcipuè pertinet, qui totius Ecclesiæ sub Christo capite caput est: cui Christus ipse peculiariter claues regni cœlorum cõmisit. Hoc est quod dicit Apostolus. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et iterum: Dispensatio mihi credita est. Et rursus alio loco: Cui donastis aliquid, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. Effectus ergo siue fructus indulgentiarum hic est, quòd per eas illius, quæ fit per opera pœnitentiæ, & per Sacerdotem alicui in Sacramento pœnitentiæ iniungitur & præcipitur, satisfactionis sit remissio siue condonatio. Quoniam verò per iniũctam satisfactionẽ, quam verè pœnitens exequitur, soluitur & aufertur pœna temporalis, quæ peccato, quod patratũ est, ex iustitia diuina debetur: consequẽs est per indulgentias veluti satisfactorias pœnas (tantùm enim valent, modò dignè ac rectè administrentur & acquirantur) tantundem remitti pœnæ temporalis apud iustitiam diuinam, quantum apud eam ipsæ, quas aliquis accipit, valent indulgentiæ.

*Matt. 16. 1. Corinth. 4 1. Corinth. 9. 2. Corinth. 2. Indulgentiarũ fructus & effectus.*

*Sanctorum merita, ad remissionem peccatorum valent, ex scripturis probatur. Orige. Hom. 10. in Num. 2. Corinth. 12. 2. Timoth. 4.*

Ac ne cui nouum videatur, quòd etiam Sanctorum passiones & merita valere dicimus ad remissionem peccatorũ, libet hic adscribere, quid ea de re vetustis simus & idem doctissimus vir senserit Origenes. Quòd Dominus noster Iesus Christus venerit, vt tolleret peccatum mundi, & morte sua peccata nostra deleret, nullus qui Christo credit, ignorat. Quomodo autem & filij eius auferant peccata Sanctorum, id est, Apostoli & Martyres, si poterimus ex scripturis diuinis probare, tentabimus. Audi primùm Paulum dicẽtem: Libenter enim, inquit, expendam & expendar pro animabus vestris. Et in alio loco: Ego enim iam immolor, & tempus regressionis siue resolutionis meæ instat. Pro his ergo quibus scribebat, expendi se & immolari dicit Apostolus. Hostia autem cùm immolatur, ad hoc immolatur, vt eorum ,p quibus iugulatur peccata purgentur. De Martyribus autem scribit Ioannes Apostolus in Apocalypsi: Quia animæ eorum, qui iugulati sunt propter nomen Domini Iesu, adsistant altari: qui autem assistit altari, ostenditur fungi Sacerdotis officio. Sacerdotis autem officium est ,p populi supplicare peccatis. Et in eodem libro: Vide, inquit, ne fortè sicut Dominus & Saluator noster quasi agnus ad occisionem ductus, & in sacrificium altaris oblatus

*Homi. 24. in num. Sacerdotis officium est in altari pro populi peccatis supplicare.*

peccatorum remissionem vniuerso præstitit mundo: ita fortasis cęterorum sanctorum ac iustorum sanguis fusus est, ad expiandum ,p parte aliqua populum. Ac interiectis nõnullis, posteaquam docuit, quod etiam Paulus hostiam se obtulerit iugulandam, similiter & alij sancti: Sed in his omnibus, inquit, vnus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatũ: & ideò cessauerunt cęteræ hostiæ, quia talis hæc fuit hostia, vt vna sola sufficeret pro totius mundi salute. Cęteri enim precibus peccata, hic solas potestate dimisit. Dicebat enim: Fili remissa sunt tibi peccata tua. Scribit etiam in eandem sententiam pleraq; in suis in Ioannem

*Tomo 9.*

cõmentarijs, nec est veritus dicere Ioannes Chrysostomus, vel quisquis fuit auctor operis

*Homil. 41.*

imperfecti in Matthęum. Sancti quoq; occisi sunt ,p salute eiusdem populi, quemadmodum docet nos Apostolus, dicens: Ego autem impendar & superimpendar ,p animabus vestris.

Item



Item alibi: Ego enim iam delibor. Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus erat Paulus pro populo, quem docebat. Et quoniam mors Prophetarum sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plenè saluare poterat totum mundum, ideò nouissimè immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detegeret. Propterea, & in diebus Scœnopegię, quę interpretatur fixio tabernaculi, diuersę hostię occidebantur in figura Sanctorum. Nouissimè autem occidebatur & agnus. Si ergo agnum illic occisum intelligimus figuram Christi, cõsequenter & cęteras hostias intelligimus præcedentium Sanctorum occisiones. Sed & Christus de figurata Sanctorum suorum immolatione dicebat: Holocausta medullata offeram tibi cum arietibus, & incenso: offeram tibi boues cum hircis. Nec enim Christus aliquãdo huiusmodi animalia obtulit Patri. Obtulit autem rationabiles arietes, id est, Principes omnium Christianorum, obtulit boues rationales, terram colentes, obtulit etiam hircos ex Gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi. Hęc autem diximus, vt ostendamus, tauros & saginata occisa: intelligi debere Sanctos occisos. Omnes ergo Prophetæ & Christus ideò occisi sunt, vt hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur. Non dubitauit Ambrosius ita parentes alloqui: Audistis parentes, quibus erudire disciplinis filias debeatis, vt habere possitis, quarum meritis vestra delicta redimantur. Virgo Dei donum est, munus parentum, Sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur. Hic Ambrosius meritis virginum parentum delicta redimi testatur, & virginem vocat matris hostiam, cuius quotidiana sacrificio vis diuina placatur. De Stephano narrat Gregorius Nissenus, quòd hic tanquam Sacerdos quidem iuxta legem spiritualem, puram hostiam immolans, non alicuius, sed suum admouens corpus, & loco libaminis sanguinem spargens, per sese Deum, quem in cœlestibus adytis cernebat, delinquentibus placabat. Hic Gregorius sui corporis & sanguinis sacrificio Stephanum placasse, Deum delinquentibus placabat. Hic Gregorius sui corporis & sanguinis sacrificio Stephanum placasse, Deum delinquentibus narrat. Gregorius quoq; Nazianzenus, in eo sermone quo Cyprianum laudat, posteaquam indicauit, quem nobis fructum attulerunt Christi passiones, qui in crucem ascendit, & nos eò secum deduxit, vt peccatum in ea nostrum affigeret, de serpente triumpharet, lignum sanctificaret, Adam denuò saluum faceret, imaginem quæ ruinam minabatur, reuocaret, ac restauraret. Inter hæc tanta ac talia, non minorem ex martyribus quoq; fructum accepisse docet, quos vocat holocausta rationabilia, sacrificia perfecta, oblationes acceptas, malitiæ expulsionem, ἁμαρτίας κατάκλησμον καὶ κοσμοῦ κατάφθορον, hoc est, peccati submersionem, & mundi expurgationem: Vbi verò Machabęos laudat, quibus martyrum etiam appellationẽ tribuit, quamuis ante Christum natum, non sine fide tamen Christi pro lege mortem obierunt, de patre eorum Eleazaro scribens, dicit eum seipsum hostiam ex omni parte perfectam Deo obtulisse, vniuersæque plebis expiatricem. Et alio loco multa Christi beneficia enumerans, & quod sacrosanctum cruorem suum vt nos à peccati labe expiatos in libertatem assereret, effudit: multas, inquit, prætereà victimas alias edidit, hoc est, eos qui post ipsius in cœlum assensum, pietatis Christianæ doctrinam mortalium animis inseruerunt dulciq; morti, vt & verbis verbum, & sanguinis profusione sanguinem fusum honorarent, ire obuiam non dubitarunt. Num autem his verbis Gregorius, non eadem illa Martyribus alijs, quæ Christo, quem primum Martyrem vocat, tribuit? Quid enim amplius & magnificentius de illis prædicari potuit, quàm ꝙ eos non solùm holocausta rationabilia, sacrificia perfecta, oblationes acceptas, verum & peccati submersionem, & mundi expurgationem esse dicit? An hæc solius Christi propria non sunt? An Agnus ille qui tollit peccata mundi, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi, qui proiecit in profundũ maris omnia peccata nostra, an agnus ille solus Christus nõ est? An alium Gregorius, præter Christum proposuit nobis propitiatorem in sanguine suo? Scilicet nõ sufficit Christi sanguis, ad nos à peccatis nostris expiandos, nisi Martyrum sanguis quoq; accederet: cui peccati submersionem, cui mundi Gregorius tribuit expurgationem? Sed non fuit adeò rudis Gregorius, quem non sine causa Græci Theologum vocant, vt nesciret Christum esse, qui lauit nos à peccatis in sanguine suo: nec tam vel ab omni mente desertus, vel à pietate remotus, vt quæ soli Christo gloria debetur, eam in homines translatã vellet. Verùm & hoc interea non ignorabat, quòd etiam in Martyrum sanguine non mundabat nisi sanguis filij Dei, sanguis agni illius immaculati, in quo suas quoq; stolas, hoc est, virtutum suarum indumenta lauerunt, & dealbauerunt etiam ipsi sancti Martyres: vt & peccati submersio, & mundi expurgatio non tribuatur nisi Christi sanguini. Ille est qui lauat, ille est qui dealbat in sanguine nõ eo tantum quem ipse caput nostrum fudit, ab impijs flagellatus & in crucem actus, verùm in eo quem fudit in suis membris, in suis sanctis Martyribus, quorum passiones, Christi passiones erunt: Christi sanguis in Martyrum sanguine fundebatur. Quod etiam indicat in Hieremiam scribens Origenes, cùm dicit: Si considerares Martyres vbiq; condemnatos, & de singulis Ecclesijs exhibitos ad tribunal, videbis quomodo per singulos Martyres IESVS condemnetur. Et paulò pòst: Si condemnatur etiam Christianus, pro hoc tantum quod Christianus est, Christus est qui condemnatur. Cyprianus. Dominus luctatur ipse in vobis, congreditur ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter & coronatur. Et alio loco: Cum caput viri Christus sit, & caput Christi Deus, qui caput laniabat in martyre, Deum & Christum persequebatur in capite. Et iterum alio loco: Hoc solum secum ipse conuoluens, quòd in illa crudelitate carnificũ plus, pro quo patitur Christus, quàm ipse patiatur. Scribit Linus Petri successor, quòd cùm portã Ciuitatis Romanę fuisset egressus Petrus, vidit sibi Christum occurrere & adorans eum ait, Domine quò vadis? Respondit ei Christus, Romã venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum: Etiam: iterum crucifigar. Petrus autem dixit, Domine, Reuertar, & sequar te. Et his dictis

*Orat. 39. in Cypria.*

*Orat. 21. In carm. ad Episcopum.*

*Hom. 11.*

*Lib. 2. Epist. 6. De exortatione Martyrij cap. 11. De laude Martyrij. Amb. lib. 5. Epistolarum in oratione de Basilicis tradendis.*

*In cap. 4. 2. ad Cor.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Dominus ascendit in cœlum. Petrus autem prosequutus est eum multo intuitu atque dulcissimis lachrymis: & post hæc rediens in seipsum intellexit de sua dictum passione, quòd in eo Dominus esset passurus, qui patitur in electis, misericordiæ compassione, & glorificationis celeritate. Quam historiam & ab Hegesippo & ab Ambrosio, modò non totidem verbis repetitam legimus. Qui etiam alio loco explicans illud Pauli: semper mortem Iesu in corpore nostro circumferentes &c. Dubium non est, inquit, quia in martyribus Christus occiditur, & in ijs qui pro fide patiuntur, aut exilium, aut vincula, aut verbera, Christi passiones sunt. Gregorius quoq; Pontifex locum illum explicans, In quacunq; die tribulor, inclina, &c. Ecce iam caput nostrum sedet à dexteris Dei & tamen se dicit tribulari. Vbi ergò tribulatur nisi in corpore? Nam quod in corpore tribuletur manifestè ostendit, cùm Saulo persequutori dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Et Petro ait, Venio Romã iterũ crucifigi. Qui enim in seipso iã pridẽ Crucifixus fuerat, in Petro iterum se crucifigẽdum dicebat. Et alio loco: Si caput, inquit, nostrum, tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persequutori suo etiam de cœlo clamaret, Saule, Saule, quid me persequeris? Si cruciatus nostri eius pœnæ non essent, conuersus afflictusq; Paulus minimè diceret, suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. Et antecessor eius Leo Pontifex: Passio, inquit, Domini vsque ad finem producitur mundi, & sicut in Sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnib. qui pro iustitia aduersa tollerant, ipse compatitur. Et successor eius Gregorius Pontifex: Si caput, inquit, nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret: Saule, Saule, quid me persequeris? si cruciatus nostri eius pœnæ non essent, conuersus, afflictusque Paulus minimè diceret: Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. Extat apud Eusebium scriptum quoddam seruorum Christi, qui Lugdunum & Viennam incoluerunt, vbi de quodam, cui Saulas erat nomen scribentes. In quo Christus, aiunt, patiens magnam consecutus est gloriam. Sic Theophylactus quoque Pauli locum illum explanans: Abundant passiones CHRISTI in nobis. Non simpliciter dixit, inquit, passiones, siue afflictiones, sed CHRISTI: Christi, inquit, passiones sunt, quas hic nos patimur, noscque efficimur participes afflictionum ipsius. Sic Simon quoque de Cassia scribit: Quòd omnis passio, quam propter CHRISTVM: tollerat Ecclesia Christi, CHRITI est. Nam omne quod quis propter alium inuitè aut voluntariè patitur, eius esse dicitur pro quo tolleratur. Nec meritũ habet in eo, quòd Ecclesia multa in Martyribus perpessa est à Tyrannis, aut quod sibi voluntariè in confessionibus intulit. Sed pro eo quod pro CHRISTO sustinuit, & sibi pro CHRISTO ad captandum regnum cœlorum violentiam fecit. Ac per hoc omne bonum, quod pro CHRISTO, aut patiendo, aut aliter agitur, CHRISTI est, & agentis à gratia CHRISTI, qua sibi tribuitur, & vt agatur, ipse gratiam tribuit, & precium iustum in retributione præmiorum per misericordiam suam nostris actionibus æqua lance iustitia posuit, nec alicuius æstimationis essent, nisi suis actionibus sociaret, vt communicatio actionum CHRISTI cum nostris, salutarem effectum tribuat operibus nostris. Agentis autem est, quia libera voluntate id, quod placitum est DEI nouit, & exequitur. Libera enim voluntas agendi, nostra facit esse quæ facimus. Ac rectè quidem isti passiones piorum pro Christo, CHRISTI vocant passiones. Sic enim ipse dixit Christus: Quicquid feciſtis vni ex minimis meis, mihi feciſtis. Itaque Christi sanguis in eo quem fudit, ipse caput nostrum in suo corpore, & in eo sanguine quem fuderunt ipsius membra Sancti Martyres lauit, & dealbauit stolas, & ipsorum Martyrum & nostras. Ille sanguis remissionem peccatorum, & illis & nobis meruit. Ille sanguis & illos, & nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum, vt conglorificemur: si tamen compassi fuerimus. Tolle sanguinem hunc à sanguine Martyrum, nil nobis profuerit sanguis Martyrum. Audeo dicere quòd citius nos inquinauerit quàm lauerit. Omnis vt iustitia nostra, (libet enim Ambrosij verbis vti) sanguis Christi sit. Omnia vt merita nostra CHRISTI sanguinis merita sint. Si quidem caput, & corpus vnus est Christus, vt si quæ sunt virtutes nostræ, nihil aliud, quàm iustitia meritorum sanguinis Christi fulgeat in illis. Quam etiam ob causam, cùm Christi fideles persequeretur Saulus. Non dixit Christus: Saule, Saule, cur persequeris membra mea: Sed cur me persequeris? vt se cum suis membris vnum esse Christum, se persecutionem in illis pati, suum sanguinem in illorum sanguine fundi demonstraret. Detrahere itaque meritis sanctorum, nihil est aliud, quàm detrahere meritis Christi. Christus est enim qui viuit in illis: Christus est qui patitur in illis: Christus est qui meretur in illis: cuius fuso pretioso sanguine sit, vt illorum quoque fusus pro Christo sanguis valeat nobis ad remissionem peccatorum, quamuis hæc remissio non per alium detur, quàm per Christum. Hoc est, quod etiam à Hieronymo scriptum legimus. Quod autem scriptum est: Et sanguis Iesu Christi filij eius mundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis, non mundat nisi sanguis Iesu Christi. Præclarè sanctus ille Pater Bonauentura, non sine causa Seraphicus appellatus: Ac per hoc in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, siue satisfactoria pœnæ, siue meritoria vitæ æternæ, quia nec ab offensa summi boni digni sumus absolui, nec immensitatem æterni præmij, quæ Deus est, digni sumus lucrari, nisi per meritum hominis Dei, qui dicere possumus & debemus, Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Ipse, inquam, est Dominus cui Propheta dixit: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sed hæc obiter de Sanctorum meritis, quæ miro quodam consensu semper fuerunt ab omnibus & doctrina & pietate viris præstantibus, omnibus seculis in Ecclesia celebrata, de-

*Hegesip. lib. 3. de Exc. Hieros.*
*Amb. in orat. de Basilicis tradendis.*
*Greg. in 5. Psal. Pœniten. & li. 3. Mor. cap. 11.*
*Serm. 19. de passione Domini.*
*Eccl. Hist. li. 5. c. 1.*
*In 1. Cor. 2.*
*Simon de Cassia.*
*Amb. in psalm. 118. ser. 20. ver. 3.*
*Cont. Pelagianum.*
*In breuiloquio Parte 4. cap. 7.*



que pœnitentia & eius partibus dicta sufficiant. Nunc de Sacramento extremæ Vnctionis dicendum nobis restat.

## *De Sacramento extremæ Vnctionis.*

## CAP. XLIX.

MEDIATOR Dei & hominum, qui cùm venisset saluum facere quod perierat, dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, non solùm Iesus, verumetiam CHRISTVS vocari voluit. At illud quidem nomen inde sortitus est, Matthæo etiam Euangelista teste, quòd ipse saluum facturus esset populum à peccatis eorum. Neque enim est nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo nos fieri saluos oporteat, præter nomen Iesu. CHRISTVS verò ex eo appellatus est, quòd cùm regia simul & sacerdotali dignitate fungeretur, vnctus erat non ab hominibus, verùm ab ipso Deo: non confecto oleo, sed diuino spiritu. Sic enim dicit de eo Propheta: Spiritus Domini vnxit me. Neque verò propterea tantùm CHRISTVS nominari voluit, quòd vnctus ipse, verumetiam quòd vnctionis gratiam in alios diffusurus esset. Quod pluribus etiam prosequitur Theodoretus, Psalmum vigesimumsextum enarrans.

Legimus Dauid Regem tribus vicibus vnctum esse. Primùm in domo patris sui. Hæc vnctio significabat illam, quæ fit in baptismo, quæ & ipsa signum est futuros nos regni illius participes, quod expectamus regni sempiterni, regni cuius non erit finis, regni quod paruit nobis Deus à constitutione mundi. Secundò vnctus est, in Hebron, vt regnaret super domum Iuda, post quam vnctionem mala & aduersa multa passus est. Hæc significabat vctionem in Sacramento confirmationis, per quam nobis confertur Spiritus sanctus ad resistendum diaboli tentationibus, qui nos per omne vitæ nostræ tempus grauiter oppugnare nũquam intermittit, nihil vt aliud sit vita hominis super terram, quàm militia. Tertiò iterum vnctus est in Regem super omnem Israël. Post hanc vnctionem in pace regnauit. Hæc significabat vnctionem istam extremam, de qua nobis nunc sermo est. Post hanc enim superatis hostibus diuino beneficio nobis datur, vt in regno illo, ad quod in baptismo inuncti sumus & inaugurati, pace fruamur sempiterna.

Quemadmodum autem baptismus est intrantium, sic hoc extremæ vnctionis sacramentum est ex hac vita mortali exeuntium. Nam cùm calcaneo nostro serpens callidissimus insidietur maximè, neque vllo alio tempore nos oppugnet grauius, quàm cùm ex hac vita migrandum est, quod eam etiam ob causam agon vocatur, quòd tum pugna validissima, tum certamen instat grauissimum, noluit Christus in extremo periculo nostro sua nos ope destitutos esse, verùm sacramentum hoc extremæ vnctionis instituit, per quod non solùm ad sustinendos, verumetiam ad propellendos dæmonis impetus firmiores efficeremur. Quamobrem sicut pœnitentia ad iustitiam, sic hoc extremæ vnctionis Sacramentum ad fortitudinem refertur, quòd in eo & animæ & corporis robur nobis confertur. Nam vtriusque morbus propulsatur, animæ cùm peccata remittuntur, quibus nulli possunt esse mortes grauiores: corporis cùm alleuiatur homo, quod tamen non semper euenit. Rectè igitur inter sacramenta hoc quoque extremæ vnctionis numeratur. Est enim sacræ rei signum efficax: est visibile signum inuisibilis gratiæ, nimirum peccatorum remissionis, quæ confertur in hoc sacramento: cuius principalis iste fructus est, vt auferatur peccatum eius, qui sacro oleo inungitur: Secundarius autem est corporis quoque sanitas. Legimus apud Marcum, quòd exeuntes discipuli prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Quem locum explicans Beda, adducto Iacobi quoque ea de re testimonio: Vnde patet, inquit, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato. Theopylactus quoque locum eundem enarrans: Quòd vnxerant, inquit, oleo Apostoli, solus Marcus narrat. Quod & frater Domini Iacobus in Catholica epistola dicit: Infirmatur quis inter vos, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent superillum, vngentes eum oleo. Est igitur oleum & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significatque DEI misericordiam, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium, ac hilaritatem spiritualem accipimus. Expressius autem Iacobus effectum huius sacramenti demonstrat: Cuius hæc verba sunt. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Ex quibus Iacobi verbis discimus, nihil extremæ vnctioni deesse, quod ad sacramenti rationem pertinet. Est enim elementum siue signum visibile, quod materiæ locum obtinet, oleum Pontificali benedictione consecratum, valdè accommodatum ad demonstrãdum id, quod perspicitur in hoc sacramento. Quod enim olei natura præ se fert, hoc in huius sacramenti dispensatione in homine ægroto diuina virtute per fidei efficaciam efficitur. Nam sicut oleum conducit ad labores, & lucis fomentum, & hilaritatem, ita extrema vnctio conducit ad liberandum hominem à labore corporis, ex morbo, & animæ, ex peccatis contracto, lucemque, gaudium, & spiritualem hilaritatem confert, modò fides ægrotantis accedat. Ad hoc olei elementum, cùm accedit verbum, fit sacramentum: Verbum autem est oratio fidei, quando presbyter vngens dicit: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti, adiunctis pijs & succinctis precationibus, ab Ambrosio

*1. Tim. 2. Luc. 19. Iesus. Matt. 1. Actor. 4. Christus dicitur quòd spiritu sancto vnctus sit, & in alios vnctionis suæ gratiam diffundat. Esai. 61.*
*Vnctio triplex. Dauid rex ter vnctus, & quid designet. 1. Reg. 16. Vnctio duplex. Luc. 1. 2. Reg. 2. Vnctio confirmationis. Iob. 7. 2. Reg. 8. Vnctio extrema. Agon mortis vnde dictus.*
*Vnctionis extremæ effectus duplex. Esa. 27. Mar. 6. Vnguntur energumeni & ægroti. Iacob. 5. Oleũ quid confert. Infirmatur quis in vobis explicatur. Vnctionis extremæ materia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& Gregorio compositis, vt quicquid illicito visu, auditu, cæterisq; sensibus ægrotus deliquit, per huius olei vnctionem expietur, cum imprecatione pacis. Atq; hæc est gratia quæ confertur accedente verbo ad elementum, expiatio, remissioq; peccatorum. Qui verò secundarius est effectus huius sacramenti, eum quod non semper ægrotus consequitur, vel ideò fit, quòd animæ non semper expedit, vel quòd oratio non ex firma fide proficiscitur. Vbi enim fides magna est & ardens, facilè quiduis à Deo impetrat, vbi verò modica fides est aut nulla, nihil obtinet. Legimus quòd in sua patria Christus nullam potuit facere virtutem, propter incredulitatem eorum. Quamobrem non quæuis oratio, sed fidei oratio, quando quis orat in fide, nihil hæsitans, ea demùm quiduis obtinet. Vbi ergo est oratio fidei, modo ne quid ea res ægrotantis animæ saluti officiat, nihil dubitandum est, quin corporis quoq; sanitatem per vnctionem hanc sit adepturus. Scribit Sulpitius Seuerus in vita Sancti Martini, quod oleo sanctificato puellam quandam dira paralysis ægritudine correptam, vt iam nullo ad humanos vsus corporis officio fungeretur, sanitati restituit. Commemorat Ruffinus quoq; non dissimilia de discipulis Antonij, quòd multos infirmos oleo perunctos curabant. Et de Beniamin Zozomenus. Meminit huius sacramenti Chrysostomus, vbi tractat de sacerdotio. Meminerunt Hieronymus quoq; ad Rusticum scribens, & Augustinus in locis aliquot: & eius Synchronus Innocentius epistola prima, quam scripsit ad Decentium capite octauo, vbi inter cætera scribit: Pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo genus vnum putatur posse concedi? Sed iam ad sacramentum Ordinis accedamus.

*Quare non semper post vnctionem conualescit ægrotus.*
*Fidei oratio efficax*
*Matth. 13.*
*Iacob. 1.*
*Sulp. ca. 21.*
*Ruff. lib. 2. cap. 4.*
*Eccl. hist.*
*Chrys. lib. 3.*
*Aug. de visitat. infir. lib. 2. c. 4. & de rectitudine.*
*Cathol. conuersationis*

## *De Sacramento Ordinis.*

## CAP. L.

VM quæ sunt, à Deo ordinata sint, non alibi magis requiri videtur, vt sint ordinata omnia, quàm in Ecclesia: quàm à Deo esse, dubium non est. Ipse enim Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS collegit eam, & ædificauit sanguine suo, qui propterea mori dignatus est, vt filios Israël, qui erant dispersi, congregaret in vnum, vt esset vnus pastor, & vnum ouile. Quamobrem rectè in Canticis castrorum acies ordinata vocari legitur: Neque alia magis re est aduersarijs potestatibus terribilis, quàm eo ipso, quòd est ordinata. Est igitur ordo cum primis in ea necessarius, de quo multa præclara tractantur à Gregorio Nazianzeno, in oratione quam inscripsit de modestia in disputationibus seruanda, vbi notatu dignam refert hanc sententiam, τὸν μὲν γὰρ τάξις χύσεως ἀταξίας, hoc est, colligit siue coniungit ordo, dissoluit autem siue disiungit inordinatio siue ordinis inuersio, Ab Augustino verò sic scriptum legimus: Ordo est quem si tenuerimus in vita, perducet ad DEVM, & quem nisi tenuerimus in vita, non peruenimus ad Deum. Si ergo non peruenitur ad Deum, nisi sit ordo retentus, omnia prius & facere, & pati nos oportet, quàm vt eum deseramus, ne si deseruerimus, eò (quod absit) nos venire contingat, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

*Rom. 13.*
*Ordo in Ecclesia necessarius.*
*Ioan. 11.*
*Ioan. 10.*
*Can. 6.*
*Aug. li. 1. de ordine cap. 9.*

Rectè autem ordinem, quatenus est Ecclesiæ sacramentum, de quo nunc à nobis oratio suscepta est, signaculum Ecclesiæ quoddam esse dicimus, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, ad quam exercendam non licet cui quam seipsum ingerere, verùm vocationem expectare necesse est, quæ nihil aliud esse videtur, quàm ordinatio. Hoc est quod Paulus admonet: Ne quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et rursus alio loco: Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?

*Iob. 10.*
*Ordo sacer sacramentum esse probatur.*
*Hebr. 5.*
*Rom. 10.*

Quòd autem ordo, vel quod rectius dici potest, ordinatio sit sacramentum, vel ex eo liquet, quod est sacræ rei signum efficax. Est enim visibile signum, siue forma visibilis inuisibilis gratiæ, quæ multiplex in hoc sacramento confertur, cùm etiam ipse sit ordo multiplex, quemadmodum paulò pòst docebimus. Signum seu elementum huius Sacramenti, siue quis materiam vocare malit, est in Sacerdotibus vnctio, siue manuum impositio, in reliquis attactus eorum, quæ tangenda sunt. Ad quod elementum, cùm accedit verbum, fit Sacramentum. Nam non significatur modò, verumetiam reipsa confertur inuisibilis gratia, per quam sit vt tradita sibi spirituali potestate rectè fungi possit ordinatus. Quòd autem conferatur in hoc Sacramento gratia, testis est Paulus, cùm Timotheum suum his verbis alloquitur: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Et iterum ad eundem, dicens: Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum. Meminit hoc loco Paulus elementi visibilis manuum impositionis: meminit simul inuisibilis gratiæ: quæ per eam confertur. Quisquis enim eo, quo debet, affectu, ad hoc Sacramentum percipiendum accedit, is virtute diuina ad ardui muneris, quod ei mandatur, exequutionem præparatur & instruitur: simul etiam datur ei diuinitus auctoritas & potestas, rata vt sint & efficacia, quæcunque sic ordinatus in eo, quod suscepit, officio, iuxta Christi capitis & eius corporis Ecclesiæ institutionem, ritè gesserit. Non enim persona sacerdotis attendi debet, qui eadem est qua cæteri infirmitate præditus, verùm eius à quo missus est potestas, eius qui dixit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: qui baptizandi, qui ligandi & soluendi, qui consecrandæ, distribuendæ, & offerendæ Eucharistiæ, quiq; cæterorum mysteriorum suorum dispensandorum potestatem tradidit. Rectè itaque inter sacramenta ordo numeratur. Quod nomen illi ab Augustino quoque tribui legimus, cuius hæc verba sunt. Nam illud quod quidam

*Gratia confertur in hoc sacramento.*
*1. Tim. 4.*
*Ordinationis effectus si rectè suscipiatur.*
*Heb. 5.*
*Ioan. 20.*



dam eorum veritate conuicti dicere cœperant, baptismum quidem non amittit, qui recedit ab Ecclesia, sed ius tamen dandi amittit: multis modis apparet frustrà & inaniter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrunque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrunq; homini datur, illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur: ideoq; in catholica vtrunq; non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore susceptisunt: & si visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi: sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio manet integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cùm expedire hoc videatur Ecclesiæ, vt præpositi eorum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria. Et paucis interiectis, de vtroque loquens: Si vtrunque, inquit, Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur. Neutri Sacramento iniuria facienda est. Augustini seculo nemo dubitabat ordinem esse Sacramentum, hoc nostro cœptum est in dubium reuocari. Et in libro de bono coniugali, vocat itidem Sacramentum ordinationis. Similiter & de baptismo scribens contra Donatistas, vbi vocat etiam illud Sacramentum dandi baptisma. Sic enim loquitur: Sacramentum baptismi est, quod habet, qui baptizatur. Et Sacramentum dandi baptismi est, quod habet, qui ordinatur. Idem nomen illi quoque tribuit Gregor. Pontifex.

*Aug. li. 2. cont. epi. Parmen. c. 13.*
*Ordinatio & baptismus non iteratur.*
*Aug. li. 1. c. 1. c. 24.*
*Greg. in c. 10. lib. 1. Reg.*

Ex quibus locis illud discimus, æquè ordinationem sacramentum esse vt baptismum. Et sicut baptismus non iteratur, ita neq; ordinatio, quod æquè in illa atq; in baptismo character siue signum imprimitur, quo discernuntur fideles ab infidelibus, sic in ordinatione character imprimitur, quo discernuntur clerici à laicis. Leo quoq; Pontifex primus eius nomis, sacramenti nomen tribuit ordinationi, dicens: Præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit: ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. His verbis docemur, non modò sacramentum esse ordinationem, verumetiam gratiam in ea conferri. Quid enim opus esset ieiunio, oratione, tantaq; deuotione dantium & accipientium, nisi gratia conferretur? Inde illud institutum videmus, quod non ordinantur sacerdotes, nisi præcedente ieiunio, vel quadragesima, vel eo quod vocatur quatuor temporum, quod ea etiam ex causa institutum esse videtur, vt vno animo, vnoq; consensu, placato per ieiunium & eleemosynas Domino precentur Deum omnes, quo dignos operarios mittat in messem suam.

*Character in baptismo & ordinatione indelebilis imprimitur.*
*Leo epi. 81.*
*Ordinatio sancte & deuotè fiat.*
*Acto. 13.*
*Ordinationes sacræ cur tempore ieiunij conferantur.*
*Ieiunium quatuor temporum.*
*Luc. 10.*

## *De distinctione Ordinum.*

## CAP. LI.

Diuiduntur autem ordines in minores & maiores. Minores quatuor nominantur: Ostiarij siue Ianitores, Lectores, Exorcistæ, Acolythi. Maiores tres: Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Præcedit autem hos omnes prima tonsura, quæ non est ordo, sed magis dispositio quædam ad suspiciendos ordines. In qua quod capillorum in modum coronæ quedam fit resectio, illud significat, eum cui capilli resecantur, in illius ministerium assumi, cui seruire, regnare est, atq; in regnum quoddam spirituale transferri.

*Ordinationes duplices, minores quatuor, & maiores tres.*
*Tonsura prima.*

Ianitorum siue Ostiariorũ officium est, stare ad ostia templi, quos dignos esse sciunt admittere, quos indignos nouerint, eos repellere. Hos Ignatius custodes appellat sanctarum portarum. Censebantur autem indigni pagani siue ethnici, cathecumeni, hæretici, excommunicati, energumeni, flagitiosi, pœnitentes, qui excludebantur ab adytis templorum: sicut apud Chrysostomum & Ambrosium videre licet. Videtur hic ordo etiam Apostolorum temporibus fuisse, & ab ipsis institutus esse: quando quidem synchronus Apostolorum Dionysius, & quinõ magno interuallo eos sequuti sunt, Ignatius & Tertullianus huius ordinis meminerũt. Dantur ostiario cùm ordinatur, claues Ecclesiæ: simul admonetur ab Episcopo sic agat quasi rationem Deo redditurus de rebus, quæ clauibus ijs recluduntur. Officium hoc expressisse videtur Seruator noster, quando flagello de funiculis facto, ementes & vendentes eiecit de templo: Qui etiam ostium seipsum appellare dignatus est. Per me, inquit, si quis introierit, saluabitur.

*Ostiarij.*
*Ignat. epi. 8. & 12.*
*Chrys. hom. 60. & 41. ad pop. Antioc.*
*Amb. epist. 33.*
*Diony. cap. 3. Eccl. hierarch.*
*Ignat. epist. 8.*
*Tert. aduersus hæreticos.*
*Matt. 11.*
*Ioan. 10.*

Ex hoc ordine prouehitur ordinandus ad officium Lectoris, vt ex Ecclesiæ traditione, legat in ea Prophetias & lectiones Apostolicas. In cuius rei signum traditur illi codex diuinarum scripturarum, simul admonetur ab Episcopo, vt accipiat, & sit verbi Dei relator: habiturus, si officium suum impleuerit, partem cum ijs, qui benè ministrauerunt. Quod officium exhibuit Dominus noster in propria persona, quando in medio Seniorum librum Esaiæ aperuit, atq; in eo legit: Spiritus Domini super me, &c. Functos officio lectorum legimus apud Cyprianum, Aurelium, Celerinum, & Satyrum: apud Gregorium Nazianzenum, Basilium, apud Socratem in Ecclesiastica historia, Ioannem Chrysostomum.

*Lectores.*
*Lucæ 4.*
*Esaiæ 61.*
*Cyp. lib. 2. epist. 5.*
*Lib. 4. epist. 5.*
*Lib. 3. epist. 22.*
*Naz. li. 6. c. 3. in monodia in Basilium.*

Tertius est exorcistarum ordo, cuius est officium eijcere dæmones, & dicere populo, vt quinõ cõmunicat, det locum: ac aquam in ministerio fundere. Datur huic per Episcopũ co-

*Exorcistæ ordo quid.*

dex,

Universidad de Deusto
Biblioteca



dex, in quo scripti sunt exorcismi. Dicitur illi, vt accipiat & cõmendet memoriæ, & habeat potestatẽ imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos. Hoc officio sæpè Christum & Apostolos eius functos esse legimus, quando dæmonia ex obsessis corporibus eiecerunt.

*Acolythi latinè ceroferarij.*

Quarto loco ordinantur Acolythi, qui Latinè vocantur ceroferarij, quod accensos cereos ferunt, cùm legitur Euangelium, vel cùm offertur sacrificium: non vt propellant tenebras has visibiles, sed vt sicut lumen visibile gestant manibus, quo noctis tenebræ propulsantur, sic luceat lux illorum coram hominibus, vt videant opera illorũ bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est. Hi cùm ordinantur, accipiunt ab Episcopo candelabrum cum cereo. Simul ab eo audiunt, vt accipiant ceroferarium cum cereo, & sciant se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos in nomine Domini. Accipiunt simul vrceum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi. Hoc officium se testatur habere Dñs. dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Huius officij formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelabri componebant, & accendebant igne cœlesti ad illuminandas tenebras aquilonares. In argumento vtriusq; epistolæ ad Thessalonicenses fit Onesimi Acolythi mentio. Vnde colligi potest, fuisse hũc ordinem, sicuti de alijs quoq; rectè creditur, Apostolorum temporibus. Extat epistola Caij Papæ & martyris, qui vixit Diocletiani temporibus: In qua monet, ne aliter ordinandi ad ordines Ecclesiasticos accedant, quàm vt sit aliquis primò Ostiarius, deinde Lector, posteà Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum Subdiaconus, deinde Diaconus, & posteà Presbyter, & exinde si meretur, Episcopus ordinetur. Sic gradatim ad Episcopi dignitatẽ perueniendum esse decreuit. Quæ etiam ratio est, quòd sacramentum hoc ordo vocatur. Æquũ enim esse visum est, quod in gubernatore nauis obseruatur, vt id multò diligentius obseruetur in Ecclesiæ naui gubernanda. Sicut enim in illa non statim alicui gubernacula credũtur, sed primùm adhibetur ad remos, posteà in proram deducitur, inde paulatim ad vlteriora procedit, ac vbi multam rerum maritimarum experientiam consequutus est, tandem ad gubernacula admittitur. Sicut etiam in rebus bellicis, militis primùm officio fungitur aliquis, postea decurio fit, deinde centurio, ac posteaquam ordines duxit aliquandiu, tandẽ si sit repertus idoneus, Dux & Imperator militum designatur: Ita fieri oportet in Ecclesia, vt ne quis ad summum gradum subitò prosiliat, verùm in minoribus aliquandiu se exerceat, ac pedetentim ad maiores progrediatur. Quod etiam ita fieri oportere in Monodia Basilij docet Gregorius Nazianzenus. Et eius discipulus Hieronymus ad Pammachium scribens de erroribus Ioãnis Hierosolymitani. Quin & ita factũ esse narrat à Nepotiano, itidem & à Cornelio Cyprianus, & à Chrysostomo Leo imperator, qui vitam illius conscripsit. Et à Basilio atq; Athanasio Gregor. Nazianzenus, Sozimus verò Pontifex, qui fuisse videtur Augustini Synchronus, etiam interuallũ temporis describit inter vnumquemq; gradum, ita vt inter Lectores siue Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolythus vel Subdiaconus 4. annis, & sic ad benedictionem Diaconatus si meretur, accedat, in quo ordine quinq; annis si inculpatè se gesserit, hęrere debebit: exinde suffrãgatibus stipendijs p tot gradus datis, p̃priæ fidei documentis, presbyteri sacerdotium poterit promereri. De quo loco si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit.

*Caius Papa. Ordinandorũ ordo.*

*Nauis materialis gubernationis cum spirituali naui comparatio.*

*Hier. in epist. ad Heliod. in Epitap. Nepotiani.*

*Cyp. lib. 4. epist. 2.*

*Sozim. ad Ischium cap. 3.*

*In ordinationibus faciendum interuallum.*

Hinc videre licet, quòd suo quisq; fungebatur ordine in primitiua Ecclesia, & erant certo numero ex vnoquoq; ordine cõstituti: Sicut etiam ab Eusebio scriptum legimus, vbi recenset Episcopum vnum, Presbyteros quadraginta sex, Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 40. & duos exorcistas & lectores cum ostiarijs quinquaginta & duos. Epiphanius, vbi ordines enumerat, meminit Episcopi primo loco, deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectorum, Laboratorum, & Ianitorum. Ignatius verò salutari iubet primùm Presbyterũ, deinde Diaconos, mox subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, atq; Confessores, extremo verò loco custodes sanctarum portarum. Quos autem Ignatius & Epiphanius vocant laborantes siuè laboratores, ij videntur esse Fossarij. Sic enim vocantur ab eo qui scripsit ad Rusticum Narbonensem Episcopum de septem gradibus Ecclesiæ, qui primum gradum vult esse Fossariorum. Est hæc inter eas, quæ falsò Hieronymo adscribũtur epist. tredecima. Gradus aũt hos enumerat, Fossarios, Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes, Episcopos. Clemens ita recensẽt ordines, Episcopi sunt Pontifices vestri, Sacerdotes vestri sunt Presbyteri, Leuitæ vestri sunt, qui nunc Diaconi vocantur, Lectores, Cantores, Ostiarij. Meminit autem & Hypodiaconorũ, quos manere iubet ad mulierũ, Diaconos verò ad virorum portas. Tradit etiam formulã Hypodiaconos ordinandi. Cęterùm ordines ij minores inter sacros nõ numerabantur, sed hi tres tantũ ad sacros ordines pertinere crẽduntur, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Extat Isidori liber de diuinis officijs, in quo tam de minoribus, quàm de maioribus ordinibus diligenter tractat.

*Euseb. lib. 6. c. 20. Eccle. histor.*

*Epiph. in fine libr. sui de hæresib.*

*Epist. 8.*

*Lib. 2. cap. 29. constitut. Apost.*

*Lib. 8. c. 15. ca. 28.*

## *De sacris ordinibus, qui maiores vocantur.*

## CAPVT LII.

*Subdiaconi officiũ.*

INTER sacros ordines qui maiores appellantur, primum locum obtinet Subdiaconatus. Est autem officium Subdiaconi, aquam ad ministerium altaris præparare, ac tantùm de oblationibus in altari ponere, quantùm sufficere possit populo DEI: tum epistolam cantare: In cuius rei signum accipit patenam & calicem vacuum de manu Episcopi, & admonetur, vt videat cuiusmodi ministerium sibi tradatur, atque ideò ita se exhibeat, vt DEO placere



placere possit. Datur etiam liber epistolarum, diciturq; ei ab Episcopo, vt eum accipiat, & habeat potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam p̃ viuis, quàm p̃ defunctis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hoc officio dominus vsus est, quando facta cœna cum discipulis linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit & linteo extersit. Qui suscipit hunc ordinẽ ei continentiq; lex indicitur, vt impleatur illud quod à Propheta dictum est, Mundamini qui fertis vasa Domini. Æquum enim est, vt seipsos exhibeant vasa in honorem non in contumeliam, atq; ab omni carnis inquinamento se contineant, qui altari appropinquantes vasa illa ferunt, in quibus corpus & sanguis Domini conficitur. Meminit Cyprianus, qui fuerũt in Ecclesia Carthaginensi, Subdiaconorum, Missiæ, & Clementis, per quos ad Cornelium Papam literas dedit. Quin ipsum Cyprianum ordinasse legimus subdiaconum Optatum. Memisit etiam Philomeni Hypodiaconi.

*Ioan. 13.*

*Subdiacono cõtinentiæ lex indicitur.*

*Esai. 52.*

*Cyp. lib. 2. epist. 10.*

*Lib. 3. epist. 21.*

*Lib. 3. epist. 22.*

Hunc ordinem sequitur ordo Diaconorum, qui Latinè possunt dici ministri. Hic ordo Leuitarum appellabatur in veteri Testamento. Præceperat enim Dominus Mosi, vt post ordinationem Aaron & filiorum eius, tribus Leui ad diuini cultus ministerium ordinaretur & consecraretur Domino, & seruirent pro Israël in tabernaculo Dei coram Aaron & filijs eius. Legimus in Actis Apostolorum, septem viros boni testimonij Spiritu sancto plenos ad hoc officium electos, & oratione præmissa, manus eius impositas esse. Fuit inter eos Stephanus protomartyr, fuit & Nicolaus autor sectę vnius omnium flagitiosissimę. Inde mos inoleuit, quin etiam decretum intercesserit, vt in omni matrice Ecclesię, septem Diaconi circa Christi aram, sublimiori gradu, tanquam columnę septem, Episcopo assistant: habitiq; sunt Diaconi tanquam oculi Episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ: perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri præcipitio & proximum esse peccato, vt referant hæc ad Episcopum, vt cõmonefieri ab eo possit, sicut à Clemente scriptum est. Qui etiam alio loco: Esto, inquit, Diaconus Episcopi auditus oculus, os, cor, anima. Ac plura de ea re scribit libro sequenti cap. 19. Erat autem & hoc Diaconorum officium, quòd custodiebant Episcopum à maleuolis hominibus, & consensum eius præbebant sacrificio. Origenes autem Sacerdotes mauult oculos Ecclesię dici: quòd speculatores opera spiritualia vniuersa geruntur: populum verò pedes. Temporibus Apostolorum, sicut in Actis legimus, mensis ministrabant, hoc est pecuniam dispensabant, quę dabatur Apostolis, & in pauperum vsus conuertebant: sicut ex eodem Origine, Chrysostomo, & qui prę cesserit eum, Cypriano discimus. Ordinantur autem per manuum impositionem, daturq; illis Euangeliorum liber, & potestas legendi illud conceditur: Neq; legendi modò, verumetiam prædicandi: Quamuis æquo suo scribat Ambrosius prædicandi potestatem Diaconis ademptam fuisse. Hos Apostolus vult esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura: quos primùm etiam probare iubet, & sic ministrare, nullum crimen habẽtes. Officio Diaconi functus existimatur Christus, quando post cœnam proprio ore & proprijs manibus sacramenta confecta dispensauit, & quando dormientes Apostolos ad orationem inuitauit, dicens: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.

*Diaconi qui.*

*Num. 3.*

*Leuit. 8.*

*Actor. 6.*

*Diaconi septem in Ecclesia & eorum officia.*

*Clem. epist. 1. ad Iac. fratr. domini.*

*Lib. 2. cap. 48. Const. Apost.*

*Orig. tract. 5. in Matth.*

*Act. 6.*

*Diaconi eleemosinarij dispensatores.*

*Orig. tract. 15. in Matth.*

*Chrysost. homil. contra concubinarios.*

*Cyp. libr. 2. epist. 8.*

*Ambr. in 4. cap. ad Ephe.*

*1. Tim. 2.*

*Matth. 26.*

*Ibidem.*

## *De Sacerdotio.*

## CAP. LIII.

VNVS autem omnium excellentissimus est ordo Sacerdotum, cui reliqui omnes subseruiunt. Versatur eius officium circa corpus Christi. Est autem corpus Christi duplex: Verum, quod à sacerdote consecratum offertur in altari, ac sumere volentibus distribuitur: Mysticum est Ecclesia, sicut iam antea non vno loco copiosè disseruimus. Vnus enim panis, Vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Circa vtrunque versatur sacerdotis officium, cui varia & multiplex potestas conceditur. Nam quod attinet ad verum & viuum Christi corpus, datur illi potestas consecrandi, offerendi, & ijs qui sumere voluerint, distribuendi: idq; ex institutione Christi, qui in cœna illa nouissima Sacerdotes instituens secundum ordinem Melchisedech, ac dicens: Hoc facite in meam commemorationem: potestatem hanc illis largitus est, quẽadmodũ vbi de sacrificio Missæ sermo nobis fuit, pluribus verbis testimonio sanctorum patrum confirmauimus. Quod verò attinet ad mysticum Christi corpus Ecclesiam, datur illis potestas baptizandi: Sic enim Christus dixit Apostolis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti: Datur potestas absoluendi, quod illa Christi verba indicant. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Datur potestas prædicandi: Dicit enim idem CHRISTVS: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Paulus Apostolus vocat sacerdotes ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quale sit autem sacerdotis ministerium, docet idem alio loco cum dicit: Quòd Deus nos reconciliauit sibi p̃ Christũ, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem DEVS erat in Christo mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur: tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO. Hoc legationis munus tunc mandauit Christus Apostolis & eorum successoribus, cùm post iteratam salutationem, Pax vobis: Sicut me misit pater, inquit, & ego mitto vos. Quomodo enim, vel ad quid misit filium pater, nisi vt inter Deum & homines pacem faceret? Ad hoc igitur ipsum suos in vniuersum orbem filius misit sacerdotes & Episcopos, vt eorum ministerio reconciliarẽtur Deo, si qui se ab illo

*Sacerdotis officiũ.*

*Sacerdotibus multis plex data potestas.*

*1. Cor. 10.*

*Luc. 22.*

*1. Corinth. 11.*

*Matth. 28.*

*Ioan. 20.*

*Marc. 16.*

*1. Corinth. 4.*

*2 Corinth. 5.*

*Sacerdos nihil aliud quam Christi legatus, minister, dispẽsator Ioã. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ab illo disiunxissent, peccatisq; suis eum offendissent. Quod ergo dixit Christus: Misit me pater, idem est cum eo quod dicit Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quod verò subiungit, Ita & ego mitto vos: idem est cum eo quod idem dicit Apostolus, posuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Christo legatione fungimur. Et: Obsecramus pro CHRISTO, reconciliamini Deo. Quamobrem non contentus semel dicere, repetita vice dixit: Pax vobis: vt insinuaret, & pacem se fecisse illis, & pacem se per illos mittere nobis.

*Pax repetita quid significet.*

*Mala. 2.*

Ex quo loco colligitur sacerdotem nihil aliud esse, quàm Christi legatum, qua etiam ex causa dictus est à Propheta Angelus Domini exercituum. Quando autem Christi legatum dicimus esse sacerdotem, & capitis & corporis intelligi volumus. Totus enim Christus, & caput est & corpus. Pro Christo capite legatiõe fungitur sacerdos, quãdo ex loco superiore verba facit ad populum, & voluntatem eius explicat, simul obsecrat nomine Christi, vt vitia sua detestati, atque ab illis auersi Deo reconcilientur. Pro Christi corpore, hoc est Ecclesia legatione fungitur, quando stans ad altare, eam quæ per fusum pro nobis Christi sanguinem, in cruce facta est, reconciliationem Deo patri offerens, atque illius eum commonefaciens, supplex rogat in persona totius Ecclesiæ, vt illius reconciliationis virtute, populo suo propitius esse, ac fructum illius ad ipsum redundare velit. Hoc est quod apud Hieremiam legimus, quod missus fuerit ab vniuerso populo, vt oraret pro illis ad Dominum Deum suũ. Et dixerunt ad Hieremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis & fidei, si non iuxta omne verbum in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. Voci Domini Dei nostri ad quem mittimus te, obediemus: Sic ille deferebat populi preces ad Deum, & vicissim populo Dei voluntatem annunciabat. Et apud Philonem. Postulat enim in Sacerdote lex præstantiorem homine indolem, quippè qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ humanæq; naturæ (si verum fateri licet) confinio, vt hoc mediatore, Deus propicietur hominibus, eiusdem ministerio, porrigat eis largiaturq; suam gratiam. Hoc est quod Hieronymus sacerdotem Dei vocat sequestrum & hominum. Hoc est, quod Chrysostomus medium stare dicit sacerdotem inter Deum & humanam naturam, illinc venientia beneficia ad nos deferentem, & nostras petitiones illuc perferentem Dominum iratum vtrique naturæ reconciliantem, & nos qui offendimus ex illius manibus eripientem. Hoc est, quod idem alio loco, Sacerdotem pro vniuerso terrarum orbe legatum intercedere, deprecatoremq; esse apud Deum dicit, vt non hominum omnium viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: itaque quasi mundus vniuersus illi concreditus, atque omnium sit pater, sic ipsum ad Deum accedere. Ac paulò pòst: Cùm autem ille & Spiritum sanctum, inquit, inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? Per id tempus & angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem: qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Et idem alibi Hieremiam, inquit, mediatorem Dei us facit. Hoc est, quod Ambrosius quoque Iesum alloquens: Quoniam (inquit) me peccatorem inter te & eundem populum medium esse voluisti, licèt in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus, salutaris dignatus es esse redemptio. Vt ad Vercellen. Ecclesiam scribens. Officium sacerdotis esse scribit pro aliorum offensa interuenire. Et explicans illum Pauli locum: Orantes pro Christo reconciliari Deo. Pro Christo, inquit, vicarios dedit Apostolos, vt pro ipso prædicarent reconciliari Deo. Hoc est, quod Gregorius quoque Nazianzenus scribit, esse speciale sacerdotis officium populi mediatorem apud Deum effici. Qui patrem etiam suum alloquens Episcopum Nazianzenum. Sta, inquit, pro nobis, & placa, vt cesset quassatio, siue per spirituale sacrificium, siue per orationem, ac spiritualem allocutionem. Domini iracundiam tua intercessione sæda. Qui Basilium quoque, vocat mediatorem inter Deum & hominem: quod nomen in cæminibus patri quoq; suo tribuit. Eodem nomine Proterium appellant Petrus Episcopus Mirenæ cum suis coëpiscopis, & Enippus cum alijs Episcopis Prouinciæ Pont. ad Leonem scribentes. Gregorij verò Nazianzeni discipulus Isichius: non qualiscunque dignitas Sacerdotij est. Huic enim sorte datum est, vt mediator sit inter Deum & homines, & per hanc genus nostrum creatori reconciliatur, in lingua sacerdotum nexus & absolutio nostrorum peccatorum consistit. Ostendit autem Malachias quantæ dignitatis sit Sacerdos, & quæ ab eo oporteat expectari. Quia labia, inquit, Sacerdotis custodiunt scientiam &c. Et Gregorius Romanus Pontifex: Quid antistes, inquit, ad dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur. Quem secutus Bernardus, Nominis huius Pontifex, hanc ætymologiam adfert, quòd Pontem seipsum faciat inter Deum & proximum. Pertingit, inquit, iste pons vsque ad Dẽum ea fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit vsque ad proximum, illa pietate, qua & ipsi, non sibi prodesse desiderat. Offert Deo bonus mediator preces & vota populorum, reportans illis à Deo benedictionem & gratiam. Et eius æqualis Hugo de S. Victore. In hoc, inquit, vice mediatoris funguntur Sacerdotes, quo ipsi Domino mensas componunt. Et quod Deum pro peccatis populi exorant, & pœnitentes absoluendo reconciliant. Quapropter conuenit vt tanquam boni mediatores inter homines & Deum: & præcepta Dei ad populum deferant veritatem prædicando, & preces populi Deo offerant pro peccatoribus intercedendo, &c. Prosper autem Aquitanicus vocat Sacerdotes ianuas ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt in Christum ingrediuntur ad Christum. Et qui fuit his omnibus vetustior, quartus à Petro Pontifex Romanus Anacletus: Sicut, inquit, ipse filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Ecclesia estis con-

*Hier. 42.*
*Philo. Lib. 2. de monarchia.*

*Hier. in c. 1. Malac.*
*Chr. de verbis Esa. Homil. 5.*
*Chry. li. 6. de sacerdotio.*

*Hom. de Adam & Sodomitis.*

*Ambr. in oratione priore præparatoria ad Missam.*

*Epist. 82. in c. 5. ep. 2. ad Cor.*

*Gregor. Nazian. in apologetico. Oratione in plaga grandinis.*

*Ad Simplicium hæret. epi. 28.*
*Isichius, in c. Leuit. 22. lib. 6.*

*Greg. li. 1. epist. 24. Epist. 42.*

*Lib. 2. par. 3. cap. 12 de Sacramentis.*

*Lib. 2. c. 2. de vita contemplatiua.*



constituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini. Hæc ille scribens ad Episcopos per diuersas regiones constitutos. Et successor eis Euaristus, Sacerdotes, inquit, vice Christi legatione funguntur in Ecclesia. Hoc est, quòd à Cœlestino quoque primo scribitur: Cùm sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione funguntur, apud diuinam clemẽtiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, &c. Quæ verba reperiuntur etiam in Homilia de Adam & Eua, quæ Chrysostomo adscribitur. Et qui vixit eodem seculo Augustinus. Tunc, inquit, Antistites velut aduocati susceptos suos, per manus impositionem, misericordissimę obtulerunt potestati. Et eius æqualis Cyrillus. Mediator, inquit, quodammodo est sacerdos. Extat Epistola Ægyptiorum Episcoporum, & Cleri Alexandrini, ad Leonem Augustum apud Nicephorum, in qua patres his verbis vtuntur: Sed neque Sacerdotalem exhorruerunt functionem μεσιτεύσαν θεῷ καὶ ἀνθρώποις, hoc est, quæ mediatrix est siue media intercedit, inter Deum & homines: Quibus ijsdem verbis vtuntur etiam ad Anotolium scribentes de cæde Proterij. Et à Cypriano multò ante scriptum est: Sacerdotibus maior labor incumbit in asserenda, propitianda, & procuranda Dei maiestate. Et qui præcesit hos omnes, Clemens Petri successor. Vos ô Episcopi, inquit, quibus cum versamini Laicis, estis eis Prophetæ, principes, duces, Reges οἱ μεσῖται, θεοῦ, καὶ τῶν πιστῶν αὐτοῦ, hoc est, mediatores inter Deum & fideles eius, receptores verbi & annunciatores, periti scripturarum & vocum Dei, & testes voluntatis eius, qui omnium peccata portatis, & de omnibus rationem reddituri estis. Ac quibusdã interiectis. Episcopus ipse est verbi minister, legis custos, μεσίτης θεοῦ, καὶ ὑμῶν, id est, mediator inter Deum, & vos, in eo, qui præstatur Deo cultu: ipse est doctor pietatis, ipse est secundum Deum pater vester, qui per aquam & Spiritum sanctum regenerauit vos in adoptionem filiorum Dei, ipse princeps, & dux vester, ipse vester Rex; & potestatem in vos habens, ipse vester terrestris Deus secundum Deum, qui debet apud vos in honore haberi. Nam de eo dixit Deus: Ego dixi, dij estis & filij altissimi. Et Dijs non detrahes. Et in eodem libro vocat sacerdotem, mediatorem inter Deum, & eos, qui purgationis indigent. Anastasius quoque Monachus Montis Sinai: Quia mediator, inquit, Dei & hominum est Sacerdos, proque remissione tam multorum peccatorum Deum placat atque interpellat, omnes eos qui adsunt spectat, omnibus cauet, populumq; obtestatus his propemodum verbis adloquitur: Quia me viri mediatorem intercessoremq; ad Deum pro vobis mystica hac mensa esse voluistis, mecum, rogo vos, animos vestros intendite, seculares cogitationes omnes prorsus abiicite: curam corporis deponite. Sacerdos igitur nihil aliud esse videtur, quàm sicut Paulus dicit, reconciliationis minister. Fungitur autem hoc ministerio, primùm quando annunciat populo per Christum in cruce pro nobis mortuum remissionem peccatorum nobis obtentam, ac Deo patri nos esse reconciliatos. Deinde cùm eum admonet, quandoquidem facta iam sunt per Christum omnia, quæ ad reconciliandum Deo patri genus humanum pertinerent, nihil vt ex illius parte desit hominibus ad salutem consequendam, vt ne sibi deesse ipsi velint, sed pro se quisque reconciliari Deo conetur. Neque enim adferamus aliquid ad reconciliationis illius in cruce factę fructum in nos transferendum, vt peccata detestemur, quæ diuiserunt inter nos, & inter Dominum Deum nostrum, quæ nobis illum offensum reddiderunt, atque ab illis auersi conuertamur ad Dominum Deum nostrum in toto corde nostro, illi nos credamus, in illo spem & fiduciam nostram omnem collocemus, illius amore inflammemur, ac per fidem viuam, & per sacramentorum susceptionem, quæ ab illo sunt instituta, tanquam instrumenta quædam salutis nostræ, deniq; per orationem ardentem, ac passionis & mortis illius iugem commemorationem, cuius in altari per sacerdotem sacris operantem repræsentatio fit, illud efficere conemur, vt quem fructum vniuerso mundo mors Christi attulit, eius participes esse queamus. Quamobrem non solũ, cùm prædicat Euangelium sacerdos, minister est reconciliationis, verumetiam cùm baptizat, cùm pœnitentem absoluit, cùm Eucharistiæ sacramentum porrigit, cùm orat pro peccatis populi, cùm corporis & sanguinis Christi sacrificium offert, in omnibus his nihil aliud est, quàm reconciliationis minister, quem non modo verbis prædicat, verumetiam habitu & actione repræsentat, ac quemadmodum ea facta sit in cruce, sub aspectum astantis populi subijcit, atq; omnia facit, vt fidei suæ commissus populus, reconciliationis in cruce factę, fructum consequi possit. Quam ad rem non alio vtitur mediatore, quàm ipso Christo, illius enim corpus, illius sanguinem offert Deo patri, ac tanti precij, quo redemptus & reconciliatus est ei mundus, ipsum commonefacit, Ecclesięque totius nomine supplex petit, vt propter fusum filij sui sanguinem, cuius rei commemoratio fit in altari, oculis clementiæ suæ eam respicere, atque reconciliationis in cruce, factę fructum ad eam redundare velit. Quæ tamen in re nihil aliud, quàm minister est sacerdos. Nã verus sacerdos, verus mediator & reconciliator non est nisi ille, cui dictum est: Tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinem Melchisedech: ille de quo scriptum est, quod factus est propitiatio pro peccatis nostris. Ille est qui baptizat, ille est qui peccata remittit, ille est qui reconciliat, ille est qui interpellat pro nobis, ille est qui docet, ille est qui conficit Eucharistiam, ille est qui porrigit sumere volentibus, ille est qui offert corporis & sanguinis sui sacrificium in altari, ipse & sacerdos & sacrificium, vnum cum eo cui offertur, vnum cum ijs pro quibus offertur. Minimè vt diuersum sit illius à nostro sacerdotium, & sacrificium. Sed sicut Episcopi, & eius vicarij vnum esse tribunal dicitur, sic omnium sacerdotum & Christi, vnum est sacerdotium, & sacrificium: Sicut igitur in prædicando Euangelio non est sacerdotis nisi ministerium: nõ enim sacerdos est qui loquitur, sed spiritus patris cęlestis qui loquitur in illo: Quod

P etiam

*Greg. li. 1. epistol arum. epist. 24.*
*Epist. 2.*
*Cœlest. epist. 1. cap. 11.*

*August. epist. 59. ad Paulinum respondens quintæ quæsti oni.*
*De recta fide ad Reginas lib. 2.*
*Lib. 15. cap. 17.*

*Cypr. libr. 1 epist. 3.*
*Lib. 2. Const. Apostolic. cap. 29.*
*Libr. 2. const. Apostolic. cap. 30.*
*Episcoporum functiones.*

*Cap. 39.*

*In oration. de sacra Synaxi.*

*Reconciliandi cum Deo quid facere debeant.*
*Iohel. 2.*

*Christus fere per sacerdotem qui eius in terra legatus est omnia facit.*
*Psal. 109.*
*1. Ioan. 2.*
*Sacerdotium & sacrificium Christi vnũ & idem quod omnium sacerdotũ.*
*Matth. 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



1.Cor.13. etiam testatur Paulus dicens: An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me, Christi.
Lib.2.const. apostolicarum c.32. Testatur etiam eius discipulus Clemens, cùm docet honorare nos debere per eos, qui præ-
Ioan.1. sunt, Dominum Deum, existimantes quod os Dei sint Episcopi. Sicut in baptizando non est
1.Cor.3. sacerdotis, nisi ministerium: solus enim verè baptizat, & à sordibus abluit peccatorum, de
quo dictum est in Euangelio, Hic est qui baptizat, Dominus noster IESVS CHRISTVS:
quod & Paulus indicat, cùm reprehendit eos, qui baptismum ex ministrorum dignitate
metiebantur, dicentes: Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo: Quid igitur est,
inquit, Apollo? quid verò Paulus? Ac mox subdit: Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique
sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque
neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut in re-
mittendis peccatis, non est sacerdotis nisi ministerium: Rectè enim illi dixerunt. Quis po-
test dimittere peccata nisi solus Deus? Sicut in alijs quoque functionibus non est sacerdotis,
nisi ministerium: nam quod virtutis est & efficaciæ, non præstat nisi solus Deus: sic in con-
secratione, sic in oblatione, sic in Eucharistiæ distributione, non est sacerdotis nisi ministe-
Chryf. Hom. 60. ad populum Antiochenum & in Matth. 15. rium. Testatur hoc Chrisostomus quoque qui posteaquàm duriter eos increpauerat, qui
post admissa peccata non contriti, neque confessi ad Eucharistiam accedebant (quod ta-
men ita faciendum esse docent nostri temporis hæretici) cùm illa verba dixisset, Dæmoni-
Euch. in peccatis fumens dæmoniaco peior est. um patiente peior est, qui postquàm peccauit, accedit: Verùm & tu laice, inquit, cùm sacer-
dotem videris offerentem, ne tu sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum
inuisibiliter extensam. Sicut enim cùm baptizaris, ipse te non baptizat, sed DEVS est qui
tuum caput inuisibili potentia continet, & nec angelus, nec archangelus, nec vllus alius ac-
Hom. 83. in Matth. In 2. ad Tim. epist. Hom. 2. cedere & tangere audet, ita nunc quoque. Ac alio loco: Non sunt humanæ virtutis hęc ope-
ra. Qui tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit: ministrorum nos
ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Ac rursus in suis in Paulū
cōmentarijs: Sacra ipsa oblatio siue illā Petrus, siue illā Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos
offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; Sacerdotes modò quoque
conficiunt. Nihil habet ista quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines,
sed Christus, qui illam anteà sacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ loquutus est
Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant; ita & oblatio eadem est.
Et alio loco, inquit. Et nunc ille præstò est Christus qui illam ornauit mensam, ipse istam
Chrysost. de proditione Iudæ. quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensę Domini cor-
pus Christi facit & sanguinem. Sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore
verba proferuntur: & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, inquit, corpus meum,
hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dicit, crescite & multiplicamini, &
replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generatio-
nem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ
Offic. libr. 1. ca. 48. vsque ad hodiernam diem, & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem. Similiter
& Ambrosius. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur, sed of-
fertur quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata no-
Oecum. in psal. 109 stra dimittat: hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi aduocatus in-
teruenit. Oecumenius, qui vixit ante nongentos annos, enarrans illum Psalmi locum apud
Paulum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Significat, inquit,
sermo, quòd licèt Christus non obtulerit carentem sanguine hostiam, siquidem suum ipsi-
us corpus obtulit, attamen qui ab ipso fungentur sacerdotio, quorum Deus Pontifex esse
dignatus est, sine sanguine offerent, nam hoc significat, in æternum. Neque enim de ea, quæ
semel à Deo facta est oblatio & hostia, dixisset in æternum, sed respiciens ad præsentes sacri-
ficos, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur, qui etiam in mystica cœna modum
Theop. in psal. 109. illis tradidit huiusmodi sacrificij. Similiter locum hunc interpretatur Theophylactus, di-
cens. Manifestissimè hoc de Christo dictum est: Solus enim ille pane & vino Sacrificium
consecrauit perinde ac Melchisedech. Qui verò dixit in ęternum: Quoniam etiamnum vnà
cum corpore quod pro nobis immolauit, apud DEVM & patrem intercedit, hoc est, quas
pro nobis pertulit afflictiones, vt multum commoueat: proponit, etiam sine voce ipsa ni
mirum patri loquens: pro humana natura filius tuus ego, sustinui hæc. Miserere igitur eo-
rum, pro quibus ego pati & mori sustinui. Vel quia, quæ in singulos dies fit, & futura est in
perpetuum oblatio, per Dei ministros ipsum habet Pontificem & Sacerdotem Dominum
atque adeò ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur & distribuitur.
Epist. 40. ad Anatolium cap. 1. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur. Leo quoque Pontifex. Aliter in Ec-
clesia Dei quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ
proprietate naturæ, verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emun-
det. Qui licèt in patris dextera sit constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex vir-
gine sacramentum propitiationis exequitur, dicente Apostolo, Christus IESVS qui mor-
tuus est, imò qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Antè
mille annos quæsiuit Ferrantus Diaconus ex Fulgentio, quare in orationibus sacerdotum
per IESVM CHRISTVM filium tuum Dominum nostrum, qui tecum viuit & reg-
nat in vnitate Spiritus sancti, per vniuersas penè Africæ regiones Catholica dicere consue-
uit Ecclesia? Respondit ei Fulgentius: In conclusione Orationis per IESVM CHRISTVM
filium tuum dominum nostrum dicimus, quod vtiq; non inaniter Catholica concelebrat
Ecclesia: propter illud vtique Sacramentum, quòd mediator DEI & hominum, factus est
CHRISTVS IESVS sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: qui per
proprium sanguinem semel introiuit in sancta, non vtique manu facta exemplaria vero-
rum, sed in ipsum cœlum, vbi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Hoc in eo Pontifi-
catus



catus officium intuens Apostolus ait, Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper
Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Per ipsum ergò hostiam laudis
atque orationis offerimus, quia per eius mortem reconciliati sumus, cùm inimici essemus.
Per ipsum enim qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra acce-
ptabilis inueniri. Propterea nos B. Petrus admonet, dicens: Et vos tanquam lapides viui,
ædificamini in domum spiritualem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias
acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM.

Sacrificium & Sacerdotium in Eccle. necessarium. Hinc vel cœco perspicuum esse potest, quàm sit eorū sacrilega audacia, qui sacerdotium,
q; sacrificiū ex Ecclesia sublatū esse volūt. Cùm verè dixerit Hieronymus: Ecclesia non est,
quæ nō habet sacerdotē. Quid enim aliud illi, quàm Christi sacerdotiū, Christi sacrificiū ex
ea tollere, ac redemptionis nostræ pretium nobis auferre conātur? Manus quidem morta-
Contra Luciferum. lis, lingua mortalis ministerium hominis est mortalis, verùm consecratio, verùm oblatio
Sacerdotis actio virtuti Christi nihil derogat. non est nisi æterni sacerdotis illius & immortalis, Domini nostri IESV Christi. Quemad-
modum autem non propterea non rectè dicitur baptizare minister, quia Christus ipse est,
qui baptizat: non propterea nō rectè dicitur peccata remittere minister, quia Christus ipse
est, qui peccata remittit: non propterea non rectè dicitur docere minister, quia Christus
ipse est vnus magister noster, qui docet nos: non propterea non rectè dicitur interpellare
minister, quia Christus ipse est, cuius sanguis interpellat pro nobis: ita non propterea non
rectè dicitur sacerdotio fungi minister, quia sacerdotio fungitur in altari Christus, quia se-
ipsum hostiam offert Deo patri, sacerdos ille nunc quidem nobis inuisibilis & immortalis,
secundum ordinem Melchisedech.

Iacob. 3. Neque iustior est causa externum in sacrificando, quàm in prædicando verbo ministeri-
um abrogandi. Nam plures magistros fieri prohibet scriptura: sacrificare non modò non
prohibuit vnquàm, verumetiam præcepit Christus, dicens, Hoc facite in meam cōmemo-
Luca 22. rationem. Quò minus etiam ferendi sunt, qui sacrificandi, quàm qui prædicandi Euangelij
1. Corinth 11. ministerium externum abolitum cupiunt. Habent enim ij, quas errori suo prętendant scri-
Sum. felicitatorum error. pturas. Nolite plures magistri fieri, vnus est enim magister vester. Non necesse habetis, vt
Iacob 3. aliquis doceat vos: vnctio eius docet vos. Non docebit vnusquisq; proximum suū, & vnus
Matth 13. quisq; fratrem suum, dicens, cognosce Dominum, quia omnes scient me à minore vsque ad
1. Ioan. 2. maiorem. Has illi cùm scripturas proferant tam apertas, habere tamen videntur aliquem
Hebr 8. & 1. erroris sui prætextum, cùm & illud præ se ferant, pati se non posse, vt obscuretur Christi
Hier. 31. gloria, vt illius qui verus est magister noster, dignitati derogetur, quasi parum idoneus ille
fit ad docendos nos, neq; citra ministerium hominis id præstare queat. Isti verò quam scri-
pturam proferunt, qua sit sacrificium abrogatum? Certè Paulus non sublatum, sed transla-
tum esse dicit sacerdotium. Sic enim loquitur: Translato sacerdotio, necesse est vt & legis
Hebr. 7. translatio fiat. Christus autem dicit, se non venisse legem soluere, sed adimplere. Ad eun-
Matth. 5. dem modum non venit sacerdotium abrogare, sed consummare: Venit quod erat imper-
fectum perficere. Quid enim fuit sacerdotium Iudæorum? quid aliud quàm vmbra quæ-
dam & figura? Quid autem Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quo
nunc ille fungitur in Ecclesia, sacerdos ęternus & immortalis per ministros suos mortales?
quid nisi corpus ipsum & veritas? Vmbræ corpus, figuræ successit veritas. In vmbratico il-
Sacrificium Iudæorum vmbraticum. lo sacerdotio & sacrificio, fusus victimarum sanguis, fundendum pro nobis Christi sangui-
nem in ara crucis significabat. In hoc autem vero sacerdotio & sacrificio, verum corpus &
sanguis Christi fidelium oculis sub pan s & vini speciebus exhibetur, ac quemadmodum
corpus illud in crucem actum, quemadmodum de pendētis latere sanguis in remissionem
peccatorum nostrorum fusus fuerit, repræsentatur. Non igitur sublatum sacerdotium sed
translatum, non abrogatum, sed consummatum: sed sicut loquitur Augustinus per melio-
Lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 17. rem Sacerdotem, in aliud multò melius augustius & excellentius est mutatum: Sic ab Epi-
Epipha. Hæref. 55. phanio scriptum legimus. Visum est vt in veteri Sacerdotio, Sacerdotalis dignitas ne con-
stitueretur: Verùm ad id quod ante Leui & Aaron fuit secundùm ordinem Melchisedech
sacrificium transferatur. Quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo & huc vsque. Hic di-
sertè docet Epiphanius, quomodo translatum sit Sacerdotium, nimirum ab eo quod fuit
secundum ordinem Aaron, ad illud quod est secundùm ordinem Melchisedech: quod fuit
multo vetustius, quod etiam nunc in Ecclesia viget, à Christo in nouissima cœna institu-
tum: Crassa igitur est eorum insciti a, & magna quædam impudentia, qui ex Apostoli verbis
Hæreticorum aſſertiones de redacto in ordinē sacerdotij. illud abrogatum esse colligere conantur: ac omne sacerdotium & sacrificium funditus ac
radicitus euersum & euulsum cupiunt, nullum vt inter laicos & sacerdotes discrimen esse
velint: quòd quicunque in Christo baptizati sint, eos esse sacerdotes dicant. Qua de re
Nicephor. libr. 14. ca. 27. eccle. histor. sic aliquando scripsit Cyrillus in epistola ad Atticum, quam inseruit in suos libros Eccle-
siasticæ historię Nicephorus. Professione nostra indignum est, vt sacerdotij nomen nihil esse,
& rem ipsam cōmunem omnibus esse, quæ tamen eis solis, qui ad eam vocati sunt asseruata
est, dicamus.

1. Pet. 2. Neque verò desunt illis diuinæ legis oracula. Scriptum est enim, aiunt, & ad omnes in
Christo credentes dictum: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, po-
Apoc. 1. pulus acquisitionis. Et rursus: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine
Apoc. 5. suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo. Et iterum apud eundem: Redemisti nos in san-
guine tuo, ex omni tribu, lingua, & populo, natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sa-
cerdotes, & regnabimus super terram. Adeò non desunt Sathanę diuinę legis oracula, non
tam de abrogato, quàm de exequato & prophanato ac in ordinem redacto sacerdotio, qui-
Matth. 24. bus in prauum sensum detortis, tenebras offundit imperitis, vt in errorem inducat, si fieri
Exod. 19. possit, etiam electos. Sed nunquid in veteri quoque lege scriptum non est, & ad filios Israël

Universidad de Deusto
Biblioteca



dictum: Vos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta? Atqui num ideò nullum fuit sacerdotium secundùm ordinem Aaron? num ideò nullum fuit inter plebem & sacerdotes discrimen? Quamobrem sancta quidem sunt scripturæ verba, quæ adferunt: nihil eis certius, nihil est eis verius: Cœlum & terra prius pessum ierint, quàm vel apex vnus ex illis pereat: Sed si hoc ex illis colligere vis, ex æquo sacerdotes esse omnes, æquè baptizare, æquè prædicare, æquè absoluere posse mulieres, pueros, adde etiam psittacos & graculos, atque Pontificem quemuis aut sacerdotem: tuum est hoc verbum ô Sathana, non est DEI verbum. Tu enim ille es, qui diuina cum humanis confundere, qui cœlum terræ, qui sacra prophanis, qui sursum & deorsum miscere conaris omnia. Quoniam verò conatibus hisce tuis opponit se castrorum acies ordinata, quæ non alio nomine tibi magis terribilis est, quàm quòd est ordinata, in hoc totus es, in hoc omnes curæ & cogitationes tuæ consumuntur, vt ordinem ex ea tollere possis, vt ne sit illud, quòd Paulus præcepit, omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis. Atqui non hoc per Petrum, non hoc loquitur per Ioannem Spiritus sanctus, quod tu vis: non hoc dicit, quod cuiuis de fece vulgi, quod cuiuis baiulo, zonario, quinetiam carnifici (quod apud istos, qui hæc ære docti tradiderũt, vsu venisse scimus) prædicare, consecrare, baptizare, absoluere, sacris operari, & quocunque alio reconciliationis ministerio fungi liceat, verùm illud ijs verbis significare voluit, qui Christo nomen dederunt, atque illius corpori per baptismum insiti sunt, eos rectius vocari genus electum, & regale sacerdotium, quàm Hebræos, qui non aliundè magis gloriari solebant, quàm quòd secundum carnem ex Abraham essent propagati, qui neque rex fuit, neque sacerdos, cùm nos in Christum credentes, qui & sacerdos iuxta ordinem Melchisedech dictus est, & Rex mansuetus, iustus, & saluos faciens, multò rectius id nobis vendicare possimus, sacerdotis illius & Regis membra facti, quando per lauacrum regenerationis corpori eius sumus insiti. Sic Dydimus, sic Basilius, sic Ambrosius sic Oecumenius, sic Augustinus, sic qui libenter eum sequitur Beda, sic qui non multò fuit illo posterior Rabanus, scripturarum hæc loca interpretantur. Ac libet Augustini verba adscribere: sic enim scribit. Quod autem cùm dixisset: in istis secunda mors non habet potestatem, adiunxit, atque ait: Sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis: non vtique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt vnius sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus, Plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium.

*Cant. 6.*

*1. Corinth. 14.*

*Sacerdotes & sacerdotium regale*
*Psalm. 109.*
*Zach. 9.*
*Basil. ser. 2. de baptismo cap. 8.*
*Lib. 4. de sacramẽtis cap. 1.*
*Aug. li. 20. de ciuitate Dei, cap. 10.*
*Raba. cap. 24. de sacramento altaris.*
*Apocalyp. 20.*

*1. Pet. 2.*

Quibus in verbis duo nobis considerandavenium: primùm quòd cùm vocat nos Petrus regale sacerdotium, non hoc vult quòd omnibus reconciliationis ministerijs æquè cuiuis è plebe fungi liceat, atq; ijs, qui legitimè sunt ad eam rem ordinati, sed illud modò indicat, omnes in Christum credentes fieri per baptismum vnius sacerdotis Christi membra: deinde quòd non alij propriè vocentur sacerdotes, quàm Episcopi & Presbyteri, ad quos propriè ministeria reconciliationis pertinent, cùm alijs è vulgo hæc appellatio non conueniat, nisi per metaphoram quãdam. Quod etiam indicat Leo Pontifex cùm dicit, eadem ex Petro verba proferens: Omnes, inquit, regeneratos crucis signum efficit Reges, Sancti verò Spiritus vnctio conseerat Sacerdotes, vt præter istam specialem nostri ministerij seruitutem, vniuersi spirituales & rationales Christiani agnoscant se Regij generis, & sacerdotalis officij esse consortes. Docet Epiphanius, quòd cùm sacerdos in ęternũ secundum ordinem Melchisedech sit Dominus IESVS Christus, idem & Rex, oportebat eum simul cum lege transferre, tum sacerdotij, tum regni ordinem. Nam regnũ eius non erat terrenum. Manet autem thronus ipsius, & regni illius non erit finis, & sedet super thronum Dauid: hoc vtiq; regnum Dauid simul cum Pontificatu largitus est Ecclesię suę, hoc est seruis suis Pontificibus ecclesię catholicę, translato in eos throno Dauid nõ deficiente in ęternum. Tractat hac de re Hieronymus quoq; contra Luciferianos scribens, quærit enim, quare laicum veniente ab Arrianis recipiat, Episcopũ non recipiat? Respondet Luciferianus: Recipio laicum, quia errasse se cnofitetur. Hieronymus contra, sub Orthodoxi persona: Recipe & Episcopum, quia errasse se confitetur. Ad hæc Luciferianus: Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseuerat? deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti. Hieronymus verò: Respondebo tibi, inquit, & ego sermonibus tuis. Si laicus errasse se confitetur, quomodo laicus perseuerat? deponat sacerdotium laici, id est, baptismum, & ego do veniam pœnitenti. Scriptum est enim: Regnũ quippè nos & sacerdotes Deo patri suo fecit. Et iterum: Gentem sanctam, regale sacerdotium populum acquisitum. Hic quoq; non obscurè significat Hieronymus: quod ipsum etiam Chrysostomus explicat, in illum locum: Cùm offers munus tuum ad altare. longè diuersum esse sacerdotium, de quo Petrus & Ioannes loquuntur, ab eo, quo Presbyteri funguntur & Episcopi: Loquũtur enim illi de sacerdotio laico, quod est baptismus. Nam simul vt quisq; baptizatus est, ex iræ filio, Dei filius efficitur, inde fiduciam accipit orandi, ac leuandi puras manus ad Deum, vt præceptis salutaribus monitus, ac diuina institutione formatus dicat confidenter, Pater noster, qui es in cœlis: ac exhibeat corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, in odorem suauitatis. Atq; hoc est sacerdotium laici, non autem prædicare, baptizare, absoluere, consecrare, & sacris operari, quæ ad solos pertinent Episcopos & Presbyteros. Quod etiam testatur Clemens, cùm ait, Sed neque Laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, baptismum, manus impositionem vel benedictionem. Non enim sibi quis sumit honorem, sed qui vocatur à Deo. Nam per Episcopi manus, datur hæc dignitas. Qui verò ad eam promotus non est, sed eam sibi vsurpat, Osię pœnam sustinebit.

*Serm. 3. in anniuersario assumptionis.*

*Hereſi. 29.*
*Sacerdotio trãslato, trãsfertur regnum.*

*Hie. contra Lucif.*

*Sacerdotiũ duplex.*
*Apoc. 2.*
*1. Pet. 2.*

*Hom. 16. in Matth.*
*Sacerdotium laicum baptismus est.*
*Matt. 6.*
*Laicus diuina exercens.*
*Rom. 12.*

*Clem. lib. 2. ca. 10. Const. Apostolic.*

*Socrates libr. 1. cap.* Ausus fuit Ischyras, quemadmodum in historia sua Ecclesiastica scribit Socrates, fãcinus



cinus patrare multis mortis generibus dignum. Cùm enim nunquam esset sacerdotium sortitus, impositio sibijpsi Presbyterij nomine, quæ sunt sacerdotis obiuit. Tractat eandem historiam quoq; Theodoretus, & eum carceri fuisse propterea inclusum narrat Sozomenus. Et extat epistola Synodi Alexandrinæ in secunda Apologia Athanasij, in qua negatur fuisse Presbyter Ischyras, quòd nec ab Ecclesia electus, nec ab Episcopo esset ordinatus. At quo tandẽ, inquiũt, auctore constitutus est? nunquid à Colytho? atqui Colythum in gradu Presbyterij mortuum, omnemq; eius manuum impositionem rescissam, omnesq́ue ab eo constitutos, in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxim admissos: adeò apud omnes constat, vt nemo ea de re dubitandum putet. Hìc multa sunt notatu digna: Primum quòd carceribus mancipatum fuisse tradit Sozomenus: Deinde, quòd facinus hoc multis mortis generibus dignum esse dicit Socrates: Tertio, quòd Presbyteri, nullam habeant Presbyteros ordinandi potestatem, quæ penes solos est Episcopos, quod verba Synodi Alexandrinæ planum faciunt. Epiphanius quoque reprehendit Zacheum quendam, quòd audenter sacra mysteria contrectabat, & sacrificia cùm laicus esset, impudenter tractabat.

*20. eccles. historiæ.*
*Laicus Missam celebrans.*
*Theodore. li. 2. c. 8.*
*Sozom lib. 2. c. 25.*
*Ordinati ab eo qui non est Episcopus.*
*Laicus diuina contrectans Epipha. cos tractat hæreses.*
*Tom. 1. libr. 3. in compendiaria fidei doctrina.*

Cæterum quis est, qui non intelligit, si ita sint accipienda scripturarum ista verba, vt quotquot baptizati fuerint, veri sacerdotes censeri debeant omnes, tum futurum, vt illud necessariò sequatur, Reges quoq; vt sint omnes. Nam qui dicti sunt sacerdotium, ij dem & regnum, & regnaturi dicuntur. Erunt itaq; Reges omnes, neq; subiectum esse quenquam cuiquam oportebit. Hoc est, quòd maximè laborat Satanas, vt sublato ordine, quàm maximè fieri possit, perturbet omnia. Neq; verò non pulchrè illi professerunt consilia sua apud vicinos nostros: quibus simul vt persuasit, nihil Põtifici, nihil Episcopis & sacerdotibus esse tribuendum, quòd omnes regale sumus sacerdotium, excusso iugo Pontificis & Episcoporum, quandoquidem non sacerdotes modò, verùm Reges esse omnes eadem scriptura docet, facilè persuasit, vt principum quoq;, legitimeq; suę potestatis iugum excuterent, sermi Imperatoris iugum excutere molirentur, quem iam scriptis suis de Imperio deturbatum, non amplius Imperatorem, verùm Carolum à Gandauo appellare ausi sunt. Sic illi nihilo fuerũt mitiores erga legitimum Dominum suum, virum inter alias heroicas virtutes, quibus excellit, incredibili simul erga Deum pietate, religioneq; præditum, verbiq; illius propugnatorem acerrimum, quàm anteà fuerãt erga Romanum Pontificem, ceteros q; Episcopos & sacerdotes. Adeò videre licet, quòd mutuò sibi coheret vtraq; dignitas, Regalis & sacerdotalis, ruere vt altera non possit, quin eodẽ motu labefactata concidat altera. Neq; alios in Regum & Principum fama, libellis, quos famosos vocant, proscindendis magis audaces esse, quàm qui prius in laceranda Pontificum & Sacerdotum existimatione calamos suos & linguas exacuerunt, dubium erit nemini, si modò rem diligentius explorare velit. Hi sunt præclari scilicet fructus istius, quemadmodum ipsi vocant, Euangelij, Si Turcę Germaniam, quamlibet numeroso exercitu peruasissent, maiorem cladem & exitium adferre non potuissent, quàm quantum cacangelium istud attulisse videmus. Cognitos habebat istorũ mores Erasmus Roterodamus, vt qui complures annos inter eos fuerat cõmoratus. Is in libro, quem scripsit in hos pseudoeuangelicos, hoc de illis prębet testimonium. At iste, inquit, populus tam Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait, seditioni natum: Quos subinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiasticis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus: profligandi etiam, si liberius in vitam eorum inuehantur, aut ab opinione dissentiant. Inistio tantùm non Deus erat illis Lutherus, nunc ijsdem prorsus delirat, quòd nouum de Eucharistia dogma non recipiat. Nouam verò libertatem Euangelicam impunè facere, & sentire quod cuique libitum est. Huc nimirum tendunt artes Satanę, vt rupta acie ordinata perturbationem inducat, vt fiat illud, quod scriptum est in libro Iudicum: In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisq; quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Vult vt simus sine lege, sine Rege, sine sacerdotio, sine sacrificio: quod cùm perfecerit, simul & illud nullo negócio perfecerit, vt simus sine Deo. Nam vbi nõ est sacerdos & sacrificium, ibi nullus Deus agnoscitur: sicut anteà quoq; copiosius de eo diximus.

*Germania per pseudo euangelistas inita damna passa fuit.*
*Erasmi testimonium de pseudo euangelistis.*

*Si omnes baptizati, quotquot baptizati fuerint, sunt sacerdotes, ergo reges.*

*Carol. V. Imperat. Potestas secularis & dignitas pereunt sine sacerdotali dignitate.*
*Dignitas seculoris, regalis & sacerdotalis mutuo cohærent.*

Ac satis iam planum fecisse videmur, quandoquidem est Dei cultus in Ecclesia, esse in ea sacerdotium, esse & sacrificium. Quòd verò isti dicunt, nusquam recõciliationis ministros in libris noui Testamenti sacerdotes appellari, sed presbyteros tantùm; demus hoc illis. Fieri enim potest, quandiu durauit sacerdotium Iudęorum, vt ne quid cum illis habere commune Christiani viderentur, quòd suos appellari sacerdotes noluerint, sed presbyteros, hoc est, antiquiores, siue digniores, vt angustius quoddam Christianorum, quàm Iudæorum sacerdotium esse demonstrarent, & cuius maiorem haberi rationem æquũ foret. Hoc enim Græci πρεσβύτερον, Latini vocant antiquius. Quod autem hoc est collectionis genus? ministros reconciliationis siue presbyteros non reperimus in nouo Testamento vocari sacerdotes, ergo non sunt sacerdotes? Nonne ad eundem modum argumentari vicissim licebit? Nomen personæ non modò in noui, sed ne in veteris quidem Testamenti libris de Deo dictum reperimus, non sunt ergo tres personæ, Deus vnus: Quin & ipsum trinitatis nomen in scripturis nusquam inuenitur, non est ergo sancta Trinitas? Quis nõ videt, quàm hęc absurda sint? Sit ita, nõ fuerit appellatio sacerdotum inter Christianos ante euersam Hierosolymam, & prorsus abolitum Iudæorum sacerdotium: At simul vt illud est deletum, statim à Clemẽte Petri successore, à Dionysio Areopagita Pauli discipulo, ab Ignatio, & deinceps ab omnibus alijs ad hæc vsq; nostra tempora sacerdotum nomen in Ecclesia frequentari cœpit. Cùm autem Esaias futurum prædixit, ut ex gentibus assumeret Dominus sacerdo-

*Sacerdos & sacrificium vbi non sunt, ibi non agnoscitur Deus.*
*Reconciliationis minister nusquam in nouo testamento sacerdos vocatur, sed presbyter quare id factum sit.*

*Sacerdotum nomen in Ecclesia quando frequentari cœpit. Esa. 66.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tes & Leuitas, qui quomodo solebant filij Israël, dum eorum staret religio, & templi cerimoniæ seruarentur, offerrent victimas cum psalmis in domo Domini, nõne clarè de Christi sacerdotibus est loquutus? Verùm quorsum attinet de vocula disceptare? Vbi fuit sacrificium, ibi sacerdotium quoq; fuisse, nemo sanus dubitat. Nam hęc duo sic inter se coniuncta sunt, vt ab inuicem separari non possint: Neq; sacerdos sine sacrificio, neque sacrificium esse potest sine sacerdote.

*Iudit. 17. Sacerdos & sacrificium coniuncta.*

Fuisse autem sacrificium Apostolorum temporibus si quis ambigit, vel ille in Actis locus omnem illi dubitationem ademerit, vbi scribitur: Sacrificantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus, &c. Quamuis enim vulgata interpretatio habeat ministrãtibus, Erasmus tamen q̃ est in Græco λειτουργούντων significantius vertit, cùm sacrificarent. Siquidem λειτουργὸς non simpliciter sonat ministrum, sed plerunq; sacrorum ministrum, & qui fungitur officio sacerdotis pro alijs: & λειτουργεῖν non simpliciter ministrare, sed sacrum ministerium peragere, sacris operari, siue sacrificare: & λειτουργία nõ quoduis ministerium, verùm illud vocatur, quod nos Missam vocamus. Hinc est, quòd Basilius & Chrysostomus Missas suas inscripserunt λειτουργίας, Sic autem appellatur Missa κατ' ἐξοχήν, tanquam vnum omnium excellentissimum, Deoq; gratissimum ministerium, qua ratione Tullius orator: Aristoteles Philosophus, Paulus vocatur Apostolus: Ad hunc modum sacerdos quoq; minister: & sacrificium, quod offert, vocatur ministerium: Non quod alij quoq; non rectè ministri dicantur, nam & Principes Dei sunt & ecclesię ministri. Sic enim de illis Paulus loquitur, λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰσὶν εἰς αὐτὸ τοῦτο πρὸς καρτεροῦντες, hoc est, ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum seruiẽtes, sed quod illud longè præstantissimũ omnium est ministerium, quo funguntur sacerdotes. Quod autem λειτουργία sacrum ministerium siue sacrificium significet, indicat ille locus apud Lucam: ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, hoc est, vt impleti sunt dies officij eius. λειτουργίαν tranꝛtulit interpres officium, nihil aliud intelligere volens, quàm sacrificium: Loquitur enim de Zachariæ sacerdotis officio. Pontifices autem & sacerdotes ex hominibus assumptos, pro hominibus cõstitutos, veteri lege fuisse in his quæ sunt ad DEVM, vt offerrent dona & sacrificia pro peccatis, cùm à Paulo scriptum sit, nemo est tam proteruè improbus, qui negare audeat (quanquam illud temerè nonnulli negant) ad nostri quoque temporis sacerdotes hæc Pauli verba rectè referri posse.

*Sacrificium tempore Apostol. Actor. 13. λειτουργὸς λειτουργεῖν. Quid.*

*Missa appellatur liturgia per Antonomasiam.*

*Luc. 1.*

*Hebræ. 8.*

Cæterùm aptè atq; appositè admodũ etiam nũc sacrificium vocatur officium. Sic enim dici solet, celebratur nunc officium. Nam cum officium rectè factum dicatur, nos autem nulla rectè facta proferre possimus, quæ quatenus nostra sunt, ad iram Dei placandam & remissionem peccatorum obtinendam, sufficere nobis queant: proferimus illud quod omnium rectissimè factum est à saluatore nostro pro peccatis nostris abolendis, proferimus corpus illius & sanguinem, qui factus est nobis iustitia & sanctificatio, & redemptio, factus pro nobis obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis: simul supplices deprecamur, vt auertat faciem suam à peccatis nostris, & respiciat in faciem Christi sui, pro nobis in cruce pendentis & morientis: vt non faciat nobis secundum peccata nostra, nõ iudicet nos secundùm actus nostros, non retribuat nobis secundùm iniquitates nostras, sed faciat nobis, iudicet nos, retribuat nobis secundùm iustitiam filij sui, quam ille luens obedientia sua, peccatum inobedientiæ nostræ, pro sua ineffabili misericordia nobiscum cõmunicare, nobis impartiri, & nostram facere dignatus est, postea quàm semel ipsum per fidem & baptismum induti sumus. Estné quod officij nomine rectius appellari queat, quàm vnum hoc? Quæ enim sunt officia? quæ sunt rectè facta nostra? quæ coram oculis Dei & Domini nostri proferre, quibus illum, qui iustè peccatis nostris irascitur, propitium nobis & placatũ reddere possimus? Certe nisi vni illi officio, quod ille nobis pro sua immensa bonitate, in cruce moriens, præstitit, innitatur, nulla sunt. Qui igitur sunt isti tam impij, tam à Christo auersi, qui nobis hoc quod solùm vere dici meretur officium, eripere conantur? Qui alij, quàm iurati Satanæ ministri, quorum omne studium vna hac in re consumitur, vt immensum illud redemptionis nostræ beneficium, in quo solo confidimus, in quo solo gloriamur, sempiterna quadam obliuione obruatur? Nobis verò extrema quæq; perferre prius contingat, quam vt tantum hoc flagitium patrari permittamus, quod ne Sol quidem ipse æquis oculis aspicere possit.

*Sacrificium vocatur officium.*

*1. Corinth. 1. Phil. 2. Psal. 50. Psal 84.*

Verùm iusto dolore commoti ab instituto sumus nonnihil digressi. Nunc eò vnde cępit redeat oratio. Illud enim orsi eramus dicere, quandoquidem sacrificasse constat Apostolos, quemadmodum clarè liber Actorum docet, sacerdotes re ipsa fuisse, etiam si detur illud, quod propter discrimen sacerdotum legis, ante euersam Hierosolymam & extinctum Iudęorum sacerdotium, presbyteri, quam sacerdotes appellari maluerunt. Obiter autem explicauimus, quid sibi velit Liturgiæ nomẽ. Significare enim ministerium siue officium per excellentiam quandam, id quod nos Missam vocamus, siue sacrificium, vnde & sacerdotes alicubi vocari officiantes audimus, quod illorum proprium est munus & officium sacris operari, hoc est, missas celebrare, quod ante mille quoq; trecentos annos his verbis testatur Fabianus Martyr & Pontifex: Sacerdotes Dominus sibi elegit, vt sacrificent ei, & offerant oblationes Domino. In quam sententiam scripsit etiam pleraq; Chrysostomus, Epistolam ad Corinthios explicans. Nam & si prædicare quoq; præclarum sit, ac Deo maxime gratum officium, non tamen hoc sacerdotum quõdam proprium fuisse videtur: quod ex Possidonio colligi potest: qui cùm fuisset auditor Augustini, vitam illius conscripsit. Narratis, Valerium Hipponensem Episcopum, ordinato in presbyterum Augustino, exultasse & Deo gratias egisse, suas exauditas à Domino fuisse preces, quas frequentissime fuderat, vt sibi diuinitus homo cõcederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Dei ędificare

*Sacerdotes officiantes. Fab. epist. 2. ad orientales Epis. Chrysost. in 2. ad Corinth. Homi. 13. Prædicare cuius sit officium. Possid. cap. 5. de vita Augustini.*



eare, cui rei se, homo natura Græcus, minusq; Latina lingua & literis instructus, minus vtilem præuidebat. Dedit igitur potestatem eidem Augustino Presbytero coram se in Ecclesia Euangelium prædicandi ac frequentissimè tractandi, contra vsum quidem & consuetudinem Aphricanarum Ecclesiarum, vnde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebãt. Clarius etiam hoc indicat Socrates in sua Ecclesiastica historia, causam etiam explicans, quamobrem verbi ministerio Presbyteris fungi non liceret: Presbytero, inquit, Alexandriæ non committitur verbi ministerium, quod ab eo tempore cœpit, quo Arrius Ecclesiam turbauit. Scripsit vitam Ioannis Chrysostomi Leo Constantinopolitanus Imperator, Philosophus appellatus. Coactum eum fuisse dicit ab Antistite Antiocheno, vt Flauiano ascenderet suggestum & prædicaret, quod vix persuaderi sibi passus est, cùm Episcopi munus id esse diceret. Ex his cernere licet, quàm crassa sit istorum insciti a, qui putant ad hoc ordinari potissimum presbyteros, vt sint verbi ministri, cum verbi ministerium proprium olim fuerit in multis Ecclesijs Episcoporum, ad quod sacerdotibus aspirare non licuerit: non quòd maior in eo sit dignitas, quàm in altaris ministerio, quod omnia alia excedere, satis iam docuisse videmur: verùm quod ad prædicandi munus non æquè quiuis est idoneus, atque ad sacrificandum. Nam in ordinando sacerdote nõ tam spectabatur excellens doctrina, quàm pietas & vitæ sanctimonia. In eligendo autem Episcopo minimè sufficere visum est, si vitæ esset inculpatæ, si ætatem suam omnem sine crimine transegisset: sed requirebatur præterea, potens vt esset exhortari in sana doctrina, & eos qui contradicunt, arguere. Sed hæc de 1. Tim. 3. propriò Sacerdotum officio dicta sufficiant.

*Soc. li. 5. c. 22.*

*In eligendo sacerdotes, vel Episcopos quid spectabatur.*

Quòd autem ordo Sacerdotij Sacramentum sit, vel ex eo cuiuis perspicuum esse potest, quòd quæ requiruntur ad Sacramenti rationem, eorum ipsi deest nihil. Est enim sacræ rei signum, & quidem efficax: est visibile signum inuisibilis gratiæ. Signum aut elementum visibile, siue quis materiam dicere malit, est manuum impositio. Neq; tamen ea sola: præcedit enim illam benedictio & inunctio, sequitur autem calicis porrectio. Præcipuum tamen in hoc Sacramento signum est, manuum impositio: Nam per benedictionem ordinandus diuinis officijs mancipatur: per vnctionem ad Christi corpus tangendum idoneus redditur: per calicis porrectionem officij ministerijq; sui admonetur: per impositionem verò manuum omnis ei gratiæ plenitudo confertur, accedente verbo, quod profertur ab Episcopo ordinante, quæ est forma huius Sacramenti. Nam simul vt accedit verbum ad elementum, fit Sacramentum, ac omnis ordinando gratiæ plenitudo confertur, vt quæcunq; pertinent ad officium Sacerdotis, ea efficaciter exequi possit omnia. Hinc est, quod non in conferendis modò Sacramentis efficax est Sacerdotis ministerium, verumetiam si quis præoccupatus in delictis fuerit, oratio tamen eius magis efficax esse creditur, quàm cuiusuis alterius non Sacerdotis, quantalibet is fuerit vitæ integritate præditus.

*Sacerdotij ordinem sacramentum esse.*

*Ordinationis sacræ materia, & forma.*

*Sacerdotis oratio magis efficax.*

Licet autem nulla sit in libris noui Testamenti inunctionis mentio, sed solius manuum impositionis, non ideo tamen existimandum est recens hoc inuentum esse, vt ordinandi Sacerdotes oleo inungantur. Apostolorum hanc esse non scriptam traditionem, testis est Anacletus Petri successor. Ordinationes, inquit, Episcoporum auctoritate Apostolica abomnibus, qui in eadem prouincia fuerint, Episcopis sunt celebrandæ, qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumq; cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangelijs, quæ prædicaturi sint imponentes, dominica die hora tertia orantes, sacraq; vnctione, exemplo Prophetarum & Regum capita eorum, more Apostolorum & Mosi vngentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismati est permixta: & hoc ritu solennem celebrent ordinationẽ. Clemens quoque: Omnis, inquit, Pontifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus oppidò esse debet, quem quasi Christi locum tenentem honorare omnes debẽt, eiq; seruire, & obedientes ad salutem suã fideliter exercere: scientes, quòd siue honor, siue iniuria, quæ ei defertur, in Christum redundet, & à Christo in Deum. Scripsit de eo copiosè Pauli discipulus Dionysius Areopagita: Scripsit & Cyprianus in libello de chrismate edito: meminit etiam Tertullianus: Neque quisquam est veterum penè scriptorum, qui non cum quadam etiam honoris præfatione meminerit. Quominus ferendi sunt, qui nostro hoc æuo sine quadam subsannatione sacri huius vnguenti meminisse non possunt. Quòd si propterea putant esse reijciendum, quòd ludæorum quondam fuerit cæremonia genus hoc vngendi, reijciant & manuum impositionem, quæ & ipsa traxisse videtur ab Hebræis originem, quibus admodum ea fuit familiaris, cùm aliquid commẽdabatur, aut offerebatur Deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioseph. Eodem ritu Moses ordinat Iosue ad populi Dei gubernationem. Eodem ritu Christus benedicit pueris. Ad eundem modum & super caput hostiæ immolandæ manus ponebatur. Et in libris Paralipomenon legitur. Applicuerunt hircos pro peccato, imposuerunt̃q; manus super eos, & immolauerunt eos Sacerdotes.

*Vnctio sacerdotum*

*Anacl. epist. 2. Ordinatio sacerdotum quomodo celebranda.*

*Clem. epist. 2. ad Iacob. frat. dom.*

*Episc. obediendũ.*

*Luc. 10.*

*Dion. Eccl. Hier. cap. 4.*

*Tert. de carnis resurrectione.*

*Manuum impositio.*

*Gen. 48.*

*Leuit. 1. 3. 4. 8.*

*Num. 27.*

*Marc. 10.*

*2. Par. c. 29.*

Verùm hæc de Sacramento ordinis dicta sufficiant, quod ministrantium est, nam pertinet ad ministerium reconciliationis. Quatenus autem hæc reconciliatio docendo fit aut prædicando, rectè referri posse videtur ad eam virtutem, quæ prudentia dicitur: quando-quidem scriptum est, quòd labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore eius requirent: quem etiam in Euangelio vocat Dominus seruum fidelem & prudentem, quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Hoc est, quòd Dionysius quoq; sacerdotum ordinem vocat illuminatiuum & lucidum, quòd eorum proprium est munus luce doctrinæ per salutis iter ducere proximos.

*Malach. 2. Matth. 24. Dio. eccl. Hier. c. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De ministro huius Sacramenti.*

## CAP. LIIII.

*Episcopatus non est ordo.*

MInister huius sacramenti est Episcopus: cuius hoc solius proprium est munus ordinare. Est autem Episcopatus non ordinis nomen, quatenus ordo sacramentum est, verùm dignitatis & officij. Nam quemadmodum paulò antè commemorauimus: ex presbyteris, qui multi erant in vna aliqua Ecclesia, vnus eligebatur, qui non reliqui magis gregis totius, quàm ipsorum etiam presbyterorum curam geret. Ac in sacramentis quidem conficiendis & ministrandis, excepta ordinatione & confirmatione nihilo maior est Episcopi, quàm sacerdotis auctoritas, nisi quòd ligandi, soluendique potestas tantò maior est penes Episcopum, quantò plus ad eam rem doctrinæ iudicijque requiritur: quibus præ cæteris Episcopum abundare præsumitur, qui vel ipse reliquis rebus ijs præstat, vel adiunctos habet saltem lateri suo viros eruditione, iudicioq; præstantes, vt, quod vulgus sacerdotum de grauioribus peccatis perinde facere non potest, quid ligandum, quidve soluendum sit, facilè discernere queat. Inde est illa casuum, vt vocant, reseruatio: quorum nonnulli ad ordinarij cuiusuis, alij verò, qui sunt grauiores, non nisi ad summi Pontificis iudicium spectant. De quo multa doctè & eleganter scripta sunt à viro singulari doctrina prædito, qui fuit Catholici Regis apud Pium Quartum Pontificem Orator Franciscus VVargas, in præclaro illo libello, quem de Episcoporum iurisdictione inscripsit. Neq; verò non iuxta scripturarum auctoritatem, in quibus Iethro Mosi concilium dedisse legitur, vt partiretur in alios iudicandi onus. Quicquid maius, inquit fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantùm iudicent. Hoc igitur exemplo videmus in Ecclesia Dei constitutum, vt grauiores casus Episcopi, grauissimi Pontificis Max. iudicio reseruarentur. Interest autem Ecclesiæ, vt non omnes ab omnibus peccatis absoluendi potestatem habeant, cum difficultas absolutionis peccandi sæpè frenum inijciat. Quanquam vbi mortis periculum imminet, à quibusuis quamlibet enormibus peccatis absoluendi, cuilibet sacerdoti potestas est concessa. Sic igitur in auctoritate ligandi atq; soluendi maior penes Episcopum, quam sacerdotem, maxima penes Pontificem est potestas, cum illi præ cæteris dictum sit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quæ verba sic Tertullianus interpretatur, vt per ea soluendi & alligandi potestatem, personaliter Petro collatam esse dicat, non Ecclesiæ. Quod ad reliqua attinet, æquè baptizat, æquè consecrat, æquè sacerdos absoluit vt Episcopus: In hoc ergo pares sunt Episcopus & Sacerdos. Cæterùm quòd in humano corpore fieri videmus, vt sit corpus quidem vnum, membra verò multa, omnia autem non eundem actum habeant, idem & in Christi corpore, quæ est Ecclesia, cernere licet. Multi namq; corpus vnum sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hæc connexio totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè concordiam exigit sacerdotum, quibus, vt à Leone Pontifice verè maximo scriptum est, etsi dignitas nõ est communis, est tamen ordo generalis: Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: & cùm electio par esset omnium, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret: De qua forma Episcoporum quoq; est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicaret, sed essent in singulis pro uincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquàm à suo capite dissideret. Ex quibus verbis, quæ apud Iulium quoq; Papam in Epistola ad Orientales scripta reperiuntur, illud discimus, qui non dissensionis, verùm pacis & dilectionis Deus est, eum vt pax & vnitas in Ecclesia sua retineri possit, hanc rationem constituisse, vt non modò discretus esset ordo sacerdotum ab ordine Laicorum, verùm & inter ipsos etiam sacerdotes & Episcopos, quamuis ordo generalis, tamen dignitas non esset communis. Non est enim alius Episcoporum, quàm sacerdotum ordo, verùm dignitas maior est Episcoporum: Inter Episcopos autè honoris quidem est similitudo, verùm discretio potestatis. Idem honos, eadem est dignitas Episcopi, qui in simo loco sedet, atq; vel Archiepiscopi, vel Patriarchæ, vel summi etiam Pontificis, qui Papa, hoc est Pater Patrum appellatur, qui non magis est Episcopus, quàm quiuis alius ex alijs, qui sunt extremo loco: Cùm verè dictum sit ab Hieronymo: Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Hoc tantùm differt ab alijs, quòd illi in partem sunt vocati solicitudinis, penes hunc verò est plenitudo potestatis. Nam si ex æquo possent omnes omnia: retineri vnitas nõ posset. Sic à Gregorio scriptum legimus, Liquet quòd omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios alijs culpa posthonit. Ipsa autem diuersitas quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur: vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Vnde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis sed æqualitatem pensare cõditionis, nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui enim patres non reges, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et alio loco de Bizancero Primate loquens: Quod se, inquit, dicit sedi Apostolicæ subiectum, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnem secundum rationem humilitatis æquales sunt. Quare, sicut anteà docuimus, à Christo fuit institutum, vt de maioribus fidei præsertim causis, ad vnum illum, qui sedet in Petri cathedra, Pontificem Romanum referretur, quod ab Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra semper quidem à Catholicis, sæpè etiam fuit ab hæreticis obseruatum.

*Episcopi officia.*

*Casuum reseruatio vnde.*

*Confirm. 11. Exod. 18.*

*Tert. li. de pœniten. Rom. 12.*

*Leo Pont.*

4.
*Episcoporum ordo.*

*Papæ seu Pontificis Max. eminentia.*

*Sacerdotes ab Episcopis in quo distinguantur.*

*In Epist. ad Euagr.*

*Greg. Pastor. 2. Par. cap. Greg. li. 7. cap. 64. epistolarum.*

*Ad Nepotianum de vita clericorum.*

*Papa pater patrum penes hunc potestatis plenitudo.*





*De maioribus fidei causis ad Pont. Ro. referendum.*

*Psal. 117.*

*Res sacræ reuerenter tractandæ.*

Si quis autem secum diligentius expendat, quàm admirabili consilio hic in Ecclesia sit ordo constitutus, facere non poterit, quin dicat, A Domino factum est istud. Neq; enim humani ingenij, verùm diuinæ res est sapientiæ. Principio, nemo illud ibit inficias, res sacras non oportere nisi reuerenter tractari. Quæ autem adhiberi poterit reuerentia, si promiscuè cuiuis è fece vulgi ad tractandas illas aditus patebit? si baiulis & zonarijs, si carnificibus etiam (quod apud istos factum videmus, qui volunt ordinem ex Ecclesia sublatum) si denique fœminis, quas ne loqui quidem in Ecclesia permittit Apostolus, verbum Dei prædicare, baptizare, absoluere, consecrare licebit? De Marcione scribit Epiphanius, quòd is mulieribus fecerit potestatem baptizandi: mox subdit: Apud ipsos enim omnia sunt ludibrio plena, & nihil aliud. Reuera nihil aliud sunt apud istos, quàm ludibria sacramenta omnia, diuinaq; omnia dum ita peruulgantur, ac prophanantur, quæ non nisi maxima cum reuerentia tractari oportebat. Ac rectè de hoc genere hæreticorũ scripsit Tertullianus. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces? quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, lenes, inconstantes. Nũc neophitos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligẽt, quia veritate nõ possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse, illic promereri est, & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Quamobrem summa quadam, neque humana, sed diuina ratione institutum est, vt Ecclesiæ ministrorum ordo distinctus esset à laicis.

*1. Cor. 14.*

*1. Tim. 2.*

*Epiph. lib. 3. contra hæres. Hæresi. 42.*

*Mulierum hæreticarum procacitas.*

*Tertul. præscrip. aduer. hæret.*

Iam inter ipsos Ecclesiæ ministros & hoc prudẽter admodum est excogitatum, vt ne deprepentè cuiuis ad sacerdotij gradum prosilire liceret: Prius in minoribus exercebatur, ad ostia stabat aliquandiu, quo munere cùm rectè functus esset, dabatur ei potestas legendi prophetias, ac paulò pòst dæmonia expellendi. In quibus officijs cùm diligenter versatus fuisset, iam admittebatur intra cancellos vbi mysteria peragebantur, non excludebatur cũ cæteris: quis Episcopis & Presbyteris præstò semper aderat, & eos cõtinuè sequebatur, qua etiam ex causa acolythos dictos existimant. Posteaquam verò ex diuturna cum sacerdotibus consuetudine, ritum sacrorum peragendorum aliqua ex parte cognouisse visus est, tũ primùm ad ordines qui sacri vocantur, promoueri licebat. Neq; sic tamen statim sacerdos ordinabatur, verùm Subdiacono facto dabatur ei tantum potestas vasa sacra, calicem, & patenam contrectandi, & ad sacerdotis vsum ferendi, ac epistolam cantandi. Ad Euangelium verò cantandum & prædicandum non admittebatur, nisi prius Diaconus esset ordinatus. Cùm verò Lector in scriptis Prophetarum, Subdiaconus in epistolis Apostolorum, Diaconus autẽ in Euangelijs legendis iustum tempus posuisset, ac p̃ supra scriptos gradus omnes, ritum omnem sacrorum peragendorum diligenter inspexisset, tum primum ad conficiendum & offerendum Christi corpus & sanguinem, ad verbum eius annunciandum, & sacramenta fidelibus ministranda admittebatur.

*In ordinationibus subordinata progressio est pacis & vnitatis retinaculũ*

*Hæreticorum diffidia.*

Atq; ita omni ex parte perfectus tandem est ordo, quatenus est sacramentum, nondum tamen perfectus est, quatenus facit ad vnitatem Ecclesiæ tuendam & conseruandam, quæ sine ordine constare non potest. Nam si par esset sacerdotum omnium auctoritas & potestas, effugere schisma non liceret: Futurum enim esset, quod hoc infelici seculo nostro euenisse videmus apud eos, qui semetipsos segregantes, Euangelici quam Christiani dici maluerunt, vt secundum suũ quisq; sensum scripturas interpretaretur, suo quisq; iudicio atq; arbitrio sacrorum peragendorum ritus vereres abrogaret, ac nouos institueret, atque ita non esset iam Ecclesia terra vnius labij & sermonum eorundem, sed futura esset Babylon quædam, confusis prædicantium linguis, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui, quales re vera est apud eos, apud quos omnis Episcoporum iurisdictio & auctoritas est abrogata. Miserandam ibi videre licet Ecclesiæ faciem, non solùm quòd secus in vna ciuitate docetur quàm in alia, quodq; fidibus luditur, non fides vna retinetur, verumetiam quod in vna & eadam ciuitate aliud hic in templo, aliud ille è loco superiore detonat. Huic ille Suermerus, ille contrà huic hæreticus est: atque ita præclarum istud, si Dijs placet, Euangelium secum ipsum pugnat. Interà verò, scinditur incertum studia in contraria vulgus: Hic dicit, ego sum sancti Lutheri: alius, ego verò sancti Zuinglij: alius, ego verò sancti Caluini: alius, ego verò sancti Balthasaris Anabaptistæ: alius, ego verò sancti Suenckfeldij: alius, ego verò sanctorum omnium Suermerorum. Sic huic sanctum videtur quod Lutherus: illi, quod Caluinus, vel alius quisquam hæreticorum scripsit, neq; minus habere id vult auctoritatis, quàm ipsum Apostolorum symbolum: neq; iam scripturarum canonicarum, sed alicuius ex hæreticis auctoritate sententiam suam confirmare conatur. Quid hic aliud expectandum est in hac ipsorum inter se, qui se à Christi corpore auulserunt, dimicatione? quàm quod à Propheta dictum est? Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Vtinam autem saluis ijs, qui errauerunt, primo quoq; tempore error ipse intereat. Huius itaq; generis schismata ne orirentur in Ecclesia, aut si quæ orta essent, vt priusquam radices altius agere cœpissent, extirpari tempore possent, prouidere volens Spiritus sanctus, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: qui ex eo nomẽ sortiti sunt, quòd omnes inspiciant, cuncta q; speculentur, ac diligenter attendant, non modò de populo, verumetiã de clero, quomodo vitam quisq; suam instituat: ac imprimis de doctrina cuiusq; accuratius inquirant, quæ si sana non sit, nihil vita proderit quamlibet laudata. Nam sicubi fidei firmũ & stabile fundamentum iactum non est, quicquid superstruxeris, corruet.

*Luc. 11.*

*Osee 10.*

*Episcoporum in eccl. necessitas.*

*Act. 20.*

*Episc. vnde dicti.*

*Vita bona sine doctrina bona prodesse nihil.*

*Episcoporum munus.*

Quamobrem hæc prima & præcipua Episcoporum cura est & esse debet, sana vt in ecclesia doctrina conseruetur, neq; fas cuiquam sit somnia sui capitis pro Euangelio populo venditare. Planũ id anteà fecimus, verbi ministerium peculiariter ad Episcopos pertinere, quare non est cuiquam licitum illud sibi sumere, nisi mandatum ab Episcopo fuerit. Neq; enim ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cicero pro Plancio vulgus quid.*
*Hom.2.in 1.c.Ioā.*

alicuius profani Magistratus munus est, arbitratu suo verbi, sacrorumq; ministros instituere, multò minus autem vulgi: de quo præclarè scripsit quidam, quòd non est in eo consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperq; sapientes ea, quæ fecisset populus ferenda, non semper laudanda duxerunt. De quo sic scribit Chrysostomus: Quod si quid sit populus, percontaberis. Est quiddam tumultus, perturbationisq; plenum: Ex stultitia maiori ex parte constans, atq; compositum, temerè per maris fluctus, varia & pugnante sententia sæpenumerò iactatum. Ad solos Episcopos ea cura propriè pertinet. Legimus Timotheum & Titum à Paulo constitutos Episcopos. Tito verò mandatum ab illo fuisse, vt ipse,

*Titum 1.*
*Episcoporum aut sacerdotum laicis non conuenit institutio.*
*Actuum 14.*
*Episcoporū electio laicis non conuenit.*

non vt populus, qui docendus, non sequendus est, aut profanus Magistratus aliquis constitueret per ciuitates Presbyteros. Legat qui volet & acta, & epistolas Apostolorum omniū, nusquam reperiet quòd quicquam in hac parte sibi iuris vel populus, vel profanus Magistratus vsurpauerit. Quin illud potius inueniet, quod Paulus aut Barnabas non Burgimagistri constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros, cum oratione & ieiunijs, quemadmodum & nunc facit Ecclesia.

Sed fuit aliquando penes populum electio. Fuerit: verùm hoc nunquam fuit, vt ipse sibi constitueret Sacerdotem aut Episcopum: ostendebat quidem quem sibi dari vellet, verùm institutio Sacerdotis non fuit nisi penes Episcopum, Episcopi verò penes Romanum Pontificem. Meminit Chrysostomus electionis, quæ fiebat per populum, verùm ita, minimè vt laudandam, quin reprehendendam eam potius existimet: his enim verbis vtitur. Ito iam hinc, ac publica festa spectato, ea dico, in quibus dignitatum Ecclesiasticarum ellectiones de more fiunt, & tam multis videbis ibi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hos omnes tam in multas factiones scindi, neq; inter se consentire, neq; cum eo, cui sorte Episcopatus delatus est, cōuenire videas: sed vnusquisq; à suis vnius partibus stat, aliushunc, alius illū eligēs: cuius rei causa hæc est, quòd idipsum non spectant, quòd solùm spectandum fuerat, nempè animi virtutem, sed aliæ sunt causæ quibus honor is conciliatur. Verbi gratia: Hic quòd claro genere natus sit, in Episcopatus, inquit, ordinem cooptetur: ille quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex Ecclesiæ prouentibus quæsitis: alius quòd ab aduersarijs ad nos transfugerit: alius sibi genere propinquum ac necessarium, alius adulatorem cæteris anteponere mauult: Nemo est qui eum qui idoneus sit spectare velit, aut animi partes explorare curet. Hæc fuit apud orientales eligendi per populum ratio Chrysostomi temporibus. Quin & alibi penes populum electionem Episcoporum fuisse non obscurè videtur Hieronymus indicare, de qua tamen ita loquitur, contra Iouinianum scribens. Nonnunquam errat, inquit, plebis, vulgiq; iudicium, & in sacerdotibus comprobandis, vnusquisque suis moribus fauet, vt non tam bonum quàm sui similem quærat præpositum. Non dissimilia in laudatione Basilij & Athanasij patrisq; sui Gregorij scribit Gregorius Nazianzenus. Et in libro de sacerdotali dignitate Ambrosius. Mortuo Theodoro Agrigentino Episcopo, magnam seditionem in populo natam, & tumultum à multitudine cōflatum fuisse, scribit Symeon Metaphrastes, cùm simul tres à populo electi fuissent, qui cùm omnes Romam venissent, vt à Pontifice vnius ex illis electio rata haberetur: Pontificem alium nominasse virum insigni pietate Gregorium. Tale quiddam accidisse narrat idem, & ante eum Palladius Chrysostomi discipulus, Constantinopoli mortuo Nectario. Fit enim, inquit, in eligendis maxima ex parte examinatio, non ex virtute eorum qui adscisc untur, sed ex eorum q sunt potentes in eos benevolentia, &, vel est pura ac syncera, vel accessit muneribus. Nec dissimilia fiebāt in Aphrica: Qua etiā ex causa faciēdū putauit Augustinus, vt quemadmodū ipse nō successerat, sed accesserat Valerio, sic viuēs Ecclesiæ suæ, de successore prouideret, quòd sciret per ambitiosos & contentiosos homines Ecclesias perturbari solere. Neque verò fecit hoc sine exemplo. Nam & Alexander Alexandrinus Episcopus Athanasium, sicut Epiphanius, & ex Apollinario Sozomenus, & Athanasius Petrum sibi successorem delegit, sicut Ruffinus & Theodoretus tradiderunt. Idem Alexandrum Constantinopolitanum, de Paulo Sozomenus, & aliquanto ante Theotecnum Cæsarienſem, de Anatholio fecisse scribit Eusebius. Quod posterioribus temporibus magis etiam fuit vsitatum. Porrò Diuus Bernardus adeò non reprehendit institutum hoc, vt in laudibus Celsi ponat, quod sibi successorem viuens elegerit Malachiam, & ei monens baculum pastoralem miserit. Constitutum etiam est in Laodicensi Synodo. Non esse permittendum turbis, electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi. Quod idem in capitulis Græcarum Synodorum repetitum posteà legimus, & in 8. Synodo Constantinopolitana. In quadam ad iudicij, deinde populi suffragij, postremo coēpiscoporum consensus meminit. In ea verò quæ proximè sequitur, de vniuersæ fraternitatis suffragio, deq; Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, iudicio: Sabino delatum Episcopatum scribit. Extat apud Theodoretum Epistola Petri Alexandrini de Lucio, qui mercatus erat Episcopatum. Non hunc, inquit, constituerat conuentus orthodoxorum Episcoporum, non verorum Clericorū suffragia, nō populi postulatio, quemadmodum Ecclesiasticis iubetur sanctionibus. Contrà verò in secunda Athanasij Apologia, extat epistola Synodi Alexandrinę, in qua testimonium hoc datur Athanasio, quòd omnis multitudo, populusq; Catholicæ Ecclesiæ in vnum coactus, quasi in speciē vnius corporis, & animæ, clamoribus, vociferationibusq; postulauerit Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, atque vt id facerent Episcopi, qui tum ibi fuerant congregati, per multos dies, ac noctes obtestati fuerint, cùm interea, nec ipsi ab Ecclesia discederent, nec Episcopis discedendi facultatem permitterent.

*Chry.li.3.de sacerdotio.*
*Electionem popularem reprehendit Chrys.*
*Nota.*

*Lib.2.cōt. Iouinia.*
*In Ezech. c.33.*
*In Aggæi.c.2.*

*Cap.5.*

*Aug.epist.110.*
*Ambitiosi perturbant ecclesiam.*

*Hæresi.68.*
*Lib.2.cap.17.*
*Lib.2.cap.3.*
*Lib.4.cap.2.*
*Lib.3.cap.3.*
*Lib.7.cap.32.*
*Cap.13.*
*Cap.1.*

*Cypr. lib.1. epist.3.*

*Lib.2.cap.22.*

*Athanasius.*

Neque



Neq; dubium est, quin quo tempore vigebat persequutio Christianorum, cùm Episcopatum desiderare nihil tum fueri t aliud, quàm velle Martyrem fieri, & ambitio minor, & in eligendo maior fuerit populi grauitas & constantia. Posteaquam verò secundis Christiano rum rebus paulatim irrepsit ambitio, corrupto iam Ecclesiæ statu, commutata fuit ea ratio ita vt Sacerdotum quidem electio, fidelis verò populi consensus tantum adhiberetur, quēadmodum ex Stephani & Nicolai Pontificum epistolis docemur, ita tamen, vt penes Pontificem Romanum aut certè Metropolitanum, constituendi Episcopum potestas esset: qui nisi, quid impediret, non inuitus cleri, plebisq; consensum & desiderium sequebatur. Docet Augustinus in dialogo quem scripsit de libero arbitrio: Leges quandoq; rectè mutari, sic enim loquitur: si populus sit benè moderatus & grauis, communisq; vtilitatis diligentissimus custos: in quo vnusquisq; minoris rem priuatam quàm publicam pendat, nonne rectè lex fert, qua hic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos suares, id est, publica administretur? EV. Rectè prorsus. AVG. Porrò si paulatim deprauatus idē populus, rem priuatam Reipub. præferat, atq; habeat venale suffragium, corruptusq; ab eis qui honores amant, regnum in se factiosis conscleratisq; committat, nónne item rectè, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum posit, adimat huic populo potestatē dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam vnius redigat arbitrium? Morem hunc describit Leo Pontifex his verbis: Vota, inquit, ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum constituantur. Origenes requiri scribit in ordinando sacerdote & præsentiam populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Sic in veteri quoq; lege coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem. Hoc, inquit, Cyprianus, instruit & ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsenti vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta & legitima. Idem alio loco in ordinandis Clericis solemus vos antè consulere, & mores atq; merita singulorum communi cōsilio ponderare. Sed verba quæ statim sequuntur id non esse necessitatis indicant: sed expectanda non sunt, inquit, humana consilia cùm præcedunt diuina suffragia: Episcoporum suffragia: diuina suffragia vocare videtur.

*Ambitio minor in primitiua Ecclesia.*
*Steph. ad Rom.*
*Archiep. Rauen.*
*Nicol. ad Ioan.*
*Raue. Archie.*

*Ang. de libero arbitrio. lib. 1. c. 6.*

*Leo epist. 84.*

*Orig. hom. 6. in Leuit.*

*Num. 8.*

*Cyp. epist. 4. li. 1.*

*Lib. 2. epist. 5.*

*Lib. 2. epist. 5. ad clerum & plebem.*

Quamuis autem hoc nostrum seculum sit longè corruptissimum, obseruari tamen etiā nunc videmus, vt ordinationes fiant præsente populo, cuius & si suffragia non requirūtur, admonetur tamen is, vt si quid habeat quod obijcere possit contra ordinandum, dicat intrepidus: Quod si tacuerint, omnes consensisse iam in ordinandum videntur. Quod ita fectari solitum fuisse testatur etiam Alexander Imperator apud Lampridum, qui vitam illius conscripsit ante annos 1300. & amplius. Quod autem attinet ad aliquem huic vel illi Ecclesiæ præficiendum, non tam imperitæ multitudinis, quàm patronorum voluntatis & desiderij ratio nunc habetur: Hi quem dignum esse censuerint ad gerendum in Ecclesia sacerdotium, offerunt Episcopo, qui si cognouerit idoneū, nihil iam impedit, quominus ipsius auctoritate Ecclesiæ illius ministerio fungatur. Sic fieri videmus, vt de minoribus Ecclesiæ ministris penes Episcopos, de Episcopis verò constituendis iudicium & potestas penes eum sit, qui Pater est Patrum, Romanum Pontificem: Sic vnitas in Ecclesia retinetur: sic schismatibus obuiam itur: sic vt idipsum sapiant, idipsum dicant, idem sentiant omnes, progrex à Deo ipsi concreditus, verùm & Sacerdotes omnes dicto sunt audientes. Omnium autem Episcoporum in omnibus totius orbis Christiani prouincijs, vnus tāquam communis pater est Romanus Pontifex, ex quo pendent, cuius auctoritatem sequuntur, ad quem de causis maioribus omnibus referunt omnes. Hac ratione visum est Spiritui sancto cōcordem in Ecclesia Dei doctrinam conseruare. Nam si vel magistratui, vel populo cuiuscunque ciuitatis aut oppidi, iudicio suo, non relata prius re ad Episcopum, citra ipsius auctoritatem cōstituere sibi Presbyteros liceret, tot essent scismata, quot sacerdotes: ad sua quisq; desideria coacerua rent sibi Magistros prurientes auribus: cùm præsertim idem nunc de plerisque in prouincia hac nostra dici possit, quod de Athenien sibus in Actis Apostolorum scriptum legimus, quòd ad nihil aliud vacant, quàm aut dicere, aut audire aliquid noui. Iudicium itaq; de verbi ministris, deq; doctrina eorum, non aliorum esse quàm Episcoporum, adeò certum est & indubitatum, vt illi ipsi qui non tam eorum, quàm Christi suaue iugum per eos Ecclesiam suam regentis excusserunt, in confessione sua Augustana disertè scripserint. Hāc Episcoporum esse iurisdictionem de doctrina cognoscere, & doctrinam ab Euāgelio dissentiem reijcere, simul etiam impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ. Tanta est vis veritatis, vt vel inuitis etiam & repugnātibus ijs, qui eam oppressam cupiunt, per ipsorum nihilominus iugulum erumpat. Quamobrem verissimè scriptū fuit à Clemente Petri successore, quòd solis Sacerdotibus concessum est vt iudicent, quoniam dictum est eis, Iustum iudicium iudicate. Et rursum: Estote trapezitæ probati, vobis enim Laicis permissum non est, imò contrà, ijs, qui iudicandi potestate carent, dictum est: Nolite iudicare, & non iudicabimini.

*Ordinandorum ad sacerdotium electio populo præsente.*

*Patroni Ecclesiarū quid iuris habeant.*

*Pontifex Rom. omnium Episcoporum in omnibus prouincijs tanquam vnus communis pater est*

*Epist. 2. Tim. 4.*

*Actor. 17.*

*Episcoporum iurisdictio secundū Protestantes.*

*Clem. li. 2. c. 40.*
*const. Apost.*

Verùm hic isti causificantur esse plerosq; indoctos Episcopos, vt de sana doctrina iudicare non possint. Quid si causificatores isti nihil non suo iudicio tribuentes, multò ipsi sint indoctiores? Neque enim nescimus, qui sint isti, qui res nouas in hac prouincia moliuntur, adeò literarum omnium rudes plerique omnes, vt vix etiam paulum aliquid vltra prima elementa progressi videantur. Est autem Deo gratia, cuius hoc est solius beneficium, quod nullum fuit vnquam tempus, ex quo lux Euangelij nobis affulsit, quo non habuerit

*Cont. eas qui causas tur imperitiam Episcoporum.*

rit

rit Episcopos hæc nostra prouincia viros & prudentia, & doctrina insignes. Verùm demus hoc illis, reperiri nonnunquam inter eos aliquem non doctissimum: atqui prouidit huic quoque rei Spiritus sanctus: Magna enim ex parte ita videre licet Ecclesias dotatas, vt minimè desint Episcopis facultates, quibus viros doctos in comitatu suo alere queant. Deinde verò sunt in vnaquaque Cathedrali Ecclesia Sacerdotum collegia constituta, quos Canonicos vocant, qui sunt à concilijs Episcoporum, in quibus & ipsis reperiuntur sæpè non pauci doctrina præstantes. Quamobrem sicut Moses cùm solus haberet potestatem præesse populo, septuaginta Presbyteros elegit, quibuscum populum iudicaret: sic Episcopus quamuis Principem in Ecclesia locum teneat, adsciscit tamen & ipse Presbyteros, quoties de re aliqua grauiore suscipi deliberationem oportet, sine quorum consilio etiam nihil agi fuisse solitum in Ecclesia, scribit Ambrosius. Sed tanta nunc est morum in quibusdam peruersitas, vt cuiusuis potius, quàm Episcopi sui iudicium de doctrina requirant. Aquæ furtiuæ dulciores, & panis absconditus illis est suauior. Sit alius quispiam neque doctus, neque virtute vlla præditus, quin ex omni vitiorum genere conflatus, modò noui proferat aliquid, quod cum sanctæ catholicæ Ecclesiæ recepta doctrina pugnet, statim audiunt, & in oculis ferunt, quamlibet improbum & indoctum. Atqui non hoc habet Augustana confessio, quam isti se tanquam Christianam amplecti non obscurè ferunt, & in eam se nonnulli conceptis verbis iurasse profitentur: quæ certè iurisdictionem concedit Episcopis de doctrina cognoscendi, & doctrinâ ab Euangelio dissidentem reijciendi. Atque hic necessario & iure diuino debere dicit eis Ecclesias præstare obedientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

*Canonicorum officium.*
*Exod. 18.*
*Amb. in c. 5. epi. ad Timoth.*
*Prou. 9.*
*Augusta. confessio concedit iurisdictionem Episcopis.*

Verùm dissidet, aiunt, Episcoporum doctrina ab Euangelio. Quam autem sibi isti non constant, quamq; secum ipsi pugnant. Docent Episcopis iurisdictionem competere de doctrina cognoscendi, & interea doctrinam eorum tanquam ab Euangelio dissidentem, reijciunt & condemnant. Est ne hoc de doctrina iudicium Episcopis permittere, ac non tibi potius hanc auctoritatem arrogare, tu vt iudices illum, cuius te iudicio subiectum, quê haud aliter, quàm seipsum te Deus audire voluit? Inde autem schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, dicit Cyprianus, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam Præpositos & Sacerdotes vocare: ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententia tua absoluti, per te iam sex annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs Præpositum, nec grex Pastorem, nec Ecclesia Gubernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus Sacerdotem. Subueniat Puppianus, & sententiam dicat: & iudicium Dei & Christi in apertum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis & pacis exisse videatur, ne nouus credentium populus nullam per nos consecutus esse baptismi & Spiritus sancti gratiam iudicetur: ne tot lapsis & pœnitentibus pax data, & communicatio nostra tui examinatione concessa, iudicij auctoritate soluatur. Annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, & Episcopatum nostrum cognitionis tuæ vigore firmare: vt Deus & Christus eius agere tibi gratias possint, quòd per te sit Antistes & Rector altari eorum pariter & plebi restitutus. Apes habent Regem, & ducem pecudes, & fidem seruant latrones mancipi, cui obsequio plenæ humilitatis obtemperant. Quantò simpliciores & meliores vobis sunt brutæ pecudes, & muta animalia & cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones? Præpositus illic agnoscitur & timetur, quem non sententia diuina constituit, sed in quem factio perdita & nocens caterua consensit.

*Episcopalis iurisdictionis est de doctrina cognoscere & ab euangelio dissidentem reijcere.*
*Luc. 16.*
*Schismata & hæreses vnde.*
*Cyp. lib. 4. epist. 9.*

Quod Puppiano sanctus Pontifex & Martyr Cyprianus, hoc sibi quoque dictum isti putent, in quibus tantus est superbiæ tumor, tanta animi arrogantia, tanta mentis inflatio, vt ad cognitionem suam Episcopos vocare audeant, ac nisi apud eos purgati, ac eorum sententia sint absoluti, non sex, quemadmodum scribit Cyprianus, sed sexcentis annis, neque Sacerdotes, neque Episcopos, neque sanam Euangelij doctrinam Polonia habuerit, neq; Christum vnquam agnouerit. Non fuerit Episcopus Adalbertus, non fuerit Stanislaus, qui Christi Euangelium sanguine suo signatum nobis reliquerunt. Quid autem aliud illi docuerũt? quàm quod successores eorum docuerunt, quod nunc etiam docent illi, qui loca eorum tenent, nimirum de quo initio scripsimus, Iesum Christum, & hunc crucifixum? Hunc non modò sermonibus & scriptis, verùm & certorum dierum obseruationibus, & signis, & imaginibus, & habitu, & gestu, & actione varijsq; cæremonijs, denique omni quacunque fieri potuit ratione, non tantùm animis fidelium infigere, verùm & rudium oculis ingerere conati sunt: vt si quis mente comprehendere non posset, vel manibus ei contrectare liceret. Istorumne doctrina dissidet ab Euangelio, ac non vestra potius? qui, sicut anteà per nos fuit demonstratum, Christi crucifixi memoriam omnem ex omnium animis euellere, sempiternaq; obliuione obruere nixi estis, externis illis signis, quibus ea rudiorum animis insculpebatur, abolendis: Vnde etiam ansa data est alijs, quandoquidem externa omnia in contemptum adduxistis, externum etiam verbi ministerium abrogandi. Quid autem aliud est ab Episcopo se segregare, nouamq; sibi cathedram constituere, quàm à Christi corpore, quæ est Ecclesia, separari? Rectè enim præclarus idem Pontifex & Martyr Cyprianus: illi sunt, inquit, Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.

*Polonia quandiu Christiana fuerit. Adalbertus & Stanislaus Episcopi sancti.*
*1. Cor. 1.*
*Ab Episcopo se segregare, est à Christi corpore separari.*
*Cyp. lib. 4. epist. 9.*
*Episcopus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo.*
*Schismatis criminis grauitas qualis.*

Cæterùm quàm graue sit crimen ab Episcopo se velle secernere, docet idem alio loco Cyprianus. (Libenter enim sanctissimi Martyris vtimur testimonio) cuius hæc verba sunt: Auer-



uersandus talis, inquit, atq; fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi, & peccat, & à semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius, & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispensationem repugnat: Hostis altaris aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequẽs seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis & Dei Sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicę hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore & Dathan & Abiron, qui sibi contra Mosen & Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stantes atq; viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percussit, sed & cęteros ducentos quinquaginta participes eiusdem furoris & criminis: qui coagulati cum eisdem simul ad audaciã fuerant, exiens à Domino ignis properata vltione consumpsit, admonens scilicet & ostendens cõtra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humanâ volũtate conati. Sic & Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet & cedere, diuina indignatione cõfusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus, offenso Domino, vbi fignantur, qui Dominum promerentur. Augustinus grauius esse censet schismatis quàm idolatriæ crimen: inde argumento sumpto, quòd multò de schismatis sumptum est supplicium atrocius, quàm de quibuscunq; alijs, quibuscunq; tamẽ flagitijs & sceleribus coopertis. Tempore, inquit, illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atq; adoratum est, & propheticus liber, ita regis cõtemptoris incensus, & schisma tentatum. Et idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cęde, & peregrina captiuitate, schisma hiatu terræ, sepultis auctoribus viuis, & cęteris cœlevindicatum. Vel hinc discant, quanto se scelere obstringant, quamq; grauiorum supplicio rum se debitores cõstituant, qui discessione facta à pastore suo, & à reliquo grege illi adhærente, altare contra altare erigere, nouamq; sibi cathedram constituere conantur.

*Sacerdotum praui mores.*
*Psal. 13.*
*Psal. 48.*
*Ecclesiæ communio non deserenda propter vitia Præpositi Origen. hom. 7. Ezech. 16.*
*Hæretici quandoque turpitudinem doctrinæ palleant honestate vitæ.*
*Hæretici bonæ vitæ periculosissimus.*

Verùm hic dicet aliquis: Quid tu? Nunquid Episcopos non esse putas homines, qui & errare possint, & docere nõnunquam, quæ cum Euangelio palàm pugnare videantur? Quàm multos autem non tantùm Episcopos, verùm & primi nominis Patriarchas cõmemorare licet, qui in hæresim lapsi discesserunt à fide? Nonne hoc Constantinopolitano, nõne hierosolymitano, nõne Antiocheno, nõne Alexãdrino Patriarchis euenisse legimus? Num igitur si quis talis cõtingat Episcopus, eius mihi nihilominus error sequendus, num eius doctrinę adhærendum est? Est ita vt dicis, homo est Episcopus, eadem infirmitate qua cęteri mortales, præditus, vt & errare ipse, & alios in errorem inducere possit. Ac vidimus nostra quoq; ætate quosdam Episcopos à fide discessisse: Verùm, quod anteà demonstrauimus, non sine causa constituta sunt collegia sacerdotum, ad quæ de doctrina, si quę parum sana propagari videtur, referre licet, quæ videmus alicubi puram Euangelij doctrinam retinuisse, quam Episcopus fraudibus hæreticorum seductus deseruerat. Deinde sunt synodi diœcesanæ, est Metropolitanus Episcopus, quem Archiepiscopum vocãt sunt synodi prouinciales, est postremò Pater Patrum omnium Romanus Pontifex, sunt Concilia œcumenica: adeò multa remedia Deus instituit ad quę confugere liceret, si doctrina Episcopi alicuius suspecta haberetur. Cęterùm vt tu ad cognitionem tuam voces Episcopum, vt de doctrina illius iudices, vt eam priuato tuo iudicio condẽnes, teq; ab illo propria tua auctoritate segreges, sacrilegę cuiusdam temeritatis, insolentissimęq; ac minimè ferendæ est insaniæ.

Sed hic iterum vsitata illa cantilena nobis occinitur: Non fungi officio suo Episcopos, & Sacerdotes: esse mores illorum perditos: esse vitam omni vitiorum genere contaminatam. Atq; vtinam quàm est vsitata, tam esset falsa cantilena hęc, verùm, proh dolor, veriora sunt & omnium oculis testatiora in plerisq; quàm vt negari possit. Declinatum est ab officij religione, deflexum est de recto vitę curriculo. Omnes declinauimus, & inutiles facti sumus. Deq; eo ordine, qui vnus est omniũ nobilissimus atq; excellẽtissimus, rectè dici potest: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Neq; tamen hęc iusta causa est, sicut anteà docuimus, propter vitia eorum, qui præsident, Ecclesię communitionem deserere velle. Ac responsum quidem est his, vbi de Ecclesia tractauimus: Vetustissimorum virorum, Origenis & Ioannis Chrysostomi verbis respondere visum est. Quorum ille in Ezechielem scribens ita loquitur, explicans illum locum: Accepisti vestimenta varia, & operuisti idola. Varia vestis, inquit, est & hic vnus in scripturis locus, quo induimur assumentes viscera misericordiæ, benignitatis, mansuetudinis, longanimitatis ad sufferendum inuicem. Has varias vestes & pulchros, amictus quos nobis largitus est Deus, si laceramus atq; conscindimus ac circundamus falsę doctrinę ad deceptionem hominum, non dubium est, quin varijs vestibus operiamus idola. Intelliges autem hoc quod dicitur, si rem ipsam manifestius describamus. Vide mihi aliquem Marcionistam, siue discipulum Valentini, aut certè cuiuslibet hæresis defensorem, & considera, quomodo idola sua, id est, figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, vt in aures audientium facilius ex vitę bonitate ornatus sermo subrepat: & cum hoc fecerit, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, & conuersationis optimę, & idolis subiecisse, quæ ipse construxit. Ac iuxta mei quidem animi sensum, multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina

Universidad de Deusto
Biblioteca



sua habet auctoritatis, eo qui doctrinam conuersatione maculat. Qui enim vitæ pessimæ est, non facilè homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per vmbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem: qui verò sermone peruersus est, & disciplinis saluti contrarius, mores autem compositos & ornatos habet, nihil facit aliud, nisi accipit indumenta varia instituti boni & conuersationis quietæ, & circundat ea idolis suis, vt magis decipiat audientes. Idcircò solicitè caueamus hæreticos, qui conuersationis optimæ sunt, quorum forte vitam non tam Deus, quàm diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, vt facilius aues capiant per oblectamentum gulæ, sic, vt audacius dicam, est quædam castitas diaboli, id est, decipula humanæ animæ, vt per istiusmodi castitatem & mansuetudinem, & iustitiam, possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire: Diuersis diabolus pugnat insidijs, vt miserum perdat hominem, & bonam malis tribuit vitam ad decipiendos videntes, & malam bonis induit conscientiam. Mihi ipsi qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpè tendit, vt totam Ecclesiam ex mea conuersatione confundat, & ideò plus ij, qui sunt in medio oppugnantur ab inimico, vt per ruinam vnius hominis, quæ celari non potest, omnibus scandalum fiat, & impediatur fides per conuersationem pessimam clericorũ. Omnia, vt diximus, diabolus operatur, & ea quæ videntur esse bona nec sunt, & ea quæ per naturam suam mala sunt, omnia aduersus humanam commentatur animam. Vnde qui curam habet vitæ suæ, neq; mansuetudine hæreticorũ capitur ad consentiendũ doctrinæ eorũ, neq; meis delictis, qui videor in Ecclesia prædicare scãdalizabitur, sed ipsum dogma considerans & pertractãs Ecclesiæ fidem, me quidẽ auersabitur, doctrinam verò suscipiet, secundum præceptum Domini, qui ait: Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia quæcunq; vobis dicunt, audite & facite, iuxta opera autem illorum nolite facere: dicunt quippè, & non faciunt. Iste sermo de me est, qui bona doceo, & cõtraria gero, & sum sedens super cathedram Mosi quasi Scriba & Pharisæus. Præceptum tibi est, ô populе, si non habueris accusãtionem doctrinæ pessimæ, & aliorum ab Ecclesia dogmatum, conspexeris verè meam culpabilem vitam atq; peccata, vt non habeas iuxta docentis vitam tuam instituere, sed ea facere, quæ loquor. Nullum imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus, descripti sunt actus Apostolorum, & Prophetarum gesta de sacris voluminibus agnoscimus: illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur. Si verò quærimus nobis culpabiles ad æmulandum, vt cùm dicamus ille docet, & ijs quæ docet facit ipse contraria, aduersus præceptum Domini facimus, qui mandauit doctrinas Magistrorum magis considerari debere, quàm vitas.

*Castitas diaboli.*

*Matt. 23.*

*Chryſ. Hom. 2.*

Ioannes verò Chrysostomus alteram ad Timotheum epistolam enarrans: Hoc nempè, inquit, est malorum omnium causa, quòd rectorum auctoritas perijt, nulla illis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus. Obedite, inquit, Præpositis vestris, & subditi estote illis. At nunc peruersa confusa sunt omnia. Neque hæc Præpositorum gratia dico. Quid enim illi de nostro honore lucrantur, nisi in quantum obtemperantes habebunt, id q; pro vtilitate nostra? Hi enim licet honorentur, nihil ex eo honore in futurum lucrantur, maioremq; damnationem inde suscipiunt. Et si patiantur iniurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt: imò & meritorum illis accedit cumulus, atque defensio. Nostri denique causa cuncta illi faciunt. Nam siue honorantur à subditis, & hoc illis fieri iubet, quemadmodum dicebat Heli: Assumpsit te de domo patris tui: siue iniurijs afficiantur, hoc in se DEVS ipse perpetitur, sicut ad Samuelem ait: Non te spreuerunt, sed me. Itaque illis contumelia lucrum, honor verò onus est. Non ergo hæc illorum gratia, sed vestri causa dico. Qui honorat Sacerdotem, Deum quoque honorat: qui verò Sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur, vt in Deum ipsum aliquando contumeliosus euadat. Qui vos, inquit, suscipit, me suscipit. Et Sacerdotes, ait, eius in honore habete. Hinc Iudæi Deum aspernari didicerunt, quia Moysen contempsere, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè Sacerdoti afficitur, longè maiori pietate Deum reuerebitur. Etsi enim malus fuerit Sacerdos quispiam, attendit Deus, quòd sui causa illum etiam, qui dignus honore non est, obsequijs foues, ipseq́ue tibi præmia exoluet. Si enim qui Prophetam in nomine Prophetæ suscipit, mercedem Prophetæ accipiet: profectò & qui cedit & obtemperat Sacerdoti, mercede sua non destituetur. Nam si vbi de hospitalitate agitur tantùm, vbi quem suscipis ignoras, tantum præmiorum accipis: si ei subijcias, cui imperat Deus, non multò magis mercede donaberis? Super cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis facere, facite, secundum autem opera eorum ne faciatis. An ignoras quid sit Sacerdos? Angelus vtique Domini est. Non ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinauit. Sed vnde, inquies, constat, Deum fuisse illius ordinationis auctorem? Nempè nisi tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus, neque lauacrum habes, neque mysteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamẽ ipse operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causa loquutus est: multò magis loquitur per Sacerdotem, plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem: per q; illos, qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per Sacerdotes diuino ministerio famulantes operabitur? Nãq; si Præpositorũ vitas discutere pergimus, ipsi Doctores nostros ordinare contendimus, peruersoq; ordine naturali, quæ suprà sunt, infrà esse volumus, vt superiores pedes

*Heb. 13.*
*Sacerdotes contemnere, quàm periculosum.*

*1. Reg. 8.*

*1. Reg. 2.*
*Honor sacerdotis, honor Dei.*
*Matth. 10*
*Num. 11. & 16.*
*Sacerdos indignus etiam honorandus.*
*Matth. 10.*

*Matt. 23.*

*Sacerdos est Angelus Domini.*
*Malach. 2.*

*Num. 22.*

*Matth. 7.*

*Sacerdotes non iudicandi.*



pedes, inferius verò sit caput. Audi quid Paulus dicat: Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum: Tu quid iudicas fratrem tuum? Si fratrem iudicare non expedit, quantò minus Magistrum? Nam si quidem hoc statuit Deus, benè facis, peccas q; ni facias: sin verò contraria præcipit, noli præsumere, neq; ea coneris quæ suprà te sunt. Insurrexerunt aduersus Aaron, post vituli formatam effigiem, Chore, Dathan, & Abiron. Quid ergo? Nónne illi periêre? Et ab vrsis duobus 42. pueri, Prophetæ Eliseo illudentes, Deo vindice lacerantur. Quilibet, quæ ad se pertinẽt solicitè curet. Nam si quidem fidei dogma peruertat, etiam si Angelus sit, obaudire noli: sin verò recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Habes Paulum verbis te, operibus q; moderantem. Non distribuit pauperibus, inquies, non benè dispensat Ecclesiæ res. Vnde tibi id constat? Noli illum culpare antequam discas. Reatum caue. Plurima quippè ex simplici suspicione iudicantur: Imitare Deum tuum, audi ipsum dicentem: Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita vt sciam. Quod etsi didicisti, & examinasti, & vidisti, Iudicem sustine. Noli præripere Christi Iudicis ordinem, illius est munus ista discutere, non tuum. Tu seruus vltimus, non dominus es. Ouis ipse es, pastorem noli curiosè discutere, ne eius quoque criminis reus tenearis, quod illum accusare præsumis. Et quomodo, inquies, id mihi dicit, quod ipse non facit? Non tibi ipse dicit: Nam si illi obtemperas, mercede priuaris. Christus hęc admonet. Plus aliquid dicam: ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum, sed Apostolo Christum in se loquentem circumferenti. Non igitur aliena iudicemus: sua quisque discutiat, vitamq; diiudicet suam. At debet ille, inquies, melior esse, quàm ego. Cur obsecro? Quia Sacerdos est. Et quid non habet ille amplius quàm tu? Non labores, non angores, non ærumnas? Debet esse te melior? Quid ergo? Nisi fit melior, te ipsum perdis ac perimis. Sunt verba ista plena arrogantiæ. Vnde enim nosti illum te non esse meliorem? Furatur, inquies, & sacrilegus est. Vnde hoc nosti, ô homo? Cur teipsum per præcipitia impellis? Nempè si quis dixerit, ille purpuram habet, quamvis id scias, aurem obruis: & si arguere possis, protinus retilis, teq; scire dissimulas, nolens gratis subire periculum. Quid ergo hoc in loco periculum minimè necessarium suscipis? Non carent reatu hæc verba. Audi quid dixerit Christus: Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum, quodcunque loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Cur teipsum quouis arbitraris esse meliorem? Cur non ingemiscis magis ac pectus tundis, atque in humum respicis, imitando fœlicem publicanum? Et si enim melior fis, tamen hæc fœda existimatione tua cuncta perdidisti. Melior es, tace, vt persuasa esse melior. Quòd si loquaris, omnia exinanisti. Si te putas esse, desiste: si non putas, multum sanè profecisti. Si enim qui peccator aduenerat vbi confessus est, iustificatus descendere meruit, qui peccator non est, & esse se putat, quid oro non lucrabitur? quantum ex ea humilitate suis adijciet commodis? Vitam tuam diligentius discute. Fur non es? at rapis, at violas, at innumera eiusmodi perpetras. Neque id, vt furtum probem, dixerim. Absit: imò illud valdè execror, & eum qui est eiusmodi, defleo: Nam dici non potest quàm sit sacrilegium malum: sed vobis parco. Nolo enim virtutem vestram alios accusando minuere. Quid, oro, publicano deterius? At cùm esset innumeris peccatis obnoxius, Pharisæus q; id solùm diceret: Nõ sum sicut Publicanus iste, omnia perdidit: tu de Sacerdote dicis: Non sum sicut iste sacrilegus, & nõ omnia prorsus amittes? Ista necessariò dicere, ac plurimis verbis prosequi cogor, non Sacerdotum tantùm gratia, sed vestri. Nam vereor ne hac elatione virtus exhauriatur vestra, in iudicium q; decidatis. Audi denique quid dicat admonens Paulus: Opus autem vnum probet vnusquisq;, & tunc in semetipso tantùm habebit gloriam, & non in altero. Nam, dic oro, si saucius proficiscaris ad Medicum, num omissa cura vulneris tui, studiosè Medicum percũctaris, vulnus ille habeat necne? An verò etsi ille sit saucius, vulnus tuum idcircò non curas, dicisq; sanum illum esse oportuit, Medicus cùm sit? Quando verò sanus Medicus non est, abscedo, vulnus meum insanabile referens. Nunquid enim si Sacerdos malus sit, indè solatium capiet subditus? Nihil minus. Cęterùm dabit ille quidem scelerum suorum debitas pœnas: dabis etiam & tu tuorum criminum pœnas. Etenim Magister solum iam ordinem implet: Erunt enim, inquit, omnes docibiles Dei: neque dicent, Agnosce Dominum: Omnes enim agnoscent me à minimo vsque ad maximum eorum. Cuius ergo rei gratia, inquies, præsidet? cur præpositus est? Ne quæso, Doctores nostros maledictis impetamus, vt ne nosmetipsos lædamus. Nostra, vt dixi omnia discutiamus, & neminem penitus maledicemus. Reuereamur diem illam, qua illuminati ab illis sumus. Patrem qui habet, etsi mille patiatur incommoda, omnia patris reuerentia conteget. Noli enim, inquiunt, gloriari in ignominia patris tui: neque enim tibi tam gloria, quàm probrum est: Etsi sensum amiserit, veniam habe: Longè hæc magis in patre spirituali dicenda sunt. Reuerere illum quòd tibi diebus singulis diuina ministrat, scripturas relegi facit, tui gratia exornat domum, propter te vigilat, propter te vota persoluit, pro te Deum precaturus adstat, tui causa preces exoluit, pro te apud illum religio, cultus q; & obsequium est, pro te ista omnia. Reuerere hæc ergo, atq; considera, accede ad ea summa cum reuerentia. At malus ille est: Et hoc ad te quid? Nũquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & diuina largitur? Absit. Fides enim tua ad omnia valet: neq; tibi iustus quispiam proderit, nisi ipse fidelis fis: neq; nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Per vaccas in arca operatus est Deus, cùm populum saluare vellet: num enim Sacerdotis vita, num virtus tantùm conferre potuisset? Non possunt quæ Deus ipse largitur, veluti Sacerdotali virtute perfici: omnia quippè diuinæ sunt gratiæ. Huius tãtùm munus est aperire os, cęterùm Deus cuncta operatur: symbolum iste tantummodo implet. Intuere quantum inter Ioannem & IESVM intereſt, & audi dicentem Ioannem. Ego opus habeo à te baptizari. Et, Non sum dignus soluere ipsius corrigiam calciamenti.

*1. Corinth. 4.*
*Rom. 14.*

*Exod. 30.*
*Num. 16.*
*4. Reg. 2.*
*Galat. 1.*

*Genes. 18.*

*Sacerdoti obtemperandum velut Christo.*

*1. Corinth 7.*
*2. Corinth. 13.*

*Matth. 12.*

*Luc. 18.*

*Galath. 6.*

*Ioan. 16.*
*Ierem. 3.*
*Nosce teipsum.*
*Eccles. 3.*

*Sacerdotis munus.*

*1. Corinth 16.*

*1. Regum 6.*
*Sacerdotis est ministerium tantum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Matt.3. Sed tamen cùm tantùm interest, descendit spiritus, quem non habebat Ioannes (de plenitudine enim, inquit, ipsius nos omnes accepimus) prius tamen quàm baptizaretur, non ille descendit, neq; Ioannes ipsum descendere fecit. Cur ergo istud fit? Vt scias, Sacerdotem symbolum implere tantummodo. Nullus homo tantùm distat ab homine, quantùm à Christo Ioannes. Descendit tamen spiritus, vt discas Deum omnia operari, Deum omnia facere. Vo

Ioan.1. lo quiddam adijcere planè mirabile & nolite mirari, neq; turbemini. Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat,

Sacerdotis & Christi oblatio eadē est. eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; Sacerdotes modo quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ loquutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoq; pronunciant: ita & oblatio eadem est, eademq; baptismi ratio est, adeò omnia in fide consistunt: Cornelium spiritus repentè repleuit, quia prius ipse alacritatem voluntatis ostenderat, fidemq; plenissimæ deuotionis obtulerat. Et hoc igitur

Acto.10. Christi corpus & illud est. Qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christū esse, qui nunc etiam adest atq; operatur. Ista vobis non absq; certa ratione diximus, sed vt sententiam vestram, sensumq; corrigamus, cautiores q; in posterum faciamus. Hactenus Chrysostomus, apud quem etiam alia multa legere licet in eandem sententiam, vbi locum illum Esaiæ explicat, Vidi Dominum.

His Origenis & Chrysostomi verbis abundè responsum esse videtur ijs, qui cùm aliud non habeant, quod obijcere possint, plaustris quibusdam conuiciorum in vitam & mores Sacerdotum & Episcoporum inuehuntur: quorum vesana rabies pios mouere non debet,

Oseæ 13. Iob.34. Luc.10. etiā si vera essent, quæ ab illis dicuntur, quæ tamen ex magna parte ficta sunt & commentitia. Parendum est nihilominus etiam ijs Præpositis, quos iratus Deus dedit, ita populi peccatis exigentibus. Nam contemnendis illis Deus ipse contemnitur, audiendis illis Deus ipse auditur. Si mali sunt Præpositi, non vita, sed doctrina eorum est amplectenda, de qua nihil est quod arroget sibi priuatus aliquis cognoscendi potestatem, quæ propria est Episcoporū.

Cathedralis Ecclesia ab vna cathedra Christi in vnaquaq; diœcesi dicitur. Vna est in vnaquaq; diœcesi Christi cathedra, vnde etiam Ecclesia cathedralis dicitur. Ex ea cathedra quod docetur, id reuerenter & obedienter audiendum est. Contra hanc si quis noNum.6. uam sibi cathedram constituere sit conatus, etiam atq; etiam videat, ne quæ Chore, Dathan & Abiron, eadem illum grauia & inusitata supplicia maneant. Nullum enim facinus æquè Deus vlciscendum putauit vnquam, atq; hoc, quod est vnum omnium atrocissimum. Sed nos reliqua iam persequamur.

## *De Sacramento Matrimonij.*

## CAP. LV.

Sacramentorum anacephaleosis. Gal.2. Galath.3. Gal.2. Baptismus sacramentum fidei. DIximus iam quemadmodum nati mundo, per lauacrum regenerationis felicius Christo renascimur in vitam quandam nouam, qua non iam ipsi viuimus, verum viuit in nobis Christus, quem in baptismo sumus induti. Quod autem viuimus deinceps in carne, in fide viuimus filij Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis: qua etiam de causa, fidei sacramentum baptismus vocatur. Simul & illud docuimus, posteaquam in baptismo semel Christo desponsi sumus, non ad fidem otiosam, sed ad pugnam periculosam nos vocatos esse. Dolet enim Satanas ereptum sibi bolum è faucibus, quamobrem omni telorum genere nos oppugnat, vt à sponso nostro, cuius pretioso sanguine subarrati sumus, abstractos, in suam nos rursus redigat potestatem. Contra quem cùm perpetuò nos in acie stare oporteat, neque enim frustrà scriptum est, Militia est vita hominis super terram: quò simus in prælio gerendo fortiores, signamur in fronte signo crucis, & vngimur chrismate salu-

1.Pet.2. Iob 7. Confirmatio sacramentum spei. tis: quo signo datur nobis Spiritus sanctus, qui præstò nobis adsit: pugnantibus robur præstet, fiduciamq; resistendi suppeditet. Itaque vocatur confirmatio spei sacramentum, quòd per illud in bonam spem erigimur ex hostibus victoriæ deportandæ. Ostendimus posteà, quando quidem qui non modò viuunt, verumetiam pugnant, alimoniæ indigere videntur, quòd alioqui vires non essent suffecturæ, de hac quoque prouidisse nobis patrem misericordiarum Deum. Qualis vita, qualis pugna, talis & alimonia. Nihil in ijs omnibus non est spirituale. Spiritus enim est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Quamobrem non ea carne, quæ videri, quæ tangi, quæúe sensu aliquo comprehendi possit, sed ea quam fide sola complecti licet, sua ipsius vera, & viua carne, suo ipsius vero & viuo sanguine nos reficere dignatur. Quain re cùm maximè sit illustris illius in nos charitas, qua nos vicissim ad amandum illum inflammamur, qui prior dilexit nos: rectè dicitur Eucharistia sacramentum charitatis, per quod vnum cum Christo capite, vnum etiam ipsi inter nos corpus efficimur. Illud quoque demonstrauimus, quandoquidem nostra culpa fit, vt cum hostibus dimicantes aliquando succumbamus, grauiterq́ue sauciati prosternamur, hac quoque in parte de remedio nobis patrem nostrum cœlestem pro sua ineffabili bonitate prospexisse: pœnitentia q; medicinam concessisse, qua sanati resurgere possemus. Quoniam verò non nisi nostra culpa fit, vt victi in nostri hostis potestatem recidamus, meritò nobis Deus irrascitur, cui per hoc pœnitentiæ Sacramentum reconciliamur. Neque tamen

Psalm.50. Isaiæ 38. 2.Cor.3. iam omnino gratis sicut in baptismo, sed requiritur deinceps à nobis, si redire cum DEO velimus in gratiam, vt à peccatis cessemus, vt ea detestemur, & odio habeamus: vt corde contrito & humiliato, quod Deus non despicit, non solum recogitemus in amaritudine peccata nostra, verumetiam ministro reconciliationis sacerdoti ea confiteamur, & absolutionis ab eo beneficiū petamus: deniq; vt per ieiunia, orationes, eleemosynas, & alia pia virq́ spiri-



spiritualis exercitia, digna pœnitentiæ opera faciamus: non quidem pro pœna æterna, quæ merito Christi passiónis & mortis per Sacramentum vel Sacramenti votum vnà cum culpa nobis remittitur, sed pro pœna temporaria, quæ non tota semper vt in baptismo, sit, remittitur. Quare Sacramentum hoc ad eam virtutem refertur, quam iustitiam vocamus: iu-

Pœnitent. sacr. iustitiæ. Ephes.4. 1.Cor.3. stum enim est, vt qui gratiæ, quam acceperat, ingratus, Spiritum sanctum contristauit, & templum Dei violare non est veritus, non sine aliqua satisfactione reconcilietur. Illud præterea planum fecimus, quòd non alio tēpore grauius & periculosius certamen instat, quàm cùm graui morbo conflictatis ex hac vita migrandum est: quodq; ne tum quidem deesse no

Extremæ vnct. sac. fortitudinis. bis dignata est Dei benignitas: dedit q; sacramentum vnctionis, quâ extremam vocant, quò vires tam corporis, quàm animi refocillari possint, vt ad congrediendum cum tam potenti aduersario illius gratia adiuti, non omninò impares esse possemus. Hoc Sacramentum ad fortitudinem refertur, cuius pars est perseuerantia, quam huius vnctionis beneficio consequimur, fortes in pugna perseuerantes, ac sumpto scuto fidei, omnia tela nequissimi ignea extinguentes. Declaratum est & illud, quando sine ministris vita constare non potest, etiam

Ephe.6. de illis Deum Ecclesiæ suæ prouidere voluisse, non sine quodam ordine, qui non solum ad decorem facit plurimum, verumetiam ad concordiam & vnitatem retinendam. Dedisse minores quosdam, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos. Dedisse maiores quoq; ministros, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes. Quia verò, sicut præclarè dictum est à Chrysosto-

Chry. in epist. ad Ephe. hom. 20. Phil. lib. 2. de monarchia. mo, vbi honoris est æqualitas, aut omnes Principatum gerunt, ibi nunquā poterit esse pax, quòd ista verbotenus æqualitas, sicut anteà quoq; fuit à Philone scriptum, inæqualitatem rerum pariat. Nam æqualia dignitate imparibus tribuere, est inæqualitas: inæqualitas verò

Inæqualitas malorum fons. fons malorum: dedisse quosdam etiam, qui cum quadam in Ecclesia potestate versarentur, non solùm cognoscendi de ijs, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, præcipuè verò de doctrinæ genere, verumetiam flagitiosos coërcendi, & eos, qui doctrinam impiam sectaren

Amb. in epist. ad Ephes. cap.4. tur, ab Ecclesiæ septis arcendi, ac ex piorum cœtu exterminandi. Hos ordines per Paulum significatos putat Ambrosius, cùm dicit: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdā aut Prophetas, alios verò Euangelistas, quosdam verò Pastores & Magistros, ad consumma-

Acto.8.21. tionem sanctorum in opus ministerij. Apostoli, inquit, Episcopi sunt: Prophetæ verò explanatores sunt scripturarum. Euangelistę Diaconi sunt, sicut fuit Philippus: quamuis non sint Sacerdotes, Euangelizare tamen possunt sine cathedra: pastores sunt lectores, qui lectioni-

De virginib. lib.1 bus saginent populum audientem: Magistri verò exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt & verberant inquietos. Refertur autem hoc sacramentum ad prudentiam: quando-

Ordo sacramentum prudentiæ. Matth.24. quidem fidelem esse seruum & prudentem oportet, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Atq; hæc quidem dicta iam à nobis sunt.

Quoniam verò, cùm vnius hominis vita longa non sit, duratura in sæculum ætas quemadmodum Ambrosius loquitur, succedere non posset ætati, breuiq; defuturi essent, qui per

De virginib. lib.1 baptismum renati, Christi se militiæ adscriberent, etiam huic rei Deus remedium prospexit, ac Matrimonij Sacramentum instituit, ex quo noui Christi milites conscriberentur: si modò, quòd fieri dubitandum non est, non alia voluntate liberos parentes procrearent, quàm vt per baptismum ex membris primi hominis in membra Christi translati in eiusdē

Gen.1.2. Christi militum album referrentur, atque ijs qui vita functi essent, noui semper succederēt. De hoc itaq; Sacramento nobis nunc dicendum est, quod antequam peccasset Adam, in offi-

Matrimonij causæ. cium tantum & ministerium, post admissum verò peccatum, iam non in officium tantùm, verumetiam in remedium est institutum. Quapropter ad eam virtutem refertur, quæ tem-

Matrimonij sacramentum temperantia. perantia dicitur, vt esset incontinentiæ remedium. De hoc Sacramento sic scribit Paulus: Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniā vir caput est mulieris, sicut & Chri-

Ephes.5. stus caput Ecclesiæ: Ipse est saluator corporis eius. Sed vt Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata: Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Verùmtamen & vos singuli vnusquisq; vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

Matrimonij sacramentum. Nullum est è septem, de quibus nobis nunc sermo est, cui Sacramenti nomen in scriptuMysterium idem quod sacramentum ris Canonicis tribui legamus, præter vnum hoc: quòd non modò Sacramentum, verumetiam magnum Sacramentum vocat Paulus. Neq; desunt tamen, qui inter Sacramenta Matrimonium numerari nolunt. Nam à Paulo, qui Græcè scripsit, non Sacramentum, sed mysterium vocari dicunt. Quasi verò aliud sonet Græcis mysterium, q̄ quod Latini vocant Sacramentum. Cyprianus, Cyrillus, Chrysostomus, Eucharistiam sæpè vocant mysterium, nunquid ideò Sacramentum non est? Ac latè quidem patet mysterij nomen, sicut & Sacramenti, verum & ea significatione, qua nunc vtimur, Sacramentum appellari Matrimoniū à Paulo dubitandum non est, quandoquidem ita multis & disertis verbis omnia illi competere ostendit, quæcunque ad Sacramenti rationem (quomodo nunc de eo loquimur) pertinent.

Signorum tria genera. Matrimonij significationes. Quid est enim aliud Sacramentum, nisi sacræ rei signum? Docuimus autem anteà tria esse signorum genera: Nam & præteritarum, & præsentium & futurarum rerum per ea admonemur. Omnium harum rerum nos admonet signum huius Sacramenti, siue quis materiā aut elementum vocare malit: quæ est visibilis illa coniunctio, quæ fit stipulatione verborum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iohn. 16.* *Philip. 2.* data arra, iunctis dextris, alijsq; solennibus ceremonijs. Primùm admonet præteritę mysticę conglutinationis diuinæ & humanæ naturæ, Christi sponsi & Ecclesiæ sponsę: quomodo Dominus noster IESVS CHRISTVS reliquit, quodammodo patrem suum Deum, posteaquàm exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: reliquit matrem suam synagogam, ex qua secundum carnem natus est: reliquit domum suam, dimisit hęreditatem suam: dedit dilectam animam suam in manus inimicorũ suorum. Quam tandem ob causam? Vt adhæreret vxori suę Ecclesię, quam ex Gentibus sibi copulauerat: vt quam fœdam inuenerat ac omni turpitudinis genere pollutam, eam sanguine suo ablutam sanctificaret, ac exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam. Huius præteritæ rei, futuros coniuges, primum admonet signum istud visibile. Admonet autem non in hoc tantùm vt merẽtur, verumetiam vt imitentur: vt viri diligant vxores suas, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: vt neq; patris neq; matris amorem illius amori anteponendũ esse putent: vt sicut Christus tradidit semetipsum pro spõsa sua Ecclesia, ita vir pro vita, pudicitia, fama vxoris suæ, non dubitet vitę quoduis discrimen adire. Sicut Christus adamauit immundam, & acerbissima quæq; passus est, vt mundam & incontaminatam redderet: sic & vir si non vsq; quaq; munda sit vxor, si qua sit vel corporis vel animi infirmitate prædita, non statim abijciendam existimet, verùm infirmus infirmam tolleret, atq; omnia prius & facere & pati in animum inducat, quàm vt eam absq; legitima causa dimittat, omnem etiam diligentiam adhibeat, quò vel corporis vel animi illius morbo mederi possit. Huius rei coniunctionis Christi sponsi cum sponsa Ecclesia, sic signum est visibilis coniunctio viri cum fœmina, vt eius admoneat tantum, non autem eam efficiat. Cęterùm admonet præterea præsentis rei, præsentis gratiæ, quam in hoc Sacramento confert Deus: qui quod iubet non modò verbo, verumetiam exemplo, idem etiam dat pro sua bonitate. Siquidem visibilis ista copulatio, quæ fit datis arris, iunctis dextris, admonet inuisibilis gratię, quam largitur Deus. Nam simul vt ad elementum visibile accesserint verba, quæ præeunte sacerdote profert vterq; coniunx, fit sacramentum, per quod peculiare donum spiritus infunditur: quò & firmiores redduntur ad perpetuam cõcordiam, & robustiores ad pariter tolerãda huius vitæ incommoda, & instructiores ad sobolem pijs moribus educandam. Quod quidem donum sic demùm infunditur, si quemadmodum oportet, ita sacramentum hoc susceptum fuerit. Nam si secùs factum sit, sicut in alijs sacramẽtis, ita & in hoc ira paratur pro gratia. Infunditur autem hoc donum ex pacto diuino, qui promisit hoc ita futurum, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhęrebit vxori suę. Quod sacramentum & si in viro quoq; & in muliere esse dicit Paulus, maius tamen esse vult in Christo & in Ecclesia. Quòd aũt ad virum quoq; & mulierem pertineat mysteriũ hoc siue sacramẽtum, testatur Chrysostomus, eum locum enarrans, his verbis: Re vera nanq; re vera, inquã, mysterium est, & magnũ mysteriũ relicto parente, eo qui genuit, eo qui aluit, etiam ea quæ peperit, quæ miserè & cum labore parturijt, illis videlicet desertis, qui tanta beneficia præstiterunt, quibus cum consuetudo tracta est, adhęrere virum illi, quæ antea neq; visa sit, neq; aliquid cõmercij cum illa habuerit, atq; hanc etiam omnibus pręferre. Verè mysterium est. Et parentes etiam, cùm ista fiunt, non offenduntur, sed magis offenduntur ac dolent cùm non fiunt expensis quoq; pecunijs, ac sumptu facto lętantur. Magnum re vera mysterium & ineffabilem quandam sapientiam habens. Istud suprà præfatus dixit in Christo & in Ecclesia. Veruntamen non propter ipsum solum ita dictum est. Sed quid? Vt vxorem scilicet tanquam propriam carnem foueat, quemadmodum & Christus Ecclesiam: vxor verò vt reueretur virum. Et in Genesim scribens, An non audis, inquit, Paulum dicentem, quod Sacramentum sunt nuptiæ & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declarauit. Neque dissimilia scribit Augustinus quoq; cuius hæc sunt verba: Quoniam non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides, verumetiam quoddam Sacramentum nuptiarum cõmendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: huius proculdubiò sacramenti res est, vt mas & fœmina cõnubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent, nec liceat excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi: Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente in ęternum nullo diuortio separetur. Cuius Sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, hoc est, in Ecclesia Christi, quibusq; fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cùm filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quòd si quisquam fecerit, non lege huius seculi, vbi interueniente repudio sine crimine conceditur, cum alijs alia copulare cõnubia, quod etiam sanctum Moses Dominus propter duritiã cordis eorum, Israëlitis permisisse testatur: sed lege Euangelij reus est adulterij: sicut etiam illa, si alteri nupsit: Et vsq; adeò manẽt inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his, quibus alijs adhæserunt. Ac aliquanto pòst adducens illa verba, Relinquet homo patrem & matrem. Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in CHRISTO & in Ecclesia. Quod ergo est in CHRISTO & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis sacramentum. Ad eundem modum scripserunt Ambrosius quoque, Theophilactus, Leo Pontifex, & alij nonnulli, qui omnes eadem ratione, qua sex reliquis, huic quoque Sacramenti nomen tribuunt. Duplicis itaque rei signum esse docuimus hoc sacramentum, præteritæ coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, & præsentis gratiæ quæ nobis confertur: cuius non admonet modò, verumetiã causa illius est, & eam efficit hoc sacramentũ. Est etiã tertię rei signũ: Admonet enim ista cõiũctio visibilis Matrimonio copulãdos futurę cõiunctionis cum

*Matrimonijs rectè suscipientibus infunditur Spiritus sanct. donum & gratia.* *Genes. 2.*

*Chrysost. serm. 20.*

*Hom. 56.* *Augu. de nuptijs & concupiscentia, lib. 1. cap. 10.* *Ephes. 5.* *Matrimonij inseparabilitas.* *Matth. 5. 19.* *Psal. 47.* *Matth. 19.* *Deut. 24.* *Thori separatio. non solutæ coniugij vinculum.* *Cap. 21.* *Genes. 2.* *Ephes. 5.* *Ambr. in epist. ad Ephes.* *Theophil. ibidem.* *Leo epist. 92.* *Matrimonium triplicis rei spiritalis signum est.*



cum sponso nostro Christo, quandoquidem per vas suum electum loquutus est Spiritus sanctus, quòd saluabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate. *1. Timot. 2.*

Fuerunt apud Gentes quoq; Matrimonia, qui lege quadam naturæ menti diuinitùs insita, sanctam esse rem Matrimonium & magis quiddam, quàm vt humanum inuentum existimari posset, intelligebant: atq; ideò vagos concubitus arcebant, ac de ijs, qui stuprum aut adulterium commisissent, pœnas capitis legibus sumebant, Matrimonij tamen sacramentum, apud eos non fuit, cùm liceret eis etiam nulla causa Matrimonium rescindere. Sed neque apud ludæos, apud quos maior etiam fuit Matrimonij sanctitas, fuit Matrimonij sacramentum, eadem illa ratione, qua apud nos sacramẽtum est, quibus & ipsis ob duritiam cordis permissum erat vxores dimittere, quamuis leuem ob causam. Solum ergo Christianum Matrimonium sacramentum rectè dicitur, & est: Cuius cùm tria bona recenseat Augustinus: primum dicit esse fidem, secundum prolem, tertium sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur. Vxor enim non habet potestatem sui corporis, sed vir: Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. In prole vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: Huius enim potissimum gratia contrahi debet Matrimonium. Ita enim dicit Apostolus: Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse. In sacramento autem, vt coniugium ne separetur, & dimissus aut dimissa ne prolis causa alteri coniungatur. Hoc enim est Christi verbũ: Dictum est, quicunq; dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Et rursus: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et sequitur Magistrum suum Paulus: His, inquit, qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus: vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Quæ & Christi & Apostoli verba, non alio sensu acceperunt, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & ante eos Origenes & Chrysostomus, ac qui sectator ipsius est Theophylactus, alijq; sancti Doctores, quàm quòd per ea significari existimarent tanti Sacramenti rem esse fœdus illud initum nuptiale, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro, à quo relicta est, mœchatur si alteri nupserit. Neq; dispar est causa viri, quem non oportet esse meliore conditione, quàm sit mulier.

*1. Cor. 7.* *1. Timo. 3.* *Matth. 19.* *1. Cor. 7.* *Amb. in 1. Corin. 7.* *& li. 8. in Luc.* *Hier. ad quæst.* *Amandi presbyteri & in epitaphio Fabiolæ.*

Magna itaque est firmitas vinculi coniugalis, quam non designat modò, verùm etiam efficit accedente verbo, visibilis illa quæ fit per Sacerdotem, copulatio. Confertur enim per illam donum perseuerantiæ peculiare, modò quis animum præbeat capacem, & eo quo debet affectu ad sacramentum hoc accedat. Qui qualis esse debeat, docet nos oratio Saræ filię Raguelis, quæ Matrimonium susceptura, sic orauit: Tu scis, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concubitu. Nunquam cum ludentibus miscui me, neq; cum his qui in leuitate ambulant me participem præbui. Virum autem cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere. Contracturus Matrimonium pulatur, neque aliter affectus esse, quàm si præsentem Deum videat, vxorem sibi copulangit, iuxta illud quod dictum est: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Debet etiam animo secum reputare, quanta sit signi maiestas, quod similitudinem refert coniunctionis Christi sponsi cum Ecclesia sua sponsa. Hoc affectu qui accesserit, dubitare non debet, quin gratiæ, quæ confertur in hoc Sacramento, sit particeps futurus. Qui verò prophano affectu Sacramentum hoc percipiunt, tantum absunt à gratia percipienda, vt iram etiam sibi thesaurisent in die iræ. Neq; enim alijs ex causis contrahendum est matrimonium, quàm propter sanctam societatem, religiosæ posteritatis amorem, ac fornicationis odiũ ac detestationem: vt dicere posit vxorem ducturus cum sancto Tobia: Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum, amen. Nam si qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, qui bus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos, ac formidare debent, ne iidem illis eueniat, quod septem illis viris, qui cùm luxuriæ causa Saram vxorem ducere voluissent, ordine omnes prima statim nocte propter incontinentiam suam à dæmonio sunt suffocati.

*Matrimonium susci pientes quomodo affectos esse oportet.* *Matt. 19.* *Rom. 2.* *Causæ contrahendi matrimonij.* *Tob. 8.* *Tob. 6.* *Matrimonium solæ libid. gratia suscipientibus dominatur dæmonium.* *Psalm 31.*

Libet hic adscribere sancti Pontificis & Martyris Euaristi verba, de eo, quo ritu legitimum Matrimonium contrahi oporteat. Legitimum, inquit, vt à Patribus accepimus, & sanctis Apostolis, eorumq; successoribus non est Matrimonium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus propinquioribus sponsetur, & legibus doceatur, & suo tempore sacerdotaliter, vt mos est cum precibus, & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, vt consuetudo docet, custodita, & sociata à proximis, tempore congruo, petita legibus detur, & solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt bonæ soboles generentur, & Domino suis in actibus placeant. Taliter enim placebunt, & filios non spurios, sed legitimos atque hæreditabiles generabunt. Et paulò pòst: Aliter præsumpta, non coniugia, sed adulteria, aut contubernia, aut stupra vel fornicationes potius quàm legitima coniugia esse dicit: nisi propria voluntas suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima, Quam Euaristi sententiam Tertullianus quoque secutus videtur, cùm ait: Occultæ coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur. Hoc fuit vtriusque de Clandestinis

*Epist. 1.* *Matrimonium legitimum quomodo contrahitur.* *Tob. 8.* *Tertul. lib. de pudicitia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



iudicium. De legitimis verò, scribens ad vxorem: Vnde sufficiam, inquit, ad enarrandam
*Lib.2.* fœlicitatem eius Matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum
Angeli renunciant, pater ratum habet. Oblationis nomine sacrum intelligit, quam vulgò
*Oblatio promissa ponitur.* Missam vocant. Ad hanc sponsus & sponsa conueniebant, ibi per Ecclesiam, hoc est, per Sacerdotem Ecclesiæ ministrum conciliabatur Matrimonium, & obsignabatur oblatione facta. Frequens est autem apud Tertullianum obsignandi verbum, quoties de Sacramentis
*Amb. epist.70. Chrys. hom. 48. in Genes.* agit. Videtur autem vterque tam Euaristus, quàm Tertullianus ministerium Sacerdotis in hoc Sacramento requirere. Nec diuersum ab illis Ambrosius quoque sentire videtur, cùm
*Gerson part.2.c.9. quæst.10.* oportere dicit coniugium velamine & benedictione Sacerdotali sanctificari. Idem vult etiam Chrysostomus, vbi de nuptijs Isaac & Rebeccæ tractat. Vt non temerè dixisse videatur
*Benedictio nuptialis an sit necessaria.* vir pius & doctus Guilielmus Parisien. Episcopus proposita quæstione: Vtrum sacramentũ veri nominis, & sacramentalis virtutis matrimonium sit, si præter nuptialem benedictionẽ & orationem, quando haberi potest, contrahatur: Respondit, verum: certum est, quia & sacrum signum est, & sacrans siue sanctificans virtute essentiali siue contrarietatis, & forsitan meritò, dummodò nuptialis benedictio non contemnatur, sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus.

*De Impedimentis Matrimonij.*

## CAP. LVI.

SVnt quædam de essentia Matrimonij, sunt alia quæ sicut in cæteris sacramentis, ita & in hoc magis ad solennitatem quãdam pertinent. Quæ sunt posterioris generis, contrahendum quidem impediunt Matrimonium, sed non dirimunt contractum: Quæ verò prioris, non solùm impediunt contrahendum, verumetiam dirimunt contractum: De vtrisque quò facilius memoriæ commendari possent, hos versiculos, ante aliquot secula conscriptos legimus:
*In 4. sent. dist.34.*

*Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.*
*Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.*
*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Si sis affinis, si forte coire ne quibis.*
*Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.*

Nobis de duobus tantùm dicere nunc est propositum, de quibus hoc tempore controuerti maximè videmus, de voto & de ordine.

Venerem notæ fuisse incontinentiæ fœminam, adeò peruulgatum est apud omnes, vt
*Venus.* inde nomen etiam traxerit omnis obscœnitas & libido. Hæc prima fuisse dicitur in Cypro auctor mulieribus, vt vulgò quæstum corpore facerent. Quòd ideò scribit eam imperasse
*Li.1.c.17. Lactan. Lib.1.c.19.* Lactantius Firmianus, ne sola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur, quam tamen inter numina sua gentes retulerunt. Huius exemplo duo Martini, quo
*Lutheri & Buceri consilium.* & ipsi possent inter hæreticorum numina referri, numinis huius cœstro perciti, violato iure iurando quod præstiterunt, vt incestam libidinem suam explerent, non quibusuis mulieribus, verùm eiusdem, cuius & ipsi fuerant ordinis, hoc est, Nonnis: siue quis Sanctimoniales appellare malit, quasi Matrimonio coniuncti auctores fuerunt omnibus, qui corpora sua Domino consecrassent, & perpetuam professi continentiam, se voto castitatis obstrinxissent, quo & ipsi contra iurisiurãdi sui religionem perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pu-
*Soc.li.4.cap.31. Valentiniani factũ.* dicitiæ claustris, eadem se nefaria turpitudine contaminarent. Quamuis autem non par crimen, non omnino tamen dissimilis causa fuisse videtur Imperatoris Valentiniani: qui cùm alteram vxorem duxisset priore superstite, nec repudiata, quo leuius videri posset facinus à se patratum, si plures eiusdem culpæ affines facti essent, legẽ tulisse, ac eam promulgari passim iussisse legitur, per quam cuiuis simul duas vxores habere liceret. Martinorum itaq; sacrilega audacia factum est, vt in dubium illud reuocari cœptum sit, liceat ne voto se castitatis obstringere, aut si quis obstrinxisset se, Matrimonium nihilominus contrahere. Quamuis autem nemini, qui catholicæ fidei est, dubium sit, quin & licitum sit vouere castitatem aut continentiam, & quod semel quis vouerit, id ab eo præstari oporteat, quò tamen magis id persuasum esse queat etiam his, qui vacillare non nihil videntur, paucis de eo differendũ esse putauimus.

*Vouere piũ, & præstare necessarium.* Quòd & vouere pium, & quod voueris, præstare necessarium sit, apertiora sunt scripturæ testimonia, quàm vt negari possit. Sic enim per Prophetam Deus loquitur Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Et iterùm: Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis
*Psal.5. Deuter.23.* reddere. Quòd autem cœlibatus votum, pium Deoq; gratum sit, vel ex eo cuius perspicuum esse potest, quod & à Christo laudantur Eunuchi, qui se propter Dei regnum castrauerunt. Et apud Esaiam sempiternum se illis daturum nomẽ Deus promisit, quod nõ peribit.
*Cælibatus votum pium. Matt.19. Esa.56. 1.Cor.7. 1.Tim.7.* Et de virginibus consilium dat Paulus: qui simul indicat ad Timotheum scribens, quod quę viduæ ex Ecclesiæ stipe alebantur, voto se perpetuæ continentiæ obstringebãt. Et Philo testatur (quanquam Iudæus) qui fuit Apostolorum æqualis, fuisse tum inter Christianos, qui
*In libro de viris Apostolicis.* suam Deo castitatem desponderent. Quamobrem quod asserunt castitatis hostes & continentiæ, votum cœlibatus fieri contra mandatum Dei, tam apertè vanum est, vt refellere ne-
*Continentiã & Castitatẽ seruari posse.* cesse non sit. Nullum enim Dei mandatum proferre possunt, de non vouendo continentiã, quam Deo gratam & acceptam esse, tot locis non obscurè scriptura testatur.

Sed



Sed hic illi aliam æquè friuolam rationem adferunt, qua votum cœlibatus parũ esse piũ demonstrent. Displicere, aiunt, Deo infidelem & stultam promissionem: esse autem infidelem & stultam promissionem, vouere quod præstare non possis: cuius generis esse volunt
*Eccl.5.* continentiam: De qua non dubitauit alter ex eis dicere, æquè non esse arbitrij sui, vt se à fœminæ commixtione seruaret, quàm nõ sit arbitrij sui, mas sit an fœmina. Adeò nihil puduit impudens istud os, orbi toti suam incontinentiam testatam facere. Quis autem non videt,
*Lutheri impudẽtia 1.Cor.3.* si nihil vouendum sit, quod à nobis tanquam à nobis præstari non possit, omnem iam vouendi rationem prorsus esse sublatam? Nam non modò facere, verum ne cogitare quidem
*Cap.11.* aliquid boni ex nobis tanquam ex nobis, idonei sumus, vt rectè in altero Concilio Arausicano ante mille & centum annos habito, scriptum sit. Nemo quicquam Domino rectè voue-
*1.Par.19.* rit nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, dam⁹ tibi. Quod si quia
*Ambros. de viduis.* periculum est in vouendo, vouendum non est, ergo nemo militet, inquit Ambrosius, ne ali-
*Psal.75.* quando vincatur, nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat, nec ocu-
*Aug.lib.1.c.24. de adulterinis coniugijs* li intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. Locum illum ex Psalmis enarrans Augustinus, Vouete & reddite: monet vt quisq; quod potest voueat, & reddat. Nõ sitis, inquit, pigri ad vouendum, nõ enim viribus vestris implebitis: deficietis, si de vobis præsumetis, si
*Matth.11.* aũt de illo cui vouetis, vouete securi, reddetis. Quo in loco cum de alijs votis, tum de voto castitatis & continentiæ, tanquam pio, Deoq; grato copiosè differit. Quod etiam ad Pollentium scribens inter ea numerat, quæ rectissimè vouentur. Ac inter cætera: Non eos, inquit, terreat sarcina continẽtiæ. Leuis erit si Christi erit. Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat
*Ioan.1.* à iubente, quod iusserit. Non eos frangat quòd videtur eorum cõtinentia necessitatis esse, non voluntatis, quia & illi qui eã voluntatem delegerunt, fecerũt eam esse necessitatis, quo
*Lib.1.cap.19.* niam vani sine damnatione ab ea deuiare non possunt, & qui in eam necessitatem contrusi sunt, faciunt eã esse voluntatis, si non de seipsis, sed de illo, à quo esse bonũ omne confidunt. Qui etiã in confessionũ libris ad Deum orationem conuertens, ait: Tota spes mea in magna valdè miseratione tua: Da quod iubes, & iube quod vis. Imperas nobis continentiã. Et cùm
*Sap.8.* scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiẽtię scire cuius esset hoc donũ, adij Dñm, & deprecatus sum illum. Constat autem Augustinum,
*Tertu. ad vxorem.* priusquàm esset baptizatus parum fuisse continentem. Et est illud verissimum quod scripsit Hieronymus: Quod semel expertis voluptatibus abstinere multò difficillimum est. Quã
*Lib.1.cap.19.* etiam ob causam Tertullianus viduam aliquid operosius habere dicit, quàm virginẽ. Quia facile est non appetere quod nescias, & auersari, quod desideraueris nunq̃. Gloriosior continentia, quæ ius suũ sentit, quæ quid viderit, nouit. Itaq; grauem carnis luctam sustinuit Augustinus, cùm illi continentiã vouere volenti diceret consuetudo violenta, putasne sine fœminis viuere poteris? Contrà verò casta dignitas continentiæ, blandiens vt ad se veniret, inuitabat: & ad suscipiendum, & ad amplectendum ipsum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum extendens. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, &
*Confes.li.8. cap.11.* graues viduæ, & virgines, anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ. An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas? & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & saluabit te.

Quamobrem non modò non impossibile, verumetiam facile, iucundum, suaue nobis futurum est cõtinere, illo adiuuante, qui dixit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Verum est quod dixit Comicus: Nihil est tam facile, quin difficile fiat, si inuitus facias. Sed & illud verum est, quod à Ioanne Chrysostomo scriptum est: Nihil est quod non superet amor cum desiderio. Quamobrem & Petrus Chrysologus: Fortem, inquit, te faciat vis amo-
*Chryso.hom.64.ad populum Antioch.* ris, quia nihil durum, nihil amarũ, nihil graue, nihil lethale cõputat verus amor. Quod fer-
*Serm.40.* rum, quæ vulnera, q̃ pœna, quæ mortes amorẽ præualent seperare perfectũ? Amor impene
*Amanti nihil difficile.* trabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet: si amor est, vincit omnia. Vnde colligere licet, quòd vbi vera est fides, non illa sola, quæ triginta his annis prædicari cœpta est, quam Iacobus vocat mortuam: sed illa de qua dicit Paulus, quæ per
*Iacob.2.* charitatem operatur, nihil credenti & amanti difficile, atq; adeò nihil non erit cum primis
*Gal.5.* leue & suaue. Qui Pythia cantat: scripsit quidam. Abstinuit Venere & Baccho. Deinde verò, qui ferarum capiendarum desiderio tenentur, eorum quanta sæpè sit abstinentia, vel Hyperiis, politi docemur exemplo. Posteà verò, quam ijdem in frigore & æstu perferendo patientes sunt, quæ non adeunt vitæ pericula? Ab equis, à fossis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris, quibus aliquando temerè sese committẽtes, immaturam, quandoq; mortẽ obeunt, nullã tñ ex eo sentiũt molestiam, quin magis voluptatẽ maximã. Quẽ verò faciẽdæ rei tenet studiũ, dũ
*Venatorum & mercatorũ abstinentia.*

*Impiger extremos currit mercator ad Indos.*
*Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

Nónne & illius videre sæpè licet abstinentiam singularem? qui plurimis præterea vitam suã exponit & periculis & molestijs.

Si tantum potest amor & desiderium ferarum capiendarum, si tantùm potest amor & desiderium pecuniæ cumulandæ, quam tamen relinquat homo necesse est, cùm ex hac vita
*Psalm.75.* migrauerit, sicut scriptum est: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis: non multò poterit amplius amor & desiderium illius, qui vita nostra est, & quidem vita sine fine beata. Itaque verè dictum est ab Augustino. Nihil est tam duru
*De moribus eccl. Catholi. lib.1.c.22.* rum atq; ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cùm se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam, libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis,

ama-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Amoris vis.*

amatores fœminarum amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cùm ille non amor, sed cor gruētius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus sit impetus animi ad ea, quæ diliguntur indeflexo cursu per immania quæque tendentis, argumentoq; nobis

*In Ioan. hom. 78.*

est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi vt deserant, perferunt. Hac de re plura perquam eleganter & appositè scribit Chrysostomus quoque. Et Gregorius Nazianzenus in præceptis ad virginem. Huius igitur amoris Dei igne inflammati sancti

*Ioan. 14. Coloss. 3.*

Apostoli & martyres, non ab vxorum complexu tantùm abstinuerunt, verumetiam cùm

*Apostolorum & martyrum abstinentia.*

cæsi essent, ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quibus vsq; eò durum non fuit, aut, quod isti volunt, impossibile, suaue

*Acto. 5. Matth. 11.*

iugum Christi in continendo, vt non modò carnis concupiscentias frenarent, verumetiam vltrò pro Christo mori expeterent. Sic Andreas cùm crucem sibi paratam esset conspicatus exclamasse legitur: O bona crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipe me, discipulum eius qui pependit in te. Sic Laurentius vltrò Sixto commori cupiens: Quò progrederis, inquit, sine filio pater? quò sacerdos sine ministro properas? cumq; extrinsecus arderet beatus Martyr in craticula positus tyranni sæuientis incendijs, maior eum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat: & quamuis Rex improbus ligna subijceret, ac grauioribus incendijs cruciaret, tamen sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sensit, & dum Christi præcepta

*2. Cor. 11. Rom. 8.*

cogitat, frigidum est ei omne quod patitur. Sic Paulus cùm quinquies quadragenas à Iudæis accepisset, ter virgis cæsus, semel lapidatus esset: Quis ergo nos, inquit, separabit à Charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius. Sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia

*Psalm. 43.*

neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

*Voluptatem, quam mortem vincere facilius.*

Hic mihi respondeant isti delicati martyres, qui siue animi, siue corporis aliquo morbo laborent, nullum sciunt aliud remedium, præter fœmineas carnes, aut quadrupedum & volatilium: vtrum sit difficilius, vtrum ab homine præstari minus queat, carnis vt stimulis resistat an imminentis mortis terrorem superet, ac illos cruciatus non difficulter ferat, quos tot millia sanctorum martyrum, etiam ex fragili fœmineo sexu tanta animorum alacritate legimus pertulisse? Certè cessare stimulos carnis fateamur necesse est, vbi vel metus tantum grauioris alicuius periculi impendet: adeò motus huius est & impulsio vehementior. Sicut

*Serm. 8. de continentia.*

verè dictum est à Zenone: Non habet concupiscentia locum, vbi patientia dominatur, vbi

*Christus vincit in nobis.*

viuitur sobriè, vbi mors timetur. Et tamen potuerunt illi, quæ sunt multò grauiora, potuerunt non solum viri, verumetiam fœminæ & sexus & ætatis tenerioris: potuerunt autem

*Philip. 4. Philip. 2.*

in illo, qui confortat omnes in se sperantes, Christo. Qui cùm viuat in nobis, cùm operetur in nobis & velle & perficere, quid est quod illo faciente, vt faciamus, facere non possimus? Ipse enim est qui in pugna nostra congreditur. Considera, inquit, Chrysostomus, præsente

*Chry. tom. 3. in ser. de mart.*

Deo te cum hoste pugnare: fauet ille vt vincas, fauet vt obtineas. Ac paulò post: In tua pugna Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, & victoria tibi adscribitur: certamen tuum Dei certamen est: prælium tuum, Christi prælium est. Quid trepidas?

*Exod. 14.*

Quid formidas? quasi tua virtute deuincas. Prehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, vt dimicanti adsit ille qui vinci non potest. Nostra victoria & corona victoriæ, inquit Hieronymus, illius protectione & clypeo paratur. Quem sequutus Augustinus: Non enim, inquit, non habes vnde pugnes, Deus tuus in te est, spiritus bonus datus est tibi: spiritus Dei

*Hom. 43. de verbis Domini. Luc. 11.*

est qui pugnat in te, aduersus te, aduersus illud quod est in te, contra te. Et eius æqualis Hesichius Presbyter: Confidat, inquit, anima in Christum, & eum inuocet, & nullatenus extimescat. Non enim sola dimicat, sed ab Iesu Christo Rege tremendo adiuta. Et ante hos omnes Cyprianus, cum esse bona diceret, & à Deo instituta coniugia, eligi tamen vult continentiam, quam perfectionis suadet consilium. Quod si diuinis, inquit, consilijs obuiauerint ten

*Serm. de natiuit. Christi. In vita eius.*

tamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus. Adest Deus fortis, nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat, qui mundum vicit, victoriā suis promittit militibus. Hoc est quod de Antonio scribit Athanasius: Adiuuabat seruum suum Dominus, qui nostri gratia carnem susciens, victoriam corpori contra diabolum largitus est, vt singulis ita certantibus, apostolicum liceret proferre sermonem: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Hanc igitur cùm habeamus quæ adiuuet infirmitatem nostram, confidenter dicat quilibet homo Christianus, claraq; voce pronunciet: Omnia possum in eo, qui

*1. Cor. 15. Rom. 8. Philip. 4.*

me confortat. Continentiam iubes Christe? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt non modò carnis, verumetiam oculorum concupiscentiam superem? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt à fastu quoque me contineam? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt

*Matt. 5.*

cruciatus pro tuo nomine perferam, vt vitam etiam cum sanguine profundam? da quod iubes, & iube quod vis: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Si consistant

*Iob. 17. Psalm. 26. Philip. 4. Ephe. 6.*

aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego spero. Omnia possum in te, qui confortas me. Sic dicat, sic faciat strenuus Christi miles: neq; cum in acie fuerit contra hostem collocatus, simul vt leuis aliqua impressio facta fuerit, abiecto fidei scuto, statim fugiat, & clamet? Non possum, nō habeo Dei donum. Ambrosius aut

*Cap. 4.*

quisquis ille fuit, qui scripsit ad virginem lapsam. Dictura es, inquit, forsitan, Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi Beata Thecla cum suis innumerabilibus socijs. Et nos eadem carne amictæ fuimus, non tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per varia tor-



tormenta potuit deijcere. Mulier quædam filium in prælium euntem, dato illi clypeo, sic adhortata legitur: Fili, aut hunc, aut super hunc, Laconica breuitate filium instruens, ita rem in bello gerendam, vt aut victor clypeum referret, aut mortuus in eo domum reportaretur. Hoc sibi quoq; Christi miles, contra carnem, contra mundum, contra diabolum prælium initurus, dictum existimare debet, vt aut cum fidei scuto vincat hostes, aut in fide moriatur intrepidus: neq; dicat, non possum, sed Christo dicenti credat, omnia possibilia sunt credenti: & iterum atq; iterum repetendo dicat cum Paulo, claraq; voce pronunciet, omnia possum in eo, qui me confortat. Neq; dispiciat in qua re confortetur à Deo, quia non impium est hoc de Deo cogitare, quod aut nolit is, qui fons est totius bonitatis & liberalitatis, omnes in omnibus æque confortare, aut non possit, quem omnipotentem in fidei nostræ symbolo profitemur. Omnibus ad omnia semper præstò adest gratia Dei Saluatoris nostri: Qui dat donum castitatis coniugibus, qui confortat eos, vt quo se sacramento inuicem obtrinxerunt, id inuiolatum obseruent, etiamsi vel per absentiam, vel per aduersam valetudinem alter alterius corporis potestatem habere non possit: idem & cœlibatum pro tempore continentiæ donum dat, & aduersus carnem pugnantes confortat, modò postulent ab eo, qui dat omnibus affluenter: postulent autem in fide nihil hæsitantes. Quod si nō impetrant, non Deo culpam assignent, quasi vel noluerit is, vel non potuerit, cùm & velit omnia nostra causa, & possit omnia, sed se potius, non eam fidem ad postulandum attulisse putent, quæ potuerit impetrare.

*Plutarchus in Apophtegma. Laconicis. Mar. 9. Philip. 4. Deus præstò adest semper. 1. Cor. 7. Iacob. 1.*

Paulus cùm hanc materiam tractaret, noluit dicere: Qui non possunt continere, nubant, sed qui non continent: idq; Christi exemplo, qui & ipse non dixit: non omnes possunt capere: ne quis fati rem esse putaret, sicut Origenem secuti, Hieronymus & Chrysostomus annotarunt: sed non omnes capiunt verbum hoc. Possumus enim in eo qui nos confortat, sed non volumus omnes: non adhibemus illud studium quod oportet, non accedimus ea fide qua oportet, ad eum precandum, cuius hoc misericordia possumus. Non enim sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex iubet faciens nos amare, potest liberis imperare. Gregorius Nazianzenus explicans illum locum, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Cùm audis, inquit, quibus datum est, adde, datum quidem his qui volunt, & qui assentiuntur. Quem præceptorem suum secutus Hieronymus, datum est, inquit, his qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur. Omni, inquit, petenti non coniugato tantùm, sed & cœlibi cuiuscunque sexus, cuiuscunque sit ordinis, omni petenti dabitur. Ac ne quis putaret hoc aut illud petenti datum iri, dicit alio loco: Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis, Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis: nihil prorsus excludendo, cùm omnia quæ habemus dona sint illius, neque boni quicquam nisi dono illius habere possimus. Iohannes Chrysostomus, Non dixit, si quadam libidinis vi cogantur, si transuersè agantur, si non possunt. Nihil omninò posuit eiusmodi, quod aut vim allatam ostendat, aut venia dignum sit. Verùm quid is inquit: Si verò se non continent, nubant: quod eorum voluntati tribuendum est, qui propter pigritiam nolunt elaborare. Demonstrat enim, ipsos rei facultatem habentes, ob id minus eam perficere, quod laborem defugiunt. Et in eodem libro non ita multo post. Ex illis Pauli verbis, Volo vos sine sollicitudine esse, docet virginitatem non ex earum rerum habere numero, quas adipisci non possumus, sed ex illis esse quæ maximam habent facultatem, cum in coniugio multis partibus, plures inesse doceat difficultates, tanquam si diceret, inquit: Grauis tibi videtur Virginitatis cultus, & laboriosus. Ego verò virginitatem propterea colendam censeo, quòd tantum ea facultatem habet, vt multo minus quàm coniugium nobis negotium exhibeat. Quod pluribus posteà prosequitur. Etiam pudicitiam coniugalem Dei donum esse beatissimus Paulus ostendit, vbi de hac re loquens, ait: Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Ecce & hoc, inquit Augustinus, donum esse dixit à Deo, & si inferius quàm illa continentia, in qua volebat omnes esse sicut seipsum, tamen donum à Deo. Vnde intelligimus, cùm hæc præcipiuntur vt fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda, etiam propriam voluntatem. Non solùm carnis desideria frenare, sed oculorum etiam concupiscentiam domare, fastum quoque calcare: deniq; à quocunque aliò crimine abstinere Dei donum est.

*1. Cor. 7. Matth. 19. Orig. tract. 7. in Matth. Chrysost. hom. 63. in Matth. Aug. de continentia Cap. 3. Nyss. oratione 31. Rom. 6. Matth. 19. Matt. 7. Ioan. 15. Marc. 11. De virginitate c. 39 1. Corinth. 7. Cap. 49. Pudicitia coniugalis Dei donum. 1. Corinth 7. Aug. de nuptijs & concupiscentia ad Valerium lib. 1. Et de bono perseuerantiæ c. 14.*

Quid ergo? non posse me dicam, quia non est mihi datum? Non ergo penes me culpa erit, sed penes Deum, qui mihi donum hoc non est impartiri dignatus. Huc tandem impietatis prolapsi sunt isti, vt Deum malorum auctorem, quin etiam impulsorem facere non dubitent: dum nihilo plus in nobis libertatis esse asserunt, quàm in stipite vel in trunco: Quorum etiam hæc est blasphema vox: Non minus proprium opus esse Dei Iudæ proditionem, quàm Pauli vocationem. Sic error alius ex alio gignitur, & illa vetus ac pridem iam sopita Simonis hæresis & Manichæi resuscitatur. Interea tamen qui hæc tam impia dicere veriti non sunt, tanquam idola quædam coluntur à multis, & quod scriptum ab illis est, quàmlibet cum Euangelio, Dei tamen verbum & Euangelium vocatur: neque alio iam loco, quàm quo scriptura Canonica habetur: Adeò sunt, proh dolor, mentes hominum excæcatæ. At non ita nos docet Chrysostomus. Omnium, inquit, facilima virtus est, si velimus & in re fas est, non possum & conditorem accusare. Nam si tales nos creauit, vt non posse mus, & deinde præcipit, ipsius est hæc accusatio. Sed qui fit, ais, quòd multi non possunt, quia

*Blasphemia Phil. Chry. hom. 16. c. 9. ad Hebr.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quia multi nolunt: Nam si voluerint, omnes poterunt. Propterea quòd Paulus dixit, volo omnes homines esse sicut me ipsum. Quandoquidem sciebat quòd omnes poterant esse sicut ipse. Neq; enim ita dixisset, si foret hoc impossibile. Vis fieri sicut fuit Paulus, incipe modò, & opus ipsum aggredere. Dic mihi si quam artem assequi cupimus, num nobis velle sufficit, an rem etiam ipsam aggredimur? Ac nonnullis in rerie ctis: sic & in omnibus alijs, non sufficit velle tantùm, sed oportet opus ipsum aggredi. Cùm enim cœlum ingredi velis, nihil aliud quàm velle te dicis. At, inquis, paulò antè dixeras, quòd sufficit velle: sufficit, inquam, velle, sed cum opere: quando quis laborat vt rem ipsam aggrediatur. Habemus quippè adiutorem & cooperatorem Deum, modò vt rem aggrediamur, modò ad opus accedamus, modò soliciti simus, modò animum aduertamus, & omnia sequentur. Si verò dormierimus, & stertentes putauerimus nos ingredi cœlum, nunquam regni cœlestis hæreditatem assequi poterimus. Et alio loco producens illum Esaiæ locum. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis? Videsne? inquit, sola nobis opus esse voluntate. Voluntate, inquam, non qualibet, & quæ nonnullorum est, verum: & diligenti & exquisita. Neminem nouì, qui nolletin cœlum euolare: re tamen ipsa oportet voluntatem confirmare Siquidem mercator ditescere cupit: non tamen eius animus soli acquiescit cupiditati, sed nauem parat, nautas cogit, hortatur gubernatorem, & alia quæ nauigationi sunt opus, disponit diligenter. Aurum præterea mutuatur, maria traijcit & innumeris periculis, quibus mari se credentes iactari consueuerunt, se exponens, peregrinas appellit terras. Itidem & nos oportet rei voluntatem applicare. Nauigamus enim & nos nauigationum, non ab alia in aliam terram, sed à terra in cœlum. Auarè tota mente intendamus ad eam nauigationem, quę nos supernè erigat: & nautas rationi obsequentes, & nauem nobis firmam comparemus, &c. Et iterum alio loco: In te est, vt possis, quia in te est vt velis. Quia Zachæus idcircò potuit, quia voluit: & alius idcircò non potuit, quia noluit. Ita enim velle efficit posse, vt efficit nolle non posse. Magna enim vis est voluntatis, quæ nos efficit posse quod volumus, & non posse illa quæ nolumus. Et ex voluntate nostra diuinitus celebratur iudicium, vt homo quicquid non voluerit, eligat, & quod elegerit ex eo ipso iudicio cœlesti subiaceat. Nec enim quisquam poterit excusari quasi voluerit, & non potuerit, cùm constet eum idcircò non potuisse quia noluit, & nolens volentis exemplo damnetur, & volens voluntate propria, quia impleuit quæ voluit muneretur. Ante quem etiam Gregorius Nazianzenus: de hac ipsa carnis fragilitate tractans, in Præceptis ad Virgines:

*In prologo super Ioan.*

*Chryſ. hom. de Zachæo.*

*Nec tibi sit nimio carnis natura pauori*
*Tanquam illam nequeas vlla ratione domare.*
*Non etenim timor hic Diuina manat ab arce,*
*Qui mentes hominum tam dura compede nectit.*

Et paucis interiectis:

*Si metuis, stipulam quia parvulus excitat ignis*
*Pone metum flammam ingentem tibi cœlicus imber*
*Sopiet, atq; preces, gemitus, lachrymæq; diurnæ,*
*Atq; graues curis noctes, totusq; supernum*
*Ad Regem conuersus amor, sedesq; beatas.*
*Talia virgineæ sunt optima pharmaca vitæ?*

Planum iam feciſſe videmur, neque aduersari Dei mandato votum cœlibatus, nec esse eiusmodi, quod homo Deo fretus præstare non possit. Est quidem ita, si nostras ipsorum spectemus vires, nos non posse: sed possumus, si fiduciam omnem in illo collocemus, qui paratior est ad præstandum, quàm simus nos ad petendum cum vera fide. Quem autem offendit quod continere facile, iucundum, & suaue esse dixerimus Deo adiuuante, quid is diceret, si Chrysostomi locum illum inspexisset, vbi contra eos declamans, qui similiter concubitum, voluptatis quiddam habere, continentem autem voluptatem habere non posse: vt qui bellum cum naturæ tyrannide sine intermissione gereret, vociferabantur. Imò contrà, inquit, res est, violentia nanque & turba penes impuros est maior, tumultus ingens & qualibet tempestate fœuior, sic ille habet, vt nunquam ad cupiditatis congressum consistat, victus assiduè cadat, quemadmodum dæmoniaci malignis spiritibus agitati. Cõtinens autem ille, prælio victor, hanc assiduè prosternit, nobilissima & infinities præstantiore voluptate, potitur, simul ipsa victoria & conscientia bona & splendidissimis trophæis perpetuò fulgens. Itaque dici non potest, quanta continentium hominum voluptas sit, vt qui coronam sibiipsis concinnent, & præmia & consuetudinem angelorum, & toto orbe terrarũ præconium, libertatem, spem certam & immortalem. Certè quod cum tanta voluptate coniunctum est, id non potest esse non facilè, iucundum & suaue. Quid diceret, si legisset Sixtum dicentem. Neque enim dicere fas est, castitatis onerosam esse custodiam, quæ multò difficilius amittitur quàm tenetur. Difficilius ille dicit amitti, quàm teneri custodiam castitatis: quod etiam ratione deinceps probat. Quid diceret si Basilium legisset his verbis ea de re differentem? Ne dixeris, quomodo ascendam in cœlum, vt virginitatis meæ integritatem inde deducam: aut quomodo descẽdam in abyssum, vt eam dudum à Diabolo corruptam mihi ipsi recuperem? Sed quid? prope te est, inquit, & secundùm naturam tibi ingeneratur virginitas. Neq; igitur maria transfretare, vt eam acquiras tibi opus est, neq; aërem immensum peruolare, neq; tarrarum tractus hanc inuestigando circuire, aut è terris euolare, cœlumq; pro ea inuenienda lustrare: sed omissa cura superflua locorum spacia & interualla peragrandi, te ipsum vt te habeas diligentius inspice, atq; hanc in te per naturam operram, abditamq; reperies. Quod secundum naturam est, sicut scribit Basilius, quid in eo difficultatis,

*In priorem ad Corinth. hom. 37.*

*Continentium voluptas.*

*Basil. in lib. de vera virginitate.*

*Rom. 10.*

*Rom. 8. 5.*



tatis, quid esse potest laboris & molestiæ? quid non voluptatis potius? Quid diceret? si Theodoretum legisset: qui vitam describens Dominæ, quæ trigesimum in religiosa historia locum obtinet: cùm innumeras fuisse virginum & continentium scholas dixisset, non in sua tantùm regione, sed in toto Oriente, quod earum & Palæstina, & Ægyptus, & Asia, Pontus & tota demum Europa plena esset: causam reddere volens, cur genus hoc vitæ plurimi turmatim sequerentur. Ex quo enim, inquit, Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suauè olẽtes & qui non marcescũt, flores offert creatori. Nos tamen quicquid esse facilitatis in ea re diximus, illius gratiæ tribuimus, qui adiuuat infirmitatem nostram, qui simul vt sui charitatem diffuderit in cordibus nostris, nihil potest esse tam difficile, quod non facile etiam statim fiat, iucundũ & suaue. Quod ipsum facit idem ille Theodoretus, cuius paulò antè meminimus: qui sanctorum certamina descripturus, quomodo mundum, diabolũ, & carnem vicerunt: Eis autem, inquit, præbuit victoriam non natura, ea enim est mortalis, & innumerabilibus plena affectionibus, sed mens, quæ diuinam attrahebat gratiam. Nam cùm diuinæ pulchritudinis essent ardentes amatores, & pro eo quem amabant, omnia lubenter & agere & pati statuissent, forti quidem & generoso animo tulerunt affectionum, perturbationumq; impetus: Diaboli autem procellas strenuè repulerunt. Hæc Theodoretus in historiæ suæ religiosæ præfatione. Quem librum concludens: Nullus, inquit, ex his, qui sunt extra horum Philosophiam, horum ostendit tolerantiam. Si autem nullus ex alijs hominibus potest talibus resistere laboribus, clarum est, quod amor in Deum efficit, vt naturæ terminos transilirent, & superna flãma accensi, libenter fuerunt impetum frigoris, & qui à superis descendit rore flammam radiorum mitigant.

*Rom. 8. 5. Theodor. in Theophili.*

*Theodoretus in præfatione hist. religiosa.*

Quam facilitatem qui nondum est consequutus, extat apud Cassianum Ioannis Chrysostomi discipulum, Cheremonis cõsilium, quem admodũ ad eam peruenire possit: id sequatur licebit. Interrogatus Cheremon, quanto tẽpore possit acquiri & perfici castitas? Temerarium est, inquit, super consummatione castitatis, in tanta præsertim vel voluptatũ diuersitate vel virium, certam temporis definire mensuram, rationem tamen obseruanti & temporis modum quomodo eius possibilitas agnoscatur, constantissimè possumus præfinire. Quisquis abstractus à cunctis ociosis cõfabulationibus, & mortificatus ab omni solicitudine, curaq; mundana, quibus tantùm paximacijs fuerit quotidiana refectione contentus, & aquæ sacietate subtracta, quietem somni trium, vel vt alij statuerunt 4. horarum spacio terminauerit, nec tamen laborum aut cõtinentiæ huius merito, sed miseratione Domini eam se credi derit adepturũ, quia sine hac fide vana est omnis laboris humani intentio, non amplius quàm sex mensibus perfectionem ipsius impossibilem sibi esse cognoscat. Sed & ante Cheremonem Origines: Nutrimenta spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite queri de infirmitate carnis, nolite dicere quia volumus, sed non possumus: volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carni tuæ: tu eam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis, cùm eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollicie palpas & illecebras nutris.

*Cassi. in collationibus patrum col. 12. cap. 15.*

*Continentia seu Castitas quanto tempore acquiri & perfici possit.*

*Continentiæ nutrimenta & remedia.*

*Orig. homil. in Leuit. Galat. 5.*

Verùm adduci multi creduntur, vt se voto cœlibatus implicent, non vt quod vouerint, præstent: sed vt cuius rei causa vouerint, honoribus & opibus potiantur. Sed hac de re sollius Dei iudiciũ est, qui scrutatur corda & renes. Vtinam aũt non multi sint, de quibus id nõ verius quàm Ecclesię expedit, existimari possit. Vetus est aũt illa Dei querela, quòd nemo vel ostia claudat, vel incendat altare gratuito: Quin & quo tempore quot Episcopi & Presbyteri, tot fuerunt propè martyres, à Paulo scriptum ad Philippenses legimus his verbis: Spero, inquit, Timotheum mẽ citò mittere ad vos, vt & ego bono sim animo cognitis quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, nõ quæ IESV CHRISTI. Quòd si verè dictum est illo tẽpore, nostro seculo multò verius dici potest, quo mercenarios multos, raros admodum pastores videre licet. Apud eos etiam, qui Euangelici malunt appellari, quàm Christiani, quotumquemq; reperire licet, qui gratis prædicet Euangeliũ? Quorundam ex his tanta fuisse fertur cupiditas, vt expleri nõ posset, quam inflãmauit magis vxorum, & qui sunt ex incœsto cõiugio procreati liberorum frequentia, vt inter alias causas, quamobrẽ dicta sunt sacerdotibus matrimonia, videri possit hęc non postrema, ne magis etiam accenderetur aduaritia. Cæterùm quo quis animo sacerdos fieri velit, aut voto se cœlibatus obstringat, Dei solius est iudicium, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia: homo videre non potest, nisi ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.

*Cœlibatus voto cur se implicẽt nõnulli. Hier. 17. Malach. 1 Philipp 2.*

*Euangelicorum cupiditas.*

*Matrimonia cur interdicta sacerdotibus.*

Verùm vt demus hoc, Esse non neminem, qui dum furijs ambitionis actus ad sacerdotiũ aspirat, hac sola de causa cœlibatum vouerit, num ideò tollendus est cœlibatus? Etiã ad matrimonium accedunt multi longè alia affectione, quàm qua suscipi tantum hoc sacramentum oporteret: Nam quotumquemq; reperire licet, qui illud spectet in matrimonio cõtrahendo, quòd spectari solùm debet, ac non ad dotem, ad formam, aut alio quocunq; potius respiciat: num ideò dicemus, ne sit matrimonium?

*Hebræ. 4. 1. Reg. 16.*

*Votũ cœlibatus an sit relaxandum.*

Sed nequit, aiunt, præstare quod vouit. Hoc dicere, Simonis est, & Marcionis, ac Manichęi hæresim profiteri, christiano dicere fas non est, nisi quòd dixit Christus: omnia possibilia sunt credenti: quod dixit imitator eius Paulus, Omnia possum in eo, qui me confortat: quod dixit Augustinus, Leuis erit sarcina cõtinentię, si Christi erit? Christi erit, si fides adhibeatur, quæ impetrat à iubente quod iusserit.

*Mar. 9. Philip. 4.*

Verùm non præstant multi, Nunquid in baptismo quoq; Satanæ & pompis eius non abrenunciamus? Præstatur nè id ab omnibus? an ideò abroganda erit hæc Apostolorum tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Rom. 10.* ditio, quæ mille quingentis annis in Ecclesia durasse videtur? Mosi legem nunquid omnes
obseruabant Iudæi? num ideò fuit abroganda, quia præuaricatores eius erant plurimi, priusquàm
*Exod. 20.* venisset finis legis Christus? An ideò tollemus præceptum de non concupiscendo,
*Lib. de spiritu & litera cap. 4.* quod magis videtur accendere concupiscentiam quàm extinguere, si Dei simus auxilio destituti? Cùm verè dictum sit ab Augustino; vbi sanctus non adiuuat spiritus inspirans pro
concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus
nostris: profectò illa lex quamuis bona auget desiderium mali. Sicut aquę impetus, si in eam
partem nō cesset influere, vehementior fit obice oppositō: cuius molem cùm euicerit, ma-
iore cumulo præcipitatus, violentius per prona prouoluitur. Nescio enim quomodo hoc
*Rom. 7.* ipsum quod concupiscitur, fit iucundius dum vetatur. Non ita nos Paulus docuit. Lex quidem, inquit, sancta, & mādatū sanctum, & iustum, & bonum: Sic & cœlibatus lex sancta est,
iusta est, bona est, etiam si neq; sancti, neq; iusti, neq; boni sunt, qui professi cœlibatum, ven-
tri nihilominus & libidini seruiunt: Præclarè scriptū est ab Hilario: Malè sanctis rebus præ-
*Rom. 16. Philipp 3. Hilar. in lib. de Synodis contra Arrianos.* iudicatur, si quia non sancti à quibusdam habentur, esse non debeant. Nec minus præclarè
dictum est à Ioanne Chrysostomo: Calumniantur, inquit, ebriosi fructum à Deo factum di-
centes: non sit vinum. At nos ipsis dicamus: non sit ebrietas. Vinum enim Dei, ebrietas aūt
*Chrysost. hom. 1. & 71. ad popul. Antio. Et hom. 58. in Matth.* Diaboli opus est. Non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conseruī insā-
niam argue. Totidem verbis respondere licet his qui dicunt: non sit votum cœlibatus, vt
dicamus illis: non sit scortatio, non sint incœstæ nuptiæ: Votum enim cœlibatus, Dei: scor-
tatio & incœstæ nuptiæ, Diaboli opus est. Nō votum cœlibatus scortationem facit, ne quod
*In cap. 7. 1. ad Cor.* à Deo laudatum est accuses: verùm illius insaniam argue, qui quod promisit, non præstat,
non quia non potuit, sed quia noluit. Quia nō eam, quam debuit promptitudinem attulit:
cum verè scriptum sit ab Ambrosio, quod illum DEVS adiuuat, quem videt tota virtute
contendere, quia non ea quā oportuit fide Deum precatus est, vt sibi continentiæ donum
impartiret. De quo Paulus quoque testatur: Quod fidelis est Deus, qui non patietur nos
*1. Cor. 10.* tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possimus
*Votum temerè non est faciendum.* sustinere.

*2. Pet. 2. 1. Tim. 5. Luc. 5. Actor. 9. Luc. 7. Luc. 23. Psalm. 79. 1. Timoth. 3. Titum. 3. 1. Cor. 13. Cicero epist. 1. ad Qu. fratrem. Naz. in orat. funebri in Athanasium. Et Oratione 6. quam habuit, cum à patre in consortium assumptus esset, & contra Iulian. erat. Eccles. 10. Hom. 5. cap. 4. Matth. Suetonius in Nerone. Orat. 10. Lib. 1. epist. 11. Incontinentibus an post votum nubere liceat. Cypriani locus hic expenditur dilgentius lib. 4. contra Brentium. Chalc. concil. Actor. 14. cap. 16.*

Non sunt laudandi qui se temerè votis obstringunt: præstat enim lōgè nō vouere, quàm
quòd semel voueris, in eo non persistere: sed cùm animi cuiusq; coniectura sit difficilis, eti-
am si quis anteacto vitæ suæ tempore parum sit continenter vixisse visus (quamuis haberi
delectum oporteat, vt ne citò manus cuiuis imponatur, ne pęccatis alienis comunicetur)
prohiberi tamen vix poterit, quò minus quod sanctum est, voueat, nescit enim tarda moli-
mina Spiritus sancti gratia. Vno momento ex publicano, Euangelistam: ex persecutore, A-
postolum: ex meretrice, vas electum: ex latrone Paradisi ciuem factum esse legimus. Hęc est
mutatio dextræ excelsi. Optandum tamen foret, vt quæ regula præscripta est à Apostolo
in constituendis Episcopis & Presbyteris, ea seruaretur. Est autem Christianę charitatis, nō
cogitare malum, nec temerè secùs aliquid de proximo suspicari. Verè dictum est à quodam
Ethnico, & à Gregorio Nazianzeno repetitum: quod vt quisq; optimus est, ita difficillimè
alium improbum esse suspicatur. Contrà verò scriptum à sapiente lege, In via stultus am-
bulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. In vtramq; verò partem sic ab auctore
operis imperfecti scriptum est: Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui ipse bonus est,
sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est. Quem sequutus Esaias Abbas: Cu
ius mundum est cor, inquit, is omnes homines mundos existimat. At qui vitijs cor habet
inquinatum, is neminem mundum putat, sed sui similes omnes arbitratur. Quod si quis
dixerit, aliquem esse virum bonum, statim irascitur in corde suo. Ex suis quisq; moribus li-
benter fingit alios. Sic Nero scribitur, cùm vnus esset omnium impurissimus, animum in-
ducere non potuisse, vt quemquam pudicum esse crederet. Verùm vtcunque res se habeat,
reperiri videmus non paucos, qui cùm se voto cœlibatus obligauerint, nō præstent tamen.
In hos iuxta Canonum præcepta potius animaduertendum foret, quàm vt sancta lex prop-
ter homines non sanctos antiquaretur.

Sed hic à Bucero Cypriani nobis auctoritas obijcitur, qui scriptum alicubi reliquerit,
cùm de virginibus Deo dicatis loqueretur: Si perseuerare nolunt aut non possunt, melius
est vt nubant. Fingamus hoc, sicut isti volūt, sensisse Cyprianum. Quod autem est istud sin-
gularitatis studium, velle solitariam alicuius opinionem sequi potius, quàm totius Eccleśię
catholicę sensum & consensum? Congregatum fuit vnius omnium sanctissimi, doctissimi,
grauissimiq; Pontificis Leonis auctoritate Chalcedonense Concilium, sexcentorum trigin-
ta Episcoporum, aliquanto post, quàm ad Christum Cyprianus migrauerat, quod inter
quatuor illa numeratur, quæ nec ab ipsis nostri temporis hæreticis reijciuntur, à catholicis
verò non aliter quàm sicut quatuor Euangelia recipiuntur: in eo disertis verbis cōtrarium
est sancitum. Nonne totius orbis Christiani potius quàm vnius alicuius sequi sententiam
oporteret? Cùm preclarè scriptum est à S. quodam Patre: Propter vnum aliquid confirmā-
tem, à sensu vniuersorum non esse recedendum. Nec enim totum partem, sed pars totum
sequi debet. Sed si fortè inueniatur pars à toto discordans: aut coaptanda est si fieri potest,
aut si fieri non potest, abijcienda. Melius enim à parte receditur, quàm à toto, Optimum au-
tem est, si & pars retinetur, & totum. Potest autem & pars & totum retineri, si germanum
verborum Cypriani sensum secuti fuerimus. Nec enim existimandum est, Cyprianum id
sensisse, quod isti volunt: vt quæ votum continentiæ solenniter esset professa, Deo dicatæ
virgini nubere licitum existimaret. Sed scripsit is de Deo dicata. Scripsit: Sed quo sensu scri-
pserit videamus. Postulauerat a Cypriano Pomponius, vt sibi rescriberet, quid ei de virgi-
nibus his videretur, quæ cùm semel statum suum continenter & firmiter tenere decreue-
rint, detectæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus vnus fu-
erit Dia-

*Hugo de S. Victore lib. 2. par. 11. c. 12.*



erit Diaconis. Quid huic rescribens Cyprianus, nunquid ait nubant? Nihil minus: verùm
consultè feciśti, inquit, abstinendo diaconum: virgines autem in piciantur ab obstetricibus
diligenter, & si virgines inuentæ fuerint, accepta cōmunicatione ad Ecclesiam admittan-
tur si autem de his aliquæ corruptæ fuerint deprehensæ, agant pœnitentiam plenam, quia
quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, & ideò æstimato iusto tempo-
re postea exomologesi facta, ad Ecclesiam redeant. Quòd si obstinatè perseuerant, nec se ab
inuicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione nunquam à nobis admitti
in Ecclesiam posse. Hoc est rescriptū Cypriani. Quæ verò interiecta sunt, doctrinam quan-
dam in se continent, quemadmodum asseruari virgines oporteat, ibi inter cætera verba
sunt hæc: Si perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant. Quæ nequaquam ita
accipienda sunt, tanquam eis posteaquam se semel Deo despondissent, nubere licere vellet:
sed retrò potius trahenda ad id tempus, quo nondum se Deo dicauerant, vt idem dixisse
videatur Cyprianus, quod post eum scripsit Hieronym. Rectius fuerat homini subijsse con-
iugium, ambulasse per plana, quàm ad altiora tendentem, in profundum inferni cadere.
Vt hic sit sensus verborum Cypriani. Si dicauerunt se Christo, perseuerent, & resistant for-
titer libidini. Si verò non habent animum perseuerandi, non dicent se, sed nubant potius.
Non enim vetabantur nubere, si se continere non poterant. Quod vel sequentia, quæ iam
commemorauimus eius verba manifestè declarant, vbi Christi sponsam Deo dicatam vir-
ginem, si cum viro reperta fuerit, non hominis mariti, sed Christi vocat adulteram. Est ne
autem credibile, in hunc errorem tam impium lapsum esse Cyprianum, vt virgini DEO
dicatæ permittendum adulterium esse censeret? Deinde verò si quæ nupsit homini marito,
fas non est vt alij nubat: quomodo fas esse poterit ei cum aliquo mortalium nuptias con
trahere, quæ semel Deo nupsit immortali? Certè prius illud Augustinus non matrimoni-
um quod est cum altero superstite priore marito contractum, sed adulterium appellat, si
cut à nobis paulò ante cōmemoratum est: quantò magis adulterium dici meretur, & qui-
dem longè grauissimum adulterium, quod à CHRISTI sponsa committitur, vbi non
homini mortali, sed DEO data fides immortali, violatur? Quamobrem longè ab ea
sententia Cyprianus abfuit, vt virginibus Deo dicatis nubere, licitum esse vellet. Quin ille
potius non diuersum ea de re sensisse credendus est ab eo, quòd Hieronymum & Ambrosi-
um Latinos, Basilium & Chrysostomum Græcos, aliosq; quos secuti sunt eum, sanctos do-
ctores scripsisse legimus: qui, quæ virgines post consecrationem nupsissent, eas non vxores
legitimè iunctas, verùm adulteras & incœstas esse dixerunt. Paulus viduas continentiam
professas, quæ tantummodò vellent nubere, damnationem habere scribit: Neq; enim sal-
tem connubij desiderium, inquit Augustinus, in illa continentiæ professione, potest esse
non malum, & est verisimile, Cyprianum contra Pauli doctrinam hanc, Deo dicatis virgi-
nibus nuptias ad æternam earum damnationem permittere voluisse? Nihil itaq; suffragatur
istis Cypriani quod adferunt testimonium.

*Hier. ad Eust oc. de custodia virginum.*

*2. Corinth. 11.*

*Matrimoniū altero coniuge viuente cū altero contractum, adulterium est.*

*Augu. de nuptijs & concupisc. li. 1. c. 10.*

*Post continentiæ votum contrahēti matrimoniū, adulteri & incœstuosi sunt.*

*1. Tim. 5.*

*Lib. 4. contra Iul. cap. 2.*

Vtrū aūt dispensari possit votū cœlibatus nec ne, nihil est quòd in præsentia verba multa
faciamus. Thomæ quidē Aquinatis, quem pro sua sententia confirmanda testem citant nō-
nulli, verba sunt hęc: In voto solēnizato per professionem religionis, non potest per Eccle-
siam dispensari. Et rationem assignat decretalis, quia castitas est annexa regulę monachali.
At qui tale est votum virginum solēniter Deo dicatarum. Sed nō est præsentis instituti, pos-
tionis non egere. Verùm hęc de voto dicta sufficiant.

*21. quæst. 88. art. 11.*

Quod autem ad ordinem attinet cum non repugnare matrimonio, quatenus vtrunque
sacramentum est, à sanctis patribus didicimus: Cæterùm quæ fiunt à matrimonio iunctis,
quæ citra ruborem nominari non possunt, ea cum sacerdotio pugnare vehementer, ab O-
rigine, Ambrosio, Hieronymo, Beda, cęterisq; viris non doctrina magis quàm pietate præ-
ditis excellenti, docemur. Neq; verò mirum id alicui videre debet, si matrimonij siue nup-
tiarum bonum à malo concupiscentiæ discernimus: quod aliquando fecisse Augustinū Pe-
lagius, Iulianus, Cœlestius hęretici reprehendebant: Cęterùm is, nō solùm ratione subtili,
verumetiā vulgatissimo iudicio naturali, quod in primis illis hominibus apparuit, hodieq;
tenetur etiam ab hominibus coniugatis, illud discerni docuit. Quod enim, inquit, illi po-
stea propagatione fecerunt, hoc est cōnubij bonum: quod verò prius confusione texerunt,
hoc est concupiscentiæ malum. Proinde nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faci-
unt, gloriantur: quia verò sine illo fieri non potest, erubescunt. Tanquam si quispiam pede
viciato ad aliquod bonum etiam claudicans perueniat, nec propter claudicationis malum,
mala est illa peruentio, nec propter illius peruētionis bonū, bona est claudicatio: ita nec, p-
ter libidinis malū nuptias condemnare, nec propter nuptiarū bonum, libidinem laudare
debemus. Bonæ sunt itaq; nuptiæ, sed sine qua bonum nuptiarum fieri non potest mala est
libido. Atq; hęc est, cui repugnat ordo, quæ tam turpis est vt eam etiam ipsi turpes turpitu
dinē vocent: cuius licet sint amatores, ostentatores esse nō audent. Cuius tanta est fœditas,
vt etiam copulatio coniugalis, quæ secundū matrimonialium præscripta tabularum, pro-
creandorum sit causa liberorum, latebras ad subterfugiendorum hominum cōspectum &
remotum ab arbitris cubile conquirat. Certè nō qui benè, sed qui malè agit, odit lucē, dicit
Christus: Omnia verò rectè facta in luce collocari volunt. Hęc igitur opera tenebrarū pug-
nant cum sacerdotio maximè, cuius opera in luce collocari volunt. Quòd si illa sic exerceri
possent, quemadmodū ante peccatū ea primi nostri parentes exercuissent in Paradiso, nihil
vt aliud quàm liberorum procreatio spectaretur, cum sacerdotio non pugnarent. Nunc il-
lorum peccato factum est, vt sine peccato (quod tamen nisi modum excedat nō imputatur)
opera nuptiarum exercere non liceat. Et hoc est illud peccatum, quod vocatur originis: de

*Ordo & matrimonium an pugnent inter se.*

*Aug. de nup. & cōcupisc. ad Valerium lib. 1. cap. 7.*

*Nuptiæ bonæ sunt, sed libido mala est & cum ord. sacro pugnat.*

*Ioan. 3.*

*Peccatum orig. Psalm. 50.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quo dixit etiam Propheta: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Qui verò sequutus est Augustinum Faustus: Ordinatio nuptialis, inquit, ex benedictione cœpit. Interim nuptiarum munus adhuc in Paradiso à creatore concessum, & earum vsus extra Paradisum iam sumpsit exordium. Peccatum in medio fuit inter generationem & concupiscentiam: Quicquid præceptio diuina constituit, hoc laudo: quicquid humana præuaricatio adiecit, hoc reprobo. Quomodo si aliquis atro inquinamento candorem vestis aspergat, non displicet factura, sed macula vestimenti non amisit vsum, & si perdidit dignitatem: futura enim erat indubitanter casta & syncera generatio, si nõ intercessisset inimica transgressio. Sed immaculatos thoros caro maledictioni addicta maculauit, & per superbię spiritũ, simplicem corrupit affectum: & sicut immortalitatis priuilegiũ, ita donum perdidit puritatis. Non in quærelam vocatur nuptialis gratia, sed obscœnę passionis iniuria. Nõ aurum in culpam venit, sed quicquid auro obrizo adulterinum fraus iniquitatis admiscuit. Ante vtrunq; verò Ambrosius. Non habebant, inquit, parentes nostri in Paradiso quo confunderentur. At nunc licet bona sint coniugia, tamen habent quod inter se ipsi cõiuges erubescant. Et ante hos omnes Gregorius Nazianzenus, de triplici natiuitatis genere scribens: primũ esse dicit corporum nocturnum & seruum, libidinisq; obnoxium: secundum Baptismi diurnum & liberum. In quem scribens Nicœtas, peccatum, inquit, à primis parentibus per mandati violationem admissum, venereã coniunctionem adiunxit, atq; ea rursus ad ipsorum posteros nonnihil sordis, & inquinamenti secum traxit. Quamquam. n. matrimonium Dei benedictione honorabile factum est, propter liberorum procreationem: natura tamen à peccato fluxit. In peccatis enim, inquit, cõcepit me mater mea. Quæsiuerat autẽ Augustinus à Gregorio Pontifice, qui miserat eum in Angliam. An vir suæ coniugi permixtus, antequam aqua lauaretur, Ecclesiam intrare posset, vel ad mysteriũ sacræ cõmunionis accedere? Cui post alia multa sic respondet, Gregorius Romanorum semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum reuerenter abstinere. Nechęc dicentes deputamus, culpam esse coniugium, sed quia ipsa licita admistio coniugũ sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendũ est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione, sed de legitimo coniugio natus fuerat, qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus conceptum se nouerat, in delicto se natũ gemebat, quia portat arbor in ramo humorem vitij, quem traxit ex radice. In quibus verbis non ipsam admistionem coniugũ iniquitatem nominat: sed voluptatem admistionis. Sunt enim multa licita, ac legitima, & tamẽ in eorum actu aliquatenus fœdamur, sicut sæpè irascendo culpas insequimur, & tranquillitatem animi in nobis perturbamus. Et cùm rectum sit quod agitur, hoc est tamen improbabile, quod in eo animus perturbatur. Contra quippè vitia delinquentium iratus fuerat, qui dicebat: Turbatus est à furore oculus meus. Quia enim nõ valet, nisi tranquilla mens in cõtemplationis lucem se suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat, quia dum malè acta deorsum insequitur, confundi atq; turbari à summorũ contemplatione cogebatur. Et laudabilis, ergo est ira contra vitium, & tamen molesta, qui turbatum se reatum aliquem incurrisse æstimabat.

*Lib. 1. de libero arbitrio cap. 2.*

*Hebr. 13.*

*Orat. in 5. Baptis.*

*Coniugum cõmistio sine voluptate fieri non potest, ideo culpa non caret. Interrogationum cap. 10.*

Quòd si sacerdotem esse, nihil esset aliud quàm Prophetam esse, verbisq; ministerio fungi, ne sic quidem licitum illi futurum existimat Epiphanius, vt mariti officio fungatur: sic enim ille scribit: Nunquid inhonestæ sunt nuptiæ? num impurum cubile? at à Prophetis & Pontificibus prohibentur propter maius ministerium. Nam postquã prophetauit Moyses, non amplius vxori coniunctus est, non amplius liberos genuit, non amplius gignit talis: habet enim vitam domino vacantem: Vacare autem Domino non potest, qui mariti officio fungitur. Multò minus licitum esse videtur ei, qui sacrificiũ indefinens oblaturus est, quod impediri certum esse scribit Origines his, qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Ac videtur ei, quod illius est offerre sacrificium indefinens, qui indefinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Si laicus & quicunq; fidelis, dicit Hieronymus, orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati: & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare. Et alio loco: Quod si indignè, inquit, accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed scripturis sanctis, imò Episcopis. Presbyteris, & Diaconis, & vniuerso choro sacerdotali & leuitico, qui se nouerũt hostias offerre non posse, si operi seruiant cõiugali. Sic & Ambrosius enarrans illa verba: Diaconi sint vnius vxoris viri. Veteribus idcircò cõcessum est leuitis aut sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multũ temporis ocio vacabãt à ministerio aut sacerdotio: multitudo enim erat sacerdotum, & vnusquisq; certo tempore seruiebat diuinis cęremonijs. Nunc aũt septem diaconos esse oportet, aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus: ac per hoc omnes à cõuentu fœminæ abstinere debere: quia necesse est eos quotidie præstò esse in Ecclesia, omni enim hebdomada offerendũ est, etiamsi nõ quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada. Sic plebeis hominibus orationis causa abstinere se præcipit, vt vacent orationi: quantò magis Leuitis aut Sacerdotibus, quos die, nocteq; pro plebe sibi cõmissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cęteris, quia actores Dei sunt. Eadem in fine primi lib. officiorũ repetit. In eandem sententiã scribit, qui eius fuit æqualis Syritius epistola 4. cap. 9. Beda quoq; venerabilis: Vicis suæ tempore Pontifices templi tantùm officijs mancipati, non solùm à complexu vxorum, sed ab ipso quoq; domorũ suarum abstinebãt ingressu: vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari

*Epiph. hær. 78. contr. Anticoniæ-rianitas.*

*Amb. in exhortatione ad virgines.*

*Orige. homil. 23. in Num.*

*Hier. contra Iouinianum lib. 1.*

*1. Corinth. 7.*

*Leuit. 10.*

*Ezech. 44.*

*Num. 6.*

*Hier. in apolog. pro libris aduersus Iouinia. scrip.*

*Amb. in epist. ad Tit. cap. 1.*

*Diaconi septem sacerdotes bini per Ecclesias, & Episcopus in ciuitate vnus quid facere debeant.*

*Beda in cap. 1. Luc.*



tari seruire iubetur, perpetuò seruandæ castitatis exemplum datur. Quia enim tum sacerdotalis ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur: at quia nunc non carnalis successio, sed perfectio spiritualis inquiritur, consequenter sacerdotibus, vt semper queant altari assistere, semper ab vxoribus continendum, semper castitas obseruanda pręcipitur.

Non pugnat igitur esse maritum & sacerdotem, sed pugnat inter quotidianos vxoris amplexus versari, & cœlestia mysteria tractare, cum præsertim sui corporis maritus potestatẽ non habeat, sed vxor: quam quoties id exigit, ei fraudare fas non est. Porrò diuina mysteria liberũ hominem requirunt, qui suæ sit, non alienæ potestatis. Quamobrem non apud orientales modò, verùm & in nostra hac occidẽtali Ecclesia nihil impedit, quominus qui maritus est, fiat idem sacerdos: modò consentiente vxore, ac se quoq; ipsa Deo deuouente, quę mariti sunt, ea præstare desinat: His enim præstandis ita totus animus & corpus impẽditur, vt submergi mens, & caro tota fieri videatur: sicut ab Augustino quoq; legimus annotatũ. Corpus autem Christi, quod sacerdos conficit, cum sit spirituale, nihil est quod mãgis refugiat, quàm carnem. Quod vel illa Dei verba satis indicant: Nõ permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniã caro sunt. Qui semel vxorem duxit, quoad illa vixerit, etiã si diuortiũ factũ sit, maritus tamen illius esse nũquã desinit: Caro viri, caro semp vxoris est: caro vxoris, caro viri est: neutrius vt potestatem tertius aliquis habere possit. Sed si cesserit vltrò coniunxiure suo, quod habet in viri carnem, ac suam quoq; Deo carnem consecrauerit, iam & marito licebit ad eundem modum se Deo dicare, sacerdotioq; fungi. Sic Petro non fuit vxor impedimento, quò minus Christi fieret Apostolus: sed quòd eam tamen reliquerit Christum secutus, vel hæc ipsius verba testantur, cùm dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Clarius autem id ex responso Christi colligitur. Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem propter nomen meum, centuplum accipiet. An autem reliqui Apostoli coniuges habuerint, quoniam hoc de illis relatum non est, videtur Hieronymo Tertulliani sententiam qui proximus fuit Apostolorum temporibus secuto verisimilius esse, quòd non habuerint. Sixtus quidem Pontifex omnes Domini discipulos, aut virgines, aut cõtinentes fuisse scribit. Theodoretus verò Pauli locum illum explicans: Rogo & te germane compar, Stultę quosdam existimasse scribit, quòd Paulus vxorem habuerit, quum ad Corinthios scribẽs cœlibem se fuisse manifestè declarat.

*1. Corinth. 7.*

*Mysteria diuina liberum hominem requirunt.*

*Aug. libr. 4. contra Iulian. cap. 14. & de ciuit. Dei. Lib. 14. cap. 16. Gene. 6.*

*Apostoli Christum sequentes reliquerunt vxores. Matth. 19.*

*Apostoli reliqui à Petro an vxores habuerint. In libr. de Monogamia. Li. de castitate c. 7. Ad Ppilip. 4. Hier. libr. 1. contra Iouinianum.*

Quod autem est nouum hoc Apostolorum genus, qui cum veri Christi Apostoli ductas vxores reliquerint Euangelij studio, nec duxerint, cùm nulli fuerit interdictum: non putant se suum Euangelium profiteri posse, nisi cõtra Ecclesię interdictum vxores duxerint? Mirum ni ex Gnosticorum schola prodierint: quos ita suis persuadere solitos fuisse scribit Epiphanius. Quicunq; in mundo degens mulierem non amauerit, vt ea potiatur, non est ex veritate, nec ad veritatem perueniet vnquàm. Inter septuaginta discipulos, maritos fuisse nõ nullos credibile est, quos tamen & ipsos posteaquàm Christi discipuli facti sunt, Petri exemplo, cum vxoribus cõmercij deinceps nihil habuisse dubitandum non est. Ea res occasionem dedit Corinthijs ex Paulo sciscitandi, quandoquidem videbant Christi discipulos vxores suas relinquere: neq; deerant, qui id ab omnibus in Christum credentibus fieri oportere dicerent, num sibi quoq; relinquẽdę vxores essent, posteaquàm semel in Christum credere cœpissent. Inter cętera dicit Hieronymus, Corinthij per literas quęsierãt, vtrum post fidem Christi cœlibes esse deberent, & continentiæ causa vxores, quas habebant dimitterent, an si virgines credidissent, inirent matrimonium. Quibus respondens Paulus, De quibus, inquit, scripsistis mihi, quærentes an ad fidem conuersis cum vxoribus cõmercium habere maritis liceret: bonum est homini mulierem non tangere, hoc est, ab vxore abstinere: propter fornicationem autem vnusquisq; habeat vxorem suam, & vnaquæq; virum suum. Non dixit, ait Hieronymus, vnusquisq; ducat, sed vnusquisq; habeat vxorem suam: suam, inquit, habeat, sua vtatur, quam habebat ante quàm crederet. Neq; solus Hieronymus, verùm & ante eum Tertullianus, & æquales Hieronymi Ambrosius & Augustinus, & qui secuti sunt vno & altero post seculo, Gregorius & Fulgentius Latini: tum autem Clemens Alexandrinus, Ioannes Chrysostomus, Epiphanius, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus Græci, Pauli locum hunc de coniugatis intelligunt.

*1. Corinth. 7.*

*Hier. libr. 1. contra Iouinianum.*

*Tertull. in lib. de Monogamia.*

*Amb. in Paulum.*

*Aug. in epist. 100. & in libr. 1. de ser. domini in monte.*

*Greg. libr. 6. cap. 1. in lib. Reg. 1.*

*Cle. lib. 3. stromatũ.*

*Chry. in comẽtarijs Epip. Hær. 78.*

*Theod. in epist. decret.*

*Oecum. in cõment.*

*Theoph. ibidem.*

*Fulge epist. 2. cap. 5. & 6. ad Gallam de statu vid.*

*Et in proximè sequẽti epist. ad Praetam cap. 7.*

Quoniam verò vix quisquam locum hunc tractauit copiosius & accuratius quàm Sixtus Pontifex, paulò superiùs à nobis citatus, libet pluribus verbis adscribere quædam ex illius libro de castitate, quem nuper ex vrbe transmisit ad nos, vir ille cum pietate, tum doctrina cum primis illustris, qui non ita pridem, quod pridem virtus illius insignis, merebatur, in S. Cardinalium collegium est cooptatus, Guilhelmus Scirletus. Sic itaque Sixtus loquitur: Quęro quid causę fuerit, vt de ea re consuleretur à Corinthijs Apostolus, quam celebrare licere, nemo dubitabat, tam naturæ testimonio, quàm etiã legis exemplis? Nam quod Deus diuersum sexum, humanę propaginis causa condiderit, etiam natura suggerente cognoscimus: Et quod matrimonij copulam semper exercere licuerit, nõ aullis scripturarum doce-mur exemplis. Quo modo ergo necessariũ fuit Corinthijs de re manifesta, quasi de dubia scisciтari? Aut nunquid eorũ auribus noua aliqua doctrina sonuerat, per quam quod veteribus licuerit sibi iam licere dubitarent? Non aliud reor. Nam satis vanè, si ipsi sibi quasi incertum fecerunt, quod retro semper habuerant certum. Quid ergo tenendum est? Dico Apostolũ in prima sua apud Corinthios prædicatione nõ aliam magis, quàm virginitatis, & puditię annunciasse doctrinã, & hoc pręcipuè demandasse, vt nouę legis cultores, noui aliquid exercerent, & in Christũ credentes, Christi per omnia exempla sequerentur. Secũdũ illud Petri: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius.

*Quæstio Corinthiorum. 1. Corinth. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gia eius. Quę causa postmodum fecit, vt Corinthijs Apostolum esset necesse consulere, dum quidam per incontinentiæ calorem pudicitiæ videbantur refragari doctrinæ. Nam si noui nihil audierant, quid opus eis de re manifesta interrogare? Sed dicis: cur Apostolus hæc non anteà præuidit, & ita doctrinæ suæ modum temperauit, vt nihil reliquisse videretur ambiguum? Sed etsi præuidit, hoc boni doctoris fuit, rem quæ infirmis debebatur, non tam vltrò offerre, quàm rogatus indulgere. Prudentem eum fuisse Archiatrum puta, qui ad conualescentis iam ægri commodum præcipiat ei, vt ab omnibus pomis se abstineat. Et si æger ille tantæ fragilitatis noluerit habere patientiam, vt ab omni se pomorum genere retrahat: necesse erit Medico, ne infirmus grauiora præsumat, eidem vel leuiora concedere. Tamen quid suum fuerat, voluit eum perfectę abstinentię securitate gaudere. Ita & Beatus Apostolus pudicitię & castitatis amator, exoptat primùm omnes posside re quod summum est. Sed si quis reclamauerit, ne illicita contingant, licita concedit, & velut inuitus indulget. Quod si summum bonum esset, non indulsisset, imò potius imperasset. Sed ipsius iam Apostoli verba ponamus: De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere. De qua muliere illum dixisse credendum? De aliena? Non puto. Neque enim Corinthij tam vecordes erant, vt hoc Apostolum interrogarent, an eis liceret aliena matrimonia violare, quod citra ipsius disciplinæ interdictum ipsa etiam natura damnabat. Subiungit mox quasi in hæreticos nostri temporis intuens: Hoc propter eos, dixit, qui nimio ardore libidinis scripturarum veritatem peruersa nituntur interpretatione subuertere. Si ergo ratio non concedit, vt de aliena dixerit, restat, vt de propria dixisse credatur. Sed vt huius loci intelligentiam facilius nosse possimus, oportet nos primùm scire, Beatum Apostolum trium partium hoc in loco suscepisse tractatum: Nuptarum, Viduarum, & Virginum. In prima parte sic dicit: De quibus scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: In secunda: Dico autem non nuptis & viduis, quibus siiam superius loquutus fuerat, superuacaneum fuit iterare sermonem. In tertia: De virginibus præceptum Domini non habeo. Sed reuertamur ad primam, in qua non eum viduis aut virginibus, vt quidam imperitè existimant, sed matrimonio iunctis propriè scripsisse manifestum est. Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere. Bonum est homini mulierem non ducere, quia de his qui iam duxerant, disputabat. Ac paucis interiectis: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat. Habeat, inquit, non ducat, quia illis loquebatur, qui duxerant. Ac nonnullis interiectis: illis tantum concessisse cernitur Apostolus nuptias, quos fornicaturos præuidebat. Nam dicendo, propter fornicationem quid in posterum cauerent, ostendit. Hactenus Sixtus, qui pluribus locum hunc præclarè tractare videtur.

Sed momenta rationum, ait quidam, pluris facimus in disputando, quàm auctoritates. Quasi verò fuerint ista tot tam præclara totius orbis Christiani lumina rationibus destituta: ac solus tu sis, qui momenta rationum adferas. Quis est hic superbię tumor? quę arrogantia animi? quæ mentis inflatio? Sed ipsum verba sua Paulum explicantem audiamus. Cùm enim dixisset, propter fornicationem vnusquisq; habeat vxorem suam, & vnaquęque suum virum habeat: vt ne cui dubium esse posset quid sibi vellet dicens, habeat vxorem, habeat virum: statim subiungit: Vxori vir debitũ reddat, similiter autem & vxor viro. Quasi diceret: si non intelligis quid sit, habeat vir vxorem, habeat vxor virum: ecce dicam clariùs, vxori vir debitum reddat, & vxor viro. Quòminus autem ambigi queat, de quo debito dicat, subdit euestigio: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem. Dic cedo quisquis es, qui te solum sapere, te solum videre putas, cœlebs habeat sui corporis potestatem, nec ne? Tum autem, quem fraudet cœlebs, si non faciat alteri sui corporis potestatem, cùm eius rei nemini sit debitor? Vel cœco appareat non de alijs hęc verba dici, quàm de coniugibus? hic vt sit germanus Pauli verborũ sensus: Cõmodum quidem illud oret, quando quidem tempus breue est, neq; procul iam dies ille supremus abest, vt aut relinqueretis vxores Apostolorũ exemplo, aut eas haberetis tanquàm non habentes, nec alio quàm quo sorores essent apud vos loco: ita vt in totum ab earum carnali commercio vobis temperaretis: Quoniam verò periculum est, ne qua detur occasio fornicandi, vnusquisq; maritus habeat, hoc est, retineat vxorem suam, non dimittat illam, vtatur ea, reddat ei quod ex lege coniugij debet: neque enim hactenus est sui corporis Dominus, vt quod ad vsum coniugalem attinet, eius copia fraudare possit vxorem. Ad eundem modum vnaquęq; vxor habeat, hoc est retineat virum suum, non discedat ab eo, quin reddat potius quod illi debet ex iure matrimonij. Nã quod ad vsum pertinet matrimonij, ius vxorij corporis penes maritum est, non penes vxorem, quæ sui copiam negare marito non debet.

*1. Corinth. 7. Vnusquisque vxorem suam habeat explicatus.*

*Erasm. in paraphr.*

*Cœlibes ad matrimonium non inuitantur.*

Ex eo videre licet, quanta sit illorum cęcitas, qui ex his Pauli verbis longè diuersam sententiam colligere conantur, quasi præcipiat is omnibus, qui sunt cœlibes, vt vxores ducant: cum tamen etiam Erasmus ipse Roterodamus, quamuis cùm primis iniquus cœlibatui, paraphrasi locum hunc explicans, de coniugatis eum interpretetur: Sic enim scribit: Ad quæstiones de quibus me per literas consuluistis, paucis respondebo, quid faciendum ijs qui matrimonio sunt irretiti, quid ijs qui in cœlibatu degunt, & viduis: item quid ijs, qui matrimonio sunt molesto aut impari impliciti: postremò quid virginibus elocandis aut non elocandis. Quamobrem, quo quasi fortissimo telo vsi sunt rerum nouãdarum cupidi, ad cœlibatum oppugnandum, id magis adeò contra ipsos facere manifestum est. Tantum enim abest, vt his Pauli verbis vocentur cœlibes ad nuptias, vt ne ijs quidem, qui matrimonio iam irretiti sunt, vsquequaq; liberum esse velit Paulus quouis tempore præstare, quæ debent inuicem ex lege matrimonij: seq; magis indulgere quàm præcipere scribat, vt mutuum



tuum sibi præstent debitum. Sic enim loquitur: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secũdum imperium. Quæ verba non ita sunt intelligenda, quasi permittat, vt ne precum tempore sese coniuges attingant, sicut quidam somniat, non intelligens neque quæ loquatur, neq; de quibus affirmet. Sed hoc (ait) dico per indulgentiam, vt exacto precum tempore, ne fraudetis deinceps inuicem, sed ad intermissum vsum coniugi reuertamini. Non hoc dico præscribens aut præcipiens, cùm aut carere vos prorsus vxoribus, aut eas loco sororum habere cupiam: sed dico hoc infirmitati vestræ condescendens. Quamobrem ex his verbis colligit Hieronymus, nuptias indulgentiam vocari debere, non præceptum. Ante quem etiam Chrysostomus explicans illum Pauli locum: Volo iuniores viduas nubere. Quemadmodum igitur assiduam liberis operam dari permisit, non quidem legem statuens, sed ipsis indulgens. Sic enim, inquit, Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, propter incontinentiam vestram: Ita hoc etiam loco, grauioris mali metu, secundum instituit matrimonium, ostendens hoc quoque indulgentiæ esse, ad multorum infirmitatem sese accommodantis ac demittentis. Sixtus quoque enarrans hæc ipsa verba, Indulgere se nuptiarum officium, non imperare testatur. Summum autem bonum tam illi sibi non indulgeri expectassent, quam hic audenter imperasset. Vide autem quale existimari debeat, quod per indulgentiam constat. Augustinus verò: Posset, inquit, putari, non esse peccatum misceri coniugi non filiorum procreandorum causa, sed carnalis etiam voluptatis, nisi addidisset: hoc autem dico secundum veniam, non secundùm imperium. Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus, Apostolica auctoritas fateatur? Et in alio quodam libro dicit idem Augustinus, Pauli locum hunc adducens: Euidenter dum tribuit veniam, denotat culpam. Et contra Iulianum ijsdem verbis citatis, Notatur, inquit, in ijs, etsi ignoscitur culpa. Et contra eundem scribens: Apostolus tempora præscribit orandi temperantiæ coniugali, & secundum veniam concedit non vtiq; illum prolis, sed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant fideles Christi, qui sunt cõnubio alligati, vt ex cõsensu temperent, quo vacent orationi, & cùm ad idipsum redeunt propter intemperantiam suam, nouerint etiam inde dicere Deo, Dimitte nobis debita nostra. Quod enim secundum veniam non secundum imperium à tanto doctore dicitur, vtiq; ignoscitur, non iubetur. Et iterum alio loco, adferens illum Pauli locum: Iterum reuertimini in idipsum, ne vos tentet Sathanas propter intemperantiam vestram. Quod vt peccatum, inquit, esse demonstraret, sed infirmitati cõcessum, subiecit statim: Hæc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Et ante eum Basilius: Qui coniugio se impliuerit, huic satis fuerit, si incontinentiæ ipsi culpa remittatur, & fœminæ libido, & vnà cum ea congressio donetur. Qui scripsit Sancti Martini vitam Seuerus Sulpitius, & eius discipulus fuit: Qui coniugia, inquit, fornicationi comparant, vehementer errant: & illi qui coniugia virginitati æquandam existimant, miseri penitus & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur. Non vult ille fornicationi comparari coniugium, sed nec æquari virginitati, verùm ad veniam pertinere dicit, vt non omni prorsus culpa vacare videatur. Et his vetustior Tertullianus, eudem Pauli locũ enarrans: Ostendit inquit, fuisse, qui in matrimonio à fide deprehensi verebantur, ne non liceret eis matrimonio suo exinde vti, quia in carnem sanctam Christi credidissent. Et tamen secundum veniam concedit, non secundum imperium: id est, indulgens non præcipiens ita fieri. Cæterùm malebat omnes id esse, quod & ipse. Proinde & de repudio rescribens demonstrat quosdam de isto quoq; cogitasse, vel maximè, quia & in ethnicis matrimonijs non putabãt post fidem perseuerandum. Nec diuersum eorum verborum sensum adferunt Oecumenius, & Theophilactus. Anselmus verò: Dico, inquit, vt in idipsum reuertamini, sed hoc secundum indulgentiam, non secundum imperium. Quia hoc nobis indulgetur, non præcipitur, & ideò non peccat qui aliter agit, imò peccat qui sic agit, sed leuius, non enim sine vitio est, q; ignoscitur, & non præcipitur, sed cùm in dubijs cõstringimur, vtiliter in minimis subdimur, ne in magnis peccemus. Culpa quippè esse innuitur, quod indulgeri perhibetur, sed quæ tanto citius relaxatur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, si hoc quod est licitum sub moderamine non tenetur. Tunc enim solum coniuges sine culpa sunt in admistione, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Sed tamen & alia commistio, quæ pro sola voluptate veniam accipit propter nuptias. Enarrans autem eundem locum Petrus Lombardus, Reuertimini, &c. Ne videretur, inquit, hoc præcipiendo dixisse, subdit, hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperiũ. Et ideò non peccat, qui aliter agit, id est qui continet: imò peccat qui sic agit. Quia aliqua culpa ibi est, sed leuis. Propter huiusmodi peccata oportet quotidie, crebroq; adorare Dominum, & dicere: Dimitte nobis debita nostra. Non ergo illud præcepit Apostolus, sed permisit. Aliud enim est quod permittitur infirmitati, non est laudabile, sed veniale: Sed fortè aliquis dicet: Si hoc secundum veniam concesit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiæ? cui enim venia nisi peccato conceditur, vbi est incontinentiæ malum. Planè quod infirmitati concesit Apostolus secundum veniam, audeo dicere peccatum esse. Veniam namque concedens Apostolus, concubitum attendit coniugatorum, vbi est incontinentiæ malum. Incontinentiæ malum est, quod vir cognoscit vxorem, etiam vltra necessitatem procreandi liberos. Sed & ibi est nuptiarum bonum. Non enim quia incontinentia malum est, ideò coniugium, quod est præter intentionem generationis, non est bonum. Imò verò illud malum culpabile est hoc bonum, sed illud malum fit veniale propter bonũ nuptiale.

*1. Corinth. 7.*

*1. Tim. 1.*

*Hier. libr. 1. contra Iouinianum.*

*Chry. in epist. ad Viduam iuniorem à Flaminio Nobilio in Latinũ conuersa, Anno, 1576.*

*Aug. in Enchiridio cap. 78.*

*De peccato originali cont. Pel. & celestium lib. 2. cap. 38.*

*Lib. 2.*

*Lib. 5. cap. 7.*

*Lib. 50. Homil. homil. vltima.*

*Tertull. in Monogamia.*

*Matrimonij actus pro prole suscipienda sine culpa exercetur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Greg. ad interrogat. Augu. Cap. 10.*

Qui verò præcesit hos duos Gregorius Pontifex ad interrogationem quandam Augustini, qui fuit in Angliam ab eo missus, respondens. Cùm, inquit, non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in corpore commistionis, habent coniuges etiam de sua commistione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cùm Paulus Apostolus diceret: Qui se continere non potest, habeat vxorem suam: statim subiungere curauit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim indulgetur quod licet & iustum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse monstrauit. Sed prælarè nodum hunc explicat, qui præcessit Gregorium Fulgentius: Si per se ipsam quis fidelium coniugum cõmixtionem ducere non consideret, culpabilis vsus, non in coniugali concubitu, sed in concumbentiũ reperietur excessu. Neque ex commixtione maris & fœminæ, sed ex immoderatione libidinis, culpam trahit coitus coniugalis. In coniugibus ergo excessus iure reprehenditur, nuptialis tamen dignitas, collati sibi diuinitus honoris munere non priuatur. Ideò clamat Apostolicæ prædicationis auctoritas, Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Corinthios quoque super matrimonij honestate seruanda Paulus informans cùm præmisisset: Bonum homini mulierem non tangere, quorundam infirmitatem videns, atq; Apostolica satagens charitate, tanquam parieti inclinato & maceriæ impulsæ, non neglexit Doctor egregius consolationis dexteram Christo in se loquente supponere: denique subsequenter adiungit: Propter fornicationes autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: Similiter autem vxor viro. Apostolicæ itaque lectionis tenor ostendit, vxorem viro, & virum vxori quadam debiti cõmunione misceri. Quod procul dubiò non appellaret Apostolus debitum, nisi legitimè sciret esse reddendum, nec iuberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua exposcentis exactio. Quem sequutus Thomas Aquinas, Dico, inquit, quod iterum post cõtinentiam determinati temporis reuertamini in idipsum. Hoc autem dico secundum indulgentiam, id est, parcens infirmitati vestræ, non secundum imperium. Sed videtur, inquit, Apostolus, inconuenienter loqui. Indulgentia enim non est, nisi de peccato. Per hoc ergo quod Apostolus secundum indulgentiam se dicit matrimonium concessisse, videtur exprimere quod matrimonium sit peccatum. Sed ad hoc potest responderi dupliciter. Vno modo, vt indulgẽtia sumatur hic pro permisione. Est autem duplex permissio. Vna quidẽ de minus malo: sicut Moses permisit Iudæis dare libellum repudij ad vitandum vxoricidium, ad quod erant proni. Talis permissio non fit in nouo testamento propter sui perfectionem. Alia est permissio de minus bono, cùm homo præcepto non cogitur ad maius bonum. Et hoc modo Apostolus hîc indulget, hoc est, permittit matrimonium, quod est minus bonum, quàm continentia, quæ non præcipitur, quæ est maius bonum. Alio modo potest accipi indulgentia prout respicit culpam, & secundum hoc indulgentia refertur ad actum coniugalem, secundum quod habet annexam culpam, venialem tamen propter bona matrimonij, sine quibus esset mortalis: persequitur hęc posteà pluribus verbis, quę ne longiores essemus, prætermittenda putauimus.

*De coniugali debito epist. 1. cap. 2*

*Thomas in epist. Pauli ad Corin. c. 5.*

*Permissio duplex.*

*1. Corinth. 7. Matrimonium consensus facit, non cũcubitus. Lib. 5. contra Iul. cap. 8. De serm. Dom. in monte lib. 1. Vide eundem de cõsensu Euangelistarum lib. 2. cap. 1. Et de nuptijs & concupisc. lib. 1. cap. 11. & 12. Matth. 19. 1. Corinth. 7. Epist. 92. cap. 3.*

Ex his omnibus liquere satis potest, quod his verbis: Hoc autem dico secundum indulgentiam, datur venia reddendi debitum, non abstinendi. Quamuis enim vel prolis procreandæ, vel stupri vitandi causa rectum sit vxorem ducere, & ea vti, rectius tamen est, sine periculo peccati grauioris vel relinqui vxorem, vel cum ea tanquam sorore habitare. Et hoc est quod monet Paulus, cùm dicit: Tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores tanquàm non habentes sint: Nam & absq; vsu coniugali constare posse Matrimonium, non solùm Ambrosius & Chrysostomus Christiani, verumetiam Ethnici docuerunt. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis: Deniq; cùm iungitur puella, coniugium est, non cùm virili admistione cognoscitur. Nisi fortè non fuit inter Mariam & Ioseph coniugium, vbi nihil interfuisse carnalis commercij certum est. Negabat quidem coniugiũ id fuisse Pelagij sectator Iulianus, sed eum veritatis Euangelicę apertissimo testimonio cõfutauit Augustinus. Qui nõ dubitauit etiã dicere, quòd beatiora cõiugia iudicãda sunt, quę siue filijs procreãdis, siue etiã ista terrena prole cõtẽpta, cõtinentiã inter se pari cõsensu seruare potuerint: quòd neq; cõtra illud pceptũ fit, quo Dñs dimitti coniugẽ vetat: Non enim dimittit, qui cum ea nõ carnaliter, sed spiritualiter viuit: & illud seruatur, q̃ per Apostolũ dicitur: Reliquũ est, vt qui habent vxores, quasi nõ habentes sint. Nam ex carnali (sicut Leo Pontifex loquitur) fit spiritale cõiugiũ, quo nec dimittũtur vxores, & quasi non habeant, sic habentur, quo & salua sit charitas coniugiorũ, & cessent opera nuptiarũ. Ad huiusmodi ergo coniugia maritos inuitat Paulus, quoad per vxores licuerit: quibus vt reddatur debitũ permittit, maioris peccati vitandi causa. Verùm vnde deflexit eò redeat oratio.

*Reddere debitum vxori, & reddere debitum Deo, pugnantia sunt.*

Non esse pugnãtia docuimus Matrimoniũ & Sacerdotiũ, sed esse pugnantia reddere debitũ vxori, & reddere debitũ Deo, iuge sacrificiũ offerendo. Quare cui debitũ hoc per vxorem fuerit remissum, ei & fuisse semper & esse nũc etiã licitũ nõ in Orientali modò, verùm & in hac Ecclesia nostra Sacerdotio fungi. Obseruatũ aũt hoc fuisse legimus & in Orientali Ecclesia, vt maritus cùm Sacerdos esset factus, assentiente vxore, mariti officiũ facere desineret: adeò visum id est ex diametro, q̃ aiũt cum Sacerdotis officio pugnare. Quòd hoc ita sit, docet Hieronymus, cum de Vigilãtio loquitur, his verbis: Proh nefas, Episcopos dicitur sui sceleris habere cõsortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos nisi primùm vxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiã: imò ostendentes quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes vxores viderint clericorũ, infantes q̃ de vlnis eorũ vagientes, Christi Sacramenta non tribuũt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, aut sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes,



nentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desinũt. Hoc docuit Dormitantius, libidini frena permittens, & naturalẽ carnis ardorẽ, q̃ in adolescentia plerunq; feruescit, suis hortatibus duplicans, imò extinguens coitu fœminarũ, vt nihil sit quo differamus à porcis, quo differamus à brutis animãtibus, quo ab equis, de quibus scriptũ est, Equi insanientes in fœminas facti sunt mihi. Docet, q̃ videtur æqualis Hieronymi fuisse, Socrates quoq; Græcus: Si quis, inquit, in Thessalia clericus factus cum vxore quam ante clericatum legitimè duxit, dormierit: abdicator, cùm oẽs qui præclari sunt in Oriente abstineant: præcipuè verò in Thessalia, Macedonia, & Hellade. Cui suffragatur ad Anastasiũ Thessalonicensem Epũm scribens Leo Pontifex: Cùm extra clericorum, inquit, ordinem constitutis nuptiarum societati & procreatione filiorum studere sit liberum: ad exhibendã tamen perfectę continentię puritatẽ ne Subdiaconibus quidem carnale cõnubium conceditur: vt & q̃ habent, sint tanquam nõ habentes: & q̃ nõ habent, permaneant singulares. Quòd si in hoc ordine, q̃ quartus à capite est, dignum est custodiri: quantò magis in primo ac secundo, aut tertio seruandũ est: ne aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Epãli excellentia quisquam idoneus existimetur, q̃ se à voluptate vxoria necdum frenasse detegitur. Clarius aũt Epiphanius Constantię, Cypri Epus: q̃ adducto eo loco: Oportet Epum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, Re vera, inquit, non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui à nuptijs mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem & dignitatem, & hęc certò sancta Dei Ecclesia cum synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentẽ & liberos gignentẽ vnius vxoris virũ nõ sucipit: sed eum q̃ se ab vna cõtinuit, aut in viduitate vixit, Diaconũ & Presbyterũ, & Epum, & Hypodiaconũ: maximè vbi synceri sunt canones Ecclesiastici. At dicis mihi: Omninò in quibusdã locis adhuc liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quę per tempus elanguit. Quamobrem etiam apud Orientales, vbi synceri fuerunt Canones Ecclesiastici, fuisse legimus obseruatum, vt Sacerdotes mariti, deinceps à maritorum officijs abstinerent.

*Epiph. hær. 59.*

*1. Tim. 3.*

*Hieron. ſ.*

*Socrat. lib. 5. ca. 18. Eccles. hist.*

*Leo epist. 84. & in epist. 92. ad Narbonensem Episcopum.*

*Stephani Papæ sententia expenditur.*

Quod verò scripsit alicubi Stephanus Papa, Orientalium Sacerdotes Matrimonio copulari, id ibi factum intelligi debet, vbi synceri Canones nõ sunt. Et quamuis rideat Philippus glossatorem, quòd is interpretetur, copulantur: id est, copulato vtuntur, hunc tamẽ, quem glossator vult, Stephani verborũ sensum esse, certũ est & indubitatũ. Quamuis enim cuius Papæ Stephani verba sint, hęc quę in Decretorum librũ retulit Gratianus, non satis liqueat (nouen enim eius nominis fuisse constat) neq; reperiuntur in decreta Stephani Papę, cuius epistola libris Cõciliorũ est inserta, nequaquã tamen credendum est, quicunq; tandẽ fuerit iste Papa Stephanus, adeò rudẽ eum & rerum omnium imperitũ fuisse, vt illud ignoraret, in nulla vnquam orbis Christiani parte Matrimonia cõtrahere Sacerdotibus licuisse. Ac ex alijs nõnullis locis, quæ per Gratianum proferuntur, cuiuis manifestũ esse potest, copulantur, hoc loco aliter accipi nõ posse, quàm sicut intellectum est à glossatore, nimirũ copulato vtuntur: ac lege Matrimonij, q̃ pridẽ initum est, carnaliter cõmiscentur. Adfertur ab eodẽ Gratiano reseriptum Nicolai Pontificis ad Salonitanum Episcopum: cuius hęc verba sunt: Nosse desideras, vtrum mulier, quę viri filium ex alia fœmina genitum: de sacro fonte leuauit, postmodum posit cum eodem viro copulari. Quis non videt, copulari hoc loco, non pro eo accipi, quod est Matrimonio iungi, quod iam pridẽ factum fuisse verborum sequentium contextus indicat: sed carnaliter misceri. Qua significatione vsus est etiam verbo copulationis Augustinus, dicens: Copulatio maris & fœminæ generandi causa bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono malè vtitur, qui bestialiter vtitur, vt sit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Et eum secutus Gregorius: postquam copulatione cõiugij viri atq; mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte manere in seculo. Et alio loco: Dum vnum vtrorunq; corpus cõiugij fit factum copulatione, incõgruum est patrẽ cõuerti, & patrẽ in seculo remanere. Ad eũdẽ modũ Anianus interpres Chrysostomi: Habitare cum spõsis nõdum sibi copulatis lege coniugij. Certè copulatio & copulari, in his locis nõ cõtractum, sed vsum significant Matrimonij. Quod etiã illa verba Cõcilij Aurelian. declarant, vbi vis dictionis eius, copuletur. sic est explicata: Nec ipsi adultero vnquã in cõiugio copuletur: hoc est ne propriæ vxori sibi licet reddere debitum, quã sibi reddit illicitã, sororẽ eius cognoscendo. Nõne manifestè hic ostenditur, cõiugio copulari nõ aliud esse, quàm reddere debitũ? Sed sit nõ rarò q̃ quæ nõ intelligunt, ridẽt imperiti. Hic ita q̃ germanus est verborũ Stephani sensus, q̃ Oriẽtaliũ Sacerdotes maritorum officijs funguntur, & præstãt vxoribus ea quę debent ex lege matrimonij: Occidẽraliũ verò, nequaquã: verùm si q̃ sint etiã, quos vxores habere contingat, sunt iuxta Pauli cõsiliũ tanq̃ nõ habentes, neq; deinceps quicq̃ eis cũ vxoribus est cõmercij. Quod illis verbis indicatur, Occidentaliũ Sacerdotũ nullus licentiã habet cõiugiũ sortiendi. Nã coniugiũ eo loco significat coniunctionẽ carnalẽ, q̃ vulgò copulã vocant, quẽadmodũ in Synodo Turonensi secunda: Quosdam dicit canon, inhibita coniugia, id est, coniunctiones corporũ vetitas reperijsse cõperimus. Nõ habet itaq; licentiã coniugiũ sortiendi, idẽ est, ac si diceret. Nõ habet licentiã carnalẽ cum ea consuetudinẽ habendi, nec aliter Sacerdoris officio fungi potest, q̃ si Deo continentiam illa suam vouerit, & in Monasterio reliquum vitæ tempus transegerit.

*1. Corinth. 7.*

*Canon. 12.*

Hic sanus cùm sit Stephani verborũ intellectus, facilè apparet, quam nihil Philippum hic locus adiuuet, quo probare nititur, Sacerdotibus aliquando Matrimonium contrahere licuisse, cùm etiam Apostolorum canonibus id vetitum esse legamus: extat enim inter alios hic quoq; Qui cùm cœlibes essent, clerici facti sunt, ex his solis lectoribus & cantoribus, si modò sic eis visum sit, Matrimonium contrahere licere volumus. Quo canone quid aliud statuitur, quàm quò Hypodiaconis, Diaconis, & Presbyteris, posteaquam ordinati fuerint,

*Canon. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Const. an. syn. Canon. 3. Dist. 28. c. presbyterum & 31. Quoniam & 32. Dist. cap. Si quis. Nicæ. 2. syn. Actio. 6. Tomo 1. Florent. concil. Sessione 5. Sacerdotibus matrimoniũ licuisse inire ostendi non potest.*

erint, vxorẽ ducere fas nõ est? Tales enim nuptias vocãt Patres sub Iustiniano Imperatore in Trullo Regij palatij Constantinopoli cõgregati ducenti vigintiseptẽ, illegitimas, & illegitimum eiusmodi cõtuberniũ solui iubent. Qua Synodo ante annos propè noningentos habita, cùm posterior fuisse videatur Stephanus hic Pontifex, quicunq; tandem is fuerit (nam primùm non fuisse liquet) est ne verisimile eum aut canonem Apostolicum, aut istorum Patrum decretum ignorasse? Quorum Synodum, sextam quidem Synodũ vocat Gratianus, cùm eius decreta nonnulla producit, sed ex Niceena secunda Synodo, tum ex actis quoq; Florentini Concilij, & ex præfatione Anastasij Abbatis in octauã Synodũ, liquere potest, quod quatur aut quinq;, vel, si Theophani credimus, 27. post annis fuerit congregata. Quam cùm præcesserint aliquanto interuallo Socrates, Hieronymus, Epiphanius, Leo, qui non vxores modò ducere, verumetiam cum his, quas duxissent ante susceptos sacros ordines, rem habere Sacerdotibus etiam Orientalibus licitum non esse scripserunt: non potest ostendi tempus vllum, quo vel Orientalium, vel quarumcunq; aliarum Ecclesiarum Sacerdotibus Matrimonium inire fas fuerit: ficulneum vt planè sit præsidium hoc Philippi, quo nititur ad incœstas Magistri sui nuptias defendendas.

*33. qu æst. 2. latorẽ.*

Iam illud quàm ridiculum, quàm ineptum, quàm prorsus puerile, quod adfertur ex Nicolao Papa de matricida quodam: cui dum pœnitentia præscribitur, à propria & legitima cõiuge non separari iubetur: quem fuisse Sacerdotem ex eo colligere volunt, quod oblationes facere prohibetur. Quasi verò soli sint Sacerdotes, qui oblationes offerant: aut quasi non sit alia oblatio præter eam, de qua superius scripsimus, qua semetipsum in ara crucis Christus obtulit, cuius repræsentatio fit per Sacerdotẽ in altari. Poterat iste Theologus, Iuris vtriusq; Cõsultus, Grãmaticus, Rethor, Medicus, Geometer, Aliptes, Augur Schœnobates, & quid non? poterat ex illo ipso decretorũ libro, in quo tam diligenter versatus esse videri vult, hoc quoq; legisse, quod profert Gratianus ex Gregorio: Quod omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriã quod Deus per Mosen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus: atq; inde discere, suas etiã laicos oblationes habere, quas offerant ad altare: quas etiam apud Catholicos nũc offerri videmus, & fuit hic vsus offerendi antiquissimus. Quod etiam canones Apostolorũ indicant. Ab hoc genus oblationibus offerendis, repellebantur pœnitentes, qualis fuit iste matricida: repellebantur, ex decreto Cõcilij Carthaginensis quarti, cap. 93. fratres dissidentes, tum qui paterem oppressissent, qui sacrilegium cõmisissent, & vi seruũ suũ ad Ecclesiam profugũ extraxissent: raptores, vsurarij, meretrices, & aliorũ atrocium criminũ affines, quemadmodũ XC. distinctione, multis canonibus allegatis, glossator indicat. Apparet etiam ex Clemente, qui negat à certis hominibus, oblationes aliquas accipiẽdas esse. Non ergo statim sacerdos est, si quis oblationem offert, quòd non viris magis, quàm fœminis licet, modò ne sint ex earum numero, quarum oblationes recipere vetitum est.

*Laicorum oblationes.*

*De consec. dist. 1. Omnis.*

*Exod. 34. Cap. 4. Offerre quidam prohibentur. Deut. 23. Concil. Carth. 4. Cap. 93. Cap. Oblationes. Clem. const. apostol. lib. 3. cap. 8. & lib. 4. c. 6. & sequẽtib. 1. Corinth. 7. 1. Tim. 3.*

Hinc videre licet, quàm anxiè quærendo, quàm nihil inuenire possint nouatores isti, quo demonstrent, aliquando sacerdotibus Matrimonia contrahere licuisse. Quanta est autẽ ista temeritas, quod per mille quingentos annos nũquam in Ecclesia catholica licuisse legitur, id nunc demùm licitum vt sit Sacerdotibus, contendere? cùm tempus multò iam sit breuius, quàm fuit illud, quo Paulus etiam eos qui haberent vxores, voluit esse tanquam non habentes. Manifestum ergo iam est, Sacerdotibus in Ecclesia catholica neq; licuisse vnquam, neq; nunc etiam licere Matrimonia contrahere.

*Vnius vxoris vir. Tert. libr priore ad vxorem de exhort. castitatis, & de monogamia. Orig. hom. 17. in Luc. 17. Chrysost. homil. 10. ad Tim. & Titum Epiph. hæres. 59. Hier. libr. 1. contra Iouin. & ad Tit. Amb. lib. 1. de offic. cap. 50. & epist. 82. Leo epist. 45. & 49. Theoph. in 1. Timoth. 3. Isid. 1. cont. Iouian. Euseb. Demonst. Euang. libr. 1. ca. 9. Epiph. Hær. 48. In compendiaria doctrina de fide catholica.*

Quod verò adfertur ex Paulo, oportet Episcopũ vnius vxoris esse virũ, id ad excludendos bigamos à Sacerdotio, dictum esse sancti Patres omnes vno ore testantur: quemadmodum apud Tertullianum, Origenem, Chrysostomum, Epiphanium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Theophilactum, & alios videre licet. Illud autẽ perridiculum, & ex his Pauli verbis colligere volunt, non fuisse, sed esse oportere Episcopum vnius vxoris virum, atq; eum liberos etiam actu habentem, vt nisi se strenuum, vereq; masculum in illis procreandis præstirerit, parum sit idoneus qui Episcopi munus obeat. Quorum si sententiam recipimus, quemadmodum rectè colligit etiam Hieronymus, non erit Sacerdos & Episcopus Christus, non Paulus ipse qui hæc scripsit, non Ioannes Euangelista, de quo indubitatum est, virginem fuisse: non alij quidam Apostoli, qui cœlibes fuisse leguntur, non Titus, non Timotheus, non Dionysius, non Ignatius, non Basilius, non Chrysostomus, non innumeri alij Sacerdotes & Episcopi, quos omnes, vt aliarum virtutum, ita castitatis & continentiæ laude cum primis celebres fuisse legimus. Quid hac vna re dici potest absurdius? Reclamant huic sententiæ, omnes omnium ætatum viri doctissimi, sanctissimiq;, non Latini magis quàm ipsi Græci. Ac primùm Eusebius: Oportet enim, dicit sermo diuinus, Episcopũ vnius vxoris virum esse: Veruntamen eos qui sacrati sunt, atq; in Dei ministerio occupati, continere deinceps seipsos ab vxoris cõmercio decet. Epiphanius contra Montanistas scribens: Vnas, inquit, nuptias honorat Ecclesia, etiam si maximè Sacerdotij dona per eos, qui ab vnius etiam nuptijs se continuerunt, & in virginitate vitam degunt, se ornasse præexpresit, velut etiam Apostoli ipsius Ecclesiasticam Sacerdotij regulam ordinatè ac sanctè constituerunt. Et alio loco: Vertex autem horum omnium aut mater, vt ita dicam, est sanctum sacerdotium, ex virginibus quidem, vt plurimum procedens: si verò non ex virginibus, ad solitariam vitam degentibus, si verò non sufficerint, ad ministerium solitariam vitam degentes, de his qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus: nam eum qui secundas nuptias contraxit, non licet ad Sacerdotium suscipere, Ioannes Chrysostomus: Tito dicit Paulus, constitue Episcopos, sicut ego disposui tibi: si quis est sine crimine, & vnius vxoris vir: non ea ratione quòd id nunc in Ecclesia obseruetur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse. Idem in epistolam

*Chrysost. hom. 2. de patient. 1. 12.*



ad Timotheum: Non hoc velut sanciens, dicit Apostolus, quasi non liceat absq; vxore Episcopum fieri, sed rei modum constituens. Et in argumento eiusdem epistolæ: Non idcircò dicit vnius vxoris virum, quasi necessarium sit, & vxorem habere, & filios. Cæterùm, si quando contigerit ex seculi hominibus aliquem ad huiusmodi ordinem prouehi, talem esse præcepit, qui & domui præesse, & filijs, & reliquæ domui sciret. Nam qui secularis cùm esset, in eis inutilis repertus, quæ ad hanc rem necessariò pertinent: quo pacto illi Ecclesię cura, regimenq; permittitur. In eãdem sententiam Græcus ille Scholiastes: vnius vxoris virum. Non de hoc legem fert, vt vxorem omninò habeat Episcopus: sed si sit, inquit, ex mundanis, ne sit tamen is, qui secundis se nuptijs implicauerit, vel vt nouerit vnam vxorem esse legitimam ad ea præstanda, quæ debent inuicem coniuges iure Matrimonij: Posteaquam verò vocatus ad Episcopatum fuerit, illud impleat quod à Paulo scriptum est, vt sint qui habent vxores tanquam non habentes. Et, Volo omnes esse sicut & ego. Neq; dissidet ab his Theophilactus. Quin etiam ducenti vigintiseptem Patres, de quibus paulò antè meminimus, qui in Trullo Regij palacij sub Iustiniano conuenientes, Canones ediderunt, inter cęteros, hunc etiam cõscripserunt: Vxor eius qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, simul vt is electus & consecratus fuerit cõmuni sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, Monasterium ingrediatur, quod ab ædibus Episcopi procul absit. Quid hi tot sancti Patres, tam excellenti doctrina præditi, nunquid Pauli locum hunc, de eo quod Episcopus vnius vxoris vir sit, non intellexisse iudicãdi sunt? per quos nulli vnquam Episcopo esse licuit, nisi aut virgini, aut cuius vxor communi consensu Deo continentiam suam dicasset: quod etiamnum apud Græcos & Ruthenos obseruari videmus, qui quamuis plus aliquid Sacerdotibus permittant, neq; eos ab vxoribus suis separent, quas ante Sacerdotium duxerunt, tamen Episcopos non ordinant, nisi vel virgines, vel continentes.

*Idem in hom. 10. 1. Timot. 3.*

*1. Cor. 7.*

*Const. contra Can. 48.*

Quorsum autem attinet Latinorum quoq; super hunc Pauli locum interpretationes adducere: quos nunquam eum aliter intellexisse recepta totius Ecclesię consuetudo manifestum facit. Ne quis tamen de eo ambigat, ex multis paucorum testimonia proferemus. Extat epistola Syritij, ante annos mille ducentos propè scripta, cuius hęc verba sunt: Fortè quæritur, quia scriptum est vnius vxoris virum: non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram: neque enim integros non admisit, qui ait, vellem autem omnes sic esse sicut & ego. Quæ verba repetit ad Exuperium scribens, qui post Anastasium Syritio successit Innocentius. Hieronymus quoque: Non dicit Apostolus Paulus: Eligatur Episcopus, qui ducat vnam vxorem, & filios faciat, sed qui vnam habuerit vxorem. Et aliquantò post: Vnius vxoris virum, qui vnam vxorem habuerit, non habeat. Et Ambrosius ad Vercellensem scribens Ecclesiam: Vnius vxoris virum esse præcipit Episcopum, non quo exortem excludat coniugij, nam hoc supra legem præcepti est, sed vt continentiæ castimonia seruet ablutionis suę gratiã, neq; iterum vt filios in Sacerdotio creare Apostolica inuitetur auctoritate, habentem enim dixit filios, non facientem. Ex eo apparet, Apostolicam hanc esse traditionem, continentes vt sint Sacerdotes, præsertim autem Episcopi: ac toties mille quingentis annis nunquam aliter in vniuersa totius orbis Christiani Ecclesia obseruatum fuisse. Quis igitur dubitauit, qui quidem sanæ sit mentis, quin totius Ecclesię sensum & consensum sequatur potius, quàm vt Martinos audiat, ventris & Veneris impudentissimos patronos? qui dum suos incestos ac nefarios concubitus, omni religione spreta & conculcata, defendere moliuntur, ne ipsi impietate peccasse videantur, in idem in quod se præcipitauerunt impietatis baratrum, reliquos etiam quos possunt omnes remis, velis, manibus ac pedibus obnixè pertrahere conantur.

*Syr. epist. 4. 1. Timoth. 3. 1. Corinth. 7. Innoc. epist. 3. Hier. libr. 1. contra Iouinianum Ambr. in epist. 22. 1. Tim. 3.*

Verùm adfertur aliud ex Paulo telum: Qui non continent, nubant: Melius est enim nubere, quàm vri. Sed hoc quoq; modo sanus adsit verborum intellectus, facilè retundit ur. Produxeramus in superioribus ædit ionibus huius lib. nostri verba B. Ephrẽ, quibus Pauli locum hunc explicauit, quemadmodũ in 2. lib. Francisci Torrensis de dogmaticis caracteribus, ea citata reperimus. Quoniam verò misit ad nos nuper ipsa B. Ephrem verba lingua sua loquentis, idem ille cuius paulò antè meminimus Guilhelmus Scyrletus Cardinalis, ex Græco quodam exemplari transscripta, visum est nobis, vt qua lingua scripta sunt, eadem in hac ædit ione nouissima non mutila, sed integra ponerentur. Sic autem habet inscriptio.

*Qui non continent, nubant.*

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΕΦΡΑΙΜ, ΠΡΟΣ ΑΔΕΛΦΟΝ
ἐρωτήσαντα, πρὸς τίνα ὁ λόγος εἴρηται, κρεῖσσον γαμεῖν,
ἢ πυρόῦσθαι, ἀπόκρισις.

Ἀκούετε τοῦ ἀποστόλου, λέγοντος. Θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτὸν, ἀλλ' ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ. ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ, οὕτως. ὅλλον μὲν ὧν, ὅτι πρὸς ἐγκρατεῖς τοῦ Θεοῦ ὡς μὲν οὕτως, ὡς δ' οὕτως. καὶ οὔτε τοὺς βιωτικοὺς ἀπεκώλυσε νομίμως γαμεῖν, οὐδὲ τοὺς ἀποστακτικοὺς ἐνέκοψε τῆς ἐγγαστείας, φήσας. ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ. τοῖς γὰρ βιωτικοῖς ὅπλα δέδωκε, λέγων, διὰ τὰς πορνείας, ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. καὶ πάλιν. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρίνει ὁ Θεὸς, τοῖς δὲ ἀποστακτικοῖς παρέθετο τὴν ἐγκράτειαν, εἰ πᾶν. πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται. δύο οὖν σκάμματα παρέστησεν ὁ λόγος, καθὼς προείρηται. σὺ οὖν μοναχὲ, γνῶθι, καὶ ἴδε ἐν ποίῳ τάγματι κατατάγης. καὶ τὸ σημεῖον, ὃ ἡμῖν ἔστω. καὶ τίνες αἱ εὐχαὶ καὶ συνθῆκαι, ἃς συνέθου τῷ Θεῷ πρὸς αὐτὰς γὰρ καὶ τὸν λόγον ἀπαιτῶ. ἔφη γὰρ ὁ κύριος. ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε πονηρὲ δοῦλε. καθὼς οὖν προσφέ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



προειρήκαμεν, τοῖς ἐιωτικοῖς ἐπέτρεψε νομίμως γαμεῖν. τοῖς δὲ ἀποτακτικοῖς, ἐγκρατεύεσθαι. ἐπεὶ εἰ ἦρα τοῖς πᾶσιν ἐπέτρεπεν ὁ λόγος, κρεῖττον γαμεῖν, ἢ πυροῦσθαι. οὐκ ἄν τις ἤσκησε τὴν ἀρετὴν ταύτην. οὐκ ἠλίας ὁ θεσβίτης. οὐκ ἐλισαῖος. οὐκ ἰωάννης, καὶ ὅσοι εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὐκ ἂν δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ἀπόστολος συνεχώρει τοῦτο, εἰ μὴ ἀπέβλεπεν εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. μηδὲ δόξω μόνον λέγειν, καθώς τινες προφασίζονται. ἐκεῖνοι δὲ φησι δίκαιοι ὑπῆρχον. ἐγὼ δὲ, ἁμαρτωλός εἰμι. δίκαιοι γὰρ κατεσθήσαν, ὅτι δικαίως καὶ ὁσίως δίκην τὸν ἑαυτοῦ βίον. πῶς δὲ ἔρουμόν. ὅτι οἱ δίκαιοι ἀσώματοι ὑπῆρχον; οὐχὶ καὶ αὐτοὶ σῶμα περιέκειντο; ἄκουε τοῦ ἀποστόλου, λέγοντος. ἐν σαρκὶ περιπατοῦντες, οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμεθα. τὰ γὰρ ὅπλα τῆς στρατίας ἡμῶν, οὐ σαρκικὰ, ἀλλὰ δυνατὰ τῷ θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων. ὅλον οὖν ὅτι καὶ αὐτοὶ ἐπολεμοῦντο ὡς σαρκικὰ φρονοῦντες, ἀλλ' ἀντιγωνίζοντο. ὅθεν πάλιν ὁ αὐτὸς λέγει. ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ μή πως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι χειραγωγῶν δὲ ἡμᾶς πρὸς τὴν ἀρετὴν, λέγει· μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ χριστοῦ. προσχωμεν οὖν ἀδελφοι, μήποτε τὴν ὀπτηθυμίαν ἑαυτῶν πληρῶσαι βουλόμενοι, τῷ ἀποστολικῷ παραγγέλματι ὀπτηράφωμεν τὸ αἴτιον, τὴν δύναμιν τοῦ λόγου μὴ ὀπτηγνώσκοντες. διότι γέγραπται, ψυχαὶ δούλιοι πλανῶνται ἐν ἁμαρτίαις. καὶ πάλιν ἁμαρτάνοντι ἀνδρὶ μεγάλη παγίς. δίκαιοι δὲ οὐ χαρᾷ καὶ εὐφροσύνῃ ἔσαι. τί δὲ ἀδελφὲ κρεῖττον, γαμεῖν ἢ πυροῦσθαι, ἢ κύσας, καὶ ἢ κύσας, ὁ ὀπτήρει, λέγων. ὀχμηρὸς σωσεαλμὸς τὸ λοιπόν ἐστιν ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν. καὶ οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες. καὶ οἱ χαίροντες, ὡς μὴ χαίροντες, καὶ οἱ ἀγοράζοντες, ὡς μὴ κατέχοντες. καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. διὸ μοναχὲ, μὴ ἀθέτει τὸν δωρησάμενον σοι τὴν χάριν ταύτην. μηδὲ παρακούσῃς αὐτῷ λέγοντος πρὸς σὲ διὰ τοῦ ἀποστόλου. μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας μετὰ ὀπτιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. μήποτε προβάτιον σεαυτὸν κατασήσῃς, οἰκοδομῶν πάλιν ἃ κατέλυσας, ἀλλ' ἀπόδος ὦ κυρίῳ τὰς εὐχάς σου, διότι γέγραπται. ἀγαθὸν τὸ μὴ εὔξασθαι, ἢ εὔξασθαι καὶ μὴ ἀποδοῦναι. ἀγωνίζου οὖν τὸν δρόμον τελέσαι σου νομίμως, ὅπως ἔξεις παῤῥησίαν ἅμα τῷ ἀποστόλῳ, λέγειν τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι. τὸν δρόμον τετέλεκα. τὴν πίστιν τετήρηκα. λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος. ὃν δώσει μοι ὁ κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὁ δίκαιος ἀποκριτὴς. οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ὀπτφάνειαν αὐτοῦ ὅτι αὐτῷ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας μὲν αἰώνων, ἀμήν.

Id est, Beati Ephrem ad fratrem qui quæsierat ad quem ille sermo dictus fuerit: *Melius est nubere quam vri.* RESPONSIO. Audi, inquit, Apostolum dicentem: Volo omnes homines esse sicut ego sum. Sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic Ita manifestum fit, quòd inter seculares, & inter eos qui renunciarunt seculo, discrimen fecit, cùm diceret: Vnusquisq; proprium habet donum à Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Et nec seculares prohibet legitimo matrimonio copulari, nec eos qui seculo renunciarunt, auocat à continentia, cùm dicit: Vnusquisq; proprium habet donum à Deo. Nam secularibus permittit, dicens: Propter fornicationem vnusquisq; suam vxorem habeat. Et rursus: Honorabile connubium est & thorus immaculatus: scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sed ijs qui renunciarunt, mandauit continentiam, dicens: Omnis qui certat in agone, ab omnibus se abstinet. His itaque verbis duo demonstrantur ordines, quemadmodum supra dictum est. Tu verò, ô Monache, considera, & vide in vtro sis ordine positus, & quod signum, quamve notam sis indutus, quæ vota feceris, quæ pacta cum Deo constitueris: nam secũdum pactiones & sponsiones quas fecisti, rationem à te reposcet Deus, sic enim loquitur: Ex ore tuo iudicabo te, serue nequam. Quamobrem, sicut supra diximus, secularibus permisit legitimè iungi Matrimonio, qui verò seculo renunciarunt, eos continere voluit. Quandoquidem, si ad omnes pertinerent illa verba: Melius est nubere quàm vri: nemo virtutem castitatis coluisset vnquam: non Helias Thesbites, non Eliseus, non Ioannes, non quotquot alij castrauerunt se propter regnum cœlorum, sed nec ipse Apostolus continens fuisset, nisi respexisset in mercedem, vel retributionem. Nec verò dicamus sicut quidam prætexunt: Illi autem viri iusti fuerunt, ego verò peccator sum. Nam illi propterea iusti facti sunt, quòd iustè & sanctè traduxerunt suam vitam. Quid igitur quæremus ex illis? Num illi iusti carnis siue corporis expertes fuerunt? An & ipsi carnem induti non erant? Audi Apostolum dicentem: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus; Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionũ. Manifestum igitur, quòd & ipsi oppugnabantur, tanquam carnalia sapientes, sed viriliter contra certabant. Vnde rursus idem ille dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. At manu ducens nos ad virtutem, dicit: Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Attendamus igitur fratres, ne dum cupiscentiam nostram implere volumus, in Apostolicum præceptum culpam referamus, quę sit verborum illius vis, ignorantes. Propterea scriptum est: Animę dolosę errant in peccatis. Et rursus: Homini peccanti magnus laqueus inuoluitur, iustus autem in gaudio & lætitia erit. Quid autem, ô frater, melius nubere an vri? Audisti nec ne quod subinfert, dicens? Tempus breue est, Reliquum est vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanqnam nõ vtentes. Præterit enim figura mundi huius. Propterea, ô Monache, ne asperneris eum qui donauit tibi gratiam hanc, nec oscitanter audias istum alloquentem te per Apostolum: Noli negligere quæ in te est gratiam, quæ data est tibi per Prophetam, cum impositione manuum Presbyterij, ne fortè prævaricatorem te constituas, ædificans rursus quæ destruxisti, sed redde Domino vota tua. Quoniam scriptũ est: Melius est non vouere, quam cùm voueris, non reddere. Contende, & elabora, vt cursum tuum legitimè perficias, vt possis liberè cum Apostolo dicere: Certamen bonum certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi iustitiæ



iustitiæ corona, quam reddet mihi Deus in illa die iustus Iudex: Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius: quoniam ipsi gloria in secula seculorum, Amẽ. Ambrosius verò: Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam: Cæterùm quę se spopondit Christo, & sanctum velamen assumpsit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Extat inter epistolas falsò Hieronymo adscriptas, vna ad Susannam lapsam, in qua eadem Ambrosij verba reperiuntur. Et alio loco: Necdum, inquit, castitatem professo, iuxta Apostolum: Melius est nubere quàm vri. Sed obsecro, Domine, vt cui non licet nubere, non contingat & vri. Chrysostomus autem: Viduæ omninò si voluerit, potestatem nubendi facit: At eam quæ coniuge mortuo se in reliquum tempus Deo castam fore promiserit, si posteà nupserit, vehementer accusat, vt quæ fidem quam Deo dedisset, fefellerit. Non ijs ergo, sed illis dixit, si se non continent, nubant: melius est enim nubere quàm vri. Extat historia quædam cumprimis pia de Barlaam Eremita, & Iosaphat Indiarum Rege. In ea scribitur quemadmodum Satanas sub specie pulcherrimæ mulieris persuadere conatus fuerit Iosaphat, vt matrimonio sibi iungi vellet: sic enim futurum, vt cùm esset idololatra, ad Christianam fidem conuerteretur. Iosaphat autem: Fruſtrà petis, inquit, mulier hæc à me, ego nanque licet magnam salutis tuæ solicitudinem geram, deq; profundo perditionis eripere te cupiam, inquinare tamen corpus, meum per turpem coniunctionem mihi graue est, & omninò impossibile. Mulier contrà vel Satanas potius in humana specie: Vt quid, inquit, pollutam rem & turpem vocasti commistionem. Nónne scriptũ est in quodam librorum vestrorum: Honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus. Et, Melius est nubere quàm vri. Et, Quod Deus coniunxit, homo non seperet. An non omnes antiquos iustos Patriarchas, sed & Prophetas vxores habuisse docent vestræ scripturæ? Nónne Petrum illum, quem Principem Apostolorum dicis fuisse, coniugem scriptum est habuisse? Quibus igitur auctoritatibus fultus, nuptias pollutionem audes appellare? Valdè mihi videris à veritate dogmatum vestrorum errare. Cui ille respondit? Etiam mulier, sic se habent ista quemadmodum dixisti. Nam permittitur volentibus vxores ducere, sed non eis qui semel promiserunt Christo virginitatem illibatam seruare. Ego enim ex quo lauacro purificatus sum, diuini baptismatis à iuuentutis & ignorantiæ meæ delictis me mundum seruare, Christo spopondi: Et qua ratione quod Deo promisi violare potero. Nec dissimilem disputationem reperire licet apud Simeonem Metaphrastem in vita Martiniani, quam itidẽ cũ illo Diabolus habuit sub specie fœminæ. Itidem & Cæsarius: Ego hodie, qui videor esse Monachus, si rupero propositum meum, Christum negaui. Et paucis interiectis, Denique & Apostolus, quid loquitur de viduis, quæ secundos duxerunt maritos? Quid dicit? Habentes damnationem, quia primã fidem irritam fecerunt, Viduæ quid dicit? O vidua, antequam mihi promitteres, quod esses vidua, in tua erat potestate, vt nuberes. Ex quo tempore confessa es: quod mihi permaneres ex eo tempore mea esse cœpisti: Si volueris secundum maritum ducere, me cõtempsisti. Sic & tu, Monache, antequam mihi promitteres, in tua voluntate erat facere, quod velles: vox tua ligauit te mihi. Nunquid te compuli? Nunquid ex necessitate fecisti? Nónne liber eras? in tua fuit potestate promittere. Promisisti, & meus esse cœpisti. Meum nolo dimittas. Non tibi licet ea licentia dimittere, quia mecum habes causam. Promittere tuum fuit, dimittere non est tuum. Si dimiseris, non te habeo in illo gradu, in quo te prius habui. Primùm liber eras. Eras quidem de familia mea, non eras ante oculos meos, non eras de ministris meis: tamen eras de familia mea: Non eras mecum, sed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpisti, si recesseris, non te habeo de familia, sed certè fugitiuum & prævaricatorem. Non enim inuenies vbi me possis fugere. Ideò hoc totum dico, quia in nostra est potestate Deo promittere, non est in nostra potestate dimittere. Promisisti, præmium habebis. Negasti, pœnã habebis. Vtrunq; propter confusionẽ est. Dicimus iterũ, atq; iterũ dicimus. Ecce ante oculos tuos via mortis, & via vitæ, elige quod volueris. Hoc totum dico (fratres charissimi) ne quis de vobis putet, se habere liberam potestatem discedere, & perdescendere cum Diabolo in infernum. Ergo ego, qui sum Monachus, qui desij esse secularis, & factus sum Monachus, aut Monachus saluor, aut aliter non saluor.

Phocius enarrans illud: Si nupserit virgo, non peccat. Virginem, inquit, hic intelligit, nõ illam Deo consecratam, sed innuptam puellam: illa enim quæ Deo iam consecrata sit, si nupserit, adulterum introducit Christo, cui nupta est. Ad eundem modum hæc Pauli verba interpretati sunt ante Photium Epiphanius Græcus, & Hieronymus atq; Augustinus, Sedulius, Fulgentius, & Anselmus Latini, vt ad Sacerdotes, & eos, qui continentiam suam Deo vouerunt minimè referri possint. Cùm dixisset, inquit Augustinus, quòd si se non continet, nubat: melius est nubere quàm vri: non dixit, melius est mœchari, quàm vri. Mœchatur autem quisquis post votum factum continentiæ ducit vxorem.

Quamobrem necesse est, vt alia quærant remedia, nimirum ea quibus vsus est Paulus, qui castigauit corpus suum, & in seruitutem redegit, necesse est vt occasiones omnes fugiant, vt vigilijs, ieiunijs, laboribus carnem atterant. Postquam verò fecerint omnia, quæ ad frenandã carnis desideria ptinere visa fuerint, nihil sibi tribuant, verùm oẽm de suis viribus fiduciam prorsus abijcientes, in eo solo spem suam positã & defixam habeant, cuius hoc donũ est, de quo cùm scripsit Propheta: Quod propè est omnibus inuocantibus se: cùm ipse etiã dixerit: Petite, & dabitur vobis: omnis qui petit, accipit: quoniam impossibile est mentiri Deum, accedant cum fiducia ad thronum gratiæ eius, precentur eum supplices in fide nihil hæsitantes, facere non poterit benignus & misericors Deus, quin ita precantes exaudiat. Sæpe ille dare paratus est, inquit Augustinus, si nos capiamus qd dederit. Sic feciſſe Paulum legimus, cui & ipsi cùm datus esset stimulus carnis, qui eum colaphizaret, non ad nuptiarũ



*1. Cor. 7.*
*Matt. 19.*
*Amb. ad virginem lapsam cap. 5.*
*De virginit. ca. 39.*
*1. Timoth. 5.*
*Epih. hær. 61.*
*Hier. li. 1. cõt. Iou.*
*Aug. de bono viduitatis cap. 8. & ad Pollentium de adult. coniugij. lib. 1. cap. 15.*
*Damasc. in vita eius.*
*Oratio 2. præparatoria ad Miss.*
*Matrimonium monacho suadet diabolus.*
*Hom. 21.*
*1. Tim. 5.*
*Post continentiæ votum, coniugio vti nemo potest.*
*Votum continentiæ relinquentes damnantur.*
*Epist. 93. cap. 3.*
*Aug. li. 2. de adult. coniugijs. Cap. 12. Epist. 1. Cap. 7.*
*Remedia fugiendi libidinem.*
*1. Corinth. 9.*
*Psal. 144. Luc. 11. Heb. 4. Iacob. 1. 2. Corinth. 12.*
*Li. 2. de Ser. Dom. in monte.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



remedium sibi confugiẽdum esse putauit, sed cùm ter esset Dominum deprecatus, posteaquam audiuit, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: illius gratia fretus fortiter contra stimulum carnis pugnauit, & in ea pugna superior euasit. Sic Hieronymum, sic Benedictum, sic Bernardum, sic sexcentos alios, quos enumerare longum foret, fecisse nobis narrant historiæ.

Quamobrem non hoc solum remedium datum est his, qui tentantur libidine, statim vt vxores ducant. Quid enim si quam semel duxerunt, eius propter diuturnam & insanabilẽ ægritudinem nullus sit vsus? Quid si longius maritus abesse cogatur, vel quòd legatione fungatur, vel militiæ, vel mercatus gratia, vel captiuitate separatus, vel quacunq; tandẽ alia ex causa, num statim sibi dictum putabit, Melius est nubere, quàm vri: & ad quamcunq; ciuitatem peruenerit, aliam atq; aliam vxorem ducet? Quid si illicita animositate vxor continere voluerit, qualem fuisse scribit Augustinus Maximillam Regis Egerij vxorem nunquid eerunt amittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria? Scimus hoc permissum ab istis incœstarum nuptiarum auctoribus, & propugnatoribus, à quibus etiam libelli scripti sunt, polygamiam approbantes. Verum ea res in Ecclesia Christi magnæ semper fuit abominationi. Cæterum quorum Deus venter est, & qui diligenter colunt, quæ sub ventre sunt, nihil pensi habent: non eos religio, non eos honestatis publicę ratio mouet quicquam, dummodo libidinem suam incœstam expleant. Fuerunt Augustini temporibus qui dicerent: Si qui dimisisset vxorem causa fornicationis, licere sibi superstite illa, aliam ducere, quàm melius foret nubere quàm vri. Cæterum Augustinus nequaquam id licere contendit, & eiusmodi non esse coniugia, sed adulteria dicit. Quamobrem non vult, vt nuptijs incontinentiæ suæ medeantur, sed suadet, vt voto potius continentiæ facto, supplicent Deo, quò donum eis præstet continentiæ. Neq; carnalis infirmitatis excusationem admittit, sed muliebrem illis castitatem imitandam proponit, quæ cùm æquè carnẽ habeant vt viri, tale tamẽ aliquid illis viri licere nolunt. Cùm, inquit, à fœminis vtiq; carnem habentibus tantam flagitant castitatem, vt quando ab vxoribus diutissimè peregrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas, feruorem transire iuuentutis, & plurimæ pudicissimè transigunt, & maximè Syræ, quarum mariti negociandi quæstibus occupati, iuuenes adolescentulas deserunt, & vix aliquando senes ad aniculas reuertuntur: eo ipso euidentius conuincunt, non esse impossibile, quod se non posse causantur. Si enim hoc non posset infirmitas virorum, multo minus id posset sexus infirmior fœminarum: Vndè istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis coniugijs hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam cõtinentiam clericorum, qui pleruncq; ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inuiti, eamq; susceptam vsq; ad debitum finem Domino adiuuante perducunt. Dicimus ergo eis: Quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentia, capereminí? nónne susceptum casti custoditis officium?

*De fide contra Manich. c. 15.*

*Philip 3.*

*Aug. li. 2. ad Pellentium de adult. coniugijs, cap vlt.*

*Vxore adultera viua, cum alia marito cõtrahere non licet.*

*Syrarum mulierũ continentia.*

Sed hic quæritur ab istis, vtrum sit melius, alligatum voto continentiæ fornicari, an Matrimonium contrahere: Quasi verò vbi vtrumq; malum est, ibi possit alterutrum esse melius, aut quasi non multos videre liceat, qui cùm alligati voto continentię Matrimonium contraxissent, nihilo continentiores fuerunt, quàm videre nonnullos licet, in catholica cœliba tum professos? Possemus nos quoq; non pauca istorum incontinentiæ exempla producere: sed qui vixit inter eos, Erasmi Roterodami testimonium adferre malumus: Sic enim ille loquitur, scribens ad fratres inferioris Germaniæ: Efferunt honorabile coniugiũ & thorũ immaculatum, sed innui nonnullos Euangelicos (nam in genere loquutus sum) nihilo castius colere coniugium q̃ catholicos. Iubent me proferre fabulas. Quid attinet, cùm vulgò narrentur. Negat esse notissima cùm falsa sint, & tamen ipse fatetur de duobus. Ego noui Monachum, qui pro vna duxerit tres: noui sacrificum, virum alioqui probum, qui duxit vxorẽ, quam pòst comperit alteri nupsisse. Similia permulta de Monachorum & Monacharũ coniugijs referuntur, qui ductas repudiarunt eodem iure quo duxerant. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus sit adulteriorum? Quid Argentorati fiat, nescio: quid alibi compertum sit, mecum nouit populus. Jam vt donemus istis Euangelij Præconibus esse fas vxores ducere, quis non iure admiretur ouiculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis distractos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum graue, non posse viuere sine vxoribus, quas tam multi ob leuiores causas aut non ducũt, aut ductas nollent. At istis omnis Tragœdia exit in catastrophen Comam: Vbi contigit vxor, occinitur, valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? Vndè tanta rebellio in his, qui se iactant agi spiritu Christi? Hæc Erasmus.

*Scortari ne anmatrimonium contrahere tolerabilius sit voto obligatis.*

*Erasmi testimonia de incontinentia ministrorũ Euangelicorum.*

Reprehenditur à Philippo Pighius, qui non verè magis quàm piè scriptum reliquit: Minus peccare Sacerdotem, qui ex infirmitate carnis in fornicationẽ sit prolapsus, quàm qui nuptias contraxit: Turpis illi videtur hæc oratio: contrà catholicis honestissima. Probat autem hoc Pighius verbis his à simili: Tu vide, inquit, quis peior seruus est, an qui grauatus seruitio fortasse negligentius aut incautius agens cadit sub onere, an qui iugum in totum proijcit? Quis peior discipulus, an qui ex præscripto edidicit non quidem vniuersum, quòd fortè potuisset, nisi crapulæ & somno securius indulsisset, tamen partem: an qui scholã prorsus deserit? Quid in hac oratione turpe? quid non pium potius & honestum? Non dicit Pighius, Bonum est fornicari. Quod si diceret: turpis esset oratio: sed dicit, minus malum esse, quàm spreta & conculcata iurisiurandi religione nubere. Quod non modò Pighio, sed Paulo etiam Apostolo tam graue visum est flagitium, vt non modò nubere, verùm & velle nubere voto obligatis damnabile esse diceret. Quid restat igitur aliud, quàm vt Pauli orationem turpem esse dicat Philippus, qui, quod isti fingunt, prohibendo nubere, doctrinas dæmoniorum docuerit, docens non modò nubere, verumetiam velle nubere contra fidem iureiurando interpositam, esse damnabile? De quo scribit etiam Augustinus: Quod oppignoratã iam Theclam thalamo, in amorem sermone suo, perpetuæ virginitatis incendit: Profert deinde Christi verba, quibus ad continentiam inuitat, & subinfert: Num Paulus & Christus Dæmoniorum probantur fuisse Sacerdotes? Num eorum & aliorum Apostolorum Dæmoniorum fuit doctrina.

*2. Timoth. 5.*



*1. Timoth. 4.*

*Li. 30. cont. Faust. cap. 2.*

Sed quid in re sit de qua agitur, videamus. Quærunt, plus ne mali sit in nuptijs, an in fornicatione eorum, qui se voto continentię alligarunt? An istis nõ rectè, Comici verbis responderi poterit? Quas credis esse has non sunt veræ nuptiæ: Sũt incœsta adulteria. Sic à Cypriano, sic ab Hieronymo, sic ab Ambrosio, sic à Basilio, Chrysostomo, Photio, sic ab alijs viris pijs & doctis vocari legimus. Theodoretus quoq; Matrimonium contra leges contractum, rectius fornicationem vocari dicit. Quam igitur boni rationem habere potest incœstũ adulterium? Contrahat nuptias qui nulla est voti religione obstrictus, libenter cũ Paulo dicemus, honorabile connubiũ & thorus immaculatus: Sed si cõtrahat Sacerdos aut Monachus, quid aliud rectè dicere possumus, quàm abominabile adulterium, & thorus incœstu contaminatus? Quæ potest aũt esse maior impudentia, quàm honorabile connubium & immaculatum thorum vocare: quod etiam Imperatoriæ leges capitali supplicio plectendũ esse censuerunt. Extat in codice Theodosiano Iouiniani lex his verbis conscripta: si quis, non dicã capere sed attentare tantummodo iungendi causa matrimonij sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. Etiam Ethnicis tam est hoc visum execrabile facinus, vt quæ virginitatem, quam semel vouerant, concubitu polluissent, viuæ sub terra defoderentur, quemadmodum non solum ab his, qui scripserunt historias memoriæ proditur, verum & poëtarum versibus legimus esse decantatum. Atqui tales fuerunt quæ se duobus Martinis, Luthero, & Bucero, & alijs multis Apostatis, quasi matrimonio copularunt. Cuiusmodi nuptias sancti Doctores vel adulteria, vel adulterijs peiores esse censuerunt: quorum etiã verba libet adscribere. Ac Cypriani quidem, Ambrosij, Photij, iam commemorauimus: Hieronymi verò verba sunt hæc: Virgines quæ post consecrationes nupserunt, non tam adulteræ sunt quàm incestæ. Basilius verò pluribus ea de re verbis disserit, quæ vel ob hanc causam huic libro visum est inserere, vt planum omnibus fieret, quod fuerit sanctorum Patrum de Martinorum nuptijs iudicium. Horrendum vocat ille sacrilegium, si quis sub ministri nomine & habitu, Christi sponsæ adulter efficitur. Cùm enim, inquit, virginitatẽ Domino profesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quæ sponsi dextram & fœdera præuaricata sit, eam nec illius vltrà esse sponsam, quẽ nequitiæ dans manus dereliquit, neq; eius vxorem per vllas leges dici posse, cui se deserto sponso libidine incitata coniunxit. Ac paulò pòst: Non se fallat, inquit, qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit, coniugiũ quippè illi in peccatum reputabitur: primùm quidem, quia pessimum huius coniunctionis fundamentum voluptatem iecit, præuaricationisq; malum: deinde, quia causa non est liberа, neq; est enim mortuus vir eius vt cuiuis nubat, viuente immortali viro, meritò censetur adultera, q̃ mortalem hominẽ ob carnis vitia domini thalamis intulit. Nam q; solenne, legitimumq; connubiũ sponsus ille occuparit, & virginitatis habitus, & fœdera, & conuẽta cum illo, & prætereà processus ipse testatur, huiusmodi quippè nobilitata viro processit in publicum. Porrò si connubium istud & processu, & testibus, cunctis denicq; iudicijs illustre & apertum est, nec est vir eius mortuus, mœchatur: quę huiusmodi admittit scelus, viuente viro semper adultera. Nec sanè video qua ratione, imò quo sacrilegio ipsa pro immortali viro Dei filio mortalem hominem in malum suũ ambire præsumat, ante viri oculos in ipsum impuris ac nequissimis semper amplexibus impia: quo item furore homo ille cubile domini conscendere, ac violare non metuat: Nempè ex rebus humanis eorũ, qui sic delinquunt, pœnas coniectare possumus. Quæso, quo cruciatu digna censeretur mulier, quæ nobili coniuncta viro, seruo suo seipsam violãdam impudicè substerneret, ac seruum infidiosè, nequiter q; domini thoris inueheret? Qua verò pœna dignus est seruus, qui in dominã suam, dominiq; cubile seipsum petulanter immisit? Sed enim vafræ istæ quid faciunt, quæ tantũ impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non metuerunt. Non modò non lachrymantur, ant ingemiscunt, vel lachrymis remittant peccatum suum, leuioresq; suscipiãt pœnas, verùm virginitatem insuper, quam anteà professæ fuerant abnegant, quippè virginitatis limites trãsgredi, vt voluptatibus inseruiatur, turpissimum esse, plenumq; dedecoris nõ ignorantes huiusmodi negatione, maiore scilicet scelere, virginitatem solari sese arbitrãtur amissam, homines miserè & infeliciter eligunt, sub quibus ad excusationem præuaricationis abnegent, quod fuerant antè pollicitæ, nec Dominum metuunt, cum quo fœdera castitatis inierant, cuiq; dederant dextras, eò quòd in malorum profunda deciderint. Ignorant miserę, quia apud Deum & apud homines contra se crimen exagerant, cùm hi quidẽ ex præcedente, cunctisq; cognito virginitatis instituto, quod se illæ professas esse negant, vesaniã, summãq; impudentiam auersentur, atq; oderint? Christus verò præter violata virginitatis fœdera huiusmodi negationem, quam vice pœnitentiæ patrocinium criminis sumũt, acrius ac seuerius suo illo iudicio vindicet. Itaq; ne specioso charitatis nomine virgo in hoc peccati baratrum corruat, charitatem puram, omniq; mortali affectione liberam sumat. Neque enim prolapsæ ad voluptatem, quicquam ad excusationem proderit vmbra, solatium-qúe connubij, neq; viuentem virum sub prætextu coniugij non soluta circumuenire aut fallere poterit, cui mortalem hominem pòst eximios illos, quos ab illo perceperat honores, impiè per adulterij nefas in honore prætulerit. Nec sanè incongruè his qui sunt eiusmodi

*Pro. 18.*

*Sacerdos vel monachus matrimonium contrahens Christi adulter ę.*

*Hier. lib. 1. cont. Iouinianum.*

*Basil. de vera virg.*

*Heb. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



1.Timoth.5. illud Apostolicũ aptari potest: Quoniam cùm fornicatæ à Christo fuerint, nubere volũt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: non coniugium, sed adulterium malè consummantes. Nullus itaq; seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat: nullus adeò insanus ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet: nemo in tantùm audaciæ, temeritatisq; prosiliat, vt eiusmodi vltionem sacrilegis impendere considerans, non vasa inanima ex auri, argentiq; materia elaborata, sed animata ipsa & viua donaria latronis more profanis manibus temerare atq; incæstare præsumat, imò verò nullus adeò impius, atrox, impurusq; sit, vt non inanimata templi vasa, sed ipsum Domini templum, virgineum scilicet corpus, ipsamq; omnium preciosissimam animam in tẽplo Dei sacratissimi donarij vice locatum, libidinis facibus barbarica immanitate succendat. Verùm & si sponte sua se virgo sponsi fœdera transgressa substernat, cunctaq; simul & templum, & donaria, & charitatem sponsi, communionemq; ac societatẽ regni, pernicioſæ voluptatis gratia confundere atq; calcare nitatur, noli huiusmodi ad scelus vti, neq; te peccati communione commacules. Quòd si te renuente alij se virgo in Matrimonij consortium tradiderit, ille pœnas sceleris luat, tu te mundum atq; integrum serua, ne sceleris impij in Dominum particeps fias. Oportet, inquit, filium hominis tradi: Væ aũt illi per quem tradetur, vtile illi esset si natus non fuisset. Nónne de illa pari ratione iudicabitur, quæ virginitatem antè professa, postmodum pœnitens, fruendæ voluptatis gratia mortali se viro immunda coniunxit? Et si dixerit oportet me viro coniungi in matrimonium, quemadmodum oportebat filium hominis tradi, verùm væ illi per quem illa sponsi fœdera transgressa, suam impleuerit impura libidinem: vtilius fuerat (audeo dicere) homini illi non esse natum, quàm socium tanti in Dominũ flagitij damnari. Non audis, quoniam qui dimissam duxerit, mœchatur. Etsi enim, inquit, pro culpa dimissa est, viuit tamẽ vir eius. Quid ergo dimissam perturbas? cur illi spacium non das, vt & de his agat pœnitentiam, quorum gratia dimissa est, & vir à se dimissæ pœnam, emendationemq; miseratus, ad se rursus proprium reuocet membrum? Quid emendandi se spacium præripis viuente viro sic dimissam ducens? Permitte aut ad viuentem virum remeare meliorem factam mulierem, aut certè cùm neq; vidua, neq; vxor sit, pro remissione culpæ quæ peccauit in virum, semper pœnas dare. Tu cur antequam peccatum suum, pro quo dimissa est, planè intelligere possit, eam ad coniugium rapiens, impudentiorem ad scelera deinceps facis? Nempè viuente viro alienã adulteras coniugem, facilemq; illi ad nequitiam reditum per connubium pandis. Si autem qui dimissam à mortali viro ducit, adulter atq; impius est, qui immortalis viri sponsam nunquam dimissam violare præsumit, multò profectò funestior adulter atq; impius erit.

Matth.26.

Matth.19.

Hæc aduersus Martinos Basilius, ac plura etiam, nisi quòd longum esset omnia adscribere, quæ ideò pluribus verbis in hunc locum transcribenda duximus, vt quæ fuerit sanctorũ Patrum de incœstis eiusmodi nuptijs sententia, cunctis constaret: simul illud planum omnibus fieri posset, non primum fuisse Pighium, qui tolerabilius esse peccatum dixerit, voto obligatum ex infirmitate carnis cadere, quàm nuptias contrahere: cùm hoc expressis verbis à Basilio dictum videamus, qui maius esse scelus dicit, negationem virginitatis, nuptiasq; cõtractas, quàm lapsum virginis. Editæ sunt nuper Venetijs 24. homiliæ Basilij: inter quas, quę quartum locum obtinet, eiusdem ferè argumẽti est. Nam cùm vxorem duxisset Monachus quidam, vocat id adulterium, & ad pœnitentiam inuitat. Quanquam orationes hæ non esse Basilij sic scriptæ videntur: sed ex Basilij scriptis per Simonem magistrum sacri Palatij Quæ-

Interrogatione 14. storẽ in vnum congestæ. Extat etiam liber quarundam regularum fusius explicatarum, in quarum vna sic ille loquitur: Qui seipsum semel Deo deuouit, hic, si ad aliud deinde vitæ genus transierit, sacrilegij se scelere obstrinxit: quippe, qui seipsum Deo, cui se consecrauerat,

In Epist. 3. Canonica ad Amphilochiũ Cano. 60. veluti subterfuratus sit. Porrò huiusce modi hominibus rationi quidem consentaneum fuerit, vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ: ne si prætereuntes quidem eare modo, vt recto recipiantur, ad ipsos diuerterint. Perspicua est enim regula Apostoli, qua iubemur nos subtrahere ab omni inordinato, neq; vllo modo cum illo commisceri, vt cõfundatur. Extat etiam eiusdem canon, qui sic habet: Quæ virginitatem professa à voto suo ac professione ipsa est, peccati adulterij tempus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in ijs, qui vi-

Chrysost. epist. 6. ad Theodorum monachum. tam monasticam profitentur, & labuntur. Sed Ioannem quoq; Chrysostomum eadem de re differentẽ audiamus: Bonum, quidẽ inquit, nuptias & ipse confiteor. Honorabiles nuptię & cubile immaculatum, fornicatores aũt & adulteros iudicat Deus. Sed te iam seruare nõ conuenit priuilegia nuptiarum, Angelorum enim societate semel iunctum, illud relinquere, &

Heb.13. vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere est: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior ac melior mortalibus Angelus. Neq; vllus tibi fortè persuaserit, dicens, nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit: verùm in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod abſit, nuptias cogitare. Et quid mirum si nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? maius

Num.29. 1.Reg.15.&16. longè audies. Homicida iustorum laude donatur: & misericors, plusquam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iustitiam reputatum est, q, impudicum cum turpi fœmina virum vno gladio percussisset: Saulem autem Samuel sanctus Dei, in luctibus, lachrymis, precibusq; pernoctans, damnatione, cui illum addixerat Deus, liberare non potuit, quando hostium duci, quem debuerat trucidare, inuito parcendum credidit Deo. Cùm hæc ita sint, stupere desiste, si nuptæ peiores adulterio iudicantur, quoties Christus offenditur. Hæc Chrysostomus ad Theodorum scribens, qui Monachus cùm esset, cuidã se fœminæ copulauerat, quam copulam, Matrimonium videri voluit. Sed idem posteaq; hãc legit epistolam Chrysostomi, nuptijs vale dixit, deq; suo peccato





pœnitentiam egit, quemadmodum à Zosomeno scriptum est: Et reperitur etiam in actis sanctæ Synodi, quæ nuper est edita. Et habetur in bibliotheca Vaticana epistola, qua Chrysostomo respondet, deq; admonitione gratias agit. Sic Theophylactus quoque: Virgo consecrata, inquit, si nupserit, mœchum sponso suo superinducit. Sic Apostolus Matthæus apud Abdiam, cùm de laudibus Matrimonij multa dixisset, tandem conuersus ad Hirtacum Regem, qui cupiebat virginem à se velatam Iphigeniam vxorem ducere: Si hodie, inquit, desponsatam Regi, seruus Regis vsurpare audeat: non solùm offensam, sed etiam crimen tam grande incurrisse dignoscitur, vt meritò viuens tradatur flammarum incendijs: non ideò quidem quia duxerit vxorem, sed quia sponsam sui Regis accepit. Ita etiam tu fili, sciens Iphigeniam filiam Regis decessoris tui, sponsam Regis cœlestis effectam, & sacro velamine consecratam esse, quomodo quæso poteris sponsam potentioris tollere, & eam tuo Matrimonio copulare? De Paulo quoque scribit Epiphanius, quòd cùm in eum Thecla incidisset, eam à nuptijs exoluit, cum sponsum haberet formosissimum primarium vrbis, valdè diuitem, generosissimumq; ac illustrissimum in vita. Et contemnit, inquit, sancta illa terrena, vt cœlestium potens fiat. Quod autem de Theodoro Chrysostomus, & ante eum de alio quodam monacho scripserat Basilius, idem factum fuisse de quodam alio scribit, qui vixit eodẽ seculo, Bachiarius. Qui cùm vitium attulisset moniali cuidam, ob illud flagitium ita fuerat ab Ecclesia reiectus, vt Ianuarius ad quem extãt aliquot Augustini epistolæ, ne in pœnitentium quidem ordinem eum recipere vellet: cui non defuerunt qui suaderent, vt de venia desperans, crimen illud nuptijs emendaret. Coniugium enim religiosi nominis esse vocabulum, quoniam Deo auctore sit concessum. Porrò Bachiarius cum reprehendisset Ianuarium, quòd pœnitentem lapsum non reciperet: Iam verò, inquit, illud quale est, quod à quibusdam audiuimus dici, vt illa & ille qui criminis peccatiq; consortes sunt, velut in matrimonio, coniugio iungantur? Absit hoc à Christi oris eloquio. Serpentis ista suggestio est, vt illius quem occidit etiam cadauer absumat. Nónne simile est, si quis percussus grauiter extremo anhelat in fine, & hunc terrenus medicus si fortè visitauerit, quia non posse viuere suspicetur, iubeat occidi? Simile est sine dubio quod dicitur: Inuentus est frater aut soror concupiscentiæ telo grauiter vulneratus: huic cùm ipsius nuptiæ suadentur, quid aliud dicitur, nisi, Occidatur, quia viuere aut euadere non poterit de hac plaga? Nescis fortasse quę pœna manet desperantem? Ille nuncius Saulis mortis cùm ad Dauidem venisset, & referret ei, inimicum suum esse prostratum: Dauid causam mortis inquirens, audiuit ab eo, quia ipse nuncius illum suo gladio peremit, addens & dicens: Quia videbam, quod iactu illati in stibus, desperasset esse victurum, & eum sublata spei fiducia iugulasset. Et nonnullis interfectis. Ne, quæso, te persuadeat, quisquis ille dicat tibi vt scelus hoc in coniugium vertas, ac de crimine matrimonium voces. Nolo offensam Dei prouoces atque multiplices. Si etiam id vocatur in culpam, quia furtiuè ac cum timore persuasit tibi inimicus, quomodo merebaris veniam, qui velut insultans Deo, & eius iudicio, publicè tibi cœperis illam vxorem vendicare? Et iterum post pauca: legisti credo, Irascimini & nolite peccare. Sic & tu irascere peccatis tuis, & vltra non pecces. Præueni vltricis gehennæ seuera tormenta, & ipse tibi tortor existe: vt cùm venerit nihil inueniat, quod in te possit punire inimicus. Si venerit passionis occasio, memento qualiter tibi sub Regis tui præsentia dimicandum sit, vt culpam emendare possis desertoris & refugi. Si verò forsitan defuerit huius felicitatis occasio, ipse tibi in te tuus esse poteris persequutor: vt sicut Apostolus dixit, per omnem mortem constituas te Deo. Ingredere monasterij tui carcerem, & tenebras solitudinis, quibus ad lucem perditam reuocaris, exquire. Sit tibi fames pro gula: sitis pro flamma: vt manu carnificis vo luntatis per abstinentiæ pœnam, costarum compago, nudata visceribus sit, & pro supplicio ignis, internas ossium medullas, duræ sitis depascat incendium. Sit tibi vigilia, velut officio rum custodia publicorum, ac sicut catena rigentis ferri, sic duriore consuetudine & lege constrictus, sub imagine martyrij, veniam misericordiæ cœlestis expecta. Eia, eia, quid dubitas? Scalam illam Iacob, vnde delapsus est, dum velis ascendere, adhuc posita nondumq; subtracta est. Et licet in ruina tua omnia membra colliseris, tamen iterum conare ascendere, donec vt cum veneris ad illum gradum vnde cecidisti, fortiter te serues atque custodias. Quia licet lubricus sit omnis ascensus, tamen ille citò vergit ac deijcit in profundum. Hactenus Bachiarius, qui remedium incontinentiæ, & pro tanto scelere satisfactionem, nõ esse nuptias voluit, sicut nunc quidam, sed monasterij perpetuum carcerem.

Sed Augustinus, aiunt, vitæ sanctitate & doctrina istis minimè inferior, nec adulteros vocari vult, qui post votum nupserint, & qui tales diuidant, grauiter peccare asserit. Cuius hęc verba proferuntur non sicut ab illo scripta, sed sicut à Gratiano sunt in decretorum librum relata: qui citat hæc verba ex Augustino de bono coniugali: Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: Ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. Quid si in eo libro scripta non reperiuntur? Quid si ne in libro quidem de bono viduitatis his verbis? Quid si is liber de bono viduitatis Augustini non est, verùm Iuliani potius, quę ad modum annotatum ab Erasmo legimus? Quid si palàm Augustini sententiæ aduersatur locus hic, cuius hæc verba alibi leguntur: Virgo quæ si nuberet, non peccaret, sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Nunquid ipse sibi contradicit Augustinus? nũquid vnius huius quàm omnium aliorum, quàm etiam sua ipsius alio in loco plus valere debet auctoritas? Sed nos tamen dabimus hoc Gratiano, cuiuscunque sit auctoris liber hic, vt parem tamen ac si ab Augustino scriptus esset, auctoritatem & pondus habeat, modò verba illius non truncatim excerpta, sed quò melius cognosci sententia possit, paulò altius repetita diligentius excutiantur. Dixerat is in præcedenti capite: Quæ se non continent,

Zosom. li. 5. c. 2. Eccle. Hist.

In 2. Tomo Concil. Iuorum.

1. Cor. 7.

Abd. de vita Apost. lib. 7.

Obiect. ex August.

27. distinct.

Quidam liber de bono viduitatis, potius Iuliani quàm Aug. est.

In Psalm. 83.

Cap. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca



nubant,antequã continentiam profiteantur,antequam Deo voueant,quod nisi reddant,iu
*1.Tim.5.* re damnantur. Alio quippè loco de talibus dicit:cùm enim in delicijs egerint,in Christo nu
bere volunt,habentes damnationem,quoniam primam fidem irritam fecerunt,id est, vo-
*Matt.9.* luntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt.Irritam quippè fecerunt fidem,
quam prius vouerant, quod perseuerantia implere noluerunt. Mox paucis interiectis in
proximè sequenti capite: Quoniam,inquit,sicut ait Dominus,non omnes capiunt verbum
hoc:quæ potest ergo capere,capiat:quæ se non continet,nubat: quæ non cœpit, deliberet:
quæ aggressa est,perseueret:nulla aduersario detur occasio,nulla Christo subtrahatur obla
*1.Cor.7.* tio.In coniugali quippè vinculo si pudicitia conseruatur,damnatio non timetur.Sed in vi-
duali & virginali continentia muneris amplioris expetitur,qua expetita & electa & voti de-
bito oblata,iam non solùm non capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle
*1.Tim.5.* damnabile est.Nam vt hoc demonstraret Apostolus,non ait,cùm in delicijs egerint in Chri
*Presbyter vel monachus contrahens eut damnatur.* sto nubunt,sed nubere volunt,habentes,inquit,damnationem,quoniam primam fidem ir
ritam fecerunt,etsi non nubendo,tamen volendo, non quia ipsæ nuptiæ, vel talium damnandæ iudicantur,sed damnatur propositi fraus,damnatur fracta voti fides, damnatur nõ
susceptio à bono inferiori,sed ruina ex bono superiori.Postremò damnantur tales,nõ quia
coniugalem fidem posterius inierunt,sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerũt:
Quod vt breuiter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post
amplioris sanctitatis propositum nubunt,non quia non damnentur,sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur:Sed cùm dixisset,nubere volunt, continuò addidit habentes dãnationem,& dixit quare Quoniam primam fidem irritam fecerunt,vt voluntatem, quæ à
*Cap.11.* proposito cecidit,appareat esse damnatam,siue subsequantur nuptiæ,siue desint. At paucis
interiectis:Quapropter non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas fœminas, si
nupserint,adulteria esse,non coniugia:sed planè non dubitauerim dicere,lapsus & ruinas à
castitate sanctiore, quæ vouetur Deo,adulterijs esse peiores.Si enim, quod nullo modo dubitandum est,ad offensionem Christi pertinet,cùm membrum eius fidem non seruat marito, quantò grauius offenditur in eo,quod exigit oblatum, qui nõ exegerat offerendum?
Nunquid autem hæc cuiuscunq; tandem scriptoris verba pro te faciunt? qui falli putat eos,
qui talium nuptias non esse nuptias,sed potius adulteria dicunt,& fieri per opinionem hãc
non paruum malum,vt à maritis separentur vxores.Demus hoc Gratiano, vt quamuis hæc
Iuliani potius,Pelagij sectatoris,contra quem scripsit Augustinus, quàm Augustini censeri
possint,non minus tamen auctoritatis habere patiamur, quàm si citra dubitationem vllam
ab ipso Augustino essent prolata.Da tu vicissim eidem Gratiano, quem toties in libro tuo
testem citas,vt quo ille sensu hæc dixisse vult Augustinum,eo accipi velis,& erit omnis con
*Dist.17. Presby.* trouersia sublata.Sic autem prolatis in vtramq; partem auctoritatibus nonnullis loquitur
Gratianus:Hic distinguendum est,quod vouentium alij sunt simpliciter vouentes, de quibus Augustinus & Theodorus loquuti sunt: alij sunt, quibus post votum benedictio accedit consecrationis,vel propositum religionis,de quibus Hieronymus, Nicolaus, & Calix-
*Li.4.sent.dist.38. cap.1.* tus scripserunt. Neque verò solus Gratianus, verùm & Petrus Lombardus, quem omnis
posteà Theologorum est schola sequuta. & æqualis eius qui diligens fuit Augustini sectator,vt sui seculi Augustinus vocaretur,Hugo de S.Victore amborũ horum æquales. Hoc
*Votum duplex,simplex & solemne.* inter simplex siue priuatum,& solemne votum discrimen posuerunt, vt hoc matrimonium contractum dirimeret,illud verò non. Vides igitur,quòd qua tu vis ex parte,nihil hæc
verba pro te faciunt? Vbi verò dicitur,lapsus & ruinas eiusmodi esse adulterijs peiores, apertè Pighij sententia confirmatur.In quem dum tu facis impetum, clarissima Dei ciuitatis lumina,sub illius nomine lacerare,& quæ sectari fideliter debebas, eanon dubitas hostiliter insectari,dum non contentus cum Philippo turpem hanc esse Pighij orationem dicere,minus malum esse si fornicetur alligatus voto continentiæ, quàm si nuptias contrahat,
blasphemam insuper vocas:Scilicet,blasphemi sunt Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius,
Augustinus,Basilius,Chrysostomus,de quibus non doctrinę magis,quàm sanctimonię tam
excellens est apud omnes opinio, quàm latè patet orbis Christianus? His tu talibus viris ore blasphemo tam horribile crimen obijcere audes ? Fortasse vim vocis huius ignoras? Si
scholam Xenocratis,sicut Polemo,ex antelucano conuiuio temulentus intrasses, non tanta,quanta in isto cœtu tot sanctorum deberes verecundia coërceri. Hic enim certè tantò
maior debet esse verecundia,quantò verior addiscitur sapientia.Tantò amplius reuerendi
sunt tot venerabilium Episcoporum,quam vnius Xenocratis vultus,quantò Platone Xenocratis doctore,doctor istorum maior est Christus. Nunc tu vide, quam illis reuerentiam
tribuas,qui non tam antelucano conuiuio temulentus, quàm insano conuicio turbulentus eos blasphemos vocare non vereris,in quibus Christum ipsum loqui,dubitandum non
*Nuptiæ sacerdotum & Monachorũ peiores adulterijs sunt.* est. Neque enim Pighij,verùm istorum est, quàm tu blasphemam vocas,sententia,qui iam
inde à mille & amplius annis pro columnis Ecclesiæ sunt habiti : ipsi sunt qui nuptias, eorum,qui continentiæ voto sunt alligati,& adulteria vocant, & adulterijs esse peiores affirmant.
*Peccatum deliberatum grauius quam casuale.* Quis autem est qui non grauius esse crimen iudicet adulterij,quàm fornicationis ? Sed
fac vtrunq; esse adulterium,siue ducat vxorem alligatus voto continentiæ,siue fornicetur.
Nunquid non grauius est quod quis ex proposito,data;q; opera committit,quàm in quod ex
humana sit infirmitate prolapsus?Nunquid quod perpetuum,quàm quod intermittitur tamen,magis flagitiosum non est? Non sumus hi,qui Sacerdotum & Monachorum incontinentiæ patrocinari velimus.Procul à nobis absit hæc tam impura cogitatio:Quin eos disciplina seueriore iuxtà sanctorum Canonum sanctiones coërcendos esse censemus. Quæ
quidem disciplina,per istud nuper natum Euangelium sic est multis in locis abolita, vix vt





vllum iam illius vestigium appareat. Quamobrem clara voce pronunciamus, ingens esse
flagitium & graui animaduersione puniendum, fornicationes & concubinatus Sacerdotum & Monachorum:Sed interea tamen,non possumus Augustini,Basilij, Chrysostomi,ac
aliorum sanctorum Doctorum sententias non probare,qui nuptias istorum esse multò sceleratiores affirmant.Nam qui peccat ex prolapsione carnis, agnoscit persæpè peccatum su- *Ezech.18.*
um,& eius admissi pœnitet,quo fit,vt à patre misericordiarum,qui non vult mortem pec- *Esaiæ 3.*
catoris,sed magis vt conuertatur & viuat,facilius misericordiam impetrare possit. At qui
ducit vxorem, tantùm abest,vt se peccasse confiteatur, vt aliquem ex eo dolorem animo
concipiat,vt etiam tanquam Sodoma prædicet peccatum suum,vt glorietur in malitia qui *Psalm.51.*
potens est in iniquitate,vt virtutis etiam nomine palliare conetur. Nisi fortè non palliat sum flagitium virtutis nomine,qui,quòd præclara illa ciuitatis Dei lumina non modo adul- *Esaiæ 5.*
teriũ,verùm & incestum & sacrilegium appellarunt,id honorabile connubium & thorum
immaculatum dicere non pertimescunt. Quid est hoc aliud,quàm cum his,quibus Prophe- *Matt.22.*
ta væ sempiternum comminatur,dicere malum bonum,& ponere tenebras lucem ? Quid
est hoc aliud,quàm in spiritum sanctum peccare, quod peccatum etiam ipse Christus tam
graue esse dicit,vt nec in hoc,nec in futuro seculo remittatur. Sed excutiamus adhuc rem
diligentius.

Quærunt quid mali sit in nuptijs,quibus ipse Christus etiam interesse, & eas primo edi- *Bonæ res malæ fiũt, si non rite fiant.*
to miraculo honestare dignatus est,quibus tot tam præclara Paulus tribuit elogia? Vicissim
ab eis quæramus licet:Quid est mali in salutando?cùm hic communis vsus sit gratiæ, & ta- *Luc.10.*
men dixit Christus:Neminem salutaueritis in via. Non hic salutationis officium & sedulido diuina mandantur,paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, sed pulchrior *Lib.7.in Lucam.*
quo maturior diuinorum exequutio,quæ per moram sæpè traxit offensam. Ideò autem & *Salutare in via curprohibuit Christus.*
honesta prohibentur,ne solennis gratia obrepat officij,& impediat ministerium,cuius mora culpa sit:Quod de salutatiõe dixit Ambrosius,hoc totidem verbis de nuptijs dici potest.
De quibus ita loquitur Augustinus:Si licet,& bonum est nubere,cur sacerdotibus non licet *Aug.de quæstionib. noui & veteri testamen.quæst.vltima.*
vxores habere?id est,vt ordinatis iam non liceat conuenire ? Quis nesciat vnumquodq; suã
legem habere?est enim quod omninò generaliter omnibus non licet,est item quod alijs licet,& alijs non licet,& est quod aliquando licet,& aliquando non licet. Fornicari omnibus
semper non licet:negociari verò aliquando licet,aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis fit,licet ei negociari:facto iam,non licet.Et Christiano cum vxore sua conuenire aliquando licet,aliquando verò non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet conuenire:quia etiam à licitis abstinendum est, vt facilius impetrari possit qđ
postulatur.Vnde Apost.Ex consensu,ait,abstinendum ad tempus,vt vacetur orationi.Nam *Dei causæ et negotia omnibus præferẽda 2.Cor.5.*
secundum legem in ieiunio cædi & iurgari non licet, posteà licet:quia maior reuerentia debetur Dei causis.Nunquid omne,quod ante cæteros licet,ante Imperatorem licet? Quantò
magis in Dei causis ? Ac per hoc Antistitem eius puriorem cæteris esse oportet, ipsius enim
personam habere videtur:est enim vicarius eius,vt quod cæteris licet : illi non liceat : quia necesse habet quotidie Christi vicem agere,aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.
Et non solùm huic concubitus non licet,verumetiam & ministro eius: quia ipse mundior
debet esse,quia sancta sunt,quæ ministrat.Nam sicut ad comparationem lucernæ,tenebræ
non tantùm obscuræ,sed etiam sordidæ sunt,ad comparationem autem stellarum,lucerna
caligo est:ad Solis verò comparationem stellæ nebulosæ sunt:ad Dei autem claritatem, Sol
nox est:Ita & quæ ad nos & licita & munda sunt,ad Dei dignitatem quasi illicita & immunda sunt:quanquam enim bona sunt,Dei tamen personæ non competunt.Nunquid non tu-
nica mediocris hominis,quamuis munda,Imperatori tamen sordida & illicita est. Ac per
hoc Antistites Dei puriores esse debent,quàm cæteri : quia & Christi habent personam,& *Epi.84.ad Anastasium Thessalon.*
ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim Imperatori ministrat,nisi vestimentis
claris & mũdis indutus: Deus autem quia natura clarissimus est,ministros eius natura ma- *Epiſcopum ca.3.*
gis,quàm vestibus mundos esse oportet.Hæc ille. Quem sequutus Leo Pontifex:Qui ordinandus,inquit,est,non sit secundæ coniugis maritus,aut,qui vel vnam quidem habeat,Sacerdotum enim tam excellens est electio:vt hæc quæ in alijs Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam,in illis tamen habeantur illicita.

Quæramus adhuc ex illis,quid mali fuit in arca sustentanda,quæ minari ruinam visa est: *2.Reg.16.*
an non pietatis id potius videri poterat?& tamen qui sustentauerat,Oza indignante Domino miraculo mulctatus est.Sic quod natura sua pium erat,ratione personæ factum est impium. Quid *Peccatum sit,si fiat ab eo, à quo non oportet.*
mali est in adolendo incenso?Certè scribens ad Demophilum Dionysius, nihil inconueniẽs *Epist.8.*
fecisse Regem existimat,& tamen qui facere id aggressus erat Ozias Rex,cùm quod Sacerdotum munus erat proprium,id vsurpare sibi conaretur,lepra percussus moritur. Quid ma- *2.Par.26.*
li est in sacrificando ? Proprius hic est Dei cultus, & illi soli debitus : Chore tamen, Da- *Num.16.*
than, & Abiron, cùm id facere seorsum tentassent, dirupta est terra sub pedibus eorum,
& aperiens os suum deuorauit eos cum tabernaculis suis,& vniuersa substantia eorum,descenderunt;q; viui in infernum operti humo : quin & ignis egressus à Domino interfecit
ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Qua de re sic aliquando scripsit
Basilius : Fieri potest, vt sit aliquid propria sua ratione, & voluntas Dei,& bonum : quan- *Basilius in Reg.fusius tract.q.176.*
do verò præter personæ vel temporis rationem vsurpatur,iam Deo acceptum non sit. Vt
exempli gratia : Voluntas Dei erat,& bonum erat,incensum offerre Deo : Verùm accepto illi non erat,cùm fieret à Dathan & Abiron. Nihil igitur in arca sustentanda, nihil in
adolendo incenso, nihil in sacrificando mali fuit, sed quoniam non ab his fiebat, à quibus factum oportuit,quoniam in diuisione fiebat,quæ per se bona,quæ sancta fuit res, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca



non bene facta est, malè facta est, & in perniciem cessit his, à quibus fiebat. Sic & nuptiæ bonæ sunt, sed bonum quoque malum fit, si non benè fiat, si fiat ab his, à quibus fieri non oportet. Quòd si verum est, quod à Gregorio scriptum legitur, quòd peccata carnalia, maioris quidem infamiæ, sed minoris culpæ sunt, quàm spiritualia, quod adeò verum esse credit Augustinus, vt audeat dicere, quod superbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Qui docet etiam alio loco, propterea non penitus extingui Deum in carne continentium sanctorum voluisse concupiscentiam: vt in ista humana miseria peior hostis caueri posset superbia: & dum pugnatur aduersus eam, periculorum suorum admoneatur, ne securus infletur. Quod pluribus etiam verbis prosequitur Angelomus in suis commentarijs in lib. Regum, vbi de casu Dauidis loquitur. Et eum secutus Bernardus, super Missus est. Chrysostomus autem inuidum scortatore, fure, homicida deteriorem esse scribit: Qui dicit etiam alio loco, quod multò magis, inuidus quàm fornicator à cœtu fidelium, exterminandus est. Et iterum alio loco: Quod gloriæ seruus non minus peccat quàm fornicator, imò longè plura & grauiora committit. Et iterum alio loco: Quod longè magis polluit hominem superbia quàm non modò fornicatio, verumetiam ipsum adulterium. Gregorius quoque Nissenus: Simulatorem & inuidum furioso & iracundo tantò deteriorem esse dicit, quantò occultum malum aperto atrocius est. Super illud Beati pacifici: quis dubitabit affirmare plus in nuptijs eorum esse culpæ, qui voto continentiæ sunt alligati, quàm in fornicatione? Hoc enim carnis tantum est vitiũ: ibi verò carnis vitio simul adiunctum est illud, quod è spiritus vitijs vnum est omnium grauissimũ nimirũ arrogantia: Siquidem abominatio Domino est omnis arrogans. Quæ maior autem esse potest arrogantia, quàm si quis hoc ipse sibi tribuat, vt se plus intelligere putet, quàm omnes omnium ætatum homines, qui fuerunt ex eo tempore, quo Christus homo fieri dignatus est, quibus visum est vnanimiter omnibus, neque licere sacerdotibus vxores ducere, neque deesse alia præter nuptias incontinentiæ remedia? Hæc arrogantia vna omniũ maximè est Deo abominabilis, hæc primum hominem de Paradiso deiecit: neque enim gustando pomo grauissimè peccauerat, sed in hoc erat crimen maximum, quod contra Dei præceptum venerat, quòd esse sicut Deus volebat, quòd serpentis consilium sequutus, quid è re sua foret, sc melius quàm Deum intelligere sibi persuadebat. Hæc Luciferum quoque de cœlo deturbauit. Neque enim ob scortationem, aut adulterium, aut furtum deiectus est de cœlo, sed superbia illum inde præcipitauit infra ipsam abyssum, cuius hæc verba sunt: Ascendam, & ponam solium è regione Dei, & ero æqualis altissimo. Et ob hæc verba deiectus est, inquit Athanasius, ignisq; æternis eius hæreditas & portio factus est. Hæc est quæ schismata semper generauit & nunc generat. Huius fons est cæcus amor sui, quando quis ita se, ita sua idola, hoc est, cõmenta suarum opinionum amat, ita sibijpsi placet, vt contemptis patrum sancto rum theorematibus, sua illis theoremata non dubitanter anteponat. Hinc hæreses & schismata oriri Petrus etiam indicat, cùm dicit eos esse maximè cruciandos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; siue potestatem contemnunt, audaces, inquit, sibi placentes, sectas non metuunt introducere. Cùm enim sibi placeant, cùm adeò seipsos ament, vt nihil nisi quod ipsi sentiunt rectum esse putent, ita fiunt in sententia sua pertinaces & præfracti, vt ab eo quod semel in animum induxerunt, nulla ratione deduci posse videatur. Hinc existunt posteà sectæ: Sequuntur enim qui sunt hoc ingenio præditi, non quod vniuersæ Ecclesiæ, sed quod suo capiti videtur. Hinc ædificatur Babylon, quam ædificat, sicut ab Augustino scriptum est, amor sui. Nam dum quisque opinionem suam solitariam amat, & eam tuetur mordicus, nec dimoueri se de ea patitur, fit Babylon: fit confusio linguarum & opinionum tanta, quantã nunc videre licet in ea Babylone, cuius primus architectus fuit Lutherus. Quando igitur quæritur, plus ne vitij sit in nuptijs, an in fornicatione voto continentiæ alligatorum, illud in quæstionem venire videtur, maior ne sit schismatis, an fornicationis culpa: neque dubitandum est, quin multò maior sit in schismate: quod Cyprianus tam graue crimen esse scribit, vt ne sanguine quidem expietur. Dauid adulterio iunxit homicidium, vtrunque tamen crimen remissum est illi, simul vt confessus est: De Chore, Dathan, & Abiron, nihil eius generis cõmemoratur, nullius criminis affines fuisse leguntur, quin vt scribit idem Cyprianus, eundem cum sacerdote Aaron & Mose Deum nouerãt, pari lege & religione viuentes, vnum & verum Deum, qui colendus, atque inuocandus fuerat, inuocabant, ob hoc solum facinus, quòd seorsum sacrificabant, quodq; loci sui ministerium transgressi, contra sacerdotem Aaron & Mosen insurgentes, se ab illis segregauerant, diuinitus percussi, pœnas statim pro illicitis conatibus pependerunt. Itaq; quod olim Donatistis dixit Augustinus: Non in sacramentis, sed in præcisione vitium est, hoc & nos istis rectè dicere possumus: non tantùm in nuptijs voto continentiæ alligatorũ, quantum in separatione crimen esse, quando quis seipsum separat à Christo: Separat autem seipsum à Christo, quisquis ab eius corpore, quæ est Ecclesia, se segregat. Etenim totus Christus, quemadmodum ab eodem Augustino scriptum legimus, caput & corpus est. Caput est vnigenitus Dei filius, corpus eius Ecclesia: sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus: Quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christus testificatione dissentiunt. Verbi gratia: Qui non credunt Christum in carne venisse de virgine Maria ex semine Dauid, quod apertissime scriptura Dei loquitur, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, etiam si per omnes terras inueniantur, per quas est Ecclesia, non vtique sunt in Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiæ non tenent, quod est Christus Iesus: nec in aliqua diuinarum scriptura-

*Lib.33.c.11.moral.* Nota.
*Superbis continentibus cadere expedit.*
*Aug. cont. Iulianũ lib.4.c.2.*
*Aug.ser.52.de verbis Domini.*
*Serm.1.*
*Hom. 41. in Matt.*
*Hom. 27. in Ioan.*
*Hom.15 in Ioan.*
*Chryso.hom.36. in Ioan.lib.2.*
*Pro.16.*
*Greg.Nissenus.*
*Gen.3.*
*Arrogantia crimen grauissimum.*
*Esaiæ 14.*
*Aiba.in li.de virg.*
*Amor sui quid efficiat.*
*2.Pet.2.*
*Aug.li.14.de ciuit. Dei,cap.vlt.*
*Schisma crimen grauissimum.*
*Cyp.de vnitat.eccl.*
*2.Reg.11.*
*Num.16.*
*Idem li.1.c.6.*
*Aug.cont.epi.Parmeniani li.2.ca.13.*
*Idem de vnit. eccl. cap.4.*
*Eph.5.*



pturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimonijs contradicunt: Item quicunq; credunt quidem quòd Christus Iesus, ita, vt dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est, resurrexerit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnum & incommutabile verbum patris, per quod facta sunt omnia, sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quacunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestùm est eos non esse in Ecclesia.

Ex his Augustini verbis discimus, quod quisquis vnitati Ecclesiæ non communicat, Christo non communicat: quòd à Christo se separat, quisquis ab eius corpore sancta catholica Ecclesia se separat. Nunquid autem is communicat vnitati Ecclesiæ, qui, quod vno ore affirmant omnes iam indè à mille quingentis annis, continentiæ voto alligatis, nuptias contrahere fas non esse, contra id venire, & cõtrarium asserere audet. Nunquid non apertè à Christi corpore se præcidit, qui quod tam constanter Christi membra sancti Catholici & Orthodoxi doctores omnes tot seculis docuerunt, id oppugnare non dubitat? Digna sunt notatu verba, quæ leguntur apud Ambrosium: cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his Christo exhiberi fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusq; distrahitur. Est non nemo, qui propterea minus peccare putat sacerdotem si ducat vxorem, quòd non in aliud peccet, quàm in legem Ecclesiæ. Et citatur Augustinus, qui dixerit, Gratiano referente: Copulam sacerdotalem vel consanguineorum nec legali, nec Euangelica, vel Apostolica auctoritate prohiberi: cùm tamen neq; scripserit hoc alicubi Augustinus, neque ex Augustini, verùm ex sua ipsius sententia hæc verba proferat Gratianus. Sed nos, si quis dixerit Ecclesiastica lege copulam sacerdotalem interdici, cum eo tria verba non commutabimus. Nunquid autem qui contra legem eiusmodi venit, ideò minus peccat, quia non in aliud, quàm in Ecclesiæ legem peccat? Vis audire quantum committat flagitium? Audi non Augustinum, non Hieronymum, non hominum quemquam, sed ipsum Deum & hominem Christum, huius peccati grauitatem demonstrantem. Si non audierit, inquit, Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Nunquid leue tibi videtur crimen ethnicum esse: nunquid non multò grauius quàm fornicatorem aut adulterum esse? Quid est autem Ethnicum esse, nisi infidelem esse? in Christum non credere? Potest autem extra Christum spes esse salutis vlla? Certè peccatum infidelitatis tantum esse vult Augustinus, vt sub hoc vno, quasi generali nomine, putet peccata omnia cõtineri. Et sicut cùm dicimus, Apostolus, etiam si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur tamen nisi Paulus, ita cùm dicimus, peccatum, etiamsi non exprimatur quod peccatum, non intelligitur nisi infidelitatis. Quod etiam illa Christi verba videntur indicare, cùm dicit de Spiritu sancto: Ipse arguet mundum de peccato. Ac mox quasi exponens: de peccato quidẽ, quòd non crediderunt in me. Itaq; tantùm esse crimen infidelitatis vult Augustinus, vt etiã quæ bona videntur opera, si fiãt ab infideli, peccata esse doceat, quòd omnis infidelium vita peccatum sit.

*Ecclesiæ vnitate nõ cõmunicans, Christo non communicat.*
*In oratione de obitu fratris.*
*29.quæst.2. Sors.*
*Matt.18.*
*Ethnicũ esse quid. Aug.tract. 89. in Ioan.*
*Contra duas epist. Pelagianorum li.3. cap.3.*
*Peccatum infidelitatis omnia reliqua in se includit. Ioan.16.*
*Lib.4.cont. Iulia. Cap.3.*
*Hæresis crimenum grauissimum.*
*Eras. ad fratres inferioris Germaniæ.*

Quod cùm ita sit, cùm Ecclesiam non audire, sit ethnicum & infidelem esse, nunquid esse duo tam cuiquam poterit, quin multò sit flagitium grauius, in Ecclesiæ contemptum continentiæ voto alligatis nubere quam vri? Certè nullum est vitium hæresi schismate infelicitate deterius. Congerantur, inquit Erasmus, in vnum sacerdotem luxus, libido, ambitio, auaritia & si quid præterea criminum est, omnem hãc vitiorum lernam vna superat hæresis. Eadem est & schismatis, & infidelitatis ratio. Sed hac de re, cùm de traditionibus humanis agemus, dicendi locus erit vberior. Nunc illud scire sufficiat, honorabile connubium & thorum immaculatum, nos cum Paulo prædicare: sed Ecclesiæ contemptum, sed schisma, sed infidelitatem siue ethnicismum execrari. Quare, quicunq; non ita credit sanctam catholicam Ecclesiam, vt eam tanquàm parentem audiendam, vt eius legibus tanquàm à Spiritu sancto latis obtemperandum esse putet, schismaticus est, hæreticus est, ethnicus est, & publicanus. Nec est quòd existimet, non in aliud se peccare quàm in legem Ecclesiæ peccatur in Christum ipsum. Neq; enim sponsus à sponsa sua, neq; caput à corpore suo diuiungitur. Qui vos audit, dicit Christus, me audit: qui vos spernit, me spernit. A Christo itaq; separatur, quisquis ab eius corpore separatur, & quantumlibet laudabiliter viuere se existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate diiunctus est, non habebit vitam, ait Augustinus, sed ira Dei manet super eum: contrà, qui permanet in Ecclesiæ vnitate, quamlibet grauibus sit flagitijs coopertus, quacunq; tamen hora ingemuerit, nihil est quòd dubitet, quin posteaquam ex animo patratorum criminum eum pœnituerit, remissionem peccatorum consequutus, ad vitam peruenire possit æternam. Neq; enim est alibi remissio peccatorum, & æternæ vitæ consequendæ spes, quàm in ea, quæ corpus est Christi, sancta catholica Ecclesia. Quod pluribus etiã verbis demonstrare conatur Fulgentius in eo libro, quem scripsit de remissione peccatorum.

*Lib.5.c.19. & seq.*

## *De ijs, quæ restant ex symbolo, Peccatorum remissione, Carnis resurrectione, & vita æterna.*

## CAP. LVII.

ATque hæc est causa quamobrem in symbolo, posteaquam credere nos professi sumus, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, mox subiungimus, peccatorum remissionem, carnis resurrectionem & vitam æternam. Nulla est vitæ æternæ spes, nisi remissis peccatis, sine quibus nemo nascitur

*Apoc.21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ser. de verb. Dom. 12.*

tur mortalium: Quibus cùm inquinetur anima (nihil autem coinquinatum intrare possit in illam ciuitatem, in qua est vita æterna) necesse est inquinamentis eiusmodi mundari per peccatorũ remissionem, quam assequi non licet nisi in sancta catholica Ecclesia, idq; per sanctorum, hoc est sacramentorum communionem. Qua de re sic ab Augustino scriptum legimus: Potest esse visibilis forma palmitis, etiam præter vitem, sed inuisibilis vita radicis haberi non potest, nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta quæ portant & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis. Virtus enim pietatis inuisibilis & spiritualis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensum non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. Quę cum ita sint, remissio peccatorum, quoniam non datur nisi in spiritu sancto, in illa Ecclesia tantummodo dari potest, quæ habet spiritum sanctum. Remissis autem peccatis, non est dubitandum homini Christiano, quin sit compos futurus vitæ æternæ. Cùm certè dictum sit ab Ambrosio: Vita æterna remissio peccatorum est. Atque hic est scopus ad quem omnes tendimus: hic est finis, propter quem omnia illa credimus, quæ sunt in hoc libro commemorata. Quoniam verò totum Deus hominem saluandum suscepit, constat autem homo ex anima & corpore, ex eo factũ est, vt carnis prius, hoc est corporum resurrectionem, posteriore verò loco vitam æternam nos credere profiteamur. Quæ carnis resurrectio cùm in Christo præcesserit, licet sperare corpori, quod præcesserit in capite. Caput Ecclesiæ Christus est, Christi corpus Ecclesia: caput nostrum surrexit, in cœlum ascendit, vbi caput, illic & membra. Carnis autem nomine, corpus humanum: resurrectionis reuiuiscentia intelligitur, de qua nemini Christiano dubitandum est: quandoquidem, vt à Ioanne Chrysostomo scriptum est: qui docendus est, esse resurrectionem, is profectò non est Christianus. Quamobrem inconcussa fide tenenda est: Cuius fidei magna est vtilitas. Nam & pijs in hoc mundo afflictis præcipuum solatium, & impijs terrorem adfert: qui sine modo in omnia collaberentur vitia, si post hanc vitam non sua cuiusque factis merces tribueretur. Præclarè Cyrillus Hierosolymitanus, Radix omnis bonæ operationis, est resurrectionis spes. Nam expectatio retributionis attrahit mentem hominis ad benè operandum. Paratus est enim omnis operarius ad perferendos labores, cùm perspexerit laborum suorum mercede se fraudatum non iri. Quem secutus auctor operis imperfecti: Tolle, inquit, spem resurrectionis, & soluta est omnis obseruantia pietatis. Hæc est basis totius fidei nostræ, quam solidam esse oportet: quæ si vacillet, reliqua penè frustrà creduntur. Cur autem vacillet causa non est, quandoquidem resurrectionem hanc vel reuiuiscentiam quotidie videmus in seminibus, quæ spargimus in terram, à quorum similitudine probat etiam Paulus carnis resurrectionem. Sic enim loquitur: Sed dicet aliquis, Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient? Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Stultum vocat Paulus eum, qui miretur semel id posse præstare Deum in resuscitandis corporibus, quod quotidie natura facit in eliciendo semine. Tu, inquit, semen aridum aut mortuum conijcis in terram ibi rursus putrefactum interijsse videtur, atque ita demùm exiliens à terra velut renascens & reuiuiscens, nec aliter reuiuiscit granum frumenti, nisi cadens in terram mortuum fuerit, ac alia multò specie renascitur, quam in scrobe conditum fuerat. Pusillum, vile, nigrum, ac siccum granulum infoditur humo: id putrefactum in limo, suo tempore velut reuiuiscens in teneram herbam erumpit, mox culmi, deinde aristæ. At nihil horũ apparebat in illo granulo, quod terræ tradidisti. Sua cuique semini vis inest, ea se profert, vbi rursus emerserit vt iam aliud omninò videatur, cùm idem conspicias, sed renatum in meliorem formam. Ex quantulo grano quantam arborem enatam vides? quod stirpis robur? quæ radicis ambages? quàm latè sparsi rami? quæ pompa frondium? quæ florum amœnitas? quæ fœtuum vbertas? Nihil horum erat cum tu vile illud ac minutum granum insepelires humo: & tamen hæc omnia audebas sperare naturæ viribus fretus, & nõ audes id à Deo sperare, fretus illius omnipotentia? Hac similitudine carnis resurrectionem probat Paulus, quæ euidentior est quàm vt de ea dubitari debeat.

*Peccatorum remissio extra ecclesiam non est.*
*De bono mortis. c. 2*

*Resurrectio carnis spem corroborat.*
*Carnis & resurrectionis nomine quid intelligendum.*
*Chrys. hom. 44. in Ioan. Cathe. vlti.*

*Resurrectio ex mortuis fidei nostræ basis.*

*1. Cor. 15.*
*Resurrectio similitudinis seminis reuiuiscentis probatur.*

*Ioan. 12.*

Est autem duplex resurrectio: Nam procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem iudicij, id est, condemnationis. Quod & Daniel testatus est, dicens: Tunc resurgent qui sunt in terræ puluere, ij quidem in vitam æternam, ij autem in opprobrium & confusionem sempiternam. Vnde Athanasius ita symbolum suum concludit: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem: Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum. In Apostolorum autem symbolo neque ignis, neque opprobrij, neque iudicij fit vlla mentio, sed post carnis resurrectionem mox concluditur, & vitam æternam. Etsi autem animæ impiorum æquè vitam æternam habebunt atque piorum: impiorum tamen immortalitas mors potius æterna, quàm vita æterna in scripturis dicitur. Moriuntur enim vitæ, morti sine fine victuri. Sicut præclarè dictum est ab Eusebio Emisseno. Vnde & Paulus: Stipendia autem peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna. In damnatione nouissima, inquit Augustinus, quamuis homo sentire nõ desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potius appellata quàm vita. Et non ita multò pòst. Ibi, inquit non erunt homines ante mortem, atque post mortem, sed semper in morte ac per hoc nunquam viuentes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Nunquam enim erit homini peius in morte quàm vbi erit mors ipsa sine morte. Et alio loco: Qui torquebuntur in pœnis, vel-

*Resurrectio duplex.*
*Ioan. 5.*
*Dan. 13.*
*Impiorum immortalis mors est perpetua.*
*Rom. 8.*

*Aug. li. 13. de Ciuit. Dei. c. 2. & 11.*
*Idem Serm. 64. de ver. Dom. & serm. 252. de Tempore.*

*Fulg. de remiss. pec. Lib. 2. cap. 13.*

le habent mori & non possunt. Et iterum alio loco: In inferno mors quæritur & non inuenitur.



nitur. Et eum sequutus Fulgentius, Ibi mors animæ corpusq; non moritur: quia cruciatus corporis & animæ non finitur. Hæc quippè erit æterna mors iniquorum, vt in igne non moriantur æterno, ne quandoq; possint carere supplicio. Neq; vnquam in scripturis vita æterna nisi in bonam partem accipitur: in qua quid non sit, quàm quid sit dicere facilius est. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est lassitudo, non est infirmitas, non est fames, non sitis, non æstus, non corruptio, non indigentia, non tristitia. Vis nosse quid ibi sit? Dicit Esaias: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Si in cor hominis nõ ascendit, cor hominis illuc ascendat. Mundetur cor ab omni immunditia, vt possit eum videre, qui est vita æterna. Hæc est autem vita æterna, dicit Dominus, vt cognoscant te solum verũ Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ea cognitio hic incipit per fidem, ibi consummabitur, cùm reuelata facie gloriam Domini speculabimur. Quod vt nobis contingat, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, dicamus omnes, Amen.

*Esaiæ 64.*
*2. Corinth. 3.*
*Ioan. 17.*
*2. Corinth. 3.*

## *De Spe.*

## CAP. LVIII.

*Fidei obiectum.*

PRorrò ad Deum piè colendum non est quòd quisquam existimet solam fidem sufficere. Hæc est enim qua credimus. Credimus autem non modò promissionibus, verumetiam comminationibus Dei. Quoniã verò peccatorum nostrorum nobis conscij sumus, fieri non potest, quin ea nobis timorem incutiant: qui tum salubris est, quando spe misericordiæ sustentatur. Hæc igitur indiuidua fidei comes esse debet. Hæc est enim quæ accipit, quod fides credit. Adeò sunt hæc duo sibi inuicem coniuncta, vt altera sine altera stare non possit. Nam quemadmodum à Chrysostomo præclarè scriptum est, fides gloriam inchoat, spes sustinendo consummat: illa fundamentum ponit, hæc ipsum hominem construit. Illa dat principium, hæc Christianum perducit ad summum. Illa initia credulitatis aggreditur, hæc ad consummationẽ virtutis meditatur. Illa quod promittitur, credit: hæc quod sperat, iam cernit. Videmus nunc, inquit Apostolus, per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nec enim quisquam poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare: Vt enim sine fide non habet firmitatem spes, ita sine ipe fides non habet mercedem: Itaque summam perfectionis esse, dicit Aponius, in Deum sperare. Qui sperat, inquit, ipse credit in Deum: & qui credit omnia quæcunq; promisit, sine impijs pœnam, siue refrigeria iustis reddituro, huic præfecta manet regni cœlestis dulcedo. Hæc est quæ filium prodigum ad pœnitentiam erexit: De hac per Prophetam dicit Dominus: Quoniam speranit in me liberabo eum. De hac scripsit Paulus: Spe salui facti sumus: Hanc vocat galeam salutis: quòd quemadmodum galea præcipuum corporis nostri membrum tuetur & conseruat, dum caput circũdat & vndiq; tegit: ita & spes cogitationem nostram non sinit concidere, sed capitis instar erigit, nihil extraneum in illam incidere permittens. Hanc alibi comparat anchoræ, & sicut anchora iacta de naui, non permittit eam circumferri, licèt innumeri venti commoueant, sed iactam fixam reddit & immobilem, ita spes fixam reddit animam in Deo, quantiscunq; tentationum procellis ac tempestatibus ea iactetur atq; agitetur. Hæc est, quæ nos petere facit vt accipiamus. Neq; enim satis est credere daturum Deum quæ promisit, sed orationem contendendum est, vt accipere queamus. Orandi aũt formulam præscripsit nobis magister noster, Dominus noster Iesus Christus: cuius explicationem non ita multò pòst ex Cypriano subiungemus. Verùm ita Deus à nobis orandus est, nihil vt hæsitemus, ac plenam in eo spem ac fiduciam collocemus. Cùm enim pater noster sit, proculdubiò non committet vnquam aliquid vt neget à se petentibus ijs, quos nimia charitate in filios adoptauit, cùm præsertim Christi promissum habeamus dicentis: Petite & accipietis, Et: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: Impossibile aũt est mentiri Deum, qui veritas est: Deinde cum sit omnipotens, nihil est quòd dubitemus quin præstare queat, quæ petiuerimus. Quando itaq; certò nobis constat, quòd & vult, & potest ea præstare nobis omnia, quæ petiuerimus, cati fuerimus: accedendum nobis est ad thronum gratiæ & misericordiæ eius, in dubitata fide certaq; fiducia, quæ petiuerimus, obtinendi. Quò plures aũt accesserimus, hoc facilius impetrabimus. Verè enim scripsit Hieronymus, q; impossibile est multorum preces nõ exaudiri. Et eius æqualis Ambrosius: Multorum preces impossibile est vt non impetrent.

*Fidei & spei comparatio.*
*Chrysostomo 4. inuita finem.*
*Hom. de fide, spe et charitate.*
*1. Cor. 3.*
*Spei fructus.*

*Luc. 15.*
*Psalm. 90.*
*Rom. 8.*
*Thess. 5.*
*Heb. 6.*

*Orandi ratio.*
*Matt. 6.*
*Spes orare nos facit*
*Iohan. 1.*
*Matt. 7.*
*Ioan. 15.*
*Hebr. 6.*
*Ioan. 14.*
*In Cantica Cantico. lib. 1.*
*Heb. 4.*
*Hier. in c. 18. Matt.*
*In c. 15. ad Rom.*
*Iob. 5.*
*Rom. 15.*
*Colosst. 4.*
*Sanctorũ intercessio & inuocatio.*

Quamobrem non ipsi modò Deum deprecemur, verumetiam sicut Iob admonitum legimus, vt conuerteretur ad aliquã Sanctorum: Sicut Paulum quoq; non semel videmus, vt se fratrũ orationibus peteret adiuuari: sic & nos adiuuari nos sanctorum intercessionibus postulemus: non eorum tantum, qui in hac lachrymarũ valle nobiscum degunt, sed magis etiam illorum, qui cum Christo felicissimè viuunt. Nam qui corpus hoc mortis circũferunt, cum & ipsi non sint absq; peccato, vt necesse habeãt nobiscũ vnà dicere: Dimitte nobis debita nostra, nõ possunt ipsi de se quoq; nõ esse soliciti. Quare fieri nequit, vt pari sint erga nos affectione, similiterq; res illis nostræ curæ sint atq; ijs, qui cùm sint absq; macula iam & ruga, omni cura & solicitudine de se vacui, ea iam, ad quam nos anhelamus, cœlesti patria sunt potiti. Qui cùm fratres nostri, eiusdem cuius nos corporis membra sint, atq; ideò nos non diligere non possint, cùm præsertim fides & spes cessaturæ sint in patria, charitas autem nõ modò non cessatura, verumetiam tum demùm perfecta sit futura, facere nulla ratione poterint, vt salutis nostræ cura non tangantur. Preces autem eorum tantò plus apud Deum põderis obtinere dubiũ non est, quantò certius exploratum habemus eos apud illũ gratia valere plurimum. Et quod de ijs certò sciri vix potest, qui nondum sunt de corpore mortis huius liberati.

Qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Vigilantij error.*

Quapropter ferendi non sunt, qui dicunt cum Vigilantio, pridem Ecclesiæ iudicio condemnato, q; dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus: posteaquam verò mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio. Nam sicut verè scriptum est ab eo, qui duobus libris errorem hunc illius confutauit, Hieronymo: Si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se debent adhuc esse soliciti: quantò magis post coronas, victorias & triumphos? Si piè dicebatur Paulo in terris degenti, ora pro me Dominum: cur impius habeatur, qui totidem verbis eum nunc appellet in cœlis agentem?

*Oratio in funere Patris.*

cuius etiam præceptor Gregorius Nazianzenus, non dubitauit de Patre suo Zasimorum Episcopo scribere, quòd nõ minùs pascit gregem iã in cœlum translatus, quàm cùm in terris versaretur. Quin & hoc addidit, quòd magis nunc proficit precibus quàm anteà doctrina: quantò magis etiam Deo propinquus est, posteaquàm corporis vinculis est solutus, & ab ea quæ mentem turbat materia liberatus est, & nudus cum Christo nudo versatur, quæ prima & purissima mens est, dignus factus eo ordine, & ea fiducia, quam habent in cœlis angeli.

*Matt. 12.*

Verùm nec eos audiamus qui mortuorum hanc vocant inuocationem: Quin ipsum potius

*Lib. 6. c. 30.*

Christum veritatis Magistrum audiamus dicentem: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob non est mortuorum Deus, sed viuorum. Sic à Clemente scriptum legimus: Qui in Deum

*4. Reg. 13.*

crediderunt, quanquam obierint, tamen non sunt mortui. Dicit enim Deus Saducæis, de resurrectione mortuorum: non legistis quod scriptum est: Quoniam ego Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuorum: omnes enim in ipso viuunt. Igitur eorum, qui in Deo viuunt, nec reliquiæ sine honore manent. Nam Helisæus Prophetæ post discessum, è vita mortuum quendam excitauit interfectum à Pyratis Syriæ: attigit enim corpus eius Helisæi ossa, atq; excitatus vixit, quod factum non esset nisi Helisæi corpus

*Sancti viuunt.*

sanctum fuisset. Et Ioseph complexus est Iacob post mortem, cùm iaceret in lectulo. Et Moses, ac Iesus Naue Iosephi reliquias secum duxerunt, quod minimè putauerunt piaculũ. Scilicet eos mortuos rectè dicemus, per quos dæmones pelluntur, morbi fugantur, & qui mortui sunt vitæ restituuntur? Nostra hæc (sicut & in Carmine quodam de humana natura scriptũ à Gregorio Nazianzeno legimus) mors potius, q; vita dicenda est. Nam quotidie morimur, neq; est hora vlla, qua non fiat aliqua vitæ nostræ diminutio: illorum aũt vita sempiterna cùm sit, nulli iam est morti deinceps obnoxia, nos vt præ illis verè mortui dici possimus. Itaq; præclarè dictum est à Petro Chrysologo: Iustus tũc inchoat viuere, cum pro Christo meretur occidi: transfertur ista morte vita martyris, nõ aufertur: morte magis claruit,

*Chry. ser. 174.*

qui ob hoc mortuus est, vt viueret in ęternũ. Ac mox ad Herodem conuersus: Ecce tu iaces, inquit, in morte, Ioannes viuit occisus. Itidem & Eusebius Emissenus in Genesim scribens:

*Amb. ser. 67.*

Vitæ, inquit, perennis initium de mortis fine sumentes. Et Ambrosius de Petro & Paulo loquens: Non enim mortui sunt, inquit, qu orum curamus natalem hodie, sed renati viuunt, quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omniũ. Quamuis enim corpora passione cęsa sint, interruptus tamen non est ordo viuentium: Iugiter enim & Deo gratias agunt, & laudes Saluatori referunt: nisi q; resoluta membrorum sarcina magis adhærent Christo. Sicut ait Paulus: Dissolui & esse cum Christo quantò melius. Non est ergo dicenda mors, qua in-

*Peccatorum & nõ sanctorum propriè mors est. Phil. 1.*

terueniente caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est planè dicẽda mors, quæ Christo mortuum socians, lucrum efficit morientis: sicut ait B. Apostolus: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Illa aũt vera est mors, quę etiam hominem viuentẽ pec-

*1. Tim. 5.*

catorum morte constringit: qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis morti iã videtur addictus: sicut ait Apostolus de illa delicioſa vidua: Hæc aũt viuens mortua est. Itaq; Theodorum inuocans Nectarius: Non te semper, inquit, pro nobis intercedere pigeat, ô vir venerande. Nec enim etiã post morrẽ credimus viuere, vt Dominus ait, dicens: Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, viuet. Tu aũt qui nõ solum credidisti, sed eriã pro ipso mortuus es: isto merito laudande Martyr in Deo viuis, vitã, in quam nõ cadit interitus, & quæ nõ terminatur. Vt qui ergo cũ Christo viuas & stes propè eum, redde eum propitiũ tuis famulis: vt per te liberati ab ijs quæ hic sunt molestijs, bona quæ illic sunt consequamur. Similiter Eustathius, Tu verò beatissime Pater, ait, ẽ cœlo nos aspice, & vitæ nostræ cursum ad salutẽ dirige. Cùm hinc decesserimus, recipias nos in sinũ Abrahæ & in æterna iustorum tabernacula, vt purius atq; perfectius, q̃ abs te de sancta & eiusdẽ essentiæ Trinitate didicimus, videamus. Ea propter, ꝓ nobis famulis tuis, & ꝓ grege tuo, & fidelissimo hoc populo deprecare.

*Inuocatione sanctorum nõ obscuratur gratia Christi.*

Iam verò quod dicunt, inuocatione sanctorũ Christi gloriam obscurari, tantũ abest vt ita se res habeat, magis etiã vt illustretur, quãdo nõ in aliũ tota fiducia, q̃ in Christũ trãsfertur. Nisi fortè si quis parum sibi benè conscius atq; ideò Regis conspectũ reueretur, deprecatores ad eum allegauerit, quos apud eũ esse gratiosos exisſtimet, is quoniã ipse non adijt, Regis gloriæ detraxisse sit putãdus. Certè & pudor hominis, quo cum suam indignitatẽ agnoscit, tum Regis magnitudinem reueretur, adeò non offendit Regem, vt reddat illum ei cõmendatiorem. Et fit non rarò, vt Princeps per alios dare malit quod petitur, nimirum si q̃ sunt,

*Gloriam suam Christus communicat cum fidelibus. 2. Tim. 6. Ioan. 14. 2. Pet. 1. Philip. 2. Matt. 9. Actor. 5.*

quibus gratiam & auctoritatem apud populum hoc pacto velit conciliare. Quod facere nõ nũquam ipsum etiã Regem Regum & Dominum Dominantium nõ est incredibile: qui vsq; adeò suæ gloriæ iacturã nihil metuit, vt discipulis suis dicere nõ dubitauerit? Amen amẽ dico vobis qui credit in me, opera q̃ ego facio & ipse faciet, & maiora horũ faciet. Sic visum est illi gloriã suam communicare cum his, quibus dignatus est communicare regnũ suum, quorum non est dedignatus fieri minister, quos vt naturæ suæ diuinæ consortes faceret, ideò non exhorruit formã serui suscipere, carnem nostram indutus. Neq; verò non præstitit, qd credentibus in se pollicitus est. Contactu fimbriæ Christi sanata est mulier profluuio laborans. Magnum fuit hoc: Sed maius illud, quòd vmbra Petri sanabat ægrotos: quòd sudarijs & semicinctijs, quæ Pauli corpus contigissent, à dæmonijs plerique liberabantur. Quæ res tan-



tantum abest, vt aliquid Christi gloriæ detraxerit, magis etiam vt illustrem eam reddiderit. Neque enim ad alium, quàm ad ipsum Christum omnis gloria transferebatur, in cuius nomine hęc ab Apostolis miracula fiebant.

Augustinus de Petro loquẽs, quòd solus inter Apostolos meruerit audire: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: dignus, qui ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. De hoc, inquit, ait sermo diuinus: Et ponebant, inquit, infirmos suos, vt vmbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Christi Ecclesias, auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis cathena vincientis? vt vmbra, inquam, transeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quędam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax post triumphum?

*Actor. 19. Aug. de Petro & Paulo serm. 5. Reliquiarum sanctorum virtus.*

Sed hîc objicitur nobis Dei verbum: Scriptum est, aiunt, Gloriam meam alteri non dabo. Soli Deo honor & gloria. Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: Quamobrem impiè faciunt, qui contra Dei verbum ita clarum & manifestum, DEO debitum cultum in homines transferunt. Scriptum est, ô Satana: sed non hoc est Dei verbum, quod tu persuadere membris tuis conaris. Neq; enim secum ipse pugnat Dei spiritus, qui per Paulum alibi locutus est: Gloria & honor omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Scriptum est & illud: Quòd Abraham, Loth & Iosue, angelos adorauerunt, quòd Iacob septies obuiantem sibi fratrem: quòd eius filij fratrem Ioseph: quòd Moses Ietro socerum suum: quòd Iudith Holofernem in conspectu sedentem: quòd Ionatham Dauid cadens pronus in terram, quòd Nathan, Abigail, Bersabeæ, procidentes super faciem Regem Dauid: quòd Sunamitis religiosa corruens ad pedes eius: quòd Nabuchodonosor Danielem, Helisęum: quòd Cornelius vir iustus, & religiosus Petrum, ad eius genua prouolutus adorauit: Audebis ne sanctos hos viros, & in his quosdam Patriarchas, & Prophetas idololatriæ reos pronunciare? audebis ne, quòd Paulus ipse sibi contraria sit loquutus, affirmare? Qui cùm dixerit vno loco, Soli Deo honor & gloria: dixit alio, Gloria & honor omni operanti bonum. Vides igitur non de verbo Dei, non de scriptura controuerti inter nos, sed de eo, quemadmodũ quod Dei digito scriptum est, intelligi oporteat. Absit opinio scientiæ, quæ inflat: adsit charitas, quæ ædificat: non deerit nobis, sicut aliarũ, sic & harũ scripturarũ sanus intellectus. Quòd si verba captiosè scrutatus fueris, cùm dicitur: Dñm Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, nunquàm ex illis colliges solũ Deum esse adorandũ, verùm illud potiùs, soli Deo esse seruiendum. Ex quo consequẽs illud erit, hominem homini seruire non debere. Nullus ergo seruiet alteri, nili qui velit idolatrię reus pronũciari. Atqui Paulus adeò nõ prohibet hominẽ homini seruire, vt etiã de eo, quemadmodum seruire oporteat, præcepta dederit, Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi. Tam longè Paulus ab eo abfuit, vt seruire hominibus prohiberet, vt haud aliter etiam seruos Dominis carnalibus, quàm ipsi Christo voluerit obedire. Quæ verba si quis inflatus sensu carnis suæ remota charitate interpretari voluerit, quid aliud ex illis, quàm idololatriam docuisse Paulum colliget? qui non alio loco dominos à seruis haberi voluerit, quàm quo Christum ipsum. Verba sunt clara & aperta: Sed nunquam id vel cogitare Paulo in mentem venit, vt diuinum honorem ad homines translatum vellet. Quid igitur dicemus? patiemur ne notam hanc inuri Paulo? patiemur hæc eum aspergi infamia, qua nunc Ecclesiam vniuersam ab his qui segregauerunt semetipsos, aspersam videmus? quæ vel errare cum Paulo satius ducit, quàm cum istis rectè sentire. Certa enim est, quod neq; Paulus errare, neq; possunt isti rectè sentire, qui se à compage Christi corporis auulserũt, atq; ita ex membris Christi facta sunt membra diaboli, qui mendax est & pater eius. Qui quemadmodũ iam antè docuimus, quò facilius incautis ouibus obrepat, sese diuinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus obuoluit, subinde vociferans, scriptum est enim. Sed de eo quid scriptũ sit, non est vlla nobis dubitatio, de eo verò, quemadmodum quod scriptum est, accipi oporteat, controuertitur.

*Honor Dei & Sanctorum diuersus. Esai. 42. 1. Tim. 1. Deut. 16. Matth. 4. Rom. 2. Genes. 33. Iud. 10. 1. Reg. 5. Daniel. 4. Genes. 19. Iosue 5. Rom. 2. Genes. 19. Genes. 33. Exod. 18. Iud. 10. 1. Reg. 5. 1. Corinth. 8. Paulus seruire hominibus iubet. Ephes. 6. Ioan. 8.*

Ridentisti qui nihil sibi non arrogant, nihil Ecclesię non detrahunt, tanquã à scholasticis Theologis inuentũ, quod de duplici cultu, siue adoratione, seu seruitute, traditũ ab illis lemille propè ducentos annos ab Augustino literis mandatum esse legamus. Ac nisi distinctionem hanc ad lucem scripturis afferendam attulerimus, quemadmodum defendi possint, quin ipsi sibi contradicant, inueniri ratio vix poterit. In scholis itaque Theologorum hæc à priscis per manus tradita didicimus: neque fuit ferè quisquam liberalius educatus, cuius aures his vocibus non personuerint, esse duplicem cultum, adorationem, seruitutem: vnam latriæ, duliæ alteram: illam soli Deo deberi, hanc etiam hominibus rectè tribui. Hanc seruitutem, hunc honorem duliæ Paulus hominibus præstari voluit, latriæ verò nequaquàm. De quo duplici cultu in secunda Niccena synodo multa scripta sunt, vbi inter cætera etiam hæc leguntur: Cùm crucem viuificã salutamus, conuenienter canimus: Crucem tuam adoramus, Domine: quæ sanè adoratio nihil aliud est, quàm salutatio, siue amplexũ magis dicere: & est vox multę significationis. Adoratio enim est cùm venerationem, desideriũ, & timorem significamus. Ita nos vestrum victoriosum & placidissimum imperium adora-

*Cultus duplex. Aug. lib. 8. de ciuit. Dei. cap. 28. & lib. 10. cap. 1. & 3. In epist. Tarasij & vniuersæ sanctæ synodi ad Imperatores, quæ est in fine 7. actionis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Adorationis multiplex acceptio.*

mus. Est adoratio quæ tantummodò timorem significat, quemadmodum IACOB adorauit ESAV: est quæ gratiam notat, quomodo ABRAHAM pro agro, quem accepit à filijs HETH, in sepulchrum SARÆ vxoris suæ, adorauit illos. Rursus qui sperant beneficium se accepturos à potentioribus, eos adorant, quemadmodum IACOB adorauit Pharaonem. Sumitur etiam pro cultu adorationis in spiritu, qui DEO tribuitur. Hinc diuina scriptura dicens, Deum tuum adorabis, & illi soli cultum exhibebis, quòd Græcè est latreuseis. Adorabis, absolutè ponit, neque adijcit soli, vt significetur vox diuersæ notionis & æquiuocæ: cultum autem exhibebis, siue seruies, quòd Græcè est latreusis: soli adijcit, quam ob causam latriam soli Deo tribuimus, ad illumque referimus. Et in secunda actione: Qualis verò est iste adorationis honor? profectò non alius quàm is, quo nos, peccatores quoque inuicem prosequimur, salutantes nos inter nos per honorationem & dilectionem. Sunt autem verba Stephani Episcopi Bostrorum. Et in ea epistola, quam præposuit actis synodi Tarasius: Soli Deo latriam exhibentes, postulamus intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Deiparæ, sanctorum item angelorum omniumque sanctorum. Aliquot etiam ante seculis AVGVSTINVS explicans illum ex Genesi locum: exurgens Abraham adorauit populum terræ. Quæritur inquit, quomodo scriptum est: Dominum DEVM tuum adorabis, & illi soli seruies: Cùm Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret? Sed animaduertendum est, in eodem præcepto non dictum Dominum DEVM tuum solum adorabis, sicut dictum est, & illi soli seruies, quòd est Græcè λατρεύσεις, Talis enim seruitus non nisi soli DEO debetur. Vnde damnantur idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat, quod alio loco in quadam scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet vt Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat angelus, vt pro Deo posset adorari: & ideò fuerat corrigendus adorator. Extant autem tres libri Ioannis Damasceni aduersus eos, qui sanctis imaginibus & sanctorum inuocationi detrahunt, scripti: in quibus adorationis modi, diligenter explicantur: & quæcunque vel contra imaginum, vel contra sanctorum venerationem obijciuntur, præclarè diluuntur. Quod etiam factum est à Theostericto, in oratione funebri in sanctum Niceetam: Libet autem & Eusebij Emisseni sententiam ea de re adscribere. Sanctos, inquit, non tam pro Dei parte, quàm pro Dei honore veneramur. Non sunt sancti pars illius, sed ille probatur pars esse sanctorum. Quare? Quia quod sunt de illuminatione & de similitudine eius accipiunt: In sanctis autem res Dei non pars Dei est. Quicquid enim Deo participant, diuinæ est gratiæ, non naturæ. Colamus in sanctis timorem & amorem Dei, non diuinitatem Dei. Colamus merita, non quæ de proprio habent, sed quæ accipere pro deuotione meruerunt. Dignè itaque venerandi sunt, dum Dei nobis cultum, & futuræ vitæ desiderium contemptu mortis insinuant. In quam sententiam scriptum etiam legimus ab Alexandro de Ales. Solus DEVS simpliciter est orandus, tanquàm finaliter, à quo est omne bonum. Sancti autem non simpliciter, sed potius, tanquam mediatores, per quos impetramus, & ideò magis tenent se ex parte orantium, quasi coadiuuantes, quàm illius qui oratur.

*In quæst. super Gen. cap. 61. Augustinus.*

*Hom. de symbolo. Dei res & non pars in sanctis sunt.*

*Parte 4. quæst. 92. Memb. 1. artic. 4. Sancti inuocandi vt mediatores, Deus autem simpliciter & finaliter qui omnia dat. Ioan. 19.*

Verùm, vt res omnis vel cæco perspicua esse queat: nec sit quisquam, qui non intelligat, quàm falsò isti, qui, quod ne milites quidem impij, qui Christum in crucem egerunt, facere ausi sunt, Christi tunicam inconsutilem in tot iam particulas conscinderunt: vnam, sanctam catholicam, apostolicam Ecclesiam idololatriæ vnius omnium grauissimi criminis insimulent, propter eum, quem sanctis tribuendum esse, docet honorem: libet de cultu Deo debito, quatenus is ad homines rectè trãsferri queat, paucis disserere. Triplicem Deo cultum deberi, mater nos Ecclesia docuit: imitationem, honorem & inuocationem. Excijs præcipuus & Deo gratissimus cultus est imitatio. Nam rectè dictum est ab Augustino: Summa religionis est imitari quem colis. Vidit hoc etiam Ethnicus ille, qui dixit: Vis Deos propiciari, bonus esto: Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Hoc adeò requirit à nobis DEVS, vt filium suum vnigenitum de cœlo descendere, & in terris cum hominibus versari voluerit, quò in illo homine facto, quemadmodum nos imitari Deum oporteret, disceremus. Neque enim propterea tantùm incarnari Christus voluit, vt esset vita nostra: verumetiam vt esset via, per quam ad vitam peruenire nobis liceret. Non ideò tantùm homo factus est, vt (quod solum vrgeri videmus hoc tempore) pro peccatis nostris satisfaceret, mortemq; nostram moriendo destrueret, verumetiam vt seipsum viam nobis & exemplum viuendi proponeret: vt sicut ipse ambulauit, & nos ambularemus: nec; satis esse putaremus, si crederemus, quòd vita nostra factus est: quodque satisfaciendo pro peccatis nostris, nos à morte liberauit: atque ita omni cura soluti, in vtramque, quod aiut, aurem dormientes, ocio iam & voluptati vacaremus: verùm vt aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, eadem, qua ille via incederemus, si veritate cognita, vitam consequi vellemus. Condiderat Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: hanc ille cùm propemodum amisisset vitio suo, Deus homo fieri dignatus est: vt eam sic deformatam in nobis, vt amissa videretur, restauraret. Quantum igitur eum esse cultum existimare debemus, propter quem Deus de cœlo descẽdere & in hac lachrymarum valle carnem nostram indutus, cum hominibus versari dignatus est? Ad hunc nos cultum inuitat Paulus, dicens: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos. Inuitat Petrus ita scribens. Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius. Inuitat Ioannes, cum ait: qui dicit se in Deo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ille ambulare. Inuitat ille ipse, qui via nostra, qui simul & ostiũ & ostiarius noster fieri dignatus est, Dñs IESVS Christus. Sic enim loquitur. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ac rursus alio loco: Ego sum

*Cultus Dei triplex. Libr. 3. de ciuitate Dei, cap. 17. Seneca.*

*Hebr. 12. Genes. 2.*

*Eph. 5. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 2.*

*Ioan. 14.*



sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Quid igitur: nunquid nefas esse putabimus, præcipuum cultum hunc, propter quem Deus homo fieri, ad quem toties & ipse per se, & per Apostolos suos nos inuitare dignatus est, ad homines transferre? Hoc si nefas est, nefarium scelus commisit Paulus, qui dixit: Volo autem omnes vos esse sicut meipsum. Ac rursus clarius in eadẽ epistol. repetitis vicibus: Imitatores mei estote: Et in alia: Estote sicut ego. Quid ais, ô Paule, Christus ideò venit in mundum, vt imaginem & similitudinem Dei, quam inobedientia sua primus parens noster propemodum amiserat, non tuam, aut alicuius alterius hominis, in nobis restauraret? Christus dicit: Ego sum via: ego sum ostium: qui vult venire post me, sequatur me: non Petrum, non Paulum, non Dominicum, non Franciscum: & tu dicis, Estote sicut ego: Volo omnes esse sicut me: Imitatores mei estote. Quem te metipsum facis? Nunquid tua in nobis imago restaurari debet? nunquid tu es via nostra, qua nobis incedendum, nunquid tu es ostium nostrum, per quod nobis ad vitam ingrediendum est? Quid est, si hoc non est Dei sibi gloriam vendicare? soli Deo debitum cultum in se transferre velle? qui præcipuus, Deoq; multò grauissimus in imitatione consistit. Hic facile quinis perspicit, si quis verbo vrgeat (quod hoc tempore fieri, proh dolor videmus) à nefario scelere defendi Paulum non posse. Sed non ita soli Deo debetur imitatio, vt non rectè hominem etiam imitari liceat. Non itaque transtulit in se Dei gloriam Paulus, neque soli Deo debitum sibi cultum arrogauit: quin potius, quemadmodum hanc, ad quam inuitat, imitationem sui vellet intelligi, declarauit, cùm post ea verba, Imitatores mei estote: statim subiunxit: sicut & ego Christi. Hactenus imitari se quemque voluit, quatenus ipse Christum imitatus est: non quatenus fuit persequutor, blasphemus, contumeliosus, verùm quatenus misericordiam Dei consequutus: non ipse iam viuebat, sed in ipso Christus, quatenus ipsi mundus, & ipse mũdo fuit crucifixus: vt imitari Paulum, nihil aliud fuerit, quàm CHRISTVM in Paulo viuentem imitari. Præclarè scriptum est à Simone de Cassia: Vna est sequela Saluatoris, & eorum qui dirigunt in salutem. Si CHRISTVS est veritas, qui sequitur veritatem dicentem, Christum in illo sequitur. Si CHRISTVS est vita, qui sequitur dirigentem in vitam, Christum omnino imitatur. Si CHRISTVS est via, qui sequitur itineris virtuosi ducem, omnino post Christum vadit. Non est diuersa sequela verorum membrorum & capitis, vna penitus est imitatio: vbi nulla diuersitas ductorum, & vbi nil aliud inferior præcipit, nisi quod suum nouerit velle maiorem, nec ad alia dirigit, nisi ad quæ ipse nos Saluator expectat. Vides igitur quòd rectè cultus hic sanctis tribuitur, quos cùm imitari iubemur, nihil aliud quàm Christum in sanctis imitari iubemur, omnis vt honos ad solum illum, qui via nostra, qui ostium nostrum est, Dominum IESVM Christum, redundare videatur. In illo perfectissimum nobis pietatis exemplar editum est. Sed quoniam dicere posset aliquis: Quid est homo, vt posset sequi Regem factorem suum? Quomodo præstare possum ego puluis & cinis, vt incedam vestigijs creatoris mei? Vt ne quis existimaret sibi non esse possibile, quod propter nos homini facto Deo fuit possibile, puri proponũtur homines, vt in illis Christum viuentem & operantem imitemur, neque desperemus, ea nos præstare posse, quæ eadem qua nos infirmitate prædi ti viri sancti quandoq; præstitisse cõmemorantur. Sic à Basilio scriptum legimus: Respicientes igitur in Christum, animi nostri alacritatem glorioso imitandi studio intendamus: vbi verò sanctos consideramus, docemur studium hoc imitandi Christi non esse impossibile, vt per illorum considerationem alacriores facti, syncerum & immaculatum omne mandatum Domini ad mortem vsque seruemus: atq; ita in vitam æternam ingrediamur, regnum celorum hæreditate possideamus, quemadmodũ pollicitus est, qui mentiri nescit Dominus ac Deus noster IESVS Christus vnigenitus Dei viuentis filius. Sic ab Augustino dictum est. Cùm ad imitationẽ Christi pro crucifixoribus suis Deum deprecantis suos esset hortatus: Sed potuit hoc Christus dicis, ego non possum: ego enim homo sum, ille Deus homo: Respondet Augustinus. Deus ergo vt quid homo, si non corrigitur homo? Multum est à te imitari Dominum Deum tuum. Attende Stephanum conseruum tuum. Certè Stephanus homo erat, an Deus? planè homo erat, hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fecit nisi donante illo quem rogas & tu. Ac pauci interiectis: Ergo, charissimi, si non potestis imitari Dñm, imitemini conseruũ, imitemini S. Stephanum, imitemini S. Martyres: Homines erant, cõserui tui erant, sicut tu nati erãt, sicut tu nati, sed à Christo coronati. Præclarè ab eodem Augustino scriptum est, dum explicat illum Psalmi locum: Diligit Dominus portas Syon: quòd quamuis Christus ipse sit ostium, siue porta: tamen & Apostoli rectè portæ nominantur. Quia per ipsos intramus, per Christum intramus. Ipse est enim ianua. Nihil ergo detrahitur perfectissimo exemplari, quod est in Christo IESV, sanctis imitandis: ac augetur potius illius gloria, quàm minuitur. Sed hæc de primo & præcipuo cultus genere dicta sufficiant.

*Ioan. 10. Matth. 16. Sanctorũ imitatio. 1. Cor. 7. 1. Corimth. 4. Galat. 4.*

*Imitatio quædam Deo cum hominibus communis.*

*Simon de Cassia.*

*1. Timoth. 1. Galat. 2. Galat. 6.*

*Eccles. 2. Genes. 8.*

*Basil. serm. 2. de bapt. cap. vltimo.*

*Aug. de S. Stephan.*

*Psal. 86.*

Secundum genus in honore consistit ac veneratione. Dicit itaque Paulus, Soli Deo honor & gloria. Dicit idem alio loco: Gloria & honor omni operanti bonum. Nunquid ipse sibi contradicit? Minimè gentium. Non adeò fuit hebes Paulus, vt ignoraret summum illum cultum & gloriam omnem soli DEO deberi, atque ad solum illum esse referendum: sed non propterea sua quoque gloria & honore fraudandos esse putabat eos, qui bonum essent operati, per quos nomen Dei sanctificabatur: sicut contrà per eos, qui perperam agunt, quique nequiter viuunt, nomen Dei polluitur & blasphematur. Quid autem aliud honoramus & veneramur in sanctis, nisi Dei dona, nisi CHRISTVM ipsum viuentem & operantem in illis? Athanasium laudans, dicit Gregorius Nazianzenus, virtutem laudo: virtutem autem laudans, DEVM laudo, Dei namque donum est virtutis omnis, à quo profiscitur omne datum optimum, & omne donum perfectum. Qui honorat Dominum, in-

*Veneratio secundus cultus. Sanctorũ veneratio. Ezech. 36. & Rom. 1. Nazianz. in orat. in Athanas. Iacob. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Epiphan. hær. 16.* quit, Epiphanius, honorat etiam sanctum: qui verò ignominia afficit sanctum, ignominia
*Basil. in 40. martyres.* afficit etiam ipsum Dominum. Ad eundem modum Basilius: Honos erga bonos conseruos (sanctos intelligit vita iam functos) collatus, beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet. Quod totidem propè verbis & à Ioanne Damasceno, & in decretis synodi sanctæ secundæ Nicenę repetitum legimus. Neq; dissimiliter Augustinus: Ostendatur, inquit, mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ego ibi ostendo me-
*Damasc lib. 4. Actione 4.* moriam Petri: In Petro quis honoratur? nisi ille defunctus pro nobis: Sumus enim Christi-
*Aug. in psalm. 44.* ani, nõ Petriani. Tolle à Petro, tolle à Paulo, tolle ab Adalberto & Stanislao, quòd Apostoli, quòd Martyres, quòd imitatores Christi fuerunt, non plus illis honoris debetur, quàm vel Aristidi iusto, vel Photioni, vel Zenoni, quorum vitæ sanctimoniam ab his, qui Græcorum historias conscripserunt, plurimum esse legimus commendatam. CHRISTVS igitur in sanctis honoratur, ac tantùm abest, vt honorandis illis obscuretur CHRISTI gloria, nihil vt magis ad eam illustrandam pertinere videatur, quàm, ea quæ sanctis præstatur veneratio.

*Sanctorum inuocatio tertius cultus.* Sed hac de re, dicunt isti, qui segregauerunt semetipsos, non est nobis vobiscum controuersia, de inuocatione contendimus, quam soli Deo deberi censemus: atque ea qua fungimur vsurpata nobis auctoritate, si quis inuocet mortuum, eum idololatriæ reum pronunciamus. Atqui quæ imitationis, quæ venerationis, eadem & inuocationis ratio. Si nullum est crimen in imitandis sanctis, cùm se Christus, non Petrum, non Paulum sequi iusserit: se, non sanctorum aliquem, vitam & ostium esse docuerit: si nullum est crimen in glorificandis illis, cùm disertis verbis DEVS dixerit, Gloriam meam alteri non dabo. quid esse crimi-
*Esaiæ 42.* nis poterit in illis inuocandis? non tanquam largitoribus, hoc enim solius DEI proprium est, sed tanquam deprecatoribus. Cùm præsertim in inuocandis sanctis ipse CHRISTVS
*Amb ser. 92. Rom. 10.* inuocetur. Inuocasti martyrem, dicit Ambrosius, vtiquè te exaudit ille, qui honoratur in martyre. Quomodo inuocabunt, aiunt, in quem non crediderunt? In sanctos autem non
*Credere in sanctos.* credimus. Quid si in illos quoque rectè credi docet Paulus. Verba sunt illius ad Philemonem: Fidem quam habes in Domino IESV & in omnes sanctos. Ex quo etiam loco nonnulli colligunt rectè in symbolo diei posse: Credo in sanctã catholicam Ecclesiam. Quo genere loquendi vsus est Hieronymus quoque dicens: Cùm solenne sit in lauacro, post Tri-
*Credere in Ecclesiã. Hier. aduersus Lucriferianos.* nitatis confessionem interrogare, credis in sanctam Ecclesiam? In quam Ecclesiam credidisse eum dicis? In Arrianorum? Sed non habent. In nostram? Sed extra hanc baptizatus non potuit in eam credere, quam nescivit. Eodem genere loquendi & Augustinus
*Serm. 119. Cyrill. catechesi 4. Thomas 22. q. 1. art. 9.* vsus est, & Cyrillus: nec inconuenienter ita dici Thomas docet. Et Pauli locum ante citatum Hieronymus exponens, adfert illud, quod est in Exodo scriptum: Credidit populus
*Hier. in epist. ad Philemonem. Exod. 14. De spiritu sancto cap. 14.* Deo & Mosi seruo eius. Vna, inquit, atque eadem credulitas in Mosen refertur & in DEVM: vt populus qui credebat in Dominum, æquè credidisse dicatur in seruum. Hoc autem non solum in Mose, sed in omnibus eius sanctis est, vt quicunque credidit DEO, aliter eius fidem recipere nequeat, nisi credat & in sanctos eius. Non est enim in DEVM perfecta dilectio & fides, quæ in ministros eius odio & infidelitate tenuatur: Basilius eundem locum
*Chrys. Tomo 3. in ser. de fide & lege naturæ.* producens: Fides, inquit, quæ erat in Mosen ad Dominum refertur, qui sequester est inter DEVM & homines: Qui dixit: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. Sed & Chrysostomus eundem Exodi locum adferens, negat imminui DEI dignitatem, quod ei coniunctus
*Orig. in Apol.* est Moses: coniunctus est enim, inquit, non vt honore par DEO, sed vt minister DEI. Origenes quoque recitante Pamphilo in apologia eius. Est, inquit, fides nostra, primò quidem omnium in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: consequenter verò etiam in omnes sanctos Patriarchas, vel Apostolos Christi. Si ergo rectè credimus in sanctos, rectè etiam inuocamus sanctos. Quemadmodũ autem aliter in sanctos credimus, quàm in Deum,

*Aliter DEVM, quàm sanctos inuocamus.* sic aliter etiam eos inuocamus, quàm Deum. Deum inuocantes dicimus, concede quæsumus, da quæsumus, præsta quæsumus, largire quæsumus, tribue quæsumus: Sanctos inuocantes nihil aliud dicimus, quàm, ora pro nobis. Neq; plus illis tribuimus inuocatione nostra in cœlis cum Christo triumphantibus, quàm cuiuis è fratribus in terris nobiscum ad-

*Sancti in cœlo & in terra eodem modo inuocantur.* huc militantibus: Quæ malum igitur intemperiæ agunt istos, qui soli Deo debitum honorem in mortuos homines à nobis transferri quiritantur? Scilicet ita Deum inuocare fas est, ora pro nobis sancte Dei genite? Est quidem ita, quòd aduocatus noster Christus etiam nũc
*1. Ioan. 2.* ad dexteram sedens patris, interpellat pro nobis: verùm hoc inuocationis genere nemo pius, nemo Catholicus Christum inuocauit vnquàm, ne cum Arrio creaturam esse Christum sentire, aut aliquid eius potestati detrahere videretur: quasi non æquè largitor ipse sit vt Pater, aut Spiritus sanctus. Etenim quatenus est homo: Pontifex est noster pro nobis interpellans: quatenus autem æqualis est patri, non tam preces fundit, quàm præcantes ex-
*Claudian. de statu animæ lib. 1. cap. 3. Litania.* audit: Cùm enim sit vnus ex diuersa substãtia, ipse est, inquit Claudianus, qui quodam modo petit: ipse est qui se quodam modo pro nobis exaudit. Quamobrem vt omnibus manifestum faceret mater Ecclesia, nullum se diuinum honorem in sanctos transferre, in illa solẽni supplicatione, quam Litaniam vocant, quid creatori, quidq; creaturæ tribuendum sit, diserte docet, dum aliter Deum vnum in substantia, trinum in personis, qui creator est omnium: aliter sanctos, qui Dei creaturæ sunt, inuocat. Ad Deum enim ita loquitur, Pater de cœlis Deus, miserere nobis. Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Ad sanctos vbi ventum est, non misericordiam, sed intercessionem tantùm ab illis postulat, sicut ab alijs in hoc seculo nobiscum degentibus. Sic enim illos al-

*Vbi seipsum reprehendit, & peccata sua confitetur.* loquitur: Sancta Maria, ora pro nobis: Sancte Petre, ora pro nobis. Hoc est quod à beato Ephrem scriptum legimus: Sanctorum esse, pro peccatoribus intercedere: Dei verò, misericordiam impartiri.

Sic in



Sic in concilio Toletano octauo, quod secundam Nicœnam synodum præcessit, vbi forma præscribitur orandi: Solo Deo, aiunt, creatore suo adorato, inuocet sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Vides iam quisquis es, qui cum Saulo Christum in membris suis persequi, quàm eorum, quæ pro nobis solicita sunt ad Christum intercessione cum Paulo vti mauis, quòd nullus diuinitati proprius honos in litania sanctis tribuitur: nec plus ab illis petitur in beatorum sedes translatis, quàm ab alio quouis adhuc mortis corpus hoc circumferente. Quòd autem etiam dies festi sanctis colendis instituti sunt, non sine scripturæ fit authoritate: Sic enim ad Hebræos scribens Paulus loquitur. Memento præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuersationis imitemini fidem. Hic Paulus memoriam fieri vult sanctorum, qui no-
*Euseb. Alexand.* bis verbo, & exemplo præiuerunt. Propterea, inquit Eusebius Alexandrinus, iussit nos celebrare sanctorum memorias, vt suscipientes hymnos, & audientes Encomia, exorent benignum Deum, vt admittat preces nostras djuturnas. Oportet ergo, inquit, vt qui memorias celebramus sanctorum, celebremus eos multa cum religione. Vixit autem Eusebius Alexandrinus ante mille trecentos annos.

Sed in hoc, ais, Christi gloriæ derogatur, quòd alius à Christo mediator quæritur, dum à
*Mediatores etiam sancti. Rom 15. 2. Corinth. 1. Coloss 4. 1. Thess. 3. 3. Tim. 2.* sanctis intercessio postulatur. Derogabat igitur, Christi gloriæ Paulus, quem toties ad sanctorum intercessionem confugisse legimus. Alios scilicet præter Christum mediatores agnoscebat? Quid magis absurdum dici potest? Sciebat verò Paulus, quòd ab eo docta contetur Ecclesia, vnum esse mediatorem Dei, & hominum, hominẽ Christum IESVM: sed tantùm abfuit, vt propterea à sanctorum inuocationem esse putauerit excludendam, vt in eo ipso capite, vbi mediatoris vnius facit mentionem, pro Regibus & pro omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, obsecrationes fieri voluerit. Quid est autem obsecrare pro aliquo, nisi mediatorem inter eum esse, quem petis, & eum pro quo petis? Qualem se fuisse Moses
*Deut. 5.* testatur inter DEVM & populum Israël, cùm dicit: Ego sequester & medius fui. Talem, vt mediatorem non esse, nisi solum CHRISTVM diceret, nunquam, ne cogitare quidem in mentem venit Paulo. Quin ille, quod inter mediatorem Christum, & mediatores homines discrimen esset, non obscurè scribens ad Corinthios indicauit. Quid enim est aliud mediator, quàm reconciliator, & intercessor? Sic igitur paulus loquitur: DEVS nos reconciliauit sibi per CHRISTVM. Sed quomodo reconciliauit, docet hoc alio loco. Nam cum inimici essemus, inquit, reconciliati sumus DEO per mortem filij eius. Et ad Colossenses scribens: complacuit, inquit, DEO per filium suum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cœlis sunt: & nos cum essemus aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem. Quamobrem qui per mortem, & sanguinem suum patri suo nos reconciliauit, mediatorem talem non alium quàm CHRISTVM profitetur Paulus, nihil tale tribuit hominibus. Verùm quid? Dedit inquit, nobis ministerium reconciliationis. Verus itaque reconciliator, & mediator non est nisi CHRISTVS, mi-
*Cyrill. lib. 10. Thesau. Cap. 10.* nisterium autem reconciliationis & mediationis dedit CHRISTVS non solum ijs, qui nocramenta perque sacrificia ministerium hoc exercent, verum & ijs qui iam in Cœlis cum illo triumphant, qui cum sint membra nostra, qua charitate nostræ salutis ardent, non possunt pro nobis non esse solliciti: Deumque nobis precibus suis placatum reddere semper
*2. Corinth. 5.* conantur. Sed audiamus Cyrillum ea de re loquentem: Mediator, inquit, DEI & hominum, IESVS CHRISTVS est, non solùm quia reconciliauit homines Deo, verumetiam quia naturaliter & substantialiter & DEVS & homo in vna substantia est. Hoc enim modo naturam nostram sibi DEVS reconciliauit: Nam aliter quomodo vnum mediatorem CHRISTVM Paulus dixisset: multi enim sanctorum mediationis ministerio vsi sunt, & ipse Paulus clamat: Rogamus pro CHRISTO reconciliamini DEO. Moses quoque mediator fuit, ministrauit enim filijs Israël legem datam à DEO. Mediator etiam fuit beatus Hieremias, præcipuè quando clamabat ad DEVM: Recordare mei stantis coram te, ad loquendum pro ipsis bona. Quid multa? singuli Prophetarum mediatores fuerunt, Apostolorum quoque singuli. Quomodo igitur vnicus mediator Dei & hominum Christus? nisi noua, inaudita; q; in alijs mediatio sua sit. Sed modum quoq; perstringere non alienum est. Quòd igitur duo quædam sicut medium coniungit, ab vtroq; necessariò tangitur, & hoc modo diuersa per medium cõiungũtur. Hactenus Cyrillus. Ante quem etiam
*Orat. 4. de Theologia.* Gregorius Nazianzenus explicans eundem Pauli locum. Supplex, inquit, est nunc quoque Deus, vt homo pro mea salute, quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit, quod me humanitatis assumptæ facultate atque potentia Deum effecerit: tametsi non iam secundum carnem cognoscatur, hoc est, secundum carnales affectiones, ac citra peccatum, nostras. Eodem modo aduocatum quoq; habemus IESVM, non vt nostra causa se se ad Patris pedes advoluentem, seruili; q; modo abijcientem: procul sit ista seruilis sanè suspicio, spiritu; q; indigna. Neque enim Patris est hoc expostcere, aut filij pati: nec de Deo hoc cogitare, pium atque
*Bern. de S. Petro & Paulo serm. 1.* æquum est: Sed ex his quæ humanitus perpessus est, ad tollerantiam me, vt verbum & consultor hortatur. Sic ego aduocationem hanc intelligendam arbitror. Bernardus de Petro & Paulo loquens: Hi mihi traditi sunt, inquit, in Magistros, & in mediatores, quibus me
*Bern. 2. ser. in natali S. Victoris.* securè committere possim: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Idem sanctum quoque Victorem vocat aduocatum & mediatorem: Est autem CHRISTVS mediator DEI & hominum, quia in eo vno DEVS & homo coniungitur. Verùm & ipse Paulus qualem vnum & solum mediatorem Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Christus mediator redemptionis.*

*Heb. 9.*

stum intelligi vellet, mox explicauit post ea verba: Vnus est mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS, mox illa subijciens: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus Et alio loco: Noui testamenti mediator, inquit est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterni hęreditatis. Vides nullam hic intercessionis, verùm solius intercedente morte redemptoris, redemptionis fieri mentionem. Talis ergo mediator, qui pretioso sanguine suo nos redemerit, non est nisi solus Dominus noster IESVS CHRISTVS. Sic & à Leone Pontifice docti sumus, quòd quamuis in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa sit mors, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit

*Leo serm. 12. de passione domini Epiph. 83. & 34.*

mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitię: Singulares quippé in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit: cùm inter filios hominum solus Dominus noster IESVS extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati: de quibus ipse dicebat: Cùm exaltatus fuero, omnia trahã ad meipsum. Ante

*Amb. in psalm. 48.*

quem Ambrosius quoque. Propitiatio omnium Christus est, & ipse est vniuersorum redemptio. Cuius enim hominis sanguis iam idoneus est ad redemptionem sui, cum pro redemptione omnium suum sanguinem Christus effuderit? Est ergò cuiusquam sanguis, qui Christi sanguini possit comparari? Aut quis tam potens homo, qui pro se propitiationem suam dare possit supra eam propitiationem, quam in se obtulit Christus, qui solus Deo mũdum reconciliauit per suum sanguinem? quæ maior hostia? quod præstantius sacrificium? qui melior aduocatus, quàm qui pro peccatis omnium factus est deprecatio, & animam suam dedit pro nobis redemptionem, Non quæritur ergò propiciatio aut redemptio singulorum, quia omnium prętium sanguis est Christi, quo nos redemit Dominus IESVS, qui solus Patrem reconciliauit, & laborauit vsque in finem, qui nostrum laborem ipse suscepit. Et paulò post. Ergò homo non dabit iam propitiationem suam nec redemptionem, quia semel ablutus est, à peccato per sanguinem Christi. Laborauit tamen vt seruet præcepta viuendi & à mandatis cœlestibus non recedat, dum viuit in labore sit, & perseueret in eo, vt

*In natali Apostolorum serm. 5. Cyrill. lib. 11. in Ioan. cap. 34.*

viuat in finem, ne & ipse morte moriatur, cum sit iam redemptus à morte. Sic & a Maximo dictum legimus. Licèt Christi passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Similiter & à Cyrillo sumus instituti, quòd vnum mori oportuit, sufficientem pro vita omnium redemptionem, vt & mortuorum & viuorum imperium acciperet, ne quis illud ridiculum verum esse putaret: Apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisse. Cum liberatis enim ab interitu etiam

*Ad Bonifacium lib. 34. cap. 4. Tract. 84. in Ioan.*

Apostoli iure connumerantur: vnius enim nobiscum illos naturæ fuisse constat, in quos imperium mors suum exercuit. Et alio loco: Quod si vulgaris tantum homo esset Emanuel, quomodo mors illius humanæ naturæ opem tulisset? Enimuerò non pauci Sanctorum Prophetarum mortem obierunt, vt laudatissimus ille Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Samuel, reliquique deinceps: qui omnes eximia vitæ sanctimonia claruerunt: verumtamen mors illorum generi humano nihil omninò contulit. At verò mors Christi certam salutem præstitit, siquidem propriam pro nobis carnem obtulit, mortiq; semetipsum nostri causa

*Lib. 13. de gestis D. Saluatoris.*

contradens omnes ex mortis laqueis exemit. Et seculis aliquot posterior Simon de Cassia tractans eum locum: Sinite hos abire: Non decebat, inquit, Apostolorum quendam socium fieri passionis, ne sequeretur damnabilis error: vt alterius quàm vnius Christi sanguis fusus crederetur in pretium. Sic æqualis eius Augustinus: Solus Christus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam: vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Et rursus: Et si fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius martyris sanguis funditur, quod fecit ille pro nobis. Et alio loco adferens illud: Congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: Quoniam, inquit, multis sacrificiorum sanguinibus cum primum in tabernaculum vel in templum congregarentur, conuincebantur potius peccatores, quàm mundabantur. Non ergò iam, inquit, de sanguinibus congregabo conuenticula eorum. Vnus enim sanguis pro multis datus est, quo veraciter mundarentur.

*Aug. lib. 1. de peccatorũ meritis & remissione.*

*Epist. 3.*

Quamuis Antonius Abbas in quadam Epistola sua dicat. Nunquid Patriarchæ non passi sunt pro nobis, aut Sacerdotes non docuerunt nos? Nunquid Prophetæ pro nobis mortui non sunt, aut Apostoli persecutionem non sustinuerunt pro nobis? Nunquid filius Dei dilectus non pro nobis omnibus mortuus est? Et idem Augustinus alio loco: Quotiescunque

*De S. Petro & Paulo serm. 2.*

Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt, præsertim cùm dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christũ, & qui spernit sanctos, spernit Christũ Dũm nostrũ. Sed quemadmodũ ea verba velit intelligi de effusione sanguinis, deq; propitiatione, mox in eo, qui sequitur sermone, planum facit, cùm ait: Cùm Dominus Orientes regionem propria illustrauerit passione: Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui, Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium

*Amb serm. 76.*

nobis contulit ad exemplum. Nisi quis hæc ad Ambrosium auctorem referre malit, aut Maximum, cùm idem hic apud vtrumque sermo reperiatur. Et alibi quoque Maximus ita

*In natali martyrum Taurinorum.*

loquitur: Martyr cùm patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus: sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplum: sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim didicimus Christo credere: didicimus contumelijs vitam æternam quærere: mortem

non



non timere. Itaque Pauli locum illum explicans Thomas Aquinas, Nunquid Paulus crucifixus est pro nobis? Quasi dicat, inquit: Nunquid passio Pauli causa est nostræ salutis: Hoc inquit, proprium est Christi, vt sua passione & morte nostram salutem operatus fuerit: vnus enim pro omnibus mortuus est: Sed contrà, inquit, videtur esse quod Apostolus dicit. Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Sed dicendum, quòd passio Christi fuit nobis salutifera, non solùm per modum exempli, secundum illud, Christus pâssus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamini vestigia ejus: Sed etiam per modum meriti, & per modum efficaciæ, inquantum eius sanguine redempti & iustificati sumus: Secundum illud, vt iustificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: sed passio aliorum nobis est salutifera solum per modum exempli: secundum illud, semper tribulamur pro vestra exhortatione & salute. Gregorius Nissenus de Theodoro scribens: Ipse quidem (inquit) igni confici iussus, præclaro itinere abijt ad Deum. Nobis verò memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiam erudiens, dæmones arcens & fugans, angelos pacificos reducens, rogans à Deo pro nobis vtilia, variorum mortalibus iactantur, pauperum abundans & copiosum ærarium, viatorum quietum diuersoriũ, locũ celebrẽ, conuentus ac dies festos continenter agentiũ. Etsi enim anniuersarijs ferijs hunc diẽ celebramus: at nunquã cessat studiosè aduenientiũ multitudo, ac formicarũ similitudinẽ seruat, ea quæ huc pertinet via publica, quũ alij quidẽ ascendant, alij verò venientibus cedant. Sic & qui præcesserit hos Hilarius: Domino, inquit, seculi motus tempestatesq; calcanti, non esse quisquam passionis particeps poterat: Solus enim passurus pro omnibus, omnium peccata soluebat: nec socium admittit, quicquid vniuersitati prælatur ab vno: ita cum esset ipse redemptio vniuersorum, erat etiam Petrus ante redimendus ad redemptionis istius fidem, cùm in Christi martyrem reseruatur. Sic & is, qui fuit magis vicinus Apostolorum temporibus Tertullianus: Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est: in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua soluit, nisi solus filius Dei? Sic à Bernardo scriptum legimus, de Christo crucifixo: Ea nimirum hostia, sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit. Nec Christum deluit, simul & Petrum aut Iacobum vel Ioannem pro salute hominum pati: Crucifixi tamen fuêre cum eo duo, sed duo nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, tãquam ex eis minus efficax sacrificium supplere tur. Sic eodem illo seculo docuit Petrus Lombardus: quem auctorem quadringentis his annis secuti sunt, quotquot sacræ Theologiæ professores dici & esse voluerunt. CHRISTI passio causa est nostræ salutis, quod non est passio alicuius sancti. Nullius enim passione redempti sumus, nisi Christi. Profuerunt quidem non modò ijs, qui passi sunt, verumetiam alijs fidelibus ipsorum passiones, veruntamen nostra redemptio non sunt: hoc enim passio illius sola potuit, qui Deus est & homo. Ambrosius. Nullius sanguis profuit, sicut sanguis Christi, neque enim redimere potuit sanguis Prophetarum. Neque redemit nos Petrus & Paulus. Christi solius passione redempti sumus, solus ille nos redimere morte sua potuit, qui & Deus est & homo: quod, qui purus homo fuisset, præstare nunquam valuisset: Vtcunque sanctorum quoque passiones nobis, veagnouit alium vna, sancta catholica, apostolica Ecclesia, quàm vnum & solum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM in cruce pro nobis mortuum: à quo docta, vt in ipsius nomine patrem peteret, simul à Paulo admonita, vt per Christum hostiam laudis offerret Deo, omnes orationes suas, quas collectas, vocant, ad patrem ferè dirigens, concludit, non per Petrum, neque per Paulum, neque per alium quempiam sanctorum, sed per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: per solius illius passionis & mortis meritum, qua nos redemit, quæ petit, omnia concedi sibi postulat. Quo tempore nouissima hæc æditio nostra sub prælo fuit, prodierunt in lucem Homiliæ quædam Rodulphi Ardentis, quas ille scripsisse videtur ante annos quadringentos. Is vbi de purificatione Mariæ virginis, deq; Christi in templo oblatione verba facit, verbum, inquit, factus est homo, vt homo per omnia DEO placens, pro homine oblatus cum Deo reconciliaret nos. Ergo fratres, si quandoque peccamus, si quandoque Dominum offendimus, non per nos, sed per Christum reconciliationem quærimus, per quem solum preces, oblationes, & hostiæ apud Deum acceptabiles esse possunt. Vnde quælibet oratio per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM fit & concluditur: Vides ergo Satana, quòd non ignorat mediatorem Christum Ecclesia, quemadmodum tu rudi plebeculæ heu nimium credulę persuadere conatus es: quodqúe iuxta sanam Pauli doctrinam, non alium redemptorem agnoscit, & confitetur, quàm Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: etiam si cum eodem Paulo sanctorum sibi putat intercessionibus vtendum.

*In oratione laudatoria Theodori Martyris.*

*Martyrum pro nobis auxilia.*

*Cap. 14. in Matth.*

*Tertull. in lib. de pudicitia.*

Sed Paulus, inquit, ad viuorum non mortuorum intercessionem confugit. Atqui DEO viuunt illi, cuius conspectu fruuntur, præ quibus nos rectè mortui esse censeri possumus. Tum autem vbi Paulus, vbi scriptura aliqua, sanctos cœlo iam potitos inuocare, & eorum intercessione vti prohibet? sed nusquam id faciendum esse præcipit, neque vllum eius rei in scripturis extat exemplum. Non præceperit: Verùm ille tamen scripturæ locus, quo benedicens Iacob filijs Ioseph, ait: Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac: quid aliud quàm sanctorum, qui de corpore mortis huius liberati iam sunt, inuocationem confirmare videtur? Quem locum explicans Augustinus, Non tandum est, inquit, non solum exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei sed hominum sint. A qua non abhorret etiam illud, quod à Mose dictum est: Qui-

*Sanctis in cœlum recepti, inuocandi.*

*Amb. in Luc. li. 7.*

*Ioan. 15.*

*Hebr. 13.*

*Gene. 48.*

*In locutione de Genesi lib. 1. cap. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



escat ira tua, & esto placabilis super malitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Iacob
*Exod. 32.* seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens, &c. Quodq; dixit apud Danielem
*Daniel. 3.* Azarias: Nec auferas à nobis misericordiam tuam Domine Deus noster, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Iacob sanctum tuum. Chrysostomus diuinæ humanitatis exemplum adducens. Quando, inquit, inter viuos homines, quibus loquendi
*Chrysost. Tomo 5. in hom. de virtutibus & vitijs.* fiducia sit, quiq; peccatores restituere possit, nullos prorsus inuenerit, tunc verò ad mortuos ille profugiēs, per eos, inquit, peccata remitto. Quomodo enim fatur? Hanc ego, inquit,
*4. Reg. 20.* mea ipse gratia tueor vrbem, Dauid etiam filij mei causa, qui ab hac iampridem vita discessit. Aspice sanctorum quanta sit virtus. Neque enim sua verba tantùm aut corpora, sed ipsa
*4. Reg. 2.* etiam corporum tegmina semper omni possessione sunt augustiora. Heliæ siquidem leo-
*Daniel. 31.* nina pellis Iordanem discindere fecit: Trium puerorum calcei per ignes ambulauerunt:
*4. Reg. 7.* Helisæi lignum potuit vndarum mutare naturam, quas quidem superficie sua quasi tergo
*Exod. 24.* ferrum sustinere coëgit: Mosis virga mare rubrum dehiscere iussit, petram disrumpere va-
*Exod. 17.* luit: Pauli vestes morbos fuderunt: Petri vmbrę mortem fugarunt: sanctorum Martyrum
*Actor. 19.* cinis improbos dęmones expulit. Non desunt itaq; scripturę testimonia, quibus & intercedere pro nobis sanctos, & ad eos rectè nos confugere, doceri possit.
*Actor. 5.*
*1. Thess. 3.*

Verùm fac ita esse, quòd nusquam id scriptum sit. At si nihil nisi quod scriptum est, recipiendū putaueris, ne Symbolum quidem recipi debebit, quod in scripturis nusquam continetur. Enumerauimus autem iam anteà pleraq; de voce homousios, de diuinitate sancti Spiritus, de perpetua Mariæ virginitate, de baptismo paruulorum, deq; alijs nonnullis, quæ Arrius, Macedonius, Eluidius, Donatus, reijcienda esse putauerunt, quod è scripturis probari non possent. Nunquid igitur eadem hac ratione & nos explodemus hæc omnia? Quin nos potius genus istud collectionis: Non est scriptum, igitur amplectendū non est, cum ipsis illius auctoribus hæreticis, quorum semper proprium fuisse videtur, explodemus: & quod Paulus admonet, non scriptas etiā traditiones vetustate consecratas, ac totius Ecclesiæ perpetuo consensu comprobatas, mordicus retinebimus.

*Testimonia S. Patrum de inuocatione sanctorum.*

Non est quisquam ferè sanctorum Patrum, qui à Christo in cœlum translato ad hæc vsq; nostra tempora vixerunt, cuius calculo sanctorū cum Christo triumphantiū intercessio nō fuerit approbata. Neq; fuit illis inusitata hæc interpellandi formula, qua nos in litanijs vtimur. Origenem longè vetustissimum ita legimus orantem: O beate Iob, viuens in perpetuum, & victor permanens in conspectu Regis Domini, ora pro nobis miseris. Et alio loco: Incipiam me genibus prosternere & inuocare omnes sanctos, vt mihi, non audenti petere Deum, propter nimietatem peccati, succurrant. O sancti Dei, vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordijs eius pro me misero. Beatus Ephrem Ediſſenę Ecclesiæ Diaconus ante mille trecentos annos in sermone de laudibus sanctorum Martyrum: Precamur, inquit, beatissimi Martyres, qui pro Domino tormenta subijstis, atq; ideò familiarius Domino conjuncti estis, vt, p nobis miseris Dominum interpellare dignemini, &c. Idem in Treno, Mariam alloquens: Esto, inquit, nostra conciliatrix & aduocata in hora iudicij, libera nos à futuro igne & tenebris: Tu nanque es spes apud Deum Christianorum. Sic & Mariam Ægyptiacam imploraſſe Marię virginis opem, in illius vita scribit Paulus Diaconus. Gregorius quoq; Nazianzenus, quem Theologum Græci vocant: Tu autem, inquit, Basili sacrum ac diuinum caput ex alto nos respice, & carnis stimulum, instructionem nostram à Deo nobis datam, aut tuis siste precibus, aut fortiter nos ferre persuade. Et in ea, quæ proximè sequitur oratione Athanasium alloquens: Tu verò, inquit, nos ex alto respice propitius, & populum hunc tuum guberna. Ac paulò pòst ad Cyprianum verba faciens: Tu nos, inquit ab alto propitius respice, nostrumq; sermonem ac vitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce aut vnà rege. Idem de Martyribus scribit quòd μεσιτεύσει hoc est, vt Nicetas exponit, ἡς μεσιται γένονται οἱ ἅγιοι, τὸν μὲν λαὸν παρακαλοῦντες ἀναζαίνειν, καὶ δεῖσθαι, τὸν δὲ θεὸν ἱκετεύοντες ὁπλίσασθαι τὴν βοήθειαν. Hoc est cuius mediatores sunt martyres, dum partim populum hortantur, vt mentes subuehant, ac diuinitatem consequantur: partim etiam Deum rogant atque obsecrant, vt se demittat, ipsiq; opem ferat. In eadem illa oratione meminit, quòd cum Cyprianus adhuc infidelis, insidias cuiusdam virginitati faceret, illa Mariam virginem supplex rogauit, vt virgini periclitanti succurreret. Sed & ipse Gregorius hac est precandi formula vsus: Maria sis propitia. Sicut autem Gregorius Athanasium, Cyprianum, Basilium. Sic & cognominis ac discipulus eius Gregorius Presbyter, vitam suę præceptoris describens, his eum verbis inuocat: Tu, verò, Gregori, memor esto Gregorij tui, qui hæc tibi pauca commentatus est. Scripsit Fulgentius de laudibus Mariæ sermonem quendam, in quo monet omnes vt veniant ad Virginem, quæ facta sit scala cœlestis: qua per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. Et Athanasius, si adoras hominem Christum, eò quòd ibi inhabitet Dei verbum, vna opera adora quoq; sanctos, ob Deum, qui in illis domicilium habet. De incarnatione verbi Dei, et Nazianzeni discipulus Hieronymus: Vale, inquit, ô Paula, & tui cultoris vltimam senectutē orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius quod postulas impetrabis. Ac Synchronus huius Augustinus: Orate Dominum, orate pijssimi, orate omnia agmina sanctorum. Idem contra Donatistas scribens: Beatus, inquit, Cyprianus, adiuuet nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate tanquam in caliginosa nube laborantes: vt donante Domino, quantum possumus bona eius imitemur. Et qui sequutus Augustinum eodem vixit seculo, Victor. Deprecamini Patriarchæ, de quorum stirpe nata est, quæ nunc laborat in terris Ecclesia, orate sancti Prophetæ cognoscentes afflictam, quam anteà vaticinante preconio cęcinistis. Estote Apostoli suffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuersum orbem, ascendente in vobis Domino, velut equi velocissimi cursitastis: præcipuè tu

*Athanas.*
*Hier. in Epitaphio Paula.*
*Lib. 7. cap. 1.*
*Aug. in medit. cap. 23.*
*Vict. lib. 3. de persequutione. Vandalica.*
*Nazianz. in monodia Basilij.*
*In orat. in Cypr.*
*In orat. ad Gregor. Nissenum.*
*In Carminibus Ser. 3. ad populum.*
*Ephrem in serm. de laudib. martyr.*



Petre beate, tu sancte Paule Gentium Magister, vniuersiq; ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli: Sed scimus quia indignum est vobis pro nobis orare, quia ista quæ venerunt nobis, non ad probationem quomodo sanctis, sed malis meritis supplicia debebantur. Sed & pro malis orate iam filijs, quia & Christus orauit pro inimicis Iudęis: prostrati rogamus, vt non spernatis vestros miseros peccatores, per eum, qui vos ad Apostolicum culmen prouexit humiles piscatores. Et æqualis eius Antonius Episcopus Constantiensis, ad Arcadium scribens: Qualis eris, inquit, cùm Petrum & Paulum, quos rogare solebas vt patronos, habebis amicos? Et qui præcesit hos Prudentius, ad Laurentium verba faciens: O Christe decus, inquit, audi Poëtam rusticum, cordis fatentem crimina, & facta prodentem sua: Indignus agnosco & scio, quē Christus ipse exaudiat: Sed per patronos Martyres poteſt medelam consequi. Et Paulinus Celsum alloquens, Sed tamen & nobis poterit tua gratia longum viuere, si nostri sis memor ad Dominum. Et paucis interiectis: Celse, iuua fratrem sociа pietate laborans, vt vestra nobis sit locus in requie. Ad eundem modum inuocat & ille Romanum, & hic Felicem Nolanum. Et Nectarius Theodorum alloquens: O splendor, inquit, Martyrum & decus sanctorum: ô verè Dei donum: ô custos & inuictissime Dei defensor fidelium, ne obliuiscaris nostræ paupertatis & humilitatis: sed semper pro nobis intercedere ne te pigeat. Eundem similiter inuocans æqualis eius Gregorius Nissenus: Intercede, inquit, ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum: Nam patria Martyris, est etiam locus passionis, ciues item, & fratres, & cognati, qui & habent eum & tuentur, & ornant, atq; honorant. Timemus afflictiones: expectamus pericula, non longè absunt scelesti Schytę bellum aduersus nos parturientes. Vt miles, propugna (pro nobis) vt Martyr, pro conseruis vtere libertate loquendi. Etiamsi superasti seculum: at nosti affectus, & vsus, necessitatesq; humanæ conditionis. Pete pacem, vt hi publici conuentus non desinant: ne debacchetur atq; grassetur aduersus templa, altariaue rabiosus & sceleratus barbarus: ne conculcet sancta prophanus & impius. Nos enim, etiam quod incolumes & integri conseruati sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus etiam futuri temporis præsidium atq; securitatem. Quod si maiori etiam opus fuerit aduocatione ac deprecatione. fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare: multorum iustorum preces multitudinum ac populorum peccata luant. Admone Petrum, exstituerunt, soliciti sint, pro quibus catenas gestauerunt, pro quibus pericula ac mortes tulerunt: ne simulachrorum cultor aduersus nos caput tollat: ne hæreses sicut spinæ, vineæ succrescant: ne zizanium editum suffocet triticum. Narrat idem, cùm quidam in maximū vitæ discrimen adductus esset, eum Sanctum Ephrem inuocasse dicentem: Sancte Ephrem adiuua me: atq; ita turò periculorum laqueos euasisse, & inopinatam salutem assecutū esse. Ad quem etiam B. Ephrem conuersus in fine orationis quam de vita illius habuit: Tu verò, inquit, diuino assistens altari, vitæq́ue principi, ac Sacrosanctæ vnà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisq; peccatorum nostrorum veniam impetra. Porrò Basilius adeò non deprehendendam putat Sanctorum inuocationem, vt scribens de quadraginta Martyribus, dicat: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: Ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis: quos etiam ipse posteà inuocat. Quem imitatus Gaudentius, de ijsdem & de alijs nonnullis scribens: Supplices, inquit, ad eorum vestigia concurramus, vt ipsis intercedentibus vniuersa, quæ poscimus, adipisci mereamur. Et Ambrosius: Vt efficax hæc mea sit precatio, Beatæ Mariæ Virginis suffragia peto, Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deprecor, Confessorum orationem expostulo: Talium Domine Deus, preces nunquam spernis. Idem in alio quodam libro: Ad Medici illius sedem, debile non potest explicare vestigium: obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare, possunt pro peccatis rogare nostris, qui propria peccata, etiam si qua habuerunt, luerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq́ue nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent, cognouerunt. Maximus quoque Taurinensis Episcopus ita S. Agnam alloquitur: O splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis & Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, vt nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam. Leo quoque Pontifex hortatur, vt Sanctorum suffragia ambiamus. Sed & Ioannes Chrysostomus in laudibus ponit Imperatoris, quòd is purpura indutus, accedit Martyrum sepulchra complexurus, & fastu depositò stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant: & scenarum fabrum, & piscatorem etiam mortuos vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. At Chrysostomus, aiunt, alio loco reprehendit eos, qui patronis apud Deum, neq; multo diſcursu vt blandiaris alijs, sed licèt solus sis, patronoq; careas, & per te ipse Deum preceris, omninò tamen voti compos eris: Neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alij pro nobis orant, vt cùm ipsimet oramus, etiam si plurimis simus pleni, malis. Quid igitur dicemus? Adeóne leuis est Chrysostomus, vt quod vno loco laudat, reprehendat alio? Num secum ipse pugnat? Absit hoc de tanto viro suspicari, quin ille tantùm abest, vt Sanctorum intercessionibus vti nos prohibeat, vt non vno loco faciendum id esse doceat. Sed ne nosmetipsos in otium & desidiam resoluamus, & dormientes ipsi alijs tantummodo nostra curanda mandemus, hoc verbis istis admonitos nos voluit. Hoc est quod etiam dicit, Genesim explicans: Si quod ex nobis est simul afferimus, & accedit intercessio Sanctorum, plurimum nobis cōfert.

*Antonius Episcopus Constant.*
*Ode 2. Peristephanon.*
*In panegyrico de obitu Theod. I.*
*Greg. in orat. laudatoria Theodori martyris.*
*In natale beatæ Agnetis.*
*Chrys. hom. 66. ad populum Antioch.*
*In hom. de profectu Euāgelij, sub finem Tom. 5.*
*Hom. 5. in Matth.*
*Gaudentius in serm. quem habuit in dedicatione Basilicæ concilij sanctorum.*
*Ambr. in orat. præparatoria ad Missā.*
*Libr. de viduitate.*
*Hæmil. 44.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



fert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in his solis collocamus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest: Non quòd infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos perdimus. Et vt discas: quod quando negligentes fumus, etiamsi iusti sint, qui pro nobis orant, etiamsi Prophetæ, nulla nobis inde fit vtilitas. Audi Deum omnium ad eum, qui
*Hierem. 7. 14. 15.* de vtero matris purificatus est, Hieremiam Prophetam dicentem: Ne ores pro populo hoc, quia nō exaudiam te. Vide Domini misericordiam, prædicit Prophetę, vt ne, cum post orationem non exaudiatur, tribuat hoc suis demeritis, & ideò iam prædicit ei populi malitiam, & prohibet ne precetur, vt & ipse scire qieat immodicam Iudæorum peruersitatem, &
*Io 1. ad Thess. cap. 1* illi sciant, quòd illis nihil prodest Propheta, nisi & ipsi, quę sua sunt, proferre velint. Id scientes, dilecti, confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus, vt pro nobis intercedant: Sed nō illorum precibus tantùm confidamus, sed & ipsi nostra, vt oportet, dispensemus rectè, & ad meliora semper conuertamur. Et iterum alio loco: Bonum est Sanctorum precibus frui, sed quando ipsi sedduli & vigiles fuerimus. At quid nunc opus est, inquis, aliorū precibus, quando ipse sedulus & dexter fuero? Ne constituas teipsum eò, vt opus illis habeas: neq; ego hoc volo, verùm semper indigentes fumus. Si quidem rectè sapuerimus. Paulus nō dixit, Quid mihi aliorum precibus opus est? tametsi illi essent indigni, qui pro illo precabantur, imò neque pares. Et tu dicis: quid mihi opus est aliorum precibus. Petrus non dixit: Quid mihi necesse est, vt pro me oretur? Precatio, inquit, fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo. Et tu dicis: quid mihi aliorum precibus opus est? Propter idipsum opus habes, quòd te putas illis non habere necesse. Etiamsi Paulo similis esses, opus tamen haberes aliorum precationibus: non extollas teipsum, ne humilieris. Sed quemadmodum dixi: Si nos ipsi in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis. Audi quid Paulus dicat: Noui enim, inquit, quod hoc mihi cedet ad salutem, per vestram precationem ac subministrationem Spiritus IESV CHRISTI. Et iterum: Simul adiuuantibus & vobis per deprecationem pro nobis, vt ex multis personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis. Et tu dicis: Quid opus est mihi aliorum precationibus? Si verò desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Hieremias Iudęis? &c. Chrysostomum verò secutus Theodoretus, explicans illa Psalmi verba: subiecit populos nobis, & Gentes sub pedibus nostris, Licèt, inquit, videre eos, qui ex omnibus Gentibus crediderunt: ante Apostolorum sepulchra supplices prosterni, & illum pusillum puluerem cùm multo desiderio honorare, secundum ipsius Dauidis vaticinationem: videant & psallant eum, qui subiecit populus nobis, & Gentes sub pedibus nostris. Sed quorsum attinet plures cōmemorare, cùm
*Actione 11.* in œcumenica Synodo Chalcedonen. magno consensu Patres in ea congregati, clamarent: Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.

Quid ergo dicemus, idololatras fuisse Origenem, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ioannem Chrysostomum, Nectarium, Maximum, Leonem, Theodoretum, Hieronymum, Augustinum, Beatum Ephrem, Prudentium, Athanasium, Ambrosium, Gaudentium, Paulinum, Antonium, Victorem, qui ad sanctorum intercessionem & confugerunt ipsi, & alijs vt confugerent, auctores fuerunt? Nos verò multo rectius eos idololatras esse censebimus, qui cōmenta opinionum suarum sic adorant, & quod semel in animū induxerunt, id mordicus adeò tuentur, vt Ecclesiæ totius consensum, quæ columna est & firmamentum veritatis, pro nihilo ducant, & ei sui cordis visiones anteponant: Cui cùm resistunt, non hominibus resistunt, sed ipsi Spiritui sancto, qui cum ea manens in æternum, per eam & in ea docet nos omnem veritatem, ac relicto Deo, qui vult in Sanctis suis coli, sequuntur Deos alienos: Sic enim in veteri Testamento nouas & peregrinas atque alienas ab Ecclesia doctrinas
*Hier. 3. Oseæ 3.* legimus appellari, quod non secus ab hæreticis ipsorum cōmenta, quàm ab Ethnicis Dii sui obseruentur.

*Reliquiæ sanctarum in summa habita veneratione.*

Tanta fuit priscis illis seculis Sanctorum, & eorum reliquiarū veneratio, vt ad Martyrū sepulchra non nisi cum tremore quodam & horrore homines accederent. Quemadmodū cùm alijs in locis, tum vbi vitam beati Babylæ persequitur, à Chrysostomo memoriæ proditum legimus. Cuius etiam in alio quodam loco verba sunt hæc, loquitur autem de Sanctis: Qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti erant & vincti, qui innumera
*Chrysost. tomo 3. in demon. aduersus gent. quòd Christus sit DEVS.* patiebātur dum viuebant, vbi defuncti sunt, Regibus ipsis erant magis venerabiles. Etiam Romæ, quæ vrbiū est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt & Reges, & Præsides, & milites. Et in Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantq; piscatoris ostiarij Reges: neq; hinc in morte confunduntur, sed honestantur, & ipsi & eorum nepotes. Neq; dissimilia reperiuntur apud Augustinum. Quę verò de Babyla Chry-
*Greg. Niss. in orat. laudatoria Theodori Martyris.* sostomus, eadem de aliorum Sanctorum sepulchris narrat Gregorius Nissenus. Quomodo pius homo cùm venerit in alicuius Martyris ædem, illam vt Dei templum admiratur, cupit deinceps etiam ipsi conditorio appropinquare, sanctificationē ac benedictionē, cōtrectationem eius esse credens. Quod si quis etiam puluerem, quo conditoriū, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere accipitur, ac tāquam res magni prętij condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multùm desiderandū & optandum, ac summarū precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti. Quasi corpus enim per se viuens & florens, qui intuentur, amplectūtur: oculis, ori, auribus, omnibus sensuū instrumentis adhibentes, deinde officij & afflictionis lachrymas Martyri, quasi integer esset & appareret, superfundentes, vt pro ipsis deprecator intercedat, supplices preces effecerunt tanquam satellitem Dei orantes, quasi accipientem dona cùm velit, inuocantes. Ex his omnibus, ô populę pie discite, quòd prociosa ac honorata coram Domino sit mors Sanctorum



rum eius. Nam vnum quidem & idem corpus omnium hominum est ex vna massa conflatum, verùm id, quod simplici morte dissolutum est, vt res quęlibet vilis proijcitur. At quod Martyrij affectione gratiosum effectum est, ita est amabile, iucundum, & à multis desideratum & expeditum, vt superior oratio demonstrauit. De Teodosio narrat Ruffinus, quòd is
*Ruff. lib. 2. cap. 32. Eccles. histor.* contra Eugenium prælium inturus, circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia oratorium loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida, Sanctorum intercessione poscebat. Se quoq; solitum Romæ fuisse scribit Hierony. vna cùm cæteris diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrū circuire, crebroq; Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex vtraq; parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorū. De reliquijs Geruasij, Protasij, ac Stephani Martyrum, quan-
*In cap. 40 Ezech.* tus adea fuerit hominum concursus, quot & quanta per eos miracula Deus ediderit, scribit Ambrosius, & eum sequutus Augustinus. Quo etiam in loco moris fuisse scribit, vt
*Ambr. serm. 91. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 28.* recitaretur in templo quid quisque beneficij accepisset. Quod ipsum innuit Maximus quoque Taurinensis Episcopus, in sermone quem habuit de sancto Eusebio Vercellensi Episcopo. Eusebius verò Emissenus grauiter eos redarguens, qui negant venerationem deferendam reliquijs Martyrum, dum sanctæ Blandinæ historiam persequitur. Subijciuntur, inquit, ignes, sed ad hoc tamen valere cognoscuntur vt confecrent: mitigantur bestiæ, sed ad prædam suam feritas impasta miratur. Dilacerata vario tormentorum genere membra, sanctificant flammæ, dum pascere nesciunt: honorant bestiæ, dum sæuire non norunt. Vbi sunt qui dicunt, venerationem sacris Martyrum deferendam non esse corporibus? Ecce cruentæ feritatis immanitas, quæ religionis non recipit sensum, defert veneranionis obsequiū, & quę discretionem rationis ignara non recipit, ad malorum tamen damnationē, quid honoris Sāctis debeatur, agnoscit: ac sic supplicij ministeriū vel instrumentū, miro modo meritorum efficitur, testimonium & dum pietati reuerentiam prestat, profert tacitam de impietate sententiam. Et qui sub idem tempus floruit Paulinus sancti Fœlicis Episcopi Nolani vitam carmine describens, inter cętera sic ait.

*Paulinus in Natali 5.*

*Videas etiam de rure colonos,*
*Non solum gremio sua pignora ferre patrono,*
*Sed pecora ægra manu sæpe introducere secum,*
*Et sancto quasi conspicuo mandare libenter.*
*Moxq; datam: sua confisos ad vota medelam,*
*Expertos gaudere Deo & iam credere sana:*
*Et verè plerumquè breui sanata sub ipso*
*Limine, læta suis iumenta reducere tectis.*

Hic videre licet, minimè nouum & hoc esse, quòd ægra pecora sanctis commendantur: cùm inusu fuerit ante mille ducētos annos: verūm nec hoc nouum est, quòd vestes sanctorum manibus contingantur, quòd Oraria iactitantur. Factitatum etiam hoc est Ambrosij
*Amb. epist. 85. ad sororem.* tempore, quemadmodum ipse testatur, ad sororem scribens ijs verbis: Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à Dæmonijs purgatos: plurimos etiam, vbi vestem sanctorum manibus contegerunt, ijs, quibus laborabant debilitatibus, absolutos: reparata vetusta corporis miracula, quo se per aduentum Domini IESV gratia terris maior infuderat, vmbra quadam sanctorum corporum, plerosq; sanatos cernitis. Quanta Oratoria iactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcūtur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Suo quoq; tempore factū esse refert
*Theod. lib. 8. de curation. Græc. affect. Vide Lipomanum tomo 7.* Theodoretus, vt votorum rei dona persoluerent, atq; alij oculorum, alij pedum, alij manuum simulachra suspenderent, ex auro, argentove cōfecta. Quod qui non ita multò fuit posterior etiam suo seculo factitatum esse scribit Gregorius presbyter Theodori Sycerorum Archimādritę, cuius discipulus fuit, vitam describens. Deniq; sub ipsa propemodū Apostolorum tempora, tantus fuit honor sanctorum Martyrum reliquijs habitus, vt B. Polycarpi corpus Christianis petentibus concedere Iudex noluerit, ne defunctū illum pro Deo colerent, quemadmodum ab Eusebio memorię proditū legimus. Qui hoc ipsum etiam de coporibus Petri, Dorothei, & Gorgonij factum fuisse narrat, quæ cùm iam sepulturæ fuissent
*Eus. libr. 4. cap 15. Eccles hist.* mandata, denuò effoderunt impij, & in mare proiecerunt, dicentes: Ne fortè dij efficiātur
*Epist. 44.* Christianorū, & ij, qui deos adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare. Putant enim quòd diuinus honos apud nos Martyribus deferatur. De qua re pulchrè quoq; scribit Basilius. Quando in Iudaismo moriebantur homines, execranda & detestanda eorū erant cada
*In psal. 115.* uera: At nunc si quis mortē Christi causa oppetit, pretioseq; sunt sanè illius reliquię. Antea quidem in mādatis datum erat Sacerdotibus & Nazareis, ne se aliquo mortuo inquinarent, & si quis mortuum contigisset, pro immundo habebatur, vestesq; abluebantur. Nunc aūt ille, qui contigit ossa Martyris, quandā sanctificationis societatem, & eam gratiam, quæ corpori insidet, assumere putatur. Pretiosa enim est coram Domino mors Sanctorū eius. Ante 1200, annos Eunapius Sophista scripsit de vitis Philosophorum, qui liber recens impressus, cùm hanc nouissimam nostram æditionem adornaremus, in manus nostras peruenit. In eo vitā Ædesij describens, gratiter deplorans Serapidis templū euersum esse, plurimis conuitijs in monachos inuehitur, quorum opera factum id erat, quos Canobi collocatos fuisse dicit, vt pro Dijs, qui animo cernuntur, seruos, & quidem flagitiosos (martyres intelligit) diuinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum cæremoniasq; obligatis. Hi namq; capita eorum, qui propter multa scelera capti fuerant, congregantes, quos ciuilis magistratus extremo supplicio affecerat, pro dijs ostentabant, & genua illis submittebant, eos in numerum Deorum receptabant, ad illorum sepulchra conspurcati. Martyres, inquit, ij vocabantur,

Universidad de Deusto
Biblioteca



bantur, ministri quidam & legati precum apud Deum, cùm fuerint infida mancipia flagris subacta: & quæ cicatrices scelerum, & nequitiæ vestigia, corporibus circumferrent. At eiusmodi nihilominus Deos fert tellus. Ex huius quoque verbis quamuis hominis ethnici, qui magno Christianos odio prosequebatur, quantus honos martyribus, illo seculo delatus fuerit: & quemadmodum tanquam Dij quidam colerentur, videre licet.

Itaq; non est nouum hoc, quod infelici æuo hoc nostro fieri videmus ab hæreticis, vt qui Christum in Sanctis adorant, & eorum precibus adiuuari petunt, idololatriæ insimulétur. Iam inde à multis seculis factitatum id esse narrat Augustinus, cùm à Fausto Manichæo, tum à Maximo Maudarensi, Hieronymus ab Eunomio, & Vigilantio, Cyrillus à Iuliano, tum ab Eunapio & alijs nonnullis, qui idololatriæ Christianos affines esse dixerint, propter singularem cultum, quo sanctos Martyres prosequi videbantur. Contra Faustum quidem scribens Augustinus, negat vlli Martyrum, sed ipsi DEO Martyrum, quamuis in memoriam Martyrum, altaria constituti. Quis enim antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines. Sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata: quantò etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc pugnantes. At illo cultu qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit propriè quædam diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi vnum DEVM. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, vel offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Ad eundem modum & Theodoretus contra Gentes scribens: Atque nos, inquit, ô Greci homines, ne hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deiqúe amicissimos, honoramus.

*Aug. cont. Faust. lib. 21. cap. 21. Et Epip. 43.*

*Sancti eo cultu, quo boni homines hic coluntur.*

*Libr. 8. Græcarum affectionum.*

Nunquid non perspicuè satis declarauit Augustinus hoc loco: qui cultus, qúæue seruitus propriè diuinitati debeatur, quæ contra mortalibus quoq; tribui rectè possit. Imitatio, honor, inuocatio debétur quidẽ Deo, verùm nõ ita propriè, vt nõ etiã ad homines rectè transferri possint. Cæterùm, offerre sacrificium ita est propriè diuinitati debita seruitus, vt qui homini eam tribuerit, idololatriæ crimen effugere non possit. Sicut etiam ex quarta & sexta actione secundæ Niceenæ Synodi colligere licet. Quam etiam ob causam cùm quidam Sacerdos Iouis, Paulo & Barnabæ sacrificare vellet, modis omnibus id eum facere prohibuerunt, quòd se quoq; mortales, & similes illis homines esse dicerent. Hic ergo cultus, hæc seruitus non tribuitur in Ecclesia nisi soli DEO. Imitari verò Sanctos, honorare Sanctos, dicere sancte Petre, ora pro nobis: & licuit in Ecclesia Dei semper, & licebit. Neque alij sunt, qui cultum hunc deberi Sanctis negant, quàm qui sacrificium propriè diuinitati debitam seruitutem ex Ecclesia sublatum prorsus esse cupiunt. Sic suum prius ministris vel amicis, aut filijs potius Dei honorem auferre conantur, quò facilius posteà, qui soli Deo cultus debetur, sacrosancti corporis & sanguinis Christi sacrificium abrogare queant, vt omni sacrificio atq; Sacerdotio spoliatos nos absq; Deo esse faciant. Et hoc est quod paulatim Satanas molitur. Primùm, vt amicos, filiosq; Dei, & membra Christi corporis, deinde vt Deum ipsum nos contemnere faciat, & omnem beneficiorum eius memoriam sempiterna quadam obliuione obruat.

*Cultus quidam sic Deo proprius vt alijs non conueniat, & quidam etiam alijs communis est. Actum 14.*

Verùm hoc, aiunt, est, diuinum honorem in homines transferre: quòd solius Dei propriũ esse videtur, q dixit: Ego Dñs scrutans corpora, & probans renes, id hominibus tribuere, quasi possint aut audire Sancti petitiones nostras, aut motũ cordis eius qui precaturi iudicare. Cæterùm, si quis nefas esse putat hoc homini tribuere, scripturã arguat, quæ tribuit Elisæo, quòd is absens cognouerit, quæ Giesi discipulus eius fecerat, cùm à Naam Syro munera accepisset: quòd omnia verba quæcũq; locutus esset in cõclaui suo Syriæ Rex, cognita habuerit: nec illud ignoraverit, missum esse ab Rege Israël, qui caput suum præcideret. Tribuit eadem & Petro, quòd sciuerit is Ananiam & Saphiram fraudasse de pretio agri. Tractans historiam de Elisæo & Giesi Eucharius: Si, inquit, in hac vita, vbi hominum mirabilium Prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi paruuli ad iuuenem: vidit tamen Elisæus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat. Itáne cùm venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt? Quod si diuini Latinè vocantur, qui vel præterita, vel futura cognoscunt: cur hoc diuinitatis genus non rectè tribuatur Sanctorum spiritibus: quando corpus etiam Elisæi mortuum, ossa Ioseph, quæ vsitata fuerant, post mortem prophetasse legimus? Quid autem aliud est prophetia, quàm quòd à Cassiodoro scriptum est, inspiratio siue reuelatio diuina? Est ne autem verisimile, quod pleraq; reuelata sunt Elisæi cadaueri, reuelata sunt ossibus Ioseph, reuelata sunt Elisæo, reuelata sunt Petro, reuelata sunt alijs quoque Sanctis in terris adhuc agentibus: & non reuelabitur eorundem, aut aliorum etiam sanctorum spiritibus, in beatorum sedes receptis: quid à se petant, quæ degunt adhuc in hac vita membra corporis eiusdem, de quorum salute cum primis illos constat esse solicitos? Sepultus in inferno diues, quid sui fratres agerent, quos in hoc seculo reliquerat, non ignorabat: & ignorabunt spiritus cœlestes, quid agant, quid à se precenrur fratres corruptibile corpus hoc adhuc circumferentes? eruntqúe meliore conditione dæmo-

*Sancti quomodo cognoscant preces viuentium. Hier. 17. 4. Regum 6.*

*4. Regum 3.*

*Actor. 5. Diuini qui dicti. Eccles. 48. Eccles. 49. Prophetia quid. In lib. 4. Regum 10. cap.*

*Luc. 18. Vide August. in Psal. 108.*



mones (quos non omninò latere cordis nostri cogitationes & singulari quadam rerum scientia pollere (vnde etiam nomen traxerunt) Augustinus, & apud Cassianũ Serenus memoriæ prodiderunt) quàm animæ beatorum suauissimo Dei conspectu fruentium? Ipsam animarum vim subtilitate sua pleraque præuidere, maximè cùm à sensibus corporis abstractæ huntur, Gregorius & ante eum Augustinus, testantur. Quãtò plura præuisuros certum est, cùm eum videbunt, qui videt omnia, in quo videbunt omnia, quæcunque Deo visum fuerit eis reuelare? Certè Antonius, animam Deo seruientem, si in ea perseuerauerit integritate, qua renata est, plus scire posse dicit, quàm Dæmones. Talem fuisse narrat animam Elisæi: talis fuit etiam ipse Antonius, sicut vitam illius describens, tradit Athanasius. Talis & Eulogius, si quid Zozomeno credimus, qui, quæ quis in animo recondita habuerit, inspiciebat. Idem Ioanni quoque Heremitæ tribuit Augustinus. Quòd si verum est, quod dixit veritas, quæ mentiri nescit, quòd in resurrectione erimus sicut Angeli in cœlo: Angelos autem non modò scire quid precentur in hoc seculo degentes, verùm etiam Deo preces eorum offerre, manifestè scriptura docet: quid est, quod iam dubitet quisquam, quin animæ piorum desideratissimo Dei conspectu fruentes, non ignorent quid à se petant fratres in terris agentes, siuè reuelantibus Angelis, quod Dionysio visum est: siue quod Hieronymo placuit, celeritate quadam percipiẽdi, cùm similes Angelis facti sint: siue quia vidétes vidétem omnia, in eo & per eum vident omnia. Quid enim est, inquit Gregorius, quod ibi sanctorum animæ nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Quis ibi aliquid nesciat, ait ante Gregorium Dionysius, vbi omnes fontem scientiæ Deum vident? Certè qui intus omnipotentis Dei claritatam vident, nullo modo credendum est, quia foris aliquid sit quod ignorent: Quærit Athanasius, An memoriam nostri habeant abeuntes animæ? Et respondet: Animæ quidem Sanctorum omninò: peccatorum verò, nequaquam. Et æqualis eius Prudentius, de Hymetrio & Chelydonio Martyribus scribens. Non sinunt inane vt vllus vorientis atque Theodoretus etiam, Platonis testimonio, probare nituntur piorum animas in beatorũ sedes receptas, mortaliũ in terris degentium curam gerere. Recitatis Platonis verbis Eusebius: Hæc nos, inquit, quotidie factitamus: qui veræ pietatis milites, vt DEI amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaqúe ipsis faciemus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum nos non parum iuuari profitemur.

*Dæmon vnde dictus.*

*Aug. lib. 9. de ciuit. Dei c. 20. & 22.*

*Cass. Colla. 7. c. 1.*

*Greg. lib. 4. dial. c. 25.*

*Aug. de gen. ad lit. lib. 11. c. 16.*

*Lib. 6. cap. 28.*

*Lib. 5. de ciuit. Dei c. 26. & de cura pro mortuis cap. 17.*

*Matt. 28.*

*Zach. & Tob. 1.*

*Apoc. 5.*

*Dionys. cap. 4. cœlest. Hierarch.*

*Hier. cont. Vigil.*

*Greg. lib. 4. dia. ca. 32. & lib. 12. mor. cap. 13.*

*Dion. ca. 11. cœlest. Hier.*

*Ath. in quæst. quæstio 32.*

*Prud. in lib. Periste. Ode. 1.*

*Sanctos iam esse cum Christo.*

*Euseb. lib. 13. ca. 7. præpar. Euang.*

*Theod. lib. 8. Græcarum affect.*

Verùm, vt qui semel è via recta deflexerunt, eos in alium atq; alium errorem incurrere videre licet, sic in ijs, qui à vero semel aberrauerunt, error alius alium trudit: Neq; enim desunt, qui cùm falsam opinionem suam, de non inuocandis Sanctis, alia ratione confirmare non possint, eò tandem audaciæ atq; amentiæ prorumpant, vt asseuerare non dubitent, nõ dum esse potitos sanctos eius conspectu suauissimo, in quem Angeli prospicere desiderant: sed adhuc in abditis quibusdam receptaculis, extremum expectare generalis iudicij diem: in quo redditurus vnicuiq; sit Deus iuxta opera sua. Hoc verò est mediatorem Christum negare, hoc est alium cum Iudæis Messiam expectare, qui de nouo quodam limbo defunctorũ animas iterum educat: hoc est dicere, Ergo Christus gratis est mortuus. Nam sicut superius à nobis dictum est, quis erit fructus passionis & mortis Christi, si non melior nunc est nostra conditio, quàm fuit patrum qui Christi passionem & mortem præcesserunt? Si æquè vt illis, clausa nobis adhuc est cœli ianua, quam nos illius morte nobis apertam esse persuasum habemus? Quæ autem fuit causa, quamobrem vel illi tantoperè desiderarẽt venturi Messiæ incarnationem, vel nos de eo, quòd is tãdem aduenerit, vnà cum illis adeò lætaremur: si carendum nihilominus, & illis, & nobis est eius visione: neq; prius ea perfruendum, quàm extremus ille generalis iudicij dies aduenerit? Dum Paulã consolatur Hieronymus super obitu filiæ, inducit eam dicentem: quomodo lugere me prohibes, cum & Iacob, & Dauid, & alios in scripturis luxisse legamus? Quod illi luxerunt, causam hanc adfert: quia, qui tum ex hac vita migrabant, omnes in infernum descendebant: quia nec dum paradisi ianuam Christus effregerat, nec dum flammeam illam rompheam & vertibilem præsidentium Cherubin sanguis eius extinxerat. Ex quibus Hieronymi verbis rectè colligi potest, quòd Christi sanguinis merito detrahunt, qui negant ijs, qui cum fide obdormierunt in Christo, & magna cũ pietate vixerunt in hoc sæculo, ianuam regni cœlestis apertam esse. Scribit aũt eadem Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, in Epitaphio Nepotiani. Quid autem? nunquid non huic istorum insaniæ manifestè scriptura reclamat & veteris & noui Testamenti, quæ simul vt homo fuerit mortuus, vel pœnas eum debitas persoluere: vel si nihil in eo sit, quod purgãdum restet, euestigiò cœlestis regni præmia consequi docet? Ducunt, inquit, in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Mortuus est diues, ait Christus, & sepultus est in inferno. Latroni contrà in cruce pendenti dicit ipse quoq; cruci affixus: Hodie mecũ eris in Paradiso. Rursus alibi scriptura loquitur: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Porrò Paulus cùm dixisset: Id quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quę autem non videntur, æterna. Subiungit ilicò: Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Quibus verbis annon clarè indicat, quòd simul vt ex diuersorio corporis huius anima migrauerit, ad æternam illam cœlestem domum euestigiò transfertur? Quòd si quis contenderit, spe tantum id fieri tum, non autem re, quid aliud ex eo consequetur, quàm quòd nihilo melior futura sit animæ conditio iam à corpore separatæ, quàm eiusdem adhuc in corpore permanentis?

*Damon vnde dictus.*

*1. Pet. 3.*

*Gal. 2. Obiectio.*

*Hieron. Epistola 25. Epistola 3.*

*Iob. 21. Luc. 16. Luc. 23. Apoc. 2. 2. Cor. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quorsum igitur attinebat dicere: Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: quandoquidem etiam illa non dissoluta, peraeque sperare nobis domum illam coelestem licet? qui (quod ab eodem Paulo dictum est alibi) spe salui facti sumus. Verùm & hunc scrupulum exemit nobis Paulus, & omni prorsus nos dubitatione liberauit, cum paucis interiectis, ita loquitur: Audentes igitur semper & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem, audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & praesentes esse ad Dominum.) Quid magis dilucidè dici potuit ad id quod volumus ostendendum? Sicut mercenarius praestolatur finem operis sui: sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, sic sitiebat anima Pauli ad Deum fontem viuũ, atq; ideò cupiebat ab isto corpore peregrinari, vt illius praesentia frui posset, quem tanto ardore videre gestiebat. Hoc est quod alio quoq; loco dixit: Habere se desiderium dissolui, & esse cum Christo. Quorsum autem peregrinari à corpore, quorsum dissolui cupiebat, si nihilominus tam desiderato Christi aspectu fruendum illi non erat? si dissolutione facta, fuit nihilominus expectandus extremus generalis iudicij dies, quo primum ei videndi Christi potestas fieret? Praeclarè Chrysostomus explicans hûc Pauli locum: Quid eligam ignoro; desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Quid dicis, inquit, Paule? Cùm hinc abiens in ipsum coelũ migraturus sis, atq; cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas? Et alio loco: Videbimus, inquit Paulum apud regalem thronũ splendentem, vbi Cherubin Deum glorificant, vbi Seraphin volant, ibi Paulum videbimus cũ Petro in Sanctorũ choro coriphaeum existentẽ. Quis nõ videt q̃ inepta quàm absurda sit haec opinio, etiamsi Graeci quidam non ignobiles in ea fuisse videntur. Quamuis Cyrillus contrarium non obscurè senserit, sic scribens ad Reginas libro secundo de recta fide: Olim, inquit, liberatae à corporibus animę hominum in subterranea receptacula demittebantur, implentes mortis promptuaria: vbi autem Christus spiritum suum Patri commendauit, etiam hanc nobis praeparauit viam: non enim ingredimur in infernum, absit, sequemur autem potius, secundum hoc ipsi & fideli Conditori nostras commendatas animas in bona spe, fusciabit enim omnes Christus. Itidem & Basilius: An non extremi stuporis est, inquit, Sanctos fateri cum Christo non esse: quandoquidem Paulus peregrinans à corpore, praesens est apud Dominum, & resolutus iam est cum Christo: istos verò non concedere Spirituisancto quantum in ipsis est, vt vel eodem modo, quo homines cum Christo sit. Et Chrysostomus enarrans illud: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. His verbis, inquit, ostendit resurrectionem post mortem, vbi Christus, In coelis. Ergo ante resurrectionem illuc anima & mente transferemur.

*Rom.8.* *2.Cor.5.* *Iob 7.* *Psal. 41.* *Phil.1.* *Serm. 4. in epist. ad Philipp.* *Ser. 32. in epist. ad Rom.* *Sanctos nondum esse cum Christo opinabantur malè quidam Graeci.* *Cyrillus.* *Basil. de spir. sancto ad Amphil.*

Verùm, isti hic quaerunt, quis generalis iudicij sit vsus futurus, si ante illud mercedem quisq; suam recepturus est? Respondet huic quaestioni Gregorius: q; hoc animabus crescit in iudicio, quod nunc animarũ sola, postmodũ verò etiã corporũ beatitudine perfruuntur, vt ipsa quoq; carne gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatusq; pertulerunt. Pro hac quippè geminata earum gloria scriptum est, in terra sua duplicia possidebunt. Hinc etiam ante resurrectionis diem de Sanctorum animabus scriptum est: Datae sunt illis singulae stolae albae, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conseruorum & fratrum eorum. Qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in iudicio stolas habituri sunt: quia modò animarum tantùm, tunc autem animarum simul & corporum gloria laetabuntur. Crescit & illud in iudicium, sicut Chrysostomus docet, explicans hûc Pauli locum: Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur, quòd augetur electorum gaudium & glorificatio, cùm fratres quoq; suos coronari simul vident. Si enim corpus vnum omnes sumus, maior ex hoc efficitur corpori iucunditas, cùm simul & communiter coronatur, & nõ per partes. Quod etiam vberius tractatur ob Origene in Leuiticum scribente. Et à Gregorio Nisseno, vbi de resurrectione tractat, & à Bernardo in lib. de diligendo Deo. Extat praeclarus quidam sermo Theodoreti, in quo docet: Quandoquidem in certamine quod in hac vita fuit, nuit anima, socium corpus habuit, non esse rationi consentaneum, vt vel si vicerit, sola coronetur, vel si non sit victoriam consequuta, sola puniatur. In quo sicut animam hominis damnati quaerentem de carne inducit, cùm illius impulsu peccauerit, vt sociam illam habeat in cruciatu postulantem: sic vicissim carnem iustum illum Iudicem deprecantem: quandoquidem illa ministra vsa est anima in ijs omnibus faciendis, quibus aeternam beatitudinem est assequuta, vt sicut laborum, sic etiam esse gloriae particeps queat. Nec minus eleganter ea de re disserit Eusebius Emissenus ita scribens: Quid necessitatis est, vt quae nihil per se agere potuit, rursum suscitetur in vitam? videamus charissimi, si nihil in hoc seculo egerunt, vel agunt iuncta spiritui suo carnis officia, vtriusque hominis inter se opera conferant, vt dicat fidelis spiritus in die restitutionis auctori & reparatori suo: suscipe Domine, geminum animae, carnisq; seruitium. Te iubente & adiuuante in illo seculo communem hostem communi intentione deuicimus: habet itaq; Domine speciales fructus & fragilitas corporis mei. Ego intellectu, discretione, consilio, spiritualiter contra aduersarios steti: caro haec corporaliter, operis sudore, sobrietate & ieiunijs dimicauit. Ad me pertinuerunt sacrificia & supplicationes: ad hanc studia & merita castitatis. Ego quidem huic fidem quam dederas tradidi, sed contra impugnantia blandimenta, virtutem de eius abstinentia & contritione mutuata sum. Dicat adhuc anima ad Deum suum pro emundatione carnis suae: Domine Deus, dignante prouidentia tua, caro haec per me quidem animata atq; vegetata est, sed sola ipsa pro originali & communi debito, vim mortis experta est vtriusque transgressio vnius est facta damnatio: pro iure factoris ac reparatoris, ad me viuificatio, ad illam pertinuit correctio. Tu hanc carnem, dum in ea saluti publicae militas, honorasti: tu quidem intus in animam faciem

*Iudicij generalis vsus.* *Greg. lib. 4. dialo. cap. 24.* *Apoc. 6.* *Chrys. Hom. 28. in epi. ad Heb.* *Orig. hom. 7.* *Greg. ser. 3.* *Theo. de prouidentia sermo. 9. & Haereticarum fabularum lib. 5.* *Et in Polymorpho. Dial. 3.* *Ser. 11. de ascẽsione.*



faciem similitudinis tuæ nobilitate decorasti: sed in huius substantia, fel, acetum, spinas, clauos, lanceam pertulisti. Tu quantum ad conditionem meã spectat, quam ex homine suscepisti in carnis huius vulneribus de Diabolo triumphasti, tu non de mea, sed de eius passione, sacrum pro hoc mundo sanguinem profudisti. Te in ea Apostolus Thomas perfossum conspiciens, latus, & per clauorum signa carnalia Deum esse testatus est. Tu in Deitate tua, per huius agnitus cicatrices in suo hominem corpore reparandum & instaurandum esse docuisti: ego autem nisi eam te suscitante recuperassem, ex inferis non redissem. In omnibus mandatis tuis ego imperium prætuli, illa famulatum. In commune laborauimus, sit commune quod tribues, quia sine illa non patitur me iustitia tua recipere, quod promittis. Agnoscamus ergo fratres, causas, quibus anima iam in Paradisi beatitudine constituta, resumere proprij corporis desideret indumentum, vt qui simul desudauerunt in seculi huius peregrinatione, simul illic glorificentur in requie. Ante quos omnes Tertullianus, Dum carо, inquit, nostra ministra & famula animarum deputatur consors, & cohæres inuenitur, si temporalium, cur non & æternorum. Qui videtur Irenæi sententiam sequutus dicentis: Corpora quæ participauerunt iustitiæ, cum animabus, quæ similiter participauerunt obtinebunt refrigerij locum. Siquidem potens est iustitia illuc transducere ea, quæ participauerint ei: & verus & firmus emergit de resurrectione corporum sermo.

*Tert. lib. de Carnis resur. lib. 2. c. 51.*

Sed hæc ad probandum Sanctorum inuocationem, simul ad ostendendum, quòd oratio nes nostras Sancti cognoscant, dicta sufficiant. Nunc orationem dominicam, in qua Tertullianus, breuiarium totius Euangelij comprehendi scribit, eius discipulum Cyprianum explicantem audiamus: cuius hunc librum commendans Augustinus, hortatur, vt eum diligenter legant, & quantum Dominus adiuuerit, intelligant, memoriæq; commendent.

*De gratia & liber arbitrio, ca. 13.* *In lib. de orat.*

*Expositio Dominicæ orationis, auctore beato Cypriano martyre, quam ita describi fecimus, quemadmodum in exemplari quodam peruetusto & valdè castigato scriptam reperimus, quod communicauerat nobiscum amicus ille noster Gabriel Faernus, vir non magis doctrina quàm probitate insignis,*

## CAP. LIX.

*Euangelica præcepta quid sint.*

EVangelica præcepta, fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quàm magisteria diuina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia regna perducunt. Multa & per Prophetas seruos suos dici Deus voluit & audiri, sed quãtò maiora sunt, quæ filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in Prophetis fuit, propria voce testatur? non iam mandans, vt paretur venienti via, sed ipse veniens, & viam nobis aperiens & ostendens, vt qui in tenebris mortis errantes improuidi & cæci prius fuimus, luce gratiæ illuminati, iter vitæ duce & rectore Domino teneremus. Qui inter cætera salutaria sua monita & præcepta diuina, quibus populo suo consulit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit & instruxit. Qui fecit viuere, docuit & orare, benignitate scilicet, qua & cætera dare & conferre dignatus est, vt dum prece & oratione ea, quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Iam prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent patrem in spiritu & veritate, & impleuit quod antè promisit, vt qui spiritu, & veritatem de eius sanctificatione percepimus, de tradition quoque eius verè & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & sanctus spiritus missus est? Quæ vera magis apud patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est veritas, de eius ore prolata est? vt aliter orare, quàm docuit non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit & dixerit: Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Oremus itaq; fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat pater filij sui verba, cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeamus apud patrem aduocatũ pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris, petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cùm dicat: Quia quæcunq; petierimus à patre, in nomine eius, dabit nobis, quantò efficacius impetramus, si quod petimus, in Christi nomine petamus eius oratione.

*Oratio domini cæteris anteferenda.* *Matt. 15.* *Ioan. 16.*

*Oratio qualis.*

Sit autem orationibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est diuinis oculis, & habitu corporis & modo vocis. Nam vt impudentis est clamoribus strepere, ita contrà congruit verecundo modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secretò nos orare præcepit, in abditis & secretis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit fidei, vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire, omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nónne cœlum & terram ego impleo? Et iterum. In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus: nec, petitionem commendandam modestè Deo, tumultuosa loquacitate iactare.

*Orandum etiam in secretis locis, quia deus vbique audit & videt.* *Hier. 23.* *Prouerb. 15.*

*Sacrificium.*

*Oratio nõ clamosa, sed quieta esse debet*

*Luc. 5.*

ctare. Quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, prouocante Domino, & dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Et alio loco: Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis. Quod

*Hier. 17.*

*Anna typus Ecclesiæ.*

*1. Reg. 1.*

Anna in primo libro regnorum Ecclesiæ typum portans, custodit & seruat, quæ Deum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide: Loquebatur nō voce, sed corde, quia sic sciebat Deum audire, & impetrauit efficaciter quod petijt, quia fideliter postulauit. Declarat scriptura diuina, quæ dicit: Loquebatur in corde suo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Dominus Deus. Item legimus in Psalmis: Dicite in cordibus & in cubilibus vestris, & compungimini. Per Hieremiam quoq; hæc eadem Spiritus sanctus suggerit & docet, dicens: In sensu autem verbi debet adorari Dominus.

*Psalm. 4.*

*Hier. 29.*

*Orandi. ad orandique modus.*

*Luc. 18.*

Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Pharisæo & Publicanus orauerit: non alleuatis impudenter ad cœlum oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium: Et cùm sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui sic rogauit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cùm innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter orauit, & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit. Quæ Dominus in Euangelio suo ponit, & dicit: Homines duo ascenderunt in templum orare, vnus Pharisæus, & alter Publicanus: Pharisæus autem cùm stetisset, talia apud se precabatur: Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iste: ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcunq; possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, & neq; oculos volebat ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus magis in domum suam, quàm ille Pharisæus. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

*Matt. 6.*

*Pater noster.*

Quæ nos, fratres dilectissimi, de diuina lectione discentes, postquam cognouimus qualiter ad orationem accedere debeamus, cognoscamus, docente Domino & quid oremus. Sic, inquit, orate: *Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos à malo, Amen.*

*Oratio sit communis & publica.*

*Dan. 7.*

Ante omnia pacis Doctor atque vnitatis Magister, singulatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cum precatur, pro se tantùm precetur. Non dicimus, Pater meus, qui in cœlis es: nec panem meum da mihi hodie. Nec dimitti sibi tantùm vnusquisque debitum postulat, aut vt in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur, pro se solo rogat: Publica est nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ Magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit. Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat scripturæ diuinæ fides, & cùm docet, quomodo orauerint, tale dat exemplum, quod imitari in precibus debeamus, vt tales esse possimus. Tunc, illi tres, inquit, quasi ex vno ore, hymnum canebant, & benedicebant Deum. Loquebantur quasi ex vno ore, & nondum illos Christus orare docuerat: & idcirco orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo, quia promerebatur Deum pacifica, &

*Actor. 1.*

simplex, & spiritualis oratio. Sic & Apostolos cum discipulis post ascensum Domini inuenimus orasse: Erant, inquit, perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quæ fuerat mater Iesu, & fratribus eius. Perseuerabant in oratione vnanimes, orationis suæ instantiam simul & concordiam declarantes. Quia Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam & æternam domum, nisi eos apud quos est vnanimis oratio.

*Psalm. 67.*

Qualia autem sunt, fratres dilectissimi, orationis dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm magna, quàm breuiter in sermone collecta, sed in virtute spiritaliter copiosa? vt nihil omnino prætermissum sit, quòd non in precibus atque orationibus nostris cœlestis doctrinæ comēpdio comprehendatur. Sic, ait, orate: *Pater noster, qui es in cœlis.* Homo nouus renatus, & Deo suo per gratiam eius restitutus, Pater, primo in loco dicit, quia filius esse iam cœpit. In sua, inquit, propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, vt filij Dei fierent ijs, qui credunt in nomine eius. Qui ergo credit in nomine eius, & factus est Dei filius, hinc iam debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur se Dei filium, dum nominat patrem sibi esse in cœlis Deum: contestetur quoque inter prima statim natiuitatis suæ verba renunciasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse, & habere cœpisse qui sit in cœlis, sicut scriptum est: Qui dicunt patri & matri, Non noui te, & filios suos non agnouerunt, hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum seruauerunt. Item Dominus in Euangelio suo præcepit, ne vocemus nobis patrem super terram: quòd scilicet sit nobis vnus pater, qui est in cœlis. Et discipulo, qui mentionem defuncti patris fecerat, respondit: Sine, vt mortui sepeliant suos mortuos: dixerat enim patrem suum mortuum, cùm sit credentium pater viuus.

*Matt. 6.*

*Ioan. 1.*

*Patrem cur appellamus Deum.*

*Deut. 33.*

*Matt. 23.*

*Matt. 8.*

*Noster.*

Nec hoc solùm, fratres dilectissimi, animaduertere & intelligere debemus, quòd appellemus patrem, qui sit in cœlis: sed coniungimus & dicimus: Pater noster, id est, eorum, qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis natiuitate reparati, filij Dei esse cœperunt. Quæ vox etiam Iudæos perstringit & percutit, qui Christum sibi per Prophetas an-



nunciatum, & ad se prius missum non tantùm spreuerunt infideliter, sed & crudeliter necauerunt. Qui iam non possunt patrem Deum vocare, cùm Dominus eos confundat & redarguat dicens: Vos de diabolo patre estis, & concupiscentias patris vestri vultis facere. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in illo. Et per Esaiā Propheram Deus clamat indignans: Filios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ Genti peccatrici, populo pleno peccatis, semini nequam, filijs sine lege. Dereliquistis Dominum, & in indignationem misistis sanctum Israël. In quorum exprobrationem Christiani, quādo oramus, Pater noster primo in loco dicimus, quia noster esse cœpit, & Iudæorum (qui eum reliquerunt) esse desijt: nec peccator populus potest esse filius, sed quibus remissio peccatorum datur, ei filiorum nomen ascribitur, eis æternitas repromittitur, Domino ipso dicente: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum: quanta autem est Domini benignitas ea, quanta circa nos dignationis eius & bonitatis vbertas, qui sic nos voluit orationem celebrare in conspectu Dei, vt Dominum Deum Patrem vocemus, & vt est Christus Dei filius, sic & nos Dei filij nuncupemur. Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare.

*Iudæi non possunt Deum vocare patrē suum.*

*Ioan. 8.*

*Esai. 1.*

*Ibidem.*

*Ioan. 8.*

Meminisse itaq; fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Deum patrem dicimus, quasi filij Dei agere debem⁹: vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersemur quasi Dei templa, vt Deum in nobis cōstet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu, vt qui spiritales & cœlestes esse cœpimus, non nisi spiritalia & cœlestia cogitemus & agamus, quia & ipse Deus dixit. Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit: Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, clarificate & portate Deum in corpore vestro.

*Viuere debemus ut filij Dei.*

*1. Reg. 12.*

*1. Cor. 6.*

Post hoc dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*: non quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed qd petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterū à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, ideò petimus: & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædicat, dicens: Neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum appetitores, neq; fures, neq; fraudulenti, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Sanctificatos nos dicit in at, oramus. Et quia Dominus & Iudex noster sanato à se & viuificato comminatur, iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur.

*Lenit. 20.*

*Sanctificationem quam petamus.*

*Delinquimus quotidie.*

*1. Cor. 6.*

Sequitur in oratione (*Adueniat regnum tuum.*) Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus, sicuti & nomen eius, vt in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat, aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non definit? Nostrum regnum petimus aduenire à Christo nobis repromissum. Christi sanguine & passione quæsitum, vt qui in sæculo antè seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut & ipse pollicetur & dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Potest verò, fratres dilectissimi, & ipse Christus esse regnum Dei, quod uenire quotidie cupimus: cuius aduentus vt citò nobis repræsentetur optamus. Nam cùm resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic & regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Benè autem regnum Dei petimus, id est, regnum cœleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renunciauit iam seculo maior est & honoribus eius & regno, & ideò qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat.

*Aduenias regnum tuum.*

*Matt. 25.*

*Christus regnum Dei dicitur.*

*Regnum cœleste & terrestre.*

Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cœlesti, sicut Iudæi, quibus hoc promissum prius fuerat, exciderunt, Domino manifestante & probante: Multi, inquit, venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: Filij autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & stridor dentium. Ostenditur quia antè filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei esse perseuerabant. Postquam cessauit circa illos nomen paternum, cessauit & regnum. Et, ideò nos Christiani qui in oratione appellare patrem Deum cœpimus, & nos vt regnum Dei nobis veniat oramus: addimus quoque & dicimus: (*Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.*) non petimus vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quò minus quod velit, faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quò minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est. Denique & Deus infirmitatem hominis, quam portabat, ostendens ait: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Et exemplum discipulis suis tribuens, vt non voluntatem suam, sed Dei faciant, addidit dicens: Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu. Et alio loco dicit: Non descendi de cœlo, vt faciam voluntatem meam, sed eius qui me misit. Quod si filius obaudiuit, vt faceret patris voluntatem: quantò magis seruus obaudire debet, vt faciat domini voluntatem?

*Continua prece opus est*

*Matt. 8.*

*Fiat voluntas tua, &c*

*Rom. 9.*

*Esa 45.*

*Voluntas Dei prouectio.*

*Matt. 20*

Universidad de Deusto
Biblioteca



1. Ioan. 2. sicut in epistola sua Ioannes quoque ad faciendam voluntatem Dei hortatur & instruit, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quę non est à patre, sed ex concupiscentia mundi: & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum.

*Voluntas Dei quæ.* Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus est voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & docuit & fecit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere: Deum toto corde diligere: amare in illo, quòd pater est: timere, quòd dominus Christus omnibus præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit, charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere: quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fidei am, *Sicut in cælo & in terra.* qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem patris implere. Fieri autem petimus voluntatem Dei, vt in cœlo & in terra, quod vtrunq; ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra & spiritum possideamus è cœlo, *Collu&tatio carnis & spiritus.* ipsi terra & cœlum sumus, & in vtroque id est, & corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio, vt non quæ volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia & *Opera carnis.* diuina quærit, caro terrena & secularia concupiscit: & ideò petimus inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, vt dum & spiritu & carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, anima seruetur. Quod apertè atque manifestè Apostolus Paulus sua voce *Gal. 5.* declarat: Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non quæcunque vultis, ipsa faciatis. Manifesta autem sunt facta carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, prouocationes, simultates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus *Opera spiritus.* autem spiritus est charitas, gaudium, pax, bonitas, magnanimitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Et idcircò quotidianis, imò continuis orationibus hoc precamur & in cœlo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri, quia hæc est voluntas Dei, vt terrena cœlestibus cedant, spiritualia & diuina prævaleant.

*Alia interpretatio.* Potest etiam sic intelligi, fratres dilectissimi, vt quoniam mandat & monet dominus etiã inimicos diligere, & pro ijs quoq; qui nos persequuntur, orare: petamus & pro illis qui adhuc in terra sunt, & necdum cœlestes esse cœperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam *Matth. 5.* Christus hominem conseruando & redintegrando perfecit. Nam cùm discipuli ab eo non *1. Cor. 15.* iam terra appellentur, sed sal terræ, & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum verò de cœlo, meritò & nos qui esse debemus Patri Deo similes, (qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos) sic Christo monente oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus: vt quomodo in cœlo id est, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, vt essemus de cœlo: ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cœlestes, ex aqua & spiritu nati.

*Panem nostrum quotidianum.* Procedente oratione postulamus & dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod potest & spiritualiter & simpliciter intelligi: quia & vterq; intellectus vtilitate diuina proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus pater noster, quia intelligentium & credentium pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, (qui corpus eius contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & *Ioan. 6.* non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de eius pane: vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt: ita contrà timendũ *Ibidem.* est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, separatus remaneat à sa- *Alias Christi carnẽ.* lute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nõ habebitis vitam in vobis. Et ideò panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus.

*Alia interpretatio. Alias non est spiritualis. Luc. 14. Diurna debet esse petitio nostra. Mat. 6.* Potest verò & sic intelligi, vt qui seculo renunciauimus, & diuitias eius & pompas fidei gratia spiritalis abiecimus, cibum nobis tantùm petamus & victum, cùm instruat dominus & dicat: Qui non renunciauerit omnibus, quę sunt eius, nõ potest meus discipulus esse. Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundum vocem magistri sui renũcians omnibus, quę possidet, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis nostræ extẽdere, ipso iterum domino præscribente & dicente: Nolite in crastinum cogitare: crastinus enim dies ipse cogitabit sibi, sufficit diei malitia sua. Meritò ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur, quia & contrarium nobis est & repugnans, vt quæramus in seculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire. Sic



Sic & B. Apostolus monet, formans & corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem: Nihil, in- *1. Tim. 6.* quit, intulimus in hunc mundum, verùm neq; auferre quid possumus. Habentes itaq; exhibitionem & tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in *Cupiditas malorũ radix.* tentationem & muscipulas diaboli, & desideria multa & nocentia, quæ mergunt hominẽ in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidã appetentes naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Docet non tantùm contẽnendas, sed & periculosas esse diuitias, illic esse radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Vnde & diuitem stultum seculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem redarguit Deus, dicens: Stulte, hac nocte expostulatur anima tua: quæ ergo parasti, cuius erunt? Lætabatur stul- *Luc. 12.* tus in fructibus nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat. Cõ- *Matt. 9.* trà autem Dominus perfectum & consummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atque in vsum pauperum distributis, thesaurum sibi condit in cœlo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam dominicæ passionis imitari, qui expeditus & succinctus, nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, sed solutus ac liber, facultates suas ad Deum ante præmissas, ipse quoq; comitatur. Ad quod vt possit vnusquisq; nostrũ parare se, sic discit orare, & de orationis lege *Non decet vitiũ* qualis esse debat, noscere. Neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum *iusto.* sit: Non occidet dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui & senui, & non vidi iu- *Pro. 10.* stum derelictum, neque semen eius quærens panem. Item Dominus promittat & dicat: No- *Psal. 36.* lite cogitare dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo vestiemur? hæc enim natio- *Matt. 6.* nes quærunt. Scit pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primùm regnum & iustitiam Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Quærentibus regnum & iustitiam Dei, *Dan. 14.* omnia promittit apponi. Nam cùm Dei sint omnia, habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu iussu Regis incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes & parcentes, homo Dei pascitur. Sic alitur Helias in fuga & in solitudine coruis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus in persecutione *3. Reg. 17.* nutritur. Atq; ô humanæ malitiæ detestanda crudelitas, feræ parcunt, aues pascunt, homines insidiantur & sæuiunt.

Post hæc & pro peccatis nostris deprecamur, dicentes: *Et remitte nobis debita nostra, sicut* *Remitte nobis debita nostra.* *& nos remittimus debitoribus nostris.* Post subsidium cibi, petitur & venia delicti: vt qui à Deo pascitur, in Deo viuat, nec tantùm præsenti temporali vitæ, sed & æternæ consulatur, ad quam veniri potest, si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat, sicut in Euangelio suo dicit: Remisi tibi omne debitum, quia me rogasti. Quàm autem necessariè, quàm pro- *Matth. 18.* uidenter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur: vt dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur sese peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique Ioannes in epistola *Nemo sine peccato.* sua ponit, dicens: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & ve- *1. Ioan. 1.* ritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. In epistola sua vtrunque complexus est, quòd & rogare pro peccatis debeamus & impetremus indulgentiam, cùm rogamus. Ideò & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reseruantem. Quia qui orare nos pro debitis, & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit & veniam secutu *Matt. 7.* ram. Adiunxit planè & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens: vt *Ibid. 18.* sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcircò & alio loco dicit. In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Et qui seruus post dimissum sibi à Domino omne debitum, conseruo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conseruo suo noluit, quod sibi à domino *Matt. 11.* indultum fuerat, amisit. Quæ adhuc fortius Christus in præceptis suis maiore censuræ suæ vigore proponit. Cùm steteritis, inquit, ad orationem, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester, qui in cœlis est remittat peccata vobis: si autem vos non remiseritis, neque pater vester, qui in cœlis est, remittet peccata vobis. Excusatio tibi nulla in die iudicij supereſt, cùm secundum tuam sententiam iudiceris: & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Pacificos enim & concordes atque vnanimes esse in domo sua Deus præcepit: & qua- *Pacem nos Deus co* les nos fecit secunda natiuitate, tales vult renatos perseuerare, vt qui filij Dei esse cœpimus, *lere vult.* in Dei pace maneamus: & quibus spiritus vnus est, vnus sit animus & sensus. Sic nec sacri- *Vindictæ & vltio* ficium Deus recipit dissidentis, & ab altari reuertentem prius fratri reconciliari iubet, vt *nis appetens remis* pacificis precibus Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo maius est pax nostra, & fraterna *sionis peccatorum* concordia, & de vnitate patris & filij & spiritus sancti plebs adunata. Neque enim in sacrifi- *capax non est.* cijs, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iustus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordiæ pace. Meritò ille dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, vt martyrium primus ostendens, initiaret & sanguinis sui gloria dominicam passionem, qui & iustitiam Domini habuerat, & pacem. Tales denique à Domino coronantur, tales in die iudicij à Domino vindicabuntur. Cæterùm discordans & dissidens, & pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus *Gene. 4.* Apostolus & scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissen- *Ad offerendum quo* sionis fraternæ poterit euadere, quia sicut scriptum est: Qui fratrem suum odit homicida *modo accedendum.* est, nec ad regnũ cœlorum peruenit, aut cum Deo viuat homicida, Non potest esse cũ Chri- *Alias cum domino* sto, *iudicabunt.* *1. Ioan. 3. Dissensio cauenda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sto, qui imitator Iudæ maluit esse, quàm Christi: Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod martyrio non potest expiari?

*Ne nos inducas in tentationem.*

Illud quoq; necessariò admonet Dominus, vt in oratione dicamus: Et ne patiaris nos inducì in tentationem. Qua in parte ostenditur, nihil contra nos aduersari posse, nisi Deus antè permiserit, vt omnis timor noster & deuotio atq; obsequium ad Deum cõuertatur, cùm in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur: probat scriptura diuina, quæ dicit, Venit Nabuchodonosor Rex Babyloniæ in Hierusalem, & expugnabat eam & dedit eam Dominus in manu eius.

*4. Reg. 24.*

*Esa. 42.*

Datur autem potestas aduersus nos malo, secundum nostra peccata, sicut scriptum est: Quis dedit in direptionem Iacob & Israel eis, qui prædantur illum? nónne Deus cui peccauerunt, & nolebant in vijs eius ambulare, neq; audire legem eius, & superduxit super eos iram animi aduersionis suæ? & iterum Salomone peccante, & à præceptis & à vijs domini recedente, sic positum est: Excitauit dominus Satan ipsi Salomoni. Potestas verò aduersus nos dupliciter datur, vel ad pœnam, cùm delinquimus, vel ad gloriam, cùm probamur: sicuti de Iob factum videmus, manifestante Deo & dicente: Ecce omnia quæcũq; habet, in manus tuas do, sed ipsum, caue ne tangas. Et dominus in Euangelio loquitur tempore passionis: Nullam haberes aduersum me potestatem, nisi datum tibi esset desuper.

*3. Reg. 11.*
*Tentationis causæ pœna vel probatio.*
*Iob. 1.*
*Ioan. 19.*

Quando autem rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atq; arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cùm dominus ipse humilitatem docens, dixerit: Vigilate & orate, ne veniatis in tentationẽ. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cũ timore & honore Dei petitur, ipsius pietati præstetur.

*Mar. 14.*

*Sed libera nos à malo.*
*Per malum quid intelligimus.*

Post ista omnia in consummatione orationis venit clausula, vniuersas petitiones & preces nostras collectas breuitate cõcludens. In nouissimo enim ponimus: Sed libera nos à malo. Comprehendens aduersa cũcta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, à quibus potest esse fida & firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus atq; implorãtibus opem suam præstet. Quando autem dicimus: libera nos à malo, nihil remanet, quod vltrà adhuc debeat postulari, cùm semel protectionem Dei aduersus malum petamus, qua impetrata contra omnia, quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est?

*Esa. 10.*
*Præcepta Dei breuissima.*

Quid mirum, fratres dilectissimi, si oratio talis est, quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breuiauit? Hoc iam per Esaiam Prophetam fuerat antè prædictum, cùm plenus spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur: Verbum consummans, inquit, & breuians in iustitia, quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cùm Dei sermo Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis edidit, præceptorum suorum fecit grande compendium, vt in disciplina cœlesti, discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret, quid sit vita æterna, sacramentum vitæ, magna & diuina breuitate complexus est, dicens:

*Ioan. 17.*

Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

*Deut. 6.*

Item cùm de lege & Prophetis præcepta prima maiora decerperet: Audi, inquit, Israël. Dominus Deus tuus, Deus vnus est, Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: hoc est primum: & secundum simile huic: Diliges proximum tuum tanquàm te. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ: & iterum: Quæcunq; volueritis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc enim lex & Prophetia.

*Matt. 7.*

Nec verbis tantùm, sed & factis orare nos Dominus docuit, ipse orans frequenter & deprecans, & quid facere nos oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptũ est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem & orans: & iterum: Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quòd si ille orabat, qui sine peccato erat, quantò magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem iugiter vigilans, continuis precibus orabat, quantò nos magis in frequẽtanda oratione debemus pocte vigilare? Orabat autem Dominus & rogabat nõ pro se (quid enim pro se innocens precaretur?) sed pro delictis nostris, sicut & ipse declarat, cùm dicit ad Petrum: Ecce Satanas expetiuit, vt vos vexaret quomodo triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus patrem deprecatur, dicens:

*Verbis & factis orare nos Dominus docuit.*
*Luc. 9.*
*Matth. 14.*
*Marc. 6.*
*Oratio Christi fuit pro nobis.*
*Luc. 22.*

Non pro his autem solis rogo, sed & pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Magna Domini propter salutem nostram benignitas pariter, & pietas, vt non contentus, quòd nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, vt quomodo vnum sunt pater & filius, sic & nos in ipsa vnitate maneamus, vt hinc quoq; possit intelligi, quantum delinquat, qui vnitatem scindit & pacem, cùm pro hoc & rogauerit Dominus, volens scilicet plebem suam venire, cùm sciret ad regnum Dei discordiam non venire.

*Ioan. 17.*

*Præparatio ad orationem qualis esse debeat.*
*Cogitatio carnalis abijcienda.*
*Sursum corda.*

Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solùm cogitet quod precatur. Ideò & sacerdos ante orationem præfatione missa, parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda, vt dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem DEI tempore ora-



orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione syncera Deum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare: Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cùm Deum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm id quod cum Deo loqueris? Quomodo te audire à Deo postulas, cum teipsum non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, cum tu ipse memor tui non sis? hoc est, ab hoste in totum non cauere: hoc est quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare. Sicut scriptũ est ex persona Ecclesiæ loquẽtis in Cantica Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat: Quapropter solicitè & cautè Apostolus admonet, dicens: Instate orationi vigilantes in ea: docens scilicet & ostendens eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.

*Oratio debet esse attenta vel intenta.*
*Cant. 5.*
*Coloss. 4.*
*Matth. 3.*

Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum, excidatur, & in ignem mittatur, vtique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus. Et ideò scriptura diuina instruit, dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Nam qui in die iudicij præmium pro operibus & eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius Centurio cum oraret, meruit audiri: Fuit faciens multas eleemosynas in plebem, & semper orans Deum: huic circa horam nonam oranti, astitit angelus testimonium reddens sui operis & dicens: Corneli orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt ad memoriam coram Deo. Citò orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic & Raphaël angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti testis fuit, dicens: Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, & quia non es cunctatus exurgere & derelinquere prandium tuum, & abijsti & condidisti mortuum, & missus sum tentare te. Et iterũ: Me misit Deus curare te, & Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphaël vnus è septem angelis iustis, qui assistimus & conuersamur ante claritatem Dei. Per Esaiam quoque Dominus admonet, & docet similia contestans: Solue, inquit, omnem nodum iniustitiæ, resolue suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem, & omnem cogitationem iniustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti: & domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua citò orientur, & præibit ante te iustitia, & claritas Dei circundabit tè. Tunc exclamabis & Deus exaudiet te, dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adsum. Adesse se repromittit, & audire & protegere se eos dicit, qui iniustitiæ nodos de corde soluentes, & eleemosynas circa domesticos Dei secundum eius præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcepit fieri, ipsi quoque à Deo merentur audiri. Beatus Apostolus Paulus in necessitate pressuræ adiutus à fratribus, opera quæ fiunt, sacrificia Dei dixit esse. Saturatus sum, inquit, percipiens ab Epaphrodito ea, quæ à vobis missa sunt, odorem suauitatis, sacrificium acceptum & placitum Deo. Nam quando quis miseretur pauperis, Deo fœnerat, & qui dat minimis, Deo donat, spiritualiter Deo suauitatis odorem sacrificat.

*Orationis comites ieiunium & eleemosyna.*
*Tob. 12.*
*Cornelius Centurio.*
*Act. 10.*
*Tob. 12.*
*Raphaël angelus.*
*Esa 54.*
*Esai. 58.*
*Philip. 4.*

In orationibus verò celebrandis inuenimus obseruasse tres cum Daniele pueros, in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat: Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem: Et quando à septima nona completur per ternas horas trinitas perfecta numeratur, quæ horarum spatia iam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei statutis & legitimis ad precem temporibus seruabant, & manifestata postmodum res est, sacramentum olim fuisse, quod antè sic iusti precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter & voce Dei monentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis Gentibus antè dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi præter horas antiquitus obseruatas orandi, nunc & spacia & sacramenta creuerunt. Nam & manè orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur: quod olim Spiritus sanctus designat in Psalmis, dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo domine manè, & exaudies vocem meam, manè assistam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus, Diluculo vigilabunt ad me, dicentes eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item Sole ac die cessante, necessariò rursus orandum est. Nam quia CHRISTVS Sol verus est, & dies verus sole ac die seculi recedente, quando oramus & petimus, vt super nos lux denuò veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum autem diem dictum, declarat in Psalmis Spiritus sanctus: Lapis, inquit, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Iste est dies, quem fecit Dominus, ambulemus & iocundemur in eo: Item quòd Sol appellatus sit, Malachias Propheta testatur dicens: Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur Sol iustitiæ, & in alis eius curatio est. Quòd si in scripturis sanctis Sol verus

*Orationis tempora.*
*Orandum manè.*
*Orandum vesperi.*
*Christus verus dies*
*Psal. 117.*
*Christus Sol.*
*Malach. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



verus & dies verus est Christus, hora nulla à Christianis excipitur, quò minus frequenter ac semper Deus debeat adorari, vt qui in Christo, hoc est, in Sole & in die vero sumus, instituamus per totum diem precibus & oremus, & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filijs lucis & in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quando Sol ei & dies non est, cui Sol & dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus: Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper & vigilans, perseuerabat in promerendo Deo: sicut in Euangelio scriptum est: Non recedebat, inquit, de templo ieiunijs & orationibus seruiens nocte ac die. Viderint vel Gentiles, qui nec dum illuminati sunt: vel Iudæi, qui deserto lumine in tenebris remanserunt.

*Luc. 2. Ambulandum semper in lumine.*

Nos verò fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus & tenemus, quid esse accepta gratia cœpimus, computemus noctem pro die. Ambulare nos creda mus semper in lumine: non impediamur à tenebris, quas euasimus. Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra & ignaua dispendia. Per Dei indulgentiam recreati spiritaliter & renati, imitemur quod futuri sumus, habituri in regno sine interuentu noctis solum diem. Sic nocte quasi in lumine vigilemus, oraturi semper & acturi gratias Deo, hic quoq; orare & gratias agere non desinamus.

*Alias Solem & diem.*

*Explicatio salutationis Angelicæ.*

## CAP. LX.

*Orationi dominicæ salutatio angelica subiungi debet. Mariæ encomium.*

SIC moribus receptum est in sancta Catholica Ecclesia, neque recens fuisse videtur hoc institutum, vt orationi dominicæ, virginis Mariæ salutatio subiungatur: quam etiam in Liturgia sua Ioannes Chrysostomus, nõ sine præfatione quadam inserendam esse putauit. His enim verbis Mariam affatur: Vt verè dignum & iustum est, glorificare te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam Dei nostri matrem: honoratiorem Cherubin, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphin, quæ citra corruptionem Deum peperisti, verè Deiparam te magnificamus. *Aue gratia plena Maria, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quoniam saluatorem animarum nostrarum peperisti.* Quæ verba magna ex parte reperiuntur etiam in Missa D. Iacobi Apostoli. Quidni glorificemus autem? quidni magnificemus eam? quam electam à seculo, quam ab altissimo præcognitam, sibiq; præparatam, quam longè antè patribus nostris cœlitus promissam, quã typis mysticis adumbratam, quam Prophetarum oraculis ita, vt eam propterea vaticinium Prophetarum Hieronymus appellauerit, videmus esse prænunciatam? Hęc est enim illa, de qua in ipsis adhuc rudis mundi primordijs conditor ipse primum edidit vaticinium: olim fore mulierẽ, q̃ calcaneo lethiferi serpentis caput protereret: Hæc est noui Adæ noua Eua: non nouerca, quod illa vetus, quæ suos fœtus, prius etiam quam pareret, extinxit: sed mater, neque mater morientium, quod illa, sed reuiuiscentium: quæ mysterio quodam ineffabili, quod nulla possit humana mens comprehendere: de cuius osse genita fuerat, eum ipsa de sua carne vicissim genuit, nec ab alio fœcundata, quàm quem peperit: vt inextricabili quodam ænigmate, simul eadem fuerit, & filia, & sponsa, & mater. Quid autem nobis aliud illa virga sacerdotalis adumbrabat, quæ sine radice germinauit? quàm huius virgineam fœcunditatem, quæ neque mortali manu consita, neque terreno succo irrigata, & cœlitus concipiendo floruit, & sine cruciatu pariendo viuificum fructum edidit. Iam & niueum illud Gedeonis vellus, quod in areæ siccæ medio maduit, cuius alius præfigurabat simulachrum, nisi Mariæ? quæ procul quidem à carnis contagio semota, verùm cœlesti rore ter compluta, trinitatis opificio DEVM pura concepit, pura enixa est, pura post editum partum permansit. Cuius obtineat imaginem, nisi Mariæ diuinitatis insignis illa porta, non ad Aquilonem, vnde panditur omne malum, sed ad exortum spectans, vnde Sol oritur nouus, & nouator omnium? cuius integritatis claustra Princeps pacis, non modò non violauit, vel ingrediẽs, vel egrediens, verumetiam consecrauit. Verba Prophetæ sunt: Porta quæ prospiciebat ad Orientem, clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam: erit q̃ clausa. Clausa fuit in Maria virginitatis porta, per quam intrauit Dominus Deus Israël, & per ipsam processit, & in æternum porta virginis clausa seruata Virginitate permãsit. Hanc denotabat signum illud magnum, quod in cœlo scribit apparuisse Iannes: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Fuit enim re vera Maria amicta lumine tanquàm vestimento, fuit induta iustitiæ Solem, eum de quo scribit Apostolus: Induimini Dominum Iesum Christum: in illo manebat, & ipse in ea: vestiuit illum, & vestita est ab illo: vestiuit illum substantia suæ carnis, & vestita vicissim est ab eo, gloria maiestatis eius: vestiuit nube Solem, & est ipsa vestita Sole. Certè signum hoc magnum est, mulier illæsa manens amicta Sole: sed non est hæc mulieris potentia, non modò non humana, verùm ne angelica quidem, sed sublimiore quadam virtute factum est, ea nimirum de qua dixit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te. Quoniam verò poterat respondere: Spiritus Deus est: Deus autem noster ignis consumens est, quasi occurrens ait: virtus non mea, non tua, sed virtus altissimi obumbrabit tibi: Nihil vt fit mirum, si sub tali vmbraculo, talis à muliere sustineatur amictus. Mysticus quoque Moysi rubus flagrare visus, prægnantem huius virginitatem portendebat, quæ sola mortalium nos men est puerperæ promerita, cum vxoris officium nunquàm præstitisset: Hanc præludebat & mu-

*In 6. cap. Michææ. Gen. 3.*

*Maria nona Eua.*

*Num. 17. Virga sacerdotalis.*

*Vellus Gedeonis. Iudic. 6.*

*Ezech. 44. Apoc. 21. Esa 9.*

*Ezech. 44. Porta clausa.*

*Mulier amicta Sole.*

*Apoc. 12. Psal. 103. Rom. 13.*

*Luc. 1. Ioan. 4. Deut. 4. Rubus flagrans. Exod. 3. Mulier prophetica.*



& mulier illa Prophetica, quæ nouo quodam & inaudito miraculo, zona sui corporis illibata, virum circumdedit citra virilem operam. Siquidem Iesus Christus, ante Luciferum genitus, ex hac sumpsit carnis initium, & quem cœli cœlorum non capiunt, qui implens omnia, cùm sit in omnibus, ab ijs tamẽ capitur, nec tenetur, is intra virginis huius viscera claudi dignatus est. & euera nouum & inauditum ait Cyprianus, quòd in vteri materni angustia circundedit intra se fragilis caro virtutem altissimi, & ordinem rerum, cursumq; naturæ mutauit sapientia Dei, & vbique est dilatata, plenitudinem sui, vasi infundens exiguo: sic est circundata vtero muliebri, vt tamen vniuersa ambiret, implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens, extra vniuersa complectens. Mons etiam ille magnus, quem vidit Daniel, vnde sine manibus excisus est lapis, lapis angularis ille qui fecit vtraque vnum, cui nititur omnis ædificatio, non cessura tempestatibus huius seculi, in quem quisquis cecidit, collidetur: mons, inquam, ille magnus, cuius nisi Mariæ typum gerebat? quam præteris Esaias quoque nunc de radice Iesse virgam orituram, nunc euidentius virginem parituram esse prædixit. Quam & Salomon requirere visus est, cùm diceret: Mulierem fortem quis inueniet? Non ignorabat vir ille sapiens, quanta sexus huius esset imbecillitas, quàm fragile corpus, quàm lubrica mens: Quoniam tamen & Deum promisisse legerat, & ita congruere videbat, vt qui per fœminam vicerat, per fœminam vinceretur, cum stupore quodã & admiratione prorumpit in hæc verba: Mulierem fortem quis inueniet? quasi diceret: Si de manu fœminæ sic pendet & salus nostra omnium, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, cum primis esse fortem oportet, quæ tantùm ad opus hoc esse queat idonea. Quã ergo sic & oracula Prophetarum præcinuisse, & mysticæ Synagogæ typicas imagines delinxisse videmus, quid ni laudes illius decantemus? quid ni quoties visus venerit, supplices opem illius imploremus?

*Hiere. 3. Psal. 109. 2. Par. 2.*

*Cyp. serm. de natiuitate Christi.*

*Mons magnus. Dan. 2. Esai. 11. Esai. 7. Pro. 13. Mulier fortis Maria.*

Quòd si qui sunt, qui nobis obstrepant, dicentes: Nunquid non sufficit vnus Christus? Respondet illis vnus ex præcipuis huius virginis amatoribus: Sufficere poterat Christus, siquidem omnis sufficientia nostra ex Deo est, sed nobis bonum non erat hominem esse solum: congruum magis, vt adesset reparationi nostræ sexus vterque, quoniam corruptioni ne uter defuisset: Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: sed diuinam in eo homines reuerentur maiestatem, Deus autem noster ignis consumens est. Quid ni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Opus est itaque mediatore ad mediatorem istum: nec alius nobis vtilior quàm Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit, sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa ministra fuit seductionis, hæc propitiationis: Illa suggesit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem. Ac in alio sermone. Cùm docuisset, si quis ad Patrem veretur accedere, vt ad Iesum datum sibi mediatorem confugiat, Subdit mox: Forsitan & in ipso Maiestatem verebit diuinam: quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus: Aduocatum habere vis? & ad ipsum, ad Mariam recurre, pura siquidem humanitas in Maria, nec dubius dixerim: Exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtiq; Matrem filius, & exaudiet filium Pater. Quicquid illud est, quod offerre Deo paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alneo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit prouidere. Fortè enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excusisti ideò modicum illud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nec verò solus hoc Bernardus ita sensit. Nam & multis antè seculis beatus Ephrem Deiparam virginem, conciliatricem, aduocatam, & spem Christianorum vocat. Qui verò præcesserit eum, Sanctus Episcopus & Martyr Methodius, appellat eam νεήτων θρόνον δεδοξάσμενον, καὶ θεοῦ πάσιον, hoc est, glorificatam ac Deo dignam sedem, quæ solis posset mentis oculis conspici: Et cùm eam præfiguratam esse dixisset per arcã testamenti, in laudes eius prorumpẽs, ita loquitur.

*Bern. in ser. de virgine Maria. 2. Cor 3. Gene. 2.*

*1. Tim. 2. Heb. 11. Psal. 57. Gen. 3.*

*De natiuitate Mariæ virginis. De natiuitate Mariæ.*

*Maria aduocata & spes. In Thronic.*

Εἰ γὰρ τῇ εἰκόνι τῆς σῆς ἁγιότητος, τοσαύτη ὡρὸς τὸ θεῖον ἀπενεμήθη τιμή, κυθότε ὡς μικρόν τι βάσιμον, ἢ ὡρόχειρον ἐς κατανόησιν εἶναι τὴν ταύτης εἰκόνα, ἢ μόνη τῇ ἱερᾷ ἐυκοσμίᾳ, τὸ καταπεπλ ἐλαχίστων ὑποφειλόμενον σιγίβας, τῇ ὄντως βασιλίδι, τῇ ὄντως ἐμψύχῳ κιβωτῷ τοῦ νομοδότου θεοῦ, τῇ ὄντως χωρητῷ οὐρανῷ τοῦ ἀχωρήτου θεοῦ γενομένῃ. τῷ γὰρ τὰ πανάγιά, ὡς φωταυγὴς ἡμέρας ὄπαφανίσης ὁ κόσμε, καὶ τὸ δικαιοσύνης ἥλιον προσαγαγούσης, ἐκ πολλῶν μὲν γέγονε τὰ τῦ σκότους θρα κατελύθη, πρὸ' πρὸ δὲ τὸ τύραννος κατέση. καὶ διόλωλε μὲν, θάνατος. κατεπόθη δὲ ὁ ᾅδης. καὶ πᾶσα ἡ ἐκπροκυψάσης. καὶ φωτὸς ἀνάπλεως γέγονε ἡ ὑπ' οὐρανὸν τ ἀκραφνὲς ἀληθείας. hoc est. Si quæ fuit imago tuæ sanctitatis, tantus est à Deo tributus honos arcæ, nulli vt ad eam facilis accessus pateret, præterquam soli sacerdotali decori, cùm velum diuideret, & quasi portas custodiret vestibuli Reginalis. Quis porrò & quantus honos à nobis, qui minimi sumus, tibi debetur: quæ verè facta es Regina, verè animata quædam arca legislatoris nostri Dei, verè comprehensibile cœlum eius, qui loco non potest comprehendi Dei. Posteaquàm enim tua sum ma sanctitas, tanquàm splendidissimus dies illuxit orbi, & iustitiæ Solem produxit, sublatum est eueltigiò, quicquid erat ex tenebris horroris: Tyrannus in nihilum est redactus, mors interijt, destructus est infernus, omnes inimicitiæ deletæ sunt à facie pacis, omnes morbi qui corruptionem adferebant procul facessere iussi sunt emergente salute, & quic-

quid

Universidad de Deusto
Biblioteca



quid est sub cœlo repletum est luce puræ veritatis. Et aliquot chartis interiectis. χαίροις ἐξ ἀεὶ ἠλημένε ἡμῶν χαρά. εἰς σὲ γὰρ πάλιν ἀναφέρομεν. σὺ τὸ ἑορτῆς ἡμῶν ἀρχή, σὺ μεσότης, σὺ τέλος ὁ πολύ λιμος μαργαρίτης τῆς βασιλείας, τὸ ὄντως οὖθαρ πάσης ἁγιότητος, τὸ ἔμψυχον θυσιαστήριον τοῦ ἄρτου τῆς ζωῆς: χαῖρε ἁγάπης θεᾶ θύ σαμε. χαίροις ἀνθρωπότητος ἠδὲ πηγή. χαῖρε πνεύματος ἁγίου κατασκευῶν ὕφος. ἠράψας γλυκύδωρε γεννήτωρ φωτὸς ἡλιακοῦ πυρσὲ καθαρώτερε τῆς ἀγάπης ὑπερζεούσης.

Hoc est: Gaude in æuum perpetuum gaudium nostrum, ad te namque rursus recurrimus, tu festiuitatis nostræ principium, tu medium, tu finis, quæ es preciosa Margarita Regni, verè fons vberrimus totius sanctitatis, animatum altare panis vitæ: Gaude dilectionis Dei Thesaure, gaude humanitatis filij fons, gaude Spiritus sancti vmbraculum. Refulsisti dulcia donans Genitrix, solis lumine purior lampas super feruescentis charitatis. Et iterū paucis interiectis, ad inuocationem illius conuersus. Διατοῦτ' ἐκλιπαρῶμέν σε τὴν ἀμείνω πάντων καὶ μητρῳᾶς ἐπαύχησαν ἡμᾶς, καὶ παῤῥισίας, μνημεῖα ἀδιάλειπτον ἡμῶν ποιοῦ πανηγύρια θεοτόκε τῶν εἰς σὲ καταπαλλυομένων καὶ ὕμνοις θεοπρεπέσι τεθεραπόντων σὲ τὴν ἀειπάρθενον. καὶ ἀνεκλάλητον μνημεῖον, hoc est. Quam ob causam deprecamur te longè præstantissimam omnium, quæ Matris & honore gaudes, & libertate, memoriam nostri iugem fac ô sanctissima Deipara, qui te laudibus ornamus, & hymnis decētibus celebramus tui perpetuam & iugem memoriam. Eademilli pleraque tribuit Epiphanius. Vocat insuper eam spem, peperit enim, inquit, Dominum qui est spes totius mundi, nempè Christum. Vocat Mediatricem cœli & terræ: vocat portam cœlorum de qua Propheta dixerit: Porta hæc clausa erit. Quem Ezechielis locum etiam Hesichius in eundem sensum profert. Andreas quoque Hierosolymitanus, qui vixit ante annos prope mille: in sermone, quem scripsit in hanc ipsam salutationem Deiparæ Virginis: vocat eam diuinam cum hominibus reconciliationem. Et qui fuit proximus Apostolorum temporibus Irenæus. Quemadmodum Eua per angelicum sermonem, inquit, seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita Maria per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum: sic hæc suasa est, obedire Deo, vti virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem: soluatur per virginem, æqua lance dispositā virginalis inobedientiæ per virginalem obedientiam. Quæ postrema verba citantur etiam ab Augustino contra Iulianum scribente. Quin & alij plerique sancti patres Deiparam virginem, & inuocarunt ipsi, & cæteris vt inuocarent auctores, fuerunt: quemadmodum vbi nobis de sanctorum inuocatione sermo fuit, pluribus verbis demonstratum est. Vnius tantùm Athanasij locum hic adscribemus, qui sic virginem hanc alloquitur: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti: & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. Nam ideò his vocibus, vt ex re ipsa desumptis, & natura laudatoris præcipuè in tuum encomium vtimur: si quando hymnus, si quando laus tibi siue à nobis, siue ab vniuersa creatura effertur. Tibi inquam, gratiosæ Dominæ nostræ Reginæ, hæ ræ, matri Dei, arcæ sanctuarij. Ac interiectis nonnullis. Abistis, inquit, hierarchijs cœlestibus, deinde nos hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quod didicimus, siue quòd mutuò hęc verba sumpserimus, exaltamus te magna & canora voce, dicentes: Aue gratiosa, Dominus tecum, intercede hera & domina, & regina, & mater DEI pro nobis. Cyrillus autem Alexandrinus & Proclus Constantinopolitanus, quid non tribuunt huic Beatissimæ Virgini? quorum verba hic adscribere visum non est, sed legat qui velit, in sexto Tomo Synodi Ephesinæ, quæ nuper est ædita, capite sexto & septimo. Qui verò vixit ante septingentos annos Theosterictus, grauiter insectatur successorem Leonis Isauri, non magis in imperio quam in impietate Constantinum Copronymum malæ radicis, malum germen pestilentem pestilentis feræ progeniem, draconem animarum & corruptorem (his enim eum elogijs ornat) quem ex crudelissimo leone pardum natum esse scribit, varium habentem ingenium, qui multis partibus patrem impietate superauerit: qui non satis habuit imagines iniuria affecisse, verùm & ipsos sanctos Martyres, quantum in ipso fuit, honore priuauit: & eos vocare sanctos prohibuit. Et cum fuisset habitu Christianus, mente Iudęus, quam Christus sibi in domicilium elegit gloriosissimam matrem, omnibus alijs rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis suæ præstantiam propè Deum versatur: huius venerandum nomen, multis modis abolere studuit, eius verò interceśiones per quas mundus ipse consistit, ne nominari quidem voluit, cùm diceret, nemini eam posse opitulari. Huius itaque sunt sectatores, qui suum sanctissimæ virgini cultum detrahunt, cuius virille pius superbiam & blasphemiam satis detestari non potuit, Et qui fuit æqualis Theostericti Ioannes Damascenus, quid huic sanctissimæ virgini non tribuit in suis sermonibus, quos & de natiuitate, & de dormitione eius conscripsit? Cæterùm si quis alius, certè Bernardus is fuisse videtur, qui cum alijs in rebus, quod illi ipsi confitentur, qui segregauerunt semetipsos, tùm quod ad honores attinet, vel Deiparæ virgini, vel sanctis tribuendos, præclaro semper vsus fuerit iudicio. Indicat hoc vel epistola, quam scripsit ad Canonicos Lugdunenses, vel sermones, quos de sanctis non paucos edidit: in quibus omnibus adeò non transfert in homines Dei gloriam, vt minus etiam virgini Deiparæ tribuere videatur, quàm à multis tribui videmus. Vocauit nihilominus is Mariam virginem, aduocatā: vocauit matrem misericordiæ, vocauit reginam cœlorum: Quāobrem nihil est quòd huius auctoritatem quisquam sequi dubitet, in re præsertim tam vetusta, receptoq; totius Ecclesię more cōfirmata. Si qui diuos colit, Christum in diuis colit: qui sanctos laudat, Christum laudat in sanctis, q sanctos inuocat, Christi p sanctos auxiliū inuocat:

*Iren. lib. 5. contra hæreses.*

*Lib. 1. Inuocatio Mariæ Ath. in Euangelium de sancta Deipara.*

*Epist. 172. In 1. serm. de assumptione.*



cat: qui sanctos imitatur, Christum imitatur in sanctis. qui sanctos adorat, Dei dona in sanctis adorat: quantò magis idem quisq; facere credendus est in ea colenda, laudanda, inuocāda, adoranda, ex cuius vtero processit is, per quem sancti sunt, quotquot sancti sunt. Affectus in matrem, pietas est in filium, quandoquidem in matre filium, & matrem ob filium veneramur: vt omnis honos matri præstitus, in ipsum redundet filium. Hic est enim in omnibus & super omnes colendus, glorificandus, imitandus, inuocandus, adorandus. Quæ quidem omnia si suo modo quodam sanctis tribuātur, manet nihilominus Deo sua gloria, nulli communicabilis.

Verùm nos ad salutationem Angelicam, de qua nobis initiò sermo fuit, redeamus: quæ tantò nobis debet esse commendatior, quòd nō ab hominis ingenio profecta, verùm de cœlo per Angeli præconium in terras est delata: tum autem, ita breuis est & succincta, vt in ea ediscenda nihil esse queat negocij: & verborum in ea numerum, sententiarum superat vbertas. Hucaccedit, quòd quoties hac vtimur salutatione, felicis illius horæ statim admonemur, quæ prima post infelicem parentis nostri casum humano generi læta cumprimis illuxit. Qua Deus afflictionem populi sui miseratus, misso Angelo. fœminam sibi delegit, cuius ministerio, quam per fœminam diabolus inuexerat, mortem aboleret, eamq; vita sempiterna commutaret.

*Salutationis Angelica commendatio.*

Sed iam ipsum angelum loquentem audiamus. Is ad Mariam virginem ingressus ait: AVE GRATIA PLENA. Noua quidem hæc tum fuit salutandi formula, quam in omni scriptura negat Origenes se inuenire potuisse. Græca vox, quæ legitur apud Lucam, non saluere tantùm vel auere, verumetiam gaudere significat & valere. Nec vlla potuit Angelus vti voce magis apta & apposita. Siquidē quæ veræ voluptatis auctorem conceptura, & quē Eua miseris mortalibus mœrorem ingentem inuexerat, eum erat sempiterno gaudio commutatura, quónam alio quàm gaudij vocabulo salutatam eam oportuit? Quamobrē rectè Chrysologus: In hac voce, inquit, oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. Quod munus nato Christo pastoribus obtulerat angelus, dicens: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator: Idem hoc munus, idem gaudium obtulit tum virgini Mariæ, cùm ex ea natum iri Saluatorem renunciauit. Legimus aūt & de Stephano, q̄ fuerit plenus gratia & fortitudine: de Ioanne quoq; Baptista, de Elizabet, de Zacharia, de Apostolis dicit scriptura, quòd repleti fuerunt Spiritu sancto: neq; tamen propterea credendum est, quòd similiter vt Deipara, gratia vel Spiritu sancto repleti fuerint: Nam neq; conceperunt illi de Spiritu sancto, sicut Maria: nec habituit in illis plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria: cui quæ per partes alijs est præstita singulis, totam se simul infudit gratiæ plenitudo, quę descendit in eam sicut pluuia in vellus. Vellus cùm sit de corpore, nescit corporis passiones, ita virginitas cùm sit in carne, carnis ignorat vitia. Cœlestis igitur imber in virgineum vellus Mariæ placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus pluuiam salutis effunderet.

*Ave gratia plena.*

*Orig. hom. 6. in Lu.*

*Chrys. ser. 140. Luc. 2.*

*Gratia plena.*

*Act. 6.*

*Luc. 15*

*Act. 2. & 4.*

Hac igitur ratione, plena gratia dicitur, quòd sola est Maria, de qua, propter honorē Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi quæstionem, non modò Augustinus, verumetiam vniuersa voluit Ecclesia: quod vel inde sciri possit, ad vincendum ex omni parte peccatum plus ei gratię collatum esse, quia concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Etenim hac vna virgine excepta, si sanctos alios oēs & sanctas cùm hic viuerent, congregare licuisset, & interrogare, num fuerint absq; peccato: quātalibet fuerint in isto corpore excellentia sanctitatis, incunctanter vna voce cuncti clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: Nec huiusmodi, quàm verius respondissent. Plenior itaq; gratia fuit Maria quàm omnes alij, cùm sola sit, quàm omni peccato fuisse vacuam, persuasum habemus. Scriptum autē est de Christo quoq; quòd sit plenus gratia & veritate: verùm ab hac plenitudine, tantò longius abfuit Maria, quàm abfuerunt à Mariæ plenitudine sancti reliqui: quantò maius inter creaturam & creatorem, inter hominem mortalem & Deum discrimen est immortalem: Siquidem Christus ipsa est plenitudo, Maria sicut alij sancti, (sed plus tamen quàm alij sancti:) quicquid habet gratiæ, de Christi plenitudine accepit. Petrus Abbas Cluniacensis gratiam, qua plena fuit Maria, charitatem vult intelligi: qua scribit illa præ cunctis alijs excelluisse.

*Augustin. de natu. & grat. cap. 36.*

*Maria omni peccato vacua.*

*1. Ioan. 8.*

*Ioan. 1.*

*Lib. 5. epist. 1.*

Posteaquam Angelus Mariam gratia plenam salutauit, subdit: DOMINVS TECVM. Quid autem aliud Angelus, quàm à Domino missus est nuncius? Erat ergo cum virgine, qui misit ad virginem præcesit nuncium suum Deus, sed à Deo non recesit. Locis teneri non potest, qui locis habetur in omnibus, & vbiq; totus est, sine quo nihil totum est. Gedeonem quoq; legimus ijsdem verbis ab angelo salutatum: Sic enim est eum alloquutus: Dominus tecum virorum fortissime: verùm aliter cum Gedeone fuit Dominus, aliter cum virgine Deipara. Gedeonem elegit Dominus, vt esset saluator Israēlis de manu Madiam: Mariā elegit, vt non Israēli tantùm, verùm orbi saluatorem ederet vniuersō, qui esset propitiatio totius mundi, qui nos morte sua reconciliatos, ac de Satanæ potestate ereptos, ex inimicis amicos, ex iræ filijs, Dei patris sui filios & hæredes faceret. Hunc talem virgo sacratissima virginali vtero suo complexa, cœlo maior, terra fortior, orbe est latior. Quem enim nō modò terrarum orbis vniuersus, sed ne cœli quidem cœlorum capiunt, eum sola clausum intra viscera sua gestare meruit. Non dixit autem angelus, Dominus in te: Nam cùm in omnibus quæ sunt, quatenus sunt, Dominus sit: soli tamen boni sunt, in quibus ita est Dominus, vt etiam cum eis sit propter concordiam voluntatis: Cæterùm cum virgine Deipara, magis peculiari modo quodam fuit, quàm cum sanctis alijs omnibus, cum qua tanta fuit con-

*Dominus tecum.*

*Iudic. 6.*

*1. Ioan. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sensio, vt eius non modò voluntatem, verùm & carnem sibi copularet, ac sic de sua, deq; vir-
ginis substantia Christum vnum efficeret, vel potius Christus vnus efficeretur, qui etsi nec
totus de Deo, nec totus de virgine, totus tamen Dei, & totus virginis esset, nec duo filij, sed
vnus vtriusque filius.

*Benedicta tu in mulieribus. Psal.20.* Subdit Angelus, quæ verba repetiuit etiam Elizabeth, eodē Spiritusancto repleta, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Quæ verò sequuntur. ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI: non iam ab Angelo, sed à sola dicta sunt Elizabeth. Non
*Gen.22.* quia tu benedicta, dicit Elizabeth, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quoniam ille te
præuenit benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Fructus ventris tui verè benedi-
ctus, in quo benedictæ sunt omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoq; benedictionem
accepisti cum cæteris: & si differentius à cæteris. Ac propterea benedicta quidem tu, sed in
mulieribus: ille verò benedictus, non in hominibus, non inter Angelos, verùm, vt ait Apo-
stolus, super omnia benedictus in secula. Verè itaq; benedictus, qui fons est benedictionis, &
*Rom.11.* auctor omnis gratiæ, fructus est vētris tui: qui te suæ benedictionis ita fecit participem, nul
*Maria sola effugit maledictionem.* lus vt mortalium similiter, vt tu fuerit benedictus. Si quidem sola maledictionem illam ge-
*Gen.3.* neralem effugisti, de qua dictum est: In tristitia paries filios: Et aliam, de qua scriptum est. Ma
ledicta sterilis in Israël: & es benedictionem consequuta singularem: vt quamuis esses virgo
& propterea sterilis elegeris: salua tamen virginitate, neq; sterilis permaneres, neq; cum do-
lore pareres. Ac non ipsa modò maledictionē effugisti, verùm & à nobis eam repulisti, edi-
to in lucem fructu ventris tui, qui nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledi-
ctum.

*Gal.3. Iesus Christus. Matth.1.* Fructus autem istius nomen non expressit Elizabeth, verùm addidit Ecclesia: IESVS CHRISTVS. Iesus quoniam ipse saluum fecit populum suum à peccatis eorum. Christus
quoniam cùm sit Rex noster & Pontifex noster, vnctus est à Deo, non oleo communi, sed o-
leo lætitiæ: nec sicut participes sui, id est, illi, qui in imagine præcesserunt, sed præ participi-
bus suis, virtute spiritus cœlestis consecratus. Cuius vnctionis nos quoq; facti participes, à
*Psal.44. Christiani vnde dicti.* CHRISTO Christiani vocamur. Nam qui Rex & Sacerdos noster est, qui, quæ nunquam
satis est prædicanda bonitas illius, non sua tantùm omnia nobiscum communicare, sed se
etiam ipsum nobis est impendere dignatus: posteaquā nos redemit in sanguine suo ex om-
ni tribu, & lingua, & populo, & natione: fecit nos quoq; regnum & sacerdotes Deo: vt reg-
*Apoc.5. Regnum & sacerdotium nostrum quale.* nantes super terram, & animi nostri cunctis affectionibus imperantes, exhiberemus nos-
metipsos hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem in odorem suauitatis: ac nomen illius
laudaremus ac glorificaremus in secula seculorum, Amen.

*Rom.12 Euseb.lib.4.c.15. & 16. Fronto de gratia. Cyril.Catech.10. Tomo 6. Lib.5. Hæreticarū fabularum.* Quod si quis diligentius explicatam videre voluerit, horum nominum rationem Iesus Christus: legat Eusebium in libris Euangelicæ demonstrationis: & Cyrillum Hierosolymi-
tanum, ac Theodoretum, qui præ cæteris accuratiùs id feciſſe videntur. Sed & salutationē
angelicam vberius explicauit Andreas Cretensis, edito hac sola de re scripto quodam. Et
Fronto in libris de gratia præter multos alios, qui scripserunt in Lucam. Verùm id nemo
fecit copiosius, quam Bonauentura in eo libri quem inscripsit, speculum B. Virginis.

*De charitate, ac imprimis de eo, quòd iustitia nostra non sit sola fides.*

## CAP. LXI.

*1.Cor.1. Iustitia Christiana.* POsteaquàm de fide, deq; spe satis multa iam à nobis dicta sunt, nunc de charita
te dicendum restat. Quæ cùm ad fidem & spem accesserit, iam absoluta esse vi
detur ea nostra iustitia, qua sola rectè colitur, qui factus est nobis iustitia domi
nus noster Iesus Christus. Quam qui solam esse fidem arbitrati sunt, eorum
ab vna sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia, iampridē est explosa sententia.
Si quidem ante mille ducentos plus minus annos fuisse scribuntur Anomœi,
*Hæretici solam fidē statuemes.* quidam hæretici, quorum principes commemorantur Aëtius & Eunomius: qui nihil aliud
à nobis requirere Deum docuerunt, quàm vt ipsum solum cognosceremus: cuius etiam
adeò sibi notitiam arrogarunt, vt non sibi se magis esse notos dicerent, quàm ipsi Dei natu-
ram perspectam, & exploratam haberent: Ac tantùm illi, cuius auctores ipsi fuerunt, fidei
*Epiph.li.3.hær.36. In c.10. Esaiæ. Aug. de hæresibus. Hær.54. Lib.1.in c.4.Oseæ. In cap.3. Michææ.* tribui volebant, vt si quis eam esset amplexus, etiam si grauissima quæq; scelera patrasset,
ac non modò patrare non intermitteret, verùm subindè grauiora patratis adiungeret, ni-
hil ex eo detrimenti foret accepturus: Quemadmodum ab Epiphanio, Basilio, Augustino &
Ioanne Damasceno memoriæ proditum legimus. De sui quoq; temporis hæreticis scribit
Hieronymus: Cùm viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quærit Deus, nisi fidei
veritatem, quam si custodieritis, non curat, quid agatis. Et alio scribit loco eos dicere soli-
tos: Non necesse est, vt viuas continenter & sanctè, habeto fidem quam docemus: & omnia
promissa domini consequeris.

*Rom.3. De gratia & libero arb. c.7. & de fide & operibus, cap.14 Ephe.2.* Quin multo etiam antè, cùm adhuc essent Apostoli superstites, fuisse refert Augustinus,
qui non intelligentes, quod ait Apostolus: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine
operibus legis: putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona
opera non habeat: cùm vt hæc sentiret, ei qui vas fuit electionis, ne in mentem quidem ve-
nerit vnquàm: Qui non aliam intentionem Apostoli, qui per totam Epistolam ad Romanos
viget, fuisse dicit, quàm vt doceret, gratiam præponere operibus: non vt opera extingueret,
sed vt ostenderet non esse opera præcedentia gratiā, sed consequentia: vt scilicet non, se quis
arbitraretur ideo percepisse gratiam, quia benè operatus est: sed benè operari non posse,
nisi per fidem percoperit gratiam. Hoc est, quod alio loco dicit, quod magno cum applau-
su audiri à nonnullis videmus: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei e-
nim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. De quibus nos rectè dicere possu-
mus, quod à Cypriano scriptum legimus: Corruptores Euangelij, atque interpretes sal-
si, extrema ponunt, & superiora prætereunt: partim memores, & partim subdolè corrum-
pentes: vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Nisi quòd ipsi su
periora ponunt, & quæ proximè insequuntur, prætereunt. Nam quemadmodum Augusti-
nus quoque monuit: vidit Apostolus, putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria
non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat: quod istis tam persuasum est,
quàm quod maximè: Quam etiam ob causam, cantando toties illud ingeminant: Non ex
nobis: non ex operibus: vt in eam opinionem homines adducant, nullum esse bonorum o-
perum fructum.

*Cypr.de vnitate ecclesiæ. Aug.de gratia & libero arbitrio,ca.8.*

Vidit hoc Spiritusancto plenus Apostolus: vidit simul & hoc posse homines de bonis o-
peribus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant: Itaq; mox addit, quod isti silentio præter
eunt: Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in il
lis ambulemus. Quid est hoc, inquit Augustinus, quòd, cùm Dei gratiam commendans di-
xisset: Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: cur hoc dixerit, rationem reddens: Ipsius
enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis. Quomodo ergo
non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Sed audi, inquit, & intellige: Non ex operibus di-
ctum, tanquàm tuis, ex te ipso tibi existentibus: sed tanq; ijs, in quibus te Deus finxit, id est,
formauit & creauit. Hoc enim ait: Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in o-
peribus bonis: non illa creatione, qua homines facti sumus: sed ea, de qua ille dicebat, qui v-
tiq; iam homo erat: Cor mundum crea in me Deus: Et de qua dicit Apostolus: Si qua ergo
in Christo noua creatura, vetera tranfierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Fingimur ergo,
id est, formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, sed præpara-
uit Deus, vt in illis ambulemus. Itaq; charissimi, vita nostra bona, nihil aliud est, quàm Dei
gratia: sine dubio, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis
datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est, hæc autē,
quæ illi datur, quoniam præmiū eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia:
vt verum sit, (quoniam verum est:) Quoniam reddet vnicuiq; Deus secundum opera eius.

*Quæ opera conferant ad iustitiam, & quæ non. Psal.50. 2.Cor.5. Rom.2. Heb.11. Rom.11.*

Ex his Augustini verbis facilè perspicimus, quæ sint opera, quæ Paulus à iustificatione vo
luerit excludi: nimirùm ea, quæ fiunt extra fidem: quæ & si disponere nonnihil ad iustifica-
tionis gratiam videntur: quoniam tamen sine fide impossibile est placere Deo, mereri pri-
mam gratiam non possunt: quæ propterea gratia vocatur, quia gratis datur, nullis præcedē-
tibus meritis. Si enim gratia, dicit Paulus, iam non ex operibus, alioqui gratia, iam non est
gratia. Nulla igitur merita nostra præcesserunt, sed sola Dei beneficia iustificationem no-
stram præuenerunt. Quamobrem non ad ea opera, quæ præparauit Deus, vt ambularemus
in illis, postquàm cor mundum creauit in nobis, postquàm nouæ creaturæ facti sumus: ve-
rùm ad ea, quæ nondum exuto veteri homine fecimus excludenda. hæc à Paulo dicta inter
pretatus est Augustinus: Idem Theodoretus quoq; fecit, eundem Pauli locum explicans:
Creati, inquit, hic posuit, pro regenerati. Ante Baptismum quidem actiuam à nobis virtu-
tem non exegit: post Baptismum verò, ei etiam iubet hærere, & eam tenere. Hoc enim di-
cit in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Qui etiam in eo libro, quem inscripsit de fabu-
lis hæreticorum ad Simonem Magum, hæresim hanc refert, tanquam primum authorem:
quòd is bono esse animo suos discipulos iubebat, nec legis minas pertimescere: sed ea quæ
vellent, tanquam liberos factitare: non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos salutē
consecuturos. Videtur autem is Irenæum authorem secutus, hoc ipsum de Simone Mago
referentem. Idem igitur sensit Augustinus quod Theodoretus, aut qui ad refellendam eo-
rum opinionem, qui bona opera omnia, in quibus creati sumus in Christo Iesu, reijcere vo-
luisse Paulum existimabant, alios Apostolos, Petrum, Ioannem, Iacobum, Iudam, epistolas
suas scripsisse putat: quod & meminit Petrus, esse quædam in epistolis Pauli difficilia intelle
ctu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perdi-
tionem: id ad hunc Pauli locum, in quo de fidei iustitia tractat, referendum esse cēset: quòd
nunquàm ea Pauli mens fuerit, quam isti corruptores Euangelij fuisse volunt, nihil ad iusti-
tiam, nihil ad salutem consequendam opera bona facere. Sunt enim vel ipsa luce clariora,
quæ huic errori aduersantur Pauli verba: Quòd compati oportet, si conglorificari: commo
ri, si conuiuere: sustinere, si conregnare volumus: quod & non coronabitur, nisi qui legiti-
mè certauerit. Declarat autem ipse Paulus alio loco, quam fidem intelligi velit, qua vel iu-
stificamur, vel coronam illam immarcessibilem assequimur. Nam ad Galatas scribens, di-
sertis verbis illud planum facit, quòd non de qualicunq; fide loquatur, qua creditur, pecca-
ta nobis propter Christum esse remissa: sed de ea, quæ per dilectionem operatur. Illam verò
solam fidem, quam plerique cùm ad iustitiam, tum ad salutem sufficere volunt, adeò nihil pro
desse asseuerat, vt non dubitāter dixerit: Si habuero omnem fidem, ita vt mōtes transferā,
charitatem autem non habuero, nihil sum. In quam sententiam à Iacobo quoq; dictum est:
Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat, nunquid
poterit fides saluare eum? Quamobrem quàm volent isti sibi placeant, deq; sola fide glorien
tur, quòd ea iustitiam, quòd salutem adferat: nobis illud certum & indubitatū esse debet,
quòd per organum suum spiritus sanctus loquitur: Nolite errare, neque fornicatores, neq;
idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neque fures,
neque auari, neque ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt. Quod à
Chrysostomo quoque dictum est: Quamuis fidem firmissimam, quamuis scripturarum
sensus haberemus, à vitæ autem patrocinio & deserti essemus & nudi, nihil nos à gehennæ
igni-

*Psal.50. 2.Cor.5. 2.Pet.3. Rom.8. 2.Tim.2. Fides iustificans quæ. Gal.5. Sola fides non prodest. 1.Cor.13. Iacob.2. 3.Cor.6. Hom.5. in Ioan.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ignibus eriperet, quin perpetua & inextinguibili flamma consumeremur. Qui etiam alio loco: Tantùm abest vt solam fidem aliquid ad salutem proficere dicat, maioris vt etiam condẽnationis causam esse non dubitanter affirmet, si peruersam vitã egerimus. Quod etiã scripturis illis probat: Qui nouit voluntatẽ domini sui, & nõ facit, plagis vapulabit multis. Et iterũ: Nisi venissem, & locutus illi essem, peccatũ non haberent. Quod pluribus etiã cõfirmat, in sermone de præmijs sanctorum, qui habetur in 3. Tomo. Auctor operis impresẽti in Matthæum: Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen, nutritur: & nisi oleum ei subministraueris extinguitur, ita & fides non ex operibus nutritur vel accenditur, sed ex verbo Dei, sicut ait Apostolus: tamen per bona opera nutritur: & nisi subministraueris ei opera bona, deficit. Sicut. n non potest in Deũ sperare, nisi q aliqua bona opera facit, sic nõ potest credere Deo, siue cùm de gloria sanctorũ ꝙs eis loquatur, siue de pœna peccatorũ. Et dũ non credũt futurũ esse qđ dicitur, neq; de bono futuro delectãtur, neq; de malo terrentur. Verè fatui sunt oẽs homines, qui hoc solũ existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in Christum & Christiani dicuntur, & non festinant semetipsos bonis operibus commendare, nec audiant Iacobum dicentem: Quia fides sine operibus mortua est. Sic ille fatuos pronunciat, qui dicunt solam fidem ad salutem proficere. Prodijt non ita pridem in lucem libellus quidam sancti Diadochi Episcopi Photices, de perfectione spirituali, quem citat Maximus, à Francisco Torrensi è Greco in Latinum translatus, in quo sic ille loquitur: Fides sine operibus, & opera sine fide eodem modo improbabũtur: oportet enim fideles fidem acta ostendentem, Domino offerre: nec enim Patri nostro Abraham in iustitiam fides reputata esset, nisi fructum, filium suum, obtulisset. Ab Anselmo quoque scriptum legimus, cùm illum Pauli locum explicat: Fides quæ per charitatem, &c. Fides quæ non habet charitatem & opera bona: fides Dæmonum est, non Christianorum.

Cap.20.

*Quòd peccato quolibet mortali fides non amittatur.*

## CAP. LXII.

*Peccatum potest esse cum fide. Matth.7.*

VEtùm hic isti, quo rimam habere queant, per quam elabi liceat, fieri posse negant, vt mortale peccatum insit fidem habenti, quam amitti mortali peccato quolibet asseuerãt. Quòd si ita est, cur igitur operarios iniquitatis vocat Christus eos, qui in ipsius nomine prophetabãt, dæmonia eijciebant, virtutes multas faciebant: quę tam eximia, sine fide certè præstare non poterant. Cur idem viro stulto comparat eum, qui verba sua audiret, & ea non faceret: cùm fides ex auditu sit? Cur multos ex principibus in Christum ait, credidisse, scriptura, verùm eos magis hominũ, quàm Dei gloriã dilexisse? Cur alio loco dicit: Seruus sciens voluntatẽ Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis? Cur à Iacobo scriptum est: Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Quid autem est aliud scire voluntatem Domini, scire bonum, nisi credere spiritui sancto, per amanuenses suos Prophetas, Apostolos, & Euangelistas nos docenti, hanc esse Domini voluntatem? Et cùm hac tamen fide, peccatum dicit esse scriptura, quando non fit, quod creditur. Cùm Paulus quoq; fide stare dicit Corinthios, qui multis fuerant peccatis implicati, quem locum enarrans Theodoretus: Fide, inquit, statis. Deest, ait, quidem, vt sit: Nam fide quidem statis: Hoc autem dicit: De fide quidẽ minimè vobiscum expostulo. Eius enim sanitatem amplexi estis. Sed quædam alia peccata à vobis admittuntur, quæ aliqua correctione indigent. Quare falsum est, quod ab istis asseritur, per peccatum fidem amitti: aut si remaneat, non esse veram fidem: aut eum qui fidem habeat sine charitate, non esse Christianum: Falsum est, quòd solam incredulitatem esse peccatum, solam fidem esse iustitiam, tam peruicaciter asserunt. Nam si nullum est peccatum, nisi incredulitas: si nulla est iustitia, nisi fides: quorsum igitur illud extremum erit iudicium? quod non esse futurum de infidelibus, illa Christi verba non obscurè videntur indicare: Qui non credit, iam iudicatus est. Futurum est ergò iudicium de fidelibus, quos non ideò collocatos à sinistris, incorruptus ille Iudex viuorum & mortuorum, in ignem ęternum ire iussurus est, quia non crediderunt, sed quia pietatis opera facere neglexerunt. Qua de re sic ab Augustino locum hunc Euangelij tractante scriptum legimus. Si non seruatis mandatis ad vitam venire potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est: quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera nõ fecerunt. Nam profectò, ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam: propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdẽ pascuis vtebantur: vt appareat nos illi dicturos: Domine quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministrauimus tibi: qui in eum non crediderant, sed bona operari non curauerãt, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam peruenire tur æternam. Hoc est, quod à Sapiente dictũ est: Omnis misericordia, faciet locum vnicuiq; secundum meritũ operum suorum. Hoc est, quod à regio Propheta scriptum, & est ab Apostolo repetitum: Tu reddes vnicuiq; secundùm opera sua. Ad Corinthios quoque scribens idem Apostolus ait: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis: non dicit, prout credidit, sed prout gessit: siue bonum, siue malum. Sed & in Apocalypsi legimus: Ego venio citò, & merces mea mecum est: reddere vnicuiq; secundum opera sua. Quin & ipse Christus: Procedent, inquit, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in resurrectionem iudicij.

*Matt.7. Rom.10. Ioan.12. Luc.12. Iacob.4.*

*2.Cor.1.& 2.*

*Ioan.3. Extremum iudicij erit de operibus. Matt.25. Eccle.16. Psal.16. Rom.2. 1.Cor.5.*

*Augusf. de fide & operibus. cap.15.*

*Apoc.22.*

*Ioan.15.*

Plena est scriptura hoc genus sentẽtijs, futurã esse retributionẽ, futurum esse iudiciũ, nõ secundum



secundum fidem, sed secundum opera. Quorum autem opera? num infidelium? Minimè gentium. nam ij, Veritate ipsa attestante, eo ipso quòd non credunt, iam iudicati, iam condemnati sunt. Fidelium igitur opera ea sunt, secundum quæ retributio, secundum quæ futurum est iudicium. Cùm autem fideles dicantur, qui fidem habent: infideles, qui non habent: sicut ab Augustino quoq; legimus annotatum: multos verè fideles reperire licet variorum criminum etiam capitalium, reos, vel ex eo constare cuiuis potest: quòd non statim fides amittatur, quando mortale peccatum admittitur. Quamobrem longe alia fidei & spei, alia charitatis, per quam fides operatur, est ratio. Hæc enim indiuidua comes est gratiæ, nec vnquàm ab illa destituitur. Sic enim loquitur Patris æterna Sapientia: Ego diligentes me, diligo. Et alio loco: Qui diligit me, diligetur à patre meo.

*Ioan.3. Aug.de Trinit.lib. 13.cap.2. Prouerb.8. Ioan.14.*

Quamobrem quàm sunt inter se pugnantia, peccatum & gratia, tàm pugnant inter se peccatum & charitas: fides autem & spes, etiam ijs ineſſe queunt, qui cum Deo non sunt in gratia. Quemadmodum igitur, si quis futurum admisit, exclusit is quidem charitatem, quæ nõ modò non concupiscit aliena, verumetiam pro eo, vt benigna est, libenter impertit sua: sed interim nihil impedit, quò minus in eo maneat habitus castitatis: Ita nulla est ratio, quæ impediat, quò minus qui fur est, idem amissa charitate, fidei retineat habitum, & spei, quamuis & fides & spes, quarum vita est charitas, nullum habenti, fructum sint allaturæ, si vita sua fuerint destitutæ. Sola igitur est hæresis, aut apostasia, per quam excluditur habitus fidei, ita vt si quis in vno aliquo articulo fidei discrepet ab vnius sanctæ catholicæ, apostolicæ Ecclesiæ sensu & consensu, is habitum amisisse fidei rectè dici possit.

*1.Cor.13. Hæresis sola aut apostasia excludit habitum fidei.*

Est igitur vera fides etiam in ijs, qui peccatis aliquibus grauioribus obstricti tenentur, si cùm alios articulos fidei, tum sanctam credant Ecclesiam catholicam. Neque credendus est Dauid Rex, postquàm adulterio commisso, cædem quoq; patrauit, eueſtigiò fidem simul amisisse: siue qua reuelatis à Deo credimus, siue qua nobis eum propitiũ fore propter Christum confidimus, quod tamen alterum spei magis, quàm fidei esse videtur. Nam nisi credidisset Dauid esse Deum grauem peccatorum vltorem, non ita grauiter animo perculsus fuisset, non tantùm de sceleribus patratis dolorem concepisset. Rursus, nisi benignum eundẽ & misericordem, patientem & multæ misericordiæ, ac præstabilem esse super malicia persuasum habuisset, nisi certam spem & fiduciam concepisset, fore, vt propter nomen suum, propter vnigenitum filium suum, propitiaretur peccato suo: nunquã ad cinerẽ, ad lachrymas, ad ieiunium confugisset: nunquàm supplici prece, placatum eum sibi reddere studuisset. Petrum negasse Christum legimus: non desunt tamen, qui illo ipso passionis tempore, fidem eum in Christum habuisse contendant: propter illa verba Christi potissimum, quæ non multò antè prædixit veritas: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego aũt rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Gregorius certè, quem corde tenuit, eum voce negasse Deum scribit: & qui præcesit eum Theodoretus, neq; charitate fuisse Petrum omninò destitutum narrat, cùm Christum negasset. Et eius æqualis Leo Pontifex: Non fidem fictam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse in Petro perturbatam, docet. Qui Petrum alloquens: vidit, inquit, in te. Dominus non fidem fractam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam: abundauit fletus, vbi non defecit affectus: & fons charitatis lauit verba formidinis: nec tardatum est remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. Quos sequutus Bernardus: In Petro sopitam, non extinctam fuisse charitatem, affirmat. Non excluditur itaq; per mortale peccatum vera fides, etiam si viua fides cum eo consistere non possit: quæ non propterea vera non est, quoniam à Iacobo mortua vocatur: cùm qui mortuus est, verus homo dici nequeat. Nam si verba Iacobi diligentius expendas, longè diuersum reperies. Non enim dixit Iacobus, sicut homo: sed sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Est quidem ita, quòd & homo moritur, extincto spiritu, & fides moritur, extincta charitate, per quã, qui vita nostra est, Deus habitat in nobis, quæ ipsa est Deus: verùm fides habet se instar corporis, charitas instar animæ: est enim anima fidei, charitas. Quamobrem sicut cùm ex corpore migrauerit anima, verùm nihilominus & idem quod antea corpus permanet, etiam si spiritu destitutum sit, neq; deest illi quicquam, quod ad essentiam spectet corporis & proprietatem: sic amissa charitate, remanet nihilominus vera & eadem illa, quæ fuit, anteà fides, neq; deest illi quicquam eorum, quæ ad rationem, substantiam, & proprietatem fidei pertinere videntur: nimirum, vt Dei dictis, & omnibus ab eo reuelatis, assentiatur. Explicans secundam ad Corinthios Epistolam Chrysostomus, Quemadmodum, inquit, in corpore recens mortuo licet videre oculos, manus, pedes, ceruicem, & caput, sed nullum membrum suo munere fungitur, sic sit, & in Ecclesiæ corpore. Omnes qui præsentes hic adsunt, fideles sunt, verum fides eorum officium non facit. Feruorem enim extinximus, & corpus Christi mortuum fecimus. Hic fideles vocat Chrysostomus etiam eos, qui mortuam quidem, sed veram tamẽ fidem habent. Sicut corpus mortuum membra quoq; habet vera. Bernardus, producto illo Apostoli loco: Habitaturum Christum per fidem in cordibus nostris. Ex eo non incongruè intelligi posse docet, tam diu Christum in nobis viuere posse, quàm diu viuit fides. At postq; inquit, fides nostra mortua est, quodam modo Christus mortuus est in nobis. Porro fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est: Opera, quæ dedit mihi pater, ipsa testimonium perhibent de me. Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuã asserit in semetipsa. Sicut enim corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaq; vita quidem corporis est anima, per quam mouetur & sentit: vita verò fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: Fides quæ per dilectionem operatur: vnde & refrigescente charitate, fides moritur, sicut corpus anima recedente.

*Li.25.Mora.c.16. In oratione de charitate, quæ est annexa historiæ sacræ. Ber. de dignitate & vtili amoris, cap.6. Leo ser.5.de passione Domini. Petrus Christum negans fidem non amisit. Iacob.2. Charitas anima fidei. Bern. serm.2.de resurre. Domini. In 2.ad Corinth. Hom.26. Fidei vitam opera attestantur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quòd Fides à Spe & Charitate, non modo vocabulo, verumetiam rationabili differentia distinguatur.*

## CAP. LXIII.

*Aug. cap. 8.* SVnt igitur distincta inter se fides, spes & charitas: neq; ita sibi tres hæ virtutes cohærent, vt ab inuicem separari non possint: quas non modò vocabulo, verumetiam rationabili differentia distingui, in Enchiridio suo docet Augustinus. Verum quis potest huius rei locupletior esse testis, quàm ipse Paulus: qui cùm dixisset: *1. Cor. 12.* Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, *1. Cor. 12.* nihil sum: nónne videtur apertè fidem à charitate secreuisse? Nam quod hęc Pauli verba de fide miraculorum accipienda putant, fidem hanc miraculorũ in scripturis nusquam legimus. Gratia sanitatum, donum linguarum legimus in scripturis: fides sanitatum aut linguarum nusquam reperimus. Verùm de verbo nihil est quòd disceptemus: Scimus enim vno atq; altero loco, signorum atq; miraculorum fidei meminisse Ioannem Chrysostomum, & eò multò posteriorem Bernardum.

*Chry. hom. 29. in 1. & 23. in 2. ad Cor. 13. in epi. ad Ephes. Bern. in paruis ser. serm. 1. Orig. in tract. 4. in Matt. Basil. in reg. breuior. inter 129. Matt. 21. Matt. 13.* Sed quæ tandem est ista fides, de qua Paulus loquitur? certè perfectior quàm quæcunque alia: nimirùm ea, qua non solùm assentimur omnibus, quæ nobis tradita sunt, ad salutem æternã consequendã, necessaria quaq; certã fiduciã de misericordia Dei, deq; promissis eius concipimus: verumetiam, qua tanta ferimur in Deum, vt eam etiam signa sequantur & miracula. Certè Origenes, Basilius, Gennadius, Theophylactus de perfecta, deq; solida atque integra fide, Pauli verba hæc interpretantur: quæ satis esse queat, etiam ad montes transferendos. De qua etiam dictum est à Christo: Si habueritis fidẽ & non hæsitaueritis, etiam si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet. Quã idẽ Christus alio loco sinapis grano comparauit, non propter exilitatem sui, sed propter vim & acrimoniam, qualem in modico sinapis grano videre licet. Certum est igitur, ibi Paulum loqui de vera, firma, & nihil hæsitante fide, qua nõ modò reuelatis à Deo creditur, verumetiam certa fiducia concipitur, qd petitur, eũ omnino liberaliter concessurũ. Cæterũ quorsum attinet, qua de fide loquatur Paulus, ambigere? cùm in extrema capitis eiusdẽ parte, tria doceat esse distincta, fidẽ, spẽ, & charitatem: maiorem autem horum charitatem. Poteritne cuiquam esse dubium, quin loquatur de charismatibus, deq; ea fide, qua Christiani sumus? quæ si sola fuerit, ea quæ vita ipsius est charitate destituta, fructum adferre queat nullum. Quamobrem istorum commentis reiectis, cum Augustino dicamus, quòd sine charitate fides potest quidem esse, sed non prodesse.

*Aug. li. 15. de Trin. cap. 18. & in serm. super gestis cum Emerito. Tract. 6. in Euan.*

*Quòd fidei, vt prodesse queat, Spem & Charitatem iungi necesse est.*

## CAP. LXIIII.

*Spes Christianorum qualis.* Cæterùm, quo prodesse queat, spes, vt illi iungatur, necesse est: Quam quidem eiusmodi esse oportet, nihil vt nobis ipsi fidamus, verùm spem omnem & fiduciam nostram in Deo positam habeamus: cuius vnigeniti filij passione & morte acerbissima, peccatorum nostrorum remissionem consecuti sumus. Ad hanc igitur Domini nostri Iesu Christi passionem & mortem, quæ prora, quod aiunt, & puppis est salutis nostræ, confugiamus: per hanc remitti nobis peccata nostra, cum Deo patre nos reconciliari: simul æternæ vitæ concedi nobis hæreditatem, accedentes ad thronum illius gratiæ, supplices precemur. Quæ tamen & ipsa spes vana prorsus erit & inutilis, si non ad eam opera charitatis accesserint: Nam fruſtrà crediderit aliquis, peccata sibi propter Christum esse remissa, nisi iustum de patratis illis dolorem conceperit: nisi detestatus & confessus illa fuerit: nisi dignos fructus digna opera pœnitentiæ fecerit: Quare coniuncta sint oportet, sperare, & benè agere: vel saltem studium aliquod ingens ad benè viuendum adhibere. Cuius rei non vno in loco nos admonet sanctus Dauid Spera, inquit, in Domino, & fac bonitatem. Ac rursus: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Sic demùm spes in Domino nobis est profutura, si fecerimus bonitatem, si sacrificauerimus sacrificium iustitiæ, si per charitatem fides in nobis fuerit operata. Sin autem nihil aliud, quàm credere nos & sperare professi, charitatis opera neglexerimus: & à iustitia longè remoti fuerimus, & ad illam vitam nobis aditus non patebit, ad quam si vellemus ingredi, mandata seruare iussi sumus. Præclarè tractans materiam hanc Marcus Eremita Chrysostomi discipulus: Fides requirit non solum vt baptizemur in Christum, verum etiam vt mandata eius obseruemus. Nam quod mysticè concepti simus cum ipso per baptisma, quodque nos consurgere fecerit & considere in cœlestibus, ex scripturis perspicuum est. Attamen mandata dedit, vt ea obseruantes inueniamus traditam nobis perfectionem, sin ab eorum obseruatione recedamus, sub peccati deprehendamur esse seruitute. Si igitur dicimus, ex operibus peccatum tolli, ergò Christus gratis mortuus est. Et quæ dicta sunt, omnia falsa sunt, & baptisma non est perfectum: sed apud eos qui se ex certaminibus perfectionem habere dicunt, vana est libertatis lex, & omnis noui testamenti legislatio sublata est. Iniustum autem & Christum introducunt, baptisatis operalibertatis imperantem, cùm adhuc, vt dicunt, præter voluntatem peccato subiecti sunt. Et gratia Dei, iam non est gratia: Sin ex gratia, opus iam non est opus: sed mandatum eius qui liberauit, & opus libertatis & fidei. Talia Sanctus Paulus olim ad Galatas scripsit, monens etiam ipsos, cùm simili tenerentur incredulitate. Nos verò haud ita

*Spes absque charitate inutilis.* *Matt. 3.* *Psalm. 36.* *Psal. 4.* *Vide Chrys. Hom. 25. in Matt.*



ita deseruimus gratiam Dei. Absit. Neq; prædicationis fidem negamus. Sed si post baptism a quoq; à peccato detinemur, id tribuimus non baptismatis imperfectioni, sed nobis ipsis, qui mãdata neglexerimus, & liberè voluptatib, indulgeamus. Sicut Diuina scriptura nos coarguit, Canis, inquiens, conuersus ad proprium vomitum. Ita homo propria se voluntate cõuertens ad peccatum. Voluntati enim nec post baptisma vim affert aut Deus aut Sathanas. Certè non audiuerũt Christi mandata, quæ post baptisma tradita sunt, legem esse libertatis vt ait scriptura: Ita loquimini atq; ita agite, tanquam per libertatis legem iudicandi. Et rursum Petrus Apostolus: Ministrate, inquit, in fide vestra virtutem. Et cum alia quæ sequuntur dixisset, subiecit: Cui enim non præstò sunt hæc, cœcus est, & manu tentans viam, obliuionem capiens purgationis veterum suorum delictorum.

*2. Pet. 1.*

Neq; enim existimare quispiam debet, datum nobis esse à Deo Christum, vt redemptorem tantùm cui fidamus: & non simul vt legislatorem, cui obediamus. Aperta sunt Esaiæ verba dicentis: Ex Syon exibit lex, & sermo Domini ex Hierusalem. Quę in libro, qui inscribitur de cognitione Dei, cuius auctor esse fertur Gregorius Nissenus Pontifex, sic explicata legimus: Dominus, inquit, noster Iesus Christus, nunc in monte Syon sedens & docens, nũc in ciuitate Hierusalem versans, legem & doctrinam Euangelicam tradidit. Neque enim de Mosaica lege Propheta nunc loquitur. Quomodo enim id fieri queat: cum ea non in Syon, nec in Hierusalem, sed in monte Synai fuerit data multò antè, quàm natus esset Esaias: quẽ admodum Euangelica multò post ipsum Esaiam tempore promulgata fuit. Quapropter appositè dixit, Exibit: quoniam antiqua lex iam exierat. Alio verò loco Gregorius idem vocat Christum vitæ legislatorem. Apertius autem, idem Propheta Esaias, alio loco de Christo loquens: Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, Dominus ipse saluabit nos. Et per alium Prophetam dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Quin & Iacobus de Christo, Vnus est, inquit, legislator & iudex, qui potest perdere & liberare. Docet hoc pluribus verbis, vbi de Trinitate scribit Cyrillus: non redemptorem tantùm, verùm & legislatorem esse Christũ. Et ad Eoptium scribens in refutatione reprehensionis Theodoreti 6. Anathematismi, Beatus Ephrem in oratione de transfiguratione Domini. Iesus est, inquit, Dominus, non seruus: dominans, & non parens imperio: legislator, & non is cui lex datur: filius, non verna: natura & non adoptione. Et alio loco: Quisquis reliquerit legislatorem, & ipse nihilominus ab eo relinquitur. Si autem denuò pœnitentia ductus, seipsum agnouerit, ita vt legislatori suppliciter procidat & dicat: peccaui quòd te Dominum meum & magistrum dereliqui; protinus legislator, cùm sit amator hominum, pro sua pietate suscipiet eum: & præstabit ei intellectum bonũ, vt agnoscat infirmitatẽ & peccata sua. Et eius æqualis Marcus Eremita: Legem, inquit, spiritualem cœlestis legislator Christus per spiritum sanctum inscripsit fidelibus: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Lactantius verò: Summus, inquit Deus cùm religionem suam transferre voluisset, doctorem iustitiæ misit è cœlo, vt nouis cultoribus, nouam legem in eo vel per eum daret. Et ante eos omnes Clemens Petri successor: Ezechiel, inquit, atq; alij deinceps Prophetæ, vbiq; prædicant hunc esse Christũ, Dominum, Regem, Iudicem, Legislatorem: Et in sequenti libro, obtemperemus Christo, vt Regi, qui potestatem habet inducendi varias leges, ac tanquam sapiens Legislator nouas ferens, vbique naturalibus, immobilibus conseruatis. Vide eundem paulò superius: Theodoretus quoque locum illum Psalmi explicans: Constitue Domine legislatorem super eos. At meritò quis interrogaret: Quem legislatorem vates dari hic obsecrat? Nam Moses ille Magnus diu & iam diu diuinæ legis ferendæ minister factus, finem vitæ fusciepit. Alius verò legislator post illum non surrexit. Si verò nemo alius ostenditur, neq; Iudæis neq; Gentibus legislator: Reliquum est cogitare Dominum Christum legislatorem apparuisse, qui sacris in Euangelijs exclamat: Dictum est antiquis: Non occides: Ego autem dico: Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicio. Gregorius quoq; Pontifex illa verba S. Iob, Nullus ei similis in legislatoribus: interpretatur de Christo, quod ei, neque Moses, neque Iosue, necalius quisquam legislatorum similis fuerit. Est quidem ita, quòd is factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis factus est omnibus causa salutis æternæ. Nunquid autẽ omnibus, credentibus tantùm in se? Non hoc dicit Paulus, verùm omnibus, inquit, obtemperantibus sibi, omnibus legem suam custodientibus: omnibus mandata sua seruantibus. De ijs verò, qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, tantùm abest, vt eis Christum factum esse dicat causam salutis æternæ, vt nõ dubitet etiam affirmare, quòd pœnas dabunt in interitu æternas.

*Matt. 19. Christus legislator. Esa. 2.* *In dictum Euangelij quatenus fecistis vni ex minimis. Esa. 33. Hier. 31. Iaco. 4.* *Cyril. lib. 3.* *Ephrem de compunctione cordis, cap. 5.* *Marc. Ere. in libro de baptismo.* *Lactan. lib. 4. c. 13.* *Cap 23. & lib. 2. cap. 36.* *Lib. 27. Moralium cap. 1.* *Philip. 2. Heb. 5.* *Christus credentibus & obtemperantibus factus est salus æterna.*

Errat igitur, si quis putat Euangelium esse nudam & absolutam vitæ æternæ promissionem, sine conditione mandatorum obseruationis. Cùm rectè dictum sit ab Eusebio Emisseno, quòd conditionaliter fit prædestinatio Dei, nihilq; sine aliqua conditione prædestinatũ est. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamẽ conditione, si fidem tenuerint, si charitatem, si humilitatem, si sapientiam, si misericordiam & pietatem, & his similia habuerint. Similiter Ioannes Chrysostomus: Non reliquit nobis Deus hæreditatem purè & absolutè: Sed sub quadam cõditione: Quænam autem ea est? Qui me diligit, inquit, præcepta mea seruabit. Et rursus: Qui non tollit crucem suam, & sequitur me. Et plura alia. Ac alium quendam Psalmum enarrans: Solæ Dei promissiones nobis, inquit, bona non præbent, nisi nos quoq; faciamus, quæ in nostra potestate sita sunt: nec oportet ea attendentes supinos esse ac remissos. Multa enim quæ promisit Deus bona, non facit, sed qui promissa susceperunt, inueniantur indigni. Quemadmodum & mala, quæ minatus est, non educit in opus, si ij, qui eũ irritarunt, posteà mutantur, & iram expellunt. Quamobrem, qui secùs docent, eorum sententiæ scriptura reclamat: Compati nos oportere, si conglorificari: commori, si conuiuere:

*Euseb. hom. feria. 2. post Dominicã 1. Quadragesimæ.* *In Psal. 131.* *Rom. 2.* *2. Time. 2.* *Matt. 19.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ioan.13. Luc.24.* sustinere, si conregnare volumus monet Paulus: Verum apertius multò Christus ipse: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et alio loco: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Quòd si oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, multò magis oportet pati nos, vt intremus in alienam, supernaturalem videlicet, ac nobis indebitam, & longè meritis nostris imparem. Præclarè vir ille, singulari pietate præditus, nomine tantùm Idiota, regulas quasdam describens vitam Christianam complectentes, posteaquàm non minus laboriosam viam docuisset, quæ est secundum mundum, quàm sit via virtutis: stultum esse, dicit, credere, ad cœlum posse peruenire, nisi per pugnam aduersus carnem, diabolum, & mundum, quandoquidem & caput nostrum Christus non ascendit in cœlum, nisi per crucem: nec debet serui conditio melior esse conditione Domini. Quem sequutus aliquot pòst seculis Bernardus. Non recti planè, sed peruersi est animi, antè quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certauerit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Ita est. Frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute: frustra fatuæ virgines sponso obuiam surgunt, quarum lampades extinguuntur, & ideò vacuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Absit mihi gloriari, nisi in gloria illorum, quibus Propheta congratulans, ait: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Et infert: Quoniam gloria virtutis eorum tu es: pulchrè non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim sine virtute est gloria, profectò indebita venit, præpropere affectatur, periculosè captatur: virtus gradus ad gloriam, virtus mater est gloriæ: Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturiuit: sola virtus est, cui iure gloria debetur, & securè impenditur. Et alio loco: Non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo, nec ad capitis corpus se iudicat pertinere membrum, quod capiti compassum non fuit. Sed & Ambrosius, Tenera, inquit, corporis cura luxuque & lasciuiarum cupiditate mollitos, nequaquàm cœlestis aula suscipit, ad quam duris laboriosæ virtutis gradibus ascenditur. Hi verò, quibus fluida delicijs membra soluuntur, regni cœlestis extorres, intra mundi huius habitacula conseneseunt. Et alio loco. Qui vult dare præmium, debet expectare certamen: quia nemo sine certamine coronabitur. Simit ergo vos sæpè tentari, volens iusta præmia dare, luctanti vtique non dormitanti. Non decet redimitos floribus corona, sed puluerulentos, nec molles delicijs, sed labore exercitatos, ornat victoria. Neque minus eleganter Hieronymus, ad Iulianum scribens: Difficile, imò impossibile est, inquit, vt & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: & hic ventrem, & ibi mentem impleat, vt de delicijs transeat ad delicias. Ante quem etiam Athanasius: Qui habet requiem suam in hoc mundo, ne speret æternam quietem se posse cõsequi: Regnum enim cœlorum non eorum est, qui sic ociantur: sed eorum, qui in multa tribulatione & angustia vitam transigunt. Non enim id gratis accipiunt, sed cum ingenti labore & magnificis sudoribus illud adepti sunt, quotquot eo digni habiti sunt. Ad eundem modum Basilius quoque: Quomodo, cùm vitæ secundum mandatum Domini instituendæ, eam, quæ voluptatum est, præferamus, æternæ vitæ fœlicitatem & conuersationem ei, quæ sanctorum est, conformem, & Angelica gaudia in facie Christi nobis pollicemur? Stolidi certè animi sunt talia phantasmata. Quomodo ero cum Iob, qui nec vulgarem quidem afflictionem cum gratiarum actione complector? Quomodo cum Dauide, qui erga inimicum nullo sum lenitatis affectu præditus? quomodo cum Daniele, qui non assidua continentia, & deprecatione sedula Deum quæsiui? quomodo cum singulis sanctis, qui vestigia illorum non sum secutus? Quis athleta ita iudicij expers est, vt ijsdem velit dignari coronis, & victorem, & eum, qui nihil certauit? Quis dux ad parem vnquam spoliorum partem cum ijs, qui vicerunt, eos vocauit, qui in pugna ne comparuissent quidem? Bonus est Deus, vera fac Domine bonis: Declinantes autem in obliquationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Misericors est, æ & Iudex. Diligit enim misericordiam, inquit, & iudicium Dominus. Quapropter dicit, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Similiter & Augustinus, Manducant homines fungum malum, & moriuntur. Ecce in qua fragilitate est vita humana, quam quandoq; relicturus es. Noli pro illa sic pugnare, vt tu relinquaris. Vita nostra Christus est. Christum attende, pati venit, sed & glorificari: cõtemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere. Opus te terret, mercedem vide. Quare vis pergentum tuum, qui ad argentum tuum cum labore magno peruenisti. Si ad argentum tuum, quod quandoque vel moriens amissurus es, non peruenisti sine labore, ad vitam æternam sine labore vis peruenire? Et his omnibus vetustior Origenes: Nemo potest in carmio Abraham, & delicijs: qui verò in præsenti seculo pane afflictionis vescitur, sicut & ille pauper, cùm hinc abscesserit, in delicijs erit. Leo quoque Pontifex ait: Quamuis enim bonorum omnium sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus: vt si mandata illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit mereamur accipere, quod promisit. Et alio loco: Non enim dormientibus prouenit regnum, nec ocio desidiaque torpescentibus beatitudo æternitatis ingeritur: Sed quia sicut Apostolus ait: si compatimur, & conglorificabimur: illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, & sacramento consuluit, & exemplo: vt in adoptionem vocatos per illud prouecheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Extat Homilia elegans Chrysostomi, quòd cœleste regnum absq; tribulatione & laboribus ac quiri

*Nota. Per pugnam itur ad cœlum. Bern. in natali S. Victoris ser.1.*

*Psalm.88.*

*Per virtutem itur ad gloriam.*

*De passione Domini, cap. 4. Amb.lib.5.in Luc.*

*Ambr.in Psal.118. serm.18.*

*Hier. ad Iul.*

*Athan.de virginit.*

*In definitionibus Iustitiarum in proœmio*

*Deus bonus & iustus, misericors & iudex. Psalm.124. Basil. in oratione 3. de peccato. Aug.ser.6. de verbis Domini.*

*Orig.in Psalm.36.*

*Serm.2.de Epipha. ser.5. Chryso. Hom.2.de Epiphania. Chryso.hom.5. de Epiphania.*



acquiri non potest. Et in ea quæ proximè sequitur, Vbi corona, ibi pœna. Et alio loco clarius: Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec brauia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas: quod exemplis etiam posteà planum facit. Extat eiusdem etiam Homilia de Martyribus, quòd aut imitandi, aut non laudandi sunt. Delicatus es miles, ô Christiane, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum: conditionem attende: militiam nosce. Pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris cuncti pugnarunt, hac conditione vniuersi vicerunt, hac militia omnes triumpharunt. Et qui præcessisse Chrysostomum videtur Macarius: Non statim, inquit, vt quis Dei verbum audiuit, in sorte & parte boni est. Sic enim simul vt audiuisset, bonæ partis esset, non iam essent certamina vel bellorum occasiones aut cursus, sed absq; labore, modò audisset, peruenisset ad quietem, & mensuram perfectam. At non ita se res habet. Tollis enim hominis voluntatem hoc ita dicendo, & aduersariam virtutem spiritui repugnare negas. Nos autem dicimus eum qui verbum audit, in cõpunctionem venire, deindè cùm se iuxta dispensationem, οἰκονομίαν Græci vocant, gratia subduxerit ad hominis vtilitatem in exercitationem & disciplinam militarem ingredi, cũ Sathana luctam & certamen inire, cumque multo cursu & labore victoriam ab eo reportare Christianus vt fiat. Nam si quis ex auditu solo sine labore ad bonam partem pertineret, etiam qui spectaculis theatralibus oblectantur, & scortatores in regnum & vitam æternam ingrederentur: quam certò nemo dabit illis absq; labore & certamine. Siquidem arcta & angusta est via, per hanc asperam viam oportet incedere, sustinere & affligi, & ita in vitam ingredi. Si enim absq; labore fœliciter agere liceret, haud quaquam lapis offensionis & petra scandali Christianismus esset. Gregorius quoq; Pontifex: Sed ad magna præmia peruenire non potest, nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Delectat ergò mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Et alio loco: Retributionis æternæ gaudium nequaquã in cœlo colligitur, nisi prius in terra cum fletu & gemitu, & amaritudine seminetur. Sicut scriptum est, Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante conualescit. Et quemadmodum carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namq; delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denicq; illam lenia refouent, istam verò aspera exercent. Et rursum: Sicut carnem dura conuulnerant, ita Spiritum mollia necant. Et sicut carnem laboriosa attenuant, ita spiritum delectabilia angustant.

*Hom.66.ad populũ Antioch. Hom.4. ad populũ Antioch. Hom.12.*

*Hom.31.*

*Hom.31. in Euang.*

*In explanatione in 3.Psal.pœnitent.*

### *Quòd nihil impossibile Deus præceperit.*

### CAP. LXV.

VErum hic isti: Si nos ad mandata remittis, aiunt, vt nisi ea obseruemus, esse iusti non possimus, actum est de nobis: Nam in hac vita, quæ præcepit Deus implere, possibile non est: in qua legi satisfacere nemo potest. Scilicet, si fidem istis habemus, impossibilia præcepit Deus. Potest autem dici quicquam, aut cogitari magis blasphemum, quàm hoc sit? Quis præcipiat his, qui sibi subiecti sunt, quod ab eis nullo modo præstari posse videat: nisi aut prorsus insanæ sit mentis, aut ridiculus, aut barbarus aliquis, & immanis tyrannus, qui sibi datam cupiat occasionem, per quam, suam in illos crudelitatem expromere queat? Atqui talem isti nobis Deum fingunt, prælari, si Dijs placet, gloriæ Dei vindices, quam tot seculis obscuratam, nunc demùm asserere se, rudi plebeculæ persuadere conantur. Quid autem? an non reclamat huic eorum blasphemiæ scriptura? In Euangelio suo dicit Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. In Euangelio suo dicunt isti: Iugũ Christi durum & acerbum, & onus eius est prorsus importabile. Ad quod ferendum Christus inuitat, ab eo deterrent isti, ne venire quisquam ad Christum audeat: qui legem tulerit, cui satisfacere possit nemo. Dicit Dei spiritus per Ioannem: Mandata Dei grauia non sunt. Dicit Satanæ spiritus per membra sua: Mandata Dei non modò grauia, verumetiam prorsus ad implendum impossibilia sunt. Nimirùm hoc est illud purum Euangelium, quod à zonarijs, baiulis, figulis, tantoperè vidimus expetitum: cùm ex diametro, quòd aiunt, cum Euangelio Christi pugnare videatur: quo virtutis omne studium eneruatur: omnis faciendi mandata Christi conatus impeditur. At non ita prisci Patres illi sancti, qui si quis impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse blasphemasset, cum anathema pronunciauerunt: quòd impium esse dicerent, affirmare, quæ à spiritu Dei mandata profecta sunt, ea esse credentibus impossibilia. Sic Hieronymus, & eum secutus Augustinus. Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid à Deo hominibus esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Quod si quis explanationem ad Damasum symboli negauerit ab Hieronymo conscriptam esse, cum eo tria verba non commutabimus. At in Commentarijs in Matthæum, quorum authorem Hieronymum esse nemo dubitat, ita scriptum legimus: Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt: & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos. Cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum nõ impos-

*Allegare impossibilitatem mandatorũ est Deum crudelem facere.*

*Hæc pulchrè prosequitur Hieronymo, vel quisquis est author epistolæ ad Demetriadem, de virginitate seruanda.*

*Matt.11. 1.Ioan.5.*

*Patres prisci quomodo populum instituerunt. Hier.ad Damas.in expos.symboli. Basil.in verbis Mosis, attende tibi ipsi. Et in ea, quæ proximè sequitur hom. Et in ethicis. Reg. 44. Item Reg.4. cap.1. & Hom.13. in exhor.ad Bap. Chry.hom.8. de pœnit.ser. de charitate, & ho.10.in epi. ad Heb. & 3.hom. ad pop.Antioch. Hier. in Matt.c.5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



impoſsibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul & Abſalon. Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt. Et Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hoc autem Ieſus, & docuit & fecit, dicens: Pater ignoſce illis, quod enim faciunt neſciunt. Scripſit Paſtoris librum Hermas Pauli diſcipulus, vbi grauiter magna cum ira reprehendit eum, qui mandata Dei cuſtodiri poſſe negabat. Ioannes autem ille, qui iure meritò Chryſoſtomus appellatur, adeò nihil impoſsibile mandaſſe Deum, affirmat, multos vt fuiſſe dicat, qui plus etiam vltrò præſtiterunt, quàm à Chriſto mandatum eſt: tantùm abeſt, vt eius mandata, non impleuerint. Nam cùm neque virginitatem, neque pauperta-
tem Deus vnquam mandauerit, minimé tamen defuerunt, qui iniuſsi vltrò vtrunque amplecterentur. Quin & illud non vno in loco perſuadere populo conatur, multò grauius eſſe iugum ſeculi, quàm ſit iugum CHRISTI. Quòd illud iugum eſt ſeruitutis, iugum carnis & peccati: hoc verò iugum eſt libertatis, iugum ſpiritus & gratiæ. Acintegram homiliam de ea re conſcripſit: Quòd Monachorum vita & crucifixorum, quæ grauis eſſe putatur & onerosa, multò dulcior ſit, atque concupiſcibilior, quàm ea, quæ facilis & mollis eſſe videtur in ſeculo degentium. Quod idem facit Euſebius Emiſſenus in Homilia, quam de Machabeis conſcripſit: & auctor operis imperfecti in Matthæum. Origenes: Qui dicit, implere non poſſum, quæ mandantur à Deo, quid tibi videtur aliud, quàm intermulieres, quæ nihil virile poſſunt, eſſe numerandus. Gregorius Niſſenus: Si natura ita comparatum eſt, vt ſolo motu mentis & appetitu à malo alienemur, nihil laborioſum nobis præcipit Euangelicus ſermo: neq; enim labor coniunctus eſt affectioni & ardori mentis. Sed licet nobis abſq; vllo negocio quocunq; volumus per cogitationes accedere. Itaq; volenti facile eſt cœleſtem vitæ traductionem vel in terra habere, ſi, quemadmodum Euangelium præſcribit, cœleſtia ſapiamus, cœleſtibus afficiamur. Locum illum enarrans Hilarius: Latũ mandatum tuum nimis. Latum, inquit, mandatum Dei eſt, & in omnia ſpei noſtræ genera diffunditur, vt non difficile ſit, ſi voluntas adſit, præcepto Domini obtemperare: cùm & lamenter latum.

*Li.2.Mandato 12.*

*Et in enarratione Pſal. 3. & in ho. de virtut. & vitijs in 5. Tomo. Hom. 24. & 39. in Matth. & hom. 2. ad Philip.*

*Hom. 56. ad pop. Antioch.*

*Hom. 28.*

*Iugum ſeculi grauius iugo Chriſti.*

*Orig. in Ioſue. hom. 9.*

*Greg. in lib. ad Harmonium.*

*Quid profeſſio nominis Chriſtiani ſibi velit.*

*Pſal. 118.*

Et beatus Ephrem, nullam in hac via, quæ ducit ad cœlum, reperies difficultatem. Dominus ipſe factus eſt via vitæ volentibus ad patrem luminum proficiſci, vbi beatitudines enumerat. Theodoretus verò legum obſeruandarum facilitate ſubijci dicit, per hæc ſcripturæ verba: Mandatum quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, non in cœlo, vt poſsis dicere: Quis noſtrum valet in cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audientes illud impleamus? Neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: Quis poterit traijcere mare, & illud ad nos adducere, vt poſsimus audire & facere, quod præceptum eſt? Non eſt tibi opus alis ad volandum, aut nauibus ad proficiſcendum, vt diſcas, quid agere debeas. Sed propè eſt verbum valdè in ore tuo, in corde tuo, & in manibus tuis, vt impleas illud. Et loquitur ibi præcipuè de præcepto dilectionis. Etiam Prophetis longè grauiſsimum viſum eſt onus iniquitatis, quàm ſedere, quidam ait, ſuper talentum plumbi. Sub quo gemebat alius quoque dicens: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me. Quamobrem duriora multò ſunt, quemadmodum etiam à Baſilio ſcriptum legimus, quæ vel inſanus amor, vel inexplebilis habendi cupiditas, mortalibus imperat, quàm quæ Chriſtus præſcribit. Qui dicit etiam alio loco: quòd impium ſit aſſerere præcepta ſpiritus ſancti impoſsibilia eſſe obſeruatu. Vt non inepte dictum ſit à Ioanne Gerſone, quòd plures videre licet, qui maiorem pœnam habent ad infernum acquirendum, & ad malè agendum, quàm requiratur pœna ad regnum Paradiſi lucrandum. Et explicans illa verba Nicolaus de Lyra: Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Frequenter, inquit, plus laborant homines ad perficiendum ſua peccata, quàm iuſti ad iuſtitiæ opera: ſicut patet de fornicatore & adultero, qui maioribus laboribus, & periculis ſe exponit ad habendum intentum, licet frequenter deficiat, quàm bonus religioſus, in ſurgendo ad matutinum pluribus noctibus, ad Deum laudandum. Ante quem multis ſeculis Hieronymus, Quantis, inquit, ſudoribus hæreditas caſſa competitur. Minori labore margarita Chriſti emi poterat. Gregorius quoque Niſſenus. Si laborioſum ſtudium bonarum rerum eſſe putas, compares cum vita contraria, ac reperies quanto malitia, nequitiaque laborioſior & moleſtior ſit. Siue quis obſcœno ſit amore captus, ſiue rei faciendæ ſtudio teneatur immodico, ſiue miſera vexetur ambitione, quas non perfert moleſtias? quæ non adit pericula? quos non tolerat corporis & animi cruciatus, vt non defuerint, qui mortem etiam indubitanter oppeterent, dum eo, quod amant potiri ſtudent. At in Deo piè colendo, atq; illius contemplationi vacando, quid tãdem eſt moleſtiæ? quid periculi? quid laboris? aut quæ non voluptas, potius, cum adegentibus adhuc in terris, atq; in fragili corpuſculo, repræſentari videtur. Initia fortaſsis aliquid habent difficultatis & moleſtiæ: Quò longius autem progreſſus fueris, hoc facilior, iucundiora, ſuauiora ſunt omnia. Ea enim conſuetudinis vis eſt, ſicut præclarè ſcriptum eſt à Gregorio Niſſeno, vt etiam in ijs quæ difficiliora videntur, voluptatem quandam aſſi duo vſu ingeneret: fitq; ſuaue & iucundum per conſuetudinem temporis tractu, quod ab initio laboriosum eſt.

*Iniquitas grauiſſimum onus. Zach. 5. Pſal. 77. In Deut. cap. 38.*

*Baſil. Hom. 13. in exhortatione ad Baptiſmum.*

*Baſil. Hom. 3. ſuper illud Moyſis, Attende tibi ipſi.*

*Ger. parte quarta in ſerm. de omnibus ſanctis.*

*Hier. ad nepotianũ de vita clericorum.*

*Euſ. Emiſſen. de Epiphan. ſer. 5.*

*Greg. Niſſen. in li. de beatitudinibus ſuper illud. Beati mundo corde.*

*In dictum Euangelij. Quatenus feciſtis vni ex minimis, &c.*

Sic priſci populum inſtituebant, ſic de ſuperiore loco mentes eorum ad virtutum ſtudia, quæ nos amplecti Chriſtus voluit, oratione ſua inflammabant. A quibus quid aliud iſti, quàm deterrere prorſus videntur? dum non difficilia modò, quod ferri tamen poſſet, verũ etiam prorſus impoſsibilia Deum præcepiſſe blaſphemant. Diaboli fraudes has eſſe dicebat olim Antonius, vt impoſsibile, durumq; piè, religioſeq; viuendi ſtudium eſſe prædicaret, vt dum



dum oneroſum eſſe videtur quod cœptum eſt, ex deſperatione tædium, ex tædio ſuccedat ignauia, ſicut in illius vita narrat Athanaſius.

Ex hac iſtorum impia doctrina, quam ipſi nihilominus verbum Dei vocari volunt, hoc eſſe conſecutum cernimus, nullo vt vnquam tempore quàm hoc, magis refrixerit charitas, magis abũdauerit iniquitas. Quis enim adduci facilè poſsit, vt aut eum Deũ colat, quem impoſsibilia præcepiſſe perſuaſum habeat, aut ad ea præcepta animum adijciat, quæ impleri non poſſe credat. Longè diuerſum docuit toties à nobis citatus Chryſoſtomus, dicẽs: Si in vſum ſemel bonæ iſtius philoſophiæ tranſeas, etiamſi poſteà aliquis tibi torpor obrepat, nõ tamẽ facilè poteris horũ quidpiã, quæ præcepta ſunt tranſgredi, bona ſcilicet conſuetudine firmitatem iam imitante naturæ. Quàm enim facilè eſt dormire, comedere, bibere, reſpirare: tam nobis facilia erunt etiam opera virtutis: ex quo etiam capiemus honeſtiſsimam voluptatem quietiſsimo in portu ſedentes, & ſerenitate continua perfruentes. Quem ſecutus Cæſarius, de Monachorum inſtitutis ſcribens: Hæc omnia, inquit, donec in conſuetudinem mittantur, laborioſa eſſe videntur, & vt verius dicam, tamdiu impoſsibilia iudicantur, quamdiu humanis viribus obtineri poſſe putantur. Cùm verò à DEO obtineri, & per DEI gratiam impleri poſſe creduntur, nec dura, nec laborioſa, ſed leuia & ſuauia comprobantur: ſecundum quod Dominus dixit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Poſt quem etiam Bernardus: Reuera cùm inceperis, inquit, triſtitia implebit cor tuum: ſed ſi perſeueraueris, triſtitia tua conuertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur, vt omnia quæ prius difficilia, imò impoſsibilia videbantur, cum multa percurrantur auiditate & dulcedine. Et alio loco: Iugum, inquit, ſuaue eſt, & onus leue. Non quia leue in ſe, nec enim leuis paſsionis aſperitas, mortis amaritudo, ſed leuis tamen amanti. Et in Sermone de verbis Euangelicis: Ecce nos reliquimus omnia. Graue iugum ſuper omnes filios Adam, vtique qui ſequuntur eum. Nam ſuper eos qui CHRISTVM ſequuntur, leue eſt & ſuaue. Prodierunt nuper Sermones quidam de cœna Domini, qui Bernardo adſcribuntur. Vbi tractans auctor locum illum Euangelij: Hoc eſt præceptum meum: vt diligatis vos inuicem. Dulcis, inquit, & ſuauis Dominus, dulce & ſuaue mandatum proponit. Dulce & ſuaue illud eſſe videtur, quod præcipit dilectio, & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, vbi eſt charitas: nullus ibi labor eſt, vbi verus amor eſt. Cuncti amori libenter obediunt, & eius iugo colla ſubmittunt: peruerſi peruerſo, lubrici lubrico, ſancti ſancto, caſti caſto, quilibet in deſiderio ſuo. Ideò Dominus dat præceptum amoris, præceptum dilectionis, vt ſuo præcepto oẽs obediant, & ceruicem ſuperbiæ ſuæ ſub iugo ſuæ humilitatis edomare feſtinent. Ac paucis interiectis: Leue, inquit, præceptum, ſuaue præceptum, & dulce præceptum. Ad portandum leue, ad amplectendum ſuaue, ad tenendum dulce & delectabile. Quid leuius? quidve dulcius? quid ſuauius quàm diligere? Hoc poteſt omnis homo ſanus & æger, diues & pauper, ſtultus & ſapiens, nobilis & ignobilis, ſeruus & liber: nemo ſe excuſet. Scripſit Philo Iudæus librum de legibus non ſcriptis, in quo docet, viros, qui rectè ac ſine culpa vixerunt, quorum virtutes publicatæ ſunt in ſacrarum literarum tabulis, non tantùm ad laudem illorum, verumetiam ad lectores in æmulationem prouocandos: fuiſſe leges quaſdam animatas & rationales duabus de cauſus venerabiles: altera, quoniam oſtendunt quod præcepta legis à natura non diſcrepant: altera, quòd hinc liquet non eſſe opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam, quãdo illi priſci ante leges ſigillatim proditas, nõ ſcripto iure vſi, pari facilitate atque felicitate vixerunt: vt meritò quis dicere poſsit, leges ſcriptas nihil aliud eſſe, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta, factaque narrantur, nam illi ſcholas nullas frequentauerant, nullis præceptoribus vſi fuerant, ſed à ſeipſis inſtituti, doctiq; ordinem naturæ ſunt ſecuti, quæ lex eſt dubiò proculantiquiſsima omnium, quam ipſi ius ſummum, fasque rati eſſe, totam vitam ſuam vltrò ei ſubdiderunt: fortuitas autem res precibus & ſupplicationibus commendantes Deo propicio, hac quoque parte vixerunt feliciter, accedente ad promptam rectè agendi voluntatem diuina quoque prouidentia. Iuſtinus mouens quæſtionem hanc. Quomodo Deus quæ ſuprà vires ſunt imperans, hoc eſt. Vt nõ peccemus peccantem ſubijciat tormentis, cùm homo legem implere nõ poſsit, quod etiam Apoſtolus teſtatur dicens: Non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro: reſpondet. Quod cuiq; homini impoſsibile eſt, id etiã cuidã homini eſt impoſsibile. Veluti, volatus in aere ad inſtar aquilæ cuidam homini eo eſt impoſsibilis, qd & cuiq; homini ſit impoſsibilis, & contra. Quod certo homini poſsibile eſt, vt nauigare, omni etiã homini eſt poſsibile. Enimverò ſi quemadmodũ dicit ſcriptura, quidam eorum ſub lege vixerunt, per iuſticiam fuere inculpati: Videlicet omnibus quoque ſub lege poſsibile fuit, vt pari modo per iuſtitiam legis eſſent inculpati. Loquitur namque beatus Apoſtolus de ſeipſo. Iuxta iuſticiam quæ eſt in lege factus irreprehenſibilis. Diuus autem Lucas Euangeliſta de Zacharia & coniuge eius Elizabeth. Erant iuſti ambo coram Deo. Verſantes in omnibus præceptis, & iuſtificationibus Domini ſine querela. Quæ verò eſt vniuerſa ſecundum legem iuſticia? Diligere DEVM ſupra ſeipſum & proximum vt ſeipſum, quod impoſsibile non eſt hominibus voluntatem ad id adiungentibus. Quocirca illud ex operibus legis non iuſtificatam iri omnem carnem, non propterea Apoſtolus dicit, quòd præſtare impoſsibile non poſſumus, ſed quòd facere poſsibilia non velimus, voluntate namque ad poſsibilia vtimur, non ad impoſsibilia. Nam operibus, quæ poſsibilia ſunt & in voluntate noſtra ſita, ſi vel fiant vel non fiant, aut laus debetur aut vituperatio. Eo autem quod non velimus, non eo quod non poſſumus, omnes peccamus

*Hom. 11. in Matth. cap. 3.*

*Hom. 9. Ser. 2. in aſcẽſione. Hom. 24. in Matt.*

*Super Cant. Ser. 43*

*Serm. 14.*

*Leges animatæ, quibus vſi priſci.*

*Vita ad legẽ regulã facilè exigenda.*

*Iuſt. lib. quæſt. & reſponſio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus homines. Huius rei indicium est, quòd non omnes homines omnibus pecc ati generibus implicantur, sed quidam in hæc, quidam in illa incidunt delicta. Et nonnulli pluribus, alij paucioribus, quidam nullis inuoluuntur, prout illi quos diximus iusti. Quod certè hominibus non contingeret. Vt scilicet quadam specie peccati peccarent, quidam verò nũquam peccarent, si naturæ impotentia, & non auersa arbitrij libertate mortales peccarent. Quàm sunt hæc ab illis diuersa, quæ nostro tempore docent, qui segregauerunt seipsos.

*Quòd non tam natura mandatorum, quàm nostra fiat ignauia, vt implere mandata non possimus, cum quæ timori grauia sunt, leuia sint amori.*

## CAP. LXVI.

*Matth. 7. Obiectio via arcta. Psal. 16. Lex Christi non natura sua, sed ignauia nostra grauis est. Responsio. Chrysost. hom. 8. de pœnitentia. Hom. 2. in epist. ad Philipp. Hom 16. in epist. ad Hebræos. In Ezech. Hom. 33.*

SEd hic isti nobis obijciunt: Si tam leuia sunt Christi præcepta, quàm ea tu, videri vis, cur igitur dixit Christus, quòd angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eã? Cur vias Domini duras appellat Propheta? Nos verò non nostris, verũ eorũ, qui totius orbis iudicio grauissimi, doctissimi, sanctissimiq; sunt habiti, verbis, ad hæc respondebimus. Ac primo quidem loco, quòd laboriosa via Dei, quòd eius mandata videntur esse difficilia, dicit Ioannes Chrysostomus, non tam id fieri natura mandatorum, quàm nostra ignauia. Quid enim esse potest melle dulcius? ægroto tñ amarũ persæpè videtur. Num q; natura tale sit? Minimè gentium, sed est id morbi vitium. Ad eundem modum lex onerosa non tã sua natura, quàm nostra fit pigritia. Tractans quæstionem hanc Gregorius: De charitate scriptum est, inquit, latum mandatum tuum nimis. De hac iterum psalmista ait, statuisti in loco spacioso pedes meos. Sed ecce dum loquor animo occurrit, quomodo lata est charitas, si per charitatem pertingitur ad Deum: Et per semetipsam veritas dicit: Intrate per angustam portam. Et rursum Psalmistam audio dicentem: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras: atq; in Euangelio Dominus dicit: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quomodo ergo aut lata charitas, si angusta porta, aut quomodo iugum suaue est, & onus meum leue, si in præceptis Dei viæ duræ sunt, quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem citius ipsa veritas soluit, quia via Dei & inchoantibus angusta est, & perfectè iam viuentibus lata. Et dura sunt, quæ contra vsum spiritaliter animo proponimus, & tamen onus Dei leue est, postquam hoc ferre cœperimus, ita vt pro amore eius etiam persecutio placeat, & omnis pro eo affectio in mentis dulcedine veniat, sicut sancti quoque Apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsæ viæ duræ spiritaliter currentibus molles & planæ fiunt, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit quo affligitur amare. Extat inter has epistolas quæ Hieronymo adscribuntur, quædam ad Tharasiam, in qua pluribus verbis, quomodo duræ sint viæ, & quomodo suaue sit Christi iugum, explicatur. Eusebius quoque Emissenus: Non est, cur interdum Domini famulatum intollerabilem pronunciemus, secundum vel leuitatem, vel duritiem morum nostrorum. Qualem animum habuerimus, tale super nos iugum Domini sentiemus. Nemo itaque dominicum onus esse intollerabile conqueratur. Qui duri est animi, qui cordis est asperi, ipse sibi facit durum atque asperum iugum Christi. Et verè graui premitur sarcina mens subiugata peccatis. Onus verò Domini scit releuare, nescit opprimere. Hactenus Eusebius. Ac vt insit etiam aliquid in ipsius legis natura difficultatis & molestiæ, tamen si nautis minaces pelagi fluctus, si tempestates & hyemes agricolis, si vulnera, cædesq; militibus, si pugilibus ictus, plagæq; grauissimæ, leues adeò videntur & tolerabiles, vt voluntarij magna cum alacritate se discriminibus istis, & difficultatibus offerant, spe temporalium commodorum, quæ mox peritura sunt: quantò magis homini Christiano videri leue debet ac tolerabile, si quid etiam aduersi ferendum sit, cui præmium in cœlo positum est, non momentaneum, sed æternum, cùm nec oculus viderit, nec auris, audierit, nec in cor hominis ascenderit: quæ præparauit DEVS his, qui diligunt eum, vt verè dictum sit à Paulo: quòd in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur: sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt quæ autem non videntur, æterna, Leue Paulus vocat & momentaneum, quod est in præsenti tribulationis, at isti non satis habent, si dicant esse difficile, verùm prorsus. impossibile, prorsus volunt esse onus importabile, cui ferendo nemo sit mortalium. Interea tamen purum Dei verbum haberi volunt, quod isti loquuntur & sentiunt, quamuis ex diametro, quod aiunt, cum Dei verbo pugnare videatur. Sed libet adscribere, quæ paulò pluribus verbis tractat hac de re Chrysostomus, scribens in illum Psalmi locum, In mandatis eius volet nimis: Amor, inquit, inlegislatorem, facilem & gratam facit legem, etsi videatur habere aliquam difficultatem. Nemo autem quod dico, reprehendat, si tali exemplo vsus sum. Nam Paulus quoque eo vsus est, sic dicens: Sicut exhibuistis membra vestra serua immunditiæ: ita exhibete iustitiæ. Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter & indecorè gerat, etiamsi expellatur ex patria, etiamsi bonis paternis euertatur, etiamsi patris beneuolentia priuetur, etiamsi grauiora patiatur: ea fert iucundè & libenter, propter amorem impudicum. Quòd si illa cum voluptate susipiunt, quomodo non multò magis

*Epist. 20.*

*Euseb. hom. de Epiphan. 1.*

*1. Corinth. 2. 2. Corinth. 4.*

*In Psal. 111.*



gis Dei præcepta, quæ sunt salutaria & gloriæ plena, & magnam nobis præbent philosophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate susipere, & nihil esse difficile in eis existimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse leuia, & facilia. Quocirca dicebat CHRISTVS: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quod etiam postea pluribus productis exemplis confirmat Diuus Augustinus, cùm & ipse locum hunc enarraret ex Euangelio: Iugum meum suaue est, & onus meum leue: pluribus verbis laboriosiorem esse docet huius mundi amorem. Et in Psalmos commentatus: Bonum opus, inquit, non multum laborat: malum opus habet laborem. Ac alio quodam loco, adducens illud ex Psalmo: Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras: Duræ sunt, inquit, timori, leues amori. Omnia quippè sunt facilia charitati, cui vni CHRISTI sarcina leuis est: quin ea potius est ipsa illa sarcina, quæ leuis est. Itaque quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt, amantibus. Nam quæ sæua sunt etiam & immania, prorsus facilia & prorsus nulla efficit amor. Et in libro de gratia & libero arbitrio: Sarcina illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati. Et in libro de perfectione iustitiæ: Quis autem nescit cùm præceptum sit generale charitas, quia finis præcepti, charitas, & plenitudo legis est charitas, non esse graue, quod diligendo fit, non timendo. Laborant autem in DEI præceptis, qui ea timendo conantur implere. Sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem. Ac paucis interiectis, dicit: Debent vtique commoneri, Charitati Dei non esse graue mandatum Dei, quæ nonnisi per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium humanæ voluntati, cui plus dando quàm oportet, ignorant iustitiam Dei. Et explicans illud ex Psalmo 30. Statuisti in loco spacioso pedes meos: Certè angusta, inquit, est via: laboranti angusta est, amanti lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit. In spacioso, dicit, posuisti pedes meos, ne angustati pedes mei irent in se, & incurrendo in se, deijcerent me. Ergo quod ait: Posuisti in spacioso pedes meos, planè feci sti mihi facilem iustitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis. Hoc est, Posuisti in spacioso pedes meos. Et iterum alibi: Quicquid difficile est in præcepto, leue est amanti. Gregorius Nazianzenus, acerbam quidem esse scribit vitam, quæ ad Dei normam exigitur, incipientibus præsertim. Nam quòd Christus nouum Euangelij iugum suaue & onus esse leue dixit, id fit propter spem ac mercedem, quæ multò est vberior quàm sint molestiæ & afflictiones quas hic patimur. Nam alioqui quis negauerit præceptis legalibus esse difficiliora præcepta Euangelica: quandoquidem lex fines tantummodo peccatorum prohibet, nobis occasiones etiam ipsę & concupiscentiæ, equè vt actiones, crimini dantur. Quem Gregorij locum explicans Nicetas: Quanquam, inquit, Christum dicentem audis, Iugum meum dulce est, & onus meum leue: id tamen nõ eò dicitur quòd leuis sit hæc sarcina, sed præmij ac mercedis ratione talis efficitur. Nec enim condignæ sunt passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt ait Apostolus: Et alio loco: Id quod in præsenti momentaneum est tribulationis nostræ, supramodum æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non spectantibus nobis ea quæ videntur, sed quę non videntur. Quæ enim videntur temporaria sunt, quæ non videntur, æterna. Hac ratione facilia sunt præcepta Euangelica, alioqui Euangelium, legalibus edictis ærumnosius atq; laboriosius est. Siquidem lex duntaxat peccatorum fines prohibet: at Christus in Euangelio, causas quoque ipsas quasi fines interdicit. Alio quoque loco idem Gregorius, quàm sint leues amori labores, exemplo Iacob Patriarchæ docet, cui quatuordecim annis t aban Syro pro Rachel seruienti, visi sunt dies vnus. Quod exemplum etiam Hieronymus profert ad Eustathium scribens, dum probare conatur, quòd nihil amantibus durum est. Quos secutus Gregorius quoque Pontifex loquens de præcepto dilectionis: Hoc est, inquit, præceptum Domini, hoc iugum est diuinæ suauitatis. Quid enim leuius, aut vnquam gratius, quàm amor, fertur? quid præterea graue non leuiter tolerat, qui amat? Quicquid enim diligitur, cum magna deuotione portatur. Potest hoc amor huius mundi, vt etiam quæ videntur difficilia, facilia videri faciat, & non possit multò magis, quo nihil est fortius, amor CHRISTI. Quod si soli nos essemus, si nostris ipsorum viribus lex nobis implenda foret, fortasse nostræ nobis imbecillitatis consci, de difficultate atque adeò impossibilitate ipsius non immeritò queri possemus. Nunc autem qui viuit in nobis CHRISTVS, qui per fidem habitat in cordibus nostris, ipse est, qui operatur omnia in omnibus: ipse est, qui operatur in nobis & velle & perficere: ipse est, qui facit in nobis, quod placeat coram se. Hunc, sicut scribit Petrus Chrysologus, habemus in bonis adiutorem, qui dat posse quod iubet, & quæ præcipit, facit ipse. Quem etiam Bernardus vocat athletam fortissimum in suis & pro suis pugnantem & vincentem, & inde victores coronantem. Hoc est, quòd cùm scribens ad Corinthios, gloriatus fuisset PAVLVS, quòd plus alijs omnibus laborasset, ne sibi, suæque virtuti bona tribuere videretur, quæ per ipsum DEVS operatus fuerat, subiunxit euestigiò: Non ego autem, sed gratia DEI mecum. Quæ tamen verba nequaquam ita sunt accipienda, quasi cùm dixerit, non ego autem, hoc intelligi voluerit, nihil se laborasse, nihil prorsus operatum esse: Non enim adiecisset, mecum, si præueniente gratia, subsequens liberum arbitrium non habuisset. Poterat dicere, per me: quemadmodum annotatum est à BERNARDO: sed quia minus, inquit, erat, maluit dicere, mecum: præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed operantis quodammodo sociũ per cõsensum. Ac si diceret, abundantius laboraui, non ego, sed & ego. In eo enim, quòd solo Dei dono præuentus sum, non ego: in eo aũt, quòd donum voluntate subsecutus sum, & ego. Quæ postrema verba videtur Bernardus ab Anselmo mutuatus, Pauli locum hunc expli-

*Aug. li. 5. de Mus. cap. 14. & ser. 9. de verbis Domini. In psal. 92. De natu. & gratia cap. penult. & vlti. mo, & serm. 48. de tempo. & ser. 12. de verbis Apostoli. cap. 7. Charitati nihil est graue.*

*Augusta via laboranti in timore, lata amanti.*

*In orat. de ijs, quæ intra Maximum gesta fuerunt.*

*Aug. in psal. 67.*

*Greg. libr. 9. cap. 2. in primum librum Regum.*

*Ephes. 3. 1. Corinth. 12. Philipp. 2. Hebr. 13. Chrysost. ser. 11. de passione Domini cap. 22.*

*1. Corinth. 15.*

*Ber. in li. de gratia & libero arbitrio*

Universidad de Deusto
Biblioteca



explicante: Qui paulò superius etiam: Itaque nostra, inquit, & Dei sunt & nostra: quia ipse nos præuenit, vt velimus aspirando: qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc, quod Dei donum est, fit meritum nostrum. Ante vtrunque verò Gregorius Pontifex: Si bona, inquit, nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Sin autem ita nostra sunt, vt omnipotentis Dei dona non sint, cur ex eis omnipotenti DEO gratias agimus? Sed sciendum est: Quia mala nostra solummodò nostra sunt: bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt, & nostra. Quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ velimus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente: quod omnipotentis Dei donum est, hoc fit meritum nostrum. Quod benè Paulus breui sententia explicat, dicens: Plus illis omnibus laborauit: qui ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adiunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia enim cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo opere agnouit. Non autem ego. Sed quia præueniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono: quòd libero arbitrio eandem gratiam est subsequutus in opere adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Ac si diceret. In bono opere laboraui non ego, sed & ego. In hoc enim quòd solo Domini dono præuentus sum, non ego, in eo autem quòd voluntate domini Dei subsequutus, & ego. Explicans illud ex oratione dominica: Fiat voluntas tua: quis quis auctor fuit operis in Matthæum imperfecti. Vide, inquit, quàm cautè locutus est. Non dixit: Pater sanctifica nomen tuum in nobis: adduc regnum tuum super nos: fac voluntatem tuam in nobis: ne seipsum Deus videatur in hominibus sanctificare: aut regnum suum super quos vult adducere: aut voluntatem suam in quibus vult facere: & per hoc inuenietur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit: Sanctificemus nomen tuum: suscipiamus regnum tuum: faciamus voluntatem tuam sicut in cœlo & in terra: ne hominum tantummodo videatur esse quòd sanctificant Deum: aut quod suscipiunt regnum eius, aut quod faciunt voluntatem illius: sed mediè dixit, & imperſonaliter, id est, sanctificetur, adueniat, fiat: vt vtriusque personæ opus necessarium demonstraret: quia & homo Deum necessarium habet, & Deus hominem ad iustitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei: sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semen siue terra fructificat: sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Ac si dicat: Si hæc agitis, hæc oratis: digni filij estis huiusmodi Patris.

*Hom. 9. in Ezech.*

*Orationis Dominicæ explicatio.*

*Quòd operatur bona Deus in nobis: non ipsis nihil agentibus, verùm consentientibus, & simul operantibus nobis.*

## CAP. LXVII.

*Matth. 19. Psal. 5. Deus non est malì operator.*

QVamobrem execrandus est eorum impius error, qui nihilo plus hominem aliquid agere sinunt in bonis agere, quàm agat securis in manu fabri, aut lutũ in manu figuli: atque ita DEVM per filium suum legem in credentibus implere docent, nihil tribuentes agant ipsi. Quos etiam ad ea blasphemiarum portenta deuenisse tandem videmus, vt eum, qui solus bonus est, de quo dicit Propheta: Non DEVS volens iniquitatem, tu es: eum etiam malorum auctorem faciant, neque bona magis, quàm ipsa etiam in nobis operari mala, impudenter affirment: quod haud aliter habere se dicant facinorosos, ad ea quæ patrant crimina, quàm habet se gladius, quo iugulatur proximus. Neq; minus esse proprium opus Dei Dauidis adulterium, aut Iudæ proditionem, quàm Pauli vocationem. Nunquid potuit aliquid dici pestilentius? Quid autem est aliud hoc docere, quàm omnem ordinem, omnem benè agendi curam, omnem solicitudinem, prouidentiam, ac industriam, disciplinam omnem euertere, religionem ex mortalium animis radicitus omnem euellere, denique proscriptam ab hominibus velle vitam humanam, & pro illa pecuniam ac feralem quandam securitatem ac licentiam introducere? Quorsum enim leges? quorsum Magistratus? quorsum bonis præmia, malis constituta supplicia? Denique quorsum illud pertinet, quòd Deus etiam ipse mercedem regni cœlestis pijs promittit, gehennæ verò pœnas impijs comminatur: si omnia, siue bona siue mala, sine nobis operatur in nobis? si absoluta necessitate & ineuitabili patimur magis, quàm agimus: aut velut ferrę quædam, ab illo acti, agimus?

*Blasphem. Philip. Melancht.*

*Aug. cont. Fortunatum, disputat. 2.*

*Malorum auctor Deus non est. Psal. 36. Esaiæ 26.*

Sed nobis illud in præsentia refutare propositum non est, à quo non aures modò verumetiam cogitationes piorum abhorrent omnium: quòd quæ facinorosi patrant scelera, eorum sit auctor Deus. De eo tantùm breuibus disserendum esse puramus: quomodo bona Deus operatur in nobis. Aperta sunt scripturæ verba, quòd à Deo gressus nostri dirigantur; quod & omnia opera nostra Deus operatur in nobis: qua quidem scriptura nihil est certius. Verùm intereà non minus certum est & hoc, nos facere, cùm facimus: quamuis ille faciat, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis: & iudicia mea obseruetis, & faciatis ea. Quem Prophetæ locum adducens Augustinus: Cùm dicit, inquit, faciam, vt faciatis: quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vndè non faciebatis: & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est? nisi auferam cor durum, vndè non faciebatis: & dabo cor obediens, vnde faciatis. Ille facit, vt faciamus, cui dicit homo: Pone Domine custodiam ori meo: Quod beneficium

*Ezech. 36. Aug. de gratia & libero arbit. cap. 16. Psal. 140. Psal. 38. Esaiæ 26. Philip. 2.*



cium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: Posui custodiam ori meo. Quando igitur legimus in scripturis, quòd omnia opera nostra operatur Deus in nobis: quòd operatur & velle & perficere: quòd operatur omnia in omnibus: quòd facit in nobis, quod placeat coram se: nequaquam in eo sensu accipiendum est, vt sic agi nos, cùm agimur spiritu Dei putemus, quemadmodum faber agit ferram: sed potius, quemadmodum sessor agit equum: Operatur quidem in nobis DEVS, verùm non otiosis nobis, sed ipsis etiam & voluntatem & conatum adhibentibus. Quanquam vt velimus sine nobis operatur, inquit Augustinus: ab ipso enim præparatur voluntas nostra: cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum operatur: sine illo tamen, vel operante, vt velimus: vel cooperante, cùm volumus: ad bona pietatis opera nihil valemus. Et alio loco: Non solum, inquit, DEVS posse nostrum donauit atque adiuuat, sed etiam velle & operari, operatur in nobis: non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Et in Psalmo tricesimo. Quicquid DEVS operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum, & totum sine nobis, & nos nihil sine ipso. Et iterum in alio libro: Intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est, agant, & cùm egerint illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant. Et iterum alio loco: Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro. Implet autem illud Dominus sine opere nostro: Nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? Et tamen in eisdem literis legitur: Præparatur voluntas à Domino. Et, Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Ecce dominus admonet, vt præparemus voluntatem, in eo, quod legimus. Hominis est præparare cor, & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus. Quia præparatur à Domino, & aperit os, ita iubendo, vt nemo possit, nisi ipse id faciat adiuuando, cui dicitur: Labia mea aperies. In sententia ergo illa, vbi dicitur: aperi os, & implebo illud, quasi vnum videtur ad hominem pertinere: alterum ad DEVM. In hac autem vbi dicitur: Ego aperiam os tuum, & instruam te, vtrunque ad Dominum. Quare hoc? Nisi quia in vno istorum cooperatur facienti, alterum solus facit. Quapropter multa DEVS facit in homine bona, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo, quæ non facit DEVS, vt faciat homo. Præclarè Guillelmus Parisiensis: Opera, inquit, nostra, opera sunt etiam DEI, quæ ipse operatur in nobis, & etiam per nos. Non quidem tanquam per organa quædam aut instrumentum: tunc enim, nec ad laudem, nec ad vituperium, nec ad culpam, aut ad meritum imputanda essent nobis opera bona: Sicut citharæ & tibiæ nihil imputatur ad culpam, ad meritum de citharizantibus & tibicinantibus. In nobis igitur operatur DEVS bona opera sua & nostra, non tam præstando virtutem, facultatem, & oportunitatem: quàm etiam excitando: & foris doctrinis, & prædicationibus, & beneficiorum consolatione, flagellorum quoque stimulationibus, & interdum compulsionibus: & interius inspirationibus, ac reuelationibus, terroribus, & alijs modis multiplicibus, qui sibi soli noti sunt. Æquum est autem, vt illius adscribamus omnia diuinæ bonitati: non quòd nihil agamus ipsi, sed quòd nihil possumus, nihil volumus, agimus aut sumus, quod non illius beneficio possimus, velimus, agamus, aut simus: à quo solo proficiscitur omne datum optimum, & omne donum perfectum. Neque enim sufficientes sumus, vel cogitare saltem aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.

*1. Cor. 12. Hebr. 13.*

*Deus in nobis quemodo operatur. Vide Aug. 3. Hypognosticon. Aug. de gratia & libero arbitr. c. 12. De gratia Dei con. Pelag. & Cœlest. lib. 1. cap. 25. De corrupt. & gratia. cap. 2.*

*Lib. 2. cap. 8. cont. 2. epist. Pelag.*

*Iacob. 1. 1. Cor. 3.*

Quemadmodum igitur à Paulo dictum est: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus: ita qui cum Paulo per fidem & baptismum eidem Christi corpori sumus insiti, cuius etiam spiritu vegetamur, si quod subinde nos monet, imitatores illius facti fuerimus, dicere quisq; nostrum cum illo poterit: viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus: laboro autem iam non ego, laborat autem in me Christus: operor autem iam non ego, operatur autem in me Christus: mereor autem iam non ego, meretur autem in me Christus: modo sanus adsit horum verborum intellectus. Neque enim ea sic oportet accipi, quasi non viuimus, non laboremus, non operemur, non mereamur ipsi quoque: quinimò, nos sumus qui viuimus, nos sumus qui laboramus, qui operamur, qui mereamur: sed vt viuamus, facit vita nostra Christus: vt operemur, facit, qui & voluntatem inspirat, & vires ad operandum suppeditat adiutor noster CHRISTVS: vt mereamur, facit, qui merita sua nobiscum communicat, redemptor noster CHRISTVS. Sic Augustinus ad Bonifacium scribens: Nos quidem ambulamus, verum est, nos obseruamus, nos facimus: sed ille facit vt ambulemus, obseruemus, vt faciamus. Hæc est gratia Dei, bonos faciens nos: hæc misericordia eius præueniens nos. Et in alio quodam libro: Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle: nos ergo operamur, sed Deus operatur in nobis, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & totum detur Deo. Quando itaque dicit homo Christianus: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me CHRISTVS: hoc dicere videtur: Viuo autem ego, non iam ille, qui conceptus in iniquitatibus ex carnis meæ parentibus, iræ filius natus: verùm qui sum ex aqua & Spiritu sancto Dei filius renatus: qui sum in baptismo veterem exutus, & nouum hominem indutus, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: in cuius fide viuo, cuius etiam agor spiritu: Hic meam infirmitatem adiuuat: hic ad operandum & voluntatem impellit, & facultatem suggerit: hic efficit pro sua inenarrabili bonitate, vt qui dum natura filius essem iræ, nihil mereri poteram, nisi gehennæ supplicia: factus per adoptionis gratiam Dei filius & hæres, frater autem ipsius & cohæres iam deinceps mereri possim ea, quæ Dei filio & hæredi, quæ CHRISTVM induto debentur: vt quicquid mereor, non tam meo, quàm ipsius, quem indui, CHRISTI merito merear. Meum

*1. Corinth. 4. 11. Viuimus, operamur, meremur in Christo. Aug. cont. duas epist. Pelag. lib. 4. cap. 6. De bono perseuerantiæ cap. 13. Viuo iam non ego, quomodo intelligendum. Psalm. 50. Ioan. 3. Galat. 5. Rom. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Meritum extra Christum, est supplicij meritum.*

namq; meritum quatenus purè meum, extra Christum factum, non erat nisi meritum supplicij: Postquàm autem viuo in fide filij Dei, iam illud qualecunque à me profectum, illius aspersum sanguine pretioso, pretium ex eo mutuatur: vt fiat meritum cœlestis præmij, non sua quidem ipsius, verùm Christi viuentis, operantis, & merentis in me virtute, dignitateq; qui, quæ est illius immensa benignitas, merita mea, quæ sunt ipsius dona, non tanquam merita mea, sed tanquam dona sua coronat. Nam & ab ipso manant, & ex ipsius morte pretium acquirunt. Hic sanus est & pius horum verborum intellectus. Nos ergo sumus, qui viuimus: nos sumus, qui operamur: nos sumus, qui viuentes in fide filij Dei, legem implemus, qui, quæ mandata sunt ab eo perficimus: verùm non sine eo, qui dicit: *Ioan. 13.* Sine me nihil potestis facere. *Philipp. 4.* Illius destituti gratia, nihil possumus: illius adiuti gratia, nihil non possumus: qua fretus, nemo est ex ijs, qui credunt in Christum, qui non confidenter dicere queat: Omnia possum in eo, qui me confortat. Non dubitauit Paulus dicere Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί, id est, DEI namque sumus adiutores: vel, vt Augustinus loquitur, cooperarij. Interea non desunt, qui vocem Pauli συνεργοῖς in homine Christiano damnat.

*Quòd semel iustificatum, gratia sua DEVS non deserat, si non ab eo deseratur: quodq; charitati non modò non impossibile, verùm nec difficile quicquam sit.*

## CAP. LXVIII.

*Aug. de natura & gratia ca. 26. & in confut. articulorũ, falsò sibi impositum art. 7. & ser. 88. de tempore. Amb. vel Prosp. lib. 2. cap. 4.*

EST autem, quod ab Augustino quoq; legimus annotatum, Dei tanta bonitas, vt quem semel iustificauit impium, gratia sua nunquam deserat, si non ab ipso deseratur, nihil vt ei desit, quo minus piè semper, iusteq; viuere queat. Quod etiam ab Ambrosio, vel à Prospero potius: hic enim est author libri de vocatione Gentium, animaduersum legimus: Qui certissimum esse vult, nullum fidelium a DEO non discedentem, relinqui: neque cuiusquam ruinam ex diuina esse dispositione dispositam, sed multis, qui iam iudicio rationis vtuntur, ideò liberum esse discedere, vt non discessisse sit præmium: & vt quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Verùm testatur hoc etiam Propheta, dicens: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo: Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis, derelinquet vos. *2. Paral. 18.* Sic ille fons totius bonitatis & misericordiæ, nunquam nos deserit, nisi prius à nobis deseratur. Pulchra quadam similitudine docuit hoc Barlaam Eremita, vbi cum Iosaphat Rege loquentem eum, inducit Ioannes Damascenus. Sicut, inquit, Sol ad illuminationem omnibus ortus, sine inuidia porrigit radios, cunctosq́ue illuminari permittit. Ita & vera sapientia sui appetitores more Solis illuminat & illustrat, & splendidos ostendit. Si quidam claudentes oculos fulgorem eius videre nolunt, non idcircò reprehendendus est Sol, vel à cæteris despiciendus, aut gloria sui splendoris per illorum inhonorabitur stultitiam: sed illi potius seipsos lumine eius priuantes, quasi cœci palpabunt parietem, & in multis foueis cadent, pluribusq; lacerabuntur facies eorum spinis. Et quemadmodum Sol in suo splẽdore permanens, illuminat reuelata facie fulgorem suum speculantes: eodem modo & lux Christi splendet quidem omnibus, ditissimè eis largiens suam claritatem. Participat verò vnusquisque iuxta quod desiderat & appetit. Neq; enim deest alicui volentium se intueri Sol iustitiæ, neq; tamen cogit sponte suas tenebras eligẽtes: sed proprio vniuscuiusq; relinquitur arbitrio, & præelectum quamdiu in hoc seculo est.

*Dam. in vita eius. Lux Christi sicut Sol volentes illuminat, & non cogit, deserentem deserit.*

*Rom. 8.*

Cæterùm, si nobiscum & pro nobis Deus, quis contra nos? quid erit, quod præstare non possimus, illo per fidem in cordibus nostris habitante, illo viuente in nobis, illo operante in nobis, vt velimus cooperante, vt quod rectè volumus, faciamus? Etenim à Domino præparatur voluntas nostra, quæ si magna est, charitas vocatur: nulla namq; voluntas maior esse potest, quàm sit voluntas charitatis. Quin ardentem voluntatem, ipsam esse charitatem dicit Petrus Chrysologus: quæ tanta est, nihil vt sit, quod ei resistere queat: quandoquidem non solùm fortis est, vt mors, dilectio, quemadmodum à Sapiente scriptum est: verumetiam fortior ipsa morte: non ea re tantùm, quia, quos diuidit mors, non diuidit charitas: verumetiam quòd, cùm à corpore per mortem anima separatur, tum verò, quæ fuit in corpore mortis huius tantùm inchoata charitas, sit perfecta. Senfit vim huius magnæ voluntatis ille, qui dixit: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quòd neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura vlla, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.

*Charitati voluntas maxima.*

*Ser. 35. in D. Laurentium. Cant. 8. Rom. 8. Charitas morte fortior.*

*Psal. 43.*

*Charitas rectè dicitur magna voluntas. Tomas de veritate quæst. 4. art. 5. Aug. de gratia & lib. arbit. cap. 17.*

Hęc igitur magna voluntas, quę charitas dicitur, quam Thomas Aquinas, perfectionem charitatis appellat: in cuius corde diffusa est per Spiritum sanctum, huic iugum Domini verè suaue, huic onus eius verè leue est. Quamlibet enim asperum aliquid & durum esse videatur: si tamen hęc magna voluntas accesserit, non modò non impossibile, verùm ne difficile quidem, quin potius iucũdum erit & suaue. Verum enim est, quod ab Augustino scriptum est, Sarcina illa, quæ grauis est infirmitati, leuis est charitati. Documento sunt, tot tam sæuis, terribilesq; cruciatus, quos tot milia sanctorum Martyrum, etiam ex fragili fœmineo sexu, deinde tenerioris etiam ætatis, amore sponsi sui Domini nostri IESV Christi inflammati, non maiore constantia, quàm animorum alacritate pertulerunt. Qua in re se tales præstiterunt, minus vt alacres ad epulas plerique, quàm isti ad vitam suam pro Christi nomine cum sanguine profundendam festinarent. Vt nullam nunc Origenis mentionẽ faciamus, quem tanto Martyrij studio flagrasse puerulum adhuc Ecclesiastica narrat historia, multum vt negotij mater habuerit in eo domi detinendo, ne vitam suam in apertum discrimen offerret: Vt nihil dicamus de beata Agne, de qua scribit Ambrosius, quod cum 12. annorum existens martyrium feciſſet: non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina virgo processit. Deq; alia quadã, de qua scribit idem Ambrosius, quamuis nomen subticet, verùm Theodoram fuisse Simeon Metaphrastes vitam illius describẽs, indicat: quæ cum Dydimo quodam certabat de nece, prior vt ipsa pro Christo sanguinem funderet: vt multos etiam alios silentio prætereamus, vnum in præsentia recensuisse contenti erimus, quod in eadem historia legitur Edissenæ mulieris exemplum. Quæ cùm esset facta certior, ciuitatis Edissenæ Præfectum, ad campum, in quem Christiani conuenerant, proficisci: posteaquàm vidit frequentiorem solito Christianorum populũ eò tendere, currere præcipites, ac festinare, tanquam vererentur, ne quis deesset ad mortem, & ipsa suis exædibus properè prorupit, cùm nec ostium clausisset, nec, vt mulierum habitum decet, se diligentius operuisset: infantem quoq; paruulum secũ attrahens, ac rapido cursu, irrupto etiã agmine, festinauit. Quam cùm ita festinantem Præfectus vidisset, apprehendi, & ad se deduci iussit, simul percunctatus est, quónam infelix mulier tam festina properaret. Illa verò, Ad campum, inquit, quò catholicorum populus conuenit. Tum ille, Non audisti, quòd Præfectus eò pergit, vt omnes interficiat, quos inuenerit? Audiui, inquit mulier, & ideò festino, vt inueniat. Et quò, inquit Præfectus, paruulum istum trahis? Vt & ipse, ait illa, martyrium consequi mereatur. Simile quiddam de quadam alia fœmina legitur apud Victorem Episcopum Vticensem. De Ælio quoq; Antonino scribit Tertullianus, quòd cum in Asia persequeretur, instanter omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia eius, se manufacta obtulerint, quibus ille dixerit: ὦ δύολη, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρέμασθε, ἢ βρόχους ἔχετε. O miseri, si vultis mori, habetis præcipitia, habetis laqueos.

*Euseb. lib. 6. cap 3. Orig. puer martyrium appetiuit. Ruff. libr. 2. cap 5. Lib. 2. de virgmit. Socr. lib. 4. cap. 18.*

*Theodor. l. 4. c. 17. Martyrij desiderium in muliere Edissena.*

*Lib. 2. de Vandal. ca. persecutione. In li. ad Scapulam.*

Tantum potuit amor IESV Christi, non solùm apud viros, verumetiam apud fœminas, vt nõ modò nõ cederent periculis, nec infringerẽtur doloribus, nec formidarent res asperas, nec vllos mortis terrores extimescerent: verumetiam quam natura mortales omnes mortem fugiunt, ea sit illis adeò non fugienda, adeò non horrenda visa, vt expetendam etiam vltrò ducerent: nec magis dulce quicquam & iucundum eis accidere posset, quàm, si cuius morte se salutem assecutos, & ab æterna morte liberatos esse meminissent, pro eius nomine mortem vicissim opetendi facultas & occasio daretur. Cuius amore sic inflãmati plerique fuerunt, vt sensum etiã doloris oẽm amitterẽt, & cum carbonibus incensis, nudis pedibus insistere cogerentur, nihil affirmarent interesse, vtrum per carbones illos, an per humi sparsas rosas sibi esset ambulandũ? Cumq; flagris & neruis cęderentur, vt triticum, nisi benè excutcatum & purgatũ inhorreo: sic animã in cœlo, nisi sic excussam & perpurgatã, dignè stare non posse dictitarent. Scilicet ijs durum fuit aliquid ex ijs, quæ multitudinis iudicio sunt multò durissima, quos ex summis corporis sui cruciatibus voluptatẽ quandam animi nõ mediocrem percepisse legimus. Ijs fuit aliquid impossibile, qui plus etiam vltrò pręstiterunt, quàm à Deo mandatum fuerat. Nam vt exigat hocà nobis lex charitatis, qua Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente nostra diligere iubemur, vt cum deprehensi fuerimus, mortẽ prius, in eius nominis cõfessione, simus occumbere parati, quàm vt eum negemus: hoc certe, quod ab istis factũ est, non exigit, vt vltrò se discrimini quisquam offerat: quemadmodũ ab Athanasio in Apologia ad Constantinum, & in ea, quæ proximè sequitur de fuga sua, & à Gregor. Nazianz. & à Basilio, & à Clemẽte Alexandrino diligenter legimus animaduersum. Et à Tertulliano in lib. de fuga in persequutione: Et à Cypriano in lib. de lapsis: Et à Gregorio Nisseno, in vita Gregorij Taumaturgi: & ab Eusebio Emisseno in vita Germani.

*Vide Irenæum li. 5. de Ignatio scribente & de eodem simul, & de Polycarpo. Euseb. lib. 3. ca. 30. & lib. 4. cap. 14. Basil. de beatis Barlaã, & Gordia. Amb. de B. Agnete Lib. de virgnit. serm. 90. Flãma Christi amoris flãmas ignis superat, & sensum doloris adimit. Deut. 6. Matth. 22. Vide Petrũ Chrysolog. ser. 151. Morti vt vltrò se quis offerat, non exigit DEVS. Basil. in Ethicis reg. 62. cap. 2. & sequenti. Clem. Alexan. libr. 4. strom. Orat. 8. in funere fratris Cæsarij, & 13 in funere Basilij.*

Quid aũt est, quod præcepit nobis Deus? Quid aliud, quàm id, quod ipse est. Deus charitas est, dicit Ioãnes. Charitas igitur charitatem nobis pręcipit: & quod iubet, ipse nobis pręstat Deus charitas. Prior ipse diligit nos, ac ad se diligendum accendit nos: seipsum impertit nobis, mansionem facit apud nos, ita vt nos in ipso maneamus, & ipse in nobis. Quamuis autem prior diligit, nunquam tamen prior deserit nos, nisi prius deseratur à nobis. Quòd eam nobis impartiendam, quàm sumus nos ad recipiẽdam: tam est illius obuia bonitas, tam est nostra supina negligentia.

*1. Ioan. 4. Vide Petrum. Chrys. serm. 151. Ioan. 14.*

*Quòd Christiana iustitia charitas est, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

## CAPVT LXIX.

*Dæmones habent fidem. Iacob. 2. Matth. 8.*

VErùm, vt vnde cœpit, eò redeat oratio. Non sola fides iustitia nostra est, neq; si spes ad eam accesserit, absoluta est iustitia nostra: Dæmones quoque fidem habent, & contremiscunt. Neq; enim non credebant, cùm Christum confessi diceret: Quid nobis est & tibi IESV fili Dei? Hæretici quoq; spem habent & fiduciam, neque soli Lutherani, verum & reliqua fex hereticorum, Sacramentarij.

Universidad de Deusto
Biblioteca



tarij, Anabaptiſtę, ac quibuſcunq; alijs nominibus appellantur, ſe certos eſſe gloriantur, ſibi propter Chriſtum eſſe peccata remiſſa, ſeq; eſſe apud Deum in gratia, ac citra dubitationem vllam, promiſſam ſibi regni cœleſtis hæreditatem conſecuturos. Attamen, quamuis habeant fidem dæmones, quamuis habeant inanem fiduciam hæretici, iuſtitiam tamen habere dici non poſſunt, quę extra charitatem haberi nequit. Tribuit Auguſtinus Donatiſtis ſacramenta, non detrahit Euangelium, non adimit fidem, ſed quemadmodum hæc illis ineſſe poſſe confitetur, ſic prodeſſe poſſe negat. Quid ita? Quia ſola charitas eſt, quæ facit, vt hæc prodeſſe queant: extra quam ſi quis habeat omnia ſacramenta, ſi prophetiam omnem, ſi ſcientiam omnem, ſi fidem omnem, ita vt montes transferat: ſi facultates ſuas omnes in vſum egentium diſtribuat, ſi corpus etiam tradat, ita vt ardeat, tantum abeſt, vt propterea iuſtus cenſeri debeat, vt eum nihil eſſe Paulus indubitanter affirmet. Quem Pauli locum diligenter in quarto libro ſtromatum tractat Clemens Alexandrinus. Hac ergo charitate, cùm ſicut omnes alij hæretici & ſchiſmatici, deſtituti fuerint Donatiſtæ, (nam alioqui non diuiſiſſent vnitatem) negat Auguſtinus, alia quæ habebant omnia, quicquam illis vel ad iuſtitiam, vel ad ſalutem profuiſſe: Nam cętera fruſtrà habet omnia, qui vnam charitatem nõ habet: quicunq; totam legem ſeruauerit, offendit autem in vno charitatis præcepto, factus eſt omnium reus: quia contra præceptum illud facit, in quo pendent omnia. Siquidem hæc eſt plenitudo legis: hic eſt finis præcepti: hoc eſt vinculum perfectionis: hæc via Dei ad homines, hæc via hominum eſt ad Deum: Per hanc è cœlo deſcendit Deus in terram, per hanc ex iſta valle lachrymarum aſcendere nos oportet in cœlum, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: vt ſit, vbi Dominus, ibi & miniſter eius. Charitatem habeto, dicit Auguſtinus, & cuncta habebis: quia ſine illa nihil proderit, quicquid habere potueris, extinguit delicta, & ab ea pendent vniuerſa. Sola eſt quæ vincit omnia, & ſine qua nihil proſunt omnia, & quæ vbicunque fuerit, ad ſe trahit omnia. Hæc omnium arx eſt virtutum, hæc promiſſo regni, hæc præmium eſt ſanctorum, abſq; hac nihil eſt, quòd ſe quiſquam bonum aut iuſtum fieri poſſe ſperet. Hinc eſt, quòd cum quæritur, vtrum quiſquam ſit homo bonus, non quæritur, dicit Auguſtinus, quid credat, aut quid ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit & ſperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera, quę credit: inaniter ſperat, etiã ſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat. Et alio loco: Mores, inquit, noſtri, non ex eo, quod quiſq; nouit, ſed ex eo quod quiſq; diligit, dijudicari ſolent. Neq; faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni vel mali amores. Et in libris de ciuitate Dei, definitionem veram & breuem virtutis eam eſſe dicit, vt ſit ordo amoris: Quem Simon de Caſſia ſecutus, definit iuſtitiam Chriſtianam, ordinatum amorem. Et de moribus Eccleſiæ catholicæ ſcribens idem Auguſtinus, omnium virtutum genus amorem ponit. Temperantiam, eſſe definit, amorem Deo ſe ſe integrum, incorruptumq; ſeruantem. Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem: Iuſtitiam, amorem Deo tantum ſeruientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ homini ſubiecta ſunt. Prudentiam, amorem benè diſcernentem ea, quibus adiuuetur in Deum, ab ijs quibus impediri poſsit. Qui etiam alio loco: Interroget ſe quiſq, inquit, quid amet, & inueniet vnde ſit ciuis: verbi gratia: Amat aliquis mundum, & ea quæ ſunt in mundo, carnem, pecuniam, honores, ciuis eſt Babyloniæ, nihil ei cum iuſtitia commune. Amat aliquis Deum, ciuis eſt Ieruſalem, bonus eſt, iuſtus eſt, neq; dubitare debet, quin redditurus illi ſit Deus in illa die coronam iuſtitiæ. Itaq; propriè piorum & bonorum virtus eſt charitas, ſine qua cęterę virtutes & bonis ineſſe poſſunt, & malis. Habere baptiſmum, & malus eſſe poteſt: habere prophetiam, & malus eſſe poteſt: accipere Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, & malus eſſe poteſt: habere nomen Chriſti, id eſt, Chriſtianus vocari, & malus eſſe poteſt: habere Sacramenta omnia, & malus eſſe poteſt: habere virtutes alias, & malus eſſe poteſt. Sola charitas eſt, quam habere, & malus eſſe poteſt nemo. Hæc eſt proprius & ſingularis ille fons, cui nemo communicare poteſt alienus, ad ſolos hæc virtus pertinet catholicos: quam ſi habere poſſent hæretici, hæretici eſſe non poſſent: neq; enim ſcinderent vnitatem, cuius vinculum eſt charitas. Quam Dorotheus tectum eſſe dicit, quòd ſit abſolutio quędam & perfectio virtutum omnium, ſicut tectum domus. Et auctor operis imperfecti in Matthęum: Omnis, inquit, ſpecies iuſtitię in impoſtoribus inuenitur, ſola autem gratia veræ charitatis non inuenitur, niſi in ſolis ſeruis Dei. Ideò hanc priuatam ſpeciem charitatis ſibi ſoli ſeruauit Spiritus ſanctus, vt per nullius iuſtitiam & teſtimonium ſic cognoſcatur, vbi eſt Spiritus ſanctus, quemadmodum per gratiam charitatis. Richardus quoq; de S. Victore: Charitas, inquit, non tam virtus potens quàm virtutum potentia dicęda eſt, eò quod ab illa omnes accipiant, vt veræ virtutes ſint. Hæc vita fidei, ſpei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc quæ vitam ordinat, affectus inflãmat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus prævalens.

*Fidem & fiduciam habent hæretici.*
*Aug. in ſerm. ſuper ea, quæ cum Emerito, tom. 7.*
*Charitas facit vt fides & ſacramenta nobis proſint.*
*1. Corinth. 13.*
*Clem. Alexand.*
*Iacob. 2.*
*Matth. 13.*
*Rom. 13.*
*1. Timoth. 5.*
*Coloſſ. 3.*
*Pſal. 83.*
*Ioan. 12.*
*Auguſt. tract. 32. in Ioan.*
*1. Per. 4.*
*Charitatis laudes.*
*Aug. ſer. 53. de tempore, in Enchri. cap. 117.*
*Epiſt. 52. ad Maced. cap. 16.*
*Lib. 15. cap. 22.*
*Lib. 15. de geſtis D. Saluatoris cap. 15.*
*Aug. in pſal. 64.*
*2. Timoth. 4.*
*Auguſt. tract. 7. in epiſt. Ioan.*
*Charitate carent hæretici.*
*Dorotheus ſer. 14.*
*Hom. 4. in cap. 3. Matth.*
*De Charitatis gradibus cap. 1.*

Ex quo facilè perſpici poteſt, falſum eſſe, quod vulgo nonnulli perſuadere conantur hoc tempore, ſolam fidem iuſtificare, quam æquè malis atq; bonis ineſſe poſſe conſtat. Charitas enim, inquit Auguſtinus, ea eſt, qua vna verè iuſtus eſt, quicũq; iuſtus eſt. Et in eodem libro: Charitas, inquit, ea demùm veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaq; iuſtitia eſt: Charitas incho ata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt. Et iterum alio loco producens illa Ioannis verba, Qui diligit fratrem ſuum, in lumine, manet: Manifeſtum eſt, inquit, quod iuſtitiæ perfectionem in fratris dilectione poſuerit. Nam in quo ſcandalum non eſt, vtiq; perfectus eſt. Qui etiam contra duas Epiſtolas Pelagianorum ſcribens, negat pium quenquam dubitare: quod quanto amplius diligimus in hac vita Deum, tanto ſumus iuſtiores: actum demùm piam, veramq; iuſtitiam perfici, cùm fuerit dilectio Dei perfecta. Quod pluribus etiam verbis perſequitur in libro de perfectione iuſtitiæ. Et iterum alio loco: Tunc erit, inquit, plena iuſtitia, quando plena ſanitas. Tum plena ſanitas, quando plena charitas. Plenitudo enim legis charitas eſt. Et ante Bernardum Anſelmus: Per intellectum, inquit ſapimus: per amorem, iuſtificamur: per vſum, beatificamur. In quantum quis Deum intelligit, ſapiens eſt: in quantum amat, iuſtus: verum, in quantum vtitur, beatus. Similiter & Cęſarius: Ipſe eſt vera iuſtitia, quæ pro amore Dei non ſolum amicos, ſed etiam diligit inimicos. Et aliquot ſeculis antè Iuſtinus: Qui Deũ toto corde & viribus amat, & proximũ ęquè ac ſeipſum: is demùm verè iuſtus & bonus eſt. Bernardus: Timore, inquit, vocamur, amore iuſtificamur. Et pauci interiectis: Sic ad ortum Solis iuſtitiæ Sacramentum abſconditum à ſeculis de prædeſtinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abyſſo æternitatis: dum quiſque vocatur per timorem, iuſtificatur per amorem, præſumit ſe quoq; eſſe de numero beatorum. Audit ſe vocari, cum timore conuertitur: ſentit & iuſtificari, cum amore perfunditur. Et poſt pauca: Si initium ſapientiæ timor Domini, in quo dicta eſt eſſe noſtra vocatio, qui, niſi prouectus in ſapientia eſt amor Dei, is duntaxat qui interim ex fide eſt, ex quo & noſtra fit iuſtificatio. Chryſoſtomus quoq; charitatem ipſam caput eſſe bonorum omnium dicit, & radicem, fontem, & parentem, atq; ea vna abſente, cętera nobis nullum fructum adferre, nullam præſtare poſſe vtilitatem. Hæc enim diſcipulorum Domini, indicium eſt & magnus ſeruorum Dei character. In hoc inquit, omnes cognoſcent, quòd mei diſcipuli eſtis. In quo? Num in eo, vt mortuos ſuſcitent, leproſos purgent, aut dęmonia expellant? Minimè inquit, Sed illa miſſa faciens omnia, in hoc vno, inquit, omnes cognoſcent, quòd mei diſcipuli eſtis, ſi charitatem ad inuicem habueritis. Nam illa vnius ſupernæ gratiæ munera ſunt, hoc humani ſtudij eſt officium, animum autem probum, & generoſum, non tam ea mouere, quæ Deus præbuerit munera, quàm ſuorum laborum officia conſueuerunt. Quapropter Chriſtus, non ſignis: ſed à charitate ſuos cognoſci diſcipulos aſſerit. Hæc enim ſi adeſt, nulla pars deeſt Philoſophiæ, ſed integerrima, perfectiſſimaq; virtutis ratio habetur, quemadmodum certè laborum expertem neceſſe eſt omnium, cui hęc deeſt. Et eius diſcipulus Marcus Eremita, Cum audieritis, inquit, Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi virtutum participes, & charitatis participes intellige. Etenim charitas nouiſſima virtutum exiſtit ſecundum generationem: prima autem omnium inuenitur iuxta dignitatem: Eas quæ ante ipſam natæ ſunt, eſſe nouiſſimas oſtendens. Omnium nanq; ſumma virtutum, & totius plenitudo iuſtitię de illo naſcitur amore, inquit Leo Magnus, quo Deus, proximusq; diligitur. Quærit Rupertus, cùm & pater ſpiritus, & filius ſpiritus, & pater ſanctus, & filius ſanctus ſit: quam ob cauſam vocabulum hoc, quod eſt Spiritus ſanctus, propriè adſcribitur perſonæ huic? Et mox reſpondet, nimirum, quia tota perſonæ huius operatio, nihil aliud, niſi ſanctificatio eſt. Hęc operationũ diſtinctio diligenter animaduertenda, quia Deus pater, omne q̃ factũ eſt, p filiũ fecit: & omne q̃ factũ eſt, p Spiritũ ſanctũ ſanctificauit. Quid enim eſt ſpiritus eius, niſi amor tuus? & quomodo creatura rationalis aliter, niſi amãdo creatorẽ, potuit vnquã, vel poteſt ſanctificari? Igitur quãuis & pater ſpiritus, & filius ſpiritus, & pater sãctus, & filius ſanctus ſit, rectè tñ hæc ſola perſona Spiritus ſanctus debuit nuncupari, cuius operatio propriè creaturæ ſanctificatio eſt: Sine quo nec Angelus ſanctus, nec homo ſanctus eſt: Quẽ non habens Angelus, Diabolus eſt: quem nõ habens homo, Antichriſtus eſt, vel membrum Diaboli eſt. Hic ſanctificationem, quæ eadem iuſtificatio dici poteſt, Rupertus tribuit ſoli charitati: Cuius æqualis Petrus Abbas Cluniacenſis. Hæc eſt, inquit illa charitas: non tantum faciens, ſed omnino perficiens iuſtitiam: ad quam cæteræ virtutes iuſtitię cooperãtes, velut ad matrem filiæ reſpiciunt. De cuius radice exoriuntur, de cuius ſtipite, velut fructuoſiſſimæ arboris ramorum infinitas ſpecioſa, dependent. Ibi caſtitas, ibi humilitas, ibi veritas, ibi ſynceritas, ibi obedientia, ibi omnis iuſtitia.

*In lib. de perfectione iuſtitiæ.*
*De ſimilitudine capue 163.*
*In dialogo, quem habuit cum Triphone.*
*Bern. epiſt. 107.*
*Charitas iuſtificat & ſanctificat cõtra Anomæos hom. 1.*
*Charitas aliarum virtutum forma & perfectio eſt & parens.*
*In capitulo de his qui ſe putant ex operibus iuſtificari cap. 35.*
*Leo in ſer. de ſancto Laurentio.*
*Rupert. lib. 1. in Matth.*
*Sanctus cur magis Deo Spiritui tribuatur, quàm patri & filio.*
*Ioan. 1.*
*Spiritus ſancti operatio propriæ eſt ſanctificatio.*

Charitatem autem cùm dicimus, non eam hoc loco volumus intelligi, qua prior DEVS nos perpetuò dilexit nos, & miſerans attraxit nos: quæ cauſæ noſtræ iuſtificationis eſt efficiens. Sed illa, quæ in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Datus autem nobis, vt habitet in nobis, tanquam in templis ſuis, non corporaliter, hoc eſt, non ſecundum ſubſtantiam ſuam: Solus eſt enim Chriſtus, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat: verùm per fidem & charitatem, quam diffundit in cordibus noſtris. Quemadmodum etiam Hilarius teſtatur, dicens: Habitat enim Deus in religioſorum mentibus, non corporali aditu, neque naturæ grauioris ingreſſu, vt alibi non degens, illic tantùm quò ſe intulerit, inſiſtat: Sed ſpirituali virtute, in vacua ſe à terrenis labibus corda permittit, ſeſeq; luminis modo, in patenta, quærenti, Quomodo hoc dixiſti, Spiritum ſanctum in nobis habitare, reſpondit: Quomodo Sol perfectus, plenum, ſimplex, & æquale cunctis, ſuum ipſius beneficium confert: quiſq; verò quatenus purgatum habeat oculum, hactenus etiamſi plebeius fuerit, lucem recipit: ita Spiritus ſanctus à baptiſmo ſuſcepto credentes ei, omnium actionum ac donorum capaces reddidit, non tamen omnibus conceſſit, vt æqualiter dona exercerent, ſed cuique pro dignitate & pro modo executionis mandatorum, quatenus teſtificatus eſt operibus bonis, & perſpicuam edidit ſuæ in Chriſtum fidei menſuram. Sic & à Cyrillo ſcriptum eſt: Etiamſi habitauit in nobis verbum, dictum tamen etiam hoc eſt, quod in Chriſto habitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Sed cùm ſentimus, quòd caro factum ſit, non eodem modo ſicut in ſanctis habitare dicitur, & in Chriſto iſtam factam eſſe habitationem definimus: ſed quod ſecundum naturam vnitum, non tamen in carnem conuerſum, talem effecerit habitationem, qualem & hominis anima cum proprio habere dicitur corpore. Extant duo ſermones Theodori, Epheſinæ Synodi Actis, quæ nuper in lucem prodijt, inſerti cumpri-

*Hier. 33.*
*Rom. 5.*
*1. Corinth. 3.*
*Deus quomodo in nobis habitat.*
*Coloſſ. 2.*
*Hilar. in pſal. 131.*
*Cyrill. libr. 10. cap. 14. in Ioan.*
*Coloſſ. 2.*
*Ioan. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cumprimis eruditi, in quorum altero sic scribit: Si dignum Deo habitaculum teipsum constitueris, in te quoq; habitatum descendet, etiamsi non ad eum modum quo in Christum. In Christo namque omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Sed, ô rei miraculum, tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen secius reliqua omnia adimplet, & ita implet, vt vniuersam creaturam excedat. Totus existit in vno, & à nulla interim creatura separatur. Neque quod hic dicitur tibi impossibile videatur. Etenim ego quoque verbum nunc profero, & hoc ipsum verbum totum est in vno, & totum rursum in omnibus. Totum hoc verbum hausit vnus, neq; ab vlla audientium multitudine ita circunscribitur, quin singuli hauriant totum. Si itaque res ortui occasuiq; obnoxia tota existit in vno, & tota nihilominus comperitur in omnibus, quid mirum si Deus totus in cœlo, & totus rursum inuenitur in omnibus?

*Deus quomodo est in rebus creatis.*

Quamobrem cùm in omnibus ijs quę creata sunt, & quatenus & sunt, & creata sunt, per præsentiam, potentiam, & essentiam suam Deus esse dicatur; solæ sunt mentes piorum, in quibus non solùm esse, verumetiam habitare per gratiam: solus autem est Christus, in quo per vnionem substantiæ esse dicitur. Hoc est quod ab Augustino scriptum legimus: Fatendum est, Deum vbiq; esse per diuinitatis præsentiam: sed non vbiq; per habitationis gratiã. Deus, enim qui vbiq; æqualiter totus est per suam simplicẽ substantiã, aliter tamen in rationalibus creaturis est, inquit Bernardus, quàm in cæteris: & ipsarũ, aliter in bonis est, quàm in malis, per efficatiam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis: à rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Tunc igitur nobis dari Spiritus sanctus intelligitur, qui patris amor est & filij, quando sui nos huius amoris reddit participes: vt quemadmodum ipse cum patre & filio vnus est Deus, vna substantia, sic nos adhærentes Deo, vnus cum eo spiritus efficiamur. Atque hoc est, quòd iustificari, quòd iustum fieri dicimus: Neque enim id aliud esse videtur, quàm quod à Propheta dictum est: Mihi autem adhærere DEO bonum est, DEVS est enim iustitia nostra, ipse iustus, ipse iustificans nos: cui quantò magis adhæremus, tantò magis participes iustitiæ fuerimus. Hoc est quod ab Augustino quoque scriptum legimus: Ea iustitia, quæ viuit in seipsa, proculdubiò Deus est. Sicut autem cùm sit in seipsa vita, etiam nobis sit vita, cùm eius efficimur participes: ita cùm in seipsa sit iustitia, etiam nobis sit iustitia, cùm ei cohærendo iustè viuimus: & tantò magis, minúsve iusti sumus, quantò magis illi, minúsve, cohæremus. Adhæremus autem illi charitatis vinculo copulati: Quod etiam Cyrillus testatur his verbis: Voluntaria est nostra cum Christo conglutinatio: & charitate, ac fide perficitur. Et fides quidem in animo nostro consistit, veram Dei cognitionem efficiens: charitas verò mandatum eius seruare facit. Qui enim me diligit, is, inquit, mandata mea seruabit. Qui ergo per fidem Christo solummodò coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absq; operibus mortua quædam res est. Huiusmodi autem palmites agricolæ falx seueriſſimè amputat, & igni tradit. Hoc enim modo de infructuosis arboribus fieri solet.

*Spiritum sanctum nobis dari quid.*
*1. Cor. 6.*
*Psalm. 72.*
*Psalm. 118.*
*Rom. 8.*
*Aug. epist. 85.*
*Titum. 2.*
*Cyrill. lib. 10. cap. 14. in Ioan.*
*Ioan. 34.*
*Ioan. 15.*
*Iacob. 2.*

Si igitur iustitia est, per quam adhæremus Deo: Deo autem per charitatem adhæremus, cui dubium esse potest, quin charitas nostra sit iustitia nostra? quæ quantò perfectior est, tantò perfectior erit iustitia nostra. Qua de re sic à Bernardo quoque scriptum legimus: Quis est, qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens, tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in se traxit, vicissim diligendo? Ergo cùm vndique inhærent sibi homo & Deus, inhærent autem vndique intima, mutuaque dilectione inuicerati alterutrum sibi: per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse, haud dubiè dixerim. Quamobrem diligendo Deum, quodammodo trahimus illum ad nos, vt ipse vicissim diligat nos, qui dixit: Ego diligentes me, diligo, Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, manifestabo ei meipsum. Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, pater meus diligetur eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Porrò vbi mansionem facit Deus, ibi necesse est remissa peccata, quorum charitas multitudinem operit, ibi necesse est iustitiam omnem infusam esse. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?

*Bern. hom. 71. in Cantic.*
*Deum in homine & hominem in Deo esse, quid.*
*Proverb. 8*
*Ioan. 14.*
*1. Pet. 4.*
*2. Cor. 6.*
*1. Ioan. 4.*
*Ephes. 1*
*Rom. 3.*
*1. Ioan. 2.*
*Psalm. 58.*
*Psalm. 22.*
*Amb. de vocatione gentium. li 2. ca. 9.*
*Bern. epist. 107.*

Quod autem dicimus diligendo Deum effici, vicissim vt ipse diligat nos: nequaquam ita velimus accipi, quasi priores nos dilexerimus Deum: quin cum Ioanne potius libenter profitemur, quòd in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: ipse elegit nos ante mundi constitutionem: ipse misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Nam nisi prior ille dilexisset nos impios, vt faceret pios: nisi dilexisset iniustos, vt faceret iustos, nisi dilexisset ęgrotos, & faceret sanos, nisi inimia quadam nostri charitate flagrans, misisset filium suum propitiationem pro peccatis nostris, qui & immensis beneficijs præstandis nos ad vicissim diligendum excitaret, & verbo doceret, & exemplo nobis præiret, nos eum diligere nequaquam possemus. Ipsius itaq; misericordia fit, vt diligentes vicissim ab eo diligamur. Ipsius misericordia pręuenit nos: ipsius misericordia subsequitur nos. Hoc est quod à Prospero quoq; scriptum legimus: Qui veniunt, inquit, ad Deum, amore ducuntur: dilecti enim sunt & dilexerunt, quæsiti sunt & quęsiuerũt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt. Præclara sunt ea de re Bernardi verba, quæ visum est adscribere: Nemo se, inquit, amari diffidat, qui iam amat. Libenter Dei amor, nostrum, quem prævenit, subsequitur: Nam quomodo redamare pigebit, quos amauit, & necdum amãtes? Amauit, inquam, amauit. Habes enim dilectionis pignus spiritum, habes & testem fidelem IESVM, & hunc crucifixum. O geminum, ipsumq; firmissimum Dei erga nos amoris argumentum. Christus moritur, & meretur amari. Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit curametur, iste vt ametur, ille suã multã dilectionẽ in nobis commendat: iste & dat: In illo certimus q̃ amemus: ab isto sumimus vndè amemus. Charitatis igitur ab isto occasio, ex isto affectio. Quanta confusio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem? quod quidem facilè contingit, si desit spiritus. Nunc autem quia charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis amati amamus, amantes amplius amari meremur. Et aliquot ante seculis Theodoretus: Considerantes enim, inquit, quinam cum simus, quænam bona accepimus. Et quòd non nos primi dilexim us: Sed amati vicissim amauimus. Et cùm haberemus odio, amati sumus: & cùm inimici essemus, fuissemus reconciliati: cùm non ipsi supplices petijssemus, vt fieret reconciliatio, sed ad nos legatus venisset vnigenitus, & qui iniuriam feceramus, inuitati sumus ab eo, qui fuerat affectus iniuria: & præterhæc reputantes susceptam pro nobis crucem, salutares passiones, mortis cessationem, datam nobis spem resurrectionis. Hæc & quæ sunt huiusmodi considerantes, superamus eas, quæ in nos incurrunt difficultates, & beneficiorum memoriam conferentes cum ea, quæ est ad tempus afflictione corporis, lubenter ferimus rerum molestarum impetus. Omnes enim vitę molestias cum amore in Dominum tanquam in trutina conferentes, eas valdè leues inuenimus. Etsi omnia quæ videntur iucunda & delectabilia simul collegerimus, si contra diuinum expandatur desiderium, ea vmbra magis euanida, & quæ vernis floribus facilius intereant, ostendit.

*Rom. 5.*
*In orat. de charitate, quæ est adnexa Historiæ sacræ*

Est itaq; iustitia nostra, quæ legis plenitudo, quæ finis præcepti, quæ vinculum est perfectionis, charitas. Charitas autem non nummi, sed Dei, charitas non terrę, non cœli, sed eius, qui fecit cœlum & terram: Charitas, vt est apud Paulum, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Quo loco, sicut animaduersum ab Augustino legimus, conscientiam pro spe posuit: Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem verò pungit mala cõscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Hęc igitur vbi adsunt, fides, spes, & charitas, ibi demùm perfecta est & absoluta iustitia. Quod Paulus etiam significare visus est, qui cùm Timotheo suo dixisset: Sectare iustitiam, quasi volens indicare, quibus in rebus iustitia sita sit: subiũxit mox, fidem, spem, & charitatem. De quibus virtutibus ita scriptum ab Origene legimus: Puto quòd prima salutis initia & ipsa fundamenta fides est. Profectus verò & augmẽta ædificij, spes est. Perfectio autem & culmen totius operis, charitas: & ideò maior omnium dicitur charitas.

*Charitas qualis & iustitia nostra.*
*Rom. 13.*
*2. Timoth. 1.*
*Coloss. 3.*
*1. Timoth. 1.*
*Aug. in psal. 31.*
*Conscientia pro spe à Paulo posita.*
*2. Timoth. 2.*
*Origenes lib. 4. ad Romanos epistolæ 120. cap. 30.*



## *Quòd per Fidem, Spem, & Charitatem, quæ propemodum obsoleuerat in nobis, imago Dei restauratur.*

## CAP. LXX.

LEgimus hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum esse, quam, quoad in contaminatam retinuit, iustus erat. Simul vt verò post admissum peccatum, hæc in eo imago, non quidem prorsus abolita, verùm obsoleta tamen est & deformata, iustus esse desijt: atq; suam hanc iniustitiam, ex inobedientia cõtractam, in vniuersam posteritatem suam primus parens noster propagauit: ac per eius vnius delictum, diuinum iudicium processit in omnes homines in condemnationem.

*Genes. 1.*
*Imago Dei per peccatũ deformatur in nobis, non aboletur.*
*Vide Aug. de spiritu & litera ca. 28.*

Est autem, non secundum formam corporis, ad imaginem Dei, factus homo: sed secundum rationem mente præditam. Quod cùm alij plerique omnes, tum longè vetustissimus ille Philo in eo libro, quem scripsit de opificio mundi, pluribus demonstrat. Sed & Clemens Presbyter Alexandrinus his verbis indicat: Est enim Dei imago eius verbum & filius mentis germanum, diuinum illud verbum, lucis lux exemplaris & archetypa: Verbi autem imago est homo, vera mens, quæ est in homine: qui ad Dei imaginem & similitudinem propterea factus esse dicitur, quòd prudẽtia, quę est in corde, diuino verbo assimilatur: & ea ratione verbi, rationis q̃ particeps dicitur. Verùm indicat hoc etiam ipsa ratio: Nam cùm DEVS spiritus sit, non alibi consentaneum est imaginem eius esse, quàm in spiritu hominis. Sed ipse etiam Apostoli declarat hoc auctoritas, cùm dicit: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quod dixit: Induite nouum hominem, illius videtur explicatio esse, quod antè dixerat: Renouamini spiritu mentis vestræ. Quod mox addit: Qui secundum Deum creatus est, id alio loco quasi declarans, dixit: ad imaginem Dei, quum alijs verbis idipsum præcipiens, Expoliantes vos, inquit, veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum. Ibi secundum Deum: hîc verò secundum imaginem, inquit, eius, qui creauit eum, vt creaturam esse secundum Deum, nihil aliud intelligi possit, quàm esse creatum secundum imaginem Dei creatoris, quemadmodum etiam annotatum ab Augustino videmus.

*Rom 5.*
*Imago Dei in homine est ratio.*
*Clem. in oratione adhortatoria ad Gentes.*
*Pulchrè differit hac de re Cyrill. in libr. cõtra Antropomor. c. 2. & sequẽtibus.*
*Verùm nemo Greg. Nissen melius cum explicat ea verba: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram, Orat. 1. Ioan. 4.*
*Imago Dei in spiritu hominis.*
*Ephes. 4.*
*Coloss. 3.*

Factus est igitur homo ad imaginem Dei in spiritu, quę mens nostra est: factus est autem ad imaginem totius Trinitatis: quod ex voce, nostram, colligit Augustinus. Quæ cùm sit pluralis numeri, non rectè diceretur, si homo ad vnius personæ fieret imaginem: siue patris, siue filij, siue spiritus sancti: Habet itaque mens nostra, sicut ab eodem annotatum est, suam quoq; Trinitatem: Est enim in ea memoria, est ratio siue intellectus, est & voluntas. Hæc ante peccatum ita fuerant in primo homine sana & integra, vt neq; memoriam quicquam impediret, quò minus in recolenda Dei potentia, sapientia bonitate q̃ versari semper posset: nec rationi deesset aliquid ad discernendum inter bonum & malum, verum & falsum,

*De Genesi ad literã lib. 3. cap. 20.*
*Homo factus ad imaginẽ Trinitatis.*
*Vide Amb. lib. 3. de virginitate.*
*Lib. 12. de Trin. ca. 6. libr. 14. de Trin. ca. 8. & l. 15. c. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Imago Dei post lapsum in homine planè deformata.*

sum, commodum & incommodum: nec esset, quod obstaret voluntati, quò minus quæ sola est Christiana iustitia, per charitatem adhærere Deo posset. Cæterùm post infelicem eius casum, in contrarium omnia reciderunt: Nam non ipsius magis primi parentis nostri, quàm vniuersæ posteritatis eius memoria sic est labefactata, vt in cuiusuis alterius rei cognitione consumeretur potius, quàm cuius gratia à DEO facta fuerat. Ratio verò tanta demersa est caligine, vt vmbras rerum pro rebus ipsis, noxia pro salubribus, falsa pro veris amplecteretur. Voluntas autem vsq; eò à creatore suo auersa, & ad omnem vanitatem fuit conuersa, vt non Deo, qui fecit cœlum & terram, sed ipsi tantum terræ visa sit adhærere: nihil vt aliud propè mens humana tota, quàm terra, quàm caro esse videretur. Hinc illæ Dei voces: Terra es, & in terram ibis. Et alibi: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quoniam caro est. Quid multis? eò redacta fuit humana mens, vt in qua fuerat imago Dei, quasi pecudis imaginem in ea cernere liceret. Quod etiam Propheta deplorat, dicens: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

*Homo quare terra & caro dicitur.*
*Genes. 3.*
*Genes. 6.*
*Psalm. 48.*
*Imago Dei in homine quomodo restituta.*
*2. Corin. 1.*
*Luc. 11.*
*Actor. 15.*
*Homo in tribus vulneratus, rursus in tribus renouatur*
*Rom. 5.*
*Luc. 11.*
*Esa. 7 secundum 70. Interpret*
*Renouatio nostra quando incipiat.*
*1. Cor. 15.*
*Ephes. 4*
*Rom. 13.*
*Galat. 6.*
*Galat. 5.*

Tantam hanc suæ creaturæ deformitatem, quam pulchram & decoram, nimirùm ad imaginem sui fecerat, ferre non potuit pater ille misericordiarum Deus, qui memor misericordiæ suæ, immemor culpæ nostræ, ratione minuenit, qua sic obsoleta imago Dei, in homine renouari posset. Venit igitur à patre Dei filius verbum caro factum, & fidem dedit purificantem corda. Post filium Spiritus quoque sanctus missus est, per quem in cordibus nostris charitas est diffusa: quam qui habet, ei munda sunt omnia. Per hæc duo fidem & charitatem, ad patrem redeundi spes facta est: Atq; ita per hæc tria, purgata sunt illa tria, quę fuerant in mente nostra deformata. Fides illuminauit rationem, siue intellectum. Credite nanq; & intelligetis, dicit Scriptura: Spes erexit memoriam, charitas purgauit affectũ, siue voluntatem. Sic imago illa Dei, quæ tam fuerat in nobis obscurata, vix vt vllum iam illius vestigium appareret, renouari cœpta est: quæ renouatio ad iustitiam, quæ nobis datur à Deo, pertinere videtur.

Tunc autem renouari dicimur, quando Dei beneficio fit, vt qui prius portaueramus imaginem hominis terreni, porrectus deinceps imaginem cœlestis. Nam quemadmodum antea quoque dicere nos meminimus, errant, qui iustitiam nostram non aliud esse putant, quàm peccatorum remissionem, quandoquidem non solùm remittuntur nobis peccata, quando iustificamur, sed renouamur prętereà spiritu mentis nostrę; induimur nouum hominem, illum, qui de cœlo venit, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: in illius imaginem transformamur, & fit in nobis ea, de qua Paulus meminit, noua creatura, quam alibi dicit esse fidem, quę per charitatem operatur. Nam quòd dixerat, in CHRISTO IESV, neque circuncisio valet aliquid, neq; præputium, sed noua creatura: id in proximè præcedenti capite, totidem propè verbis dixit: In CHRISTO IESV, neq; circuncisio valet aliquid, neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur: facilè vt appareat, quòd per nouam creaturam, non aliud intelligi voluerit, quàm fidem non ociosam, non solam, vt nostri temporis contendunt hæretici: sed quæ per charitatem operatur, id est, exercetur. Pasſiuè enim accipiendum est, eum Græcè sit ἐνεργουμένη, quod productis plurimis scripturæ locis in suo dogmatico de iustificatione probat Franciscus Torẽsis. Per talem igitur fidem, quæ in actu vel in opere est, quæ sicut Iacobus loquitur, ostenditur ex operibus: vel sicut apud Petrum legimus, qua fit, vt certã aliquis faciat vocationem & electionẽ suam: per talem, inquam, fidem, quæ sic obsoleta fuerat, vt nulla propemodum esse videretur, imago Dei in nobis reparatur. Præclarè Augustinus: Vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra, ibi habet Deus imaginem suam. Et qui æqualis eius fuisse videtur Esaias Abbas: Imaginis inquit, Dei nota est charitas. In hoc enim, inquit, cognoscent vos meos esse discipulos, si dilexeritis inter vos.

*Creatura noua quid intelligitur à Paulo*

*Psal. 48.*
*Orat. 25.*

*Quòd Iustitia DEI iusti sumus, non qua DEVS iustus est, sed qua nos iustos facit.*

## CAPVT LXXI.

*1. Tim. 1.*

Constitutum itaque iam est, quòd iustitia nostra charitas est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta: per quam quæ deformata fuit in nobis, imago Dei reformatur, per quam etiam in filiorum Dei numerum cooptamur, & à filijs diaboli discernimur. Charitatem autem, Augustinum secuti, non eam intelligi volumus

*1. Ioan. 3.*
*Aug. de spiritu & litera cap. 28.*

hoc loco, qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores sui: qua nos amati à Deo, amamus Deum, & amantes amplius amari meremur, vsque eò verò semper hoc in Ecclesia certum fuit & indubitatum, vt inter publicas etiam illius preces legatur hæc oratio: DEVS quem diligere & amare iustitia est. Quamobrem audiendi non sunt, qui iustitiam nostram esse quiddam extra nos affirmant: nihil vt in nobis esse velint, vnde iusti dicamur: sed ea sola iustitia nos iustos esse putent, qua Deus ipse iustus est, non qua nos iustos facit: ea sola charitate nos Deo charos & gratos esse, qua nos ipse charos habet, non qua dilecti ab illo diligimus illum, & diligentes amplius diligi meremur. Quasi dicat aliquis parietem album esse, non ea quæ ipsi parieti, sed quæ mihi, vel meæ vesti insit albedine. Aquam feruentem calidam esse, non ea quæ ipsi aquæ, sed quæ igni insit, caliditate. Potestne dici quicquam absurdius? Quis vnquàm ita delirantem audiuit aliquem, vt alicuius rei formam esse diceret, quę ipsi rei non inesset?

*In Dominica Palmarum.*

*Iustitia nostra non est extranea.*

Pugnat itaque cum ipsa ratione, si quis dicat, iustitiam Dei, quæ nobis non ineſt, causam esse



esse formalem iustificationis nostræ: Neq; minus pugnat cum recepta tot seculis totius Ecclesiæ doctrina: quæ docuit nos quidem, quòd iustitia Dei iusti sumus, sed non hoc sensu, quasi nihil sit in nobis, quo iusti simus: verum quòd hoc ipsum, quòd in nobis est, quo iusti simus, non ex nobis est, verùm Dei donum est. Quod in libro de Spiritu & litera quem falsò pro se facere nouatores isti contendunt, aliquot in locis inculcat Augustinus. Sed apertius etiam hanc sententiam adstruit, enarrans illud ex Psalmo: In tua iustitia erue me. Est, inquit, iustitia Dei, quæ & nostra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem Dei iustitia dicitur, ne homo se putet à seipso habere iustitiam. Et eadem verba in alio Psalmo explicans: Cum ero iustus, inquit, tua Deus iustitia erit, quia, iustitia mihi abs te data, iustus ero: & sic erit mea, vt tua sit: id est, mihi abs te data. Et alio loco: Dicitur iustitia Dei, non solum qua ipse iustus est, sed quam dat homini, cum iustificat impium. Et iterum alibi: Ignorantes Dei iustitiam, id est, quam dat hominibus Deus, qui solus est iustus & iustificans: & suam volentes constituere, id est, velut à se sibi paratam, non ab eo impartitam: iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et in alio quodam libro, loquẽs de virga Aaron: Nunc, inquit, virga Dei dicitur, quæ primum virga dicta est Aaron, posteà verò virga Mosi: sicut dicitur spiritus Eliæ, qui est spiritus Dei, cuius particeps fuit Elias: sic illa potuit dici.

*Ecclesiæ doctrina de iustitia nostra.*
*Aug. de spiritu & litera cap. 9. 11. 18. & 31.*
*Psal. 30.*
*Psal. 70.*
*Libr 14. de Trinitate cap. 12.*
*Quæst. super Exod. 25.*
*Exod. c. 7.*
*4. Reg. 1.*
*Rom. 10.*

Dicitur etiam Dei iustitia, quæ nostra est, sed donata à Deo: de qua loquens Apostolus Iudæos arguit, dicens: Ignorantes Dei iustitiam, & suam constituere volentes, tanquàm à se sibi paratam: contra quales dicit: Quid enim habes, quod non accepisti? Eundem etiam Pauli locum explicans alibi: Quid est hoc, inquit, iustitia Dei & iustitia hominis? Iustitia Dei dicitur, non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, vt sit iustus homo per Deum. Et ad Bonifacium scribens. Non enim propterea iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est, sed quia homini ex Deo est. Et ad Honoratum scribens: Illa nanque, inquit, iustitia Dei commendatur in eo, quòd dicitur: Ignorantes Dei iustitiam, qua nos ex eius gratia iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus, cùm iustè viuimus, credentes in eum, qui iustificat impium, illa, qua ipse iustus est, æterna sua & immutabili iustitia. Et explicans illum Psalmi locũ: In Deo laudabo sermones meos, Si in Deo, quare meos? Et in Deo, & meos. In Deo, quia ab ipso: meos, quia accepi. Ipse voluit meos esse qui dedit, amando eum cuius sunt, quia ex illo mihi sunt, mei facti sunt. Vnde enim panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Quomodo nostrum? quomodo da? Ab illo petendo, non eris vacuus: tuum confitendo, non eris ingratus. Si enim non dicas tuum non accepisti: rursus si dicas tuum, ita quasi à te sit, cùm dicis tuum, amittis quod acceperas, quia ingratus es illi à quo acceperas. Et producẽs illum ex Psalmo locum: Exaudi me Domine in tua iustitia, hoc est, inquit, non in mea. Si diceret, Exaudi me in iustitia mea, tanquàm meritum vocaret. Vocat quidem in nonnullis locis & suam iustitiam, sed sic meĺius discernit, quia & suam quando dicit, datam dicit, quomodo dicimus panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quomodo nostrum, quomodo da. Ne verò posset videri negare merita, post interiecta quædam subiungit. Hinc cùm exieris, recipieris pro meritis, & resurges ad recipienda, quæ egisti: tunc Deus coronabit, non tam merita tua, quàm dona sua. Atque iterum alio loco: Qui crediderit in eum, non habebit suam iustitiam, quæ ex lege est, quamuis sit bona lex, sed implebit ipsam legem nõ sua iustitia, sed data ex Deo, ita enim non confundetur. Charitas enim est plenitudo legis. Et vnde ista charitas? diffusa est in cordibus nostris, non vtiq; à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

*Rom. 10.*
*1. Corinth. 4.*
*Tract. 26. in Ioan.*
*Cont. duas epist. Pelag. lib. 3. cap. 7.*
*Ser. 69. de tempore.*
*Psal. 142.*
*Matth. 6.*

Hîc, quod alijs quoq; locis semel & iterum fecit, iustitiam nostram vult esse charitatem, non à nobis profectam, sed per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffusam, qua legem impleri dicit. Ac paucis interiectis, cùm dixisset: Noli velle habere iustitiam tuam. Iustitia, inquit, sit, sed ex gratia sit, à Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes, inquit, tui induantur iustitia. Vestis accipitur, non cum capillis nascitur: pecora de suo vestiuntur: Hanc prædicat Apostolus Paulus: A Deo tibi sit, geme vt impetres, plora vt impetres, crede vt impetres. Ac iterum post pauca: Totum, inquit, ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi vt non conemur, non quasi vt non velimus. Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei: voluntas quidem non est nisi tua, iustitia non est nisi Dei, esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Demonstratum est quid agere debeas, iussit lex, non facias illud aut illud, fac hoc, aut illud: demonstratum est tibi, iussum est tibi, apertum est tibi, si tibi est cor, intellexisti quid facias: roga vt facias. Et iterum paucis interiectis: Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem. Tamen ipse iustificat, ne sit iustitia tua, ne redeas ad damna, ad detrimenta, ad stercora. Inueniare in illo non habens iustitiam tuam, quæ ex lege est, sed iustitiam tuam, per fidem Christi, quæ est ex Deo, iustitiam ex fide, ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius, & communicationem passionum eius, & ipsa virtus tua erit, communicatio passionũ Christi, virtus tua erit. Quid autem erit in cõmunicationibus passionum Christi, si charitas non erit? Ac paulò pòst: Non poteris cõmunicare Christi passionibus sine amore: sed quæro, quo amore? Non sit cupiditas, sed sit charitas. Si enim tradidero, inquit, corpus meum vt ardeam, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Vt prosit tibi communicatio passionum Christi, charitas adsit. Vnde tibi charitas, ô mendicissima infirmitas? vnde tibi charitas Dei? Vis ostendi tibi vnde sit tibi? ipsum interroga horrearium dominicum. Si enim fuerit in te charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & eris verus martyr. In quo charitas coronatur, ipse erit verus martyr. Vnde ergo tibi? Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ait ipse Apostolus, vt eminentia virtutis Dei sit, & non ex nobis. Ergò vnde tibi charitas? nisi quia diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

*Rom. 13.*
*Rom. 5.*
*Ser. de verb. Apost.*
*Psal. 131.*
*Philipp. 3.*
*1. Corinth. 13.*
*2. Corinth. 4.*

Ex his

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex his & alijs plerisque locis hanc Augustini sententiam esse cognoscimus, quòd nostra quidem iustitia iusti sumus, sed ita nostra, donata nobis vt sit à Deo, nõ à nobis ipsis parata. Neq; enim nati, sed facti sumus iusti, facti autem non à nobis, verùm ab eo, qui creauit nos. *Rom. 5.* Ipse fecit nos, & non ipsi nos, vt non minus ipsius opus sit, quòd iusti sumus, quàm quòd homines sumus: Melius enim est iustum esse, quàm hominem esse. Quòd si nos homines facit DEVS, & iustos ipsi nos facimus, melius aliquid facimus nos quàm fecit DEVS: Quòd cùm vel cogitare cumprimis absurdum sit, tenendum est illud firmiter, quemadmodum, quòd homines sumus, ita & quòd iusti sumus, Dei donum esse. Ipsius opus est vt credamus: ipsius opus est, vt amemus. Atque hæc est iustitia nostra, fides quæ per charitatem operatur: hæc est renouatio nostra: hæc est imaginis Dei, quæ fuit in nobis obsoleta, restauratio. Hanc & non aliam Augustini de iustificatione nostra sententiam esse, cùm ex his, quæ per nos adducta sunt, tum ex alijs nõnullis locis, manifestius est, quàm vt quisquam inficias ire queat. Neq; diuersum sentire videtur, qui fuit æqualis eius Hieronymus: cuius hæc verba leguntur. Hæc hominis est summa iustitia, quicquid potueris habere virtutis, non tuum esse putare, sed Domini, qui largitus est. Quamobrem nemo se palpet, inquit Augustinus, de suo Satanas est, de Deo beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum, quod est tuum, iustitia, inquit, de meo est. Quid enim habes, quod non accepisti? Et alio loco: Ab illo fit homo iustus, qui nunquam potest esse iniustus: sicut lucerna, non à seipsa accenditur: ita nec anima humana sibi præstat lucẽ, sed clamat ad Deum, Tu illuminas lucernam meam Domine. Et explicans illa verba, In tua iustitia erue me: Non in mea, ait, sed in tua. Si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ergo in tua iustitia nõ in mea. Quia mea quid? Præcessit iniquitas. Et cùm ero iustus, tua iustitia erit: quia iustitia mihi abs te data iustus ero, & sic erit, mea, vt tua sit: id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impium, vt deputetur fides mea ad iustitiam. Erit ergo & sic iustitia mea, non tamen tanquam propria mea, non tanquam à meipso mihi data, sicut putabant qui per literam gloriabantur & gratiam respuebant. Nam dictum est in alio loco: Iudica me Domine secundũ iustitiam meam. Certè nõ gloriabatur in sua iustitia, sed reuoca te ad Apostolum. Quid enim habes quod non accepisti? Et sic dic iustitiam tuam, vt memineris quòd acceperis eam, & non eam inuideas accipientibus. Et explicans illud in eodem Psalmo, Domine memorabor iustitiæ tuę solius. O solius inquit. Quid addit solius, rogo vos, sufficeret, memorabor iustitiæ tuæ, Solius, inquit prorsus, vbi meam non cogito. Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Iustitia tua sola libera me, mea sola non sunt nisi peccata.

*Psalm. 99.*

*Quòd homines sumus, & quòd iusti sumus, Dei donum est.*

*Galat. 5.*

*Hier. lib. 1. contra Pelagianos.*

*Aug. tract. 49. in Ioan.*

*In psal. 109.*

*In psalm. 70.*

Nunc videamus, num secus ea de re Græci senserint. Neque verò necessarium esse putamus, omnium proferre sententias. Cyrilli maximè visum est auctoritate niti, viri longè doctissimi, grauissimiq́ue, cui cum Arrianis, Eunomianis, Nestorianis perpetua fuit contestatio, cui tributum etiam hoc elogium ab Euagrio legimus, quòd clarissimus præco, & fortis rectorum dogmatum propugnator decantetur, atque prædicetur. Is Pauli locum adducens, Eum qui non nouerat peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei: Sicut, inquit, vnigenitus Dei filius in similitudine carnis peccati factus, ipse peccatum esse factus dicitur: sic & nos reformati ad ipsum per fidem, iustitia Dei dicimur facti: quæ propriè filius est: nos enim naturalium bonorum Christi per Spiritum sanctum participes sumus, ipse autem rursus in seipso humana suscipit, ad diuinam pulchritudinem, naturam nostram in seipso reducens. Ac non ita multo pòst: Omnia quæ naturaliter diuinæ insunt naturæ, non possunt naturaliter ac propriè creaturis ineſſe, sed per gratiam innata sunt. Quid enim habes, quod non accepisti? Paulus clamat. Quare sanctitas quoque soli Deo ineſt naturaliter, in alijs per gratiam. A Deo enim sanctificata, quasi à fonte sanctificationem accipiunt, & ideò sanctificare non possunt: id autem Christus facit: Sanctificauit enim Ecclesiam.

*1. Corinth. 4.*
*Cyrilli Encomion.*
*Cyrill. lib. 12.*
*Thesaur. cap. 3.*
*Euag. libr. 1. cap. 7.*
*Eccles. histor.*
*2. Cor. 5.*
*Rom. 8.*

*Cap. 5.*

*1. Cor. 4.*

Nunquid non pulchrè cum Augustino Latino, conuenit Cyrillo Græco? Quid enim hic aliud, quàm negat natura nos esse iustos, negat nasci nos, verum fieri dicit iustos: atque id non à nobis, verùm ab eo, qui solus iustus est & iustificans: cui quòd esse, hoc ipsum est iustum esse: ab eo qui factus est nobis sapientia, & iustitia, sanctificatio, & redemptio, Domino nostro IESV Christo: in quo plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter: de cuius plenitudine omnes nos accepimus: de plenitudine misericordiæ eius, de abundantia bonitatis eius. Ipse est enim ita bonus, vt sit ipsa bonitas: ipse est ita iustus, vt sit ipsa iustitia. Videtur autem hoc natura boni flagitare, quemadmodum in eodem libro Cyrillus, & ante eum aliquot in locis auctor est Dionysius, vt omnibus se proponat, & frui se velit omnes, prout singuli possunt, quod certè facit. Habitaturum enim, se in nobis promittit, & nos in filios adoptaturum. Ita ergo clemens & bonus est Deus, vt bonitas sua per filium in Spiritu sancto ad omnes transeat, & nemo à participatione suæ bonitatis repellatur. Patris verò participatio per filium in spiritu decenter & propriè fit: nam & Sole per splendorem, qui ex eo emittitur, nec sine calore participamus, qui operationis Spiritus sancti imaginem gerit. Et iterum alio loco, Bonus, sanctus, cæteraq; huiusmodi, de hominibus quandoq; per participationem veri, boni, & sancti dicuntur.

*1. Cor. 1.*
*Coloss. 2.*
*Ioan. 1.*

*Dionys. lib. 4. ca. 1. cœlestis hier. & de diuini nom. cap. 4.*
*2. Corin. 6.*
*Leuit. 26.*
*Ioan. 14.*
*Cyrill. lib. 7.*
*Thesaur. cap. 4.*

Ex his & alijs Cyrilli locis non dubiè colligitur, quod nos sumus, qui boni, qui sancti, qui iusti sumus, verùm non natura, sed per participationem tantùm, hoc est, quatenus Dei participes efficimur, qui non tam bonus, quàm ipsa bonitas, non tam sanctus, quàm ipsa sanctitas, non tam iustus quàm ipsa est iustitia. Cæterùm ad hãc participationem Solis illius iustitiæ, qui lucem habitat inaccessibilem, nos qui sedebamus in tenebris, & in vmbra mortis, viribus ipsi nostris peruenire nulla ratione potuimus. Fecit igitur, qui dies est in misericordia Dominus Deus noster, non pro meritis nostris, quæ nulla erant nisi mala, & æterno supplicio digna, sed propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, vt eũ q splendor est ipsius gloriæ, filium suum vnigenitum, è sublimi cœlo demitteret, qui carnis nostræ particeps factus, & eam indutus, qua ratione suæ diuinitatis ipso largiente participes fieri possemus, in hac lachrymarum valle nobiscum versatus, ac per omnia similis nobis factus, illuminans tenebras nostras, ac splendore suæ lucis omnem ex animis nostris caliginem depellens, nobis demonstr aret.

*Heb. 1.*

*Philip. 2.*
*Baruch 3.*
*Heb. 4.*
*Christus cur in mundum venerit.*

Neq; enim in hunc mundum veniendi sola Christo causa fuit hæc, vt pro peccatis nostris morte sua satisfaceret, ac nos per hunc modum patri suo cœlesti reconciliaret, verumetiã, vt quemadmodum nos iam reconciliatos, in nouitate vitæ ambulare, hoc est, in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris Deo seruire oporteret, in corpore mortis nostræ, se nobis exemplum proponeret. Quod etiam testatur Eusebius Emissenus, cum dicit: Ad hoc ad nos è cœlo descendit, vt non solum nos redimeret mortis pretio, sed etiã vt vitæ ædificaret exemplo. Propterea corpus peccati gestauit, sicut Basilius quoq; scriptum reliquit, vt nos ipsius vitæ conuersationem, quantum possibile est, imitaremur. Præclarè sanctus ille monachus Macarius: Deus cum sit infinitus, inaccessus, & increatus, per infinitam & increatam bonitatem suam seipsum demisit, induitq; membra corporis nostri, atq; vt ita dicam, minuit se ab inaccessa illa gloria, ac per clementiam & humanitatem mutata figura, sejpsum, corporeum reddidit, vt vniri possit creaturis suis visibilibus, nempè animis sanctorum atq; angelorum, vt ita participes esse possent vitæ diuinæ, possent in vnitate viuere, vitam mortales sentire, & ad æternam gloriam peruenire. Factus homo, inquit Faustinus, obseruare voluit quodcunq; docuisset, vt cæteros inuitaret, magis autem dixerim, vt cæteros subleuaret. Et qui fuit aliquot seculis posterior Berno: Factus est, inquit homo, vt vitam redeundi panderet homini puro, ad Deum per hominem Deum. Itaq; vita eius nobis viuendi regula, mors à morte fuit redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Mors Christi, mors fuit mortis nostræ, quoniam ille mortuus est, vt nos viueremus. Quemadmodum autem peccatis mortuos, iustitiæ nos viuere deinceps oporteret, inter nos aliquandiu versatus, exẽplo suo nos docuit. Idcirco namq; in carne apparuit, dicit Gregorius, vt non solum nos per passionem redimeret, verumetiã per conuersationem doceret exemplum se sequentibus præbens. Et alio loco: Ad hoc Deus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo reperaret.

*Ad Monachos Hom. 3.*
*Rom. 6.*
*Luc. 1.*
*Basil. de vita solitaria. cap. 1.*
*Faust. in libris de fide cont. Arria. cap. 3.*
*In sermo. de Ascen. Domini.*
*Idem lib. 2. moral. cap. 6.*
*Oseæ 13.*
*1. Pet. 2.*
*Greg. Pastora. curæ lib. 1. cap. 3.*
*Lib. moral. 21. c. 5.*
*Greg. Niss. in li. ad Harmon.*
*Quid nomen Christianum sibi velit. ser. 182.*
*Paulinus ad Seuerũ epist. 2.*

Ante quem etiam Augustinus: Assumpsit verbum Dei formam serui, in qua posset conseruos verbo instruere: vitæ suæ, morum disciplina informare. Et eius æqualis Paulinus. Ad hoc venit, inquit, Christus, vt vitam suam nobis in formulam & speculum vitæ proponeret. Quod pluribus etiam verbis in libro diuinarum institutionum demonstrauit Lactantius.

*Lact. lib. 4. c. 24. Christus qualis causa iustificationis nostræ.*

Quamobrem causa meritoria iustificationis nostræ, morte sua nobis factus est Christus: omni autem vitæ suæ genere, factus est causa nostræ iustificationis exemplaris: vt verissimè dicatur, ipsius nos iustitia iustos esse. Nam siue quis meritum spectet, mortis ipsius merito fit, vt iusti simus: Nisi enim dedisset semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, nos iusti sectatores q; bonorum operum nullo modo esse potuissemus: Siue quis ipsam consideret iustitiam, nisi nobis & verbo & exemplo iustitiæ viam commonstrasset, nobis ad eam aspirare nunq; licuisset: in tenebris adhuc versaremur, omniq; prorsus orbi lumine, in via iniquitatis errantes, à via iustitiæ procul abessemus, nisi nos paternæ splendor gloriæ Christus illuminasset. Huius itaq; splendoris, qui Christus est, quisquis particeps est, is demùm iustus est, vt nihil sit aliud iustum esse, quàm Christi participem esse: Quemadmodum etiam à Paulo dictum est: Participes Christi facti sumus: si tamen initium substantiæ eius, vsq; ad finem firmum retineamus: Quicunq; in nouitate vitæ ambulauerit, dicit Hilarium secutus Ambrosius, quicunq; tramitem iustitiæ tenuerit, Christi particeps est. Christi autem participem esse, est Christianum esse: à Christi enim participatione Christiani vocamur. Porrò fiunt, non nascuntur Christiani, sicut à Tertulliano scriptum, ab Hilario & Hieronymo legimus repetitum. Quantò magis autem aliquis Christi particeps fuerit, tantò magis Christianus, hoc est, iustus dici meretur. Præclara sunt Leonis magni verba: Crux Christi quæ saluandis est impensa mortalibus, & sacramentum est, & exemplum: Sacramentum, quo virtus impletur diuina: exemplum, quo deuotio incitatur humana: Quoniam captiuitatis iugo erutis, etiã hoc præstat redemptio, vt eam sequi possit imitatio: Nam si mundana sapiẽtia ita in suis gloriatur erroribus, vt quem sibi quisq; ducem elegerit, eius opiniones & mores atq; omnia instituta sectetur: quæ nobis erit cõmunio nominis Christi? nisi vt ei inseparabiliter vniamur, qui est, vt ipse insinuauit, via, veritas & vita? Via scilicet conuersationis sanctæ: veritas doctrinæ diuinæ, & vita beatitudinis sempiternæ. Qui etiam alio loco dicit: Hæc Domini nostri opera, non solùm sacramento nobis vtilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quod q; impensum est, mysterijs profit & moribus, vt meminerimus nobis in humilitate & mansuetudine redemptoris nostri esse viuendũ. Quo niam sicut ait Apostolus: Si compatimur, & cõregnabimus. Frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi, qui ideò se dicit viam esse, vt conuersatio magistri, forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus. Sed & à Saluiano rectè scriptum est: Nihil prodest nomen sanctum habere, sine moribus: quia vita à professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuũ vilitatem.

*Iustum esse quid. Hebr. 2.*
*In Psalm. 118. serm. 8.*
*Christianum esse quid sit.*
*Tertu. in Apologet.*
*Hila. li. 12. de Tri.*
*Hieron. in epist. ad Lætam. serm. 2. de resur. dom.*

*Ioan 14. Serm. 5. de Natiuit. Domini.*

*Sal. li. 3. in fine.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tatem. Gregorius Nissenus: qui Christianismum simulant, eos esse scribit simiarum similes: Si quis, inquit, nomen Christi sumat: quæ verò vna cum hoc nomine considerantur, vita non exprimat neq; repræsentet, is nomen ementitur, iuxta propositam à nobis similitudinem, personam in animam humanæ figuræ conformatam, & assimilatam simiæ apponens, Et ante eum Cyril. Hieroso. Nihil enim proderit nobis, inquit, Christianorum posse dici appellationem, si opera illam non sequantur. Ne fortè & illud nobis dicatur: Si filij Abraham essetis, opera Abrahæ faceretis. Hoc est igitur Christianum & iustum esse, Christi participē esse. Quod tū efficitur, quisq; quādo Christum induit. Quid est Christianismus, quæris Basilius: ac mox respondet: Similitudo Dei, quò ad eius humana capax est natura: Si Christianismum amplexus es, stude similis fieri Deo: indue Christū. Quomodo illum indues? Qui baptismum non accepit, quiq; vestem incorruptionis non induit, similitudinem Dei repudiauit. Ac paulò superius: Assume viscera miserationis, bonitatem & comitatem, vt Christū induas. Quibus enim modis sympathiam assumpseris, eisdem & Christum indue, & p Christi cognationem Deo quoq; cōiunctus eris. Quem imitatus frater eius Gregorius Nissenus: Suscipe, inquit, viscera misericordiæ, beneficium exerce, vt induas Christum. Per quos enim misericors & benignus es, per eos Christum induis, Christiq; necessitudine & coniunctione cum Deo coniungeris & deuinciris. Ac paucis interiectis: Quoniam accepisti vt esses Christianus, operam da, vt sis Deo similis: indue Christum. Quo aūt pacto illum indues? nisi eius signeris nota, nisi baptismum suscipias, nisi capias incorruptionis indumentū. Hæc ille, explicans verba illa scripturæ, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et iterū Basilius in Asceticis: Christianismi, inquit, finis hic est, vt Christum pro mensura incarnationis, iuxta quod cuiusq; vocationi competit, imitemur. Quod idem pluribus verbis docet frater eius Gregorius Nissenus, ad Olimpium monachum, perfecti hominis Christiani formam describens: quam nihil aliud esse vult, quàm Christi imitationem. Ex quibus Basilij, Gregoriiq; Nisseni dictis colligere licet, quod ab Augustino quoq; scriptum est: duobus modis nos Christum induere: per baptismi susceptionem, & per morum eius imitationem. De priore genere dicit Apostolus ad Galat. scribens: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. De posteriore meminit, cùm Romanos iam proculdubiò credentes, & per baptismum Christum indutos, hortatur, vt induantur Dominum nostrū Iesum Christum. Priorem igitur iustitiam, credentes in baptismo consequimur, vbi complantati facti similitudini mortis Christi, vetere simul homine crucifixo nouū, induimus, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate. Quo quidem tempore non solum peccata nobis omnia remittuntur, passionis & mortis Christi merito, quod nobis credentibus in baptismo communicatur, haud aliter ac magis etiam quàm si eadem ipsi pro peccatis nostris passi, atq; ad eundem modum mortui essemus: verumetiam infunditur omne gratiarum genus, ipso gratiarum largitore Christo per fidem in cordibus nostris habitante: vt si quem, simul atq; lauacro regenerationis ablutus est & sanctificatus, ex hac vita migraret statim contigerit, dubium esse debeat nemini, quin is Christum indutus, & quod Christus est natura, per adoptionis gratiam filius Dei factus, hæreditatem regni cœlestis eueſtigiò cōsequatur, etiam si non modò nulla bona, verumetiam opera multa mala baptismum eius præcesserint. Cæterùm, si posteaquam fidem est & baptismum consecutus, aliquod ei vitiandi spacium Deus suppeditare sit dignatus: nequaquam sufferet, quòd per gratiam adoptionis, quam adeptus aliquis est, credens & baptizatus, Christum indutus, filius q; Dei factus est. Neq; enim sine causa dictum est à Ioanne: Charissimi, filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Fieri enim potest, vt qui per baptismum & fidem Christum indutus, filius Dei per adoptionis gratiam factus est, posteaquàm gustauit semel donum cœleste, particeps factus est Spiritus sancti, contristet voluntariè peccando Spiritum sanctum, quem accepit: & quod ipse factus est, templum eius violet, atq; ita duplo quàm anteà gehennæ filius efficiatur: quòd melius illi fuerat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Nescimus igitur, inquit, quid erimus: sed si conformes illi facti fuerimus, imaginem ipsius hic portando, crucem eius ferendo membra nostra, quæ super terrā sunt mortificando cùm apparuerit, similes ei erimus in gloria: si compassi illi fuerimus, & conregnabimus. Hunc esse Ioannis verborum sensum, vel ex eo colligi potest, quod statim subiungit: Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Quod verbum diligenter est obseruandum: Neq; enim dixit Ioannes: Qui habet hanc spem, Deum sanctificat, aut pro sancto & iusto habet, non imputando ei peccata sua, propter fidem & spem: nam non loquitur ibi de sanctificatione & iustitia, quam supernè accepimus, mundati lauacro aquæ in verbo vitæ, sed de ea qua sanctificati iam & abluti per lauacrum, exercemus nos ad omnem pietatem: & quem induti sumus Christum per sacramenti susceptionem, eum induimus per vitæ ipsius imitationem: vt quemadmodum ei similes esse cupimus in gloria, sic prius ei pro modulo nostro similes esse contendamus in sanctitate & iustitia: ea iustitia, de qua scribit idem Ioannes alio loco: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Tunc autem iustificatur, qui iustus est, cùm q per lauacrum regenerationis, nō ablutus tantùm à sordibus peccatorum suorum, verumetiam iustificatus est & sanctificatus, aspiciens in auctorem fidei & consummatorem Iesum, quod, cùm baptizaretur professus est, omni genere vitæ suæ præstat, sacris Iesu vestigijs incedit, ac quemadmodum ille ambulauit, ambulat ipse quoque. Quam ad rem hortatur nos Paulus, cùm dicit: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione. Hoc est igitur iustum esse, Christum induere, Deiq; filium fieri, non modò per susceptionem sacramenti, verumetiam per imitationem illius vitæ sanctissimæ, citra quam salui esse non possumus. Hoc est quod à Dionysio quoq; Areopagita scriptum est: Deus maximè desiderat salutem nostram, quæ nobis nisi deificatis con-

*Operandum bene.*

*Christianismi quid. Basil. in Hexamer. Hom. 11. Gal. 3.*

*Basil. cap. 43. Christianismi finis.*

*Aug. lib. 5. de bapt. paruulorum, ca. 24 Christum induere. Gala. 3. Rom. 13. Ephe. 4.*

*Ephes. 3.*

*1 Ioan 3. Hebr. 6. Heb. 10. Ephe. 4. 1. Cor. 3. 2. Pet. 2.*

*1. Ioan. 3. Rom. 8.*

*Ephe. 5.*

*Luc. 1. Apoc. 22. Iustus quomodo iustificetur adhuc. 1. Cor. 6. Heb. 12. 1. Ioan. 2. Eph. 5. Dion. c. 1. Ecc. hier.*

*Deificatio quid.*



contingere non potest. Deificatio autem est ad Deum quantum possibile est, & similitudo & vnitas, quæ quidem similitudo reddit creaturam Deo amabilem & dilectam: Si quidem similitudo, causa dilectionis: sicut contra, dissimilitudo, causa est dissolicentiæ & disiunctionis. Itaq; finem vitæ cum virtute degendæ Gregorius Nissenus esse scribit, vt quis numini diuino assimiletur, & Christianismum esse dicit imitationem diuinæ naturæ.

*Grego. Nissenus ad Harmonium de professione Christianæ vitæ.*

Quid autem est in quo Christum imitari, in quo nos illi pro nostro modulo esse velle similes oporteat? Nunquid in virtute, quam ostendit in faciendis miraculis? num in sapientia? num in potentia & maiestate? Nihil horum dicit Paulus: verùm quando Dei nos imitatores esse iubet: Ambulate, inquit, in dilectione, sicut & Christus dilexit nos: vt omnis imitatio Dei, hoc est, omnis iustitia nostra, non aliud esse videatur, quàm dilectio: Verùm in hac quoque Deum imitari perdifficile est. Quid est enim homo, vt possit sequi Regem factorem suum? Infirmiores reuera sumus, quàm vt exemplo Christi in dilectione ambulare, atque ita iusti esse queamus. Verùm data est tibi diuinitus potestas, inquit Chrysostomus, imitari Christum pro viribus, & similem fieri. Noli expauescere hoc audiens: Timendum enim tibi potius est, si similis illi fieri negligas. Adiuuat infirmitatem nostram Christi Spiritus, & ad omnia nos fortes ac validos reddit, simul vt ignem sui amoris in mentibus nostris accenderit: Ex quo videre licet, quàm appositè dictum sit à Cyrillo: quòd iustitia, sine bonitas Patris, per filium in Spūsancto transit ad omnes. Qui etiā alio loco, sanctificationem nostram esse vult in spiritu participationem filij, quod exemplo quoq; planum facit, dicens: Nam & Sole per splendorem, qui ex eo emittitur, non sine calore participamus, qui operationis spiritus sancti imaginem gerit: Sol iustitiæ Deus pater est, splendor filius, qui tenebras nostras illuminauit, quiq; nobiscum in terris degens, lumen iustitiæ nobis commōstrauit: calor Spiritus sanctus, qui simul vt charitatem in cordibus nostris diffuderit, & eius igne mentes nostras inflammauerit, iam sumus iustitiam consequuti. Et Cyrillo vetustior Athanasius in Epistola ad Serapionē de Spiritusancto: Sicut ex patre p filium est gratia, quæ tribuitur, sic largitionis communio in nobis esse non potest, nisi in Spiritusancto. Huius enim compotes, habemus patri charitatem, & filij gratiam, & ipsius Spiritus communionem.

*Cyril. lib. 4. Thesauri cap. 5. Idē li. 6. de Trinit.*

*Rom. 5.*

Ex his cuiuis perspicuum esse potest, quomodo Dei, quomodo Christi, quomodo nostra dicitur esse iustitia: Dei dicitur, quoniam à Deo proficiscitur, à Deo nobis donatur. Deus est enim qui eam efficit, qui eam operatur in nobis, qui gratuitò nos abluit & sanctificat: Christi dicitur, non solùm quia Christi merito fit, vt iusti simus, qui nisi lauisset nos à peccatis nostris in sanguine suo; nisi nos per mortem suam Deo patri suo cœlesti reconciliasset, non modò nulla iustitia, sed mera esset in nobis iniustitia, & omne genus iniquitatis abundaret: verumetiam quia non aliter iusti efficimur, quàm si splendoris illius paternæ gloriæ, qui Christus est, participes reddamur. Cuius cùm nobis lux esset inaccessibilis, (quæ bonitas illius est, & misericordia nunquàm satis prædicanda) dignatus est se nobis exhibere verbū in carne, Solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna, quominus difficulter sustinere splendorem lucis illius possemus. Præclarè scriptum est à Cyrillo Hierosolymitano: Cùm nos ita vt ille erat, perspicere aut frui illo non potuimus, factus est ille, sicut & nos, vt sic illo perfrui possemus. Si enim Solem, qui die quarto factus est, perfectè intueri nequimus, quomodo ipsius factorem videre poterimus? Similiter & Macarius: Si placuisset ei in pura diuinitate descendere, quis ferre potuisset? quamobrem ex virgine corpus accepit, & per organum illius loquutus est hominibus, & in illo quemadmodum vita nobis instituenda sit, exemplo nos docuit. Porrò nostra dicitur iustitia, quoniam cùm à Deo nobis donatur, spiritu mētis nostræ renouamur, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus: iustitiam in nobis accipientes, de plenitudine iustitiæ, quæ Christus est pro modulo nostro, quemadmodum dicit Augustinus, tanquàm particulas nostras: secūdùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis sicut vult: & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem, diffusa in cordibus nostris charitate: quæ quantò maior fuerit, tantò maior erit iustitia nostra. Quæ quamuis à Deo nobis infunditur per Christi merita, nostra tamen est, quia nobis inhæret, quia non sine nobis eam Deus operatur in nobis, iam præsertim adultis: quia posteaquàm semel abluti, sanctificati, iustificati sumus, nos etiā ipsi deinceps in Deo spem habentes, sanctificamus nos & iustificamus, ambulantes in dilectione, sicut Christus dilexit nos: in qua qui ambulat, omnem virtutem, omnem est iustitiam consecutus.

*Macarius hom. 6. Ephe. 4. Aug. de gratia & libe. arbit. c. 9. 1. Cor. 12. Rom. 5. 1. Cor. 6. Ephe. 5.*

Nostra ergo est iustitia, non qua Deus iustus est, sed qua nos iustus facit. Neq; enim propterea nostra non est, quòd ab illo donata est. Nisi fortè quis dicat & vestem propterea nostrā non esse, quòd eam ab amico donatam habemus. Sicut fides Christi dicta est, inquit Augustinus, quòd à nobis habetur: nostrum est & quod nobis donatur. Hoc est quod à Bernardo quoque scriptum legimus: quem nouatores isti secum facere falsò gloriantur: Iustum, inquit, me dixero, sed illius iustitia. Quæ nam ipsa? Finis legis CHRISTVS, ad iustitiam omni credenti: Denique qui factus est nobis, inquit, iustitia à Deo patre. Quæ ergo mihi iustitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta iustitia? Et sanè multò tutior donata, quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet: sed non apud DEVM: illa autem cùm sit salutis efficax, materiam gloriandi non habet, nisi in Domino. Nam etsi iustus, inquit, fuero, non leuabo caput. ne videlicet responsum accipiam: Quid enim habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quid aliud his verbis Bernardus, quàm illud ipsum asserit, quod ab Augustino, quodq; à Cyrillo scriptum anteà retulimus? negat innatam, sed esse nobis donatam dicit

*Aug. de Spiritu & litera. Cap. 9. Nostrum quid. Aug. in li. 50. hom. hom. 14. Bern. Epi. 190. Rom. 10. 1. Cor. 1. Rom. 4. 2. Cor. 10. Iob. 10. 1. Cor. 10. Colo. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



iustitiam: negat nasci, sed fieri dicit Christianos, hoc est iustos. Non quia factus est mihi iustitia Christus, ideò, inquit, iustitia mea non est. Etiam vita factus est nobis Christus, sic enim loquitur Paulus. Cum Christus apparuerit vita vestra, sic loquitur ipse Christus. Ego sum vita & resurrectio. Ego sum via, veritas & vita, nunquid ideò nostra non erit vita? In Deo viuimus, mouemur, & sumus. Nunquid ea vita viuimus, qua viuit Deus? Nunquid eo motu mouemur, quo mouetur Deus? si modò rectè dici potest moueri Deum. Posset ne dici quicquam absurdius? Viuimus igitur vita, quæ est in nobis, verùm quam Deus produxit in nobis. Sicut aër clarus est, non ea luce, quæ est in Sole, sed ea, quâ accepit à Sole: Sicut aqua fertuet, non eo calore, qui est in igne, sed quê recipit ab igne, & ineſt illi: sic & nos non ea iustitia iusti sumus, quæ est in Sole iustitiæ Deo: sed quam accepimus à Sole iustitiæ Deo, & ineſt nobis. Qua de re sic à Gregorio quoque scriptum legimus: Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ diuina largitate fit nostra: Sicut in Dominica oratione dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Ecce & nostrum dicimus, & tamen vt detur, oramus: Noster quippè fit, cùm accipitur: & tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. Et alio loco: Deus est iustitia iustificans: in nobis est iustitia iustificata.

*Ioan. 11.* *Ioan. 14.* *Actor. 17.* *Mal. 4.* *Greg. lib. 33. moral. Cap. 2.* *Matt. 6.* *Li. 18. mora. ca. 18.*

Hoc ergo sentiendum est de nostra & de Dei, siue Christi iustitia, quòd nos iustitia iusti sumus quæ est in nobis, ille verò est ipsa iustitia: nos capaces tantum iustitiæ sumus, ille, sicut ex Dydimo vertit Hieronymus, non capax, verùm capabilis: Nam qua iustitia nos iusti iumus, eam ab illo accepimus: ille contrà à semetipso habet quòd iustus est: & est (quo verbo libenter Victorinus vtitur) fontana quædam iustitia. Quamobrem Christianus Macarius si miles aliquatenus esse dicit lucernis habentibus in se oleum, hoc est, fructus iustitiæ: ac nisi accendantur in eis lucernæ luminis diuini, nihil sunt. Deus, inquit Ambrosius, vniuersitate bonus est nos ex parte. Ad quem modum etiam ab Anselmo scriptum est: Ipse dicit. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes: Sed ipse Deus deificans est, nõ autem Deus deificatus. Nos iustitiam similitudine tantùm Christus æqualitate comprehendit: in illo corporaliter inhabitat plenitudo iustitiæ, nos non plenitudinem, sed gratiæ portionem accepimus: mentes nostræ de plenitudine acceperunt, mens Christi plenitudinem ipsam cõprehendit: Quin ipse Christus plenitudo est: nam hoc ei nomen Cyrillum tribuisse legimus. Siquidem homo non est capax omnium, inquit Chrysostomus, ideò dicit Paulus: Num oẽs Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes habẽt dona sanationum? In carne autem Christi omnia dona fuerunt secundùm substantiam carnis. Ante quem Basilius: Filius, inquit, Dei iustitia vocatur: nos verò participatione illius iustitiæ iusti sumus, Et alio loco: Principatus enim & potestates, & omnis creatura talis quæ ad obtemperandum & diligenter quæ commissa sunt, curandum sanctificatæ sunt, non iure naturæ sanctæ dicentur. Appetentes enim bonum, secundum amoris quem ad Deum habent proportionem sanctitatis mensura participant. Et sicut ferrum, quod in medio igne iacet, ferri naturam non amisit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cùm vniuersam ignis naturam in semetipsum acceperit, & colore, & calore, & actione ad ignem transit, sic sanctæ virtutes, ex communicatione quam cum illo habent, qui natura sanctus est, per totam suam subsistentiam, receptam, iam quasi innatam, sanctificationem habent. Diuersitas verò ipsis à Spiritu sancto hæc est, quod Spiritus natura sanctitas est, illis verò participatione ineſt sanctificatio. Et eius frater Gregorius Nissenus: Vna & eadẽ est, quæ in Christo, & q̃ in mentibus nostris conspicitur puritas: Sed illa in fonte nascitur, hæc inde manat, & in nos deriuatur. Quod ante fratres hos, sic ab Origene scriptũ est: Sicut participatione iustitiæ saluatoris iusti efficimur, & participatione sapientiæ eius sapientes: ita & participatione patientiæ eius, patientes efficimur. Est ergò velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus & patientiam, & sapientiam, & iustitiam, & omnia quæcunq; sunt virtutis bona: si tamen bona, digna, & pura vascula nostra deferamus ad fontem. Et Cyrillus Hierosolymitanus: Verè vnus Deus dicitur sanctus, qui natura sanctus est. Angelomus quoque: Omnibus ergo sapientia veri Salomonis antecellit: quia multum distat inter eos q participatione sapientiæ sapiẽtes sunt: & inter illum qui est fons sapientiæ & origo virtutum, Verùm autem Salomonem Christum intelligit. Nos verò sancti, non natura sed participatione & exercitio, & voto. Et ante hos cùm alibi tùm in libro de diuinis nominibus, idem frequenter inculcat Dionysius. Alio verò loco Basilius: Quemadmodum in igne est caliditas, quæ simul cum ipso igne existit, & quasi consubstantialis illi est: & caliditas, quam communicat aquæ, & alteri cuipiam consimili: sic & spiritus sanctus, & in se vitam habet, & qui participes ipsius fuerint, vitam agunt Deo dignam, vitam diuinam & cœlestem consequuti. Ac mox virtutes omnes perfectas apud Deum esse docet, nihil in ipso acquisitũ, ipsum fontẽ esse bonorum omnium, spiritum ex Deo promanantem eiusdem cum eo substantiæ: quæ verò ex spiritu profluunt, ipsius esse operationes. Leo quoque magnus: Nemo hominum veritas, inquit, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis, & sapientiæ atque iustitiæ: Solus autem Deus nullius participationis indigus est: de quo quicquid dignè vtcunq; sentimus, non qualitas est, sed essentia: Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia esse illi, quod est sempiternum: semper est proprium. Ante quem Athanasius, Deus non est bonus participatione bonitatis, sed est ipsamet bonitas, homo verò bonitatis participatione bonus est. Et eum secutus Ioannes Chrysostomus, explicans illud ex Psalmo: Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine: Non aliundè discendere virtutes, nisi à bonitate boni, nec aliam vult esse bonitatem Christianorum, nisi quam Deus infundit bonis, vt ex malis essent boni. Et ante Chrysostomum Origenes: Sola trinitatis substantia est, quæ nõ extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta.

*Dydi. lib. 1. de Spiritu sancto.* *Victo. lib. 1. & 3. cont. Arrium.* *Amb. lib. 8. cap. 17. Luc.* *Coll. 2.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Hom. 43.* *Cyril. lib. 1. cap. 3. in Ioannem.* *Chry. in hom. 85. sanct. & ad orant. Spirit. tomo 7.* *1. Cor. 12.* *Basil. in Hom. de pœnit.* *In lib. de perfecti Christiani hominis forma.* *Orig. in Psalm. 36. homil. 2.* *Li. 3. cõt. Eunomiũ. Lib. 3. c. 4.* *Cyril in 5. catechesi mystagogica.* *Et Greg. in Iob. cap. 28.* *Basil. hom. de spiritu sancto.* *In Deo omnia perfecta.* *Leo epi. 93. c. 5.* *Psal. 118.* *Orig. Hom. 11. in Numeros.*



Omnis verò creatura, vel dignatione sancti Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata, sancta dicitur. Sic ergo & scriptum legimus: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: Non continuò similitudo sanctitatis in Deo atque hominibus ponenda: de Deo enim dicitur, quia sanctus est: homines autem quasi qui non semper fuerint, iubentur vt sancti fiant. Ac paucis interiectis: Manifestum ergò est, quòd qui sanctificat, sanctus est, quia semper sanctus est: qui autem sanctificantur, non simpliciter sancti, sed sanctificati sancti dicendi sunt. Theodoretus enarrans illud ex Canticis: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Non dicit, inquit, alba, sed dealbata: propterea quòd eam Sol aspexisset, dealbata est, & candoris sponsi particeps effecta. Qui sicut lux existens, ipsam lucidam & reddidit & appellauit. Et sanctus existens, & sanctam fecit & nominauit: & cùm sit resurrectio, resurrectione dignam esse voluit. Sic etiam albedinem suam illi communicauit. Augustinus quoque: Dicat, inquit, Ecclesia: Non est sanctus, sicut Dominus: & non est iustus, sicut Deus noster, tanquam sanctus, & sanctificans, & iustus & iustificans. Non est sanctus præter te: quia nemo fit nisi abs te. Et alio loco: Possunt esse & sunt & fuerunt multi iusti homines & imitandi, iustus autem & iustificans nemo nisi Christus. Et eum secutus Eusebius: His qui ex hominibus profecti sunt, & ad eum virtutis gradum peruenerunt, quem natura mortalis contingere potest, satis superq; fuerit, si quando in partem & communicationem quandam assumpti, eius qui dixit: Sancti eritis, quoniam sanctus ego Dominus, sancti appellentur. Sanctus autem sanctorum, quis tandem sit apud homines nominandus, præter vnum Dei filium Christum? Prosper etiam Aquitanicus diligens Augustini sectator, vbi de libero arbitrio disserit: Virtus, inquit, principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem, cuius cùm participes sumus, habitat Deus in nobis, qui est Dei virtus & Dei sapientia, habitat fides, spes, & charitas, continentia, intellectus, consilium, fortitudo, cæteraq; virtutes: cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis: Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? abeunte sapientia, quid resideat nisi insipientia? non regnante iustitia, quid dominetur nisi iniquitas? Virtutum itaque semina, quæ beneficio creatoris inserta sunt, præuaricatione primi parentis euersa sunt: nec haberi queunt, nisi eo restituente, qui dedit: Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum, quæ habuit capax est, vt per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, in eo ipso, quòd ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Remansit autem ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculum est. Ex participatione enim sapiẽtiæ & iustitiæ, & misericordiæ, non sapientia, neq; iustitia, neque misericordia, sed sapientes & iusti & misericordes sumus: Quæ bona, quamuis rationale nostrum vitijs occupatum sit, & præuaricantibus nobis Dei templũ spiritus immundus inuaserit, possunt tamen rursum in ipsum rationale confluere, per eũ qui mundi principẽ foras mittit, & ligans fortẽ, vasa eius rapit, fugatoq; mundi huius spiritu, dat spũm, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Et qui videtur non multò fuisse posterior Faustus: Cùm Deus, inquit, iustus ac iustitia misericors ac misericordia, pius & pietas sit, homo iustus esse potest, iustitia esse non potest, misericors esse potest, misericordia esse nõ põt: pius esse põt, pietas esse non potest: quia nõ naturaliter habet ista, sed largiter. Verbi gratia: Ille aurũ est, homo aũt deauratũ vas videri potest: & in homine gratia est, quòd in Deo natura est: & in hoc creatum est, quod in illo probatur in genitum. Et secutus hos venerabilis Beda: Deus, inquit, non solum misericors, verum & misericordia dicitur, & ita verè ac propriè appellatur. Et paucis interiectis: Quicunq; sanctorũ dici potest misericors & iustus, esse misericordia & iustitia nõ põt, quod proprièq; & naturaliter Deus est. Illi hoc soli cõpetit: Deus. n. quod habet est, nos qd habemus de fonte suscepimus. Fons autem esse ipsi non possumus. Et alio loco: Aliter, inquit, ipse Christus, sanctus est, aliter nos. Ipse enim sanctus sanctificans: nos aũt sancti sanctificati. Sicut ait Apostolus: sed abluti estis, sed sanctificati estis. Et Elias explicãs eã Orationẽ Gregorij Nazianzeni, quæ est secunda de Theologia, siue de recte differendi ratione de Deo, dum quomodo dicatur Deus Sapientia, Iustitia, Charitas, docet: Hæ, inquit, appellationes illi tribuuntur, non quod huiusmodi cum ipso sint bona communicata, quemadmodum nobiscum cõmunicãtur, sed q̃ ipse sit αὐτοαγάπη αὐτοσοφία, & αὐτοδικαιοσυνη, hoc est, totus ipsa Charitas, totus ipsa sapiẽtia, totus ipsa iustitia, quodq; horum bonorum ipse largitor nobis sit & subministrator, & supra eadem omnia. Ex his omnibus liquet, hoc quod diximus, non ea nos iustitia iustos esse, qua Deus iustus est, sed qua nos iustos facit, dum suæ iustitiæ participes reddit.

*Lenit. vi.* *Lib. 4. in cant. c. 8.* *Lib. 17. c. 4. de Ciuitate Dei.* *Demonstrationis Euang. lib. 8. c. 1.* *Aug. de pecca. meritis, li. 1. c. 14.* *1. Cor. 1.* *Esa. 11.* *Psal. 103.* *Animus rationalis virtutis habitaculum.* *1. Tim. 2.* *Luc. 11* *Ioan. 12.* *1. Corin. 14.* *Faust. li. 1. de libe. arbi. cap. 1.* *Li. 2. in Iob. ca. 7.* *In Psal. 85.*

## *Quòd non sola iustitia Christi imputatione, sed verè realiter inhærente nobis iustitia iusti simus.*

## CAP. LXXII.

VErùm hic alios audire licet, qui nolunt videri se prorsus negare, nostram esse iustitiam, qua iusti simus: Esse enim, aiunt, & Christi & nostram: Christi quòd in ipso, non in nobis sita sit: nostram autem imputatione fieri, quoniam accepta nobis fertur. Ita non verè nos iustos esse, sed imputatione, vel non esse iustos, sed pro iustis imputatione haberi, quatenus Christi iustitiam per fidem possidemus: Hanc enim solam esse volunt nostram iustitiam, non quatenus ea nobis à Christo communicatur, sed quatenus in Christo ipso residens, posteaquam per fidem eam apprehendimus, nobis perindè ac si nostra esset, imputatur. Docent igitur nos reputari iustos, hoc est, acceptos, non propter propriam qualitatem, hoc est, non propter

*Dogma de imputatiua iustitia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ioan. 1.* *1. Tim. 2.*

gratiam, quam de plenitudine Christi accepimus: sed propter aliud extra nos, scilicet propter mediatorem filium Dei, per misericordiam. Verùm hæc quoq; non minus q̃ illa prior absurda est opinio, & eodem propemodum recidere videtur. Quid enim aliud affirmant hi quoq;, quàm quòd ea, qua Christus iustus est, non autem ea, qua nos verè iustos facit, iustitia iusti sumus, quandoquidem extra nos esse volunt id, quo iusti sumus? Quòd si Paulus audiendus est, qui prophanas vocum nouitates deuitare iubet, noua certè vox est, & his quę nos præcesserunt seculis inaudita, imputatiuæ iustitiæ. Nam reputari nobis fidem ad iustitiam, beatum esse, cui non imputauit Dominus peccatum: propter Christum non reputare nobis Deum delicta nostra, legimus in scripturis: iustitiam verò Christi nobis ad iustitiam reputari, ac si nostra esset, nec in Canonicis, nec in veterum Orthodoxorum libris, temerè quisquã scriptum inueniet. Communicationis, participationis, diffusionis, deriuationis, applicationis, coniunctionis, copulationis nominibus, vsi quandoq; Patres reperiuntur: verum imputatiuæ iustitiæ vox, noua est, & catholicorum auribus hactenus inaudita.

*Imputatiuæ iustitiæ vox noua.*

*1. Tim. 6.* *Gene. 15.* *Rom. 4.* *Psalm. 31.* *2. Cor. 5.*

*Voces quædam patrum veterum.*

Neq; verò eunt hoc in ficias ipsi nouatores, nouam hanc esse vocem, nec à catholicis vsurpatam. Sed sicut veteres licere sibi voluerunt essentiæ, personæq; nominibus vti, quamuis in scripturis ea non legantur, sic isti concedi sibi postulant, vt imputatiuam vocent iustitiã, quamuis ab orbe condito, hoc præsertim sensu, quo ab ipsis profertur, hæc vox nunquàm fuerit à quopiam vsurpata. Vti se dicunt hoc locutionis genere, quo planioribus verbis edisserant ea, quæ captui nostro in scripturis perplexa, impeditaq; sunt. Interea tamen, quã sibi dari postulant, eam catholicis veniam non concedunt, à quibus simul vt aliquid prolatũ fuerit, quòd illis ipsis verbis in scripturis non legitur, vsitato hæreticis collectionis genere, quia non est scriptum, reijciendum esse censent. Nostras autem aures, vocis hæc nouitas nõ offenderet, si quod isti se facere videri volunt, ad explananda ea, quæ sunt in scripturis abstrusiora, illa verterentur. Verùm tantùm abest, vt per has nouas voces edisserantur ea, quæ sunt in literis sacris perplexa, contrarium vt potius illis asseratur. Aperta sunt scripturæ verba, per obedientiam vnius Christi, iustos constitui multos. An cum hac scriptura non pugnat, qui non constitui, sed reputari tãtùm nos iustos asseuerat? Quid aũt hoc est aliud, quàm Christi meritis derogare, quàm gloriam illius imminuere velle? Scilicet peccati tanta fuit vis, quod à primo Adam patratum est, vt verè nos peccatores & iniustos constitueret: vt illius peccato, non solùm per imputationẽ damnemur, ac si alieni peccati exigeretur à nobis pœna: sed ideò pœnam illius sustineamus, quia & culpæ rei sumus. Et non erit secundi Adã Christi iustitię tanta vis, vt ea nos verè iustos constituat? Vbi est igitur quòd dixit Paulus: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et paulò antè: Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donũ, in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Quin dicat confidenter homo Christianus, quod à Bernardo scriptum suprà commemorauimus: Si mea traducta culpa, cur non & mea inducta iustitia? Si peccato primi Adæ, non per solam imputationem damnor, ac si alieni peccati à me exigeretur pœna: sed ideò pœnã illius sustineo, quia & culpæ reus sum: cur & iustitia secundi Adam, non per solam imputationem iustificor, ac si alienæ iustitiæ merces mihi daretur: sed ideò præmium illius fero, quia iustitiæ particeps sum, quæ mihi non innata, sed per Christi meritum est à Deo donata? Dicat cum eo, qui multis antè sæculis præcessit, Cyrillo: Absurdum est, nos quidem hæredes factos supplicij primi parentis, corruptione per inobedientiam immissa, non autem fieri participes iustitiæ secundi, qui ad vitam nos reuehit, per maximam illius obedientiam. Explicans illa Gregorij Nazianzeni verba Nicetas. Si vt latro simul cruci affixus fueris, probo & candido animo Deum agnosce, cumq; ille propter te tuum q; peccatum, cum iniquis reputatus fuerit, tu propter illum iustus efficere. Vide, inquit, quàm propriè & accuratè loquitur. Theologus, non dixit. Christus iniquus factus est, sed reputatus: rursus non dixit, tu iustus reputare, sed efficere. Neq; enim reputatio, sed ipsa rei veritas, aut iustum hominem reddit aut condemnat.

*Rom. 3.*

*1. Cor. 15.* *Rom. 5.*

*Cyril. lib. posteriori ad Reginas de recta fide.* *In 2. oratione in Pascha.*

*Philip. 2.*

Estne autem verisimile, propterea Dei filium de cœlo descendisse, propterea carnem indutum: propterea factum esse patri obedientem vsq; ad mortem, mortem autem crucis, vt nos imputatione tantùm, nõ autem verè iustos faceret? Atqui cùm esset ad mortem iturus, patrem pro suis discipulis, pro q; omnibus qui essent in se crediturj, precatus: Pater, inquit, sanctifica illos in veritate. Isti verò non veritate, sed imputatione sanctificari nos dicunt & iustificari, non verè nos iustos esse, & sanctos, sed imputatiuè, vel nõ iustos esse potius & sanctos, sed pro iustis & sanctis imputatione haberi. Dicit idem Christus, Si vos filius liberauit, verè liberi eritis. At isti non eritis, aiunt, verè liberi, sed hactenus tantùm eritis à peccatis liberi, quòd ea vobis non imputabuntur. Sic dixit dilectus Christo discipulus: Qui facit iustitiam, iustus est. Isti, si Dijs placet, Euangelici, non qui facit iustitiam, aiunt, sed cui imputatur Christi iustitia, iustus est. Dixit idem in eodem capite. Videte qualẽ charitatem dedit nobis Deus: vt filij Dei nominemur & simus. Isti verò: Non est verum, aiunt, quod dicit spiritus Dei per Ioannem, non sumus filij Dei, verùm nominamur tantùm & reputamur. Nisi fortè possunt esse filij Dei, q iusti non fuerint. Atqui reclamat spiritus Dei per Paulũ dicens: Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Idem Paulus cùm recensuisset fornicarios, idolis seruientes, & alijs id genus crimi: ibus infames: Et hęc quidem fuistis, inquit, sed abluti estis, sed sanctificati estis: Isti autem fuistis, aiũt, hæc & estis adhuc: nisi quòd non imputatur vobis: iustitia aũt Christi imputatur vobis ad iustitiã. Nimirùm hoc est planioribus verbis edisserere, quę sunt perplexa in scripturis: hoc est purum Euangelium docere, quæ cum Christi & Apostolorum doctrina pugnant ex diametro, populo persuadere conari: hoc est Christi gloriam propagare, negare tantam fuisse virtutem passionis & mortis eius, vt per eam verè iustificati, verè sanctificati, verè per eam abluti simus, & à peccatis liberati, verè ex filijs iræ filij Dei facti. Deinde verò non intelligunt isti, per quos miro quodam artificio Satanas omnia Christi beneficia non obscurare modò, verumetiam ex omni hominum memoria delere, & sempiterna quadam oblitione conatur obruere: non intelligunt, inquam, isti se pugnantia dicere: Neq; enim non legerunt, peccata nostra esse, quæ diuidunt inter nos & Deum: Odio esse Deo impium, & impietatem eius: qui igitur fieri potest, vt non imputet, quod odio habet, cùm ipsum etiam imputationis verbum odium quoddam significare videatur? Quamobrem explodenda prorsus est istorum, & de manente quidem in nobis, sed non imputato peccato, & de non inhærente nobis, sed imputata tantùm iustitia, doctrina: Pugnat enim cum verbo Dei: Dicit sanctus ille Propheta: Iauabis me, & super niuem dealbabor, non dealbaberis, audiunt isti, manebit in te pristina peccati deformitas, nisi quòd ea tibi non imputabitur. Dicit idem in eodem libro: Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Non longè fecit, aiunt isti, quin iustitiam longè fecit. Nam ea nobis non inhæret, extra nos est, in Christo est, & imputatur nobis. Iniquitates autem inhærent, sed non imputantur nobis. Per alium Prophetam dicit dominus: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Non est verum, aiunt isti, non delet, manent in nobis, inhærent nobis, sed non imputantur. Paulo post apud eundem Prophetam dicit dominus: deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Verùm & hocisti verum esse negant. Manet nihilominus, aiunt, illa nubes, manet illa nebula peccatorum: etiamsi iustitiæ sol iam illuxerit, non ea tamen aboletur, nisi quòd non imputatur. Illum etiam plus quam Prophetam arguunt mendacij, qui de Christo ferens testimonium, dixerit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non tollit, aiunt, sed cùm inhæreant nihilominus in nobis peccata, non imputat ea. Num autem istis à Christo rectè dici non possit. Quæ vtilitas in sanguine meo, si non sunt per eum ablutæ sordes peccatorum? Quis fructus passionis, & mortis meæ, si non fuit illius tanta vis, vt maculas peccatorum ab eis tergeret? Quid est euacuare crucem Christi, quid est dicere ergo Christus gratis est mortuus, si hoc non est? Gratis aliquando tenebræ, dicit Paulus: nunc autem lux: non estis iam in tenebris, sed estis filij lucis, non autem noctis & tenebrarum. Eripuit enim vos Deus de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij suæ dilectionis, vbi sempiterna lux est. At isti, non est verum, aiunt: Non transtulit vos Deus de potestate tenebrarum. Estis adhuc tenebræ: estis adhuc filij noctis & tenebrarum: nisi quòd peccatorum tenebræ quæ sunt in vobis, non imputantur vobis. Lux autem quæ est in Christo, non autem in vobis, ea vobis imputatur, haud aliter ac si vos eam lucem in vobis haberetis.

*Ioan. 8.*

*1. Ioan. 3.* *Ibid.*

*2. Cor. 6.* *1. Cor. 6.*

*Esa. 59* *Sap. 14.*

*Esai. 43.*

*Ioan. 1.*

Verùm à sancto Dauid, aiunt, scriptum est: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Scriptum est, verùm non eo sensu, quo volunt nouatores isti, neq; hoc verbis istis Dauid significare voluit, peccatum quod quidẽ veri peccati rationẽ habet, quod q; sempiternæ mortis reum facit hominẽ, eatenus, tãtùm remitti, vt non imputetur, nõ aũt vt non sit. Longè abfuit ab hac sententia sanctus ille Rex & Propheta: quin illud his verbis exprimere potius voluisse videtur: Beatum eum esse, in quo sic peccatum deletur, vt eius etiam omnis memoria prorsus extinguatur, quasi nũquàm admissum fuisset, vt fiat illud, quod per Ezechielem dicit Dominus: Omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor. Iustinus Philosophus & Martyr, proximus Apostolorum temporibus, cum hunc ipsum locum adduxisset, quasi perstringens nostri temporis hæreticos: Beatus, inquit, cui nõ imputauit peccatũ Dominus: hoc est, cui pœnitenti peccata Deus remittet. Non sicut prædicatis, vosmetipsos fallentes, & alij quidam vestri similes asseuerant, etiam si peccatores fuerint, modò Deum norint, non imputabit eis peccata Dominus. Hæc Iustinus. Videtur autem Propheta quasi gradus quosdam constituere, quibus vt amplius esse velit tegere peccata, quàm remittere: Rursus maius quiddam non imputare, quàm tegere, quemadmodum à doctissimo Origene, & ab Eutinio legimus annotatum. Tunc enim non imputari peccatum interpretatur Origenes, quando mens hominis ad perfectum venerit, ita vt omnis malitiæ radix ex ea penitus amputetur, eò vsq;, vt nullum in eo vestigium posit reperiri nequitiæ. Hieronymus quoq; Psalmum hunc enarrans, remitti dicit peccata per baptismum, tegi per charitatem, de qua scriptum est, quòd operit multitudinem peccatorum, non imputari per martyriũ. Quibus verbis non obscurè videtur indicare, maius quiddam significari, cum non imputari, quàm cum vel remitti, vel tegi, peccatum dicitur.

*Psal. 31.* *Beatus vir cui Non imputauit, &c. explicatur.* *Ezech. 18.* *Iust. in col. cum Tryphone Iudæo.* *Discrimen inter tegi. remitti, & imputari.* *Li. 4. in ep. ad Ro.* *In Psal. 31.* *Imputari apud veteres quid.* *1. Pet. 4.*

Quamobrem cum legimus, non imputari nobis peccatum, sic accipere debemus, vt cum puluericulo, quod aiunt, ablatum, nec vel vestigium vllum deinceps eius in nobis reliquum esse factum, persuasum habeamus. De iustitia verò, Christo potius & Apostolis eius fidem habeamus, qui verè nos sanctos, verè liberos, verè iustos esse constitutos, ac filios Dei non modò nominari, verumetiam esse dixerunt: quàm nouatoribus istis, per quos nõ aliam ob causam, hanc de ficta & imputata iustitia, quam ipse commentus est Satanas, doctrinam dissemi nauit, quàm vt homines veræ iustitiæ prorsus expertes faceret. Venisse nunc reuera tempus illud videtur, de quo scripsit Apostolus, in quod se quoque incidisse questus est olim Hilarius: Erit, inquit Apostolus, tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria, coacerua bunt sibi Magistros, prurientes auribus. Quid enim? non videntur nunc quoq; dicere: Loquimini nobis placentia, quorũ nimis aures delicatæ ferre non possunt, vt retributio fieri dicatur secundum opera, vt referat vnusquisq; propria corporis pro ut gesit, siue bonum, siue malum, sed volunt vt retributio fieri dicatur secundũ illa, non q̃ gesserunt ipsi mala, sed quæ gesit Christus in corpore suo bona, vt si ipsi probi non sunt, sufficiat Christũ tamen probũ fuisse. Quamuis de recẽs baptizatis, si subitò ex hac vita eos migrare, contingat, nõ absurdè dici queat retributionẽ futurã, secundũ ea, q̃ Christus gesit in

*Quid sit non imputari peccatum.*

*2. Tim. 4.* *Libr. 10. de Trinit.* *Esa. 30.* *1. Cor. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



corpore suo bona: de his verò nequaquam, qui post baptismum aliquamdiu superstites, in peccatorum cœno volutati nulla resipiscentiæ signa dederunt. Fuit ne tempus vllum, quo maior esset Magistrorum aceruus auribus hominum seruientium, quàm sit istud, in quod incidit ætas hæc nostra? Nisi fortè non titillat hoc aures nostras, non est auditu mortalibus vel maximè gratum & iucundum, cum dicitur: nulla nostra, sed sola Christi iustitia nos iustos, sola Christi iustitia nos saluos esse: quicquid sit de nostris operibus, vnumquemq; certum esse debere, quòd gratis propter Christũ peccata sibi remissa, quodq; Deo acceptus & vitæ sit hæres æternæ. Ac videtur hic esse temporum horum status, haud facilè vt quisquam statuere possit, in magistris ne linguarum, an in discipulis auriũ sit pruritus ardentior: neq; enim in his audiendi, quàm in illis placentia loquendi, maius est studium: adeò se vltrò ingerunt auribus etiam auscultare nolentium, vt vel indè facilè quisquam perspiciat, quòd ex eorum numero sunt, de quibus Propheta scribit: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: nec loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Et planè impletum est, quod ab eodẽ Propheta scriptum est: Stupor & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quem aũt fructum attulerit hæc eorum doctrina, quam isti parum sani, sanam haberi volunt, quàq; sub specioso verbi Dei titulo rudi populo venditant, rerum exitus ipse declarat. Non eunt hoc inficias ipsi, seruientes auribus magistri, suos vitam agere improbam & contaminatissimã, nihiloq; meliores nunc esse, quàm ante receptum nouum hoc doctrinæ genus fuerũt, quin etiam maiore audacia sequi mundum, & eius cupiditates, omniaq; sibi permittere. Qui bonam vitæ suæ partem inter eos traduxit, qui malunt Euangelici, quàm Christiani vocari, Erasmus Roterodamus: Circumspice mihi, inquit, sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames? Ac nonnullis interiectis: Dices, inquit, nihil tam felix vnquam fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu viciaretur. Ad bonos verte oculos. Fieri potest, vt mea sit hæc infelicitas, mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur sei ipso factus deterior. Et iterum paulò post: Euangelica pietas à minimis initijs paulatim creuit in maius ac melius, ac optimus quisq; se illi iungebat: Hanc doctrinam, non ferè, nisi leuissimus quisq; amplectitur. Et ad fratres inferioris Germaniæ scribens, de quodam sacerdote narrat, qui cum virgis cæsus, & ex vrbe eiectus esset, & in carcere, & extra portam, cùm à carnifice dimitteretur, publicè testatus est, se posteaquàm illi se sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus prorupisse. Et in alio quodam libro: adeò per hoc quod ipsi vocant Euangelium, non corrigi scribit homines, vt potiùs videantur deteriores: nec fieri, vt peccare desinant, sed vt peccent impunitius. Ac verè, quidem ille. Quis enim non peccet impunitius, cum ab istis hominum sceleribus blandientibus, & seruientibus auribus magistris, non nostris, in immensum exaggerari vim peccati originalis audiuerit: adeò vt etiam renati ex aqua & Spiritu sancto, non possimus non peccare: cum cuius impulsu fit, vt peccemus, ab istis edoctus, fortiorem esse credit vnum dæmonem, quàm omnes homines. Quasi non contra fortior sit vnus Deus, quo adiuuante peccatum effugere possumus, quàm omnes dæmones. Cùm verè dictum sit à Cæsario, quòd plus valet ad erigendum Christus, quàm ad deprimendum diabolus. Sed est & hæc insignis Cacangelicorum istorum & horrenda blasphemia, quod ipsum etiam Deum peccati faciunt auctorem: vt ab eo ad peccatum homines agi blasphement. Quis nõ peccet impunitius, cum nulla sua, sed sola Christi iustitia, se saluum fore persuasum habuerit? Quis non peccet impunitius, si nullum esse meritum bonorum operum arbitretur, etiã eorum, in quibus à Deo creati sumus? quæ Deus ipse operatus est in nobis, quæ non aliundè precium, non aliundè meritũ habent, quàm ex pretioso Christi sanguine, quo respersa sunt, quemadmodum à viro quodam docto præclarè scriptum est, quòd iustitia meritorũ Christi, fulget in virtutibus sanctorum, sicut Sol in gemmis, quæ magis rutilant in præsentia Solis, in absentia autem obtenebrantur. Quis non peccet impunitius, cùm omnem iustitiam & sanctitatem nostram, merum esse peccatum & rem damnatam crediderit? atq; adeò nihil valere bona opera ad diuinam gratiam demerendam, vt quo quisq; turpior est, eò citiùs illi Deus gratiam impartiatur? His enim verbis vtitur Lutherus: Quantò sceleratior est homo, tantò citius Deus gratiam infundit. Iam autem magna pars hominum eò tendit, vt se adornet sicut catus, & posteà debeat Deus eos acceptare: Nequaquam. Sed quorsum attinet aliundè quærere testimonia modò nõ edita voce clamat hoc res ipsa, q; ipse quoq; princeps & architectus huius tẽporis hæreleon fatetur: se corruptiores expertum esse mores Germanorum, posteaquam, quod ab eo traditum est, quintum Euangelium, acceperunt, quàm fuerint sub regno (sic enim ipse vocat) Romani Põtificis, hoc est Ecclesia Dei, quæ quatuor tantum recipit Euangelia, quæ tamen quatuor vnum sunt. Qui etiam alio loco suos increpans, decies eos dicit Sodomitis esse peiores. Interea tamen, quæ miseranda est istorum hominũ cæcitas, Dei verbum vocatur, quod ad omne genus nequitiæ fenestram patefecit, quod ex bonis improbos ex improbis multò reddit improbissimos. Nos verò aduersus istorum voces, tanquam Sirenum cantiones, dulces illas quidem, verum certam perniciem adferentes, aures nostras obturemus. Nam præterquàm quòd omne studium virtutis eneruant, dũ si minus ipsi probi sumus, sufficere docent, quòd Christus probus fuerit, atq; illius nos sola iustitia contentos esse oportere, etiamsi minus ipsi iustè viuamus, nondum inter ipsos, qui de via regia declinauerunt, hoc est, ab Ecclesiæ sana doctrina aberrarunt, de ratione iustificandi satis conuenit: nec ipsi modò dissident, inter se & inuicem sibi sunt hæretici, sed q; mutuo iudicio condemnant, verumetiam secum ipsi non rarò pugnant. Annotauit hoc vir quidam doctus, quamuis ex eorum numero, qui segregauerunt semetipsos, Philippum Melanchthonem in iustificationis negotio quaterdecies variasse. Sic istorum oratio, sicut alicubi

*Aurium pruritus in isto seculo.*

*Hier.23.*
*Hier.5.*

*Testimonium Eras. in ep. cont. Pseudo Euan.*

*Lutheri doctrina homines fieri deteriores.*

*Hyperaspiste secundo.*

*Ioan.3.*

*Cæs. Hom.18.*

*Ephe.2.*
*Esa.26.*
*Alb. Magnus dist. 20. in 3. lib. sentem.*
*In 500. artic. Articulo 65.*

*Lutheri de suis testimonium.*

*Variet. as doctrinæ inter hæreticos de iustificatione.*
*Osiander in Nicodemum.*



cubi scribit Basilius, videtur nescio quomodo, cum semel extra veritatem deducta sit, ad multiplicia periculosaq; inconuenientia, per quandã seductionis consecutionẽ efferri. Nam q semel de recto fidei, religionisq; curriculo deflexerunt, haud aliter, atq; ij, qui à recto itinere aberrarũt, alias ex alijs semitas ingredientes vagantur & errant, nullũ peritum regionis ducem sequuti. Sic isti duce carentes Ecclesia, quam reliquerunt, alia ex alijs erroris & impietatis diuerticula ingressi, nullum errandi finem faciunt. Misçuit enim Deus in medio eorum spiritũ vertiginis, & immisit illis operationẽ erroris: Obscuratũ est insipiens cor eorũ, vt non intelligant, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Sic fit, vbi suo quisq; præfidit ingenio, sibiq; hoc arrogat: vt proprio suo non communi totius Ecclesiæ sensu, scripturas interpretetur: vt cæteros omnes, quãlibet pios & doctos viros, talpis fuisse cæciores: se verò solùm videre: se solùm sapere persuasum habeat. Quamobrem istos cum imputatiua sua iustitia missos faciamus, & Augustino credere potius animum inducamus: qui verè nos & realiter esse iustos docet: cũ per illum, in quo omnes viuificabuntur, præterquàm quòd sea iustitiã exemplum imitantibus præbuit: dari etiam dicit sui spiritus occultissimã fidelibus gratiam, quã latenter infundit & paruulis: sicut & ille in quo oẽs moriũtur, preter quàm quòd eis, qui præceptũ Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est: occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes. Itaq; iustificari in Christo, qui credunt in eũ, dicit Augustinus: & eum secutus Anselmus, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis adhæret Domino, vnus spiritus est. Hæret autem quisq; Domino per charitatem, qua vna, sicut in alio libro dicit idem Augustinus, verè iustus est, quicunq; iustus est. Cuius charitatis habitus in est etiam paruulis, vt cùm adulti fuerint, actu eam exercere possint.

*Basil. li. 2. cont. Euno.*

*Esai. 19.*
*2. Thess. 2.*
*Rom. 1.*
*1. Tim. 2.*
*Aug. de peccatorũ meritis, & remiss. li. 1. c. 9.*
*1. Cor. 15.*
*Ibid. cap. 10.*
*1. Cor. 16.*

*Aug. de natura & gra. c. 38.*
*Iustitiæ nostræ vis. 2. Cor. 4.*
*Iustitia in homine quid.*

Non igitur sola peccatorum remissione, verumetiam, cuius toties Paulus meminit interioris hominis renouatione, nostra constat iustitia: quæ renouatio fit, quemadmodũ ex Augustino iam docuimus, per occultam quãdam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis. Quam etiam alio loco vocat interioris hominis pulchritudinem, cum scribit ad Consentium. Quid est aliud iustitia in nobis, quàm interioris hominis pulchritudo? Et alibi volens explicare, qd sit iustificari. Natura, inquit, humana in rebus creatis excellentissima cum à suo creatore ab impietate iustificatur: à deformi forma in formosam transfertur formam. Quibus verbis innuere videtur, quòd iustificari sit, à deformi forma in formosam formam transferri, hæc aũt formosa forma, charitas esse videtur. Neq; verò dissidet ab Augustino Latino, Græcus auctor Eusebius Cæsarienfis Episcopus. Cui quandam homiliam inscriptam vidimus ante annos decem & amplius, annexam Rabani & Bertrami libellis de sacramento altaris, in qua de eodem sacramento tractatur. Et si quæ verba reperiuntur in eo scripto Petrus Lombardus, & frater eius Gratianus, Algerus & alij complures tanquàm ab Eusebio Emisseno prolata citant. Valdensis aũt ille Thomas vir non vulgariter doctus ad Isidorum refert, cuius tamen stylum redolere minimè videtur. Sed neq; Græcum aliquem auctorẽ referre, cũ q scripsit hæc, latinus fuisse videatur. Vidimus aũt & ante annos quinq; quasdam homilias in Euangelia, Eusebio Emisseno inscriptas, Antuerpiæ apud Ioannem Stelsiũ editas anno 1558. in quibus ea verba non reperimus. Cæterum superioribus proximis annis legimus alias impressas Lutetiæ anno 1557. In his, inter sermones de Paschate reperimus & hunc de sacramento altaris. In eo docet Eusebius Emissenus, aut quisquis fuit auctor homiliarum illarum: fuit aũt dubio procul ex antiquis illis viris doctissimis: quod nemini nouũ & impossibile videri debeat, q; in Christi substantiam terrena & mortalia, nimirum panis & vinum commutantur. Teipsum, inquit, qui iam in Christo renatus es, interroga: dudũ alienatus Christi legibus, & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti: & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti. Quod Augustinus, occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis, hoc Eusebius vocat occultam puritatem. Sanctus verò monachus ille Macarius, arcana quædam vestimenta cœlestis pulchritudinis appellat: Et mox subdit Emissenus. In mensura visibili permanens, maior factus es teipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento: cùm idem atq; ipse esses, multò alter fieri fidei processibus meruisti. In exteriore nihil additum est, & totũ in interiore mutatum est: ac sic homo Dei filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subitò nouam indutus es dignitatem, & sicut hæc, quæ in te Deus læsa curauit, infesta diluit, maculata detersit, non oculis, sed sensibus sunt credita: ita & cùm reuerendum altare cibis satiandus accedis, lacrũ Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu sumpe, & maximè haustu interiori assume.

*Macarius hom. 1.*

*1. Reg. 10.*
*Greg. lib. 4. c. 4. in lib. Reg.*

Quàm clarè docet hic Eusebius, non imputatione iustitiæ nos iustos, Deiq; filios nominari & esse, sed occulta quadam puritate, sed mutatione in virum alium. Quemadmodum etiam scriptura dicit: Mutaberis in virum alium. Quæ verba Gregorius explicans: Amor, inquit, electæ mentis, quid est aliud, quàm immutatio vetustatis? Natura enim nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, vt quotidie labendo deficiat, & deficiendo veterascat. Sed qui in nobis metipsis deficimus, cùm in nos ille spiritus insilit, renouamur: quia statim quod non eramus, efficimur. Tepidus erat quis, sed repentè visitatus à spiritu, feruens essicitur: incipit ardere per deuotionem, fortiter exerceri in bono opere. In virum ergo alium mutatus est, quia esse cœpit, quod ante insilientem spiritum in se esse non potuit. Extat homilia quædam D. Macarij, qua docet quantam in homine Christiano mutationem & renouationem faciat Christus: Quem ideò veniisse scribit, vt naturam conuerteret, transmutaret, & renouaret: Demùm hanc animam propter transgressionem affectionibus inuolutã

*Macar. Hom. 44.*

re-

Universidad de Deusto
Biblioteca



reformaret, contemperans eam cum suo spiritu diuino. Venit itaq; vt nouam mentem, nouam animam, nouos oculos, nouam linguã, nouas aures spirituales, nouos homines ei credentes efficeret. Quæ pluribus persequutus: Oportet, inquit, animam Christo credentem transferri, mutariq; ab hoc statu peruerso in alium bonum statum, & ab hac abiecta natura in aliam naturam diuinam, ipsam deniq; virtute Spiritus sancti nouã effici: & hoc pacto poteritad regnum cœlorum pertingere: nostrum est aũt ista consequi, qui credimus, qui verè diligimus illam, & in omnibus sanctis mandatis eius conuersamur: cùm enim tempore Eliæi, lignum, quod est natura leue, missum in aquam extulit ferrum, naturâ graue: quãto magis Dominus mittit huc spiritum suum leuem, subtilem, bonum & cœlestem: quo animam in profundis aquis nequitiæ immersam extollat, eleuet ac euolare faciat ad alta cœlorum, & transmutabit & conuerteret eam à sua natura, &c. Et explicans locum hunc Cyrillus: Dominus faciens te, &c. Faciens dicit, pro condens, & transformans in aliud vitæ institutum, & ad aliam vitam honestam. Transmutamur enim Christo, ad nouitatem vitæ sanctæ, & Euangelicæ suboleſcentes, ad eius formæ pulchritudinem, per spiritum: vt deinceps alij videamur. Dixit nimirùm de Gentibus voce Ezechielis: Euellam cor eorum lapideum à carne eorum, & dabo illis cor carneum, vt me cognoscant, q. ego sum Dominus. Venturam aũt ætatem, & populum creandum eos ex Gentibus, sæpè nominat diuinus etiam Dauid. Quin sapientissimus Paulus: Nos oẽs, inquit, retecta facie gloriam Domini speculantes, ad ipsam imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanq; à Domini spiritu. Hic Cyrillus velle videtur, q. iustificatio, quædam transformatio sit, in imaginem Dei, quam parens noster perdidit. Et interiectis chartis aliquot, explicans illud in eodem capite: Ecce ego creaui te, &c. Creari dicimus, in his verbis significare, non semper ab eo, quod non est, ad id, quod est, processum. Disputat enim veluti cum his, qui sunt iam & subsistunt: sed potius renouationem designat, per Spiritum sanctum, transmutantem aliquos ad inculpatam & sanctam conuersationẽ ac vitam. Scribit in eãdem sentẽtiam plerãq; Leo quoq; Pontifex. Hinc videre licet, quantus eorũ sit error, qui iustificationem nihil aliud esse contendunt, q̃ peccatorũ remissionem: nec vllam in homine præterea mutationem requiri putant. An aũt eorum sententia, cum ijs scripturis quas ij sancti Patres producunt, apertè non pugnat? Audiuit Propheta sibi dicentẽ Dauid: Dñs transtulit peccatũ tuum: neq; tamen id audiuisse contentus fuit, nec propterea se plenè iustificatũ esse putauit: verùm petiuit à Deo: Cor mundũ crea in me Deus & spiritum rectũ innoua in visceribus meis. Tunc demùm se verè iustificatum fore persuasum habebat: si post factã peccatorum remissionem, cor mundũ in se Deus creasset: & quem graui culpa sua, spiritũ rectũ amiserat, eũ in visceribus suis innouasset. Apud Ezech. quoq; cùm Dñs dixisset: Proijcite à vobis oẽs præuaricationes vestras: non hic subtitit, quasi iam satis foret: verùm addidit: Et facite vobis cor nouum, & spiritum nouũ. Et alio loco: Effundam, inquit, super vos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Num satis habuit hæc ita dixisse? Minimè. Quin adiunxit ille mox: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Non putauit ad iustificationem sufficere Prophetas, si quis mundatus foret ab inquinamentis: cor etiam nouum & spiritum nouum, & mutationem in alium virum, & renouationem requirebat.

*4. Reg. 6.*

*Li. 5. Tom. 2. c. 54*

*Ezech. 11. 18. 36. 39*

*2. Cor. 3.*

*Ser. 1. de resur. Domini.*

*2. Reg. 12.*

*Ezech. 18.*

*Ezech. 36.*

Vtrum aũt præcedat ea gratia, qua quis renouatur, culpæ remissionem, an sequatur: curiosè magis, q̃ fructuosè quæritur. Scribit quidem Dionysius, q. quibus insinuat se diuinitas, eorum animos purgat primùm, deinde illuminat, posteà conformat ad Deiformẽ perfectionẽ. Cæterùm, si quis hæc omnia simul & eodem puncto temporis fieri dixerit, à vero nihil aberrauerit. Nescit enim tarda molimina S. Spiritus gratia: ac tria hæc non tam re ipsa, q̃ ratione distingui videntur. Siquidem vnus & idem actus, quatenus repurgat mentem hominis ab inquinamentis & peccatis, dicitur purgatio: quatenus eam agnitione veritatis illustrat, vocatur illuminatio: quatenus verò sic amore Dei accendit, vt præillo terrena contemnat omnia, perfectio nuncupatur. Quanq̃ si causa prior est effectu suo, gratiæ communi catio prior esse videtur, quàm sit culpæ remissio. Sic enim Deus per gratiam expellit culpã, sicut Sol per suos radios tenebras propulsat. Quamuis itaq; natura sit insperatio gratiæ posterior, ex parte peccatoris iustificati, q. ea locum non habet, nisi propulsa sint peccata: quoniam tamen causa est peccatorum propulsionis, prior esse dicitur: Sicut infusio radiorum, prior est effugatione tenebrarum: quamuis non prius incipiant radij splendescere, q̃ tenebræ fuerint propulsatæ. Hac de re sic ab Augustino scriptum legimus. Non enim ex qua hora quisq; baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur: sed renouatio incipit à remissione omniũ peccatorũ, & in quantũ quisq; spiritualia sapit: qui iã sapit, in tantũ renouatur.

*Dion. Eccl. Hier. cap. 5.*

*Spiritus sanctus omnia simul iustificationis opera conficere potest.*

*Lib. 2. de peccatorũ meritis.*

Nos aũt anxia disquisitione omissa, præcedátne, an sequatur gratia culpæ remissionem, an quod verisimilius est, simul vtrunq; fiat: persuasum illud habeamus, esse in nobis iustitiã. Quemadmodum etiam alio loco scriptum est ab Augustino: Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Item si dixerimus, quia iustitiæ nihil habemus, aduersum Dei dona mentimur. Si enim iustitiæ nihil habemus nec fidem habemus: Si aũt fidem non habemus, Christiani non sumus. Si aũt fidẽ habemus, iam aliquid habemus iustitiæ. Ipsum aliquid vis nosse quantũ est? Iustus ex fide viuit. Et paulò post: Beati prædicti sumus: & de iustitia nihil habemus? Venit Dominus carnaliter ad Iudæos, & occisus est, non venit ad nos, & acceptus est. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi: nos sumus, & de iustitia nihil habemus? Omninò habemus, grati sumus ex eo, qd habemus, vt addatur quod nõ habemus, & non perdamus quod habemus. Et iterum paucis interiectis, ne quis eum de sola fide loqui putaret: Ad fidem, inquit, quid pertinet? credere. Sed ait Apostolus Iacobus: Et dæmones credunt, & contremiscunt. Si tantùm credis, & sine spe viuis, vel dilectionem non habes, & dæmones credunt, & con-

*Aug. ser. 16. de verbis Apostoli.*

*1. Ioan. 1.*

*Abac. 2.*

*Psalm. 17.*

*Colo. 3.*

*Iacob. 2.*

*Matth. 16.*



contremiscunt. Quid magnum est? Dicis Christum filium Dei: hoc dixit Petrus, & audiuit: Beatus es Simon Bar-Iona: hoc dixerunt dæmonia, & audierunt, Obmutescite. Ille beatus, dicitur ei, quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed pater meus, qui in cœlis est. Illi autem audiunt, obmutescite, & hoc ipsum dicunt & repelluntur. Vna vox est, sed Dominus radicẽ interrogat, non florem. Vnde dicitur ad Hebræos: Ne qua radix amaritudinis sursum germinans molestet, & per illam contaminentur multi. Prius ergo discerne fidem tuam à fide dæmonis. Vnde eam discernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. Adde ergo fidei spem, & quæ spes est, nisi de aliqua conscientiæ bonitate? speiq; ipsi adde charitatẽ. Discernite fidem vestram, iam estis de prædestinatis, vocatis, iustificatis. Paulus Apostolus dicit: Neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides. Dic adhuc Apostole: adde, discerne, quia & dæmones credunt, & contremiscunt. Ergo adde, Dæmones enim credunt, & contremiscunt quod oderunt. Distingue Apostole, & circuncide fidem meam, & discerne causam meam de gente non sancta. Planè distinguit, discernit, circuncidit. Sed fides, inquit, q̃ per dilectionẽ operatur. Vnusquisq; ergo, fratres mei, inspiciat se intus, appẽdat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quę faciat cum charitate, non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei. Fides ergo quæ per dilectionem operatur, si est in vobis, iam pertinetis ad prædestinatos, vocatos, iustificatos. Ergo crescat in vobis. Quibus verbis, quàm his Augustinus potuit apertius demonstrare, quòd sit in nobis iustitia, quod̃q; ea iustitia sit fides nostra, non sola, sed quæ per charitatem operatur?

*Luc. 4.*

*Heb. 12*

*1. Tim. 1.*

*Rom. 8.*

*Galat. 5.*

*Psal. 42.*

*Eorum confutatio, quæ contra verè & realiter inhærentem nobis iustitiam à quibusdam producuntur.*

## CAP. LXXIII.

VErùm hic iterum reclamant isti, qui iusti & salui esse volũt, iustitiam autem habere nolunt: Si nos ad nostram remittis iustitiam, quò nos aliò quàm ad gehẽnæ pœnas remittis? Siquidem non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Nos verò cum Propheta libenter profitemur, quòd facti sumus vt immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Omnes declinauimus, simul inutiles facti sumus, non est, qui facit bonũ, non est vsq; ad vnum. Nam & Magister noster nos docuit: Cùm feceritis omnia, quæ præcepi vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Occinitur hic & illud ex Psalmo, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Producitur & Augustini sententia, qui dixerit alicubi: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Gregorij quoq;, quamuis & Romani Pontificis & Monachi, hac in parte multum valet auctoritas, quò tamen Ecclesiæ præsidẽte, iam inde à mille propemodum annis extinctam Euangelij lucẽ de vera fide, deq; veris cultibus esse volunt, quem etiam, quæ est eorum sacrilega audacia, manifestam Ethnicorum idololatriam in Ecclesiam introduxisse mentiuntur: neq; dubitant ei viro impietatis notã, impij, nepharijq; homines inurere: cuius pietas, vitæq; sanctimonia singularis, totius est orbis Christiani testimonio comprobata. Sed hic nihilominus plurimum auctoritatis illi tribuunt, quod scriptum ab eo legatur: Quantalibet iustitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in iudicio districtè requirantur. Et alio loco: Omnis humana iustitia, iniustitia esse deprehenditur, si diuinitus districtè iudicetur. Hic & alterius Monachi Bernardi vox laudatur: Æternam vitam nullis potes operibus promereri. Quod ante eum totidem propè verbis ab Augustino scriptum legimus.

*Rom. 8.*

*Esa. 64.*

*Psalm. 13.*

*Luc. 17.*

*Psalm. 142.*

*Aug. li. 9 conf. c. 13*

*Meritorum ad præmium comparatio.*

*Grego. li. 8. moral. cap. 23.*

*Lib. 21. mora. c. 15.*

*Bern. ser. de annunciatione.*

Neq; verò noua sunt hæc, quæ ab istis objiciuntur: suo quoq; tempore quęsitum fuisse scribit Algerus, ante quingentos & amplius annos, qui fieret, quòd æternitas felicitatis vel pœnæ retribuatur temporalibus meritis, reatus vel iustitiæ. Ac respondet his verbis, Gregorij & Augustini sententiam secutus: Deus non temporalem actionem, sed perpetuam boni vel mali remunerat vel damnat voluntatem, quæ si in æternum viueret, in æternum in suo proposito maneret. Ideò iustè æternitatem retributionis æternitati voluntatis appendit. Vndè etiam cùm, vt ait Apostolus, passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: quia si ab initio mundi vsq; ad finem, non modò quis pro Deo laboraret, sed & pateretur: non tamen esset condignũ, vt hoc temporali commercio æternitatem mercaretur: ne tamen malo diutius liceret peccare ad maiorem sui pœnam: ne etiam bonos in mundi exilio tæderet viuere, si nimia fieret illis dilatio ad gloriam, breuiauit Deus humanæ vitæ dies propter electos: ne prauorum afflictione, vel nimio suo labore deficerent: & ne minutio temporalis laboris, aliquod æterni præmij videretur dispendiũ. Ipsius præcursoris sui vitam, quo nemo maior, ipso teste, surrexit, triginta duorum & semis annorum esse voluit: Suam etiam ipsius, qui super omnes est, eodem numero cõsummauit: vt quia Deus non curat, ex quanto tempore, sed ex quanto corde sibi seruiatur: perfectionẽ meriti non tempori adscriberet, sed virtuti. In quam sentẽtiam præclarè multa scripta sunt à Bernardo quoq; ad Abbatem Garinum Alpensem, epist. 253. Ante Algerum verò multis seculis Eusebius Emissenus: Totis licèt animæ & corporis laboribus desudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum meritò pro cœlestibus bonis cõpensare & offerre valebimus: Non valent vitæ præsentis obsequia æternæ vitæ gaudijs comparari. Lassescant licet membra vigilijs: pallescant licèt ora ieiunijs: non erunt tamen condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Pulsemus ergo charissimi, in quantum possumus: quia non possumus quantum debemus: futura beatitudo acquiri potest, æstimari non potest. Nisi enim cum auiditate, nisi cum bona voluntate,

*Algerus lib. 2. de sacramento Eucharistiæ cap. 7.*

*Greg. lib. 4. dialo. cap. 44.*

*Aug. epist. 44.*

*Rom. 8.*

*Matth. 24.*

*Matth. 11.*

*Emisc. cap. 3.*

*Rom. 8.*

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum lætitia opera Dei egerimus, Deo nos perire nouerimus. Et hoc etiam vetustior Antonius, sicut eius vitam describens, narrat Athanasius: cùm hunc ipsum Pauli locum produxisset: Omnis, inquit, terra ad infinitatem comparata cœlorum, breuis ac parua est. Si ergo nec vniuerso orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus, se vnusquisq; consideret, & statim intelliget, paruis iugeribus agri & portionibus, vel modica portione auri contempta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit, nec tædere, quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam æream dragmam ad centũ aureas dragmas conquirendas: ita etiam qui totius orbis dominium dereliquit, centuplũ de melioribus præmijs in sublimi sede recipiet. *Matth. 19.*

*Aug. in Psal. 61. & 83. & 103. Bern. de præcepto & dispensat. Bern. de gratia & lib. arbitrio. In lib. de Conscientia. cap. 1. De conceptu Virginis. lib. 1. c. 4. Petrus de veneratione sanctæ Crucis. Ansel. lib. 1. contra posito. c. 10. Epist. 49. q. 4.*

Ex his Eusebij Emisseni & Algeri verbis facilè quisq; perspexerit, in remunerando vel puniendo discutere Deum, quid quisq; voluerit non quid potuerit: non attẽdere facultatem, sed voluntatem. Coronat Deus intus voluntatem, inquit Augustinus, vbi non inuenit facultatem: Sola voluntas est, quod etiam à Bernardo scriptum est, quæ retributionem meretur. Cuius alio quoq; loco, digna vox est, quæ celebretur: Sola voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nulla vi, nulla cogitur necessitate, non immeritò iustam vel iniustam beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit, prout scilicet iustitiæ, iniustitiæve consentit. Ante quem etiam Anselmus: Non punitur, inquit, nisi voluntas. Cuius æqualis etiam Petrus Abbas Cluniacẽsis: Solus creaturæ rationalis affectus, creatoris gratia adiutus vel desertus, semper, aut remuneratur, aut condemnatur. Et qui vixit ijsdem temporibus, Anselmus Hauelburgensis Episcopus: Intentio, inquit, bona siue mala, operi nomen imponit, & siue meritum, siue supplicium iustæ retributionis acquirit. Augustinus quoq; Voluntas, inquit, omnium factorũ, meritorumq; mensura est. Ex qualitatibus quippè voluntatem, non ex temporum spacijs, siue rectè facta, siue peccata metimur. Alioqui, maius peccatum haberetur arborem deijcere, quàm hominem occidere. Illud enim fit longa mora, actibus multis, hoc vno ictu, breuissimo tempore. Pro quo tamen exigui temporis tam grandi peccato, si perpetua deportatione homo puniretur, etiam mitius cum illo actum, quàm dignus fuerat, diceretur: quàuis in spacio temporali longitudo pœnæ cum breuitate facinoris nullo modo sit comparanda. Et qui præcesit hos omnes Hilarius: quid dico Hilarius? Vniuersa semper Ecclesia docuit vniuscuiusq; aut pœna, aut præmijs affici electionem.

*Hil. in Psal. 118. Ber. in Psalm. 118. Aug. de tempore ser. 59. Hugo lib. 2. de sacramẽtis. parte 14. cap. 6. Aug. lib. 1. retract. cap. 9. Aug. de libero arb. Lib. 1. c. 14. Et lib. 50. hom. homil. 8. Luc. 19. Luc. 21.*

Falsò igitur sibi persuadent nouatores, quod cum illis Bernadus faciat. Quamuis enim dixerit alicubi: Aeternã vitã nullis potes operibus promereri: quo tamẽ sensu dixerit, ex his quæ proximè citata sunt verbis, liquere cuiuis potest: Non enim opus est, quod meretur, sed voluntas in credentibus, quæ si mala est, mortem æternam: si bona est adiuta Dei gratia meretur vitam æternam. Non virtus, dicit Augustinus, sed causa virtutis apud Deum mercedẽ habet. Et alio loco: voluntas, inquit, est qua & peccatur, & recte viuitur. Hoc est quod Hugo quoq; dixit, æqualis Bernardi, sententiam Augustini sequutus, in quo tã diligẽter versatus est, vt sui seculi Augustinus vocaretur: Totũ, inquit, meritũ in voluntate est: quantum vis, tantùm mereris. Si ergo magnum habere meritũ, vis magnam habe voluntatem, magnã fiduciam. Tantũ mereris, quantum vis. Possunt esse voluntate pares, qui sunt facultatibus impares. Multum dedit Zachæus, qui diues erat, & multũ habebat: Vidua illa quæ duo minuta misit, parũ habuit, & parum dedit: imò tantum dedit, quantum Zachæus: Minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat. Si attendas quid dederint, diuersa inuenies: si attendas vndè dederint, paria inuenies. Non aũt pensat Deus, quantum detur, sed ex quãto detur: Si ergo vbi plus datur, & vbi minus, differens meritũ non est, si æqualis vtrinq; volũtas habeatur: ergò vbi aliquid datur, & vbi nihil datur, ibi differens meritũ esse nõ potest, si æqualis vtrinq; voluntas habeatur. Ideò dixi tibi, vt nõ desperes. Si facultas deest, adsit bona voluntas: Quantũ vis, tantũ mereris. Fac ergo voluntatẽ magnam, si vis habere meritum magnũ. Benè hoc sciuit peccatrix illa, q̃ quia multum habuit quod dimitteretur, non attulit substantiã magnam, sed dilectionẽ magnam: multum contra multum. Simulta pecunia magis, q̃ charitate multa, iniquitas multa redimeretur, feliciores diuites essent, q̃ pauperes: & securè peccare possent quamdiu vellent, & quantũ vellent: in ipsis enim esset redemptio peccatorũ suorum: quando vellent, darent pecuniã, & haberent iustitiã. Nunc aũt benè fecit Deus, quia in eo posuit redemptionem nostrã, vbi nullus, nisi ipse velit, egere potest. Amare possunt æqualiter diues & pauper, etiã si pecuniam æqualiter dare non possunt: Dilige multùm, si vis vt multum tibi remittatur. Remittuntur, inquit, ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. Hactenus Hugo, cuius eadem verba multa apud Bernardum quoq; reperire licet in libro de interiori domo, si modò liber hic à Bernardo conscriptus est. Et ante multis seculis Ioannes Chrysostomus, explicans illum ex Euangelio locum: Qui dederit calicem aquæ frigidæ. Non quia aliquid est, inquit, quod dat, ideò habet mercedẽ, sed ob id quia magnus est, propter quem dat. Quid enim si aliquis voluit dare & non potuit: Nunquid iustum est, vt secundũ modicum angustetur larga voluntas? Melius est ergo vt opus extendatur secundũ voluntatem, quã larga voluntas angustetur secundũ opus. Ex his Hugonis & Chrysostomi quoq; verbis discimus, q̃ non tam operi, q̃ voluntati merces tribuitur. Quæ si mala est, à nobis est, & stipendium illius mors est: si bona est, à Domino præparatur, qui operatur in nobis & velle & perficere: per quem diffunditur in cordibus nostris charitas. Cui soli deberi vitam æternam docet Sanctus Thomas, quòd quicquid non est ex charitate, non fit meritorium. Vt rectè Ioãnes Gerson admoneat, tenendum esse pro regula, quòd qualis est in cognoscendo & amando Deũ Christianus, talis est sibi in retribuẽdo Deus. Dilectus meus mihi, dicit sponsus, & ego illi, & ad me conuersio eius. Quamobrem nemo dicat, nõ habeo, non possum, charitas non de sacculo erogatur, dicit Augustinus, quia quicquid dicimus & quic-

*Deus in his redemptionem nostram posuam esse voluit, quæ adsunt omnibus. cap. 5. Chry. hõ. 26. in Matthæum c. 10. Rom. 6. Philip. 2. Roma. 5. In cap. 6. ad Heb. Gers. in Anago. de verbo & hymno gloriæ partitione 4. Cant. 2. Aug. in psal. 103.*



& quicquid diximus, & quicquid dicere poterimus, vel nos, vel post nos, vel qũi ante nos, finem non habet, nisi charitatem. Sic à Clemente quoq; Alexandrino scriptum est: Quòd eundem honorem consequentur hi, qui voluerunt, cum ijs qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, & si alij superent facultatibus. Paulinus quoq;: Non sacrificia, non munera sumptuosa, non duri labores exiguntur à nobis. In nobis est vnde soluamus. Res enim potestatis nostræ est, noster affectus. Hunc Dño impendamus, & soluimus. Deniq; Dauid liberatus de manu omnium inimicorũ suorum, pro salutis suę plena securitate non regni opibus, sed animi soluens, ait: Diligam te Domine, virtus mea. Addo etiam amplius: eum qui creditor est, debitorem fieri, si illi pretium bonitatis suę, quam nobis indebitam præstat, gratuita diligentes animo pensione soluamus. Et si quod à Bernardo dictum est, quo sensu dixerit, explicare satis ipse videtur ijs verbis, quæ statim subiunxit: Æternam, inquit, vitam, nullis potes operibus promereri. Mox addit: Nisi gratis dentur & illa. Non aliud itaq; dixisse videtur, quàm quod Augustinus antea dixerat: Quoniam & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus reddi, à sancto Apostolo gratia Dei dicitur: cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine vlla dubitatione confitendum est, ideò gratiam, vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.

*Clem. l. 4. stromat. Epist. 4. ad Seuerũ. Psal. 17.*

Quò magis autem intelligi possit, quæ de meritis operum, Ecclesiæ doctrina sit: operæpretium nos facturos esse putauimus, si paucis ea de re dissereremus. Primùm igitur hoc semper in Ecclesia catholica docebatur, docetur & docebitur: quod ab Hieronymo quoq; legimus annotatum. Priusquam fidem Christi quis recipiat, & in eo Spiritus sancti fundamenta iaciantur, nullum audire posse: Est merces operi tuo: Siue ille Iudæus sit, siue hæreticus, siue gentilis, quicquid boni operis fecerit, nisi in nomine Christi fecerit mercedem eũ sui boni operis non habiturum: Posteaquam verò conuersus ad Christum, & templum eius effectus aliquis fuerit, tunc cum statim auditurum Apostolum proclamantem: Vnusquisq; accipiet propriam mercedem iuxta opus suum. Proinde & illud semper obseruatum, obseruatur etiam nunc, & deinceps obseruabitur, quod Augustinus monuit: Si volumus animos ad rectè viuendum frigidos & pigros Christianis exhortationibus excitare & accẽdere, primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant & eius nomini subijciãtur, sine quo salui esse non possunt. Si aũt iam Christiani sunt, & rectè viuere negligunt, verberentur tenoribus, & præmiorum laudibus erigantur: Ita sanè vt non solùm ad bonas actiones, verũ etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus: atq; hac instruere sanitate doctrinæ, vt & illi gratias agant, cùm instituerint benè viuere, quòd aliquid sine difficultate fecerint: & vbi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerantissimis precibus & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Dño impetrare persistant. Auctor operis imperfecti: In tempore opportuno, vt in persecutione magis instanter, de veritate fidei doceamus, quàm de iustitia conuersationis: In pace aũt magis assiduè de iustitia conuersationis, quàm de fidei veritate. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quàm conuersationis: In pace aũt plus necessaria doctrina conuersationis quàm fidei. Quoniam in persecutionibus non propter conuersationem suam bonã aut malã veniunt Christiani in periculum, sed propter fidei cõfessionem. In pace aũt non propter fidem suã verã periclitantur Christiani: sed propter cõuersationem. Quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur: in pace aũt iustitia. Et eum sequutus Faustus, difficultatem, quæ est in Paulinis epistolis, ita demùm tolli posse docet, si personarum vel operũ intellecta fuerit distinctio. Ad Iudæos, inquit, dicitur: Non iustificabitur in conspectu eius omnis caro. Ad Christianos autem, iam in Christo renatos ita instructionis sermo dirigitur: Operamini bonum ad oẽs. Itaq; secùs in Ecclesia fidelibus, secus est prædicatum infidelibus: His nihil est inculcatum præter fidem, extra quam impossibile est placere Deo, quamlibet multa in speciem bona opera feceris. Quare si quis eorũ quæsiuisset: Quid me oportet facere, vt saluus fiam? respõdebatur ei: Crede in Dñm IESVM, & saluus eris tu & domus tua. Illi contra sunt admoniti, quandoquidem Christianã fidem iam semel essent professi, vt se Christianos esse non tam verbis quàm factis ostenderent, neq; lingua magis quàm moribus & bonis operibus Christum confiterentur, quòd fides sine operibus mortua sit. Itaq; dicebatur ei: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quod verò ad ipsa opera attinet, discrimen inter ea factũ fuisse videtur, quòd quædam eorum præcedant, quædam sequantur gratiam. Gratiam aũt vocare visum est, reconciliationem, siue amicitiam cum Deo, quæ fidelibus contingit per baptismi vel pœnitentiæ sacramentum. Hanc gratiam, quęcunq; præcessissent opera nullius apud Deum esse meriti. Quamobrem ne bona quidẽ ea vocare dignatur Augustinus, quãliber rectè, laudabiliterq; facta videri possint. Sic enim loquitur in Ioannem scribens: Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et iterum in eundẽ scribens. Quid enim, est inquit, boni operis ante fidem? cùm dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et iterum: Non sunt bona opera, nisi ex fide: Iustus enim ex fide viuit, & omne quod non est ex fide, peccatum est: & sine fide impossibile est placere Deo. Et alio loco: Nemo computet bona opera sua ante fidem, vbi fides non erat, bonum opus nõ erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionẽ fides dirigit. Non valdè attendas, quid homo faciat, sed quid cùm facit, aspiciat, quò lacertos optimè gubernationis dirigat. Ac paucis interiectis: Crede in eum, qui iustificat impium, vt possint & bona opera tua, esse bona opera: Nam nec bona illa appellauerim, quamdiu de radice non bona procedunt. Et iterum: Per fidem etiam peccata soluũtur, quia iustus ex fide viuit. Sine ipsa verò etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Et ad Paulinum scribẽs: si quærere voluerit, ante gratiam quid meruerit, vt acciperet eam:

*Ecclesiæ doctrina de meritis operum. Hier. lib. 2. in Zachar. cap. 8. Opera meritoria quæ. 2. Paral. 15. Hier. 31. 1. Corin. 3. Docendi ratio in Ecclesia. Aug. de natura & gratia cap 68. Difficultatem in vita sentientes pijs precibus auxilium petendum. Hom. 51. Faust. li. 1. de libero arbitrio cap. 5. Psal. 142. Galat. 6. Hebr. 11. Actor. 16. Iacob. 2. Matth. 19. Discrimen operum præcedentiũ & consequentium gratiã. Gratia quid. August. tract. 86. in Ioannem. Rom. 14. Tract. 25. in Ioan. De præd. sanct. 10. Hebr. 11. In Psal. 31. Rom. 4. Aug. ad Paulinum epist. 106.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mala sua poterit homo inuenire, non bona, etiamsi eum vnius diei vitam habentem super terram gratia saluatoris inuenerit. Iustus enim ex fide viuit. Et antequã gratia iustificetur, id est, iustus efficiatur, impius quid est, nisi impius? Et alio loco, constat inter oẽs veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu, verã posse habere virtutem. Et iterum: virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs, ad quodlibet adipiscendum vel tenendum: nisi ad Deum retulerit, etiam ipsę, vitia sunt potius, quàm virtutes. Et iterum: Absit, vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus: absit aũt vt sit verè iustus, nisi viuat ex fide: iustus enim ex fide viuit. Et obiecerat Augustino Iulianus: Si gentilis nudum operuit, nunquid quia non ex fide, peccatum est, Respõdet August. Prorsus, in quantũ nõ est ex fide, peccatum est. Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatũ est: sed de tali opere non in Dño gloriari, solus impius negat esse peccatum. Cumq; pluribus verbis hanc suam sententiam cõfirmasset, sic tandem cõcludit. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui benè vtitur malis. Ipsorũ aũt esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo dubitante Christiano, arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod nõ est ex fide, peccatum est. Ac aliquot capitibus interiectis: Nos enim ea quæ videntur opera bona, dicimus non esse verè bona, sine fide. Quia opera verè bona, necesse est Deo placere, cui sine fide, quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide esse non potest. Nec quàlibet fidem, sed eam quæ per dilectionem operatur: ad hoc requiri vult Augustinus, vt opus aliquod bonum dicatur. Sic enim alio scribit loco: Etsi enim Dei mandatũ videtur aliquando non à diligentibus fieri: tamen vbi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur, nec rectè opus bonum vocatur: Quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur. Et qui præcessit Augustinum Ioannes Climax: Qui rectã quidem se dicit habere fidem, eam aũt exercet in peccato, similis est personę quę non habet oculos. Qui aũt fidem non habet, aliqua aũt bona forte facit, est similis ei qui haurit aquam, & eam infundit in dolium perforatũ. Et sectator Augustini Prosper: Sine cultu, inquit, veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est: nec placere Deo sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui, nisi sibi, & diabolo placet? Et iterum alio loco: Non sunt bona opera, nisi quę per fidem & dilectionem fiunt. Quem sequutus Fulgentius, Vita bona nõ veraciter dicitur, quę peruersæ credulitatis vitio deprauatur: neq; sufficit ad salutem fides rectè credentis, si cõuersatio moribus atq; operibus turpatur obscœnis. Propter quod sicut mortua sine operibus fidem B. Iacobus prędicat: Sic omne q; nõ est ex fide peccatũ esse sua prędicatione cõfirmauit. Et Ambrosius enarrans illud: Et folium eius non defluet: In mysticis, inquit fructus est, in moralibus folium. Nam virtutes sine fide, sunt folia: videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti Gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem: sed fructum non habent, quia fidem non habent. Labuntur citò folia, vbi ventus flauerit: Et aliqui Iudæi habent castimoniam, sed vilitatem lectionis multam & diligentiam: sed sine fructu sunt, & versantur vt folia. Hæc forte sunt folia, quę Saluator in illa ficu reperit: sed fructũ non reperit. Mystica saluant & à morte liberant: moralia autem ornamenta sunt decoris, non subsidia redemptionis. Similiter & Hieronymus: Sciant, inquit, nullum absque Christo viuere, sine quo omnis virtus in vitio est. Et eius præceptor Gregorius Nazianzenus: Quemadmodum non est extra fidem opus, quod probari possit: quandoquidem & gloriæ causa multi, quod honestum est amplectuntur, cum hoc à natura est institum: Ita fides absq; operibus mortua est. Et cognominis eius Gregorius Pontifex: Sicut enim rami sine virtute radicis arefiunt. Ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si à soliditate fidei disiunguntur. Et alio loco: Nullius esse meriti dicit, vera fide perdita, quicquid homines operantur: Et auctor operis imperfecti in Matthæum: Qui fidem habet, & bonam in Domino volũtatem, etiam si quid minus in opere quasi habuerit, nihilominus remunerabitur à Iudice bono. Qui autem fidem non habet, aut bonam in Domino voluntatem, etiam cæteras virtutes, quas videtur naturaliter possidere, perdit. Eleganter ait, quod videtur habere, aufertur ab eo. Quicquid enim boni sine fide Christi est, nõ ei imputatur, qui malè vsus est eo. Sicut sunt multi, qui videntur quidem aut mansueti aut humiles esse: sed quia non sunt hoc propter Deum, licet videatur esse aliquod bonum eorum, non autem est. Quia quod non est ex fide, peccatum est. Et Paulinus Aquilienſis Episcopus, contra Felicem & Eliphandum scribens, Nil esse boni docet omne quod videtur bonum, nisi fuerit super fidei fundamentum firmiter radicatum. Ex ijs colligi potest, quòd vno ore prisci Patres, quod non esset in fide Christi factum, bonum opus esse negauerunt. Et tamen alio loco dicit Augustinus: Ad salutem æternam nihil prosunt bona opera aliqua impio. Hieronymus quoque: Absque fide, quamuis bona opera sint, mortua computantur.

Quid igitur dicemus? Num inter sanctos Doctores parum hac de re conuenit? aut non secum ipsi pugnant Augustinus, & Hieron. qui non diuersis, verumetiam eodem aliquãdo in loco, impij, hoc est, infidelis, & bona & non bona opera esse dicunt? Nulla dissensio, nulla pugna est: verùm quòd alicubi dicit Augustinus: Vbi fides non erat, bonum opus nõ fuisse: nequaquam sic intelligere voluisse credendus est, quasi quod hæretici nostri temporis fecerunt, opera omnia infidelium esse verè peccata iudicauerit. Quos huc etiam dementiæ prolapsos videmus, vt in omni bono quoq; opere iustum peccare contenderent. Quid aũt dici potest magis absurdum, quàm sit hoc? Constat obstetrices Ægyptiorum infideles fuisse: num ideo peccauerunt in eo, quòd pueros Hębreorũ seruare conatę sunt? Atqui dicit scriptura: Bene fecit Deus obstetricibus. Scilicet propter peccata benefacit alicui Deus. Gregorius

*De ciuit. Dei lib. 5. cap. 19.*
*De ciuit. Dei ad Marcellinum, lib. 19. cap. 25.*
*Lib. 4. contra Iulianum cap. 3.*
*Cap. 8.*
*De gratia Christi cont. Pelag. ca. 26.*
*Gradu 26.*
*Prosper de vocat. gent. lib. 1. cap. 3.*
*Prosper in sentent. ex August. 224.*
*Fulgent. de remiss. peccatorũ lib. 2. c. 1. In psal. 1.*
*Abac. 2.*
*In epist. ad Gala. 3.*
*Greg. Nazianz. in orat. in Max. quæ est 27. hom.*
*Greg. libr. 3. cap. 33. epist.*
*Chrysost. hom. 53.*
*Opera extra fidem an sint bona.*
*Li. 20. moral. c. 7.*
*Hom. 53.*
*Aug. de spiritu & litera cap. 28.*
*Exod. cap. 1.*



gorius Põtifex adducens locum hunc, Benignitatis earum, inquit, merces, quę eis in ęterna potuit vita retribui, pro admissa culpa mendacij, in terrenam est recompensationem declinata. Rahab quoq; meretrix infidelis fuisse legitur: quæ, qui missi fuerant exploratores à Iosue, seruauit eos absconsos ab interitu: quam & ipsam remuneratam à Deo esse legimus, vt salua cum omnibus suis permaneret. An autem & Nabuchodonozor non fuit infidelis? de quo scribit Hieronymus: quòd ex eo, quod apud Ezechiẽlem legitur, mercedem eum accepisse boni operis: intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absq; mercede, Dei iudicio, præteriri. Vnde per Ieremiam Nabuchodonosor, columba Dei appellatur, eo quod aduersus populum peccatorem, Dei seruierit voluntati. Certè peccatori pœna potius, quàm aliqua merces debetur. Idem Hieronymus in Aggeum scribens: Si quando videris, inquit, inter multa opera peccantium facere quemquam nonnulla, quæ iusta sunt, nõ est tam iniustus Deus, vt propter multa mala, paucorum obliuiscatur bonorũ: sed faciet illum illa tantum metere, quæ in terram bonam seminauerit, & in sua horrea congregare. Et aliquot chartis interiectis: Nec moueat quẽquam, inquit, si dicamus aliquos ante fidem Christi & extructionem templi eius, mediam partẽ se laboris sui posse percipere: cum apud incredulos nullus fructus sit operũ bonorum. Non enim viginti reponit, & inuenit viginti: Sed si viginti reposuerit, inuenit decem, id est, mediam partẽ laboris sui. Iudæi & Ethnici, & Philosophi huius seculi, cęteriq; qui sapientiam iactitant, & in presenti tantum tempore conuersationis suæ & laboris, fructũ & gloriam capiunt, omnisq; spes eorũ & merces futuri seculi tollitur. Hoc aũt ideò fit, ne penitus desperantes contemnant pœnitentiam: Sed aliquando conuersi ponant lapidem super lapidem, & ædificent templum Dei. Quod si in incredulitate permanserint, idipsum, medium quod videbantur habere perdent. Et in Matthæum: ex eo quod malus seruus ausus est dicere: Metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: intelligimus etiam gentilium, & Philosophorum bonam vitam recipere Dominum: & aliter habere eos, qui iustè, aliter qui iniustè agant. Quin & ipse Augustinus de Romanis scribens: quibus, inquit, non erat Deus daturus vitam æternam cum sanctis angelis suis, in ciuitate sua Cœlesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, quę non exhibet seruitutem religionis, quam latriam Græci vocant, nisi vni vero Deo: si neq; hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperij concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. Non fuit igitur hæc Augustini mens, vt existimaret, omne quamlibet bonum opus infidelis, multò minus iusti peccatũ esse mortale: verùm ipse declarat, quomodo voluerit intelligere, opera infidelium non esse bona, cum ait: Ea ipsa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Sensit igitur Augustinus, quemadmodum ipse contra Iulianum scribẽs, pluribus verbis explicat, esse quidem ea bona, hoc est, laudabilia apud homines, nõ esse aũt bona, hoc est, esse inania: cùm neq; gratiam siue iustificationem, neq; vitam æternam nbis mereri possint. Solum enim hoc affirmat, se bonum opus dicere, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumq; perduci. Quod eodem Pauli loco allato: Omne quod non est ex fide, peccatum est, pluribus etiam verbis demonstrat Origenes, aut quis fuit auctor cõmentariorum in Iob. Sic & Ioannes Chrysostomus, Cornelij opera, bona quidem vocat & admirabilia, sed mortua tamen: eò quod fidem non haberent. Mittit igitur Deus, inquit, Angelum operibus ad acquirenda præmia ministrantem, ita vt benè certando ob fidem coronari possit. Quid dicit ei? Corneli, preces tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Si igitur exaudita est petitio, & eleemosynæ meæ acceptæ sunt, quid deest ad iustitiam? Mitte igitur in Ioppen, dicit, & accerse Simonem, qui agnominatur Petrus, qui vbi venerit, loquetur tibi verba, in quibus saluaberis tu, & tota domus tua: Itaque non poterant opera saluare. Nam si his, quæ Petrus prædicat, saluatur & ipse & domus sua, nondum habuit Cornelius ex operibus salutem, donec operibus suis fides acquirendum præmium offerret. Quid aliud his verbis Chrysostomus quoque, quàm quòd Augustinus, ciuiliter quidem bona fuisse, dicit, bonitate moris, vt aiunt scholastici, quę reprehendi non possent, quin laudem potius apud homines mererentur: quoniam verò fides non aderat, fuisse inania, vt quæ nihil ad salutem & vitam æternam consequendam prodessent. Fuit Ioannis Chrysostomi discipulus, & postea successor in Ecclesia Cõstantinopolitana Proclus: eius extat epistola ad Armenios, in qua gentiles non satis magnificè de virtute sensisse scribit, quas ex Pauli doctrina non aliunde quàm ex fide & charitate censeri docet: Omnis, inquit, Christianus, qui non est diues, fide, spe, & charitate, id quod dicitur non est. Sed etsi vidętur suum castigare corpusculum, & animę passionibus liber esse, in moralem tantũmodo virtutem proficiens, nequaquam coronam victoriæ consequitur, vt potè, qui non ad illam se diuinitatis agnitionem extenderit, quæ coronas tribuit ijs, qui fortiter per virtutem luctantur. Sic ille nihil tribuendũ esse putat virtutibus, priusquam fides ad illas accedat: vt ex eo facilè constare queat, vitam æternam esse gratiam, hoc est, meritis dari ex gratia, hoc est, ex fide & charitate profectis, nec fidem hanc vlla præcedere merita.

Quoniam verò legitur apud veteres, non rarò mereri peccatores iustificationem, meri peccatorum remissionem: indè natæ sunt illæ scholasticorum distinctiones, de merito congrui, deq; merito condigni: quòd in impijs, hoc est, in ijs, qui nondum per lauacrum regenerationis credentes abluti, vel iam abluti crimine se aliquo capitali contaminassent, meritum esse congrui dicerent, si fecissent quod in se est, hoc est, si nihil eorum prætermisissent, quæ ad conciliandam Dei gratiam pertinere putassent. Non quòd eorum opera fidem præcedentia digna essent, quibus Deus placaretur: sed quòd congrueret bonitati diuinæ, non prorsus eos aspernari & reijcere, qui tanto studio demereri sibi gratiam eius contendissent.

*Greg. lib. 18. Moral. cap. 4.*
*Iosue 2. & 6.*
*Ezech. 29.*
*Hier. in Aggei c. 1.*
*Hier. in Aggei c. 2.*
*Hier. in 25. cap. Matth.*
*Aug. lib. 5. cap. 15.*
*Lib. 4. cap. 3.*
*Rom. 14.*
*Orig. libr. 1. in Iob.*
*Chrys. de fide & lege naturæ. Actor. 1.*
*Rom. 6. 11.*
*Merituum congrui & condigni.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Actor 16. Chrys. in psal. 115. Actor operis imperfecti hom. 1.*

dissent. tale meritum sunt qui putent etiam in Cornelio fuisse. De quo non dubitauit Chrysostomus dicere, quòd eum Deus vocauit: quoniam ipse præoccupãs seipsum dignum reddidit. Et auctor operis imperfecti in Matthæum: Cornelium inquit Deus adduxit ad fidem

*Aug. de præst. sanct. libr. 1. cap. 7.*

suam per ministerium Petri. Sed antè habuit animam eius, operans in eo orationes & eleemosynas multas: quem tamen infidelem fuisse nonnulli negant, sed implicitam fidem habuisse nondum manifestata veritate. Qua de re sic loquitur Augustinus: Solet dici, Ideò credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum, nec tamen sine aliqua fide orabat & donabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non credidebat? A quo non dissentit etiam Hieronymus, cuius adscribere verba libet: Explicans enim illum locum, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Non frustra dicit, ex operibus legis eum dixisse. Sciebat enim & Cornelium Centurionem Spiritum ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis quam nesciebat. Siaũt è contrario dicitur, ergo & sine auditione fidei accipi Spiritus sanctus potest. Nos respõdebimus, accepisse quidẽ eum

*Hier. in epist. ad Galat. cap 3.*

spiritum, sed ex auditu fidei, & naturali lege, quæ loquitur in cordibus nostris, bona quæq; facienda & vitanda mala, per quam dudũ quoq; Abraham, Mosen, & cæteros sanctos iustificatos retulimus: quam augere deinceps potest operũ obseruatio, legis quoq; iustitia, nõ tamen carnalis legis quę præterijt, sed spiritualis: quia lex spiritualis est. Neq; vero quia fidem præferimus legis opera destruimus, nec dicimus secũdum quosdam, faciamus mala, donec veniant bona: quorũ damnatio iusta est: Sed seruituti gratiã anteponimus, dicimusq; quod Iudæi propter metũ faciunt, id nos facere propter charitatẽ Illos seruos esse, nos filios: illos

*Greg. hom. 19. super Ezech.*

cogi ad bonũ: nos bonum spõtè suscipere Non igitur ex fide Christi licentia nascitur delinquendi, sed ex dilectione fidei voluntas boni operis augetur: dum bona ideo facimus, non quia iudicem formidamus, sed quia scimus ea ei placere, in quem credimus. Quos secutus Gregorius, ita scribit: Cornelius non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam & ei per angelum dicitur: orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei. Si enim Deum verè, & ante Baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, ti nõ ab ipso se in bonis pfici petebat? Sciebat igitur, creatorẽ omniũ Deum: sed quòd eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Neq; enim poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptũ namq; est: sine fide impossibile est placere Deo. Fidẽ ergo habuit, cuius operationes, & eleemosynę placere potuerunt: bona aũt actione promeruit vt Deũ pfectè cognosceret, vt incarnationis eius mysteriũ crederet, quatenus ad sacra-

*Hom. 9. in Ezech.*

mentũ Baptismi pueniret. Per fidẽ ergo venit ad opera: sed p opera est solidatus in fide. Qui tñ in eundẽ prophetã scribens aliquãto ante: Cornelius, inquit, ante ,p bonis operibus meruit audiri q̃ fidelis existeret. Qua ex re colligitur quia bona opera, ,p fide pcipienda, faciebat. Ante hos oẽs Basilius, non omninò fidẽ, sed fidei pfectionẽ Cornelio defuisse docet. Ex

*In regulis breuioribus regula 224.*

his itaq; loquendi modis, quibus Patres vsi sunt, collectæ sunt illę distinctiones, de merito cõgrui, & merito cõdigni. Prius tamen illud meritum nõ defuerunt, qui reijciendũ esse putarunt, ne propius ad Pelagianos accessisse viderentur. In sacro Cõcil. Trident. disertis verbis illud esse sancitũ legimus, iuxta patrũ decreta, quòd nihil eorum, quæ iustificationẽ præcedũt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiã promeretur. Verissimũ enim est, quod

*Aug. de fide & operibus cap 14. Operum iustificationẽ præcedentis vis. Epist. 146.*

ab Augustino dictũ est, Sciat se quisq; per fidem iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim iustificatũ, nõ præcedunt iustificandũ. Et quod ab eius diligenti sectatore Prospero scriptũ legimus, vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorũ operũ prærogatiua succumberet, si iustificatio, quæ fit per gratiam meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis. Post

*Rom 11.*

quem Gregorius: Opus, inquit, Petri ex dono est, non donum ex opere: alioquin gratia iam non est gratia. Omne quippè opus dona præuenitur, quamuis ex subsequenti opere, ipsa etiã dona succrescunt Quẽ secutus Bernardus, ita Deũ alloquitur: Non inuenis meritis, sed præuenis. Quamobrem quæ præcedunt iustificationem, opera bona, dispositiones vel

*In 4. Sententiarũ dist. 17. quæst. 1. in ipso fine.*

præparationes ad gratiam, quam qualiacunque tandem merita patres illi, qui fuerunt in Concilio Tridentino congregati, vocare maluerunt: ne quis mereri sibi posse primam gratiam existimaret, cùm pugnent inter se gratia, & meritum Sicut Apostolus etiam ait, Si autem gratia iam non ex operibus, alio qui gratia iam non est gratia: non est enim quo intret gratia, vbi meritum iam occupauit. Dixit Ambrosius, quod præcedit quiddam in peccatoribus, quo digni sunt iustificatione. Quem locum Diuus THOMAS, non sic esse docet intelligendum: quòd aliquis ante iustificationem sit sufficienter indignus, aliãs gratia, non esset gratia: sed quia est in ipso aliqua dispositio ad iustificationem, qua est minus dignus quàm alij. Explodendum igitur nonnullis visum est omne meritum congrui, sumq́ue condigni meritum retinendum, quod iam fidelium est, & eorum, qui crimine nullo capitali commisso, DEI voluntatem à se abalienauerunt, quiq́ue cum eo sunt in gratia constituti, cui gratiæ tribuitur, quicquid est meriti, quod condignum vocatur. Hæc enim est iustitiæ principium, hæc bonorum fons & origo meritorum, hanc si excluseris, nullum erit meritum. Hoc est quod in Canonibus Concilij Arausicani secundi scriptum reperitur: Debetur merces bonis operibus. si fiant: sed gratia, quæ

*Bern. in ser. 67. in Cantica.*

non debetur, præcedit vt fiat. Hoc est quod BERNARDVM quoque dixisse legimus: Nolo meritum, quod gratiam excludit. Horreo quicquid meum est vt sim meus. Nisi quòd illud magis forsitan meum est, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi iustificatum gratis, & sic liberatum à seruitute peccati. Non igitur excludit meritum gratiam, sed excludit indignitatem, cùm gratia sit, quæ dignitatem operibus nostris adfert, quæ in honorem ea adducit. Quorum si naturam spectes, nihil est eo verius, quod ait Apostolus:

Non



Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Neq; est quod sibi quisquã hoc arroget miser homuntio, Pauli sentẽtiam hanc vt probabilitertueri velit. Nõ opus habet Spiritus sanctus, vt quod ipse per Paulum loquutus est, id sibi tuẽdum homo sumat. Non modò probabili defensione, verumetiam quauis certissima demonstratione certius est & verius, quod ipsa per Paulum dixit veritas. *Rom. 8.*

Vndè igitur, dices, est ista condignitas in operibus, siue passionibus nostris? Vbi de baptismo sermo nobis fuit, docere nos meminimus, quòd non ex operum ipsorum natura, sed primum ex promisso Dei liberali, qui fallere nescit: cuius tanta est bonitas, vt quæ natura sua digna non sunt, ea digna iudicet æternæ beatitudinis præmio: deinde ex ea dignitate, quam regeneratis nobis, præter omne meritum nostrum, conferre dignatus est. Quæ autem est ista dignitas? Quòd Christum induimus, quòd filij Dei facti sumus. Magna reuera dignitas est, esse Christum, esse Dei filium. Nunquid autem illam vlla merita nostra præcesserunt? Præcesserunt, sed merita gehennæ. Quæ enim impiorum alia esse merita potuerunt? Quamobrem quòd per lauacrum regenerationis Christum induimus, quòd filij Dei facti sumus, meræ gratiæ, meræq́ue bonitatis & liberalitatis est diuinæ. Hanc gratiam nulla merita, præcesserunt, nisi quis fortè dispositiones & præparationes ad illam vocari merita voluerit. Tolle gratiam hanc, tolle dignitatem, quam ex ea consecuti sumus, nullum opus nostrum, quantacunque laude & admiratione dignum fuerit, futuræ gloriæ præmio dignum iudicabitur. Sed posteaquam semel gratuita Dei bonitate dignitatem istam consecuti, Christum induti, filij Dei facti sumus, dummodo, quod facti sumus, esse non desierimus: iam incipiunt merita nostra, iam digni censemur, qui vocem illam omnibus exoptandam audiamus: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: Non quòd quæ facimus opera, quatenus à nostra voluntate profecta sunt, tanti sint, sed quòd qui viuit in nobis, qui operatur in nobis, qui patitur in nobis, qui meretur in nobis, Dominus noster IESVS CHRISTVS, vnus est omnium dignissimus, cuius operibus tanta merces hæc tribuatur. Cùm præsertim propter hoc ipsum passus sit, & mortuus, vt eá, quæ natura sua tanti non sunt opera, passionesq́ue nostræ, passionis & mortis ipsius merito tanti esse possent. Præclarè dictum est à Gregorio: Reddamus creatori nostro gratias de bonis, quæ accepimus, eiq́ue cum Esaia Propheta dicamus: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Bona enim nostra eius sunt opera: Cuius visceribus non sufficit vt nos erigeret, nisi & semetipsum pro nobis inclinaret. Si enim cœternus patri DEVS non fieret homo in tempore, quando homo temporalis saperet æterna? Descensio ergò veritatis, ascensio facta est humanitatis nostræ. Et aliquanto ante à Macario. Væ etiam animæ, si in sua solius natura confidat, & in suis operibus tantum fiduciam habeat, non facta particeps diuini spiritus: quia mortua est indigna diuina æternaq; vita. Et alio loco: Non saluat hominem opus suum, sed facultatem operandi dat.

*Operum dignitas vnde.*

*Galat. 3. Ioan. 1.*

*Matth. 5.*

*Galat. 2. Philip. 2.*

*Hom. 5. in Ezech.*

*Hom. 1.*

*Hom. 37.*

Neq; verò quoniam operatur & meretur Christus in nobis, ideò non operamur, neque meremur nos. Dixit Christus: Non enim estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Dixit Paulus: An experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus. De Stephano quoq; scriptum legimus, quod qui cum eo disputabant, non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur: Nunquid quia spiritus, quia Christus in Stephano loquebatur, & in Apostolis, ideo non ipsi loquebantur? Atqui legimus in eodem libro: Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Quin & Stephani, & Pauli, & aliorum Apostolorum orationes multas ibidem insertas videre licet: Quid igitur? Pugnant hæc inter se? tu non loqueris, sed spiritus? & Petrus loquutus est plenus Spiritu sancto? Neq́uaquàm pugnant: Loquebatur enim Spiritus sanctus in Apostolis, verùm sic, vt simul ipsi loquerentur obtemperantes Spiritui. Quos cùm non loqui dixit Christus, non ideò dixit, quòd nihil agerent ipsi, sed quòd ipsi non fuerint principales sermonis auctores: quodq́ue quicquid efficaciter, & cum audientium fructu loquebantur, id omne fuit illius, qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: Cuius nisi præsens virtus adfuisset, nisi per eorum ora spiritus ipse Christi loquutus fuisset, nunquam duodecim homunculi, omni humano præsidio destituti, tam breui temporis curriculo, tantam terrarum orbis partem sub imperium Christi subiunxissent. Sicut igitur non propterea non loquebantur Apostoli, quia Christus loquebatur in illis: ita non propterea non operamur aut meremur nos, quia Christus operatur & meretur in nobis. Alioqui nec viuere diceremur nos, quia Christus viuit in nobis: cum tamẽ digito Dei scriptũ sit: Iustus ex fide viuit. Operamur itaq; nos, sed quod fructum aliquem operum nostrorum consequimur, illo fit operante, illius passionis & mortis merito intercedente, qui si non operaretur, si non mereretur in nobis, opera nostra, quantacumq; tandem essent, gehennæ stipendio digna esse possent, ad futuram gloriam condigna esse non possent. Quamobrem non tam nostræ, quàm ipsius passiones sunt, quibus in cœlo copiosa merces est reposita: vt quod illis detrahitur, ipsi Christo detrahi videatur. Ipse enim est, qui & patitur adhuc & coronatur in nobis, ipse caput nostrum est, nos membra sumus eius, ipse dolet in membris suis, ipse gaudet in membris suis. Vis videre, vbi doleat? vbi patiatur in membris suis? Quando Saulo dicit Christus: Saule, Saule, quid me persequeris: nunquid non patiebatur tum? nunquid non dolebat in membris suis? Neq; enim Christum tum persequebatur Paulus; sed membra Christi, se tamen in membris pati Christus interpretabatur. Ipsius ergo passiones, sunt passiones nostræ, quæ tanquam nostræ cõdignæ non sunt: tanquam Christi passiones, condignæ sunt ad futuram gloriam. Neq; quia Christi sunt, propterea nostræ non sunt: sed Christi sunt, quoniam ipse & præparat ad passiones voluntatem, & confert illis dignitatem: nostræ sunt, quia non fiunt nisi volentibus nobis. Sicà Gregorio scriptum legimus: Bonum quod aspirante Dei gratia agimus, & Dei

*Matth. 5. Christus patitur & coronatur in nobis. 1. Corinth. 12. Actor. 9.*

*Rom. 8.*

*Spiritus sanctus quomodo in Apostol. loquitur.*

*Psal. 80.*

*Abac. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Greg. libr. 31. Moral. cap. 25.*

est & nostrum: Dei, per prœuenientem gratiam: nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei in æternum gratias agemus? Rursum, si nostrum non est, vbi nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, quòd eius munere præuenimur. Et rursum, quia non immeritò retributionem quærimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus. Et ab Augustino cùm de

*Augustinus ad Iul. epist. 143. 2. Cor. 4.*

iustitia, continentia, pietate, castitate, loqueretur: Hæc, inquit, Dei dona sunt: & vestra quidem sunt, sed non ex vobis: Habetis enim thesaurum istum in terrenis corporibus, & adhuc fragilibus, tanquam in vasis fictilibus, & eminentia virtutis Dei sit, & non ex vobis. Ne miremini, quia dicimus, & vestra esse, & ex vobis non esse: Nam & panem quotidianum dicimus nostrũ, sed tamen addimus, da nobis, ne putetur esse ex nobis. Si cui verò reprehendendę locutiones hoc genus esse videtur, Christus viuit, Christus operatur, Christus loquitur in nobis: is quem alium, quàm Spiritum sanctum per Paulum loquentem reprehendit?

*Matth. 6.*

Nunquid aũt sicut rectè dicimus, viuere Christum, operari, mereri, quin & coronari in nobis: ita rectè dicere queamus, credere Christum, amare Christũ in nobis? Scripsit aliquándo

*August. in expositione quarundam propositionum in epist. ad Rom. cap. 23. primi lib. retract. Ser. 34. de verbis Domini. Rom. 5. Bern. lib. de amore cap. 4. Ser. 11.*

Augustinus: Dicit Apostolus: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus, nusquam aũt dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quòd ergo credimus, nostrum est: quòd autẽ bonum operamur, illius est, qui credentibus in se dat Spiritum sanctum. Quem locum retractauit dicens: Profectò, inquit, sic non dicerẽ, nisi scirẽ, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodẽ spiritu. Et alio loco: Vt ames Deum, habitet in te Deus, & amet se de te: id est, ad amorem suum moueat te, accendat te, illuminet te, excitet te. Quæ verba repetit Anselmus: Similiter Bernardus: Et Deus in ipso amet vel approbet, quod amare vel approbare debet, id est, seipsum. Et capite septimo Deum alloquens, Tu teipsum amas in

*In psalm. 85.*

nobis, & nos in te cùm te perte amamus, & in tantum tibi vnimur, in quantum te amare meremur. Nec dissimilis loquendi modus reperitur ad Petrum Chrysologum, cùm dicit: Homo, Deus in te ieiunat, in te esurit. Augustinus aũt etiam orare Christum dicit in nobis. Vnus ipse, inquit, Saluator corporis sui, Dominus noster IESVS Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt Sacerdos noster: Orat in nobis, vt caput nostrũ: oratur à nobis, vt Deus noster. Et paucis interiectis: Oratur ergo in forma Dei: orat in forma serui: ibi creator, hic creatus creaturam mundam non mutatus assumens & secũ nos faciẽs vnũ hominẽ, caput & corpus. Oramus ergò ad illũ, p illũ, in illo,

*Non sunt condignæ, id est, æquales, vel comparabiles. 2. Corinth. 4.*

Cæterùm cùm dixit, Paulus, Non sunt condignæ passiones, videtur dicere voluisse, quòd non sunt æquales vel comparabiles. Quis autem est, qui hoc ire inficias audeat? inter passiones, siue merita nostra, quatenus nostra sunt, & à libero arbitrio nostro profecta, & futuræ gloriæ præmium, æqualitatem esse nullam? cùm hæ leues & momentaneæ sint: & propterea vocat eas Paulus, huius temporis: illud contra sit æternum. Cæterùm sicut iustitiam duplicem esse legimus, sic & æqualitatem esse duplicem intelligimus. Et iustitia cõmutatiua est, & iustitia distributiua. Illa est inter contrahentes, vt emptorem & venditorem: hæc pendet ex liberalitate distribuentis. Illa respicit æqualitatem arithmeticam, quæ est quãtitatis: hæc geometricam, quæ est proportionis. Si quis iustitiam spectet cõmutatiuam, certum est, neq; iustum esse, neq; dignum, vt pro passionibus huius temporis detur ęterna gloria: cùm inter

*Iustitia & æqualitas duplex.*

*Commutatiua æqualitas.*

leues & momentaneos labores, & præmiũ illud æternum, nulla sit æqualitas: sitq; hoc, quàm illud infinitis partibus maius & præstantius. Si quis verò spectet distributiuam, est aliqua tamen æqualitas, quæ vocatur proportionis inter opera, quæ charitate sunt informata, &

*Distributiua.*

futuram gloriam quæ merces est charitatis: quæ licè: quantitate maius quiddam sit, quàm gratia & charitas, quibus meremur: non est tamen maius virtute. Quod vel exemplo planũ facere possumus. Semen arboris multò minus est, quàm sit arbor ipsa, si quantitatẽ spectes: si virtutem, minus non est: quandoquidẽ in virtute seminis arbor tota continetur. Ad eundem modum gratia sancti spiritus, quàm nunc habemus, quamuis actu vel quantitate non sit æqualis gloriæ, est tamen æqualis virtute: quia sicut in semine tota est arbor virtute, sic in nobis per gratiam Spiritus sanctus, qui causa est efficiens vitæ æternæ, cùm sit fons aquæ salientis in vitam æternam: & ideò vocatur à Paulo pignus hereditatis nostrę. Sũma doctrinę de operibus hæc in Ecclesia semper fuit, & est & erit. Quòd si substantia spectetur operum

*Ioan. 4. Eph. 1.*

nostrorum, ac ipsa tantùm in se considerentur, fieri posse, mortẽ vt mereantur æternam: vt mereantur vitam ęternam fieri non posse. Quamobrẽ vt hanc mereri queant, illud requiri necessariò putauerunt, vt & à Christo proficiscerẽtur, & ad Christum referrentur. Si viuit Christus in nobis (viuere aũt non potest, nisi & operetur in nobis) si nihil ad ostentationem, si ad illius gloriã referimus omnia. si illius amore facimus, quicquid facimus: quæ ad hunc modum facimus, non possunt non esse digna vita æterna: non propter ipsorum operũ, sed

*Operũ vis & ratio.*

propter eius, qui viuit & operatur in nobis dignitatem: & propter finem, ad quem referuntur, Christum, cùm idẽ est & effector & finis eorum. Verum est enim, quod ab Hieronymo scriptũ est: Nõ virtus, sed causa virtutis, apud Deum mercedẽ habet. Et quod ab Augustino scriptum est: Non actibus, sed finibus officia pensari. Quam suam sententiam ibid. explicãs paulò superius ita scribit. Cùm facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare cõuincitur. Et alio loco. Finis enim est, inquit, quo referuntur ea, quæ facimus: qui si non solum inculpabilis, sed & laudabilis fuerit, tum demùm etiam facta nostra laude digna sunt. Quem sequutus Boëtius: Cuius inquit, finis bonus est, ipsum quoq; bonum est: cuius finis malus est, ipsum quoq; malum est. Ante quem Gregorius Pontifex: Ipsa, inquit, virtus ante Dei oculos virtus nõ est, dum abscondit, quod displicet: prodit, quod placet. Plerunq; enim latet superbia, & castitas innotescit: atq; ita offensa diu castitas, circa finem vitę perditur: quia cooperta superbia vsq; in finem incorrecta retinetur. Et præclare scriptũ est à Maximo, quòd non ad opera, sed ad scopum operum, diuinum

*In cap. 6. Matth. Aug. li. 4. cõt. Iul. Ser. 11. cont Iul. lib. 34. Moral. cap. 8. Aug. de moribus Manichæorum. Max. centuria 2. cap. 37. & centuria 3. cap. 48. cap. 13. Boët. li. 3. Top. c. 5.*



minum iudicium intẽtos habet oculos, & in omnibus, quæ fiunt à nobis, actionibus, scopus apud Deum queritur, num propter illum, aut aliud quiddam, quod agimus, faciamus. Sic & à Theodoreto dictum est, vbi de Polygamia Patriarchæ Iacob tractat, vniuscuiusq; facti scopus inquirendus est. Itidem & à Marco Eremita: Deus actiones secundũ propositũ æstimat: Tribuat enim, inquit, Dñs secundum cor tuum. Quodq; scriptum est à Gregorio Nisseno: vt quicquid non est ex fide, peccatum Paulus dicit: ita nos eodem modo cogitantes, planè possumus affirmare quæcunq; non respiciunt Christum, seu verba, seu opera sint, seu cogitationes, illa omnia ad id omninò spectare, quod Christo aduersarium est.

*In Genes. cap. 84. Mar. Erem. de lege spirituale cap. 184. In libr. de perfecti. hominis Christiani forma.*

Quamobrem admiranda est istorum hominum cæcitas, qui tantoperè bona opera impugnant, qui negant, Euangelium pati posse, vt prædicetur de illis: ouiculam Christi horrere, vbi prædicare ea audit: fidem, nullum opus bonum posse iuxta se ferre: eos qui bonis operibus cooperti sunt, vix posse cœlum penetrare: quòd ea iustificationem etiam consequentia impura sint: cùm opus optimè factum peccatum sit: pestilentes esse magistros & radicem germinantem fel: qui in nouo Testamento, operibus cõscientias vexant: non esse in Ecclesia simul magistrum fidei, & operum. Doctrinam operum esse doctrinam dęmoniorũ & diuersionem à fide. Deum non respicere opera, non curare, non valere, non placere corã Deo opera, nihil ea prodesse, nec amari quenquam à Deo propter ea. Hæc tam absurda qui docent, admirabilis est eorum cœcitas, quandoquidem de Christianorũ operibus loquuntur, quod non intelligunt, se non operibus nostris detrahere, sed illi à quo hauriuntur, illi ad quem tanquam ad finem referuntur, Domino nostro IESV Christo: quem si tollas ex operibus nostris, re vera tanquam pãnus menstruatæ sunt vniuersæ iustitię nostrę. Quandoquidem, sicut ex Alberto paulò antè cõmemorauimus in Sanctorum virtutibus: nõ fulget nisi meritorum Christi iustitia, sicut Sol in gẽmis, quæ magis rutilant in præsentia Solis, in absentia autem contenebrantur. Christus est, qui virtutes in nobis operatur: Christus est, qui per eas in nobis coronatur. Sicut explicans illum Zachariæ locum scribit Hieronymus, & eum sequutus Rupertus: Ab istis sumes argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite IESV Iosedech Sacerdotis magni. Quia videlicet, inquit, per singulas virtutes electorum suorũ Dominus coronatur, imò in illis omnibus coronatis Saluator in singulis coronam accipit, quia videlicet ipsius gratia, ipsius est opus, omnis omniũ sanctorum corona. Quod pluribus etiam verbis confirmat Angelomus in his cõmentarijs, quos in libros Regum edidit. Et æqualis Ruperti Bernardus: Deus est, inquit, qui operatur in vobis, & velle, & perficere: ipse auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota.

*Isa. 64. Alb. in lib. 3. serm. dist. 20. Zachariæ 6. Hier. lib. 2. in Zacha. Angel. lib. 2. ca. 12. Bern. de passione Domini.*

Sed cùm sola sit Ecclesia catholica, cui sanæ intelligentię lux promissa est: nõ est adeò mirandum, si qui segregauerunt semetipsos ab ea, percussi sunt à Dño amentia & cœcitate, ac furore mentis, vt palpent in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, & in summa errorum caligine versentur. Hæc aũt eorum improbitas ferenda non est, quod Ecclesiam Dei docuisse fingunt, propter opera nostra, non aũt propter Christum remitti nobis peccata: propter opera nostra, non aũt propter Christum donari nobis vitam æternam. Nonne videntur isti quoq; dicere. Posuimus mendaciũ spem nostram, & mendacio protecti sumus: qui cùm ista tam apertè falsa cõminiscuntur, non aliundè quàm ex mendacijs & calumnijs esse conflati videntur? Vel vnũ aliquem proferant ex Ecclesiæ Doctoribus, quamlibet etiã recentibus: qui docuerit, opera extra Christum facta, aut aliò quàm ad Christum relata, vel remissionem peccatorum, vel vitam ęternam nobis mereri: extra Christum, inquam, cuius non fuerit inuincibilis ignorantia. Nos contrà vel ex his libellis, qui puerorum manibus aliquando terebantur, quos hortulos animæ vocant, docere possumus: etiam nouissimis his temporibus, quibus isti extinctam Euangelij lucem fuisse mentiuntur: non aliter in Ecclesia fideles institutos fuisse, quàm quòd ea sola opera prodesse nobis queunt, quorum & initium & finis ad Deum refertur: cætera verò æternæ vitæ retributionem non mereri.

*Ezech. 28. Lutheranorum figmentum de falsa ecclesiæ doctrina. Esa. 28.*

Est in eo libello, qui hortulus animæ inscribitur, quẽ pueri legebamus, modus confitẽdi descriptus: Enumerantur in eo species & filiæ peccati cuiusq; mortalis: Superbiæ quatuor species ex Gregorio recensentur. Quarum prima est, si quis à semetipso se bonũ habere iactat: secunda, si datũ sibi quidem desuper esse credat, pro suis tamen hoc se meritis accepisse putet: Enumerantur & filiæ, inter quas recensentur hypocrisis, & inanis gloria. Quid aliud ex his pueri didicimus? quàm iustitiam, quam habemus, non esse nobis ex nobis, non esse viribus nostris partam, nõ esse meritis nostris præcedentibus datam: quæ ante fidem nulla esse potuerunt, sed ex mera gratia, liberalitate; Dei patris, per Christi meritũ nobis cõmunicatam: vt & acceptũ referamus Deo quicquid boni agimus, & in agẽdo nihil aliud, quàm Dei gloriã spectemus. Quod si secus à nobis factũ sit, ea ipsa quæ bona viderentur, non esse nobis bona futura, ac mortẽ potius, quàm vitam sempiternam allatura. Nunquid malũ est habere bonum? Quis vsq; eò est ab omni mente desertus, vt hoc existimet? Et tamen si hoc ipsum quod habes bonũ, non ad auctorẽ Deum referas: qui mentem bonam donat, vt recta conetur: & vires, vt conata perficiat: si non Dei gloriam, sed humanam laudem vel cõmodũ aliquod ex eo vitæ degendæ quæsieris: iam hoc ipsum quod habebas bonum, factũ est tibi malũ, factũ est tibi crimen capitale, His ergo præceptis pueri sumus imbuti: non propter se, sed propter Christum, opera nostra Deo placere: nõ propter operum nostrorũ, quatenus à nobis proficiscuntur, dignitatem, sed propter Christum operibus nostris vitã æternã donari: à quo cum auctore proficiscuntur, cumq; nõ ad aliũ finem, quàm ad ipsum protendũt, quod leue & momentaneũ est tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate ęternũ gloriæ pondus operatur. Sic docuit, sic docet, sic docebit semper vna, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia. Sic ab Augustino quoq; scriptũ legimus, quòd vita æterna, merces est bonorũ operum. Nunquid aũt hæc merces propter opera datur? minimè gentium: Datur quidem

*Superbiæ quatuor species. Greg. libr. 27. moral. cap. 7. Lib. 31. cap. 31. Matth. 5. & 1. Vide Ambr. lib. 1. cõment. in Lucam vbi locum illum Euangelij explicat, Erant ambo iusti ante DEVM. 2. Corinth. 4. Aug. in Enchiridio cap. 107.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



operibus: verùm propter Christum, qui viuens & habitans in nobis operatur ea: propter Christum, ad quem operantes respicimus: propter Christum, qui dixit: Merces vestra copiosa est in cœlis: Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: propter Christum, de quo seculis iam aliquot cantatum fuit ab omnibus in Germania, materna gentis lingua:

*Ioan. 5.*

*Apocalyp. 1.*
*Tit. 2.*

Quod nisi prognatus nobis puer ille fuisset, eramus omnes perditi. Nam nisi factus homo, lauisset nos à peccatis nostris in sanguine suo: nisi dedisset semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sib populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: quid aliud essent vniuersæ iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? profitetur hoc etiam Ecclesia, cùm hymnum illum Ambrosij quotidie recitans, perennem gloriam, non operum vocat præmium, sed præmium mortis sacræ, quæ nisi intercessisset, non perennis gloria, sed perenne supplicium operibus nostris deberetur. Enarrans illum Psalmum Augustinus, Cœli enarrant gloriam Dei: Nihil præcesserat, inquit, in meritis nostris, nisi vnde damnari deberemus. Deus autem non propter nostram iustitiam, sed propter suam misericordiam saluos nos fecit. Hæc est gloria Dei, non tua. Quamobrem dic Domino Deo tuo: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quibus enim, si quasi nobis? Dicamus inquam, non nobis. Quia si ita faceret sicut nobis, nonnisi pœnas infligeret nobis. Nomen autem Dei Christus est, qui sua passione & morte ex peccatoribus iustos: ex impijs, pios: ex damnatis, regni cœlestis possessione, nos dignos fecit: illi gloriam omnem tribuimus.

*Isaiæ 64.*

*Sapient. 2.*
*Esaiæ 6.*

Quæ est igitur istorum hominum audacia? quæ tam perfrictæ frontis impudentia? qui populo persuadere conantur, Ecclesiam tot seculis nunquam docuisse de fide intuente nõ nostram dignitatem, sed mediatorem: & accipiente remissionem peccatorum, & hæreditatem æternæ vitæ propter Christum: quod cùm dixerunt, Paulum iustum esse propter suas virtutes & afflatum diuinum, nihil addiderunt de mediatore, de promissione siue Euangelio, & de fide seu fiducia mediatoris: aut isti nunquam Ecclesiæ doctores legerunt, aut ita malitia cor eorum excœcauit, vt videntes non videant, & audientes non audiant, neq; intelligant. Quis enim vnquam Theologorum, non iam dico veterum, sed eorum qui quadringentis his annis floruerunt, qui sententiarij siue Scholastici vocantur, aliter docuit, quàm quod illa sola opera Deo placent, solis illis merces datur æterna, quæ in fide mediatoris facta sunt? Nónne pater Scholasticę Theologiæ fuisse videtur Petrus Lombardus? Atqui is, vbi de fide tractat, quàm diligenter illud inculcat, & Augustini & Gregorij plerisq; sententijs in medium productis: quòd sine fide mediatoris, vel ante vel post aduentum eius, nullus mortalium saluus factus fuerit. In quem cùm cõmentati sunt omnes ferè, qui postea sequuti sunt Theologi, idem vno ore scripsisse, sensisseq; cunctos, nemo qui quenquam eorum legerit, dubitabit. Apud quos etiam illas distinctiones de explicita, de implicita fide, deq; vincibili & inuincibili ignorantia reperire licet. Quodq; nullus mortalium remissionem peccatorum, salutem & vitam obtinuerit vnquam, aut obtinere possit: nisi per Christi passionem & mortem, aut præuisam, aut exhibitam. Nam quòd ab Arnobio dictum legimus: Licet tu purus, & ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, ad immortalitatis præmium nullis poteris accedere contentionibus, nisi quod ipsam immortalitatem facis Christo attribuẽte perceperis, & veram fueris admissus ad vitam. Id iam inde à Christo nato ad hæc vsq; nostra tempora semper ab omnibus ita fuit creditum.

*Lib. 3. sent. dist. 25 epist. 157.*
*Greg. hom. 17. in Ezech.*

*Lib. 2. cont. Gẽtes.*

*Scholast. Theol. est sententia de meritis bonorum operum in coment. in epist. ad Rom. cap. 4.*

Sed quò magis omnes intelligant, quanta sit istorum hominum, in his asserendis, temeritas & impudentia, aliquot locos adferemus ex eorum libris tantùm, quos Theologię scholasticæ Principes fuisse constat: vt quæ fuerit eorum de meritis operum sententia, cuiusmodi perspicuum esse queat. Ac primo quidem loco, eum qui cumprimis celebris habetur, Thomam Aquinatem collocabimus: qui ante annos propè trecentos in hanc sententiam scripsisse legitur. Opera humana possunt considerari dupliciter. Vno modo secundum substantiam operum, & sic non habent aliquid condignum, vt eis merces æternæ gloriæ reddatur. Alio modo possunt considerari secundum suum principium: prout scilicet ex impulsu Dei aguntur secundum propositum Dei prædestinantis: & secundum hoc eis debetur merces prædicta secũdum debitum, quia vt infra capite octauo dicitur: Qui spiritu DEI aguntur, hi sunt filij Dei. Si autẽ filij, & hęredes. Et explicans illud, Gratia Dei vita æterna. Quia enim dixerat, inquit, iustos homines habere vitam æternam, quam certum est non posse haberi, nisi per gratiam: ideò hoc ipsum, quod bona operamur, & quod opus nostrum est dignum vita æterna, est gratia Dei. Vnde & in Psalmo dicitur: Gratiam & gloriam dabit Dominus.

*Tho. in 6. cap. ad Rom.*

*In epist. ad Gal. c. 3.*

Sic igitur opera nostra si considerentur in sua natura, & secundum quod procedunt ex libero arbitrio hominis, non merentur ex condigno vitam æternam: sed solum secundum quod procedunt ex gratia Spiritus sancti. Et alibi: Opera enim non sunt causa, quòd aliquis sit iustus apud Deum: sed potius sunt executiones & manifestationes iustitiæ. Nam nullus per opera iustificatur apud Deum, sed per habitum fidei, non quidem acquisitum, sed infusum. Et ideò quicunq; ex operibus iustificari quærunt, sub maledicto sunt: quia per ea peccata nõ remouentur, nec aliquis quo ad Deum iustificatur, sed per habitum fidei charitate informatum: Hebr. vndecimo. Hi omnes testimonio fidei, &c. Et iterum alio loco: Meritum Christi est, sicut radix omnium meritorum, à quo omnia merita efficaciam trahunt.

*In 2. sent. dist. 27. artic. 6.*

Vnde est quodammodo caussa vniuersalis, quam oportet ad effectus determinatos applicari per causas particulares, sicut sunt sacramenta & orationes Ecclesiæ. Et inde est, quòd non tantum Christum oramus, sed & sanctos eius, quorum meritis & precibus auxilium eius percipimus. Et in Summa: Docet dari gloriam ex meritis, merita ex gratia, gratiam ex diuina voluntate. Et in eadem Summa: Si consideretur opus hominis meritorium secundum substantiam operis, & quatenus ex libro proficiscitur arbitrio, vita æterna dignum non est.

*Parte 1. quæst. 23. Artic. 5.*



non est: Sin autem spectetur, quatenus procedit ex gratia Spiritus sancti, dignum est: non propter suam, sed propter Spiritus sancti dignitatem, mouentis nos in vitam æternam, sicut scriptum est: Erit in eo fons aquę salientis in vitam æternam. Addit & hoc: Attendi, retium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo diuinæ naturæ consors factus, adoptatur in filium Dei: cui debetur hæreditas, ex ipso adoptionis iure: iuxta illud Pauli: Si filij & hæredes. Scribit prætereà: Deum ex promisso debitorem nobis fieri, quòd ipse benè agentibus præmium promisit, vt mereri dicamur, quoniam promisit. Nunquid hic de promissione tacuit, aut de fide intuente non nostram dignitatem, sed Mediatoris? Qui cùm reconciliauerit nos Deo Patri per mortem suam, factus est primogenitus in multis fratribus: & per eum adoptionem filiorum Dei cõsecuti, atq; ita hæreditate regni cœlestis digni facti sumus. Thomæ locũ hunc adducens Capreolus: opera, inquit, nostra bona, pro quanto nostra sunt, & à libero arbitrio proficiscuntur, parui valoris sunt, vt dicit S. Thomas, allegans illud Esaię: Si aũt loquitur de bonis operibus nostris, prout sunt informata charitate & gratia, potius sunt opera Dei quàm opera nostra. Sed & præceptor eius Albertus Magnus, an oblitus est Mediatoris? cùm dixit: Iustitia meritorum Christi fulget in virtutibus sanctorũ. Ante quem etiam Innocentius Tertius, Romanus Pontifex: Quatuor, inquit, cruces purę, sunt quatuor virtutes politicę: iustitia, fortitudo, prudentia, tẽperantia, quæ nisi crucis Christi sanguine purpurentur, frustra sibi virtutis nomen vsurpant, & ad verã beatitudinis gloriam non perducunt. Videtur aũt innocentius ad illud Ambrosij respexisse: Sanguis Christi, purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate: quia Reges facit, & meliores Reges, quibus Regnũ donet ęternum. Meritò ad tantum Ecclesiæ decorem, cui sanguis Christi irrutilat, Spiritus sanctus exclamat: quàm pulchra & suauis facta es Charitas in delitijs tuis. Æqualis autem Alberti & Thomæ Bonauentura, cum demonstrare conatur, quòd nobis lapsis incarnato Christo, maius gratię munus tribuitur, quàm tributũ fuisset, si in statu innocentiæ primus homo permansisset: Quia mediator, inquit, & intercessor pro nobis interpellat, quem in omnibus decet exaudiri pro sua reuerentia: vnde cùm appareat vultui Dei semper ad interpellandum pro nobis, & pro nobis oblatus in cruce fuerit, & offeratur quotidie, valdè probabile videtur, quòd magis munus gratię tribuatur nobis, quàm si nõ fuisset incarnatus, vel pro nobis oblatus. Ac prę- ter ea quæ scribit copiosius in vigesimam septimam distinctionem secundi libri Petri Lombardi, in eo libro quem inscripsit Compendiũ Theologicę veritatis, octo causas enumerat, quamobrem ex cõdigno mereamur vitam ęternã. Prima, inquit, est efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in meritũ. Secunda, veritas Dei promittẽtis. Tertia persuasibilitas liberi arbitrij cõsentientis, & finaliter perseuerantis. Quarta, difficultas status merendi. Quinta, dignitas Christi nostri capitis interuenientis, quòd gloriari debet in membris suis. Sexta, liberalitas Dei retribuentis, quem nõ decet parua reddere. Septima, obsequiũ sibi fideliter obtemperantis. Octaua, nobilitas operis, quod ex charitate procedit: quod tantùm ponderatur in cõspectu Iudicis, quantùm amor, ex quo procedit, & ideò nõ potest sufficienter, nisi à summo bono, remunerari. Et alio loco: In merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, siuè satisfactoria pœnæ, siuè meritoria vitæ æternæ: quia nec ab offensa summi boni dignus sumus absolui, nec immensitatem æterni præmij, quæ Deus est, digni sumus lucrari, nisi per meritũ hominis Dei, qui dicere possumus & debemus, omnia opera nostra operatus es in nobis Dñe. Et qui præcessit Bonauẽturã Alexander de Ales in tractatu suo de Missa, verba faciens de fine, quo claudi cõsueuerunt orationes, quas vulgò collectas vocant: Non per aliam inquit, viam ęterna Dei beneficia possunt ad nos decurrere, quàm per eum: qui est mediator Dei & hominũ, homo Christus IESVS. Per illum enim exaudiũtur preces fidelium, qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad Deum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Num & hic Christi mediatoris non meminit? Num & hi nullam Christi mediatoris, nullam promissionis fecerunt mentionem: Et æqualis horum Guilhelmus Episcopus Parisiensis. Diligens Deum & seruiens ei, Deum sibi facit reuera debitorem: nõ quidem ex virtute vel bonitate huius amoris vel seruitij, sed magis ex promissione diuina, qua se obligauit benè negotiantibus in talentis sibi cõmissis. Ac nonnullis interiectis: Nostris meritis solis, Deum nobis in aliquo facere non possumus debitorem, sed meritis nostris, & promissione sua simul. Qui verò centũ annis posterior fuisse videtur Guilhelmus Durandi: Quia in iustificatione plura & nobiliora sunt à Deo seu à Christo: tum quia etiam illud, quod à nobis est, potius haberet rationem mali quàm boni, nisi quodam modo esset à Deo per gratiam præuenientem elicitum regulatum, & acceptum. Et eius æqualis Ioannes Scotus, posteaquam docuit, nullum actum hominis, secundũ strictam iustitiam esse dignũ æternæ beatitudinis præmio, extrinseca bonitate, quam habet ex suis principijs: atq; ideò rectè dici, quòd Deus semper præmiat vltra meritum condigni: vniuersaliter quidem vltra dignitatem actus, qui est meritum: demonstrat: simul quomodo actus aliquis condignum meritum censeatur, dicens: quòd illa actus est condignum meritum, hoc est, vltra meritum & bonitatem actus intrinsecam, ex mera gratuita diuina acceptatione: ita vt omnis ratio meriti non aliundè magis proficiscatur quàm ex ordinatione diuinæ voluntatis illius actus ad præmium. Et qui sub idem propemodũ tempus vixit, Nicolaus de Lyra. Omnia opera nostra operatus es in nobis, quia nõ sunt meritoria, nisi ex acceptatione Diuina, & gratia, per quam sunt acceptabilia, à solo Deo in nobis efficitur. Quem secutus Gabriël Biel parentũ nostrũ memoria meritum condigni quiddã in eo, qui operatur, quiddam in ipso opere, quiddã in eo requirere dicit, à quo præmium expectatur. In eo qui operatur, vt sit amicus requiri: nam inimicus nõ est dignus præmio, sed pœna. Quamobrẽ quamdiu peccato fuerit aliquis obnoxius, nõ est quòd præmiũ

*Ioan. 4.*
*2. Pet. 1.*
*Rom. 8.*
*Tho. quæst. 3. 27. distinct.*
*Pet. Lomb. sent. libr. 2.*
*In 4. sent. distinct. 15. quantum ad 3.*
*Albert. art. q. 2. in 29. dist. Petri Lob. lib. 2. sent.*
*Inno. mysteriorum Missæ, lib. 2. ca. 23.*
*In psal. 118. Serm. 17.*
*Bon art. 3. q. 3. in 29. distinct. Petri*
*Lomb. sent. libr. 2.*
*Hebr. 5.*
*Hebr. 9.*
*Bona. lib. 5. cap. 15. compend. theolog.*
*Causæ octo quamobrem ex condigno mereamur vitam æternam.*
*Bonau. in breuiloq. parte 4. cap. 7.*
*Guiliel. in lib. de meritis.*
*Durand. in ration. diuinorum officiorum libr. 4. cap. 38.*
*Scot. dist. 17. libro 1 sent.*
*In cap. 26. Esaiæ.*
*Gabriël lib. 2. distinct. 22.*

expe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



expectat, sed pœnam: est enim inimicus Dei, cùm scriptum sit: Similiter odio Deo sunt, impius & impietas eius. Fructus impiorum inutiles. In opere requiritur, vt referatur ad honorem Dei. Nam si quis etiam in gratia existens, aliò referat opus, quàm ad honorem Dei, præmium non meretur. In eo qui dat præmium, requiritur acceptatio, siue ordinatio actus sic eliciti, vel imperati ad tale præmium: ita vt præmium iustitiæ, in præmiante actum ex gratia procedentem tali præmio æterno dignum, non innitatur bonitati actus, quam habet ex bonitate intrinseca, & principijs suis naturalibus, sed diuinæ ordinationi: quæ est quædam cõsentio siue promissio & pactum: debent autem pacta & promissa seruari.

*Sapien. 14.*
*Sapien. 4.*

Quam Scotus ordinationem diuinæ voluntatis alicuius actus ad præmium, eam exponens Gabriël promissionem vocat, siue conuentionem & pactum: vt quod opus ex se dignum non erat æternæ vitæ præmio, dignum fiat propter promissionem Dei, sic illud ex liberalitate sua tanquam dignum acceptantis: quemadmodum in libro Hester legimus: Hoc honore dignus est, quemcunq; Rex voluerit honorare. Nunquid & hic nullam fecit de promissione mentionem? Idem Gabriël Biel Missæ Canonem explicans: Nullum, inquit, foret nostrum meritum, si non per Christi meritum fieret præmio dignum. Nunquid hic Christi mediatoris oblitus est? Stephanus Brulepher Scoti sententiam sequutus, ponit duas propositiones. Prior est hæc: Nullus actus elicitus ex charitate, & secundum inclinationem charitatis, quantumcunq; bonus sit, est dignus vita æterna ex natura rei. Probatur. Non sunt cõdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Item Christus in Euangelio: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Sed si homo faceret actus ex natura rei dignos æterno præmio, non esset seruus inutilis. Posterior verò: Omnis actus elicitus ab habente charitatem, & secundum inclinationem charitatis, solùm est dignus vita æterna propter passiuam acceptationem Dei. Quid sit autem acceptare, Scotus explicat ipse dicens. Acceptare, est, velle aliquem secundum dispositionem, quam nunc habet, esse dignum tali præmio, quem prius non voluit esse dignum. Verbi gratia: Sit aliquis grauis peccator, non modò non dignus cœlesti præmio, verumetiã dignissimus, qui sempiterno supplicio afficiatur, conuertatur is ad Deum, studeat eum placare ieiunijs, orationibus, eleemosynis. Quãuis hæc omnia natura sua nõ sint eiusmodi, vt sint cœlesti præmio digna: tamen secundũ has dispositiones acceptat Deus hominem ex gratuita sua bonitate, & vult esse dignũ tali præmio. An aũt idẽ nõ sensit Ariminẽsis Gregorius, cum dicit: opera nostra, non ex se, sed ex sola gratiosa acceptatione diuina, sunt meritoria vitæ æternæ. Et grauiter eos reprehendit, qui docent, ex puris naturalibus elici posse bonos actus moraliter: & infidelium opera, quæ virtuosa & laudabilia videntur, quãuis ex officio, siue ex genere bona dici possint, negat tamen esse moraliter bona, sed peccata: & punienda esse affirmat, idq; ex D. Augustini sententia. Et alio loco. Nullus actus noster, siue cum charitate, siue absq; charitate elicitus, est ex natura sua dignus aut meritorius vitæ æternæ, sed ex gratuita ordinatione diuina: quia non sunt condignæ passiones &c. Et alio loco. Non ideò Deus acceptat aliquem velut dignum vitæ æternæ, quia ipse dignus est vita æterna: Sed ideò quis ea dignus est, quia Deus ipsum velut dignum acceptat. Et iterum Nedum vitæ æternę, sed nec alicuius alterius præmij æterni vel temporalis, aliquis actus hominis ex quantacumq; charitate elicitus, est de condigno meritorius apud Deum: quoniam quilibet talis est donum Dei, secundum Apostolum: quid enim habes quod non accepisti? Hoc autem his verbis intelligi vult Gregorius: quòd natura sua, quatenus à nobis, & à nostro libero proficiscitur arbitrio: nullus actus ex quantalibet charitate elicitus, mereatur ex condigno: sed quatenus à Deo profectus, quatenus illius esse donum agnoscitur, meretur: vt si quis actum eiusmodi suis viribus tribuat, nec in eo Dei gratiam agnoscat, gehennæ potius pœnas quàm æternæ vitæ præmia mereatur.

*Hester. 6.*
*Gab. in canonem Missæ lect. 86.*
*Lib. 1. dist. 17.*
*Luc. 17.*
*Acceptare quid sit.*
*In libr. 2. sent. dist. 26.*
*In 1. li. sen. dist. 16.*

Dionysius verò Carthusiensis, qui non ita multis annis Gabriëlem præcessit, his verbis vtitur: Actio virtuosa, ex motione actuali spiritus sancti, & ex supernaturalibus præstantissimis gratię donis, & charitatis procedens, talis est dignitatis, quòd nullũ temporale bonum potest esse condigna, aut sufficiens merces eius: Ideò secundũ valentiores Doctores Scholasticos, Alexandrũ, Albertũ, Thomã, Bonauenturã & alios: imò secundũ Augustinũ, Gregoriũ, Bedã & alios sanctos, in omnibus promissionibus Mosaicæ legis, in quibus tẽporalia bona pro præmio actuũ virtuosorũ promittuntur, sub promissionibus temporalibus intelliguntur spiritualia gratiæ bona, ac gloriæ dona. Quamuis aũt omnia bona quæ habemus, sint dona Dei; attamen benè & laudabiliter vti eisdem est meritoriũ. Et quoniam quę à Deo sunt, ordinata sunt, & ipse superglorioſissimus Deus omnia in sapientia fecit, atq; in cunctis operibus suis misericordiã iustitiam q; suam cõtemperat: ipsemet sic ordinauit, & ita instituit, vt rationalis creatura per viam non solùm misericordiæ, sed etiã iustitiæ ad summã & æternãlem illam felicitatem pertingat. Ad incitandũ quoq; & confirmandum nos in fide, spe, & charitate, & ad laborãdum idoneè, indefessè, & feruidè, dignatus est hominibus suis dona beatifica ac diuina, nõ solùm asserendo, sed & promittendo, & iurando prænunciare, sicq; se quodãmodo ad id agendum constrinxit, & debitorẽ constituit. Vnde ad Abraham loquebatur: Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, benedicã tibi, Propter quod Zacharias in Cantico suo deprompsit, Iusiurãdum quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ, daturum se nobis. Hinc & Iacobus dixit Apostolus: Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dominus diligentibus se. Iterumq; Apostolus Paulus. Quam promisit, qui non mentitur, Deus. In Ioannis Apocalypsi etiam: Ambulabunt mecum, inquit, in albis, quoniam digni sunt. Sicq; de condigno hoc meruerunt, nihilominus totum originaliter, ex mera syncera bonitate & munificentia superbeatissimi Dei fluxit. Hactenus Dionysius. Nunquid autem & hic de promissione tacuit? Et ante Gabriëlem Simon de Cassia, explicans illud: Deus Deus meus respice in me: non petitur, inquit, à Christo, diuinus in eum respectus, vt liberetur à pœnis: sed vt iustitia pœnæ ipsius capitis, in iustitiam mystici corporis cõuertatur, quod & factum est. Nam in iustitia, qua Christus non dignus pati patitur, facta est iustitia mystici corporis indignis saluari, qua saluatur. Clamat igitur saluator omnium: Deus Deus meus respice in me, pro corpore meo futuro, vt in iustitia, quæ in me agitur, ad iustitiã, pro salute meorum fidelium, scilicet mei corporis adiuuetur.

*Dion. Car. in lib. 2. sen. dist. 27. qu. 2.*
*Isaiæ 1.*
*Rom. 13.*
*Psalm. 103.*
*Genes. 21.*
*Lucæ. 1.*
*Iacob. 1.*
*Titum. 1.*
*Apoc. 3.*



*Lib. 13. de gestis domini Saluatoris.*

Sed quorsum attinet aliorum testimonia producere, quos videre licet, aut Thomam, aut Bonauenturam, siue Scotum esse ferè secutos? vt ab horum sententia minimè discrepare videantur. Libet nihilominus hîc adscribere verba Petri Aliaci, & Ioannis Gersonis, qui vixerunt ante centum quadraginta annos. Quorum ille sic scribit, enarrans illa verba: In iustitia tua libera me. Si attendis, inquit, ad iustitiam meam, damnas me: ideò in iustitia mea non liberas: Nam iustitia hominis est, quę suis viribus putat se iustificari, non credens gratis saluari. Absit à me Domine, absit à me hæc iustitia, heu verius iniustitia, fœuissima contra te ferens arma. Sit, fit in me potius illa humilis confessio: Gratia Dei sum id quod sum. Quare gratia? quia gratis data. Quare gratis data? quia merita mea non præcesserunt, sed beneficia tua præuenerunt. Nec inuenit in me gratia tua merita bonorum quæ coronet, sed demerita malorum quæ damnet. In hac ergo iustitia tua, in hac gratia mihi gratis data libera me: quia hæc sola liberat, dum iustificat impium à sua impietate, & iniustum à sua iniquitate conuertit. Ioannes verò Gerson sic: Spes, inquit, ad certam beatitudinis expectationem sic se habet. Ponit sibi per fidem, quòd est aliqua talis beatitudo: iungit, quòd ad illam pura liberalitate & gratia Deus ab æterno quosdam prædestinat, & eligit: addit, quòd ad consequutionem eiusmodi finalis beatitudinis ordinauit media conuenientia varijs modis, sine numero: inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideò dicitur vita æterna, quia pignus est vel arra. Hanc autem gratiam nulli daturus est, nisi per medium mediatoris Dei & hominum. Quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam, sed nõ efficaciam: nisi incorporatis sibi per fidem habitualem, vt in paruulis, vel actualem & habitualem, quæ per dilectionem perseueranter operatur. Quæ fides minus explicita fuit in Prophetis tempore legis scriptæ, quàm in Apostolis tempore gratiæ. Et alio loco: Si obsistat fortassis antiquus ille aduersarius, & calumniabitur, iniustum esse vt alienis precibus, & non proprijs operibus quisquam saluetur, ad verbum illud, fateor, expauescerem, nisi magna merita mea recognoscerem. Habeo autem duo merita magna & valida: & meritò pro ijs ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Et primum quidem est Domini mei passio: secundum verò, mei est & ipsius operatio: etiamsi vel minimum quid operatus fuero, etiamsi vel vnum in fine vitæ gemitum edidero: Quacunque, inquit, hora peccator ingemuerit, saluus erit. Primum opus operatus est Dominus meus pro me, & fine me: & quia merito eius ipse non eguit, mihi dedit. Secundum opus operatur mecum & in me: & eius meritum mihi totum dat, ac pro eo & præmium dabit. Atque ita verum est, quòd electi Deo dicunt, Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Primum meritum ianuam mihi regni cœlestis referat, secundum in beatitudine sedem collocat. De primo scriptum est, Occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabunt super terram. Item Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo. Et Magister Petrus Lombardus in sententijs: Non potuit patefieri regni aditus, & fieri salus, nisi per mortem vnigeniti, cuius tanta fuit humilitas & patientia, vt merito eius, patuerit in eum credentibus regni aditus. De secundo scriptum est: Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Et alibi, Cuius misericordia locum vnicuiq; tribuit, secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis eius: quia secundum quod magis aut minus se hîc peregrinum esse quisquã intelligit, & iuxta intellectum veram patriam inquirit, secundum hoc magis aut minus in regno claritatis habebit. Attamen qui vel vltimus erit in regno, vt potè, qui illud sibi conquisierit vno solo gemitu, vel vno aquæ frigidæ potu, scimus quòd tantam gloriam habebit, quantam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit. Et iterum alio loco: loquens inimicis, animam in desperationem inducere volentibus: Nec opus est, inquit, vt mihi mea peccata cõmemoretis, inferentes hinc, me cœlestibus præmijs esse penitus indignum: id enim scio: Sed scio, quòd pius ille meus Pater IESVS Christus meum debitum soluit: & mea omnia, quotiescũq; mihi displicuerint, delebit peccata: mihiq; suo pretiosissimo sanguine cœleste regnum lucrifecit & emit: ex hoc titulo, & nullo alio possessionem eius rei præstolor. Et paulò pòst ad eosdem: O nequam & desperati, non quidem dico mihi hanc adesse fiduciam, vt absq; obseruantia diuinæ legis saluari præsumam, esset hoc indubiè non spes, sed præsumptuosa temeritas. Huiusmodi sunt quamplures, qui sine pœnitentia & correctione malę vitę Deum eos saluaturum arbitrantur, dicentes: nõ ideò eos Deum fecisse, vt condemnet. Absit vt sic spem meam instituam. Quinimò summè cupio in melius reformari, & legem totam adimplere, sine qua impossibile esse scio me saluari. Ad id autem faciendum mihi confido præstari vires à Domino. Sit igitur hæc vobis mea responsio, quòd cœlestium bonorum retributionem peto, sub titulo, & in spe mei glorioſi redemptoris IESV Christi: qui mihi ius in illis vendicauit, & ob id suam mihi impertiri misericordiam precor: qua in primis à peccatis meis ex mera sua gratia suam auertat faciem, & omnes meas deleat iniquitates, & exinde me faciat suæ legis factricem & mandatorum eius. Hæc Ioannes Gerson. Et qui fuit æqualis eius Thomas Vvaldensis, Dicũt, inquit, quomodo gloria Paradisi datur promerentibus, siipsam ex libertate arbitrij mereri non possumus? aut si

*Pet. de Aliaco Psalm. 30.*
*Rom. 11.*
*1. Corinth. 15.*
*Gers. de consol. Theologiæ lib. 1. Prof. 4.*
*Rom. 6.*
*Galat. 5.*
*Idem in ser. de verbis domini.*
*Venite ad me omnes, parte 1. Psal. 41. Merita duplicia. Ezech. 18.*
*Esaiæ 20. Apoc. 15. 1. Pet. 3.*
*Lib. 3. sent. dist. 18.*
*1. Corinth. 2. Eccles. 18.*
*Matth. 10. 1. Corinth. 3.*
*Gers. de mendicitate spirituali parte 1. Gersonis certamen cum dæmone.*
*Psalm. 50.*
*Valden. lib. 1. ca. 4. de sacramentis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



aut si totum efficit gratia, vt quid merita requiruntur? quasi non sit qui respondeat. Si totam hanc domum solus fecit artifex, ad quid quęrebatur securis? Et si Christus solus totum hominem sanum fecit in sabbato, quid profuit claudo sermo curantis? sed nouerint vitam æternam dari nobis pro meritis, si cum meritis ipsis numeremus: & gratiam, sine qua nec ipsa sunt merita, quia nec Dei dona. Ac paulò pòst producto Augustini loco quodam: Ex hoc, inquit, Augustini loco, secundum fidem Apostoli, merita nostra non coronat DEVS, nisi quia gratiam suam coronat in meritis, & nihil de suo habent merita, sed ex toto quod sunt, gratia sunt.

Quoniam verò, vt supra diximus, hoc ferè Scholastici Doctores reliqui secuti sunt: nec aliud scripserunt, aut senserunt omnes sancti Monachi, Dominicani Franciscani, Carmelitæ, Carthusiani, & Augustiniani & cuiuscunq; tandem alterius ordinis: quin & quotquot alij fuerunt scriptores, qui Petrum Lombardum sequuti sunt ad hæc vsq; nostra tempora: quis est incircuncisus iste Philistæus, qui sic audet aciei Dei viuentis exprobrare, quasi nihil in ea tot seculis de mediatore, nihil de promissione seu Euangelio, nihil de fide seu fiducia mediatoris dictum sit? Videtur hic non modò Theologos non legisse vnquam, sed ne templa quidem Christianorum ingressus aliquando: Vidisset in his IESV Christi mediatoris nostri simulachra, per quæ templum ingredientes, vt in hoc vno mediatore spem nostram omnem defixam habeamus, admonemur: & cum alia pleraq; animaduertisset, de quibus initio libri huius scriptum est à nobis, tum illud audiuisset, quòd in ijs orationibus, quæ funduntur ad altare, (vulgò collectas vocant) preces omnes in Deum patrem ferè dirigimus, neque per alium concedi nobis ea quę petimus, postulamus, quàm per vnicum Dei & hominum mediatorem, Dominum nostrum IESVM Christum, vt dicere, fuisse mediatorem orbi Christiano tot seculis ignotum, non sit aliud quàm dicere: Nil intra est oleum, nil extra est in nuce duri. Verùm isti, qui dici volunt (si dijs placet) Euangelici, verum an falsum dicant, nihil sua referre putant: dum quos Christus pretioso sanguine suo collegit, eos dispergere, & à corpore ipsius, quę est Ecclesia, segregare, Satanęq; lucrifacere queãt. Quam ad rem cùm non aliam esse viam cõmodiorem intelligerent, hoc illis cõmentum placuit, ignoratũ tot seculis fuisse mediatorem Dei & hominum, hominem IESVM Christum, qui dedit semetipsum redemptionem ,p omnibus, nihil de promissionibus, nihil de beneficijs eius dictum esse, verùm hoc factum potius, vt ea quàm maximè obscura essent omnibus. Atque interim hæc ab imperitis non leguntur modo magna cum admiratione, verumetiam non minore leuitate creduntur.

*1. Reg.12.*

*Christi crucifixi simulachrum in templis cur ponatur.*

*Orationes omnes in Christi nomine concluduntur.*

*1.Tim.2.*

*1.Tim.2.*

*Ad argumẽta hæreticorũ respondetur.*

Sed iam quæ sit Ecclesię sententia de meritis operum, & quàm sint ab omni veritate longè remota, quæ matri nostræ per filios desertores affinguntur, satis planum fecisse videmur. Ex his autem quæ iam dicta sunt, ad ea quæ per istos objiciuntur, facile fuerit respondere. Nam & nos cum Paulo non inuiti fatemur, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: Quin & illud addimus: si fieri posset, quod à D. quoq; Macario legimus scriptum, vt quis ab eo die, quo conditus est orbis, ad extremum vsque iudicij diem viueret, ac per omne tempus id non modo laboraret, verũetiam extrema quæq; supplicia pro Deo pateretur: nondum essent labores illius & cruciatus digni, quibus æternæ vitæ præmium redderetur. Et verissimè dictum est ab Anselmo: Si homo mille annis seruiret Deo, etiam feruentissimè, non mereretur ex condigno, dimidium diem esse in regno cœlorum Quamobrem ipsa quidem operum natura, siue substantia, digna non est: verum dignus est Deus, qui operatur ea in nobis: digna est Christi passio, per quam, quæ indigna fuerant ex se, digna facta sunt opera nostra æternæ vitæ retributione: digna est deniq; charitas quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum: quæ cùm finem nesciat, non est huius temporis, atq; ideò nullum temporale, sed æternum præmium illi pro dignitate tribui potest. Nihil itaq; tribuimus operum naturæ siue substantiæ, sed cum sancto Marco Eremita dicimus: quòd omne opus bonum, quod per nostram naturam operamur, tantùm equidem efficit, vt à contrario malo abstineamus. Cæterùm extra gratiam sanctificationis accessionem nobis ferre non potest. Producens Pauli locum hunc Ambrosius: Indignæ sunt passiones huius temporis ad superuenturam gloriam: Indignæ vtique, inquit, ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis. Quæ est tam præclara cuiusquam vita in terra, vt adæquare cœlestem gloriam possit? Itaq; redemptionis fructus est, quòd opera, siue passiones nostræ condignæ censentur ad futuram gloriam non ipsorum operum, siue passionum natura: Quod etiam alio loco non obscurè significat idem Ambrosius, quando perennem gloriam sacræ Christi mortis, præmium esse dicit. Et vbi de pœnitentia tractat producto Euangelij loco, de Lazaro quatriduano fœtente. Quod igitur, inquit, de Lazaro legimus, in vno quoque debemus conuerso peccatore credere. Qui licet fœtorem habeat, tamen fidei præciosæ emendatur vnguento. Tantum enim gratiæ fides habet, vt vbi ante fidem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus. Fœtebat Corinthia domus, quando scriptum est de ea. Auditur inter vos fornicatio &c. Fœtor enim erat, quia modicum fermentum totam massam coruperat? Cœpit benè olere cum dicitur, si cui quid donastis, & ego. Nam & ego donaui propter vos in persona Christi: Sic Ambrosius non operis naturæ sed fidei tribuit, quòd benè olet opus nostrum. Fidei qua nos redemptos, & mundatos esse credimus Christi sanguine. Scripsit Psellus librum quendam de difficilium quorundam locorum in Orationibus Gregorij Nazianzeni intellectu, explicãs illum locum in Oratione secunda de Paschate, splendorem Dei & videre & pati: Arbitror, inquit, ego virtutes & operationes, quæ post has proueniunt, Deum nobis in præsenti vita actiuè incluisse: harum verò retributionem passiuè in futuro reseruasse. Hic enim virtutes constanter operamur, ipsas nobis natura insitas, diligenter & cum labore excolẽtes. Quod verò

*Merita bonorum operum.*

*Rom.8.*

*Macar.hom.15.*

*Lib.de mensuratione crucis. Philip.2.*

*Rom.5.*

*Macarius Eremita de lege spirituali cap.23.*

*Amb.de pœnit.lib. 2.cap.3.*



verò restat vt illustremur, & deificemur, non iam nos operamur, sed à præstantiore nempè Deo, patimur. Hanc ob causam id quoq; quod nos operamur fine concluditur, quod actio nostra infinitæ non sit potentiæ, sed mortalis. Quod autem patimur operãte principe Deo, hoc infinitũ est, omnibus seculis durans, & nos vicissim mutantes contemplationes, & deificati, nunq; sistere poterimus ab adscensione & Deificatione. Deus enim est qui in nobis operatur Deificationũ. Quorũ. n. esse est infinitũ, operatio etiã est incõprehẽsibilis. Nos verò passiuè ad illius transformati lucem, nullo vnq; tempore carituri sumus hac ineffabili transformatione. Et hoc intellexisse magnum hunc Patrem arbitror, dũ Dei splendorẽ videre & hunc pati se dicit: Hic Philosophus iste Christianus nõ operationibus virtutũ, q̃ finitæ sunt, sed Deo in notis operanti, per quẽ in Dei filiorũ numerũ cooptati & Deificati sumus, ęternã illam gloriã in futuro seculo fert acceptam, cum ipsorũ operum substantia nihil mereatur, verũ Deificatio sicut Psellus loquitur: Scripsit Athanasius vitã Antonij, cuius inter alia dictũ etiã hoc recensetur: In pręsenti hac vita, æqualia sunt pro rerũ cõmutatione, cõmercia, nec maiora recipit ab emente qui vendit. Promissio aũt vitæ sempiternæ vili pretio cõparatur. Scriptũ est enim, dies vitę nostræ septuaginta anni, si aũt in potẽtatibus octuaginta anni, q̃quid reliquũ est, labor & dolor est. Quãdo ergo octuaginta, aut centũ, aut multos annos laborãtes, in Dei opere vixerimus, non pari tẽpore regnaturi sumus in futuro: sed pro annis prędictis, omniũ nobis seculorũ regna tribuentur. Non terrã hæreditabimus sed cœlum, corpus quoq; corruptũ relinquentes, idipsum cũ incoruptione recipiemus. Ergò filioli, nõ vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non sunt. n. condignæ passiones huius tẽporis ad superuẽturã gloriã, q̃ reuelabitur in nobis. Nemo cùm aspexerit mundũ reliquisse se arbitretur ingẽtia, quia omnis terra ad infinitatẽ cõparata cœlorũ, breuis ac parua est.

Sed nec illud imus inficias, quod facti sumus vt immundi oẽs, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Sed quid si sanguis Iesu Christi emundauit nos ab omni peccato? si propterea dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populũ acceptabilẽ, sectatorem bonorum operũ? nunquid euacuabo crucẽ eius? nunquid mortis illius beneficiũ abolebo? nunquid non agã potius gratias infinitæ bonitati illius & misericordiæ? per quã factum est: q̃ iustitiæ meæ, q̃ natura sua tanq̃ pannus mẽstruatæ fuerunt sanguine illius ablutæ, factæ sunt mundæ, factæ sunt acceptæ Deo, factæ sunt per hanc illius acceptationẽ dignæ præmio vitæ æternæ: q̃ fulget in illis iustitia meritorũ Christi, q̃ si non adesset, si non fulegeret in illis, essent adhuc quales fuerunt tanq̃ pannus mẽstruatæ. Sic à Ruperto Abbate scriptum legimus: Quẽ tu erudieris Domine, ille scit, q̃ iustitia nulla sit, q̃ omnis ex operibus iustitia vana sit: nisi testimonium habeat ex fide huius filij hominis Iesu Christi: cuius sanguis cũ aqua fluens de latere eius, nisi iustos oẽs emundasset, immundæ, & sordidæ essent oẽs iustitiæ nostrę. Et q præcesit Rupertum Remigius, & ipse monachus, enarrans illud ex Michæa: Nunquid dabo primogenitũ meum pro scelere meo? Sed & nos, inquit, agentes pœnitentiã, sciamus nos nihil dignum dare posse ad placandũ Deum: Sed solũmodo in sanguine immaculati, & spiritalis agni nos speremus saluari: Si tamen initimur eius passioni, & pro illo mori parati simus. Cõfitemur & illud non magis humiliter, q̃ & veraciter & libẽter, quod cùm fecerimus omnia, q̃ nobis præcepta sunt, serui sumus inutiles, quod debuimus facere, fecimus. Sed quid si ille iam nõ dicit nos seruos, sed amicos? quid si non tãtùm amicorum, sed etiã filiorum suorũ honore nos & appellatione dignatur, quibus omni iure cœlestis regni debetur hæreditas? quid si tanta liberalitas eius est, q̃ fons est perennis totius bonitatis, vt vltrò se obliget: vt cui nos debitores sumus, ipse se nobis ex promissione debitorem constituat? Explicans illum Psalmi locum Augustinus. Quia miseri cordiam & veritatẽ diligit Deus Dominus, inquit, misericordiam diligit, qua mihi primo subuenit: veritatẽ diligit, vt credenti det quod promisit. Audi misericordiam & veritatem in Apostolo Paulo, prius Saulo psecutore: indigebat misericordia, & dixit, in se factã: q prius fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus: sed misericordiam cõsequutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus oẽm longanimitatem, in eos, qui crediturí sunt illi in vitã æternã. Vt, cùm indulgentiam tãtorum scelerum acciperet Paulus, nemo desperare posset, fibi donari quæcunq; peccata. Ecce habes misericordiam: noluit tunc Deus exercere veritatem, vt puniret peccantem. Et enim, si puniretur peccator, nónne veritas esset? aut auderet dicere, non debeo puniri, qui non posset dicere, non peccaui? Et si diceret, non peccaui, cui diceret? quem falleret? Ergo primò Dominus misericordiam in eum prærogauit, post misericordiã, veritatem. Audi illum iam exigentem veritatem. Primò ergo, inquit, misericordiam consecutus sum, qui prius fui blasphæmus, & persequutor, & iniuriosus: sed gratia Dei sum id quod sum. Postea dicit, cùm passioni propinquaret. Bonum agonem certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, superest mihi corona iustitiæ. Ille, qui tribuit misericordiam, seruat veritatem. Vnde seruat veritatem? quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex. Indulgentiam donauit, coronã reddet: donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Vnde debitor? accepit aliquid? cui debet aliquid Deus? Ecce videmus, quia tenet eum debitorem Paulus. Consequutus est misericordiã, exigens veritatem. Mihi, inquit, reddet Dñs in illo die. Quid tibi reddet? nisi quod tibi debet? vnde tibi debet? quid ei dedisti? quis prior dedit illi, & retribuetur ei, Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur: redde, quod accepisti: sed redde, quod promisisti. Misericordiam mihi erogauit, inquit, vt faceret me innocẽtem: nam prius fui blasphemus, & iniuriosus: sed ex illius gratia, factus sum innocens. Ille autem, qui prærogauit misericordiam, negare poterit debitũ? Diligit misericordiam & veritatem, gratiam, & gloriam dabit. Quam gratiam? nisi de qua ipse dixit, gratia Dei sum id quod sum? Quam gloriã? nisi de qua ipse dixit: superest mihi corona iustitiæ? Neq; dissimilia scribit, enarrans alium Psalmi locum: Misericordiam, & iudicium

*Ruper.li.2.in Matth.*

*Psal.93.*

*Ioan.19.*

*Michæe.6.*

*Luc.17.*

*Ioan.15.*

*Rom.8.*

*In Psal.100.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cantabo tibi Domine. Vbi, eiusdem Pauli exemplo docet, misericordiæ fuisse, quod ex blasphemo factus est iustus, & ex persecutore Apostolus: Hoc enim solius Dei donum fuit, cum nulla præcessissent alia, præter quam gehennæ merita. Posteaquam autem illi Deus donauit, vt ex impio fieret iustus, iam tenet, inquit, Dominum debitorem. Inuenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorē tempore iudicij. Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, hoc tempore misericordiæ. Audi de iudicio. De cætero supereſt mihi corona iustitię, quā reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Nō dixit, donat, sed reddet. Quando donabat, misericordiæ erat: quando reddet, iudex erit. Quia misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: sed donando delicta, fecit se debitorem coronæ, vbi misericordiam consequutus sum. Misericors ergo dominus, primò, hic autem reddet mihi coronam iustitiæ. Vnde reddet? quia iustus iudex est. Quare iustus iudex? quia bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. Ideò iustus non potest nisi coronare ista: inuenit enim ista, quæ coronaret. Antea verò, quid inueneratq prius fui blasphemus, & persequutor? Ista donauit, illa coronauit. Donauit hæc tempore misericordiæ: coronabit, illa tempore iudicij: quia misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Et iterū alio loco: Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi quia dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis debes mihi quia dedi tibi, à te processit beneficiū, sed mutuatum non donatum. Quando aūt debes mihi quia promisisti mihi, tu nihil dedisti & tamen exigis. Bonitas enim eius qui promisit, ne in malitiam fides conuertatur, nam qui fallit, malus est. Deo igitur quid dicem⁹, redde mihi qa dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus & habemus boni ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, nec est qđ illa voce exigamus debitorem Deum, maximè dicente nobis apostolo, quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, vt dicamus: Redde qđ promisisti quia fecimus, quod iussisti: & hoc tu fecisti, quia laborātes iuuisti. Et Fulgētius. Ecce, qualis est, inquit, Dominus noster vt donando debeat: & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat. In quantum enim gratis largitur, in tantum debitor inuenitur: nec eum potest aliquis debitorem habere, nisi in eo, quod ipse dignatus fuerit gratuita largitione cōferre. Quem sequutus Cæsarius. Ille, qui captiuos, inquit, redimere, & pauperes pascere, & vestire non prætalet, cōtra nullum hominem odium in corde reseruet: & inimicis suis, non solum malum pro malo, non reddat, sed etiam diligat: & pro eis orare non desinat: certus de promissione, & misericordia Domini sui, libera conscientia, ante tribunal Christi dicere poterit: Da Domine, quia dedi: dimitte, quia dimisi. Et alio loco: Eleemosynam dare festinemus, vt securi in die iudicij dicere possimus: Da Domine, quia dedimus: nos fecimus, quod iussisti: tu imple, quod promisisti. Ad eundem modum Eligium quoq; ad bona opera faciēda populum exhortatum fuisse scribit Audoēnus, vt securi in die iudicij ad tribunal æterni iudicis venientes dicatis: Da, Domine, quia dedimus: miserere, quia misericordiam fecimus. Nos impleuimus quod iussisti, tu redde quod promisisti. Et aliquot post seculis Bernardus, cum illa Christi verba explicaret, Consumatum est, inquit, hoc est, tuo adiutorio, non mea: virtute certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. Redde ergo, quod legitimè certātibus in agone te promittente propositū est. Scilicet, coronam iustitiæ: quā tu iustus iudex reddesin tua die. Ad eundem modum Græci quoq;. Basilius, exponens illa verba psalmi, Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi. Magnificus dator, haud quaquam dictus est tribuisse, sed retribuisse. ac si is nō cœpisset prior in nos gratiam conferre, sed resolueret acceptam his qui priores contulissent. Quam enim pro accepta gratia rependis gratiarum actionem, in numerum refert, & habet beneficij loco: qui quidem cùm opes facultatesq; suppeditarit, per pauperum manus à te reposcit eleemosynā is, tametsi aliud nihil accipit quàm quod suum est: solidam tamen & sinceram retribuit gratiam, ac si propria dedisses Et æqualis eius Gregorius Nazianzenus: Accipite, inquit, orationem nostram fratres, etsi perexigua sit, etiamsi longè infra dignitatem subsistat, nihilominus appendere, velut ad lancem consueuit Dñs Deus, iusto iudicio, misericordiam suā. Quē locum explicans Elias: Debemus, inquit, per misericordiam intelligere, mercedem illā quā nobis Deus rependit. Nos enim tanquam serui virtutem debemus, vt optima quæq; Deo & grata, tanquam debitum quoddam exoluamus ac offeramus: quippe cùm nihil habeamus, quod non ab ipso acceperimus. Deus autem velut herus & dominus noster, miseretur, nobisq; potius donat quàm rependit. Et post eum Chrysostomus: Si dimiseris, hoc quasi debitum repetes, non ex natura rei, sed ex bonitate donantis: & vbi non illuxit æqualis benignitatis indicium, vt qui conseruis dimittit, eorum, quæ ipse peccauit in Dominum, veniam referat. Hac tamen tam singulari benignitate nos fruimur: quia creditor noster diues est in misericordia & miserationibus. Et eis discipulus Nilus. Cum sim debitum Deo redditurus, qui quod soluitur à me rependere rursus nouit altera gratia: & quod à me redditur debitum, non vt debitum accipit, sed fœnori magis, sęq; debitorem esse profitetur, pro eo quod à me solutum est, quasi ad remunerationem teneatur propter gratum debitoris animum: Cumq; semper prior ipse profusè gratias largiatur, semper se tamen debere Chirographo suo profitetur, ijs qui beneficentiam eius fœnori accipiunt, & quod ab illis exoluitur, id pro liberalitate reputat, vt & incipiat semper gratias beneficiaq; cōferre, & tanq; debitor gratiā reddat. Hāc igitur, illius inenarrabilem beneficentiam, qua se debitorem constituit, cui debitores ipsi sumus: cum nihil ei dare possumus, quod ab ipso prius non acceperimus: nūquid non obuijs vlnis amplectar potius, quàm vt parum illi me gratum præstem? scio, quòd bonorum meorum non eget. Scio, quòd illius sunt omnia: neque possum illi dare quicquam, quòd de manu eius non acceperim, Scio verissimum esse quod à Philone scriptum est: cum ne

*Aug. de verbis Apost. hom. 16.*

*In Prologo li. quos ad Monimū scripsit.*

*Hom. 2.*

*Hom. 15.*

*Bernardus de passione Domini.*

*Basilius in Beatum Iulitam Martyrē.*

*Hom. 1. in Epist. ad Philemonem.*

*Psal. 11.*
*1. Cor. 4.*
*1. Para. vlt.*
*Philo. li. 2. Allegoriarum.*



ne parentibus quidem dignam referre valeam gratiam, multò minus posse nos Deo vicem reponere mutuam, qui omnia ex nihilo condidit, qui virtutem omnem largitur. Scio quòd illius munera sunt, si quæ sunt merita mea: ac si quid valet opus aliquod meum, Christi passionis, & mortis merito valet: quod iustitia meritorum eius fulget in virtutibus meis, si quę sunt: omne meritum illius, vt sit proprium, neq; debere mihi quicquam possit. Sed quid faciam illius immensæ bonitati, nunquid oculus tuus nequam est, quoniam ille bonus est? Agnosco quæ dicis, omnia vera esse confiteor, cùm Dei digito scripta sint. Sed quis ego sum, quimodum ponam diuinæ benignitati: quæ tanta est, vt etiam pro ijs, quorum nomine ipse debeo, se mihi debitorem Deus constituat: vt suis ipse donis mercedem promittat: vt suis ipse meritis coronam tribuat. Quæ mihi certè iam debetur non ex operis mei per se cōsiderati dignitate: sed ex immensa promittentis Dei liberalitate. Præclarè Chrysostomus. Tanta est erga omnes bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. Agit quippè in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus. Si modo Chrysostomi hæc verba sunt, & non Cœlestini potius. Et alio loco: Chrysostomus, postquam docuit nihil habere nos, quod à Deo non acceperimus, sic Deum inducit loquentem, Eorum, quæ ipse præbeo, mercedem non exigo: verum & huius ipsius mercedem tibi debeo, si meis omnibus vti volueris. Quis vnquam prædicare satis poterit admirandam hanc illius bonitatem: quam quantò mihi Satan magis inuidet, tantò magis de illa gloriabor: tantò maiores illius authori gratias agam: tantò sum in illa perpetuo prædicanda futurus diligentior, & cum Propheta dicam: Misericordias Domini in æternum cantabo.

*Matth. 20.*

*Chrys. hom. de Ada & Eua.*

*Cœlestinus ad Episcopos Galli.*

*Psal. 88.*

Qui cùm & illud canam lubens: Non intres in iudicium cùm seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Nam quemadmodum etiam Ioannes Gerson admonuit: aliter cum Satana loquimur, si quando ille nos in desperationem adducere, aut si quando opera, quæ Deus operatur in nobis, eleuare, ac omne meritum illis detrahere conatur, quò segniores nos ad benè operandum reddat: aliter agimus cùm sistendi sumus in conspectu diuinæ maiestatis: Tunc enim nos cū sancto Abrahā cinerem & puluerem esse recognoscimus: tunc nos miserrimos peccatores, & omni suppliciorum genere dignos profitemur: tunc qua summa possumus animorum nostrorum submissione, veniam deprecamur: tum quasi super terram stamus, alas submittentes, quas in altercatione cum diabolo, quasi in cœlo volantes, extensas tenemus: vt semper & erecti coram diabolo, & humiles coram Deo reperiamur. Quod etiam Bernardū fecisse scribit Guilhelmus, qui cùm extremum iam spiritum traheret videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit, autem, inquit, & Satanas ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi verò ille omnia fuerat prosecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nihil territus aut turbatus ait: Fateor, nō sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono iure illud mihi vēdicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est. Ante quē etiam Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus alloquēs Angelos: Quod in regno Dei, inquit, nostra quærimus æqualitate beari: dono & gratiæ Iesu Christi Domini nostri adscribimus: qui ad hoc dignatus est homo fieri, pati, mori, vt nos ab omni delicto in sanguine suo iustificatos, ipsius regni consortes efficeret. Qui etiam interrogationes quasdam præscripsisse dicitur infirmis in extremis constitutis: inter quas extrema est, Credis te non posse nisi per mortem Christi saluari? Respōdet infirmus, Etiam. Tum illi dicitur: Age ergò, dum supereſt in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue: in nulla alia re fiduciam habe: huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, totū cōfige: in hac morte totum inuolue. Et si Dominus Deus voluerit te iudicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obijcio inter me & tuum iudicium: aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit: quia peccator es, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quòd meruisti damnationem, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obtēdo inter me, & mala merita mea, ipsiusq; meritum, offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo. Si dixerit, quòd tibi est iratus, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi oppono inter me & iram tuam. Quamuis aliorum etiam exempla sanctorum commemorare liceat, qui cùm iam essent morti proximi, non omninò suis operibus diffidere visi sunt. Sic Ezechias Rex, cùm dixisset illi Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues: conuersa facie sua ad parietem, orauit Dominum & dixit: Obsecro Domine, memēto quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Ac maiore cum fiducia Paulus, cùm deliberaretur, & tempus resolutionis eius iam instaret: Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Quibus verbis etiam cognominem eius Paulum Eremitam, iamiam ex hac vita migraturum, vsum fuisse scribit Hieronymus: Qui de Hilarione quoq; narrat, quòd cùm iam modicus calor teneret in corpore, nec præter sensum quicquā viui hominis supereſſet, hæc verba protulerit: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta annis seruiuisti Christo, & mortem times? atq; in hæc verba spiritum exhalauit.

*Ger. ser. super verb. Christi. Venite ad me omnes.*

*Gene. 18.*

*Cum Deo humiliter cum dæmone superbè agendum.*

*Guil. in vita D. Bernardi. c. 12.*

*Certamen D. Bern. cum Satana in agone mortis.*

*De Simil. c. 61.*

*Interrogationes infirmorum, qui in extremis laborant.*

*Exempla eorum qui in extremis non vsquequaq; diffidebant operibus suis.*

*Esa. 38.*
*2. Timo. 4.*

*Hiero. in vita eius.*

Sed quotumquenq; reperire licet, his præsertim tēporibus, quibus abundauit iniquitas, refrixit charitas multorum, qui sic vitam suam trāsegerit, vt per æquè confidenter, vt isti loqui posit, ex diuersorio corporis huius, æternam illam in domum migraturus? Quamobrē tutius fuerit, vt cum sancto Iob, vereamur omnia opera nostra: cùm nō sine causa videamus

*Matt. 24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iob.9. Mos Christianus circa morituros.*

in Ecclesia Catholica semper obseruatum: vt qui morti iam sunt proximi, diligenter, admoneantur, etiam simulachro Christi crucifixi ante oculos posito, quo propriæ iustitiæ diffisi, in vna Christi iustitia spem suam & fiduciam omnem habeant collocatam: illam patri cœlesti repræsentent, illi vni innitantur. Sic enim futurum est, vt inanem gloriam fugiamus, dum præcipuum auctorem & consummatorem nostræ iustitiæ Christum profiteamur: & ipsius merita denuò nobis applicari promereamur, ad eas, quæ tunc occurrunt, tentationes superandas. Dum hæc scribimus, venit, in manus nostras Hortulus animæ, quem pueri legebamus Parisijs ante annos 50. typis excusus, in quo illas ipsas interrogationes, quæ sunt à nobis ex Anselmo paulò antè productæ, vidimus: quas habebant etiam fratres Diui Francisci de obseruantia, in cœnobio Tridentino in linguam Italicam translatas. Vnde cuiuis perspicere licet, qui mos fuerit in Ecclesia Dei, tùm etiam obseruatus, quod & morti proximi non alia in re, quàm in Christi passionis & mortis merito, suam omnem spem & fiduciam vt collocarent, admonebantur. Vidimus autem & Sacerdotale Romanum, in quo & ipso habetur hæc interrogatio: Credis, non proprijs meritis, sed passionis Domini nostri Iesu Christi virtute & merito, ad gloriam peruenire? Respondet infirmus: Credo. Iterum Sacerdos: Credis quod Dominus noster Iesus Christus pro nostra salute mortuus sit: & quòd ex proprijs meritis, vel alio modo, nullus possit saluari, nisi in merito passionis eius? Respondet infirmus: Credo. Et in fine dicit Sacerdos: Si Dominus Deus voluerit te secundum peccata tua iudicare, dicas: Domine Deus, ego pono mortem Domini nostri Iesu Christi inter me & iudicium tuum: & quamuis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tamen meritum passionis eiusdem, loco meriti, quod ego miser deberem habere & non habeo. Item: Domine, pono eandem passionem & mortem Domini mei Iesu Christi inter me & iram tuam, & in manus tuas Domine commendo spiritum meum.

*Hortulus animæ.*

*Morti proximi de Christi passionis merito, quo spes tota ponenda est, admonenda.*

*Sacerdotale Romanorum.*

*Nota.*

*Pulchra orat. Bernardi ad Christum.*

Extat Confessionis priuatæ formula, quæ B. Bernardo adscribitur, in qua sic Deum alloquitur: Recordare Domine Iesu, quia tuum non est perdere quicquam eorum, quæ Pater tuus dedit tibi: quin tibi proprium est misereri semper & parcere, neminem perdere, sed saluare. Nam pater tuus misit te in mundum, non vt iudices mundum: sed vt vitam habeamus per te: vt sis propitiatio nostra, & aduocatus noster, non contra nos. Quod enim debuimus, tu soluisti, quod peccauimus, tu luisti: quod negleximus, tu suppleuisti. Proficiat ergo nūc Domine, & in extremis meis plenaria, imò superflua satisfactio, amarissima mors tua, & pretium inæstimabile fusi sanguinis tui, commemoratio satisfactionis tuæ, venerabile mysterium corporis & sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium seruorum tuorum, in qua es tu ipse sacerdos & sacrificium: ille qui offert pariter, & cui offertur. Sic Laurentium Medicem, cùm esset morti proximus, precantem inducit Angelus Politianus. Obsecro te salutifer Iesu, vt cùm ante tribunal tuum constitero, quo me iamdudum citari planè sentio, non mea fraus, non culpa plectatur. Sed tuæ crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in causa mea sanguis ille tuus Iesu pretiosissimus: quem pro asserendis in libertatem hominibus, in ara illa sublimi nostræ redemptionis effudisti. Ante 200. annos, quidam Dominicanus Coloniæ, quomodo forent ægroti cōsolandi, docuit, his verbis: Morti iam vicinus, prorsus nihil suis bonis operibus confidere debet, nec propter mala diffidere: sed omnem spem in merita Christi, & eius immensam misericordiam collocare. Hæc est fides Catholica & Christiana, quæ neminem fallere potest. De Ambrosio scribit Possidonius, quod moriturus dixerit: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quæ verba senex Augustinus, tanquam elimata ac librata, sit admiratus, ac vehementer laudauerit. Ideò enim eum dixisse: nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus: ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Quòd verò præcessit: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: ad illud respiciens dixisse, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino, quàm de meritis, se dicit magis confidere. Bedam quoq; subinde solitum fuisse repetere vocem hanc Ambrosij, narrat qui vitam illius conscripsit Chutbertus. Quā nō solùm admiratus, verùm & imitatus esse videtur Augustinus, cùm contra Cresconium scribens ita loquitur: Ad existimationem humanam, magna testium, qui me nouerunt, suppetit copia: ad Dei verò conspectum, sola conscientia: quam contra vestras criminationes cùm intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis iustificare audeo: magisq; ab eo effluentem misericordiæ largitatem, quàm iudicij summum examen expecto: cogitans qd scriptū est: Cùm Rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castū se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? De Agathone narrat Dorotheus: quòd, dum esset iā propè moriturus, rogatus à quodam, cur timeret qui semper Deo seruiuisset, responderit, se hactenus mandata Dei pro viribus fecisse, sed nescire vtrum quod fecit, Deo placuerit. Aliud enim esse iudicium Dei, aliud hominis.

*Ange. Poli. lib. epistolarū 4. epist. 2.*

*Possi. de vita Aug. cap. 27.*

*Aug. cont. Cresc. li. 3. cap. 80.*

*Testis apud homines, conscientia valet apud Deum.*

*Dorotheus in libro de humilitate. Pro. 20.*

Quanquam illa Psalmographi verba, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, non ita Doctores sancti accipienda putauerunt, vt negari per ea crederent, iustificari quenq; in extremo iudicio: Certum est enim, quòd omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, quodq; iudicium ibi futurum sit de operibus, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Quamobrem si nemo tum iustificaretur, si nemo referret propria corporis, prout aliquid boni gesit, neque glorificaretur quisquam, nec essent quibus rectè dici posset: Venite benedicti patris mei, possidete paratū vobis regnum à constitutione mundi. Quæ verba proferens Augustinus, quærit, Quibus meritis? Et statim subiungit: Esuriui enim, & dedistis mihi māducare, &c. Quem eundem locum adducens etiam Gregorius Nissenus: Audio, inquit, quid ipsi respondeant Regi: Deniq; pro suis quenq; meritis

*Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, quomodo intelligendum.*

*2. Corin. 5. Eccl. 12. Rom. 3. Matt. 25. Aug. serm. 49. de verbis dom. Ioan. 15.*



meritis ornatum cerno: illis qui boni, benigniq; fuerint, atq; optimè vitam egerint, summa & ppetua quies tribuitur in regno cœlesti: inhumanis aūt & improbis suppliciū ignis. Et alibi locum eundē explicans: Possidete paratū vobis regnum. Quod? à quo paratum? Quod, inquit, vobis ipsi per opera præparauistis. Quomodo? Esuriebam, sitiebam, peregrinus eram, nudus, infirmus, in carcere. Et frater eius Basilius eundem euangelij locum explicans: discedite à me Causam, inquit, cur ita discedere illos à se iubeat, subijcit: non quòd aut quēquam interfecistis, inquit, aut fornicati estis, aut mendacium dixistis, aut vllam cuiquam iniuriam intulistis, aut aliud quicquam licet exiguum admodum feciſtis eorum, quæ ne faceret is, vobis fuerat interdictum. Sed quid? quòd bona opera facere neglexistis: esuriui enim &c. Rectè igitur Eusebius Emissenus, veras cœlorum claues meritorum dicit esse virtutes: Omnes, inquit, in nobis habere possumus claues regni cœlorum, & quidem duplicē vim gerentes, duplicem habentes effectum. Fides, humilitas, patientia, castitas, quasi bonæ claues aperiunt Dei portam: sed & superbiam, iracundiam, cupiditatem, non immeritò claues esse dixerim, nam claudunt regnum cœlorum. Et Augustinus: Ita laboremus, vt nobis bonorum operum clauibus, regni cœlestis ianuam aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris, & vectibus, vitæ nobis ianua clauditur: ita absq; dubio, bonis operibus, aperitur.

*In Oratione de paruis amandis. Greg. Niss. in oratione de Placilla. Homil. in natali Apost. Petri & Pauli Basil. Hom. de iudicio diuino.*

*In Dedicatione Hom. 1.*

Erit igitur iudicium & retributio secundùm opera: erit iustificatio secundum opera cuiusq;. Ibunt qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ. Quamobrem locum hunc exponens Hieronymus, duplicem eius interpretationem adfert: Vnam, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, id est, in tota vita sua, in omni, quo in mundo isto conuersatus est tempore. Alteram: Non dixit, inquit, non iustificabitur in conspectu tuo quispiam viuens, Sed omnis viuens, id est, non iustificabuntur omnes: iustificabuntur verò aliqui. Albinus verò sic Psalmi locum hunc enarrat. Omne genus humanum significat originali peccato obnoxium: Ideo nullus, nisi gratia liberatus tua, iustificari poterit, de radice vitiata natus, quantò magis ego peccatorum meorum pondere oppressus? Cæterùm expendamus Prophetæ verba diligentius. Non dixit simpliciter: Quia non iustificabitur omnis viuens: verum addit, in conspectu tuo. Hoc itaq; dixisse videtur, quod in libro Iob scriptum legimus: Nūquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem: quātò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Et alio loco: Verè scio, quòd ita sit, quòd non iustificabitur homo compositus Deo. Et iterum alio loco: Nunquid iustificari potest homo compositus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non splendet, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo & vermis, & filius hominis vermis? Quæ loca enarrās Gregorius: Humana, inquit, iustitia, diuinæ iustitiæ comparata, iniustitia est: quia & lucerna in tenebris lucere cernitur, sed in Solis radio posita tenebratur. Et alio loco: Iusti, inquit, perituros se absq; ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur: quia hoc ipsum quoq; quod iustè videmur viuere, culpa est: si vitam nostram, cum iudicat hanc apud se diuina misericordia, non excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est: Astra non sunt munda in conspectu eius: quia apud Deum districtè iudicati, ipsi quoq; maculas inquinationis habent, qui per mundiciam sanctitatis lucent. Et iterum: Homo quippe Deo non compositus, iustitiam percipit, compositus amittit: quia quisquis auctori bonorum se comparat, bono se quod acceperat, priuat. Nunquid negat Gregorius habere nos nostram iustitiam? Percipit, inquit, iustitiam non compositus, amittit compositus Deo. Quid aliud his verbis, quàm hoc indicare videtur, quòd non comparata Deo est aliqua iustitia nostra, comparata illi mera est iniustitia? Sicut est aliquis lucernæ splendor in tenebris: cæterùm si ponatur in Solis radio, meræ sunt tenebræ. Sic ab Hieronymo scriptum legimus: Deus lux appellatur, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quando dicit nullas tenebras in Dei lumine reperiri, ostendit omnia aliorum lumina aliqua sorde maculari. Deniq; & Apostoli appellantur lux mūdi, sed non est scriptum, quòd in Apostolorum luce nullæ sint tenebræ. Ad eundem modum de sapientia dicit Gregorius: Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, diuinæ sapientiæ comparata, nec iusta, nec pulchra, sed insipientia est. Omnia enim humana, quæ iusta, quæ pulchra sunt, Dei iustitiæ & pulchritudini comparata, nec iusta, nec pulchra sunt. Similiter & de scientia. In comparatione, inquit, Dei, scientia nostra, ignorantia est. Ex Dei namq; participatione sapimus, non comparatione. Quod totidem verbis de iustitia quoq; dici rectè potest: In comparatione Dei, iustitia nostra, iniustitia est. Ex Dei namque participatione iusti sumus, non comparatione. Quod indicat etiam Origenes, explicans illud ex Annæ Cantico: Non est sanctus, sicut Dominus. Si scriptum esset, inquit, non est sanctus nisi Dominus, consequens erat omnes nos renunciare nobis metipsis ab hac spe, vt sancti efficeremur: nunc autem necessaria distinctione vtitur, & dicit: Non est sanctus sicut dominus: hoc est: Et si sint sancti multi, sed nullus ita sanctus est, vt dominus. Possunt ergo multi sancti fieri: sicut & mandatum Dei dicit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: sed quantumcunq; quis in sanctitate proficiat, quantumlibet puritatis & synceritatis acquirat, ita esse sanctus homo non potest, sicut Dominus: quia ille largitor sanctitatis est, iste susceptor: ille sanctitatis fons est, hic autem sancti fontis potator: ille sanctitatis lux est, hic sanctæ lucis inspector, & idcò non est sanctus, sicut Dominus. Et in Commentarijs in Iohannem. Propterea, inquit, Dauid dixisse reor. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non enim generatim dixit, omnis homo siue omnis angelus, sed omnis viuens. Quoniam etsi vitæ quis sit particeps, & mortalitatem prorsus excufferit, neq; sic tui comparatione iustificari poterit, perindè atq; vita, neque fieri potest, vt qui particeps est vitæ, & ob hoc viuens nomina-

*In apolog. 1. ad Ruffinum.*

*In cap. 1. epist. ad Ephes.*

*Ioan. 5.*

*Iob 4.*

*Iob. 9.*

*Iob. 25.*

*Greg. lib. 5. Moral. cap. 28.*

*Idem lib. 9. cap. 5.*

*Greg. lib. 8. Moral. cap. 9.*

*Idem lib. 9. cap. 2.*

*Lib. 2. contra Pelag.*

*Greg. lib. 35. Mora. cap. 1.*

*Lib. 16. moral. c. 1.*

*1. Reg. 2.*

*Leuit. 11.*

*Tome 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur, ipse sit vita: nec qui compos est iustitiæ, & ideò iustus dicitur, omnino ipsi iustitiæ æqui parari poterit. Et non ita multò pòst: Quin illud: Non iustificabuntur coram Deo omnia viuentia, declarat, quòd comparatione Dei & ipsius iustitiæ nemo iustificabitur viuens, quamlibet beatus esse videatur. Velut si quis aliud exemplum proferens diceret: Non splêdebit omnis lucerna coram sole, splendebit enim quæuis lucerna, sed vbi nullus erit splendor solis: sic & iustificabitur omnis viuens, at non coràm Deo. Quandò verò cum illis comparatur qui infernè habitant, quique tenebris detinentur, apud illos lucebit eorum lux. Et videnum ad hunc modum intelligendum etiam sit illud, quod est in Euangelio: Luceat lux vestra coram hominibus. Non enim dixit: Luceat lux vestra coram Deo. Nam si præcepisset hoc, impossibile quiddam præcepisset, haud aliter quàm si lucernis animatis præcepisset, vt lux ipsorum coram sole luceret. Quamobrem non solùm hi, qui de vulgo sunt viuentium non iustificabuntur coram Deo, sed nec hi qui cæteris tanquàm inferioribus præstare videntur. Quodq; maius est etiam: si viuentium omnium iustitia in vnum collecta fuerit, comparatione Dei non iustificabitur. Perinde ac si diceremus, si colliguntur in vnum omnes lucernæ, quæ nocte lucent in terris, non possunt vllum adferre splendorem, qui cum splen-
*Hilar. in Psal. 25.* dore solis comparari queat. Hoc & ab Hilario dictum his verbis legimus: Quanquàm verò eam esse infirmitatem humanæ naturæ meminerimus, vt ex comparatione diuinæ bonitatis bonus nemo sit: sed incomparabilis illa diuinitatis exceptio non intercluſit bonitatis officium, vt secundum comparationem hominum inter homines bonus nemo sit. Ad eun-
*Chrys. in Psal. 115.* dem modum Ioannes quoq; Chrysostomus: Quemadmodum hora vespertina quis Stellam alijs comparatam lucidam vocat, quam Sole fulgente lucidam nemo diceret: quòd excellens splendor Solis, fulgorem Stellæ obtegit: ita & hominem veracem ac bonum esse dicimus, quando eum cum alijs hominibus conferimus: cæterùm quando eum cum Deo
*Hom. 64.* comparamus, non est verax: Omnis enim homo mendax. Et explicans illud apud Matthæum, Nemo bonus nisi solus Deus. Nullum, inquit, hominem esse bonum annuit, nec tamen omnino genus humanum esse bonitate priuatum affirmat, sed comparatione diuinæ bo-
*Hom. 13. in Ioan.* nitatis, neminem esse bonum asserit. Et iterum alio loco: Sanctus, inquit, & purus erat Esaias, sed si supernæ sanctitati nostram conferamus, immundi profectò sumus. Sancti Angeli sunt, sed huius quoq; sanctitatis alia differentia inter nos videlicet & supernas virtutes. Idē
*Psal. 7.* explicans illum Psalmi locum: Iudica me Domine secundum iustitiam meam. Qui sit, inquit, vt qui alibi dicat: Ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo, hic dicat: Iudica me secundum iustitiam meam? Quod hoc aliud, & illud aliud. Illic enim dicens: Ne ingrediaris in iudicio cum seruo tuo: significat ne tu mecum iudicio contenderis: ne meam vitam eam cum tuis beneficijs conferendo examinaueris: Et ideò subiunxit etiam: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, hoc est, si tecum in iudicio contendat. Hic autem non hoc dicit: Non vult enim in iudicio cum ipso contendere, sed secum. Et ideò dicit: Secundum
*In cap. 1. epist. ad Tim. hom. 4.* iustitiam meam, hoc est, secundum iustitiam quæ mea est. Iustitiam autem hic dicit, non afecisse aliquem iniuria, quod dixit superius: Si hoc feci, & quæ sequuntur. Et iterum alio loco: Quemadmodum enim is, qui multum pecuniarum possidet, diues quidem esse videtur, cæterùm thesauris Regijs comparatus, pauper esse atq; inops primus cernitur: Ita & hic dum Angelis conferuntur, peccatores esse etiam iusti deprehenduntur. Et eius discipulus
*Collatione 23. c. 4.* Cassianus, enumeratis aliquot scripturæ locis, vbi homines boni appellantur: Hos omnes, inquit, & secundum se bonos esse dubium non est: si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronunciatur bonus. Ac paucis interiectis: Sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur: ita etiam iustitia, diuinæ collata iustitiæ, panno menstruatæ similis deputatur. Et paulò antè: Quia nihil stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi Deitas sola. Omnes verò creaturæ, vt beatitudinem æternitatis, vel immutabilitatis obtinea-
*Beda li. 3. c. 11. Luc.* nt, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & gratiam consequuntur, tenere meritum creatori suo collatæ non possunt. Cuius hæc verba repetit etiam Beda Presbyter, explicans locum Euangelij: Vos cùm sitis mali, nostis bona data dare ho-
*Esai. 40.* minibus.

Non modò iustitiam non habere, sed ne esse quidem dicimur comparati Deo, sicut etiam Esaias testatur, dicens: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Et quasi nihili & inanè reputatæ sunt ei. Quod in libro quoq; de diuinis nominibus non vno loco docet Dionysius: & post eum Origenes, explicans illud ex Annæ Cantico: Non est præter te. Cuius verba libet hic adscribere: Nihil est præter te, id est, nihil eorum quæ sunt, hoc quod sunt, naturaliter habent. Tu solus es, cui quod es à nullo datum est. Nos enim omnes, id est, vniuersa creatura non eramus antequam crearemur. Et ideo quòd sumus, voluntas est creatoris. Et paulò pòst, exponēs illud Exodi, Ego sum qui sum. Si aliud aliquid, inquit, in creaturis, hoc nomine, vel hac significatione appellari posset, nunquam diceret Dominus hoc sibi esse nomen. Sciebat enim se solum esse. Creaturas verò à se accepisse, vt essent. Nam & vmbra ad comparationem corporis non est, & fumus ad comparationem ignis non est. Hæc Origenes, atq; etiam ante illum Philo Iudæus titulo de eo, quòd malum bono insidiatur: Creaturas, ait, non essentialiter, sed opinione duntaxat consistere. Sed & Augustinus: Omnia quæ
*1. Reg. 2.* creata sunt: quamuis ea Deus fecerit bona valdè, creatori tamen comparata, nec bona sunt:
*Aug. de perfectione iusti.* cui cōparata nec sunt. Quem q diligenter secutus in omnibus esse videtur Anselmus: Tu solus, inquit, Domine es quod es: tu es qui es. Extant quinq; libelli Anastasij Patriarchæ Antio-
*Gen. 1.* cheni, in eorum secundo, qui inscribitur de incircumscripta Dei essentia, pluribus docet, quòd solus Deus est ens propriè sumptum, reliqua verò sunt entia, participatione illius Entis. Ad eundem modum propriè quoq; iustus & bonus est solus Deus, homines verò iusti sunt & boni participatione illius iustitiæ. Prophetæ locum hunc adducens Augustin. in eo-



dem libro: Hoc est, inquit, ne intres in iudicium cum seruo tuo: noli me iudicare secundum te, qui es sine peccato: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quod ait, non iustificabitur, ad illam perfectionem retulit, quæ in hac vita non est. Quin & hoc addit in eodem libro: Quòd ipsi etiam filij Dei, comparati sibi ipsis, quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, vt adhuc & mali sint. Et alio loco: Corpus tanquàm homo exterior, quantò est hæc vita diuturnior, tantò magis magisq; corrūpitur, vel ætate, vel morbo, vel varijs afflictionibus, donec veniat ad vltimam afflictionem, quę ab hominibus mors vocatur: eius autem resurrectio differtur in finem, cùm & ipsa iustificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc verò quandiu corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & vita humana super terram tota tentatio est: non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, in comparatione iustitię, qua æquabimur angelis, & gloriæ, quæ reuelabitur in nobis. Quod pluribus etiam confirmat *Serm. 40.* in quodam sermone de tempore. Neque secùs interpretatus est Arnobius, qui centum plus *Li. 4. de Trin. c. 3.* minus annis Augustinum præcessisse videtur. Non intres, inquit, in iudicium cum seruo *Arn. in Psal.* tuo. Hoc ergo voluisti dicere iustitia tua est, vt Dominus in iudicium intrare cum seruo cōtemnat: Quis enim ad comparationem tuam iustificabitur homo? quamuis sanctum & electum & mundum, & laudabilem in conspectu tuo, id est, ad comparationem tuam. siue diuina iudicia, siue humana probare non possunt. Omnis enim pulchritudo te præsente deformis est, omnis fortitudo te præsente infirma, omnes diuitiæ te præsente mendicitas: omnis iustitia te præsente iniustitia. Ad eundem modum Euthymius quoq; *Bern. de verbis Esa serm. 7.* pliciter, inquit, non iustificabitur, sed in conspectu tuo non iustificabitur, hoc est, si ad sum- *Hiero. lib. 1. contra Pelagianos.* mam iustitiam tuam comparetur, & iuxta illam exquiratur. Eandem interpretationem *Iustitia Dei, & creaturarum diuer-* adferunt Bernardus, Hilarius, Hieronymus, Cassiodorus, Remigius, & alij Psalmorum in- *sa.* terpretes. Libet autem ex alio quodam loco Bernardi verba adscribere: Quid potest, in- *Esai. 64.* quit, esse omnis iustitia nostra coràm Deo? Nōne iuxta Prophetā, velut pānus menstruatę repu- tabitur? Et si districtæ iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra, & minus habens? Quid ergò de peccatis erit, quando, ne ipsa quidem pro se poterit respondere iustitia? Proptereà obnixè cum Propheta clamātes: Non intres in iudicium tuum cum seruo tuo Domine, tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras. Idem Bernardus, quatuor ponit iustitiarum genera: Primum vult esse rectam, sed non pu- *Hom. de verb. Esa* ram, qualis est in hoc seculo iustitia nostra: de qua non minus verè quàm humiliter patres *serm. 3.* nostri dixerunt. Omnes iustitiæ nostræ tanquàm pannus menstruatæ. Nam quomodo potest esse pura, vbi adhuc non potest deesse culpa? Primi quidem hominis iustitia fuit & recta *Iob 4.* & pura. Cæterùm, & hæc, quoniam firma non fuit, & puritatem facilè perdidit, & ne ipsa quidem retinuit rectitudinem suam. Apud Angelos verò, iustitia & recta pura, & firma, sublimis, quidem, sed adhuc longè inferior quàm diuina. Non enim innata est eis, sed à Deo collata, vt natura ipsa, quod ex se est, non modò iustitiæ, sed etiam iniustitiæ capax inueniatur. Nunquid non ista est prauitas quædam, quam in angelis suis vera illa iustitia legitur inuenisse? Non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, ait is qui Dei iustitiam minimè ignorabat. Nec ait omnis homo: sed omnis viuens, fortè vt nec ipsos angelicos eum noueris spiritus excepisse. Viuunt enim & ipsi tantò verius, quantò propius astant ei, apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam iusti sunt, sed ex eo, non coram eo: munere eius, non *Hier. 13.* in eius comparatione. Ipsa enim sibi iustitia est cuius voluntas, non tam æqua, quàm ipsa æquitas: Et vtraq; non aliud quàm ipsa subsistantia est. Illa ergo iustitia, verissimè sicut mons est, quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est. Et vt ita dicam, etiam subsistantia est. Illa itaq; iustitia quæ est subsistantia, soli Deo competit. Quamuis enarrans illum Hieremiæ locum Hieronymus: Omnis lagenula implebitur vino, non dubitauit affirmare, quòd non solum ad eōparationem Dei, verum & ad sciētiam eius nō iustificabitur omnis viuens: Homo enim, inquit, videt in facie, Deus autem in corde: & quod nobis interdum pulchrum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur. Videtur autem Hierony. cum hæc scriberet, vel ad hominem gratia destitutum respexisse, qui non potest nō peccare: vel ad decliuē illam ad peccandum ex fragilitate carnis inclinationem, quam Paulus vocat inhabitans peccatum. Quò fit, vt nihil ita rectè geri possit ab homine, prorsus vt omni defectu careat, nec in eo quicquam desiderari queat.

Quò magis autem intelligi queat, ita rem accipiamus. Est iustus Deus, est iustus Dei filius Dominus noster Iesus Christus, quatenus homo, sunt iusti Angeli, sunt iusti & alij Spiritus beatorum in cœlis degentium, sunt iusti & homines in terris agentes. Deus ita iustus est, vt sit ipsa iustitia: Christus quatenus homo, plenitudo est iustitiæ. In Angelis cæterisq; spiritibus beatis est quidem perfecta iustitia, sed quæ longius abest à perfectione, si cum Dei iusti- *Ioan. 1.* tia comparetur. Nos autem in hac vita degentes de plenitudine Christi, si qui iusti sumus, accepimus omnes pro modulo nostro, tanquàm particulas nostras per exiguas, ex quibus quæ prodeunt opera, si examinētur qualia ipsa sunt in se, certum est, quòd immunda sunt, quòd nomen iustitiæ non mereantur, quòd æternæ beatitudinis præmio digna non sunt. Sed quoniam de plenitudine Christi sunt, quoniam opera manuum ipsius sunt, quoniam illius pretioso sanguine conspersa sunt, ex eo fit, quòd acceptantur à Deo, tanquàm æternæ beatitudinis præmio digna, totum vt sit bonitatis & misericordiæ diuinæ. Illa est quæ præuenit nos, illa est quæ subsequitur nos, illa est quæ nobis adhæret, siue cum conuertimur, siue cum præliamur, siue cum coronamur, quemadmodum à Dauide scriptum legimus: Mi- *Psal. 78. 58.* sericordia eius præueniet me. Et iterum: Misericordia eius subsequetur me. Præuenit nos *Psalm. 22.* eius misericordia, quando, qui prior dilexit nos, fidem nobis largitur, quæ per charitatem *1. Ioan. 4.* operatur. Subsequitur nos, quando, quæ munera nullis nostris meritis præcedentibus ex *Gal. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Psalm.102.* mera sua liberalitate largitus est, ea quoniam non sumus aspernati, tanquam nostra merita
*Serm.1. de Annun-* coronat. Coronat autem in misericordia & miserationibus. Sic à Bernardo dictum est: Ipse
*Mariæ virginis.* enim peccata condonat, ipse merita donat, & præmia nihilominus ipse redonat. Huc respe-
*Psal.23.* xisse videtur Theodoretus explicans illud: væ qui accepit super eam opprobrium: Homi-
num, inquit, salus ex sola Dei misericordia pendet. Neq; enim hanc adipiscimur, præmium
*Sopho.3.* & mercedem iustitiæ: sed Dei bonitatis donum est. Quamobrem Dominus ait: Propter me
& saluabo, & suscipiam, & abalienatam & reiectam mihi vindicabo, & illustrem eam osten-
dam, & gloria florentem reddam: & in famiam, quæ illi anteà inusta fuit, eluam. Idem expli-
cans illum Psalmi locum: Hic accipiet benedictionem à Domino. Ingeniosè admodum, ait,
misericordiam cum benedictione coniunxit. Etenim quæ existimantur remunerationes,
propter solam diuinam benignitatem hominibus præbentur. Omnes hominum iustitiæ
nihil sunt ad dona, quæ à Deo nobis suppeditata sunt, nedum ad futura munera, quæ omni-
um hominum cogitationem transcendunt. Et antè eum Basilius explicans illud Psalmi:
Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo. Ego te, inquit, oro vt propitius sis pecca-
tis meis, non propter exactam meam pœnitentiam: sed propter benignitatis nomen quod
habes: & propterea, quod peccata mea nomini tuo alligaui. Qui tamen explicans illum Psal
mi locum, miserere nostri Domine. Per misericordiam, inquit, saluari petit, imò non per
misericordiam tantum, sed etiam propterea, quòd multum pœnarum, inquit, dedimus: Sic
ut & Daniel dicit, imminuti sumus præ omnibus gentibus. Hoc & isti dicunt: Extremam ca
lamitatem sustinuimus: quamobrem quiesce iam & miserere. In eodem autem libro: Expli
*Psal.152.* cans illa psalmographi verba. Exaudi me in iustitia tua. Quid facis, inquit, homo? infrà di-
cis: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et si iniquitates obseruaueris Domi-
ne, Domine quis sustinebit? Et hic secundum iustitiam exaudiri petis? quid est igitur quod
dicit? Iustitiam hic benignitatem Dei dicit: Et hoc multis in locis videri potest, & valdè me-
*In Psal.4.* ritò. Apud homines enim iustitia misericordia caret, apud Deum verò non ita, sed immix-
ta est misericordia, atque ita in mixta, vt ipsa iustitia benignitas vocetur. Ioānes quoq; Chry
sostomus. Etiamsi innumerabilia rectè fecerimus, à misericordia & clementia audimur, et-
iamsi ad ipsum fastigium virtutis peruenimus: seruamur à misericordia. Et enarrans illum
locum: Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum. Hac voce, inquit, omnes egemus, etiam-
si innumerabilia recta & ex virtute fecerimus, & vel ad summam peruenerimus iustitiam,
*In Psal.118* Similiter Ambrosius: semper homo, etiamsi sanctus & iustus sit, debet orare, vt exaudiat
*Serm.19.* eum secundum misericordiam suam: non secundum merita virtutis alicuius. Quia rara
*In cap.64.Esai.* virtus, multa peccata. Similiter Augustinus: Iusti, inquit, meritis suis nihil tribuunt: non
tribuunt totum nisi misericordiæ Dei. Ad eundem modum & Hieronymus: Si nostra con-
*Gregor. lib.5.in* sideremus merita, desperandum est: Si tuam autem clementiam, qui flagellas omnem filiu
*1.Reg. cap.2.* um quem recipis, audemus preces fundere. Tu enim pater noster es. Idem quoque Grego-
*Greg. in 7. Psalm.* rius, dicens: Non bonitate nostra: sed Dei fit, vt homo terrenus bonis cœlestibus perfruã-
*pœnitent.* tur. Donum quippè Dei est, non ex nobis. Et alio loco, illam sanctorum felicitatem miseri-
cordiam esse dicit: Quoniam & ex hoc misericordia iure potest, inquit, nominari, quia pro
illis operibus datur, quæ sine præuentu diuinæ misericordiæ nemo assequitur, quia qui-
bus misericorditer tribuit, vt in hac vita benè operentur, eis misericordius largitur, vt in æ-
terna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Qui etiam alio loco, inquit: ipsa no-
stra perfectio, culpa non caret, nisi hanc seuerus Iudex in subtili lance examinis misericor-
*Drogo in lib. de sa-* diter pensaret. Quamobrem verissimè dictum est à Simone de Cassia, quòd neminem De-
*cramento Domini-* us nisi per misericordiam saluat, nec reprobat, nisi iusto iudicio. Ante quem etiam Drogo,
*cæ passionis.* mentis nostræ terram esse dicit, velut quoddam chaos, confusione sua teterrimum & inuo-
*Lib.5. Moral. c.8.* lutum, ignorans tam finem suum quam principium, & naturæ suæ modum: nisi quod à sum
*De gestis Domini* mo creatore de nihilo mirabiliter factam se credit, & post hanc vitam, vel ad inferos pro
*saluatoris.* suis meritis, vel ad cœlos pro misericordia sui auctoris transferendam. Et qui scripsit vitam
Brunonis Archiepiscopi Colonienſis ante quingentos annos. Rogerus Benedictinus, sic
eam orditur: Sapientiæ nimirum est scire, vndè sit donum, quod quis accipit, ne à se sibi hoc
esse, aut à Deo quidem, sed sibi debitum putet. Si enim quærimus quid nobis debeatur, ni-
hil inuenimus, nisi supplicium. Misericordia autem Dei prærogauit nobis gratiam, vt habe-
ret quibus redderet gratiam pro gratia, & hoc iam esset debitum, quia Deus voluit, non
quia homo meruit. Quid enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Si autem accepisti,
quid gloriaris quasi non acceperis? Ineffabili igitur prouidentia bonitatis Dei collatũ est e-
lectis eius, vt & gratis copiosis gratiæ muneribus ditentur, & tamen hoc ipsum quo mune-
*In Psal. 139.* rantur, quodammodo per gratiam mereantur. Et hæc videtur esse gratia, quam pro gratia
*Matt.13.19.* dandam sanctus Apostolus perhibet: vt quibus in hac vita diuinitus datur gratia sancti-
*Gratiam pro gratia.* ficationis, eis in futuro detur gratia æternæ felicitatis. Et tamen hæc ipsa bonitas, hæc ipsa
*Ioan.1.* misericordia Dei iustitia est: Iustum est enim, quod misericordia motus per Prophetam
*2.Corin.1.* dixit pater ille misericordiarum, & Deus totius consolationis: In quacunque hora inge-
*Ezech.18.* mueris, saluus eris: vt illud præstet, promissiq́ue sui memor, vel extremum peccato-
*2.Cor.1.* ris gemitum coronet in misericordia & in miserationibus suis multis. Quod etiam in la-
*Psal.102.* trone præstitit, propter facinora sua in crucem acto. Qui simul vt dixit: Memento mei
*Psal.142.* Domine, cùm veneris in regnum tuum, statim audire meruit: Hodie mecum eris in Pa-
*Luc.23.* radiso.

*Exæquabit gratiã,* Atq; hoc est fortassis, quod à Propheta scriptũ legimus: Exæquabit gratiam gratiæ eius,
*gratiæ.* hoc est, quod Ioannem quoq; dicere voluisse scribit Augustinus, qui posteaquàm dixit: de
*Zach.4.* plenitudine eius accepimus omnes, mox adiecit, & gratiam pro gratia. Pro gratia fidei, spei
*August. tract.3.in* & charitatis, in quibus per gratiam eius proficientes ambulamus, accepimus iam spe, acce-
*Ioannem.* pimus



pimus iam spe, accepturi deinceps etiam re, gratiam illam de qua loquitur Paulus, Gratia *Ioan.1.*
autem Dei vita æterna. Quem sequutus Rupertus. Prius, inquit, in hac vita gratiam dat, di- *Rom.6.*
uersa credentibus in se tribuens charismata, & post in illo seculo, de quo nũc sermo est, pro *Ruper.lib.12. in*
gratia benè expensa, retributionis æternæ præmia recompensat. Et æqualis Ruperti Bern- *Apocal.*
ardus, eadem illa Ioannis verba explicans, Gratiam pro gratia, Triplicem, inquit, gratiam, *Bern.serm.5.de af-*
diuinitus accepimus. Vnam qua conuertimur: aliam qua in tentationibus adiuuamur: ter- *sumptione.*
tiam qua probati remuneramur. Et prima quidem beneplacitum est, secunda meritũ, ter *Gratia triplex.*
tia præmium. De prima dictum est: de plenitudine eius omnes accepimus, de duabus reli-
quis dictum est, & gratiam pro gratia, id est, munera gloriæ æternæ, pro merito temporalis
militiæ. Et qui fuit eodem illo seculo Petrus Abbas Cluniacensis: Perfacilè, inquit, erat gra- *Lib.5.epist.1.*
tiam à gratia, laborem à retributione, meritum à beatitudine discreuisse. Quod autem dixi
gratiam à gratia, laborem à retributione, meritum à beatitudine. Hæc verba non nunc pri-
mùm à me proferuntur, sed in Euangelio Ioannis leguntur: Nos ait, omnes de plenitudine
eius accepimus, & gratiam pro gratia. Quid est gratiam pro gratia? Accipiunt enim sancti ē-
ius, geminam ab ipso gratiam, ita vt ex præcedente gratia, sequatur & alia. Primò enim hic
accipiunt gratiam operationis, ac pro ipsa alibi gratiam retributionis. Primò hic accipiunt
gratiam sanctificationis, ac pro ipsa alibi gratiam glorificationis: quam perfectam esse grati-
am Thomas dicit.

Vocatur autem vita æterna gratia, non ob aliud, sicut scribit Augustinus, nisi quòd gra- *1.Sē.dist.27.art.4.*
tis datur: necideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur: vt *Vita æterna cur vo-*
cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm dona sua, quàm ea, quæ non *catur gratia.*
despicit opera manuum suarum. Et iterum alio loco: Da veniam Apostole, propria tua non *Aug. ad Sixtum*
noui nisi mala. Da veniam Apostole, dicimus, quia tu docuisti. Prorsus tua à te tibi parata, *Epist.150.*
non nouimus nisi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Ad *Et de gratia & libe*
eundem modum Chrysostomus: De meritis suis nihil assignare sibi decet, nisi peccata, quæ *ro arbitrio cap.9.*
sunt propria nostra. Cæterum virtutes & actio purgata cœlitus datur ab hominibus, dona- *& in Psal.102. &*
tur à Deo. Et iterùm Augustinus: Quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus *Psal.144.*
debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur: cùm gratia non operibus reddatur, sed *Psal.137*
gratis detur: sine vlla dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, *Augu.de correp.&*
quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippè ipsa intelligetur, quæ *gratia cap.13.*
gratia in Euangelio legitur, gratiam pro gratia, id est, pro his meritis, quæ contulit gratia. *In lib.50.homil.*
Sic à Chrysostomo quoq; scriptum legimus: Coronat in nobis Deus non merita nostra, sed *hom.14.*
dona sua: Tanta est enim, inquit, alibi erga nos bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ *In illud Psal.142.*
sunt ipsius dona, & pro his, quę largitus est, æterna præmia sit daturus. Agit quippè in nobis, *Non intres in iudi-*
vt qd vult & velimus & agamus. Qua de re sic ante Augustinũ quoq; scripsit Basilius: Quis *cium, &c.*
adeò rudis est, vt non audierit de bonis quæ Deus præparauit dignis, vt ignoret, quòd co- *Tom.1.hom.in cap.*
rona iustorum est, Spiritus sancti donum, siue gratia: quæ largior tum ac perfectior exhibe- *9.Esai. & homi de*
bitur, cùm iuxta proportionem rectè factorum spiritualis gloria fuerit vnicuique distri- *Adam & Eua.*
buta. *Basil.de Spiritusan-*
*cto cap.16.*

Neque hac vna in re illustris est illius gratia & misericordia, quòd sua dona coronare in
nobis dignatur: magis etiam in hoc insignis est, q; vnigenito suo filio non pepercit, sed pro *Rom.8.*
nobis omnibus tradidit illum: Tradidit autem ad illudendum, flagellandum, & morte tur-
pissima condemnandum: vt passionis & mortis illius merito mereri nobis vitam æternam
liceret. Atq; hæc illa videtur esse misericordia, de qua dicit Augustinus: Væ etiam laudabili *Aug. lib. 9. confes.*
vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Nam nisi Christi misericordia inter- *cap.13.*
cessisset, qui semetipsum tradidit pro nobis, oblationem & hostiam Deo: nisi sanguis eius *Ephe. 5.*
interpellaret, nisi vultui Dei pro nobis appareret, cicatrices illi suas ostentans: væ foret quã- *Heb.9.*
libet laudabili vitæ nostræ, si remota hac misericordia discutienda veniret. Ad hanc igitur
misericordiam confugiamus, secundum hanc misericordiam iudicari petamus: vt in illa
die tremenda, quando cœli mouendi sunt & terra, non iudicentur opera nostra qualia sunt
in se: (actum enim erit de illis, si secundum naturam, siue substantiam ipsorum iudicium fa- *Aug.in li.50.hom.*
ctum fuerit) sed iudicentur tanquam à Deo data, tanquam opera manuum illius, tanquam *hom.14.*
(quæ nunquam satis est prædicanda bonitas illius & misericordia) Iesu Christi sanguine re-
censeri. Si quis nos tanquam Adæ spectet filios, si quis opera nostra tanquam ex nobis pro-
fecta consideret, re vera digni non sumus, quibus tã excellens præmium detur: & sunt oēs
iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. Sed quid si pater ille misericordiarum dignos *Isa.64.*
nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine? quid si propterea filius eius vnigenitus pa- *Colloss.1.*
ti, crucifigi, mori dignatus est, vt nos qui eramus inimici, & natura filij iræ, efficeremur ci-
ues sanctorum & domestici Dei efficeremur membra eius, efficeremur non amici modò
verumetiam filij Dei, si filij & hæredes? hæredes quidem Dei, fratres autem & cohæredes *Rom 5.*
Christi, vt quæ opera nostra per se fuerunt immunda, ea sanguine ipsius abluta, munda & *Ephe.2.*
grata redderentur in conspectu Dei, æternæq; beatitudinis præmio digna. Præclarè Athana- *1.Ioan.3.*
sius. Quemadmodũ verbũ caro factũ est, sic & homo, quę Dei sunt per verbũ accepit, verbũ *Rom 8.*
dicitur accepisse, vt quamuis indignus sit homo, quantùm ad naturam eius pertinet, qui ta- *Athan lib.5.contra*
lia acciperet: tamen propter verbum carnem factum accepisse monstretur. Discutientur i- *Arria.*
gitur in extremo iudicio opera nostra, sed non remota misericordia Christi, qui non solùm *Ioan.1.*
auctor eorum & effector est, verumetiam quæ natura sua fuerunt immunda, sanguine suo
mundare dignatus est. Simul illud effecit, vt quod illis deest, suæ passionis & mortis pretio
compensetur: vt rectè cum Bernardo dicere possimus, Pauperes sumus, parum dare possu- *Bern.serm.1.in*
mus: attamen reconciliari possumus pro paruo illo, si volumus: Totum quod dare possum, *Epipha.*

mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



miserum corpus istud est, id si dedero, satis est. Si quo minus, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo est & meum est. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. Ante quem etiam Anselmus: Quid misericordius, inquit, intelligi valet, quàm cum peccatori tormentis æternis damnando, & vnde se redimat non habenti. Deus pater dicit: Accipe vnigenitum meum, & da pro te. Et ipse filius, Tolle me, & redime te. Itaque de illo supplemus, quod nobis deest: Illum ad Patrem legatũ mittimus. Quod fit in eo sacrificio, quæ propriè Missa, siue legatio dicitur: Alio verò loco de meritis hæc est Bernardi sententia: Sufficit ad meritum, scire, quòd non sufficiant merita, sed vt ad meritum satis est, de meritis non præsumere, sic carere meritis, satis ad iudicium est: Porrò infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita, quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere, non nequiuerint, sed neglexerint: quod quidem periculum iam adultæ ætatis est. Merita proindè habere cures habita, data noueris: fructum sperauerit Dei misericordiam: & omne periculum euasisti, paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Periculosa paupertas penuria meritorum. Præsumptio autem spiritus, fallaces diuitiæ: & ideò, diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ait Sapiens: Felix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absq; meritis deest. Habet vnde præsumat, sed non merita: habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum: Ipsum non præsumere, nónne promereri est?

*Esa. 9.*
*Lib. 2. cap. 20.*
*Ber. in Cantica ser. mo. 68.*
*Prouerb. 34.*

*Merita alia paruuli, alia adulti.*

Ex quibus Bernardi verbis colligimus, alia esse merita paruuli, siue cuiuscunq; tandem alterius recens baptizati: alia adulti, post baptismum aliquandiu superstitis: Ille non habet sua, sed sola Christi merita, & secundùm illa iudicabitur dignus vita æterna: adultus verò Christi meritis iungit sua quoq; quæ si bona sunt, pronunciabitur & ille dignus in extremo iudicio, qui posideat regnum patris ab æterno sibi præparatum, iuxta merita sua Christi meritis innitentia. Simul & illud perspicuum est ex his Bernardi verbis, quòd non merita, sicut nouatores contendunt, sed præsumptionem de meritis excludere videtur: sicut & ille qui dixit. Quantùm detrimentum est non laborare, tantùm periculi de labore præsumere. Et qui fuit seculis aliquot posterior Haymo: Nemo debet de suis meritis præsumere, sed omnem saluationem ex Christi meritis expectare. Quàm frequens autem illud apud Chrysostomum, vt ne alijs in rebus vllis, quàm in bonis operibus confidamus? Sic in Matthæum scribens monet, vt vnusquisque nostrum nulla in re spem suam, nisi post Dei misericordiam, in sanctitate morum constituat. Cuius in his quoq; Commentarijs, quæ in Genesim edidit, hæc verba sunt: Habenda est salutis expectatio in omni virtutis operatione: & neque in appellatione sublime sapere, neque in cognatione sanctorum virorum, neq; in aliquo, sed in fiducia bonorum operum: imò neque in illis multum de se sentire, sed tunc magis humilem & modestũ esse oportet, cùm magnas virtutũ diuitias congerere possumus: sic enim & ipsi collectas diuitias custodiemus, & gratiã Dei nobis conciliabimus. Enimuerò propter hoc & Christus discipulis suis dicebat: Cum omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus. Igitur in omnibus inflationes & fastus nostros humiliemus, & discamus modesti esse. & nõ extolli in bonis operibus, & scire maximam virtutem esse, in bonis operibus modestè atq; humiliter se habere.

*Non merita, sed præsumptio de meritis damnatur.*
*In Psal. 131.*
*Faust. li. 1. de libero arbit. c. 1.*
*Chry. hom. 5. in Matth.*
*Operum fiducia.*
*Chry. hom. 21. in Genes.*

*Sobriè operibus fidendum.*

Non reprehendit hic fiduciam operum Chrysostomus, qui super eundem librum commentatus, opera multæ nobis fiduciæ esse fulcimenta scribit. Et iterum: In proprijs bonis operibus cum superna gratia spem salutis nostræ habendam docet. Et in alio quodam loco: Ingens bonum in tuis ipsis benefactis collocare spem. Et iterum alibi: Vnum dumtaxat apud Christi tribunal patrocinium esse dicit operum: quo qui caruerit, aliundè nusquàm, inquit, saluti locus est. Et rursum: In nullo alio, nisi in solis suis virtutibus post diuinam gratiam de salute cuipiam sperandum est. Et alio loco: Nihil enim virtuti par est charisimæ quæ nos & in futuro sæculo è gehenna eripit, & regno cœlorum nobis frui concedit. Et in Paulum scribens: Oramus, inquit, vt post baptismum etiam vitam honestam habeamus: Tu contrà studes, vt hinc migres absque bona vita: Quid autem refert, si iustus fias, sed sola fide? At nos optamus, vt & ex benefactis habeas fiduciam. Et alio quodam loco: Ingens bonum in tuis ipsius benefactis, collocare spem. Et mox in sequenti homilia: Oportet in proprijs benefactis spem salutis collocare. Et iterum alio loco docet: Non solum in Dei benignitate, sed in propriorum etiam factorum virtute spem salutis ponere. Ante quem etiam beatus Ephrem: Nihil nobis prodesse poterit in illo extremo iudicij die, nisi conuersatio sancta & opera bona, quæ hinc detulerimus nobiscum. Non reprehendit igitur sobriam operum fiduciam Chrysostomus: sed sicut ab eodem scriptum est, aut quisquis ille fuit auctor operis imperfecti: In omni re, ex ipsa re nascitur, quod exterminet rem: vt puta in ligno, ex ipso ligno nascitur vermis, qui exterminat lignum: ex vestimento nascitur tinea, quæ comedit vestimentum: ex oleribus nascitur vermis, qui olera vniuersa corrumpit: Sic & in spiritualibus, ex ipso proposito eorum spirituali, accipit occasionem inimicus, vndè eis retia texit: ita vt cùm cætera vitia tantùm in malefactis valeant, sola superbia etiam in rectè factis cauenda sit. Quam etiam propterea Fronto, qui Bernardi fuisse videtur æqualis: totius pulchritudinis & integritatis vermem atq; tineam vocat. Præclara est Paulini sententia, quòd per viam qua itur ad vitam facilius ingreditur humiliata iniquitas, quàm superba iustitia. Nec dissimilis est illa Optati: Meliora sunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum superbia. Melior est, inquit Augustinus, peccator humilis, quàm iustus superbus. Et secutus hos Bernardus: Salubriorem, inquit, eligit agnum sequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus. Scriptit sermonem de ædificio & congruitate siue concordia virtutum animæ Dorotheus, in quo cum de lapidibus in eo ponendis, deq; ligationibus nonnulla dixisset, tectum eius ædificij siue domus charitatem esse dicit, coronam verò

*Chry. hom. 1. in Genes.*
*Concione 3. de Lazaro.*
*Hom. 43. in Genes.*
*Hom. 11. Ioan.*
*Hom. 20.*
*Hom. 2. in posterior em ad Cor. epi.*
*Hom. 3. & 4. de Lazaro.*
*Hom. 8. in Gene.*
*Psal. 4.*
*Ephrem de extremo iudicio cap. 1.*
*Hom. 43. in Matt.*
*ope. imper.*
*Ex renasci, quòd rem ipsam perdat.*
*De gratia Dei. li. 1.*
*Ad Seuerũ epi. 10.*
*Optat. lib. 2.*
*Serm. 1. super Missus est.*
*Dorotheus.*



rò tecti, mentis humilitatem. Hæc enim est, inquit, quæ omnes virtutes & coronat, & conseruat. Et quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur, & cum humilitate producitur, ita virtutum omnium absoluta perfectio humilitate completur. Superbiam igitur à nobis amoliri studet his verbis, quæ paulò ante citauimus, Chrysostomus. Quod apertius etiam alio loco demonstrat, dicens: Satis certus thesaurus rectè factorum obliuio. Quia si curat aurum, vestemque pretiosam cùm in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus: si verò ea recondamus: atque occultamus domi, in tuto cuncta seruabimus? sic sunt etiam diuitiæ virtutum. Si eas in memoria, quasi venales assiduè portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtum. Sin verò nemo alter id sciret, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistent. Et paucis interiectis, Caueamus de nobismetipsis dicere gloriosè. Hoc enim nos, & hominib. & Deo facit abominabiles. Et idcircò quantò maiora fecerimus bona, tantò de nobis minora dicamus, hoc enim modo maximam, & coram Deo & coram hominibus gloriam cõsequemur, nec solùm gloriam, quæ à Deo est, verumetiam mercedem retributionemq; plenissimam. Noli ergò mercedem reposcere, vt merearis accipere. Tu saluari te Dei gratia cõfitere, vt se ille tibi debitorem fateatur, nec modò pro operibus tuis, verumetiam pro hac gratia humiliq; sententia. Quando enim aliqua fecerimus, habemus eum procul dubio debitorem: quando verò nihil arbitramur nos operatos, amplius etiã de tali meremur affectu, q̃ propter opera ipsa, quæ facimus. Minimum itaq; de se sensisse, tam magnum est, quàm maximas res fecisse. Quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. Nam nos quoq; famulos habentes, tum eos maximè comprobamus, quando cum bona gratia in omni bus obsequuti, nihil se grande abitrantur egisse. Itaque si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna esse non possunt. Sic enim Centurio dixit: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum: & propterea dignus effectus, supraq; omnes Iudæos iure mirabilis. Sic etiam Paulus ait: Non sum dignus vocari Apostolus, & omnium primus inuentus est. Sic & Ioannes: Non sum, inquit, dignus soluere corrigam calciamenti eius, & idcircò amicus factus est: & manum, Christus, quæ indignam se calciamentis esse ducebat, à pedum obsequio ad caput suum subleuauit. Sic etiam Petrus ait, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicum Deo, quàm si quis se minimis annumeret. Hoc est enim caput totius Philosophiæ atque fastigium. Et iterum explicans illum locum ex libro Paralipomenon: Elatum est cor Oziæ. Nihil, inquit, perindè gignit superbiam, vt bona conscientia, nisi adnigilemus. Vndè Christus sciens, quòd post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: Cùm omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus. Cùm enim hæc noxia bestia parat inuadere vos, tunc, inquit, per hęc verba fores illi occludite. Neque dixit, cùm omnia feceritis, inutiles estis: sed, vos dicite, inutiles sumus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio fero sententiam: Nam si tu teipsum dixeris inutilem, ego te vt vtilem coronabo. Et alibi: Audi quomodo Christus præcipit nos obliuioni tradere bona opera. Quando hæc omnia feceritis, dicite quoniam inutiles serui sumus. Ego te non facio inutilem, tu autem si confessus fueris nullitatem tuam, ego te illustrem faciam & coronabo. Et iterum alio loco. Non igitur in superbiam contumescamus, sed dicamus nos ipsos inutiles, vt in partem vtilium transeamus. Si enim te laudandum dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueras antea laudabilis. Si verò inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueras antè culpabilis. Si quidem ex peccatoribus quoque iustos humilitas facit: cùm tamen non fit illud humilitas, sed vera confessio. Tunc enim iusti sumus, sicut dicit Hieronymus, quando nos peccatores fatemur, dicente sancta scriptura. Iustus accusator sui est: Explicans eundem locum Faustus, qui non multò fuit Chrysostomo posterior: Aduerte, inquit, quia non excluſit operis studium, sed operantis requirit obsequium: nec laborem seruitutis recusat, sed humilitatem mentis insinuat. Vitium ergò, quòd laborem imperitissimè refugiendum putas, non in opere, sed in corde consistit. Totis ergò viribus laboro, sed quicquid de superna largitate percepero, gratiæ, non industriæ deputabo. Beneficium vocabo, non pretium: donum testabor esse, non meritum: remunerationem, non retributionem.

*Superbia in rectè factis cauenda.*
*Chryso. homil. 3. in Matt. & 38. ad pop. Antiochenum.*
*Humilitas in operibus adhibenda.*
*Matth. 8.*
*1. Cor. 15.*
*Ioan. 1.*
*Luc. 5.*
*2. Par. 26.*
*Chry. hom. 3. Chry. hom. 3. in Matt. & 38. ad pop. Antioch.*
*In hom. de pœnitentia & cõfessione.*
*Hiero. in principio lib. aduersus Pela. Faust. li. 2. de libe. arbit. cap. 4.*

*Merita operum*

Ex his Chrysostomi & Fausti locis videre licet, quemadmodum quæ Christi verba nostri temporis hæretici producunt ad extenuanda merita operum, ijs non modò non extenuari, verùm amplificari potius ea sint interpretati, modò vt quæ sequi solet in rectè factis, periculosa vitetur arrogantia. Aliud enim loquitur homo, aliud loquitur Deus. Homo dicit seruus sum, & seruus inutilis. Quid Dominus? Euge, inquit, serue bone & fidelis. Et, Iam non dico vos seruos, sed amicos, quin & pro seruis fratres appellat, & qui se vocant seruos inutiles, Deus appellat filios suos, atque ipsi, qui se nunc vocant seruos inutiles, audiunt à Domino: Venite benedicti Patris mei: & audiunt commemorari sua benefacta, quæ ipsi se fecisse nesciebant. Quamobrem ante Chrysostomum rectè monuit beatus Ephrem, ne labora laborent, ipse quoq; numeraberis. Neq; verò solus Chrysostomus, verum etiam æquales eius Basilius, vsq; eo nõ reprehendit fiduciam operum, vt disertis etiam verbis scriptum reliquerit. Mulctaris? sed diuitijs cœlestibus & thesauro, quem per bona opera tibi reposui, intende. Et alio loco, Exhibe opera, & tum demum exige retributionem. Et alio loco, Qualis actio, talis etiam merces pro operibus debetur: Ostende prius opera, & tandem exigemercedem. Iterum alio loco, hominem sãluum fieri dicit per iustitiam operum. Et in homilia, quam scripsit in initium Prouerbiorum: Omnes, inquit, qui viam Euangelicam incedimus, mercatores sumus per opera mandatorum, nobis possessionem cœlestium comparantes. Alio verò loco vocat cellam negociatorum cœlestium apothecam, in qua videlicet illa-

*Matt. 24. 25.*
*Ioan. 15. 20.*
*Ioan. 1.*
*Matt. 25.*
*Ephrem in li. de recta vitæ ratione ca. 28.*
*Basi. in serm. de gratiarum actione.*
*Basil. in ser. ad diuites.*
*Idem de spiritu sancto ad Amphi. c. 24*
*Basil. in lib. de laude vitæ solitariæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



illarum mercium summa reconditur, quibus terræ viuentiu m possessio comparatur. Felix, inquit, commercium, vbi terrenis cœlestia transitorijs mutantur æterna. Felices nundinæ, vbi venalis æterna vita proponitur, ad quam emendam, etiamsi est minimum quid, solum sufficit, quod habetur: vbi breuis afflictio carnis emit cœleste conuiuium, & exiguæ lachrymæ risum capiunt sempiternum. Possessio terrena distrahitur, & ad hæreditatis æternum patrimonium peruenitur. Quo sensu dictum est ab Augustino: Auaritia te ad Indos misit ad deportandum aurum: ego tibi ante ostium Christum posui, à quo emeres regnum cœlorum. Et alio loco: Venale est regnum cœlorum. Dicis illi: Quantùm valet? Pretium ipsius labor est. Et ab Ambrosio: Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus: pecuniam habes, redime peccatum tuum: non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua: Vilis pecunia, sed preciosa est misericordia: Eleemosyna, inquit, à peccato liberat. Et alibi dicit: redemptio viri diuitiæ eius. Et in Euangelio Dominus dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et idem Ambrosius alibi: crimina nostra bonis operibus fideiq; pretio & miseratione redimamus, mox addit, ne quis detractum aliquid esse pretio Christi sanguinis existimare posset, precium nostrum sanguis est Christi: Vnde & Apostolus ait: non auro & argento, &c. Et alio loco: Cibi corruptibilis pretio, incorruptibilem regni cœlorum gloriam æternamq; vitam merearis. Et iterum alio loco: Nostris enim, inquit, meritis verbum Dei in nobis aut viuit, aut moritur. Nam si bona studia atque opera nostra sint, viuit atque operatur in nobis: si tenebrosæ cogitationes atque operationes nostræ sint, occidit nobis sol iustitiæ. Et à Prudentio scriptum est: Merce doloris emit spem luminis, & diem perennem. Et à Ioanne Chrysostomo: Pretium non appono, ne objicias inopiam: quanti potes, tanti eme, habes denarium, eme cœlum, non quod venale sit cœlum, sed quòd clemens est Dominus. Non habes denarium, da calicem aquæ frigidæ: Inquit enim: Quicunque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ propter me, non perdet mercedem suam. Mercatura, negotiatioq; cœlum est, atque ipsi pigritamur: Da panem & accipe Paradisum: parua da, & magna suscipe: da corruptibilia, & incorruptibilia accipe. Et scribens in Psalmos: Prudentem dispensatorem dicit misericordem, vt qui multa paucis emat pecunijs, cœlum veste, regnum pane, & poculo frigido bona futura. Et alio loco: Ne conquerare, cœlestia pecunijs non emuntur. Non pecuniæ ea comparant, sed voluntas eius, qui pecunias dependet. Philosophia est, temporalibus superiorem esse, esse benignum, & misericordem. Alioqui si argento cœlestia venirent, quæ æra vtique duo dependebat, nihil vtique magni accepisset. Quoniam verò non argentum, sed voluntas hic valebit, factum est, vt quia omnem voluntatem suam exhibebat, omnia quoque acceperit. Non ergo dicamus pecunijs venire regnum cœlorum: non pecunijs emitur, sed animi voluntate, quæ pecunijs ostenditur & exhibetur. Igitur pecunijs opus est, inquis? Non opus pecunijs, sed animi voluntate: illam si habueris, potes & per æra minuta duo emere cœlum. Illam verò si non habueris, non potuerunt hoc vel innumera auri talenta, quod alioqui possent æra minuta duo. Et alio loco: Pro paucis iugeribus, & exiguis habitaculis non modo aurum, sed proprium quoque sanguinem frequenter impendimus: vt verò cœlum nobis emamus ipsum, ne hæc quidem, quæ nostris vsibus superant, erogamus, & hoc, cùm & exiguo illud pretio emere possimus, & in perpetuum possidere, si semel emerimus. Et iterum alio loco: Deus tibi pecuniam tradidit, vt cœlum merceris. Et in Homilijs ad populum Antiochenum: Vide quanta sit Dei misericordia, temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit æternam mortem. Ne breuem, inquit, emas vitam hanc, sed vitam illam æternam, illam tibi vendo, non hanc, non illudo tibi. In fragmento quoque ex Euangelium Matthæi, habes nummum, compara, cœlum. Et alio loco: Vt per bona opera promereamur Dominum. Et in Ioannem scribens, Nostras in pauperes erogamus facultates, vt cœlum nobis emamus: In quam sententiam & à Gregorio Nazianzeno, sic scriptum legimus: Negociationem optimam esse, vt pauco sanguine regnum emeretur cœlorum, & gloria sempiterna pro rebus acciperetur temporarijs. Et alio quodam loco: Temporis igitur commoditate ad questum nostrum vtamur, fluxis & fragilibus æterna coëmamus. Et alibi sic Machabæos inducit loquentes: Morte vitam emamus. Quitetrasticha quædam scripsit, quæ præclaris constant sententijs, quarum vna hæc etiam est. Mercatum hanc vitam existima, si negociatus fueris, quæstum facies. Vt enim parua magnis, sic sempiterna fluxis fragilibusq; rebus commutantur. Quod si nundinarum tempus tibi fluere sinas, nullum aliud postea es habiturus. Et Petrus Chrysologus, Da pauperi terram, vt accipias cœlum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt det tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis. Quod pauperi non dederis, habebit alter. Et alio loco: Amore pauperis Deus regnum suum vendit, vt emere illud homo possit. Fragmentum panis ponit in precium. Quia vult habere omnes, qui tantum petit pretij, quantum scit hominem habere. Vocatur etiam ab eodem regnum cœlorum præmium iustorum. Similia non vno loco reperiuntur apud Cæsarium. Das, inquit, pauperi nummum, & à Christo recipis regnum. Das bucellam, & à Christo recipis vitam æternam. Et alio loco: vocat merita Sanctorum, indumenta Christi, & monet, vt vitvã, itæ meritis acquiramus. Ante quem etiã Gregorius Pontifex de Apostolis loquens. Ecce, inquit, relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. Extat & Basilij Macarij homilia quædam, in qua docet, quòd Christianorum status mercaturæ, & fermentationi similis est. Maximus quoq; Taurinensis Episcopus in eãdem sententiam, mercimonium esse dicit administrationem sacerdotum. Reperitur etiam inter Ambrosij Sermones. Nec

*Aug. in ser. de verbis Apost. ser. 22.*
*In Psal. 93.*
*Ambr. de Helia & ieiunio cap. 20.*
*Rom. 7.*
*Tob. 4.*
*Prudentius vbi scribit de sancto Cypriano.*
*Chry. hom. 9. de pœnitentia.*
*Matt. 10.*
*In Psal. 111.*
*In epi. ad Philip. Serm. 15.*
*Hom. 12. in Matt.*
*Chry. hom. 78. in Matth.*
*Chry. hom. 36. & Hom. 6. in 2. ad Timoth.*
*Hom. 10.*
*Hom. 16.*
*Hom. 38.*
*Nazianzenus in oratione ad ciues.*
*Nazianzenus quæ est. 18.*
*Serm. 8.*
*Oratio. 21.*
*Hom. 41.*
*Hom. 15. & 35.*
*Hom. 4. post Pascha & Hom. 10. Li Mora. 20. c. 16.*
*Macar. hom. 24.*
*Chrys. hom. 8. De compunctione cordis li. 1. c. 8.*
*Serm. 76.*



Nec dissimilia leguntur apud B. Ephrem, in libro de compunctione cordis, quamuis in eo exẽplari, quod est Dilingæ impressum anno proximo superiore, secùs hic liber inscribitur. Nimirùm, Capita monitorum. Præclarè aũt Chrysostomus: Eme, inquit, cœlum, non quòd venale sit cœlum, sed quòd clemens sit Dominus: Quis enim nescit, quòd nõ sunt cõdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam? quodq; nostris operibus, quatenus nostra tantùm sunt, ea comparari non possit? verum tanta est Dei clementia, vt quæ per se digna non sunt, ea intercedente filij sui sanguine, quo respersa sunt, pro dignis habeat, quibus regni cœlestis præmium largiatur.

Cæterùm numisma nostrum, charitas est: quę pretium imponit actibus nostris: Per quã sicut à Ioanne Gersone scriptum legimus, non ex illorum dignitate, sed ex dignissima seu dignantissima condescensione Dei, mercamur cum eodem de regno cœlorum cum fœnore multo. Et quamuis omnia, quæ damus, sint de suo, & suscepimus ea de manu sua, & ita dare propriè nequimus: quid pro quo nihilominus ipse totus desiderabilis acceptat bona nostra valore huiusmodi numismatis, tanquam nostra essent appropriatè, & non sua: reddit quoque absque vlla commutatione ciuili, sed emptione gratuita, vinum compunctionis, lac deuotionis, imò & seipsum, & regnum cœlorum. De hoc numismate charitatis ita scribit vetustissimus auctor, Origenis præceptor, CLEMENS Presbyter Alexandrinus: Ne si Pactolum quidem, qui totus aureo, vt est in fabulis, fluit fluento, quis dederit, pro salute iustum pretium numerauerit. Ne vos ergo laborasse pigeat: licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate & fide vitæ? quod quidem est iustum pretium. Iustum pretium salutis esse dicit CLEMENS charitatem.

*Numisma nostrum charitas est.*
*Gerso. de vita spirituali animæ, lectione 3.*
*Clem. in orat. exhortatoria ad Gentes.*
*Charitas iustum pretium.*

Cùm autem dicit IOANNES Gerson, numisma nostrum esse charitatem, cumqúe multis ante seculis iustum salutis nostræ pretium eandem charitatem vocat Clemens Alexandrinus: non ita accipi oportet, quasi sola charitate, non autem simul operibus ex illa procedentibus regnum cœlorum nobis comparemus. Cæterùm quemadmodum vis comburendi penes ignem quidem est omnis, non tamen effectus ipse combustionis, qui penes ignem est & materiam lignorum: sic habere se videtur charitas tanquam ignis, quæ radix est merendi: opera verò ex illa procedentia, sunt tanquam ligna. De quibus & ipsum etiam AVGVSTINVM, qui præcipuus gratiæ fuit prædicator, ita differentem audiamus. Nemo, inquit, habitabit in terra viuentium, nisi per opera sua: nemo glorietur se habitaturum ibi, si dicit se seruum Dei, & opera non habet. Non enim habitabunt, nisi filij. Filij tui te deducant ad terram promissionis, terram viuentium, & non morientium. Præcedant filij tui, præcedant te opera tua. Quales filios præmiseris, tales & sequeris. Et Angelomus: Opera iustitiæ, quorum merito ad regnum cœleste peruenitur, rectè per ostia, per quæ in sancta sanctorum pontifex ingrediebatur, possent typicè demonstrari. Audacius quibusdam videtur, quod ab HIERONYMO scriptum est: Dicerem, inquit, vobis, quia vado & præparabo vobis locum, si mansiones multæ essent, apud Patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex proprijs operibus præpararet: & ideò non est meum, sed vestrum: quia & Iudæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Et paulò pòst: Paratæ inquit, sunt in cœlo diuersæ & plurimæ mansiones, plurimis diuersisq́ue virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergò à me petitis, quod in vobis situm est, quod pater illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Et in Commentarijs in Matthæum, hæc ipsa verba explicans. Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis: non enim est acceptio personarum apud DEVM, sed quicunque se talem præbuerit. Vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ sed vitæ paratum est. Atqui non secus locum hunc etiam CHRYSOSTOMVS interpretatur: Non est meum, inquit, dare, sed quibus paratum est à patre meo. Quibus porrò præparatum est? Illis videlicet, qui fulgentissimis operibus euasuri sunt. Verùm vt clarius fiat quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad æditorem igitur munerum atque certaminis, quo multi atque præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate conjunctos accessisse fingamus, qui amicitia principis freti postulare audeant, vt victores ipsi preconio declarati coronentur, quibus ille respondet: Non est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur, & quoniam non personam sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur æditionis munerum atque certaminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctationis transgredi leges, & iustitiæ ordinem conturbare, sic vtique CHRISTVM id dixisse affirmamus: Ita vndique illos compellebat, in gratia DEI primùm, deinde in laboribus proprijs omnem salutem & gloriæ spem reponere. Ideò dixit: Quibus paratum est. Nam & si alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quàm vos opera facturi sunt: quomodo illis expulsis locum eorum vos occupabitis? An quia mei discipuli estis? Idcircò etiamsi non digni primatu eritis, præmia tamen quoque vos consequuturos arbitraminí? Et alio loco: Ex proprijs operibus punimur & saluamur. Chrysostomum autem sequutus ficut in alijs ita & in hoc Euangelij loco, similiter interpretatur Theophilactus. Neque diuersum sentit ab his Ambrosius, qui cum alibi dixisset, Manifestum est, quia vnusquisque operibus suis aut iustificabitur aut condemnabitur, hunc ipsum Euangelij locum tractans, sedere, inquit, à dextris non petitionibus deferri solere docet, sed meritis: quia DEVS personarum acceptor non est, & quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.

*In lib. Reg. 3. ca. 6.*
*Lib. 2. contra Iouinianum.*
*Chrys. hom. 66. in Matth.*
*Hom. 13. ad populũ Antiochen.*
*Ad Rom. Cap. 13.*
*De fide libr. 5. cap. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In Euange. ho. 27.* Eandem interpretationem adfert Gregorius quoque Pontifex: Locum, inquit, celsitudinis quærebant, ad viam illos veritatis reuocat, per quam ad celsitudinem venirent: ac si dicat, iam vos locus delectat celsitudinis, sed prius exerceat via laborisper calicem enim pertingitur ad maiestatem, si mens vestra appetit, quod demulcet, prius bibite quod dolet. Sic per amarum poculum confessionis peruenitur ad gaudium salutis. Et qui præcessit

*Greg. Nazianz. in dictu Euang. Cùm cõsumasset IESVS sermones hos, &c. Cæsarius Dial. 3.* cum cognominis eius Gregorius Nazianzenus: Non est meum, inquit, dare vobis, sed quibus datum est, hoc est, qui digni sunt, quibꝫ vt tales essent, non solum à Spiritu sancto acceperunt, verùm & ipsi suis laboribus effecerunt. Sunt enim Eunuchi &c. Et frater eius Cæsarius, Non est nostrum dare temerè, & deprauare quod iustum est. Iusti enim iudicis est, vnicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborantes, ac ignauis aliquid largiri. Proinde si thronos amatis, nolite ignorare certamina, ad quæ capessenda debetis expediri: neque pallio tantum & barba, baculoqúe conuenit vos delicatè gloriari, sed laboribus thronos redimite, iudiciumqúe placate. Et eorum æqualis Magnus Basilius con-

*Basil. li. 4. circa finem.* tra Eunomium scribens. Libet autem eius adscribere verba Græca: Τῷ λαμβάνοντι σὸν ὄφειλε ἄξιος ἑαυτοῖς ποιῆσαι τὴν ἐκδεξιῶν καὶ συνωνυμῶν καὶ βέβαιος τὸ κύριόν τε δωρεμένου διδόντι, ἢ κἂν ἄδικος αἰτήσῃ ἢ. Hoc est, Accipienti ũ est, se dignos reddere, vt vel ad dexterã vel ad sinistrã domini sedeãt: nõ eius qui dare potest, etiamsi iniqua petitio sit. Quæ verba vna cum alijs quibusdam scripturæ locis, quidam nostri temporis hæreticus, cum post Georgium Trapezuntium libros istos Basilij sibi vertendi prouinciam arrogasset, in sua versione prætermittenda putauit: quod essent ab illius doctrina aliena, cùm tamen hanc Basilij sententiam approbasse videantur omnes ferè sancti Patres, vel qui præcesserunt, vel qui successerunt, vel qui eodem seculo vixerunt, vt communis ea totius Ecclesiæ sententia fuisse videatur. Ex eo videre licet, quæ sit fides hæreticorum in vertendis Græcorum Patrum libris,

*Lib. 2. epist. 44.* qui resecare ferè solent, quicquid prauis suis opinionibus aduersatur. Quo magis autem omnibus eluceſcat, hanc esse totius Ecclesiæ sententiam, libet hîc plura de meritis operum Priscorum Patrum dicta subiungere, de quibus ita loquitur Ambrosius: Pendet per singulos nostrorum statera meritorum, atque exiguis vel boni operis vel degeneris flagitij momentis, huc atque illuc sæpè inclinatur: Si mala vergant, heu me: si bona, præsto est venia. Nemo enim à peccato immunis: sed vbi propendunt bona, eleuantur peccata, obumbrantur, teguntur. Ergo in die iudicij aut nostra opitulabuntur nobis opera, aut ipsa nos in profundum molari depressos lapide mergent. Et qui sequutus est vtrumque D. Ephrem: E corpore enim, inquit, cum timore & gemitu recedenti, præsto erunt opera quæ gesserit tum

*De beatitudinibus alijs.* bona, tum etiam mala, vt eam ad immortale iudicium comitentur. Vrgentibus autem illis, vt migret è corpore, respiciẽs opera sua: Cõcedite, inquiet, mihi adhuc paululũ spatij. At vniuersa ipsius opera, vna voce respondebunt: Tu nos fecisti, tecum ad iudicẽ Deum proficiscemur. Et eum secutus Augustinus: Certum est, quia qui fert secum illuc plura opera

*Ser. 181.* bona, & plura opera mala, in ipsis pœnis habebit aliquid refrigerij. Qui autem bonorum operum nihil habet: malorum autem secum multam copiam defert: quid eum manet, nihil opus est dicere: Erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum, malorumꝫ, & velut in statera posita vtraque pars: quæ demerserit, illa sibi eorum, quo momentum vergitur, operarium vendicabit. Si ergo malorum multitudo superauerit, operarium suum pertrahet ad gehennam. Si verò maiora fuerint opera bonorum, summa vi obsistent, & rẽ pugnabunt malis, atque operatorem suum ad regionem viuorum ex ipso etiam gehennæ confinio reuocabunt. Et alio loco: Da petenti, vt possis accipere: tribue pauperi, si non

*Ser. 25. d.* vis flammis exuri: dain terra CHRISTO, vt tibi reddat in cœlo. Et in Psalmum quadragesimumnonum. Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem

*In psal. 93.* esurienti? Tanti valet regnum cœlorum. Et paucis interiectis: Tantùm emit vidua duobus minutis, quantùm PETRVS relinquens retia, quantùm emit ZACHÆVS dando dimidium patrimonium. Regnum DEI tanti valet, quantum habueris. Et alio loco: Æternam vitam tibi daturus est DEVS, cogita quanto labore emenda sit. Intendite fratres, venale est, venale est quod habeo dicit tibi DEVS, eme illud. Quid habes

*Aug. in libr. 50. homiliarum hom. 13. epist. 6. ad Seuerũ.* venale? Requiem venalem habet, eme illam. Et in Psalmum vndecimum. Quid potentius, inquit, quàm vt regnum cœlorum, non solùm ZACHÆVS emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis: & tantundem vterqꝫ possideat? Quid potentius, quàm vt idem regnum & thesauris diuiti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat? Qui etiam enarrans illud ex Euangelio: Qui dederit calicem aquæ frigidæ, &c. Regnum cœlorum, inquit, venale proposuit, & pretium eius calicem aquæ frigidæ esse voluit. Et eum

*Hom. 5. in Euangelium.* sequutus GREGORIVS Pontifex: Regnum Dei tantum valet, quantum habes: valuit namque Zacheo dimidium substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc, quod iustè abstulit, restituendum, in quadruplum reseruauit. Valuit PETRO & ANDREÆ dimissis retibus & naui: valuit viduæ duobus minutis: valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaque DEI, vt diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur fratres, quid vilius cùm emitur, quid carius cùm possidetur? Sed fortassis nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur: etiam tunc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore enim nato, cœli ciues ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ante Dei namque oculos nunquam est manus vacua à

*Paulini in epistolã ad Seuerum.* munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Et æqualis eius Paulinus: Salubriter, inquit, præsentium onerum decoctione fecisti fragilis substantiæ pretio, cœlum, Christumꝫ

*Bern ser. 1. de omnibus sanctis.* mercatus. Et Bernardus: Regnum, inquit, cœlorum paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absꝫ omni dilatione percipitur. Idem in sententijs: Regnum cœlorum alij vio-



lenter rapiunt, pauperes spiritu: alij mercantur, vt illi qui faciũt amicos de mãmone iniquitatis. Et iterum alio loco: Quid miser pro iugo boum distrahis animam tuam, qui iugum Christi suscipiẽs emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Scripsit ante mille & amplius annos, libros quatuor contra auaritiam, quibus magna quadam orationis vehementia mortales ad impartiendam eleemosynam accendit, Saluianus Episcopus Massilienſis, vbi inter cętera sic loquitur: Si opes non damus ob peccatorum redemptionem, demus saltem ad emendam beatitudinem: si non damus, ne damnemur, demus saltem vt muneremur: si non habent sancti quæ redimant, habent tamen quæ emant. Atqꝫ hæc quidem secundo libro. In eo autem qui præcessit: Nequꝫ homo, inquit, Deo præstat beneficium, in his quæ dederit: sed Deus in his homini, quæ acceperit: quia etiam quod homo habet, Dei ac Domini sui munus est: ac per hoc in his, quæ offeruntur ab homine, homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cum offert Deo quisquam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate soluentis: nec absoluere se peccata sua credat, sed abluere: nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum supplicationis officio: nec quasi totum debitum reddens, sed quasi vel paruum de magno reddere cupiens: quia etiam si tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum.

*In ser. de eo, Ecce nos reliquimus omnia &c.*

Videmus igitur, quòd non fiduciam omnem operum prorsus excludendam, sed arrogantiam repellendam, quę sequi solet in rectè factis, veteres existimauerunt, qui meritis operum plurimum tribuisse videntur. Quamobrem immeritò reprehenditur à quibusdam Petrus Lombardus, qui dixerit alicubi: Spes certa est expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex gratia & meritis præcedentibus. Sine meritis enim sperare, non spes, sed præsumptio dici potest. Quæ tamen spei definitio, non Petri Lombardi, sed Haymonis est, qui Petrum quadringẽtis & amplius annis præcessit, vir minimè vulgari doctrina præditus. Ante quem etiam his verbis ab Augustino scriptum legimus. Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam: & vt habeat bonam conscientiam, credat & operetur. Quia quod credit, fidei est: quod operatur, charitatis est. Item alio loco. Nemo potest diligere, quod esse non credit. Porrò, si & credit, & diligit benè agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando: efficit, vt etiam speret se ad id, quod diligit esse venturum. Curramus dum lucem habemus: nec prætereuntia salutis tempora negligamus. Hic extinguamus mortem moriendo peccatis: hic vitam vitæ meritis comparemus. Quæ verba etiam apud Eusebium Emissenum reperiuntur: qui dicit etiam alibi: Iusti resurrecturi sunt, vt percipiant, quæ meruerunt. Sed ante Augustinum Hilarius, enarrans illud ex Psalmo: Feci iudicium & iusticiam, non tradas me nocentibus me. Fecit, inquit, placentia Deo opera, & quia fecit ne nocentibus se tradatur, orat: opus merendi antefertur, & de hinc meriti præmium postulatur: sit enim primum quod placeat, & tum dignatio eius, cui per opera placetur, oratur. Idem in Matthæum scribens: Diuinæ bonitatis præmium atque honos, præsentis, inquit, vitæ operibus est merendus: atqꝫ ita per hanc spiritus humilitatem, qua à Deo nobis meminerimus, & indulta omnia, & deinceps potiora speranda, regnum cœlorum erit nostrum. Et in eo qui proximè sequitur, Canone: Regnum, inquit, Dei, vitæ nostræ stipendijs quæramus. Et iterum: De nostro est beata illa æternitas promerenda. Et iterum enarrans parabolam de thesauro absconso: Per similitudinem, inquit, thesauri in agro spei nostræ opes intra se positas ostendit, quia Deus in homine sit repertus: in cuius pretium omnes seculi vendendæ sunt facultates, vt vestitu, cibo, potuꝫ indigentium æternas cœlestis thesauri diuitias comparemus. Et ante vtiunꝫ Cyrillus: Poterit sanè aliquis etiam per pecunias iustificari. Esurijt, inquit, & dedistis mihi manducare. Omninò id per pecunias. Et vis nosse, quòd bona, opes, possunt esse ostium regni cœlorum? Vende omnia quæ habes, inquit, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. Et Paulinus: Placet, inquit. Deo talis iniuria, vt vim regno ipsius inferamus, bonis operibus cœli claustra frangentes. Ad eundem modum quisquis fuit auctor operis imperfecti in Matthęum: Sicut, inquit, bona opera spem generant, sic mala opera desperationem. Et in ea quæ sequitur Homilia: Bona opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt. Et alio loco. Quoniam sicut opera bona in die tentationis præstant spei virtutem, sic opera mala desperationis operantur infirmitatem. Et iterum: Quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, & vigorem accendunt. Et paulò pòst. Nõ potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit. Idem alio loco. Vnum est quod in regno cœlorum quæritur. Nam vt qui per operationem virtutum apertas potest inuenire ianuas fiduciæ in Christum, ita qui nihil fiduciæ huc defert, inter ignominiosos & desperãtes locum habebit. Idem alibi: dum explicat illud, patiẽtia probationẽ, probatio spem operatur: Nihil est enim, inquit, quod æquè nos optima quęqꝫ sperare faciat, vt bona cõscientia. Nemo igitur eorum qui rectè viuunt, diffidit se futura bona consequi posse: sicut econtrà qui negligẽtius viuunt, ex ijs multa mala conscientia pressi, neq; iudicium, nec retributionem vllam esse volunt. Origenes quoqꝫ: Sanctus non abscondit se, sed conscientia actorum suorum habet fiduciam ad Deum. Sed & Ambrosius: Opus est, inquit, vt crescat in nobis fiducia bonis actibus parata. Et Gregorius Nissenus: Primùm per opera fiduciam sumamus, Hieronymus: Sicut impietas magni Dei reformidat aduẽtum, ita secura de opere suo & de fide illum pietas præstolatur. Gregorius quoqꝫ Pontifex: Cùm opus crescit, præmij fiducia proficit: Cùm verò opus torpuerit, spes à remuneratione lassescit.

*Spei definitio Lib. 3. sen. dist. 26.*
*Aug. in præfatione psal. 38.*
*Libr. 1. de doctrina Christiana cap. 37.*
*Euseb. Emiss. ho. 3.*
*Epiph. hom. 2. de Symb.*
*Psal. 118.*
*Hilar. Canon. 4.*
*Canon. 6.*
*Canon. 12.*
*Cyrill. Catech. 8. Iustificari per pecunias.*
*Paulinus in epist. de Gazophilacio.*
*Hom. 15.*
*Hom. 16.*
*Hom. 49. operis imperfecti, in cap. Matth. 24.*
*In cap. 25. Matth.*
*Hom. 52.*
*In Genes. cap. 48.*
*Hom. 66.*
*In epistolam ad Rom. ser. 9.*
*Orig. hom. 12. in Hieremiam.*
*In epist. de Gazophilacio.*
*Chrys. hom. 15.*
*Hom. 52. in 25. cap. Matth.*
*In cap. 6. hom. 16.*
*Hom. 49.*
*Hom. 12. in Hier.*
*Gre. Niss. l. de orat. dominica in illud: Et dimitte nobis.*
*Hier. in cap. 2. Epist. ad Titum*

Basilius Episcopus Seleuciæ Isauriæ, in oratione de transfiguratione Domini post factam extremi iudicij mentionem: Huius, inquit, terrorem reputantes, mores mutemus: ante id

*In ser. de laude Martyrij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tempus bonis actionibus fiduciam comparemus: & ante tempus iudicij, meditemur defensionem. Et B. Ephrem: Beatus & felix est, quem in extremo iudicio opera bona comitantur, illisq; operibus fretus, eandem confidentiam habebit cum Martyribus. Itaq; non Petrum Lombardum, sed Haymonem, sed Augustinum, sed Ambrosium, sed Hilarium, sed Hieronymum, sed Gregorium Nissenum, sed Origenem, sed Gregorium Pontificem, sed Cyrillũ Hierosolymitanum, sed Chrysostomum, sed Basilium, sed B. Ephrem, sed Paulinum, sed reliquum orthodoxorum scriptorum chorum omnem reprehendunt, qui spei definitionem hanc reprehendunt. Cæterùm Albertus Magnus, ne plus iusto per hanc spei definitionem bonorum operum esse meritis tributum videri posset, addit hæc verba: Ille veram spem habet, qui Deo sacrificium iustitiæ offert, iuxta illud: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Sacrificium iustum est vnigenitus Dei filius, qui se pro peccatis totius mũdi obtulit Deo patri in ara crucis ampliorem emendam offerens, quàm totus mundus debebat. Suffecisset enim (vt dicit Ambrosius) vna gutta tam pretiosi sanguinis ad redimendum totum genus humanum: sed abundanter effudit, vt abundantiam dilectionis ostenderet. In hoc sacrificio est tota salus & spes nostra, iuxta illud Bernardi: peccaui peccatũ grande, conscientia turbatur, sed non perturbabitur, quia vulnerum Dñi recordabor: ego verò quod mihi deest ex me, fidenter mihi vsurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluat. Ipse enim ieiunauit, vigilauit, & orauit, sudauit, lassatus est, lachrymatus, flagellatus, passus, crucifixus est. Vt in ipso complementum omniũ habeamus defectuum.

*Quòd præceptum charitatis, quæ est iustitia nostra, in hac vita expleri potest.*

## CAP. LXXIIII.

HActenus veterum orthodoxorum testimonijs demõstratum à nobis est, quòd Dei quidem iustitia, sed non ea, qua ipse iustus est, verùm qua nos iustos facit, quodque non sola iustitiæ Christi imputatione, sed verè, & realiter inhærente nobis iustitia iusti sumus: quæ quidem iustitia nostra charitas est & dilectio: quam solam præcepisse nobis Christus videtur: ita vt omnia mandata sint vnum charitatis mandatum. Hinc pendet vniuersa lex & Prophetę. Ac hoc vno præcepto dilectionis impleto, vniuersam omnino iustitiam impleri scribit Augustinus, qui præceptum etiam dilectionis, vocat præceptum iustitiæ: Cæterùm sunt, qui negant, in hac vita mandatum hoc expleri posse. Quod, qui non dubitant affirmare, quid aliud quàm impossibilia Deum præcepisse blasphemant? Nos verò Christo potius credamus dicenti: Omnia possibilia sunt credenti. Et cum Paulo quisq; nostrum glorietur, dicẽs: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. In credulis, dubium non est, quin ea, quę Christus præcepit factu sint impossibilia: Cæterùm qui fidem habemus in Christum, qui regenerati Spiritum sanctum accepimus, qui adiuuat infirmitatem nostram: dicere, quòd nihilominus explere Christi præcepta non possumus, quid fuerit aliud, quàm Spiritum sanctum imbecillitatis arguere? quàm virtuti passionis & mortis Christi detrahere? quasi parum efficax ea fuerit ad promerendum nobis vt possimus? Theodoretus victoriæ contra peccatum facilitatem ex his Pauli verbis docet: Peccatum non amplius nobis dominabitur. Non amplius, inquit, natura sola luctatur, sed opem ferentem habet gratiam spiritus. Hoc enim subiunxit: Non enim sub lege estis, sed sub gratia: Docet quòd ante gratiam lex solum docebat, quid esset agendum. Ijs autem quibus ipsa imponebatur, nullum penitus auxilium afferebat. Gratia enim præter legis impositionem, præbet etiam auxilium: & propterea lege est perfectior, quæ fit à gratia legislatio. Vtpotè cùm auxilium soluet difficultatem. Et ante eum Chrysostomus, Lex non solùm ideò grauis est, quia grauia præcipit obseruationis mandata: sed & quia præcipit fieri, & faciendi non præstat auxilium. Nec ideò solùm gratia leuis est, quia leuia ponit mandata: sed quod fieri præcipit, & ipsa in nobis operatur faciendi virtutem. Ecce enim lex præcipit: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Gratia aũt iubet: Diligite inimicos vestros. Nónne grauius est gratiæ mandatum, quàm legis? Et tamen facilius est nobis per gratiam hęc impossibilia adimplere: quàm Iudęis per legem illa possibilia. Quia in gratia Dei totum possumus: sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: Omnia possum in eo, qui me confortat. Siquidem hoc nobis præstat redemptio ex captiuitatis iugo erutis: quemadmodum à Leone Magno scriptum esse iam antè cõmemorauimus, vt eam sequi possit imitatio. Quamobrem rectè scriptum est à Dorotheo, fides vt à maioribus ac senioribus nostris accepimus, ea comprimit semper & amouet, quæ poterunt esse impedimento: & liberam nobis reddit ac facilem operandi viam, quæ nos ad perfectam hanc de qua agitur mortificationem adducit.

Præclarè Basilius: Non hoc nobis præcepisset bonus ac iustus Dñs, nisi etiam facultatem quà id faceremus, fuisset elargitus. Quam quidem etiam in natura ipsa expresè insitam videri voluit. Benè enim de se meritos, etiam bestię naturaliter diligunt. Quem secutus Augustinus: Non imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile esse iudicaret, vt hoc ab homine fieret. Si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, vt præbeat & auxilium. Et qui præcessit eum auctor epistolæ ad Demetriadem: Nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fuit, pro eo quod vitare non potuit. Sanctus MARCVS Eremita rectè docet, statim à baptismo donari Spiri-

*Matth.22.*
*Aug.de spiritu & litera cap.36.*
*Charitatis mandatum cur impleatur.*
*Marc.9.*
*Philip.4.*
*Rom.8.*
*In cap.6. ad Rom. epist.*
*Auctor operis imperfecti hom.28.in Matth.*
*Leo ser.2.de resur.*
*Ber.ser.1. de obedientia et submissione.*
*In regulis breuioribus interroga.106.*
*Aug.in psal.56.*
*Marcus Eremita de baptismo.*



Spiritumsanctum firmiter credentibus: infidelibus autem aut malè credentibus ac non baptizatis, non conferri. Et paucis interiectis: A baptismo, per Christi beneficentiam, plena gratia Dei nobis donata est ad implenda cuncta mandata. Quod reliquum est, quicunque mysticè illam accepit, non tamen facto implet mãdata, pro modo defectus torquetur à peccato: quod quidem Adamo non est imputandum, sed negligenti: eò quòd cõsecutus facultatem operandi, opus non peregit. Ante quem etiam Cyprianus ad Donatum scribens, antequam esset baptizatus, subitam cõuersionem, ac Dei mandatorũ expletionem sibi fuisse, narrat visam impossibilem: sed postquã vndæ genitalis auxilio, superioris æui labe deterſa, in expiatum pectus, ac purum, desuper se lumen infudit: postquã cœlitus spiritu hausto, innouum, inquit, me hominem natiuitas secunda reparauit: mirum in modum protenus cõfirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa: facultatem dare, quod prius difficile videbatur: geri posse, quod impossibile putabatur: vt esset, agnoscere terrenũ fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viueret: Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Nec minus præclarè Eusebius Emissenus: Non nimis arduum iudicetur, vt diuina quisq; præsumat exemplaria sectari. Propter hoc Deus homo factus est, vt homo Deum posset imitari. Et alio loco: Propterea corporis nostri naturam Christus induere debuit, vt per illam, quam in nostra carne peragebat, de mundi hoste victoriam, nostram posset consecrare naturam: & roboraret fragilem cõditionem, dum exercet in fragilitate virtutem. Cyrillus etiam Alexandrinus explicans illud Esaiæ: Ponam omnes montes meos in viam, subinnuit per hæc verba docet: nihil arduum & difficile fore his, qui per Christum saluati sunt. Videtur enim sublime & altum & inaccessum esse multis, vt virtutem quis colat. Sed planam & æquabilem omnem hanc viam nobis reddidit Seruator, vt quod imperuiũ esse videbatur & immeabile, leuigatum id & prostitutum sit illac ire volentibus.

*Euseb. in ser. exhortatorio contra diuersa vicia.*
*De natiuitate domini hom.1.*
*Lib.4.*
*Orat.4.*
*Esai.49.*

Testatur hoc Augustinus quoq;, iustitiæ perfectionem etiam in hac vita esse possibilem: quia omnia possibilia sunt Deo: siue quæ facit sola sua voluntate, siue quæ cooperantibus creaturæ suæ voluntatibus à se fieri posse constituit.

*Aug.de spiritu & litera cap.5.*

Quamquàm illud interea fateri necesse est, quoddam esse dilectionis genus, quod in hac vita non potest expleri: Verùm non est ita crudelis Deus, vt exigat à nobis quod præstare nequimus: facilè in eo acquiescit, si quod facultas nostra fert, faciamus. Est quædã perfectio viæ, est alia perfectio patriæ: Cuius duplicis perfectionis Ambrosius quoq; meminit in his libris, quos de officijs inscripsit: & eum sequutus Augustinus in libris de doctrina Christiana. Nõ requirit à nobis Deus in his diebus peregrinationis vitæ nostræ paruis & malis, eam iustitiæ siue charitatis perfectionem, quam habent spiritus beatorum in cœlesti patria degentium, vbi est Ecclesia illa gloriosa, de qua Paulus meminit, sine macula & ruga. Nos quoad corpus hoc, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensus nostros multa cogitantes, non possumus ab officij religione quandoq; non declinare, quin sæpè potius in multis offendimus omnes: atq; ideò necesse habemus quotidie dicere, sicut nos Magister noster docuit: Dimitte nobis debita nostra. Nam si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quamobrem sicut ab Augustino scriptum legimus, etiam perfecta nostra iustitia, imperfecta est: præcipuè, si vel cum Dei, vel cum hominis Christi, vel cum spirituum beatorum in cœlesti patria cõmorantium iustitia comparetur. Neq; tamen propterea iusti non sumus, quòd peccato non caremus. Nullus sanctus & iustus caret peccato, dicit Augustinus: nec tamẽ ex hoc definit esse iustus, & sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Siquidem diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Vsq; adeò prorsus omnia, quemadmodum idem scribit Augustinus, vt etiam si qui horum deuient & exorbitent, hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt atq; doctiores: Discunt enim, quòd in ipsa vita iusti cum tremore debeant exultare: non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi: nec dicendo in abundantia mea, non mouebor in æternum: propter quod eis dicitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: ne quando irascatur Dominus: & pereatis de via iusta. Nec enim ait: Et ne veniatis ad viam iustam, sed ne pereatis, inquit, de via iusta: quid ostendens, nisi eos esse cõmonitos, qui iam ambulant in via iusta, vt in timore Deo seruiãt? id est, non altum sapiant, sed timeant.

*Perfectio duplex.*
*Ambr lib.1.ca.48. & lib.3.cap.2.*
*Aug.libr.1.cap.39. & de spiritu & litera vltimo.*
*Genes.47.*
*Ephes.5.*
*Sapient.9.*
*Iacob.3.*
*Matth.6.*
*1.Ioan.1.*
*Aug de peccatorum meritis & remiss. lib.2 cap.13.*
*Aug.de Eccles.iust. dogmat.cap.86.*
*Rom.8.*
*Aug.de grat. & correct.cap.9.*
*Psal.29.*
*Psal.2.*
*Rom.11.*

Non ergo statim iustus esse desinit, si quis paululum de recto curriculo deflexerit. Sicut de Ezechia scribit Hieronymus: Non ex eo quòd parua peccauit, iustitiæ nomen amisit: Sed ex eo quòd multa bona fecit, iusti vocabulum possidet: Septies in die cadit iustus, dicit scriptura. Iustum vocat etiam, cùm ceciderit: Cùm ceciderit, inquit, iustus, non collidetur: quia Dominus supponit manũ suam. Præclarè Hieronymus: Si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum, inquit, non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Ad eundem modum Theonas quoq; referente Cassiano. Quid enim aliud est inquit, cadere quàm peccare? & tamen cùm dicatur septies cadere, nihilominus pronunciatur iustus: nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ. Vbi posteaquàm quædã interposuit de eo, quantum interſit inter sancti & hominis peccatoris lapsum: subiũgit ad extremum: Nec enim sanctus esse definit post ruinam, qui, cùm se fiducia operum suorum iustificari non posse cognoscat: & à tantis peccatorum nexibus credat sola Domini gratia liberandum, cum Apostolo proclamare nõ definit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Christum Dominũ nostrum. Gregor. quoq; Iustorum casus, quodammodo status eorum est: quia aliquando permittuntur cadere, vt semper valeant fortius stare: permittuntur vt in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profectò, & si verba Domini quandoque non implent, à Domino non recedunt: quia ad tempus relinquuntur, vt æternaliter teneantur: & in modico desipiunt,

*Hier.lib.2. aduersus Pelagianos.*
*Prouerb.24.*
*Psal.36.*
*Hier. in epist. ad rusticum.*
*Hier. in Amos c.2.*
*Cass. collatione 22. cap.13.*
*Rom.7.*
*Greg.lib.6. ep.2. in 1.Regum. Iustos permittit cadere DEVS.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sed post modicum resipiscunt. Non igitur omni prorsus iustitia vacui statim sumus, etiam cum in leuiora peccata prolapsi sumus, modò ne capitalis alicuius criminis affines simus. Quòd si nec illud fortassis effugerimus, modò lapsi per pœnitẽtiam resurgamus, non ideò statim iusti nomen amittimus: & erit iustitia nostra, si præsertim nullius fuerimus rei criminis capitalis, in suo nihilominus genere perfecta: etiam si collata cum iustitia spirituum beatorũ, valdè futura sit imperfecta, cum Dei verò iustitia comparata, mera erit iniustitia. Quod ab Hieronymo quoque contra Pelagianos scribente videre licet annotatum. Vidit hoc ille Propheta, qui dixit, Iudica me Domine secundum iustitiam meam. Cùm enim intelligeret esse iustitiam Dei, quæ mentem omnem excedit, quam tantùm abest, vt vlla creatura possit exequare, vt non modò non imitando, verùm ne cogitando quidem, vim eius comprehendere queat. Esse deinde iustitiam spirituum beatorum, siue ij sint Angeli, siue ex hominum piorum cœtu in sedes beatorum recepti, ad quam & ipsam nulli moralium ita accedere liceret, vt eam assecutus in hac vita iudicari possit: noluit neq; secundum priorem illam, neq; secundum posteriorem hanc iudicari. Sed iudica, inquit, me secũdum iustitiam meam, hoc, est, secundum eam iustitiam, quam humana natura per Dei gratiam adiuta potest apprehendere. Addit deinde: Et secũdum innocentiam meam super me. Innocentiam interpretatur Basilius, Psalmum hunc enarrans, simplicitatem, inexperientiam, & ignorantiam eorum, quæ necessaria sunt cognitu, sicut in prouerbijs dicitur, Innocens omni verbo credit. Quoniam ita q̃ nos mortales per ignorantiam & inexperiẽtiam nostram in multis offendimus, rogat Propheta Deum super innocentia veniam, Iudica me, inquit, secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam in me existentem, id est, secundum iustitiam humanæ fragilitatis, & secundum morum meorum simplicitatem. Quasi diceret, Scio me parum esse consideratum, neq; satis in mundi negotio circumspectum: Quamobrem noli me iudicare secundum iustitiam tuam, hoc est, qua tu iustus es. Nam si secundum illam iudicaueris, actum est de me: siquidem omnis humana iustitia, cum tua comparata, mera est iniustitia. Sed neq; iudica me secundum iustitiam spirituum beatorũ: nam & hanc quoad corpus hoc mortis circunfert, humana fragilitas assequi non potest: sed iudica me secundum iustitiam imbecillitatis & ignorantiæ humanæ, quæ non potest ab omni prolapsione prorsus esse libera, ita vt sæpè cadere, sæpè etiam resurgere necesse habeamus. Sic ferè locum hunc Psalmi Basilius interpretatur. Cùm dixisset Dorotheus aliquando: Quantò quis Deo propius adhæret, quòd se tanto magis peccatorem agnosceret. Quidam ex illustribus viris Gazensibus audiens, admiratione quadam & stupore affectus. Quomodo fieri hoc potest, inquit? Dorotheus verò: Dic mihi obsecro, Præclare Domine, quem locum habes in tua ciuitate? Ille verò respondit: Magnum quidem & Principem locum teneo in ciuitate mea. Dico illi: Si fortè Cæsaream iueris, quem ibi locum obtinebis? Viliorem, inquit, atq; peiorem omnibus, qui illic degũt. Tum ego: Si vero, inquam, Antiochiam perrexeris, quem ibi te faceres? Cui ille: Vt rusticum certè me haberem & semipaganum. Quod si ad regiam ciuitatem, inquam, perrexeris Constantinopolim, quem te ibi putares? Certè, inquit, vt pauperem & mendicum me existimarem. Tum ego illi: Ecce, inquam, ita se habent sancti viri, quanto propius & vicinius ad Deum accedunt, tanto se viliores aspiciunt, & peccatis magis onustos: Cùm Abraham videre Dominum meruisset, terram se vocauit, & cinerem. Esaias autem dixit: Miser ego & polutus sum.

Leuiora peccata non auferunt nobis iustitiam.

Lib. 1. Psal. 7. Iustitia hominis.

Psal. 7. Innocentia apud Dauidem quid. Psal. 7. Prouerb. 14.

Dorotheus ser. 1.

Dicitur itaque iustus in hac peregrinatione, non qui comprehendit illam patriæ iustitiam, quæ verè perfecta est: sed qui quo maximè potest studio contendit & elaborat, vt ad eam quàm proximè accedat. Quemadmodum in libro de perfectione iustitię pluribus vere docet Augustinus: Qui negat etiam alio loco, iustum impedire peccata quædam venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, quo minus ad vitam æternam peruenire queat.

Iustus in via quis.

Augu. de spiritu & litera cap. 28.

Est igitur perfecta iustitia, hoc est, perfecta charitas etiam in hac vita: sed eo perfectionis genere, quod in hac via requiritur. Quam vero perfectionem in cœlesti patria nos consequuturos esse speramus, eam in hac peregrinatione nostra Deus à nobis exigere non videtur: Est quidem eadem numero viæ charitas, quæ patriæ: sicut idem numero est homo, qui cùm puer fuerit, factus est postea vir: neque alius est factus vir, quàm fuit puer: Sic & nos in hac vita degentes paruuli sumus, loquimur vt paruuli, sapimus vt paruuli, cogitamus vt paruuli, diligimus vt paruuli: quando autem facti fuerimus viri, tunc euacuabimus ea, quæ erant paruulorum: & perficietur in nobis, quæ fuit in hac vita degentibus inchoata charitas. Quamobrem nihil impossibile præcipitur, cùm ex toto corde nostro diligere DEVM iubemur: quandoquidem & Propheta dicit: In toto corde exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis: Et Ezechias Rex: Memento, inquit, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto. Sic Salomonem quoque dixisse legimus: Domine DEVS, qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Si tales nulli sunt, pro quibus orat SALOMON? aut nunquid mentitos esse dicimus Dauidem & Ezechiam Reges, qui se exquisiuisse Dominum in toto corde, & ambulasse in corde perfecto gloriantur?

Psal. 118. Esaiæ 38. 3. Regum 8.

Dauid, Ezechias, & alij dilexerunt Deũ ex toto corde.

Quamobrem in hoc præcepto, quo iubemur diligere Deum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, est quiddam, quod à nobis rectè perfici potest, etiam in hac vita: est aliud, quod nõ est, nisi cùm ad patriam cœlestem illam Ierusalem peruenerimus. Nam si quis ita verba hæc accipiat, vt illis præcipi putet, sic Deum vt diligamus & colamus, sic in eo spem & fiduciam nostram omnem collocatam habeamus, vt ne partem vllam cultus & amoris illi soli debiti, in alienos & factitios deos impendamus: quis est, qui nõ videat hoc nullo negocio ab homine Christiano præstari posse? Atq; hunc esse verborum horũ sensum, præter alia multa scripturæ loca, vel ex hoc vno satis colligi potest, vbi Samuël populum Israëliticum

Ex toto corde. Præceptũ charitatis quatenus possibile.

1. Regum 7.



cum hortatus fuisse legitur his verbis: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum auferte deos alienos de medio vestri.

Tunc igitur ex toto corde Deum diligimus, cùm nullam cultus illi debiti partem idolis tribuimus, neq; nobis præter vnum Deum alium constituimus vllum, nec in alio quoquam spem nostram defixam habemus. Et hoc esse, quod à nobis hoc præcepto Deus exigit, vel ex eo Deuteronomij capite, quod proximè præcessit, liquere potest: vbi prohibet Deus, ne faciamus nobis Deos alienos, ne adoremus, neve colamus sculptilia: sed solum illum adoremus, soli illi seruiamus, quod credenti præstare non modo non impossibile, verùm ne difficile quidem esse, quis est qui non intelligat? Cæterùm si quid amplius etiam exigatur hoc præcepto: nimirùm summus amor Dei comparatione rerum cęterarum: vt is diligat Deum ex toto corde, anima & viribus, qui illum anteponat omnibus rebus conditis, etiam vitæ & morti: si casus inciderit, vt aut sit offendẽdus Deus, aut mors oppetenda: ne sic quidẽ adhuc impossibile præcipitur aliquid, cùm quod à tot myriadibus martyrũ factum esse legimus, fieri adhuc à credentibus & amantibus Deum possit.

Deum ex toto corde quando diligimus.

Quòd si verò quis hunc esse verborum horum sensum velit, vt præcipi nobis existimet, quò sic amore diuino inebriemur, vt obliti nostri, factiq; nobis ipsis tãquam vas perditum, toti pergamus in Deum: & inhærentes Deo, vnus cum eo spiritus efficiamur, vt cum Propheta dicere nobis liceat: Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: hoc verò quin arduum sit & difficile, negari non potest. Te enim quodãmodo perdere, tanquam qui non sis, & omninò non sentire teipsum, & à temetipso exinaniri, & penè annullari, cœlestis, inquit Bernardus, conuersationis, non humanæ res est affectionis. Videtur enim id esse hominem exuere, & Deum induere. Nam quemadmodum exiguaa- quæ gutta, multo vino infusa, deficere in se tota videtur, dum vini & saporem induit, & colorem: quemadmodum ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristina, propriaq́ue forma exuta: quemadmodum Sol is luce perfusus aër, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur. Sic in eiusmodi hominibus, humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse est à semetipsa liquescere, atq; in Dei penitus transfundi voluntatem: alioqui quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quicquam supererit? Quamobrem fateri necesse est, cum primis id esse magni negotij. Neq; tamen propterea vel semel in vita præstari nõ potest. Nisi fortè non fuit ab illo præstitum, qui posteaquàm se Christo confixum esse cruci dixerat, exclamauit: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus: Qui propter Christum omnia detrimentum fecit, & arbitratus est, vt stercora, vt eum lucrifaceret: qui tanto in eum amore ferebatur, vt desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo. Mihi enim, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum: qui deniq; quasi numine correptus, & totus igne diuini flagrans amoris, in has tandem voces prorupit: Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculũ? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro. Nunquid aliquid huic defuit ad iustitiæ, charitatis q̃ perfectionem, quæ à mortalibus in hac lachrymarum valle peregrinantibus, vel maxima requiri potest? Certè Clemens Alexandrinus, cùm dixisset Paulus, Viuo aũt iam nõ ego, viuit aũt in me Christus, hoc eum dicere voluisse scribit: quod cùm esset in carne, sic viueret, vt in cœlo versari videretur, cœlestemq; vitam in terris adhuc degens repræsentaret. Qua in re ne cęteri quidem Apostoli multo videntur inferiores fuisse, quorum etiam sectatoribus hoc testimonium tribuit Philo Iudæus: quòd vsq; eo fuerunt diuinarum rerum cõtemplationi dediti, vt abiecisse curam carnis omnem, ac reficiendi etiam corpusculi per cõtinuos dies aliquot obliti prorsus esse viderentur: vix vt quandoq; sexto aut septimo die cibum caperent. Et quidem ita eos decebat, quos Christus lumina mundi constituerat, qui q̃ vniuersum orbem diuinæ sapientiæ sale condire debebant. Neq; verò ipsi soli fuêre diuinitatis contemplatores: sed quos in fide Christi instituerant, eos quoq; spiritualium donorum speculatores esse cupiebant. Tales etiam suo tempore fuisse Monachos narrat Chrysostomus, & Nilus Monachus, & Augustinus: qui carnis illecebras respuentes, ab omni studio mũdanarum rerum auersi suos amores in cœlestibus optandis, ac in illa eum Deo gratia, cõiunctione q̃ ponentes, nullis vel carnis desiderijs, vel quarumcunq; aliarum affectionum motibus perturbarentur, quę ex mundanis curis excitari solent: sed cœlestium vitam in terra & in fragili adhuc corpore repręsentantes, ad iustitiæ diuinę similitudinem quàm proximè accederent. Tales nullo vnquam seculo defuisse, ac ne nunc quidem deesse credendum est.

Quatenus idem præceptum impossibile. Psal. 30. 1. Cor. 6. Psal. 72.

Bern. in lib. de diligendo Deo.

Verùm hic dixerit aliquis: Si tantam iustitiæ perfectionẽ Paulo tribuimus, cur ergo queritur ille, quòd videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati, quæ est in membris suis? Cur se vocat infelicem, & liberari cupit de corpore mortis huius? Cur alio loco negat se iã accepisse, aut se iam perfectũ esse, sed sequi tantùm dicit, si quomodo comprehẽdat? Quod ad priorem Pauli locum attinet, quid si veteres Orthodoxi complures negent illic eum loqui de se, sed sub sua persona de quouis homine, qui victus à concupiscentia, iam seruiat peccatis? nec enim Apostolus, cùm hæc loqueretur, per legem erat mortuus, nec illi mandatum inuentũ est ad mortem, qui legis fuit obseruantissimus: neq; carnalis erat: neq; venundatus sub peccato, neq; malum, quod non volebat, faciebat, neque erat infelix, vt optaret, à corpore mortis liberari, per quod cogeretur facere quod nollet, verùm docendi gratia peccatoris in se personam recepit, vt ostenderet à peccatis neminem posse fieri liberum, nisi per gratiam Euangelij. Quid si ijdem

1. Corinth. 15. Coloss. 3. Charitatem perfectã habuit Paulus. Galat. 2. Ppilipp. 3. Philipp. 1.

Rom. 8.

Clem. lib. 4. strom. Apostoli diuinarum rerum contemplationi dediti. Phil. in lib. de vita contemp. siue de supplicibus.

Monachi olim quales. Chrys. in hom. 70. & 71. in Matth. Nilus in hist. de interemptione Patrũ in Syna, & B. Aug. de moribus eccles. Cath. li. 1. c. 33.

Rom. 7.

Philipp. 3. Infelix ego, &c. sub persona peccatoris non sua loquitur Paulus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



veteres non de peccato originis, quod omnes contraximus, sed de consuetudine peccandi, qua deprauatur hominis & ratio & voluntas, verba hæc Pauli interpretantur? Cùm & Augustinus dicat, Legem peccati violentiam esse consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus: aut si quem locum tribuunt peccato naturæ, maximam certè portionem adscribunt assuetudini vitiorum, quam in Paulo fuisse, dici verè non potest: Verùm demus hoc istis: vt à qua sententia non abhorruit Augustinus, sub sua persona Paulus dixisse creda-
*Aug. libr. 1. cap. 33. Lib. 8. c. 5. confess.*
tur: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: non ideò tamen ab ea perfectione iustitiæ siue charitatis, remotus fuisse putandus est, quæ à nobis in hoc fragili corpore nostro exigitur: quæ certè tanta non exigitur, vt perpetuò simus in solius Dei contemplatione defixi: nihil vt præterea cogitemus vnquam, nullam vt carnis nostræ, nullam amicorum nostrorum, nullam rerum ad vitam hanc sustentandam pertinentium curam habeamus, nulla rei cuiusquam cupiditate seu desiderio tangamur. Nam etsi dictum
*Aug. cont. duas epi. Pelagianorum ad Bonifacium libr. 1. cap. 10.*
*Non cõcupisces quomodo intelligitur. Exod. 20. Deut. 5. Rom. 6. Eccles. 18. 2. Corinth. 5. 1. Pet. 1.*
est: Non concupisces: quemadmodum tamen intelligi dictum hoc oporteat, docet nos Paulus dicens: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Docet & Sapiens, cùm ait: Post concupiscentias tuas non eas. Non concupiscere, non est nostræ fragilitatis, qui dum sumus in isto corpore, peregrinamur à Domino: sed eorum est, qui cœlesti iam patria potiti, præsentis eius aspectu fruuntur, in quem Angeli prospicere desiderant. Cæterùm non ire post concupiscentias, non obedire concupiscentijs, nostrum est, & à nobis præstari potest, spiritu nostram infirmitatem adiuuante. Vt nonconcupiscat aliquis, ad cœlestis patriæ perfectionem pertinet: in hac verò lubrica via, quam insistere aut ingredi sine casu aliquo & prolapsione non possumus, non alia perfectio requiritur à nobis, quàm vt non eamus post cõcupiscentias nostras, vt non obediamus illis. Quam
*Perfectio duplex, viæ & patriæ. Philipp. 3. Aug. cont. duas epist. Pelag. ad Bonifac. lib. 3. cap. 5. Cap. 7.*
etiam ob causam Paulus, cùm nondum se perfectum esse paulò antè dixisset, subiunxit cuestigiò: Quicunque ergo perfecti sumus: duplicem nobis perfectionem insinuans, vnam patriæ, quam se nondum accepisse confessus est: alteram viæ, quam sibi cum alijs optimo iure vendicat. Ostendit, inquit, Augustinus, secundum istius vitæ modum esse quandam perfectionem, eiq; perfectioni hoc deputari, si se quisq; nouerit nondum perfectum esse. Et in eodem libro: Licèt non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitę capacitate iustitia perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum. Quam quia nondum habebat Paulus, & propter illam, quę iam inerat, perfectum, & propter istam, quę adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Ac aliquantò superius in eodem capite: Tunc est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parua iustitia, quando etiam
*Paulus perfectus, & imperfectus.*
quid sibi desit, intelligit: Ideoq; Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit. Imperfectum scilicet cogitando, quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit & sitit: Perfectum autem, quòd & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt peruenit, benè procedit. Et in alio libro: Paulum dicit fuisse perfectum viatorem, & si nondum fuerit ipsius itineris perfectione peruentor. In quam sententiam etiam pleraq; scripsit in li-
*Lib. 1. cap. 46.*
bro de gratia Christi, contra Pelagium & Cœlestium. Qui fuit verò diligens sectator Augustini Fulgentius: Nunc enim diuinorum munerum (vt ita dicam) nondum est perfecta perfectio: vtpotè, vbi omnis perfectus perfectionis est indigus. Namq; ille, qui dixit: Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Idem dicit: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim. Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis & mortalitatis. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: fuit perfectus expectatione muneris: fuit
*Aug. de peccat. merits & remiss. lib. 2. cap. 13. Lib. primo ad Monimum.*
imperfectus fatigatione certaminis: fuit perfectus, quod mente seruiebat legi Dei, fuit imperfectus, quod carne seruiebat legi peccati: fuit perfectus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo: fuit autem imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à Domino: fuit perfectus, plenissimè sciens, quia Deus, quæcunque promisit, potens est & facere: fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. Scripsit autem Gregorius quoque Nissenus orationem quandam de perfe-
*Perfectio vera.*
ctione hominis Christiani, quam ita concludit: Ea enim vera perfectio est, vt qui augetur in melius, nunquam consistat: nunquam terminis vllis perfectionem existimet esse conclusam. Sic in Euangelio perfectus dicitur discipulus, si fuerit sicut Magister eius: non quòd
*Luc. 6.*
quisquam par sit Christo, sed quòd in eodem virtutis genere, quamuis longè impari successu, versetur. Ibidem iubemur esse perfecti, sicut pater cœlestis perfectus est: non quod vllus hominum, aut etiam Angelorum ad perfectionem Dei possit accedere, sed quod in aliquo virtutis genere nihil impedit, quo minus aliqua ex parte referre patrem cœlestem
*Estote perfecti sicut pater vester, &c. quomodo.*
queat. nimirùm in benignè faciendo non amicis modo, verumetiam inimicis. Multa præclarè scripsit in hanc sententiam libro tertio Dialogorum suorum Cæsarius Gregorij Nazianzeni frater: qui locum etiam illum explicans: Estote perfecti: His, inquit, verbis, non cum omnino incomparabili, & rationem intellectum q; superante Diuina natura nos met, vt extendamus iubet, id enim fieri nequit: Sed vt illius imitemur benignitatem & facilitatem, omnimodam q; bonitatem, & omnem erga proximum intimæ miserationis affectum
*Hier. in epist. ad Algat. quæst. 8. Clem. libr. 1. cap. 6. in fine Philipp. 3.*
ostendamus, etiamsi sit inimicus & insidiator. Tractans hunc locum Hieronymus: Estote perfecti. Nunquam, inquit, hoc Apostolus imperaret, nisi sciret hominem posse esse perfectum. Clemens quoq; Presbyter Alexandrinus in Pedagogo suo Pauli locum hunc explicans: Ego nondum existimo comprehendisse, &c. Seipsum, inquit, perfectum existimat, quod à priore vita liberatus sit: meliorem autem persequitur, non tanquam in cognitione perfectus, sed tanquam id quod perfectum, desiderans, & ideo subiungit. Quicunque ergo perfecti, hoc sentimus: perfectionem dicens renunciasse peccatis, & in fidem eius, qui est perfectus, esse regeneratos, posteriorum peccatorum oblitos. Et iterum: Solùm, inquit, credidisse,



didisse, & regeneratum esse, est in vita perfectio. Libet autem & Gregorij verba adscribere, ex quibus planum fieri possit, quis sit verborum Pauli sensus: Explanans enim illa: Velle adiacet mihi, posse autem bonum non inuenio: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, id facio: Quasi dicat, inquit, vellem esse in carne non ea perfectione, qua perfectus in carne perfectus est, sed sicut Angeli Dei in cœlo: sed hoc posse nõ inuenio: quia quamdiu mors quoq; peccati, absorpta in futura resurrectione non fuerit, illud quod in me peccatum inhabitat, mouet me contra me. Videtur autem Gregorius Augustini sententiam sequutus, quam his verbis recitat Prosper: Iustitia, secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est: quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicatur, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum. Quam qui nondum habebat, & propter illam, quæ iam inerat, perfectum, & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista iustitia, facit meritum: maior illa, facit præmium. Vndè qui istam non sequitur, illam non assequitur. Cæterùm locum hunc Pauli, Non quod volo bonum hoc facio, vix quisquam tractat copiosius & accuratius, quàm Cassianus, in illa Collatione, quam de his ipsis Apostoli verbis conscripsit.
*Greg. libr. 5. cap. 1. in lib. Regum. Rom. 7. Velle adiacet mihi, &c.*
*Prosp. sent. 313.*

Ex his facilè cuiuis liquere potest, fuisse Paulum perfectum ea perfectione, qua perfectus in carne perfectus est: non autem ea, quam desiderabat, qua Angeli in cœlo perfecti sunt. Ac vt senserit aliquando Paulus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, dubium tamen non est: quin adeò fuerit ab omni sensu eiusmodi persæpè remotus, vt iam non ipse viueret, sed viueret in ipso Christus, in quem tota mente, cunctisq; animi sui viribus ferebatur. Quod si vel semel ab homine Christiano fieri contingat, iam ad summam præcepti de diligendo Deo perfectionem peruenisse videtur. Cuius quidem præcepti non continuò transgressor existimandus est, qui non ad plenum fortè præstitit, cùm semper augendæ dilectioni superesse locus videatur. Quòd si nos, quod in nobis est, præstamus, amplius à nobis Deus non exigit.

Quamobrem audiendi non sunt, qui mandatum hoc dilectionis in hac vita negant expleri posse. Nam quatenus præceptum est, expleri potest: quatenus autem expleri non potest, nobis adhuc à Domino peregrinantibus minimè præceptum, verùm quò contendere, quove currere nos oporteat, via tantùm est cõmonstrata: quemadmodum in libro quoque de perfectione iustitię docet Augustinus. Certè grauis auctor Basilius, adeò non impossibile putat, vt ne difficile quidem esse dicat, his qui volunt, suscipere dilectionem erga iustitiam, & odium aduersus impietatẽ. Omnem, inquit, potẽtiam Deus animæ rationis participi, sicut amandi, sic odio habendi vtiliter dedit: vt ratione directi, virtutem quidem amemus, odio aũt habeamus iniquitatem. Et alio loco, vbi propriè de hoc ipso diligendi Deum præcepto tractat: Qui mandatum, inquit, diligendi Deum accepimus, ijdem statim in prima nostri constitutione, & diligendi facultatem vnà nobis insitam adepti sumus. Vsq; eò Basilius non esse difficile vult præceptum hoc, vt naturæ maximè consentaneum, & animis ab illa nostris insitum esse dicat. Quod pluribus verbis in eo loco probare nititur. A cuius sententia nec Hieronymus abhorrere videtur, qui natura omnibus ineſſe dicit Dei notitiam: nec quenquã sine Christo nasci, & nõ habere semina in se sapientię & iustitię, reliquarum q; virtutum. Vndè multi absq; fide & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè: vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, magis q; iudicio Dei obnoxij fiant, quod habentes in se principia virtutum & Dei semina, non credunt in eo, sine quo esse non possunt. Et ante vtrunq; Antonius, quemadmodum in eius vita scribit Athanasius, fratres suos alloquens: Nolite quæso, inquit, virtutis tanquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum vobis aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro, Dei gratiam præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini inserta est natura, & eiusmodi res est, quę nostram tantummodo expectat voluntatem. Ac paucis interiectis. Cui, inquit, dubium est, quia naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecus sordę polluta, fons sit & origo omnium virtutum? Bonam necesse est esse eam, quam creauit bonus creator. Si naturam mutaueris, peruerſitas dicitur. Si conditio seruetur, virtus est. Animam nostram cõmendauit nobis Deus, seruemus depositum, quale accepimus. Nemo causari potest, extrinsecus situm, quod in se nascitur: facturam suam qui fecit agnoscat: opus suum inueniat, vt creauit. Sufficit nobis naturalis ornatus: ne deturpet homo, quod tibi largitio diuina concessit. Et post hos Augustinus: Aut enim secundum naturam est, inquit, quod vituperas, & non est vitium: aut si vitium est, contra naturam sit necesse est: Omne quippe vitium eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Secundum naturam virtutes, contra naturam esse vitia, docet Augustinus. Qui clarius id explicans alio loco. Hoc agit, inquit, Spiritus gratię, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippè contra naturam est, quod vtique sanat gratia. Et paucis interiectis: Non vsque adeò in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. In quam sententiam & à Dorotheo ductum est: virtus natura ineſt nobis: quandoquidem virtutis semina haud quaquam deleri possunt. Et alio loco: Naturaliter indidit nobis Deus virtutes: vitia autem & affectus praui præter naturam nobis adsunt. Et alio loco: Non oportet dicere, Magnæ atque ingentes, eoq; difficiles sunt virtutes, nec ad eas peruenire queo. Hoc enim hominis est, in Dei auxilium spem non habentis, & boni quippiam acquirere detrectantis, pigriterq; & ignaviter ad præclara opera se gerentis. Quoniam quamcunque vultis eligere virtutem, si strenuè nos ipsos exercuerimus, experimento comperietis, in nostra esse potestate, rectè & cum virtute agere, modò velimus opitulante DEO, qui nunquam deest. Ecce scriptura dicit:
*Basil. in pscal. 44. Amanti nihil difficile.*
*Basil. in Ascæticis cap. 2. Naturæ inest omnibus Dei notitia.*
*Hier. in cap. 1. ad Galat.*
*De liber. arb. lib. 3. Cap. 13.*
*Aug. de spiritu & litera ca. 17. & 18.*
*Ser. 11.*
*Ser. 12.*
*Ser. 14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dicit: Dilige proximum tuum sicut teipsum. Noli animum conuertere & considerare quantum à virtute sis absens: vt timere incipias, & dicere: Quo pacto meum proximum diligere queo vt meipsum? Quomodo afflictionum & ærumnarum illius anxius & solicitus esse possum, vt mearum, præsertim earum, quæ corde teguntur, quas neq; video, neq; omnino cognosco vt meas? Ne, te quæso, istiusmodi immensam atq; adeò excelsam arbitreris virtutem, vt perdifficile sit aut impossibile illâ assequi, sed fretus auxilio diuino incipe fortianimo & fide constanti erga Deum. Ostende illi animi tui propositum ac studium, & adesse tibi proculdubiò senties auxilium illius ad rectè agendum & cum virtute. Quos sequutus Ioannes Damascenus, Naturales, inquit, sunt virtutes, & æqualiter insunt omnibus. Nicetas quoque: Error & peccatum præter naturam sunt, veritas contra & virtus secundum naturam. Earum enim semina naturæ nostræ insperſa atque insita sunt. Ipse autem Gregorius Nazianzenus, in præclaro carmine quod scripsit de Virginitate.

*In Coment. in orat. Panegyricam in Natiuit. Christi.*

*Pietatis namq; sepulta*
*In nobis scintilla latet, velut igneus ardor*
*Inclusus saxis. Vt porrò sæpè terendo*
*De rigido tandem silice excutit ignem:*
*Haud aliter pietas lautans, sermone salutis*
*Attrita, in medium prodit, clariq; refulget.*

*Cypr. de baptismo Christi, & manifestatione Trinit.*

Nec dissimilia scribit Cyprianus, aut quisquis fuit auctor Sermonum eorum, quæ inscribuntur de cardinalibus operibus CHRISTI, cum ait: Neque lex tua scripta à lege naturali in aliquo dissonat, sed reprobatio mali & electio boni sic animæ rationali infixa sunt diuinitus, vt de hoc nemo rectè causetur: quia nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia siue potentia: quia & quod agendum est, scimus: & quod scimus, facere possumus. Quod si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, vt non posset intelligi quid à nobis tua expeteret altitudo: licèt inuitus nemo peccet: posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio, authoritate cognoscibili prouidissent: & simul se complecterentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas. Præcipis mihi Domine Deus, vt diligam te: hoc & possum, & debeo: & totum me, & interius tibi esse iubes obnoxium: & de proximo iubes, vt ad meam eum mensuram complectar. Gratias tibi ago Clementissime DEVS: quia, quod quæris à me, prius ipse donasti.

*Iustin. ad orthodoxos quæst. 103.*

Vetustissimus quoque scriptor Iustinus Philosophus & Martyr: Quid est, inquit, tota legis iustitia? Diligere DEVM pluſquam seipsum, & proximum vt seipsum. Quod dicit igitur, non iustificari ex lege carnem vllam, non dicit, quia non possunt impossibilia, sed quia nolunt possibilia. Voluntate enim ad possibilia vtimur, non ad impossibilia. Et hoc vetustior Philo: Nihil à te Deus exigit graue: multiplex & arduum, sed simplicia quædam & facilia, videlicet vt eum tanquam benemeritum diligas, si non libet reuereri vt Principem ac Dominum: vtque incedas per vias ei placitas, colasque eum non obiter: sed ex tota mente referta pijs opinionibus, tum mandata eius retineas firmiter, & ius diuinum habeas in pretio. Et Chrysostomus: Vides quam res sit facilis virtus, difficilis autem vitium. Quemadmodum illa quidem est tranquilla, hoc verò turba & tumultu refertum. Hoc ergo describens, dicebat Propheta: Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et hoc ostendit, iniustitiam non esse nobis secundum naturam, sed esse quid alienum, & ideò graue est.

*Philo in libello de victimas offerentib.*

*Io. Tzibicorum. 1. Corinth. 12.*

Quamobrem etiam in hac via præceptum hoc dilectionis perfici posse, persuasum habeamus, quamuis non ita plenè sicut in patria. Si quidem visio, sicut à Philosopho quoq; traditum legimus, amoris est causa. Porrò nunc in terris degentes, non videmus nisi per speculum & in ænigmate. Cùm ventum erit ad cœlestem patriam, videbimus facie ad faciem. Quantò tunc eum plenius cognouerimus, tantò plenius & perfectius amabimus. Quamobrē quamdiu peregrinamur à Domino, imperfecta est dilectionis nostræ perfectio, vt rectè cum Propheta dicere queamus, Imperfectum meum viderūt oculi tui Domine. Quamobrem rectè dictum est ab Hieronymo: Quòd cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. Qui etiam alio loco vniuersam creaturam, quamuis ad perfectionem veneriit, indigere tñ dicit misericordia Dei, & plenam perfectionem ex gratia nō ex meritis posse re. Et iterum: Perfectio hominis, non ex natura, sed ex gratia veniens, imperfectos eos, qui perfecti videntur esse, demonstrat. Quem imitatus Bernardus: Nisi enim esset hîc quędam, vt ita dixerim, imperfecta perfectio, non diceret Apostolus: Quotquot perfecti sumus, idipsum sentiamus. Idipsum profectò, quod præmiserat: non quasi iam acceperim, aut iam perfectus sim. Hoc est, quod à venerabili quoque Beda scriptum legimus. Hæc est in hominibus sola fidei perfectio, si omnibus, quæ præcepta sunt, impletis, imperfectos esse se nouerint: & quamdiu peregrinantur à Domino, semper ineſſe sibi mala, quæ desleant: semper meminerint deesse bona, ad quæ gratia eius iuuante proficiant. Videtur autem hæc ab Hieronymo Beda mutuatus, cuius hæc verba sunt: Hæc hominibus sola perfectio si imperfectos esse se nouerint. Et vos, inquit, cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis est qui fecit omnia, quid de eo dicendum, qui explere non potuit? Vel ab Augustino, cuius hæc verba sunt: Ipsa est perfectio hominis, inuenisse se non esse perfectum. Quem etiam Leo Pontifex sequutus: Hæc est, ait, perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi perficiendi deposuerint appetitum.

*In lib. 1. aduersus Pelagiam. Lib. aduersus Pelagianos.*

*Bern. in psal. 90. serm. 10.*

*In cap. 46. Ezech. Psal. 138. Beda lib. 5. in Luc. cap. 17. Hier. aduersus Pelagianos ad Ctesiphontem. Ser. 49. de tempor.*

*Ser. 2. de quadragesima.*

Est



Est igitur quædam etiam imperfecta mandatorū expletio: verbi gratia: Si dux militibus, vt pugnent, imperet: quisquis hostem pugnando vicerit, perfectè ducis imperium expleuit: huc enim spectabat dux, dum inire prælium iuberet, vt pugnando miles vinceret. Itaq; plenè per militem eius est imperio satisfactum. Si verò strenuè quidem pugnauit miles, neque quicquam eorum, quæ sunt artis & disciplinæ militaris prætermisit, non est nihilominus quòd cupiebat assecutus, vt hostem prælio superaret, nunquid is non expleſſe ducis mandatum existimandus est? etiamsi per aduersam fortunam, non per aliquam inertiam suam ad optatum illum finem, quem nō modo dux, verùm ipse miles etiam sibi propositū habebat, non peruenit? Ad eundem modum rectè dici poterit de dilectionis præcepto, quo videtur à nobis exigi, vt vnus cum Deo spiritus efficiamur: quod quoad corpus istud mortis circumferimus, à nobis plenè præstari nequaquam potest. Nam vt omnibus curis alijs vacui, solius Dei contemplationi perpetuò vacemus: & in eum hac ratione quodāmodo trāsformati, vnus cum eo spiritus efficiamur, humana fragilitas nostra non permittit. Cæterùm præclarè scriptum est à Bernardo: quod indefessum proficiēdi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Hoc igitur studiū requirit à nobis Deus, in hoc, vel solo acquieſcit, nec plus, quàm facultas nostra tulerit, à nobis exigit. Sed si quem summum possumus, conatum attulerimus, eum pro eo reputat, ac si perfeciſſemus. Si omnia fecerimus, vt quam proximè ad istam cum Deo coniunctionem accedamus, iam de diligendo Deo mandatum expleuimus, quatenus expleri potuit in isto corpore. Nam vt verè cum Deo coniungamur, & vnus verè cum eo spiritus efficiamur, non in hoc, verùm in illo seculo futurum speramus, quando Deus erit omnia in omnibus: qui tamen interea tolerat infirmos, donec proficiant, & adiuuat proficientes: ac prout quisq; profecerit, sic eum, posteaquam ex hac vita migrauerit, coronat in misericordia, & miserationibus suis multis.

*Imperfecta mandatorum expletio.*

*Bern. epist. 253. ad Abbatem. Garimum.*

*1. Cor. 15.*

*Explicatio præcepti de diligendo Deo & proximo.*

## CAP. LXXV.

*Iustitia nostra quæ.*

HAbemus ergo iam quæ sit iustitia nostra: Est enim fides, spes, & charitas: aut si quis compēdio vti, & vno verbo rem expedire malit, Iustitia nostra est charitas: quæ vbi est, quid est, quod possit deesse: vbi non est, quid est, quod possit, pdesse. Nam fides haberi potest absq; charitate, cum dæmon credat, nec diligat: venia quoq; quamuis frustrà, sperari tamen potest ab eo, qui non diligit: Cæterùm qui ex animo diligit, facere nō potest, quin & credat, & spem atq; fiduciā suam in eo collocatam habeat, quem diligit. Cùm aūt iustitiam nostram charitatem esse dicimus: quemadmodū antea quoq; semel & iterū dicere nos meminimus: non eam intelligi volumus, qua Deus diligit nos, sed qua nos amati à Deo vicissim amamus eum: & amantes, amplius amari meremur. Illorū quoq; iam est refutata per nos opinio, qui iustitiam hanc, in hac vita expleri à nobis posse negant. Quādoquidem propterea Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati: vt quod legi prēstare fuit impoſsibile, posteaquam de peccato damnauit peccatum in carne, iustitia legis impleretur in nobis. Quomodo aūt impleretur? Impleretur, inquit, in nobis, nō secundum carnem, sed secundum spiritum ambulantibus. Hoc est, quod dicit Clemens Presbyter Alexandrinus, de Christo scribens: Non id quod erat, visus est ijs qui nō potuerant capere propter imbecillitatem carnis. Cùm ergo carnem accepisset sensibilem, venit ostensurus hominibus, sufficientes esse eorum vires, vt possint obedire mandatis. Quem secutus Lactantius: Propterea dicit carne fuisse indutum Christum, vt ostenderet etiam carnem posse capere virtutem. Gregorius explicans illum locum Iob: Quis mihi tribuat adiutorem? Adiutorem, dicit esse, vnigenitum Dei filium: qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem, dum suscepit, adiuuit. Ipse quippè adiuuit hominem factus homo: vt quia puro homini via redeundi nō patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longè quippè distabamus à iusto & immortali nos mortales & iniusti. Sed inter & immortalem iustum, & nos mortales iniustos apparuit mediator Dei & hominū mortalis & iustus: qui & mortem habet et cum hominibus, & iustitiam cum Deo, vt quia per ima nostra lōgè distabamus à summis, in seipso vno iungeret ima cum summis: atq; ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. Quod pluribus etiam verbis docet Augustinus in libro quem inscripsit de verbis Domini. Lex præcipere poterat: cæterùm infirmior erat caro nostra, quàm vt quod ab illa præceptum fuit, præstare posset. Indutus carnem nostram Dei filius, quod in ea corruptum fuit, reparauit: ac abolito per mortem peccato, nobisq; Deo patri reconciliatis, tulit ea cuncta de medio, quę impedimento esse possent, quo minus iustitia legis in nobis impleretur, quę iam in nobis ex aqua & spiritu renatis impletur. Christo non modo & verbis docente, & exemplo nobis præeunte, verumetiam ipso in nobis operante, ipso faciente, vt iustitiam faciamus, ipso diligente nos, vt vicissim eum, ipsius amore prouocati, diligamus. Etenim omnis iustitia legis, est vna dilectio: & hoc vno præcepto continetur, quo diligere Deum iubemur ex toto corde nostro, & proximum sicut nosipsos. Quod præceptum vnum quidem est, sed duo tamen in se complecti videtur: iubemur enim Deum, iubemur & proximum diligere. Deum diligere iubemur ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, ex omnibus viribus, ex omni virtute & fortitudine nostra, ita, vt præ illius amore postputemus omnia, neq; sit in hoc mūdo res vlla, in quam pari nostræ volūtatis inclinatione propēdeamus, nō honores, non aurū aut argentū, nō possessiones aut vineas, nō pecora aut mancipia, non vlla vestiū ornamenta, nō amicos, non parentes, non liberos, deniq; ne vitam quidem nostram tanti faciamus,

*Iacobi 2.*

*Rom. 8.*

*Clem. li. 5 stromat.*

*Lact. lib. 4. ca. 24.*

*In 31. cap. Iob.*

*Iob 22. Mora. c. 18.*

*Ser. 18.*

*Diligere Deū quid.*

*Deut. 6. Matth. 22. Mar. 12. Lucæ 10.*

*Philipp. 3.*

*1. Timoth. 6.*
*Psal. 19.*
*Psal. 145.*

mus, vt non & hanc & reliqua omnia, simus alacri animo deserturi propter Christum, si forte vsus veniat, quin ea potius vt stercora reputemus, modo lucrifacere Deum liceat. Deinde verò non alia vlla in re præsidium nobis constitutum, sed in illo spem & fiduciam nostrã omnem positam habeamus. Non speremus in incerto diuitiarũ, non in curribus & in equis, non in filijs hominum, in quibus non est salus, verùm ex Dei solius benignitate toti pendeamus, inde salutem, inde rebus nostris afflictis præsens auxilium expectemus. Postremò, contemplando illi toti vacemus, omnes vt sensus nostri, cogitationesq; nostræ non alio referantur, quàm ad illius bonitatem, sapientiam, maiestatem perpetuò contemplandam.

*Ex toto corde.*

Hoc est, ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, ex omnibus viribus, ex omni virtute & fortitudine Deum diligere.

*Ex tota mente.*

Sunt qui tunc ex toto corde diligi Deum interpretantur, quando rationem siue intellectum nostrum oẽm captiuamus in obsequium Dei: ita vt non quod ratio nostra dictat, non quod intellectus noster assequitur, sed quod in scriptura diuinitus inspirata continetur, id solum verum, id solum rectum esse persuasum habeamus: quamlibet etiam pugnare cum ratione siue intellectu nostro videatur. Ex tota verò mẽte tum Deum diligi, cùm in memoria nostra non alia res versatur magis, quàm vel Deus ipse, vel quod ad honorem Dei pertinet: ita vt in eius solius meditatione omnis nostra cogitatio consumatur.

*Ex tota anima.*

Ex tota verò anima, quando sic voluntas nostra omnis citra cõtradictionẽ vllam Deo addicta est, vt summa cum alacritate iussis eius omnibus obtemperet: vt nec prosperis rebus elata, nec aduersis fracta, cõmittat vnquam aliquid, quo voluntas eius offendi possit: quin potius in eo tota sit, vt eius mandata pro virili sua expleat. Qua de re pluribus etiam asserit Aponius in suis cõmentarijs in Cantica Canticorum, libro primo.

*1. Corinth. 15.*

Meminimus in superioribus nos de eo differere, quemadmodum ad imaginem & similitudinem Dei facti simus: quæ quidem imago, cùm peccato primi Adæ deformata fuisset, virtute secundi Adæ rursus est in nobis reparata: vt sicut portaueramus anteà imaginem terreni, sic portare deinceps possimus imaginem cœlestis hominis. Hanc autem imaginem in anima nostra esse docuimus, ac sicut in Deo: sic in illa quoque trinitatem quandam, Deus vnus est, tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Sic anima cuiusq; nostrũ vna est, tres aũt vires, siue potentiæ: intellectus, memoria, voluntas. Ex patre nascitur filius, ex patre & filio procedit Spiritus sanctus. Ita suo modo ex intellectu nascitur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Hęc trinitas in homine valdè fuit, vt diximus, primi parentis nostri vitio deformata: Nam intellectus & memoria & voluntas, à Deo creatore suo vehementer auersa fuerunt: ad quem vicissim cõuertuntur, quando quod nobis præcipit Deus, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima Deum diligimus, ita vt & ratio illi nostra tota subiecta, & memoria in eius contemplatione perpetuò defixa, & voluntas ad oẽm illius nutum semper sit conuersa: nihil vt magis ex animo cupiat homo, quàm omnia Dei mandata pro virili sua explere. Hac ratione recuperamus imaginem Dei, quę fuit in nobis obsoleta, & Deiformes efficimur. Est enim animæ ratione præditæ forma. Deus: cui haud aliter eam imprimi oportet, quàm sigillo, quod signatum est, imprimitur. Hæc autem impressio non fit, nisi per charitatem, per quam solam Deo similes efficimur. Charitatem aũt perfectam erga Deum habere nõ possumus, nisi collectis in vnũ tribus his animę viribus, & à creatura auersis, in solum aũt Deum conuersis. Hæc si videntur apud homines impossibilia, certè apud Deum nihil impossibile: modò prompta voluntas adsit, spemq; nostram omnem in Deo positam habuerimus, ac deinde ipsi quoq; manum admouerimus, & quod in nobis est, fecerimus: citò sentiemus per gratiam esse facile, quod per naturam non modò difficile, verumetiam impossibile forè videbatur. Est aliquo prodire tenus, si non datur vltra. Nec ille tantùm perfectus homo dicitur, qui tanta est mole corporis, quanta in homine esse maxima potest: quales aliquando Gigantes fuisse feruntur. Perfectus & ille iudicatur, qui quamuis magnitudine Gigantem æquare non possit, nihil tamen ei deest eorum, quæ hominis natura requirit: Eadem est & dilectionis ratio: Si non possumus ad eam aspirare, qua Gigantes ardent in cœlo: (nam & caro nostra, cum spiritu nostro bellum gerit implacabile, vt nõ quæ volumus, ea faciamus, nec toti Deo dediti esse queamus: & in multis offendimus omnes, & seculi, domesticarumq; rerum curis impediti, cor in solum Deum intentum habere, & actu semper in eum ferri, & quod maximè proprium dilectionis est, vnus cum eo spiritus effici non possumus) si igitur non possumus quod Gigantes in cœlo, faciamus quod vel pumiliones faltem in terris: Quantò minus nobis satisfecerimus, tantò sibi magis ille satisfactum esse iudicabit: etiam si sit minimè satisfactum.

*Forma animæ Dei.*

*Perfectio multiplex.*

Porrò proximum iubemur diligere, tanquam nosipsos: ita vt Dei dilectio superet, proximi autem exæquet nostram ipsorum dilectionem. Proximus autem est omnis homo, fidelis

*Diligere proximũ.*

præsertim: qui cùm sit imago Dei, quisquis eum diligit, Deum diligit. Sicut enim Rex in imagine sua vel honoratur, vel cõtemnitur: sic Deus in homine vel diligitur, vel odio habetur.

*Proximus quis.*

*Luc. 10.*

non potest hominem odisse, qui Deum amat: non potest Deum amare, qui hominem odit:

*1. Ioann. 4.*

Scriptum est enim: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suũ odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodò potest diligere? Quis honorat Regem, & eius cõtemnit imaginem? aut quis honorat imaginem, & auctorem contemnit imaginis? Sic igitur alterum dilectionis præceptum pendet ex altero,

*Dilectioni proximi quàm tribuat Paul. Rom. 13. Galat. 5.*

primum vt seruare nemo queat, nisi seruet simul & secundum. Quamobrem proximi dilectioni tantùm tribuit Paulus, vt non dubitauerit dicere: Qui diligit proximum, legem impleuit: Et in alia epistola: Omnis lex in vno sermone impletur: Dilige proximum tuũ sicut teipsum. Dixit autem hoc à Magistro suo doctus: qui cum alicui duobus in mandatis de diligẽdo Deo & proximo pendere legem vniuersam & Prophetas affirmasset, alio loco quasi explicans, quid sit proximum diligere, ijs verbis vsus est: Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Ac mox addit: Hæc est enim lex & Prophetæ: Vbi tantũ tribuere videtur vni huic, quantum alibi vtriq; dilectionis mandato. Si quidem vnum absque altero constare non potest: atq; in dilectione proximi haud aliter includitur Dei dilectio, atq; causa in suo effectu. Hinc enim apparet, quòd Deum diligas, si propter Deum proximo benè velis, & in eum suauiter sis effusus.

*Matth. 22.*
*Matt. 7.*

Iubetur autem quisq; diligere proximum tanquam seipsum. Porrò qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Quemadmodum itaq; non diligit seipsum, qui diligit iniquitatem, ita non diligit proximum, qui diligit iniquitatem in proximo: Duo igitur cum sint in proximo, homo & peccator: diligendus est homo, odio habendus est peccator. Si bonus est homo, diligendus est in eo Christus, cuius bonitate bonus est. Si malus est, corripiendus est malus, sed nihilominus diligendus est homo, verùm in hoc tantum, vt conuertatur ad Christum. Quisquis aliud spectat in proximo, non diligit proximum: qui tum rectè diligitur, cũ propter Deum diligitur: vt in proximo non nisi Deus diligatur, & ad Deum omnis dilectio nostra referatur. Sicut Medicus cùm diligit ægrum, non morbum diligit, quem venit propulsare, sed salutem, quam cupit reuocare: Sic cùm diligere proximum iubemur, non peccatum diligere iubemur, qui morbus est animi, qui modis omnibus propulsandus nobis est pro virili nostra: sed salutem proximi, quam ille tunc adipiscitur, quando Deo, qui salus nostra est, coniungitur.

*Sicut seipsum. Psalm. 10.*

*Diligendus homo, odio habendus peccator.*



## *De Præceptis decalogi.*

## CAP. LXXVI.

*Decalogi diuisio. Ioseph. li. 3. antiquit. cap. 6. Orig. hom. 8. in Exod. Ruper. li. 2. in Exo. cap. 32. Aug. super. Exod. quæst. 71.*

Vnc videamus quomodo lex in duobus his mandatis pendet vniuersa. Duas legis tabulas, digito Dei scriptas Mosi datas esse legimus. Ac Philo quidem in eo libro, quem scripsit de decalogo, & Iosephus, quinq; præcepta in vna tabula, quinq; in altera conscripta referunt. Origenes autem, cuius hanc sectionem sequutus esse videtur Rupertus Abbas Tuitiensis, quatuor in priore (nam primum præceptum in duo diuidit) sex in posteriore: (nam vltima duo vno comprehendit.) Augustinus verò, quem vt in alijs ferè omnibus, ita in hoc quoq; sequitur scholа Theologorum, tria vult prioris, septem autem posterioris esse tabulæ præcepta: quæ tamen omnia ad duo, de quibus iam diximus, dilectionis mandata spectant. Nam tria quidem prioris, ad Dei, septem verò tabulæ posterioris, ad proximi dilectionem pertinent: quemadmodum Augustinum sequutus Petrus quoq; Lombardus annotauit. Qui neq; impleri nisi per charitatem, neq; ad alium finem præterquàm ad charitatem ea rectè referri docet.

*Lib. 3. sent. distin. 37. dist. 36. lib. 3.*

*Charitas finis præcepti.*

Quamobrem in vtriusq; tabulæ præceptis, non tam quid exterius geratur, quàm quid intus fiat, & ex qua radice, quod fit proficiscatur, attenditur. Sunt enim in cordibus hominum radices duæ: charitatis vna, quam plantat agricola Christus: cupiditatis altera, quam plantat diabolus. Nihil ex illa mali, nihil ex hac boni nascitur. Hoc docuit, hoc docet, hoc docebit semper sancta catholica Ecclesia. Quæ malum igitur intemperiæ istos agitant? qui eã insimulare audent, quòd tot seculis secundam tabulam tantum & opera politica sit intuita, primam nihil curauerit: quasi nihil pertineret ad rem, aut certe tantum externos cultus requisiuerit, illam æternam legem: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, prorsus non consideraverit? Cùm non obscurè falsitatis hos arguat Petri Lombardi, quam paulò antè commemorauimus, sententia, quem auctorem sequuti videntur Doctores omnes, quos vulgò vocant Scholasticos. Etiam pueri didicimus in Ecclesia, non quid, sed propter quid faciamus aliquid, Deum attendere: adeò, vt si quid ex radice charitatis profectum non sit, nihil sit nobis vtilitatis allaturum. Hanc enim excellentiorem viam esse docet Apostolus, quæ per se ambulantes ducit ad patriam. Et sicut sine via nullus peruenit eò quò tendit, ita sine charitate, non ambulare possunt homines, sed errare. Hæc enim est summa bonorum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, causa meritorum bonorum, præmium perfecto rum. Sine hac nemo Deo placuit: cum hac nec potuit aliquis peccare, nec poterit: quemadmodum diligens Augustini sectator, Prosper Aquitanicus, vbi de laude charitatis tractat, scriptum reliquit. Ad hanc ergo Dei charitatem siue dilectionem referimus cætera præcepta omnia: adeò vt perfuasum habeamus, proximos quoq; diligendo, nisi propter Deum, & in Deo charos eos habeamus, non modo nos officio nostro functos non esse, verumetiam peccati grauis reos factos. Hoc est, quod à Thoma quoq; Aquinate scriptum legimus: Quòd omnium actuum humanorum regula lex est charitatis diuinæ. Sicut enim videmus in artificialibus, quòd vnumquodq; opus tunc bonum & rectum dicitur, quando regulæ coæqua tur: Sic etiam quodlibet opus humanum tunc rectum est & virtuosum, quando regulæ diuinæ dilectionis concordat: quando verò discordat ab hac regula, non est bonum, nec rectum. Præclarè Augustinus: Non fuit charitas in Cain: & nisi esset charitas in Abel, non acciperet Deus sacrificium eius. Cum enim ambo obtulissent, ille de fructibus terræ, ille de fœtibus ouium: quid putatis fratres, quia Deus fructus terræ neglexit, & fœtus ouium dilexit? Non intendit Deus ad manus, sed in corde vidit. Et quem vidit cum charitate offerre, ipsius sacrificium respexit: quem vidit cum inuidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos auertit. Opera ergo bona Abel, non dicit nisi charitatem: opera verò mala Cain, non dicit nisi odium fraternum.

*Charitas finis præcepti.*

*Radices duæ in cordibus hominum.*

*Charitatis laus.*

*Prosp. lib. 3. de vita contemplat. cap. 3.*

*Thom. opusc. 4. Tract. 5. in 1. epist. Ioan.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De primo Præcepto.*

## CAP. LXXVII.

*Aug. super Exod. q.71.*

PRioris tabulæ tria tantùm vt essent præcepta, propterea visum est Augustino congruentius, quòd trinitatem diligenter intuentibus insinuare videntur. Primum enim quòd Deum vnum colere iubemur, ad patrem: Secundum de iuramenti veritate, ad filium: Tertium de spirituali vocatione, ad Spiritum sanctum pertinere videtur: ita vt tribus his præceptis tres personas, vnum Deum colere iubeamur. Quoniam verò sicut Principes non sunt in terrorem bonis operantium, sed malè: mittuntur enim ad vindictam malefactorum: laudem verò bonorum: ita lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, scelleratis & contaminatis, est enim posita, propter transgressionem: Deus autem quoniam cùm iustum in terris reperiret neminem, & iniustos & omni vitiorum genere contaminatos curandos susceperat: quod facere solet diligens agricola, si malis radicibus terram videt occupatam, primùm vt eas euellat, ad meliorem deindè plantationem terram præpararet, hoc sibi quoq; faciendum esse putauit, vt non prius charitatem præcipiendo in mentibus hominum inseret, quàm radicitùs extirpasset omnia, quæcunq; videntur impedire, quominus ea radices agere queat.

*Ratio trium præceptorum.*

*Rom.13. 1.Pet.2. 1.Tim.1.*

*Præceptum dilectionis diuinæ tribus modis transgredimur. Exod.20.*

Cùm itaq; de diligendo Deo præceptum, tribus modis transgredi nos contingat, corde, ore, & opere, tribus etiam præceptis transgressionē hanc prohibet. Primo eam, quæ fit corde, secundo quæ fit ore, tertio quæ fit opere. Corde de colendo vno Deo legem transgredimur, si Deos habeamus alienos, si faciamus nobis sculptile, aut similitudinem aliquam. Hęc tria primo præcepto Deus fieri vetat, dicens: Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neq; coles. Cultus quem sibi præstari Deus vult, est illa, de qua iam ita multa dicta sunt à nobis, dilectio, sine quâ nullus Deo gratus cultus exhibetur. In hac totum sibi cor hominis vendicat, nullam vt eius partē alicuius alterius amor occupet. Est enim Dominus Deus noster zelotes: non modò nō præferri, sed nec exæquari sibi quicq̄ in amore patitur. Quod ab Esaia dictum est, Coāgustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunq; operire non potest: de cordis humani strato rectè dici potest, quod tam angustum & arctum est, vt ipsum etiam Deum solū, pro eo, vt debet, capere non possit. Quamobrem excidit i eu estigiò de strato cordis nostri, simul vt alius admissus fuerit. Hoc est quod Apostolus dicit: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini esse participes, & mensæ idolorum. Quod à Christo quoq; dictum est: Non potestis Deo seruire & mammonæ: Atq; hac de causa dicit hoc loco Deus: Non habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, aut aliquā similitudinem.

*Deus non patitur sibi quicquam anteponi. Esai.28.*

*1.Cor.10. Matth.6.*

*Differentia inter Deos alienos & sculptile.*

Sunt qui inter Deos alienos & inter sculptile discrimen hoc faciunt, vt spiritualem per illos & internam, per hoc vero crassam & externam idololatriam significare velint. Est enim duplex idololatria, lapidum vna, cordis altera. Cæterùm de vtraq; rectè vtraq; verba accipi possunt. Nam etiam vitia, siue peccata nostra, nunc Deos alienos, nunc idola vocari, vel ea Pauli loca planum faciunt, vbi de ijs, quorum Deus venter est, vbi de Deo huius seculi, vbi de Dijs, & Dominis multis, mentionem facit. Deniq; vbi auaritiam semel & iterum idolorū seruitutem vocat. Hinc est, quod ab Hieronymo quoq; scriptum legimus: Vnusquisq; adorans vitia sua atq; peccata, Deū habere cœpit, à quo victus est: dicente Petro Apostolo: A quo enim quis superatur, huius & seruus est. Auarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penē & Beëlphegor colit: lasciua mulier, quæ cùm sit in delitijs, viuens mortua est, adorat venereas voluptates. Qui etiam alio loco non ea tantùm, quæ manu fiunt artificis, de quibus scriptum est: Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, rectè vocari docet idola, verumetiam hæreticorum peruersam doctrinam: quæ quodcunq; simulauerit, vertit in idolum, & pro Christo facit adorari Antichristum. Illum quoq; locum enarrās Esaiæ: Repleta est terra idolis, opera manuum suarum adorauerūt, quod fecerunt digiti eorum: & incuruauit se homo, & humiliatus est vir: idola interpretatur, dogmata veritati cōtraria. Neq; secus intelligi vult, quod ab Ozea scriptum est: Argentum suum & aurum fum fecerunt sibi idola, vt interirent. Augustinus quoq;, posteaq̄ de simulachris manufactis pleraq; dixerat: Est, inquit, alius deterior, & inferior simulachrorū cultus, quo phantasmata sua colunt, & quicquid animo errante, cum superbia & tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant. De cuius generis phātasmatibus, illum etiam Iosue locū exponit, Auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deū vestrum. Itidem & illum Ezechiēlis locum: De auro meo, & de argento meo fecisti tibi imagines. Ad imagines, inquit, phātasmatum suorum, cum quibus carnalis anima volutari delectatur, conuertit omnia sacramenta, & verba sanctorum librorum. Nec tamen quia illæ imagines falsæ sunt, propterea & illa sacramenta, & illa diuina eloquia sic exhonorāda sunt, vt illorum esse putentur, cùm Dominus dicat: De auro meo, & de argento meo, &c. Et ante hos Tertullianus, nihil ab idololatria distare scribit Hæreses, cùm & auctoris & operis eiusdem sint, cuius & idololatria. Vincentius quoque Lyrinensis aliena ab Ecclesia dogmata, vetus Testamentum Deos alienos appellare scribit, quòd ab hæreticis ipsorum opiniones haud aliter obseruentur, quàm à gentilibus Dij sui. Quod itaq; legitur in Deuteronomio: Si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum, atq; portentum, & euenerit quod locutus

*Phil.3. 2.Cor.4. 1.Cor.8. Gal.5. Ephe.5. Hier.in Amos.c.2. 2.Pet.2. 1.Tim.5. Hier in. Zach. c.1. Psal.113. Hæreticorum doctrina vocatur idolum. Esai.2. Oseæ.8. Aug.de vera religione cap.38. Aug.q.29.sup.Ios. Iosue 23. Aug.li.3.de Baptis. cont.Donat.c.vlti.*

*Tertul.de præscr. hæret.*

*Deut.13.*



locutus est, & dixerit tibi, Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, non audies verba Prophetæ illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra: per Deos alienos, extraneos errores dicit significari, nouos quosdam & inauditos, quos propterea spargi nonnunquàm patitur Deus, vt probet constantiam nostram in diligendo se, & in adhærendo sanæ doctrinæ. Quemadmodum etiam à Paulo scriptum est: Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Ob hoc (ait Vincentius) hæreseon non statim eradicantur auctores vt probati manifesti fiant, id est, vt vnusquisq; quàm tenax & fidelis & fixus catholicæ fidei sit amator, appareat. Et reuera cum quæq; nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas paleārum, tunc sine magno molimine excutitur ab aëre, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namq; alij prorsus euolant: alij verò tantummodò excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucij, semineces & semiuiui: quippè qui tantam hauserint veneni quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat.

*1.Cor.10.*

*Hæreses & errores quare patitur Deus.*

Ex his perspicuum esse potest, quòd non tunc solùm peccatur contra præceptum hoc, quando vel planetæ, vel astra, vel reliqua gentium dæmonia coluntur, aut cùm adorantur idola manufacta, verumetiam cùm adorantur idola vitiorum: multoq; deteriorem esse simulachrorum cultū, quo sua quis phantasmata colit, & quo suas impostūras pro verbo Dei populo venditat. q̄ sit is, quem suis gentes præstant simulachris. Nam q; primo hoc præcepto prohiberi quidam putant, sanctorum inuocationem, & imaginum venerationem, quandoquidem non alia ratione sancti, qui cum Deo viuunt, quàm qua ij, qui constituti sunt adhuc in corpore mortis huius, inuocantur, hoc est, non tanq̄ largitores, sed tanq̄ intercessores: quemadmodum, vbi de spe disseruimus, pluribus verbis planum fecimus: deinde verò qui tribuitur honos imagini, non alio, q̄ ad prototypum refertur, sicut etiam à Basilio legimus annotatum, cùm nemo tam sit lapis, vt lapidibus & lignis inesse putet sensum, nihil cō tra præceptum hoc peccatur, si sanctis & eorum imaginibus debita veneratio præstatur, modò ne in homine, néve in statua, depicta tabula aliqua, sed in solo Deo spes omnis & fiducia collocetur. Vnde sanctam Synodum septimam exclamasse legimus: Quicunq; sententias sacræ scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducūt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellat, anathema. Qui dicunt, q; imagines Christiani vt Deos adorent, anathema. Quod similiter in octaua factum reperitur. Cæterum hominis alicuius verbum cō tra receptam Ecclesiæ totius doctrinam, pleraq; omnia docētis, tanq̄ Dei verbum amplecti, & adorare illud, quod ab eo scriptum est, seq; coram eo incuruare: quæ est, si hæc nō est ipsissima idololatria? Quid enim aliud faciunt hoc genus homines, q̄ quod scribit Hieronymus, pro Christo adorant Antichristum? Dicit Lutherus, Quod ego doceo, Dei verbum est, & purum Euangelium, statim adorant, & incuruantur coram idolo. Dicunt idē Zuinglius & Caluinus, dicunt Anabaptistæ, dicunt alij quoq; hæretici, mox hominis, vel diaboli potius per hominē loquentis verbum, pro Dei verbo, proq; Christi Euangelio miseri amplectuntur, & adorant. Horrenda hæc est idololatria, ac velis, quod aiunt, remisq; fugienda. Quid enim ex eo consequitur aliud, q̄ cùm vnaquæq; secta suum verbum, verbum Dei esse iactet, vt isti tot Deos habeant, quòd sunt hæresiarchæ? Quos videre licet, neglectis veterum orthodoxorū scriptis, in quibus, cum doctrina certabat vitæ sanctimonia, non aliundè iam ferè, q̄ ex impurissimi alicuius hæretici libris opinionem suam confirmare, nec minore auctoritate, quæ ab illo dicta, quàm quæ in Canonicis libris scripta sunt, proferre: Huc idololatriæ cæcas hominum mentes, præstigijs dæmonum adductas esse videmus.

*Psal.48. Hæretici diuinitatis nomen affectant. Max.Tyr.ser.19. quis finis philosophiæ.*

Peccant igitur contra præceptum hoc, qui & colunt ipsi sua phantasmata, & coli volunt ab aliis, tanq̄ idola, & quod ipsi sentiunt, Dei verbum vocant, & Euangelium, vt sic eueniat, quod à Propheta scriptum est: Vocauerunt in terris nomina sua. Haud aliter enim isti diuinitatis opinionem affectant, q̄ fecisse scribit olim in Libya Psaphonem quēdam, Tyrius ille Maximus, qui q̄ plurimas aues cepisse dicitur, vocales & humani sermonis dociles, easq; sonare docuit hæc verba: Magnus Deus Psaphon, atq; ita doctas emisit in mōtes: illæ verò quæ didicerant, canebant, ac reliquas item aues eadem sonare docebant. Porrò Lybes cū ignorarent commentum, credentes id diuinitus accidere, Psaphoni rem diuinam facere decreuerunt, & eū in Deorum numerum retulerunt. Sic isti, cupientes & ipsi in Deorum numerū referri, verbo suo verbi Dei titulum prætenderunt, atq; vt verbum Dei vocaretur à rudibus, perfecerunt: à quibus iam pro Dijs quibusdam eos coli videmus.

*Missam abrogantes grauissimè peccāt.*

Neq; verò ipsi tantùm hæretici, sed & qui dogmata eorum recipiunt, atq; ea tanq̄ Dei verbum amplectuntur, violati præcepti huius rei sunt. Nobis verò propositum non est, omnes modos, quibus contra præceptum hoc venitur, enumerando recensere, quandoquidem non paucorum extant de ea re cōmentarij, ab illis hęc peti possunt. Verùm hoc tamē silētio prætereundum non esse duximus, grauissimè contra præceptum hoc peccare, qui Missæ sacrificium, propriæ diuinitati debitam seruitutem, sicut ex Augustino docuimus, abrogare conantur. Quid enim isti aliud q̄ Deum in ordinem cogere volunt? Siquidem omnes alij cultus, siue ij constent imitatione, siue adoratione siue inuocatione, non ita Deo propriè debentur, vt non etiam ad homines, quanq̄ diuerso modo, sicut alibi docuimus, rectè transferri possint: Solus hic est, quo diuina seruitus ab humanis obsequijs discernitur: neq; potest alius vllus Deo præstari gratior. Nam quod de Deo ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus diligendo præcipitur, id aut hic aut nusquam alibi, quatenus in hac peregrinatione fieri potest, perfectè præstatur. Hic enim sacerdos mentē ab omnibus alijs cogitationib. abstractam, & in diuinorū beneficiorū contemplatione defixam habens, eorū recordatione prouocatus, tanto erga Deum amore inflammatur, vt sui prorsus oblitus, in illum totus rapiatur. Ex quo fit, vt cum agendis Deo gratijs pro hac immensa illius beneficētia mentē

*Missam celebraturus quid facere debeat.*

*Missa quomodo audienda.*

ad eum cogitationem q̃ tollit, illicò mentis hanc ad Deum sublationem, vultus, oculi, manusq; sequantur: vt quod mens cogitat, idem vultus, oculi, manus, totum denique corpus actione repræsentet. Quibus rebus ad idem faciendum, qui præsentes adsunt, omnes inuitãtur: quo & ipsi cum sacerdote in eorundem beneficiorum cogitatione Deo gratias pro illis agentes versentur, simul patrem illum misericordiarum supplices deprecẽtur, vt quod filius eius dilectus pro mundi totius redemptione sacrosancti corporis & sanguinis sui sacrificium in cruce pendens obtulit, cuius rei fit in altari repræsentatio, eius in se fructum faciat redundare.

*Operibus bonis Deũ colendum esse negantes peccant.*
*Matt. 7.*
*Ioan. 8.*
*1. Ioan. 3.*
*Hebr. 13.*

Neq; minus grauiter contra præceptum hoc peccant, qui bonis operibus Deum colendum esse negant: cùm & hic sit cultus Deo longè gratissimus: Non enim qui dicit mihi, Domine Domine, introibit, inquit, in regnum cœlorum. Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Opera Deus à nobis exigit, non verba. Si filij Abrahæ, inquit, estis, opera Abrahæ facite. Ac dilectus illi discipulus: Filioli mei, non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. Quamobrem vocem Euangelij negant, qui Deum operibus colendum esse negant: cùm à Paulo quoq; scriptum legamus: Beneficẽtiæ & communicationis nolite obliuisci: Talibus enim hostijs promeretur Deus. Etiam ab Ethnico quodam piè dictum est: Vis Deos propitiari? bonus esto. Clamet aliquis ad ruum vsq;: Credo in Deum: ac non modò iactet habere se, verumetiam habeat re ipsa fidem, qua vel montes transferre queat: quin & tantam in Deo fiduciam sibi collocatam esse dicat, quanta maxima haberi potest: nisi dilexerit Deum in proximo suo, nisi dilectionem hanc suam non verbo magis, quàm opera declarauerit, inanis erit cultus omnis, quo se Deum prosequi gloriatur.

*Seneca.*

*Matt. 17.*
*1. Cor. 13.*

## *De secundo Præcepto.*

## CAP. LXXVIII.

PRimo loco, corde, secundo prohibemur ore transgredi præceptum de diligendo Deo. Sic igitur dicit Dominus: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Deus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Qui diligit & colit aliquem, non meminit illius nisi reuerẽter, & cum quadam etiam honoris præfatione. Cum itaque præ cunctis alijs diligere nos, & colere Deum oporteat, committere non debemus, quin & ipsi summa cum reuerentia nomen eius vsurpemus: neq; id in alios, quàm tantam decet maiestatem, vsus conferamus. Quod faciunt ij, qui necromantijs, incantationibus, sortilegijs, diris & deuotionibus, & id genus alijs rebus impijs Dei nomen, & sanctæ scripturæ verba seruire faciunt: qui per iocum Deum aliquando nominant: qui scripturis ioculariter vtuntur: qui mendacij sui testem Deum nonnunquam citant. Is autem cum sit veritas, nulla potest ei fieri maior contumelia, quàm si quis eum sui mẽdacij testem inuocet. Quare prohibetur hic omne iusiurandum, quod non vel Dei gloria, vel fratrum vsus necessariò postulet.

*Peccantes in secundum præceptum.*

*Ioan. 14.*
*Iurare quatenus liceat.*

*Hier. 4.*
*Matt. 5.*
*Iusiurandum quale prohibitum.*
*Aug. de mendacio. cap. 15. & de serm. dom. in monte li. 1.*

Peccat igitur contra præceptum hoc, quisquis voluntariè iurat. Nam si quis iuret exigente Magistratu, sibiq; iuramentum deferente, modò id faciat in veritate & in iudicio, & in iustitia, non peccat. Nam quòd prohibuit Deus ne iuretur, illud Augustinus prohibuisse vult intelligi, ne quisquam, sicut bonum, appetat iusiurandũ, & assiduitate iurandi ad periurij per consuetudinem delabatur. Quamobrem non est appetenda, sicut bona iuratio, nec tamen fugienda tanquam mala, cùm est necessaria. Cùm igitur non in bonis, sed in necessarijs iuratio sit habenda, refrenet se quisq; quantum potest, vt ea non vratur, nisi cùm necessitas postulauerit: si quando videt difficiles homines ad credendum, quod eis expedit credere, nisi quod dicitur, iurando firmetur. Quoties autem vel ad Dei gloriam, vel ad proximi vtilitatem in veritate, iudicio & iustitia iusiurandum præstatur, non modò contra præceptum hoc nihil fieri, verùm illud magis impleri credẽdum est, quod in Deuteronomio scribitur: Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.

*Deut. 6.*

## *De tertio Præcepto.*

## CAP. LXXIX.

DIligere Deum, & colere corde, ore, & opere iubemur. Quemadmodum id corde fiat & ore, quemadmodum etiam vtroq; contra præceptum hoc peccetur, paucis iam à nobis demonstratum est. Restat nunc, vt quemadmodum opere Deus diligendus & colendus sit, breuibus de eo differamus: Hac enim de re, tertium hoc est mandatum, cuius hæc verba sunt: Memento, vt diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo verò die Sabbatum Domini Dei tui est: Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas.

*Sabbati præceptum ad cæremonias & ad mores pertinet.*
*Exod. 31.*

Est in hoc præcepto quiddam quod ad cæremoniam, est quod ad mores quoq; pertinet. Quòd septimus dies vacationi fuit assignatus, erat cæremoniæ: Sic enim loquitur Dominus: Videte vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Quòd autem in contemplandis Dei beneficijs, in hymnis, precationibus, & sacrificijs dies ille consumebatur, morale fuit: Sublata cæremonia, remansit quod ad mores pertinet. Nos enim ne offendamus in id, quod vetat Apostolus, ne videamur observare

*Gal. 4.*



cum Iudæis dies, annos, & tempora, nõ iam ipsa tempora, sed res, quarum illa signa sunt, obseruamus: Repudiamus cum illo temporum obseruationem, intereà tamen temporalium signorum intelligentiam, cum eodem Apostolo, sicut Augustinus quoq; scribit, retinemus.

*Aug. cont. Adimantum cap. 16.*

Triplicem autem habebat Sabbatum Iudæorum significationem: Vnam quæ ad mores pertinet, cessationem à peccatis, & ab ijs omnibus, quæ sunt impedimento, quominus aliquis ex toto corde diligere Deum, & colere possit. Aliam, quæ ad allegoriam: quietem Christi corporis in sepulchro. Tertiam quæ ad anagogen, æternam requiem in cœlo. Ac primũ quidem, illud præceptum nobis modis omnibus obseruandum est, vt quiescamus peruersè agere. Secundum expletum iam est, in Christo. Tertium expectatur & speratur à nobis, vt libertati de corpore mortis huius, ac soluti graui peccatorum onere, quo premimur in hoc mundo, post multas tribulationes & angustias, post varios exantlatos labores, quo caput nostrũ Christus præcessit, ingrediamur & nos in requiem illam, in qua Sabbatum est ex Sabbato, Sabbatum delicatum & sanctum Domino. Cùm igitur figuræ successerit veritas, quodq; fuerat externa Sabbati obseruatione significatum, Iesum Christum Dominum nostrũ & sanctificatum, & inedia, & multis molestijs, grauissimisq; corporis cruciatibꝰ, quos vltrò nostra causa pertulit, vehementer fatigatum, ad extremum acerbissima, turpissimaq; morte confectum, die septimo tandem in sepulchro quieturum, id re ipsa sit expletum: nihil fuit necesse figuram deinceps amplius obseruari. Sicut enim adueniente Sole cessat vmbra, sic adueniente veritate, cessare debet figura. Itaq; septimus dies in octauum est mutatus. Nam pro Sabbato, diem feriatum agimus eum, qui proximè Sabbatum sequitur. Mutatus est autem Apostolorum auctoritate, ne quid habere commune cum Iudæis videremur. Quemadmodũ eorundem auctoritate constitutum est, si quis ante æquinoctium vernale sanctæ Paschæ diẽ cum Iudæis celebraret, Episcopus aut Presbyter, vt abijceretur. Quin & illud cautum esse videtur, quandiu durabat sacerdotium Iudæorum, vt qui ministerio reconciliationis Apostolorum temporibus fungebantur, non sacerdotes, verùm Presbyteri tantum vocarẽtur. Quod etiam deinceps diligenter sancti Patres cauerunt semper, ne quid Christiani Catholici, non modò cum Iudæis, sed ne cum hæreticis quidem haberent commune. Sic Ioannes Chrysostomus, grauiter eos reprehendit, qui ieiunarent ijsdẽ diebus, quibus à Iudæis solenniter ieiunabatur. Sic in Ephesino Concilio, cùm Nestorius Christotocon, non autem Theotocon esse Mariam virginem asseueraret, sub anathematis pœna fuisse legimus interdictum, ne quis eam Christotocon auderet appellare: Non quòd hoc nomine rectè vocari non posset aut posset: sed quòd obuiandum errori putauerunt, quo Nestorius purum hominẽ Christum, non aũt Deũ & hominem peperisse Mariam virginem contendebat. Sic in Toletano quoq; quarto, propter vitam dum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, decretum est, vt simpla teneretur baptismi mersio: ne viderentur, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.

*Tertullianus Apologia 2. pro Christianis.*
*Chrys. tomo 3. aduersus Iudæos oratione 1.*

Quòd autem in octauum & non in aliũ, dies hic mutatus est, propterea factum est, quòd is præ cæteris multis est Dei beneficijs insignis: cuius præconia, post Iustinum & Eusebium Emissenum, Leo Pontifex his verbis recenset: Tantis est, inquit, hæc dies diuinarum dispensationum mysterijs consecrata, vt quicquid à Domino est insignius institutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per Christi resurrectionem & mors interitum, & vita sumpsit initium: in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam sumunt, & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt: In hac, sicut beatus Ioannes Euangelista testatur, cùm congregatis in vnum discipulis, clausis ianuis ad eos Dominus introijsset, insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum. In hac deniq; promissus à Domino Spiritus sanctus aduenit. Tot igitur beneficia cùm hoc die acceperimus, quem vocant Euangelistæ vnam siue primã Sabbati, meritò recolendis illis diligentius eum assignauit Ecclesia. Magnum fuit beneficium, quòd creati sumus, qui non eramus, sed multò maius illud, quòd restituti sumus, qui perieramus, per eum ipsum, per quem creati sumus, Dominum nostrum Iesum Christum. Quapropter meritò diem hunc celebramus, meritò dominicum appellamus, in quo verè se Dominum Christus declarauit: non solum quando per eum totus hic orbis ex nihilo creatus est, verùm etiam quando resurgens ex mortuis, manifestum fecit omnibus, quòd potestatem haberet ponendi animam suam, & sumendi eam. Meritò cantat in eo chorus Ecclesiasticus: Hæc est dies, quam fecit Dominus. Multa præclara scribuntur in Concilio Parisiensi de obseruatione diei Dominicæ, in nouissima conciliorum æditione.

*Dominicus dies.*
*Hom. 7. de Pascha.*
*Leo epist. 81.*
*Dominicæ diei beneficia.*
*Mar. 16. & Matth. 28.*
*Iust. Apologia 2. pro Christianis.*
*Ioan. 20.*
*Actor. 2.*
*Sabbati vna seu prima, est dies resurrectionis Christi.*
*Sabbatum cur diem dominicum vocitemus.*
*To. 3. lib. 1. cap. 5.*

Est quidem ita, quòd nullo non die, quin potius nulla non hora, nullo non temporis momento vacandum nobis esse tantorum Dei beneficiorum contemplationi, ad quam ipse nos inuitat, dicens: Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: vacate à curis & seculi negotijs, & in sancto ocio & quiete videte, quòd ego sum, qui creaui vos: ego sum, qui, cum vitio vestro, quòd eratis per me creati, perdidissetis, dato pro vobis in mortem filio meo, denuò per eum vos quasi creaui, vt iam in filio meo sitis noua creatura: & sicut portastis quondam imaginem terreni, ita nunc portetis imaginem cœlestis hominis, neque sitis iam deinceps Adæ filij, sed sitis mei filij, sitis & vocemini filij Dei, fratres autem & cohæredes Christi. Hęc tãta beneficia, per me vobis multis quidẽ offensionibus, nullis aũt vestris meritis præcedentibus præstita, vobiscum recogitate, & à quo tantopere vos esse dilectos videtis, me vicissim ex toto corde vestro diligite. Quod igitur à nobis exigit ipse Dominus, qui nos etiam laborãtes & oneratos ad se venire iubet, quòd in eo simus animabus nostris requiẽ inuenturi, remittiscendum. Nihil aliud mentem nostram cogitare, nihil aliud linguam sonare: non aliò cunctas animi nostri vires, & sensus nostros omnes oportuit referri, quàm ad videndum

*Ioan. 10.*
*Psalm. 117.*
*Psal. 45.*
*Festi dies cur instituti.*
*Gala. 6.*
*1. Cor. 15.*
*Matt. 11.*

*Rom. 8. Sap. 9.*

& cõtemplandũ Deum tã beneficũ, tam liberalẽ, tam noſtri amantẽ, qui proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Cæterùm tale Sabbatũ celebrare, ſic totos Dei & beneficiorum eius contemplationi vacare, non eſt huius ſeculi, non eſt huius corporis, quod corrumpitur, quod aggrauat animam, quod deprimit ſenſum, ea quæ ſurſum ſunt cogitare volentem. haud aliter, quàm ſi quis paſſerculum pede alligatum in ſublime ſe tollere cupientem in terram funiculo detrahat. Sabbatiſmus hic, ſiue vacatio hæc, & requies, nõ huius peregrinationis, ſed cœleſtis erit illius patriæ. Nam in hac quidem peregrinatione, nõ eſt quiſquam tanta firmitate animi præditus, tanto virtutis robore munitus, tamq; ſibi admirabiliter & inuictè cõſtans, q nõ aliquo lapſu aliquando, aliquoq; deflexu ad carnẽ & carnis deſideria protrahatur, quem nulla vnq; animi affectio, nullus cupiditatũ motus perturbet: vt in vna illa Dei conſideratione perpetuò conſiſtere humanæ menti datum non ſit: quam ſæpè cum Deo rationem omnem habere meditantem, terrenæ iſtę induuiæ de cœlo ipſo deducunt, atque eijciunt: ac fidei complexu in Chriſto Ieſu hærere cupientem, perturbant inde tamen, diuelluntq; à beata cura, & ad inquinatas & ſordidas cogitationes detrahunt. Cùm nec Cyniphes Ægyptijs perinde moleſtæ fuerint, ſubitò in oculos eorum incurſantes, & quotics abactæ fuerant, iterum atq; iterum recurrentes, quàm ſunt ſæpè nobis moleſtæ ſæculi curæ, carnisq; noſtræ deſideria, quibus nõ poſſumus quandoq; non à Dei contemplatione auocari.

*Seculi curæ Cyniphibus Aegyptiorũ ſimiles. Exod. 8. Heb. 2.*

Non ignorauit hoc, qui vt miſericors fieret, ac fidelis pro nobis Pontifex ad Deum, ad impetrandam delictorum noſtrorum veniam, per omnia ſimilis nobis fieri dignatus eſt, ac omnes infirmitates noſtras (quæ modò peccatum non importarent) aſſumpſit. Quamobrẽ quaſi digito commonſtrare contentus, quo nobis contendendum eſt, non tam exactè Sabbatum hoc ſempiternum, hoc eſt perpetuam animi tranquillitatem, ac in ſe, ſuiſq; beneficijs contemplandis vacationem à nobis exigit, vt non auocari nos quandoq; ab eo, vel corporis noſtri, vel eorum, qui nobis aut ſanguine coniuncti, aut quocunq; tandem alio neceſſitudinis genere ſunt deuincti, cura & ſolicitudine, ſine aliqua ſui grauiore offenſione patiatur. Quamobrem non imperauit, quod à nobis minimè præſtari poſſe videbat: ſed, optandum, inquit, foret, vt ab omni aliarum rerum cura, ſolicitudineq; remoti, ſoli numinis mei contemplationi vacaretis, in eaq; perpetuò mentem veſtram omnem deſixam haberetis: Quoniam verò carnem veſtram, peccati tamen expertem indutus, quæ ſit illius fragilitas didici, non exigo quod præſtare non poteſtis: Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltrà: Prima ſequentem, etiam in ſecundis & tertijs conſiſtere honeſtum eſt. Non ſemper vobis eſt ocium, animum ad ea, quæ ſunt pietatis, colligendi: non poteſtis hymnis, precationibus, ſacræ doctrinæ, ſacrificijs, eleemoſynis, & id genus alijs exercitamentis, quæ fidem & charitatem excitant, toti perpetuo vacare: vt ſic vos me ex toto corde, ex tota anima ex omnibus viribus veſtris diligere declaretis: ſaltem quotidie ſepoſitum tempus aliquod ad iſta habeatis: Sin & hoc difficile eſt, ſaltem ſeptimum quemq; diem ijs rebus propriè dicetis. Scio q non omninò eſt ſui iuris maritus, aliquam ſui partem debet vxori: non eſt ſui iuris & vxor, aliquam ſui partem debet marito: neuter vt vacare mihi ſemper totus queat, dum in diuerſas vterq; curas diſtrahitur: quomodo ſocero, ſocrui, quomodo cæteris affinibus, quomodo coniugi ac liberis ſatisfaciat: vnde victum indies creſcenti familiæ ſuppeditet, vnde dotem euincat. Non prohibeo matrimonij legitimum vſum, non piam, minimeq; anxiam deſeipſo cuiq; deq; liberis ac domeſticis ſuſtentandis ſolicitudinem. Licet vobis qui matrimonio iuncti eſtis, liberis procreandis operam dare: licet agros, licet vineas colere, licet manibus operari, licet artificio victum quærere: nihil ea me res offenderit: non propterea violatum eſſe præceptum meum exiſtimabo, de diligendo me ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus veſtris: modò ne ſic in harum rerum ſolicitudine toti ſitis occupati, vt vos mei, cui debetis omnia, capiat oblitio. Poteſtis etiam in medijs laboribus veſtris mei meminiſſe: poteſtis meum, non manuum veſtrarum beneficium agnoſcere, ſi quid rectè proceſſerit: poteſtis mihi ſemper gratias agere. Cæterùm ad recolenda diligentius beneficia mea, ad cultum, qui mihi debetur, præſtandum, ſi vacare ſemper non poteſtis, tempus tamen aliquod ad eam rem ſepoſitum habetote. Sex dies conſumatis licet in ijs, quæ ad liberorum procreationem, quæ ad eorum ſuſtentationẽ, quæ ad rem veſtram familiarem tuendã pertinere videbuntur, ſaltem ſeptimum quemq; diem, vel ſi qui ſunt alij non ita multi feſti dies, mihi totos dicetis: vt in ijs à mutuo congreſſu, & ab alijs quibuſcunq; curis vobis temperetis: quò magis defecatis, animis ſacris precibus, ac cœleſtium rerum meditationi vacare queatis. Hoc ſi feceritis, erit mihi ſatisfactum.

*Sabbatum quomodo ſanctificandum.*

*Sex dies operaberis.*

Quamobrem vel ex hoc præcepto ſatis liquet, quod antea quoque dictum eſt, nihil nobis impoſsibile Deum præcepiſſe: nec exigere, vt mandatum de ſe ex toto corde diligendo ita iugiter impleamus, vt curis omnibus alijs reiectis, in illo contemplando, ac omni pietatis genere colendo, perpetuò mentes cogitationesq; noſtras occupatas habeamus: Saltem præſtemus aliquando, quod præſtari iugiter à fragilitate noſtra non poteſt: ſaltem dies, huic rei propter imbecillitatem noſtram peculiariter dicatos, obſeruemus: Deniq; vel ſemel in vita ſaltem, conuertamur ad Dominum Deum noſtrum in toto corde noſtro, neq; Deum alienum occupare deinceps cor noſtrum patiamur: ſiue is Deus venter ſit, ſiue Mammona, ſiue quocunq; tandem alio nomine vocetur. Si ſic conuerſi, nec à Deo noſtro poſt eiuſmodi conuerſionem auerſi poſtea migrauerimus ex hac vita: etiam ſi per omne vitæ præteritæ tempus deos alienos coluiſſemus, ſi ventri, atq; iis, quæ ſub ventre ſunt, ſi auaritiæ, ſi quibuſcũq; vitijs alijs mãcipati fuiſſemus, nihil nos ea res impediet, quo minus æternã gaudia conſequamur: illius gratia & miſericordia, qui dixit: Quacũq; hora ingemueris, ſaluus eris: vel eo ipſo tempore ille nos impleuiſſe interpretabitur, q à ſe de diligendo ſe mandatum

*Ezech. 18.*



tum nobis datũ eſt: Vt vel ex hoc perſpicuũ cuiuis eſſe queat, falſum eſſe, quod à blaſphemis iſtis dicitur, præceptũ hoc ab homine Chriſtiano expleri nõ poſſe. Perpetuũ ſabbatũ fatendum eſt à nobis obſeruari non poſſe: verùm vt ſemel in hebdomada, vel ſemel in anno, vel ſemel in vita tãtum obſeruemus, adiuuãte ſpiritu infirmitatem noſtrã, nõ eſt nobis impoſsibile. Cæterùm ſempiterni iugisq; Sabbati obſeruatio non exigitur à nobis in hac peregrina tione noſtra: cùm ventum erit ad cœleſtem patriam, ad manentem illam ciuitatem, quam futuram inquirimus, ibi Sabbatum erit ex Sabbato, ibi requies erit ſempiterna, ibi vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus & laudabimus abſq; vllo faſtidio, abſq; vlla fatigatione, eũ qui & legis, & deſideriorũ noſtrorum finis eſt, Dominũ Deum noſtrum: vt ſic Deus omnia in omnibus, quemadmodum ab Apoſtolo ſcriptum eſt: & inter eos numerabimur, de quibus in Pſalmo dicitur: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.

*Hebr. 13. Pſalm. 66. Pſal. 45. 1. Cor. 15. Pſal. 83.*

Videmus igitur iam, quid ſibi velit præceptum hoc de ſanctificando Sabbato. Quod expediret quidem iuge vt eſſet, verùm infirmitati noſtræ largitur hoc Deus, vt qui cunctos nõ poſſe videmur, certos tamen dies obſeruemus, quos ſanctificemus, hoc eſt, in ſanctis operibus tranſigamus, nec vllis Deo parum dignis actionibus prophanemus. Quæ autem ſint ſancta iſta opera, in quibus dies feſtos tranſigere nos oportet, ex Agathenſi concilio diſcimus: in quo cunctis præcipitur, vt populus Miſſas die dominico totas audiat, nec ante benedictionem ſacerdotis egredi præſumat. Apoſtolorum quoq; canonibus cautum eſt, vt communione priuentur, qui ſolennibus ſacris non perſeuerauerint in oratione, vſq; dum Miſſa per agitur: quo tempore conuenire etiam ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum ac Euangelium audire iubentur. Hoc eſt igitur ſanctificare Sabbatum, ſacrificijs, concionibus, & alijs diuinis officijs, non corpore magis quàm animo intereſſe. Nam ſi mens peregrinata fuerit, nihil profuerit, ſi quis corpore præſens adſit. illam itaq; tunc Deo maximè vacare, beneficia illius recolere, & pro illis gratias agere oportet. Atq; hæc eſt cauſa, quamobrem alijs operibus tum interdicitur: non quòd per ſe malum ſit arare, ſeminare, rem familiarem curare: ſed quòd quæ potiora ſunt, ijs vt rectius vacari queat, ab alijs operibus abſtinendum eſt, ne quid contemplationi noſtræ impedimenti adferant. Maximè verò abſtinendum tum eſt ab omni opere ſeruili. Nulla autem grauior eſt ſeruitus, quàm ſit peccatum. Quare ſi quid per dies reliquos peccatum eſt, recogitare debemus in amaritudine, cùm dies feſtus aduenerit, & omnia facere, vt reconciliari Deo poſsimus, atq; ab omni deinceps peccato cauere: ita veneq; ventri ſeruiamus, neq; mammonæ, neq; cuiquam alij vitio. Nam qualia nunc à multis Sabbata celebrantur, non ſanctificari, ſed prophanari videntur: Neq; enim ad potationes, ad choreas, ad luxus inſtituta ſunt Sabbata: cùm rectè ſcriptum ſit ab Auguſtino: Melius eſt arare, quàm ſaltare. Cuius etiam alio loco verba ſunt hæc: Obſerua diem Sabbati nõ carnaliter, non Iudaicis delicijs, qui ocio abutuntur ad nequitiam. Melius vtiq; tota die foderent, quàm tota die ſaltarent. Et alio loco: Quanto melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in neomenijs ſaltarent. Nulla ſunt opera magis ſeruilia, quàm ſint hæc: Sed vt tantò tranquilliori mente contemplando Deo, & beneficijs eius recolendis vacare queamus. Quamobrem ab ijs, quæ verè ſeruilia ſunt opera, ſemper abſtinere oportet.

*Feſtorum opera. Cano. 47. Miſſæ ad finem interim manendum. Cano. 10. Feſta quomodo celebranda. Peccatum grauiſſ. ſeruitus. Aug. in Pſal. 91. Aug. in Pſal. 31. Tract. 3. in Ioan.*

Cæterùm labores manuum fieri quandoq; poſſunt, etiam die feſto, ſi vel neceſſitas euidens poſtulet: ſicut Dominũ excuſaſſe legimus diſcipulos euellentes ſpicas in Sabbato: vel Eccleſiæ commodum: ſicut in Euangelio Sacerdotes feciſſe dicuntur omnia, quæ erant neceſſaria in templo, in die Sabbati: vel proximi vtilitas, ſicut Dominus curauit in die Sabbati habentem manum aridam & Iudæos, qui factum id reprehenderant, confutauit exemplo adducto de oue: vel ſuperioris auctoritas, ſicut idem præcepit Iudæis, vt circunciderent in die Sabbati. Extra hos caſus ſi quis manibus laborauerit, tranſgreſſi præcepti de ſanctificando Sabbato reus erit. Euſebius Alexandrinus, eos, qui pauperum operas die Dominico conducere, benevolentiæ & eleemoſynæ loco ponebant, obiurgans, grauiter eos peccare dicit: Nemo, inquit, qui aliena rapiat, & pauperi impertiat, mercedem accipiet. Sic tu diem Dei ne fureris, ne eum pauperi tribuens, mercede careas. Vis pauperem adiuuare? ne diem Dei eripias, ſed diem tuum illi præbe: cum tui ſerui, tuiſq; mercenarij atq; adeo boues tui operas tibi dant, tunc pauperibus opem feras: ſin autem quiete eos priuaueris, vt eis præbeas, ſcit Deus cuius ſit labor. Ne mandatum Dei tranſeas, ne ſcripturam audire deſinas, ne furto die Dei tollas, ne quiete Domini mercenarios & ſeruos tuos ſpolies. Vixit autem Euſebius hic Alexandrinus ante mille trecentos annos.

*Feſtis an laborare liceat. Matt. 12. Ibidem. Ioan. 7.*

Proſper Aquitanicus: Qui votum, inquit, vouentes ſeſe offerunt Deo, eiusq; verbo vacãtes ſpiritale Sabbatum obſeruant, vt Maria, quæ meliorem partem eligit: à quo declinantes in ſtrangulatione, dum mundanis curis innodantur, morſu peſtifero tertiæ plagæ Ægyptio rum læduntur in anima. Ex quibus verbis etiam illos venire contra præceptum hoc de Sabbato ſanctificando manifeſtum eſt, qui cum ſemel Deo ſe deuouerint, primam fidem irritã facientes, matrimonium contrahunt: cuius generis ſunt Sacerdotes & monachi, quibus nõ propterea nuptijs interdictum eſt, quòd malæ ſint nuptiæ, ſed quòd cùm perpetuum illis Sabbatum obſeruandum, & iuge ſacrificium ſit offerendum, ac in lege Domini die noctuq; meditandum, abſtinendum eſt eis ab ijs omnibus, per quæ poſſint à continua Sabbati obſeruatione auocari.

*Proſp. Par. 1. de promiſſis & prædictionibus cap 36. Luc. 10. Sacerdotes vel Monachi matrimonium contrahentes non ſanctificant Sabbatum.*

*De Quarto Præcepto.*

## CAP. LXXX.

EDocti sumus in prima tabula, quemadmodum diligere, pieq; colere Deum, & ea fugere, quæ à vero ipsius cultu auocare possent oporteat: In posteriore, quomodo sit proximus diligendus, docemur. Proximum autem existimare debemus omnem hominem: sicut præter alios à Basilio quoque legimus annotatum. Siquidem omnes inuicem proximi sumus, omnes cognati, fratres omnes, ex eodem patre prognati sumus omnes. Si spiritualem quæris, pater noster ille est, quem vno ore inuocantes dicimus omnes. Pater noster, qui es in cœlis. Sin autem terrenam quæris originem, Pater noster Adam, mater nostra terra est: ex eodem luto fabricati sumus omnes. Itaq; natura fratres sumus secundum carnem: & secũdum spiritum fratres nati, vel potius regenerati sumus: eundem à primo homine sanguinem ducimus, eandem à Domino gratiam accipimus.

*Proximus quis. Basil. in Psal.1.*

*Matt. 6.*

Quę cùm ita sint, non ea quæ nostra sunt singuli, sed ea, quæ sunt aliorũ considerare: non quod nobis ipsis, verũ quod multis est vtile, quærere debemus. Reputet homo secũ, nomen suũ vnde traxerit: ab humo vtiq;, quæ nihil cui quã accipit, sed omnia largitur omnibus, nõ hominibus modò, verũ & brutis. dũ in vsũ omniũ animãtiũ diuersos fructus ministrat. Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus: q̃ vel ipsa nos docere debet nostri corporis forma, membrorũq; vsus. Nam & nos oẽs vnũ corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Sicut igitur ipsa pro se inuicem solicita sunt membra, ac non modò non lædit vnum alterum, verumetiam pro virili sua succurrere lęso conatur: sic & nos alterum, pro altero solicitos esse, ac quoties necessitas postulat, inuicem subuenire oportet.

*Philip. 2. Homo vnde dictus. Lact. lib. 2. cap. 11. de origine erroris. Humanitas.*

*1. Cor. 10. 12.*

Omnes itaq; diligendi sunt: sed quoniam copiæ singulorũ paruæ sunt, eorum aũt, qui ijs egent, infinita est multitudo: delectus habendus est eorum, quibus benignè facias. Nam vt quisq; nobis fuerit coniunctissimus, ita plurimũ est in eum benignitatis cõferendũ. Quapropter hãc probandã esse putat liberalitatẽ Ambrosius, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, Melius est, n. inquit, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptũ deposcere, aut alicui postulare subsidiũ necessitati. Paulus quoq;: Si quis, inquit, suorũ, & maximè domesticorũ curam nõ habet, fidẽ negauit, & est infideli deterior. Inter suos aũt & domesticos iure suo primũ locũ sibi parentes vendicant, per quos factũ est, vt lucẽ hãc aspiceremus. In hos ergò cum primis nos esse beneficos oportet, vt gratos nos, quę ab illis accepimus, beneficiorũ esse declaremus. Et hoc est quod præcipit Dñs dicens: Honora patrẽ tuũ & matrem tuam, vt sis lõgæuus super terram, quam Dñs Deus dabit tibi. Quo quidem præcepto, non solum vt parentes debita veneratione prosequamur, & eorum dictis simus audientes, admonemur: verumetiam, si quibus rebus opus habuerint, vt illis benignè suppeditemus, & eos vicissim alamus, quorum cura singulari nutriti sumus & educati, iubemur.

*Benignitatis ratio. Amb. lib. 1. offic. cap. 30*

*1. Tim. 5.*

*Domesticorum ratio habenda quia; eo nomine intelliguntur.*

*Honos & honorare Hier. in Matt. c. 15. & lib. de monogamia ad Gerontiã.*

Honos enim in scripturis, quod annotauit etiam Hieronymus, non ille solum intelligitur, qui in salutationibus & officijs deferendis: verùm & ille, qui cõsistit in eleemosynis ac munerum oblationibus: vt honorare sit idem, quod liberalitate prosequi. Sic in Prouerbijs legimus: Honora Dominum de tua substantia: Et apud Tobiam: Cùm ex his quibus honoratus fuerat à Rege, habuisset decem talenta. Et apud Paulum: Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Ac paulò pòst: Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: hoc est, nõ solum illis debita veneratio præstari, verũetiam vitæ necessaria debent suppeditari.

*Tobiæ 1.*

*1. Tim 5.*

Parentum autem nomine, non ij solum accipiendi sunt, ex quibus prognati secundum carnem sumus, verumetiam omnes qui præsunt: siue sint Pastores & Episcopi, siue Reges & Principes, aut quicunq; tandem alius Magistratus: Omnis enim potestas à Deo est: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Quamobrem vtrique potestati duplex hic honos debetur, & venerationis & subsidij. Cui tributũ, tributũ dicit Paulus: cui vectigal, vectigal; cui timorẽ, timorẽ: cui honorẽ, honorẽ: nemini quicquã debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

*Parentes qui.*

*Rom. 13*

*Ibidem.*

Peccant igitur contra præceptum hoc, qui vel decimas negant Episcopis & Pastoribus, vel tributis & vectigalibus Principes suos fraudant, vel vtrisque dicto audientes non sunt: cùm etiam illis dyscolis obedire Petrus iubeat. Magis etiam peccant, qui non ipsi modò nõ honorant, verùm & alios ab honorandis illis auocant: dum illos iudicant, à quibus ipsos iudicatos oportuit: dum eorum existimationi detrahunt: dum falsis etiam plerunq; criminationibus famam eorum proscindunt & lacerant: dum quicquid ab illis statuitur, id secùs interpretantur: & quæ non intelligunt, ea sæpè reprehendunt: neque ferre possunt, si, qui cum potestate versantur, fuerint in aliquo delicto præoccupati: cum si ipsi eodem loco essent, multò fortasse grauiora patrarent. Ferenda sunt à subditis, eorum qui præsunt errata: non est ab oue iudicandus pastor: diuino pleraq; iudicio sunt reseruanda. Dominus enim est, cui stat aut cadit.

*1. Pet. 2.*

*Galat. 6.*

*Pastor ab oue iudicandus non est.*

*Rom. 14*

*Ecclesiasticorum instituorum contemptores.*

Multò grauissimè verò peccant contra præceptum hoc, qui eos, ex quibus interrogare sunt iussi, de semitis antiquis, cùm ipsi contemnunt, tum in aliorum contemptum adducere conantur: quicquid sancitum ab illis, & tot seculorum vsu in Ecclesia Dei receptum est & approbatum, id vno traditionum humanarum nomine reijciendũ esse docent: sanctos patres omnes pro nihilo ducunt, sibiipsis nihil non tribuunt, illis contrà nihil non detrahunt. Rident ieiunia, rident vota, rident sacrificia, quin & ipsa ludibrio sunt sacramenta. Denicq; quęcunq; mille quingentis annis & deinceps, per Apostolos, & eorum successores, & per œcumenica concilia piè sunt instituta, cachinnis omnia prosequuntur. Atqui non ita nos docet scriptura. Interroga, inquit, patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui. Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Quàm grauiter aũt istos momordit coluber, qui dissipare sepem, hoc est, omnia Ecclesię dogmata, oẽs institutiones, ab Apostolis & Apostolicis viris fundatas cõuellere sunt & labefactare conati, qui pleraq; nõ aliã ob causam cõtemnunt & reijciunt, quã quòd ita sunt à sanctis Patribus, quamuis summa ratione, cõstituta. Verbi gratia. Visum est Patri-

*Deut. 32. Pro. 22. Eccl. 10. Dissipantes sepem mordet coluber.*

*Ieiunij sextæ feriæ ratio.*



bus, & ab ipsis etiam Apostolis institutũ, vt sextis ferijs à carnibus abstineretur, quò grata fieret eius rei recordatio, quomodo verbum caro pro nobis factum, sexta feria graue crucis pertulit supplicium, & mortem acerbissimam oppetiuit. Illi in contemptũ Patrum, nulla prorsus necessitate cogente, eo die carnibus vescuntur. Deniq; quicquid à sanctis Patribus, quacunq; tandem de re, quamlibet piè constitutum est, contra id omne pedibus & manibus obnixè venire conantur. Quid est, si hoc non est grauissimè contra præceptum istud peccare, quo patrem & matrem honorare iubemur? Audi fili mi, dicit Spiritus Dei, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Pater noster Deus est: huius disciplinam vt audiamus præcipit. Sed nunquid hoc satis fuerit, si nos diligere Deum, si præceptis eius obtemperare, si disciplinã eius audire dicamus? Minimè gentium. Mater nostra Ecclesia est: huius legem si dimiserimus, si morem illi non gesserimus, si nos ab illius vnitate segregaueri-mus, frustrà nos audiuisse patris disciplinam gloriabimur. Erimus enim ij, quos vocat Propheta filios desertores: de quibus etiam alio loco scriptum est: Filij alieni mentiti sunt mihi. Nam vt alia omnia, sic hoc quoq; præclarè Cyprianus: Ecclesia, inquit, est, quæ nos Deo seruat, quæ filios regno, quos generauit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Sic igitur patrem nostrum Deum honoremus, vt suo matrẽ Ecclesiam honore non fraudemus. Sic patris nostri disciplinam audiamus, vt matris quoq; legem ne dimittamus. Quam qui non audit, eum Deus haberi vult tanquam Ethnicum & Publicanum, non agnoscit eum pro filio, qui quam sibi sanguine suo mundatam copulauit, sponsæ suæ Ecclesiæ non obtemperat, cuius contemptus ad patris contemptum redundat. Sic enim loquitur Deus: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Et ad Samuelem: Non te spreuerunt, sed me, ne regnem super illos. Nunquam à disciplina patris lex matris, nunquam à lege matris disciplina patris dissidet. Non est Euangelium, vbi non est Ecclesia: non est Ecclesia, vbi non est Euangelium. Non quòd scriptura non haberi possit extra Ecclesiam, de qua Iudæos gloriatos, cuius testimonio Diabolum & membra eius hæreticos & schismaticos ita frequenter vsos legimus, vt eam, eiusq; sanum intellectum sibi solis propriè vendicare conati fuerint. Sed quod viuum Euangelium ipsa est Ecclesia, extra quam pelles haberi siue chartæ possunt, atramentum haberi potest, literæ siue characteres, quibus conscriptum est Euangelium, haberi possunt: cæterùm ipsum Euangelium extra Ecclesiam non habetur, nec haberi potest. Quæ causa est, quòd Apostoli Spiritu sancto pleni, cùm symbolum tradidissent, nusquam proposuerunt: credo sancta Biblia, aut sanctum Euangelium: sed credo, dixerunt, sanctam Ecclesiam. In ea sunt Biblia, in ea est Euangelium, in ea sanus est Euangelij intellectus: quin ipsa potius est Euangelium scriptum non atramento, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hoc est illud verbum Domini, quod Propheta manere dixit in æternum: de quo Christus loquitur: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Nam quæ calamo sunt in charta scripta transire possunt, possunt aliquo casu perire: quemadmodum libros legis Dei combustos Esdras postea, qui eodem spiritu, quo antè scripti fuerant, plenus fuit, restituit, sicut Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, Beda, & alij memoriæ prodiderunt. Quæ verò scripta sunt Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, vel in chartis papyraceis, aut pecorinis, verum in tabulis cordis carnalibus, ea nulla ratione possunt interire. Quamobrẽ honoremus patrem nostrum Deum, honoremus & matrem nostram Ecclesiam: vtriq; morem geramus, vtriq; dicto simus audientes. Etenim cum Dei filio, carnem nostram induto, corpus vnum Ecclesia mater nostra facta est. Quare qui non audit hanc, Deum non audit: Deo detrahit, quisquis illi detrahit: Si quidem duo sunt in carne vna, Christus & Ecclesia. Mentitur, quisquis audire se patris disciplinam iactat, si matris legem dimittit: nam nisi do ctus à matre fuerit Ecclesia, quæ patris disciplina sit, ignorabit. Teneamus igitur illam, quæ firmamentum est, & columna veritatis neq; cuiusquam auctoritate nos ab ea auelli patiatur, quamlibet is sibi cautus & prudẽs videatur, quamlibet etiam multa scripturarum proferat oracula, quæ non in legendo, sed in intelligendo cõsistunt. Satanæ sunt illæ voces: detas conciliorum & Pontificum, consensus tot seculorum, ac totius populi Christiani: nihil nos interpretamur, hoc sensit Spiritus sanctus: quod adferunt alij quamuis magni, quamuis multi, à spiritu Satanæ & alienata mente profectum est: Quod Orthodoxi docuerunt, quod auctoritas Ecclesiæ tradidit, quod populus Christianus amplexus est, quod scholæ defendunt, exitiabile venenum est Satanæ: quod ego doceo spiritus est vitæ. Credite in scripturis nihil prorsus esse obscuritatis, vel quòd egeat iudice: aut vt omnes cæcutiant, ego non cæcutio: nam conscius mihi sum me habere Spiritum Christi, quo possum de omnibus iudicare, nemo de me. Nolo iudicium, sed requiro obsequium. Neq; quenquam vel tantillum moueat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Ecclesiæ sanctorum: Omnes perierunt, si sensserunt vt scripserunt: nisi qui fortè resipuerunt ante supremũ vitæ diem: Qui meis probationibus diffidunt, aut carent sensu communi, aut blasphemiam committunt in Spiritum sanctum. Et tamen per quod idolum hæc Satanas loquutus est, non continua quidem oratione, sed sparsim in multis locis, in illo omni impiæ doctrinæ genere referto libello, De seruo arbitrio, illud nunc pro Deo colit magna pars Germaniæ: Quod ille sentit, Dei verbum & purum Euangelium vocatur.

*Pro. 1.*

*Pater noster Deus.*

*Mater Ecclesia.*

*Ab ea discedentes à Christo discedunt.*

*Esaiæ 30.*

*Psalm. 17.*

*Cyp. de simplicitate Prælatorum.*

*Matt. 18.*

*Luc. 10.*

*1. Reg. 8.*

*Extra Ecclesiam scriptura haberi potest, intelligentia eius non.*

*Credo sanctam Ecclesiam docuerunt Apostoli.*

*2. Cor. 3.*

*Esaiæ 40.*

*Luc. 21.*

*Libros legis Dei combustos Esdras restituit.*

*Eusebius in Chronicis.*

*Chrys. in op. Imperfect. in Matt. hom. 39. & ho. 8. in epi. ad Heb.*

*Aug. de mirabil. sacræ script. lib. ca. 32.*

*Beda de ratione tẽp. cap. 21.*

*Ephes. 5.*

*Lutheri superba verba.*

De

*De Quinto Præcepto.*

## CAP. LXXXI.

QVemadmodum nihil est magis secundum naturam, quàm vt homo homini, quicunq; sit, ob eam ipsam tamen causam, quòd homo sit, consultum velit: sic è contrario, detrahere aliquid alteri, violare alterum, & hominem hominis incommodo suum augere cõmodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ possint aut corpori accidere, aut rebus externis. Inter omnia autem incommoda, quę per hominem homini possunt importari, multò grauissimum habetur, & longè facinus atrocissimum existimatur, si quis alicui lucis huius vsuram eripiat: si quem vita priuet. Quamobrem rectè primo loco Deus id prohibet, dicens: Non occides. Quod tamen interdictum non ita latè patet, vt minimè nobis per id licere putemus animalia terræ, volucres cœli, pisces maris, ac quæcunque tandem bruta animantia, quæ in vsum hominis creata sunt, occidere. Nam si quicquid viuit occidendum non est, viuunt & herbæ, viuunt & plantæ. Non ergo fas fuerit virgultum vellere, aut herbis etiam vesci. Cùm tamen disertis verbis scriptum sit: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia, tradidi vobis omnia: vt feras, & quascunq; tandem bestias, & pecora non alio loco habere debeamus, quàm quo vel herbas, vel fructus alios. Cùm præsertim à Paulo quoq; scriptum sit: Omne quod in macello venit, manducate. Tantum autem abest, vt bestias & pecora Deus occidi prohibuerit, ipsum etiam vt hominem occidi iusserit: idq; in eiusdem libri capite mox sequenti: Qui percusserit, inquit, hominem volens occidere, morte moriatur. Et proximè in sequenti: Maleficos non patieris viuere. Et rursus in Leuitico: Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Et in Deuteronomio, Qui superbierit nolens obedire sacerdoti, ex decreto Iudicis moriatur homo ille.

*Præceptum. Non occides, quatenus se extendat.*

*Gen. 9.*

*1. Cor. 10. Cædes non omnis cõtra præceptum Dei.*

*Exod. 21.*

*Exod. 22.*

*Leuit. 24.*

*Deut. 17*

*Deut. 13.*

*Lib. 7. ca. 3. constit. apost.*

*Magistratibus licet occidere.*

*Deut. 32.*

*Pro. 8.*

*Rom. 13.*

Quod ergò dicit hoc loco: Non occides, ad priuatos homines pertinere voluit. Nam sicut præclarè scriptum est à Clemente: Non omnis cædes in malis habẽda est, sed solum illa prohibetur, quæ innocenti infertur: iusta verò Magistratibus reseruatur. Quare si qui Magistratu funguntur, supplicium capitis de nocente sumpserint, non ipsi hoc, sed ille facere videtur, qui dixit: Ego occidam, & viuere faciam. Ipse enim est per quem reges regnant, & legũ conditores iusta decernunt. Quid enim aliud est Rex, aut Iudex quicunq; quàm Dei minister, bonis in bonum? Si autem malum feceris, inquit Paulus, time: Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, & vindex in iram, ei qui malè agit. Ipsius ministerio Deus plectit sontes, quos propterea vult occidi, vt vel metu adactus quisq; quod de non occidendo præceptum est, tantò diligentius obseruet. Quamobrem non modò non peccat Iudex, cùm de sonte pœnas sumit, verumetiam si id facere intermittat, non minus in vitio est, quàm ille ipse qui facinus patrauit, cuius causa mortis reus erat pronunciatus. Homicida est, quisquis iurisdictionem sibi datam habẽs, homicidam impunitum relinquit: de quo cùm debitas pœnas exegerit, non iam homicida, verùm Dei minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Itaq; homicidas, & sacrilegos, & fornicarios punire non est effusio sanguinis, dicit Hieronymus, sed legum ministerium. Præclarè quidam dixit, quamuis Ethnicus, Sæuit in bonos, qui parcit malis. Impunitatis enim spes maxima est peccandi illecebra, qua furor hominum alitur effrenatus. Non igitur violati præcepti huius reus est iudex, si hominem occidi faciat, sed qui priuata sua & propria auctoritate occiderit hominem, is demum violasse mandatum hoc existimandus est, non solùm si manu id faciat, verum etiam si sit ex eorum numero, de quibus dicit scriptura. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Quare siue quis cõsilium det alicui, vt occidat: siue prouocet aliquem ad interficiendum, vel accusando proximum, vel detrahendo: siue quodcunq; præstet auxilium, aut assensum saltem suum præbeat, reus erit huius præcepti violati. Siquidem digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Consentire autem videtur & is, qui non obsistit si potest, cùm scriptum sit: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Qui videt igitur fame morientem, neq; pascit, ipse occidisse iudicatur. Pasce fame morientem, dicit Ambrosius, si non pascueris, occidisti.

*In ca. Hier. 22.*

*Rei huius præcepti.*

*Psalm. 56.*

*Rom. 1.*

*Pro. 24.*

*Consentienti in alienum periculum.*

Ac peccant quidem grauiter, qui corpus hominis occidunt, sed grauius etiam illi, qui animas in gehennam mittunt. De diabolo dicit Christus, quòd homicida erat ab initio. Atqui ille non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit. Verbum malum seminauit, inquit Augustinus, & occidit: Noli ergò putare te non esse homicidam, quando fratri tuo malè persuades. Graue genus id est homicidij, si quis oratione sua hominem ad peccandum inuitat, atq; ita gehennæ reum facit: si doctrinis varijs & peregrinis mentem alicuius abducere, & in aliud Euangelium transferre conatur ab eo, qui vocauit nos in gratiam Christi.

*Homicidæ animarũ Ioan. 8.*

*Aug. tract. 42. in Ioan.*

Graue est & illud homicidij genus, si quis vita sua contaminata corrumpit alios, dũ sua in eos vitia infundit, ac plus etiã exemplo, q̃ peccato nocet: si pśertim sit ex eorũ numero, quibus dictum est, Vos estis sal terræ, quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Vos estis lux mundi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Qui si præierint alijs flagitiosè viuendo, tot eos mortibus dignos esse scribit Gregorius, quot ad subditos suos, perditionis exemplo transmittunt. Quamobrem tanto diligentius cauere eos oportet, vt non modo crimine, verùm etiam sus-

*Malo exemplo nocere, est homicidam esse.*

*Matth. 5.*

*Gregor. in pastorali parte 3. admonitione 3.*



picione criminis vacare queant, quantò pluribus æternæ mortis auctores fiunt, cùm sua in illos vitia infundunt.

*De Sexto Præcepto.*

## CAP. LXXXII.

CRaue crimen est homicidium, sed non minus graue, quod sexto loco prohibet Deus: Non mœchaberis. Quamobrem non Romanorum modò, verum & Hebræorum & Barbarorum legibus, in adulteros capitis pœna fuit constituta. Furti manifesti reum, quadrupli, nec manifesti, dupli pœna absoluebat: sceleratus adulterij, securis expiabat. Apud Hebræos autem populi manibus lapidabatur, quòd id violasset, sine quo populus non esset. Nec hoc contenta legum seueritas illud etiam permisit, deprehensum adulterum, sine iudicio, sine legibus confodere. Nimirũ id maritali donans dolori, quod grauatim concedit vim à capite propellenti: quasi ladat atrocius, qui coniugem adimit, quàm qui vitam. Nunc, proh dolor, apud Christianos ludus ac iocus est adulterium. Qui semel furtum admisit, non audet faciem attollere: qui multis adulterijs nobilitatus est, principem inter alios sæpè locum obtinet. Atq; adeo non pudet facti plerosque, vt glorientur etiam in malitia sua, lætentur cùm malè fecerint, & exultent in rebus pessimis. Si quis vestem sublegerit, in crucem agitur: si pudicitiam vxoris alienæ furatus omni eam honestate spoliauerit, non modò nulla pœna, ciuilibus quidem legibus, dignus existimatur, verumetiam idoneus ducitur, cui honores mandentur. In vxore tantum crimen habetur adulterij, maritus etiam commendatiorem inde se fore persuasum habet. Quem tamen, sicut ab Augustino scriptum legimus, tantò puniri grauius oportuit, quantò magis ad eum pertinet, & virtute vincere fœminam, & exemplo moderari. Caput mulieris est vir, itaq; ducem illum, vxorem comitem esse decet. Quo diligentius illi cauendum est, ne illae eat viuendo, qua timet, ne sequatur vxor imitando. Virum, sunt qui putent à virtute dictum, quòd plus in eo, quàm in fœmina, virtutis insit. Quod si ita est, æquũ est, vt virtutis exemplo præeat vxori, neq; quod illi nolit, sibi licere velit: prioripse præstet, quam ab illa coniugij fidem exigit.

*Adulterium crimen grauissimum.*

*Adulterium quomodo punitum olim, et eius nostro ævo impunitas. Psal. 51. Pro. 2.*

*Aug. de adulterinis nuptijs. li. 2. c. 2.*

*Peccatum virorum pœna maiore dignũ, quàm mulierum.*

*Vir unde dictus*

*Lact. de opificio Dei cap. 12.*

Cæterùm adulterij siue mœchiæ nomen latius patet. Quamobrem omnis illicitus concubitus hoc præcepto prohibetur. Licitus autem censetur solus ille, qui est inter matrimonio iunctos. Itaq; scitè dictum est à Tertulliano, Quod Christianus vxori suæ soli, masculus nascitur. Nec minus verè scriptum à Lactantio: Hoc præcepto non adulterare, non solùm corrumpere aliorum matrimonium Deus prohibet: quod etiam communi gentium iure damnatur: Verùm & prostitutis corporibus abstinere iubet. Ex quo manifestum est, eos errare, qui fornicationem eius generis peccatum esse negant, quod æternæ mortis reum hominem faciat. Quamuis enim leuius peccatum sit simplex fornicatio, quàm adulterium, vtrunq; tamen coniunxit Apostolus, dicens: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et alio loco: Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Et rursus in alia Epistola, fornicationem inter alia carnis opera recensens: Prædico vobis, inquit, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Certè quod peccatum excludit à regno Dei, mortis æternæ reum facit. Gregorius Nissenus non dubitauit fornicationis peccatum adulterio æquiparare, & vtriq; grauissimas pœnas esse constitutas dicit.

*Adulterium crimen.*

*In Apologetico.*

*In Epitome diuinarum institut. c. 4.*

*Fornicatio quale crimen.*

*Ephes. 13.*

*Ephes. 5.*

*Gal 5.*

*In ep. ad Latoium*

Ridiculum autem est, quòd hoc præcepto nonnulli sanciri putant, & confirmari legitimum coniugium. Qui si hoc dicerent, sancire Deum, vt à lege matrimonij coniuges non discedant, néue quid indignum committant honestate temperantiaq; coniugali, ne illi rectè sentirent. Vult enim Deus, vt coniuges alter alteri coniugij fidem seruent inuiolatam. Cæterum hoc isti persuadere velle videntur, præceptum hic esse cunctis, vt vxores ducant, quę scripturæ mens nunquàm fuit. Nam quod ait Deus, non mœchaberis, non tam ad eos, qui cœlibem vitam agunt, quàm ad eos qui matrimonio sunt irretiti, propriè dictum esse videtur. His præcipitur, vt inuicem sibi fidem seruent, vt thorum immaculatum custodiant, néue maritus alicui præterquàm vxori, néue vxor alicui præterquàm marito sui corporis potestatem faciat. Ad vxorem autem ducendam nemo per hoc præceptum adigitur. Est quidem ita, quòd inter alias instituti matrimonij causas, & hæc recensetur: quod hac ratione facilius, & fornicationem, & quemuis alium illicitum concubitum effugere liceat. Sed si quis putat, vnicum hoc esse vitandæ fornicationis remedium, is à vero longè aberrat. Multa millia virginum, multæ myriades fornicationis remedium, is à vero longè aberrat. Multrahendi matrimonij remedijs vsi, pudicè & castè vitæ suæ tempus omne transegerunt. Scilicet quod potuerunt tot seculis tot myriades hominũ, hoc nũc vix quem q̃ posse dicemus? Non est abbreuiata manus Domini: idem nunc Deus est, qui fuit semper: neque cœpit vnquam, nec idem esse desinet: æquè nunc potens, æquè nunc benignus est & misericors: Non exaruit fons ille bonitatis: æquè nunc etiam copiosus est, & redundans. Quamobrem qui negat rectè dici hodie, nos Dei auxilio adiutos, omnia posse, negat Euangelij vocem: Omnia possibilia sunt credenti: Omnia possum in eo, qui me confortat. Quamobrem sicut nemo prohibetur, ita nemo iubetur hoc præcepto matrimonium contrahere: neq; se subducit vocatione sua contra Dei voluntatem, si quis vitam cœlebem agere firmiter deliberatum habuerit. Quamuis enim, qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: tamen qui non iungit, melius facit. Ad id ergo, quod melius est, vocati sumus omnes: cùm per ipsum

*Conscientia an possit seruari.*

*Non mœchaberis ad quos magis pertinet*

*Marc. 9.*

*Philip. 4.*

*Cælibatus præstat coniugio.*

*1. Cor. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Matt. 19. 1. Cor. 7.*

sum Christum dicentem: qui potest, hoc est, qui vult, capere capiat: tum per Apostolum eius ad Corinthios scribentem: Volo autem omnes esse sicut meipsum: Hoc præcipuè tempore, quod cùm breue sit, etiam qui habent vxores, vult Apostolus eos esse, tanquam non habentes: hoc est, vt neglectim eas habeant, & in Deo piè colendo potius occupati, quàm rei sint vxoriæ mancipati. Quare vocati sumus ad ea, quæ sunt optima. Nam si Ethnicus ille dixit:

*Plutarchus in libro de exilio.*

Optimam vitæ rationem elige, eam tibi iucundam reddet consuetudo: non est verisimile, non multò magis id voluisse Deum: qui nos ad perpetuum quendam sabbatismum vocasse videtur: Sed non ita tamen, vt non fecerit cuiq; potestatem, si dura illi videtur & difficilis perpetua continentia (sicut natura sua virtus omnis est difficilis) quin quod proximum est sequeretur. Prima sequentem, sicut anteà quoq; diximus, honestum est, in secundis & tertijs consistere. Quin optima sit virginalis castitas, proxima cœlibum continentia, nemo est tam proteruè improbus, qui negare audeat. Sed si cui vitæ genus hoc arduum videtur, bonum est & matrimonium inire: & secundas & tertias & quartas nuptias contrahere, malũ non est: verùm ei, qui nulla se voti religione obstrinxit.

*Continentia an contra naturam sit.*

Neque propterea Deum tentat, qui Dei fretus auxilio cœlibatum vouet: vt maximè verũ sit, contra naturam eum niti. Siquidem si quis naturam spectet corruptam, & vitio primi parentis deprauatam, non modò carnis, verùm & oculorum, & honoris cõcupiscentia, maximè secundum naturam est. Omnes enim natura, & voluptate frui, & diuitijs affluere, & honoribus potiri cupiunt. Nunquid igitur non erit nitendum contra corruptam naturam

*Iob. 7.*

hanc? nunquid Deum tentare putandus est, si quis fortiter ei fuerit reluctatus? Atqui hæc est militia nostra. Militia. n. est vita hominis super terram. Quid aliud in baptismo factum est, quàm quòd Christo nomen dedimus, quàm quòd illi stipendia nos facturos, & contra omnem & carnis, & oculorum, & honoris concupiscentiam fortiter esse pugnaturos nos obstrinximus? neque propterea desponde re nos animum statim oportet, si victi quandoque fuerimus. Vir fugiens, dixit ille, iterum pugnabit. Præclarè Basilius: Non Angeli sumus, in-

*Basi. in hom. de præ. Amb. li. 1. de viduis*

quit, sed homines, & cadimus, & resurgimus, idq; sæpe eadem hora. Ambrosius verò contra eos, qui propter infirmitatem non esse putabant vouendam continentiam, ne quis fortè non præstet quod vouisset. Ergo nemo militet, inquit, ne aliquando vincatur: nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui con-

*Matrimonium quomodo violetur. Hier. li. 1. con. Iou. Aug. li. 2. cont. Iul.*

cupiscentiæ timet lapsum. Quid? ipsi coniuges, nunquid omnes castitatem obseruant coniugalem: Etiam in ipso coniugio adulterium committi posse, vel illa Xisti sententia ab Hieronymo & Augustino producta, nos docet: Adulter est in suam vxorem amator ardentior. Quàm multos autem reperire licet, quibus, quod esse debebat fornicationis remedium, peccati grauioris fit occasio, apud quos adulterium ludus & iocus est. Nunquid ideò malæ sunt nuptiæ? nunquid ab illis abstinendum est, propterea, quòd alteruter, aut vterq; coniugum non rarò illicito concubitu miscetur? & certè cùm non dispar sit admissum, non par tamen culpa fuerit adulteri cœlibis, & coniugati. Nam quo sanctior est res coniugium, eo grauioris piaculi reus tenetur, qui rem tam sanctam adulterio temerauerit. Non propterea tamen non est honorabile coniugium, & thorus immaculatus: non propterea peccat, si quis fidem suam coniugi obstringit, si corporis sui potestatem penes coniugem tantum fore promittit: etiam si non paucos reperire liceat, qui quod promiserint, non præstent. Quod si difficilius continet, qui coniugis vti commercio consueuit, si quo casu longius absit à coniuge, aut si non modico temporis interuallo, nullus illius propter diuturnam infirmitatem fit vsus: nunquid credendus erit Deum tentare, qui contra concupiscentiam à natura sibi insitam niti, ac ne quid contra fidem coniugi datam committat, sui corporis potestatem alteri facere noluerit? Scilicet, si istos audiemus, superstite coniuge, quando quidem illius vsus esse non potest, ad secundas ac tertias aut quartas etiam nuptias transibit: ne si continere voluerit, Deum tentare videatur, contra naturam, quæ ab eo nobis indita est, nitendo. Quis non videt, quanta sit in his absurditas? Et tamen cati sibi videntur, qui hæc magno cum supercilio pronunciant: sesq; prudentiores esse deierauerint, quàm vel Apostolos ipsos, qui rã fuerunt rerum omnium imperiti, vt simul atq; Christum sequi cœperant, vxores relinquerent, neq; sui corporis potestatem deinceps illis vnquã facerent: vel eos, qui per mille quingentos annos illos sequuti sunt omnes. Verùm huc istos cæcitatis & demẽtiæ perduxit mos

*Adulterium spirituale grauius quàm carnale. 2. Cor. 11. Oseæ. 2.*

chia spiritualis, quæ multò grauior est, quam illa carnalis. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo, dicit Paulus: Per quem, qui loquutus est, idem etiam per Prophetã multò ante dixerat: Et sponsabo te mihi in sempiternũ & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia & miserationibus.

*Sponsa Christi summa quomodo.*

Sumus ergo sponsæ Christi, quod & stupendum maximè est, & omnes vna sponsa, & singuli singulæ sponsæ sumus. Hactenus autem singuli Christi sponsæ sumus, quatenus illius vnius sponsæ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ membra sumus. Sponsus noster ille est, de quo scriptũ est: Rex omnis terræ Deus: ipse spõsus noster totã tenet, quia totam emit. Vide autem quanti emerit, vt intelligas quid emerit. Quod pretium dedit? Empti estis, dicit Paulus, pretio magno. Sed quodnam est illud pretium magnum? Ediderit hoc alius Apostolus, dicens: Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Sanguinem ergo suum fudit: sanguinis sui pretio nos emit. Vbi fudit sanguinem suum? in passione cruci affixus, quam prædixit Propheta, dicens: foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meã miserunt sortẽ. Habet ergo vestẽ sponsus noster. Qualis ea fuerit, docet Ioãnes, dicẽs, q; erat desuper contexta per totũ. Quid ea res nisi charitatẽ significat nisi vnitatem? Hanc tunicam non diuiserunt impij milites, Christi persequutores: interea diuidunt Ecclesiam, qui volunt haberi Christiani. Cæterùm quisquis hanc di-

*Pſa. 46. 1. Cor. 6.*

*1. Pet. 1. Pſal. 21. Ioan. 19.*

*Vnitas ecclesiæ, Christi inconsutilis tunica significata.*



uidit, milites, qui Christum in Crucem egerũt, impietate sua superat. Quisquis à toto, quisquis à sponsa Christi sancta catholica Ecclesia semetipsum segregat, is à sponso quoq; Christo, à quo tanto emptus fuit pretio, segregatus est, atq; illius esse sponsa desinit, tantoq; grauius mœchatur, quàm qui coniugio irretitus alienum thorum inuadit, quantò maior est Christus, Deus & homo, quàm quiuis alius purus homo. De hoc genere mœchiæ scribit Clemens Presbyter Alexandrinus. Est autem adulterium, si quis relicta Ecclesiastica & vera cognitione, & de Deo persuasione, accedat ad falsam, quæ non cõuenit, opinionem. Quem sequutus Gregorius Nazianzenus: Non enim, inquit, peccatum illud solum, quod circa corpus admittitur, fornicatio, & adulterium dicitur: Sed & quoduis aliud flagitium, præsertim sceleris id, quod in diuinum numen perpetratur. Vnde id asseramus fortasse quæris? Fornicatisunt, inquit, in adinuentionibus suis. Et alio loco: Adulterium committebant in ligno. Vides adulterinum quendam cultum, & religionem. Tertullianus quoq; vocat hæreseon opera, doctrinas adulteras. Optatus etiam explicans illum locum: Cũ Mœchis particulã tuam ponebas, hæreticos dicit mœchos, & mœchas Ecclesias illorum, quas aspernatur & repudiat Christus in Canticis canticorum. Quasi diceret: Quid mihi colligitis non necessarias? vna est dilecta mea, vna sponsa mea, vna columba mea, Catholica, in qua & vos cùm esse

*Mœchia spiritualis.*

*Clem. li. 6. stroma.*

*Tert. de præscri. aduersus hæret. cap. 6.*

*Li. 4. cont. Parme.*

possetis, rebaptizando, cum mœchis particulam habere voluistis. Quod pluribus etiam perse quitur Theodoretus, in præfatione quam scripsit in Cantica canticorum. Et Hieronymus Origenis interpretationem secutus Ezechielem enarrans: Est & alia, inquit, fornicatio spiritualis, quando deserentes Ecclesiam hæreticis iungimur: & ædificamus lupanar nostrum in capite omnis viæ. Quibus præcipit sermo diuinus. State in vij, & quærite semitas Domini sempiternas, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea: Mosi videlicet, Iesu, Iudicum, & Regum libris, Esaiaq; & Hieremia, & alijs Prophetis. In omnibus viarum principijs fabricatur lupanar suũ, qui ad peruersitatẽ doctrinæ testimonijs malè abutitur scripturarũ & dicit: Hæc ait Esaias, hęc dicit Ozeas, hoc loquutus est Moses, hæc Daniel. Et pulchrè non in medijs vijs, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio. Si enim ad scientiam & profunda diuinorum venerit librorum, errare non potest. Et paucis interiectis. Quicquid de Hierusalem diximus, refert ad Ecclesiam animasq; credentium: quæ mu-

*Hier. 6.*

*Ezech. 18.*

*Quomodo hæretici in principio viarum fabricant lupanar suum.*

nera maritalia, aurum videlicet in sensu, argentum in eloquio, & vestimenta, quibus fœditas nostra, ac turpitudo velatur, dant amatoribus suis, vel contrarijs fortitudinibus, vel Magistris dogmatum peruersorum: quando afferunt nihil nocere luxuriam, cibis omnibus indifferenter vtendum, quia ad hoc facti sunt, vt sumantur, &c. Hanc fornicationem ita grauem esse dicit Hieronymus, vt exponens illum locum: Et post te non erit fornicatio: collatione illius omnem deinceps fornicationem leuiorem existimari debere dicat. Vocât eiusmodi, Prophetæ, mulieres adulteras, vocant & meretrices, sicut apud Hieremiam legimus:

*Hier. 2.*

In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Hoc enim in genio sunt, qui semel à Christo sponso nostro se diuiserunt, & sponsæ ipsius Ecclesiæ membra esse desierunt: vt quando semel ei fidem datam fefellerunt, eam subinde mutent, ac si mulac viderint collem aliquem sublimem, aut lignum frondosum, hoc est, qui scientiæ habet opinionẽ, quæ inflat, quiq; verbis ornatis & amplis ea, quæ praua sentit, edisserere queat, statim illi adhæreant. Ex quo fit, vt nunc huic, nunc illi sectæ se tradant, dum nihil apud eos stabile est & diuturnum. Sed neq; apud Magistros eorum, sectarumq; Principes, constãs est aliquid & perpetuum: cùm quotannis, & ritus & dogmata sua varient. plerosq; videre licuit, qui cùm nati vel renati potius fuissent Christiani, facti sunt Lutherani. deinde sacramentarij: posteà temporis causa finxerunt se Lutheri de Eucharistia dogma, quamuis falsum, amplecti, vt ne prorsus veritatem Christi corporis ex Eucharistia tollere viderentur, ad extremum tamen, mortui sunt Sacramentarij. Alij verò Iconomachi, alij Anabaptistæ facti sunt, & subinde nouum aliquod dogma sequuti, nullus vt apud eos legitimus thorus, sed vagi sint concubitus. Ab hoc mœchiæ genere cum primis cauẽdum est homini Christiano: cui persuasum esse debet, spem salutis in diuisione nullam esse. Quamobrem prius omnia & facere & pati paratus esse debet, quàm vt ab Ecclesia, quam sibi sponsam Christus elegit, in cuius communione Christi sponsa & ipse efficitur, se diuelli quacunq; tandem ratione patiatur: Quin illud potius contendat & elaboret modis omnibus, ne vnquam se à sponso Christo separet, & fidem semel illi datam inuiolatam seruet, quo possit ad præmia, quæ spõsis suis Christus pollicitus est, peruenire.

*Hier. li. 5. c. 6.*

*Hier. 3.*

*Hom. 63. in Matth.*

Ne verò durius alicuius videatur, quod à nobis dictum est: Qui potest, hoc est, qui vult capere, capiat: veterum orthodoxorum interpretationem hanc esse sciat. Nam & Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, sæpè scripturam, posse pro velle, vsurpari docent. Libet autem Chrysostomi verba adscribere, qui enarrãs illum Euangelij locum: Propterea non potuerunt credere: quia dixit Esaias: Non potuerunt, inquit, hoc est, noluerunt. Neq; te admiratio capiat. Alibi enim inquit: Qui potest capere, capiat: ita nonnunquam potestate pro voluntate vtitur. Et iterum: Non potest mundus vos odio habere: me autem odio habet. Hoc & communi sermone vsurpatum videmus, cùm quis dicit: Non possum asperum hominem diligere: vehementiam voluntatis potestatem appellans. Et iterum: Non potest ille fieri bonus. Et Propheta: Si mutabit Æthiops pellem suam, & pardus varietatem suam, & populus hic potest benefacere, qui didicit mala. Non dicit, quòd impossibile sit ei benè operari: sed quia nolunt, ideò non possunt. Et in Matthæum: Non omnes capiunt, sed quibus datum est: Vt singulare id esse certamẽ perdiscas, non vt sorte datã necessitatem suspicetis. His enim datum est, qui sponte id eligunt: Quod ideò dicit, vt ostenderet superiore nobis auxilio opus esse: quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores euadere. Et in opere imperfecto: Non dixit: non omnes possunt, sed non omnes capiunt, id

*Posse pro velle sæpè in scripturis vsurpatum. Nazian. lib. 4. Theologiæ. Chrys. hom. 67. in Ioan.*

*In illum Euangelij locum cum consummasset Iesus.*

est, omnes quidem capere possunt, sed non tamen omnes capere volunt. Palma proposita est, Qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum pugnæ timerent: Gregorius Nazianzenus explicans illum locum, Non omnes capiunt verbũ hoc, sed quibus datum est: Datum est inquit, volentibus, atq; ijs qui animi inclinatione ita feruntur. Hieronymus quoq; sententiam secutus Origenis, Matthæi locum eundem explicans: Non omnes capiunt verbum istud, Nemo putet sub hoc verbo vel fatum vel fortunã introduci, quòd hi sunt virgines, quibus à Deo datum est, sed his datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur. Quem Sixtus quoq; secutus in lib. de castitate: Noli, inquit, sic intelligere dictum hoc: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datũ est: quasi castitatem non nisi illi possideant, quibus etiam non volentibus, vt fatali, quod aiunt, necessitate collata sit: ne & gratiosum Deum statuas, & castitatis præmium tollas, & vanam vtrobique eius exhortationem facias, si eam non qui capiunt, sed quibus diuinitus indulgetur, obtineant. Tam vana erit exhortatio rei non voluntariæ, quàm præmium iniustum. Et tam nõ culpari merebitur, qui pudicitiam negatam sibi non habuerit, quàm qui collatam posse dederit, coronari. Quomodo ergo intelligendum est: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est? Noli à scripturæ sono discedere, & errare non poteris. Verbum dixit datũ, non castitatem, quam aliundè sperare non possumus. Quia cùm habemus, naturaliter possidemus. Nostra est enim, quæ nobiscum nascitur, & in nobis est. Ita non est expectanda, sed custodienda, quæ in nobis est. Hoc ergo custodiendæ castitatis verbum non omnes, sed quibus datum est, capiunt. Quibus ergo datum est? Omnibus Christi discipulis: qui & Euangelium, & Apostolum legunt, vbi non aliud magis Deum, quàm castitatem velle cognoscunt. Quibus verò datum non est? Paganis scilicet & Iudæis, & quibuscunq; noui Testamenti doctrina ignota est, in qua vel maximè bonum castitatis ostenditur. Ad eundem modum interpretatur & Euthimius, explicans illa verba, Qui potest capere, capiat. Relinquit rem, inquit, in hominum voluntate, dicens: qui potest capere hoc, aut peruenire ad hoc, capiat. Ne-

*Theo. in Epitome diuinorum decretorũ cap. de virgin.*

que diuersa esse videtur interpretatio Theodoreti, qui priusquam hunc ex Euangelio locũ adferret, his verbis vtitur: Dominus Deus, non tulit quidem leges de virginitate, intellexit enim esse rem supra naturam: eam tamen laudibus prosequendo, eos qui vellent ad certamen adhortatus est. Augustinus quoq; eundem, quem Chrysostomus, Ioannis locum explicans: Sic dictum est, non poterant: vbi intelligendum est, quòd nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro: Negare seipsum non potest. De omnipotente dictum est, non potest. Sicut ergo quòd Dominus seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ: ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Tractans autem eundem locum: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt. Quibus autem datum est, sic volunt, vt impleant quod volunt. Itaq; vt hoc verbum quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium.

*Aug. Tract. 53. in Ioan.*

*De gratia & libero arbit. c. 5.*

*De Septimo Præcepto.*

## CAP. LXXXIII.

*De furto difficilior satisfactio.*

VOd septimo loco ponitur: Non furtum facies, vel hoc nomine non debet alijs Ieuius videri, quòd cùm absq; satisfactione & pœnitentia peccatum non remittatur, de furto difficilior est, quàm de alijs quibuscunq; satisfactio. Nam si quis cædem patrauerit, si thorum alienum inuaserit, modò iustum animo dolorem concipiat, ieiunio, oratione, eleemosyna placatum sibi Deum reddere, peccatiq; sui veniam impetrare potest. Cæterùm, si rem alienam contrectauerit, nihil ei ieiunium, nihil orationes, & lachrymæ, nihil profuerint eleemosynæ. Si nõ vult quadruplum cum Zacheo restituere, saltem id quod furatus est restituat oportet, ei cui furatus est: ac posteaquam restituerit, tum demum de suo det pauperibus. Neq; enim grata Deo sunt eleemosynæ, quæ fiunt de alieno. Si verò fiant ex ijs, quæ pauperibus erepta sunt, nihil est quod magis abominetur Deus. Nam qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Hinc est quòd Propheta quidam, ea quæ furto siue rapina congregata sunt, vocat densum lutum, dicens: Væ ei, qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Nam & grauãt & polluũt vt lutum, & haud aliter morantur ac retardant hominem, quominus euadere possit, quàm profundum lutũ eum, qui in ipso hæsit.

*Restitutio rei alienæ.*

*Eleemosynæ ex alieno, Deo ingratæ.*

*Ecclꝛ. 34.*

*Abac. 2.*

*Densum lutum furto vel rapina parta.*

Non est autem existimandum, solũ illud furti genus hîc prohiberi, quod occultè fit, quin illud multò grauius est, si quis alicui per vim aliquid eripiat. Quamobrem, furti nomine quamuis alienæ rei illicitam vsurpationem intelligi vult Augustinus: Neq; putandus est, inquit, rapinam permisisse, qui furtum prohibuit, quin à parte potius totum id significare voluisse videtur, quod illicitè de proximi rebus aufertur. Sed etsi quid inueneris, inquit, & non reddideris, rapueris: quantum potueris, feceris: Quia plus non potueris, ideò non plus feceris. Qui alienum negat, si posset, & tolleret: Deus cor, non manum interrogat. Vsuram etiam si quis accipiat, furti vel rapinæ potius reus est. Quod etiam apud Ethnicos tam graue facinus existimatum est, quàm hominem occidere. Nec is à furto immunis est, qui rerum imperitũ aliquem in negotijs & contractibus circunscribit, aut pluris vendendo, aut iusto vilius emendo ab ijs, qui pretia rerum ignorant. Quacunq; quis arte fuerit vsus in fallendis hominibus contrahendo, furtum commisit. Qui nouis & insuetis vectigalibus præter necessitatem

*Aug. in q. in Exod. cap. 71.*

*Aug. de verbis Apost. hom. 19.*

*Inuentum non restituitur furtum est.*

*Vsura.*

*In contractibus furtum.*

*In tributis exigẽdis vel negandis furtũ.*

*Esai. 1.*



tem vllam suos grauant, in eadem causa esse videntur, de quibus dicit Propheta: Principes tui inobedientes socij furum: qui cùm per rapinas, miserorumq; lachrymas diuitias congregent, si minus fures, certè socij furum rectè vocantur. Sunt enim ex eorum numero, de quibus scribitur: Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Neq; verò si ipsi non rapiant, crimine vacant: sed si non prohibent eiusmodi facinora, eiusdem criminis affines iudicantur. Qui enim prohibere potest eum qui iniuriam facit, & nõ prohibet, is non minorem, scribit Chrysostomus, luet pœnam q̃ qui iniuriam fecit. Contrà verò, qui dominos suos debitis fraudant vectigalibus, & ipsi fures meritò dicuntur. Vix vllum autem crimen est, quod latius q̃ hoc pateat. Nam & qui mercedem non soluit operario, non est alienus ab hoc crimine. Deinde verò, qui non intrant per ostium in ouile ouiũ, sed ascendunt aliundè, hoc est, Magistratus & honores, ecclesiasticos præsertim, pecunia sibi comparant, eos fures & latrones ipse Dominus appellat. Numerant quidam & hæc inter furti genera: Si quis Ecclesiæ præsertim bonis per luxum abutatur: si maiores q̃ pro censu sumptus faciat: consequitur enim necessariò, vt omnes corradendæ pecuniæ rationes exigiter, non sine magno eorum quibus præest grauamine.

*Psal. 49.*

*Chry. in Gen. ho. 33. Ioan. 10.*

*Fures spirituales.*

Cæterùm inter omnia furti genera, multò pernitiosissimum illud est, cuius Prophetas quosdam arguit Dominus, qui furabantur verba sua. Quem locum enarrans Hieronymus, & ante eum Cyrillus Hierosolymitanus: Semper, inquit, imitatur mendacium veritatem, & nisi habuerit aliquam similitudinem recti, decipere non potest innocentem. Quomodo igitur in priori populo mentiebantur Prophetæ, atq; dicebant: Hæc dicit Dominus: Et, vidi Dominum. Et verbum Domini, quod factum est ad illum, siue illum, sic hæretici assumunt testimonia scripturarum, de vetere & nouo Testamento, & furãtur verba saluatoris, vnusquisq; à proximo suo, Prophetis & Apostolis & Euangelistis, & assumunt linguas suas, vt cordis venena ore pronuncient. Neq; enim competit hæreticis scripturarum possessio, quam quoties inuadunt, syluam alienam cædunt, fontes alienos transuertunt, limites alienos commouent in alieno seminant, & pascunt, quemadmodum pluribus ea de re verbis Tertullianus disserit. Et propterea rectè dicuntur furari verba Dei, quorum possessio non pertinet nisi ad Catholicos. Hinc etiam est, quòd scriptura doctrinam hæreticorum aquas furtiuas vocat, & panem absconditum.

*Hæretici fures. Hier. 23. Catech. 3.*

*Mendacium imitatur veritatem.*

*Scripturarum possessio non competit hæreticis.*

*Lib. de præscrip. aduersus hæret. Prou. 9.*

*De octauo Præcepto.*

## CAP. LXXXIIII.

*Mendacij pater diabolus. Eccle. 7. Aug. tract. 42. in Ioan. Ioan. 8.*

OCtauo præcepto prohibetur omne genus mendacij, quemadmodum etiam alio loco dicit scriptura: Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. Quantum autem sit crimen mendacium, vel ex eo colligi potest, quod ab Augustino scriptum est: Quomodo Deus pater genuit filium veritatem, sic Diabolus lapsus, genuit quasi filium mendacium. Quare qui veritatem loquitur, Dei, qui veritas est: qui verò mentitur, filius est Diaboli: qui sicut ipsa dicit Veritas, mendax est, & pater eius: intellige mendacij. Verum & scriptura quàm graue sit hoc facinus, demonstrat, dicens: Os, quod mentitur, occidit animam. Et rursus: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Peccat igitur quicunq; mentitur. Cùm aũt tria sint mendacij genera: pernicioſum quod obest, officiosum quod prodest, iocosum quod delectat: peccatur quidem omni genere, sed eo grauissimè, quod perniciẽ adfert proximo, siue quis eum doctrinis varijs & peregrinis in aliud Euãgelium transferre, Dei verbum adulterando, siue capitis aut fortunarum, aut quæ vita charior est, existimationis ei periculũ creare conetur, falsum contra eum testimonium dicendo. Quòd si iusiurandi accedat religio, tunc verò duplicatur peccatum. Nullum enim esse potest facinus magis capitale, quàm testem citare mendacij veritatem.

*Sap. 1. Psal. 5.*

*Mendacij tria genera.*

Quamobrem cùm graue sit crimen mendacium, longè grauissimum est periurium: in veteri lege contra falsum testem pœnam hanc fuisse constitutam legimus: Cùm diligentissimè perscrutantes, inquit, inuenerint falsum testem contra fratrem dixisse mendacium, reddent ei sicut fratri facere cogitauit: & auferes malum de medio tui, vt audiẽtes cæteri timorem habeant, & nequaq̃ talia audeant facere: Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Eadem videtur falso testi pœna proposita, quam aduersus homicidas in Exodo sancitam legimus. Neq; enim Ieuius est, falso testimonio, q̃ ferro quenquam lædere. Videtur autem sub hoc falso testimonij titulo contineri noxa omnis, qua proximus per linguam afficitur: quæ nonnunq̃ est omni ferro nocentior. Quamobrem impingunt in hunc scopulum detractores. Deo odibiles: qui quod Deus in hominibus amat præcipuè, amorem inter eos, beneuolentiamq; mutuam euertere conantur, qui similes esse videntur serpentibus. Quemadmodum enim illi occultè mordentes venenum inserunt, sic isti clam detrahentes, virus sui pectoris infundũt in fratrem: cumq; lingua hominis ad benedicendum Deum, & ad ædificationem hominis sit creata, isti eum serpenti faciũt similem. dum virtutibus eius in peruersum abutũtur. Neq; verò modò ipsi qui detrahunt alienæ famę, verùm & ij qui detrahẽtibus aurem accommodant, ad eundem lapidem offendunt, quos monet scriptura, dicens: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia: & seras auribus tuis. Offendunt & susurrones, qui laudant peccatores in desiderijs animæ suæ, qui dicunt bonum malum & malum bonum, dum nihil non loquuntur ad gratiam, contra quos dicit Propheta: Populę meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Offendunt & murmuratores, quibus

*Falsi testis pœna in veteri Testa. Deut. 19.*

*Homicidij & falsi testimonij eadem pœna. Exod. 21.*

*De detractores serpentibus similes. Rom. 1. Eccl. 10.*

*Eccl. 28.*

*Susurrones. Pro. 6.*

*Palpones. Eccl. 28. Psalm. 9.*

*Esai.5.* *Esai.3.* *Murmuratores.* *Eccl.28.* *Occidit lingua plures quàm gladius.* *Iaco.3.*

nunquam satisfieri potest. Offendunt, vt vno verbo complectamur omnia, quicunq; vel vitam proximi, vel existimationem, vel fortunas lingua sua vocant in discrimen, quæ sæpè muratas etiam diuitum ciuitates destruxit, sicut dicit ille Sapiens: & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit: plures vt per linguam interijsse, quàm in ore gladij cecidisse videantur, vt rectè eam Iacobus vniuersitatem iniquitatis vocauerit, inquietum malum, plenam veneno mortifero.

*De nono & decimo Præcepto.*

## CAP. LXXXV.

*Legum humanarũ, & diuinarum discrimen.*

HVmanarum & diuinarum legum inter alia, discrimẽ & hoc esse putatur: quòd illis aut facta puniuntur, vt furta, cædes q; : aut dicta, & conuitia & infidæ aduocationes: aut scripta, vt falsa charta, & famosi libelli: aut consilia, vt coniurationes & cõscientiæ latronum. Cæterùm cogitationis pœnam nemo patitur, modò suis terminis ea sit contenta. Deus verò de malis etiam cogitatis pœnas persequitur. Apud quem, sicut scripsit B. Ephrem, cogitata non aliter ac facta censentur, & operis instar consilium est. Quem secutus Hieronymus: Non solum enim opus, sed & cogitatio mali operis pœnas luet. Quod pluribus etiam verbis persequitur præceptor eius Gregorius Nazianzenus, in priore contra Iulianum oratione. Et Basilius in Ethnicis. Et Athenagoras in oratione, quam pro Christianis ad Imperatores conscripsit. Et Augustinus cum dicit: Meritò malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus.

*Vbi tractat de linguæ morbo, & alijs vitijs.* *Hier.li.1.c.4.Oseæ* *Reg.43.c.1.* *1. Reg.16.* *Hebr.4.* *Voluntas à Deo iudicatur.* *Li.16.de Ciui.Dei, cap.4.*

Siquidem homo videt quæ foris sunt, atq; ea sola punit quæ videt: Deus autem, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, cor intuetur: cor, non manum interrogat: Solaq; voluntas est, sicut ex Bernardo quoq; documus anteà, quæ, quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nulla vi, nulla cogitur necessitate, non immeritò iustam vel iniustam, beatitudine seu miseria dignam, & capacem creaturam constituit, prout scilicet iustitiæ, iniustitiæve consentit. Et alio loco: Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem? Quamobrem apud Deum, qui hominem occidere disponit: antequam occidat, quasi homicida habetur: qui & peierare paratus est, antequàm peieret, iam periurus habetur: & qui adulterium committere nisus est, antequam committat, iam adulter est ante Deum. Deus enim, inquit Ioannes Chrysostomus, non ex operibus iudicat, sed ex cogitationibus cordis. Voluntas est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis. Et in ea quæ præcedit homilia: Nunquid sic iudicat Deus, quomodo iudicat homo? Homo iudicat in opere, Deus autem in corde. Qui etiam alio loco dicit: Bonus Dominus non consueuit attendere ad ea, quæ à nobis fiunt, sed ad internam mentem, à qua vt hæc faciamus, impellimur. Et ad hanc spectans, vel approbat ea quæ à nobis fiunt, vel auersatur. Et iterum alibi: Et si nonnunquam cogitamus nec facimus, disponimus nec implemus: tamen cogitata pro factis tenentur, licèt nondum opere compleantur. Facere enim cordis cogitare est: quia corporis est cogitata perficere. Cor cogitando tenetur in crimine, licèt corpus immune videtur ab opere: Reus est iam animus qui cogitauit, licet immune sit corpus ab opere, quod nõ fecit. Hanc igitur voluntatem, vt radicitus omne malum ex animis nostris euellat, prohibet Deus extremis duobus his præceptis: Non concupisces domum proximi tui: Non desiderabis vxorem eius: non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

*In Matt.homi.46.* *Homil.45.* *Hom.27.in Genes.* *In Hom. de leuium peccatorum periculis, Tom.5.*

Fallũtur autem, qui prauam inclinationem, fomitemq; peccati, qui primi parentis nostri vitio nobis insitus est, hoc loco prohiberi censent. Nam sicut anteà quoq; fuit à nobis demonstratum, non exigit à nobis Deus, quod in potestate nostra non est. Verùm isti nihil non comminiscuntur, quò possint blasphemam suam sententiam de eo, quòd impossibilia præceperit Deus, confirmare. Nos verò cum Augustino dicamus, quòd nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominẽ, pro eo quod nõ potuit vitare, qui pius est. Quamobrem primos illos concupiscentiæ motus non prohibuit Deus, cũ diceret: Non concupisces. Fomes iste nobis insitus est à natura. Quæ verò sunt à natura, nec laudem, nec vituperationem merentur. Quamobrem ne peccatum quidem est in renatis concupiscentia: Siquidem baptisma, quemadmodum ab Augustino scriptum legimus, dat nobis omnium indulgentiam peccatorum, & aufert crimina, non radit: nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescãt iterũ resecanda peccata. Qui non vno loco docet, quamuis maneat in renatis concupiscentia: sublatum tamen esse reatum in Baptismo.

*Aug.ser. 61.de tẽp.* *Concupiscentia remanens post baptismũ, nõ est peccatum* *Aug.cont.duas epi. Pelag.lib.1.cap.13.* *De nuptijs, & concupisc.li.1. c.26.* *Cont.Iulian.lib.6. cap.8.* *Rom.7.* *2.Cor.5.* *Peccatum nullum sine voluntate.* *Aug.de duabus animabus cõt.Manich.* *Idem de vera religione.cap.14.* *Aug. de nuptijs & concupisc.li.1.c.23.*

Sed vocat, aiunt, concupiscentiam peccatum Apostolus. Etiam Christum vocat peccatũ. Nunquid ideò Christum, aut culpæ alicuius affinem, aut damnationi dicemus obnoxium? Quamobrem quamdiu non consentimus illi, concupiscentia peccatum tale non est, quòd nos æternæ damnationis reos faciat. Nam dicere peccare aliquem sine voluntate, magnum esse deliramentum scribit Augustinus: & peccati reum teneri quenquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis esse putat & insaniæ. Vsq; adeò enim peccatum, voluntarium esse malum censet, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Quòd itaq; concupiscentiam peccatum vocat Apostolus, non ideò sic vocat, quòd propriè peccati, culpæq; alicuius rationem habeat: sed vocatur, inquit, peccatum, quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum. Sicut vocatur lingua locutio, quam lingua facit, &



& manus vocatur scriptura, quam manus facit, itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatũ si vincit, facit. Sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. Nihil igitur aliud damnat hic Deus, quàm vitiosos affectus, ad quos accedit consensus, vt non concupisces, idem esse videatur cum eo, quod alio loco dicit scriptura: Post concupiscentias tuas non eas: quodq; dixit alibi idem Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Ioannes Chrysostomus aliud esse vult concupiscere, aliud velle: Concupiscere, inquit, passionis: velle autem arbitrij est, frequenter enim concupiscimus, etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat: magis autem gloriosiorem facit virginitatis coronam. Et in Homilijs ad populum Antiochenum: Concupiscere, inquit, naturale, malè verò concupiscere, iam est voluntatis: peccatum autem ex voluntate. Qui disertis etiam verbis alio loco concupiscentiam non esse peccatum affirmat. Et epistolam ad Galatas explicans: Concupiscentia, inquit, ad liberorum procreationem, vitæq; conseruationem data est, non ad adulterium, scortationes & lasciuias, vt pater fieres, non adulter: vt legitimè verseris cum vxore, non vt contra fas eam corrumpas: vt relinquas tuum semẽ, non vt aliorum vicies. Siquidem adulterium non est naturalis appetitus, sed cõtumelia præter naturam. Itidem & Gregorius Nissenus, non eum, qui aliquo casu concupierit, sed qui consultò sibi vitium asciuerit & contraxerit, condemnandum esse ait: Nam vt innascatur aliquando talis appetitus, fæpè infirmitas insita naturæ etiam præter animi sententiam efficit: Verùm non in modum torrentis, impetu perturbationis transuersum rapi, sed viriliter aduersus eiusmodi dispositionem & affectum cõsistere, & rationibus perturbationem discutere atq; submouere, hoc virtutis est opus. Cyrillus quoq; contra Antropomorphitas scribens: Fieri, inquit, non potest, vt insitam carni concupiscentiam eradicemus. Sobrietate autem obuiam ire, quominus petulantius in nos agat, in nostra potestate est situm: idq; præcipuè quia homo factus est vnigenitus, qui ferocientem legem peccati, quæ est in membris nostris, non amplius in nos sæuire grassariq; permisit. Atque hoc quidem docet optimus Paulus dicens: Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, filium suum mittens Deus in similitudinem carnis peccati, & de peccato condemnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Superioris igitur euademus insitis motibus, nõ equidem in vniuersum, neq; ex omni parte, hoc enim in beatissimam illam vitam reseruatur, quæ futura expectatur in futuro seculo. Possumus autem fortiter obsistere, & castigare motus carnis opitulante Deo, facultatemq; nobis cœlitus suppeditante.

*Et contra duas epist. Pelag.* *Eccl.18.* *Rom.6.* *Concupiscere & velle.* *Chrysho.52. oper. imperfect.in Mat.* *Hom.19.* *Hom.13. in Matth.* *Greg.Niss.in lib.de octo beatitudinibus, explanans illud: Beati mites.* *Cyril.cap.11.contra Antropomorphitas.*

Quò magis autem intelligi res possit, illud scire oportet. Concupiscentiam nonnunquã habere nomen fomitis, & esse quandam ad malum inclinationem: factũ. n. est peccato primi parentis nostri, quòd sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Hanc Paulus vocat legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ. De hac scribit Iacobus: Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Hæc non solùm peccatum non est, verumetiam occasio persæpè coronæ. Beatus enim qui sufert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Porrò concupiscentia, hæc cùm conceperit, parit peccatum. Concipit autem delectando, qua quidam re iam offendimus, sed lapsum tamen mortis nondum incurrimus. Est itaq; iam hic secundus stimulus, qui & ipse concupiscentia vocatur. Nam primus est, leuis quidam punctus sensuum, & incentiuum vitiorum. Secundus est cogitatio, quæ concepit peccatum delectationis. Hos duos stimulos, quos Græci προπαθείας vocant, scribit Hieronymus Deum non putare: sine quibus nullum hominum esse posse dicit. Cæterùm peccatum cùm consummatum fuerit, hoc est, cùm quis facere decreuerit cogitata, aut cùm opere perpetrauerit, tum demùm generat mortem. Quos autem stimulos Hieronymus, eas affectiones vocat Prosper Aquitanicus: de quibus ita loquitur: Non has affectiones habendo, sed eis malè vtendo delinquimus. Quia humanorum affectuum proprietas, hominis indicat creaturam, qualitas bonam vel malam significat volũtatem: ac si motus ij, qui in hominibus affectiones sunt, ijdem ipsi in benè vtentibus virtutes, & malè vtentibus passiones, siue perturbationes, aut vt quidam volunt, ægritudines fiunt.

*Ecc.8.* *Rom.7.* *Iaco.1.* *In cap.18.Ezech.* *Prosper.li.2.de vita contemplatiua cap.3.*

Scripsit D. Bernardus sermonem quendam de cute, carne, & ossibus animæ. Et explicans illud Psalmi, Multæ tribulationes iustorum, sed de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. His verbis vtitur: Ponamus velut quandam animæ cutem cogitationem, carnem affectionem, vt consequenter eius intentionem possimus accipere. Sic enim erit in ossis integritate animæ vita, in carnis incorruptione sanitas, in cutis specie pulchritudo. Quæ sunt ergo tribulationes iustorum, nisi quod interdum decoloratur cutis, cùm videlicet inutilis cogitatio in corde versatur, nonnunquam verò etiam caro vulneratur: quando scilicet ad hoc vsq; cogitatio pernicioſa procedit, vt delectatione corrumpatur affectio. Nam ossa quidem iustorum omnino intacta atq; illæsa custodiuntur à Domino, vt nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salubris intentio conteratur, vt videlicet concupiscentiæ titillanti etiam detur assensus. Sic enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat. Ante quem etiam Gregorius: Tribus, inquit, modis impletur omne peccatum, suggestione, delectatione, & consensu. Suggestio quippè fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Quia cùm primam culpam serpens suggesserit, Eua velut ea-ro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem, delectationem & consensum iudex sui animus præsideat. Cùm enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum om-

*Chry.hom.13.in ep. ad Rom.* *Concupiscentiæ diuisto.* *Greg. interrogatio. num.cap.11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ninò perpetratum non est: Cùm verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci: si autem etiam ad confessionem ex deliberatione descendit, tunc peccatũ cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpè contingit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat: & cùm caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, nec consentiat: & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Vndè & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quę est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat: igitur legi mentis, lex quæ in membris est, repugnabat. Pugnabat autem, quapropter captiuus non erat. Ecce itaq; homo est, vt ita dixerim & captiuus & liber: liber ex iustitia, quam diligit: captiuus ex delectatione, quã portat inuitus. Qua de re plura tractat in Pastorali. Et qui præcessit vtrunq; Gregorij Nazianzeni discipulus Hesichius Presbyter: Primo loco, inquit, est suggestio: secundo copulatio, nempè cùm cogitationes nostræ permiscentur cum malignis cogitationibus dæmonum: tertio consensus, quo scilicet pacto se gerat anima inter vtrasq; cogitationes, malè consultas: quarto verò loco est ipsa sensibilis operatio, videlicet peccatum. Si ergo temperans animus attenderit, ac repugnando, & Dominum Iesum inuocando, imaginationem suggestionis prauæ fugauerit & repulerit, quæ deinde moliuntur, manent inutilia. Nam cùm spiritus nequam sit mens incorporea, non potest alia ratione seducere animas, quàm illusionibus cogitationũ. Porrò de suggestione quidẽ ait Dauid: In matutino interficiebam, & quę sequuntur. Magnus verò Moses, de consensu inquit: Et non assentietur illis.

*Part. 1. admo. 4.*

*Cent. 1. cap. 46.*

Ex quibus omnibus colligere licet, quòd concupiscentia, quatenus vel vrit, vel etiam delectat, nihil aliud q̃ bellum, q̃ pugna, q̃ rixa quædam est: in qua, si quis victor euaserit, æternę vitæ præmia meretur: Si autem superatus fuerit, stipendium illius mors erit æterna. Nihil igitur peccati, nihil damnationis est in eo quòd vrimur, quòd delectamur, sed si succumbimus delectationi, tum demùm peccati, tum æternæ mortis rei efficimur. Caro concupiscit aduersus spiritum, in eo nihil est peccati: nam & spiritus concupiscit aduersus carnem. Sug-
gerit caro, fac adulterium: suggerit spiritus, non fac. Luctam video, dicit Augustinus, victũ non video. Non autem certantem, sed victum pœna consequitur, sicut idem alio loco docet. Et iterum alio loco: Conflictus iste etiamsi non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem, est tamen miserabilis quia non habet pacem. Loquens de hac concupiscentię pugna, S. Marcus Eremita, sic ait, Oppugnatio non est peccatum, aut iustitia, sed argumentum liberæ voluntatis nostræ. Quapropter opponere propugnaculũ nobis etiam permissum est. Vt ij qui tendunt ad mandatum, velut fideles coronari demonstrentur. Qui verò tendunt ad voluptatem, oppugnari tanquam infideles. Pugna est: concupiscit caro aduersus spiritum, delectat adulterium. Fateor quia delectat: Sed spiritus ex aduerso concupiscit aduersus carnem: delectat & castitas. Ergo vincat spiritus carnem, aut certè non vincatur à carne. Adulterium tenebras quærit, castitas lucem desiderat. Quomodo vis innotescere, sic viue. Quomodo vis hominibus innotescere, etiam præter oculos hominum, sic viue: Quoniam qui scit te, & in tenebris videt te. Quare laudatur castitas publicè ab omnibus? Quare non laudant adulterium nec adulteri? Qui ergo quærit veritatem, venit ad lucem. Sed delectat adulteriũ: contradicatur, resistatur, repugnetur: Non enim non habes vnde pugnes: Deus tuus in te est, spiritus bonus datus est tibi, Et tamen permittitur ipsa caro concupiscere aduersus spiritum, suggestionibus prauis & delectationibus genuinis. Fiat, quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit, Non sit: Iam enim est ibi. Quod idò peccatum vocatur, quia merito peccati contigit. Non enim in Paradiso caro concupiscebat aduersus spiritum, aut erat ibi ista pugna, vbi pax erat sola: sed facta transgressione, pollutaq; homo noluit seruire Deo, & donatus est sibi: nec sic donatus sibi, vt possit saltem possidere se: sed ab eo possessus, à quo deceptus, cœpit caro concupiscere aduersus spiritum. Cęterum spiritus Dei est, qui pugnat in te aduersus te: aduersus illud quod est in te contra te.

*Aug. in c. 5. in Gal.*

*Aug. de nupțijs & concupiscentia. Lib. 2. c. 2.*

*Aug. hom. 43. de verbis Domini. Talis esse qualis videri velis.*

*Ioan. 3.*

*Concupiscentiæ origo.*

Quod autem aliud sit concupiscere, aliud velle, explicãs illa verba Pauli, vt non quæcũq; vultis illa faciatis, docet Augustinus quoq;. Velle enim, dicit, hominẽ castum pacem, vt nulla omninò surgat in membris eius concupiscentia aduersaria castitati. Sed nihilominus, velimus nolimus, cõcupiscentias habemus: velimus nolimus, titillant, blandiũtur, stimulant, infestant, neq; prius illis liberabimur, quàm cùm corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, & mortale hoc induerit immortalitatẽ. Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Tunc audientur voces illæ triumphantium: Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Percussisti, vulnerasti, deiecisti: sed vulneratus est propter me, qui fecit me. O mors, ô mors, vulneratus est propter me, qui fecit me, & de morte sua vicit te. Voces illæ sunt triumphantium, pugnantium verò vox est: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè: tu Domine vsquequo? Hanc vocem emittebat & Paulus, cui & ipsi, ne magnitudo reuelationum extolleret eum, datus fuerat stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui eum colophizaret: Propter quod ter dominum rogauit, clamans: Et tu Domine, vsquequo? Et responsum accepit à Domino: Sufficit tibi gratia mea: virtus in infirmitate perficitur.

*Aug. de verbis Domini ser. 43. vbi supra.*

*Vox triumphantiũ.*

*Vox pugnantium. Psal. 6.*

Vel ex his verbis perspicuũ esse cuiuis potest, q̃ infirmitas hæc, pronitas hæc ad peccatũ, non modò peccatum non est, verumetiam facit ad virtutis perfectionem: quodq; ea prohibita non sit: neq; enim prohibetur pugna, sed vt ne cedatur in pugna. Non potes efficere, vt omninò nullæ sint in te concupiscentiæ carnis: fac quod potes, vt non regnet peccatum in tuo



tuo mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. Ecce quod nolo, mala desideria surgunt: sed noli obedire. Arma te, sume instrumenta bellorum: præcepta Dei, arma tua sunt. Si benè me audis, & eò quòd loquor, armaris: Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore: Quid est, non regnet? Non obediatis concupiscẽtijs suis. Si enim cœperitis obedire, regnant. Et quid est obedire? Exhibere membra arma iniquitatis peccato. Nihil hoc doctore præclarius. Quid vis vt exponam tibi? fac quod audisti. Non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato. Dedit tibi Deus potestatem per Spiritum sanctum, vt membra tua arma iniquitatis peccato. Surgit libido, tene tu membra: noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato. Tene pedes, ne eant ad illicita, tene manus ab omni scelere, tene oculos, ne malè attendant: tene aures, ne verba libidinis libenter audiant: tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima. Spiritu ambulate, dicit Paulus, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Quare non dixit concupiscentias carnis ne habueritis? quia necesse est, vt habeamus illas. Quare non dixit, concupiscentias carnis ne feceritis? quia facimus eas, cùm concupiscimus: ipsum concupiscere, facere est. Sed ait Apostolus: Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ergo quid tibi cauendum est? hoc sine dubio ne perficias. Surrexit libido damnabilis, suggesit, non audiatur: ardet, non se cõpescit, & velles vt non arderet? & vbi est, vt non ea quæ vultis, faciatis: Noli dare mẽbra: ardeat sine causa, & consumit se. In te ergo fiunt ipsæ concupiscentiæ: fatendũ est, fiunt, ideò dixit, ne perfeceritis. Decreuisti: fecere, perfecisti: Perfecisti etenim, si decernas faciendũ esse adulterium: & ideò nõ facis, quia locus non est inuentus, quia opportunitas nõ datur, quia fortè illa casta est, de qua videris esse cõmotus. Ecce iã illa casta est, & tu adulter es. Quare? quia perfecisti cõcupiscẽtias. Quid est perfecisti? in animo tuo faciendũ esse adulteriũ decreuisti. Par. n. est maleficiũ, inquit Philo, patrasse cædem, & decreuisse. Et B. Marcus Eremita: Cui, inquit, est animus aliquid faciẽdi, nec potest, perinde est apud Deum cordis cognitorem, ac si fecisset. Hoc de bonis & malis rebus intelligendum est. Quod pluribus etiam in Homilia quadam persequitur Macarius.

*Rom. 6. Concupiscentia obedire.*

*Gal. 5. Quare prohibet. Paulus perficere carnis desideria.*

*Rom. 7. Perficere quid.*

*De lege spirituali, cap. 15. Philo de confusione linguarum.*

*Macar. ho. 26.*

Hæc est concupiscentia, quæ prohibetur isto præcepto. Si quis vratur, si quis delectetur, non est adhuc reus præcepti huius violati. Siquidem semina ista cupiditatis, quemadmodũ à Basilio quoq; scriptum, & ab eius fratre Gregorio Nisseno repetitum, legimus, primo motu compesci nequeunt, quin etiam occasio potius & materia ad Dei gratiam promerẽdam, exercendamq; virtutem existunt: vt non sine causa dixerit Origenes: sicut caro, si sale non aspergatur, quamuis sit magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuò resoluitur, ac relaxatur. Si verò blandior aliquantulum in ijs mora fuerit, humana tentatio. Cæterùm si ad extremum certa ratione, deliberatione firmentur, etiamsi in actum non prodeant, omninò lætifera iam sunt: Tum enim demum ventum est contra præceptum Dei: Non concupisces. B. verò Ephrem consensus, inquit, pro factis iudicatur. Actionis enim vis & caput in ipso consensu, & proposito situm est, vbi seipsum reprehendit, & peccata sua confitetur. Sic & Anselmus exponens illum Pauli locum: Non regnet peccatum, &c. Nõ ait, inquit, nõ fit, sed, ne regnet. Et si sit peccatum id est, fomes & delectatio peccati, tamen non regnet, id est, non faciat, quod illicitè cupit. Ineft modò peccatum cùm delectaris, regnat si consenseris. Sed quid Anselmum commemoramus, virum excellenti quidem doctrina præditum, sed qui quingentorum annorum ætatem nõ excesserit? Etiam ante mille propè ducentos annos, sic Pauli locum hunc enarrauerunt ante Augustinum Chrysostomus: & post Augustinum eius discipulus Primasius: & qui propemodum fuit illius æqualis Petrus Chrysologus: post hũc Theophylactus, atq; alij non pauci. Libet autem Petri Chrysologi verba adscribere: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit, inquit, non veniat ad vos: non dicit, non prouocet, non titillet, sed non regnet, non dominetur. Confligat, ad vincentis gloriam: dimicet, & decidat ad triumphum victoris, & tandem se doleat impia peccati dominatio à seruis quõdam suis tota securitate calcari: & crudelis tyrannus ingemiscat, subiectum se suorum pedibus captiuorum: ad eorum triumphum, de quibus diu triumphauerat, se veteranus hostis peruenisse deploret. Ad eundẽ modũ Bernardus quoq;: Felix anima q̃ peccatũ sentiens, peccato non consentit: quã & si cogitatio inquinat, ratio lauat pugnãs, & repugnans legi peccati. Molesta lucta est, sed fructuosa: quia etsi pœnã habet, adhibet & coronã: imò quod sentientẽ fatigat, vincentẽ coronat. In hoc. n. conflictu, vbi sensus est, non consensus, nihil damnationis est, iuxta Aplũm, his qui sunt in Christo Iesu. Hoc est quod ab Augustino quoq; dictũ legimus: manere in baptizatis cõcupiscentiã ad Agonẽ: non sibi ad illicita cõsentientibus nihil omnino nocitura.

*Basil. in institutionem illorum, qui vitã cupiunt ducere perfectam.*

*In hom. de resurrectione.*

*Orig. hom. 27. in Numeros.*

*Rom. 6.*

*Vide eundem in lib. de similitud. c. 170.*

*Chrys. ser. 113. Non regnet peccatũ, etc.*

*In lib. de conscientia cap. 1.*

*De peccatorum meritis & remiss. li. 2. cap. 45.*

*In Psalm. 138.*

Sed & vetustior omnib. his Hilarius, enarrãs illud ex Psalmo: Nõ dominetur mei omnis iniustitia. Nõ, inquit, vt à se absit, sed ne dominetur sui, orat: Scit per tentationes ad gloriam perueniri, Ac paulò pòst. Dominationem iniustitię. Propheta metuit, tentationem verò eius non recusat. Gregorius vere Pontifex citãs hęc eadem Apostoli verba. Nequaquam, inquit, peccatum in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatũ est: quo, quia quandiu viuimus, perfectè omni modo nõ caremus, sancta prędicatio quoniam hoc explere plenè nõ potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnũ tulit: vt appetitus illicitus, & si plerũq; bonis nostris cogitationib. occultè se quasi furinserit, saltẽ si ingreditur, nõ dominetur. Dorotheus etiã Abbas: Carere, inquit, omninò affectibus & animi perturbationibus siue passionibus, ferè est impossibile: non operari autem, vt illi volunt & imperare, non admodum est difficile. Ioannes etiam Euiratus quendam Sanctorum dixisse refert: Cùm oramus ad Dominum, dicentes: Ne nos inducas in tentationem: Non vt non tentemur oramus, hoc. n. possibile nõ est, sed ne à tẽtatione absorbeamur, si aliquid agamus, q̃ displiceat Christo: hoc enim est, non intrare in tentationem. Sancti enim Martyres tentati

*Dorot. ser. 1. de obedientia. Cap. 289.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



per supplicia, nec superati, non intrarunt tentationem: sicut neque qui pugnat cum bestia, quousq; non deuoretur ab ea. Cùm verò deuoratus fuerit, tunc intrauit in tentationem. Ita & in omni passione fit. Neq; enim intramus in tentationem, nisi à passione superemur.

*Iob. 7.*

Quæ malum igitur istos agitant intemperiæ? qui tanto priscorum Patrum consensui repugnare, suamq; opinionem, illorum sententiæ anteponere audent? Nam quod Augustino & Primasio in Africa, idem Ioanni Chrysostomo in Thracia, Origeni in Palestina, Hieronymo & Ephrem in Syria, Macario in Ægypto, Basilio in Cappadocia, Gregorio & Petro Chrysologo in Italia, Hilario, Prospero, Aquitanico, & Bernardo in Gallia, Theophylacto in Mœsia, Anselmo in Anglia, & qui sequuti hunc sunt, reliquis deinceps omnibus idem visum est, in varijs orbis Christiani partibus. Sed ipse sensus communis indicat, non prohiberi à Deo pugnam carnis: in qua si quis strenuè se gesserit, coronam assequitur: sed prohiberi, ne concupiscentiæ carnis assentiamur: ne nos ab ea superari patiamur. Vita nostra militia est: Si premit nos hostis, in eo peccatum nullum est, modo ne opprimi nos ab eo sinamus.

*Non concupisces, id est, non diligas quod non oportet.*

Cùm igitur prohibetur concupiscentia, prohiberi videtur mala dilectio, qua diligitur quod diligi non oportet. Vt cùm dixit lex: Non concupisces, hoc velle dicere credenda sit: non diligas, quod diligi non oportet. Non oportet autem diligi, quod vel in Dei cedit iniuriam, vel in proximi detrimentum. Quamobrem omnis iniustitia prohibetur hoc vno verbo, Non concupisces: Nam & si bona concupiscentia quoq; sit, qua spiritus concupiscit aduersus carnem, de qua scriptum etiam legimus: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum: tamen cùm non adijcitur quid concupiscatur, sed sola ponitur, non nisi mala, sicut ab Augustino traditum est, intelligitur. Itaq; non solùm opere, quod non oportet si perfeceris, verùm etiam animum ad perficiendum si adieceris, contra legem hanc peccatum est. Siquidem non tam operi, quàm voluntati præmia sunt à Deo vel supplicia constituta. Ex hac & iustitia nostra & iniustitia pendere videtur. Quòd si voluntas magna est & bona, dilectio vocatur. Diligis quod oportet, iustus es: diligis quod non oportet, iniustus es. Dilectio eius quod non oportet, vocatur cupiditas, vel concupiscentia: dilectio eius quod oportet, vocatur charitas. Pes animæ, dicit Augustinus, rectè intelligitur amor: qui cùm prauus sit, cupiditas aut libido: cùm autem rectus, dilectio vel charitas dicitur: Amore enim mouetur tanquam ad locum quò tendit, Locus autem animæ non in spacio est aliquo, quod forma occupat corporis, sed in dilectione, quò se peruenisse per amorem lætatur. Dilectio autem pernitiosa sequitur cupiditatem: fructuosa charitatem. Vnde & radix dicta est cupiditas. Radix porrò tanquam pes arboris intelligitur. Qui etiam alio loco radices duas esse commemorat, quas attendit Deus. Radix malorum omnium, est cupiditas: radix bonorum omnium, est charitas. Ex hac nihil mali, nihil ex illa boni proficiscitur. Hanc in bonorum Christus, illam in malorum cordibus plantat Diabolus. Et alio loco: Radix nostra, charitas nostra: fructus nostri, opera nostra: opus est, vt opera tua de charitate procedant. Tunc est radix tua in terra viuentium. Extat præclarus Leonis Pontificis sermo de duplici concupiscentia, carnis & spiritus: in quo monet, vt amor prauus recto amore superetur, & delectatione iustitiæ, peccandi cupiditas destruatur. Non attendit igitur Deus id, quod foris apparet, verùm radicem intuetur: vtrum ex cupiditate, an ex charitate facias, solùm id spectandum esse putat. Vsq; eò etiam, vt homicidam laudatum: de eo verò qui misericordia ductus, abstinuisset à cede, pœnas expetitas esse legamus. Phinees vno pugione duos confecerat, commendatus à Domino æterni Sacerdotij testamentum accepit. Non quòd ipsum bonum sit per se homicidium, quod lege prohibitum esse scimus, sed quod illud zelando zeli Dei patrauerat. Ita charitas rem per se malam, fecit esse bonam. Contrà Saul non occidit Agag Regem pinguissimum, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, pepercit, nec voluit ea disperdere. At in tam grauem ex ea re Dei indignationem incurrit, vt cùm dies, noctesq; precibus & lachrymis iram eius placare conatus fuerit, nihil tamen proficeret, neq; pœnam sibi constituam euadere potuit: non quòd malus esset affectus misericordiæ, sed quòd contra Dei præceptum pepercit, deq; rebus Amalec concupiuit. Non est in Phinees, laudatum homicidium, sed charitas, sed zelus. Non est in Saule damnata misericordia, sed concupiscentia, partim laudis, partim rerum optimarum Amalec, de quibus prohibuit Deus, ne quid concupisceret: qui radicem, non qd foris apparet, inspicit. Abominatur omne id, qd ex radice cupiditatis proficiscitur. Contrà quicquid ex radice charitatis procedit, qualecunq; sit de eo mortalium iudicium, Deus tamen qui cor non manum interrogat, grato cumprimis animo id amplectitur. Quod pluribus etiam verbis & exemplis persequitur Theodoretus, explicans illud Oseæ: Dixit Dominus, voca nomen eius Israël, &c. Porrò charitatis radix in hominis corde plantari non potest, nisi prius eiecta sit radix cupiditatis. Hanc euellit Deus cùm dicit, ne cõcupiscas, quo facilius inserere possit radicem illam, ex qua nascitur quicquid est rerum bonarum. Cuius meminit Christus dicẽs, diliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum. Ac præclarè scriptum est ab Augustino, quòd neq; præcipit scriptura, nisi charitatem, neque culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.

*Non concupisces, id est, non diligas quod non oportet.*
*Concupiscentia bona.*
*Sap. 6.*
*Aug. in Psal. 118.*

*In Psal. 9.*

*Radices bonorum & malorum.*
*1. Tim. 6.*
*In Psal. 51. vide eundem ser. 44. de tempore.*
*Ser. 8. de ieiunio septimo.*

*Num. 25.*
*1. Mach. 2.*
*Phinees homicidiũ, cur Deo gratum, & Saulis misericordia ingrata.*

*1. Reg. 15.*

*Deut. 6.*
*Matt. 22.*
*Mar. 12.*
*Luc. 10.*
*Li. 3. de doctrina Christiana, c. 10.*

Ex his colligere licet, quod anteà quoq; copiosè per nos demonstratum est, quod sicut iniustitia nostra cupiditas, sic iustitia nostra non est nisi charitas. Quam si iustitiæ nomine non dignantur hæretici, mirandum non est. Quemadmodum enim scientia, sicut à Philosopho scriptum legimus, non habet inimicum nisi ignorantem: sic non alij magis aduersantur charitati, non alij plus illi modis omnibus detractum cupiunt, quàm qui sunt omnis charitatis prorsus expertes. Cuius generis omnes hæreticos & schismaticos esse iam ex Augustino docuimus. Possunt enim hæretici loqui linguis, possunt habere prophetiam, possunt habere mysteria omnia, & omnem scientiam, possunt habere fidem, ita vt montes transferant, possunt non modò suas facultates omnes in cibos pauperum distribuere, verumetiam tradere corpora sua ita vt ardeãt. Sola est charitas, quam si habere possent, hæretici & schismatici esse non possent. Sola est charitas, quæ sicut Dei filios à diaboli filijs, sic secernit catholicos ab hæreticis, Sola est charitas, per quam retinetur spiritus vnitas in vinculo pacis. Hæc enim est, quæ non modò non inflatur, verumetiam in mortalium animis eam parit modestiam, vt alteri se præferat nemo: quin alterum se, quisq; præstantiorem existimet. Hac se destitutos esse negare non possunt, qui posteaquam segregauerunt semetipsos inflati sensu carnis suæ, nihil sibi non arrogant, nihil alijs non derogant: sibi lumen & intelligentiam scripturarum, sibi pietatem solis ita vendicant, vt qui tot seculis in sancta catholica Ecclesia magna cum pietatis & constantiæ laude vixerunt, eos aut cæcitatis, aut impietatis condemnẽt omnes: qui aut nihil viderint in tam clara scripturarum luce, aut agnitam veritatem, (quod extremæ cuiusdam est impietatis) amplecti noluerint. Hoc igitur ingenio præditi qui sunt, nihil ab illo faciunt alienum, si, quo se defici dono charitatis intelligunt, ei iustitiæ nomen tribui, ferre non possunt. Verùm de his hactenus. Nunc quoniam de interno cultu, quantum præsens tempus postulat, dixisse satis videmur: ad ea quæ de externo cultu dicenda restant, sermonem nostrum conuertamus.

*Charitas facit Dei filios.*
*Ephe. 4.*
*1. Cor. 13.*



*De externo cultu.*

## CAP. LXXXVI.

QVod si nuda mens esset nostra, nec vllo membrorum inuolucro irretita, satis iam de ratione colendi Dei dixisse videri poteramus: nec erat quòd plura scribendi laborem caperemus. Quoniam verò iuncta est & implicata cum corpore, ac illius adminiculo perfæpè mouetur, & nititur ad summum Deum: de eo quoq; cultu paucis differendum nobis restat, qui corpore, quiq; rebus externis exhibetur. Sic enim à Basilio quoq; scriptum legimus. Si extra corpus constituti essemus, necessarium esset, ea tantũ curare, quæ animæ soli optimè cõducerent. Quo niam verò geminus est homo, conuenit geminum esse virtutum studium, quod & corporis laboribus, & animæ exercitijs absoluatur.

*Basil. de vita solitaria, c. 5.*

Ac illud quidem homini Christiano certum & indubitatum esse debet, quòd omnis Dei cultus, omnis veræ pietatis & religionis vis, per quam cum Deo reuera coniungimur, ac illius numini maiestatiq; dediti sumus, in mente & spiritu, & in ipsa intestina voluntate consistit. Quæ voluntas cùm bona & magna est, charitas vocatur: per quam adhærentes Deo, vnus cum eo spiritus efficimur. Hac sola coli Deus maximè gaudet: qui cùm sit spiritus, in spiritu & veritate vult adorari. Nec est alia causa, quamobrem de sublimi cœlo filium suum in hanc lachrymarum vallem demittere, & hoc mortis nostræ corpus indutũ, in terris versari cum hominibus voluit: q̃. vt sicut ipse nobiscũ vna caro, & vnum corpus fieri dignatus est, sic nos vicissim eius, prior dilexit nos, & semetipsum tradidit pro nobis, amore inflãmati, ex illo toti pendentes, in illo acquiescentes, in illius beneficiorum contemplatione omni mente, cogitatione q; nostra defixi, voluntates & actiones nostras oẽs, ad illum, tanq̃ ad vltimũ finem referentes, vnus cum eo spiritus efficeremur. Hic est cultus, quem præcipuè Deus à nobis exigit: quem quantùm diligimus, tantùm colimus. Nam sicut ab Augustino quoq; scriptum legimus: Pietas Dei cultus est: nec colitur ille nisi amando. Cæterùm vbi verus est amor, ne quaquam sic in ipsa mente reconditus & abstrusus esse potest, vt non per signa quædam & indicia se foras proferat, ac ad spectantium oculos traducat. Hinc illę sublationes & deiectiones oculorum, pectorum percussiones, capitum inclinationes, genuũ inflexiones, & hoc genus externæ gestiones aliæ, quæ cæremoniæ vocantur: Quibus vt scribit Augustinus, magis seipsum excitat homo ad orandum, gemẽdum q; humilius atq; feruentius, & nescio quo modo, inquit, cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint: eisdem q; rursus externis visibiliter factis ille interior inuisibiliter, qui eos fecit, auget. Ac per hoc cordis effectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit. Sed hæc, sicut alia externa omnia, ita demũ ad promerendam gratiam, & misericordiã Dei momenti aliquid adferre videntur: si ex ea, de qua iam diximus, intima erga Deum voluntate proficiscuntur: imitationes vt sint, & simulachra animi varios in se affectus erga Deum suscipiẽtis. Sin aũt falsò & per simulationem vsurpata, ficta q; fuerint & ementita, vix esse potest vlla magis nefaria conscelerataq; mentis improbitas. Cùm in rebus huinsmodi, sicut summũ bonũ veritas, ita summũ sit flagitiũ simulatio. Rectè enim ab illo dictum est: Simulata æquitas, duplex est iniquitas. Nec temerè scriptum est ab Hieronymo, q; in comparatione duorũ malorũ, leuius malum est, apertè peccare, q̃ simulare & fingere sanctitatem. Chrysostomus quoq; non dicere non dubitauit: q; oẽs qui per peram agunt, supplicio digni sunt: qui verò simulatione bonitatis ad improbitatẽ tendit, multò grauiori pœna omninò afficiendus. Quæ tamẽ ver ba, nõ de quouis genere simulationis D. Thomas intelligi vult, cùm sit aliud alio pnitiosius. Nã & mendaciorũ diuersa genera, nec æquè pnitiosa sunt omnia. Quãobrẽ talia cẽsentur apud Deũ, q̃ scrutatur corda & renes, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, ista, q̃ foris agũtur, qualis est intus voluntas hominis. Hanc inspicit iustus ille rerũ æstimator, non ea sola, q̃ fiant externè: quæ si spiritu sint & veritate dilectionis destituta, & fucato fiant animo, plus adeò ad prouocandam, q̃ ad placandã iram Dei facere videbũtur. Verum est. n. quod à Propheta scriptũ est: Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Intus videt Christus, intus amat, intus alloquitur: intus, q̃ fiunt, vel punit vel coronat. Sicut à Gregorio quoq; scriptũ legimus. Intus est q iudicat, intus est quod iudicatur. Extat de eo Homilia D. Macarij. Quòd non externa, sed

*Cultus Dei verus in quo consistat.*
*1. Cor. 6.*
*Ioan. 4.*
*Christus cur in mundum venerit.*

*1. Ioan. 4.*
*Ephe. 5.*
*Quantum diligimus, tantum colimus Deum.*

*Aug. epi. 120. c. 18. & epist. 26. & de Trinitate 12. c. 14.*
*Cæremoniarũ vis.*
*Dei cultus quomodo patefiat per exteriora.*
*In lib. de cura pro mortuis gerenda, c. 5.*

*Simulatio summum flagitium.*
*Aug. in Psal. 61.*
*Apoca. 3.*
*Hebr. 4.*
*Li. 6. in Esaiã. c. 16*
*Hom. 24. in Matt.*
*2. 2. quæst. 111. ad Quartum.*

*Psal. 44.*
*Pastoralis li. 1. c. 4.*
*Maca. hom. 24.*
*Mar. c. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sed interna promouent, aut lædunt hominem. Editus est etiam nuper libellus Marci Eremitæ, qui inscribitur, Capitula de ijs, qui putant ex operibus se iustificari, in quo docet in rebus externis non benè fiduciam collocari.

*Cæremoniarum diuisio.*

## CAP. LXXXVII.

*Cæremonia aliæ proficiscuntur ex animo, aliæ ad animũ erigendum referuntur.*

EST autem duplex ordo cæremoniarum. Quædã enim è veritate mentis profectæ, in ipso corpore statim, & in ijs quæ vnita sunt corpori, suscipiuntur: cuius generis sunt preces, Deiq; inuocationes, & ea quæ paulò antè recẽsuimus. Quædam non magis à veritate proficisci, quàm ad illam aspirare videtur: quales illæ sunt, quæ in templis ornatibusq; templorum, in varietate ordinum, in ritu quorundam sacrorum, in cantibus, in vestibus, in festorum dierum celebratione fitæ sunt. Quas qui sumptu suo instituerunt, si non alia re quàm flagranti Dei amore adducti fecerunt, nec alium, quàm laudem illius & gloriam, finem sibi propositum habuerunt, fieri non potest, quin hæc eorum præclara voluntas, cùm primis Deo grata sit & accepta, ac suam apud illum mercedem habitura: sin autem alio respexerunt, quadrabit in illos, quod de hypocritis dicit Christus: Acceperunt mercedem suam.

*Matth. 6.*

*Cæremoriarum instituendarũ causæ.*

Omnis autem tractatio cæremoniarum harum, ad institutionem populi sumpta præcipuè videtur. Est enim eorum pars multo maxima, qui, cum sensibus magis, quàm intelligentia, mentemq; moueantur, suis ipsi cogitationibus ad piè Deum colendum, & eius eximiam benignitatem contemplandam, ac grata quadam recordatione prosequendam, non facilè queunt excitari. Quamobrem fit non rarò, rebus vt his externis, quæ in oculos incurrunt, quæq; sensibus offeruntur, pulsati sæpius, & admoniti, curam tandem aliquam & meditationem homine Christiano dignam suscipiant. Horum igitur vtilitati, cæremoniarum hoc genus institutione, prospectum est maximè. Sumuntur autem cæremoniæ à persona, re, loco, & tẽpore. Et sunt quæ recta ad Deũ ipsum referuntur, cui cultus exhibetur: vt ritus sacrificij: sunt quæ ad homines Deum colentes: vt ieiunia eleemosynæ, orationes, & eiusdem generis exercitationes aliæ, quibus animus hominis ad colendum Deum præparatur: sunt rursus alia, quasi quædam instrumenta diuini cultus: vt sacra vasa, sacræ vestes, chrisma, cereus, luminaria, & id genus alia: Nobis de singulis dicere, rationemve singulorum explicare propositum non est, verùm quæ temporum istorum ratio postulare videbitur, paucis de quibusdam disseremus.

*Cæremoniæ quædã ad Deum, quædam ad homines pertinẽt quædã instrumenta sunt cultus diuini.*

*De Cæremonijs, quæ sumuntur à personis.*

## CAP. LXXXVIII.

*Non omnibus omnia conueniunt. 1. Cor. 14.*

QVæ sumũtur à psonis cæremoniæ, de ijs, quo loco de Sacramẽto ordinis sermo nobis fuit, cùm pleraq; dixerimus, tantò nunc futuri sumus breuiores. Neque enim omnibus in Ecclesia visa sunt omnia cõuenire: neq; fas esse putatum est, vt sibi quisq;, quæ, vellet, sumeret: vtq; legitimè non vocatus, munus aliquod Ecclesiasticum vsurparet: Verùm, quod Paulus diligenter monuit, omni semper studio laboratum est, vt non solùm ordo, verumetiam ordinis ornandi cura retineretur in Ecclesia: vt quid personas, quid loca, quid tempora deceret, etiam atq; etiam circumspiceretur. Non omnes voluit Paulus Apostolos, non omnes Prophetas, non omnes esse Doctores, non omnes Sacerdotes, non omnes Episcopos: non vt sibi quisquam honoré sumeret, sed vt vocaretur tanq; Aaron. Neq; sufficere existimauit, si quis vocatus esset: nus; consideratè statui præcepit. Cui verò manus essent impositæ, signũ id erat, q; non iam vsurpauerit, verũ approbatione Ecclesiæ, & spiritusancto auctore delatũ sibi publicũ in Ecclesia ministrandi munus acceperit. Præcedebant aũt impositionem manuũ, ieiunia & orationes, quib, placatus Deus, gratiã per ea suã ordinandis largiretur: quẽ etiã nunc obseruari morem videmus. Neq; enim ordines, quos maiores vocant, conferuntur, nisi post triduanũ ieiuniũ: in quorũ collatione solennes etiã ritus precationum, chrismatum, prælectionũ, examinum, testificationũ & indumentorum adhibentur. Quæ si minus eodem omnia modo factitata sunt ab Apostolis, magna tamẽ ex parte per mano ab illis tradita retinemus. Quòd si successu temporis adiectũ est aliquid ad ea, quæ temporibus Apostolorum in vsu fuerunt, factum id est, quò religiosiores & augustiores Ecclesiasticæ functiones redderentur: atq; vt ordini publico maiestas quædam diuini spiritus adderetur: ne vel ij, qui manus imponunt, parum essent in legendis ministris circunspecti: vel ij quibus imponuntur, cùm se tanta vident obseruatione receptos, donum suum contemnerent, & parui facerent.

*1. Cor. 12. Hebr. 5.*

*Manuum impositio cur ordinandis adhibetur. 1. Tim. 5. Actor. 13.*

*Ordines cur post ieunium cõferantur.*

*Cælibatus sacerdotũ non est cultus, sed via expeditior ad cultum Dei. Matt. 19.*

Quòd verò non admittuntur ad ministerium Ecclesię nisi cœlibes, non ideò fit, quòd cœlibatus pro cultu Dei habeatur, sicut quosdam hoc tempore somniare videmus: nam & cœlibes reperire licet, cuiuis potius quàm Deo seruientes: sed quòd qui se propter Dei regnum castrauerunt, multò sunt ad colendum eum expeditiores, quàm qui matrimonio sunt irretiti. Quamuis enim nõ eat quisquam inficias, quin honesta sit res matrimoniũ: tamen seculi curis, quamlibet nolentem, inuoluit hominem: quibus quantum additur studij, tantùm sacris rebus deciditur. Testatur hoc Apostolus quoq;, cùm orationes impediri dicit vsu coniugij. Quamobrem vult omnes esse sine solicitudine. Qui sine vxore est, inquit, solicitus est q̃ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mũdi, quo-



quomodo placeat vxori: Et diuisus est. Et mulier innupta, & virgo, cogitat q̃ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Quoniam igitur qui sunt matrimonio irretiti, partem eorũ occupat mundus, partem Christus: dum sic placere Christo satagunt, vt coniugi quisq; suæ, cui debet obsequium, non displiceat, cuius causa mundi curis implicari necesse habet: ideò factum est, vt cœlibes tantùm ad sacerdotium admitterẽtur, quos nihil impedit, quominus omni studio in eam cogitationem incumbant, quomodo sponso suo Christo placere queant: nec est quicquam quod eos ab ipsius iugi cultu remoretur. Qua de re pluribus etiam verbis in Ascetics disserit Basilius: vbi qui Christi militiæ nomen daturus est, eum à matrimonio modis omnibus deterret, ac ad cœlibem vitam amplectendam inuitat. Quo quidem in loco, non modò coniugio interdicit ei, qui Christo stipendia facere decreuerit: verùm & priuatarum facultatum possessionem eum à se relegare, quin & voluntati suæ propriæ renunciare, seq; in potestatem alterius tradere vult: vt sic nudus nudum Christum sequatur, ac non modò nullas facultates, sed ne voluntatem quidem propriam habeat, quò sic ab omnibus mundi curis liber, totus Christo sponso suo vacare queat, illiusq; potestati se, quantus quantus est, suaq; omnia subijciat. Non est itaq; cultus Dei cœlibatus aut monachatus: sed est ad colendũ Deum via quædam expeditior.

*1. Cor. 7. Orationes impediũtur vsu coniugij.*

*Perfectionem Euangelicam docet Basil. in lib. de vita solitaria, cap. 1.*

Quamobrem impudens eorum commentum est, qui monachatum, cœlibatum, votaq; castitatis paupertatis, & obedientiæ, ad idololatriam pertinere dicunt: cùm non aliam sequantur colendi Dei rationem monachi, cœlibes, & votis, quæ iam recensuimus obstricti, q̃ reliqui Christiani omnes. Quod etiam in disputatione illa, quã habuit cum quodam schollastico Marcus exercitor, ab ipso Marco dictum legimus: Monachi, inquit, non sectantur alienam ab Ecclesia doctrinam, sed Christi doctrinam tenere conantur per Apostolum dicẽtis: Hoc sentite in vobis, quod est Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse sæqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum. Vna cunctorum est religio, vna fides, eadem fidei sacramenta, eadem spes, eadem beatitudinis expectatio, eadem charitas, eadem orandi regula, idem ministerium: non alius vt sit monachi, & cœlibis cultus, quàm coniugati, nisi quòd magis ille continuus est, & minus habet interpellationis. Nam quacunque tandem in re verum Dei cultum constitueris, non alius monachi quàm laici, non alius erit cultus cœlibis, quàm coniugati. Quòd si fide, spe, charitate, rectè coli Deum existimauerit, non est alia monachi fides, alia coniugati: eundem Deum colunt, in eundem credunt, ab eodem sperant, eundem diligunt. Sin aũt in contemplando Deo, Psalmis & canticis, hymnis & laudibus prosequendo: si in peccatorum agnitione, in corporis & sanguinis Christi participatione, in eius seruitutis, quæ latria dicitur, exhibitione, cultum Dei situm esse iudicaueris: quicquid tandem illud fuerit, quo verè Deum coli dixeris, commune est monacho & laico, cœlibi & coniugato. Quod verò hic vxoris vsu sibi ipse interdixit: ille verò præter hãc cœlibatus, alias quoq; sibi nouas leges adsciuit: in quas voluntaria primum animi inductione cùm iurasset, earum posteà seruandarum necessitate constringeretur: non alia de causa factum est, quàm vt his tanquàm arctioribus vinculis, in studijs pietatis teneretur, atq; curis alijs omnibus vacuus, tantò liberior & expeditior debitum Deo cultum præstaret: reiectis omnibus ijs, quibus ab eo retardari posset.

*Monachorum eadẽ religio quàm aliorum.*

*Mar. Carm.*

Non est igitur alienus aliquis cultus cœlibatus, aut monachatus: neq; peccat contra primum præceptum, quo deos alienos habere prohibemur, si quis aut cœlibatum, aut monasticæ vitæ genus aliquod sit amplexus. Nam hoc assueueranter dicere, quid aliud fuerit, q̃ vniuersam Ecclesiam iam inde ab Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra, idololatriæ condemnare? Quis enim fuit ex primis illis Ecclesiæ luminibus, qui non aut monachus ipse fuerit, aut in summa veneratione monachos non habuerit? Sunt qui ipsos etiam Apostolos cœnobiorum primos auctores fuisse dicant. Certè cùm Philonis vitam perscriberet Hieronymus, vbi libri meminit, quem de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam Ecclesia scripsit. Apparet, inquit, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt: vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimonia egentibus diuidantur, orationibus vacetur & psalmis: doctrinæ quoq; & continentiæ. Quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes. Quẽ authorem sequutus Cassianus, à Marco Euangelista Monachos normam suscepisse viuendi scribit. Cuius præceptor Chrysostomus eam ad Ioannem Baptistã refert. Verùm vt nihil dicamus de Apostolis, nihil de ijs, q̃ in Ægypto, Thebaide, Syria, Scythia ingenti numero fuere vitã monasticam professi, nihil de Antonijs, Paulis, Hylarionibus, & multis alijs eorum secta toribus: certè B. Ephrem Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, & quàm plurimos alios, qui non doctrinæ magis, quàm sanctitatis nomine cum primis in Ecclesia celebres habentur, monachos fuisse dubium est nemini: qui verò alij monachi non fuerũt, monachos nihilominus recepisse, laudasse, suspexisse. Ex quorum numero Athanasius, quemadmodum à Gregorio Nazianzeno memoriæ proditum legimus, operæpretium se facturum esse putauit, si vitam Antonij Monachi conscriberet: quam nos etiam ab Euagrio quodam Presbytero Latinitate donatam, & in eorum Athanasij librorum numerum relatã videmus, q̃ Coloniæ fuerunt impressi in officina Melchioris Nouesiani, anno M.D.XLVIII. Nã inter ea q̃ sunt à Nannio versa, non reperitur Ambrosius. Ioannes verò Chrysostomus, præterq̃, quòd in quibusdam locis monachorũ institutum in cœlum vsq; laudibus vexit, ac è superiore templi loco suos, vt eorum insequerentur vestigia, diligenter est hortatus: etiã tres libros aduersus vitæ monasticæ vituperatores edidit. Sed & ante Chrysostomũ virtutũ ofsinas, monasteriũ vocauit Ambrosius, ac in Monachorum laudem non pauca scripsit. Idem fecit Gregorius quoq; Nazianzenus. Augustinus ad sonum horum verborum: Ecce q̃ bonũ & gr

*Monachatus.*

*Hier. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.*

*Cassi. li. 2. c. 5. de cœnobiorũ institutione Hom. 1. in Mar.*

*In vita eius.*

*In prin. c. 8. in hom. 34. & ad popu. Antioch. hom. 56. & tribus sequentibus, & hom. 69. & 70. in Matt. & in hom. de comparatione Reg & Monachi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In Psalm. 132.*

& quàm iucundum, fratres habitare in vnum: excitatos fuisse Monachos scribit, qui habitare in vnum cupierunt. Μόνος enim vnus dicitur: Qui ergò sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant: vt sit illis verè, quomodo scriptum est, vna anima & vnum cor: multa corpora, sed non multæ animæ: multa corpora, sed non multa corda: rectè dicitur μόνος, id est, vnus, solus. Meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnũ, sed sequentes Donatum (nunc dici posset Lutherum) Christum diuiserunt. Neq; tamen interea dissitemur, etiam priscis illis seculis non defuisse, qui Monachos multis maledictis & conuitijs insectarentur: aduersus quos etiã tres libros ædidit Ioannes Chrysostomus. Inter quos fuit Eunapius quidam Sophista, vir, si quisquam alius impietate præstans, qui vixit eodem seculo, quo Chrysostomus. Is in libro suo de vitis Philosophorum describens vitam Ædesij, loquitur in hunc modum, templi Serapidis destructionem deplorans. Ijdem illi (eos intelligit, qui templum illud fuerant demoliti) postea in sacra loca inuexerunt Monachos sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita atq; infanda scelera committebant, quibus tamen pietatis pars videbatur sacrifici reuerentiam proculcare. Nam ea tempestate, quiuis atram vestem indutus, quicq; in publico sordido habitu spectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat authoritatem: in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum. Quid igitur dicemus? num Eunapio potius fidem habebimus, quem egregiè nostri temporis hæretici conuicijs insectandis monachis imitari videntur: quàm sancti illis Patribus, quos paulò antè commemorauimus, & eos potius idololatras fuisse pronunciabimus? vt Monachos aliquot Apostatas nostri temporis à periurij crimine, cuius rei sunt, propter votum, quo Deo se obstrinxerunt, violatum, liberemus? quàm Eunapium, quẽ ex professo cultorem Idolorum fuisse constat, cum suis sectatoribus Lutheranis: quem tamen alia nefanda crimina non habuisse videmus, quæ monachis obijceret, quàm quòd sanctis Martyribus, quos impurus & impius ille, flagitiosos seruos vocat: & propter scelerum multitudinem à iudicibus extremis supplicijs affectos fuisse mentitur, debitum honorem præstarent: & eos pro diuis ostentarent, diuinis honoribus prosequendos. Qui, quàm verè dixit, sanctos Martyres flagitiosos seruos, & propter scelera supplicijs affectos fuisse: tam vera sunt, quæ de Monachorum illius temporis vita conscripsit. Nos verò potius Eunapium, quod ipse de se testatur, Idololatram fuisse pronunciabimus: nec alio loco Lutherum habebimus, qui suarum opinionum commenta, tanquam idola quædam adorari cupiebat: & vt se discipulum Eunapij esse declararet, non minore quàm ille Monachos impudentia insectabatur, cum esset ipse Monachus. Sanctorum verò Patrum institutum reuerenter amplectamur. Qui verò discesserunt ab illis, & peruersas Eunapij & Lutheri opiniones, cum de Monachis, tum de sanctis Martyribus suscipiunt, ac tãquam Dei verbum: quod à Luthero dictum est, adorant, quemadmodum ab Idololatriæ crimine defendi possint, non videmus. Verùm nos hic monasticæ vitæ propugnationem non suscepimus. Cùm igitur quantum præsens postulat institutum, de cæremonijs, quæ sumuntur à personis, satis multa dixisse videamur, ad alia properabit oratio.

## *De Cæremonijs, quæ sumuntur à rebus.*

## CAP. LXXXIX.

*Sacrificium propriè Deo debita seruitus*

*Aug. li. 10. de ciui. Dei. c. 9.*

A Rebus quoq; sumi cæremonias diximus: inter quas principem locum obtinet sacrificium: quæ vsq; eò propriè Deo debita seruitus est, vt neget esse quenquã hominum Augustinus, qui dicere audeat, sacrificium alij cuiquam deberi, quàm Domino soli. Nam cùm de diuino cultu multa sint vsurpata, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines nihilominus habeãtur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & adorãdi: Quis, ait, vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Proprius igitur & peculiaris Dei cultus est sacrificium: Quod etiam in libro de victimis Philo testatur. Nam quicunq;

*Sacrificium externũ Satanas cur abrogare conatur.*

Deo cultus alij deferuntur, communes illi sunt cum hominibus. Quæ causa etiam est, quòd eum tantoperè Satanas oppugnat: quòd hac seruitute sublata, sublatum iri quicquid illud est ex rebus ijs, quæ sub aspectum hominum cadunt, quo propriè Deus colitur, intelligit: nullus vt eximius ei præ mortalibus honos habeatur: neq; maior illius, quàm aliorum quorumcunq;, qui dignitate præstant inter homines ratio ducatur. Etiam Augustini seculo persuadere per sua membra Satanas hominibus est conatus, visibilia sacrificia dijs alijs congruere: vero autem Deo tanquàm inuisibili inuisibilia, & maiori maiora, melioriq; meliora: quæ sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia.

*Aug. li. 10. de ciuit. Dei. cap. 19.*

Ac verùm quidem est, quemadmodum ab Augustino dictum, & ab Algero legimus repetitum: quòd inuisibilia maiora, meliora q; sacrificia Deo debentur: sed non propterea visibile sacrificium excludẽdum est, quòd ita signũ est illorum inuisibilium, sicut verba sonantia

*Sacrificium est visibile signum rerum inuisibilium.*

signa sunt rerum. Sicut enim orantes atq; laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse scimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus: quod nisi facti fuerimus, nullam nobis quidem ipsis, visibile sacrificium quod offerimus vtilitatem adfert. Est enim verum sacrificium, sicut ab eodem Augustino scriptum legimus, omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo. Quicquid igitur non eo animo agitur, vt Deo sancta societate adhæreatur, quantum ad hominem sacrificantem pertinet, verùm Deo q; gratum sacrificium non est.

*Sacrificium verum quod.*

*Aug. li. 10. de ciuit. Dei. cap. 6.*

Cùm



*Psal. 72.*

Cùm autem sacrificia multa sint, quibus hoc agimus, vt, quod sibi solum Propheta bonũ esse dixit, Deo adhærere queamus: nullo magis id efficitur, quàm eo, quod Missæ sacrificiũ vocatur. In quo cùm exacta fiat, & accurata cumprimus omnium Christi beneficiorum cõmemoratio, fieri non potest, quin eorum contemplatione mens hominis ardescat, & in eius ineffabilem, incorporeumq; complexum, sancto desiderio feratur, à quo se tot & tantis beneficijs immerentem, quin extrema quæq; supplicia merentem potius, affectam esse perspicit. Scripsit Maximus Monachus libellũ de ecclesiastica Mystagogia, in quo per vnitatis mysterium, quod per Sacerdotem peragitur (sic enim vocare Missæ sacrificium videtur) vnam carnem & vnum spiritum fieri docet, Deum & Ecclesiam. Et illud impleri, quod à Paulo dictum est: Erunt duo in carne vna.

*Missæ sacrificio Deo perfectè adhæremus.*

*Sacerdos quomodo se ad Missam præparare debeat.*

Quamobrem, celebraturus hoc sacrificium sacerdos, illud ante omnia curat, vt sedato prorsus animo, cunctis perturbationibus & seculi curis omnibus vacuo, per summã quietem, sabbatum agat spirituale: quo vacare possit, & videre, quoniam Christus est ille Deus, qui oblato in ara crucis pretiosi corporis & sanguinis sui sacrificio, nos cœlesti patri suo per mortem suam reconciliauit: ex impijs pios, ex inimicis amicos, ex iræ filijs Dei filios & hæredes, fratres autem suos & cohæredes effecit. Qua cogitatione accensus, & se & adstantes omnes, quin & Ecclesiam vniuersam, cuius ad altare stans personam gerit, tam bono, tamq; benefico Deo sacrificium offert: atq; vt ab eo tantoperè amata, tantisq; beneficijs affecta, vicissim illi per dilectionem adhærere, nec vnquam ab eo separari queat, ipsius, qui solus id præstare potest, misericordia perfici petit. Quò magis autem huic cogitationi tota mente vacare, & per eam adhærere Deo possit, membra quoque corporis omnia per id tempus, vt huic vni rei subseruiant, procurat: vt mentis iudicio, voluntatiq; parentia, & illius veritatem ac synceritatem consequentia, eodem, quo mentis cogitatio, motu impellantur, mentemq; tanquàm dominam comitentur: ita vt mentis motum, motio semper corporis assequatur: vt siue animus peccati & culpæ conscius, prosternat se atq; abijciat coram, Deo corpus eundem gestum, eundemq; actum subeat, atq; conficiat: siue agendis pro acceptis beneficijs gratijs mentem ad Deum, cogitationemq; sustulerit, eandem ad Deum sublationem, vultus, oculi, manusq; sequantur: siue quid quoquo modo studeat animus, atq; decernat, quod quidem ad colendum Deum pertinere videatur, repentè tanquàm in speculo, sic in corporis motu, illud intestinum animi consilium, voluntasq; cernatur.

*Sacerdos ad altare & se populũ offert Deo.*

*In sacrificio Missæ præsentes, quomodo affecti esse debeant.*

Sicut autem sacerdos, ad eundem modum affectus etiam esse debet è populo quiuis, qui præsens adest, quoties tremendum hoc à sacerdote sacrificium peragitur: vt & ipse non aliis rebus vacet, quàm ijs, quæ per sacerdotem agũntur, contemplandis: atq; illius exemplo omnibus & animi & corporis motibus in Deum feratur: cumq; verba illa dicentem audierit: Sursum corda, non ore magis quàm intimo corde respondeat: Habemus ad Dominum. Admonentur enim his verbis qui præsentes adsunt, vt, quæ sursum sunt, quærant, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapiant, nõ quæ super terram. Proculitaq; tum facessat ex cordibus hominum carnalis omnis & secularis cogitatio: & in eo toti sint, ad quod sacerdos inuitat: vt quod verbo se facturos promittũt, re præstent: ne, si quis aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habuerit: quod Ananiæ dixit Petrus, sibi quoq; dici audiat: Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non enim es mentitus hominibus, sed Deo, atq; ita magis etiam Deus eum execretur, sicut hypocritas illos de quibus ait: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me. Quamobrẽ, quod lingua profitentur, corda, re ipsa, sursum erigant, vbi Christus est in dextera Dei sedens, ibi mens cuiusq; ibi fixa sit cuiusq; cogitatio, vt cum Paulo dicere possint: Nostra autem cõuersatio in cœlis est, vnde saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Cessent confabulationes, cessent curæ terrenarum rerum, in eo sint hominum animi defixi: quod à sacerdote posteà geri vident, qui populo ad gratias Deo agendas inuitato, quid sit illud pro quo Deo gratias agere debeamus, ostendit: cùm quemadmodum pro nobis passus, in crucem actus, mortuus & sepultus sit, tertia die resurrexit, in cœlum ascenderit, non verbis magis explicat, quàm totius corporis actione repræsentat, ac sub astantium oculos subijcit. In horum igitur tantorum beneficiorum contemplatione defixas tum esse mentes hominum oportet: vt quod esse dignum & iustũ fatemur, Deo pro illis gratias agamus: neq; verbis modò gratam nostram voluntatem declaremus, verumetiam, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: ita nos eius hac tanta dilectione prouocati, vicissim diligamus eum: & exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: ea mente, vt sicut ipse posuit animam suam pro nobis, & nos animas nostras pro nomine illius ponere, ac omnia prius & facere & pati paratissimus, quàm vt vnquam ab illius nos dilectione separari permittamus.

*Sursum corda. Col. 3.*

*Ibid.*

*Actor. 5.*

*Esaiæ 29.*

*Phil. 3.*

*Dignum & iustum est.*

*Ephes. 5.*

*Rom. 12.*

*Ioan. 10.*

*1. Ioan. 3.*

Hoc animo qui præditus est, siue sit sacerdos, siue sit aliquis ex ijs, qui rei diuinæ præsentes interfunt, is demum in odorem suauitatis hostiam acceptam, Deoq; placentem offert. Nam externæ cæremoniæ nullus est eam exercenti vsus, si non sit ex hac intestina voluntate profecta. Falsum est enim, quod filij desertores de matre sua quondam Ecclesia commenti sunt, quasi prædicatum in illa fuerit: valere coram Deo sacrificium sacerdotis ex opere operato sine bono motu vtentis: Cùm Ecclesiæ doctrina cum isto commento pugnet ex diametro. Nam valere sacrificium sine bono motu vtentis, vel sacerdotis, vel populi, non modò docuit in Ecclesia nemo, verùm illud vno ore potius affirmarunt omnes: nisi quis per fidẽ animiq; deuotionẽ fructum illius in se transferre conatus esset: exitio potius illi futurum sacrificium, quàm vtilitatis aliquid allaturum. Quorsum autem admoneret populum sacerdos, vt corda sursum erigerent, si valere sacrificium sine bono motu vtentis persuasum haberet? Vt vel hinc perspicuum cuiuis esse queat, quàm sint ab omni veritate auersi, quos ista

*Phil. 4.*

*Sacrificium sine bono motu non valet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



comminiſci non puduit: cùm tamen auctorem huius commenti proferant neminem. At docuerunt Scholaſtici, Miſſam ex opere operato valere. Docuerunt, verùm illud nuſquam addiderunt, ſine bono motu vtentis: Tum autem, longè alio ſenſu docuerunt, quàm quem-ſtiſibi confinxerunt.

*Opus operatum & operans.*

Quò magis aũt dilucidè cognoſci res queat, libet planiorib. verbis ediſſerere, qd ſit illud quod Scholaſtici docuerunt: vt ſic omnibus iſtorum impia calumnia detegatur. Scholaſtici doctores, rerum quàm verborum ſtudioſiores, hoc habuiſſe propoſitum videntur: vt orationis ornatu neglecto, quo breuiſsimo poſſent verborum compendio rem explicarẽt. Itaque cùm de eo foret diſceptatio, num & mali ſacerdotis Miſſa valeret: quoniam ad remanentius intelligendam, permultum lucis adferre diuiſio conſueuit: diſtinguendum inter opus, & opus eſſe putauerunt: vt aliud eſſe dicerent opus operans, aliud, opus operatũ. Opus operans appellare placuit, ſiue ſacerdotis actionem, quod Anthiſiodorenſi viſum eſt: ſiue ſacerdotem ipſum ſacris operantem: ſic enim loquitur Innocentius: Non ergo ſacerdotis iniquitas effectum impedit ſacramẽti: (ſicut nec infirmitas medici virtutem Medicinæ corrũpit. Quamuis igitur opus operans aliquando ſit immundus, ſemper tamen opus operatum eſt mundum.) Opus autem operatum, rem immolatam. Quid igitur docent cùm ſcribunt, Miſſam ex opere operato valere? Quid aliud, quàm non eſſe perſonam aut actionem ſacerdotis attendendam, verùm ipſam, quæ præſens eſt in altari, rem immolatam: ipſum verum corpus Chriſti, quod pro vobis traditũ eſt: ipſum verum ſanguinem Chriſti, qui pro nobis fuſus eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum? Huius enim corporis pro nobis traditi, huius ſanguinis pro nobis effuſi virtute, non autem merito Sacerdotis, aut actione fieri, vt cum Deo reconciliationem, peccatorum remiſſionem, & ea quæ petimus omnia conſequamur. Quamobrem ſicut nihil refert, calidus ſit an frigidus, qui ignem accendit, & ad vrendum ligna admouet, cùm non quantum ipſe ſed quantum ignis in ſe caloris habeat, impertiat: Sic & in ſacro faciendo, quod ad illos attinet, pro quibus illud facit ſacerdos, non pluri mum intereſt, cuius ille ſit meriti, quando quidem ijs pro quibus offert, non ſuum ille, ſed Chriſti ſanguinis meritum applicat. Quærit alicubi D. Thomas: Nunquid ſacerdos immundus poteſt mundare. Et reſpõdet, quod non, ſi ageret in propria virtute, ſed agit virtute ſanguinis Chriſti, qui eſt ſicut cauſa prima. Potuit ne dici magis pium aliquid, aut veritati Chriſtianæ magis conſentaneum? Quid enim? An non omnem hac ratione fiduciam ab homine transferunt, & in ſola Chriſti paſſione (hoc enim eſt ſacrificiũ quod offerimus) collocari iubent: cum Propheta dicentes: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium ſuum: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Nolunt vt quiſquam in ſanctitate, aut in externo Sacerdotis opere, ſpem ſuam omnem defixam habeat: verùm in agno iſto immaculato, cuius pretioſo ſanguine redempti ſumus. Hic eſt, q tollit peccata mũdi: hic eſt in cuius nomine ſi quid petierimus patrẽ, dabit nobis: hic eſt vnus aduocatus, mediator & reconciliator noſter. Homo ſacerdos, miniſter tantùm eſt reconciliationis: miniſterium enim reconciliationis dedit illi Deus, quemadmodũ à Paulo ſcriptũ legimus: Vera propitiatio pro peccatis noſtris: verus Sacerdos in ęternũ, ſolus ſanctus & immaculatus Pontifex, q & exauditus eſt, & exauditur ſemper pro ſua reuerẽtia, & per quẽ exaudiũtur, quotquot exaudiũtur, eſt ille q per propriũ ſanguinẽ introuit ſemel in ſancta: q ſedens ad dexteram patris, etiam nunc interpellat pro nobis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cuius corporis & ſanguinis Sacramentum cùm præſens adſit in altari: cumq; ſubijciatur ſub oculos aſtantium, quemadmodum ille ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: in huius ſacramenti præſentia, ſicut à ſancto martyre Cypriano ſcriptum eſt, nõ ſuperuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam.

*Opus operans.*
*Anth. 1. in par. ſummæ.*
*Innoc. li. 3. myſterio rum Miſſæ. cap. 5.*
*Opus operatum.*

*In epi. ad Heb. c. 9. Lect 3.*

*Hier. 17.*
*1. Pet. 1.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 5.*
*1 Ioan. 3.*
*2. Cor. 5.*

*Pſal. 129.*
*Heb. 5.*
*Heb. 9.*
*Rom. 8.*
*Heb. 9.*

*Cypr. 8. ſer. de cæna Domini.*

Hoc ſenſu dixerunt Scholaſtici, Miſſam ex opere operato valere, nõ propter ſanctitatem, aut actionem ſacerdotis, ſed propter victimam illam ſalutarem, cuius tum fit immolationis repræſentatio. Quis autem eſt, qui ſenſum hũc cum primis pium eſſe negare audeat? Ne quis aũt ita ſenſiſſe Scholaſticos dubitare queat, ipſa eorum verba ſubiungemus. Ac ventilãr quidem hanc quæſtionem: Vtrum ſacerdotis mali Miſſa tantũdem valeat, quantum boni: Thomas de Aquino: præceptor eius Albertus, Bonauentura, Ioannes Gerſon, Gabriel Biel, & alij nonnulli. Quoniam verò longum eſſet ſingulorum verba recenſere, breuitati ſtudentes, ex Ioanne tantùm Scoto quædam adſcribemus. Miſſa non ſolùm valet, inquit, virtute meriti, ſiue operis operantis, ſed etiam virtute ſacrificij & operis operati: vel, non ſolùm valet virtute meriti perſonalis ſacerdotis offerentis, verumetiam virtute meriti generalis Eccleſiæ, in cuius perſona per miniſtrum communem offertur ſacrificium. Alioqui, Miſſa mali ſacerdotis, qui in illo actu non meretur perſonaliter, ſed demeretur, nulli valeret in Eccleſia: qd reputatur communiter inconueniens: Et rationaliter: iuxta illud Ioannis: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Quandocũq; enim Chriſtus vt ſummus ſacerdos offert, panis quem dat, id eſt, caro eius, eſt mundi vita. Hactenus Scotus.

*Thom. par. 3. q. 82. artic. 6.*
*Alb. li. 4. ſent. diſt. diſt. 13. art. 31.*
*Bon. in 4. ſen. diſt. 13. q. 4.*
*Gerſo. ſer. 2. de die mortuo.*
*Scot. in quodlibet. q. 20. in expoſitione ſacri Canonis Miſſæ. Lectione 26.*
*Ioan. 6.*
*Supra cap. 53.*

Cùm de ſacerdotio ſermo nobis eſſet, docere nos meminimus, quòd ſacerdos nihil aliud eſt, quàm reconciliationis miniſter: fungitur enim legatione, ſiue miniſterio pro Chriſto: & capite, & corpore. In conſecrando ſiue ſanctificando, offerrendo, diſtribuendo, manus, lingua, miniſterium hominis eſt mortalis: verùm ipſa conſecratio, ſiue ſacrificij, oblatio, diſtributio, deniq; virtus omnis, & efficacia, non eſt niſi æterni ſacerdotis illius & immortalis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc igitur in loco Chriſti capitis miniſtrum agit. Cum verò precatur Deum, vt oblationis in cruc factæ, cuius ſit in altari repræſentatio, fructũ ad fideles oẽs redundare faciat, miniſtrum agit Chriſti corporis Eccleſiæ. Scotus igitur hoc dicere videtur ijs verbis, quæ paulò antè per nos adducta ſunt: Siue ſacerdotem conſideres, tanquam Chriſti



Chriſti capitis, ſiue tanquam Chriſti corporis miniſtrum, vtroq; modo valet Miſſa. Nam q ad prius illud miniſterium attinet, non refert quo ſit vitæ merito ſacerdos. Chriſtus eſt. n. ſummus ille Sacerdos, qui ſemetipſum offert: panis quem dat, id eſt, caro eius, eſt mundi vita. Quamobrem non hominis Sacerdotis actio, verùm Chriſti Sacerdotis oblatio, Chriſti caro quam ſemel in ara crucis pro nobis in mortem obtulit, illa eſt vita mundi, illa eſt, per quam ſalutem conſequimur: Hominis autem ſacerdotis nihil aliud eſt, quàm miniſterium. Victus omnis penes carnem illam eſt, quæ cùm propter noſtram ſalutem in cruce pepẽdiſſet, nunc ad dexteram Dei collocata, pro nobis interpellare nunquam intermittit. Rectè enim ab Auguſtino dictum eſt: Qui fuerit ſuperbus miniſter, cum diabolo cõputatur, ſed nõ cõtaminatur donum Chriſti. Quod per illum fluit, purum eſt, quod per illum tranſit, liquidum, venit ad fertilem terram: Puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas: in canali lapideo nihil generans, ſed tamen hortis plurimum fructum adfert. Spiritualis. n. virtus ſacramenti ita eſt vt lux: & ab illuminandis pura accipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. Quod verò ſpectat ad poſterius miniſterium, quo ſacerdos pro Chriſti corpore fungitur Eccleſia, cum primis id optandum foret, vt quibus illa miniſtris vtitur ad iram Dei placandam, eſſent moribus inculpatis: ne, ſi ſicut populus, ita ſacerdos quoq; factus ſit, rectè ad vtrumq; dici poſſit, quod à Propheta ſcriptum eſt: Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiat. Certum eſt enim quod multum valet deprecatio iuſti: neq; temerè dictum eſt ab illo cæco nato, cui Chriſtus oculorum viſum reſtituerat: Deus peccatores non audit, Cæterùm in homine Sacerdote ſacris operãte, ſi nulla ſunt ipſius miniſtri merita, non deſunt tamen eius, cuius eſt miniſter, Eccleſiæ merita: quæ non à maiori quidem, ſed à meliore tamen ſui parte, ſancta dicitur: & regnum ſæpè cœlorum à Chriſto vocatur. Quare cuius oratio priuata nullum pondus habitura, neq; fructum erat vllum allatura (ſcriptum eſt enim: Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis) cùm is oratin Eccleſiæ perſona, quæ in potiore ſui parte ſancta eſt, non poteſt eius oratio nõ ijs, pro quibus orat, eſſe fructuoſa, quamuis ipſi ſacrificanti ſit pernicioſa. Malitia enim miniſtri non impedit bonitatem ſiue bonum opus perſonæ, quæ bona eſt: ſicut ſi bonus aliquis Dominus per manus famuli ſui nequam, eleemoſynam tribuat, non ideò perdit eleemoſynæ ſuæ meritum. Et hoc eſt quod orans dicit Sacerdos Domine Ieſu Chriſte, q dixiſti Apoſtolis tuis: Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis, quæſo, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ. Videntur eiuſmodi non eſſe diſſimiles procuratoribus hoſpitalium aut captiuorum, quibus eorum cõtemplatione pro quibus petitur, largè datur Eleemoſyna: cum tamen ipſis pro ſe petentibus nihil daretur: fortaſſis etiam turpiter abigerentur: cum tamen ipſi nihilominus partem diſtributionis accipiant. Præclarè ſcriptum eſt ab Hieronymo Epiſcopus, Presbyter, Diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Ante quem etiam Cyprianus, Scribæ, & Phariſæi in cathedra Moſi ſedentes, dum agunt, quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis vtũtur, & officium, non vita, tantis effectibus honoratur. Obediunt dæmones exorciſtis: Chriſtum (inquiunt) ſcimus, & Paulum nouimus, & in nomine Chriſti quem Paulus prædicat adiurati, egredimur: vos aũt penitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo quæſtuarij nihil peragũt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur. ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem: & ſiunt in talibus cauſis miniſtri mercenarij ſicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt inſtitores, quarum rectores potius eorum quos ducunt, pecunijs inhiant, q̃ ſaluti: Et tamen mare ſeculi huius neceſſarios habet eiuſmodi tranſuectores: alioqui ceſſabunt commercia, nec ex tranſmarinorum copia, aliorum inopia habebit ſubſidium: nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicula tollantur de inuio, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippè ſæpè malorum miniſteria ſuffragantur. Hæc ille. Scripſit aliquando Leo nonus Pontifex ad Michaelem Conſtantinopolitanum. Quicunq; ſacerdotes, & ſi diſpares ſunt merito, pares tñ ſunt officio. Nec poteſt denegari pro merito, quod debetur officio. Alioquin non ſtaret ſacerdotium, ſi maius aut minus fieret, ſeu variaretur, ſecundum humanorũ varietatẽ meritorũ: eſſentq; penè tot ſacerdotia quot homines.

*Aug. tract. 3. in Ioannem.*

*Eſai. 24.*
*Oſeæ 4.*
*Eſa. 59.*

*Ioan. 9.*
*Eccleſia non à maiori ſed à meliori ſui parte ſancta dicitur.*
*Pro. 28.*

*Hier. li. 5. contra Iouinia.*
*Cypr. in ſer. de baptiſmo Chriſti.*
*Exorciſtæ quæſtuarij nihil ſuo nomine peragunt: ſed Chriſti.*

*Cap. 34.*

Iam ergo quæ Scoti fuerit mens ijs verbis, q̃ per nos producta ſunt, planum ſatisfeciſſe videmur. Neq; verò ſolùm in hac ſententia fuiſſe Scotum aut Thomam exiſtimandũ eſt. Fuerunt etiam Auguſtini ſeculo, qui ſacramenta & ſacrificia ex dignitate miniſtrorum eſſe metiebantur, quibus fierent, affirmarent. Quos, contra Parmenianum, Petilianum, Creſconium, Gaudentium, contraq; Donatiſtas alios ſcribens Auguſtinus, pluribus verbis confutauit. Profere-bat Parmenianus, & Petilianus locum ex Eſaia: Facinoroſus qui ſacrificat mihi vitulũ, quaſi qui canem occidat: & qui ſimilaginem, quaſi ſanguinem porcinum: & qui offert thus, quaſi qui benedicat idolo. Sed hæc Auguſtinus cùm de ſchiſmaticis multò congruentius dici docuiſſet, his deinde verbis vtitur: Si primis temporibus non obfuerunt mali ſacerdotes, vel collegis bonis, ſicut fuit Zacharias: vel popularibus, ſicut fuit Nathanael, in quo dolus non erat: quantò magis nihil obeſt in vnitate Chriſtiana Epiſcopus malus, vel Coëpiſcopis vel laicis bonis, cùm iam ille ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech & Pontifex noſter, ſedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Nec illud bonis obeſt, ſed offerentibus malis, quòd veriſſimè dictum eſt, Dona iniquorum non probat altiſſimus. Et contra Petilianum: Nos dicimus tale cuiq; ſacrificium fieri, qualis accedit vt offerat, & qualis ac cedit vt ſumat, & eos de ſacrificijs talium manducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi ſunt. Itaq; ſi offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuiq; eſſe, qualis quiſq; fuerit. Quia & illud ſcriptum eſt: Omnia munda mundis. Ac paulò pòſt contra Parmenianum ſcribens,

*Sacramenta ex dignitate miniſteriorũ non metienda.*
*Aug. cont. Creſc. li. 3. c. 6. cont. 2. epiſt. Gaudentij li. 2. c. 9. cont. Donat. li. 2. c. 4. & ſeq.*
*Eſai. 66.*
*Cont. Parmen. lib. 2. cap. 5.*
*Ioan. 1.*
*Pſal. 109.*

*Pro. 15.*
*Idem cap. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Eccl. 34.* *Cor. Petilian. li. 2. cap. 52.*

bens, cùm obiectum esset ab eodem, Sacrificia impiorum execratio est Domino. Sacrificia, inquit, impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam vnum atq; idem sacrificium propter nomen Domini quod inuocatur, & semper sanctum est, & tale cuiq; fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ait, alijs, sed sibi. Qui ergò manducat dignè & bibit, gratiam sibi manducat & bibit. Quid aliud his verbis Augustinus innuit, quam quòd alijs verbis dictum est à scholasticis, ex opere operato, non ex opere operantis valere sacrificium siue sacramentum. Idem alio loco: Aduocatorum more accipi dicit Antistites. Nunquid, inquit, si malæ vitæ est aduocatus, contra susceptum eius pronunciabitur? Hoc est officium aduocati, vt secundum iuris ordinem suscepti sui causam peroret. Nunquid poterit vita eius si turpis est, obesse causæ susceptæ? Persona enim aduocati nec obesse nec prodesse poterit: Qualis enim fuerit causa, sic & respondebitur ei. Sic sunt & qui volunt Christiani fieri: accedunt ad Antistitem, dicunt ei vota sua: ille facit verba iuris Ecclesiastici. Si vera vota sunt, suscipiuntur à iudice, in quo ille aut obesse poterit, aut prodesse: quippè, cum nec causam susceptæ sic norit: Deo enim iudici soli cognitum est, quis qua mente attendat. Antistitis ergo est delegato sibi fungi officio: iudicis autem, aut suscipere, aut renuere causam suscepti. Ipse enim inuenitur dixisse: filia, fides tua te saluam fecit. Susceptum hic vocare videtur Augustinus clientem, cuius causam aduocatus tuendam suscepit. Verum est igitur, quod à Nicolao Papa scribitur, q̃ mali bona administrando, se tantummodo lædunt, sicut fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Cum verò idem Parmenianus protulisset ex Euangelio, Deus peccatores non audit, An propterea dicunt hoc, inquit, vt intelligatur malus Episcopus nõ exaudiri, cum pro populo rogat? Quod & si ita esset, non ideò tamen populus, si bonus atq; fidelis est, sollicitus esse deberet: Securos enim illos facit illa scriptura, q̃ ait: Etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Cumq; posuisset de Balaam exemplum: Non mirum est, inquit, si verba, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiam si à malis dicantur Episcopis, exaudiantur tamen: non pro peruersitate Præpositorum, sed pro deuotione populorum. Quid hic aliud dicit, quàm quod posteà scriptum est alijs verbis à Scoto: Sacrificium siue preces, non solum valere virtute meriti personalis sacerdotis, verumetiam virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cuius persona per ministrum communem offeruntur: cuius fidem, non peccata ministri Deus respicit.

*Aug. libro quæstionum in vtrumq; testamentum, quæstione 102.*

*Ibid. cap. 8.* *Ioan. 9.*

*1. Ioan. 2.* *Num. 23.* *Oratio mali sacerdotis pro bono populo exauditur.*

Habemus igitur iam, quæ sit scholasticorum sententia: cum ex opere operato valere Missam dicunt: nimirum eadem quæ quondam Augustini, eadem quæ totius Ecclesiæ Catholicæ fuit, est, & erit semper. Qui verò sensum illis contrarium affingunt, aut non intelligunt ipsi, neq; quæ dicunt, neq; de quibus affirmãt aut extremè sunt improbi: qui dum quàm plurimos à Christi corpore, quæ est Ecclesia, segregare student, quod veritate nõ possunt, eiusmodi conficta calumnia perficere conantur: alienũ prorsus & absurdum, ac minimè piũ illis sensum affingentes. Verùm hæc est potestas tenebrarũ, quibus in hanc cæcitatẽ adducũtur.

*1. Tim. 1.*

*Lue. 22.* *Applicatio sacrificij*

Sed & si quis visus est esse de applicatione sacrificij scrupulus, an ea pro alijs fieri possit, q̃ hæc quæ dicta sunt, iam sublatus esse videtur. Cùm enim isti concedant, tamen propitiatorium Christi sacrificium applicari posse pro alijs, hoc est illud, quod in Missa dicimus applicari. Neq; enim sacerdos in Ecclesiæ persona, cuius minister est, suum cuiquã opus applicat, verum applicat opus Christi: sacrificiũ illud applicat in ara crucis peractum: passionem applicat & mortem Christi, per quã cum patre cœlesti reconciliati, peccatorum nostrorum fimus remissionem consequuti. Huius fructũ vt fideles adipisci, peccatorumq; remissionis & salutis in cruce nobis promeritæ participes fieri queant, Deum patrem precatur, per eum ipsum, qui sacrificium pro nobis factus, morte sua nobis hæc promeruit, Dñm nostrum Iesum filium eius vnicum. Atq; hoc est, quod applicari dicitur, sacrificium. Applicatur aũt nõ viuis magis, q̃ mortuis: neq; præsentibus modò, verum & absentibus: nisi fortè pro viuis tantum semetipsum Christus obtulit, & pro ijs q̃ præsentes tum adfuerunt, & non pro mortuis & absentibus quoq;. Atqui contradicit scriptura, q̃ mundi totius eum asserit propitiationẽ fuisse: & ex persona Dei Propheta: Ero mors tua, inquit, ô mors, & morsus tuus ero inferne. Quid igitur aliud, q̃ Euangelij vocẽ negant, q cum impio Aërio pro mortuis rectè sacrificiũ offerri negant? Non. n. aliam oblationem, sed eãdem quã Christus obtulit, offert in Ecclesia ministerium eius sacerdos, neq; pro alijs, q̃ pro quibus Christus obtulit, & oblatione sua, Dñi mortẽ annunciat, qua redempti sunt oẽs: cui oblationi participant oẽs, q̃ sunt in vnitate corporis Christi mystici, siue superstites in hac vita, siue iam ex ea migrauerint, siue præsentes, siue sint absentes. Quòd si non redemit Christus morte sua Patriarchas, Prophetas, & sanctos alios Patres in se credentes, qui mortem eius præcesserunt: non rectè dicitur pretiũ hoc redemptionis pro mortuis offerre sacerdos. Sin autem redemit oẽs, quemadmodum certa fides est Ecclesiæ, qui sunt isti, q cùm eadem se lingua confiteri profiteãtur, negare tamẽ audent, q̃ Christus obtulit in omniũ redemptionem æquè mortuorum atq; viuorum, id rectè mortuis applicari? Sed isti putant suum opus applicare sacerdotẽ. Videntur Ecclesiæ mysteriorum esse prorsus imperiti, ac vbiuis potius, q̃ in catholica, de ijs quæ pertinent ad fidẽ Catholicã, instituti. Repetendũ est igitur iterũ atq; iterũ, & inculcandum, vt ne sint nescij. Non suum opus, non suam oblationem applicat sacerdos: verùm opus Christi, oblationem illam, qua semetipsum obtulit Christus in odorem suauitatis: cuius fructus vt perueniat cùm ad nos, qui nobiscum adhuc in terris degunt, tum ad illos, qui nos præcesserunt cũ signo fidei, & dormiunt in somno pacis, Deum patrem per eundem Christum precatur.

*Misse sacrificiũ pro mortuis valet.*

*1. Ioan. 2.* *Oseæ 13.*

*Sacerdos non suum applicat.*

Quòd verò seorsum huic applicat, aut illi, nec hoc nouum est: quin iam inde ab Apostolorum



Iorum temporibus vsurpatum. Augustinus oblatum esse scribit pro matre sua sacrificium pretij nostri. Quod etiam pro fratre suo Satyro se narrat Ambrosius obtulisse. Simul & Faustinum quendam hortatur: vt Germanam suam vita functam, non tam deplorandã, quàm prosequendam orationibus existimet, nec mœstificandam lachrymis suis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitretur. Cyprianus antiquior Augustino, negat offerri pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebrari debere, qui excedens ad tutelam aut curam clericum nominasset. Vtroq; vetustior Tertullianus, etiam anniuersariorum meminit, de vxore dicens: Marito superstite pro anima eius oret, & refrigerij interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Et in alio libro: Iam repete ad Deum, pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Meminit in vita Cæsarij, anniuersarij Gregorius quoq; Nazianzenus. Paulinus verò: Rogat Amandum, vt pro fratre quodam, qui maluit ad Dominum debitor transire quàm liber, oret: vt misericors & miseratur Deus, qui facit omnia in cœlo & in terra & in mari, & abyssis, refrigeret animam eius stillicidijs misericordię suæ, per orationem ipsius. Quia sicut ignis, inquit, accensus ab eo ardebit vsq; ad inferos deorsum: ita proculdubio, etiam ros indulgentiæ eius, inferna penetrabit: vt roscido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æstuantes, refrigerentur. Ambrosius, & trigesimum & quadragesimum obitus diem obseruari solitum scribit: atq; vtrãq; obseruationem habere auctoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium. Et B. Ephrem cùm trigesimum diem complesset, sui memoriam fieri petiuit. Et longè vetustissimus omnium Clemens, etiam orationes recitat pro quiescentibus in Christo. Et capite sequenti: Peragatur, inquit, dies tertius mortuorum, in psalmis, in lectionibus, atq; orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit. Item nonus in commemorationem superstitum atq; defunctorum, etiam quadragesimus secundum veterem formam. Mosen enim hoc modo populus luxit, nec non anniuersarium pro memoria ipsius, deturq; de illius facultatibus pauperibus in commorationem ipsius. Extat Epistola Episcoporum Cappadociæ ad Leonem Imperatorem, in qua postea quam defleuerunt multis lachrymis miserabilem cædẽ Archiepiscopi Proterij, addunt & hæc verba: Præcipuè dum quis animo cogitet, quia neq; post mortem defuncto sacrificij oblationem fieri permiserunt, sic illis hæc immanitas omnem aliam immanitatem superare visa est. Quod igitur tanto consensu, tot seculis, quàm latè patet Christianum nomen, obseruatum semper vbiq; locorum fuisse videmus, quid aliud quàm Apostolorum hanc esse traditionem existimare fas est? Sicut existimasse iam antè docuimus Dionysium Areopagitam, Ioãnem Chrysostomum, & Ioannem Damascenum.

*Aug. li. 9. confes. c. 12* *Amb. in orat. funebri de obitu fratris.* *Epist. 8.*

*Cypr. lib. 1. epist. 9.*

*Tertul. de monogamia.* *Tert. de exhortatione castitatis.* *Epist. 1.*

*Amb. de obitu Theodosij.*

*Ephrem in testamento suo.* *Lib. 8. ca. 47.* *Animarum defunctorum memoriæ.*

Verum hæc de sacrificio dicta nunc sufficiant, quæ est vna omnium præstantissima, Deoq; longè gratissima cæremonia: cuius quasi quædam sunt instrumenta, sacra vasa, sacræ vestes, chrisma, cereus, luminaria. Visum est enim ad honorem huius tanti sacrificij pertinere, vt rei tam sacræ etiam instrumenta sacra essent: quorum quædam non nisi legitimè consecratis attingere liceret. Quod & ipsum nouum nõ est: quin ipsis etiam Hieronymi temporibus & multò antè vsitatum. Sic enim ille scribit ad Theophylum Alexandrinum Episcopum: quæ epistola libris eius Paschalibus annexa est, in Latinam linguam ab eo conuersis: Discãt qui ignorant, eruditi testimonijs scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire: sacrosq; calices & sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum dominicæ passionis pertinent, non quasi inanima & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem, qua corpus eius & sanguis, maiestate veneranda. Quæ tamen verba non ita sunt accipienda, quasi res inanimæ, vasa & vestes, gratiam in se suscipiant: quod in hominibus, qui consecrantur, fieri dubium nõ est, sed per consecrationem tamen vel benedictionem, illud efficitur, vt magis idonea reddantur ad cultum diuinum in eis peragẽ dum: sanctaq; propterea dicuntur, siue sacra, quòd posteaquàm semel Deo dicata, diuinoq́ue cultui destinata sunt, iam deinceps in alios vsus quoscunq; ea conuertere non licet. Hieronymi quoq; præceptor Gregorius Nazianzenus: Ne ipsa quidem, inquit, indumenta sacerdotalia, vel ministerij vasa, cuilibet contingere sallem rei sacræ ministerio dicatam, manibusq; profanis, non attrectandam flagitiosis manibus expositi: vel Nabuzardæ coquorum Principi: vel Balthasaro, qui in sacrosanctis poculis nefariè perbachatus est, atq; adeò dignas amentia sua pœnas exoluit. Chrysostomus verò: Etiam priusquam Deo dicarentur sacra vasa, tamen quòd in hunc vsum erant confecta, nequaquam, inquit, ea deinceps quasi prophana intuemur, sed tanquam à Deo facta, nec audent ea temerè attingere: Neq; verò Hieronymi aut Gregorij seculo primum sacris vasis & vestibus, calici præsertim, patinæ & pallæ hic honor est habitus. Propè centum annis antè, Stephanus Papa, idem & Martyr, ad quem extant Cypriani quoque Martyris scripta, ad Hilarium scribens, his verbis vsus legitur: Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusq; diuinus omni cum honorificentia & honestate à sacerdotibus, reliquisq; ministris celebratur, & sacra debent esse & honesta, quibus alijs in vsibus, cum Deo eiusq; seruitio consecrata & dedicata sint, nemo debet frui, quàm Ecclesiasticis & Deo dignis officijs, quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne vltio, quæ Baltazar Regem percussit, super hæc transgredientes & talia præsumentes veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagellum ad ima. Idem in epistola Soteris ad Episcopos Italiæ multò antè. Idem à Sixto Papa, qui fuit sextus à Petro, scriptum legimus, cuius verba hæc sunt: In hac sancta sede Apostolica à nobis & reliquis Episcopis, cæterisq; Domini sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa, non ab alijs quàm à sacratis, Dominoq; dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valdè est, vt sacra Domini vasa, quæcunq; sint, humanis

*Sacrificij instrumenta.*

*Sacra vasa quare sancta dicuntur.* *Num. 4. & Dan. 4.*

*Naz. in Apolog. Chryso. de Anna & Samuelis educatione.*

*Pœna sacra vasa temerè contingentiũ. Dan. 5.*

*Soter. epist. 2.* *Sixt. epist. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vsibus seruiant: aut ab alijs, quàm è Domino famulantibus, eiq; dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus, plagam imponat populo suo, & ij etiam qui non peccauerunt, mala patiantur & pereant, quia perit iustus sæpissimè pro impio.

*Cereorum vsus antiquissimus.*

Cereorum quoq; & luminarium vsus vetustissimus est in Ecclesia. Cùm accenderentur pro Martyrum honore cerei, visum est, Vigilantio minimè ferendum, quòd ea res idololatriam quandam resiperet. Contra quem scribens Hieronymus: Cereos, inquit, non clara luce accendimus, sicut frustrà calumniaris, sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, nec cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum: de quibus verè possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam & Apostoli, quòd periret vnguentum: sed Domini voce correpti sunt. Neq; enim Christus indigebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, deuotioq; eius mentis recipitur: & quicunque accendunt cereos, secundùm fidem suam, habent mercedem: dicente Apostolo: Vnusquisq; in suo sensu abundat. Idololatras appellas huiusmodi homines: Non diffiteor omnes nos, qui in Christum credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur honore cum idolis venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absq; martyrum reliquijs, per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangeliũ, accenduntur luminaria iam Sole rutilante: non vtiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Vnde & virgines illæ Euangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et de Ioanne Baptista: Ille erat lucerna ardens & lucens: vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te, vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Hactenus Hieronymus. Qui laudat etiam Nepotianum, quòd Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum cõciliabula diuersis floribus, & arborum comis vitiumq; pampinis adumbrauit. Ex quo colligere licet, minimè nouum esse, quod nunc in templis frequentari videmus. Meminit cereorum & Prudentius in Hymno de B. Laurentio. De Melano verò scribit Zozomenus, quod inuentus fuerit, lychnos Ecclesiæ, tanquam extremus minister parans, lucernasq; portans. De Narcisso narrat Eusebius, quòd cum aliquando solennes Paschatis vigiliæ celebrarẽtur, oleum ministris defecerit, ob eamq; causam vniuersa multitudine contristata, Narcissus luminarium ministris præceperit, vt aquam è vicino puteo haustam ad se deferrent. Quo confestim facto, super aquam orauerit, illamq; lucernis fide in Dominum syncera infundi iusserit. Sic diuina virtute naturam aquæ in qualitatem olei esse mutatam. vel ex hac historia liquere potest, quàm sit vetustus luminarium vsus in Ecclesia, cùm Narcissus vixerit ante annos plus minus mille quadringentos.

*Rom. 10.*
*Matt. 26.*
*Rom. 14.*
*Cerei accensi cur Euangelij lectioni præferantur.*
*Matth. 25.*
*Luc. 12.*
*Ioan. 5.*
*Psal. 118.*
*Hiero. epist. 3.*
*Zozome. lib. 6. c. 13. eccle. histo.*
*Euseb. lib. 6. cap. 9. eccle. hist.*

*Aquæ benedictæ vsus.*
*Alexand. epist. 1. ad omnes Orthodoxos.*
*Hebr. 9.*
*2. Reg. 4.*
*Matth. 9.*

Aquæ verò benedictæ vsus, ab ipsis Apostolorum temporibus ortum habere videtur: Siquidem, qui fuit quintus à Petro Pontifex Romanus Alexander, his verbis illius meminit. Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt ea cunctis aspersi purificentur & sanctificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat, multò magis aqua sale aspersa, diuinisq; precibus sacrata, populum sanctificat atq; mundat. Et si sale aspersa per Elisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis diuinis precibus consecrata, sterilitatem rerum aufert humanarũ, & coinquinatos sanctificat, atq; mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat: & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutijs homines defendit. Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris saluatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis virtute sacrorum eius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? Et qui præcessit hunc Pontificem Clemens, formam, & aquam, & oleum benedicendi tradidit hanc: Do mine Sabaoth Deus virtutum, creator illarum, & dator olei, misericors & benigne, qui dedisti aquam ad potum, & mundiciem, oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ: ipse quoq; nunc per Christum sanctifica hanc àquam, & hoc oleum, in nomine eorum, qui attulerunt, & da virtutem sanctificatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibus insidijs aduersariam, per Christum, qui est spes nostra, quo cum tibi gloria, honor & cultus cum sancto spiritu in secula, Amen. Meminerunt autem consecrationis aquæ, Basilius, & qui libenter sequitur eum, Ambrosius. Et ante vtrumq; Cyrillus Hierosolymitanus. Theodoretus in Ecclesiastica Historia scribit, Apameæ aqua benedicta dæmonem esse fugatum. Itidem de Iosepho Scythopolitano scribit Epiphanius, quòd insanum hominem aqua consperſum ad sanitatẽ reuocauit, & incantamenta quædam aspersione aquæ dissoluit. In Concilio Carthaginensi, cui præfuit Cyprianus sedatus à Tiburbo: Aqua, inquit, in Ecclesia, sacerdotis prece sanctificata, abluit delicta.

*Benedictionis creaturarum forma.*
*Clemens constit. Apostolic. li. 8. c. 53.*
*Basi. de spiritu sancto cap. 5.*
*Ambr. de Sacra. lib. 2. cap. 7.*
*Lib 5. cap. 21.*
*Hæres. 30.*
*Catechesi. 4.*

Sed nobis hoc loco de singulis cæremonijs, quæ sumuntur à rebus, dicere propositum non est: cùm præsertim copiosè de ijs multa sint ab alijs perscripta. Ante annos centum prope septuaginta, scripsit octo libros ea de re Guiliel. Durandi Episc. Miniacensis, quibus ritum dedit, Rationale diuinorum: quem totidem annis præcesserit Rupertus Abbas Tuitiensis, cuius extant de diuinis officijs libri duodecim. Editus est etiam non ita pridem in lucem opera viri pij & docti Ioannis Cochlæi, liber Amalarij Treuerensis Archiepiscopi, de officio Missæ,

*De cæremonijs qui scripserunt.*



Missæ, ante annos septingentos & amplius scriptus, in quo multa reperire licet, ad hoc argumenti genus pertinentia. Scripsit eadem de re ducentis ante Amalarium annis Isidorus, cuius & duo libri extant de diuinis officijs. Editum fuit & à Ioanne Bellero Antuerpiæ anno 62. Rationale diuinorum officiorum Ioan Belethi, qui vixit anno 1165. Frederico primo Imperatore. Nuper etiam æditus est liber eadem de re ante 300. ferè annos à Guiberto de Tornaco, de officio Episcopi inscriptus. Inter eas autem res, à quibus cæremoniæ sumuntur, recenseri possunt & ea, quæ ad orationes, eleemosynas, & ieiunia pertinent. Verùm alio loco strictim ea de re breuiterq; nonnulla dicemus, neq; enim huius est instituti, omnia quæ dici possunt, perscribere.

## *De Cæremonijs, quæ sumuntur à loco.*

## CAP. XC.

*Templa. Sepulturæ.*

A Loco quoq; sumuntur cæremoniæ. Nam oraturi ad templa conuenimus, quę sunt ædes, Deo solenni ritu consecratæ. Quin & corpora nostra, non nisi in templis aut certè in cœmiterijs, quæ & ipsa consecrantur, sepeliri volumus. Præcipuè verò tremendum illud sacrificium alibi, quàm in æde Domino sacrata, peragi, per sanctorum Patrum canones non licet. Neque verò nouum hoc est institutum: nam præterquàm quòd in veteri quoq; lege tabernaculi per Mosen, ac templi per Salomonem constructi fuit vsus, etiam Petrum & Ioannem in templum Hierosolymitanum ascendisse legimus, ad horam orationis nonam. Quibus autem in locis Euangelium Apostoli prædicabant, nominatim autem in Asiæ, Syriæ, Æthiopiæ & Indiæ ciuitatibus: quin & apud ipsos Antropophagos, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, & Andream, templa, & quidem maxima construxisse tradit Nicephorus: quos eadem illa consecrasse quoque dubium non est, vt in alios vsus ea transferri fas non fuerit. Etiam si primus Higinus, referente Gratiano, & ante eum Iuone templorum, vel vt ipse vocat basilicarum consecrationis mentionem facere videatur: qui fuit octauus à Petro Pontifex Romanus, iuxta supputationem Eusebij in Chronicorum libro: vt Apostolicum hoc institutum fuisse minimè sit ambigendum. De Constantino scribit Eusebius, quòd is templum Saluatoris extructum Hierosolymis, consecrandum curauit. Cuius rei meminit etiam Athanasius, in secunda Apologia. De Basiano narrat Ambrosius, quòd is idem fecerit de basilica, quam condiderat Apostolorum nomine. De Basilio Ancyrano refert Zosomenus, quòd conuocaret ad consecrationem Ecclesiæ, quam ædificauerat, multos vicinorum locorum Episcopos. Legimus apud Athanasium, quòd in Beryto Iudæi conuersi, rogarant Metropolitanum, vt Synagogam suam Ecclesiam consecraret, in honorem sancti Saluatoris mundi. Et ex tunc, inquit, per diuersas orbis nationes, mos inoleuit, vt basilicas plurimas vel oratoria Pontifices in honorem sancti Saluatoris condere, & dedicare non desinant. Queritur idem Athanasius, inter alia crimina sibi obiectum fuisse, quòd in magna Ecclesia Synaxis habita sit prius, quàm dedicaretur, quodq; illegitimæ preces ibi fuerint concepte. Ex quibus verbis facilè cuiuis perspicere licet, quæ fuerit opinio priscis etiam illis temporibus, de consecratione siue dedicatione templorum, cùm illegitimæ preces conceptæ, putarentur in templis non consecratis. Philo quoq;, qui fuit Apostolorum æqualis, scribit hoc de viris Apostolicis: quòd habuerint sacra domicilia, quæ σεμνεῖα siue monasteria vocabant: in quibus manentes, honestæ ac sanctæ vitæ mysteria celebrabant, nihil illò infelicius, nec potum, nec cibum, nec aliud quicq̃ eorum, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt: sed leges & oracula Prophetarum & hymnos, ac reliqua eiusmodi, quibus scientia & pietas augescunt & consummantur.

*Templorum antiquitas & vsus.*
*Exod. 26.*
*3. Regum 6.*
*Actorum 3.*
*Niceph. lib. 2. c. 39. 40. & 41.*
*Eccles. hist. Grat. de consecrat. li. 1. ca. Omnes.*
*Iuon. lib. 2. decret.*
*Euseb. li. 4. de vita Constantini.*
*De Basiano.*
*Amb. lib. 1. epist. 5.*
*Zosi lib. 4. cap. 13. eccle. histo.*
*Atha. in lib. de passione imaginis Do. mini nostri Iesu Christi. In priore apologia ad Constantium.*

Ac illud quidem dubium non est, quantùm ad ipsum Deum attinet, nihil referre, quo in loco colatur: qui cùm sit corporis expers, nullis finibus circumscribitur, nec loco clauditur vllo: Quod nec ille ignorabat, qui templum illi fabricatus: Si cœlum, inquit, & cœli cœlorũ te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui tibi? Cæterùm quòd in templis potius orationes, præsertim verò sacrificia peraguntur, hominum id causa constitutum est, quorum ingenium est, eorum præsertim qui sunt de vulgo, quæ peruulgata sunt, minorum vt eorum rationem habeant: quin ea despicatui ducunt. Si quæ verò solenni ritu propriæ diuinæ rei faciendæ dicata sunt & consecrata, nescio quomodo maiore quadã habentur à multis in veneratione. Si videmus ad Regum & Principum venerationem permultum facere, si domos habitent, quàm reliqua multitudo, magnificentiores: si vestes etiam induti sint splendidiores. Visum est igitur ad multitudinis maiorem erga Deum reuerentiã excitandam, non parùm interesse, vt ædes certæ constituerentur, in quibus res alia nulla fieret, præterquàm quæ ad colendum Deum pertineret: quin & vasa, quemadmodum anteà commemorauimus, & vestes, & ministri quoq; peculiares ei rei designati sunt. Deinde verò cùm precipuus Dei cultus, in eo charitate prosequendo consistat, (nihil autem amatur, nisi cognitum, sicut ab Augustino quoq; scriptum legimus) omni certè studio laboratum oportuit, vt clarum omnibus & illustre Dei nomen redderetur, vt ne quem latere posset, quantis ille beneficijs mortalium genus affecerit, quò sic illis commemorandis, ad colendum, hoc est, amandum Deum, facilius homines accederentur. Postulabat itaq; ratio, locus vt alicui designaretur, in quo beneficia Dei quàm maximè clara, testataq; cunctis redderentur, cui rei non alia domus visa est magis idonea, quàm ea ipsa, quæ rebus diuinis faciendis esset dicata, quarum non postrema pars est verbi Dei prædicatio.

*Templa quare constituta.*
*3. Regum 8.*

Neque dubitandum est, quin gratiores Deo sint preces, & ad impetrandum quod velis

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Preces quæ fiunt in templo, sunt Deo gratiores.*

ficaciores, quæ fiunt in templo Deo consecrato, non solùm propter loci reuerentiam, Sicut Salomon quoq; petiuisse Deum legitur: Sint oculi tui aperti nocte ac die super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem serui tui, & populi tui Israel in loco isto, verùm etiam quòd cùm coijt cœtus omnis, & aggregatur ad Deum, cùm quasi manu

*3. Reg. 8.*

*Tertul. in Apolog. cap. 19.*

facta precationibus ambiunt orãtes: grata est hæc vis Deo, sicut scribit Tertullianus: quodqúe singulis petentibus negaturus fortè fuerat, multorum vnanimitati precãtium ferè tribuit. Fieri nãq; dicit Ambrosius, Ecclesiæ contemplatione, vt quod alicui Dominus negare

*Amb. lib. 5. in Luc.*

posset, ignoscat, certum vt sit, quòd maiore cum fructu Deo supplicatur in Ecclesia, quàm quouis in alio priuato loco. Quamobrem & æqualis Ambrosij Chrysostomus: Quod quis

*Hom. 4. in 2. Thes.*

apud seipsum precatus accipere non poterit, hoc cum multitudine precatus accipiet. Quare? Quia etiamsi non propria virtus, tamen cõcordia multum potest: Vbicunq;, inquit, duo vel tres congregati fuerint, &c. Quare de duobus dixit? Etenim si vnus alicubi fuerit in no-

*Chry. ad pop. Antio. ho. 70. & de incom prehensibili Dei natura hom. 3.*

mine tuo, quamobrem & non illic es? Quia omnes simul esse volo, & non diuelli. Quod his etiam verbis testatur alio loco: Et domi quidem orari potest, sic autem, vt in Ecclesia nõ po-

*Acto. 12.*

test: vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita, Dominum per te solus orans, audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta, vnanimitas & consonantia, charitatisq; vinculum & sacerdotum orationes. Propterea nãque sacerdotes proposíti sunt, vt multitudinis orationes cùm sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes pariter cum illis in cœlum ascendant. Si namq; Petrum Ecclesiæ adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit: quomodo tu ipsius potentiam contemnis?

*Chry. hom. 3.*

Quin & alio loco, vbi tractat de incõprehẽsibili Dei natura. Fieri non posse dicit, vt domi tã benè quis oret, quàm in Ecclesia: quod pluribus etiam verbis inibi persuadere conatur. Be-

*Basi. de Baptismo ser. 2. cap. 8.*

atus quoq; Basilius æqualis eius, eadem de re disserens. Nobis quoq; periculum est, inquit, malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maximè si sacerdotij mysteria in locis prophanis celebrauerimus: propterea quòd ea res iudicium haberet contemptus in celebrante: offendiculum quoq; generaret pro varietate affectionum multifaria, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem. Si verò quisquam obijciat. Quid

*1. Tim. 2.*

igitur est quod Apostolus dixit: Volo viros precari in quouis loco, ob id quòd Dominus ip-

*Ioan. 4.*

se potestatem dedit orandi Deum in omni loco, vbi dixit: Neque Hierosolymis posthac, ne-

*Orare in omni loco quomodo intelligendum.*

que in monte isto adorabitur pater: hoc dicendum est, quod illud in omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis vsibus, rebusq; immundis & prophanis deputati sunt, sed dilatat ac deducit ad orationem Dei, ab arcto ac Hierosolymæ ambitu, in omnem totius orbis locum.

His verbis indicare Basilius videtur, non sic accipiendum illud esse, quod dicit Paulus in omni loco: qua si passim in prophanis quibusq; locis Deus adorandus, Deoq; sacrificia sint offerenda, quod tamen vbique mente fieri potest: sed quòd non solùm in templo Hierosolymitano, aut in monte Garizin, verùm in quouis alio loco, ad colendum Deum propriè designato preces, supplicationes, & sacrificia fieri possint, vt quod à Christo dictum est: Venit hora, quando neq; in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis patrem, & *Deut. 22.*: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: noquaq; per hæc verba templa Deo deprecando dicata, videantur exclusa: sed cùm Iudæi contenderẽt, nusquam adorari Deum oportere, præterquam Hierosolymis in templo, quasi Deus alibi non audiret vota deprecantium: contrà Samaritani negarent eum vsquam adorandum, nisi in monte Garizin, quòd is locus à Mose decretus esset, vbi Patriarchæ benedicerent populo seruanti mandata Dei, hoc dicere voluisse Christus intelligendus sit: futurum non ita multò pòst, vt, & Samaritanorum impius cultus aboleretur, & Iudæorum carnalis religio transferretur: ac antiquatis vtriusq;, plus & verus cultus, nempe spiritualis, in eorum locum succederet: quo non in hoc monte, quasi conclusus in eo credatur, qui non solùm huius montis, verum etiam totius orbis Deus est & Dominus: nec Hierosolymis, quasi non alius ad orandum patrem sit locus aptus & idoneus: verùm quàm longè, quamq; latè pateat orbis vniuersus, in omnibus terrarum locis templa Deo piè colendo fabricarentur: in quibus ipsi pij templa Deo facti non iam in externis tãtùm ritibus, quemadmodum à Iudeis est factitatum: verùm spiritu Deum & veritate sint adoraturi, nimirum fide vera, charitateq; non ficta: vt quicquid externorum rituum adhibitum fuerit, ij nihil aliud, quàm certa quædam indicia sint huius fidei, charitatisq; futuræ. Est quidem ita, quòd in omni loco Deum adorare fas est: qui non locum, vt scribit Chrysostomus, sed mentem requirit feruidam. Verè namq; dixit Ambrosius: Non locus orationem commendat, sed deuotus animus. Et eum secutus Augustinus, magis valere petentis affectũ dicit, quàm petitionis locum. Et aliquot seculis ante Clemens Petri successor: Si propter infideles, inquit, ad Ecclesiam iri non potest, domi cœtus congregabis, ô Episcope, non enim locus sanctificat hominem, sed homo locum. Sic Hieremiam in cœno, sic Danielem in lacu, sic Iob in sterquilinio iacentem, sic Ionam in ventre cœti, sic latronem in cruce pendentem, sic Ezechiam in lectulo decumbentem, sic Paulum in carcere clausum, Deum deprecatos, & ab eo legimus exauditos. Sed si illam ipsam mentem feruidam ad locum sanctum, ad cõgregationem sanctam attuleris, certum est & indubitatum, quòd ex tali mente profectę preces multorum Deo gratiores, & ad quiduis impetrandũ futuræ sint efficatiores. Quamobrem facere prorsus oportet hominem non Cyclopicum, vt vel festis saltem diebus templa Deo consecrata ingressus, ad sanctorum se cœtum aggreget, & cum illis puras manus leuet, Deumq; cum sibi, tum Ecclesiæ vniuersæ propitium reddere conetur, ac quæ sit illius voluntas, ex ore sacerdotis accipiat. Quam ad rem pluribus hortatur diuus Clemens Petri successor his verbis: Quomodo non hostis Dei habendus est is, qui in temporalibus diu, noctuq; est occupatus, æterna verò cõtemnit? ac balnea quidem, & caducũ cibũ quotidie frequẽtat, quæ

*De vnitate Ecclesiæ, c. 16.*

*Amb. in 1. c. ad Rõ.*

*Deus vbiq; adorari potest.*

*Lib. 8. cap. 40.*

*Const. Apost.*

*Hier. 38.*

*Dan. 6.*

*Iob 2.*

*Ionæ 2.*

*Luc. 23.*

*Esa. 38.*

*Acto. 16.*

*Lib. 2. cap. 64. constit. Apo.*



quæ verò perpetuò manẽt, non curat? Quomodo non dicet Dñs huic: Iustificatæ sunt gẽtes suprate: quemadmodũ Israeli improperans dicebat, Iustificata est Sodoma ex te. Nam si gentes de somno quotidie excitatæ concurrunt ad Idola', vt illa venerentur, & priusquã opus actionemve aliquam instituant, illis supplicant, & à festis celebritatibusq; eorum se nõ subducunt, sed ijs sunt intenti non solùm indigenæ, sed etiam qui longè absunt, atq; in Theatra tanq; Synagogas conueniunt. Eodem modo qui frustra Iudæi nominantur, post sex dierum cessationem, septimo die in Synagogam conueniunt, & vacationis Synagogæq; suæ rationem habent, (qui tamen in sua infidelitate virtute verbi sunt priuati, prætereà verò ipsius nominis, quo appellantur, vim proprietatemq; amiserunt: Iudas enim confessio est: ij autem non sunt confitentes Deo, cum Christi passionem per scelus effecerint, vt per pœnitentiam salutem adipiscantur) stigitur qui non saluantur in ijs, quæ sine fructu faciunt, sunt assidui: tu qua excusatione veteris cum Deo, qui Ecclesiam eius derelinquis: nec genus imitaris, sed eo derelinquis, vel quia te das ignauiæ, vel quia deficere cogitas, vel alicui malo studes. In eãdem sententiam pleraq; dicit & in eo quod præcedit, & in eo quod sequitur capite.

*Divina temporalibus intenti linquentes reprehẽduntur. Matt. 11.*

Neq; verò sine causa, loca eiusmodi Deo consecrata, vocãtur Ecclesiæ. Etsi enim quæ proprie dicitur Ecclesia, constat ex viuis lapidibus, ex hominibus in Deum credentibus (idem enim Græcè sonat vox hæc, quod Latinè cœtus vocatorum) tamen quoniam in eum locum conueniunt, qui vocati sunt ad spem cœlestis hæreditatis consequendæ, locum ipsum eodẽ nomine, quo cœtum in eo congregari solitum appellare visum est. Quisquis igitur ex vocationem se quoq; pertinere testatum omnibus faciat. Quoniam verò non est quòd quisquam speret fore, vt inter electos censeatur, qui non sit è cœtu vocatorum: vel hoc ipso nomine facere quisque debet, vt libenter in hoc vocatorum cœtu versetur, quo possit in electorum numerum aggregari: cùm præsertim cœtus hic in terris adhuc militantium, ad agendas Deo gratias, & laudes illius prædicandas coactus, imago quædam sit illius iucundissimæ, & eius quidem sempiternæ consolationis beatorum spirituum, in cœlo triumphantium, & absq; vlla intermissione Deum laudantium: vt qui ad eam peruenire vult, cœtũ hunc in terris agentium frequentare opus habeat, atq; hic illud incipiat meditari, quod erit illic sine fine faciendum.

*Loca Deo consecrata, cur vocentur Ecclesiæ.*

*1. Pet. 2.*

Porrò congressus istos non est existimandum tantum ad Euangeliũ audiẽdum fieri oportere: vt eo audito, subitò quisq; è templo se proripiat: neq; sibi quicq; prætereà in eo negocij esse putet: sed sic Euangelium audiendum est, vt simul orationi vacetur: cui rei magis etiã, quàm audiendo Euangelio, templa dedicata videntur. Domus mea, dicit Dominus, domus orationis vocabitur: non prædicationis aut auditionis. Hinc est quòd Græci quoq; templa vocant, εὐκτήρια, siue προσευκτήρια, Latinè dicere possis oratoria, non prædicatoria vel auditoria. Sicut apud Eusebium, Socratem, & Sozomenum videre licet. Non quòd non rectè prædicetur & audiatur in illis Dei verbum, sed quòd orationibus Deo placandis magis propriè sunt destinata. Verum est, quod à veritate dictum est, quòd vnus est Magister noster in cœlis. Quos enim hic Magister Spiritus sanctus intus non docet, indoctos remanent. Siquidem forinsecus magisteria, sicut ab Augustino scriptum legimus, adiutoria quædam sunt, & admonitiones: cathedram in cœlo habet, qui corda docet: qui nisi loquatur nobis intus, frustrà foris verba perstrepunt: quæ haud aliter se habent ad mentem hominis, quàm quemadmodum ad arborem agricola. Forinsecus is operatur, adhibet aquam, & culturæ diligentiam: verùm adhibeat ille forinsecus quæcunque velit, nunquid poma formet? nunquid nuditatem lignorum vestit vmbra foliorum? nunquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed quis agit hoc? docet nos Apostolus, dicens: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Cùm itaq; sonos tantum verborum ab homine Magistro percipiamus, res autem ipsas veritate intus docente cognoscamus, quid aliud faciendum nobis restat, quàm vt ad illum qui cathedram habet in cœlo, confugiamus, illum, vt nos intus doceat, precibus fatigemus, quò & cognoscere voluntatem illius, & eam cognitam explere simul queamus. Quam autem causam esse dicemus aliam, quamobrem parentum nostrorum memoria multos videre licuerit, nõ magis ad audiendũ promptos, quàm ad obtemperandum Dei mandatis paratos, cùm nunc auditores plurimi, factores verò propè nulli reperiantur: nisi quòd illi, cùm sonum verborum hominis à superiore loco Dei voluntatem in Ecclesia annunciãtis percepissent, nequaquam ea vna re contenti fuerunt: verùm, sicut antea quoq; commemoratum à nobis est, ad eum qui cathedram in cœlo collocatã habens intus docet, supplices confugerunt, eiusq; fidem implorarunt: vt & sanum eorum, quæ à ministro verbi dicta essent, intellectum præsta ret, & ad explendam Dei voluntatem vires suppeditaret: illud quod ab Augustino in locis aliquot scriptum est, subinde repetentes: Da quod iubes, & iube quod vis.

*Templa magis orationi quàm prædicationi initio extructa.*

*Matt. 21.*

*Oratoria.*

*Euseb. lib. 7. cap. vlt. lib. 8. c. 2. & lib. 9. cap. 10.*

*Eccl. hist. & li. 3. de vita Constantini.*

*Socr. li. 2. c. 10. lib. 4. c. 7. li. 5. c. 7. & 20. li. 7. ca. 23.*

*Sozom. lib. 7. c. 20.*

*Matt. 23.*

*Aug. in epist. Ioan. hom. 3.*

*1. Cor. 3.*

*Aug. li. 10. confes. cap. 29.*

Atque vt alibi, quàm in templo, preces ad Deum rectè fundi possint, probanda tamen est illa Felicis Papæ sanctio, ante mille annos lata, quòd sicut non alij quàm sacrati Domino sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre: sic nec in alijs, quàm in sacris locis Missas cantare, aut sacrificia offerre licebit. Ac paulò superius: Satius est, inquit, Missam non cantare, aut nõ audire, quàm in illis locis vbi fieri non oportet: nisi vt sæpè dictum est, pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas non habet legem. Vndè scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Quem qui præcesserit eiusdem nominis Pontifex propè ducentis annis: Mandamus, inquit, vt super memorias martyrum Missę celebrentur, ne memoria eorum à talibus extingui, aut veneratio possit prohiberi. Quod in concilio quoque Laodicensi inter hos duos Pontifices interiecto, ad eundem modum constitutum legimus:

*Fel. in epist. ad omnes episcopos cap. 1.*

*Missa solum celebranda in loco consecrato.*

*Deut. 12.*

*Fel. epi. 2. cap. 58.*

& postea

Universidad de Deusto
Biblioteca



& posteà in concilio Cabilonensi, vbi eiusdem Laodicensis concilij fit mentio. In suis quoq; contractioribus regulis Basilius: Quemadmodum inquit, ratio non admittit, vt commune vas in sancta loca inferatur: ita neq; permittit, vt sacra in prophanis ædibus celebrentur. veteri instrumẽto apertè ex præcepto Dei nihil tale fieri permittente, dominoq; dicente. Tẽplo maius quid est hic. Et Apostolo: An domos non habetis ad manducandum & bibẽdum? Quid dicam vobis? Laudabo ne vos in hac causa? Non laudabo: & quæ sequuntur. Nec commune conuiuium in Ecclesiam inferendum, neque dominicam cœnam in priuatis ædibus contemptui exponendã esse, ex his docemur: nisi quis in articulo necessitatis delegerit puriorem locum, aut domum tempore accommodo. Nobis quoq; periculum est malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maximè si sacerdotij mysteria in locis prophanis celebrauerimus, propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoq; generaret pro varietate affectionum multifaria, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem. Si verò quispiam obijciat. Quid igitur est quod Apostolus dixit? Volo viros precari in quouis loco, ob id quod Dominus ipse potestatem dedit adorandi Deum in omni loco, vbi dixit, neq; Hierosolymis posthac, neq; in monte isto adorabitur pater? Hoc dicendum est, quod illud in omni loco non comprehendit eos locos qui humanis vsibus, rebusq; immundis & prophanis deputati sunt. Sed dilatat ac deducit adorationem Dei ab arcto Hierosolymæ ambitu, in omnem totius orbis locum. Et secundum prophetiam, hostiam eum qui diligenter ac studiosè ad sacerdotium glorioſi mysterij obeundum propensus est, Deo dicare oportet.

*Basi. q. 310.*

*Missa sine necessitate in locis prophanis fieri non debet.*

*Matt. 8.*

Quamobrem qui nulla necessitate adacti in illis ipsis locis, vbi potatur, sæpè saltatur, peregrætur, sacrificium hoc tremendum peragi iubent, nulla ratione iustam reprehensionem effugere possunt. Qui si hunc honorem habendũ Deo nõ putant, vt in domum Dei, domum orationis conueniant, quæ non alij rei, quàm Deo placando sacrata est, neq; submissum pij Centurionis illius animum imitari volunt, qui se iudicabat indignum, sub cuius tectũ Christus intraret, sed quali pro imperio Christum ad se venire iubent: multò rectius facerent si ab audienda Missa abstinerent, quæ prophanari certè videtur, cum in prophanis ædibus extra necessitatem celebratur. Nam & in Parisiensi Concilio quod ante 700. annos habitum est, scriptum legimus: Satius est illius Missam non audire, quàm eam vbi non licet, nec oportet audire. Quamobrem excuterent isti pigritiam, fastumq; suum abijcerent potius, ac quantacunq; dignitate præditi sint, ita tamen se superiorem esse Deum sibi persuaderent: vt cum illo comparati, ne sint quidem: aut si quid sint, cinis & puluis sint. Qui hanc animi submissionem ad orandum Deum non adfert, inane sacrificium, inanis est illius omnis oratio.

*Lib. 1. c. 47.*

*Mendici apud templa cur assideant & quorum nos admonere debeant.*

*Palladi. in vita Eleemonis monarchi, qui fuit 115.*

*Ex mendicorum intuitu, qualis doctrina petenda.*

Quam vt inuitarentur homines, illud quoq; moribus est receptum: quod suo quoq; seculo in omnibus magnis ciuitatibus fieri solitum fuisse scribit Palladius. vt pro foribus templorum eos, qui varijs morbis confecti, membris etiam suis mutilati, ac ad extremam egestatem redacti sunt, collocarent, qui quasi communes quidam hominum præceptores essent, per quos vt nec secundis rebus efferrentur, nec aduersis frangerentur, admoneri possent. Nihil æque Deus odit atq; superbiam: quam si secum aliquis, templum ingrediens, adferat: tantum abest, vt placatum sibi Deum reddat, maiorem etiam vt illius indignationem provocet. Assident, igitur isti foribus diuinarum ædium, vt cùm oculos in eos nostros defixerimus, admoneamur fragilitatis nostræ: nos ijsdem quibus illos casibus obnoxios esse recordemur. Placet sibi quisquam, quòd ætate florenti, quòd forma præstanti, quòd valetudine sit firma: cùm in hos aspexerit in vestibulis templorum iacentes: fieri non potest, quin ætas demittat ilicò: animo secum repetens, ex ijs fuisse quosdam, quos cùm æque Deus ijsdem corporis bonis aliquando cumulauerit, nunc tamen squalidi sint, deformes, & grauibus totius corporis doloribus miserandum in modum oppressi. Tumet aliquis diuitijs & potentia: fortasse inter eosdem reperiet aliquem, qui cùm & ipse locuples aliquando fuerit, neq; secundas res moderatè ferre potuerit, eò tandem calamitatis recidit miser, vt mendicare stipem cogatur. Itaq; vicissitudinis rerum humanarum commonefactus, de fastu suo permultum remittet, dum quod huic accidit, sibi quoq; euenire posse putabit. Atq; hæc quidem doctrinę cuiusdam sunt & admonitionis, sed & consolationis ex illis plurimum capere licet. Accidit cuipiam præter volũtatem aliquid: ac q̃ leue est illud si cum istius casu, stipem pro foribus templi mendicantis conferatur. Non est eo loco quo velis valetudo tua: at huius miseri morbus prorsus est incurabilis. Facultatum tuarum grauem aliquam iacturam fecisti: ac huius est multo grauior, qui ne panem quidem habet, quo vitam sustentare queat, nisi tua benignitate sit adiutus: non murmurat tamen, non maledicit, non aliquod impatientis animi signum dat, sed ærumnam suam æquo fert animo. Nunquid ea res non nègnam dolori nostro leuationem adfert, si quem ex rebus contra voluntatem nostram fluentibus accepimus, ac nos ad agendas Deo gratias excitat? qui quamuis pro paterno suo in nos animo castigandos nos esse putauerit, suæ tamen misericordiæ non est oblitus: neque nos extrema illa calamitate afficere voluerit, qua miseros istos, pro foribus iacentes Ecclesiæ, premi videmus. Admonet præterea nos calamitosorum hic aspectus, vt ipsi propensos animos ad misericordiã adhibeamus, & singularẽ Dei misericordiam & benignitatẽ admiremur. Nã si Deus istos non aspernatur, neque pudet eum ipsorum, quòd suæ domus vestibulis affident: multò minus te fas est carnem tuam & membra tua despicere, neque eis qua possis ratione subuenire velle. Simul considera quàm sit longè diuersa ratio eius, quam possidet Rex mortalis, & eius aulæ, quam sibi consecratam habet immortalis ille Rex Regum, & Dominum dominantium. Illic omnia fastus, hic humilitas omnia. Non licet illic videre, nisi auro & gemmis ornatos, & pretiosis vestibus indutos: huius contrà aulici pannosi sunt, situ squalloreq́ue obducti, quorum sedes & collectio modò non admonitio quædam est ad hominum genus: præclaram illam vocem edens: Nihil humana sunt omnia, fumus & vmbra sunt. Si bonum essent diuitiæ, Deus ante vestibula sua pauperes non collocasset: Quos propter eam causam ibi collocasse videtur, vt quemadmodum qui ad hominẽ Regẽ adire vult, prius se in alicuius, q̃ sit ex illius comitatu, familiaritatẽ insinuat, & eũ officijs, obsequijs liberalitateq; sua sibi demereri conatur, quò per eum & aditus faciles, & aures Principis benignas habere queat: sic qui vult in Dei domum ingredi, ac orationem ab illo suam exaudiri, prius aulicos ipsius, qui pro foribus eius assident, sibi conciliet, ac memor illius quod scriptũ est: Non apparebis in conspectu meo vacuus: eos muneribus deliniat: certò persuasum habens, quod sibi factum Deus interpretatur, quicquid ex minimis istis vni factum fuerit: ac deliniti is illis tum primum accedat cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, qui cum dixerit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: non potest quod promisit, non præstare. Itaq; non dubitauit dicere Ioannes Patriarcha Alexandrinus, qui meritò appellatur Eleemosynarius: Quos vos, inquit, pauperes & mendicos appellare soletis, eos ego dominos meos & adiutores nomino. Nam ij soli mihi possunt opem ferre, vt à Christi regnorum excludar. Quem sequutus Abbas Odo, cuius vitam descripsit eius discipulus Ioannes Monachus: Cæcos & claudos ore iucundo dicere solebat, paradisi fore ianitores, atq; ea causa neminem eos repellere debere ab ædibus suis, ne ab illis quandoq; paradisi fores illi præludantur. Quod si quispiam è famulis nostris, eorum non ferens importunitatem, aspere eis responderet, aut solita beneficia celeriter non conferret, grauiter eum obiurgabat, accitisq; illis coram eo dicebat: Cùm venerit iste ad ostiũ paradisi, fac ei similiter. Cæterùm frustrà misericordiam expectat à Deo, qui prior in proximum vsus ea non fuerit: erga quem qualem se quisq; præstiterit, talem Deum erga se vicissim experietur: qui misericordiam se velle, non sacrificium, disertis verbis pronunciat. Quisquis igitur quod vult Deus, Deo negat: quod ipse dederat, à Deo sibi vult negari. Est in cœlis misericordia, quemadmodum à Propheta dictum est: Domini in cœlo misericordia tua: ad hanc non nisi per terrenas misericordias peruenitur. Vocat igitur Chrysostomus eos, qui pro foribus Ecclesiæ sedent, stipem à nobis mendicantes. Medicos vulnerum nostrorum: non solùm quòd fastui plerunque nostro medentur, quod graue vulnus est animæ, quod q̃ si quem ex rebus aduersis dolorem accepimus, ei consolationem adferunt: verumetiam quòd per eos peccatorum nostrorum remissionem consequuti, grauibus eorum morbis liberamur. Verba Chrysostomi hæc sunt: Nisi essent pauperes, peccatorum difficilè sarcinam poneres: Medici illi sunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita Medicus, vt medicamẽta imponat, extendens manum curationem exhibet, sicut pauper, abs te vt accipiat, porrigent manum. Dedisti pecuniam, & peccata simul exuisti. Ad eundem modum Petrus quoq; Chrysologus: Manus, inquit, pauperis est gazophilacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terrã, vt accipias cœlũ: da nũmum, vt accipias regnũ, da micã vt accipias totũ. Sed quid horũ opus est proferre testimonia, quibus referti sunt sanctorũ omniũ libri? Dixit ipse Christus: Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Quem locũ producens Maximus Taurinensis Episcopus: Ita eleemosyna, inquit, extinguit peccata, quemadmodum aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauachrum, vt si fortè quis post baptismum humana fragilitate deliquerit, superest ei, vt eleemosynis emundetur: sicut ait Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi q̃ salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quàm lauachrum. Lauachrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Omnia, inquit Basilius, locum hunc enarrans, q̃ per rapinã & auaritiæ studiũ peccamus, & malè agimus. Addit paulò post: Non q̃ per se ista ad mundationẽ sufficiant, cum principaliter opus sit misericordia Dei & sanguine Christi: in quo & aliorum omniũ redemptionem habemus, si in vno quoq; in eodem libro Basilius, opera iustitiæ, peccato opposita. Verbi gratia: Rapuisti aliena, non modò rapere deinceps desine, verumetiã cum Zachæo dic: Ecce dimidium bonorum meorum Dñe, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Est igitur eleemosyna cum primis ad id, quod velis, impetrandum necessaria. Scriptum est enim: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna: Oratio pulsat, ieiuniũ impetrat, eleemosyna accipit. Hæc tria vnum sunt, ac sibi inuicẽ vitam dant. Orationis anima, ieiunium: ieiunij vita est eleemosyna siue misericordia: ita sibi cõnexa hæc sunt, vt rectè separari nõ possint. Quamobrẽ reprehendi meritò sunt, qui, per quos ad misericordiã prouocamur, pauperes & calamitosos homines, à templi, quæ domus est & aula Dei, foribus, procul arcere conantur, cũ non hanc ex illis vtilitatem tantum capiamus, q̃ nos ad præstãdam misericordiam, quam præstari nobis à Deo velimus, inuitãt: verùm etiam & vicissitudinis rerum humanarum, casuumq;, quibus subiecti sumus, admonemur, & in rebus aduersis non parum ex eorum aspectu consolationis capimus. Retinendus est igitur laudatus Ecclesiæ mos, vt pro foribus domus Dei pauperes excubent: atq; ibi misericordiam ab ijs, qui Deum sui misereri cupiunt, expectent.

*Vide Chry. hom. 67. ad pop. Antioch.*

*Mendici quare ad fores templi posiii.*

*Exod. 23.*

*Matt. 25.*

*Heb. 41.*

*Matt. 5.*

*Misericordiam à nobis postulat Deus.*

*Simeon Metaphrastes in vita eius.*

*Surius Tomo 6. in vita eius.*

*Oseæ 6.*

*Matt. 9.*

*Psal. 35.*

*Chry. in primo ad Tim. hom. 14.*

*Mendici sunt medici vulnerum nostrorum.*

*Eleemosyna delet peccata.*

*Chry. ser. 8.*

*Basi. in regulis constit. quæ. 27.*

*Restipiscentiæ fructus, qui.*

*Quæst. 281.*

*Luc. 19.*

*Tob. 12.*

*Pauperes à foribus templi procul arcere conantes reprehenduntur.*

Et quamuis rectè quouis in loco preces ad Deum fuduntur, rectè tamen & illud creditur quod quæ cum reliquo cœtu piorum in sacris ædibus fiunt orationes, multò sunt efficaciores. Rectè & illud à sanctis Patribus constitutum obseruatur, vt tremendum sacrificium nõ alibi, q̃ in Deo sacratis templis offeratur: ad quod celebrandum, & homines & vestes & vasa & locus requiritur sacer, vt nihil ibi fit quod non verbo Dei sanctificatũ sit, quò sic maiore in dem ita, quòd vbique Deus est: verùm non vbique tamen æqualiter operatur, Misericordia Domini plena est terra: Sed in scripturis tamen legimus, quòd certa loca suis operationibus delegerit: exauditioni templum Hierosolymitanum: arcam miraculis, piscinam, pro-

*Orationes in templo efficaciores.*

*Loca Deus sibi eligit.*

*Psal. 32.*

*3. Reg. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iosue 3.*
*Ioan. 5.*
*Templi arcæ & piscinæ prærogatiua.*
*Iosue 6.*
*Iosue 4.*
*Ioan. 5.*

probaticam ægrorum solatio. Templum quidem eo dignatus est honore, vt si quis etiam exul ad illud versa facie oraret, exaudiretur: quod priuilegium nulli alij loco concessum esse legimus. Arcæ porrò tantam virtutem esse voluit, vt ea præsente funderentur hostes, Hiericho corrueret, & Iordanis retrorsum conuerteretur. Piscinæ verò probaticæ prærogatiuam hanc fuisse nobis Euangelium indicat, vt qui primus in eam descendisset, quocũq; tandem affectus esset morbo, statim ab eo liberatus discederet. Nunquid parem vim ad sanandum aliæ quoq; vulgares aquæ habuerunt? Sic Deus, cuius misericordia pleni cœli, plena est & terra, nullo vt loco circumscribatur: certa tamen loca esse voluit, in quibus manifestius virtutem suam declararet. In templo Deus olim responsa dabat, in templis Angelos videre licuit, quos inibi etiam habitare vel illud nobis esse documento potest, quod à Iosepho memoriæ proditum est, cùm iamiam Hierosolymitanum excidium instaret, Angelos audi-

*Angeli in templis habitant.*
*Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. cap. 11.*

tos esse, qui dicerent: Recedamus ex his ædibus.

Sed hæc dicet aliquis veteris testamẽti fuisse, nec ad nouum pertinere quicquam, in quo Samaritanæ disertis verbis dictum legimus: Mulier, crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Atq; ille ipse, qui hæc dixit, noui testamenti mediator & auctor, templo tantum honoris habuit, vt cùm eijceret ex eo vendentes & ementes, domum illud sui patris vocauerit. Nunquid non totus mundus domus est illius, qui dixit: Cœlum & terram ego impleo. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedũ meorum? Et tamen domum sui patris peculiare modo quodam templum Christus appellauit. Quin & in ipsis templis arcano quodam & imperscrutabili Dei iudicio fieri videmus hoc ipso gratiæ tempore, vt terribiliora in vno sint, quàm in alio Dei opera. Sic ab Augustino factum legimus, cùm quidam ex eius sodalitio iuuenis graue quoddam Presbytero crimen intentasset, nec res euidentibus argumentis aut refelli posset, aut coargui, quòd iusserit ambos ad locum sanctum (his enim verbis vtitur) peregrinari, nimirùm eum, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum erat, vt ibi ad confessionem, vel pœnæ miraculo vel timore compellerentur. Ac mox ea verba subijcit Augustinus: Vbiq; quidẽ Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia: & eũ à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet, & coronet, verumtamen ad ista q̃ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, &c. Ac paucis interiectis, mentione facta de miraculis, quæ Mediolani fierent apud memoriam sanctorum: Nunquid, inquit, non & Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dixit: Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum: ita nec in omnibus memorijs sanctorum ista fieri voluit, q̃ diuidit vnicuiq; propria prout vult. In vita Hilarionis scribit Hieronymus, certamen inter Palæstinos & Cyprios fuisse: dum hi corpus, illi verò spiritum eius habere se iactarent. Et tamen in vtriq; locis, inquit, magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri: forsitan quia prius illum locum dilexit.

*Matt. 21.*
*Hier. 3.*
*Esai. 66.*
*Opera Dei in vno loco quàm in alio terribiliora.*
*Epist. 137.*

*Loca dilecta miraculis.*

*1. Cor. 12.*

Quare minimè nouum, ac iam inde à multis seculis in orbe Christiano receptum est, q̃ propter admirabiliores Dei operationes, vnus locus alio sanctior habitus, & à pijs hominibus magis est frequentatus. Qui scripserunt Ecclesiasticam historiam, Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alij ante mille ducentos, quin & ante mille trecentos & amplius annos, & Hierosolymam, & ad Martyrum sepulchra, religionis ergò peregrinationes etiam ex voto susceptas esse, memoriæ prodiderunt. Quas adeò non contemnandas putauit Ioannes quoq; Chrysostomus, vt diceret, cùm in vinculorum, quibus ligatus erat Paulus, laudẽ erupisset: Vellem nũc locis in illis versari, quibus vincula illa manent, & cathenas videre, quas timuerunt quidem dæmones, & horrent, & Angeli venerantur. Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpusq; robustum haberem, nequaquam peregrinationem tantam facere recusarem, quo cathenas saltem viderem, & carcerem, quo Paulus vinctus est. Et in Homilia quinta ad Populum Antiochenum, scribit, in Arabiam quosdam abire solitos fuisse, vt simum in quo sederat Iob, cernerẽt, & terram oscularentur, quæ illius victoris certamina & cruorem, omni auro pretiosiorem susceperit. Prudentius de Hiemetrio & Chelidonio loquens: Illitas, inquit, cruore sacro, nunc arenas incolæ confrequentant: obsecrantes, voce, votis, munere. Exteri nec nõ & orbis, huc colonus aduenit. Hieronymus verò: Adorare, vbi steterunt pedes Domini, partem fidei esse dicit, & quasi recãtia natiuitatis & crucis, ac passionis videre vestigia. Idẽ Eusebiũ Cæsariensem sequutus, de Alexandro Capadociæ Episcopo scribit, quòd sede sua relicta, profectus fuerit Hierosolymã, sacra loca visendi causa. Plura vide in epistola eiusdem ad Marcellum. Idem de Theodosio Cœnobiarcha scribit Simeon Metaphrastes, & de magno Euthymio Cyrillus, & de Porphyrio Gazæ Episcopo Marcus, & de Theodoro Sycerorum Archymandrita, Gregorius Presbyter eius discipulus, quem sub Heraclio Imperatore, ter sacra loca inuisisse scribit. Et æqualis eius Hieronymus: Non aliter, inquit, affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi vt loca, in quibus corporaliter præsens fuit CHRISTVS, videant atque contingant, possintq; & suo fructu dicere: Introiuimus in tabernacula eius, adoramus vbi steterunt pedes eius. Si ergo religiosa cupiditas est loca videre, in quibus CHRISTVS ingressus, & passus est, & resurrexit, & vnde conscendit, & aut de ipsis locis exiguum puluerem, aut de ipso crucis ligno, aliquid saltem, festucæ simile sumere & habere, benedictio est. Meminit idem semel & iterum peregrinationum & magni concursus hominum, qui fiebat ad sepulchrum sancti martyris Felicis Nolani. De Basilio quoque narrat Amphilochius, quòd semel & iterum Hierosolymam orationis gratia fuerit profectus. De Philoromo scribit Palladius, quòd

*Peregrinationes Deo non ingratæ.*
*Euseb. li. 1. c. 11.*
*Socr. lib. 7. c. 47.*
*Soz. li. 2. c. 14. & lib. 4. ca. 5.*
*Theo. li. 8. de curatione Græcarum affectionum.*

*Chrys. hom. 3. de beato Iob.*

*Peristephanon, Ode 1.*
*Ad desiderium.*
*De viris illustribus*
*Eusebius.*

*Vide Tom. 5. Vitarum quæ collegit Alloysius Lippomanus.*



quod is pedestri itinere venit Romam vsq; ad orandum in martyrio sanctorum Petri & Pauli. Peruenit aũt etiam vsq; ad Alexandriam cum vouisset in martyrium venerandi Athletæ Marci: ac dignus (inquit ibidem Philoromus) habitus sum, qui voti gratia bis proprijs pedibus veni Hierosolymam ad honoranda loca sancta, & ipse mihi suppeditaui impensas. Testatur idem Palladius in vita Ruffini, suo seculo multos voti causa venire solitos Hierosolymam. Simeonem Priscum, qui sextus est eorum Patrum, quorum vitam conscripsit Theodoretus, sic loquentem inducit: Nos erramus per hanc solitudinem, in mõte Synai, cupientes adorare Deum vniuersorum, in quo cum seruo suo Mosi apparuisset, dedit legum tabulas. Non quòd existimemus Deum esse loco circumscriptum: audimus enim eum dicẽtem: Cœlum & terram ego impleo. Sed quoniam ij qui ardenter amant, non solum eos qui amãtur, desiderant, sed etiam illis loca grata sunt & iucunda, in quibus ij fuerunt præsentes, & in quibus versati sunt. Idem de Petro loquens, quem nonum numerat: Venit, inquit, in Palestinam videndi gratia, vt cum vidisset loca, quæ susceperunt salutares passiones, in ijs Deũ adoraret, non vt qui loco circumscribatur: sciebat enim eius naturam non posse circumscribi, sed vt pasceret oculos eorum spectaculo, qui desiderantur. His enim qui amore alicuius, quem prosequuntur, est à natura insitum, vt non ex solo illius aspectu capiant voluptatem, sed & domum, & vestes, & calceos contemplentur, cum magna lætitia. Eusebius Emissenus in Homilia, quam scripsit de sanctis Martyribus Ephipodio & Alexandro: postquam dixit, quod plurimæ populorum Ecclesiæ etiam illa sanctificatione contentæ sunt, quam de angelicis membris, sacri amictus, vel duri cathenarum nexus contingendo rapuerint: vt quid fuit instrumentum pœnæ sit glorię testimonium, & dolor martyrij transeat ad insigne meritorum, Paucis interiectis, de fructu peregrinationis ad ea loca vbi sunt passi sancti Martyres, præclarè disserit in hunc modum: Et quidem beati Martyres, quorum preciosus puluis per diuersas vsquequaq; regiones, in populorum disseminatur salutem, plenum quocunque loci cultum de honore Dei impensa sibi religione suscipiunt: & quanto celebratum fuerit fide ditiori, tanta erit gratia celebritatis acceptior, sed absque dubio multò eis gratius, multò iucundius est, si eos ibi potissimum feruor excolat pietatis, vbi super eos furor incubuit passionis, si illic eis supplicationum sacrificia deferantur, vbi in Dei sacrificium prolis profudit immanitas, si denique eo Christiani nominis inimicus, vbi credidit interemptos, illic videat consecratos. Dulcius, inquam probatur obsequium, si ibi eos laudum consors incubuerunt, si illic eis vota fundat prædicanda posteritas, vbi innocentem sanguinem celebret benedictio, vbi super eos tribulationum defuit magnitudo, si inde inuocentur in suffragium, vnde primo resurrectionis signo euocabuntur ad præmium, quæ cum ita sint charissimi, ad tenendam fidem, ad excolendam religionem, non nobis aliqua de longinquo sunt expectanda documenta, paternis instruimur magisterijs, ac domesticis admonemur exemplis. Num nobis id cor nostrum clamat cognati viua vox sanguinis? Discite, inquit, ex nobis fidem quærendo acquirere, viuendo excolere, moriendo seruare: discite plus peccatum timere, quàm gladium, discite propter vitam magis iustitiam amare, quàm vitam, fidemq; & timorem Dei, quem nos in media belli tribulatione seruauimus: obseruate, ne vos in pace vel pacis securitate perdatis. Cauete ne vitam bonam, si quando subditam afflictionibus videritis, miseram iudicetis, cauete ne in arena mundi, in qua ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis. Beatitudo parari hîc potest, non potest acquiri: non hîc quæras, quod hîc nullus sanctorũ consummatus, vel consummato labore, nullus confessor obtinuit: non hîc quæras, quod hîc nec Christus inuenit, si mundus pacem haberet, gloriam martyres non haberent, si examinatio non præcederet, tribulationis periret occasio.

*Hier. 23.*

*Euseb. Emiss.*

Ante annos plus minus septingentos, fuit Claudius quidam, qui peregrè proficiscentes ad sepulchra sanctorum Martyrum ridebat, eum in eorũ, quos de cultu scripsit imaginum lib. 3. grauiter confutauit vir doctus Ionas Episcopus Aurelianensis. Verùm in hoc genere, non tam labor ipse peregrinationis attenditur à Deo, quàm affectus. Quemadmodũ dicit ille, affectus tuus operi tuo nomen imponit. Si quis charitate erga sanctum aliquem inflamматus, & virtutum illius amore ardens, visat reliquias illius, & osculetur, non potest hîc affectus Deo gratus non esse. Sed hæc obiter.

*Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 27.*
*Sozo. eccles. hist. li. 9. cap. 9.*

De Christianorum templis siue basilicis, refert Augustinus, & in Ecclesiastica quoque historia scriptum legimus, quod etiam ab immanibus barbaris tantus olim illis honor habitus fuerit, vt quisquis ad ea confugisset, is ab hostium insultu liber esset. Et extat Imperatoris edictum in Actis Ephesinæ Synodi, quo cauetur, si quis metus causa profugisset in templum, vel etiam in loca templo viciniora, tutus vt in eis receptus detur, neve quenquam ex illis extrahere liceat: quin etiam ne quis in templum armatus ingrediatur. Nam & nos, inquit Imperator, qui legitimi imperij armis nunquam non circundamur, quos̃q; sine armatis stipatoribus esse non conuenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus. & ipsum etiam Diadema Regiæ Maiestatis insigne humiliter deponimus, & sacra altaria, munerum tantum offerendorum causa accedimus. Quibus quoque oblatis ad exitum communeq; atrium mox nos recipimus, de proximo & quasi intimo, nihil quicquam præ cęteris peculiare nobis arrogantes. Tanta fuit olim templis habita reuerentia. Nunc miserandum in modum ea prophanari passim cernimus, nec in horrea modò pleraq; commutata, verum & equorũ ex eis stabula facta, & in quoscunq; tandem vsus, Deo dicatas domos, conuersas: quodq; etiam dictu horrendũ est, neq; facilè creditura posteritas videatur, in eo ipso loco, vbi tremendum Deo sacrificiũ non ita pridem oblatũ fuit, furcam erectam videre licuit, ab ijs qui Euangelici quàm Christiani dici malunt. Hi sunt fructus præclari, si Dijs placet, istius Euangelij.

*Templa æuo nostro profanata.*
*Facinus horrendũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Templa sanctis non erigi.*
*Innoc. de mysterijs Missæ, cap. 11.*
*Cultus seu seruitus duplex.*

Sed hoc fortassis offendit nonnullos, quod templa Diuis eriguntur. Verùm hi cui templa constituerentur, vel ex Innocentio tertio Pontifice Romano discere potuerunt: Cuius hæc verba sunt: Duæ species seruitutis: vna quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur latria: & altera, quæ creaturis impenditur, & dicitur dulia. Vtramq; speciem determinat Dominus, dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo. Ad latriam pertinent, templa,

*Psal. 88.*

altaria, sacerdotia, sacrificia, & huiusmodi quæ sunt soli Deo exhibenda, qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & metuendus super omnes, qui in circuitu eius sunt. Non enim sanctis ad honorem Dei, sed Deo potius ad honorem sanctorum, dedicantur templa, consecrantur altaria, sacerdotia statuuntur, sacrificia offeruntur: ne fortè si secùs agatur,

*Aug. lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 27.*

non theosebia, sed idololatria committatur. Quem qui multis præcessit seculis Augustinus, cùm ad eundem modum, sicut nunc fieri cernimus, idololatriæ Christianos argui videret, quòd ad monumenta martyrum plerique omnes confugerent maximo concursu, atque illorum intercessione se facilè, quæ petiuissent impetraturos à Deo confiderent: Nec tamen, inquit, nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed eorum Deus, nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tam quam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt: vt innotesceret vera religio, falsis religionibus, fictisq; conuictis. Itaque videre licet passim apud Augustinum, quod non alio ferè Martyrum templa, quàm memoriarum nomine dignatur, cuius etiam hæc verba leguntur alicubi: Nónne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lapidibus & lignis faceremus, anathematizaremur à veritate CHRISTI, & ab Ecclesia Dei? qui creaturę exhiberemus eam seruitutem, quę vni tantum debetur Deo. Sed quod nimia quadam religione dicere non fuit ausus Augustinus, dixit ante eum Ambrosius, dixit Ioannes Chrysostomus, dixit natu grandior Hieronymus, dixêre qui fuerunt eius æquales Socrates, Sozomenus, necita multò posterior Euagrius, ac alij multi: apud quos templa Martyrum, basilicas Apostolorum & Martyrum, Ecclesiam Apostolorum, Ecclesiam in nomine Geruasij & Prothasij, basilicam B. Agnetis, basilicam Portianam, Ecclesiam Theonæ, Ecclesiam Dionysij, oratorium Thomæ, sacrum Eufemiæ martyris templum, & aliorum sanctorum legere licet. Timotheus etiam Alexandrinus: iubet, inquit, Constantinus Imperator ædificari Ecclesias in nomine omnium Sanctorum & glorioforum Martyrum, qui propter Christum verum Deum nostrum fuêre Martyres, & confessi sunt pulchram confessionem.

*Aug. contra Maximinum lib. 1.*
*Templa cur sanctorum nominibus vocentur.*
*Chrys. hom. 38. ad populum Antioche.*
*Hier. ad Ripariū, & aduersus Vigilantium.*
*Soc. lib. 1. ca. 16 & vlt. & lib. 2. ca. 11.*
*Soz. lib. 4. cap. 9. & lib. 3. cap. 6. & lib. 16. cap. 18.*
*Euagr. lib. 2. cap. 3.*

Quid igitur? num ignorabant isti omnes, quod ex diuino præcepto sciebat Augustinus, non esse creaturæ seruitutem eam exhibendam, quæ soli debetur creatori? Minimè gentium æquè illi hoc atque Augustinus sciebant, neque secùs faciebant: sed in verbo nihil fuisse periculi iudicabant. Quis enim nescit, etiamsi templum Petri & Pauli, vel cuiuscunque sancti tandem esse dicatur, non propterea Petro & Paulo, sed soli Deo dicatum esse, soliq; Deo sacrificia in illo offerri, etiam si Petri & Pauli, vel alterius cuiusquam sancti fiat in eo memoria, vt rectè Augustinus memorias Martyrum, rectè cęteri quoque templa, siue basilicas, aut Ecclesias Martyrum eiusmodi loca vocauerint. Nam propriè quidem solius Dei templa sunt: Quoniam verò vel sunt in illis Apostolorum aut Martyrum reliquiæ, vel eorum frequens fit commemoratio, rectè Martyrum quoque, in quibus Deus habitabat, templa vocantur. Quanquam extat liber de Ecclesiasticis dogmatibus, qui Augustino inscribitur, in quo hæc verba leguntur: Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, syncerissimè honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas velut loca sancta, diuino cultui mancipata, affectu pijssimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur. Sunt igitur, quemadmodum ex hoc Augustini loco licet colligere, basilicæ, siue templa Dei, sed appellantur tamen sanctorum nominibus, haud aliter, quàm nos fideles, cum & ipsi templa Dei sumus: suo tñ quisq; proprio nomine vocamur. Quanquam in eo quoque libro, qui sine controuersia Augustini est, quem inscripsit de cura pro mortuis gerenda, his ille verbis vtitur: Mater filij defuncti corpus desiderauit in basilicam martyris poni. In libris verò de Ciuit. Dei, scribit idem, immanes barbaros peremisse basilicis Martyrum, quas easdem paulò pòst vocat Christi basilicas. Fuit ante mille ducentos & amplius annos Eustachius quidam hæreticus, qui loca sanctorum Martyrum, vel basilicas contemneret, & omnes qui illuc conuenirent, & sacramenta cõficerent, reprehenderet. Contra eum in Gangrensi synodo, quæ fuit Nicœnæ proxima, in hæc verba pronunciatum est: Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, cõuentus, qui per loca, & basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasq; sanctorum contemnendas, anathema sit. Hîc quoq; dixêre Patres, loca & basilicas sanctorum. Similiter Basilius: Paratum hîc est Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrum: Dicatum, inquit, martyribus templum. De Constantino scribit Eusebius, quod is templum Apostolis dedicauit, credens hanc se memoriam animæ suæ salutarem & vtilem facere. Sozomenus verò etiam ad honorem Stephani protomartyris, & in honorem Thyrsi martyris, & aliorum, ædificatas Ecclesias scribere veritus non est. Non quod nesciret ad honorem Dei constructas, qui sacrificijs in illis Ecclesijs colebatur, sed quod suus quoque honos in eis Stephano & Thyrso tribueretur: dum & res ab eis gestæ recitantur, & ad eorum imitationem homines accenduntur, & Deo gratiæ aguntur, cuius dona fuerunt ea omnia, quibus in hac vita excelluerunt.

*Aug. cap. 73.*
*Reliquiæ sanctorum venerandæ.*
*Liber de cura pro mortuis agenda est Aug.*
*Basil. in 40. martyres, & in psal. 114.*
*Euf. libr. 4. de vita Constantini.*
*Lib. 8. cap. 24.*
*Eccles. hist.*
*Corpora bonorum honestè sepeliēdorū semper cura fuit.*
*Lib. 9. cap. 2.*

Neque verò Deo cantum precibus & sacrificijs placando, verùm & corporibus hominum sepeliendis templa sunt & cœmiteria consecrata: quod qui corpora sua viuentes Deo templa

*Tēpla et cœmiteria et corporib. hominū sepeliēdis cōsecrata.*



dicassent, eos mortuos, non nisi in sacris locis recondi, æquum est putatum. Ac verum quidem illud est, quod vbicunq; sepeliamur, Domini est terra, & plenitudo eius: quod quę sepultura optima est, optima vita, sicut à Ioanne Chrysostomo traditum legimus: sed interea tamen etiam antiquorum iustorum funera, officiosa pietate curata, exequias celebratas, sepulturas prouisas, ipsosque dum viuerent de sepeliendis, vel etiam transferendis corporibus, suis filijs mandasse legimus. Et Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq; commendat, quod vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum, sepeliendumq; curarunt. Ioannes quoque Chrysostomus cum laude quadam commemorat, quod Constantinopoli Reges magnam gratiam putât, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur: fiantq; piscatorum ostiarij Reges, neque hîc in morte confunduntur, sed honestantur, & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes. Et in alia quadam homilia, cùm docuisset, quomodo ipse, qui purpuram induitus est Imperator, accedit seruorum crucifixi complexurus sepulchra, & fastu depositò stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum & piscatorem etiam mortuos vt protectores, orat, qui diademate redimitus incedit. Mox subiungit: Audebis igitur quæso eorum dominum appellare mortuum, cuius serui vel mortui terrarum orbis sunt protectores? Nec hoc tantum Romæ quis fieri viderit, verùm & Constantinopoli. Nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret, & quod in regijs sunt ianitores Regibus, hoc sunt in monumento piscatoribus Reges: De Constantino scribit Eusebius quoque, quòd is propterea voluit in Apostolorum templo sepeliri, quòd fore sperabat, vt etiam defunctus, precationum quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam perferendæ, particeps efficeretur. Neque dissimilia scribit AVGVSTINVS ad Madaurenses. Videtis, inquit, simulachrorum templa, partim sine reparatione collapsa, partim diuturna, partim clausa, partim in vsus alios commutata. Ipsaque simulachra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui, atque ipsas huius seculi potestates, quæ aliquando pro simulachris populum Christianum persequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, sed à morientibus Christianis: & contra eadem simulachra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos, legesque vertisse, & Imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate, supplicare. Sozomenus quoque non reprehendit mulierem quandam Eusebiam, quòd iuxta eum locum, in quo reliquiæ quadraginta militum fuerunt conditæ, iuramenti religione obstrictis monachis, se quoque condi curauerit. A Paulino quoque religiosa quædam vidua Flora petiuisse legitur, vt in beatissimi Felicis confessoris basilica, defuncti filij eius corpus poneretur, qui cùm ea de re ad Augustinum retulisset, hoc ab eo responsum tulit. Prouisus, sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonę affectionis humanæ est erga funera suorum, quoniam si nulla religio esset, vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur, attenditur. Sed cùm talia viuorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus apparet, non video quæ sunt adiumenta mortuorum, nisi ad hoc, vt dum recolunt, vbi sunt posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos, tâquam patronis susceptos, apud Dominum adiuuandos orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent. Sed non ob aliud vel memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viuentium oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitari. Cùm itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam cõmendat recordantis & precantis affectus: qui cum defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est ijs, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Addit paulò pòst: Propterea fideles, corpora suorũ propinquorũ desiderasse in basilicam Martyris poni, quòd crediderint eorum animas meritis Martyris adiuuari. Maximus Taurinensis Episcopus. Ideò, inquit, à maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus: vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarũ caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescẽtes euadimus inferi tenebras. Reperitur etiã apud Ambrosiũ, Lege Iulianũ Archiepiscopum Toletanum. Cæterùm quos peccata grauia deprimunt, non ad absolutionem potiùs, quàm ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesijs poni, scribit Gregorius. Non enim eos sacra loca liberant, sed culpa magis temeritatis accusat; id quod productis etiam exemplis planũ facit. Et propterea sacris canonibus cautũ, & in Ecclesia videmus obseruatũ: q; qui sibi ipsi manus intulerunt, qui facultatibus alienis per fœnus expilatis rem suam auxerunt: qui sine pœnitentia ex hac vita excesserunt: qui vel cùm graue scelus aliquod patrassent, è cœtu piorum sententia iudicis eiecti, atque à Christi corpore præcisi sunt, vel qui seipsos vltrò præciderunt, quales sunt schismatici & hæretici: eorum corpora sacris locis humari non permittuntur: quòd, quemadmodum ad Rusticum Narbonensem Episcopum scribit verè magnus ille Pontifex Leo: quibus viuentibus non communicauimus, eis mortuis quoque communicare non possumus. Non est cum ijs mortuis quidem commune quicquam habendum, qui doctrinis varijs & peregrinis abducti, suo iudicio sunt condemnati: dum quod iudicis fuerant sententia passi, id vltrò ipsi fecerunt, seque à CHRISTI corpore præciderunt, & è cœtu fidelium

*Psal. 23.*
*Chrys. hom. 84. in Ioan.*
*Gen. 47. & 50.*
*Tub. 2. & 12.*
*Matth. 16.*
*Ioan. 19.*
*Chrys. tom. 3. hom. quod Christus Deus est aduersus Gentes.*
*Idem hom. 66. ad popul. Antioch.*
*Libr. 4. cap. 60. de vita Constantini.*
*Epist. 42.*
*Sozom. lib. 9. ca. 5. eccles. hist.*
*Aug. de cura pro mortuis ca. 1. & 4.*
*Sepulchra mortuorum cur dicantur monumenta.*
*Cap. 1.*
*Ho. 2. de eleemos.*
*Ser. 75.*
*Lib. 1. prognosticon cap. 19. & 20.*
*Ecclesiastica sepultura qui arceantur.*
*Greg. 4. dialog. ca. 50. & aliquot alijs sequentibus.*
*Epist. 92. cap. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



exterminarunt, atq; ab eorum communione separarunt. Sed hæc de sepultura, deq; sepulchris dicta sufficiant: Neque enim omnia nobis persequi propositum est, quæ fusius ab alijs tractata sunt.

Est autem & hoc minimè nouum, quòd in templis altaria constituuntur, quorum vsum antiquissimum fuisse cõstat, non solùm naturæ, & legis, verumetiam gratiæ tempore. Nam & in Euangelio, & in Paulinis Epistolis, & in Apocalypsi, mentionem altaris fieri legimus. *In vita S. Lucæ quæ est adiuncta Oecumenio.* Abdias à Matthæo scribit altare erectum fuisse, in quo Missam celebrauit. Lucam quoque templa erexisse, & altaria stabiliuisse & cõsecrasse, tradit Simeon Metaphrastes. Et qui fuisse creditur æqualis Abdiæ, Martialis. *Ad Burdegalenses cap. 2.* Dum altaria, inquit, Dæmonũ in puluerẽ redigerentur, aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus: qua dedicata, in nomine Domini Dei Israël, & ipsius testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est, non hominis cultum: sed Dei, in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit: qui pro testimonio eius, animam suam posuit. Cuius sanguine ipsa mensa est decorata, quia suo sanguine IESVS CHRISTVS comprobatus est esse Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora percipiet. Sacrificium enim Deo offertur, in ara, non homini, nec Angelo. *Lib. 22. cap. 10. de ciuitate Dei.* Quem secutus Augustinus: Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus: sed vni Deo & Martyrum & nostro sacrificiũ immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, inuocantur. Deo quippè, non ipsis sacrificat, quamuis in memoriam sacrificet eorum, qui Dei Sacerdos est, non illorum.

Fuerunt igitur etiam in primitiua Ecclesia, & templa fabricata, & altaria erecta, in honorem Dei & sancti Martyris alicuius memoriã, quæ in summa veneratione habita fuisse semper constat. Itaque Dionysius Areopagita, nunc θεῖον, nunc ἅγιον θυσιαστήριον appellant. Itidem & Basilius & Chrysostomus non solum in Liturgijs, verumetiam & in alijs multis locis. In Calcedonensi concilio vocatur sanctissimum altare: Reuerendum altare dixit Eusebius Emissenus: sacrosanctum appellat Ambrosius. Itidem & Athanasius, sacrosanctam mẽsam, itidem & Chrysostomus, vocat idem alibi terribilem mensam & horrendum altare. *De eccles. Hier. ca. 6. parte 2. action. 1.* Pro eodem enim accipi vtrumq; satis indicat ille Malachiæ locus: vbi post illa verba, offertis super altare meum panem pollutum, sequitur paulò pòst: Mensa Domini despecta est. Rectè aũt idem & altare dicitur & mensa: altare propter sacrificium, quod in eo offertur: & mensa propter cibum, qui in ea sumitur: Legimus apud Chrysostomum, Eutropium ad altare tam quam ad verum asylum confugisse, cùm sibi capitis periculum impendere videret. Quod autem altare vocat Chrysostomus & Socrates, hoc Sozomenus, eãdem historiam scribens, appellat sacram mensam. Ad eundem modum quod Socrates de Alexandro Constantinopolitano Episcopo refert, eum ad altare progressum in faciem se coram sacra mẽsa prostrasse, hoc Sozomenus his verbis protulit: Prosternens seipsum sub altari, tota nocte iacuit pronus. Augustinus quoq; cùm contra Faustum scribens, & in libris de Ciuitate Dei dixisset: Quis audiuit stantem Sacerdotem ad altare: In Ioãnem scribens, Ad ipsam, inquit, mensam non sic eos commemoramus, &c. Hic vocat mensam, quod prius altare dixerat. Satis autem indicat vtraq; hæc historia, & de Eutropio, & de Alexandro Constantinopolitano, quanta fuerit altaris reuerentia. De Ambrosio quoq; scribit Paulinus, quod cùm Crescon-

*De bapt. ismo.*

*Lib. 6. cap. 5.*

*In epist. 2. ad cor. Hom. 20.*

*Hom. 5. de Paschate.*
*Amb. de his qui initiãtur mysterijs c. 8*
*Chrys. de Eucarist.*
*In epistolã ad vbique orthodoxos.*
*Epist. 7. tomo 5.*
*Soc. li. 6. ca. 5. hom. 20.*
*Lib. 8. cap. 7.*
*Lib. 1. aap. 37.*
*Lib. 2. cap. 29.*
*In vita eius.*
*Cont. Faust. li. 20. cap. 27.*
*De ciuit. Dei, lib. 8. cap. 27.*
*In Ioan. tract. 84.*

*Lib. 2. eccles. c. 16.*
*Lib. 1. de virgi. in fine.*

*Epist. 33. ad sororẽ. Oratione 9. In vita Basilij.*

sius, qui similiter vt Eutropius confugerat ad altare Domini, de Ecclesia raperetur: nec eum defendere posset, prostratus ante altare, factum diu fleuit. Qui tamen Cresconius, postea fuit dimissus, cum qui rapi eum fecerat Stylico, facti eum huius sui pœnituisset. Similiter & Ruffinus narrat de Ambrosio, quòd cùm à Regina persecutionem pateretur: sub altari positus, per obsecrationes defensorem sibi Deum parabat. De virgine quadam narrat Ambrosius, quòd cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare cõfugit. Idem de militibus quoq; scribit ab Imperatore missis: quod irruentes in altaria, osculis significabant pacis insigne, hoc est, obsculabantur altaria, qua re, pacem esse reddidit. Tertullianum temporibus fuisse morem hunc, vt pœnitentes aris Dei adgenicularentur, ex illius libro de pœnitentia perspicuum esse potest. Neq; verò sine causa in tanta veneratione fuerunt semper altaria. Præclarè namq; scriptum est à Gregorio Nisseno: Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapsis est natura cõmunis, nihil differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pauimenta exornantur, sed Dei cultui cõsecratum & dedicatum est, ac benedictionem accepit. Mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, ijsq; venerantibus, contrectatur. Quem secutus Chrysostomus, de altari lapideo dicens: Lapis quidem, inquit, est natura, sanctus autem fit, quoniam corpus accipit Christi. Quamobrem Optatus grauiter in Donatistas inuehitur, qui fuerunt altaria demoliti. Quid est tam sacrilegum, inquit, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere, in quibus & membra Christi sunt portata, quo Deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descẽdit Spiritus sanctus vnde à multis pignus Spiritus sancti & tutela fidei, ac spes resurrectionis accepta est? Ac paucis interiectis: Quid enim est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester, aut rasit, aut fregit, aut remouit. Et iterum post pauca: Immane facinus geminatum est, dum fregimus etiam calices, Christi sanguinis portatores. Quorum species reuocastis in massas, & vendidistis. Emerunt forsitan in vsus suos sordidę mulieres, emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderẽt idolis suis. O scelus nefarium, ô facinus inauditum: auferre Deo, quod Idolis pręstes: subducere Christo, quod proficiat sacrilegio. Quid autem horum non rectè dici potest, de non dissimili sacrilega audacia quorundam nostro quoque hoc infelici seculo?

*Libr. 5. cap. 2. de Sacramentis.*

Cæterùm quod dicit Optatus: Altare nihil aliud esse, quàm sedem corporis & sanguinis Domini, dixit æqualis illius Ambrosius: Quid est altare, nisi forma corporis Christi? Plus aliquid audet Dionysius: Sacratissimum, inquit, altare nostrum IESVS est, qui idem & hostia & sacerdos est. Quod si ita res habet, merito veneramur illud & adoramus. De qua tamen veneratione, præclarè scripsit olim aduersum Acephalos, Rusticus Diaconus, Gregorij Pontificis æqualis. Adoramus omnes, inquit crucem, & per ipsam illum, cuius est crux: non tamen crucem coadorare dicimur Christo: nec verò per hoc vna est crucis & Christi natura. Similiter adorantes altare, coadorare altari non dicimur Trinitatem, sed potius per altare. Laudat Neapotianum Hieronymus, quòd solicitus fuerit, si niteret altare, si parietes absq; fuligine, si sacrarium mundum. A Palladio quoq; Melania parua commendatur, quòd omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit altaribus, reliqua autem serica indumenta cùm conscidisset, res diuersas fecit Ecclesiasticas. Paulinus quoq; conditam fuisse tra ditin passionis loco Basilicam, quæ coruscat laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacrario crucẽ seruat, quam Episcopus vrbis huius quotannis cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerationis promit. Origenes aliquid etiam cõferri solitum esse scribit ad ornatum altaris. Cæterùm, sicut vetustissimus est altarium vsus: sic nec illud minus vetustum, quod consecrantur & vnguntur altaria. Extat Canon Agathensis Concilij, quod habitum est sub Sixto secundo, ante mille & amplius annos. Altaria placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Et alibi Epanensis concilij, sub Gelasio: Altaria nisi lapidea, infusione Chrismatis non sacrentur. Sunt qui morem hunc altaria consecrandi & vngendi, ad Euaristum referant, qui fuit quartus à Petro Pontifex. Meminit autem huius vnctionis Dionysius quoque: & in sermone de vnctione Chrismatis Cyprianus.

*In list. Lausiaca.*
*Epist. 9. ad Seuerũ.*
*Hom. 10 in Iosuæ.*
*Epist. 11. ad Seuerũ.*
*Canon. 26*
*Cap. 4. parte 3.*

Fuit & hoc obseruatum iam inde à multis seculis, quòd quando consecrabatur Ecclesia vel altare, sanctorum in eo reliquiæ reponebantur, quemadmodũ apparet ex Regestro sancti Gregorij: qui scribit etiam Palladium Episcopum altaria quædam propterea non dedicasse, quòd quas in illis collocaret reliquias, nõ habebat. Quas etiam Seuerus à Paulino sibi mitti postulabat, cùm basilicam cõdidisset, & misit illi particulam sanctę crucis in illius cõsecrationem. Fecit hoc & Ambrosius, vt sub altari sancti Gerualsij & Protasij reliquias collocaret: cuius hæc verba sunt: Succedant victimę triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Scripsit Vallafridus Strabo librum de exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum, in cuius initio statim tractat de templorum & altarium origine.

*Reliquiarum in altaria repositio.*
*Lib. 3. epist. 3.*
*Lib. 5. epist. 50.*
*Amb. epist. 88.*



*De Cæremonijs, quæ sumuntur à tempore.*

## CAP. XCI.

TEmporum in Ecclesia primitiua magis anxia fuit & diligens obseruatio, quàm vel hoc nostro seculo, vel ijs quæ proximè præcesserunt. Documento est ingens & insignis illa de tempore celebrandi festi Paschatis inter Orientis & Occidẽtis Ecclesias concertatio: Quæ vsq; eò etiam progressa est, vt qui tunc fuit Romanus Pontifex Victor, totius Asię parœcias, vna cum vicinis Ecclesijs, tanquam aliena sentientes, à communionis vnitate præciderit: quòd, vt monitis eius de festo Paschatis eodem cum Occidentis Ecclesijs die celebrando parerent, adduci non potuissent. Ac non defuerunt quidam graues viri, quibus hæc tanta Romani Pontificis vehementia non probaretur: cùm præsertim traditum sibi per manus ab ipsis Apostolis morem obseruare se Asię Episcopi dicerent: neq; tanti esse hæc festi celebrandi discrepantia putaretur, vt illius gratia præcidendum ab Ecclesia, quenquam existimarent. Verùm Leoni Pontifici non leuiter delinqui visum est, cùm de festo Paschatis tractaret, si in principio Sacramenti veritas & vnitas ab vniuersa Ecclesia non teneretur. Quod idem aliquantò ante visum fuit Ambrosio, qui per Patres concilij Nicœni quandam necessitatem celebrationis huius omnibus esse scribit impositam Christianis: cuius etiam æquali celebri scriptori Epiphanio tam graue visum est, in hac obseruatione diei Paschatis à more cæterarum orbis Ecclesiarum alios discrepare, vt non dubitauerit in album hæreticorum eos referre, qui quarta decima luna Pascha celebrassent: quos quidem Quartadecumanos vocat. Ac inter alia multa, quæ præclarè gesta sunt à Constantino Imperatore, hæc duo vel maximè laude omnium, prædicationeq; digna esse censet, quòd is congregato Nicœno concilio, & Arrij dogma subuertendum, & disceptationem ac discrepantiam hanc de celebrando Paschatis die è medio tollendam curauit. Fuitq; Nicœnum concilium, non magis propter eos habitum, qui in Ægypto dogmatis gratia dissidebant, quàm propter eos, qui in Oriente in celebrando Paschate discrepabant, cõciliandos: quod etiam cùm alibi, tum in epistola, quam scripsit ad Episcopos Africanos Athanasius indicat. Decretum itaque fuit à trecentis decem & octo Patribus, qui tum Nicææ conuenerant, vt vno eodẽq; die sanctissimi Paschatis feriæ peragerentur: vtq; Orientis Ecclesię, quæ à Romana, & cæteris Occidentis Ecclesijs dissi-

*De Paschate controuersia. Vide Euseb. libr. 5. cap. 25. eccle. histo. Socr. lib. 5. cap. 25. Nice. lib. 4. ca. 36. & sequentibus.*

*Leo epist. 62.*
*Amb. epist. 83.*
*Epiph. hære 51.*
*Epiph. hære. 20.*
*Paschatis celebratio. di. vno. eodemque die causa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Euseb. lib. 3. de vita Constantini.*

dissidere viſę sunt, eundem quem eæ, diem obseruarent: idq; duplici de causa (sicut ab Ecclesiasticę historię scriptoribus memorię proditū est.) Primū quòd minimè fas esset Christianis Iudæorum sequi consuetudinem: qui posteaquam consceleratas manus suas nefaria Christi cędę contaminarunt, tanta sunt animorum cœcitate percussi, vt videntes non videant, audientes non audiant, neq; quod rectum, quodq; salubre sit, intelligant. Deinde quòd graue cum primis & indecorum esse putaretur, quando quidem vnum corpus, vnus spiritus sumus omnes, vna vocationis nostræ spes, vnus Dominus noster, vna fides, vnum baptiſma, vnus est Deus & Pater omnium, non vno, eodemq; tempore, anniuersarium redemptionis nostræ diem ab omnibus & singulis eiusdem corporis membris celebrari: sed per eosdem dies alios quidem ieiunijs exerceri, alios verò cōuiuijs vacare, & hos quidem feriari & conquiescere, illos verò afflictionibus macerari. Quemadmodum in sua quadam ad Episcopos, qui ad Synodum Nicęnam venire non poterant, & ad omnes vbiq; locorum Ecclesias, epistola fusius ab Imperatore Constantino, & in eo libro, quem aduersus hęreses cōscripsit, ab Epiphanio memorię proditum legimus.

*Isaiæ 6. Ephes. 4.*

*Temporum ratio in Ecclesia. Veneri sexta feria sacra, sabbatum Iudæis.*

Ex eo colligere licet, quę ratio priscis fuerit, vel obseruandi certa tempora, vel mutandi: duplex nimirūm. Vna, vt ne quid vel cum Iudæis, quemadmodum de Paschate, deq; Sabbato factum videmus, vel cum Gentibus cōmune haberemus: quæ cùm sextum hebdomadæ diem, tanquam Veneri sacrū in ludis, epulis, & omnibus nequitijs consumere solitæ essent: visum est Christianis, vt quem illi diem cum primis lętum & hilarem ducebāt, eum in mœrore & luctu traducerent: non solum acerbissimoș cruciatus & mortem Christi turpissimā, verumetiam peccata sua, quæ causam illis dederunt, deflentes. Altera, quòd sicut à sanctissimo Damaso scriptum, & à Leone repetitum legimus non aliter vnus grex, & vnus pastor sumus, quàm si, quod iterum atq; iterum monet Apostolus, idipsum dicamus omnes: ita perfecti simus in eodem sensu, & in eadem sententia: si eosdem vno atq; eodem tempore ritus obseruemus.

*Dam. epist. 4. de Coēpiscopis. Leo epist. 4. cap. 2. 1. Corinth. 1.*

*Statione dies vnde. Tert. in libello de oratione, de corona. milit. Cap. 20.*

Fuit & hoc à priscis obseruatum, vt à festo Paschatis, vsq; ad festum Pentecostes, nonnisi stantes orarent, & vocabantur ij stationum dies: de militari exemplo nomine sumpto, sicut à Tertulliano scriptum est. Quin & die Dominico ieiunium, vt idem auctor est, nefas dicebatur, neq; fas erat de ieniculis adorare. Qua de re Nicæni quoq; concilij decretum intercessit: quo cautum est, vt die dominico, & in diebus Pentecostes, ne quisquam genua flecteret, sed stantes ad orationem vota Domino, cuncti redderent: cuius ritus etiam rationem vt explicaret, dignum duxit Basilius. Obseruabantur ab ijsdem vigiliæ nocturnæ, quibus & à vino & à carnibus abstinebatur, & aqua sola potum præbebat, obsonium verò fuit panis cum sale & aqua: in ijs populus consurgens, vt est apud Basilium, ante lucano tempore, domum precationis petebat: & cursitabatur ad sepulchra Martyrum à pueris, puellis, viris, fœminis, omnisq; generis ætatis, & conditionis hominibus. Nunc & stationum, & vigiliarum nomen solùm supereſt: Nam neq; stantes oramus, neq; nocturnas vigilias exercemus, quorum tamen vtrunq; apud Græcos adhuc in vsu est: Ieiunamus tantùm pridianis maiorum festorum diebus.

*Vigiliæ nocturnæ. Basi. de Spiritusancto, cap. 27. ad Amphil. Euseb. lib. 2. c. 17. Eccles. hist. epis. 36.*

*Baptismus quo tempore à priscis frebat. Syr. cap. 12. in epis. ad Imer. Leo epist. 4. Gel. cap. 12. in epis. ad vniuersos Episcopos per Luc. 4. Ibid. c. 15. Ordinationes quibus temporibus celebrētur.*

Deinde verò sanos priſci non baptizabant, nisi in Pascha & Pentecoste: qua de re Synodi quoq; Romanæ decretū ante mille trecentos annos intercessit. Contra quod cùm ventum à nōnullis fuisset, grauiter à Syritio Papa fuerunt obiurgati. Sed & Leo sanctissimus non leuiter eos reprehēdit, qui in die Epiphaniorum baptizassent: quòd sola diceret esse legitima baptizandi tępora, Pascha & Pentecosten: ac nullos alios dies eis misere licitū esse putaret. Quod ad eundem quoq; modū à Gelasio Papa postea fuit constitutū. Nunc quouis tempore baptizare fas est. Vt vel ex eo perspicuū esse cuiuis possit, obseruantiores fuisse veteres temporum, quàm sit hoc nostrum, & proxima superiora sęcula.

In solis ordinationibus, vetus Ecclesię mos obseruatur. Neq; enim fiunt, nisi quo tempore fieri debere scripsit Gelasius, quarti mensis ieiunio, & septimi, & decimi: sed etiā quadragesimalis initij, ac mediana quadragesimę die sabbati. Quartū mēsem vocat Gelasius Iunū, in quem ferè sabbatū Pentecostes incidit (veteres enim annū à Martio auspicabantur) septimū, Septembrem: decimum, Decembrem: initium quadragesimale, sabbatū post inuocauit: medianam, sabbatum post Lætare: ac deinde sabbatum sanctum Paschæ.

*Cōmunionis ratio.*

Porrò quod ad Eucharistiæ sacramentum attinet, nullis id fuit, aut est vnquam temporū circulis circumscriptum, neq; est vllus dies anni, quo nō sit fas cuiuis volenti sacramentum Eucharistiæ percipere: quod qui fuerunt æquales Apostolorum, aut eorum temporibus proximi, quotidie feciſſe visi sunt. Nam cùm quotidie mortem suis seruicubus impendentē expectarent, quò paratiores essent ad eam pro Christi nomine fortiter oppetendam, quotidie mortis eius memoriam recolentes, ad sacram Synaxim accedebant. Fuerunt postea, qui solis id diebus Dominicis facerent. Refrigescente verò paulatim pietate, cùm rarius homines accederent, ante mille centum & amplius annos Agathensis cōcilij decretū intercessit, quo cautum est, vt seculares, qui in natali Domini, Pascha & Pentecoste, nō cōmunicassent, Catholici non crederentur, nec pro Catholicis haberentur. Quod tamen prope ducentis ante annis, itidem à Fabiano Pontifice sancitum, Burchardus Episcopus Vormatiensis, Iuo Episcopus Carnotensis, Gratianus, in suos decretorum libros retulerunt. Qui verò sub ijsdem temporibus, quibus habitum est Agathense concilium, vixerunt, Ioannes Chrysostomus & Aurelius Augustinus, non obscurè in suis scripturis indicant: quod suo quoq; seculo sic refrigeratus erat feruor ille Christianorum, vt vix, quo semel in anno, vel etiam biennio cōmunicarent, adducerentur: idq; casu magis & consuetudine, siue lege, quàm ex animo: Quos illi quidem hoc nomine grauiter obiurgant. Cōmunionis tempus, inquit, Chrysostomus, non est festum, neq; celebritas: sed cōscientia pura, vitaq; à peccatis repurgata. Quemadmodum enim, qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet eum, nec in festis quidem accedere tutū est. Neq; enim semel in anno accedere, liberat nos à peccatis, si indignè accesserimus: quin hoc ipsum potius auget damnationem, quòd cùm semel tantùm accedamus, ne tum quidem purè accedimus. Ad eundem modum August. quoq; Si quotidianus est panis, inquit, cur post annū illum sumas? quemadmodū Græci in Oriente facere consueuerunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quę sententia totidem verbis reperitur apud Ambrosium. Sic sancti Patres, cùm viderent elanguisse pietatem hominum, hortabātur eos ad frequentandū Eucharistię Sacramentū: non quod reprehenderent, si quis id semel in anno fecisset, sed quòd vt crebrius fieret, satius esse ducerent. Quod illa quoq; Chrysostomi verba non obscurè indicant, cùm in hunc modum loquitur: Hæc dico, nō vno, & annuo vos prohibens accessu, sed vos semper ad sancta accedere volēs. Ac paulò superius: Quos magis acceptabimus, inquit, eos ne qui semel, an qui sępius, an qui rarò accipiūt? Neq; illos qui semel, neq; qui sępius, neq; qui rarò: sed eos qui cum mūda cōscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili, isti semper accedant: qui verò tales non sunt, neq; semel. Nec dissimilia sunt, quæ scribit hac eadem de re ad Ianuarium Augustinus.

*Aug. hom. 28. de verb. Dom. secundum Lucam.*

*Amb. lib. 5. de sacrament. cap. 4. Chrys. ser. 3. in epis. ad Ephes.*

Optandum quidem foret, vt quoties tremendum illud sacrificium peragit sacerdos, toties non deessent, qui cum eo corpus & sanguinem Christi sacramentaliter quoq; manducarent. Sed si desunt sępè, (sicut hoc seculo deesse ferè videmus) non propterea iuge sacrificium hoc intermitti debet. Satis est, si qui præsentes adsunt, spiritualiter manducent, suo tempore sacramentaliter quoq; percepturi: satis est, si manducent corde, etiamsi non premant dente. Chrisostomi quoq; seculo sæpè quotidiana fiebat hæc oblatio, quamuis nemo communicaret. Quod his etiam verbis ipse testatur, non sine quadam queimonia: Fruſtrà habetur quotidiana oblatio, fruſtrà stamus ad altare, nemo est, qui simul participet. Planū etiam id fieri potest ex eo, quod in Agathensi cōcilio, quod Chrysostomi seculo celebratum fuisse videtur, sicut paulo ante meminimus, ter in anno, vt cōmunicarent seculares, sancitū est. Cum tamen ijsdem ibi præceptum sit, vt die Dominica Missas audirent. Ad sumendam Eucharistiam ter tantùm in anno: ad audiendā Missam singulis diebus Dominicis fuerunt obligati. Non ergo quoties audiebant Missam, sacramentaliter Eucharistiam percipiebant. Quamobrem hortati quidem sunt sancti Patres ad crebram communionem populum: sed neq; cogendum quenquam, neq; propterea cessandum à sacrificio putabant, si nemo communicasset.

*Missa sine cōmunicantibus, an celebrari debeat. Spiritualis manducatio in Missa. Missam in diebus festis audire obligamur.*

Omnem missam publicam esse dubium nō est: cum vnicuiq; volenti, modo sit è cœtu fidelium ei interesse, & cum sacerdote celebrāte Christi beneficia recolere, ac spirituale Deo sacrificiū offerre liceat. Sed si priuata Missa dicenda est, quæ in oratorio habetur: tales quoq; habitas à mille & amplius annis, in Ecclesiastica historia reperire licet. Mille propè anni interceſſerunt, cùm Leontius Episcopus Neapolis insulę Cypri, septimę synodi, Nicęnæ secūdæ testimonio comprobatus, post Ioānem & Sophronium scripsit Grecè vitam Ioānis Alexandrini Patriarchæ: qui propter insignem liberalitatem, qua vsus est in pauperes, vocatus est misericors siue eleemosynarius. Narrat de hoc, quòd cùm sacris operaretur, videretq; populum lecto Euangelio è templo exiuisse, ac ociosis in cœmiterio fabulis vacare, exiuerit ipse quoq; & cum turba consederit. Cumq; stupore affecti essent omnes, his verbis eos affatus sit: Filioli, vbi oues, illic & pastor: aut intrate intrò, & ingrediemur, aut manete hīc, & ego quoq; manebo. Ego propter vos descēdo in sanctā Ecclesiam: nam poteram facere mihi Missas in Episcopio. Sed & qui ducentis eum annis præcessit Gregorius Nazianzenus, eum in paruo quodam oratorio sacra celebrasse, tripartita narrat historia. Gregorium verò ducentis alijs annis præcessit Soter Pontifex Romanus, eius quoq; decretū refertur à Gratiano: vt nullus Presbyterorū Missarum solēnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondentibus non dicit communicantibus, sed præsentibus tantùm. Ac si priuata Missa est, quę duobus tantùm præsentibus celebratur, ipsis etiam Apostolorum temporibus priuatæ Missæ vsus fuisse videtur.

*Missa omnis publica. Missæ priuatæ.*

*Ioann. Eleemosynarius factus.*

*Lib 9. cap. 8. De consecratione dist. Hoc quoque.*

Sed mouentur aliqui verbis Anacleti dicentis: Perfecta autem consecratione, omnes cōmunicent, qui nolunt Ecclesiasticis carere liminibus: Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Vtinam aût valeret apud istos Anacleti auctoritas: Missam esse sacrificium non negarent. Sic enim loquitur Anacletus: Episcopus Deo sacrificans, testes secum habeat: & plures quàm alius Sacerdos: In solennioribus quippè diebus, aut septem, aut quinq;, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atq; reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte & à tergo, & Presbyteri è regione dextra, leuaq; corde contrito & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus: & consensum eius præbeant sacrificio. Ac deinde sequuntur illa verba: Peracta consecratione, &c. Mira est istorum hominum cœcitas. Quod apertè scriptum est ab Anacleto, non vident, quod nos Missam vocamus, id ab illo dici sacrificium: Vident id quod nunquam neq; scripsit, neq; sensit Anacletus. Neq; enim fuit vnquam hęc Anacleti sententia, vt omnes præsentes cōmunicarent, sed ij tantùm omnes, qui ministrant Episcopo: atq; ij non nisi in solennioribus festis: quod ita certè fieri æquum est. Sed longè diuersum est Satanæ ministrorum studium, à sanctorum patrum pia solicitudine. Nam ij cùm iuge sacrificium nullo vnquam die cenſerent intermittendum, vt Christi corpori, & sanguini frequentius communicarent, oratione sua fideles in flammabant: illi contrà cùm vidēant refrixisse pietatē, nec eos adduci facilè posse, vt crebro cōmunicēt, nō hoc agūt, vt refrigeratā in illis pietatē accendant, verūm illud potius cōtendunt & elaborant, vt abolere

*Epist. 1. Præsentes in Missæ cōmunicentur, quomodo debes intelligi*

Universidad de Deusto
Biblioteca



possint omne sacerdotium & sacrificium: quod ita fieri cõmodè posse sperant, si quod iuge debet esse sacrificium, id vt esse iuge desinat, ac paulatim in desuetudinem quandam abeat, perfecerint. Sicut enim non vno loco scriptum à nobis est anteà: nihil est, quod minus ferre possit satanas, quàm tremendum hoc sacrificium: in quo Christi beneficia simul vniuersa grata quadam recordatione recoluntur, & sub eorum oculos, qui præsentes adsunt subijciuntur: quæ ipse modis omnibus obliterata, & ex omni hominum memoria prorsus esse cupit sublata. Quamobrem nulla necessitate adiguntur, quoties sacris operatur Sacerdos, hi qui præsentes adsunt, semper sacramentaliter cõmunicare: etiamsi crebrius id ab eis fieri expediret. Verùm illud necessarium iudicatum est in concilio Lateranensi, in quo cùm alij complures Episcopi, ex varijs totius orbis Christiani prouincijs, tum Hierosolytanus, & Cõstantinopolitanus Patriarcha, præsentes adfuerũt: vt omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenisset, omnia sua peccata confiteretur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti: & iniunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeret adimplere: suscipiens ad minus in Pascha Eucharistię sacramentũ: nisi forte de cõsilio proprij Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab eius perceptione duceret abstinendũ: alioqui viuens ab ingressu Ecclesię arceretur, & moriẽs Christiana careret sepultura. Non prohibetur ista constitutione, quominus etiam quotidie, si quis velit, peccata sua cõfiteatur, Eucharistiæq; sacramentum percipiat: sed quoniam reperire pleroscq; licebat, qui vix semel in vita, ac ne semel quidem id facerent, pia quadam solicitudine, prouidendum esse sancta Synodus in Domino congregata putauit: vt si crebrius non possent, aut nollent, semel tantum in anno fideles, & peccata sua confiterentur, & Eucharistiæ sacramentum perciperent.

*Cap. 21.*

*Ad bonum an quisquam cogendus sit.*

Sed negant isti quenquam ad bonum esse cogendum, neq; enim placere Deo coacta seruitia. Vetus hæc est hæreticorum cantilena, & à Donatistis Augustini seculo multum vsurpata: quemadmodum ex ijs quæ scripsit ad Vincentium, ad Bonifacium, ad Donatum contra Cresconium, contra literas Petiliani, & contra secundam Gaudentij epistolam videre licet. Sic enim ad Donatum loquitur: Displicet tibi quòd traheris ad salutem, cùm tam multos nostros ad pernitiem traxeris. Neminem existimas cogendum esse ad bonum. Attende quid Apostolus dixerit: Qui Episcopatũ desiderat, bonum opus concupiscit: & tamen tam multi vt Episcopatum suscipiant tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolũt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni: quantò magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis, & perducendi ad veritatem: vel cognoscendam, vel eligendam: non solùm vt honorem salubriter habeatis, sed etiã ne pessimè pereatis? Dicis Deum dedisse liberum arbitrium: ideò nõ debere cogi hominem nec ad bonũ. Quare ergo illi, de quibus supra dixi, cogũtur ad bonum? Attende ergo quod considerare non vis. Ideò voluntas bona misericorditer impẽditur, vt mala volũtas hominis dirigatur. Nam quis nesciat, nec damnari hominem, nisi meritò malæ voluntatis: nec liberari, nisi bonam habuerit voluntatem? Non tamen ideò qui diliguntur, malæ suæ voluntati impunè & crudeliter permittendi sunt: sed vbi potestas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israêlitę recusantes & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibeantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus nõ est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiasticam? sed prostratus est, vt excœcaretur: & excœcatus est, vt mutaretur: mutatus est, vt mitteretur: missus est, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur. Si voluntas mala semper suæ permittẽda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis, filiũ durũ non solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur? Vnde item dicit: Tu quidem percutis eum virga, animã aũt eius liberas à morte. Si mala voluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiũtur negligentes pastores, & dicitur eis: Errantem ouem non reuocastis, perditam nõ inquisistis? Et vos oues Christi estis, characterem Dominicũ portatis in sacramento, quod accepistis, sed erratis & peritis. Non ideò vobis displiceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Dñi monentis, vt vos ad eius ouile redire cogamus: quàm cõsentiamus voluntati ouium errantium, vt perire vos permittamus. Ad Bonifacium verò scribens. Vbi est, quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem coẽgit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscãt in eo prius cogentem Christum, & postea dicentem: prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangeliũ coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filij coẽgerunt alios vt perirent? Quamuis etiam illos, quos non coẽgerunt, sed tantũmmodo seduxerunt, si per terribiles, sed sãlubres leges in eius gremium reuocẽtur, blandius pia mater amplectitur: & de illis multò amplius, quàm de his, quos nunquam perdiderat, gratulatur. An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiã illas oues, quæ non violenter erepte, sed blandè, leniterq; seductę, à grege aberrauerint, & ab alienis coeperint possideri, inuentas ad ouile dominicũ, si resistere voluerint, flagellorũ terroribus, vel etiam dolo ribus reuocare? Vbi verò scribit ad Vincentium, Suam quoq; primitus fuisse dicit sententiã, neminem ad vnitatem Christi esse cogendũ: verbo esse agendum, disputatione pugnandũ, ratione vincẽdũ: ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hęc, inquit, opinio mea, non cõtradicentiũ verbis, sed demõstrantiũ superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad vnitatẽ catholicam timore legum Imperialium conuersa est: quam nunc videmus ita huius veritæ animo-

*Aug. epist. 204.*

*1. Tim. 3.*

*Ad Episcopatũ suscipiendũ olim compellebantur inuiti.*

*In exod. multis locis.*

*Eccles. 30.*

*Prouerb. 23.*

*Ezech. 34.*

*Aug. epist. 50.*

*Paulus coactus ad Euangelium venit.*

*1. Corinth. 15.*

*Ars. 9.*

*1. Ioannis 4.*

*De hæreticis non cogendis ad fidem, sententiam suam corrigit Augustin.*

*Idem epist. 48.*

*Hippona timore legum ab errore discessit ad fidem.*



animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quę mihi nominatim commemorabantur: vt ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est: Da sapiẽti occasionem, & sapientior erit. Quàm multi enim quod certò scimus, iam volebant esse catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reuerendo, quotidie differebant. Quàm multos non veritas (in qua nunquam præsumpsistis) sed obduratę consuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis compleretur diuina illa sententia: Verbis non emẽdabitur seruus durus: si enim & intellexerit, non obediet. Quàm multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam catholicam veritatem, securitas torpidos, fastidiosos, pigrosq; faciebat. Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisq; parte Christianus sit: ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere atq; ad catholicam nemo transire cogebat. His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, iamq; faciendi & dilationem morulas amputauit. Alij dicant, Hoc esse verũ iam sciebamus, sed nescio qua cõsuetudine tenebamur: gratias Domino, qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alij dicant: Putabamus quidem nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus: sed gratias Domino, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, ostendit. Gregorius quoq; Nazianzenus ad Olympium scribens, de Appollinaristis. Existimabam, inquit, fore, vt lenitate mea mitiores efficerentur, & paulatim emollirentur: atq; hoc mihi spe fingebam: verùm per imprudentiam & scelleratiores eos, vt apparet, reddidi, & intempestiua Philosophia Ecclesiam detrimento affeci. Neq; enim peruersi homines lenitate ac mansuetudine flectũtur. Sic Leo quoq; Magnus commendare videtur Principes, qui sacrilegam amẽtiam Priscilianistarum hæreticorum ita detestati sunt, vt auctorem eius ac plerosq; discipulos legum publicarum ense prosternerent. Et profuit, inquit, olim ista districtio Ecclesiastica; lenitati: quę etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones: seueris tamen Ecclesiasticorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Sic & Chrysostomus, dum rescisset in vicis aliquot adhuc spirare Marcionis pestem, scripsit eius loci pastoribus, vt ex Cęsaris Arcadij edicto, qui Marcionis dogma sequebantur, aut resipiscerent, aut in exilium mitterentur. Contra literas verò Petiliani scribens Augustinus, cùm ille dixisset: Quòd si cogi per legem aliquem vel ad bona licuisset, vos ipsi miseri à nobis ad fidem purissimam cogi debuistis: Sed absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem cõpellamus. Respondet his verbis: Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, imò & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi nõ legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cùm præcedens benè viuendi doctrina contemnitur. Si quę igitur leges aduersus vos constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malà facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate. Timor aũt pœnarũ, etsi nondum habet delectationẽ bonę cõscientię, saltẽ intra claustra cogitationis coẽrcet malam cupiditatem. Contra Cresconium verò: Reges cum in errore sunt, pro ipso errore leges contra veritatẽ ferunt: cùm in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt. Ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Et paulò pòst: Frustra dicis relinquat libero arbitrio. Cur enim nõ in homicidijs, & in stupris, & in quibuscunq; alijs facinoribus, & flagitijs libero te arbitrio dimittendũ esse proclamas? Quę tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilissimũ ac salubrimum est. Dedit quidẽ Deus homini liberam voluntatẽ, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam. Cõtra Gaudentiũ verò scribẽs idem Augustinus. Quod aũt vobis videtur, inuitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei: qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti. Nunquid enim pœnitentiã Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc Rege suo cõpellente fecerũt? Iam enim Propheta, iram Dei vniuersæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænunciauerat. Quid igitur opus erat Regis imperio, vt humiliter supplicaretur Deo, qui nõ intuetur ora, sed corda? nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina, nisi territi potestate terrena. Ista igitur iussione Regię potestatis, contra quam voluntarius sit vester occasus, multis ad salutem, quæ in Christo est præstatur occasio: qui, & si violenter adducuntur ad cœnam tanti patrisfamilias, & cõpelluntur intrare, intus tamen inueniunt, vnde se lętentur intrasse. Plurib⁹ etiam in locis hãc ipsam materiã tractat August. Et in Epistola quadam ad Donatistas in Ioannẽ scribens. Mirantur quia cõmouentur potestates Christianæ aduersus detestãdos dissipatores Ecclesię: si nõ ergo mouerentur, & quomodo redderent rationem de Imperio suo Deo? Et paucis interiectis: videte, qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidũt animas, afflguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & tẽporales se perpeti cõqueruntur. Hieronymus locum illũ Hieremiæ: Cõgregabo eos quasi gregem ad victimam, & sanctificabo eos in die occisionis: de hæreticis interpretatur: & addit, Interfectio hæreticorũ, salus est eorum qui decepti fuerant. Ante quos oẽs Tertullianus, qui fuit proximus Apostolorum seculo, sub Ethnicis etiam illis Imperatoribus, qui grauiter Christianos persequebantur, non dubitauit scribere: Ad officium Hæreticos compelli non illici dignum est.

*Prouer. 9.*

*Hæretici ad veram fidem compellendi à Principibus.*

*Prouer. 29.*

*Aug. libr. 3. cap. 51.*

*Idem lib. 1. cap. 25.*

*Mar. 12.*

*Ionæ 3.*

*Luc. 14.*

*Epist. 166.*

*In caput Hie. 12.*

*Tract. 11.*

*Lib. 10. cap. 3. hist. tripart.*

*Lib. 2. cap. 93.*

*Hier. 12.*

*Iuitio scorpiaci.*

Hæc nos ideò pluribus verbis ex Augustino & alijs transscribenda duximus, vt cognosceret Lector, iam inde à mille ducentis annis, eorum sententiam esse refutatam: qui nec ad veritatem ab errore, nec ad vnitatem à schismate, metu reuocãdum, nec ad bonum

opus

Universidad de Deusto
Biblioteca



opus vllum, quenquam esse cogendum affirmabant. Est quidem ita, quòd, qui diligit hilarem datorẽ, non placent Deo coacta seruitia. Sed fit persæpè beneficio Dei singulari, vt qui coguntur inuiti, postea volentes faciant: sicut exemplo Pauli docet Augustinus, qui cum pœna corporis ad Euangelium recipiendũ compulsus fuisset, plus omnibus postea qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit: quemq; maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Est enim timor quasi seruus quidam charitatis, & locum illi persæpè præparat. Cùm enim per timorem se continet aliquis, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durum erat, amare, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iustè viuere: non quia timet pœnas, sed quòd amat æternitatem: ac nisi timore Deum incipiat homo colere, non ferè peruenit ad amorem. Timor itaq; medicamentum, charitas est ipsa sanitas. Pietas, inquit Augustinus, timore inchoatur, charitate perficitur. Qui etiã alio loco: Sicut videmus, inquit, per setam introduci linum, quando aliquid suitur, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò mentem occupat, non autem ibi remanet timor, qui ideò intrauit, vt introduceret charitatem. In quam sententiam apud Optatũ quoq; multa reperiuntur. Qui factis Mosi, Phinees, & Eliæ, comparat factum Macarij cuiusdam: qui Marcum, & Donatum, & Donatistas occiderat. Quòd autem Seuerus Sulpitius minimè probasse ferbit Martinum & Ambrosium, quod de Priscíliano Hæretico supplicium capitis fuit sumptum, non factum ipsum illi reprehendisse videntur, sed quòd non ordine factum esset, cùm prius in aula, quàm in Ecclesia iudicatum de illo fuisset: quod etiam Sulpitius testatur his verbis: Nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesię Iudex seculi iudicaret. Quamobrem non modò non audiendi, verumetiã valdè reprehendendi sunt, qui volunt omnem disciplinam, omnem coërtionem ex Ecclesia sublatam: quæ tamen ea tanquam indulgens mater, admodũ vtitur moderatè. Siquidem in hocipso decreto Lateranensis concilij, quanto cum iudicio, quanta est adhibita moderatio? Neq; enim cogũtur omnes, verùm tantùm qui peruenerunt ad annos discretionis: ac ne ij quidem quomodocunq; tandem affecti, ad Eucharistiæ perceptionem adiguntur, verùm hoc tantùm præcipitur, vt ne sua voluntate, suoq; iudicio se abstineant: sed si iustam aliquam esse causam existimauerint, quamobrem à communione sibi putent abstinendum, ad sacerdotem prius ea de re referant, neque nisi de consilio illius quicquam statuant. Cæterùm si durum hoc videtur, quòd qui semel in anno sub festum Paschatis Eucharistiam non perceperit, is ab Ecclesię ingressu viuens, à Christiana verò sepultura mortuus arcetur, certè nihilo mitior videtur Libertini, quod propè mille annis Lateranense præcessit, quodq; non ita multò pòst subsequutum est, Agathesis cõcilij sanctio, qua decretũ est: eũ inter catholicos nõ habẽdũ, qui nõ semel, sed ter in anno nõ cõmunicasset. Quid est autem catholicũ non haberi, quàm & ab ingressu Ecclesiæ viuum, & à Christiana sepultura mortuum arceri? Nam qui catholici non sunt, eis ad catholicam Ecclesiam aditus patere non debet: quibus autem viuentibus non communicamus, eis neque mortuis esse communicandum, iam à sancto Leone didicimus. Itaque non modò non reprehendenda, verumetiam summis præconijs efferenda est salubris hæc Lateranensis concilij sanctio. Nam quod monet scriptura: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera: semper id quidem à pastoribus fieri, aut certè frequenter, expediret: sed quoniam homines sumus etiam pastores, datum hoc est infirmitati nostræ, quod iterum semper à nobis oportebat, vt vel semel tantùm in anno facere teneremur. Quomodo autem cognoscet quisq; vultum sui pecoris? quomodo considerabit greges suos? Dominus est, qui cor intuetur. Cæterùm homo non potest videre, nisi ea quæ patent, quæ sub aspectũ cadunt, quæ sunt oculis mortalium subiecta. Quæ sit & quanta fides hominis, soli Deo cognitum est: sed sunt interea quędam externa fidei signa, per quę fideles, tanquam per tesseras quasdam, ab infidelibus discernuntur: atq; ea præcipua sunt sacramenta: quem admodum in ijs quæ scripta sunt superius, pluribus verbis docuimus. Quæ si quis habet despicatui, nec Deum & Ecclesiam eius audit eorum vsum præcipientem, quo nobis habendus est alio loco, quàm quo Christus haberi præcepit eum, qui non audit Ecclesiam? nimirũ vt sit nobis tanquam Ethnicus & Publicanus. Est aliquis qui cõmunicare cum Catholicis non vult, ne censeatur inter catholicos, nihil ei cum sacris nostris, nihil cum templis aut cęmiterijs Deo consecratis, vel viuo vel mortuo sit cõmune. Quid habet iniquitatis hæc tam salubris Lateranensis concilij sanctio? quid non summæ potius æquitatis? Nisi fortè non est hoc æquissimum, vt qualis esse quisq; vult, talis censeatur: neq; cõmune cum eo quicquam habeant catholici, qui cum Ecclesia catholica communicare recusat.

Fuit autem maiorum nostrorum cumprimis laudatus ille mos, qui nunc à multis non perinde diligenter obseruatur, quo non modò pastores, quos parœcos, siue parochos vocamus, sedulò vultum sui pecoris agnoscebant: verumetiam paterfamilias quisq; suis in ædibus, quos aleret, diligentius explorabat: ac si qui velà pœnitentiæ, vel ab Eucharistiæ sacramento, præter sui sacerdotis consilium, sub festum Paschatis abstinuissent, eos è suis ædibus exigebat, nec vel cibum cum eiusmodi sumere dignabatur. Nunc quorsum res recideris, quis est qui sine lachrymis cõmemorare queat? Adeò disciplina omnis in Ecclesia dissoluta, adeò frena sunt laxata, tanta permissa licentia dicendi quiduis, & impura lingua Christum blasphemandi: & cum alia, quæ cuiusq; libido fert, blaterandi, tum sanctissimi Christi corporis & sanguinis veritati detrahendi, mendacijsq; veritatem ipsam arguendi: vt periculum sit, nisi nos Deus oculis misericordiæ suæ respexerit, aliamq; mentem Ecclesię Præsidibus, & eis qui rerum potiuntur inspirauerit, ne ex Christianismo redeatur ad paganismum. Sed eò vnde deflexit oratio reuertatur:

Sicut Eucharistiæ sacramentum quouis tempore percipere fas est, sic & orare quouis tempore fas est. Docemur à Christo, quòd oportet semper orare, & nõ deficere: monemur & à

*De consec. dist. 2. omnis homo ca. 18.*
*Catholicum non haberi quid sit.*
*Prouer. 27.*
*Pecoris nostri vultus quomodo agnoscendus.*
*1. Reg. 16.*
*Sacramenta sunt signa fidei externa.*
*Matth. 18.*
*Maiorũ nostrorum mos laudatissimus nũc plane intercidit Prouer. 27.*
*Paschatis festo non cõmunicates ex ædibus suis expellebãt.*
*Orare quouis tempore fas est.*
*2. Cor. 9. Coactio facit voluntatem.*
*Vide ad Hebr. 12. Timor seruus charitatis.*
*Aug. de vera religione cap. 17. Idem tract. 9. in epist. Ioann.*
*Lib. 3. cont. Parm.*
*Historiæ suæ lib. 2.*



& à Paulo, vt sine intermissione oremus. Neq; defuerunt, qui Christi hæc & Pauli verba ita accipienda putarent, vt nullum tempus à vocali oratione vacuum esse vellent: qui quidem propter perpetuum orandi vsum, Psalliani, siue Euchitæ sunt vocati: de quibus & Epiphanius & Augustinus pleraq; scripserunt. Cæterùm quis est qui possit ita semper orare, & sine defectu vel intermissione precibus insistere, vt nec alimentum sumendi, aut dormiẽdi tempus habeat? Quamobrẽ Augustinus, & eum sequutus Anselmus, sic hęc Christi & Apostoli verba accipienda putauerunt, vt nullo die intermitterentur certa tempora orandi: quæ si quotidie quispiam obseruasset, iam sine intermissione orare diceretur. Peculiarius tamen adorandum sine intermissione adstricti sunt sacerdotes & monachi, quorum proprium est officium, iuge sacrificium, iugesq; Deo preces offerre: nõ pro suis tantùm, verumetiam pro populi peccatis. Cuius peccata comedere dicuntur, quando ex eius viuunt eleemosynis. Sunt hîc quam publici quidam totius Ecclesię ministri, vt quod à singulis & vniuersis pręstari semper non potest, eorum saltem expleatur ministerio. Quid autem? Nunquid nõ eadem infirmitate præditus est sacerdos, aut monachus, qua quisquam alius ex ijs, qui addicti seculo iudicantur? Est re vera. Et illum cibum quandoq; capiat, & ille somno temporis nonnihil tribuat, & ille corporis sui curam non prorsus abijciat, necesse est. Quamobrem, & huius infirmitati prospiciendũ putauit pia mater Ecclesia: certas horas cõstituit, quas Canonicas vocant, quibus non alij rei, quàm precationi vacaret: Has qui diligenter iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis obseruasset, cum semper orare, & non deficere, Beda Venerabilis interpretatur: vt cum Propheta dicere possit: Benedicam Dñm in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Neq; tamen ex traditione magis Ecclesiastica, quàm è scripturis auctoritatẽ habere videtur ista certis temporibus orandi cõsuetudo, quemadmodũ id pluribus verbis ostendere conati sunt Cyprianus, Basilius, Hieronymus, Clemens, Athanasius in lib. de virginitate, Isidorus, Rabanus, Rupertus, & alij nonnulli, ad quos lectorem remittimus: Nam exactius hæc omnia persequi non est præsentis instituti.

Nunc de ieiunio pauca disseramus, quo plurimum orationem adiuuari vel illa Christi verba documento sunt, vbi genus quoddam esse dicit dæmoniorum, quod non ejicitur, nisi per orationem & ieiunium. Ieiunium orationi deuotionem & fiduciam donat: ac sicut frater adiuuans fratrem, ambo consolabuntur, sic orationi ieiunium: Ieiunio multum adfert adiumenti oratio. Oratio virtutem impetrat ieiunandi, ieiunium gratiam promeretur orandi: ieiunium orationem roborat, oratio ieiunium sanctificat, & Domino repræsentat. Orationem AVGVSTINVS clauem cœli vocat, & eam duas alas habere dicit, quibus ad cœlum facilè perfertur: ieiunium & eleemosynam. Ac præceptum quidem esse ieiunium in Euangelicis & Apostolicis literis, videre se scribit Augustinus: quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum, non, inquit, ieiunio definitum. Itaque quod ad sabbatum attinet, ab Ambrosio doctus, ad quamcunque venerit Ecclesiam homo catholicus, eius morem eum obseruare iubet, si nõ vult aut pati scandalum, aut facere. Die verò dominico ieiunare, scandalum esse magnum putat: maximè postquam innotuit detestabilis multumq; fidei catholicæ scripturisq; diuinis apertissimè contraria hæresis Manichęorũ: qui suis auditoribus ad ieiunandum istum tanquam constituerunt legitimum diem: per quod factum est, vt ieiunium dei dominicæ horribile haberetur. Ex quibus Augustini verbis colligimus, indifferens quondam sabbati ieiunium fuisse: sed postea tamen, quam latè patet Ecclesia catholica, sabbati ieiunium obseruari cœptum est: Cuius causam, ante mille ducentos annos hanc produxit Innocentius: quòd cùm illo die sepultus iacuerit Redemptor noster, rectè lugubris dies hic habeatur. Est & alia ratio, quòd cùm præcipuè Iudæi sabbatum habeant in honore, non est Ecclesiæ visum, vt quicquam cum illis nobis cõmune foret. Habet aliam præterea rationem sabbati ieiunium, eandem nimirùm, quam pridiani festorum dies, quas vigilias vocamus: quibus vt ieiunaremus propterea videtur institutum, quòd rectum esse, decereq; cumprimis existimaretur, quem diem tribuere debemus laudibus & cõmemorationibus beneficiorum summi Dei, quæ plena manu per eum nobis collata sunt, ad eum nos diem præcipuè castos & sobrios accedere, vt exporrectiore & vigilantiore animo cogitemus, quantum ipse de nobis meritus sit, quarum agendarum, & ferendarum gratiarum illi sumus debitores. Potest & hęc assignari causa, quòd cùm festos dies hilares agamus, proterea pridianos dies mœstos ducimus, vt ex eo documentum capiamus, ad æterna illa gaudia non nisi per multas tribulationes peruenire nos posse: socioisque nos fieri passionum oportere, si consolationis & lætitiæ participes esse volumus. Sed ea de re Bernardi verba adscribemus. Is in sermone, quem habuit in vigilia sancti Andreæ: Sanctorum, inquit, festa, præcipua Patrum sanxit auctoritas, votiuis prænuenienda ieiunijs. Vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui aduertat. Multa siquidem quotidie peccata cõtrahimus, & in multis offendimus omnes: Nec tutum omnino est celebrandas susćipere festiuitates sacras, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa: quò & digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum: Sic enim iustus in principio sermonis accusator est sui. Ac paucis interiectis: Discimus ex hoc, quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid est enim, quod ieiunijs solennia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippè solẽni lętitia est, qui statutam vigilię abstinentiã nõ obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animã tuam in vigilia, indignus iure censeris resurrectione & exultatione festiua. Est aũt vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus vigilia quædã solennitatis magni & ęterni sabbati, quod prestolamur. Ac iterũ pòst pauca: Hodierni ieiunij, & eius, quam præstolamur, solẽnitatis, & lætitiæ causa est beata passio Andreę Apostoli. Dignuũ est enim, vt si cum eo pendere non possumus, cum eo vel ieiunemus: nam & ipsum cùm

*Euchita Luc. 18. 1. Thess. 5. Orare sine intermissione quid. Epiph. hæres. 18. Aug. hæres. 57. Ibidem. Anselm. in epi. Pau. Sacerdotũ & monachorum officium. Osee 4.*
*Hor. Cauentiæ.*
*Beda in Lucam. Psal. 33. Cyp. in expositione orat. dom. Basil. in ser. Asceticis, & in Ascheticis, cap. 33. Hier. ad Eust. & in 6. cap. Danielis. Lib. 8. const. Apost. cap. 40. Isidorus lib. 1. de offic. Ecclesiast. ca. 19. & sequentibus. Rabanus libr. 2. de instit. Clericorũ ca. 1. & sequentib. Rupertus libr. 1. de diuinis officijs ca. 1. & sequentib. Ieiunij tractatio. Ieiunium adiuuat orationem. Ser. 226. de tẽpore. In psal. 42. Alæ orationis duæ. Augustin. epist. 80. Sabbati & dominicũ ieiunium, Dominico die non ieiunandum. Ieiunium Sabbati quando cœperit, eiusque instituti rationes. Imo. in epist. ad Decenium. Vigiliæ festorũ diuersum cur institutæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cùm biduo penderet in cruce, etiam ieiunasse quis dubitet? Inueniamur ergo vel in exiguo communicantes passioni eius, & si non simul afflixi patibulo, simul afflicti ieiunio: vt miserante Deo etiam coronæ participes simus, & in præsenti quoque spiritualium socij gaudiorum.

*Ieiunij quarta & sexta feria institutio.*

*Aug. epist. 68.*

*Epit. in compendiaria doctrina fidei catholicæ.*

*Matth. 9.*

Cur autem quartis & sextis quoq; ferijs à carnibus abstineatur, iam ante docuimus ex Augustino: Ante quem ab Epiphanio quoq; causa eadem est allata. Quarta, inquit, & pro sabbato ieiunium statutum est. Nam illucescente quarta, traditus est Dominus, & pro sabbato hoc est sexta feria, crucifixus est: & tradiderunt Apostoli, vt in ijs diebus ieiunium fieret: ita vt impleatur dictum hoc: Cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Et non gratiam aut beneficium exhibeamus illi, qui pro nobis passus est, ieiuniũ constitutũ est: sed vt confiteamur ad nostram salutem factam esse Dñi passionem, quam pro nobis ipse suscepit: & vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum supputentur. Fuit itaq; longè vetustissimum hoc institutum quarta & sexta feria ieiunandi, vt Apostolicũ esse non dubitet Epiphanius: Ad cuius opinionem cõfirmandũ plurimum ea facere videntur, quæ de hocipso ieiunio scribit Clemens Petri successor: & post eum Ignatius, qui tertius à Petro fuit Antiochenus Episcopus: & post Ignatium Origenes. Theophilactus quoq; propterea nos ieiunare scribit quartis ferijs, quòd concilium quarta feria conuenit, quomodo per dolum cõprehensus occidi Christus posset. Origenes multis seculis antea hoc scripsit his verbis in cõmentarijs in Marcum Euangelistam: Pridie, inquit, quam pateretur Dominus, consilium inierunt de capiendo IESV: quo factum est, vt & quartę in hebdomadę ieiunium seruemus, eò quod dies illa dominicę passionis fuit initium. Apollo qui est Lii. inter patres, quorum vitam descripsit Palladius, sic de ieiunio hæc loquitur: Catholica & generalia ieiunia, non licet soluere sine ingenti necessitate. In quarta etiam feria traditur seruator, & in Parasceue crucifigitur. Qui ergo ea soluit, Seruatorem vnà tradit, & vnà crucifigit. Sed si ad vos veniat frater, qui opus habet vt reficiatur, cùm sit ieiunium, ipsi soli mensam apponite. Scripsit Petrus Alexandrinus Canones quosdam Pœnitentiales: in eius libri fine: quartam & sextam feriam ieiunare nobis, inquit, secundum traditionem præceptum est. Quartam quidem, propter initum à Iudæis consilium de proditione Domini. Sextam autem quod ipse pro nobis passus sit. Diem enim Dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo resurrexit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

*Lib. 5 const. Apost. cap. vlt.*

*Ignat. epist. 4.*

*Orig. hom 10. in Lenit.*

*Ad Euagrium Epist. Retent. c. 4.*

*Theophil. in 14. cap. Matth.*

*Ieiunij quatuor tẽporum rationes.*

*Calix. epist. 1. ad Bene.*

Cęterùm quod ieiunium quatuor temporum vocatur, & si non videtur ab Apostolis institutum, est tamen & ipsum vetustum cumprimis. Nam cùm aliquãdo ter in anno celebratum fuisset, visum est Calixto Papæ conuenientius, ante mille trecentos & amplius annos, vt per quatuor tempora obseruaretur: vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solemne ageremus ieiunium per quatuor anni tempora: quæ quidem sunt Ver, Æstas, Autumnus, Hyems: quę dicere visum est, vt à Dei immortalis honore auspicaremur: ieiunium vernum in quadragesima: æstiuum in Pentecoste: autumnale in mense septimo: hyemale in decimo: (Sic enim appellat Leo Septembrem & Decembrem. Clemẽs quidem Petri Apostoli proximus successor, post Pentecosten ieiunium hebdomadis sequentis in vsu fuisse scribit: vt ab ipsis Apostolis institutum videri possit. Ideò autem ipsa continentiæ obseruantia quatuor est assignata temporibus, quemadmodum ab eodem Leone scriptum legimus, qui complures de ieiunijs quatuor temporum sermones conscripsit, vt in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indefinenter purificationibus indigere: semperqúe esse nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur ve peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiunijs atque eleemosynis deleatur. Idem Leo Pontifex Apostolicam hanc esse traditionem innuere videtur. Existimatum est præterea: Dei præceptum de persoluendis Deo primitijs, hoc ieiunio quadantenus impleri. Nam cùm quatuor sint anni tempora, & in quolibet tres menses, nos in initio cuiusque, tres dies ad gloriam trinitatis ieiunamus, atq; ita cuiuslibet primitias Deo persoluimus: quemadmodum hæc & alia pleraq; pluribus verbis ab Innocentio tertio sunt pertractata.

*Conſt. Apoſt. lib. 5. cap. vlt.*

*Leo ſer. 9. de ieiunio ſeptimi menſis.*

*Ser. 2. de ieiunio Penteco ſte.*

*Quadrageſimæ ieiunium à quo & cur inſtitutum.*

*Max. ſer. prior in die Cinerum.*

*Amb ſer. 39.*

*Hier. ad Marcellã.*

Porrò quadrageſimæ ieiunium non ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione initiatum, sed cœlesti maiestate præceptum esse tradidit ante mille centum annos vir non doctrina magis, quàm vitæ sanctimonia clarus, Maximus Taurinensis Episcopus (nisi quis Ambrosio sermonem hũc adscribere malit: nam ei quoq; legitur inscriptus.) Non tam sacerdotum, inquit, hæc præcepta, quàm Dei sunt: atq; ideò qui ea spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum, qui in suo loquitur sacerdote. Hieronymus aduersus errores Montani scribens, quadrageſimæ ieiuniũ traditionem esse vult Apostolorum: de quo itidem vt de quartæ & sextæ ieiunio, vetustissimi meminerunt scriptores, Ignatius & Origenes. Sed & Canon extat Apostolorũ his verbis cõscriptus: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Lector, aut Cantor, sacram quadrageſimam Paschę, aut quartam feriam, aut Parasceuen nõ ieiunauerit, deponitor, præterquam si imbecillitate impediatur corporis: Sin laicus sit, cõmunione priuator.

*Canon. 68.*

*Quadrageſima ex tribus cauſis celebratur.*

*Exod. 34.*

*3. Reg. 19.*

*Matth. 4.*

*Exod. 22.*

*Annus habet 365. dies.*

Tribus autem ex causis ieiunium hoc in Ecclesia celebratur, & propter trinum exemplum: & propter diuinum præceptum: & propter numeri mysterium. Exemplum habemus Moysis ante legem, Eliæ sub lege, Christi post legem: quem nos, qui abillo nomen ducimus, Christiani q; vocamur, tanquam auctorem & institutorem huius ieiunij sequimur. Præceptum autem nobis est, vt ex omnibus decimas pendamus: Visum est igitur, vt etiam anni temporis decimæ penderentur. Cùm enim annus constet trecentis sexaginta quinq; diebus, siquidem triginta sex dies ieiunauerimus, nec ante rem diuinam absolutam in die Paschatis cibum sumpserimus, iam totius anni dierum decimas persoluimus: tot namque sunt



sunt dies quadrageſimę, diebus Dominicis exceptis, si à prima Dominica numerare incipias: Nam qui primam Dominicam antecedunt dies quatuor, ad imitationem quadragenarij ieiunij, quod Christus in solitudine continens & perpetuum seruasse legitur, instituti sunt. Quæ de re fusius à Gregorio Magno scriptum legimus. Ante quem etiam eãdem materiam copiosè tractauit, ex abbatis Theonę sententia, Cassianus, Ioannis Chrysostomi discipulus: itidem & Dorotheus serm. 18. de ieiunio.

*Greg. hom. 16. in Euang.*

*Caſſ. collatione 21. c. 25. & ſequentib.*

*Hier. lib. 9. in Ezechiel. & Amos.*

Deinde verò quadragenarium numerum hunc in tristitia, & mœroribus, à scriptura ferè semper adhiberi videmus: itaq; vocat eum Hieronymus numerum afflictionis, pœnę, ieiunij, luctus & doloris. Si pluuiæ diluuij quadraginta diebus orbi naufragium intulerunt, sic in deserto populus Israël annis quadraginta commoratus acerba multa tulit, sic nuncij Mosis quadraginta diebus explorasse promissam terram leguntur, sic quadraginta dierum spacio, qui fuerunt Niniuitis ad pœnitendũ prędicti, subuersam iri Niniuen Ionas prædicauit, sic post finem quadraginta annorum congregatos iri, qui dispersi fuerant, Ægyptios, militatem carnis venit, vt spirituali saginæ ieiunio corporis præparemur. Et qui fuit Petri successor Clemens: In diebus, inquit, Paschæ ieiunare incipientes à secunda sabbati, vsq; ad Parasceuem, & sabbatum, dies sex, solo pane vrentes, sale, atq; oleribus, & aqua in potum. A vino & carnibus vos abstinete in ijs diebus: sunt enim dies luctuosi, non festi. Parasceuem tamen & sabbatum integrũ ieiunent, qui quidem possunt, nihil gustantes, vsq; ad Galli cantũ noctis. Quòd si quis non potest duorum dierum ieiunium cõtinuare, seruet saltem sabbatum: Ait enim quodam in loco de se Dominus: quando discedet ab eis sponsus, ieiunabunt in illis diebus. Ijs igitur diebus sublatus est à falsis Iudæis, & crucifixus est, & cum impijs reputatus. Vocat aũt dies Paschæ, quemadmodum & Epiphanius illam sanctã hebdomadam, quæ præcedit festum resurrectionis dominicæ.

*Deut. 9. Exod. 34. Num. 13. Ionæ 3. Ezech. 20. Ezech. 4.*

*Iſid. de Eccl. offic. lib. 1. cap. 36. & ſequentib.*

*Rabanus de inſtit. Cleric. lib. 2. ca. &c. & ſequẽtib.*

*Cõcil. Tolet. cap. 9*

Habemus itaq; iam, qua ratione, quænunc obseruat Ecclesia ieiunia, fuerint ab Apostolis, & eorum successoribus instituta, quæ quidem ex quo tempore Christus terras reliquit, quàm latè patet nomen Christianum, tantò semper studio sunt ab omnibus obseruata, hoc præcipuè quadrageſimale, nulla vt fuerit orbis pars, in qua prędicatum non fuerit. Non insula, inquit Basilius, non terra, non ciuitas, non gens, nõ deniq; locus vllus tam desertus est, vbi prædicatio de quadrageſima non fuerit audita: sed & exercitus, & iter facientes terra mariq;, mercatores quoq; omnes similiter audiunt, libenterq; suscipiunt. Quod igitur tot seculis, tantò mortalium omnium consensu, quàm longè lateq; Christianus orbis diffusus est vniuersus, prædicatum, receptum, ac tanta cura diligentiaq; semper ab omnibus fuisse videmus obseruatum, id ad vnius aut alterius apostatę nutũ, qui nihil esse voluerunt, quod incœstam eorum libidinem, cuinomen cõiugij prætexuerunt, retardare possit, reijciẽdum esse putabimus? Prius omnia nobis Deus eripiat, quàm vt in hanc nos à Satana mentem impelli patiatur.

*Quadrageſimæ ieiunium per vniuerſum orbem annunciatũ. Baſil. ſerm. poſterior de ieiunio.*

Sed quas tandem illi rationes adferũt, quamobrem Apostolicas traditiones has à nobis reijci putent oportere? Quas alias, quàm veteres illas cantilenas, quas ante mille propè trecentos annos ab Aërio hæretico, cuius & Philaster & Augustinus meminerunt, productas olim fuisse scribit Epiphanius: sic enim inducit Aërium loquentem. Quid est Pascha, quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis: Nõ enim oportet Pascha peragere: Pascha etenim nostrum immolatus est Christus. Sed neq; ieiunium, inquit, erit ordinatum:

*Hæreticorum traditiones quibus traditiones eccleſiæ de ieiunio reijciunt. Epiphan. hæreſi 75. 1. Corinth. 5. 1. Tim. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Hæc enim Iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita, sed patricidis ac matricidis, & reliquis. Si verò omninò volo ieiunare, qualemcunq; eligam diem à meipso, & ieiunabo propter libertatem. Vnde apud ipsos studium est, vt potius in die Dominica ieiunent: quarta verò & pro sabbato (hoc est, feria sexta) edant. Sæpè verò, etiam quarta ieiunant, non ex statuto, sed ex propria, vt inquit, voluntate. In diebus autem Paschatis, quàdo apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ ac ieiunia, & oës animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi à summo manè obsonantur, carnes & vino venas suas explentes, cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis paschatis perficiunt: Vocat aũt hebdomadam Paschatis, sanctam illam hebdomadam, quæ festum resurrectionis Dominicę præcedit. Videtur aũt Aërius hic ex eorum hæresi fuisse, quos Psychicos Tertullianus appellat: qui multò ante, hoc ipsum, vt est auctor Tertullianus docuerunt, & easdem quas nostri temporis Hęretici, Scripturas cõtra ieiunium quod obseruatur in Ecclesia, produxerunt. Idem de Manichæis quoq; scribit Leo Magnus: Dominicum, inquit, diem, quem nobis Saluatoris nostri resurrectio cõsecrauit, exigunt in mœrore ieiunij: soli reuerentiæ hanc continentiam deuouentes, vt per omnia sint à nostræ fidei vnitate discordes, & dies qui à nobis in lętitia habentur, ab illis in afflictione ducantur. Nónne aũt hæc ipsa & verba & facta audire & videre licet apud eos, qui nostro hoc infelici ęuo, contra quàm ab Apostolis traditum legimus, & temporum & ciborum discrimen omne tollere sunt & abrogare conati? non vt perpetua quædam esset abstinentia, sed ne quid impedimento esset, quò minus abdomini semper seruire, corporiq; voluptatibus perfrui liceret. Itaq; bacchanalium apud istos vsus durat nihilominus: cęterùm qui perpetua vult esse bacchanalia, quadragesimę ieiunium Satanas ferendum esse non putauit. Prodijt superioribus annis libellus quidam inscriptus locorum cõmunium collectanea ex lectionibus Philippi Melanch. Inter quę recensetur & hæc quæstio, Estne licitũ Christianis Bacchanalia seruare, necnè. Respondetur: Ieiunium est superstitio, si fiat cum obseruatione opinionis cultus, & necessitatis: superstitiones, & impios cultus opus est aboleri. Ieiunium quod fit cum obseruatione opinionis cultus aut necessitatis, est impius cultus: ergo tale ieiunium abolendum est. Illa verò relaxatio animorum, est consuetudo politica, cõsuetudines autem policitę possunt retineri: ergo & illa honesta politica consuetudo retineri debet. An autem aliud hi dicere videntur, quàm hoc, quòd cum ieiunium quadragesimale Christus instituerit, si minus verbo, saltem exemplo: Bachanalia verò Bachus: valeat Christus, regnet Bachus, & interim vocatur hoc Euangelium.

*Siccorum esus.*
*Hebdomada sancta quomodo transigenda.*
*Hebdomada Paschatis.*
*Epist. 93. cap. 4.*
*Lutherani bacchanalia seruant, ieiunia reijciunt.*
*Hæreticorum rationes de ieiunio excutiuntur.*
*Dies obseruatis, etc. Galat. 4.*

Sed iam, quas ab Aërio productas olim, nostri quoq; temporis adferunt hæretici, rationes excutiamus. Iudaicis nos fabulis addictos aiunt, qui ieiunantes vel ciborum vel temporum delectum habemus Ac quod ad tempora attinet, enarrans illum Pauli locum Hieronymus: Dies obseruatis & mẽses & tempora & annos: timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis: Dicat, inquit, aliquis, si dies obseruare non licet & mẽses & tempora & annos: nos quoq; simile crimen incurrimus, quartam sabbati obseruantes, & parasceuen, & diem Dominicam, & ieiunium quadragesimę, & Paschæ festiuitatem & Pentecostes lętitiam: & pro varietate regionũ, diuersa in honorem Martyrum templa constituta. Ad quod qui simpliciter dicit: Non eosdem Iudaicę obseruationis dies esse, quos nostros: Non enim nos azimorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis: nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur aduentũ: Et ne inordinata cõgregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum pariter oës veniremus: non quòd celebrior sit dies illa, qua cõuenimus: sed quòd quacunq; die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lętitia maior oriatur. Qui verò proposite quæstioni acutius respondere conatur, affirmat illud: oës dies æquales esse, nec per parasceuen tantùm Christum crucifigi, & die Dominico resurgere: sed semper sanctum resurrectionis esse diem, & semper eum carne vesci Dominica: ieiunia aũt & congregationes inter dies, propter eos, à viris prudentibus constitutos, qui magis seculo vacant quàm Deo: nec possunt, imò nolunt, toto in Ecclesia vitę suę tempore congregari: & ante humanos actus, Deo orationum suarum offerre sacrificia. Quotus enim quisq; est, qui saltem hęc pauca quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi semper exerceat? Itaq; sicut nobis licet vel ieiunare semper, vel semper orare, & diem Dominicam accepto Dñi corpore indesinenter celebrare gaudentibus: non ita & Iudæis fas est omni tempore immolare agnum, Pentecosten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidie. Et clarius aliquanto, qui non multò ante fuit Hieronymo posterior, Leo Magnus: Cùm vos, inquit, ad quædam, quæ etiam in veteri testamento instituta sunt, cohortamur, nõ Iudaicę vos obseruantię iugo subdimus, nec cõsuetudinem carnalis populi vobis indicimus. Excellit super illorũ ieiunia, cõtinentia Christiana: & si quid illis atq; vobis cõmune est in temporibus, non concordat in moribus: Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia: nos in nullo ab habitu nostri honestate dissimiles, necà iustis & necessarijs operibus abstinẽtes, edendi licentiam, simplici parcitate cohibemus: vt in vsu ciborũ, modus eligatur, non creatura damnetur. Quamuis enim vnicuiq; nostrum liberum sit voluntarijs castigationibus proprium corpus afficere: & nunc moderatius, nunc verò districtius repugnãtes spiritui carnales cõcupiscentias edomare: quibusdam tamen diebus ab omnibus pariter oportet celebrari generale ieiunium: & tunc est efficacior, sanctiorq; deuotio, quãdo in operibus pietatis totius Ecclesię vnus animus, & est vnus sensus. Et alio loco: Debebatur, quidem, inquit, tantis mysterijs ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignũ est inuenire. Sed quia hęc fortitudo paucorũ est, dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur: dumq; per varias actiones huius

*Dies festi cur instituti.*
*Leo ser. 4. de ieiunio septimi mensis.*
*Ciborũ delectus quo quodo obseruandus.*
*Leo ser. 4. de Quadrages.*



huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere: magna diuinę institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur: in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.

Ex his & Hieronymi & Leonis Magni verbis videre licet: quòd & ieiunãdi & orandi certa tempora sunt instituta, ad Iudaicas obseruationes referri non posse: sed cùm semper nobis ieiunandum, sine intermissione sit orandum: datum esse hoc fragilitati nostræ, vt quod semper facere non possumus, certis tamẽ temporibus faciamus. Quemadmodũ ab eodem quoq; Leone scriptum est alibi: Quia semper, inquit, hanc intentionem necessariam nõ oës habere possumus perpetuam, sæpiusq; per humanam fragilitatem à supernis in terrena recidimus: istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mũdanis nos occupationibus subtrahamus, & aliquid temporis, quod prosit ad bona æterna, furemur. Licet igitur Christiano semper ieiunare, sed qui semper non possunt, aut nolunt, ijs certa tamen tempora sunt præscripta. Neq; dubium est, quin multo sit Deo gratius ieiunium, & ad quidquis impetrãdum efficacius, quod ex Ecclesiæ præcepto simul celebratur ab omnibus, quàm si quis, quod nostri temporis Aëriani faciẽdum censent hæretici, qualemcunq; diem eligat à seipso, & ieiunet propter libertatem. Si quidem publica, quemadmodum ab eodem Leone scriptum est, præferenda sunt proprijs: & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura cõmunis. Teneant, inquit, diligentiam suam obseruantiæ singulorum, & contra nequitię spiritalis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cœlestia quisq; arma arripiat. Sed Ecclesiasticus miles, etiam si specialibus prælijs possit fortiter facere, tutius tamen & felicius dimicabit, si contra hostem palàm in acie steterit: vbi non suis tantùm viribus certamen ineat, sed sub inuicti Regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures confligunt cum hoste, quàm singuli: nec facilè patet vulneri, quem opposita scuto fidei, non sua tantùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit. Et in præcedenti sermone: Diuinarum, inquit, reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia, habet semper priuilegium suum, vt sacratius sit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisq; proprio arbitrio indicit, ad vtilitatem cuiusdam pertinet portionis: Ieiunium verò, quod vniuersa Ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione seiungit: & tunc fit potentissimus Dei populus, quãdo in vnitatem sanctę obedientię omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbiq; munitio. Ac paucis interiectis: Plenissima peccatorum obtinetur, inquit, abolitio, quando totius Ecclesię vna est oratio, & vna confessio. Si. n. duorum vel trium sanctorũ pio cõsensui omnia, quæ poposcerint, Dñs præstanda promittit: quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruãtiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini, valdeq; pretiosum, cùm totus populus Christi eisdem simul instat officijs: & in vtroq; sexu, omnes gradus, omnes ordines eodem cooperantur affectu: cùm in declinando malo, ac faciẽdo bono par cunctorum & vna sententia est: cùm in operibus seruorum suorum glorificatur Deus, & totius pietatis auctori in multarum actione gratiarum benedicitur.

*Idem ser. 3. de ieiunio septimi mensis.*
*Ieiunia cõmune cũ alijs gratius est Deo quàm solitarium.*
*Idem ser. 4. de ieiunio septimi mensis.*
*Matth. 18.*

Hinc videre licet, quid spectauerit Dei Spiritus in certis temporibus prescribendis: quibus & ieiunijs & precibus, & quibusque alijs pietatis operibus Deus propitius redderetur: hoc nimirùm, vt quicquid eiusmodi fieret à Catholicis, quod nomen etiã ipsum sonare videretur, fieret simul ab vniuersis, vno ore, vno animo, vno sensu: qui non potest Deo non esse gratus, non potest ad quidquis impetrandũ non esse cumprimis efficax. Malè habet Satanam consensus hic, qui nihil aliud magis laborat, quàm vt segreget, vt spargat, vt diuidat. Sicut lupus ouem à grege secernere, sicut accipiter columbã ab agmine volantiũ separare conatur: sic ille, cùm sibi non satis esse virium aduersus oës intelligat, circumuenire quærit solitudinem singulorum. Quominus res bona fit ieiunium, non facilè mortalibus persuaderi posse videt: cùm ab ipso Christo cõmendatum etiam esse legamus. Quid igitur? Vt ieiunes, ferre potest: verùm vt fructuosum, vt sit efficax ieiunium tuum, ferre non potest. Erit aũt efficax & fructuosum, si cum vniuersis: minus vtile, si solitarius ieiunes. Quamobrẽ vis, inquit Satanas, ieiunare? Ieiuna solitarius: Elige tibi diem ipse, quem ieiunes. nõ ieiuna catholicè, non vniuersè, non cùm alij pij ieiunant oës. Ieiunant oës per vniuersum orbem feria sexta, ieiuna tu quod sine offendiculo Catholici fieri non posse putauerunt) die Dominico: Ieiunant oës quadragesimam, quòd hunc numerum in scripturis afflictioni tributum & pœnæ legimus: ieiuna tu quinquagesimam, qui numerus in scripturis hilaritati cõsecratus est, animiq; remissioni. Illud cùm primis diligẽter obserua, ne quid ex obedientia fecisse, neve vlla in re cum catholica consensisse videare: non illa tibi, tu præscribas illi: tuum iudicium illius iudicio præfer: omnes omnium ætatum quamlibet pios, quamlibet prudentes & doctos viros, præ te caudices fuisse puta: qui non intellexerint, se diebus & temporibus observandis, ad fabulas Iudaicas esse prolapsos.

*Matth. 6. 19.*
*Ieiunium fructuosum.*

Videmus igitur, quòd sancti Spiritus in certis diebus prescribendis, quòd contra, Satanæ consilium fuerit in eisdem antiquandis & inducendis. Ab illo concordia quæsita est, & vnanimitas, vt quicquid eius fieret, cõcorditer simul ab omnibus in vnitate fieret & charitate: Ab hoc nihil aliud quæritur, quàm dissidium, quàm vt dispergi possint, quos pretioso sanguine suo Dei filius congregare dignatus est. Neq; verò id in hac re tantùm, verum etiam in alijs pleriscq; omnibus: sicut de Eucharistia quoq; cùm tractaremus, paucis à nobis commoratum est, quemadmodum per membrum quoddam suum non ignobile Satanas aliquando dixerit: Si quo casu concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque

*Titum 1.*
*Concordia offendit Satanam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Lutheri superba verba.*

specie potiri: imò tunc primum in despectum concilij vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri: & planè eos anathema habere, quicunque auctoritate talis concilij potirentur vtraq;. Non offendit Satanã alterius tantùm speciei vsus: sed hoc offendit, quod ex obedientia fit, quod ex humilitate, quod ex charitate, quod vnanimiter fit ab omnibus. Quamobrem si pij & catholici omnes vtantur altera tantùm, censebit vtendum vtraq; si per catholicam sit vsus vtriusq; permissus, censebit altera tantúm vtendum. Adeò ferre non potest, vt vniuersè & catholicè fiat aliquid. Præclarè Gregorius Pontifex cum eam esse docuisset Ecclesiam, quam in Cãticis terribilem vt castrorum aciem ordinatam esse legimus: Electorum, inquit, multitudinem & maligni spiritus pertimescunt, quia eos per charitatis concordiam, munitos contra se & conglobatos aspiciunt. Quanta aũt sit concordiæ virtus ostenditur, cùm sine illa virtutes reliquæ non esse virtutes monstrantur. Magna est virtus abstinentiæ, sed si quis ita ab alimentis abstinet, vt cæteros in cibo dijudicet, & alimenta eadem quæ Deus creauit ad percipiendum in gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet, quid huic virtus abstinentię facta est, nisi laqueus culpæ? Vnde Psalmista quoq; Nullam esse abstinentiam sine cõcordia designans, ait: Laudate eum in tympano & choro. In tympano corium siccum resonat, in Choro autem voces concorditer cantant. Quid per tympanum nisi abstinentia, quid per Chorum nisi Charitatis concordia designatur? Qui itaq; sic abstinentiam tenet vt cõcordiam deserat, laudat quidem in tympano, sed non laudat in Choro. Et sicut nõnulli, qui dum plus sapere quàm necesse est, student, à proximorum pace resiliũt, dum eos velut hebetes stultosq; contemnunt, vnde per se veritas admonet, dicens: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos: vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet quatenus à patre concordiæ nunquam recedat: Quod verò de his duabus virtutibus diximus, hoc de cæteris omnibus sentiendum est. Vndè Paulus terribiliter admonet dicens, pacem sectemini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Sed hæc de temporum discrimine dicta sufficiant.

*Greg. hom. 8. in Ezech.*

*Leo ser. 4. de ieiunio decimi mensis.*

*Ciborum delectus.*

Quod verò ad ciborum delectum attinet, ne hac quidem in parte cum Iudęis commune quicquam habemus. Nos enim sicut dierum, ita ciborum quoq; nullam, sed sobrietatis tantùm ac temperantiæ nostræ, & erga summum Deum honoris rationem ducimus: cùm illa Iudæorum discrimina nihil ad sanctam & spiritualem hanc abstinentiam facere videantur. Quid enim aut solidis animantium vngulis, aut multifidis etiam? quid auibus rapacibus? quid squama non contectis piscibus, cum spiritu, cum sanctitate, cum abstinentia negocij est? Quæ si Iudęis vetita sunt, vt in moribus illi erudirentur, humanã redolent philosophiam, non diuinam. Si verò, quoniam insalubria sunt, idcirco fuerunt illis interdicta, quid aliud, quàm Ægyptiorum fuisse artibus Mosem imbutum indicant? Sin autem, id quod verius est, simulachra quædam illę res fuerunt, & velut argumenta quædam ac vmbræ, sicut Paulus loquitur, futuræ veritatis inducta iam veritate, simulachris & vmbris amplius non indigemus. Iudęi ergo in differentijs ciborum & temporum insistebant: nos ad Deum & ad spiritũ omnia referimus, nec aliud in hoc abstinendi vel obseruãdi genere sequimur, quàm vt nostrorũ laborum interualla diuinorum beneficiorum commemorationi cõsecremus: & ipsi nos domata carne nostra, & sub rationis imperium subacta, ad eadem illa Dei beneficia recolenda, vigilantiores aç paratiores per abstinentiam reddamur. Sed magnum illum Leonem hac de re differentem audiamus. Non ideò negligendum est, inquit, quia de obseruantia veteris legis assumptum est, tãquam hoc de illis fit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & auium pecudumq; hostias esse destiterunt: Illa enim quę rerum futurarum figuras gerebant: impletis quę significauêre, finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem noui testamenti gratia non remouit, & cõtinentiam corpori atq; animæ semper profuturam pia obseruatione suscepit. Quia sicut permanet apud intelligentiam Christianam, Dñm Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: & diliges proximum tuum sicut teipsum, & cętera talium mandatorum: ita quod in ijsdem libris de ieiuniorum sanctificatione & curatione prędceptum est, nulla interpretatione vacuatur.

*Lexit. 11. Iudęis cur quædam prohibita.*

*Coloss. 2.*

*Matth. 4. Matth. 21.*

Quæ verò alia loca ex Apostolo per nostri temporis hæreticos proferuntur, ea cùm in Manichæos à catholicis olim torta fuissent, vicissim à Manichæis in illos retorta fuisse legimus. Sic enim Faustum loquentem inducit Augustinus. De vobis quid dicam, id est, de Christianioribus apud vos: quorum nonnulli quidem porcina, plerique verò quadrupedę omni, alij etiam cuncto animali penitus abstinent: ferťq; ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia & summa veneratione susçipiens, solùm non deos existimat. Nec videtis in dociles, quia si hoc verum, & ab Apostolo dictum testimonium est, dæmoniorum & ipsi sunt Iudificati doctrinis. Quid verò & de illo dicemus, quod sanè frustrari quis audeat, aut negare: cùm constet hoc inter omnes, & æquè per orbem terrarum quotannis omni cum studio celebretur in conuentu catholico. Dico autem quadragesimam, quam qui inter vos ritè obseruandam putauerit, abstineat necesse est omnibus his, quæ capitulum hoc à Deo ad percipiendum nobis creata dicit, & dæmoniorum insuper doctrinam vocat abstinentiam prædictorũ. Quid ergò & vos charissimi, ritùm tunc dæmoniorum viuitis, cùm hæc à vobis passionis Christi celebrantur mysteria, & seductorij spiritus fraude decipimini, & in hypocrysi loquimini mendacium, & cauteriatam habetis conscientiam vestram? Ac rursus: vos verò, inquit, qua nunc excusatione vtimini, Paulo clamante, nihil esse non mundum, & doctrinas dæmoniorum appellante ciborum abstinentiam, & mente pollutos vocante, qui aliquid putauerint inquinatum. Non solùm abstinetis, vt diximus, sed etiam gloriam captatis exindè, & eò acceptiores vos creditis Christo, quò eritis abstinentiores à cibis, id est, secundum hanc sententiam, quò mentibus inquinati magis, & magis conscientia polluti. Quibus Faustiverbis, ad hunc modum respondit Augustinus. Audi ergò, quod confiteris te non videre, quã

*Aug. lib. 30. contra Faustum cap. 3.*

*1. Timoth. 4.*

*Idem libr. 31. cap. 1. Titum 1.*

*1. Titum 4.*

*Lib. 30. contra Faustum cap. 5.*



qua mente & consilio hoc aduersum vos capitulum proferamus, non quòd à carnibus abstineatis, nam & hoc primi patres nostri fecerunt, sicut commemoras: non tamen ea damnandi, sed significandi gratia, quod non intelligitis: & Christiani, nõ hęretici, sed Catholici, edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant: nõ solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atq; temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes: Vos aũt ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis. Ac paulò pòst: Si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum hortatur Apostolica doctrina. Qui dat nuptum, bene facit, & qui non dat nuptum melius facit: vt bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem, sicut facit Ecclesia, quæ verè Christi est Ecclesia, nõ vos Spiritus sanctus ita prænunciaret, dicens: Prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Et in proximè sequenti libro: Omnia, inquit, munda mundis, secundum naturam in qua creata sunt, non tamen omnia secundum significationem munda, primo populo Iudęorum: nec vobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis, apta sunt: sed cùm sua cuiq; redduntur, & naturalem ordinem seruant, omnia munda sunt mundis, immundis aũt & infidelibus (quales præcipuè vos estis) nihil est mundum. Eadem hac apostolica sententia, qua notat hęreticos prohibentes nubere, à Iuliano quoq; Pelagij sectatore se perstrictum fuisse scribit Augustinus, quasi dixerit post aduentum Christi turpia esse coniugia, cùm ipse tamen nihil tale dixerit, neq; coniugium, sed concupiscentiæ malum, sine quo coniuges non copulantur, esse turpe scripserit. Et contra Adimantũ scribens, cùm eadem Apostoli verba produxisset: Hos, inquit propriè designant, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant: sed quia ipsas carnes immũdas putant, & earum creatorem Deum esse negant. Nos aũt teneamus Apostolicam disciplinam dicentem, quod omnia munda sunt mundis: seruata moderatione Euangelica, vt non grauentur corda nostra cruditate & vinolentia. Et alio loco: Non reijciendis generibus ciborum tanquam pollutis, sed cõcupiscentiæ perdomandæ ac fratrum dilectioni retinendæ omnis eorum inuigilabat industria. Nec in ipsis rebus quibus vescerentur, sed in animo vim esse quandam persuasum habebant, quæ ad eum valeret maculandum. Et iterum alio loco, Manichęos alloquens: Quęro, inquit, à vobis, quo fine ieiunetis? Finis. n. quo referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus, quicquid facimus, si non solum culpabilis, sed etiam laudabilis fuerit: tunc demùm etiam facta nostra laude aliqua digna sunt: sin ille iure meritoq; culpatur, quem spectamus & intuemur, cùm in aliquo versamur officio, id quoq; officium nemo improbandum vituperandumq; dubitauerit. De Catilina, memoriæ proditum est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi spurco sacrilegoq; etiam cum Apostolis nostris communia: vnde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo, quem diuersissimum sequebatur? Namq; illa iste tolerabat, vt immoderatissimas & immanissimas expleret cupiditates: illi contrà, vt eas premerent, vt dominanti rationi seruire cogerent. Soletis & vos, cum Catholicorum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere, etiam mula virgo est. Temerè id quidem propter imperitiam Catholicę disciplinæ: sed tamen significantes vanam esse continentiam istam, nisi ad aliquem rectissimum finem certa ratione referatur. Possunt & catholici Christiani vestram à vino & carnibus abstinentiam, iumentis & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare: sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præproperè faciam: sed discutiam primò, quo ista fine faciatis.

*Cap. 6. 2. Corinth. 7. 1. Tim. 4.*

*Cap. 3. Titum 3.*

*Aug. lib. 5. cont. Iulianum sub finem. Cap. 14. Titum 1. Lucæ 21.*

*Ang. de moribus Manichęorum lib. 2. cap. 3.*

Docet his verbis Augustinus, quòd alia fuit causa, cur abstinerent Iudæi, alia cur Christiani, alia cur hæretici Manichæi, Taciani, & quicunq; tandem alij. Iudæi significandi gratia: Christiani domandi corporis causa: hęretici quòd ipsam creaturam bonam negarent, & immundam dicerent. Quos notare videtur Apostolus, cùm dicit: Venturos in nouissimis temporibus, q prohibeãt nubere & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad pcipiẽdũ cum gratiarum actione: Quod etiam Hieronymus annotauit, dicens: cum eadem Apostoli verba per Iouinianum obijcerentur: Reprobat, inquit Apostolus, eos, qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat & Tacianum, & cęteros hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda, contemnenda & abominanda opera creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Similiter quoque Ioannes Chrysostomus, eundem Pauli locum enarrans: De Manichæis, inquit, & Encraticis, & Marcionistis, omniq; illorum officina hic loquitur. Ambrosius quoque, Marcionistas, Patricianos, & Manichæos ijs verbis notari scribit. Theodoretus quoq; in extrema eius libelli parte, quem inscripsit, Diuinorum decretorum optime: A vino, inquit, & ab esu carnium, & ab alijs eiusmodi abstinentiam, non similiter, vt hęretici, amplectitur Ecclesia. Illi enim ab ijs tanquam ab immundis abstinendum esse censent: Ecclesia autem nihil horum decreuit. Ac post quædam interiecta: Encratitarum ergò errorem diuinæ literæ pulchrè conuincunt: Dei autem Ecclesia aduersatur quidem fabulis hæreticorum, diuina verò decreta sequitur. Et qui fuit vetustior his Cyrillus Hierosolymitanus: Ieiunamus, inquit, à vino & à carnibus abstinentes, non quòd oderimus hæc tanquam abominationes aliquas, sed quòd mercedem expectamus: vt cùm ea quæ sub sensum cadunt neglexerimus, fruamur spirituali mensa, quæ sola potest mente comprehendi: & vt nunc seminantes in lachrymis, in futuro seculo cum exultatione metamus. Itaque rectè monet Palladius, non esse laudandam aut vituperandam cibi vel potus materiam, sed beatam vel miseram iudicandam esse mentem eorum, qui rectè vel malè vtuntur materia. Rectè quo-

*Abstinẽtia Christi. anorũ, Iudæorũ. & hæreticorũ diuersa. De moribus Ecclesiæ, cap. 33. 1. Tim. 4. Hieron. lib. 2. cont. Iouinianum.*

*Chrys. hom. 12. in priorẽ ad Tim. epist. Vide eundem hom. 65. ad popul. Antio. Theod. cap. de abstinentia.*

*Catech. 4.*

*Pallad. in epist. ad Lausum in præfatione eiusdem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



que scriptum est ab Isodoro. Non quia carnes malę sunt, ideò prohibentur: sed quia earum epulę carnis luxuriam gignunt: fomes enim ac nutrimentum omnium vitiorum sunt: esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & hanc destruet. Piscem sanè, quia eum post resurrectionem accepit Dominus, possumus mãducare: hunc enim nec Saluator, nec Apostoli prohibuerunt.

*Bisantinorũ religio in obseruando quadragesimæ ieiunio. Nice. lib. 17. eccles. hist. cap. 32. Chrysost. hom. 6. ad populum Antioch.*

Ante mille annos Iustinianum Imperatorem fecisse tradit Nicephorus, cùm fames Bisantij increbuisset: vt secunda statim ieiunij hebdomada carnes, in foro venales proponendas promulgaret: & hoc quidem sic per vim actum: Populus aũt, inquit, qui pietatẽ sibi cõfectãdam statuisset, neq; eas emebat, neque edebat: mortem sibi potius adeundam esse censens, quàm vt quicquam de patrijs moribus & traditionibus mutaret. Ad Antiochenos autẽ sic loquitur Ioannes Chrysostomus: Quid difficilius, non iurare, vel per totum diem inediam pati, & aquæ potu, & tenui victu siccari? Certum est, quòd hoc illo grauius: sed tamẽ cõsuetudo res est tam facilis & expedita, quòd adueniente ieiunio, etiamsi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege nõ concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum: & hoc cùm non inuitè nos circa mensam habeamus, tamen propter consuetudinem ex conscientia omnia

*Actione 11.*

generosè ferimus laborantes. Ante mille ducentos annos, fuit hæc in Antiochia consuetudo, ex qua ciuitate Christianum nomen sumpsit originem: nam ibi primum discipuli dicti sunt Christiani: neq; dubiũ est, quin eam ab Apostolis per manus traditam acceperint: Nam & Telesphorus, qui sextus fuit à Petro Romanus Pontifex, iam suo tempore statutum fuisse scribit, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Dñi vocati à carne ieiunent. Neq; secùs in Alexandria fuisse obseruatum, testis est Theophilus eius

*Lib. 3. Paschalis.*

vrbis Episcopus, Chrysostomi æqualis: qui grauiter eos insectatur, qui clàm vinũ bibebant, & clausis parietibus, carnibus diebus quadragesimę vescebantur. Simul Danielis & trium puerorum exemplo ad eorum continentiam imitandam suos admonet, ac diligenter hortatur, vt ieiuniorum tempore à vino & carnibus abstineant.

Quid igitur dicemus? doctrinas dæmoniorum docuisse Ioannem Chrysostomum, qui tùm verbum Dei prædicabat in Antiochia? doctrinas dæmoniorum docuisse Theophilum Alexandrinum Episcopum? doctrinas dæmoniorum docuisse reliquos omnes totius orbis Episcopos, iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus: qui consuetudinem hanc à certis cibis, certis temporibus abstinendi, non modò non reprehenderunt, verumetiam ad mordicus eam obseruãdam, populũ tam diligenter sunt cohortati? Quid hoc esset aliud, quàm vniuersam Ecclesiam catholicã Sataniśmi condemnare? cuius rectius arguuntur Sataniani nostri temporis, quàm seculorum omniũ à Christo passo ad hæc vsq; nostra tẽpora Christiani. Qui non ignorabant omnia esse munda mundis, ac multò melius intelligebant, quos

*1. Timoth. 4.*

notaret Paulus, cùm doctrinas dæmoniorum appellauit, prohibentes abstinere cibis, quos Deus creauit, &c. quàm qui nostro seculo sibi cornicum oculos confixisse videntur. Sed nec illud eos interea fugiebat, quòd bonum esset etiam à licitis abstinere, & cùm castigatius viuendum est, ita discernere cibos, vt vsus eorum semoueatur, non natura damnetur. Etiam

*Cap. 13.*

ante Chrysostomum & Theophilum in Ancyrano concilio legimus constitutum, vt Presbyteri & Diaconi, qui à carnibus abstinent, hoc est, ipsi sibi à carnibus abstinentiam indixerunt, non eas tanquam immundas contemnerent, verùm cõtingerent, & ita demùm si vellent, abstinerent: quòd si in tãtũ eas abominarentur, vt si quãdo cum oleribus carnes essent

*Cap. 2.*

coctę, ab ipsis etiam oleribus abstinerent, ordinè suo mouerentur. In Gangrensi quoq; con-

*Cap. 19.*

cilio, si qui carnem edentem cõdemnassent, anathema sunt pronunciati: in quo tamen ipso cautum est: Si quis eorum, qui continentiæ studeant, absq; necessitate corporea, ieiunia communia totius Ecclesię putauerit contemnenda, perfectã in sua scientia vindicans rationem, anathema sit. Quod vtrunq; contra eos, qui sequebantur Eustachium hæreticum, sanctum videtur. Nam is & ieiunia, quæ prædicantur in Ecclesia, contemnenda censuit: & nonnullos

*Cap. 14. 32.*

cibos carnium, tanquam illicitos reputauit. Sic igitur ieiuniorum est obseruantia comprobata, vt extra ieiunij tempus carnium esus illicitus non esse putaretur. In Bracarensi primo cõcilio decretum est posteà: Si quis immundos putaret cibos carnium, quas Deus in vsum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus præguſtet, ſicut Manichæus & Priscillianus docuerunt, anathema sit.

*Bern. hom. 66. in Cant.*

Ac ne quis putet priscis tantùm illis temporibus ita creditum & obseruatum esse, etiam Bernardi seculo, qui vixit ante quadringentos viginti quatuor annos, quo tempore qui se vocant Euangelicos, volunt extinctam fuisse lucem Euangelij: fuerunt hęretici, qui doctrinas dæmoniorum docerent, prohibentes nubere & abstinere à cibis, &c. quos ille grauiter insectatur, dicens: Abstinent, inquit, hi (vt prædixit ille) à cibis, quos creauit DEVS ad percipiendum cum gratiarum actione, hinc quoq; hęreticos se probantes: non sanè quia

*Hæreticorum abstinentia qualis. 1. Corinth. 9. Ephes. 5. 1. Timoth. 5.*

abstinent, sed quia hæreticè abstinent: Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio, pro impietate. Num redarguimus Paulum, quòd castigat corpus suum, & in seruitutem redigit? Abstineo à vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico vtor: iuxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnẽ, simul & carnis nutriant vitia. Hæreticus aliter: Nempè horret lac, & quicquid ex eo conficitur: postremò omne quod ex coitu procreatur. Rectè & Christianè, si nõ idcirco quia ex coitu, sed ne ad coitum prouocent. Cæterùm quid sibi vult, quòd ita generaliter omne quod ex coitu generatur, vitatur? Suspitionem generat mihi abstinentia ista ciborũ tam signanter expressa. Veruntamen si de regula Medicorum hæc profers nobis, nõ reprehendimus curam carnis, quam nemo vnquam odio habuit, si tamen non nimia fuerit. Si de

disciplina abstinentium, id est, spiritualium Medicorũ schola, etiam virtutem approbamus, qua carnem domas, frenas libidinem. At si de insania Manichæi præscribis beneficẽtiæ Dei, vt quod ille creauit, & donauit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modò ingratus, sed & censor temerarius immundum decernas, & tanquam à malo abstineas: nõ planè abstinentiam collaudabo, sed execrabor malitiam, & blasphemiam: te magis immundũ dixerim, qui immundũ quid putas. Omnia munda mundis, ait ille rerũ optimus æstimator: *Ad Tit. 1.* quia nihil immundũ, nisi ei qui immundũ quid putat: Immundis aũt & infidelibus nihil est mundũ, sed polluta est eorum & mens & conscientia. Vę qui respuitis cibos, quos Deus creauit, iudicantes immũdos, & indignos, quos traijciatis in corpora vestra. Et qui plus minus octoginta annis Bernardum præcessit Anselmus Cantuariẽsis Archiepiscopus, Agimnenses hæreticos suo tempore fecisse scribit, vt prohiberent nubere, & à cibis abstinere iuberent. Quorsum aũt attinet eos recẽsere, qui posteà sequuti sunt Petrum Lombardum, Thomam Aquinatem, Nicolaum Lyrensem, Hugonem Cardinalem, & multos alios, qui sunt in Paulum cõmentati? quos oẽs eundem sensum retinuisse constat: Vt miranda sit eorũ impudentia, qui fingunt Ecclesię fuisse præceptum, vt à certis cibis tanquam immundis homines abstinerent, quos Deus creauit ad percipiendũ cum gratiarũ actione fidelibus. Sed in re clariore, quàm vt vllius confutationis indigeat, nihil est quòd simus longiores.

Producunt & illud veteres ac noui Aëriani, quod à Paulo scriptum est: Iusto lex non est posita. Quin hoc digito Dei scriptum sit, quis est qui negare audeat? verùm interea quis est ille, qui se iustũ audeat profiteri? Nos certè qui à Magistro nostro docti sumus orare: Dimitte nobis debita nostra: non inuiti verba S. Ioãnis vsurpamus: Si dixerimus, quoniam peccatũ non habemus, nos ipsi seducimus, & veritas non est in nobis. Dixit Christus: Non se venisse iustos saluos facere, sed peccatores. Glorientur hi de sua iustitia, quorum causa Christus nõ venit: nos peccatores & iniustos nos esse libenter agnoscimus: atq; ideò legem nobis esse positam facilè ferimus, qua & à peccatis prohiberi, & in officio contineri queamus. Sed est quædam tamen iustitia Christiana, cui lex posita non est: neq; desunt viri iusti & boni participes Christi facti: qui cùm ipsi sibi sint lex, ea quæ legis Christi sunt, sponte faciunt, & à lege coërceri opus non habent. Scripsit ad Timotheum Paulus: Iusto non est lex posita. Da mihi Timotheos omnes: Tantùm abest, vt eis abstinentiæ legem aliquam Ecclesia ferendam esse putet, vt hortetur etiam cum Paulo: Nolite bibere aquam, sed vtimini vino modico. Sed quid si quàm rarissimi nunc Timothei, magna autem ex parte sunt omnes Epicurei? quorum DEVS venter est: qui vitam hanc sibi vitalem esse non putant, nisi quotidie vino se ingurgitent, nisi quotidie ventrem suum carnibus farciant: Qui sicut à Propheta scriptum est, mane consurgunt ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuent. Cythara, & lyra, & tympanum, & tybia, & vinum in cõuiuijs eorum. Quid hoc ingenio præditis facere debuit mater Ecclesia? Nunquid sineret eos suo arbitratu ferri, & sua libidine frui permitteret? Non potuerunt hoc ferre piæ matris nostræ viscera, nullius rei præterquam salutis nostræ auaræ: Quin illa, quos ita videbat epulis, vino, luxuriæ se dedidisse, quibuscunque potuit rationibus ad officium reducendos, & legibus ad abstinentiam & sobrietatem adigendos esse putauit: quo Dei nomen omnipotentis, & vera nostræ fidei ratio, quæ in spiritus libertate, nõ quæ in carnis licentia posita est, etiam ab inuitis quoquo modo coleretur. Quare si quis Apostolorum temporibus nullam de ieiunijs, deq; ciborum habendo delectu legem latam fuisse dixerit, cum eo nos non magnoperè contendemus. Quid enim ibi lege fuit opus, vbi charitas plus vltrò præstabat, quàm vlla potuisset lex imperare? Non à carnibus modò, verumetiã ab omni animãtiũ esu sibi tum homines temperabant. Testatur Philo, qui fuit Apostolorum æqualis, tantam fuisse temporibus illis abstinentiam, vt nullus esset prandiorum vsus, neq; priusquam Sol occidisset, cibum quisquam caperet: tertio nonnulli, quidam quarto, alij quinto, sexto demùm die corpus alij cibo reficiebant: Erat autem illis potus aqua sola, obsonium panis cum sale & hysopo. Quamuis autem de Essęis Philo hæc scripsisse nonnullis videatur, quasi gentem suam laudare voluerit. Eusebius tñ Cęsariũ, & eũ secuti Hieronymus, Epiphanius, Cassianus, Beda, Suidas, Georgius Cedrenus, de Christianis illius temporis, nominatim verò de Marci Euãgelistæ discipulis qui singuli Philonem tradidisse non dubitanter afirmant. Vbi igitur suum quisque corpus eum Paulo castigabat, & in seruitutem redigebat, vbi tota die mortificabantur, & facti sunt tanquam oues occisionis: vbi tantùm carni detrahebant, vt in carne degentes, extra carnem constituti, & nihil aliud quàm spiritus esse facti viderentur: quid ibi lege, quid fuit opus constitutione, quæ vel ieiunij certum tempus, vel ciborum discrimen aliquod præscriberet? Frenis illi magis, quàm calcaribus indigebant, atq; vt remitterent aliquid de rigore sio, vt q; corpori suo nõ nihil indulgerent, admoneri necesse habebant, sicut à Paulo Timotheum admonitum esse, iam communicauerimus. Quod ab Attalo quoq; martyre factum refert Eusebius: qui cùm vidisset Alcibiadem quendam eadem ex causa, qua, se nimirùm quòd Christum confiteretur in vincula coniectum, eodẽ vti squalido viuendi genere, quo, cùm liber adhuc à vinculis fuisset, vsus anteà fuerat, nihil vt præter panem ederet, nihil præter aquam biberet: quoniam reuelatum illi fuerat, non rectè agere Alcibiadem, qui creaturis Dei non vteretur, & alijs prætereà offendiculi occasionem relinqueret, persuasit Alcibiadi, vt intrepidè cuncta vsurparet, sibiq; eum dicto audientẽ habuit. Hanc historiam recitat quidam ex hostibus veræ doctrinæ, ad ciborum delectũ abrogandum. Mirum aũt, qua frõte scribat inibi, cùm dehortatur Attalus Alcibiadem, ab hoc nimio plus austero viuendi genere, rationem hanc additam esse, quòd rudiores existimarent hæc discrimina ciborum esse præstantiorem cultum Dei, quem errorem taxari posit non confirmari: cùm nihil horum apud Eusebium legatur, qui non aliud meminit, quàm quòd offendiculi relinqueret

*1. Timoth. 1. Iusto lex non est posita. Matth. 6. 1. Ioan. 1. Matth. 9.*

*Rom. 2.*

*1. Tim. 5. Philipp. 3.*

*Esaiæ 5.*

*Ieiuniorum institutorum causa.*

*Philo de vita contemplat. siue de supplicibus. Christianorum primorum abstinentia. Euseb. lib. 2. ca. 17. eccles. hist. Hier. de viris illustribus. Epiphan. contr. Nazareos, hæresi 29. Cassian. lib. 2. ca. 5. de cœnobiorum institutis. Rom. 8. Euseb. lib. 5. eccles. hist. cap. 3.*

*Pseudeuangelicorũ sycophantia, cap. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



occasionem. Visus est enim cęteris ansam dare suspicandi, quòd propter eam causam abstineret, quasi reliquos cibos immundos esse iudicaret, qui pręter panem & aquam nullo vel cibi vel potus genere vteretur. Sed eiusmodi affingere, hostibus euangelicę veritatis nouũ non est. Neq; verò solus tum Alcibiades, verùm omnes ferè qui Christiani censebantur, vt plurimum à carnibus abstinebant: quod illa verba Biblidis Gallicanæ Martyris indicant: quæ cum in eodem Eusebij libro scripta sunt, silentio tamen à veritatis hostibus prætereuntur. Conabantur eam impij tormentis adigere, vt confiteretur, cuius tum criminis Christiani falsò insimulabantur, infantes ab illis edi: illa verò quamuis tormẽtis victa, Christum anteà negauisset, in temporario tamen illo supplicio de pœna cogitans æterna, contra spem tortoribus contradicens: Quomodo, inquit, infantes ederent illi, qui ne irrationabilium quidem animalium carnibus vtuntur. Quamobrem non magis Alcibiades carnibus tum abstinebant, quàm vel Attalus ipse, vel qui vixerunt seculo illo christiani magna ex parte omnes. Verùm cùm Alcibiadis vita durior fuisset, qui solo pane & aqua contentus viuebat: non hoc Alcibiadi præcepit Attalus, vt carnibus vesceretur, verùm vt ne nimia hac abstinentia sibi vitæ periculum accerseret: neve quibus vti socios cibis videret, eos auersaretur. Verùm vt vnde deflexit, redeat oratio. Da mihi Timotheos, da Alcibiadas, da quales Apostolorum temporibus, quales Antiochię fuerunt, qui ne tormentis quidem adigi poterant, vt contrà quam esset moribus obseruatum, cibum aliquem aut potum sumerent: da quales Constantinopoli fuisse commemorauimus, qui mortem subire potius erant parati, quàm vtin quadragesima carnium aliquid imperatore cogente gustarent: quandoquidem & ipsi sibi fuerunt lex, & legis vim apud eos obtinuit consuetudo: non modò nõ esse ducemus necessarium, legem eis aliquam poni, verumetiam si feruore nimio progressi longius fuerint, magis etiam abstinendo quàm eorum valetudo ferre posse videbitur, vltrò monebimus, vt aliquid corpori tribuant: reprimendam, non aũt prorsus opprimẽdam carnem esse memnerint. Sic ioãnem quoq; Gersonem ad quendam inclusum in monte Valeriani scripsisse legimus: Non multum refert, si quodcunq; appositum fuerit tibi, comederis, seruata institutione Ecclesię, & temperantię modestia moderata, qualiter expressa est. Qui verò cõtinentiam iure iurando professi, continere se posse negant, qui perpetua viuere volunt Bacchanalia, quales nostro seculo, proh dolor, nimis multos reperire licet, eos durioribus etiã constringi legum vinculis oporteret: vt pro perpetuis Bacchanalibus, perpetuas agerent quadragesimas: sic enim (quoniam sine Cerere & Baccho friget Venus) à licitis abstinentes, facilius illicitis resisterent, nec impossibilitatem continendi causarentur. Quamobrem fieri potest, vt initio consuetudo tantum fuerit, ieiuniorum temporibus à carnibus abstinẽdi: quæ cùm nihil ea de re in generali concilio constitutũ esset, non eadem ab omnibus obseruabatur: Sed posteaquam in deterius prolapsi sunt mores hominum, factum est, iuxta vetus verbum, vt bonæ leges ex malis moribus procrearentur. Sic cùm in Armenia sabbatis tantùm & Dominicis diebus in quadragesima vescerentur ouis & butyro: sexta synodus Constantinopolitana sub Imperatore Iustiniano celebrata lege sanxit: Si quis oua aut butyrum edisset in quadragesima, vt clericus deponeretur, laicus excommunicaretur: Sic cùm horrenda quorundam ingluuies in quadragesima ne à carnibus quidem abstineret, non multo post sextam illam synodum in prouinciali concilio Toletano octauo, hęc est edita constitutio: Quisquis sine ineuitabili necessitate atq; fragilitate & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimę esum carnium pręsumpserit attentare: nõ solùm reus erit resurrectionis Dominicę, verumetiam alienus ab eiusdem diei sancta cõmunione: & hoc ille cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ, oblitus est disciplinæ. Illi verò quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quàm à sacerdote permissum percipiant.

*Christiana indulgentia.*

*Ieiuniorũ variæ cõsuetudines & leges. Cap. 9.*

Non est ergò lex iusto posita: Nam si omnes iusti essemus, nihil præscripto legis opus haberemus, cùm sibi quisque lex esset. Itaq; quod scripsit Paulus: Iusto lex non est posita: idem cum eo vult esse Clemens Alexandrinus, quod à Socrate dictum fuit aliquando: Legem nõ esse factam propter bonos. Proinde & alio loco Paulus, cùm spiritus fructus enumeraret, charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem: Aduersus huiusmodi, inquit, nõ est lex. Non quod etiam qui sunt ijs virtutibus præditi, legi subiecti non sunt (nam si sanctus sanctorum Dñs noster IESVS Christus fieri sub lege dignatus est, quis erit tam sanctus, qui subiectus esse legi recusет?) sed quòd qui iusti sunt, non terrore legis adacti, quod lege præscriptum est, faciunt, sed ipsius potius recti, quod lege præscriptum est, amore: sicut etiã à Poëta quodam scriptum est: Oderunt peccare mali formidine pœnæ: Oderunt peccare boni virtutis amore. Sic Philosophum quendam, cùm ex eo percõtaretur Dionysius tyrannus, quid præ cęteris mortalibus eximium haberent Philosophi? respondisse ferunt: vt etiã si omnes leges aboleantur, tamẽ æqualiter victuri sint. Vulgus enim à peccando legum prę scriptis arcetur, Philosophus rationem habet pro legibus: nõ ideò quod rectum est faciens, quia lex iussit, nec ideò temperans à scelere, quia lex vetuit, sed quia nouit illud per se rectũ, hoc esse per se turpe. Atqui multò rectius hoc de Christiana Philosophia dici potest: quàm qui sunt amplexi, non ideò Deum vnum colunt, non ideò sibi cauent, ne nomen eius in vanum assumant, non ideò sabbata sanctificant, non ideò parentibus honorem habent, non ideò à cęde, ab adulterio, à furto, à falso testimonio, ab vxoris aut rei alienæ concupiscentia abstinent, quia lex hoc præcepit, quia graues pœnas Deus cõminatur, si secùs aliquis faciat, verùm facit hoc in illis amor, quo feruntur erga Deum & erga proximum: vt etiam si nulla de rebus ijs lex interc essisset, nihil tamen vnquam committuri sint, quo vel Deus, vel proximus offendi queat. Cùm de Gygis annulo mentionem fecisset Ambrosius: Da, inquit, hunc annulum sapienti, vt beneficio eius possit latere cùm deliquerit, non minus fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est. Denicq; lex non iusto est posita, sed iniusto. Quia iustus legẽ habet mentis suę, & æquitatis ac iustitiæ suæ normam. Ideoq; non terrore pœnæ reuocatur à culpa, sed honestatis regula. Quamobrem etsi cõsilium legis fortasse non fuit sanctos comprehendere, qui nullius præceptionis aut admonitionis indigent, comprehenduntur ea tamen. Cùm enim lex in vniuersum ponatur, nec fieri cõmodè possit ista distinctio, æquius est paucos sanctos legi subijci, quàm vniuersos absq; lege viuere. Tenẽtur itaq; legibus nõ diuinis magis quàm humanis etiam sancti, quamlibet illis præceptio legis esse superuacanea videatur: neq; debet quisquam, quantumuis iustificatus à mandatorum obseruatione se liberum esse putare. Probis enim & rectis non minus est necessaria virtutis exercitatio, quàm lubricis & inconstantibus vitij interdictio. Tum autem præclarum est, si qui iustitia cęteros antecellunt, exemplo suo parendo, legibus eos in officio contineant: Neque dubium est, quin, qui spiritu Dei aguntur, quoniam non elatione animi & arrogantia, sed humilitate sunt sobrietateq; sapientes, magna animorum suorum alacritate subiuncturi se sub legis imperium: atq; omnia prius & facere & pati parati sint futuri, quàm vt cuiquam esse velint offendiculo. Neq; ea res quicquam Euangelicæ libertati obstabit: quandoquidem præclarè dictum est ab Augustino, quod præceptum liber facit, qui libens facit. Sanctus ille Rex & Propheta, qui dixerat paulò ante: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum: statim subiunxit: Legem pone mihi Domine, viam iustificationum tuarum. Adeò non dedignabatur ille, qui iam viam mandatorum Domini cucurrerat, cui præclarum illud elogium à Domino tributum legimus: Inueni DAVID filium Iesse virum secundum cor meum: adeò non dedignabatur legi subijci, vt vltrò etiam sibi legem poni peteret, quàm sciret intelligendo, faceret diligendo: in latitudine amoris non in angustijs timoris. Qua de re sic ex Abbatis Theonæ sententia scripsit aliquando Cassianus: Iusti, quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis non solùm implere, verumetiam superare contendant: sitq; deuotio eorum legali maior imperio: quæ obseruantiam cumulans præceptorum, voluntaria addat ad debita. Præceptor quoque Cassiani Ioannes Chrysostomus explicans illum locum Pauli: Scimus quia bona lex est: Quemadmodum, inquit, literarum apices pueris proponuntur, porrò qui eas docet, non ex ipsis excellit: Verùm aliundè peritiæ gloriam promeretur, atq; ex ea eruditione præstantius vtitur literis: Ita & qui legem transcendit, nihil opus habet doceri lege. Qui enim non metu ipsam exequitur, sed ex virtutis desiderio, hic illam dignius cęteris ac præstantius implet. Neq; enim pari conditione is, qui supplicium veretur, & qui honorem appetit, legem implet. Non similiter eam seruat, qui sub lege, & qui supra legem est. Nam supra legem viuere, id tandem est ea legitimè vti. Ille enim rectè ea legitimè vtitur, qui maiora quàm ipsa præcipit, perficit, qui ab ea erudiri non patitur. Lex enim, vt plurimum, circa scelerum interdicta versatur. Ad id iustum neminem facit, sed sola bonorum operum exercitatio. Et explicans Pauli locum superius à nobis citatum. Quemadmodum ait, equi freno morigeri, omniaq; ex se facientes, non opus habent scutica: sic & anima quæ impulsu spiritus recta facit, non eget admonitrice lege. Sic LEO quoq; Magnus: Iusto dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis: cùm verus recti amor in semetipso habeat & apostolicas auctoritates & canonicas sanctiones. Et ante eũ Augustinus: Iniustus legitimè lege vtitur, vt iustus fiat: quod cùm factus fuerit, ea iam non vtatur, tanquam vehiculo cùm peruenerit, vel potius tanquam pædagogo, cum eruditus fuerit. Quomodo enim iusto lex non est posita, si & iusto est necessaria, non qua, iustus ad iustificãtem gratiam perducatur, sed qua legitimè iam iustus vtatur? Idem alio loco: Iusto lex posita non est, id est, imposita, vt supra illum sit. In illa est enim potius quàm sub illa, quia non sua vita viuit, cui coërcendæ lex imponitur: vt enim sic dicam supra ipsam quodammodo legem viuit, qui cum dilectione iustitię, iustè viuit: non proprio ac transitorio, sed communi & stabili gaudens bono. Et alio loco eundem locum explicans: Aliud est esse in lege, aliud sub lege: qui est in lege, secundum legem agit: qui est sub lege, secundum legem agitur: ille ergo liber est, iste seruus. Quæ verba repetit etiam Anselmus, explicans illud Pauli: His qui sub lege sunt, quasi sub lege sint. Rabanus, quæ de Rachabitis à Hieremia scribuntur, explicans: Iusti, inquit, quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis, non solum implere, verùm etiam, superare contendant: sitq; deuotio eorum legali maior imperio: quæ obseruantiam cumulans præceptorum, voluntaria addat ad debita. Quod postea docere conatur exempla Abrahę, qui cum iure posset, nihil eorum accepit, quę sibi Sodomorum Rex obtulerat: Dauid, qui non solùm amicos, verumetiam inimicos diligebat: Heliæ & Hieremiæ, qui cùm licitè vti coniugio possent, virgines tamen perseuerare maluerunt: Helisęum ac reliquos huius propositi viros, qui Mosaica superantes mandata, circuibant in melotis, & in pellibus caprinis in solitudinibus errãtes, & montibus & speluncis, &c. Et filios illos Ionadab, de quibus tractat Hieremias. Itaq; iuxta Rabanum soli videntur esse Monachi, de quibus rectè dici potest: quòd iusto non est lex posita. Nam vltrò continentiam, paupertatem, & eam vouent ac præstant obedientiam, quam nulla lex ab eis exigit.

*Olem. l. 4. stromat.*
*Galat. 5.*
*Galat. 4.*
*Philosophiæ utilitas.*
*Christiana Philosophia.*



*Lib. 3. cap. 5. de officijs.*

*Sancti subiecti legibus.*

*Aug. de gratia Christi cont. Pelag. lib. 1. cap. 13.*
*Psal. 118.*
*Actor. 13.*

*Cassian. coll. 21. capite 3. & 29.*

*Ho. 21. ad Timoth.*

Sed libet Bernardi quoque verba adscribere: Nec filij, inquit, sunt lege: nisi fortè aliquis aliter sentiat, propter hoc quod scriptum est: Iusto non est lex posita. Sed sciendum est, quòd alia lex est promulgata à spiritu seruitutis in timore, alia à spiritu libertatis data in suauitate: nec sub illa coguntur esse filij, nec sine ista patiuntur. Vis audire quia iustis non est lex posita? Non accepistis, inquit, spiritum seruitutis iterum in timore. Vis audire quod

*Leo epist. 90.*

*De spiritu & litera cap. 10.*

*Idem in cap. 2. ad Galat.*

*Psal. 1.*

*Hieremiæ 35.*

*Bern. epist. 11. & in libr. de diligendo DEO.*

*Rom. 8.*

quod tamen sine lege charitatis non sint? sed accepistis, ait, spiritum adoptionis filiorum. Deniq; audi iustum vtrunq; de se fatentem, & quòd non sit sub lege, nec tamen sit sine lege:
*1. Corinth. 9.* Factus sum, inquit, his qui sub lege erant, quasi sub lege essem: cùm ipse non essem sub lege. His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem: cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. Vndè aptè non dicitur, iusti non habent legem, aut iusti sunt sine lege, sed iustis non est lex posita: hoc est, non tanquam inuitis imposita, sed voluntarijs eò liberaliter data,
*Matth. 11.* quò suauiter inspirata. Vndè & pulchrè Dñs: Tollite, ait, iugum meum super vos. Ac si diceret: non impono inuitis, sed vos tollite si vultis: alioqui non requiem, sed laborem inuenietis animabus vestris. Bona itaq; lex charitas & suauis, quæ non solùm leuiter, suauiterq; portatur, sed etiam seruorum ac mercenariorum leges portabiles ac leues reddit: quas vtiq; nõ
*Charitas implet legem.* destruit, sed facit vt impleãtur, dicente Dño: Non veni legẽ soluere, sed implere. Illam temperat, istam ordinat, vtramq; leuigat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto: nũquam
*Matth. 5.* sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem serui, cùm infundit deuotionem: implet & mercenarij, cùm ordinat cupiditatem: Porrò timori permixta deuotio, ipsum nõ annulat, sed castificat: pœna tantùm tollitur, sine qua esse non potuit, dum fuit seruilis: & ti-
*Psal. 18.* mor manet in seculũ seculi: castus est & filialis. Nam q; legitur: Perfecta charitas foras mittit
*1. Ioan 4.* timorem: pœna intelligenda est, quæ seruili, vt diximus, nunquam deest timori: illo scilicet
*Timor qui appellatur à charitate.* loquutionis genere, quo sæpè causa ponitur pro effectu. Hactenus Bernardus: Ex cuius verbis colligere licet, iustos quoq; legibus etiam humanis esse subiectos: ac meritò in concilio Viennensi condemnatos fuisse Begardos & Beginas, qui eos qui sunt in gradu perfectionis & spiritu libertatis, nõ esse dicebant humanæ subiectos obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligari: quòd vbi spiritus Dñi, ibi sit libertas. Ac rectè quidem Paulus, sed non de
*2. Corinth. 3.* libertate carnis, verùm de ea libertate intelligebat, quæ legem exequitur, non timore, sed
*Leo ser. 4. de ieiunio septimi mensis. ser. 11. de quadrages. Lact. in lib. diuinarum instit.* amore. Obedientia. n. mollit imperium: nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur, sicut à Leone dictũ legimus. Qui etiam alio loco de obseruantia ieiunij quadragesimalis neminem vult excipi. Quia nemo, inquit, tam sanctus est, vt non sanctior: nemo tam deuotus, vt non debeat esse deuotior. Ante quem etiã Lactantius: Nemo, inquit, tam iustus esse potest, vt nunquam sit ei pœnitentia necessaria.

Nihil igitur allatum adhuc ab istis videmus, quamobrem tot seculis inueteratum in Ecclesia morem hunc à certis cibis, certis temporibus abstinẽdi, rectum sit abrogari. Ac intelligunt hoc ipsi quoq;, quòd ficulnea sunt planè præsidia quibus nituntur, sciunt nequicquã hæc à se produci, sciunt consuetudinem hanc maiorum sanctam & salutarem esse, rectèq; cum fide & humilitate custodiri, quamobrem tolerari posse, quinetiam vtilia esse fatentur exercitia: verùm superstitionẽ ferendam nõ esse, qua persuasum sit hominibus, quòd ritus,
*Ieiuninm an sit cultus Dei. Aug. lib. 3. contra Faustum, cap. 2.* hi, cultus quidam Dei sunt, id est, opera quibus Deus iudicet se honore affici. Quid autem? nunquid & hoc à Fausto Manichæo non fuit olim obiectum Catholicis? nunquid non hæc illius verba fuerunt à nobis paulò antè producta? Non solùm abstinetis, inquit Faustus Manichæus, sed etiam gloriam captatis ex inde: & eò acceptiores vos creditis Christo, quò eritis abstinẽtiores à cibis. Ac in proximo superiore libro hæc illius verba recitat Augustinus:
*Cap. 3.* Fert, inquit, in oculis eos qui ab animalibus abstinent, omnis Ecclesia: & summa veneratione suscipiens, solùm non Deos existimat. Quid igitur adfertur à nostri temporis hæreticis ad ciborum delectum abrogandum, quod non ab Aërio prius, à Iouiniano, à Fausto Manichæo fuerit ad eundem prorsus modum productum? Qui non in hoc solum sed in aliis etiam suis dogmatibus nihil de suo deprompserunt, sed præteritorum temporum erroribus aceruatis, vniuersos repentè in Ecclesia Dei renouauerũt: & bene sopitos ignes suscitantes, quæ totius orbis Christiani consensu quodam admirabili pridem hæreseos condicta sunt & damnata, ea pro veris vulgò persuadere conantur. Et hoc est præclarum (sic enim vocant) Euangelium, quod cùm sub scamno tot seculis delituerit, nunc tandem è tenebris erutum per se, & in lucem productum esse gloriantur. Quid igitur? Hostes Euangelij vocabimus Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomũ, Basiliũ, Theophilũ, Alexandrinum, Epiphanium, & alios omnes, quos tanquam clarissima totius Ecclesiæ lumina orbis vniuersus Christianus summa semper admiratione, laudeq; prosequutus est? Contrà verò, rædicatores Euangelij dicemus Aërium, Iouinianum, Faustum Manichæum, Vigilantium, Eunomium, & alia id genus hæreticorum portenta: quorum doctrinam iam inde à mille duHæretici contra catholicos Patrum testimonijs vtuntur. centis annis pugnare prorsus cum Euangelio indicatum est? Nunc autem eandem illam à tot seculis damnatam, ipsissimum Euangelium, ipsissimum esse Dei verbum vulgò persuadetur. Et tamen illi ipsi, qui veterum hæreticorum dogmata nunc renouare conantur, quoties contra catholicos certandum, veterumúe testimonijs vrendum eis est: non Aërij, non Iouiniani, non Vigilantij, quorum dogmata tuentur, sed Augustini, sed Ambrosij, sed Chrysostomi, sed aliorum orthodoxorum Patrum, quorum Euangelium oppugnant, auctoritate nituntur: & obtorto, quod aiunt, collo, eorum sæpè verba ad suam sententiam confirmandam pertrahere conantur. Sic suo ipsi iudicio, quos auctores sequuntur, eos habent pro hæreticis: cùm quorum verò doctrina pugnant, eos quamuis inuiti, citandis eorum testimonijs, catholicos esse confitentur, vtcunq; minimè ferendo supercilio, non de illorum scriptis modò, verumetiam de conciliorum decretis sibi censuram arrogare non verentur, sed si possent de suo supercilio nonnihil demere, suumq; iudicium Ecclesiæ iudicio submittere, hæretici esse non possent. Verùm vnde digressũ est, eo redeat oratio. Doctri-
*Ieiuniũ cultus Dei, & eius efficacia.* nam dæmoniorum esse iudicant hostes Euangelij, si quis hoc decus tribuas vel ieiunijs, vel ritibus alijs, quòd sint cultus Dei, id est, opera quę Deus approbet, ita vt se per ea iudicet honore affici.
*De ieiunio veterũ orthodoxorũ sẽtẽtia* Nunc nos, quę fuerit veterum orthodoxorum de ieiunio doctrina, videamus. Dixit Ambrosius,



brosius, quod ieiunium est culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, norma virtutum, animę purificatio, sacrificium reconciliationis, & quòd hoc ad Deum gradu citius peruenitur: Quid est autem aliud culpę mors, excidium delictorum, animę purificatio, quàm remissio peccatorum? quid aliud sacrificium reconciliationis, quàm cultus, quo nõ tantùm honore Deus afficitur, verumetiam offensus placatur? Scribit idem ad Vercellensem Ecclesiam: Qui sunt qui meritum excludant ieiunij? Nónne Gentilium vox est,
*Idem epist. 82. Esaiæ 22.* ita dicentium: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? Quo loco suo quoq; tempore fuisse demonstrat, qui baptizatis nihil obesse dicerent comessationes, nihil voluptatũ affluentiam, insipientes eos esse qui his careant: virgines oportere nubere, filios facere: simiiter & viduas iterare, quod semel malè virili admixtione expertæ sunt, etiam si se cõtinere possent: errare eas quæ nolunt iterare copulam. Atqui hoc est Euangelium, quod hæretici nostri quoq; tẽporis è tenebris erutum per se, & in lucem esse reuocatum gloriantur. Quid
*4. Reg. 4.* autem ad hęc Ambrosius? Placet, inquit, vt hominem exuentes, induamus pecudem? & expoliantes Christum, superuestiamur amictum diaboli? Quod isti vocant libertatem Euangelicam profiteri, hoc Ambrosius vocat exuere hominem, & induere pecudem, expoliare Christum, & vestiri amictum diaboli. Ac nõnullis interiectis: O stultum, inquit, Eliseum, qui
*Amb. in cap. 15. epi. 1. ad Corinth.* syluestribus ramis & amaris pascebat Prophetas, immemorem scripturarum Esdram, qui memoria scripturas reddidit: insipientem Paulum, qui gloriatur ieiunijs: si nihil prosunt ieiunia. Idem alio loco: Vt quid enim ieiunia, vigiliq, exitus, munda vita, iustitia, misericordia, mors, si pro his nulla merces erit in futuro? Nunquid aũt ab Ambrosio discrepat Augu
*Num. 8. 2. Corinth. 11. Aug. ser. 60. Ser. 69. Ser. 230. Pietas quid. Hier. ad Demetriadem.* stinus? cuius hæc verba sunt: Nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia ieiunet. Et alio loco: Quantò plures dies sunt ieiunij, tantò maior est causa remedij: quantò prolixior abstinentia, tanto redemptio copiosior est salutis. Qui etiam alibi ieiuniũ & orationem, cum plena fide exercetur, pietatem vocat. Quid est aũt aliud pietas, nisi cultus Dei? Hieronymus verò, cùm dixisset alicubi fundamentum omniũ virtutũ esse ieiunium: expli-
*Daniel. 6.* cans illum Danielis locum, vbi Rex misso Danièle in lacum, dormiuit incœnatus, & somnus recessit ab eo. Si, inquit, Rex nesciens Deum, hoc facit pro altero, quem vult de discrimine liberari: quantò magis nos pro peccatis proprijs, inedia & vigilijs debemus Deum ad clementiam flectere. Et cõtra Iouinianũ scribens, cùm inter alios multos, qui Deum offensum
*Ionæ 3.* ieiunio sibi conciliassent, ciuitatem quoq; Niniue recenseret, quæ imminentẽ iram Domini misericordia ieiuniorũ detorserat: hęc verba subiecit: Quã & Sodoma placasset & Gomorra, si voluissent agere pœnitentiam, & lachrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio. Et qui præcesserit hos oẽs Cyprianus: Quotquot, inquit, viros virtutum vidimus, sine ieiunio
*Cypr. ser. de ieiunio & sent.* non legimus ascendisse, nec aliquid magni moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid obtinere à Deo conati sunt, ieiunio incubuêre & lachrymis. nec defuit pu-
*In lib. de ieiunio contra Psychicos.* entus. Et quem ille suũ appellat Magistrum Tertullianus: Omnium, inquit, erga victus macerationem hæc est ratio, qua rursus interdicto cibo, & obseruato præcepto, primordiale iã delictum expiaretur: vt homo per eandem materiam causę Deo satisfaciat, per quam offenderat. Et iterum: Non modò naturę mutationem, aut periculorũ auersionem, aut delictorũ obliterationem: verumetiam sacramentorũ agnitionem ieiunia de Deo merebũtur. Et rursus: Sicut primum vsu cibi, homo amisit salutem: ita iam per eandem materiam, id est, abstinentiam cibi, Deo satisfaciat: atq; salutem æmulo modo reaccendat inedia. Paulò verò post: Delicta dicit expiari abstinentia. Theodoretus quoq; explicans illud Pauli, Cui seruio in spiritu meo: & is Deum colit, ei q; seruit, qui Deum precatur, & qui ieiunio vtitur, & qui vacat
*Leo ser. 4. de ieiunio decimi mensis.* diuinis eloquijs, & is etiam qui curandorum hospitũ curam gerit. Leo quoq; Magnus: Magna, inquit, diuinę institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur: in quibus aliorum temporũ culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Et alio loco: Curandis lęsionibus
*Ber. de oratione & ieiunio, ser. 4. Ieiunij affectꝰ & laudes. Luc. 16.* trium maximè remediorum est adhibenda medicina: in orationis instantia, in castigatione ieiunij, in eleemosynę largitate, Quę cùm pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa delentur, tentator eliditur. Porrò Bernardus, quem isti quoties agit de remissione peccatorum, deq; iustificatione, suarum esse partiũ gloriantur. Quid est, inquit, cõdonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennã enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, vbi guttam aquæ dies postulat, & accipere non meretur. Bonũ ergo & salutare ieiuniũ, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm aũt abolitio est peccatorũ, sed extirpatio vitiorũ: non so-
*Chrys. hom. 35. in Ioann. Basil. de pœnitent. hom. 1.* lùm obtinet veniã, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ cõmisimus, sed & repellit futura, quę cõmittere poteramus. Iam verò illa duo orientis lumina Ioannes Chrysost. & Basilius Magnus, quibus præconijs non affecerunt ieiunium, & à cibis abstinentiam? Quorum ille cùm ieiunium vocat purificationem animę, cùm scribit crapulam post terga ligare manus, vitiorũ tyrannidi, velut cuidam prauę dominæ, seruos nos, captiuos q; reddere: ieiunium verò, seruos existentes nos atq; ligatos inueniens vincula remittere, & tyrannide liberare, pristinam q; in libertatem reducere: Hic verò, cùm continentiam à cibis, dicit esse peccati ablationem, abalienationem carnalium affectuum, mortificationem corporis, & ipsorũ quoq; naturaliũ affectuum & desideriorum, initium spiritualis vitæ, conciliationem æternorum bonorum: nunquid non eadem, quæ sancti Patres illi occidentis Ecclesię dicunt? nunquid non istorum, qui Christianæ libertatis assertores videri volunt, insaniæ palam contradicunt? Sed quorsum attinet veterũ sententias omniũ proferre, quorũ plerosq; editis etiam ea de re sermonibus, maximis laudibus ieiuniũ in cœlũ tulisse legimus: Cui etiam tantum tributum ab illis videmus, vt quoniam non ieiunauimus in Paradiso, eiecti inde sumus: ieiunandum esse dicerent, vt vnde sumus eiecti, reuerti liceret.

Potue-

Potuerunt ne maius aliquid ieiunio tribuere, quàm quòd per illud aditum ad cœlos patere docuerunt? Sic enim loquitur Chrysostomus: Cibus è Paradiso te eiecit, ieiunium te reducit. Et Chrysostomum sequutus Augustinus. Eiecit ergò nos de Paradiso cibus: reducat esti ries, reducat ieiunium. Et ante eum Athanasius: Vt ob escam & inobediẽtiam proturbatus est Adam ex Paradiso, ita rursum per ieiuniũ & obediẽtiam in Paradisum qui volet, redibit. Et successor eius Theophilus: qui ieiunium, id est, conuersationem Angelicam per cõtinentiam breui ac paruo labore magna sibi & æterna cõciliauit præmia: & multò plus accipiunt quàm offerunt, & futuri temporis gloria præsentes angustias mitigant. Et qui fuit æqualis Athanasij Basilius: Quid quęso, Lazarum in Abrahami sinum collocauit, nisi ieiunium? Hieronymus quoq; Prouidendum est, vt quos saturitas de Paradiso eiecit, reducat esuries. Et alio loco: Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in Paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.

*Chrys. hom. in Tob. & Abraham.*
*Athan. in capitulis temperantiæ.*
*De virginitate. Lib. Paschali 3.*
*De ieiunio hom. 1.*
*Ser. 65. de tẽpore.*
*Hier. ad Eustochiũ de custodien. virgi.*
*Lib. 2. contra Ioninianum.*

Agè igitur, perfrica frontem Philippe, & hostes Euangelij fuisse, doctrinas dæmoniorum docuisse dic, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Tertullianum, Leonẽ, Bernardum, Athanasium, Chrysostomum, Basilium, Theophilum, Theodoretũ, denique veteres omnes orthodoxos, qui docuerunt ieiunium esse culpę mortem, excidium delictorũ, purificationem animę, redemptionem salutis, sacrificium reconciliationis, peccati abolitionem, æternorũ bonorum conciliationem: ieiunandum esse pro peccatorũ indulgentia, ieiunio Deum esse placandum: ieiunio redimi ęterna supplicia: te verò cum idolo tuo illebiensi quod adoras, relicto Christo & corpore eius Ecclesia, nũc demùm Euangeliũ, verumq; Dei verbum, tot seculis reconditum, in lucem protulisse.

Verùm vt ne quis erret, quæ fuerit hac de re sanctorũ Ecclesię Doctorũ sententia, quidq; sibi voluerint, cùm tantum ieiunio tribuerent, tantisq; præconijs illud efferrent, mentes hominum ad abstinentiam capescendam inflãmantes, breuibus explicabimus. Neq; enim existimandum est, quod isti videre se putant, nõ vidisse sanctos illos Patres, qui vel ante mille annos, vel trecentis his annis vixere, quibus isti extinctam Euangelij lucem fuisse volũt. Iam ante docere nos meminimus, quod qui proprię dicitur Dei cultus, nõ cõstat nisi mente & spiritu: nam quia spiritus est Deus, spiritu coli, spiritu vult adorari. Cęterùm verus hic & proprius Dei cultus, qui constat spiritualibus exercitijs, fide, spe, & charitate, quanquam in ipsa mente reconditus est, & abstrusus, fieri tamen non potest, quin per signa quædam & indicia se foras proferat, & ad spectantiũ oculos traducat. Verum est quod superius ab Augustino dictum cõmemorauimus, quòd nõ colitur Deus nisi amando: sed hic amor ociosus non est: & quamuis in voluntate consistat, externis tamẽ quibusdam se prodit indicijs: quæ quidem non perinde Deus attendit, atq; illam ipsam, vnde prodeunt indicia, voluntatem. Quamobrem non quid adferatur à nobis ad colendum Deum, sed qua mente adferatur, attendit Deus. Affectus est qui pretium rebus imponit. Affectus tuus, dicit Ambrosius, nomen imponit operi tuo, quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Et alio loco: Dñs non obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus. Sic ab Idiota quoq; viro cumprimis pio scriptum est: Quod non ieiunium, oratio, eleemosyna est via recta omninò, sed amor & dilectio est via rectissima absq; deuio, via breuis absq; tędio. Cui subscribens Bernardus: Non materia, inquit, nec exitus actuum, sed intentionis propositum culpas discernit & meritа. Quam intentionem alibi vocat faciem animę, ex qua nimirùm rectitudo operis, sicut ex faciei pulchritudo corporis æstimatur. Ante quem etiam Theodoretus: Scopo, inquit, & proposito bonum & malum indicatur: quod multis ex scriptura productis exemplis postea plenum facit. Et post eum Ionas Aurelianensis Episcopus, pleraq; in eandem sententiam scribit, vbi tractat de cultu imaginum. Quod adeò vulgò fuit etiam non ignoratum, vt in omnium ore passim fuerit versiculus ille volutatus.

*Cultus Dei interior.*
*Ioann. 4.*
*Epist. 29.*
*Affectum Deus attendit.*
*Amb. lib. 1. de offic. cap. 30.*
*Idem li. 7. in Luc.*
*Idem in cõtemplat. de amore diuino capite 17.*
*In Cõmentarijs in Oseam, & lib. Dialog. 1. cap. 10.*
*Bern. epist. 69.*
*Ionas lib. 3. Mirab. c. Ser. 40. super Cantica.*
*Aug. in ser. Domini in monte lib. 2.*
*Greg. lib. 28. moral. cap. 13.*

*Qui cquid agunt homines, intentio dirigit illos,*

Quin & illa Christi verba, Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si aũt oculus tuus nequam erit, totum corpus tuum tenebrosum erit: sic qui sunt posterioris ætatis, Augustini, Gregorijq; sequuti sententiam, enarrauerint pleriq; omnes, vt per oculum intentionem significari dicerent, per corpus actionem cuiusq;. Lucernam itaq; corporis esse oculũ, hoc est, per intentionem indicari, manifestumq; fieri, cuiusmodi sit actio cuiusq;. Nam si bona est intentio, quod agitur bonum, si mala, quod agitur malum esse. Nec secùs de lucerna locum hunc interpretatur Eusebius Emissenus, cuius in explicatione loci huius, hęc verba sunt: Sola intẽtio facit, vt opera nostra vel bona vel mala, Domino appareant. Potest enim vnum fieri & simile opus, vt non vna intentione fiat. Palàm enim eleemosynas dare, bona & non bona intentione fieri potest. Si enim ideò das, vt ab hominibus videaris, non est bona intentio: si verò ideò das, vt bonum exemplum alijs tribuas, & Deus inde glorificetur, bona intentio est: sic igitur in omnibus, sola intentio quærenda est. Quæ si bona fuerit, totum corpus virtutum, totaq; massa operationum lucida erit. Quod etiam illo scripturæ loco producto docet Origenes: Quod iustum est, iustè persequeris. Non fruſtrà dicit appositam esse vocalem iustè. Nam qui faciunt aliquod opus ex se bonum, vt ab hominibus glorificentur, verbi gratia, in pauperes benefici, rem quidem iustam faciunt, non tamen ex habitu iustitię, sed ob vanam gloriam. Docemur igitur à scriptura quod iustum est, vt exequamur iustè, hoc est recta intentione, alio quin iustum esse definet, quod ex se iustum esse videbatur. Sic ab Hieronymo quoque scriptum legimus. Si ita Martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab hominibus reliquias honorari, sermonem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. Tantum igitur intentioni tributum à sanctis Doctoribus legimus, vt bonam voluntatem sufficere dicerent ad meritum, actionem requiri ad exemplum. Quamobrem non fuit quisquam adeò rerum imperitus, vt ieiunium per se consideratum, hoc est abstinentiam à cibis, Dei cultum esse, sine opus quod Deus approbet, putauerit: per quod honore se iudicet afici, cui remissionem peccatorum tribuat. Quis enim nescit, abstinentiam eiusmodi non modò sine laude, verũetiam non sine reprehensione quandoq; fieri: vt quod ex se reprehendendum non est, si malè fiat, peccati rationem habeat. Sex eorum genera qui abstinent, vno versiculo visum fuit superiori seculo comprehendere.



*Abstinet ager, egens, cupidus, gula, simia, virtus:*

*Abstinentium genera.*

Ager abstinet, vel quòd fastidit cibum omnem: adeò vt nec odorem illius aut aspectum ferre possit: vel quòd ratio valetudinis eius postulat, vt per abstinentiam illi medeatur. Hæc abstinentia, quoniam ad corpus refertur, nihil ad Dei cultum pertinet. Abstinet egens, quia quod edat, non habet. Vtraq; abstinentia, & si vitio caret, laudem tamen apud Deum non meretur. Abstinet cupidus & auarus, vt ne quid in victum impendere necesse habeat. Abstinet gulosus, vt postridie tanto maiore cum apparatu, & maiore cum voluptate cibum sumat: si præsertim ad conuiuium sit aliquod delicatius inuitatus. Abstinet simia, hoc est, hypocrita, vt ab hominibus videatur. Hæc tria abstinentiæ genera, tantum abest, vt Deo grata sint, vt peccare etiam dicantur, qui ad hunc modum abstinent. Ex tot igitur generibus abstinentiæ solum hoc fieri cum virtute dicitur, si quis hoc solo nomine ieiunet, vt vel magis ido neum se reddat ad seruiendum Deo, vel pro peccatis suis satisfaciat. Vt verè dictum sit ab Augustino: Non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet.

*Serm. 59.*

Sed iam ipsos monachos ea de re differentes audiamus. Hos enim fuisse potissimũ dicunt hostes veritatis, qui doctrinas dæmoniorum docuerunt, ieiunijs & alijs id genus corporalibus exercitijs nimio plus tribuentes: si modo corporalis exercitatio ieiunium dici potest, quod negat Ioannes Chrysostomus: quando quidem id macerat potius & extenuat corpus, quàm nutrit. Ac primum quidem huius ipsius Ioannis Chrysostomi discipulus, Cassianus Monachus, alterius Monachi vel Abbatis Mosi viri cumprimis celebris hæc adfert verba. Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non ijs consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Ac pulò superius: Ieiunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio scripturarum, propter principalem scopum, hoc est, puritatem cordis, quæ est charitas, nos conuenit exercere. Et iterum, ex Abbatis Theonæ sententia, inter ea quæ media sunt, numerat ieiunium, q sicut non iustificat custoditum, ita non condemnat interruptum nisi fortè præcepti transgressio, magis quàm escarum perceptio puniatur. Ac paulò post: Nequaquam ieiuniũ principale bonum à Domino iudicari dicit, eò quòd non per seipsum, sed per alia opera bonum ac placidum Deo fiat: rursum ex accidentibus causis, non solùm vanum: verùm etiam odibile censeatur, dicente Domino: Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum. Sic quoq; Marcus Eremita: Ieiunium, vigiliæ, peregrinatio, bona sunt, sed hæc pertinent adhuc ad honestã viuendi rationem. At qui status Christianorum magis interna respicit quàm hæc: neq; debet quisquam in illis collocare fiduciam. Sed ij vetustiores videri possint, atq; ideò minus absurdè de ijs, quæ foris siue externè geruntur, scripsisse. Nunc recentiores videamus. Vixit ante quadringentos annos Anselmus monachus, posteà Cantuariensis Archiepiscopus: is explicans illum Pauli locum, Quorum Deus venter est: eos perstringi scribit ijs verbis, qui mortem Christi non sufficere dicerent ad salutem, sine carnalibus legis obseruationibus: qui escas quæ ventris sunt, Deum sibi faciunt, dum dicunt eas homines iustificare, & salutem animæ putant in escis. Neq; secùs eadem illa verba, qui fuit non paulò posterior, interpretatus est Thomas Aquinas. Ideò, inquit, hæc disseminant legalia esse obseruanda, propter lucrum & gloriam propriam, vt satisfaciant ventri. Et paulò pòst adfert hæc glossæ verba: Dei proprium est iustificare: qui ergo in cibis iustificationem ponebant, dicebant Deum ventrem. Quem in eiusdem loci explicatione sequitur eiusdem ordinis monachus Hugo de Prato: Carnales, inquit, obseruantias inducunt, quales erant in lege veteri: Superfluam asserunt crucem Christi, cùm aliundè salutem expectant: Omnis autem salus in cruce existit. Scripsit etiam Bonauentura determinationes quarundam quæstionum, super Regulam Beati Francisci, vbi vtitur ijs verbis: Sanctitas etiam vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis. Nihil autem est necesse aliorum etiam hac de re monachorum sententias adscribere, quos ab his nequaquam discrepasse certum est, qui non ab escis, verùm à cruce Christi salutem expectabant.

*De ieiunio recentiorum sententiæ. Chrys. hom. 12. in 1. ad Tit.*
*Cass. col. 1. c. 7.*
*Cass. col. 21. ca. 14.*
*Hier. 14.*
*Marcus in capitulis temperantiæ.*
*Philip. 3.*
*Hugo in sermonibus, serm. 1. Dom. 23. post Trin.*

Sed quoniam clarius præ cæteris materiam hanc Bernardus tractauit, illius quoq; verba adscribemus. Is quoniam fratres suos insimulari cognouerat, quòd ordini Cluniacensi, qui minus habebat austeritatis, detraxissent, apologiam quandam conscripsit ad Guilhelmum Abbatem, in qua sic suos inducit loquentes: Quomodo, inquiunt, regulam tenent, qui pelliceis induuntur, sani carnibus vescuntur, &c. Ac mox respondet: Regnum Dei intra vos est: hoc est, non in externis vestimentis, aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis, Vnde Apostolus: Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Et rursum: Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute. De corporalibus itaq; obseruantijs fratribus calumniam struitis, & quæ maiora sunt regulæ spiritualia scilicet instituta relinquitis: camelum q; glutientes, culicem liquatis. Magna abusio. Maxima cura est, vt corpus regulariter induatur, & cõtra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Cùm tanto studio tunica & cuculla corpori procurentur, quatenus, cui deerunt, monachus non putetur: cur similiter spiritu pietas & humilitas, quæ profectò spiritualia indumenta sunt,

*Bernardus.*
*Luc. 17.*
*Rom. 14.*
*1. Cor. 4.*
*Matt. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ta sunt, non prouidentur? Tunicati & elati abhorremus pelliceos, quasi non melior sit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata superbia: Repleti deinde ventrem faba, mentem superbia, cibos damnamus saginatos: quasi non melius sit exiguo sagimine ad vsum vesci, quàm ventoso legumine vsq; ad rectum exsaturari: & præcipuè cum Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus: & de ligno Adam, nõ de carne damnatus: & Ionathas ex gustu mellis, non carnis, morti adiudicatus sit, econtrà verò, Elias innoxiè carnem comederit: Abraham gratissimè carnibus Angelos pauerit, & de ipsis sua fieri sacrificia, Deus præceperit. Ac paucis interiectis: Quid ergo inquis? Siccine illa spiritualia persuades, vt etiam hæc quæ ex regula habemus corporalia, damnes? Nequaquam, Sed illa oportet agere, & ista non omittere. Alioqui, cùm aut ista omitti necesse est, aut illa, ista potius omittenda sunt, quàm illa. Quantò enim spiritus corpore melior est, tantò spiritualis quàm corporalis, exercitatio fructuosior. Tu ergo cum de horum obseruatione elatus, alijs eadem non obseruantibus dero gas, nónne te magis transgressorem regulæ iudicas? cuius licet minima quædam teneas, me liora deuitas? De quibus Paulus: Æmulamini charismata meliora: Detrahendo quippè fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem: quæ sunt proculdubiò charismata meliora. Ac iterum post pauca: Nõ hoc dico, inquit, quia hęc exteriora negligenda sint, aut qui se in illis exercuerit, mox ideò spiritualis efficiatur: cùm potius spirtualia, quanquam meliora, nisi per ista, aut vix, aut nullatenus, vel acquirantur, vel obtineantur: sicut scriptum est: Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale: Sicut nec Iacob, nisi prius cognita Lia, desideratos Rachaelis amplexus meruit obtinere: Vnde rursus in Psalmo: Sumite Psalmum & date tympanum: quod est dicere, Sumite spiritualia, sed prius date corporalia. Optimus autem ille, qui discretè & congruè hæc & illa operatur. Hactenus Bernardus. Multò ante Bernardum quoq; B. Ephrem: Noli existimare in cingulo & veste longa vitam consistere perfectam, aut in eo salutem esse positam, quòd manus habeas mundas & eloquens sis, quòd scripturas interpreteris, quòd capite incedas raso, aut comam nutrias, in virtute, in bonis operibus sita est. Hæc autem dico, non vt habitui detraham: absit, sed vt ostendam habitui mores & opera debere congruere: habitus enim sine operibus nihil est, vbi eos corrigit qui cùm viciosè viuant, honores petunt.

*Gen. 25.* *Genes. 5.* *1. Reg. 14.* *3. Reg. 17.* *Gene. 18.* *Exod. 29.* *1. Cor. 12.* *1. Cor. 15.* *Gen. 29.* *Psalm. 89.* *Habitus sine operibus nihil est.*

Quid autem? An isti remissionem peccatorum, an iustificationem carnalibus escarũ aut vestium obseruationibus tribuunt? Tantum ab eo abfuit Bernardus, vt quæ foris, siue externè geruntur, his aliquid eiusmodi, tribuendum putauerit, vt de omnibus in genere operibus diceret, quòd de ijs sæpè incerta, & ob hoc periculosa sententia fertur: cùm multoties minus iustitiæ habeant, qui magis operantur. Charitatem esse dicit, cui debentur omnia: de qua exclamans: O quanta est, inquit, fiducia charitatis: Alius operatur non amans, & alius amat nihil operans: ille quidem suum opus perdit, illius verò charitas nunquam excidit. Quamobrem cùm idem dixit, veteres orthodoxos sequutus, ieiunio redimi æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata: de eo ieiunio intellexit, quod ex charitate procederet, & non alium, quàm charitatis scopum sibi propositum haberet: huic enim peccatorum remissio, non ei quod externè fit, tribuitur. Sicut etiam apud Lucam legimus de Maria Magdalena, quæ cùm stans retrò secùs pedes Christi, lachrymis rigasset, capillis capitis sui terssisset, osculata fuisset, vnguentoq; pedes eius vnxisset: grata quidem Christo fuerunt hæc illius officia, quæ, quem erga Christum gerebat, amoris eius non obscura quædam erant indicia: veruntamen cùm ad Simonem, in cuius hæc domo gerebantur, dixisset: Quòd remittuntur ei peccata multa: causam proferens, non ait: quia lachrymis rigauit pedes meos, quia capillis capitis sui terssit, quia osculata est, quia vnguento vnxit, sed remittuntur, inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Laudata est à CHRISTO, inquit Bernardus, non quia vnxit, sed quia amauit. Adeò non quod fieret, sed quo affectu fieret, considerandum esse putauit. Charitatem, per quam fides operata est, non opera ipsa remuneratus est, cùm ei remissionem tribuit peccatorum: quæ aliundè etiam, quàm à charitate proficisci poterant. Ardor charitatis, rubiginem in ea peccatorum consumpsit. Siquidem vniuersa delicta, multitudinemq; peccatorum operit charitas. Hoc est quod historiã hanc recensens, Paulinus quoq; scribit, quòd non tam pretio munerum, quàm obsequij placuit affectu. Non enim vnguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit. Hoc est quod à Chrysostomo quoq; de eadem scriptum legimus, cùm historiam recẽseret. Et hæc quidem, inquit, extrinsecus faciebat, ea verò quæ in secreto mentis agitabat, multò his erant agnitiora, multoq; maiora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat. Et ab Ambrosio: Non vnguentum Dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probauit. Et tu si deinde ras gratiam, charitatem auge, mitte in corpus Iesu fidem, resurrectionis odorem Ecclesiæ communis, charitatis vnguentum, & ita progrediens pauperibus dabis.

*In eadem illa Apologia.* *Luc. 7.* *Mariæ Magdalenæ seruitus quomodo Christo grata.* *In Præfatione in tract. de vita solit. ad fratres de Monte Dei.* *Pro. 10.* *2. Pet. 4.* *Epi. 4. ad Seuerũ.* *Hom. 6. in cap. Matth. 2.* *Lib. 6. in Luc. c. 7.*

Quamobrem vt cæteræ omnes carnales obseruationes, sic ieiunium quoque medium quiddam est, cuius & si labor sit idem, non idem tamẽ fructus est, nec eadem retributio meritorum: quemadmodũ à Chromatio memoriæ proditum legimus. Longè enim differt ille, inquit, qui propter Deũ ieiunat, ab eo qui propter homines ieiunare proponit: quia huic pro mercede laboris cõpensatio fit laudis humanæ: illi pro deuotione humilitatis, meritũ gloriæ in futuro seruatur. Hoc de oratione, hoc de eleemosyna, hoc de cæteris omnibus, quæ fiunt externè, dici potest: Siquidem omnis pulchritudo filiæ Regis intrinsecus: neque quid foris fiat, sed quid intus geratur, Deus attendit. Quamobrem sanctos alios Patres sequutus, monet Leo, vt prõpta deuotione & alacri fide susc ipiamus solenne ieiunium, nõ in sterili inedia, quam plerunq; & imbecillitas corporis & auaritiæ morbus inducit, sed in larga beneuolentia celebrandum: vt scilicet simus de illis, de quibus ipsa veritas dicit: Beati q esu-

*Chrom. in 6. cap. Matth.* *Leo ser. 2. de quadragesima Ieiunij verum.*



esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Ac in alio sermone: Non in sola, inquit, abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuosa corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Ad eũdem modũ Eusebius quoq; Emissenus: Ieiunare & vigilare, & mores non corrigere, sic est, quomodo si aliquis extra vineam aut circa vineam extirpet, & colat: vineam autem ipsam desertam atq; incultam relinquat, vt spinas ac tribulos germinet: quæ insistente cultore, iucundissimos fructus ex se proferre potuisset. Agnoscite itaq; charissimi, quòd ad salutem perpetuam conquirendam abstinentia corporalis sola non sufficit, nisi animæ quoq; ieiunium per abstinentiam vitiorum fuerit sociatum. Quid enim iuuat, si quispiam sit corpore castus & mẽte polutus? Quem malitia deprauat, quem furor iracundiæ facibus exagitat, quem superbia omni Dei gratia spoliat, quem mendacijs vel maledictis lingua commaculat, nónne ipse se fallit? nónne ipse se irridet & decipit, si credat se solo ieiunio sanctificandũ? Et idcircò dilectissimi, ita corpus exerceamus ieiunijs, vt mentem purgemus à vitijs. Quid enim proderit, inquit Gregorius Nissenus, ore carnem non attingere, si maledicentia fratrem laceres? Quæ namerit vtilitas, si dum tua non comedis, ea quæ pauperis sunt, per iniuriam surripis? Quæ porrò pietas ista, si aquam bibens struas fraudem, consuas dolos, & ex improbitate sanguinẽ sitias? Ac paucis interiectis: Quid confert ieiunium corporis, nisi mens pura, mundaq; sit? Nihil enim prosit currum validum ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Hæc ille: Frater autem eius Basilius: Nec in sola ciborum abstinentia ieiunij bonum consistere puta: verùm enim ieiunium est animi crimine vacare. Et in ea quæ sequitur homilia: Non sufficit, inquit, per se abstinẽtia à cibis ad hoc vt laudabile sit ieiunium, sed ieiunemus ieiunium Deo acceptabile. Deo placens & verum ieiunium est, abstinere à malo, linguam continere, iram temperare à concupiscentijs, alienum esse à detractione, à periurio, à mendacio. Horum moderatio verum est ieiunium. Et Cæsarius: Noueritis fratres: Nihil prodest, si carnem nostram ieiunijs, ac vigilijs affligimus, & mentem nostram non emendemus, aut quæ interiora sunt, non curemus. Quid enim prodest afflictio corporalis, si linguam nequitijs & obtrectationibus polluamus? Nónne omnes labores nostri ad nihilum redigentur? Nónne omnes labores nostri velut fumus & vmbra euanescent, & velut stupæ fauilla in nihilum redigetur?

*Matth. 5.* *Idem serm. 4. de quadrag.* *Euseb. hom. 4. Ieiunium & vigilias non prodesse, nisi mores corrigãtur.* *In oratione de pauperibus amandis.* *Basil. ser. 1. de ieiun.* *Hom. 23.*

Neq; tamen propterea non rectè dicitur ieiunio placari Deum, ieiunio tribui remissionẽ peccatorum, quod proposito magis tribuitur ieiunantis, quàm ipsi ieiunio: Alioqui dicere liceret eadem ratione, q; nõ rectè dixerit Christus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, non rectè dixisset scriptura: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Et rursum: Eleemosyna à morte liberat. Et iterum: Peccata tua eleemosyna redime: quandoquidem non quod datur, sed animum dantis respicit, & remunerat Deus. Neq; sicut quidam somniant, cùm hæc ita dicuntur, obscuratur lux doctrinæ de beneficijs Christi proprijs, & de fide, cùm non de infidelium, sed de fidelium, omnem suam fiduciã in Christi cruce collocantium, ieiunijs, eleemosynis, orationibus loquamur: Quę si per se sunt vilia, fides, inquit Leo, ea efficit pretiosa, cùm si fuerint ab infidelibus ministrata, etiam si fiant magno sumptu, omni tamen iustificatione sint vacua. Non ergo excluditur fides, non excluditur mortis & passionis Christi meritum. Neq; ieiunium, orationem, eleemosynam ita ad mundationem & remissionem sufficere putamus, vt non principaliter opus esse misericordia Dei, & sanguine Christi profiteamur, in quo peccatorum omnium redemptionem habemus, si modò dignos pœnitentiæ fructus fecerimus: quemadmodum ex Basilio nos docere anteà quoq; meminimus. Verũ isti nõ intelligentes, neq; quę loquuntur, neq; de quibus affirmant, putant nos de infidelium operibus dicere, quibus certum est remissionem peccatorum non tribui. Tantùm autem abest, vt propria Christi beneficia per hanc doctrinam obscurentur, magis etiam vt illustrentur. Christi enim passionis & mortis beneficium est, vt ieiunia, vt orationes, vt eleemosynæ, vt reliqua id genus pia opera nostra Deo grata sint & accepta: Omne meritum quod illis tribuitur, ex Christi beneficio, ex Christi pendet merito: quod vbi fuerit sublatum, simul erit actionum nostrarum meritum omne sublatum. Mortem enim suam & crucem Christus non ociosis, & nihil agentibus, sed ieiunantibus, sed orantibus, sed in omnis pietatis genere nos exercentibus prodesse nobis voluit.

*Luc. 11.* *Eccl. 3.* *Tob. 12.* *Dan. 4.* *Leo ser. 6. de quadragesima.* *Basil. in regulis contract. reg. 27.* *Hebr. 11.*

Quòd verò negant isti cultus esse Dei, qui non sit à Deo mandati: & idololatriam esse, sine verbo cultum instituere, iam anteà confutatũ à nobis esse meminimus: quòd Abel, Noë, Abraham & Iob, quamuis nullum ea de re Dei mandatum haberent, tamen & altaribus ædificandis, & primogenitis, adipibus, holocaustis, alijsq; sacrificijs offerendis, piè Deum coluerunt. Ac vt nihil dicamus de ijs, de quibus, scribit Paulus, quòd circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ, quos quamuis nullum habuerint de hoc instituto viuendi Dei mandatum, nisi tamen fuisset illud Deo gratum, nequaquam Paulus ita descripsisset: vt silentio prætereamus Rechabitas quoq; quos non Dei immortalis, sed patris sui mortalis præcepto, cùm ab alijs rebus nõnullis, tum à vino sic abstinuisse legimus: vt ne iusi quidem à Ieremia Propheta, vt vinum gustarent, adduci potuerint: quos non modo commendandos hoc nomine, verumetiam remunerandos esse Deus putauit: vt de Nazareis quoq; taceamus, qui cùm nullo essent diuino mandato præ cæteris obligati, arctius tamen quoddam viuendi sunt institutum secuti, ac voluntario se voto obstringentes, Deoq́e consecrantes, à vino & omni quod inebriare posset, abstinebant: vt mittamus Eliam & Eliseum & cæteros Prophetas, qui nullo Dei mandato obstricti, & cœlibem vitam agebant, & vigilijs, ieiunijs, laboribus, humi cubationibus, cæteroq; victu & habitu duriore præ cæteris corpus suum macerabant: quod nõ fecissent, nisi Deo gratum existimassent. Quod speciale mandatum habuit Samuel, precibus

*Rechabitæ obedientes præcepto patris.* *Iere. 35.* *Num. 6. Nazarei.* *1. Reg. 7.* *2. Reg. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Esai. 38.* Deum in Masphat placaturus, vt aquam effunderet in conspectu Dei, dicq; illa cum Israelitis omnibus ieiunaret? Quod Dauid, vt septem dierum ieiunio & fletu in terra decumbés, in cinere & cilicio se afflligeret? Quod Ezechias, vt ad impetrandum Dei misericordiam, ob sessus ab Assyrijs, vestimenta sua scinderet, saccoq; operiretur? Quod Sara Raguelis filia, vt se triduano ieiunio afflligeret? Quod fuit speciale mandatum de ieiunijs, quibus afflligebat se populus, cùm Hierosolymis Nabuchodonosor excidium per Holophernum minaretur, decq; eo, vt sacerdotes cilicijs induerentur, & cinere caput aspergerent? Sed quorsum attinet enumerando singulos recensere, Iudith, Hester, Danielé, Niniuitas, Machabæos, & complures alios, qui quoties offensum suis aut populi peccatis, Deum propitium reddere cupiebant, ad orationes, ad ieiunia, ad cineres & cilicia confugiebant. Et tamen in exterioribus & corporalibus his, quod anteà quoq; commemorauimus, proprium esse Dei cultum, nemo fuit etiam ex monachis qui diceret: Sed sunt hæc indicia mentis à peccatis auersæ, detestantis ea, decq; commissis illis vltionem sumentis, singularemq; dolorem declarantis, simul ad Deum iuxta Prophetæ vocem conuersæ dicentis: Conuertimini ad me in ieiunio & fletu & planctu. Qua mente sic ad Deum per amorem conuersa, propriè Deus colitur. Quæ verò fiunt externè, signa tantùm quædam sunt & indicia cultus interioris. Atq; ideò haud scio an quisquam vnquam Monachorũ dixerit, ieiunium est cultus Dei: cùm tribus ex causis ieiunari, memoriæ prodiderint: vel ad concupiscentias carnis reprimendas, sicut à Paulo dictum legimus, in ieiunijs, in castitate, quod per ieiunia castitas conseruatur, vel ad mentẽ liberius ad sublimiorum contemplationem eleuandam, sicut Danielem legimus post ieiunium trium hebdomadarum, à Deo reuelationem accepisse: vel ad satisfaciendũ pro peccatis, quemadmodum per Iohẽlem admonet Dominus, vt conuertamur in ieiunio ad se, &c. Quamobrem non modo ieiunio vel ab ipsis etiam scholasticis Doctoribus aliquid eiusmodi tributum non est, sed nec ipsa quidem adoratio, nec oblatio, nec oratio, vociq; prolatio, nec frõtis, vultusq; demissio, ceruicisq; flexus, vera est ab illis Dei seruitus existimata, quòd hæc omnia contraria animi voluntate ad simulationem, fallaciamq; conuerti possunt: sola credita est esse voluntas, quæ si totam se Deo dedisset, verus illi cultus, veraq; fermitus per hæc etiam externa præstaretur. Itaq; pertinere magis ad Dei cultum ieiuniũ videtur, quàm quòd ipse Dei cultus esse putetur.

*Tob. 3. Iudith. 4. Hester. 14. Daniel. 10. Ionæ. 3. 2. Matt. 13.*

*Ioel. 2.*

*Ieiunandi causæ tres.*

*2. Corinth. 6. Daniel. 19.*

*Ieiunium in sacris literis præceptum. Ioel. 2. Rom. 13. Matth. 6.*

Neq; tamen est inter ea ieiunium, de quibus nullum expressum mandatum haberi, verè dici queat. Nam & in Propheticis & Apostolicis, & in Euangelicis literis præceptum esse legitur. Siquidem & Ioël, vt ieiunemus monet: & Paulus cùm à comessationibus & ebrietatibus dehortatur, quid aliud quàm ad ieiunium inuitat? Christus autem ieiunandi modum etiam præscribit, ac sicut orationem & eleemosynam, ita ieiunium appellatione iustitiæ dignatur. Quod si rectè iustitia Deus coli dicitur, quandoquidẽ iustitiæ nomen ieiunio Christus tribuit, non rectè ieiunium ad cultum Dei pertinere negatur.

*Ieiunij præceptum cur pœnale.*

Verùm offendit istos necessitatis opinio, quod q; nõ mitis aliqua & moderata pœna adicta est, vt prouidentia Pastorum, aut indulgentia, lenitateq; parentum agi nobiscum videatur, sed perinde ac si iactura nostrarum animarum parum momenti sit, pœna peccati capitalis, & ademptionis regni cœlestis, qui contra venerit, punitur, dum iræ Dei æternæ reus pronunciatur. Nos verò quæ fuerit Patrum hac de re sententia videamus. Constat duriores hac in parte Græcos quàm Latinos fuisse, neque id hac nostra modò, vel proxima superiori ætate, verumetiam ante mille ducentos & ampliùs annos. Primùm enim illi neminẽ prorsus mortalium ab obseruatione ieiunij volebant exceptum: quod illa Basilij verba testantur, dicentis: Nemo ieiunantium numero sese sub ducat, in quo & generationes cunctæ, sexus omnis, ætas, ordo includuntur. Angeli per singulas sunt Ecclesias, eos qui ieiunant describentes. Vide, quæso, ne ob breuem ciborum delectationem plectaris: neve te reum & desertorem aciei Angelo describenti constituas: Minus sanè periculum fuerit aliquem ineie scutum proijcere, q̃ arma ieiunij detrectare. Deinde q̃ graue periculũ esse putauerint ieiunium violare, cùm ex illis Basilij verbis, tum ex ijs, quæ paulò antè produximus, Antiochenorum & Constantinopolitanorum exemplis, facilè cuiuis liquere potest, qui nunquam extrema quæq; perferre parati prius fuissent, quàm vt cibos ieiunij lege prohibitos gustarẽt, nisi gustatis illis multò se grauioribus affectos iri supplicijs, pſuasum habuissent.

*Basil. ser. 2. de ieiun. pridie diei Cineris.*

*A ieiunio exempti.*

*Pueri.*

*Ætas ieiunando obnoxia.*

*In Epitaphio. Paulæ.*

*Mulieres prægnantes.*

Cęterùm Latini, maximè verò qui proximis superioribus seculis vixerunt, minus hac in parte seueri, valdeq; moderati fuisse videntur. Siquidem hi non omnem ætatem, nec mortales omnes ieiuniorum legibus teneri voluerunt: excipiebant enim pueros, vel quòd indigent alimento multo propter caloris vim, quo facilè cibus omnis consumitur, humoris verò tenuitatem: vel quòd natura essent imbecilliores, quàm vt longioris temporis inediam ferre possint: ita vt cibo crebrius refici necesse haberent, qui non hoc tantùm in illis operatur, vt nutriat, verumetiam vt augmentum præstet. Quamobrem quamdiu eo statu sunt vt crescant, quod fieri creditur vsq; ad finem tertij septennij, non fuit visum eos ieiuniorũ legibus alligare: etiamsi conducere creditum est, vt intra hanc quoq; ætatem, si non omnibus, certis tamen quadragesimæ diebus, quo ad vires cuiusq; ferre possent, in ieiunio & abstinentia exercerentur. Nam inconsideranter, & vltra vires sumpta onera, ne Hieronymus quidẽ, quamuis cæteris rigidior, probat, illud ex prouerbijs adferens: super te onus non leueueris. Idem cauerunt de prægnantibus mulieribus, quæ cum cibo refici necesse habeant, non sua tantum, verùm & fœtus nutriendi causa, existimatum est ad hoc duplex alimenti genus minimè sufficere, si semel in die cibũ sumpsissent. Deindè verò sæpè inordinato quodã desiderio, nunc hoc, nunc illud cibi genus appetũt, atq; id tam ardenter, vt nisi desiderio suo satisfecerint, de fœtu periclitari, videantur. Itaq; nullum est illis ciborũ genus interdictũ: atq; adeò ieiuniorum legibus nõ tenentur, vt etiam peccare grauiter credãtur, si nimis ea arctè obser-



obseruantes, de salute fœtus, quem in vtero gestant, minus fuerint solicitę. Ægri quoq; sunt ad eundem modũ legibus ieiuniorum soluti, nõ quod nõ plurimum profit abstinentia his, qui morbo aliquo conflictantur, sed quòd eorum valetudini magis expedit, vt bis aut ter modico cibo, quàm semel tantùm in die vtantur immodico. Eadem habita est senum quoque ratio, quando senectus & ipsa morbus est, quã cùm naturalis calor plerunq; deficiat, ad eum fouendũ senes cibi frequentioris indigent. Sed & qui mendicãt victum ostiatim, eodẽ numero sunt habiti, qui non quando & quantũ velint, sed cùm illis cibus à locupletioribus fuerit suppeditatus, corpus eo reficere coguntur. Neque dissimilis visa est esse peregrè proficiscentium ratio, qui cùm non semper eo tempore quo vellent in locum destinatum peruenire queant, ieiunij tempus minimè tenentur obseruare: quin & oblatis quandoque cibis vti coguntur, siquidem eorum quos esuriales dies requirunt, potestas non datur. Idem existimatum est de ijs, qui grauibus premuntur laboribus, quos vt sustinere facilius possent, quominus bis in die cibum sumerent, nulla visum est lege prohibere. Quamuis non adijnunc esse videantur, qui quæ sunt ab Ecclesia indicta ieiunia, diligentius obseruent, quàm illi, quorum grauissimis laboribus fit, vt fames à cæteris mortalibus propellatur.

*Ægri.*

*Senes.*

*Pauperes.*

*Peregrini.*

*Laboribus pressi. Agricolarum pietas maior quàm ociosorum.*

Hinc videre licet, quàm clementer cum suis liberis egerit occidentalis Ecclesia, quæ materna quadam pietate, ætati cuiusque, valetudini, conditioni, & cuicunque tandem necessitati diligenter prouideri curauit: atque id quidem non tam priscis illis seculis, quibus maiorẽ in hominibus duriciem & asperitatem fuisse constat, verùm trecẽtis his annis, quibus rerum nouandarum studiosi, nimis duris legibus adstrictos homines fuisse queruntur. Legat qui volet Vincentium Beluacensem, & qui secuti sunt eum, Thomam Aquinatem, Raynerium, Hugonem de Prato, Alexandrum de Ales, & complures alios (quis enim hæc monachorum non tractauit?) ita rem habere comperiet. Quin & illud apud eosdem inueniet, nunquam eorum fuisse sententiam, vt statim reus æternæ mortis pronunciaretur, si quis indictum ab Ecclesia ieiunium violasset. Sed ipsos potius ea de re disserentes audiamus. Visum est autem eius verba potissimum adscribere, qui cæteros ætate præcesit vincentij Beluacensis, qui fuit monachus ordinis Prædicatorum. Docet is, quatenus institutum est ab Ecclesia ieiunium, esse de iure positiuo: quo iure prohibentur, vel præcipiuntur illa, quæ possunt alias vel benè vel malè fieri: Et ideo, inquit, legislatoris intentio non est, vel esse non debet, in condendo ius aliquod positiuum, obligare homines ad illius iuris obseruantiã, habentes causam legitimã & rationabilem non obseruandi. Præcepta enim q̃ per modum statuti communis proponuntur, non eodem modo omnes obligant, sed secundum quod requiritur ad finem, quem legislator intendit: cuius auctoritatem si quis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo trangrediatur, quòd impediatur finis, quem legislator intendit, talis transgressor peccat mortaliter. Si autem ex aliqua rationabili causa quis præceptum non seruat, præcipuè in casu, in quo si legislator adesset, non decerneret esse seruandum, talis transgressio non constituit mortale peccatum. Quæ totidem verbis repetit in summa sua Thomas Aquinas: cuius etiam alio loco verba hæc sunt: Præcepta iuris positiui magis obligant ex intentione legislatoris, quàm ex ipsis verbis: & ideò transgressor talis præcepti magis est reputandus, qui obuiat intentioni legislatoris, quàm qui deuiat in aliquo à legis ordinatione, secundum textum verborum: Intentioni autem legislatoris obuiat, qui ex contemptu vel sine aliqua rationabili causa, ordinationem non seruat. Qui verò in casu, in quo probabiliter credi posset, si legislator adesset, quòd eum obligare non vellet, à verbis legis deuiat, intentioni legislatoris non obuiat: nec reputandus est statuti transgressor. Et ide ò non est necessarium, quòd quicunque diem aliquem ab Ecclesia statutum ieiunare omittit, mortaliter peccet: potest enim hoc aliquando omnino sine peccato contingere, aliquando sine mortali cum veniali, aliquando etiam cum mortali: & hoc secundum diuersas occasiones, quibus homo inducitur ad ieiunium frangendũ. In eandem sententiam & Abbas Panormitanus, & alij plerique scripserunt.

*Ray. in Pantheol. cap. 3. vbi tractat de ieiunio. Hugo de tempore hyemali, ser. 33. Alex. Part. 4. quæst. 102. Vinc. speculi moral. parte 10. distinct. 26.*

*Tho. 22. q. 147. ad tertium in 4. sent. distinct. 15. quæ. 3. art. 1.*

Ex quibus colligere licet, quòd non aliud in Ecclesia proximis superioribus seculis etiã monachi docuerũt, quàm quod Magister Ecclesiæ Christus ipse docuit, cum dixit: Non qd intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, coinquinat hominem: quia omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: quę autem procedunt ex ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c. An non, alijs quidem verbis, hoc ipsum tamen dicere videntur, qui negant eum peccare, qui quoquo modo diem ab Ecclesia institutum ieiunare omittat, sed eum tantum capitalis criminis reum esse docent, qui contemptu id faciat. Quid enim aliud hi dicere putandi sunt, quàm non coinquinat te cibus qui intrat per os, sed quod procedit ex ore, quod exit de corde tuo, cogitatio mala, arrogantia tua, qua te solum sapere, cæteros omnes desipere persuasum habes: contemptus iste tuus, quo fit, vt auctoritatem Ecclesiæ, vt præcepta maiorum tuorum, quæ tanquam leges Apostolicas obseruari iubet Hieronymus, pro nihilo ducas: ea demum sunt quæ coinquinant te. Quamobrem sicut Adam non cibus, sed prohibitus cibus perdidit: sicut Esau nepotem sancti Abrahæ, non esca, sed vsque ad contemptum sacramenti quod in primatu suo habuit concupita esca damnauit. Sic te non esca, quam sumis, sed Apostolicarum traditionum contemptus condemnat. Sciamus, inquit Augustinus, non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam, contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, sed propter pomum mortuus primus homo: & Esau primatus suos, non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Gregorius quoque, Non cibus sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerunque sine culpa sumimus, & abiectores non sine reatu conscientiæ degustamus.

*Abb. super 3. decreta. de obser. ieiunij & Gabriel Biel in 4. senten. dist. 16. q. 3. Matth. 15.*

*Hier. in epist. ad Lucinium. Gene. 3. Gene. 25. Tract. 83. in Ioan.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Li. 30. Moral. c. 13. Epiph. in epist. ad Ioan. Hieros. quam Latinã fecit Hiero. Spiridionis exemplum non est contra præceptum ieiunij quadragesimalis. Lib. 1. cap. 11. eccles. hist.*

Hic quippè quem diximus, Esau primatum per lenticulam perdidit, & Helias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo seruauit. Vndè & antiquus hostis quia non cibum sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem non carne sed pomo subdidit, & secundum non carne sed pane tentauit. Sic apud Abdiam quoq; dixisse Matthæus Apostolus legitur. Neq; verò manducare crimen est, sed incongruè manducare, peccatum est & crimen. Denique si aliquis prius cib carnalem accipiat, & posteà ipso die quo iam cibo naturali refectus est, cibum spiritualem præsumat, exvtroq; cibo reus criminis & inhonestatis & præsumptionis efficitur: non ideò quia manducauit, sed quia contra ordinem, & contra iustitiam, & contra regulam Dei cibo carnali primùm refectus est. Non ergo reum facit aliqua operatio hominum, sed irrationabilitas eius operis suum damnat auctorem. Verè dixit Epiphanius: Non esse cõsiderandum, quid factum sit, sed quo tempore, & quomodo, & in quibus, aut quare factum sit. Bonauentura quoq; quamuis Monachus, & vnus ex Doctoribus quos vocant Scholasticos, in Apologia paupertatis: Delicatis, inquit, vti cibis pro loco & tempore possumus absq; peccato. Quia tamen per exercitationem concupiscentiæ, dant occasionem peccandi, ab huiusmodi abstinere salutare est. Et alio loco: Ieiunia, vigiliæ, flagella, & aliæ corporales exercitationes & castigationes, licet magis propinquant veritati quàm præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes. Quia etiam hypocritæ possunt habere, & in mortali peccato positi, sæpè in talibus exercent seipsos.

*De Processu religionis cap. 4. Sexti processus.*

Quamobrem nihil est, quod nobis obijciant isti, qui tanto rerum nouandarum studio tenentur, Spiridionis exemplum: Quid enim ab eo non piè factum est? Sed Sozomenum ipsum audiamus historiam scribentem. Venit, inquit, ad Spiridionem ex itinere quidem instanti iam quadragesima, qua ieiunium cum domesticis suis continuare, certoq; die cibum gustare, ac intermedijs diebus ieiunus persistere solebat. Cum autem peregrinum admodum delassatum cerneret: Agè, inquit ad filiam, laua viro pedes, apponeq; quod edat: Respondente virgine, nec panem superesse, nec alphita, quod talia propter ieiunium parari nõ solerent: præmissa oratione, petitaq; condonatione, iussit filiæ carnes porcinas, quas domi sale conditas habebat, coquere: coctis illis, peregrinum vnà secum ad mensam sedere fecit, appositisq; carnibus vesci cœpit: virumq; hortatus est, vt suo exemplo ederet & ipse. Recusanti, ac se Christianum esse dicenti: Hoc minùs, inquit, recusare debes: Mundis enim omnia sermo diuinus munda esse pronunciauit. Quid in hac historia legitur, quod non ad confirmationem potius, ab ipsis Apostolis nobis traditæ ieiunij quadragesimalis obseruationis pertineat, quàm vt ex eo contemnendam esse doceri possit? Nam quòd ieiunum cum domesticis in quadragesima continuare, quòd certo die cibum gustare, quòd intermedijs diebus ieiunus persistere solebat, quòd nec panis, nec alphita supererant, quoniam propter ieiunium talia non pararentur, nunquid hæc omnia clarè non indicant, Spiridionem Episcopum sanctè quadragesimale ieiunium obseruasse? Quod verò coctas carnes apponi peregrino de via fesso iusserit, id eum necessitate, quoniam aliud præ manibus non habebat, fecisse, neque solùm necessitate, verùm etiam Christiana quadam charitate, cuilegum præscripta cedunt: cùm indignum putaret, itineris labore fatigatum hospitem ad se venientem, cibo quem tum habebat, non reficere. Qua tamen & ipsa in re illustris fuit eius pietas, qui non nisi præmissa oratione, petitaq; condonatione, carnes hospiti apponendas esse putauit. Quod Spiridioni licuit, licuit semper, licet, & licebit in Ecclesia, si quis ardens erga proximum charitate peregrè venientem, longiq; itineris labore fessum, alium cibũ quo reficere possit esurientem, ad manum non haberet. Vsque adeò autem id licitum est, vt vitium esse dicat Prosper Aquitanicus, si secùs aliquis faciat. Qui cùm de abstinentia multa scripsisset: Veruntamen, inquit, sic abstinere vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi aut abstinendi necessitati subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio intermisso reficio, non soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium. Cæterùm, si propter abstinentiam spirituales fratres, quos noui mea remissione delectari, contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium: quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac ieiuniorum continuatio, nisi fuerit quando res exigit prætermissa, & me inflat, & fratrem meum, cui charitas iubet seruire, contristat, vel certè mihi nihil inesse charitatis fraternæ demonstrat: cùm sine abstinentia, quemlibet hominem catholicum charitas sola perficiat, & omnes abstinentia aut perdat sine adiunctione charitatis, aut pereat. In eandem sententiam legere non pauca licet apud Vanderbertum, in vita S. Goazæ, qui claruit Anno 850.

*Prosp. de vit. contempl. li. c. vl.*

*Inno. lib. 3. decreta constit. 140.*

Ante trecentos annos Bracharensem Archiepiscopum retulisse legimus ad Innocentium tertium Pontificem Romanum de quibusdam, qui diebus quadragesimalibus, cùm tantæ famis inedia ingrueret, quòd magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere coacti fuerint: quam illis pœnitentiam iniungendam censeret. Rescripsit prudẽs & doctus Pontifex: In tali articulo non credimus illos puniendos, preces tamen pro illis Domino & cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur. Quia bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi culpa minimè reperitur. Non subiacet ergo legi necessitas, sed neq; charitas: modò ne in locum charitatis ingerat se carnalitas. Nunquam nefas est habitum, etiam ob societatem ieiunium soluere, vel propter infirmum consolandum, vel propter peregrinum reficiendum, vel propter similem causam aliquam. Thomas Aquinas ne monachum quidem peccati mortalis reum esse vult, si comedat carnes, nisi per inobedientiam id faciat, aut ex contemptu. Narrat Ioannes Gerson de fratre quodam, qui cùm ieiunaret, accessit domum quandam, cuius dominus cœnabat (libet autem verbis illius vti.) Orauit, inquit, hunc dominus ob amorem Dei & charitatis, vt vellet cœnare. Sic fecit, & comedit optimè, plus quàm hospes voluisset: quia remansit hospiti parua pars. In discessu dixit hospes fratri, qui

*Ioan. Gerson tomo 4. in ser. dominica 1. quadragesimæ. Gerson de fratre quodam.*



qui excusabat, se dicens charitatem comedisse: redeas aliàs, inquit, sed noli ducere tecum charitatem, quia est gulosa nimis.

Nihil est ergo necesse, Spiridionis exemplum proferre, cùm etiam proximis superioribus & nostro hoc seculo licuerit semper, & liceat etiam his, qui præ cæteris videntur abstinentiam professi, cuius generis monachi sunt, indictum ab Ecclesia ieiunium non obseruare: nõ solùm si qua necessitas vrgeat, verumetiam si postulet id fraterna charitas: ex qua quicquid proficiscitur, tantùm abest, vt iniquitatis aliquid, iustæq; reprehensionis habeat, vt inter ea etiam, quæ cum primis rectè facta sunt, numeretur. Contrà, quicquid ex arrogantia, quicquid ex contemptu proficiscitur, id etiam si speciem aliquam pietatis habere videatur, criminis tamen capitalis reum hominem constituit. Sic ieiunare, quod per se laudabile est, reprehensione non caret, si fiat ex contemptu, quin & mortis æternæ reum hominem facit. Hoc est quod ante mille ducentos & amplius annos in Gangrensi concilio sancitum esse legimus: Si quis tanquàm hoc continentiæ conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit, aut in eiusdem diei contemptum, anathema sit. Sed & multò antè, quàm id concilium habitum fuisset, Ignatius qui tertius à Petro fuit Antiochenus Episcopus: Si quis Dominico die ieiunasset, eum Christi vocat interfectorem: Non quòd abstinere die Dominico tantùm sit nefas, (cùm rectè scripserit Origenes, liberum esse Christiano per omne tempus ieiunare, quod in diebus Pentecostes, & die Dominico Paulum Apostolum, & cum eo credentes fecisse scribit Hieronymus) sed cum Manichæis, cum Aërianis, cum Lutheranis, & cum alijs id genus hæreticorum portentis in contemptum Ecclesiæ die Dominico ieiunare, non minus flagitium sit, quàm Christum interficere. Adeò verum est, quod ait Veritas: Non quod intrat in os, sed quod procedit de ore, quod exit de corde, cogitatio mala, contemptus, fastus, arrogantia, hæc sunt quæ coinquinant hominẽ. Itaq; & non ieiunare virtutis, & ieiunare quando q; crimen est capitale, si vel hoc ex contemptu, vel illud fiat ex charitate, vel necessitate. Omnia mũda mũdis: coinquinatis aũt nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Qui charitatẽ habet, ei munda sunt omnia: neq; peccat si ea vrgente non obseruet indictũ ab Ecclesia ieiuniũ. Qui charitatem non habet ne ea quidem q̃ munda videtur, ei munda sunt. Sic à Gregorio scriptum legimus: Maioris enim est meriti charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto. Qui enim iussus carnẽ reficit inuitus, ieiunij præmium deuotione promeruit: & ampliorem mercedem obedientiæ mandu cando conquisiuit. Idem sensit ante Gregorium Marcianus, quem tertium inter eos Patres Theodoretus recenset, quorum historiam conscripsit. Nos quoq; inquit, ô amice, eandem quam tu vitam persequimur, & amplectimur eandem viuendi rationem, & quieti labores præferimus, & ieiunium magis expetimus, quàm cibum, eumq; nocte aduentante capimus. Sed scimus charitatem esse ieiunio præstantiorem: Charitatis enim opus à lege diuina præcipitur: Ieiunium autem est potestatis nostræ & arbitrij.

*Cap. 18. Dominico die non ieiunandum. Ign. epist. 4. ad Philip. Orig. hom. 10. in Lucam. Hier. ad Lucin. Titum. 1. Charitatem habenti omnia munda. Greg. li. 2. c. 4. in 1. Regum.*

Quid igitur de ijs dicemus, qui non aliam ob causam in quadragesima carnibus vescuntur, quàm vt ea re sanctorum Patrum sanctiones, & quicquid magno totius orbis Christiani consensu tot seculis in Ecclesia Dei receptum, & singulari studio fuit semper obseruatũ, id se contemnere, & pro nihilo ducere testatum omnibus faciant? Quid aliud quàm Satanam esse huiusmodi non Christiana prandia? Dixit alicubi Paulus: Si esca scandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in æternũ, ne fratrem meum scandalizem: Isti cõtrà: Quoniam esca scandalizat fratrem meum, manducabo carnem in æternum, vt fratrem meum scandalizem. Nunquid hoc non est Satanam esse? Nunquid hoc non est Christo, qui per Paulum loquitur, aduersari? Nisi fortè Christo non aduersatur, qui quod ab eius corpore, quod ab vna, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia, iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, tanto studio videtur fuisse semper obseruatum, id ob hoc ipsum reijciendum censet, quia tanto consensu videt obseruari. Vult catholica, nolo: Non vult catholica, volo: Citius diem Dominicũ ieiunauerim, ne cum catholica resurgente Christo gaudeam, quàm vt cum catholica feria sexta, ob illius crucifixi memoriam, signum aliquod luctus & mœroris ostendam: Quid est, si hoc nõ est Satanam esse? Siquidem Satanam vocant Hæbrei, quem aduersarium Latini. Digna vox est Augustini quæ celebretur: Turpis est omnis pars, vniuerso suo non congruens. Tu cùm te partem, cùm Christi corporis membrum existimari velis, quæ tamen ab hoc vniuerso Christi corpore, quæ ab omnibus his, qui Christiani, qui Catholici, qui Orthodoxi censentur, quamlibet magnis & locorum & temporum interualis inter se disiunctis, tam admirabili consensu obseruari vides, vt neq; temporum diuersitas, neq; linguarum varietas, neq; locorum ingens intercapedo lædere concordiam eorum potuerit, sed similes lyræ sint, semperq; fuerint, quæ multas quidem & diuersas habet chordas, vnam autem symphoniam, & sonorum concentum vnum emittit. Tu, inquam, cũ hoc vniuerso vsq; eo non congruis, vt in despectum vniuersi Christi corporis contraria potius facias omnia. Quid esse potest turpius? quid indignius homine Christiano? aut quæ potest esse nota illustrior, qua te non Christi colligentis, verùm Satanæ spargentis ministrum esse cuiuis constare queat? Si quis cùm vestem omnes in luctu mutasse videret, purpura solus indutus, ostroq; conspicuus in medium prodiret, nónne pro insano haberetur? Vir bonus & doctus Sydonius Aruernus Episcopus, quorundam sui temporis vitia perstringens, inter alia sic in eos inuehitur: Procedunt, inquit, albati ad exequias, pullati ad nuptias. Atqui non dissimiles his sunt, qui cùm videant vniuersam Ecclesiam externo quodam abstinentiæ signo mœrorem suum & dolorem indicare, quem de Christi cruciatibus, quibus peccata sua, causam dedisse intelligunt, conceperunt, eo ipso die, quo id tanto consensu fieri cernũt: ab omnibus, sibi crapulæ indulgendum, lætitiamq; præ se ferendam esse putant. Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus, dicit per Paulum Dei spiritus. Vides homines diem

*1. Cor. 8.*

*Satanæ aduersarius. Aug. li. 3. confes. c. 8*

*Luc. 11.*

*Rom. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



diem hilarem sumentes in memoriam Christi resurgentis, gaude cum illis. Vides mœstitiã præ se ferentes in memoriam eiusdem passi, crucifixi, & mortui: quod omnes facere cernis amore Christi, fac & ipse: neq; velis cum vniuerso non congruere. Quamobrem pro paterna solicitudine nostra: qua librorum nostrorum saluti prospectum ex animo cupimus, hortamur omnes & obtestamur: vt modis omnibus eorum consuetudinem defugiant, quos nõ aliam ob causam, vel quadragesimæ diebus, vel sextis ferijs, alijsve temporibus, quibus per vniuersam Ecclesiam abstinetur, carnibus vescentes videre licet, quàm vt hoc signo se nihil habere cum catholica commune, planum omnibus faciat, vt eos fugiant tanquam viperas & basiliscos: ac certò persuasum habeant, qui cum vniuerso per contemptum nõ congruunt, & indicta ab Ecclesia ieiunia violant: eos reos esse mortis æternæ, & ad Satanæ Synagogam, non ad Ecclesiam Christi pertinere.

*Ieiunare qui non potest. quid facere debeat.*

Si quis autem aliqua ex causa earum quas paulò ante commemorauimus, ieiunium non obseruauerit: maximè verò si morbus quominus ieiunet in causa sit: quando quidem Dominum habemus mansuetum & misericordem, & nihil supra vires nostras à nobis exigente: non est quòd se propterea criminis alicuius affinem esse putet, modò id de vtriusq; Medici consilio faciat. Deinde verò seruet illud, quod in sermone quodam Augustino inscripto legitur. Cùm Cæsari potius esse videatur, apud quem ad verbum reperitur. Qui ieiunare non

*Aug. serm. 62. de tempore.*

prævalet, secretius sibi soli: aut si est alius infirmus cum ipso, in domo sua præparet, quod accipiat, & eos qui ieiunare prævalent, ad prandium non inuitet: quia si hoc fecerit, non solũ Deus, sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non velle. Sufficiat illi quod ipse ieiunare non prævalet, & magis cum gemitu

*Aug. ibidem. Chry. hom. 10. in Gene.*

& suspirio & animi dolore manducet, pro eo quod alijs ieiunantibus ille abstinere non potest: Ac iuxta eiusdem Augustini & Chrysostomi consilium: Qui ieiunare nõ valet, largiorẽ det eleemosynam, feruentior sit in precibus, maiorem habeat alacritatem in audiendis diuinis eloquijs, in quibus corporis infirmitas nihil obstare potest: inimicis reconcilietur, omne odium & vindictæ cupiditatem ex animo effuget. Quos secutus Cæsarius: Pro eo q; non potest ieiunare infirmus, amplius debet erogare pauperibus, vt peccata, quæ nõ potest ieiunando curare, possit eleemosynas dando redimere.

*Caes. hom. 18.*

*Eccle. 37.*

Quanq; quod ad valetudinis tuẽdæ rationem attinet, verissimum est illud quod à Sapiente scriptum est: Propter crapulam multi perierunt, qui autẽ abstinens est, adijciet vitam: Hinc est quod Medici quoq; matrem sanitatis vocant abstinentiam. Quod illi nomen Basilius quoq; tribuit. Nam vndè pedum dolor? vnde vertigo capitis? vnde subitaneæ mortes? vnde cæteri morbi plerique contrahuntur, nisi ex crapula? In Paradiso non erat vinum, neq;

*Abstinentia mater sanitatis.*

*Hom. 2. de laudibus ieiunij.*

carnium esus, ac nec extra Paradisum quidem ad ipsa vsq; diluuij tempora: nihilominus ad mille propemodum annos hominum vita producebatur: vt qui septingentos aut octingentos annos vixisset, immatura morte decessisse videretur: Posteaquàm verò carnibus vescivinumq; bibere mortales ceperunt, facti sunt dies annorum nostrorum septuaginta annorum. Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor. Ægrè nunc ad tot annorum denarios peruenitur, quot centenarijs vixisse legimus, qui carnium vsum nescibant. In deserto fuit populus Israel quadraginta annis: donec manna tãtùm & aqua contenti fuerunt, nullus in eorum tribubus debilis aut æger reperiebatur. Posteaquàm autem de carniũ ollis, quibus alebantur in Ægypto recordati, desiderijs suisq; in Ægyptũ reuerti sunt, à terra promissionis eos Deus excussit. Petierunt carnes: dedit illis Dominus carnes. Quid autem dicit scriptura? Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum; percussit eum plaga magna nimis, vocatusq; est ille locus sepulchrum concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat carnes. Neq; verò tunc solùm id ita factum esse legimus. Vidimus etiam nos, qui præter necessitatem in quadragesima carnibus vescebantur, eos quoniam compati cũ Christo noluerunt, ad resurrectionis eiusdem gaudia non peruenisse, mortemq; prius cum vita commutasse, q̃ lætus ille paschatis dies illuxisset. Contrà verò de Daniele, de q; Anania, Azaria, Mizaële diuina refert historia, quòd cùm curæ cuiusdam traditi fuissent, vt eos delicatioribus cibis, qui superfuissent de mensa regia, pasceret, vltrò petiuerunt, vt in suos vsus, quæ mittebantur à Rege, conuerteret: ipsos leguminibus tantùm & palmulis aleret, ac si quid aliud præterea dare vellet inanime, nam se fastiditis illis, cibos appetere tales. Cumq; Præfectus eorum, cupere se quidẽ illis gratificari, dixisset, sed metuere, ne si Rex deprehendisset maciem, corporibus eorum extenuatis, decoreq; vultus immutato, præcipuè si collaterales cum his essent, qui delicatioribus epulis alerentur, in capitis discrimen veniret. Daniel simul vt in eo quòd peteret concedendo minus eum fore difficilem, animaduertit: fac, inquit, periculum per decem saltẽ dies: q; si nihilo deterius affecta fuerint nostra corpora, pergenos ijsdem pulmentis reficere. Sin aũt de pristino vultuum nostrorum decore detractum erit aliquid, non recusamus, quin Regis præcepto satisfacias. Fecit Præfectus periculum: ac reipsa comperit, non modò nihil eos maciei contraxisse pulmentorum esu, verumetiam habitiores multò factos & nitidiores his, qui delicatioribus cibis demensa regia missis vescebantur. Quam historiam recẽsens Athanasius. Vide igitur, quid faciat ieiunium: morbos fanat,

*Psalm. 89.*

*Num. 11.*

*Psalm. 77.*

*Daniel. 1.*

*Athan. in lib. de virginitate. Chrysa. Thom. 1. in hom. de Iona propheta.*

distillationes exsiccat, demones fugat, malas q; cogitationes expellit, & mentem nitidiorẽ reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius & ad thronum Dei hominum sistit. Chrysostomus quoq; de ieiunio loquens: Sed dicis, inquit, corporibus exinde generatur infirmitas: sed quantum exterior conteritur, tanto interior homo renouatur de die in diẽ, imò si diligẽter scrutari volueris, inuenies ieiunio validius corpora roborari: & si meum sermonem refuis, medicorum te doceat disciplina: qui abstinentiam, salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, & cætera, quibus febres atq; lãguores



res corporis comparantur, ex luxuria atq; voluptatibus aiunt generari, & tanquam de fonte noxio riuos ad corporum læsionem, & ad animarum perturbationem commeare testantur. Sed quid opus est Danielem, tresve pueros illos commemorare? Videre nunc quoq; licet, ex his præcipuè qui monasticam vitam agunt, plerosq; cùm non tantùm quadragesimæ diebus, verum etiam per omne vitæ suæ tempus à carnibus abstinuerint, habitiores multo, mitiores q; quàm qui perpetuo carnium esu, vinoq; venas, distenderunt. Quamobrem & priscos illos monachos recensere superuacaneum ducimus, qui cùm admirabili quadam fuissent abstinentia, vt alij nepanem quidem totis annis octoginta gustauerint, alij septem integros dies, quin & viginti, si quid Gregorio Nazianzeno credimus, ieiunando continuauerint, ab omni prorsus cibo abstinentes, & fuerit eorum ingens multitudo, oẽs ferè fuisse longæuos, ac cæteros in seculo degentes ætate longè superasse in Ecclesiastica sua historia narrat Theodoretus, & in Theophilo. Similiter & Palladius in sua Lausiaca. De Sancto Dominico scribit in vita eius frater Theodoricus, quod tota Quadragesima ieiunans pane solo & aqua vixit, neq; cubauit in lecto suo. Aduenientè autem Paschate sancto, & viribus erat robustior, & facie elegantior. Inuisibili enim intus pastus erat alimento, & sicut adipe & pinguedine Diuina suauitas eum repleuerat: è cuius redundantia corpus infirmum confirmabatur, & animi acies purgabatur, vt posset cernere mysteria futurorum.

*Greg. Naz. in Carminib. ad Heremiã de Monachis. lib. 6. cap. 38. Lib. 1. cap. 11.*

Quorsum autem attinet externa proferre, cùm eius rei domestica multa producere liceat exempla? Quàm religiosè nostri maiores indicta ab Ecclesia ieiunia obseruauerint, ex ijs qui paululum ætate processerunt, quive sanctę illius antiquitatis adhuc reliquias vident, ignorat nemo. Atqui multò fuit eorum vita productior, multò valetudo robustior, quàm sit istorum, qui diabolica fraude decepti, nisi carnibus in quadragesima vescãtur, ad Pascha lium festorum gaudia se pertingere non posse persuasum habent: plus in carniũ esu, quàm in Deo, qui solus seruare potest, fiduciæ collocantes. Qui primus ex clarissima Iagellonum familia regnauit in Polonia, Regis huius nostri proauus VVladislaus, cùm annis prope quinquaginta regni gubernacula tenuisset, paulò minus quàm centum annos vixisse memoratur. Atqui tanta Rege m abstinentia fuisse nostris proditum est annalibus, vt aquæ solius potu contentus, nec vinum, nec siceram per omne vitæ suæ tempus gustauerit vnquam. Sextis verò ferijs omnibus pane solo contentus fuerit. Tantùm abest, vt is, quæ sunt Ecclesiæ consuetudine recepta ieiunia violauerit, duriores vt ipse sibi ieiunandi leges vltro, quàm quæ præscriptæ sunt, imposuerit. Cuius exemplo filius Cazimirus, nostri Regis auus, nihil præter aquam bibebat. Qui cum & ipse non minus, quàm pater VVladislaus in obseruandis Ecclesiæ ieiunijs religiosus fuisset, quamuis annos paternos non attigerit, non ita longo tamen ab illis abfuit interuallo: cùm ad regni gubernacula per annos quadraginta sederit. Porrò Cazimiri filius, pater & cognominis huius, qui nunc habenas regni moderatur, vir cùm alijs virtutibus cumprimis illustris, tum insigni pietate, magnoq; animi robore, & in prisca religione, fideq; catholica tuenda, & conseruanda constantia singulari præditus: num & ipse non admirabili quadam fuit abstinentia? quem patris, auiiq; exemplo, nihil præter aquam potasse totis annis quadraginta, ac vix tandem affinis sui Frederici Marchionis Brandeburgensis, Medicorumq; consilijs adductũ scimus, vt suæ valetudinis tuendæ causa prandij saltem & cœnæ tempore, vino modico vteretur. Is vero quadragesimã cæteraq; ab Ecclesia indicta ieiunia, præterea, quæ sibi ipse imperauerat, tam sanctè obseruabat, vt priusquam ad ætatem decrepitam venisset, ne Medicis quidem vt obtemperaret persuaderi sibi facilè passus fuerit, si quando quibus ieiunatur diebus, aut carnibus, aut ouis eum vesci iuberent: quòd solius Dei benignitate, si visum hoc illi fuisset, absq; carnibus etiam, se pristinã incolumitatem recuperare posse confidebat. Quid autem? nunquid hæc eum fefellit fiducia? nunquid per hanc tam arctam ieiuniorum obseruationem, vel de corporis robore, vel de vultus decore, vel de vitæ curriculo detractum fuit aliquid & diminutum? Adeo nihil eorum factum est, vt illud potius acciderit, quod de Daniele, deq; tribus pueris paulò antè commemorauimus, quanto maior fuit Regis abstinentia, tanto & facies augustior, nitidior que, & membra corporis robustiora, & ætas fuit prouectior: Regnauit annis propè quadraginta duobus, vixit ferè bis totidem: tot victorijs clarus, tot rebus à se domi, foriq; feliciter gestis illustris, vt earum laude vix vlli maiorum suorum, Poloniæ Regum fuerit secundus. Hæc nos altè petita, sed eorum tantùm Regum exempla, quorum stirps adhuc supereſt, produximus, vt planum omnibus fieret, magis adeo ad augendum róbur corporis, vitamque longius producendam, eorum quæ indicta sunt ab Ecclesia ieiuniorum obseruationem facere, quàm vt aliquid adferre detrimenti valetudini videantur. Neq; vero id non iuxta promissionem Dei dicentis: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terrã. Nam sicut in explicatione Decalogi docere nos meminimus: patris & matris nomine non ij solum accipiendi sunt, ex quibus prognati secundùm carnem sumus, verumetiam cùm alij qui præsunt, tum hi præcipuè, de quibus Paulus admonet, dicens: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Quisquis igitur debitũ eis honorem non præstat, quisquis eorum dictis audiens non est, quisquis in eorum contemptũ vel ieiunia, vel quæcunq; tãdem alia sunt admirabili quodã totius Ecclesiæ Præpositorũ consensu constituta, sub vno traditionũ humanarũ nomine, reijcienda putat, ad eum hæc prõmissio non pertinet, quæ solis illis rectè facta, creditur, qui patrem & matrem honorant, qui Deo Patri & Ecclesiæ matri dicto se filios præstant audientes: quales fuerunt hi, quos iam commemorauimus, pientissimi Reges nostri: & qui ante eos regni gubernacula tenuerunt: Qualem etiam esse videmus ex illis prognatum Regem nostrum, Sigismundum Augustum, qui nihil à maiorum suorum pietate deflexit. Qui cùm honoret patrem suum, honoret matrem suam: seq́ue Dei patris & Ecclesiæ matris filium adeò

*Iagellonum Regũ Poloniæ pietas & abstinentia. VVladislaus. Casimiri. Sigismundi primi. Exod. 20. Patres spirituales. Hebr. 13. Sigismundi Augusti pietas.*

præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



præstet obsequẽtem, vt nullis persuasionibus adduci se passus fuerit, quo vel interdicto carnium esu, præter necessitatem, sanctæ quadragesimæ diebus vteretur, vel à quibuscunq; tandem alijs Ecclesiæ matris nostræ placitis discederet, ad eum quoq; pertinere promissionem hanc minimè dubitamus, quod erit longæuus super terram, neque minus quàm pater eius vitam aget felicem ac diuturnam. Quam spem nostram vt ratam Deus esse velit, pro sui nominis gloria, proq; regni totius & Ecclesiæ tranquillitate sedulò precamur. Quominus ferendi sunt, qui ne tam pij quidem Regis exemplo mouentur, vt sanctis maiorum suorum vestigijs incedant, nec ea sibi contemnenda putent, quæ summa ratione sunt ab illis instituta, quorum etiam si causas ignorarent, tantam tamen apud filios Ecclesiæ matris auctoritatem esse oportebat, vt semper decretis illius obediendum, non semper eorum quæ decreuisset, rationem esse flagitandam existimarent.

Verùm de corrupta Ecclesiæ disciplina, deq; sublata prorsus omni per audaces & sibi placentes homines obedientia, queri, non est præsentis instituti: eò vnde deflexit oratio nostra reuertatur. Illud nobis demonstrare propositum fuerat, qui matris Ecclesiæ decretis obtemperantes iuxta rationem ab illa institutam, vel quadragesimæ, vel quibuscunq; tandem statis alijs diebus ieiunassent, & ab interdicto carnium esu sibi temperassent, eos non modò nihil incommodæ valetudinis ex eo contraxisse, verumetiam robustiores factos, in multò longiorem ætatem vitam suam produxisse, quàm quanta sit eorum ætas, qui quamlibet leuis tentatiuncula fuerit, non alia ratione, quàm carnibus ieiuniorum diebus edendis, illi se mederi posse persuasum habent. Ac non protulimus nos quidem exempla nisi Regum, ich eorum tantùm, qui sunt ex Iagellonum familia prognati, cuius adhuc stirps supereſt, ac regno feliciter præest. Quòd si priuatorum, aut aliorum inferioris status exempla producenda putassemus, finis reperiri potuisset nullus: Vnum tamen commemorabimus: In oppido Strẽsco, quod viri fuit insigni pietate præditi. Felicis à Srensco Palatini & Præfecti Plocensis, qui non ita pridem in Christo obdormiuit, vita longiore dignus, cùm Catholicæ & Orthodoxæ fidei cumprimis tenax fuerit: in hoc igitur oppido, memorabili quodam opere sepulchrum constructum videre licet, quod is auo suo paterno posuit: testatur hunc inscriptio sepulchri centum quadraginta annos vixisse: Quem Ecclesiæ ieiunia religiosè obseruasse, nec ea carnium esu contaminasse, dubium esse debet nemini, cùm non minor hac in parte maiorum nostrorum religio fuerit, quàm vel Antiochenorum, de quibus meminit Ioannes Chrysostomus, cùm esset apud eos Presbyter, vel regnante Iustiniano Imperatore Constantinopolitanorum. Id quod vel ex eo, quod nostra factum est memoria, colligere licet. Cùm enim ante annos plus minus quadraginta Erasmus Vitellius Plocensis Episcopus ex vrbe rediens, diploma Pontificium attulisset, quo liberè omnibus potestas permittebatur feriis quartis carnibus vescendi, non est quisquam in toto Poloniæ regno repertus, qui concessa sibi potestate hac vti vellet. Tanta fuit etiam nostræ ætatis hominum grauitas, tanta cõstantia, tanta religio in ijs mordicus retinendis, quæ à maioribus nostris nobis per manus tradita accepimus. Sed hæc ista de re iam dicta sufficiant. Satis enim ex ijs demonstrasse videmur, quod ad valetudinis tuendæ rationem attinet, prodesse magis ad eam rem certis temporibus carnis abstinentiam, quàm obesse.

*Felix Srenscius Palat.*

*Polonorum religio. Erasmus Cioleck.*

Cæterùm demus illud, si quis à carnibus per quadragesimam abstineat, de corporis viribus nonnihil detrahi. Verùm si Plato, cùm non esset nescius, quàm grauem aduersàriũ carnem nostram habeamus, Academiam Athenis in loco pestilenti elegit, vt nimiam corporis ferocitatem velut vitem palmite luxuriantem amputaret. Si fecit hoc ille, quò liberius ei in pientiæ vacare liceret, quæ stultitia est apud Deum: quantò magis faciendum nobis est, vt eo præsertim anni tempore, quo plus in carne nostra ferocitatis esse cõsueuit, (cuiusmodi verum esse tempus creditur) non eis qui sunt saluberrimi, quiq; maximè nutriunt, cibis vtamur: quo caro nostra facilius in officio cõtineri, neq; spiritum impedire queat, quò minus, quæ sola est vera Philosophia, diuinis beneficijs contemplandis vacare totus possit. Testatur autem hoc etiam ipsi Medicorum libri, bonam valetudinem quæ in summo est, fallacé & periculosam esse, quòd summis negatũ est stare diu: vt qui inoffenso valetudinis suæ cursu ad virilem ætatem peruenerunt, eos posteaquam aliquo non grauissimo morbo correpti fuerint, in extremum vitæ discrimen adductos videre sæpè licuerit non nisi difficulter ex eo recreatos. Cui periculo minus obnoxij videntur, qui subindè cum leuioribus morbis conflictantur, vt non omnino nolle debeamus, interpolata potius morbis, quàm perpetua quadam incolumitate frui: quòd hæc plerunq; non solet esse diuturna. Suntq; longioris æui, quibus athletica illa valetudo perpetua non est. Quanquam Christianum hominem corporis quàm minimam habere rationem oportet, cum quod illius incolumitati detrahitur, animi sanitate pensetur. Cùm enim qui foris est, noster homo corrumpitur: is qui intus est, sicut à Paulo scriptum legimus, renouatur de die in diem. Eum qui foris est hominem, corpus nostrum: eum, qui intus est animum Paulus intelligi vult: vt quantum illi detractũ fuerit, tantùm huic virium accedat. Quid autem aliud est corpus nostrum, quàm carcer noster: de quo educi animam suam Propheta petit? Quanto lautioribus & delicatioribus cibis curatum & saginatum à nobis corpus fuerit, tanto duriorem nobis careerem præparamus. Non sunt igitur omnia corpori tribuenda, non est nimis delicatè fouendus hostis noster domesticus, quo vix vllus vel periculosior, vel nobis est infestior. Quin castigandum illud potius, & in seruitutem redigendum est: quemadmodum factitasse Paulum scimus, quominus rebellare spiritui queat. Verùm hæc de ieiunijs, deq; cæremonijs dicta sufficiant. Quoniam verò sub vno traditionum humanarum nomine omnia hæc externa contemni, & pro nihilo ducihoc infelici æuo nostro videmus, opere precium esse duximus, vt quid sentiendũ de illis sit, breuibus explicemus.

*Platonis consilium in eligendo loco Academiæ insalubri. Vide Basil. in eo li. quem scripsit ad adolescentes, quomodo proficiant ex gentilium libris, & Hieron. li. 2. cont. Iouinianum.*

*1. Cor. 1.*

*2. Cor. 4.*

*Psal. 14.*

*1. Cor. 2.*

De



*De Traditionibus.*

## CAP. XCII.

*Status religionis tempore Basilij. in epist. 70.*

SVI temporis statum deplorans Magnus ille Basilius: Vnum, inquit, iam crimen est, quod vehementer punitur, si paternas quis traditiones diligenter obseruet. Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliud aliquid rerum temporalium: sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem, in acie ac certa mine stamus. Domus precationum clausæ sunt, altaria cultu spiritali vacant: nulli amplius Christianorum cœtus: nulla amplius doctorum præsidentia: cessarunt doctrinæ salubres, cessarunt panegyres: hymnodiæ nocturnæ non habentur, neq; supereſt beata illa exultatio, qua Dño credentium animæ in synaxi & cõmunione spiritalium charismatũ exhilarantur. Nobis iam dicere licèt, q; in hoc tempore non sit neq; princeps, neq; Propheta, neq; præses, neq; oblatio, neq; incensum, neq; locus, in quo coram Domino possit offerri sacrificium & misericordia acquiri. Quæ sint autem ex eo consequuta, in ea quæ proximè præcedit epistola, narrat idem dicens: Intereà ridentnos infideles, nutant q modicæ sunt fidei des ipsa in ambiguum vocatur, ignorantia mentibus offunditur: propterea quòd formam ad speciem veritatis prætexunt, qui versutè sermonem adulterant: silent enim piè docentium ora, resoluta verò est quæuis blasphema lingua, prophanata sunt sacra, domos orationum fugiunt, vtpotè in quibus impia docentur. In solitudinibus verò degentes, manus suas ad Dominum de cœlis cum gemitibus & lachrymis extollunt. Ac rursus in alia epistola: Spreta sunt patrum decreta, traditiones apostolicæ nihili fiunt, recentiorum hominum adinuentiones ad gubernandas Ecclesias vsurpantur: ex artificio deniq; iam loquuntur homines non theologicè: Sapientia mundi primas obtinet, neglecta crucis gloria: pelluntur pastores, sub introducuntur in eorum locum lupi graues, gregem Christi discerpentes: ædes oratorię concionibus Ecclesiasticis destitutæ: solitudines refertæ sunt plangẽtibus, se mores lamentãtur, vetera præsentibus conferentes: iuniores hoc sunt miserabiliores, quòd quibus bonis priuati sint, ignorant.

*Oseæ 3.*

*Basil. epist. 6.*

Hæc sunt & alia pleraque, quæ scribens ad suos in Italia & Gallia comministros, grauiter deplorat Basilius. Cæterùm si miser tunc fuit & calamitosus Ecclesiæ status, non minus certè nunc infelix est & calamitosus: neq; magis illis, quàm nostris temporibus his hæc Basilij deploratio conuenire videtur. Graue piaculum visum est Basilio, q; clausæ tum fuere domus orationum: at nunc partim priuatorum domicilia factas, partim in horrea, & equorũ stabula commutatas, partim prorsus euersas: & quod horrendum est dictu, vix etiam apud posteros credibile futurum, crucem, in quam furti aut alicuius sceleris alterius condemnati aguntur, in eo ipso loco videre licuit collocatam, vbi crucis, qua redempti sumus, & mortis Christi iugis repræsentatio recordatioq; fiebat. Altaria tum spiritali cultu vacabant: nũc diruta sunt & cõfracta: vt in plerisq; locis ne vestigium quidem illorum supersit vllũ. Quòd autem spirituali cultu altaria tum vacabant, non ideò factum est, quòd eum improbandum quisquam esse diceret: verùm ob eam potius causam, quòd in graui Sacerdotum Orthodoxorum persecutione, non facilè reperire licebat, qui spiritualem cultum hunc Deo præstarent. At nostro tempore, cultus ipse spiritualis, quam propriè Deo debitam seruitutem vocat Augustinus, prorsus, abrogatus in plerisq; locis esse videtur. Neq; dubitãt blasphemi homines, tremendum illud missæ sacrificium, (hoc enim per spiritualem cultum intelligi vult Basilius (horrendam abominationem & idololatriam appellare. Ac quicunq; tunc fuerit Ecclesiæ status, plangere tamen his qui agebant in solitudine, Deumq; suis precibus citra cuiusquam interpellationem placatum reddere licebat: nũc non alij sunt qui persequutionẽ patiuntur grauiorem, quiq; magis hominũ ludibrio sunt expositi, quàm qui solitariam vitã degentes, Deo piè colendo se totos dicauerunt. Quod si nunc Basilius viueret, si, quod vix etiam immanes Barbari facerent in Christi crucifixi simulachra eos, qui Christiani censeri volunt, haud aliter sæuire cerneret, quàm fuit olim à Iudæis in viuentẽ Christũ sæuitum: si Christi corpus & sanguinẽ in Eucharistia cõculcari: si horrẽda alia patrari aspiceret, q̃ tandẽ illi lachrymæ? q planctus? q̃ lamentationes ad præsentẽ Ecclesiæ statũ deplorandũ sufficerẽt?

*Li. 20. cont. Faust. cap. 21.*

*Horrẽdum facinus.*

Quod autem nobis quoq; nunc obijcitur crimen grauius, q̃ quod ille suo tempore pijs obiectum esse querit? Nunquid nõ hoc solo nomine rei pronunciamur grauissimi criminis idololatriæ, quòd paternas traditiones retinemus, q; non temerè discedere nos ab eis oportere, persuasum habemus? Nónne, quibus verbis Populum Israël per Prophetam Dñs olim est hortatus, vt ne in præceptis patrum suorũ incederet, quorũ cor post idola gradiebatur: cum sibi quem adorarent, vitulum aureum in deserto cõflauissent, ea verba, obtorto, quod aiunt, collo in nos torquere, ac per ea nos ab eo cultu deterrere conantur, quo maiores nostri piè Deum sunt prosequuti. Quorum nomine si volunt eos intelligi, qui ante sexcentos annos in Polonia vixerunt: rectè illi sanè. Nam illorum præceptis absit vt incedamus. Certò enim scimus, quod illorum cor post idola gradiebatur, à quorum cultu grauiq; diaboli seruitute nos per Dei misericordiam liberatos esse gaudemus, & eius hoc immensum beneficium non sine singulari quadam grati animi testificatione, pleno quod aiunt, ore libenter prædicamus: simul supplices clementiam eius precamur, vt agnita semel veritate, ne nos retrorsum conuerti ab eo quod nobis creditum est, sancto mandato, neve doctrinis varijs & peregrinis abduci, & à quatuor Euangelijs, quæ vnum sunt, in quintum aliud, quod ignoret hactenus Ecclesia Christi, transferri patiatur. Sin aũt patrum nomine, vel Apostolos, vel

*Exech. 20. Exo. 23.*

*2. Pet. 2. Heb. 13.*

*Patrum nomine qui intelligendi. Rom. 9.*

corum

Universidad de Deusto
Biblioteca



eorum ſucceſſores ad hæc vſq; noſtra tempora, quorum nos, qui iam non earnis, verùm prò miſſionis filij ſumus, liberos eſſe gloriamur: ſi Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Baſilium, Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, ſi ſanctos Martyres & Epiſcopos noſtros Adalbertum & Staniſlaum, qui Euangelium Chriſti per longam ſacerdotum & Epiſcoporũ ſucceſſionem ſibi per manus traditum, ſanguine ſuo ſignatum nobis reliquerunt, ſi hos patrũ nomine volunt intelligi, da Chriſte, vt in eorum ſemper præceptis incedamus, da vt ab eorum veſtigijs nunq̃ aberremus, da vt quorum cum admiratione quadam cõuerſationis exitum intuemur, eorum fidem imitemur: ac prius lucis huius vſuram, prius ea nobis omnia, q̃ ſunt chariſſima mortalibus, eripi velimus, q̃ in hanc nos mentẽ impelli patiamur, vt in ſanctorum horum patrum noſtrorum præceptis non eſſe nobis incedẽdum exiſtimemus. Quã nos iſti docuerunt idololatriã, eam fac vt perpetuò retineamus. Verùm non eſt illa idololatria, ſed eſt pia cumprimis, & ſalutaris doctrina, quam illi, quos verè patres noſtros agnoſcimus, à ſuis maioribus acceptam, per manus nobis tradiderunt. Ea verò eſt ipſiſſima idololatria, quam iſti traduntimpij, qui nos iubent ſequi deos alienos, hoc eſt, noua quædam & aliena ab Eccleſia dogmata, q̃ ſi recepta ſemel fuerint, neceſſe eſt, vt fides beatorum patrum noſtrorum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur: neceſſe eſt, vt oẽs omnium ætatũ fideles, oẽs ſancti, oẽs caſti, continentes, virgines, oẽs clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tot Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot inſulæ, prouinciæ, Reges, regna, Gentes, nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis Chriſto capiti per catholicam fidem incorporatus, tam longo ſeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, quid crederet neſciſſe, & idola coluiſſe pronuncietur. Quæ eſt, ſi non hæc eſt ipſiſſima idolatriæ propagatio, cùm tuum ipſe verbum pro Dei verbo rudi plebeculæ venditas, cum tuarum opinionum commenta ſic incipis admirari, vt ea tanq̃ diuina quædam oracula, velis ab omnibus adorari? cæteros oẽs deſipere, te ſolum ſapere: cæteros oẽs cæcos eſſe, te ſolum videre perſuaſum habes? Profert ſententiam ſuam Lutherus: quò faciliùs imponat imperitis, aliquot eam ſcripturæ verbis in prauum ſenſum detortis, adſtruere conatur: vocat ſtatim Euangelium, vocat verbum Dei. Profert ſuam ad eundem modum Zuinglius, aut Caluinus: vocat eam & ipſe verbũ Dei. Profert ſimiliter ſua ſomnia Baltazarus aut quicunq; tandem alius de grege Anabaptiſtarum, vocat verbum Dei. Quid ſi (quod ne cogitare quidem, vt in mentem veniat vnq̃ homini Chriſtiano prohibere dignetur Deus) nos Eccleſiæ catholicæ tæderet: ſi ab ea ſegregati, ſententias iſtorum nobis ample ctendas eſſe putaremus: nunquid non quot ſunt hæreticarum opinionum commenta, tot verba Dei: quot hæreticos, tot ſequuti deos eſſe videremur? In quam fraudem qui miſeros mortales inducere conantur, quid aliud exiſtimandi ſunt dicere, quàm quod à pſeudopropheta dictum in Deuteronomio legimus. Eamus & ſequamur deos alienos, quos ignoramus, & ſeruiamus eis. Nobis verò prius omnia Deus eripiat, q̃ hanc mentem, qua ſemel nobis deliberatum eſt, omnia prius & facere & pati, q̃ vt ſequamur deos alienos, hoc eſt, errores extraneos, nouos & inauditos, quos hactenus ignorabamus, vt ſeruiamus, hoc eſt, credamus eis. Quin Deo nos obtemperabimus potius dicenti: Non audies verba Prophetæ illius, qui iubet ſequi deos alienos: illum vnum Deum ſequemur, quem toties in ſcripturis appellare legimus Dominum Deum patrum noſtrorum, ab hoc vno Deo, quem coluerunt patres noſtri, nunq̃ diſcedemus: huic vni Deo ſeruiemus, huius vnius Dei verbo credemus: eius qui multifariam multiſq; modis olim locutus in Prophetis, poſteà locutus in Filio, locutus in Apoſtolis, locutus eſt deinceps ſemper, & loquitur adhuc in vna, ſancta, catholica, Apoſtolica Eccleſia. Quicquid ab illa tanq̃ Dei verbum receptum eſt: ſiue ſcriptum, id eſt, ſiue traditum, tanq̃ Dei verbum obuijs, quod aiunt, vlnis amplectemur, & qua ſumma poſſumus veneratione proſequemur. Neq; audiemus iſtos, qui ſi quid in ſcripturis non reperitur, etiam ſi totius Eccleſiæ quodam admirabili conſenſu receptum ſit & approbatum, ſub vno tamen traditionum humanarum nomine, ſtatim reijciendum eſſe cẽſent. Verùm Dei ſpiritum audiemus potius per Paulum loquentem: Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue epiſtolam noſtrã. Audiemus eundem ſpiritum: per Epiphaniũ, dicentẽ: Oportet & traditione vti. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione S. Apoſtoli tradiderunt. Quemadmodum dicit ſanctus Apoſtol: Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſia. Audiemus Athanaſium quoq; monentem: Qui ea q̃ vltra ſuas vires ſunt indagat, in præcipiti conſtiſt: qui verò traditionibus inhæret, extra periculum verſatur. Suademus igitur, inquit, vobis, quod & nobiſipſis ſuademus, vt traditam fidem retineatis. Secutus patres hos Ambroſius: Seruemus, inquit, præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus, librum ſignatum illum Propheticum non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, nõ Archangeli aperire auſi ſunt: ſoli Chriſto explanandi eius prærogatiua eſt ſeruata. Librũ Sacerdotalem quis noſtrum deſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus, & multorũ iam martyrio conſecratum. Quem qui deſignare coacti ſunt, poſteà tamen damnata fraude ſignarunt. Qui violare non auſi ſunt, Confeſſores & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus.

*Heb. 13.*

*Idololatria quæ. Dijalieni.*

*Verbi Dei prætextu ſe venditant hæretici.*

*Deut. 13.*

*Hebr. 1.*

*1. Theſſ. 2.*

*Hæreſi 61.*

*In principio 3. tomi de incar. verbi Dei.*

*De fide lib. 3. ca. 7.*

Et auerſemini prophana nouitatis verba, & idem reliquis præcipiatis, vt exhorreant tanti myſterij inquiſitionem.

*Obiectiones hæreticorum contra traditiones.*

*Ezech. 20.*

*In præceptis Patrũ &c.*

Sed videre libet, quid ab iſtis tãdem adferatur, quamobrẽ traditiones humanas reijciendas putent. Certè quod adducunt ex Ezechiele: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, quid eo potuit proferri ineptius, magisq; ridiculum, ad pios maiorum noſtrorũ cultus euertendos? eorum dico, quos ſexcentis his annis, quibus in Polonia Chriſti receptum eſt Euangelium, in fide & confeſſione Chriſti nominis ex hac vita migraſſe cõſtat. Quæ auẽ eſt iſtorum



eſt iſtorum hominum cœcitas, qui non vident, ſi quis verbis velit vrgere, ſuis hoc, quos per quintum Euangelium genuerunt, liberis, multò dici poſſe rectius: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere: Nos enim non tam in patrum, quàm in auorum, proauorum, atauorum noſtrorum præceptis incedimus: qui mille iam & quingentis annis, eadem qua nos ratione Chriſtum coluerunt, eiuſq; colendi rationem partim ſcripto, partim traditionibus ad nos tranſmiſerunt. At iſtorum liberi (niſi mentem illis dederit Deus meliorem) in quorum altorum, quàm in patrum ſuorum præceptis inceduntſ auos enim & proauos hoc quidem tempore numerare nullos poterunt. Niſi fortè non habet ſua quoq; præcepta, non habet ſuas quoq; conſtitutiones iſta diſgregata congregatio, & vndiq; diſſecta. Atqui præter alios quoſdam ſcribit de horum conſtitutionibus, is, qui vitam ſuam inter eos tranſegit, Eraſmus Roterodamus, his verbis: Excuſſum eſt iugum humanarum conſtitutionum, ſed vbi ſunt, qui ſubmiſerunt ceruicem ſuam ſuaui iugo Chriſti? Et interim conſtitutiones humanæ conſtitutionibus humanis, imò parum humanis mutantur. Titulus modò mutatus eſt: vocantur enim verbum Dei: cæterùm res adeò nihilò eſt mitior, vt complures boni viri præferant vltroneum exilium iſti magnificè decantatæ libertati. Atq; adeò proceres & antiſignani iſtius factionis, cùm nondum ad Epiſcoporum dignitatem, opes, ac ditionem peruenerint, tamen eiuſmodi ſpeciem de ſe præbent, vt ego me malim in Epiſcoporum, quàm in horum poteſtatem tradere, ſi detur optio: malimq́ue Cæſaris potentiſſimi ferre iugum, quàm quorundam Magiſtratuum Euangelicorum, quamuis humili ſorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui veſtro Euangelio ſubmittunt ceruices: magis vereor, ne pleriq; p̃ graui iugo hominum, portent grauius iugum Diaboli. Excuſſa eſt obedientia Epiſcoporum, ſed ita, vt ne prophanis quidem Magiſtratibus pareatur. Hæc ille de conſtitutionibus eorum, qui nunc Euangelici vocari malunt, quàm Chriſtiani, quiq́ue tanto conatu conſtitutiones humanas euertere moliuntur, qui certè propheticum illud: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, ſuis poſteris multò verius occinere poſſunt, quàm nobis, qui traditiones Apoſtolicas retinemus. Cæterùm quæ certa, ſtabilis & fixa futura eſt religio, ſi nunquam filijs in patrum ſuorum, qui Catholicę fuerint & Orthodoxæ fidei, præceptis incedere licebit? Niſi fortè hoc iſti volunt, vt nunquam eandem quam patres religionem filij, nec eoſdem ritus obſeruent: quo vel hac ratione ſe quiduis eſſe potius, quàm catholicos teſtatum faciant omnibus. Verùm aliud nos docet diuina ſcriptura. Interroga, inquit, patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Non te prętereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum. Et iterum: Interroga generationem priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriam. Heſterni quippè ſumus, & ignoramus: quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram. Ipſi docebunt te, loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerũt patres tui. Terminos autem indubitanter tranſgreditur, qui ſtatuta patrum poſtponit, atq; confundit: ſicut Alexander quartus à Petro Pontifex Romanus in prima ſua decretali ſcribit epiſtola. Tunc aũt à nobis fidei limes defenditur, inquit, Auguſtinus, quando termini quos poſuerunt ſancti patres, non tranſferuntur à nobis, imò obſeruantur & defenſantur. Gloriatur Baſilius, quòd quam à puero ſententiam de Deo, à Beata matre ſua, deinde à nutrice ſua Macrina recepit, illam iuſtis incrementis auctam & adultam in ſeipſo conſeruauerit. Non enim alias poſt alias, inquit, matureſcente ratione ſumpſi: ſed tradita ab illis principia abſolui, & ad perfectionem deduxi. Quemadmodum enim ſemen dum creſcit, maius quidem è modico redditur, idem tamen eſt, quod anteà, nõ immutatum genere, ſed immutatum ex incremento: Ita & mihi eandem ſententiam quidem ſuis auctam profectibus, non autem quæ nunc eſt, ei quæ ab initio erat, aduerſam eſſe arbitror. In quam ſententiam pleraq; ſcribuntur ab eodem in Epiſtola ad Neocęſarianos. Cuius exemplo Gregorius quoq; Nazianz. in oratione, qua cõtra eos qui modũ nõ ſeruãt in diſputando de rebus diuinis, grauiter inuehitur, docens quòd præſtat ignauum eſſe, quàm curioſum. Verba ea, inquit, quibus ſimul cum lacte nutritus es, mordicus retine, diſputationis autem curam, eruditioribus manda.

*Eraſ. in epiſt. cõtra Pſeudoeuang.*

*Epiſt. 79.*

*Epiſt. 75.*

Sed habent interim iſti alia quoq; ſcripturæ loca, quibus rectè perſuaderi putant homines, vt ne traditiones Patrum obſeruent. Adferunt magno ſuorum applauſu, quod olim ab Arrianorum Epiſcopo Maximo productum fuiſſe legimus, cùm aduerſus Auguſtinum diſſerens, nihil ſe præter ſcripturas Canonicas recepturum eſſe diceret: Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Ad quæ ne reſpõdere quidem dignatus eſt Auguſtinus, quod nihil ad cauſam pertinere iudicaſſet. Quis enim ignorat, de quo traditionum genere Chriſtus ibi loquatur? nimirùm de eo, quod aut leue prorſus eſt ac inutile, nec ad Dei cultum quicquã facit, quale fuit, non lotis manibus mãducare, qua de re tum ſermo fuerat: aut quòd præceptis Dei palàm aduerſaretur, quale fuit, cuius in eodẽ loco Chriſtus meminit: Quicunq; dixerit patri aut matri, munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit, &c. Quibus verbis hoc ſignificare velle videbantur, in templo munus offerre ſatius eſſe, quàm neceſſitati parentũ ſubuenire: Quod apertè fuit illi præcepto Dei cõtrariũ: Honora patrem tuũ & matrẽ tuã. Nihil aliud his verbis Chriſtus intelligi vult, quã q̃ adnotatũ eſt à Baſilio: traditionibus humanis ad mãdatũ Dei reprobandũ, obſequendũ nõ eſſe. Hoc illa ipſa Chriſti verba ſatis indicant, cùm dicit: Reſcindentes verbũ Dei per traditionẽ veſtrã, quam tradidiſtis. Atqui de quibus traditionibus paulò antè verba fecimus, tãtùm abeſt, vt aut leues, aut inutiles, aut cum verbo Dei ſint pugnantes, vt etiam ad cultũ Dei promouẽdum facere plurimum videantur. Cuius generis traditiones non modò non reijciendas aut etiam reprehendendas eſſe Chriſtus putauit, verumetiam, quas ipſe obſeruare dignas iudicauit, Encæniorum feſtum non à Moſe, qui Dei ſequeſter & interpres fuit: ſed à Machabæis inſtitu-

*Lib. 2. cont. Maximin.*

*Iſaiæ 29. Matth. 5. Sine cauſa colunt me, explicatur.*

*Exod. 29. Baſil. in Ethicis diſſin. 12. Matth. 15.*

*Deut. 32. Eccleſ. 8. Iob. 8.*

*Prouer. 22. Terminos antiquos tranſgredi quid ſit.*

*Aug. lib. 3. Hypognoſtic.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Encæniorum festũ à Machabæis institutum.*

*Deut. 5.*

*2. Machab. 10.*

*Galat. 1.*

*Si quis euangelizauerit.*

*Lib. 1. dist. 11.*

*Anſ. lib. 2. contra poſitor. Cap. 21. & 22.*

*Hæreticorum axioma.*

*Aug. tract. 48. in Ioan.*

*Ioan. 16.*

*2. Theſſ. 3.*

*Lib. 5. epiſt. 32. de incarnatio. Chriſti.*

*Tertull. de velan. virginibus.*

*Ioan. 16.*

*Heilsberga ſedes Epiſcopi Varmienſis.*

*Ioan. 6.*

ſtitutum eſſe legimus, & tamen quod recens adeò fuit inſtitutum, id ſua præſentia Chriſtus honeſtare dignatus eſt. Vſq; eo ne recentes quidem traditiones ſiue cõſtitutiones contemnendas eſſe duxit.

Verùm eſt & aliud, quod producunt ex Paulo telum: Si quis, inquit, vobis euangelizauerit, præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit. Quod anteà productum à Græcis quoq; Petrus Lombardus auctor eſt: & ex ea diſputatione quam habuit Anſelmus Hauelsburgenſis Epiſcopus æqualis Petri Lombardi cum Nechita Archiepiſcopo Nicomedię, manifeſtum eſt: tum in concilio Florentino, quo tempore de proceſſione ſancti Spiritus controuertebatur, obiectum ab eiſdem fuiſſe, cõcilij eius acta teſtantur: fuitq; planè, Græcis etiam ipſis poſteà fatentibus, ſiculneum in hac ſcriptura præſidium. Quoniam verò proprium ſemper hoc fuit hæreticorum axioma, nihil eſſe recipiendum præter ſcripturas: dubium non eſt, quin priſcis etiam ſeculis, ad probandum illud, hæc Apoſtoli verba detorſerint. Quamobrem illum ex Euangelio locum enarrans Auguſtinus: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Admonitio, inquit, beatiſſimi Apoſtoli de veſtris cordibus non recedat. Si quis vobis Euangelizauerit prꝫterquàm quod accepiſtis, anathema ſit. Non ait pluſquam accepiſtis, ſed prꝫterquàm quod accepiſtis: Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt ſuppleret, quę illorum fidei deerant. ſed qui ſupplet, quod minus erat, addit, non, quod inerat, tollit: qui autem prꝫtergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: adijcenda illis fuerant, quę neſciebant, non quæ dicerant, euertenda. Quis non facilè perſpicit ex his Auguſtini verbis, non eam fuiſſe Pauli mentem, vt his quæ per ſe tradita fuerant & annunciata, nihil adijciendum exiſtimaret, ſed hoc eum tantùm cauere voluiſſe, cùm hæc ſcriberet, ne quid contrarium his reciperent, quæ prius à ſe tradita accepiſſent. Poſt hanc ad Galatas ſcriptam epiſtolam, ſcripſit prædarum illud Euangelium ſuum Ioannes, nunquid, quotquot illud receperunt, eos, vel auctorem ipſum, anathema Paulus eſſe voluit? Quare vel cæco perſpicuum eſſe poteſt, quàm ineptè colligere conentur iſti ex hoc loco, nihil ſcripturis adijciendum, nihil prꝫter ſcripturas recipiendum, nihil eſſe nouarum conſtitutionum aut ſanctionum edendum: In quo tamen, non prꝫterquam quod ſcriptum eſt à nobis, ſed prꝫterquam quod euangelizauimus vobis, prꝫter id quod accepiſtis, traditum & annunciatum à nobis, diſertis verbis expreſſum eſt: vt magis ad traditionem, quàm ſcripturam referri queat. Quod etiam apertè declarant hæc Athanaſij verba: Si quis prꝫter hæc ex diuinis ſcripturis alium eſſe docet filium Dei, & alium, qui ex Maria adoptatus eſt in filium: ſicut nos. Vel, ſi quis Domini noſtri carnem ſupernè dicat, & non ex Maria Virgine: vel conuerſam diuinitatem in carnem, vel confuſam, vel immutatam, vel paſſibilem Domini deitatem, vel inadorabilem Domini noſtri carnem vt hominis: hunc anathematizat ſancta catholica Eccleſia: obtemperans in hoc diuino Apoſtolo, dicenti: Si quis vobis euangelizauerit, prꝫter id quod accepiſtis, anathema ſit. Hìc Athanaſius apertè, quem locum Pauli contra traditiones noſtri temporis hæretici producunt, hunc adfert ad confirmandas traditiones: dum hoc oſtendere conatur, etiã ſi quis è ſcripturis contrarium docere velit, ei quod in patrum concilijs definitum, permanus ab illis accepimus, eum non eſſe audiendum: verùm in eo quod accepimus eſſe potius permanendum, quamlibet multa proferantur in cõtrarium ſcripturarum examina. Quem ſequutus Ambroſius ad Valentinianum de Auxentio ſcribens: Non eſt, inquit, neceſſe propter vnum tot Epiſcopos fatigari, qui etiamſi Angelus de cœlo eſſet, paci eccleſiarum non deberet præferri. Pacem eccleſiarum vocat, quod vnanimiter à patribus in cõcilio Niceno decretum fuerat & approbatum, ei negant quicquam præferendum eſſe, etiamſi Angelus de cœlo ſecùs euẽgelizaret. Cumprimis abſurdum eſſe, Tertullianus exiſtimat, vt Diabolo ſemper operante, & adijciente quotidie ad iniquitatis opera, opus Dei aut ceſſauerit, aut ꝓficere deſtiterit: cùm propterea paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina, ab illo vicario Domini, Spiritu ſancto. Adhuc, inquit, habeo multa loqui vobis, ſed nondum poteſtis ea baiulare. Quem ſecutus Vincentius Lirinenſis. Quis ille, inquit, eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, vt nullum in Eccleſia Chriſti profectum haberi velit religionis? Sit ſanè: verùm ita, vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio: ſiquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur, & permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementerꝫ proficiat, tam ſingulorum, quàm omniũ, tam vnius hominis, quàm totius Eccleſię ætatum ac ſeculorum gradibus, intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſed in ſuo duntaxat genere: in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademꝫ ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant & explicent, eadem tamen, quę erant permanent. Multum intereſt inter pueritię florem, & ſenectutis maturitatẽ, ſed ijdem ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quamuis vnius eiuſdemꝫ hominis ſtatus habitusꝫ mutetur, vna tamen nihilominus eademꝫ natura, vna eademꝫ perſona ſit: parua lactentium membra, magna iuuenum, eadem ipſa ſunt tamen: quot paruulorum artus, tot virorum, & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ętate pariuntur, iam in ſeminis ratione proferta ſunt, vt nihil nouum poſteà proferatur in ſenibus, quod nõ in pueris iam antè latitauerit.

Anſelmus Hauelsburgenſis Epiſcopus in ea diſputatione, quam cum Nechita Archiepiſcopo Nicomediæ habuit, quem librum in bibliotheca caſtri Heilsbergenſis, necdum quod ſciamus typis mandatum, reperimus, adferens & ipſe hunc Euangelij locum: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis ea portare modò, cùm autem venerit ille Spiri-



*Anſ. lib. 2. contra poſitorum cap. 23.*

Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: his verbis vtitur: Spiritus ſanctus procedens ab ore veritatis, quæ Chriſtus eſt, Euangelium prius cõdidit: poſtea ſanctorum patrũ concilijs auctor & doctor omnis veritatis, ſicut promiſſus fuerat, interfuit: fidem, quam ipſe idem in Euangelio breuiter condiderat, in cõcilijs ſanctorum patrum explanauit, & quæ filius adhuc dicere habuit, ipſe procedens à filio veraciter edidit, & pleniter docuit, vt quã tunc ſoli Apoſtoli non potuerunt portare, eam nunc ſimul tota portet eccleſia per vniuerſum mundum diffuſa. Itaq; ſicut dixi, Spiritus ſanctus, ſicut promiſſus fuerat, vt veniens doceret, tunc & nunc, & ſemper omnem veritatem, ſanctorum patrum concilijs interfuit, & tãquàm doctor omnium præfuit: fidem ſanctę Trinitatis, quam tenemus inter impietatem Arrij, qui diuinam ſubſtantiam ſeparauit, & impietatem Sabellij, qui perſonas confudit, docens paulatim omnem veritatem, tradidit, ſacramenta eccleſiaſtica inſtituit: formam baptiſmi, quam Dominus inſtituerat, conuenienti moderamine ordinauit: & ritum quem in conſecratione corporis & ſanguinis Domini tenet ſancta eccleſia, diſpoſuit: Patriarchas, Metropolitas, Archiepiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & alios inferiores ordines eccleſiaſticos in miniſterium diuinum, & decorem domus Dei inſtaurauit, chriſmales vnctiones, nec non ſacramentum pœnitẽtiæ, & impoſitionis manuum, ordine ſacratiſſimo & bono diſtinxit: miſſarum ſolennia, & cętera diuina officia in laudem Dei appoſuit: per catholicos doctores, quaſi per organum ſuum, ſacras ſcripturas veteris & noui Teſtamenti nobis tanquàm extrinſecus pluendo aperuit: arcana quoq; diuina ſub ſigillo diuinarum ſcripturarum myſterialiter clauſa, familiari inſpiratione nobis inſinuando, tanquàm intrinſecus rorando innotuit: hæreſes paulatim ſuccreſcentes (quia virtus altiſſimi eſt) potenter diſſipauit: leges eccleſiaſticas, ad conſeruandam religionem Chriſtianam, per Apoſtolicos viros dictauit: & vt ſingula ſub breuitate colligam, totam Eccleſiam in ſancta diſciplina eruditam, oẽm paulatim docens veritatem, lumine veræ ſcientiæ illuſtrauit, & adhuc illuſtrat, & ſemper illuſtrabit. Ita quippè promiſit, qui non mentitur Deus: Dabo vobis ſpiritum, vt maneat vobiſcum in æternum. Et iterum: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi, videlicet per inhabitantem Spiritus ſancti gratiam. Hactenus ille.

*An Euãgelium ſufficiat ad ſalutem.*

*Chryſ. hom. 1. in epiſt. ad Titum.*

*Matth. 18.*

*Exod. 20.*

*Matth. 15.*

*Hebr. 13.*

*Matth. 23.*

*Lucæ 10.*

*Rom. 13.*

*Ign. epiſt. 8. Epiſcopo obediẽdũ.*

*1. Regum 8.*

*Epiſt. 1.*

*Heb. 13.*

Sed nunquid (aiunt) lex Euangelij non eſt ſufficiens ad ſalutem, vt humanis prꝫtereà legibus opus habeamus? Eſt reuera lex Euangelij ſufficiens ad ſalutem: Verum eſt enim quod à Ioanne Chryſoſtomo ſcriptum eſt: Omnia continet Euangelium, & præſentia, & futura, honorem, pietatem, fidem: ſimul omnia prædicationis verbo concluſit. Verùm hęc ipſa lex Euangelij docet nos, vt Eccleſiam audiamus, vt parentes honoremus, vt præpoſitis obediamus, vt quæ dicunt nobis in cathedra Moſi, cui ſucceſſit cathedra Petri, ſedentes ea facimus, etiamſi, quod fit non rarò, non faciant ipſi quæ dicunt. Atq; hæc tam ſeriò, tamꝫ graui cõminatione prꝫcipit, vt qui non audierit Eccleſiam, eum velit haberi tanquam Ethnicum & Publicanum: vt Chriſtum non audiri, Chriſtum ſperni dicat, ſi quis prꝫpoſitum non audiat, vt apertis verbis affirmet damnationem acquirere, ſi quis poteſtati reſiſtat. Quapropter ſcribens ad Magneſianos Ignatius, qui Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, & tertius à Petro fuit Antiochenus Epiſcopus: Dignum eſt, inquit, vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere: terribile eſt enim tali cõtradicere. Non enim iſtum viſibilem quis ſpernit: ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni: hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. Dicit enim Deus Samuẽli de cõtemptoribus eius: Non te ſpreuerunt, ſed me. Hæc Ignatius etiam in alijs epiſtolis ſubinde pluribus verbis inculcat. Nam & ad Trallianos ſcribens: Epiſcopo, inquit, ſubiecti eſtote, ſicut Domino, ipſe enim vigilat pro animabus veſtris, tanquàm rationem redditurus. Sicut Domino, ſic Epiſcopo vult obediri. Quorſum aũt vt obediatur illi, monet, ſi nullam habet Epiſcopus prꝫcipiendi facultatem? aut cùm habeat, ſi nulla penes eos, qui recta prꝫcipienti non obtemperauerint, culpa reſidebit? Continentur in Euangelio quęcunq; ſunt ad ſalutem neceſſaria prꝫcepta omnia, ſed tanquàm in ſemine, multoq; maxima pars Euangelij peruenit ad nos traditione, perexigua literis eſt mandata. Quamobrem & Chryſoſtomus nihil hìc de ſcriptura, verùm de Euangelio loquitur. Euangelium autem quid intelligi velit, indicat ipſe cùm dicit: Omnia verbo prædicationis concluſit. Non quod atramento ſcriptum, ſed quod verbo prædicationis traditum eſt, vocat Euangelium. Quis autem negat omnia per Chriſtum eſſe prędicata, quę ſunt ad ſalutem neceſſaria? Quòd autem quę prędicata ſunt, eadem ſcripta ſint omnia, quis eſt qui affirmare audeat? cùm in extrema Euangelij ſui parte contrariũ Ioannes docere videatur. Quòd in Eccleſia docere mulieri fas non eſt: quòd vir nudo, velato capite mulier orare debet: quòd Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum oportet, vt qui duxerit alteram, etiam Epiſcopo eſſe minimè liceat, etiamſi non totos tres dies cum ea vixerit: vbi ſit ea de re vlla in Euangelo mentio? At horum tamen ſuorum prꝫceptorũ adeò nullam adfert rationem Paulus, vt ſi quis contradicere velit, ei ſolũ hoc reſpondeat: Si quis aũt videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus. Non ſcripturas, contradicentibus, non rationem aliquam, ſed ſolam opponit conſuetudinem. Et tamen alio loco ſcribit: Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.

*Ioan. 20.*

*1. Tim. 2.*

*1. Corinth. 11.*

*1. Timoth. 3.*

*1. Corinth. 1.*

*1. Theſſ. 4.*

Quod ſi nemini fas eſt conſtituere quicquam, prꝫter id quod in ſcripturis aut Euangelio continetur, cur Ioannes Baptiſta prꝫſcripſit ſuis diſcipulis certas preces, certaq; ieiunia? cur Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus decreuit de ſuffocato, ſanguine, & immolato ſimulachris, quod nulla ſcriptura Gentibus præſcripſerat? Cur poſt hoc decretum auſus eſt dicere Paulus: Omnia munda mundis. Et: Omne quod in macello venit comedite? Cur idem Paulus non dubitauit quædam ſtatuere, quæ Dominus non vetuit? Cur adiecit poſteà quædam de ritu Euchariſtiæ? Quòd ſi verò penes ſolos Apoſtolos hanc conſtituendi poteſtatem fuiſſe volunt, cur illis ipſis auctoribus, qui ſegregauerunt ſemetipſos, viri ac mulieres promiſcuè

*Lucæ 5.*

*Actorum 15.*

*Titum 1.*

*1. Corinth. 10.*

*1. Corinth. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



miscuè cantant in Ecclesia? Deniq; cuius hoc est Apostolii institutum, vt cantarentur Psalmi redacti in rythmos in fine concinentes, mutatis etiam, quod est necesse, multis verbis, cum id ipsimet scripturam prohibere dicant, cùm ait: Non addetis ad verbũ quod vobis loquor, nec auferetis ex eo? Cur alios prætereà nouos ritus excogitant, quos oẽs enumerare longũ foret? Scilicet sibi fas esse nouas fingere, nobis verò licere nolunt veteres Patrum traditiones retinere? Quamobrem nihil impedit, quominus quędam constituantur ab Episcopis, & præsertim ab Ecclesia vniuersa, quę Spiritu sancto nunquam destituitur: etiamsi quędam nobis necessaria sunt ad salutem, ea planè sunt in Euangelio constituta.

*Deut. 4. 12. Apoc. 2.*

*Bernardus.*

Scripsit Bernardus præclarum opus de præcepto & dispensatione, in quo tractat de eo diligenter, quatenus hominum præceptis obtemperare sit necesse: tum quatenus ea mutare liceat & dispensare, & penes quos eius rei sit potestas. In eo Ecclesiastica instituta, inuenta esse dicit (loquitur aũt præcipuè de monasticis) non quod aliter viuere non liceat, sed quod ita magis expediat: nec planè ad aliud, quàm ad lucrũ & custodiã charitatis. Quãdiu ergò charitati militãt, immobiliter fixa sunt. Ac si è contrario cõtraria fortè aliquando charitati visa fuerint, his duntaxat quibus hoc posse videre datũ est, & prouidere creditum est, nõne iustissimũ esse liquet, vt quę ,,p charitate inuenta fuerint, ,,p charitate quoq; vbi expedire videtur, vel omittãtur, vel intermittãtur, vel in aliud fortè cõmodius cõmutẽtur? Sicut è regione iniquũ proculdubio foret, si statuta ,,p sola charitate, cõtra charitatẽ tenerentur. Tenent ergò fixam firmamq; immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deseruiunt.

*Petrus Cluniacensis epist. 8. lib. 3.*

*Præcepta diuina duplicia.*

Præclara sunt autem hac ipsa de re Petri Cluniacensis, qui fuit æqualis Bernardi, verba, quæ libuit adscribere. Diuina mandata, inquit, partim mobilia, partim sunt immobilia. Diuina verò mandata diximus: non solùm ea, quę per seipsam in carne diuinitas apparens hominibus tradidit, aut ea quæ per Apostolos teneri constituit, siue illa quæ ante susceptam carnem per Patriarchas & Prophetas mãdauit, sed etiam illa, quæ post Apostolos apostolici viri apostolica vestigia secuti, vnanimi multorum catholicorum consensu seruari præceperunt. Idem. n. diuinus spiritus, qui priorum patrum cordibus se infundens, humanæ saluti congruentia per eos dedit præcepta, per hos quoq; qui recentiores videntur, hominum salutem operari, salubria iubendo, non destitit. Per diuersos igitur præcones Domini verba ædita, veneramus, in diuersis organis eiusdem spiritus flatum agnoscimus. Horum ergo præceptorum (vt diximus) quædam pro ratione causarum & temporum mutantur: quædam se mutari, nulla ratione permittunt. Et, vt ea quæ vltima diuidendo fecimus (quia digniora sunt) exponendo prima faciamus: de immobilium numero dicimus esse (nam cuncta non vacat colligere) illud maximum & primum dilectionis Dei mandatum, secundum quoq; huic simile de proximi dilectione: sed & humilitatis, castitatis, & veritatis præcepta, quibus licet similia multa sint alia, hæc tamen ad elucidandum quod volumus nobis sufficere, credimus. Ista nanq; nulla inueniuntur ratione, nulla vnquã dispensatione immutata. Quis. n. catholicorum patrum: ne Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligeretur, præcepit, vel parum quid mandato huic detraxit? Quis proximum non vt seipsum

*Præcepta diuina immobilia.*

*Mobilia.*

à se diligẽdum esse negauit? Quis vel in modico superbire indulsit? quis fornicari, quis mentiri, quis furari, quis rem proximi concupiscere vnquam permisit? Patet ergo hæc & multa talia esse prorsus immobilia. Inter illa verò, quæ moueri dispensatiuè possunt: patrum auctoritatem sequentes, ea esse dicimus, quorũ pleraq; in ecclesiasticis canonibus inuenimus: quæ sicut pro cõmuni totius vel propria alicuius Ecclesię vtilitate, cùm non existerent, inuenta sunt: sic rursum pro cõmuni totius vel propria alicuius aut gentis, aut Ecclesię salute, præuia in omnibus charitate mutata sunt. Et quia nec ista omnia facilè numerari possunt, sufficiant illa, quæ in superioris huius opusculi parte posuimus. Quæ quoniã iam scripsimus, iterùm scribere recusamus. Nam qui nosse voluerit, ibi scripta reperiet. Ad hoc aũt nos ista ponere, legentes nouerint, vt ostendamus ea regulæ decreta, quæ nos præuaricari dicitis, inter ista quæ mobilia vocamus ponenda: atq; ideò cùm charitas præcipit, cui in omnibus obediendum est, absq; vllius præuaricationis timore mouenda. Quid enim cogit regulam de non transferendis Episcopis à præcedentibus patribus datam immutari, nisi melius prouidens Ecclesijs charitas? Quid hæreticos & criminosos post condignam de criminibus pœnitentiam, quod primi patres prohibuerant, Ecclesijs Dei præfecit, nisi multorum saluti consulens charitas? Quid Presbyterorum filios episcopari, contra sanctorum apostolorum antiqua decreta aliquando iussit, nisi earundem personarum vtilitatem Ecclesię vtiles esse iudicans charitas? Quid Angelis coniugia indulsit, à quibus cæteros inhibuit, nisi nouellæ eorum fidei timens charitas? Quid multa in hunc modum vetusta præcepta mutauit, quid noua instituit, quid nunc ista, nunc illa mandauit, nisi pro moribus, temporibus, locis, nunc generaliter, nunc specialiter, semper tamẽ humanæ saluti solicitè inseruiens charitas? Cùm igitur sub iure charitatis omnia canonica mandata, imò secundum Domini sententiam vniuersa lex contineatur & Prophetę, quis vestrum dicere audebit, beati Benedicti regulam charitatis dominio non subiacere? Quomodo charitati regula subdita non est, à qua per sanctum illum condita est? Si enim sine charitate condita est, sine Deo condita est. Deum verò esse charitatem, Ioannes Apostolus dicit: Deus charitas est: Sed etsi sine Deo facta est, sequitur, quia iam nihil est. Nam Deus Christus ait: Sine me nihil potestis facere. Quòd si hoc credere, errare est, sequitur vt charitati velut doctrici regula cedat, ac se pro dominantis arbitrio regi permittat. Nam si præter eam quicquam sibi vendicare voluerit, nihil iam sequentibus proderit. Sed fortè adhuc ad priora recurritis, & dicitis: Quoniam beati Benedicti regulam vos seruare vouistis, oportet vt vota reddatis. Ad quod nos. Si millies istud iteraueritis, id millies à nobis respõsi accipietis. Regulam vouimus, charitatem à voto non

*Nota de charitate.*

*1. Ioan. 4.*



exclusimus. Si charitatem exclusimus, regula dici non potest quod vouimus. Si enim rectitudo regulę desit, regula iam constare non poterit. Rectitudo autem regulę charitas est. Si ergo charitas excluditur, rectitudo excluditur. Si rectitudo excluditur, restat vt tortitudo sequatur. Si tortitudo sequitur, necesse est vt regula destruatur. Simul quippè rectum & distortum consistere nequeũt. Iam regula destructa, quid vos sequi profiteamini, iudicate. Aut enim regulam cum rectitudine, aut sine rectitudine tortitudinem vos sequi oportebit: id est, aut cum charitate regulam, aut sine charitate nebulam retineri necesse erit. Sed sicut nebulam impossibile est teneri, sic sine charitate patet regulam à nemine posse seruari. Vnde constat, quòd quando non ficta charitate, quam Apostolus damnat, sed vera, quam ipse celeberrimè collaudat, proximo aliquid impendimus, beati Benedicti regulam absque vllo errore sequimur, quoniam aliter de ea sentire, nihil est aliud quàm errare. Nec regulam igitur sine charitate vouemus, nec eam sine charitate, vt hac ratione probatur, tenemus. Et iterum post varia instituta monastica commemorata: Sic, inquit, de ieiunijs, sic de mensa abbatis cum hospitibus & peregrinis, sic de ferramentis vel rebus monasterij, sic de vniuersis, vt cuncta breuiter explicemus, quæ in superioribus obiecta sunt, quibus & tunc latius respondebimus, charitas per patres nostros, prout temporibus & moribus ac locis congruere vidit, dispensauit, neq; in his voluntatibus vel voluptatibus hominum, sed æternæ eorum saluti inseruire studuit. Hoc sanè vno ea quæ iusta esse defendimus, iniusta monstrare potestis: hoc vno nos victos vobis victoribus cedere compelletis, si quæ lege charitatis nobis defendimus, ad charitatem non pertinere rationibus certis ostenderitis. In his enim omnibus (vt sæpè iam diximus) ea solùm protectrice tuti, hostibus cunctis inexpugnabiles permanemus. Nam, quia secundùm Dominum, hæc est, in qua vniuersa lex pendet & Prophetæ: & secundùm Apostolum, plenitudo legis ac finis præcepti est: omnem legem plenam, omne præceptum finitum, hoc est, perfectum, ea dispensante existere, quis catholico sensu audeat negare? Et iterum paucis interiectis: Vnum & solum charitatis inquit, officium est, humanam salutem modis omnibus quærere. Hoc eius esse officium ipse Dominus, hoc Apostoli, hoc omnes sancti eius clamant. Iustum esse quicquid illa præcipit, omnes (vt sæpè iam diximus) diuini libri testantur. Et quod maius argumentum? In ipsa vniuersam legem & Prophetas pendere Dominus dicit. Hanc plenitudinem legis & finem esse præcepti, Apostolus testificatur. De hac beatus Augustinus ait: Si hæc vna desit, inania sunt cuncta: si hæc sola adsit, plena sunt omnia. De hac & ipse alibi: Fructus autem totus est charitas, sine qua nihil est homo, quicquid aliud homo habuerit. Atq; alio in loco: Habe charitatem, & fac quid vis. Igitur vt saluti humanæ consulat, facit quicquid vult. Quòd si ei licet quicquid vult, facere, licuit regulam facere, licuit & mutare. Nec iniuria sancto facta dicenda est, quia non ab alio mutata est: sed ab ea, quę diffusa in corde eius per Spiritum sanctum, qui datus erat ei: ipso in condendo regulam tanquam organo vsa est. Et quia non æmulatur, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quę sua sunt: hi qui ea pleni sunt, nihil horum sciunt. Et quia æmulatione, inflatione, ambitione carent, indignari nescIunt. Iniuria ergo sancto facta non est, quia suam charitatis regulã pro temporis illius cõgruentia fecit, ac postquàm vtile fore vidit, quod fecerat, immutauit, quodq; seruari decuit de eadem regula reseruauit. Sicut ergo nõ esset consequens dicere, iniuriã notario factam, si quod prius scripserat, vel ab ipso, vel ab alio immutari dictator certa de causa faceret, quam causam fortè ipse solus nosset: sic nec sequitur beato Benedicto factam iniuriam, si vel cũcta, vel aliqua eorum, quæ per eum charitas scripserat, vel per ipsum si sic voluisset, vel per alium, quia sic voluit, ratione præmissa mutauit. Sed nec indignum est sancto, charitatis vocari notarium. Ioãnes enim in epistola sua Deum charitatem vocat. Et Gregorius sanctus in Homilijs ait: Spiritus sanctus amor est. Amor verò charitas est, ergo Spiritus sanctus charitas est. Non est igitur ei indignum Spiritus sancti esse notarium. Nam & eius notarij Prophetæ omnes fuerunt. Non dedecet autem eum similem esse Prophetis. Si igitur sancto illi, regula immutata, ab immutantibus iniuria facta est, & prioribus, quos suprà memorauimus sanctis, à subsequentibus & eorũ decreta mutantibus iniuria facta est. Et vt maiora dicamus, legi ab Euangelio, Mosi à Christo iniuria facta est. Quòd si idcirco nec Mosi, nec legi, nec canonicis staturis, nec alicui diuino mandato, nec his per quos ipsa mãdata promulgata sunt, aliqua est facta iniuria: quoniam per Spiritum sanctum, quem charitatem esse probauimus, quid saluti hominum per diuisa tempora congrueret, prouisum est: & licèt quædam in mandatis sint mutata, & ipsa mandata per mutatos sint data, ipse tamen mutatus non est, quia incommutabilis est: patet, quia regula sancti Benedicti in quibusdam suis capitulis, absque ipsius iniuria, à vobis quamuis inuitis concedentibus, mutata est. Per charitatem namque mutata est, per quam verbum caro factum est, vt ait Apostolus: Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Quia igitur mutata sunt quædã in regula, charitas fecit: & quia absq; iniuria sancti mutata sunt, charitas fecit.

*1. Ioan. 4.*

*Rom. 5.*

*Ioan. 1.*

*Rom. 8.*

Ex his itaq; Bernardi & Petri Cluniacensis verbis docemur, cùm præcipuum sit Christi præceptum charitas, ad quam reliqua referuntur omnia: instituta Ecclesiastica nihil aliud esse, quàm custodes quosdam & administros charitatis: & eatenus tantum esse fixa debere, quatenus ei, cuius custodes & ministri sunt, seruiunt charitati. Quisquis igitur ea conuellere conatur, quid aliud ille, quàm ipsam conatur exterminare charitatem?

Neque verò audiendi sunt, qui per constitutiones Ecclesiasticas, quæ ipsa per se nimis est angusta porta, qua itur ad cœlum, eam angustiorem etiam, ac ingressu magis arduam ac difficilem factam esse contendunt. Quin ea multò potius redditur facilior & expeditior. Huc enim spectant traditiones pleræq; omnes, nec in alium sunt finem institutæ, quàm vt per has ad contemplationem Dei beneficiorum facilius excitemur: vt expeditiores ad ea

*Matth. 22. Rom. 13. Tium 1.*

*Matt. 7. Tradition. ecclesia expeditorem viam reddit ad salutem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



diligentius recolenda facti, vicissim in amorem eius rapiamur, à quo nos tot & tantis beneficijs affectos cernimus. Ad hunc finem sexti, septimiq; ieiunium, ad hunc finem dierum festorum obseruatio, piorum in templis Deo dicatis cõuentus, hymnodiæ, sacerdotũ quando sacris operantur vestitus, ad hunc finem eorundem cœlibatus, tum & monastica quædã instituta referũtur: nimirùm, vt expeditius vacare soli Deo liceret. Intelligunt hoc isti ipsi, qui perturbata volunt omnia, atq; ideò ipsa vi veritatis adacti, tantùm abest, vt reprehendere audeant, vt non possint etiam pleraq; instituta Ecclesiæ non laudare: verùm hoc in illis ferri negant oportere, quòd penes quos instituẽdi potestas est, hi statim iræ Dei sempiternæ reos faciunt, ac perpetuis gehẽnæ supplicijs condemnant eos, qui contra constitutiones eiusmodi venerint. Cęterùm non potestas hoc facit Ecclesiastica, verùm hoc ipsi faciunt, qui potestatem nõ audiunt, vt aditu regni cœlestis excluſi, quę pœnę cõtumacibus debentur, eas non effugiant. Numquid quia mandat aliquid potestas, homo propter ea mortis reus fit æternæ? Bonum fac, inquit Paulus, tantùm abest, vt fraudem tibi potestas aliquam inferat, habebis etiam laudem ex illa. Qui aũt resistunt potestati, non dicit, causa cõdemnationis est eis potestas, sed ipsi sibi damnationem acquirũt. Non est igitur quòd in potestatem culpam conferas, quæ condendis legibus nihil aliud, quàm saluti tuę prospectum cupit: teipsum accusa, qui rebellione tua, & contumacia, quasi tuo tibi ipse iumento mortẽ accersieris sempiternam. Falluntur autem, qui cùm audiunt Paulum dicentem: Qui resistunt potestati, ipsi sibi damnationem acquirunt, eum de illa tantùm damnatione dicere putant, qua temporaria plectunt principes criminis alicuius capitalis conuictos, non autem de æterna, qua sontes punit Deus. Nam quòd Paulus de æterna loquatur, vel ea, quæ statim sequuntur verba, planum faciunt, cùm ait: Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quæ sic enarrat Ambrosius: Rectè dicit subiectos esse debere non solum propter iram, id est, vltionem præsentem: parit enim ira vindictam, sed & propter futurum iudicium: quia si hic euaserint, illic eos pœnæ expectant, vbi accusante conscientia ipsa punientur. Quapropter dubium esse debet nemini, quin legis humanæ præcepta subiectos legi, secundùm præcipientis mentem, obligent omnes etiam in foro, vt dicitur, conscientiæ: ita vt eorum transgressio sine causa rationabili, reum faciat mortis æternæ: si præsertim ex contemptu fiat: qui non tam in hominem præcipientẽ, quàm in ipsum Deum, à quo præcipiẽdi potestatem nactus est homo, rectè refertur. Sic Samuẽli dixit Deus: Non te abiecerunt, sed me: ne regnem super eos. Et apud Lucam Christus: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Apud Matthæum verò: Quicunq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhęorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Et apud eundem: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Quid potest esse hisce scripturæ locis euidentius, ad ostendendum capitalis criminis reos fieri, qui siue spiritualibus, siue secularibus magistratibus, modò iusta præcipiãt, dicto audientes non sunt?

*Rom. 13. Magistratibus obediendum.*

*Damnatio.*

*Rom. 13.*

*1. Regum 8. Lucæ 10. Matth. 10.*

*Matth. 18.*

Neq; mouere quenquam debet illud, quod à Gersone scriptum quidam proferunt: Nulla transgressio legis naturalis aut humanæ, vt naturalis aut humana, est de facto peccatum mortale: Nam si Gersonis hæc sententia sanè fuerit intellecta, minimè cum eo, quod à nobis dictum est, pugnare videtur. Neq; enim sine causa addit, vt naturalis & humana: quia, sicut paulò pòst subdit, eadem lex talis, sæpè communicat cum diuina, quatenus iusta est. Alio verò loco vocem legis, dicit esse vocem Christi Pastoris & Episcopi nostri: Ac propriè quidem vocem Euangelicam, vocem esse Christi Pastoris nostri, quæ ex ore altissimi prodijt, cuius est oues errantes regere, diligere & formare: Sed esse nihilominus legem quoq; canonicam, vocem Christi, per quandam analogiam & attributionem: quatenus vox est Christi vicarij, vox Christi corporis Ecclesię, vox eorum quibus dictum est: Qui vos audit, me audit. Quamobrem, vt humana, certum est, quòd nos capitalis criminis reos non faciat: sed quoniam communicat cum diuina, quæ præcipit audiendam Ecclesiam, obediendum præpositis, sublimioribus potestatibus esse subditos oportere, quibus qui resistit, Dei ordinationi resistit: non purè humanam, sed diuinam legem transgreditur, quisquis iustam legem, quamuis ab homine latam, transgreditur: quę si iusta non sit, neminem ligat: nam & lex non videtur, dicit Augustinus, quæ iusta non fuerit. Si verò sint opera aliqua per se licita, quæ nec præcepta, nec prohibita sunt lege diuina, simul vt lex aut præceptum eius accesserit, qui cum potestate versatur: quæ præstarentur nec ne, nihil prius intererat: ea posteaquam iussa sunt, sine periculo non præstari nequeunt. Verbi gratia: Rus vt colat, vt in forum eat, vt domum custodiat, aut si quid aliud est eiusdem generis, nulla diuina lege facere filius obligatur: sed hæc ipsa nihilominus, solo præcepto Patris intercedente, veniunt in obligationem: vt si contumax filius esse voluerit, non iam contra mortalem Patrem, sed contra Deum peccet immortalem, qui filios parentibus morigeros esse iussit. Sic Augustinus, cùm ait: Aliud est grauare corda crapula & ebrietate, quæ semper malum est: aliud autem est, modestia & temperantia custodita relaxare ieiunium: quod certè cum sit die Dominico, reprehensionem non habet. Nónne manifestè satis indicat, quod illicitum per se non est, modestia & temperantia custodita, relaxare ieiunium, hoc est, vel carnibus vesci, vel bis in die cibum sumere: id si fiat his diebus, quibus per interdictum Ecclesię non licet, malum esse, iustaq; reprehensione non carere. Hoc est quod à Bernardo dictum est: Licet ipsa per se iniuncti operis qualitas innoxia sit, adiunctę tñ auctoritatis pondus, obnoxium mandato, mandatumq; peccato facit obnoxium.

*Gerso. de vita spirituali animæ lectione 4. Corol. 1.*

*In collatione pro licentiatis in facultate decretorum.*

*Aug. epist. 66.*

*Ber. de præcepto & dispensatione.*

Dicet hîc aliquis: Quòd si peccat, si quis etiam contra humanum præceptum venerit, quis ergò iam poterit saluus esse? nam etiam diuinæ legi satisfacere non possumus: si præterea tot accesserint humanæ, quid aliud quàm aditum nobis omnem ad regnum cœlorum præclu-



serint? cùm præsertim scriptum sit: Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Si reus est idololatriæ, qui non acquiescit, quę spes nobis erit salutis? qui etiam quò ad diuina præcepta attinet, in multis offendimus omnes. Cæterùm si quis hæc scripturæ verba diligentius excutiat, facilè perspiciet, non quamuis inobedientiã esse capitalem. Neq; n. dicit scriptura: quasi scelus idololatriæ est nõ acquiescere, sed nolle acquiescere: vt nõ simplex ipsa iussionis transgressio, sed superba voluntatis cõtemptio, scelus idololatriæ reputetur. Non est. n. idem nolle obedire, & non obedire: Hoc quippè nõnunquam erroris est, interdum & infirmitatis: illud aũt odiosæ pertinaciæ, aut minimè ferendę cõtumacię: quod & ipsum repugnare & resistere est Spiritui sancto: & si ad mortem vsq; perdurauerit, est blasphemia, nec in hoc, nec in futuro seculo remittẽda. Non ergo qualiscunq; mandati præteritio facit criminalem inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire. Forta ssis hoc Paulus quoq; voluit indicare, cùm diceret: Qui resistũt, ipsi sibi damnationẽ acquirũt. Non dixit, qui nõ obediunt, sed qui resistunt: hoc est, qui nolunt obedire, qui recalcitrant, qui repugnant, qui se contumaciter opponunt: sicut ille qui dixit: Si quo ęsu concilium statueret, in despectum concilij contrarium facerem. Hoc est nolle acquiescere, hoc est resistere, hoc est idololatriæ scelus cõmittere, hoc est in Spiritum sanctum peccare. Sicut etiam ad Aurelium Carthaginensem Episcopum scribẽs, testatur Damasus, cùm ait: Violatores voluntarij canonum, grauiter à sanctis patribus iudicantur, & à Spiritu sancto, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur: quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sanctos canones, non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt: Talis enim præsumptio, manifestè vnum est genus blasphemiarum in Spiritum sanctum. Quamobrem rectè Bernardus: Omnis quidem, inquit, inobedientia est inexcusabiliter culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, nisi quam remedium pœnitentiæ non sanat: nulla est lethaliter criminalis, nisi quæ contemptum superbiæ non cuiat. Magna igitur securitas filijs obedientię, & re vera pax hominibus bonæ volũtatis: quando in omni obediẽtia sola damnatur impœnitentia, quam nescit qui diligit Deum: sola vocatur in crimen superbia, quam facilè cauet, qui timet gehennam. Non ipsa peccati species à Deo, sed peccantis intentio spectatur. Sola voluntas est, quemadmodum antea nos ex eodẽ Bernardo docere meminimus, quæ retributionem meretur. Si quid igitur aut per surreptionem, aut per obliuionem, aut per infirmitatem admittitur, non facit aliquem culpæ grauioris affinem: sed si quis prudens & sciens contra legem venit, etiam humanam: si contemnit & pro nihilo ducit, ob hoc ipsum, quòd ab homine profecta videtur, & ex eo contemptu non vult acquiescere, sed repugnat, resistit, recalcitrat: is demùm est, qui longè grauissimi criminis idololatriæ reus tenetur: qui si vsq; ad extremum vitę suæ diem in hac sua contumacia perseuerauerit, peccatum in Spiritum sanctum, nec in hoc, nec in futuro seculo remittendum vnquam, rectè putatur admisisse.

*1. Regum 15.*

*Iacob 3.*

*Inobediẽtia nõ quælibet damnabilis.*

*Nolle obedire, et nũ obedire differunt.*

*Matth. 12.*

*Rom. 13.*

*Luthernus.*

*Bern. in eodem lib.*

Quamobrem obturemus aures nostras ad pestilentissimas eorum voces, qui contra manifestum Dei verbum docent, Ecclesiam non audire, potestati resistere, parentibus non obtemperare, præpositis non obedire: quæ dicunt super Mosi cathedram sedentes, vel ob hoc ipsum quia dicunt & præcipiunt, non facere. Quorum hæc iniqua nefariaq; doctrina, quos fructus attulerit videmus. Licet iam videre non Ecclesiasticam tantũ disciplinã collapsam, sed & ciuiliũ in multis locis magistratuũ non maiorẽ rationẽ haberi: fitq; iusto Dei iudicio, quales ipsi se gerũt magistratus ciuitatum erga suos prępositos, vt vicissim quibus ipsi prępositi sunt, eos erga se non dissimiles experiantur. Qua fronte autem, quibus pręes, ab ijs obedientiam exigis, quam ipse non præstas his, quos tibi Deus pręesse voluit, qui peruigilant pro anima tua, tanquam rationem reddituri Deo? Procul itaq; procul ab ijs doctrinis demo, qui se non vituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem Patrum suorum Arimini criminis idololatriæ reus tenetur: qui si vsq; ad extremum vitę suæ diem in hac sua contumacia perseuerauerit, peccatum in Spiritum sanctum, nec in hoc, nec in futuro seculo remittendum vnquam, rectè putatur admisisse.

*2. Thess. 2.*

*1. Corinth. 11.*

*Actorum 15.*

*Cap. 38. in vita Ioannis.*

Quamobrem obturemus aures nostras ad pestilentissimas eorum voces, qui contra manifestum Dei verbum docent, Ecclesiam non audire, potestati resistere, parentibus non obtemperare, præpositis non obedire: quæ dicunt super Mosi cathedram sedentes, vel ob hoc ipsum quia dicunt & præcipiunt, non facere. Quorum hæc iniqua nefariaq; doctrina, quos fructus attulerit videmus. Licet iam videre non Ecclesiasticam tantũ disciplinã collapsam, sed & ciuiliũ in multis locis magistratuũ non maiorẽ rationẽ haberi: fitq; iusto Dei iudicio, quales ipsi se gerũt magistratus ciuitatum erga suos prępositos, vt vicissim quibus ipsi prępositi sunt, eos erga se non dissimiles experiantur. Qua fronte autem, quibus pręes, ab ijs obedientiam exigis, quam ipse non præstas his, quos tibi Deus pręesse voluit, qui peruigilant pro anima tua, tanquam rationem reddituri Deo? Procul itaq; procul ab ijs doctrinis demo, qui se non vituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem Patrum suorum Arimini & Seleuciæ celebrati, decretis maiorũ, occasionem se daturum posteris, vt quod egissent, ipsi rescinderent. Quis autem non vituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem Patrum suorum Arimini & Seleuciæ celebrati, decretis maiorũ, occasionem se daturum posteris, vt quod egissent, ipsi rescinderent. Quis omnitarum studio & gratiæ propinant & produnt? Quæ enim fides in eorum actis, si decreta maiorum suorum soluant: aut quomodo eos quibus succesêre, Patres suos appella-

*In Epist. in Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



pellabunt, quorum sententias ipsi culpant? quid docebunt populos ab ipsis institutos? an Patres suos lapsos esse? quomodo ipsi veri apud discipulos suos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus credendum non esse? Quibus porrò oculis intuebuntur monumenta Patrum suorum, quos ipsi hæreticos nominant? aut quo iure ipsi Episcopi esse poterint, si ab hæreticis, quos ipsi criminantur, constituti sunt? Quòd si illi malè senserunt, & scriptis suis orbem terrarum seduxerunt, esset omninò eorum memoria, & scripta eorum abijciantur. Ite ergo vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, & vos patricidas esse. Certè B. Apostolus laudat Corinthios, quod vbiq; sui memores essent: & quòd traditiones, quas tradidisset illis, retinerent. Isti igitur cùm talia de suis antecessoribus cogitent, prorsus contraria ad populum non verebuntur dicere: Non laudamus vos, quòd memores estis Patrum, sed eo nomine potius vos commendamus, quòd eorum traditiones non retinetis. Et in eadem illa Epistola charitis aliquot interiectis monet: vt, quod ipsa quoq; suadet pietas, vt benè de Patribus illis sentiamus, à quibus rectè viuendi instituta, & pietatis doctrinam accepimus: nisi nos adulterinos esse filios declarare velimus. Quem Athanasij locum imitatus Proclus, cuius verba recitat in historia sua Theodoretus: Spurios vocat eos, qui discesserunt à totius orbis Patribus Nicææ congregatis. Alio verò loco idem Athanasius, cùm absurdas quasdam hæreticorum opiniones recitasset: Hoc solùm, inquit, ad hæc respondisse sufficerit, quòd hæc non sunt Ecclesiæ Catholicæ, neq; Patres nostri ita senserunt. Et iterum alio loco: Est, inquit, ibi vt Patres tradiderunt, veræ disciplinæ & magisterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à seinuicem, nec à maioribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potius, quàm veri præceptores appellari debent. In Epistola de Synodi Nicenæ decretis, & in eadem non procul à fine: Ecce nos demonstrauimus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres, quasi per manus traditam esse. Vos autem noui Iudæi & discipuli Caiphę, quos verborum vestrorum Patres, ac maiores demonstrabitis, cùm ne vnum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare possitis? sic Basilius ad Antiochenam Ecclesiam. Fidem autem nos, nec ab alijs scriptam nobis nouitiam admittimus, nec ipsi mentis nostræ germina, siue cogitationes tradere audemus: vt ne humana commenta existimentur religionis nostræ verba: sed quę à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus. Extat Epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi, quam scripsit ad Magnum Concilium Ephesinum, in qua verbis his vtitur: Si quis voluerit quæ pro Catholico statu decreta sunt in perpetuum manere, non sua auctoritate, sed antiquorum sententia debet confirmare quod sentit. Vndè sic hoc quidem ab antiquioribus, hoc autem à recentioribus videns, hoc quod confirmat probans vnigenitam Catholicę Ecclesię veritatem, à præteritis temporibus vsq; ad nostra, simplici puritate & inuicta auctoritate currentem semet, & docere doceat, & renere. Quæ cùm lecta fuissent, Cyrillus Alexandrinus dixit: Epistola Capreoli, quæ lecta est, inseratur fidei gestorum. Vult enim antiqua quidem valere fidei dogmata, recentiora autem, vt potè adinuenta, & impiè dicta reprobare. Omnes Episcopi clamauerunt: Hæc omnium voces sunt: hæc omnes dicimus: hæc omnium oratio est. Episcopi fœcundæ Armeniæ, cùm ab Imperatore Leone de Calcedon. concilio sententiam rogati rescripsissent, gloriantur se Patrum fidem inuiolabilem conseruare, & in eorum traditione, doctrinæ sufficientiam possidere. In concilio quoq; duodecimo Toletano sic à Patribus legimus esse dictum: Maiorum constitutionibus ausu temerario contraire, & sanctorum Patrum decreta conuellere, & superiorum suorum effrenata libidine contra sanctissimam Apostoli doctrinam sanctionibus eniti, quid aliud est, quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & vsurpatæ præsumptionis licentia statum ecclesię dissipare? Et in septima synodo vniuersali: Si quis traditionem Ecclesię siue scripto siue consuetudine valentem non curauerit, anathema. Grauissimus auctor idem & Episcopus & Martyr Cyprianus: Non minus ratum est, inquit, quod dictante spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse Christus tradidit. Et eum, qui proximè per nos adductus est, locum enarrans Ioannes Chrysostomus. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis: eadem verò fide digna sunt, tam illa, quàm ista. Itaq; traditionem quoq; Ecclesię dignam fide putamus. Traditio est, nihil quæras amplius. Quæ totidem verbis repetuntur à Theophilacto. De Ignatio scribit Eusebius, quòd cum iter faceret, Ecclesias cuiusq; ciuitatis, ad quas fortè proficisceretur, hortatus est: vt Apostolorum traditione mordicus adhærescerent: quam quidem asseueranter testificatus, quò tutius posteritati reseruarent, necessariò scriptis mandandam existimauit. Epiphanius quoq; Termini nobis positi sunt, & fundamentą & æditio fidei, & Apostolorum traditiones, & scripturæ sanctę, & successiones doctrinæ, & vnde quaq; veritas Dei munita est. Origenes verò doctorum omnium iudicio semper habitus doctissimus, tantum traditioni tribuit: vt etiam si quis Christo se credere profiteatur, si tamen aliud de veritate fidei Christianæ credat, quàm habet definitio traditionis Ecclesiasticę, eum hæreticum pronunciare non dubitet. Ante quem etiam Ignatius: Omnis, inquit, qui dixerit, præter illa quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat, in grege ouili corruptionem operans. Hieronymus quoq; multa, quæ per traditionem in Ecclesia obseruantur, auctoritatem sibi scriptę legis vsurpasse scribit.

*Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 4.*

*Ad Epictetum.*

*In Concilio Ephes.*

*Habetur inter circulares literas in 2. tomo conciliorū nouissimè impressorū. Cap. 4.*

*Sept. Syn. action 7.*

*Cypr. in ser. de ablutione pedum.*

*Chrys. hom. 4. in epist. ad Thess.*

*Euseb. lib. 3. Eccles. hist. cap. 30.*

*Epiph. hæresi 55. contra Melchisedechianos.*

*Orig. in expla. 1. ca. epist. ad Tit. sicut citatur à Pamphilo martyr. in Apolog. Orig. vel ab Euseb. potius Cæsariensi epist. 13. ad Heronē. Cont. Luciferianos.*

Sed quid nos Cyprianum, Chrysostomum, & Origenem proferimus? Omnis orthodoxorum scriptorum cœtus, iam inde à mille quingentis annis, eodem propè loco quo scripturas, traditiones habendas existimauit: eas præsertim, quarum consuetudo confirmatrix, vt Tertulliani verbis vtamur, & fides esset obseruatrix. Contra quotquot fuerunt hęreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in catholica Ecclesia: etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet ac teneat, sola perfonat veritatis pollicitatio. &c.

*Tertull. in lib. de corona militis.*

Aurea sunt hæc Augustini verba, digna quæ non legantur modò, verumetiam ediscantur, &



gloriarentur, cùm ad scripturas nunquam non prouocarent, cùm sibi solis earum intelligentiam vendicarent, cæteris omnibus detraherent, nihil maiore studio, quàm traditiones oppugnare sunt conati. Hos itaq; filios Belial, tanquam viperas & basiliscos fugiamus: illorum verò, quos Dei filios fuisse dubium non est, sancta vestigia persequentes, maiorum decretis reuerenter pareamus: nec vel intentionem illorum discutiamus, vel ipsa præcepta discernamus, Sed CHRYSOSTOMVM dicentem audiamus. Traditio est, nihil quæras amplius. Hoc vnum bonum credamus, vt præceptis obediamus. Nam rectè Gregorium sequitus Bernardus, imperfecti cordis, & infirmę voluntatis indicium esse scribit, seniorum statuta studiosius discutere, hęrere ad singula, de quibusq; rationem exigere, & malè de omni præcepto suspicari, cuius causa latuerit. Delicata satis, imò molesta est huiusmodi obedientia, disputare, hoc est, in æstu cordis, non in auditu auris obedire. Quòd si nec vnius patris alicuius in monasterio præcepta discutere fas illi esse putauerunt: quantò minus id nobis licere velle debemus de traditionibus & præceptis, tot seculis, tanto Christiani totius orbis consensu receptis ab omnibus & approbatis?

*Greg. lib. 2. cap. 4. in libro Regum. Bern. de præcepto & dispensatione.*

Nos verò, quantò vetustiores traditiones videbimus, tantò maiore cura sartas tectas, quod aiunt, eas perpetuò conseruare studebimus. Hoc vt ita faciamus, ipse nos per Propheram Deus admonet, dicens: State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. Quæ namque sunt aliæ semitæ antiquæ, quàm semitæ patrum nostrorum, quàm præcepta in quibus ambulauerunt, quàm obseruationes, quàm doctrinæ, quas nobis, à suis maioribus acceptas, per manus tradiderunt, pari, qua illi obseruauerunt diligentia non modò retinendas, verumetiam ad posteros nostros transmittendas. In his igitur stare nos iubet fixos & immobiles, vt ne varijs & peregrinis doctrinis abduci nos patiamur, vt ne simus paruuli fluctuantes, ne circumferamur omni vento doctrinæ, ne præbeamus aures his, qui captant nos, qui nouitate aliqua placere, ac apud simplices & imperitos admirationem sui facere quærunt: sed interrogemus de semitis antiquis, quæ sit via bona, per quam tot seculis ambulauerunt patres nostri, quam ostenderunt, quam sanguine suo signauerunt tot myriades martyrum, quam docuerunt tot millia confessorum, in ea confidenter ambulemus. Pulcherrima quadam similitudine Theodoretus admonet, vt Apostolorum & Prophetarum, & eorum qui eos secuti sunt, vestigia inquiramus. Hoc enim solent, inquit, facere viatores, quando à via regia deflexerint, vt semitas considerent, si aliquorum recedentium aut venientium pedum typos habeant, aut hominum, aut equorum, aut asinorum, aut mulorum: & quando inuenerint, instar eorum vestigia, persequuntur: nec prius desistunt, quàm rectam viam recuperauerint. Quamobrem si dixerit nobis aliquis: Ecce hîc Christus, ecce illic: ecce in solitudine, non exeamus: ecce in penetralibus, non credamus. Ibi Christus est, vbi corpus eius est Ecclesia. Præclarè locum hunc Euangelij tractans Origenes: Dicet, inquit, qui seducere voluerit, & defendere contraria veritati: Ecce hîc Christus: demonstrans verbi gratia, hunc Euangelij locum. Alterius autem erroris auctor dicet, Ecce hîc Christus: adferens exempli gratia, alterum textum, qui defendere videtur illius mendacij verbum, quod proposuit vindicare: & sic ex lege & Prophetis & Apostolis profert vnusquisq; quæ mendacium illud defendere videntur. Ac interiectis nonnullis: Quoties autem canonicas proferunt scripturas, quibus omnis Christianus consentit, & credit, dicere videntur: Ecce in domibus est verbum veritatis: sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Et in proœmio Periarchon. Sicut multos apud Græcos, & Barbaros pollicentibus veritatem, deseruimus apud omnes eam quærere, qui iam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus filium Dei esse Christum: ita cùm multi sunt, qui se putent sentire quę Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant: seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsq; ad præsens in Ecclesijs permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Hanc igitur successionem teneamus, ab hac nos auelli nunquam patiamur: quęcunq; per eam nobis tradita sunt & præcepta, firmiter obseruemus, & quod contra Manichæum scribens dixit olim Augustinus, id contra eos qui nostro hoc tempore segregauerunt semetipsos, dicere ne dubitet, quicunq; se catholicum & orthodoxum esse profitetur. Sic autem ille loquitur: In catholica Ecclesia, vt omittam syncerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: cęteram quippè turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis: multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant: Tenet consensio populorum atq; gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus cōmendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum: Tenet postremò ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hę-

*Matth. 24.*

*Orig. hom. 29. in Matt.*

*Aug. contra Manichæos epist. quam vocant fundamenti cap. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur,& in ore semper à catholicis & orthodoxis habeantur. Fremant licèt omnes hæretici, nihil est eo tamen certius,quod asserit Augustinus. In Ecclesia catholica ibi demùm synceriſſimam esse sapientiam: In ea est enim verbum Dei, quod isti sibi falsò arrogant. Nam extra eam esse scripturæ possunt: Dei verbum, hoc est,scripturarum omnium verus intellectus,esse non potest. Etenim nauis illa,in qua sedit Christus, non est alia,si quid Hilario credimus, quàm Ecclesia catholica: intra nauim hanc verbum vitæ Christus posuit, & prædicauit,& adhuc prædicat per ministros suos,in quibus loqui dignatur. Extra nauim hanc qui sunt, & arenæ modò steriles atq; inutiles adiacent, nullam diuini sermonis capere possunt intelligentiam. Ad huius itaq; sapientiæ cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt,in qua non licet eam videre,nisi per speculũ & in ænigmate. Nam videre sicut est, in illa tantum vita dabitur,qua cum spiritibus illis beatis frui licebit sempiterna. Nunc autem viri spirituales ex parte tantum cognoscunt,& quidem ex minima parte: Cætera verò turba, qui sunt ex imperita multitudine, quamuis ne minima quidem ex parte synceriſſimam illam sapientiam cognoscat, tutam nihilominus,imò tutiſſimam illam facit, non intelligendi viuacitas,sed credendi simplicitas. Præclarè idem Augustinus: Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt, quæ ad fidem pertinent, discernere, penè frustrà in Ecclesia laboramus. Idem alibi scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimi. Ac verè scriptum est à Gregorio Nazianzeno, quòd nihil esset iniquius fide nostra, si non eam assequi possent, nisi qui sapientia, quiq; doctrina cæteris præstant. Et si quemadmodum argento & auro,& eiusdem generis alijs,quę cumprimis habentur preciosa,sic fide carere quoq; vulgus oporteret. Nam quod initio quoq; libri huius docere nos meminimus, non omnibus ita necessarium est ad salutem, omnem habere scientiam, omnia nosse fidei mysteria, vt si quid eorum non penitus perspectum habuerint, statim de salute sua veniant in dubium. Non vocamur gnostici, non scientes, non sapientes: vocamur fideles. Credendi simplicitas, non intelligendi viuacitas tutos nos facit, saluos nos facit. Si nihil scire nos iudicemus, nihil aliud prædicemus, quàm IESVM Christum & hunc crucifixum, qui traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram: etiam si propter intelligentiæ nostræ tarditatem cætera non assequamur, modò charitatem habeamus,de salute securi sumus. Charitas omnia credit: omnia quidem credit,sed non omni homini credit. Scriptum est enim: Charissimi, nolite omni spiritui credere. Cui ergo credendum est? Ecce docet nos aureis hisce verbis Augustinus: credendum esse consensui, credendum esse auctoritati, credendum esse successioni, credendum esse potremò Catholicę. Dicit aliquid pars: siue sit ea Lutherana, siue Zuingliana, siue quocunque tandem alio nomine censeatur: vel ob hoc ipsum non credas, quia pars dicit: toti credas, vniuersę credas, catholicę credas. At quænam tandem est ista catholica? nam & hæreticis ea tholicos dici volunt: Volunt quidem, ait Augustinus, verùm vsq; eò non est obscura catholica, vt si quærat peregrinus aliquis, vbi conueniatur ad catholicam, ne ex ipsis quidem hæreticis inueniatur tam audax aut impudens, qui basilicam aut domum suam audeat ostendere. Neq; enim ignorant suas Ecclesias, heri, quod aiunt, & nudiustertius natas esse. Quæ causa etiam fuit nostri temporis hæreseon architecto, quod ex Apostolorum symbolo, dum ex bonis Latinis mala facit Germanica, vocem hanc sustulit catholicam. Alio quoque loco scribit Augustinus: Velint, nolint, ipsi quoq; hæretici & schismatum alumni, quando cum suis vel extraneis loquuntur, Catholicam nil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. De qua sic Cyrillus Hierosolymitanus: Catholica vocatur, inquit, quòd per omnem diffusa sit orbem habitalem,à finibus terræ vsq; ad fines terræ: quòd catholicè siue generatim, aut vniuersè, pleneq; doceat absq; vllo defectu omnia dogmata, quęcunq; in notitiam hominum peruenire debent,tam de visibilibus, quàm de inuisibilibus: tam de cœlestibus, quàm de terrestribus: quòd omne genus hominum sibi piè subiectum habet: tam eorũ qui cum potestate versantur, quàm eorum qui priuatam vitam agunt, quòd catholicè siue generaliter & vniuersè medetur omnium peccatorum generibus, siue quæ per animam, siue quæ per corpus patrantur: quòd in ea cõtinetur omne genus virtutis, siue sit ea in operibus posita, siue in sermonibus, siue in quibuscunque spiritualibus charismatibus. Et Augustinus: Ecclesia vna est, quam maiores nostri Catholicam nominarunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim καθόλου Græcè dicitur. Itidem & Eusebius Emissenus catholicam interpretatur, id est, per vniuersum orbem gratia coruscante diffusam.

Non est igitur obscura catholica, rectèq; colligit Augustinus: quòd neq; Christus ei manifestus esse potest, cui Ecclesia non est manifesta: Non potest abscondi ciuitas supermontem posita, non potest ignorari mons, qui impleuit vniuersam faciem terræ. Qui etiam alio loco: Obscurius, inquit, dixerunt Prophetæ de Christo, quàm de Ecclesia: puto propterea quia videbant in spiritu cõtra Ecclesiam homines facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros: de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideò illud vndè magis lites futuræ erant, planius prædictum & apertius prophetatum est: vt ad iudicium illis valeat, qui audierunt, & foras fugerunt. Et iterum alio loco: In Sole, inquit, posuit tabernaculum suum. Ipsa est, inquit, Ecclesia, in Sole posita, hoc est, in manifestatione, omnibus nota vsq; ad terminos terræ. Sed si tam clara, tam illustris, tam est omnium oculis expolita catholica: quî fit, vt de ea controuertatur hodie, vt à nonnullis etiam ignorari videatur? Nolite mirari, dicit Augustinus, quia ignoratur ab ijs qui oderunt fratres, quia in tenebris ambulant,& nesciunt quò eunt, quia tenebræ excœcauerunt oculos eorum. Montem non vident, nolo mireris: oculos non habent. Vnde oculos non habent? Quia tenebræ excœcauerunt

*Hilar. cap. 3. Matth.*

*1. Corinth. 13.*

*Aug. epist. 120. ad Euodium.*

*Libr. 14. de Trinitate cap. 1.*

*In orat. de modestia in disceptationibus seruanda.*

*Rom. 4.*

*1. Corinth. 13.*

*1. Ioan. 4.*

*Cui credendum.*

*Catholica Ecclesia cur dicta.*

*De vera religione cap. 7.*

*Cyrill. in vlt. cateches.*

*Aug. ser. 131. de tempore.*

*Contra epistolam Pelagiani, cap. 2.*

*Epistola 48. ad Vincentium.*

*Catholica Ecclesia an sit illustris.*

*Matth. 5.*

*In psal. 30.*

*Conc. 2.*

*Conc. 2.*

*Aug. hom. 1. in epistol. Ioan.*

*Dan. 2.*

*1. Ioan. 2.*



uerunt eos. Vnde probamus? Quia fratres oderunt. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est,& in tenebris ambulat: quia tenebræ excœcauerunt eum. Et idem alio loco: Non est, inquit, Ecclesia operta, quia non sub modio est, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta. Sed Donatistis velut operta est: quia audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quę illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm ascendere, qui cùm esset lapis præcisus, de monte sine manibus, creuit, & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram. Dicit hæc de Donatistis Augustinus, qui ex toto mundo perijsse, ac in sola Aphrica, & ea quidem non tota, Ecclesiam remansisse contendebant. Ac nostro quoq; seculo repullulauit in multis Germaniæ locis hæc Donatistarũ hæresis: quam qui sequuntur, Græco nomine dicuntur Anabaptistę. Cæterùm non soli sunt illi qui fratres oderunt,& propterea in tenebris ambulant: nihilo minore flagrant erga fratres odio, qui cùm se primi nostra memoria segregassent, tot sectarum quot nunc videre licet, auctores alijs fuerunt. Quid enim? Sectarum æui nostri Princeps, nunquid non spirat inscriptis suis omnibus implacabile quoddam odium erga fratres? erga eum præcipuè cuius opera fit, vt fratres esse perseueremus, vt vnanimes in domo Dei habitemus: vt idipsum dicamus, idipsum sentiamus, idem sapiamus omnes: qui propterea vnus vniuersę prefitur Ecclesię, vt ipsius ministerio, fidei possit vnitas in ea retineri. Tolle ex libris eius contitia, scommata, lædorias, maledicta, quibus & hunc, & cęteros minores Pontifices, omnemq; sacerdotum & monachorum venerabilem cœtum incredibili quadam insectatur petulantia, quantula tandem scriptorum eius pars supererit? Sed ipsum potius cõfitentem audiamus, quid maximè propositum habuerit, cùm in vulgus noua sua dogmata sparet. Scribens ad Argentoratenses, ita loquitur: Hoc diffiteri nec possum, nec volo, quòd si Carolstadius, aut alius quisquam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinxisset: Grauibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus neruis extentis me obtricare & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebam hac re Papatui valdè me incõmodare posse. Vides quid ille secutus fuerit, peregrina sua doctrina populo inculcanda? Certè vt non Christi gloriam propagaret, verùm vt eo qui vnus in Ecclesia ludex est ad tempus vice Christi, quibuscunque fieri potuit artibus in odium & inuidiam adducto, atq; ita scissa vnitate, gubernatore sublato, atrocius atq; violẽtius circa Ecclesię naufragia grassaretur: cum odio ipse excœcatus, eodem odio cęteros in flãmasset, effecisset q; vt in tenebris ambulantes, nescirent quò irent: neq; ciuitatem istam super montem positam, quę impleuit vniuersam faciem terrę, cernere possent. Cuius itaq; mens tanta fuit infuscata maleuolentia, Christum vt præsentem in Eucharistia libenter fuerit negaturus, dummodò Papatui per hunc modum incõmodare liceret, quomodo videret is Ecclesiam? quomodo Christi corpus agnosceret, cuius ipse membrum esse desijsse?

Quare nihil est quòd miretur quispiam, si quorum oculos obcœcauerunt tenebræ, dum ardent erga fratres odio, catholicam Ecclesiam videre non possunt: quæ fidelibus & orthodoxis omnibus ita clara, perspicua, & manifesta est, vt illorum, qui non vident, cœcitatem satis mirari nequeant: Horum enim oculos nulla perstrinxit maleuolentia, nullum excœcauit odium: sed charitate flagrant potius: quæ cùm patiens & benigna sit, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: & est ei mortis instar separatio: Quamobrem suffert omnia potius, quàm vt segregare se velit: credit omnia: verùm vt diximus, non omni homini: credit catholicæ, quam ibi esse non dubitat, vbi est consensio tot populorum, vbi auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, vbi successio sacerdotum, ab ipsa Petri sede, vsque ad præsentem Episcopatum. Has enim tres Ecclesię notas ponit Augustinus: quæ certè ita sunt illius propriæ, vt eas nulla sibi hæresis possit vendicare.

Ac quod ad primam notam attinet, quanta sit apud nos non eorum tantùm, qui nunc sunt populorum in Christum credentium, verumetiam qui multis retrò seculis fuerunt, vel in dogmatibus, vel in obseruationibus cõsensio, quis est qui non videat & obstupescat? In quamcunq; veneris orbis Christiani partem, vbi in præceptis patrum nostrorum incenditur, siue sit ea Princeps terrarum Italia, siue Gallia, siue Hispania, siue bona pars Germaniæ, quam nondum tot sectarum nostri temporis pestiferum virus afflauit: siue quæ nuper eo vnde exciderat reuersa Anglia, siue Hungaria, siue Scotia, siue nostra Polonia, & quæ cũq; sunt illi nationes alię subiunctę, tantam populorum omnium consensionem videas licebit: vt non modò nullum sit in eis fidei, religionisq; dissidium, verùm & ritus ijdem ex magna parte, eædem obseruantur cęremoniæ, vna & eadem lingua sacra peraguntur omnia. Idem credunt omnes, ijsdem temporibus & ieiunant, & orant omnes, eodem ritu sacris operantur omnes: vt facilè quiuis perspiciat, multitudinis credentium esse cor vnum, & animam vnam. Execratur enim vera confessio pietatis, iuxta diuersitates temporum variari: sic vt necipse variari veritatem admittit, de quo est ipsa vera confessio, qui dicit: Ego sum, & non sum mutatus: quemadmodum in epistola quadam ad Constantinum, quæ actis sextæ synodi Constantinopolitanę inserta est, scribit Agatho: Nunc ad illos verte oculos, qui se à catholica segregarunt, quantum inter eos & opinionum & animorum dissidiũ in quot miseri sectas sunt dissecti? quanto ardore pugnant & digladiantur ipsi inter se? Qui legerit vel Maulgliani, vel Aldemburgense colloquium, ad quod non sunt admissi Zuingliani, cùm pro maiestis hæreticis habeantur, qui sceptro Magistratus, non autem stylo vel disputatione sint refellendi: quod fuit habitum inter ipsos tantum Lutheranos, quorum alios Flaccianos, alios

*1. Corinth. 13.*

*Ecclesiæ tres notæ.*

*Prima consensio populorum.*

*Hæc scripta sunt sub persistie pientissima Maria Regina, quæ Christianam fidem in Anglia restituerat.*

*Actor. 4.*

*Malach. 3.*

*Action. 4.*

*Hæreticorũ secta.*

*Lib. de vnitate Ecclesiæ.*

*Anabaptistæ.*

*Lutherus sectarum Princeps.*

*Lutheri maledicentia.*

*Lutheri propositũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



alios Eberianos vocare visum est: in quo certant infestissimis animis inter se Lutherani ipsi vel Scholę Vittembergensis librum post hoc Aldemburgense Colloquium editum de Persona & Incarnatione Christi: in eo videbit, quàm horrendas hæreses adscribant vicinis suis, quos illi Flaccianos vocant, Marcionitarum, Samosatensium, Manichęorum, Sabellianorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, & eos ad Mahometismum inclinare dicunt: & ita se rem vt scribimus habere, comperiet. Quod imprecatur talibus Propheta: Præcipita Domine, & diuide linguas eorum, quia vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, nunquid iftis non euenisse videtur? Per humiles Apostolos congregatæ fuerunt linguæ, per superbos istos Pseudoapostolos diuisæ sunt linguæ. Spiritus sanctus congregauerat linguas: spiritus superbiæ disperfit linguas. Cùm descendisset super Apostolos Spiritus sanctus, omnium linguis loquuti sunt, ab omnibus qui conuenerant ex diuersis orbis terrarum partibus intellecti sunt: & quæ disperfæ linguæ fuerant, cùm Babel ædificaretur, in vnum omnes congregatæ sunt: nunc isti se mutuò non intelligunt, & qui fuerant ab Apostolis, & eorum successoribus per diuersitatem linguarum multarum in vnitate fidei congregati, mirandum in modum linguas eorum disperfas videmus: vt eos agitari Satanæ spiritu, dubitandum non sit. Ac interest sanæ Ecclesię, vt eorum qui segregauerunt se, linguæ sint diuisæ. Volunt vnam linguam habere? dicit Augustinus, redeant ad Ecclesiam: quia & in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis. Primus fuit nostra memoria Martinus Lutherus, qui cùm à catholica semetipsum segregasset, dogma suum rudi plebeculę pro puro puto Euangelio, proq; ipsissimo Dei verbo vendicauit. Fuit iuratus illi Carolstadius: is non totos duos annos in eadem cum eo sententia permansit: discessioneq; facta, sic est alter in alterum debacchatus, vt vterq; sit alteri factus plusquam hæreticus. Interea tamen vterq; sibi gloriam hanc vendicat, quòd primus veritatem Euangelicam in lucem extulerit. Lutherus autem hoc argumento probat in epistola quadam ad Saxonię Ducem scripta, se primum Euangelium in lucem produxisse: quòd ipse alijs auctor fuerit, non verbo magis, quàm exemplo, vt monachatum relinquerent. Quasi verò docere perfidiam, & vt violetur iusiurandum Deo præstitum, hominibus persuadere, id sit Dei verbum in lucem proferre. Potuitne dici quicquam imprudentius & impudentius? Sequuti sunt Zuinglius, & Oecolampadius, ipsi quidem ab inuicem in multis rebus dissidentes, sed qui voluminibus tamen aliquot Lutheri de Eucharistia sententiam grauiter oppugnarunt, & qui fuerant Lutheranæ factionis, eorum non paucos in suam hæresim pertraxerunt. Exortus est posteà Balthasarus, cui fuit ingens cum Zuinglio certamen. Primus hic ætate nostra veterem Donatistarum errorem retulit, ac non prodesse paruulis baptismum docuit, atque ideò rebaptizandos censuit. Extiterunt posteà qui tollerent baptismum, qui de templis imagines ejicerent, qui nudis corporibus incedentes, primos parentes nostros referre conarentur. Nati sunt & Sabbatarij: subsecutum est genus quoddam propheticum, vulgò Schuermeros vocant, qui reuelationibus niterentur. Quis autem singulos enumerando recensere queat? Quotidie noua dogmata, noua videmus existere dissidia: nec interea tamen quisquam est inter hos omnes quamlibet dogmatibus discrepantes, qui sibi Christi spiritum non vendicet, qui se purum, putum Euangelium asserere non glorietur: quod tamen ab orbe cõdito nunquam impurius, nunquam obscurius, quàm ab istis factum est, fuisse constat. Quanquam ipsum quidem Euangelium nihilominus purum in Ecclesia catholica retinetur: cùm nihil eo sit impurius, quod extra catholicam docetur. Nam vbi tanta est dissensio, nequaquam ibi catholica esse potest. Quis autem ita fuerit excors, vt non rectius existimet cum Augustino consentientem Auctoritatem Ecclesię sequi: quàm istos ita dissidentes ab Ecclesia, vt ipsi nihilo secius inter se grauissimis de rebus dissentiant?

*Psal. 54. Linguarum dispersio & congregatio.*

*In psal. 54.*

*Lutheri hæreseos ortus.*

Fingamus aũt esse nõ neminẽ, qui dubitet vbi sit catholica, quemq; tædeat huius Ecclesię, in qua pleraq; cernere licet, quibus non possunt multorum oculi non offendi: cùm videat idem ex vna secta complures indies nasci, nunquid non tutius fecerit, rationibusq; suis melius prospexerit, si dum inter ipsos prius conueniat sectarios, expectauerit, quàm vt huic aut illi se addicat? cùm præsertim non ipsi modò inter se, sed ne secum quidem ipse eorum aliquis persæpè consentiat. Indicant hoc loci quorundam communes, indicant & commentarij, quos quotannis ferè nouos edunt, cum prioribus illis magna ex parte pugnantes. Tanta est in dogmatibus etiam vnius sectę varietas & inconstantia: vt crebrò dictitare solitum ferant illustrem olim Principem Georgium Saxonię ducem: qui fuit ad extremum vsq; vitæ suæ diem, catholicę semper & orthodoxę fidei tenacissimus. Scire se quidem quid hoc anno crederent vicini sui Vvitembergenses, cęterum quid essent anno proximè insequenti credituri, se nescire. Neq; mirum: Sicut enim ab eodem Agathone, cuius paulò antè meminimus, scriptum est, quod nulla veritate fundatum est, necesse est, vt erroris inconstantia varietur. Nam vera fides immutari non poterit, nec aliter nunc, aliter postmodum prædicari: Quia sit sermo vester, vt Apostolus docet, Est, est: non, non: quod plus est, à malo est: Sola est Ecclesia catholica, sicut à Tarasio dictum in Synodo secunda Nicæna legimus, in qua quæ sunt hactenus tradita, non sunt, etiam & non, sed etiam tantùm sunt in veritate, manentq; infracta, minimeq; ficulnea in æternum tempus. Quamobrem vbi tanta varietas est & inconstantia, vbi subinde dogmata variari, subinde ritus nouari videmus: qui fieri potest, vt ibi catholica esse rectè credatur? Quoniam verò mentionem obiter fecimus cumprimis illustris illius, vereq; pij & Catholici Principis & digni memoria seculorum omnium Georgij: libet hic adscribere verba quædam eius, quibus respondet Epistolæ Lutheri, qua suum, vt Euangelium recipere hortabatur. Affirmare possumus, inquit, nobis Euangelium tuum parum curæ esse, cùm sit à capitibus Christianitatis pro reprobo iudicatum.

*Georgij Ducis Saxoniæ dictum.*

*Iacob. 5. Matth. 5. Actione 1.*



tum. Id vnum curauimus, vt, neà nostris acceptaretur, pro virili caueremus. Ad hoc nobis causas dederunt, mali fructus inde producti. Neq; enim tu, neq; alius quispiam verè dicere potest aliud, quàm blasphemiam sancti venerabilis Sacramenti, sanctissimę Dei genetricis, omniumq; sanctorum ex tua doctrina originem habere. Ex tua enim, tuorumq; discipulorum doctrina, omnes antiquæ & reprobatæ hæreses renouantur: omnis Dei cultus honestus aboletur. Quod tamen à temporibus Sergij tam latè nunquam factum est. Quando plura facta sunt sacrilegia Deo cõsecratarum personarum, quàm post productum Euangelium tuum? Quando plures, rogo, factę sunt rebelliones contra superiores, quàm factæ sunt ex Euangelio tuo? Quando plures factę sunt depręda tiones sacrarum domuum? Quando plures factę sunt rapinæ & furta? Quando plures fuerunt Vvitembergæ excubiarum apostatæ, monachi, ac moniales, quàm nunc sunt? Quando maritis ademptę sunt vxores, alijsq; traditæ, quàm quod nunc reperitur in tuo Euangelio? Quando plura facta sunt adulteria, nisi posteaquàm tu scripsisti: Si mulier à viro suo fœcundari nequeat, vt ad alterum transeat, à quo fœcundetur, & vir illum fœtum alere teneatur. Et contrà vir it idem faciat quoq;. Hæc tuum Euangelium, quod sub scamno latens, produxisti, attulit. Et rectum quidem ei nomẽ imponis, quod sub scamno latens produxeris. Bonum profectò foret illud adhuc sub scamno latere: nam si adhuc alterum produxeris tale, nos nullum conseruabimus rusticum. Si Christus voluisset tale Euangelium, non tam sæpè dixisset: PAX VOBIS. Petrus & Paulus non dixissent superioribus obediẽdum esse. Idcircò illi ipsi fructus nobis ingentem & nauseam & horrorem faciunt tuę doctrinę, tuiq; Euangelij Euangelio Christi nos volentes Deo, assistemus corpore, anima, substantia, ac dignitate: ad quod nos sua adiuuet gratia. Tu nos admones mortis, cuius certi sumus. Quid autem fieret, si tuum amplexi Euangelium moreremur? Nónne Deus dicere posset? Vnde hìc, qui nouum Euangelium, cum tot fructibus malis secũ afferri? Nónne dixi tibi vt arborem ex fructibus cognoscas? Si diceremus: Lutherus dicebat esse Euangelium, quod sub scamno latebat. Deus aũt diceret: At aliter tibi dixit Ecclesia Catholica. Cùm igitur quotidie dicas, te credere Ecclesiam Catholicam, quare ergo Luthero credis, & non Ecclesię? Nequaquam Luthere, serua tu Euangelium tuum, quod sub scamno latens produxisti, nos permanebimus apud Euangelium Christi, sicut recepit illud Ecclesia catholica, ac seruat.

Aliam quasi notam Ecclesię catholicę ponit Augustinus auctoritatem miraculis inchoatam, quæ dogmatibus fidem adstrueret, qua nihil aptius esse docet Augustinus ad persuadendũ populo: qua parte adeò sunt destituti, qui se veritatem Euangelicam, annis iam plus mille sepultam, in lucem reuocasse gloriantur: vt ne claudum quidem equum eorum quisquam adhuc sanauerit. Econtrariò, quibus & quantis miraculis inchoata sit auctoritas Ecclesię nostræ, non ex annalibus modò scriptis, verum etiam ex tabellis, & ceries quibus sdam simulachris ad sepulchra martyrum nostrorum appensis, videre licet. Cęterùm isti cùm nihil eiusmodi proferre queant, eo sunt audaciæ & amentiæ prolapsi, vt non dubitent affirmare, miracula sanctorum nihil aliud quàm dæmonum præstigias fuisse. De quibus sic superioribus seculis Guimundum Archiepiscopum Auersanum scripsisse legimus: Quòd si miracula nõ recipiunt, hostes Ecclesię se declarant. Ecclesia enim miraculis quam maximè propagata est & adulta. Quid deniq; est aliud miracula cassare, nisi Ecclesiam, quantum in se est auferre? Multis ante seculis Tertullianus: Probent, inquit, se nouos Apostolos: eadem signa edant. Volo igitur & virtutes eorum perferre, nisi quod agnoscam & maximam virtutem illorum, qua in peruersum Apostolos emulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt. Huius generis miracula, quorum hìc Tertullianus meminit in Gallijs & alibi quoque multa videre licuit. De Caluino quidem certò affirmatur, quod is pecunia quendam conduxerat, vt se mortuum fingeret, & in feretro positus, inclamante illo surgeret. Verùm is qualem se finxerat, frustrà monente Caluino, vt surgeret, verè fuit factus mortuus.

*Secunda nota, auctoritas miraculis inchoata.*

*Miracula apud hæreticos nulla.*

*Guim. lib. 3. de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia.*

*Tertia successio sacerdotum.*

*Aug. de vtilitate credendi cap. 17. & 40.*

Tertiam commemorat successionem Sacerdotum ab ipsa Petri sede, vsq; ad præsentem Episcopatum. De qua & alio loco sic scribit: Cùm igitur tantùm auxilium Dei, tantùm profectum, fructumq; videamus, dubitamus nos eius Ecclesię condere gremio, quæ vsq; ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui primas dare nolle, vel summę profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantię. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemq; animis via est, nisi cùm eos rationi præcolit fides: quid est aliud ingratum esse opi atq; auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ auctoritati velle resistere? Et si vna quæq; disciplina, quanquam vilis & facilis, vt percipi possit, doctorem aut magistrum requirit: quid temeratiæ superbiæ plenius quàm diuinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare? Hac isti quoq; cùm careant, nihil est quod minus ferre possint, quàm vt ad ordinariam Episcoporum & Sacerdotũ successionem ecclesia dicatur alligata. Contra verò nõ solùm Augustinus, verùm etiam Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Optatus, & alij plerique omnes, qui catholici fuerunt & orthodoxi, non aliam quàm hanc notam, qua catholicam agnoscere liceret, illustriorem esse iudicauerunt: quemadmodum vbi de Apostolica nobis Ecclesia sermo fuit, pluribus verbis planum fecimus.

*Aug. in quæstionibus veteris & noui testamenti. Quæstione 110.*

Neque verò nouum, hoc est, quòd ordinem hunc successionis impugnant hæretici. Describés Augustinus pestilentiæ cathedrã, his verbis vtitur: Quoniam cathedram pestilentię non esse de Dei ordinatione asseuerauimus, etiam eorũ, qui extra ecclesiam, vel contra ecclesiam sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiæ dicimus. Qui enim inconcessa præsumit,

Universidad de Deusto
Biblioteca



mit, reus est: quantò magis si & corrumpat traditionem eius, cuius sedem vsurpat? Nam & ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & vsque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum seruatum, perturbant, ordinem sibi sine origine vendicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes: vnde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilētiæ appellare. Nec enim ideò impunè erit, quia sub Dei nomine hoc agūt. Constat enim, suas illos causas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt: sed sibi locum volentes defendere. Cùm sciamus Core & ducentos quinquaginta viros per præsumptionem Deo offerentes, hiatu terræ absorptos esse: & Oziam Regem, cùm Deo illicitè obtulisset, lepra in fronte percussum esse.

*Num. 16. 2. Paral. 26.*

*Ecclesia ad quid alligata.*

Verùm hîc isti dicunt: Ergo ne ad hominum commenta vis alligatam ecclesiam? nunquid nō multò nos rectius, qui ad scripturam prouocamus? qui ad Dei verbum Ecclesiam esse velimus alligatam. Atqui vnde scripturæ? vnde vobis, quod ita frequenter intonatis, Dei verbum? Nunquid non à nobis? nunquid non à patribus nostris? in quorum vos præceptis incedere non oportere, falsò vobis persuadetis? Quorum si vos traditiones omnes putabitis esse respuendas, etiam Euangelium necessariò vobis erit respuendum. Cuius enim, nisi patrum nostrorum, traditio est Euangelium? Quis illud incorruptum tot seculis asseruauit, & ad nos vsq; transmisit, pari fide præ nos ad posteros nostros transmittendum?

*Euangeliū Patrum nostrorum traditione accepimus.*

Nunquid non, à quibus vos ipsos priuata vestra libidine magis quàm auctoritate segregastis, patres nostri? Quibus atū auctoribus, hoc Matthæi, illud Marci, aliud Lucæ, Ioānis aliud Euangelium, aut hoc demùm quod ipsi scripserunt, non autem quod vel Thomas, vel Nicodemus, vel Barnabas scripsisse putantur, à Spiritu sancto profectum esse cognouistis? an non illis ipsis, à quibus vos separastis, patribus nostris? Itaque scriptura nostra est, neque vobis quicquam iuris in eam vendicare potestis: nisi prius à quibus discessistis, ad nos patresq; nostros redeatis. Quamobrem auferte ista, verbum Dei, verbum Dei: Euangelium, Euangelium. Non est nobis cum verbo Dei, non est nobis cum Euangelio pugna, sed cum interpretationibus & asseuerationibus vestris. Nam quod olim de Donatistis dixit Augustinus, quòd contra Christum portant signum Christi, & contra Euangelium, de ipso Euangelio, quod non intelligunt, gloriantur, quodq; idem de Pelagianis quoque commemorat: quòd eorum dogma, arma contra legem sumit ex lege: impugnat Euangelium ex Euangelio pugnans, & in sui perniciem, de veris mendacia fingens: hoc totidem verbis de vobis dicere nobis licet. Verbum Dei toto pectore veneramur & osculamur, sed quod asseueratis vos, hoc esse verbum Dei, constanter negamus. Et cum eodem Augustino dicimus, quod ab alijs anteà quoque dictum esse commemorauimus, quòd non aliundè natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi, dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelliguntur, etiam temerè & audacter asseritur. Qui etiam alio loco dicit: Neque enim non omnes hæretici scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt. Sic & apud Hieronymum legimus, quod & omnes hæreses, secundum Ezechiēlem, sibi confuunt ceruicalia, quæ ponant sub cubito vniuersæ ætatis. Non pugnant ipsum secum Dei verbum, sed hominum interpretatio cum hominum interpretatione colliditur: deq; eo inter nos agitur, vtrum constantis animi sit, deficere ab opinione, quàm tot viri, doctrina, sanctimonia, miraculis celebres, tanto consensu tradiderunt: deficere ab vniuersæ Ecclesiæ decretis, & animam vnius alicuius fidei committere, qui nuper cum paucis exortus est: cùm nec ipsi quidem us congregationis proceres, vel secum, vel inter ipsos cōsentiant: imò cùm nec ipsi quidem secum perspicuè consentiant, qui aliud plerunq; stantes, aliud sedentes loquuntur. Nos qui per Dei gratiam sumus Catholici, si minus omnes eruditè, saltem timidè, cumq; reuerentia sacras literas tractamus, ac quo magis constare possit omnibus, nos esse Catholicos, à Sapiente moniti, non innitimur prudentiæ nostræ, non loquimur visiones cordis nostri, non solitariam aut nostram, aut vnius alicuius mortalis opinionem sequimur: memores illius, quod ab eodem Sapiente scriptum est: Vidisti hominem, qui sibi sapiens videtur? spes est de stulto, quàm de eo longè maior: sed orthodoxorum qui nos præcesserunt, vestigijs inhærentes in eorum interpretationibus acquiescentes, ab eius, quæ columna est & firmamentum veritatis, Ecclesiæ decretis, recedere cumprimis religiosum ducimus, atq; ita quod vnanimiter visum est vniuersis, hoc dicere scripturam, hoc esse Dei verbum credimus, nec ab eo nos vlla ratione dimoueri patimur, etiam si millies per mēbra sua Satanas occinat, quod ipsum aliquando Christo ceciniſſe legimus: Scriptum est. n. Vos contrà, violenter irrumpitis, ac submotis omnibus, quod vos vultis, quodq; vestris dogmatibus commodum est, hoc sentire scripturam contenditis. Deniq; sic rem geritis, quasi non esse dispensatores, verùm Domini sacræ scripturæ postuletis. Hanc vestram tyrannidem ferre non possumus: quodq; dixit aliquando Paulus obstrepentibus, id à nobis quoq; contra vos rectè dici posse persuasum habemus. An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? Vsq; eò certè nō processit à vobis Dei verbum, vt quicquid eius habere vos existimatis, à nobis traditum, à nobis tanta fide custoditum habeatis, vt ne iota quidem, aut apicem vnum in scriptura mutatum esse, verè dicere possitis, à nobis, inquam, & à patribus nostris, à quibus vos metipsos temerè segregastis. Nam quod sanctus Episcopus & Martyr ille Cyprianus de Nouatianis dixit aliquando: Non nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt: id nos non minus verè quàm ille de Nouatianis, de vobis dicere possumus. Non enim nos à vobis, sed vos à nobis recessistis: quod ipsi, velitis nolitis, fateri necesse habetis. A quo autem recessistis, quando à nobis recessistis? Recessistis à nostris & vestris non ita pridem patribus: nondum enim quadraginta anni interfuerunt, cum eosdem vtriq; patres agnoscebamus, in eorundem patrum præceptis incedebamus: à quibus (ò filij desertores) vos certè, vos recessistis. Recessistis à tot millibus sanctorum martyrum, Episcoporum, confessorum, sacerdotum, qui, quod nobis Christi tradiderunt Euangelium, id nos constanter adhuc retinemus: omnia prius & facere & pati parati, quàm vt ab eo nos in aliud Euangelium transferri permittamus. Recessistis, vt vno verbo complectamur omnia, recessistis à catholica Ecclesia matre quondā vestra, vt rectè de vobis illud B. Iob. dici possit: Derident me iuniores tempore. Vos. n. estis illi iuniores tempore, qui vestrę matris ecclesię simplicitatem deridetis: qui non dubitatis eam falsò ignorati Christi & beneficiorum eius obscuratorum redarguere. Cuius ergo nisi nostrum proprium est Euangelium? Cuius nisi nostræ propriæ sunt scripturæ? Nos enim patrum nostrorum Apostolorum & Apostolicorum virorū vera soboles: nos eorum legitimi sumus hæredes & successores: ab illis nostræ fidei traducem, ab illis nostræ doctrinę semina mutuati sumus, ab illis Euangelium, ab illis scripturas nobis traditas possidemus. Nos Ecclesiarum nostrarum origines edere, nos Episcoporum nostrorum ordinem euoluere possumus, ita per successiones ab initio decurrentem: vt primus ille Episcopus aliquem ex viris Apostolicis, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem: ab ijs in possessionem scripturarum & Euangelij missi sumus. Vos autem qui estis? quando & vnde venistis? quid in nostro agitis, non nostri? quo iure syluam nostram cæditis? qua licentia fontes nostros transuertitis? qua potestate limites nostros cōmouetis? Nostra est possessio. quid hîc vos ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? nostra est possessio. Olim possidemus: priores possidemus: habemus origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res: nos Apostolorum sumus hæredes: sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurarunt, sicut per manus alijs tradiderunt, sicut per longam Episcoporum & sacerdotum successionem ad nos vsq; transmiserunt, sicut tenemus: vos certè exhęredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos.

*Iob. 3.*

*Vide Greg. lib. 20. cap. 7.*

Cęterùm, quod anteà quoq; docere nos meminimus, nihil noui faciūt hæretici, cùm ad scripturas prouocant: cùm eas sibi tanquàm proprias vendicant: cùm earum possessione cæteros excludunt: cùm sibi solis eas interpretandi ius arrogant: idq; nouo more, cōtra quam à patribus nostris intellectę fuerint. Verùm hoc illis ius per catholicos concessum fuit nunquam: qui semper quidem scripturas tanquam diuinitus inspiratas, reuerenter accipiebāt: sed vbi de sensu earum controuertebatur, ad patrum interpretationes prouocabant: quos isti vsq; eo aspernantur & respuunt omnes, vt nihil se recipere dicant, nisi scripturas: sed fic vt penes se solos certam esse velint auctoritatem interpretandi. Quod interpretantur, ipsi hoc sensisse volunt Spiritum sanctum: quod adferunt alij, quamuis magni quamuis multi, à spiritu Satanæ, & ab alienata mente profectum esse blasphemant. Nolunt vt fidamus veteribus orthodoxis, quod nōnunquam inter se variant: cùm inter istos paucos tanta sit cōtrouersia de Prophetis, de imaginibus, de disciplinis, de Baptismo, de Eucharistia, de iustificatione, deq; cęteris ad religionē pertinentibus. Et volunt nihilominus credi suis dogmatibus, cùm ea tamen quotidie noua expectemus. Quòd si quę fuisse videtur inter veteres dissensio, non de magnis ea, neq; de necessarijs rebus, verùm de ijs fuit, quę cum non ita magni essent momenti, liceret vnicuiq; abundare in sensu suo: Stilo illi diuerso, non fide diuersa scripserunt. Si quæ res arduæ fuerunt ad religionem nostram pertinentes, adeò nulla fuit inter eos de illis controuersia: vt cum ijsdem plerisq; temporibus vixerint ac maximis locorum interuallis disiuncti & distracti fuerint, haud aliter tamen scriptam suam de illis sententiam ad posteros transmiserint, quàm si vno in loco de ijsdem collatis sententijs, vnum idemq; sensisse, & quasi conspirasse viderentur. Quæ vel sola res documento nobis esse potest, illos ab eo magistro, qui facit vnanimes in domo sua habitare, quæ scripserūt excepisse: vt nulli sit pio dubitandum, hoc sensisse spiritum sanctum, quod illos esse legimus interpretatos: præsertim quoties in vnam aliqua de re sententiam conueniunt omnes. Nam vt labi singuli tanquam homines potuerint: certè, si quid à pluribus receptum, & vsu totius Ecclesię posteà fuit approbatum, in eo labi potuisse credendum non est.

*Hæretici ad scripturas prouocant.*

*Pſal. 6.*

*Patrum auctoritas in controuersijs dogmatibus.*

Quoties igitur aliqua de re ambigitur, ad quos alios quàm ad istos rectius prouocabimus, quorū iam inde à mille & amplius annis, in vniuersa Ecclesia maxima semper fuit auctoritas? quam illis non doctrina magis excellens, quàm admirabilis quædam vitæ sanctimonia comparauit. Sic. n. in illis cum eruditione certabat integritas, neutra vt alteri concedere velle videretur. Si quibus causa est iudicio disceptanda, nónne tales dari sibi iudices optant, qui suæ voluntatis non in hanc maiori, quàm in alteram partem inclinatione propendeant, neq; vel odium aliquod, vel amorem erga alterutram præ se ferant? quòd affectiones istę plerunq; in causa sunt, vt illis mens hominis impedita, quid verum sit, haud facilè perspiciat. Qui possunt autem alij reperiri magis ab omnibus hoc genus affectionibus remoti, quàm fuerunt sancti Patres nostri: qui cùm ante tot secula mortalem hāc vitam cum beata illa & immortali commutauerint, literarum monumenta reliquerunt, in quibus testatas & consignatas animorum suorū sententias de rebus hodie controuersis ad nos transmiserunt: nihil vel gratiæ, vel odio tribuentes, cum tanto seculorum interuallo inter quos hęc esset futura disceptatio, scire tum non potuerint? Hos igitur si duces sequemur, nunquā aberrabimus: horum iudicio si causam nostram permittemus, dictum ac factum, eam quam quærimus, & pro qua pugnare videmur, & æquitatem & veritatem inueniemus. Fecerunt hoc (sicut iam non vno in loco demonstrauimus) hi quorum vestigijs libenter incedimus patres nostri, non minus Ecclesiasticę traditioni, quàm scripturis inhærentes. Scribens ad Neocęsarienses Basilius, Sunt, inquit, iidem & nobis & vobis Doctores mysteriorum Dei, & Patres spirituales, qui ab initio ecclesiam nostram fundarunt, Gregorium dico celebrem illum, & quotquot deinceps post illum Episcopalem apud nos sedem susceperunt, alius post

*Epiſt. 75.*

*Idem tract. 18. in Ioann.*

*De Gen. ad literam lib. 7. cap. 9.*

*Vide eundem de catechizandis rudibus, cap. 8.*

*In cap. 10. de Gala.*

*Scripturæ interpretationes quæ sint accipiendæ.*

*Prouerb. 3.*

*Prouerb. 26.*

*Matth. 4.*

*1. Corinth. 14. Matth. 5.*

*Cyp. tract. de simplicitate Prælatorū.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



alium ordine succedaneo, astrorum instar exorti, ijsdem ingressi sunt vestigijs: vt haud facile sit volentibus traditiones eorum iudicio deserere. Ac in fine epistolæ: Interrogate, inquit, patres vestros, & annunciabunt vobis. Quamuis situ loci diuisæ videantur inter se parœciæ: tamen veluti corona quadam vnitæ, vnaque sententia gubernatæ fuerunt. Et ad eosdem paulo ante scribens, hortatur eos, vt fugiant ea quæ sunt inimica traditioni Magni Gregorij, & eorum, qui deinceps illi successerunt vsque ad Beatum Musonium. Præ cæteris, Augustinus contra Iulianum scribens, ad istos iudices prouocabat, tanquam ab omni odio, amicitia, inimicitia, ira, vacuos. Fecerunt item & ducenti Patres, qui conuenerant Ephesi, quibus hoc catholicissimũ, fidelissimũ, atq; optimũ factu visum fuisse narrat Vincẽtius Lyrinensis: vt in mediũ sanctorum patrum sententiæ proferrentur, quorum, alios martyres, alios confessores, omnes verò catholicos sacerdotes fuisse & permansisse constaret: vt scilicet ritè atq; solenniter ex eorum consensu atq; decreto antiqui dogmatis religio cõfirmaretur, & prophanæ nouitatis blasphemia condemnaretur. Est enim verissimum quod à Rabano scriptum est, quòd sancti doctores sua prædicatione ad vnitatem fidei, multitudinem fidelium in Ecclesia nectunt, & in vnum decorem redigunt. Et paulò pòst: Doctores sancti quasi mediatores sunt inter Christum & reliquos, quos instituunt: & quasi Christum corpori suo, id est, Ecclesiæ coniungunt.

*Epist. 64.*

*Lib. 2.*

*In cap. 4. cantic.*

*Eccles. 5.*

Libet autem ex Ecclesiastica quoque historia exemplum eius rei proferre. Verum est enim quod dixit Sapiens: Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est, iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos. Itaq; nec hæreses istæ, quæ nunc Ecclesiæ Dei tantum exhibent negocij, nouæ sunt: cùm eas ante mille & amplius annos confutatas videre liceat: nec est adeò deploratus nostrorum temporum status, quin fuerit etiam olim deploratior, præcipuè quibus temporibus Arriana viguit impietas: quæ tam longè tamq; latè grassata fuerat, vt non iam intra populares homines sese contineret, sed ipsos etiam Ecclesiarũ antistites implacabilibus odijs cõmitteret: neci, sis etiam Imperatoribus & eorum aulis intactis. In hoc itaque rerum statu, fuisse scribit Socrates catholicum Imperatorem Theodosium: qui tota mente in eam curam incubuerat, vt motus in causa religionis concitati tranquillari, omneq; non opinionum magis, quàm animorum dissidium ex Ecclesia tolli, atq; optata illi pax & tranquillitas restitui posset. Quamobrem congregata synodo, Nectariũ ẽpũm accersit: cõsiliũ ab eo sibi dari postulat, quẽadmodũ effici queat, vt sedatis „cellis & tẽpestatibus, quibus tum Ecclesiæ nauis vehementer iactabatur & agitabatur, ad optatum tandem aliquando quietis portum peruenire liceret. Sibi quidem videri, non aliam via commodius id fieri posse, quàm si quæstiones & controuersiæ, quæ motibus illis excitandis causam dedissent, diligentius excussę forent. Hęc posteaquàm audiuit ex Imperatore Nectarius, cumprimis anxius & solicitus, cum Agellio primum, deindè cum Sisinnio rem communicat. Erat Sisinnius egregia quadam dicendi facultate, & minimè vulgari sacrarum literarum cognitione præditus: huc accesserat ingenium solers, & rerum vsus & experientia, quam fuerat non mediocrem consequutus. Itaque facilè perspiciebat, disputationes non modò nihil ad sanandos motus istos momenti allaturas, verùm illud effecturas potius, vt res in maiorem contentionem exiret. Quapropter hoc Nectario dat consilium, vt omni ope contendat & elaboret, ne disputare fit necesse: sed priscorum tantùm interpretationes in medium producantur: quibus prolatis, quærat ex hæresiarchis Imperator, quo loco, quóve numero doctores illos habeant, quorum nomina, quàm longè latéq; patet Christianus orbis, cum primis celebria semper fuerunt: nunquid ad Ecclesiam eos pertinere putent, aut tanquam alienos à fide Christiana reijciendos censeant? Quod si, inquit, tanquam alienos reiecerint, audeant igitur eos anathemate damnare. Quod si ausi fuerint, statim à multitudine profligabuntur. Sin autem priscos doctores minimè se reijcere testati fuerint: nostrum erit, libros eorum proferre, quorum testimonio doctrina nostra confirmatur. Hoc Sisinnij consilium Nectario probatur. Itaq; nihil cunctatus ad aulam properat, Imperatori rem exponit: is cupidè rem amplexus, accitis hæresiarchis, percunctatur ex illis: an aliquam eorum doctorum Ecclesiæ habeant rationem, qui præcesserant ipsorum hæresim: num probandos eos, an reijciendos censeant? Illi, cùm quorsum iret Imperator nescirent, non alio loco quàm quo suos præceptores habere se respondêrunt: Quærit rursus Imperator: Num eos tanquam fide dignos Christiani dogmatis testes recipere velint? Tum primùm olfecerunt illi, quid sibi vellet hęc Imperatoris interrogatio: cumq; aliter alij, atque veterum libros essent animati, ortum est inter eos dissidium, cùm alij recipiendos, alij minimè recipiendos esse censerent. Atq; ita quorum hactenus vna tantùm fuerat hæresis, hi iam non à catholicis magis, à quibus discesserant, quàm ipsi à seipsis dissentire cœperunt. Sic eorum concors improbitas (inquit Socrates) haud aliter quàm veterum olim Gigantum lingua dispersa, simul turris eorum improbitatis est cuersa. Vel ex hac Historia videre licet, minimè nouum esse, vel quòd hæretici priscorum Patrum sententias aspernantur & respuunt, vel quòd ad eas catolici libenter prouocant.

*Arriana hæresis pestis quàm latè serpserit.*

*Socr. lib. 5. cap. 10. Ecclesiast. hist.*

*Hæretici quomodo refellendi sunt.*

*Sisinnij consilium.*

*Disputationum pernicies.*

Est autem illud cumprimis admiratione dignum, quòd eorum tantopere sententias oppugnant nostri temporis hæretici? quorum testimonijs, quoties ipsis commodum fuerit, libenter vtuntur. Contra quorum dogmata tuentur & defendunt, eorum vti testimonijs erubescunt: Nam non deest illis quoq; sua successio, verùm non à sede Petri, neq; continuata, sed interrupta successio. Possemus hoc etiam de reliquis erroribus pridem sopitis, ac nunc demùm hoc nostro seculo resuscitatis planum facere: verùm vno tantum dogmate Lutheri, iũ quo cardinem rerum & iugulum ipsum esse persuasum habent, in præsentia contenti erimus, vt successionem illius indicemus. Docet ille nostrum arbitrium non esse liberum, sed seruum: & absoluta necessitate euenire omnia. Nunquid hoc à Simonis Petri sede profectum

*Hæreticorum successio.*



fectum est? & non à Simonis Magi potius, qui grauis Petri fuit aduersarius? Quem errorem, si quid Clementi credimus, ita Petrus Apostolus confutauit, vt in eo ædstruendo, nisi centum annis interiectis, vix quenquam Simon habuerit successorem. Nam post centum demùm annos extitit Marcion hæreticus, qui non dubitauit hoc ipsum asserere. Sed explosus est deinceps Marcion quoq;, neq; repertus est quisquam intra centum alios & triginta annos, qui in falso dogmate tuendo succedere illi vellet: donec ad Manem ventum est vnde Manichæi nomen traxerunt. Verùm & huius furorem ita compescuit Augustinus, vt octingentis & amplius annis, nullus hãc illius insaniam sequutus esse legatur. Primùm ante quadringentos annos exortus est Petrus Adelhardus, qui pridem sepultum errorem hunc in lucem reuocauit: cuius à Bernardo sic est conuictus, vt annis ducentis quadraginta, qui cõfirmaret hoc ipsum, repertus non fuerit. Post quod temporis interuallum, extitit Ioannes Vicleff, in Constantiensi & Basiliensi Concilio condemnatus. Huic post annos centum quadraginta successit Martinus Lutherus. Atque hæc est non continuata, sed sæpius interrupta successio, quod attinet ad hunc articulũ Ecclesiæ Lutheranæ, in quo ille summam esse causę fatebitur. Primus assertor fuit Simon Magus: Simoni post annos cẽtum successit Marcion: Marcioni centum alijs & triginta interiectis Manichęus: Manichęo post octingentos & amplius, Petrus Adelhardus: Adelhardo post ducentos quadraginta, Ioãnes Vicleff. Ioanni Vicleff post centum quadraginta annos, Martinus Lutherus. Cuius successionis adeò pudet Lutherum & sectatores eius, vt in sui erroris huius impij defensionem, nullum ex his auctorem citare audeat. Citius adeò, qui cõfutarunt hoc dogma, quoties illi cõmodum videtur, detorto vsus fuerit testimonio: Sic suo ipse tanquam sorex perit indicio: Catholicos, velit nolit, fateatur necesse est, quorum sententiam oppugnat: quorum verò dogma tuetur, eos hæreticos fuisse negare non potest. Cùm autem easdem radices habeat, atq; ijsdem erroribus emergat, quemadmodum præclarè scripsit Ioannes Cassianus, satis iam in auctoribus suis ipse damnatus est, vt alia damnatio nulla requiratur. Vnus est ex omnibus impij dogmatis huius assertor, quem nominare tamen audet, Ioannes Vicleff, ecclesię iudicio condemnatus: quem (tanta hominis est audacia & impudentia) ob hoc ipsum, quod ab Ecclesia est damnatus, in sanctorum album referre non dubitat. Sed quorum sanctorum? quos iam enumerauimus, Simonem Magum, Marcionem, Manichæum, Petrum Adelhardum: qui, si sancti fuerunt, non fuit ergo Sanctus Petrus Apostolus, non alij multi, qui successerunt ei, qui sanguinem suum pro Christo fuderunt: non tot Martyres, Episcopi, Doctores, qui à Petri sede se nũquam auelli passi sunt: qui omnes vsq; ad hæc nostra tempora vno ore, liberum esse, non seruum arbitrium, docuerunt.

*Seruum arbitrium à Simone Mago. Actor. 4. Lib. 3. recognitionum. Marcion. Manichæi. Petrus Adelhardus. Ioan. Vicleff. Lutherus.*

Atq; hęc est successio sacerdotum & Episcoporum, quæ sicut Augustinum olim, sic & nos in Ecclesię catholicę gremio iustissimè tenet. Cuius quidem successionis, vsque eò nos non pudet, vt quos isti nunc errores suscitarunt, siue dum absoluta necessitate fieri docent omnia: siue dum & sacerdotium & sacrificium abrogare, & modò non Deum ipsum è medio tollere conantur: siue dum solam fidem ad salutem sufficere docent: siue dum sanctos inuocandos negant: dum cœlibatum sacerdotum oppugnant: dum orare pro mortuis, aut mediatoris offerre sacrificium prohibent: dum ieiunia, vel ciborum in illis delectum, dierumque discrimen habendum non esse putant: dum imagines à templis eijciunt: dum Christi corporis & sanguinis veritatem in Eucharistia negant: dum semel baptizatos rebaptizandos esse censent: adeò nos non pudet successionis huius, vt hos & quoscunq; tãdem errores alios, quos enumerando recensere longum foret, vel hoc ipso nomine tantò vehementius detestemur, quòd eos his ipsis auctoribus, de quorum successione gloriamur, ante tot secula, Christiani totius orbis applausu, videmus esse condemnatos. Contra verò, quæ didicimus, in ijs tanto & libentius & fidentius permanemus: quòd ab istis magistris didicimus, quorum tot seculis sacrosancta semper in Ecclesia fuit memoria: quorum scripta publicitus leguntur in templis, & post diuinæ legis oracula primum locum obtinent: quæ vel ipsi hæretici adeò non sunt ausi prorsus reijcere. vt quoties id suo cõmodo facere posse videntur, vel obtorto collo (quod aiunt) ad suam sententiam confirmandam ea pertrahere conentur: quod ea re suis quoq; scriptis, permultum auctoritatis accessurum esse persuasum habent. Adeò vel hostes etiam ipsi veritatis, quos esse præcones intelligunt veritatis, eorum testimonijs ad falsitatem suam adstruendam vti gaudent. Et dubitamus adhuc vbi sit catholica? Scrupulum hunc eximent nobis Christi verba dicentis: Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilę. Corpus Ecclesiam esse, docet nos Paulus: & quidem corpus Christi. Sic. n. loquitur ad Ephesios: Deus dedit Christum caput super oẽm Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Aquilas autẽ, quos esse dicemus alios, quàm, quorum iam fecimus mentionem, sanctos illos Episcopos & Doctores: quorum & excelsa virtus, & sublime fuit ingenium, & doctrina singularis: quorum pleriq; fuso sanguine suo, veritatem eorum, quæ scripserunt, comprobarunt. Quamobrem vbicunq; videris illas aquilas cõgregatas, ibi Christi corpus, ibi catholicam Ecclesiam esse non dubitaueris. Sicubi vnam aliquam in sententiam conuolant, ex varijs & longo locorum interuallo disiunctis totius orbis Christiani partibus sancte ille aquilę, Dionysius Areopagita, Clemens, Ignatius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Theophilus Alexandrinus, Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Pontifex, Beda, Isidorus, Bernardus, & qui sunt eos secuti, quos omnes enumerare longum foret, quòd hæc ecclesię catholicę sententia sit, nihil est, quod ambigas.

*Libr. 2. de Incarn. CHRISTI.*

*Matth. 24. Corpus Christi Ecclesia. Ephes. 1. Aquilæ in Euãgelio qui intelligendi.*

Verùm hîc isti contradicunt: Nunquid etiam hi, quamlibet docti & sancti viri, non aliquando spiritu Dei destitui potuerunt, vt suo pleraque, hoc est, humano spiritu scriberent?

Universidad de Deusto
Biblioteca



Potuit sanè seorsum eorum aliquis: at non in eo, in quo cum cæteris idem sentit omnibus: nõ in eo, quod est tot seculorum cõsensu comprobatum. Quoniam verò de Spiritu mentionem fecimus: neq; nostra hac ætate ferè quisquam est hæreticorum, qui sibi Dei spiritum ita non vendicet, vt alijs detrahat omnibus: libet pro libri huius conclusione, quemadmodum dignosci spiritus oporteat, paucis demonstrare. Præclarè monet Ioannes Apostolus & Euãgelista: Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Gausam cur ita moneat, addit, dicens: Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Reuera si fuit aliquando, nunc esse tempus illud videtur, quo probare spiritus cumprimis est necessarium: qua vna re vix quicquam esse potest difficilius: vt inter alia quę Paulus enumerat, non minimum Dei donum sit discretio spirituũ: Sed explicet ille difficultatem hanc, qui nos vt spiritus probaremus admonuit: In hoc, inquit, cognoscitur spiritus Dei: Omnis qui confitetur IESVM Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui soluit IESVM, ex Deo non est. Hæc verba Ioannis enarrans Augustinus, cuius interpretationem potissimum sequi libet: Quasi eriguntur inquit, aures ad discernendos spiritus: & tale quiddã audiuimus, vnde nihilominus non discernamus. Quid enim ait? Omnis Spiritus qui confitetur IESVM Christum in carne venisse, ex Deo est. Ergò spiritus qui est apud hæreticos, ex Deo est: quia confitentur IESVM Christum in carne venisse. Quære ab Arrianis? cõfitentur IESVM Christum in carne venisse: Quære ab Eunomianis? confitentur IESVM Christum in carne venisse: Quære à Macedonianis? confitentur IESVM Christum in carne venisse: Interroga Cataphrygas? confitentur IESVM Christum in carne venisse: Interroga Nouatianos? confitentur IESVM Christum in carne venisse. Omnes ergò istæ hæreses spiritum Dei habent? Non ergò Pseudoprophetę sunt? Nulla est ergò ibi deceptio, nulla seductio? Certè Antichristi sunt, qui ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis. Quid ergò facimus? Vnde discernimus? Audiuistis quia dictum est: Qui negat IESVM Christum in carne venisse, hic est Antichristus. Et ibi quæsiuimus, quis neget, quia nec nos negamus, nec illi negant. Et inuenimus quosdam factis negare, & adhibuimus testimonium de Apostolo, qui ait: Confitentur se nosse Deum, factis aũt negant. Quæramus igitur in factis, non in linguis. Quis est spiritus qui non est ex Deo? Qui negat Christum in carne venisse. Et quis est spiritus, qui ex Deo est? Qui confitetur IESVM Christum in carne venisse. Eia fratres, opera attendamus, nõ strepitum linguæ. Quæramus quare venerit in carne Christus, & inueniemus, qui eum negat in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es, confitentes Christum in carne venisse, sed cõuincit illos veritas. Quare venit Christus in carne? Venit vt traderetur gentibus, vt illuderetur, vt flagellaretur, vt conspueretur, vt occideretur, venit vt moreretur, p gẽte, & nõ tãtùm, p gẽte, sed vt filios Dei, q erãt dispsi, cõgregaret in vnũ: Charitas illũ de cœlo detraxit: charitas carne vestiuit: charitas, vt acerbã & ignominiosã crucis mortem oppeteret, impulit. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis: posuit ille pro inimicis. Quisquis ergò non habet charitatem, negat Christum in carne venisse. Nunciam hęreticos oẽs interroga: Christus venit in carne? venit: hoc credo, hoc profiteor. Imò hoc negas. Vnde nego? audis quia hoc dico. Imò ego cõuinco, quia negas corde: dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideò venit in carne Christus, vt moreretur pro nobis. Ideò mortuus est, p nobis, quia charitatem multam habuit, per quam filios Dei, qui erant dispersi, congregauit in vnum. Tu non habes charitatem, quia non modò non congregas, verumetiam quæ pretioso Christi sanguine congregata sunt, ea dispergis, & pro honore tuo diuidis vnitatem. Ergo hinc intelligite spiritu ex Deo, pulsate, tangite fictilia, ne fortè crepauerint & malè resonent. Videte si integrè sonant, videte si est ibi charitas. Tollis te ab vnitate orbis terrarum, diuidis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi. Iste venit in carnem, ille mortuus est, vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum: tu ideò clamas, vt congregatos dispergas. Ergò ipse est spiritus Dei, qui non negat IESVM in carne venisse: qui dicit non lingua, sed factis, qui dicit non sonando, sed amando. Ille autem nõ est spiritus Dei, qui negat IESVM in carne venisse: negat & ipse non lingua, sed vita, non verbis, sed factis. Omnis spiritus qui soluit IESVM, ex Deo non est, & hic est Antichristus: Soluere, factis intelligitur. Ille venit colligere, tu venis spargere: Quomodo non negas Christum in carne venisse, qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregauit? Contra Christum venis, Antichristus es.

Hæc pluribus verbis ex Augustino transcribere visum est: vt qui sit ex Deo, qui non sit ex Deo spiritus, cognosci possit. Qui etiam alibi eadem verba Ioannis explicans: Quid est, inquit, negare Christum factis? Superbire & schismata facere: Ita factis negatur Christus: vnitatem quippè amat CHRISTVS. Quamobrem non omnis ille spiritus, qui confitetur Christum in carne venisse, qui confitetur, quòd vnus ipse mediator Dei sit & hominum: quòd sit propitiatio pro peccatis totius mundi: quòd non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri: non omnis qui confitetur hæc, spiritus ex Deo statim est, si voce tantùm clamat, non opere, si lingua confitetur, non factis, si non habet charitatem, per quam cum Christo congreget, sed flagrans odio, quos congregauit Christus, eos cum Diabolo dispergit: Habeat Christum in ore, quantum velit, glorietur de verbo Dei, iactet se de Euangelio, dicit Augustinus, quòd est Antichristus. Verùm quid nos hæc Augustinum dicere dicimus? dicit hoc ipsa veritas: qui non congregat mecum, spargit. Si congregat Christus, tu quos ille sanguine suo congregauit, spargis: quid hoc est aliud, quàm Antichristum esse? Meminimus hoc quoq; nos iam ex Augustino docuisse, quod sicut à Paulo traditum accepimus, totus Christus & caput est, & corpus. Caput est vnigenitus Dei filius, corpus eius est Ecclesia. Non satis est si de capite credas, quæcunque de eo sanctę scripturæ nobis prodiderant, si te segregas à corpore capitis huius, à sancta catholi-

1. Ioan. 3. *Spiritus quomodo probandi.*

1. Corinth. 12.

1. Ioan. 4. *Aug. in primam Canonicam Ioan. tractatu 6.*

1. Ioan. 2.

Tit. 1.

Matth. 20. Ioan. 11.

Ioan. 15.

Tit. 1.

Ioann. 13.

*Aug. ser. 31. de verbis Apostoli.* Tit. 1. *Factis negare Christum.* 1. Timoth. 2. 1. Ioan. 2. Actor. 4.

Matth. 12. *Aug. de vnitate ecclesiæ, cap. 4. Christus & caput & corpus. Soluere IESVM quid sit.*



tholica Ecclesia, si non cõmunicas eius vnitati, si contra eum quem tot seculis illa recepit sensum, scripturas interpretaris, si tibi soli plus, quàm illi vniuersæ credi vis, quid aliud, quàm quantum in te est, soluis IESVM, atq; ita Antichristus es. Qui enim vel Ecclesiam à capite suo Christo, vel seipsum ab Ecclesia, vel Ecclesiam in seipsa separat & diuidit, is verè Christum soluit, & Antichristus verè dici meretur, quia scindit quod Christus vnitum esse vult.

Habemus ergò iam, qui sit ex Deo spiritus, qui non sit ex Deo. Quicunq; soluit IESVM, hoc est qui diuidit corpus eius Ecclesiam, non est ex Deo, sed est Antichristus. Non qui scientia sed qui charitate præstat, is demùm ex Deo spiritus est. Scientia enim inflat, charitas est quæ ædificat: nec est aliud quicquam æquè noxium, atq; remota charitate scientia. Quamobrem rectè monet Augustinus: Amate scientiam, sed anteponite charitatem. Scientia si sola sit, inflat, quia verò charitas ædificat, non permittit scientiam inflari: quam, si scientiæ cõiunxerimus, futurum est, sicut scribit Maximus, vt careamus omni superba inflatione, erimusq; spirituales œconimi, cùm nosmetipsos, tum omnes qui nobis appropinquant ædificantes. Ibi ergò inflat scientia, vbi charitas non ædificat: vbi ædificat, solidata est. Non est ibi inflatio, vbi petra est fundamentum. Quando autem tentat inflatio, hoc est elatio? vtique quando charitas deest. Est igitur, absq; charitate cumprimis noxia scientia, quæ superbos reddit & inflatos, cuiusmodi sunt dæmones, qui non aliundè nomen apud Græcos, quàm à scientia traxisse creduntur. Qui sicut ipsi superbi sunt & arrogantes, ob quod etiam vitium tanquàm fulgur de cœlo ceciderunt, ita quod ipsis ruinæ causa fuit, per id primis parentibus nostris insidias fecerunt, & vt ex Paradiso deturbarentur, in causa fuerunt. Quid enim promisit illis Dæmon, quo facilius persuaderet, vt contra diuinum edictum de ligno scientiæ boni & mali manducarent? eritis, inquit, sicut dij, scientes bonum & malum. Videte inflantem scientiam, vnde ad primos parentes nostros, vnde ad nos etiam eorum posteros innumerę calamitates & miseriæ redundarunt. Quod si, quod Paulus monet, noluissent illi altùm sapere, vel plus sapere quàm oportet sapere, si cõtenti fuissent sapere ad sobrietatem, si non esse Deo similes inflante scientia contendissent, si quod eis liberaliter à Deo cõcessum fuerat, in eo acquieuissent, nec ipsi, nec nos eorum proles, ex illo tam felici statu deturbati, in has tantas calamitates recidissemus. Sed homo cùm in honore esset, nõ intellexit: & ideò comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sic etiam qui deturbatus est de cœlo, non ex ordine Seraphin, sed ex ordine Cherubin fuisse dicitur. Sic enim loquitur Propheta: Peccasti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum, & leuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam in pulchritudine tua, in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. Quod quidem carere mysterio non videtur. Significatur enim hac re, quòd lapsus eius incitamentum fuerit, non diuini amoris, verùm scientiæ suæ excellentia. Cherub. n. plenus scientia, Seraph plenus amore interpretatur. Quid autem? qui nunc Ecclesiam conturbant, qui Christi corpus dilaniant, qui pro honore suo diuidunt vnitatem, quanám alia re putamus eos ad id faciendum adduci, præterquam inflante sine charitate, scientia? Quid illis aliud suggerit diabolus, quàm quod suggessit olim parẽtibus nostris, dicens: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Nunquid non se deos esse sibi persuadent, qui siue de sanctorum patrum scriptis, siue de conciliorum decretis productum aliquid audiuerint, quod suis dogmatibus aduersetur, illicò tanquam hominum commentum reijciunt: tanquam homines & ipsi non sint? Cuius autem ea re se filios esse declarant, nisi Cherub eius qui dixit: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo: qui postea in infernum detractus est in profundum laci. Certè quicunque sunt hoc ingenio prediti, quamlibet glorientur se certos esse, quòd habent spiritum Dei: certum est, quod non Dei, sed satanæ spiritu aguntur. Non est ex Dei spiritu quæ inflat scientia, sed quæ per charitatem ædificat, ea demùm est ex Dei spiritu. Cęterùm quę charitate vacua est, haud aliter se habet, atq; cibus sine digestione. Sicut. n. cibus indigestus, cum nõ fuerit benè concoctus, generat malos humores, & corrumpit corpus, non nutrit: sic & multa scientia ingesta stomacho animę, si charitatis igne decocta non fuerit, quid aliud quàm tumores parit & inflationes? Quamobrẽ rectè monet Apostolus, vbi de scientia meminit inflante: Qui se existimat aliquid scire, nõdũ scit quomodo oporteat eum scire: nescit. n. quomodo vtendum sit scientia, quod præscribit ea, quæ non inflatur charitas.

Quisquis igitur ad ædificationem, nõ ad destructionem habere vult scientiam, primùm seipsum scire studeat: sic enim futurum est, vt faceſſat omnis tumor & arrogantia. Porrò spirituale ædificium stare non potest, nisi stabile iactum sit humilitatis fundamentum. Statuat itaq; se ante faciem suam homo, suam secum reputet imbecillitatem, mox illud consequetur, vt sit non inter alta sapientes, sed inter humilibus consentientes. Nihil aget per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate, superiores se alios arbitrabitur: atq; aliorum, præsertim verò maiorum, plus quàm suo ipsius iudicio tribuendum esse putabit: non modò, non se preferet vlli, sed sibi potius cæteros anteponet. Siquidem sicut qui per offitium transit, cuius demissum nimis est limen, quantò se dimiserit magis, tantò facilius effugiet, ne impingat: quòd si vel transuerso digiti spacio, se, quàm ostij mensura patitur, altius erexerit, cuestigiò quassato capite collidetur. Ad eundem planè modũ habet se mens hominis: quantò se dimiserit magis, tantò facilius cauebit, ne offendat: quod cauere non poterit, simul vt se vel paululum erexerit. Hoc est quod à Christo quoq; dictum legimus: Confiteor tibi pater, Dñe cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapiẽtibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et in prouerbijs clamat sapientia: Si quis est paruulus, veniat ad me. Quisquis ergò scire vult, discat quemadmodum eum scire oporteat. Docebit autem eum, ea quę

*Scientia sine charitate noxia.* 1. Corinth. 8.

*Aug. ser. 53. de verbis Domini.* *Max. centuria 4. c. 50.* *Dæmon vnde.*

Luc. 10. Genes. 3. Sap. 2.

Genes. 3. Rom. 5. Rom. 11. 12.

Psal. 48.

Ezech. 28. *Cherub.* *Seraph.*

Esaiæ 14.

*Scientia ex Dei spiritu.*

1. Corinth. 8.

*Scientiã habere cum piens primũ seipsum scire studeat.* Rom. 12. Philipp. 2.

Matth. 11. Prouerb. 9. *Scientiæ comparandæ ratio.* Prouerb. 9.

non inflatur charitas, ne velit esse sicut Lucifer ille, qui dicebat in corde suo: In cœlum conscendam, super astra Dei, exaltabo Solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus
*Isaiæ 14.* Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: Similis ero altissimo. Sed se cum sui potius generis mortalibus comparet, aenō modò non se illis, verùm sibi potius illos anteponat. Si secum ipse reputet: Homines fuerunt, quibus hunc aut illum sensum hęc habere scriptura visa est: homo sum & ego: non minus, ac fortasse magis etiam, quàm eorum aliquis erroribus obnoxius: Ac si fortè illi peccatores fuêre, quàto sunt maiores iniquitates meæ, quę supergressæ caput meum, & sic onus graue, grauatæ sunt super me. Fieri potest, vt halluciner: vt
*Psal. 37.* error sit, quod mihi verum nunc esse videtur: quamobrem non cōmittam, vt ab eo temerè discedam, quod tantò omnium consensu, tot seculis receptum, quòd ab ijs etiam, qui ex vniuerso orbe Christiano, viri doctrina & pietate præ cęteris insignes, vnū in locum hac ipsâ de causa cōgregati fuerunt, vnanimi voluntate definitum esse video. Fortassis illi viderunt aliquid, quod ego peccatis meis impeditus videre nunc non possum: Fortassis si præsens in eorum consessu adfuissem, & quibus illi rationibus, hoc ita statuerunt, audiuissem, idem
*1. Pet. 5.* quod illi sensissem. Hoc spiritu qui præditus est, nihil dubitet, quin is ex Deo sit, qui resistit superbis, humilibus autem dat gratiam.

*Paræneſis cum totius operis peroratione.*

## CAP. XCIII.

*Philipp. 2.* HVNC spiritum dari sibi postulent omnes, qui Christiani & Orthodoxi censeri volunt: quos in extrema operis huius nostri parte, visum est nobis ijsdem verbis affari, quibus Philippenses olim Paulum esse legimus alloquutum. Si qua, inquit ille, cōsolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrum.

Scripsit hæc ad Philippenses Paulus, à cuius sanctitate quamuis ita longè nos remotos agnoscamus, vt ne qui corrigiam quidem eius calciamenti soluamus, nos dignos ingenuè fateamur: quibus tamē alijs, quàm doctoris gentium, ex quibus nos originem duximus, verbis rectius alloqui possumus fideles oēs, quorum cura fidei nostræ peculariter est à Deo cōmissa: eos præsertim, quibus nihil quod receptum est, placet: qui nouis quibusdam & peregrinis doctrinis abducti, nolunt nobiscum in Christi pace, in Ecclesię catholicę vnitate, in fraterna charitate gaudere: sed ab orbe terrarum, quo Ecclesia catholica, secundum Prophetica & Euangelica promissa, diffunditur, se dirimētes, in parte esse, & para
*1. Corinth. 1.* dici, quàm à Catholica nomen ducere malunt: nec amant nobiscum idipsum, ad quod nos toties hortatur Apostolus, cùm tamen eundem se dicant nobiscū confiteri Christum: quin altare contra altare erigere, cathedram contra cathedram constituere conantur. Hos itaq; pręcęteris vt Paulinis verbis his admoneamus, cogit nos paterna cura & solicitudo nostra, quam pro salute eorum gerimus: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrum.

*Consolatio nostrâ CHRISTVS.* *2. Corinth. 1.* Quatuor sunt, per quæ Paulus Philippenses obsecrat. Primo loco: Si qua, inquit, consolatio est in Christo. Non cuiusuis, verùm eius, quę est in Christo cōsolationis meminit: in Christo, qui pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni
*Matth. 11.* tribulatione nostra. Ipse enim solus est, per quem abundat consolatio nostra: ipse solus ille qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Quærat qui volet ex auro & argento, quærat ex amplitudine possessionum, quęrat aut ex doctrina excellenti, aut ex eloquentia singulari, quærat ex quacunq; tandem earum rerum cōsolationem, quæ multitudinis imperitæ iudicio cumprimis
*Ioan. 16.* esse videntur expetendę: nos extra Christum molestias multas, consolationem scimus nullam. Solus Christus est consolatio nostra, pax, quies, & tranquillitas nostra. Sic enim ipsum
*Galat. 4.* iamiam ex hoc mundo migraturum, suis dixisse legimus. In mundo pressuram habebitis, in me verò pacem. Quamobrem ô filioli, quos iterum in Christo parturimus, si vultis in Christo pacem, si vultis in Christo consolationem habere, quam ipsi cupitis obtinere, nobis eandem in Christo & propter Christum consolationē adferte. Consolemini nos, qui pro Christo legatione fungimur apud vos, vt vicissim Christus consoletur vos: Consolemini nos: im-
*2. Corinth. 5.* plete gaudium nostrum.

*Solatiū charitatis.* *1. Ioan. 4.* *Vbi charitas, ibi DEVS.* Dicit secundo loco Paulus: Si quod solatium charitatis. Nulla ex re maius esse potest, quàm ex charitate solatium: Siquidem vbi charitas est, ibi, Deus est: Deus est enim charitas. Quapropter quod ex charitate, hoc ex Deo solatium est. Si quod igitur est solatium, quod habet fraterna charitas, quæ tristia pariter & læta facit communia, implete gaudium nostrum.

*Societas spiritus quæ sit.* *Ephes. 4.* Addit tertio loco: Si qua societas spiritus. Societas spiritus aliud non est, quàm coniunctio fidelium, quam efficit Spiritus sanctus: per quam vnum corpus, vnus spiritus sumus omnes: Hac societate nulla esse potest, neque firmior neque iucundior: De hac societate si esse vultis, si ad corpus Christi pertinere, si membra eius esse cupitis, implete gaudium nostrum.

*Viscera miserationis.* *Matth. 5.* *Matth. 7.* *Gaudiū impletum.* Subdit quarto & postremo loco: Si quæ viscera miserationis. Si nondum obrigueruntsensus vestri, si pijs ducuntur adhuc affectionibus animi vestri, implete gaudium nostrum. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cōsequentur. Capiat itaq; vos nunc nostri misericordia, si extremo illo die misericordem Iudicem habere vultis: Nam qua mensura
menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Quare si quæ sunt in vobis viscera miserationis, implete



plete gaudium nostrum. Inchoatum quidem fuit gaudium hoc ante annos prope sexcentos, & ad hæc vsque nostra tempora continuatum: sed proh dolor, proximis his annis superioribus, est non leui tristitia contaminatum. Quantam nos ex eo lętitiam accepisse putatis, quòd cùm iam à sexcentis annis propè Christi receperit Euangelium Polonia, tantam in eo tuendo gentis nostræ constantiam videre semper licuit, vt ab eo nunquam in aliud se cuiusuis, quàm Christi potius Euangelium transferri passa sit? Verùm gaudium hoc nostrū valdè est imminutum, posteaquam paucis his superioribus annis, ab eo, quod nobis traditum est, sancto Dei verbo plerosque recessisse videmus: quibus melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Currebatis benè: quis vos fascinauit non obedire veritati, quam semel amplexi fueratis? Quare si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrum: Date operam, vt quod magna cum laude fuit à maioribus vestris inchoatum, & ab illis quidem constanter ad extremum vsq; vitæ diem, à vobis autem aliquandiu continuatum, optato fine terminetis, & sicut à maioribus accepistis, ad posteros transmittatis. Quod ad nos attinet, qualescunq; sumus, indigni quidem, sed ministri tñ Dei sumus: pro Christo legatione fungētes, eorum loca tenemus, qui primi gentem hanc nostram volantariè Deo genuerunt verbo veritatis. Non ignoratis Apostolos vestros Adalbertum & Stanislaum, quorum admirabilis vitę sanctimonia toti est orbi testata. Quod illi nobis Euāgelium sanguine suo signatum reliquerunt, quod miraculis propagarunt, quod ipsi ab Apostolis, quod nos ab ipsis per longam Episcoporum & sacerdotum successionem accepimus, hoc, & non aliud annunciamus vobis. Quod si vita nostra longè dissidet ab eorum vita, agnoscimus peccata nostra, sed certè doctrina nostra ab illorum doctrina non dissidet. Non quod ab illis creditum, non quod à nobis inuentum est: quod ab illis accepimus, non quod ipsi excogitauimus, hoc vobis tradimus. Res est non ingenij, sed doctrinę: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: non à nobis prolata, sed ad nos producta: quam ita vt producta est ad nos, adferimus ad vos: non institutores ipsi, sed sectatores: non ducentes, sed sequentes: non auctores, sed custodes. Memores illius, quod verum veri Dei cultorem Paulus admonet: Depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes à fide exciderunt. quod apud nos ab his qui præcesserunt nos sanctis patribus fuit depositum, id iuxta Pauli monita fideliter à nobis custoditum vobis nunc reddimus. Quamobrem si nullas ad vos prophanas vocum nouitates adferimus, si à Paulo docti, quod à patribus depositum fuit apud nos fidei talentum, id magna fide custoditum, vobis reddimus: iterum atq; iterum rogamus vos, & obsecramus, implete gaudium nostrum.

*Poloni constantes in religione à 600. annis.* *2. Pet. 2.* *Gala. 5. & 3.* *1. Corinth. 4.* *2. Cor. 5.* *Iacob. 1.* *Apostoli Poloniæ* *1. Timoth. 6.*

*Gaudium implere quomodo.* *Philipp. 2.* *Deu. 30.* *Matth. 6.* *Deut. 30.* *Idipsum credatis, eandem charitatem habeatis.* *Philipp. 2.* *Philipp. 2.*

Sed vos iam pridem nosse proculdubio cupitis, quanàm tandem ratione gaudium nostrum per vos impleri velimus. Non est cur anxio sitis & solicito animo: nihil difficile, nihil durum & molestum, nihil quod non cum voluptate potius, quàm cum labore coniunctum sit, vobis præscribemus. Neq; n. aliter nos à vobis, quàm sicut Magister noster Paulus olim à Philippensibus, impleri gaudium nostrum postulamus. Principio vt idem sapiatis omnes: deinde vt eandem charitatem habeatis. Quid vobis videtur? Estne aliquid in hoc laboris & molestiæ? Nunquid non dulce potius cumprimis & iucundum est, quod à vobis exigimus? Non vt maria transmittatis, non vt partem aliquam terrarum orbis peruagemini, nō vt aut opes abijciatis, aut sanguinem vestrum profundatis, aut aliquam corporibus vestris molestiam adferatis, nihil horum aut similium præcipimus. Ac si quid tamen huius generis pro Christo legatione fungentes præciperemus, certè Christi causa non modò non detrectare, verumetiam summa cum animorum alacritate obire vos oporteret omnia. Nam si nullos non perfert labores & molestias agricola, nulla non adit pericula mercator, nullis nō discriminibus vitam suam obijcit miles, dum exiguo lucro potiri queāt: quo tamen, an sint potituri, certum adhuc non est: & si maximè potiti sint, perspę tamen citius opinione sua dimittant, necesse est: Si mox perituri commodi causa perferunt isti tam acerba multa, tam alacriter, vos non multo maiore alacritate eadem omnia laturi essetis, vt infinitum, nec vllo vnquam tempore vobis perituru thesaurum, ibi consequi liceat, vbi neq; ærugo, neq; tinea demolitur, neq; fures effodiūt, aut furantur: vbi qua semel potiti fueritis vita beata, ea perpetuò frui licebit? Sed tamē nos nullum vobis grauius onus imponemus. Mandatum quod nos pro Christo legatione fugentes præcipimus vobis hodie, non supra vos est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, vt possitis dicere: quis nostrum valet ad cœlum ascēdere vt deferat illud ad nos, vt audiamus atq; opere compleamus? neq; trans mare positum, vt causemini & dicatis: quis è nobis poterit transfretare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta vos est sermo valde in ore vestro & in corde vestro: vt faciatis illum. Breue verbum est, & expeditum. Hoc tantùm hortamur vos, oramus & obsecramus, vt idipsum credatis, vt eandem charitatem habeatis. Quid est facilius, quàm credere? quid dulcius, quàm amare? Quid autem vtroque fructuosius? Videtis quàm sit expeditum, quod à vobis postulamus, modò voluntas adsit, dictum ac factum, gaudium nostrum per vos erit impletum. Neq; enim petentibus deerit eius auxilium, qui operatur in nobis & velle & perficere.

*Credere quomodo oporteat.* Sed hîc dicet vestrum aliquis: Quid hoc rei est? tanquam cum infidelibus ita nobiscum agitis. Nunquid non credimus? Nobis verò, quin credatis dubium non est, sed minimè sufficere putamus, si quomodocunq; tandem vos credere profiteamini, verùm sic iubet Paulus, ita vos credere velimus, vt idem credendo sapiatis. Non vt singularem siue solitariam quisq; suam, non vt Vvittembergensis, non vt Tigurinam, nō vt Augustanam, non vt aliam quamcunq; (iam. n. proh dolor, luditur fidibus, nō vna fides retinetur) sed vt catholicę fidei confes-

Universidad de Deusto
Biblioteca



confessionem Christianam vnanimiter omnes amplectamini. Quę malum isthæc est amentia, cùm olim vnum Deum colentes, vno & eodem nomine Christiani fuerimus appellati, quòd nunc plerique tam præclarum nomen hoc fastidiunt, & Euangelici quàm Christiani vocari malunt? Scilicet extra Christum, Euangelium esse potest? Quid est Euangelium? lęta annunciatio. Potest autem extra Christum læta esse vlla annunciatio? Sempiterni væ, & æternę mortis annunciatio extra Christum esse potest, lętę alicuius rei nuncius extra Christum esse non potest. Quamobrem vnde discessistis, eò redeatis, neq; nomen illud fastidite, quod est super omne nomen, quod solum præ nobis ferre, de quo solo gloriari nos oportet. Nihil prædicari de nobis potest glorioſius, quàm si quemadmodum qui pręcesserunt nos oēs, ex quo tempore Christi semel Euangelium recepit Polonia, Christiani simus & vocemur omnes. Christiani non ita pridem vocati estis, Christianis parentibus prognati, à Christianis maioribus profecti, Christiani sicut initio, sic deinceps etiam semper & esse & dici velitis: neq; vos ab illis præcidatis, quos esse & fuisse Christianos negare non potestis. Etiam atq; etiam obsecramus vos per nomen Domini nostri IESV Christi, cuius nominis & ipsi communione gaudemus, & vos nobiscum vnà maiorū nostrorum exemplo gaudere cupimus, vt idipsum dicatis omnes: idipsum sentiatis, idem sapiatis, & nō sint in vobis schismata: sitis autem perfecti, in eodem sensu, & in eadē sentētia. Memores libertatis, qua semel nos Christus liberauit omnes: quotquot esse & dici Christiani vultis, nolite iterum iugo seruitutis contineri: nolite effici serui hominū. Homo est Lutherus, homo est Philippus, homo est Caluinus, quorum alicuius opinionem cum sequimini, quid aliud quàm hominis opinionē sequimini? Atqui mendacem omnem hominem esse digito Dei scriptum est. Nolite sic eorum alicui vos addicere, vt præ eo, quod ipsi senserunt, totius Ecclesię, quæ firmamentum est & columna veritatis, sensum & consensum, posthabendum esse putetis. Iam verò si verbi Dei appellatione, quod nunc (proh dolor) nō rarò fit à multis, verbum hominis, vel diaboli potius per hominem loquentis dignati fueritis, videte nunquid non germana sit hęc idolatria? Fugite idola per Deum immortalem. Non est deus Caluinus, non est deus Lutherus, non est deus Bucerus, aut quicunq; tandem alius ex illis, qui multò crudelius Christi corpus sanctissimum tractauerunt, quàm illi ipsi qui Christum in crucem egerunt. Tunc enim venerunt impij milites, & non fregerunt crura Christi: nunc venerunt isti speciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes, & diruperunt, ac in multas partes conciderunt totum corpus Christi: vnam, sanctam, catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Integrum Christi corpus inter manus persequutorum in cruce permansit: & inter manus Christianorum non est iam integrum corpus Ecclesię. Quamobrem eorum sectatores esse nolite, per quos tam nefarium scelus patratum esse videtis: sed Spiritum sanctum per suum vas electū, vos vt idem sapiatis monentem, audite. Non vt suam quisq; propriam confessionem adferat, sed vt qui vos esse Christianos profitemini (libet enim receptum hoc nomen potius vobis tribuere, quo superstitibus etiam Apostolis Antiochię primum eorum vsi discipuli leguntur, quàm nouum aliud heri, quod aiunt, & nudiustertius à nouarum rerum studiosis vsurpari cœptum) vt idem sapiatis quod vestros, vel cōmunes nostros potius maiores Christianos, citra dubitationem vllam, sapuisse cernitis, qui nos præcesserunt cum eodem signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Procul à vobis ablit hæc impietas, vt patres vestros, auos, proauos, atauos idola coluisse, & nunc demùm Christum prædicari cœptum esse, nunc demùm vestris oculis Euāgelij lucem affulsisse, hostibus veritatis & inimicis crucis Christi credere animum inducatis. Sexcenti iam sunt, & amplius anni, sicut annalibus nostris memoriæ proditum legimus, cùm per Christum Deum nostrum ab idolorum errore sumus abducti, & ad veritatis agnitionem perducti, qui postquam semel nos ab idolorū cultu reuocauit, quæ nunquam satis est prædicanda bonitas illius & misericordia, non permisit deinceps vnquā sanguine suo nos ablutos, eodem luti volutabro fœdari. Idem igitur sapiatis, quod parētes, quod aui, quod proaui, quod ataui vestri, qui piè Christum coluerunt, iam inde à sexcentis & amplius annis sapuerunt, quandoquidem & ipsi nō diuersum ab eo sapuerūt, quod reliquus orbis Christianus ab ipsis Apostolis receptum, & per longam Episcoporum & sacerdotum successionem ad nos vsq; perductū sapuit semper, & sapit etiam nunc, & sapiet deinceps vniuersus. Non est Polona fides, non Lithuana, non Germana, quā vt firmiter teneatis, vobis persuadere conamur. Non est huius vel illius nationis aut prouincię, vt nationalis aut prouincialis dici queat. Est & vocatur fides catholica, per vniuersum terrarum orbem, quàm latè patet Christianū nomen diffusa, neq; triginta his aut quadraginta annis nata, sed quæ ab ipsis primis parentibus nostris simul vt orbis conditus est, initiū habuerit. Fuit ante legem obscurior, sub lege figuris magis adumbrata, quàm illustrioribus aliquibus notis expressa: poste aquam verò apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, facta est indies clarior & dilucidior, vt nihil iam ad eius perspicuitatem deesse videtur. Hanc igitur fidei catholicę confessionem Christianam vobis cōmendamus, vt quod audistis ab initio, id in vobis permaneat. Quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio & patre manebitis, & societatem habebitis nobiscum, & societas nostra erit cum patre & cum filio eius IESV Christo. Hanc & Paulus vobis cōmendat, cum vt idem sapiatis monet. Quid enim est aliud idem sapere, quàm catholicam fidem retinere? Qui catholicus est, idem sapit. Qui schismaticus est aut hæreticus, diuersum sapit. Hoc est idem sapere, sapere ad sobrietatem: hoc est diuersum sapere, sapere plus quàm oportet. Certè non oportet sapere plus quàm omnes sapiunt: nam sic sapere, desipere est: Sicut etiam dicit Paulus: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Credere sanctam Ecclesiam catholicam, hoc est idem sapere. Quisquis hanc non credit, etiam si cætera credat omnia, quæ in symbolo continentur, inanis est fides eius: quando non sapit idem, sicut Paulus admonet. Non est ita necessarium ad salutem habere

*Euangelium quid.*
*Euangelium extra Christum esse non potest.*
*Philipp. 2.*
*1. Corinth. 1.*
*Galat. 5.*
*1. Corinth. 7.*
*Psal. 115.*
*Idololatria quæ.*
*Platonis consiliuni.*
*1. Corinth. 10.*
*Idololatria hæreti.*
*Ioan. 19.*
*2. Tim. 3.*
*Idem sapientes.*
*Actor. 11.*
*Philipp. 3.*
*Poloni quando Christiani facti.*
*Fides catholica, non Polona, vel Germana.*
*Titum 2.*
*1. Ioan. 1.*
*1. Ioan. 1.*
*Philipp. 2.*
*Idē sapere quid sit.*
*Rom. 12.*
*Rom. 1.*
*Ecclesiam catholicā non credens, nihil credit.*
*1. Corinth. 13.*



habere Prophetiam, nosse mysteria omnia, & omnem scientiam, vt si quid alicui forte parum perspectum sit, de salute animę suæ periclitetur. Vnum est necessarium, dicit Christus: Vnum est ad salutem necessarium: quo si quis vno fuerit destitutus, nihil est, quod se salutē consequi posse, speret. Quid illud est? Subiungit mox Paulus dicens: Eandem charitatem habentes. Loquatur aliquis linguis hominum aut Angelorum, si charitatem non habuerit, factus est velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Habeat Prophetiam, nouerit omnia mysteria, & omnem scientiam: habeat omnem fidem, ita vt montes transferat: si charitatem non habuerit, nihil est. Distribuat in cibos pauperum omnes facultates suas, tradat corpus suum ità vt ardeat, si charitatem non habuerit, nihil ei prodest. Sola est charitas, quam qui habet, nihil ei deest eorum, quę ad benè beateq; viuendum pertinent: quam qui non habet, frustrà habet cętera omnia. Fratres sumus, vnum Deum inuocamus, in vnū Christum credimus, vnū Euangelium legimus, vnū Psalterium recitamus, vnū Amen respondemus, vnū Alleluya resonamus, vnū Pascha celebramus: quid causæ est, q; vos foris estis, nos intus sumus? Quid causæ est, quòd altare contra altare erigitis, quòd cathedram contra cathedram constituitis? Quid causæ est, quòd Paulum admonentem audire non vultis, vt idem nobiscum, idem cum nostris & vestris maioribus, idem cum vniuersa Catholica Ecclesia sapiatis, verūm ab orbe terrarum vos præciditis? Eadem sacramenta nobiscum, eadem scripturas habetis, hoc solum minus habetis, quòd minus habet, qui charitatem non habet. Si esset charitas, nulla esset præcisio, nihil esset quod impediret, quominus idem saperemus omnes. Nulli schismata facerent, dicit Augustinus, si fraterno odio non excœcarentur. Ante quem Ambrosius quoq; Nouatianus, inquit, & alij non paruæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum fœdera charitatis perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui, hæreses creauerunt. Chrysostomus quoq; non aliundè prognatas esse docet hæreses, quàm quòd non diligerent fratres, & secundis eorum successibus inuiderent. Si charitas adesset, quādoquidem non inflatur charitas, nunquam eò tumoris ventum esset à quibusdam, totum vt orbem Christianum desipere, se verò solos sapere, se solos videre sibi persuaderent. Si charitas adesset, quandoquidem non cogitat malū charitas, nunquàm hanc de nobis opinionem nonnulli concepissent, quod secus quàm intelligimus ipsi scripturas interpretemur, qua vna, nulla vel cogitari potest maior impietas. Si charitas adesset, causæ nihil esset, quamobrem idem nō saperemus oēs. Obsecramus vos per Christum, nunquid non eundē nobiscum in cœlis patrem inuocatis? nunquid inuocantes non eadem ab eius filio nobis præscripta formula vtimini, dicentes: Pater noster qui es in cœlis? Atqui pater hic noster, vnā tantūm cōiugem habere voluit. Qui patrem vnum agnoscimus, quare matrem etiam vnam non agnoscimus? Si primogenitus noster frater diuisus non est Christus, cur ipsi diuidimur, cur segregamur, cur disiungimur? Si membra sumus vnius Christi corporis, cur ab eo vos præciditis? Iterum atq; iterum per Deum vos obtestamur immortalem, implete gaudium nostrū: consonate paci, cohærete vnitati, acquiescite charitati, cedite veritati, quo lætari queamus de concordia vestra, & gratias agere Deo de salute vestra, quam non potestis habere, nisi in Ecclesia catholica. Extra Ecclesiam catholicam, quid enim prohibet quominus Augustini verbis vtamur, omnia potestis habere præter salutem. Potestis habere honorem, potestis habere sacramenta, potestis etiam cantare alleluya, potestis respondere Amen, potestis Euangelium tenere, potestis in nomine patris & filij & spiritus sancti fidem habere & prædicare: sed nusquā nisi in Ecclesia catholica salutē potestis inuenire. Extra hanc haberi possunt omnia: sola ea, quæ sola salutem adfert charitas, extra Ecclesiam haberi nō potest: Neq; enim diuidit vnitatem, quisquis habet charitatem. Hęc est quę facit vnanimes: quales vt sitis, cùm Paulo vos hortamur: vt vno sitis & eodem animo, quo sumus nos, quo fuerunt olim nostri & vestri maiores, qui piè Christū coluerunt: vt de vobis quoq; dici queat, q; de nostris aliquando maioribus dictum legistis: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Quàm iucundum audituribus, & suaue cùm legitur: Egressi sunt omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi vir vnus. Stans omnis populus, quasi vnius sermone respondit. Conuenit vniuersus Israel ad ciuitatem, quasi homo vnus: eadem mente, vno consilio. Congregatus est populus, quasi vir vnus in Ierusalem. Vnum est necessarium, vnum est ad salutem necessarium: vnum hoc illa ipsa hora, quā iam traditurus erat seipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, petiuit à patre CHRISTVS dicens: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Et paulò pòst: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint: vt sicut tu pater in me & ego in te, ita & ipsi in nobis vnum sint: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, vt sint cōsūmati in vnū. Neq; verò petiuit hæc à patre modò repetitis vicibus, verūetiam hæc fuit causa potissima, sicut à Ioanne scriptum legimus, quamobrem turpissima morte cōdemnari voluit, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Et præclarè dictum est à quibusdam patribus: DEVS vnus & est, & esse creditur, non minus propter concordiam aut æqualitatem substantiæ, sed etiam vt hoc nomen vnitatis DEO sit commune cum alijs quibus gaudet. Pax enim & charitas, & similia vocitatur, per hæc nomina nobis præstans, vt his virtutibus transformemur ad Deum. Quæ cùm ita sint, cùm ex hac vita migraturus ad patrem suum cœlestem, nihil aliud nobis testamento Christus reliquerit quàm pacem: cùm non aliud sit patrem precatus diligentius, quàm vt vnū cum ipso, vnū & inter nos essemus: cum & mortis illius tam acerbæ, tam etiam ignominiosæ, nō alia causa fuerit: quàm vt dispersos congregaret in vnum: cur vos, quod nobis testamento legatum est, id repudiatis? cur CHRISTI precationem ex incredibili quadam erga nos charitate profectam, nullum vobis fructum adferre patimini? cur crucis & mortis illius beneficium, quantum

*Lucæ 10.*
*Eandem charitatem habentes.*
*Philipp. 2.*
*1. Cor. 13.*
*Charitatis laus.*
*Fratres sumus oēs.*
*Charitatem hæretici non habent.*
*Aug. de baptismo parulorū cont. Donatist. lib. 1. cap. 11.*
*Rom. 10.*
*Amb. in epist. ad Corinth. 3.*
*1. Cor. 13.*
*Hom. 2. in epist. ad Timoth.*
*Malach. 2.*
*Matth. 6.*
*Rom. 8.*
*1. Cor. 1.*
*1. Cor. 12.*
*Extra ecclesiam salus & charitas haberi non potest.*
*In serm. super gest. cum mertio.*
*Vnitatis Christianæ laus.*
*Philipp. 2.*
*Actor. 4.*
*Psal. 132.*
*Iudic. 20.*
*Ibidem.*
*1. Esdr. 3. & 2.*
*Luc. 10.*
*Ephes. 5.*
*Ioan. 17.*
*Sapient. 8.*
*Ioan. 11.*
*Christus cur mortuus.*
*Ioan. 14.*
*Ab Epis. Prouinciæ Pomi, quæ epi. habetur.*
*Tom. 2. cōciliorum nouissimè impressorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quantum ad vos pertinet, irritũ & inane redditis? dum quod anteà dispersum, postea sanguine illius fuit pretioso congregatum, id vos iterum dispergere conamini? Estne hoc Christianos esse? estne hoc Euangelium Christi profiteri? Christus ex duobus fecit vnum. (Fecit enim vtraq; vnum dicit Apostolus) vos ex vno facitis duo, ac plura etiam quàm duo. Altare contra altare erigitis, cathedram contra cathedram cõstituitis. Obsecramus vos, quid est hoc aliud, quàm Antichristos esse? quàm non Christi Euangelium, sed Satanæ cacangelium propagare? Sicut enim Christus est, qui congregat: ita Satanas est, qui spargit. Nolite charissimi, nolite spargere cum Satana, sed cõgregate potius cum Christo: vel saltem, quod semel est pretioso Christi sanguine cõgregatum, id nec ipsi spargite, nec ab alijs dispergi patiamini. Sitis vnanimes, vt quamuis corpora diuersa sint, eadem tamẽ in illis mens, idem animus, eadem voluntas, idem sit sensus omnium. Nolite suam quisq; propriam confessionem adferre, suam quisq; solitariam, aut vnius alicuius ex his opinionem sequi: qui sicut propria sua temeritate segregauerunt semetipsos, ita iusto Dei iudicio sunt & ipsi à se inuicem segregati, & in tot sectas dissecti, vt earum vix iam etiam numerum inire liceat. Verùm nõ est nisi vnum. Hoc vnum retinete: ab omni sectarum genere cauetote. Sitis vt Paulus monet: vnanimes, & idipsum sentientes: Nam hi demùm sunt vnanimes, qui sentiunt idipsum. Sicubi verò scinditur incertum studia in contraria vulgus, sicut (proh dolor) in hac nostra prouincia fieri non ita pridem cœptum esse videmus, ibi vnanimitas esse non potest. Nihil est autem, quod vel ad Romanos, vel ad Corinthios, vel ad Philippenses scribens, tam frequẽter inculcet Apostolus, quàm vnum hoc: vt idipsum dicamus, idipsum sentiamus, idem sapiamus omnes. Quod igitur ille, vel Deus potius per illum toties tam diligenter præcipit, nolite committere, vt in eo parum ipsi dicto audientes fuisse videamini. Vultis ædificare ciuitatem? Hierusalem ædificate, non Babylonem. Siquidem de Hierusalem legitis, quòd ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipsum. In Babylone contrà, sicut linguarum, ita & sensuum & rerum omnium horrenda quædam fuit confusio. Ciuitas Hierusalem vnum corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, vt inquit Hylarius, neque singulis indiscretum aceruum, & informem cumulum vnitis, sed per fidei vnitatem, per charitatis societatem, per operum, voluntatisq; concordiam, per sacramenti vnum in omnibus donum, efficimur omnes vna ciuitas Hierusalem: efficimur vnus cœtus sanctorum, efficimur vnum corpus Christi: A quo dissidentes, & se peccatis suis præcipitantibus separantes, participationem sanctę huius domus non habent: in qua non facit habitare DEVS, nisi vnanimes: cum sit participatio ciuitatis huius in idipsum. Quapropter vbi idem sapiunt omnes, eandem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, ibi ciuitas Hierusalem, ibi domus Dei viui, ex viuis lapidibus ædificata: ibi est vna, sancta catholica, Apostolica Ecclesia, firmamentum & columna veritatis. Hanc itaq; ciuitatem ædificate charissimi, vel vt ipsi potius hęc esse ciuitas queatis, elaborate. Fugite verò, fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisq; animam suam. Neque enim ignoratis, quàm horrenda per Prophetas suos Deus Babyloni comminetur. Quæ quidem non illi tantùm, de qua propriè scripserunt, verumetiam ei, quam illa significauit euenisse, videmus omnia. Ædificauit memoria nostra Babylonem in Germania Martinus Lutherus, quid superest malorum ex his omnibus, quæ Prophetæ ventura prædixerunt, quod in ea iam non euenerit? Neq; tamen eorum adhuc finis apparet vllus. Sed & in Anglia fuit ædificata Babylon, quæ iam Mariæ Regis Philippi coniugis tempore per Dei gratiam ædificatur iterum vt ciuitas, cuius participatio in idipsum. Quibus non fuit regnum illud agitatum procellis & tempestatibus? quæ non pertulit naufragia? quibus non est iactatum in fortunijs, quoad in ea Babylon ædificabatur? Agite, ô fratres, quorum exitus perhorrescitis, eorum imitari facta ne velitis. Non potest esse falsum, quod dixit veritas: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Sic ignis in stipites segregatus, extinguitur: domus in lapides diuisa, corruit: nauis in tabulas discissa, demergitur. Quamobrẽ tanquàm pestem vnam omnium teterrimam fugite diuisionem, fugite schismata, fugite hæreses. Nolite vos diuidere à nobis, qui patres vestri vocamur, & sumus, ac pro paterna nostra erga vos charitate, nullius rei maiorem, quàm vestræ salutis curam & solicitudinem gerimus. Nolite vos diuidere à sanctis vestris, & ijsdem maioribus nostris. Nolite vos diuidere ab vniuerso terrarum orbe, quàm longè, quamq; latè patet in eo Christiana religio: sed implete gaudium nostrum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes.

Cæterùm quò minus gaudium hoc nostrum impleri possit, duo potissimum obstare videntur, à quibus vt vobis diligenter caueatis, cum Paulo nostro paternè vos hortamur & monemus: qui statim subiungit: Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam. Nihil est quod perinde obstat, quo minus homines idem sapiant, eandem charitatem habentes vnanimes, idipsum sentientes, atq; contentio. Quod etiam ille videtur indicare, qui dixit: Vnitatem assequi non meretur, quisquis non ipsam, sed quod vult ipse, tuetur. Hæc enim contentio irritat, mentes perturbat, odia accendit, ac tantam persæpè caliginem oculis mortalium offundit, vt cœca mens, quod rectum est, videre non possit. Vt verissimè dictum sit ab Augustino, quòd hæretici dum litigant excœcantur. Quod ita factum esse nostris ipsi nunc oculis cernimus. Quamobrem etiam alio loco PAVLVS, pugnas legis, & verborum vitare iubet: quòd ex his oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt. Et iterum: His qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia. Et ad Corinthios scribens: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Ad eundem modum & Iacobus, vbi zelus amarus habetur, & contentiones in cordibus, negat

*Ephes. 2.*
*Vnanimes idipsum sentientes.*
*Philipp. 2.*
*Rom. 15.*
*1. Cor. 1. & 2. Cor. 13.*
*Philipp. 2.*
*Psal. 121.*
*Genes. 11.*
*In psal. 121.*
*Psal. 67.*
*Psal. 121.*
*1. Pet. 2.*
*Titum 3.*
*Hier. 51.*
*Esaiæ 13.*
*Hier. 50. 51.*
*Psal 136.*
*Lutherus Babylonem ædificauit in Germania.*
*Mat. 18.*
*Luc. 11.*
*2. Cor. 11.*
*Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.*
*Contẽtionis fructus.*
*Philipp. 2.*
*Petrus Cluniacensis lib. 5. Epist. 16.*
*1. Tim. 6.*
*Aug. de hær. cont. Manich. li. 1. ca. 17.*
*Rom. 2.*
*1. Cor 11.*
*Iacob. 3.*



negat eam ibi reperiri sapientiam, quæ desursum est, descendens à patre luminum, sed terrenam, animalem, diabolicam. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quę autem desursum est, inquit, sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis cõsentiens, plena misericordia & fructibus bonis. Sectemini charissimi, sapientiam, quæ desursum est à patre luminum. Hæc. n. est pudica, quoniam castè intelligit: est pacifica, quoniam à proximorum societate propter elationem se non disiungit: est modesta, suadibilis, bonis consentiens, quoniam nihil habet in se prę fracti, sed facilè credit veritati. Contra verò, terrenam illam, animalem, diabolicam sapiẽtiam, qua qui præditi sunt, omnes alios præ se caudices esse putant, modis omnibus auersemini: cùm ipsi vestris oculis videatis, ac modò non manibus etiam contrectetis, inconstantiam & omne opus prauum, vbi zelus est & contentio. Quid. n. apud illos constans, quid fixum & stabile cernere licet, apud quos altercationes istæ de fide vigent maximè? Satis iam à nobis est superius indicatum, quemadmodum subinde varient sententijs, dogmata sua mutent in annos, quin & aliud hodie nonnunquam, aliud cras affirmant. Suo quoq; tempore quæritur Gregorius Nazianzenus, cùm feruerent maximè disputationes, tum refrixisse maximè charitatem, refrixisse pietatem, quę in credẽdo, in sperando, in amando consistit. Tum autem & hunc fructum adfert contentio, quòd (sicut ille dixit: Nimium altercãdo, veritas amittitur. Neq; n. vllum adferri potest maius impedimentum ad veritatem inuestigandam, quàm si suprà quàm scriptum est, vnus pro altero infletur aduersus alterum. Præclarè Deum allo-quẽs Augustinus: Veritas, inquit, tua nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum: quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu ad fruendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum vult esse, quod omnium est, à cõmuni propellitur ad sua: hoc est, à veritate ad mendacium. Qui. n. loquitur mendacium, de suo loquitur. Obsecramus vos, quod ab Augustino scriptum est, diligenter vobiscum expendere velitis. Non est inquit Augustinus, huius aut illius, sed est omnium veritas: omnes ad eius communionem vocauit Deus publicè. Quod publicum est, nemo faciat priuatum, ne priuetur: quod omniũ est per charitatem, nemo sibi propriè vendicet, aut suum esse velit per contentionem. Nam qui de suo loquitur, mendacium loquitur, non veritatem, sicut ipsa testatur Veritas. Atque hic est fructus contentionis, quòd, dum suam quisq; vult esse veritatem, quæ omnium est, amittitur veritas: quam non alibi quàm apud omnes, hoc est, in Ecclesia catholica reperire licet. Præclarè scriptum est ab Eusebio Emisseno: Fides religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Quicunq; hac derelicta velut pessimum ducem, proprium sequitur intellectum, quicunq; per sapientiæ suæ sensum ad mysteriorum cœlestium, se putat posse peruenire secretum: sic facit, quomodo si absque fundamento ædificet domum: aut si prætermisso ostio, velit introire per tectum: vel si nocte sine lumine inferat gressum, totum se clausis oculis vrgeat in profundum. Verissimè dixit hæc Eusebius. Nam qui loquitur alio quàm omnium, quàm Ecclesiæ catholicæ sensu, de suo loquitur, mendacium loquitur. Cùm rectè scriptum sit ab Augustino: Quisquis ab Ecclesiæ ventre separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur. Qui etiam alio loco dicit: Sola est Ecclesia, in qua mysteria superna veraciter contemplemur. Vnde ad Mosen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis super petram: Et paulò pòst: Tollam manũ meã, & videbis posteriora mea. Quia. n. ex sola Ecclesia Catholica veritas cõspicitur, apud se esse locũ Dñs perhibet, de quo videatur.

Contentio materia est iracundiæ. Est aũt iræ proprium, quòd facilè fallitur, fallitq; : ita vt iracundorũ ferè neminem veracem esse scribat Philo. Quare fugite contentionem, quę priuatum, quæ suum esse vult, quod publicum, quod cõmune est omnium. Cuius mater, sicut ab eodem Augustino scriptum est, est superbia & humanæ laudis auiditas. Quamobrem fontẽ ipsum tanti mali cùm obruere vellet Apostolus, posteaquam dixit, nihil per contentionem: adiunxit statim, neq; per inanem gloriam. Tolle gloriam inanem, sublata simul erit omnis cõtentio: cuius nõ alia ferè causa est, quàm quòd quęritur ab hominibus gloria: Vere namq; dictum est à Sapiẽte: Inter superbos semper iurgia: Atqui superbiæ filia est inanis gloria, quę plerunq; facit ẽ stultis insanos. Cessabunt iurgia, facessent cõtentiones, simul vt facesset inanis gloria. Facesset aũt inanis gloria, si fuerit illud obseruatum, quod mox apud Paulum sequitur. Sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrãtes. Vultis iurgia, vultis lites, vultis cõtentiones effugere? fugite gloriam inanem: succedat in locum eius humilitas: quæ statim vt accesserit, facessat illa necesse est. Sicut mater hæreticorum superbia, sic mater piorum omnium est humilitas. Vultis audire loquentẽ superbiam? Deponite, inquit, quicquid armaturæ suppeditant Orthodoxi veteres, theologorum scholæ, auctoritas conciliorũ & Pontificum, consensus tot seculorum ac totius populi Christiani. Nihil recipimus nisi scripturas: sed sic, vt penes nos solos sit certa auctoritas interpretandi: Quod nos interpretamur, hoc sensit Spiritus sanctus, quod ad ferũt alij quamuis magni, quamuis multi, à spiritu satanæ, & alienata mente profectum est. Quod Orthodoxi docuerunt, quod auctoritas Ecclesię tradidit, quod populus Christianus amplexus est, quod scholæ defendũt, exitiabile venenum est Satanæ. Quod ego doceo, spiritus est vitæ. Credite in scripturis nihil prorsus esse obscuritatis: vel quòd egeat iudice: aut, vt oẽs ęcęutiant, ego non cæcutio. Nam cõscius mihi sum, me habere spiritum Christi, quo possum de omnibus iudicare, nemo de me. Nolo iudiciũ, sed requiro obsequium: Neq; quenquam vel tantillum moueat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas Ecclesię sanctorum: oẽs perierunt, si senserunt, vt scripserunt, nisi qui fortè resipuerunt ante supremum vitæ diem. Qui meis probationibus diffidunt, aut carent sensu cõmuni, aut blasphemiam cõmittunt in spiritum sanctum, & subuertunt Christianissimum. Hæc est superbiæ vox: Nunquid autem hic hominem præ se quen-



*Sapiẽtia diabolica.*
*Sapientia diuina.*
*Disputationis pernicies.*
*Greg. Nazianz. lib. 1. Theolog.*
*Veritas altercando amittitur.*
*1. Corinth. 4.*
*Aug. li. 12. confess. cap. 25. & in psal. 75.*
*Veritas est omniũ.*
*Ioan. 8.*
*Fides Catholica.*
*De Symbolo homilia 2.*
*In psal. 59.*
*Serm. 181. de tẽpor.*
*Lib. 2. de Genes. contra Manich. eos cap. 8. & cont. epist. Manichæi ca. 6.*
*Contentio materia iracundia.*
*Philo lib. 2. allegoriarum epist. 60.*
*Aug. epist. 64.*
*Gloria inanis filia superbiæ.*
*Philipp. 2.*
*Prouerb. 13.*
*Sed in humilitate superioris sibi inuicem arbitrantis.*
*Philipp. 2.*
*Superbia mater hæreticorum.*
*Lutheri superba verba.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam iudicat? Tantum abest, vt se superiorem alium arbitretur, vt cæteros oēs præ se fungos esse iudicet. Videtis aūt, vt hic nō omnium, sed suam priuatam esse vult veritatem: vt quod omnibus ad fruendum Deus proposuit, id sibi propriè vendicet, & suum esse velit, quod est omniū. Itaq; à cōmuni propellitur ad sua, à veritate ad mendacium: nam qui loquitur mēdacium, de suo loquitur. At nihil tale humilitas, nihil priuatū, nihil vult habere suū. Quod omnium est, quod catholicum est, quod orbis totius Christiani cōsensu receptum est, in eo libenter acquiescit: id verum, id rectum, id amplectendum esse censet: etiamsi propter intelligentiæ tarditatem pleraq; non assequatur: se tamen non intelligendi viuacitate, sed credendi simplicitate fore tutam persuasum habet: ac non modò se nō præfert cæteris, verùm sibi potius cæteros anteponit, se cæteros esse superiores arbitratur: eos præsertim, de quibus tot seculis tantam doctrinæ, tantam & sanctitatis opinionem fuisse videt.

*Ioan. 8.*

*Inanis gloriæ cupiditas veritati inimica.*

Nil est quòd vel vnanimitati retinendæ, vel veritati inuestigandæ sit æquè noxium, atq; laudis humanæ & inanis gloriæ cupiditas. Hanc enim qui aucupantur, quicquid omnium, quicquid catholicum, quicquid commune cum multis est, id tanquam tritum iam ab alijs & vulgare, quod q; nullam admirationem effecturum, nec aliquam excellentis alicuius ingenij vel doctrinæ sit opinionem allaturum, reijcit & aspernatur: sed singulares quosdam exquirit intellectus, insolitos & hactenus inauditos excogitat sensus, nouas & solitarias profert opiniones, quò possit digito monstrari & dicier, hic est ille. Hic ille, qui nobis Euangelium, quod ita multis seculis sub scamno iacuit, ingenij sui felicitate nunc tandem in lucem protulit: qui verum illius & germanum sensum aperuit, qui mētes nostras post tantam, quæ tam diu nostris oculis offusa fuit, caliginem, nūc demùm luce veritatis illustrauit. Quod ita lōgo seculorum interuallo nemo vidit Orthodoxorū, vnus hic vidit: vnus hic propè millesimo iam annis ignoratum orbi Christiano Christum clarè nobis demonstrauit. Papè, quàm lōgo tempore pro Deo mundus idola coluit? Hic est ille, qui de cœlo descendit, qui nos iam tandem ab idolorum seruitute liberaros, Dei piè colendi rationem cognoscere fecit. Hanc inanis gloriæ dum captat auram infelix homuncio, dum quod Christi proprium est, id sibi vendicare conatur, dum se pro Christo coli vult, minimè cōtentus est eo, si vna aliqua de re singularem intellectum, & solitariam suam opinionem proferat: sed cùm in vno sibi videre successisse, mox alia simul peruertit omnia, quæ totius orbis iudicio sunt approbata, ac orbis iudicio suum anteponit, cum eo qui sedet in throno, dicēs: Ecce ego noua facio omnia. Videtis quanta sit hæc pestis inanis gloriæ. Hæc est, quæ Cherub Angelum, qui cæteris præstare sciētia visus est, de cœlo deiecit. Hęc est, quę primos parētes nostros de Paradiso deturbauit. Hæc est, quæ nunc etiam non paucos de regno cœlorum, hoc de Ecclesia Dei, in qua sola sunt pauperes illi spiritu, quorum est regnū cœlorum, præcipitat. Hæc est, quæ facit hæreticos. Hæc est, quæ facit schismaticos: ac quos nunc separat à cœtu piorum, hos postea separabit ab eo, quod pijs promissum est, regno cœlorum. Sic enim hæreticum describit Augustinus: Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; sui gratia falsas, & nouas opiniones vel gignit, vel sequitur.

*Apoc. 21. Ezech. 18. Genes. 3.*

*Matth. 5. De vtilit. cred. c. 1. Hæreticus quis.*

Hanc igitur inanem gloriam iure merito pios oēs fugere Paulus, & humilitatē amplecti iubet: qua, qui præditus est, non modò se nulli: sed sibi potius anteponit oēs: nec adduci potest vlla ratione, sic vt de se magnificè sentiat, vt orbem Christianum totū cęcutiisse, Christum tot seculis ignorasse, idola pro Deo coluisse credat, se verò solum videre, se solū sapere, se solum veram veri Dei colendi rationem tenere persuasum habeat. Vbi tanta est arrogantia, ibi nulla potest esse veritatis agnitio. Verum est enim, quod ab Augustino scriptum est, eam, quam non inuenerit humilem, veritas fugit mentē. Cuius etiam sectator Beda: Sancta, inquit, scriptura, cōtra morem secularium doctrinarum, humilitatis Magistra existens, per humiles ædita scriptores, humilibus solùm auditoribus vel lectoribus patet. Ante quē Gregorius: Lumen intelligentię humilitas aperit, superbia abscondit. Et alio loco: Veritatis obstaculum esse dicit mentis tumorem: quia dum inflat, obnubilat. Resistit superbis Deus, humilibus aūt dat gratiam. Excelsus Dūs, & humilia respicit, & alta à lōgè cognoscit. Ad quem respiciam, inquit, nisi ad humilem, & quietum, trementem sermones meos? Vbi humilitas, ibi sapientia: Vbi tumor & inflatio, ibi stultitia. Dicentes. n. se esse sapientes, stulti facti sunt. Abscondit mysteria sua Deus à sapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis. Vultis Dei mysteria cognoscere? Vultis ad veram sapientiam? vultis ad scripturarum intelligentiā peruenire? Sitis in oculis vestris paruuli: sitis non alta sapientes, verùm humilibus consentientes, sitis conualles potius, quàm montes. Nam in cōuallibus emittit Deus fontes gratiæ suę. Nolite sic de nobis, nolite sic de vestris & nostris maioribus, nolite sic de cūctis q̄ per orbē Christianū sunt diffusi, & Christi fidē profitentur, existimare: quòd aut fungi quidā & stipites sint & fuerint oēs: aut si quod in eis lumen fuit intelligentiæ, tanta fuerit eorum, & nostra sit improbitas, vt agnitam veritatē profiteri, & prænobis ferre nolimus: ac secùs quàm intelligamus ipsi, vos doceamus. Extremæ cuiusdam arrogantiæ, ne dicamus an dementię, an impietatis potius fuerit, hanc de pijs omnibus tam impiam opinionem concipere. Nunquid quia vos cati vobis & prudentes videmini, ideò stupidi, bardi, trunci sunt omnes quotquot à vobis ipsis inter vos dissidentibus dissentiunt? Certè non ita vos Paulus docet: sed in humilitate, inquit, superiores inuicem arbitrantes. Non modò, inquit Paulus, nemo præ se stupidos, bardos, truncos alios iudicet: verùm præstantiores arbitratus, se potius pleraque non assequutum existimet, atque ideò minus præfractè suam opinionem tueatur: ac sicubi videt consensum omnium, sicubi videt vnanimiter aliquid ab Ecclesia Catholica definitum: tanto seculorum interuallo constanter ab omnibus obseruatum: ne velit orbis totius iudicio priuatum suum anteponere: neque sic sibi soli Dei spiritum vendicet, vt eum propriè promissus & missus est, eum Ecclesiæ detrahat vniuersæ. Quin illi se submittat potius

*Augu. serm. 213. de tempore. Lib. 3. in Samuel cap. 6. In 34. cap. Iob. cap. 17. Lib. 23. moral. cap. 16. Iacob. 4. Psal. 138. Esaiæ. 66. Prouerb. 11. Rom. 1. Matth. 11. Psal. 103.*

*Philipp. 2.*



tius, illius placitis obtemperet; in captiuitatem redigat intellectum suum, in obsequium Christi & capitis & corporis. Hoc vbi fit, ibi fit simul quod monet Paulus, quod nos à vobis tanto studio petimus, vt idem sapiant omnes, eandem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes: Fieri autem id alibi non potest, quàm vbi præstò adest humilitas, animique modestia. Hanc igitur Paulus præ cæteris diligenter commendare studet omnibus: ac quominus quenquam illius pudere possit, Christi proponit exemplum, quò libentius illius vestigijs incedamus. Hoc sentite, inquit, in vobis, quod & in Christo IESV: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortē autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei patris.

*2. Corinth. 10.*

*Hoc sentire in vobis quod & in Christo IESV, &c.*

*Philipp. 2.*

*Christus quomodo sequendus.*

Vultis, inquit Paulus, ad veram vitam, vultis ad veram & eam sempiternam gloriā peruenire? Christum ducem sequamini, quam vobis ille viam præeundo muniuit, eam ingredamini. Quid. n. ille? Cùm natura Deus esset, cùm se factis etiam ipsis Deum esse declarasset, vt qui vel nutu mortuos vitæ restituebat, qui rerum elementa vertebat, qui verbo morbos quoslibet propulsabat, qui verbo tempestates quoq; sedabat, qui dæmonibus imperabat, ac alia multa faciebat, quibus apertè se Deum esse demonstrabat. Hic itaq; talis cùm esset, nunquid per cōtentionem, nunquid per inanem gloriam sibi vendicauit, vt haberetur æqualis Deo? Nihil minus, quin humiliauit ac deiecit semetipsum apud homines, à patre gloriā expectans: vt non per ambitionem, sed per humilitatem aditum ad eam esse demonstraret. Vsq; eò aūt se deiecit cùm esset summus omnium, vt nō modò velut homo versatus inter homines esuriret, sitiret, lassesceret, inopia laboraret, ac omnibus iniurijs, quibus cæteri mortales, opportunus fieret: verumetiam serui speciem in se, qui dominus est omniū, susciperet: & quidem serui nocentis, cùm ipsa esset innocentia. Nam quod mali serui est, capi, alligari, flagris cędi, conspui: id ipse susscepit in se. Nec eò se demisisse contentus fuit, verūetiam ad mortis vsq; supplicium ceu facinorosus aliquis descendit, & quidem omnium probrosissimæ crucis mortis. Quid autem ex eo præmij consequutus est? Quid aliud nisi quod ipse dixit aliquādo: Qui se humiliat exaltabitur. Nihil sibi ipse quidem apud homines vsurpauit, nec ante tempus maiestatē suam iactauit: sed quò se magis ipse deiecerat, hoc eum exiit magis Deus pater in summam sublimitatem: ac per humilitatem & ignominiam crucis illustrato, largitus est nomen quod excellit omnem humanam gloriam: nimirùm, vt iam ad illius IESV consputi & crucifixi nomen, sese flectat ac submittat omne genu, non solum eorum, qui sunt in terris, verumetiam eorum, qui apud inferos, vel apud superos degunt in cœlis: nec vlla sit vsquam lingua, siue hominum, siue angelorum, siue dæmonum, quæ nō confiteatur IESVM omnium rerum principem ac Dominum, à dextris assidere Deo patri, vt regni communis gloriæq; omnis consortem.

*Luc. 14.*

Quotquot igitur eiusdem gloriæ participes esse cupitis, in hunc aspiciatis auctorem fidei & consummatorem IESVM, huius vobis exemplum ad imitandū proponite: sanctis huius vestigijs incedite: per vitę contemptum ad vitam: per inanis glorię despicientiam ad gloriam æternam: per mortalia dispendia ad immortalia compendia viam affectate. Vultis similes esse Deo? Pium & honestum est quod cupitis: Nam propterea Deus factus est æqualis nobis, vt nos illum in terris versantem imitati, Deo vicissim similes esse possimus. Sed ad hanc similitudinem, ne velitis ea via grassari, quam ostendit serpens primis parentibus nostris, nec ea, qua Cherub ingressus est: vt elatis animis plusquam oportet scire & sapere, ac super nubium altitudinem ascendere, ac sic demùm esse similes altissimo contendatis. Non hæc est via, quaitur in cœlum: non hæc est via, qua peruenitur ad veram gloriam: ad præcipitium hoc iter est. Contritionem enim, inquit Sapiens, præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Viam vobis ostendit is, qui via nostra fieri dignatus est Dominus noster IESVS Christus: humiliari ac deijci prius necesse est, vt sic tandem liceat exaltari. Hoc est quod nos Petrus monet. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Hoc est quod à S. Iob quoq; scriptum legimus: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Hoc & Sapiens docet, dicens: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Et iterum: Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Non sumus, hi, qui vos, quominus scire contendatis, prohibere velimus: Verùm quod Paulus in hac ipsa epistola scribit, cuius vos verbis ad idem sapiendum nobiscum inuitauimus, illud vehementer optamus, vt charitas magis ac magis abundet in omni scientia vestra. Priore loco posuit Paulus charitatem quàm scientiam: illam abundare vult in scientia. Nam qui se scire putat, si charitas in eius abundauerit scientia, sublato per illam tumore, superiorem se alium arbitratus, cùm eum recta præcipientem audiuerit, facilè de suo sensu cedit. Cæterùm qui vel à se verbum Dei processisse, vel in se solum peruenisse persuasum habet, eiusq; possessione cæteros excludit: adeò sibi ipsi plerunq; placet, vsq; eo sui cordis visiones admiratur, totum vt orbem Christianum errasse, blasphemasse, quid crederet nescisse, citius existimauerit, quàm vt sibi patum aliquid in scripturis intellectum esse credat. Quamobrem scientiam vobis non inuidemus, sed vt nihil æquè suspectum habeatis, atq; inflantem scientiam: etiam atq; etiam diligenter, & monemus vt filios, & hortamur vt fratres. Hæc est enim, quę segregat, quę diuidit, quæ dispergit: sicut contrà charitas est, quæ ædificat, quæ colligit, quæ congregat. Et sicut ex multis lapidibus architectus vnam domum, sic hæc ex multis fidelibus vnam facit Ecclesiam. Hoc est quod à Chrysostomo quoq; dictum legis: Superbia separare, charitas autem

*Hebr. 11.*

*Genes. 3. Rom. 12. Isaiæ 14. Via in vultum. Prouerb. 16. Ioan. 14.*

*2. Pet. 5.*

*Iob. 22. Prouerb. 18. Prouerb 29. Philipp. 1.*

*Charitas præfertur scientia.*

*1. Corinth. 14.*

*Scientia inflans pernicioſa. 1. Corinth. 8.*

*Hom. 20. in epist. ad Corinth.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Charitas conseruator in humilitate, tenetur in vnitate. Vide Chrys. hom. de sancto & venerando Spiritu. Aug. ser. 6. dominica post ascension. domin. in fine 10. tom. In eandem sententiam scribuntur pleraque ab Optato li. 1. cont. Parmenian. Matth. 23. Ioan. 10. Luc. 12. 1. Corinth. 1. Luc. 12. Cupiditas diuidit, charitas colligit. Diuisio fugienda Fratres sumus inuicem. Matth. 6. Aug. in psal. 32. Amb. in cap. 14. prioris ad Corinth. Iustinus in colloquio cum Tryphone Iudæo. Rom. 14. 1. Corinth. 6. & 7.*

tem coniungere & scientiam augere solita est. Charitas hæc, sicut non conseruatur nisi in humilitate, sic non tenetur, nisi in vnitate. Non illam habent diuisores: sicut dicit Iudas Apostolus: Hi sunt, qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes. Qui seipsos segregant: quærit Augustinus: quare segregant? Quia animales, spiritum non habentes. Ideò defluũt, quia coagulum non habent charitatis. Ipsa charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullis humilians vocem suam, extendens alas suas. Quoties, inquit, volui colligere filios tuos? Colligere, non diuidere. Quia habeo, inquit, alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, oportet me & ipsas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor. Meritò non audiuit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem: Domine dic fratri meo, diuidat mecum hæreditatem. Domine, inquit, dic fratri meo. Quid? diuidat mecum hæreditatem. Et Dominus: Dic homo: Quare enim vis diuidere, nisi quia homo? Cùm enim dicit alius: Ego sum Pauli, alius autem, ego Apollo: nónne homines estis? Dic homo: Quis constituit me diuisorem hæreditatis inter vos? Colligere veni, non diuidere. Ideò, inquit, dico vobis: Cauete ab omni cupiditate. Cupiditas enim cupit diuidere, sicut charitas colligere. Quid est autem, cauete ab omni cupiditate, nisi impleamini charitate? Nos charitatem pro capite nostro habentes, interpellamus Dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem: sed non hac voce, non hac postulatione: ille enim dixit, Domine, dic fratri meo, diuidat mecum hæreditatem: Nos dicimus, Domine dic fratri meo, teneat mecum hæreditatem. Hæc rectè quidem ab Augustino contra Donatistas dicta sunt: sed à nobis quoque non minus rectè possunt vsurpari contra vos, qui diuisionem hæreditatis postulatis. Quamuis enim, sicut illi quondam à patribus nostris, sic vos à nobis diuidi, & vnum nobiscum caput Christum confitentes, ab eius corpore separari cupiatis, fratres vos tamen nostros agnoscimus. Velitis, nolitis, fratres nostri estis: quamuis non boni: sicut alloquens Donatistas dicit Optatus: Tunc esse desinetis fratres nostri, cùm dicere desinetis, Pater noster. Adferens prophetæ locum illum Augustinus, quem ex Esaia citat Ambrosius, & eo vetustior Theophilus ad Autholicum scribens: & hoc adhuc vetustior Iustinus Philosophus & Martyr, qui videtur eum ex Esaiæ cap. 66. producere. His qui dicunt vobis, non estis fratres nostri, dicite, fratres nostri estis. Circunspicite, inquit, de quibus hoc dicere potuerit. Nunquid de paganis? Non. Neq; enim dicimus eos fratres nostros secundùm scripturas, & Ecclesiasticũ loquendi morem. Nunquid de Iudæis, qui in Christum non crediderunt? Legite Apostolum, & videte, quia fratres quando dicit Apostolus sine aliquo additamento, non vult intelligere, nisi Christianos. Istí ergò qui dicunt, non estis fratres nostri: paganos nos dicunt. Ideò enim & rebaptizare nos volunt, dicentes nos non habere quod dant. Vnde consequens est error ipsorum, vt negent nos fratres suos esse. Vos etsi Donatistarum exemplo rebaptizare nos non vultis, tamen sicut illi patres nostros, sic vos paganos & idololatras nos, à quibus verum veri Dei cultum acceperatis, appellatis. Nos nihilominus, quandoquidem eadem sacramenta celebratis, etsi non nobiscum eadem vnum Amen respondetis, etsi non nobiscum vnum Amen: eundem Deum patrem inuocatis, etsi non nobiscum eundem patrem: pro fratribus vos nostris libenter agnoscimus, fratres vos nostros appellamus, & vestram, tanquam fratrum nostrorum, salutem quærimus. Quamobrem precamur & nos à Domino, vt dicat vobis, quo teneatis nobiscum hæreditatem. Vos verò fratres nostros adiuramus per ipsa viscera charitatis, cuius lacte nutrimur, cuius pane solidamur, per Christum Dñm nostrum, per mansuetudinem eius adiuramus vos, vt ne petatis à Domino, quo nos diuidere vobiscũ velit hæreditatem. Etenim Dominus Deus noster non diuisionis, non dissensionis Deus est, sed pacis, sed dilectionis. Sicut ipse Christus diuisus non est, sic hæreditatem suam, Ecclesiam suam diuidi non vult. Vultis scire quis est, qui diuidit? Diabolus est, de quo dicit Ozeas, quòd ille inter fratres diuidit. Fugite per Deum immortalem, fugite diuisorem istũ, ad eum, aũt vos cõuertite, qui quẽadmodũ solicita gallina cõgregat pullos suos, foueṫq; sub alis suis, sic & ipse, quos pretioso sanguine suo redemit, eos congregare conatur. Ipse est pax nostra, ipse facit vtraq; vnum, non duo de vno. Nolite maceriam iterum interponere velle, quæ semel per ipsum pro nobis mortuum, est sublata. Si scripturas cõmuniter possidemus, si de eodem Euangelio gloriamur: quid causæ est, quamobrem & Christum & corpus eius, hæreditatem eius Ecclesiam non itidem cõmuniter possideamus? Quid causæ est, quò minus idem sapiamus omnes, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes?

Verùm hæc his dicta sufficiant, qui sunt adeò diuisionis & segregationis cupidi, pro quibus Deum supplices precamur, vt charitaté in cordibus eorum diffundat, per quam ad Ecclesię redire possint vnitatem. Qui verò nondum quidem discessistis, verùm quòd vos plerąq offendunt in Ecclesia, ideò vacillatis animis, ac foras prospectare videmini: oramus vos & obsecramus per viscera misericordiæ Dei, ne velitis esse paruuli fluctuantes, néve circumferamini omni vento doctrinæ quodq; semel à maioribus vestris traditum accepistis, ab eo vos in aliud Euangelium transferri ne patiamini. Consistite firmi in lapide angulari Christo, in quo ædificati sumus in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Continete vos in arca, ne pereatis regnante diluuio. Manete in Petri nauicula, ne fluctus vos absorbeant: perseuerate in ouili Ecclesiæ, ne fiatis prædæ lupis. Quod ad doctrinam attinet, quam ad vos afferimus, non est ea priuata nostra: nihil de nostro loquimur: quod omnium est, quod catholicum est, quod Orthodoxum est, quod Christianum est, quod ab ipsis Apostolis, per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem, per manus nobis traditum est, id vobis offerimus: vt fine vlla dubitatione recipere possitis. Si verò sunt in moribus nostris nonnulla quę vos offendunt, si doctrinæ, professioniq; nostrę vita non respondet, ita vt sermones hominum effugere non possimus, nihil ad vos aliena peccata pertinent, si modò displiceant: neq; iustam propterea separationis causam habetis.

*1. Corinth. 14. 1. Corinth. 3. Vnus diuidat. Osee 13. Matth. 23. Ioan. 11. Ephes. 2.*

*Ephes. 4. Galat. 1. Ephes. 2. Genes. 7. Marc. 6. Ioan. 10. Propter improbam vitã alicuius, doctrina sana non aspernanda.*

Sed



Sed quo maior sit dictorum fides, non nostris, sed illius verbis vtendum existimamus, cuius non doctrina magis quàm vitæ sanctimonia, in toto terrarum orbe, quàm latè patet Christiana religio, prædicatur ab omnibus: sic enim ille loquitur, non temerè CHRYSOSTOMVS appellatus. Sed longè, inquies, à dignitate Apostolorum tu abes. Fateor, nec vnquam negabo, non solum non illis, sed ne vmbra quidem eorum me dignum esse: sed tamen, si nostrum officium vos conseruabitis, nullam iacturam hinc facietis: imò magnam etiam vtilitatem consequemini. Nam cùm vel erga indignos magna sitis affecti charitate, cùm singularem præstetis illis obedientiam, maiora tunc præmia, maiorque vobis debetur retributio. Non enim nostra prædicamus, quoniam est nobis Doctor in cœlis: sed quæ recepimus, ea tradimus: & tradentes ea, nihil aliud à vobis flagitamus, quàm vt diligamur. Quòd si etiam diligi sumus indigni, sed nos dilectione ac charitate vestra dignos citò facietis: quamuis mandatum sit, non amicos solum, verumetiam inimicos diligere. Quis ergo sic durus atque agrestis est, vt cùm huiusmodi mandata sibi tradita sint, nihilominus amicos auersetur atque oderit, etiam si mille vitijs mentem irretitam atq; oppressam habeant? Communicamus eadem mensa spirituali: communicemus & spirituali charitate. Nam si latrones cùm alteri alteris sale communicauerint, latrocinandi ferocitatem deponunt: quibus nos rationibus excusabimus Domini corpore communicantes: & latronum consuetudinem atrocitate superantes? præsertim cum multis Gentilibus, non quoniam vna mensa vterentur, sed quoniam vnius essent ciuitatis, satis ad amicitiam fuerit: Nos autem, qui eiusdem sumus ciuitatis, vna nobis domus est, eadem mensa, eadem via, ianua, radix, vita: quibus idem caput est, idem pastor, idem Rex, vnus & idem Magister, Iudex, Conditor, Pater, quæ omnia nobis æquali quadam insunt cõmunitate, qua erimus ira digni, si mente diuisi, alter alterum non diligimus.

*Hom. 33. in Matth. Vide Optatum libr. 1. cont. Parmen. hac de re. Simile. Matth. 5. 1. Pet. 2. Matth. 23. Matth. 5.*

Quæ suis olim Constantinopolitanis dixit vir ille præclarus, eadem à nobis quoq; dicta vobis esse putate. Narrat ille, non solùm Apostolis, sed ne vmbra quidem illorum se dignum esse. Nos verò plus etiam fatemur, quòd multò longius ab huius viri sanctissimi sumus integritate remoti, quàm ille fuit ab Apostolorum dignitate disiunctus: Sed num propterea nõ audire nos, num propterea separare vos à nobis debetis? Nihil est, quod minus esse faciendum existimet Chrysostomus: Quin quantò nos minus digni, tantò maiorem in cœlis mercedem vobis esse positam affirmat, qui non in personarum acceptione fidem habeatis, neq; qui sumus nos (eadem. n. sumus nos, qua estis vos infirmitate præditi) verum quis & quantus ille sit, pro quo legatione fungimur, Dominus noster IESVS Christus, attendẽdum, atq; illi in nobis indignis loquenti parendum esse putetis. Præclarè dictum est à Paulino: Quòd etiam in malo seruo, bonos dominus honoratur. Nihil est igitur quod metuatis, modò sitis ipsi boni, quicquam obfuturos præpositos malos. Nunquid obest palea frumentis? donec veniat dominus areæ, ferens ventilabrum in manu sua, vt mundet aream suam, frumenta recondat in horreum suum, paleas verò comburat igni inextinguibili? Nunquid obfuit bonis tãta multitudo sceleratorum, qui per Ezechiẽlem Prophetam dicti sunt, nimirum illis, qui gemebant & mœrebant facinora populi, quæ fiebant in medio eorum? Ab ipso etiam orbe condito, semper bonis mali permixti fuerunt: neq; tamen illis quicquam obfuerunt. Vbi erat Mõses & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper se perditurum esse minabatur: Vbi erat Caiphas & Annas, ibi Zacharias & Simeon, & cęteri boni: Vbi Saul, ibi Dauid, vbi Esaias, vbi Ieremias, vbi Daniel, vbi Ezechiel, ibi Sacerdotes mali & populi mali. Sed sarcinam suam vnusquisq; portabat. Vbicunq; boni fuerint, nouit Dñs, qui sunt eius, dicit Apostolus, & recedat ab iniustitia omnis, qui inuocat nomẽ Domini. Non discit, recedat ab iniustorum & malorum cõmunione, sed recedat ab iniustitia, recedat à peccatis eorum: quibus, si per consensionẽ non cõmunicauerit, etiam si societatem eorum corporaliter non deseruerit, securus est, nec ei quicquam aliena peccata præiudicabunt: Fugeat paleam, ne hoc sit, non fugiat aream, ne nihil sit. Præclarè dictum est à Clemente: Vnusquisq; de suis operibus rationem est redditurus. Nam neq; Noë pro mundo pœnas pendit: neque Loth pro Sodomitis igne flagrauit: neq; Raab pro Hierichunte interfecta est: neque Israel pro Ægyptijs. Non enim si cum iniquis habitent, ea res condemnat iustos, sed si consentientem cum illis voluntatem habeant. Et Chrysostomus. Nec aliena, inquit, quemcumque opprimunt crimina, quia nec bona malis, nec mala bonis deputantur aliena. Grauiter obiurgat eos Augustinus, qui, vt quisq; Episcopus vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credunt, sed non omnes posse manifestari. Et tamen, inquit, etiamsi cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.

*Lib. 2. constitut. eccles. cap. 15. Punitur quisque pro suo crimine. Hom. de Ioseph. tomo 1. Epist. 137.*

Nihil itaque vos moueant peccata nostra, vt propterea à vobis vnitatem Ecclesiæ relinquendam esse putetis. Non enim propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt. Sicut tolerauerunt Prophetæ contra quos tanta dicebant: nec sacramentorum illius populi communionem reliquebant. Sicut ipse Dominus tolerauit Iudam diabolum, furem & venditorem suum vsque ad condignum eius exitum, & eum omnium nocentissimum sacram cœnam cum innocentibus communicare, & pretium nostrum accipere permisit. Sicut tolerarunt Apostoli eos, qui per inuidiam, quod ipsius diaboli vitium est, Christum annunciabant. Et inter sua quærentes, non quæ IESV Christi. Paulus non sua quærens, sed quæ IESV Christi, cum summa tolerantiæ laude conuersatus est. Sicut tolerauit sanctus Episcopus & Martyr CYPRIANVS collegas suos Episcopos, de quibus plurimos, quos & hortamento oportebat esse cæteris & exemplo, diuina procu-

*Mali propter bonos tolerandi. Ioann. 6. 12. & 18. Iacob. 2. 2. Corinth. 5. Epist. 1. ad Seuer. Matth. 3. Ezech. 9. Mali semper bonis permixti. Num. 16. Galat. 6. 2. Timoth. 2. Psal. 1. Sapient. 2. Philipp. 12. Ser. 5. de lapsis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratione contempta, procuratores rerum secularium fieri quæritur: derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negociationis quæstuosæ nundinas aucupari: Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Horum exemplo tolerate nos quoq; peccatores: & ferte nos sicut vultis, vt Christus ferat vos. Peccatores sumus, peccatores esse nos libenter agnoscimus. Sed nunquid sanctiores hi sunt, qui discesserunt à nobis? Nunquid minus in eorum vita vitiorum & flagitiorum cernere licet? Nunquid quorundam ex eis, quæ vocant ipsi coniugia, castiora sunt, quàm nostrorum sacerdotum cœlibatus? Deinde verò: An non extremæ cuiusdam dementiæ fuerit, sic Sacerdotes, Episcopos, & Monachos odisse, vt ipse te reddas illis deteriorem, nec illos tamen efficias meliores? Nullum est enim vitium hæresi aut schismate deterius. Congerantur in vnum sacerdotem luxus, libido, ambitio, auaritia, & quicquid prætereà criminum est: omnem hanc vitiorum lernam, vna superat hæresis aut schisma. Longè enim sunt grauiores trabes schismatis, quas in oculis gerunt, qui segregauerunt semetipsos, quàm qualiacunq; tandem peccata manentium in vnitate Ecclesiæ: quæ schismati comparata, sicut festucæ in oculis fratrum esse videntur, vt non immeritò dixerit Augustinus, quòd consilia separationis, & inania sunt & pernitiosa, atq; sacrilega: quia & impia, & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigunt animosos malos. Qui quantò sit grauius schismatis crimẽ, vel ex eo cuiuis constare posse docet, quod cùm prioris populi temporibus & idololatriæ sacrilegium fuisse cõmissum, & à Rege contemptore librum propheticum incensum esse legamus, vtroq; crimine malum hoc nõ puniretur atrocius, nisi grauius penderetur. Si quidem schismatis auctores viuos dehiscens terra sorbuit, & eos qui consenserãt, cœlo irruens ignis absumpsit. Sic nec fabricatum & adoratum idolum, nec sacer liber exustus meruit vindicari. Itaq; diuersitate pœnarum, cuiuis diuersitatem agnoscere licet meritorum. Et alio quodam loco: Sacrilegium, inquit, schismatis omnia scelera supergreditur. Et libr. 2. dicit, non esse quicquam grauius sacrilegio schismatis: quia præcidendæ vnitatis nulla est iusta necessitas. Ante quem etiam Irenæus: Iudicabit, inquit, Deus & eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionẽ, suamq; vtilitatem potius considerantes, quàm vnitatem Ecclesiæ: propter modicas & quaslibet causas, magnum & gloriosum Christi corpus conscindunt & diuidunt, & quantum in ipsis est, interficiunt: pacem loquentes, & bellũ operantes: liquantes culicem, & camelum diglutientes. Nulla enim ab eis potest fieri tanta correctio, quanta est schismatis pernicies.

*Schisma grauius quàm idololatriæ crimen. Matth. 7. Lib. 3. cont. epist. Parmeniani, cap. 1. epist 162. & 72. Ierem. 36.*

*Num. 16. Lib. 3. cont. epist. Parmeniani, cap. 2. & lib. 2. cap. 13.*

*Libr. 4. contra hæreses cap. 62.*

Libet aũt etiam quid schismaticus ipse, vel schismaticorũ & hæreticorum nostro seculo Princeps potius, Martinus Lutherus, de consilio separationis eiusmodi senserit, paucis adscribere. Nam qualis qualis sit, digna tamen est vox hæc eius quæ celebretur, & quam omnes, qui se Catholicos profitentur, non in ore magis quàm in pectore semper habeant. Obiectum illi fuerat ab Eckio in disputatione Lipsica, quod esset fautor & patronus Bohemorum schismaticorum. Tum ille dicitur in hæc verba prorupisse: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunque schisma. Iniquè faciunt Bohemi, quod se auctoritate propria separant à nostra vnitate: etiamsi ius diuinum pro illis staret: cùm supremum ius diuinum sit charitas, & vnitas spiritus. Sed & illa Pauli verba explicans, Alter alterius onera portate. Hi sanè peruertunt, inquit, hanc doctrinam, qui volunt sua onera portari, & solùm commodis aliorum frui & vehi: vt qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, difficiles, morosos de dignantur habere socios vitæ: Sed quærunt humanos, suaues, benignos, quietos & sanctos homines. Hoc est, volunt non in terra, sed in Paradiso: non inter peccatores, sed inter Angelos: non in mundo, sed in cœlo viuere. Quibus quoque timendum est, ne & hîc recipiant mercedem suam, & in hac vita suum regnum cœlorum possederint. Nam cum sponsa nolunt esse lilium inter spinas, nec cum Hierusalem in medio gentium posita, nec cum Christo dominari in medio inimicorum. Euacuant enim crucem Christi in semetipsis, & ociosam & stertentem, alijsq; humeris vectatam charitatem habent. Proinde qui fugiunt talium societatem, vt boni fiant, nihil aliud faciunt, quàm vt pessimi omnium fiant, quod tamen non credunt: quia propter charitatem fugiunt germanum officium charitatis: propter salutem fugiunt verum compendium salutis. Ecclesia enim tunc semper fuit optima, quando agebat inter pessimos. Horum enim onerum tolerantia, mirè rutilauit eius charitas. Sicut Psalmus dicit: Posteriora dorsi in pallore auri. Hoc est, tolerantia columbæ Christianæ, quæ per dorsi posteriora significatur, tota est rutilantissima in aurea charitate. Alioqui cur non Moses quoque reliquit duræ ceruicis populum? Cur non Elias & Prophetæ, Reges Israel idololatras? Consequens est, quod Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia, nulla possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium. Quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat. Nam hoc quod vnicè allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accusat. Et & alio loco: Hæc ideò, inquit, commemoro, ne Pighardi nostri vicini hæretici, infelix populus fœtore Romano gaudeant, sicut Pharisæus super Publicanum, non autem compatitur. Ne, inquam, illi nos crederent nescire vitia & labes nostras, & immensum aduersus nostram miseriam superbirent, si nos ista tacere & approbare videremur. Scimus, heu, nostrum casum, & dolemus, nõ autem sicut hæretici fugimus, & semiuiuum transimus: tanquam alienis peccatis pollui timeamus. Illi fugiunt à nobis Christianis, & repunt ad seipsos in angulum. O blasphematores Dei, & proditores Christi: si Christus feciſſet sicut vos facitis, quis vnquã saluatus esset? Et in declaratione quorundam articulorum, sic ait: Quòd Romana Ecclesia sit à Deo præ alijs omnibus honorata, non est dubiũ. Ibi enim sancti Petrus & Paulus, Pontifices quadraginta-

*Lutheri contra se testimonium de schismate.*

*Ephes 4. Galat. 6.*

*Can. 2. Ezech. 5. Psal. 109.*

*Psal. 67.*

*Bohemorum dissidium, Rom. Eccle. inexcusabile. In resolut. super Propositiones 80.*

*Luc. 18.*



gintasex Romani, ac tot centena millia Martyrum, sanguinem suum fuderunt, infernum & mundum vicerunt, vt vel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quòd si nunc, proh dolor, res habet Romæ vt expediret habere melius, attamẽ neq; hæc, neq; alia causa vlla tam grandis est, nec esse potest, vt ab Ecclesia illa separatio, aut discessio vlla fieri debeat. Imò quò peius res ibi habet, tantò magis accurrendum & adhærendum est. Per separationem. n. & cõtemptum, non fit melius: nec dimittendus est Deus, propter diabolum: nec vitandi reliqui boni, propter turbam prauorum. Imò propter nullum peccatum aut malum, quodcunq; excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis vnitas diuidi. Charitas enim omnia potest, & vnitati nihil nimium graue est. Modica enim charitas & vnitas est, quæ finit se propter aliena peccata diuidi. Et in epistola quadam ad duos Plebanos de anabaptismo: Audio, inquit, & video rebaptizationem a quibusdam vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciant, tanquam hi, qui nihil ab antichristo habere velint. Quemadmodum & Sacramentarij, propterea merum panem & vinum habere volunt in despectum Papę, arbitrantes se hoc pacto rectè subuertere posse Papatum. Profecto friuolum est hoc fundamentum, supra quod nihil boni ędificaturi sunt: Hoc enim pacto negare eos oportet totam quoque scripturam sacram, & prædicandi officium; hoc enim totum à Papa nimirum habemus. Et nouam quoq; scripturam sacram nos facere oporteret. Sic & vetus Testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis: Stultitia est hoc totum. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit Pharisęorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit, quod illi habuerunt & docuerunt. Nos autem fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippè fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum catechismum, vt sunt, oratio dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse. Quoniam verò multò plures hoc tempore Caluinistas, quàm Lutheristas videre licet, hac de re Caluini quoq; sententiam adscribere libet. Horrendæ sunt, inquit, illæ descriptiones, quibus Esaias, Hieremias, Ioel, Abacuc, & alij Ecclesiæ Hierosolymitanæ morbos deplorant. In plebe, in Magistratu, in Sacerdotibus, omnia vsq; adeò corrupta erant, vt clamet Esaias: A vertice capitis vsq; ad calcem pedis, nihil est illic sanum. Religio partim contempta, partim contaminata: in moribus passim refertur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & similia scelera. Neq; tamen propterea aut nouas sibi Ecclesias erigebant, aut noua altaria extruebant Prophetæ, in quibus separata sacrificia haberent. Sed qualescunq; essent homines, quia tamen reputabant Dñm apud eos verbum suum deposuisse, & cæremonias instituisse, quibus illic colebatur, in medio impiorũ cœtu, puras manus ad eum extendebant. Certè si putassent aliquid inde se contagionis contrahere, centies potius mortui fuissent, quàm passi fuissent illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quò minus discessionem facerent, quàm seruandæ vnitatis studium. Quod si religio sanctis Prophetis fuit, ob plurima & maxima scelera, nõ vnius aut alterius hominis, sed propemodum totius populi se ab Ecclesia alienare, nimium nobis arrogamus, si protenus audemus ab Ecclesię vnione deficere, vbi non omnium mores, vel nostro iudicio, vel Christianæ etiam professioni satisfaciunt. Iam Christi & Apostolorum seculum quale fuit? Neq; tamen impedire potuit desperata illa Pharisæorum impietas, & quæ tum passim regnabat dissoluta viuendi licẽtia, quin ijsdem sacris cum populo vterentur, & in vnum cum reliquis templum ad publica religionis exercitia cõuenirent. Vnde id? Nisi quia sciebant malorum societatem minimè pollui, qui pura conscientia ijsdem sacris communicarent. Si quem paterętis: discessionem ab Ecclesia superbam vocat obstinationem, & sacrilegam præsumptionem, quam sibi furor prauus assumit.

*Ecclesiæ Rom. à Deo præ altis omnibus honorata.*

*1. Corinth. 13. Cant. 8.*

*Caluini in Symbolum sectio 19.*

*Sectione 20.*

*En ecclesia catholica remissio peccat.*

*Ioan. 3. Epist. 151. Add. in epist. ad Hieronymum Regem.*

Videtis charissimi, quid de separationis consilijs senserit ille ipse, qui primus ætate nostra separationis ab Ecclesia Dei consilium est amplexus, qualem ipse contra Pighardos, & se, suisq; similes hæreticos, vi veritatis coactus sententiam protulit, quamq; consentientẽ hac eadẽ in re sibi Caluinũ habuerit. Quamobrẽ fugite, fugite separationis consilia, & in Vnitate Ecclesiæ permanete. Quales quales sumus, quamdiu tamen Catholici sumus, parata est semper in Ecclesia catholica remissio peccatorum, simul vt ex animo patratorum criminũ pœnituerit. An in hæresi vel schismate, malè viuunt, etiam qui benè viuunt, nec est, nisi prius vnde discesserit, eò redeat, quòd quisquam se peccatorum suorum veniam adipisci posse speret. Quisquis. n. ab Ecclesia catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter viuere se existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi corporis vnitate disiunctus est, non habebit vitam, ait Augustinus, sed ira Dei manet super eum. Cùm verè dictum sit ab Adelhelmo: Bonorũ operum emolumenta nihil prosunt, si extra Ecclesiam catholicam gerantur. Quisquis autẽ in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit.

*Galat. 6.*

Quamobrem nemo propter paleas ventilabro Iudicis excutiendas, relinquat aream Domini: nemo, propter zizania in messe comburenda, excedat agro: nemo propter pisces malos in littore, hoc est, in fine seculi separandos, rumpat retia: nemo propter hœdos atq; hircos, in Iudicis aduentu segregandos, deserat gregem: nemo propter vasa in contumeliam facta, migret ex magna domo Dñi. Quin illud secum potius quisq; reputet: cùm in Euangelio dicat Dominus: Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis nõ cadit super terram sine patris vestri voluntate? si passeres non cadunt in terram absq; voluntate Dei, multò minus Sacerdotes aut Episcopos dari terris, vel non sciente, vel non permittente Deo: Siquidẽ Deus,

*Matth. 3. Matth. 13. Ibidem. Matth. 25. 2. Timoth. 2. Matt. 10. Præsides mali cur interdum à Deo dantur.*

*Prouerb. 21.* *Iob. 34.* *Esaiæ 24.* *Oseæ 13.* *Iob. 1.* *Matth. 26.* *2. Corinth. 12.* *Matth. 17.* *Lib. 26. moral. cap. 20.* *1. Reg. 10.* *1. Reg. 24.*

Deus, in cuius manu cor est Regis, & qui quocunq; voluerit, inclinat illud, aliquando regnare permittit hominem hypocritam propter peccata populi: vt sit sicut populus, ita & Sacerdos. Hoc per Prophetam denunciat, dicens: Dabo tibi Regem in furore meo. Dat quandoq; Deus improbis potestatem, vt & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Per potestatem enim diabolo datam, & Iob probatus est, vt iustus appareret: & Petrus tentatus est, ne de se præsumeret: & Paulus colaphizatus est, ne se extolleret: & Iudas damnatus est, vt se suspenderet. Vsq; eò autem secundum merita subditorum tribui scribit Gregorius, personas regentium, vt sæpè qui videntur boni, accepto mox regimine, permutentur: sicut scriptura sacra de Saule dicit: quia cor eum dignitate mutauit. Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, vt sæpè pro malo gregis, etiam veri boni delinquat vita pastoris. Ille. n. Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum cõscius Dauid Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus, Dauid peccante, suscepit. Cur hoc? Quia videlicet secundum merita plebium, disponuntur corda regentium. Quod videtur Gregorius ab Euaristo, vel à Gaudentio mutuatus: ante Gregorium verò Ioãnes Chrysostomus: Si nos malè viuimus,

*Epist. 2.* *De verbis Esaiæ, hom. 1.*

nihil interest, qualis ille sit, qui Principatum gerit, quantum ad causam malorum. Qui iis, inquis? aut quo pacto? Quoniam si transgressor legum fuerit, si temerè, nulloq; consilio seratur: nostra incogitãtia, nostraq; temeritas talem genuit Principem, nostra cõmissa, plagã accersierunt. Nam quod iuxta corda nostra accipimus Principes, nihil aliud est, quàm quòd

*Matth. 3.*

præterita peccata nostra talem nobis dederunt Præfectum, siue quis fuerit ex consecratis, siue ex eorum numero, qui mundanas administrant dignitates. Mutet igitur populus vitam suam, mutabit etiam Deus eorum corda, qui præsident. Qui potens est ex lapidibus filios Abrahæ suscitare: qui potuit ex persequutore Saulo Paulum Apostolum, qui potuit ex

*1. Timoth. 1.* *Matth. 9.* *Esaiæ 59.* *Psal. 33.*

Matthæo Publicano facere Euangelistam: potest is ex mercenarijs, malisq; præsidibus bonos facere pastores. Non enim est abbreuiata manus Domini, neq; aggrauata auris eius, vt non exaudiat: dummodo nos declinemus à malo, & faciamus bonum, vitaq; nostra in melius commutata vnanimiter omnes maiestatem diuinam supplices deprecemur, vt suam nobis gratiam impartiat: quo possimus vtriq; dignè ambulare vocatione, qua vocati sumus, vt & vos, oues vos esse recordati, minimè vobis licere velitis, eos iudicare, & in eorum vitam anxiè nimis inquirere, à quibus ipsi iudicandi venitis: sed etiam si aliquo fuerimus in delicto

*Ephes. 4.* *Oues pastores non iudicent.*

præoccupati, Christum nihilominus audiatis præcipientem: Quę dicunt, facite: quę autem faciũt, facere nolite: & nos eius muneris memores, ad quod arduum nimis & periculosum

*Galat. 6.* *Matth. 23.*

vocati sumus, ita vitam nostram instituamus, vt ne quod verbo ædificamus, moribus nostris destruere videamur.

*Ephes. 4.*

Quoniam verò homines vtriq; sumus, & hoc ipso nomine peccatores: quia homines, si qua nos apprehẽderit humana tentatio, sic vt Paulus monet, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportemus inuicem in charitate: ac si qui sunt firmiores, imbecillitates infirmorum sustineant: nec alia magis de re soliciti simus omnes, quàm vt seruare possimus vnitatem spiritus in vinculo pacis. Hanc enim ad patrem suum migraturus, testamento nobis reliquit Christus. Hanc sectari nos iubet Paulus: quòd sine ea nemo videbit Deum. Cui si monenti obtemperauerimus, futurum est, vt ex hac peregrinatione ad manentem illam ciuitatem cœlestem Hierusalem, quę visio pacis interpretatur, peruenire mereamur: in qua videre licebit, sicuti est, eum, qui est pax nostra, omnem intellectum nostrum exuperans, Dominum nostrum IESVM Christum, gratia & misericordia eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI: cui laus, honor & gloria in secula seculorum, AMEN.

*Galat. 6.* *Ioan. 15.* *Hebr. 12.* *Hierusalem visio pacis.* *Ephes. 2.* *Philipp. 4.*

# CONFVTATIO PRO-LEGOMENON BRENTII,

QVAE PRIMVM SCRIPSIT ADVERSVS Venerabilem virum Petrum à Soto:

*DEINDE VERO PETRVS PAVLVS VERgerius apud Polonos temerè defendenda suscepit.*

AVCTORE D. STANISLAO HOSIO Cardinale, Episcopo Varmiensi, Concilij Tridentini Legato.

*Opus elegantissimum, nostri temporis hæreses primum ob originem recensens, dein eas complectens controuersias maximas, quæ nunc de fide, & religione potissimum agitantur.*

Vltima editio, nouis ab Auctore aucta accessionibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# SERENISSIMO ET CHRISTIANISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO.

## DEI GRATIA REGI POLONIAE, MAgno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, &c.

*Domino & Haredi, Domino clementissimo, Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis obsequium suum defert.*

VIDI, Screniſſime Rex, libellum quendam Ioannis Brentij, quem tibi Petrus Paulus Vergerius dicare veritus non eſt: neq; ſine magna animi mei moleſtia legi. Vocat is libellum hunc aureum, ſed ego non facilè crediderim, aurum illud, quod prouerbio celebratur, Toloſanum, maiorem perniciem ijs attuliſſe, quorum eſt manibus attrectatum: quàm quantam incautis & ſimplicibus, quorum verſabitur manibus hic libellus, adferre queat. Vt ſi dici meretur aureus, non ex alio quàm ex auro Toloſano conflatus eſſe videatur. Quid enim? an non oēm ordinem in eo peruertit? an nō policiam omnem deſtruit? an non profert omnia ſedulò, quæ ad pacem & tranquillitatem Eccleſiæ perturbandam pertinere videntur? Quod ſi rectè vir quidam ſanctus, pacem omnium rerum eſſe dixit ordinis tranquillitatem: quæ poteſt ibi eſſe pax, vbi hoc agitur, vt ne quid ordine fiat, vbi nihil aliud laboratur magis, quàm vt ea, quę terribilis eſſe deſcribitur, tanquam acies caſtrorum ordinata, quæ ſæpè regnū cœlorū in ſcripturis appellatur Eccleſia, locus ille teterrimus efficiatur, in quo nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Ac quòd libellū talē in publicū edendum Vergerius curauerit, nihil miror: quòd autem eum tibi Catholico, Chriſtiano, Orthodoxo Regi dicare, nomenq; tuæ Maieſtatis, quod vbiq; terrarum, ſicut aliarum virtutum, ſic veræ pietatis laude cumprimis clarum eſt & illuſtre, per hunc modum contaminare auſus fuerit, id verò eſt, quod mirari ſatis non poſſum. Cæterùm quid ille vereatur, qui minimè contentus, ita te nuncupando tibi libro hoc, quantum in ipſo fuit, deformaſſe? auſus eſt prętereà virum longè ſui diſſimilem Aloiſium Lipomanum Epiſcopum Veronenſem, quo iam inde à ſexcentis propè annis, ex quo tempore Chriſti recepit Euangelium, nullum ex Legatis Apoſtolicis vidit Polonia, neq; ſanctiorē, neq; doctiorem: hunc talem virum, multò etiam maiore impudentia, quàm olim Auxentius hæreticus, grauiſſimum, doctiſſimum, ſanctiſſimum virum Ambroſium, auſus eſt hic homo leuiſſimus prouocare: vt de capitibus in hoc vt ipſe vocat, aureo libello contentis, te Iudice, ſecum diſceptaret. Quid vereatur ille, quem ſic in mentem reprobam abijſſe videre licet, poſteaquàm ſemel abnegato Chriſtianiſmo Lutheraniſmum amplexus, ex alia in aliam ſectam eſt prolapſus, vt peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicet: neque pudeat eum in ſua malitia gloriari, dum palàm iactat ſe quod bis Deo præſtitit iuſiurandum, id violaſſe: cuius etiam formulam excudi typis fecit, vt qui ſit homo, teſtatum orbi faceret vniuerſo. Ego verò, quòd illius tam eminet, tamq; proiecta eſt audacia, minus miror, quem & frontem pridem omnem perdidiſſe, & ab omni Dei metu prorſus remotum eſſe, vel ea ſola ſcripta ſatis indicant, quæ in proximis hiſce Varſchauienſibus Comitijs in vulgus ſpargi curauit. Illud non poſſum non mirari, quòd inueniuntur nihilominus, qui non ſine quadam animorum aſſenſione commenta legant eius hominis: qui ſic ad omnem leuitatem incubuiſſe videtur, nihil vt cauerit diligentius, quàm ne quid vſquam veri ſcriberet. Nolo cætera commemorare, longum enim foret. Vel hæc vna Epiſtola, quam ad Maieſtatem tuam ſcripſit, quod mēdacijs

est referta? Principio religionis constituendæ causa, te Comitia fingit edixisse, cùm tamen neque in litteris, quas ad Consiliarios regni tui scribi fecisti: neq; in legatione, quæ nuncijs ad minora Comitia de more profectis data est, vel minima fuerit de religione facta mētio: quin & illud satis cōstat, multis in terris Maiestatis tuæ, qui delecti fuerant ad maiora Comitia nuncij, eis mandatum seriò fuisse, ne quam religionis mentionem inijcerent, neve quid noui de ea decerni paterentur, quòd in veteri libenter essent acquieturi. Cuius etiam dati sibi mandati, cùm ad maiora Comitia venissent, nonnulli fuerunt admoniti. Sed nec illud obscurum est, quòd Maiestas tua nulla alia de re consultationem in Comitijs haberi per nuncios terrarum suarum voluerit, quā quæ propriè ad Comitia pertineret: nimirum de ratione, qua regnum defendi posset, incunda: quòd rectè iudicares religionis tractationem ad synodos Episcoporum, non ad regni vel Imperij Comitia pertinere. Quamobrem etiā cū res postulare visa est, vt mentio tamē aliqua religionis fieret, sic per Ioannē Ocznieski regni tui Cancellarium, virum non solum ingenio, prudentiaq; singulari & admirabili quadam dicendi facultate, sed etiam summa in Catholica & orthodoxa fide constantia præditum, rem proponi fecisti, disertis vt verbis id explicari mandares, nolle te, vt de constituenda religione, quæ rectè prīdem esset constituta, verùm vt de eo tantum sententiæ dicerentur, quemadmodum absente à regno Maiestate tua, prouideri posset, vt pax nihilominus & tranquillitas in regno conseruaretur: ac de communi tandem Senatorum omnium sententia decreuisti, si quis in religione nouare deinceps aliquid ausus esset, vt is hostis patriæ, publicæq; pacis perturbator haberetur: ac ijsdem, quibus hostis patriæ, pœnis esset obnoxius. Hæc verò, an non ex diametro, quod aiunt, cum ijs pugnant, quæ narrat Vergerius? Quem & illud non puduit in eadem Epistola comminisci: cùm vt emendatio quædam fieret abusuum & errorum, qui sunt in Ecclesiam inuecti, nonnulli contenderent negasse Proceres, eam rem ad Romani Pontificis & Episcoporum cognitionem & dijudicationem pertinere: cùm ex Comitiorum Decreto, quæ sunt ante biennium Petricouiæ habita, nuncius à te missus fuerit ad Pontificem maximum, qui non solùm, quod facere Catholicis Regibus & Principibus vsitatum est & solenne, te fore semper in eius auctoritate, pollicereturve-rumetiam Legatum ab eo mitti peteret, cuius auctoritate, qui sunt in regno tuo religionis ergò motus excitati, tranquillari possent. Cuius legationis decernendæ, Princeps in Senatu fuit vir illustris Ioannes Comes à Tarnavv, multis rebus, & bello & pace, magna cum laude, felicitateque gestis clarissimus: qui non dubitauit etiam dicere, quod à Catholico Senatore dictum oportuit: Si facta esset quoruncunque tandem rituum mutatio præter assensum S Sedis Apostolicæ, futurum, vt Schismaticorum infamiam gens nostra non effugeret. Cùm itaque non de tua magis, quàm de summa Senatus totius voluntate, decreta fuerit hæc ad Pontificem legatio, quòd iste, qui tam est in aliena Repub. curiosus, nescire non potuit, quæ est huius hominis tam perfricta frons, vt audeat scribere, negasse Proceres, emendationem abusuum & errorum, ad Romani Pontificis & Episcoporum cognitionem pertinere? Cur enim tanto studio mitti nuncium ab Apostolica Sede petiuissent, si nihil harum rerum ad illam pertinere iudicassent? iam verò conuicium illud, quo Papam & Episcopos, quos veritatis vindices & assertores fuisse semper, & esse dubium non est, hostes veritatis appellat, nunquid à manifesto veritatis hoste profectum non est? Sed ego quo plures eius legi libellos petulantissimè scriptos, hoc magis prospexi, non aliundè quàm ex fraude, fallacijs, mendacijs eum totum constare, qui nihil vnquam verius loquutus esse videtur, quàm cùm se vocat exulem Iesu Christi: quandoquidem ex quo tempore se transtulit in aliud Euangelium, & à Christi corpore præcidit, ciuis & domesticus esse Dei desijt, & extorris à Christo factus, in Satanæ se potestatem ipse tradidit: cuius spiritu cùm agatur, alia quàm quæ profert, proferre nequit. Neq; enim falsum esse potest, quod ait Veritas: Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis ipsi mali? Videtur is ex eorum esse numero, quos Ioannes vocat Antichristos, de quibus ait: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Sic enim fuit iste aliquando in Christi corpore, quomodo sunt humores mali in humano corpore, qui cùm



cùm euomuntur, corpus releuatur: sic & iste, posteaquam exiuit, Christi corpus Ecclesia multum est releuata, gaudendum vt sit exiuisse talem. Non enim ex carne Christi corporis præcisus est, cuius membrum fuit nunquam, sed pectus tantum premebat, quo aderat in corpore: magna vt sit Christi corporis alleuiatio consequuta, posteaquam ex eo humor iste malus egressus est. Nos verò facilè patimur, vt ad renascentis quinti Euangelij defensionem, tales vocentur: vt sit, quod est in prouerbio, dignum patella operculum. Verum de homine satis, idq; præter animi mei propositum. Nunc breui causas accipe, quibus adductus sum, vt hæc Brentij scripta, quæ tantopere suspicit Vergerius, contrario meo scripto refutanda censerem. Per mihi molestum accidit, cùm eum virum, quem non solùm propter doctrinam, vitęq; sanctitatem, verumetiam propter eius personæ, quam sustinebat, dignitatem, in summa veneratione habitum ab omnibus oportuit, sic ab homine leuissimo, quasi ad pugnam quandam prouocari viderem. Sed multò illud molestius, quòd ausum est os impudens, ad te ea de re scribere, te sibi Iudicem legere, tibi Christiano, Orthodoxo Regi libellum hunc dicare. Quod cùm ab alijs quoq; hæreticis non semel iam factitatum esse deprehenderim, vt dicandis tibi scriptis suis nomen tuum contaminarent, suspicionemq; tibi conflare conarentur, quasi non aliena sis ab eis voluntate, qui nouatam vel euersam potius religionem Christianam cupiunt: discruciabar animi, non idem à Catholicis adhibe ri studium in hac, qua te grauant isti, tam turpi suspicione diluenda. Quamuis enim talem te præstes in ea, quam à Maioribus tuis per manus tibi traditam accepisti, Catholica & Orthodoxa religione tuenda & conseruanda, nulla vt eius generis in te vel minima suspicio hærere queat, cùm tamen, qui te nō norunt, & libellos omni genere impiæ doctrinæ refertos, tibi dicari vidēt, & qui mos est quinti huius Euangelij, falsos rumores, ab improbis de industria, de te spargi audiunt: datur illis occasio, secùs aliquid de te suspicandi. Quæ res, credibile non est, quantum animo meo sæpè dolorem attulerit. Tantam enim Maiestatem, non solum crimine, verumetiam suspicione criminis vacare oportet. Hanc igitur vt amouerem à te, tibiq; coram orbe terrarum vniuerso, castè & integrè semper à te conseruatæ religionis testimonium perhiberem, laborem hunc non grauatim suscepi. Neq; verò me clàm est, quæ sit istorum hominum petulantia, quamq; procax conuiciandi libido, qui nescio, cuius à quouis alio potius, quàm à Christo profecti, Euangelij assertores videri volunt: quibus maledictis eos insectari consueuerint, qui ab ipsorum opinione dissentiunt, neque statim, quod ipsis videtur tanquam Dei verbum adorant. Sed ego nihil moror istorum conuicia, dum nomen tuum ab ea suspicione, quam tibi conflare conantur, vindicare queam. Quin etiam ornari me interpretor, quoties à turpibus nomen meum traducitur: vituperari contrà, si lauder à talibus illaudatis. Deum precor, vt Maiestatem tuam diu seruet incolumem
& felicem.

Ex castro meo Heilsbergk, Idibus Octobris, Anno Domini M. D. L V I I.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# PETRI CANISII SOCIETATIS IESV, DOCTORIS THEOLOGI, AD LECTOREM PRAEMONITIO.

NOpus tibi nouum, summâq; laudè dignum, Christiane Lector, inde ex Polonia missum, & ab optimis viris exoptatum: quod nos eo tibi damus libentius, quo certius persuasi sumus fore, vt huius libri lectione simul & causa Ecclesiæ Dei maiorem in modum illustretur, & hæreticorum huius ætatis falsitas luce clarius coarguatur. Est eiusdem auctoris opus illud, quod Moguntiæ ante paucos menses accepimus editum, & communi Episcoporum in Polonia nomine publicatum sub hoc titulo: Confessio Catholicæ fidei Christiana. Vtrobiq; nihil reperias, quod non purum, pium, sanum, & salutare sit, & hac quidem ætate scitu, lectuq; dignum prorsus. Illic Catholicæ religionis & doctrinæ syncera & luculenta, vt alibi ferè nusquam, extat assertio, dignæ profectò, quæ omnium manibus noctes ac dies euoluatur. Hic eiusdem sanæ, Catholicæq; doctrinæ accedit defensio, quæ non solum Brentium, sed etiam eiusdem farinæ sectarios omnes in præcipuis totius doctrinæ capitibus, & maximis hæreticorum hodie omnium præsidijs atq; extremis refugijs, ita refellit ac prosternit, vt fieque iudices, vires illis omnes ademptas, atq; ab hoc vno velut Achille fractas fateare necesse sit: adeo decenter, grauiter, ingeniosè, pie & eleganter excutiuntur, asseruntur, propugnantur, quæ contra hæreses hoc tempore grassantes Catholice discenda, docendaq; & opponenda sunt. Narratur autem ab initio historia, qnam certè nosse refert, & delectat quoq; plurimum, quibus gradibus hic in Germaniam Satanismus irrepens, nihil ferè iam tutum a Sectarum contagys, & innumerum reliquerit. Vnde noua in orbe Euangelia, sed minimè læta & fausta, summa cũ animarũ pernicie magis & magis passim inuehuntur. De Auctore ipso, vt qui superstes est, nõ attinet dicere, qui pro dignitate laudare tam sit nobis difficile, quam præclarum alijs Episcopum spectatissimum imitari. Nec est nomen illius orbi Christiano obscurum aut incognitum: quandoquidem tot annis in aulis maximorum Regum & Imperatorum versatus, & ab ijs ad negotia grauissima, ad legationes honorificentissimas, diu multumq; adhibitus fuit. In quibus ille comprobauit suam fidem, industriã, atq; virtutem, non solum Polonis suis, Lithuanis, Ruthenis, Prussis, Masouijs, aut illi Regno vicinioribus prouincijs, Germaniæ, & Bohemiæ, verumetiam Italiæ, Galliæ, Hispaniæ: vbi propter excellentem doctrinam, quæ & in hoc præsenti & in alijs omnibus suis libris & litteris elucet, & propter vitam pio, Catholico, & Orthodoxo Episcopo dignam, quibus ille rebus & Catholicos in fide Christiana continuit, & vacillantes confirmauit, & infinitos hæreticos ad viam veritatis reuocauit, immortale sibi nomen comparauit: vt merito & scriptor elegantissimus, & præstantissimus Theologus, & optimus Episcopus haberi debeat ab omnibus. Cuius rei hoc sanè præsens opus argumento est, vbi dici non potest, quàm solidè confirmetur in veteri pietate Catholicum pectus, præsertim si recta secum quis reputet tot sectas huius temporis horrendas, quot superior ætas vno, eodemq; tempore nulla sensit, multisq; iam inter se modis ita dissectas etiam, vt earum neq; modum, neq; finem vllum inuenire possis. Deinde cum Sectarum harum tanquam pessimarum arborum semina, radices, stirpes atq; germina, quæ nostro & communi Ecclesiæ malo persentiscimus, ritè considerantur, mox apparent huius nostræ tempestatis densissimæ tenebræ, ac cum his coniunctæ multiplices pestes, diræq; furiæ cernuntur, quæ nunc agminatim in Ecclesiam irruunt, simulq; magistræ & ministræ sunt omnis impietatis, licentiæ, nequitiæ, barbariei, atq; vastitatis. Certè si nihil scriptum extaret aliud, vel ex hoc vno libro perspiceret non cæca posteritas, quæ quantaq; sit ista stultitia, ne dicam insania nostra, qui nihil fere pensi nunc habemus, quid Apostoli & Apostolici viri, quid veteris Ecclesiæ proceres & præclari maiores nostri docuerint, tradiderint, obseruarint. Itaq; (proh pudor) his nouis doctoribus, qui veterem sæpè impietatem, erroresq; iampridem damnatos & crassos nobis obtrudunt, his, inquam, aures adhuc damus ac fidimus, nimirum perinde ac leues Galatæ illi à Pseudoapostolis persuasi: vt iam in hoc, iam in illud Euangelium, quod non accepimus, neq; Patres euangelizarunt, sed hæc infelix ætas effinxit, cito transferamur: omniq; vento nouæ doctrinæ, quæ se Euangelij nomine venditat, huc, illuc instar arundinis circumagamur. Sed ne multis, hoc vnum admonebimus. Petrum à Soto Theologum Hispanum, qui ab hoc Episcopo nostro hic contra Brentium defenditur, pro se quoq; scripsisse, ac eidem Brentio aduersus Prolegomena erudite respondisse. Defendit autem Sotum hic Episcopus, priusquam Soti opus in lucem produsset, aut certè ad ipsum in Poloniam vsq; peruenisset, non tam quod Soti causam propugnare, quam suis Polonis cõsulere voluerit, apud quos Paulus Vergerius homo æquè fastuosus, ac petulans apostata, de Brentiano opere tanto per è gloriabatur: vt hinc ille, etsi non Theologus Catholicis insultare, eosq; ad disputationem coram Rege publicam prouocare non vereretur. Quæ de re lege supra in Auctoris Epistola nuncupatoria. Fuit & alius Hosius eiusdem nominis, Episcopus Cordubensis, cuius fidem, & industriam summam probarunt Patres in Synodo Nicæna, cum Arriana Secta Ecclesiam Dei & Catholicos omnes miserè exagitaret. Nunc habet ætas quoq; nostra (Christo gratia) suum Hosium, Episcopum Varmiensem, cui neque simplex pugna est cum Arrianis & Seruetianis illis, quæ multis in locis hærent contagijs: sed qui cum omnibus fere monstris hodie in Ecclesia grassantibus congreditur, eaq; sic dextrè confutet, vt si hunc ducem sequare, reliquias quidem agnoscas veterum, & iampridem damnatarum hæresium superesse, vires autem & robur illis ipsis inesse nullum videas, quo inferorum portæ & secta ista impia valere possint. Ad



At quanto rectius causa religionis haberet, quantoq; commodius & impietas disiici, & pietas orbi restitui posset: si multos id genus Hosios hæc ætas ferret, nimirum qui in pascendo, seruandoq; grege Dominico, qui in arcendis lupis, & in conuincendis hæreticis non dissimili vigilantia, pariq; doctrina, copia, grauitate, syncritate & fide præstare. Seq; muros pro domo Dei aduersus Philistæos istos opponere vellent & possent. Rogandus vtiq; Dominus messis & Princeps pastorum, vt misertus tandem ouium dissipatarum, quæ passim oberrantes, miserè pereunt, mittat ipse pastores secundum cor suum, & idoneos operarios in messem suam, Amen.

## ARGVMENTA QVINQVE LIBRORVM HVIVS OPERIS.

Liber primus recenset ab origine nostri temporis hæreses.
Secundus agit de legitimis Iudicibus rerum Ecclesiasticarum.
Tertius docet de auctoritate Sacræ Scripturæ.
Quartus est de traditionibus.
Quintus tractat de Catholica Ecclesia.

*In quorum capitum maximè nunc inter Doctos controuersorum tractatione, præter multiplicem & reconditam eruditionem, habes Confutationem solidam argumentorum, quæ Brentius & similes Ecclesiæ aduersarij hac ætate potissimum adferre, & Catholicis obiectare consueuerunt. Nec est vlla ferè materia de religione hoc tempore controuersa, de qua iudicare non possit, qui huius auctoris opus excusserit diligenter.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# LIBER PRIMVS DE HAERESIBVS NOSTRI TEMPORIS.

## AVCTORE STANISLAO HOSIO CARDINALE, EPISCOPO VARMIENSI.

PRIVSQVAM excutiamus argumenta Brentij, visum est de variis huius temporis sectis nonnulla præfari, quod à præsenti nostro instituto minimè fuerit alienum. Etenim Satanismus hic, quem in hac præfatione nostra recensebimus, non aliunde sumpsisse videtur originem, quàm ex his quatuor capitibus, quæ in hoc libello suo Brentius asserit. Nam dum vnusquisq; sibi de doctrina religionis iudicium arrogat, dum arbitratu suo scripturas interpretatur, dum nihil in eis difficile, nihil obscurum esse persuasum habet, dum præter eas nihil recipi, traditiones autem patrum prorsus reijci debere censet, dum Ecclesiam neq; videri, neq; cognosci posse credit, ita vt cuiq; cœtui liberum sit nomen Ecclesiæ sibi vendicare, quis non videt, ex his doctrinę Brentianæ capitibus, cuius primus auctor fuit Martinus Lutherus, natum esse Satanismum, qui nunc regnat in multis partibus Germaniæ, qui pedetentim etiam in Poloniæ regnum & adiunctas illi terras irrepere conatur? Quamobrem nihil ab instituto nostro fecerimus alienum, si nonnulla de Satanismi, siue Lutheranismi huius initio & progressu præfati fuerimus.

*Gen.14. Act.o.4. Orbis Christiani ante.40.annos in religione consensus.*

Ante quadraginta hos annos is fuit orbis vniuersi status, quàm latè patet in eo nomen Christianum, vt rectè de illo dici potuerit: quod in Genesi scriptum legimus: Erat terra labi vnius & sermonum eorundem: quodq; scribitur in Actis Apostolorum de ijs qui primi in Christum credere cœperunt: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Sicut vnus Deus ab omnibus colebatur, ita fides vna retinebatur, vna fuit & eadem administrandorum sacramentorum ratio, vnus & idem propè cæremoniarum vbiq; ritus. Idipsum dicebant, idipsum sentiebant, idem sapiebant omnes, vt facilè ciuitatem illam agnosceres, cuius participatio in idipsum Quamobrem cùm vna & eadem essent omnes mente præditi, nomine quoq; non nisi vno & eodem censeri volebant. Non vocabantur alij Gnostici, alij Apostolici, alij Euangelici, non alijs quibuscunq; nominibus censebantur, sed à Christo, quem vnanimiter profitebantur omnes, in quo sibi solo fas esse gloriari persuasum habebant, fideles, Christiani cuncti nominabantur: quo nomine nullum sibi dari posse nomen gloriosius existimabant: Homines enim erant recti & simplices, ac timentes Deum, qui nō in contentione sermonis, sed in simplicitate fidei regnum esse Dei crederent, necaliud scirent Euangelium, nisi quod à Christi spiritu profectum, de Christo per Christi discipulos scriptum esset.

*VValdenſis ſecta Bohemos diſtrahit.*

Hic fidei consensus & concors omnium inter se Christianorum doctrina, cùm apud alias nationes, tum apud finitimos nobis Germanos longo seculorum interuallo viguit: præcipuè verò apud eos populos omnes, qui sunt imperio Maiestatis tuæ subiecti, siue hi Poloni sint, siue Lituani, siue Russi Catholici, siue Prussi, siue Masouij: ex quo tempore semel hæ gentes omnes Euangelium Christi receperunt, semper apud eas iam inde à sexcentis propè annis consensus hic fidei constans, perpetuus & inuiolatus permansit. Quodq; magis admiremur, anni plus minus centum quadraginta interciderunt, cùm vicinam regno Maiestatis tuę Bohemiā lepra VValdensis infecit: ex eo factum est, vt bona pars illius ab orbe reliquo Christiano se præciderit. Quæ res quantas ei regno calamitates attulerit, nihil hic opus est cōmorare. Cùm autem communis nostræ cum illa gente lingua sit, nullis tamen Satanæ fraudibus adduci potuit, vt sensu & consensu totius Ecclesiæ posthabito, Bohemorum partis esse vellet.

*Vigilantia Epiſcoporum & Regum pietas in Polonia.*

Qua in re quid potissimum prædicem? Episcoporumve regni vigilantiam, an sanctorum maiorum tuorum, penes quos tum erant regni gubernacula, religionem singularem? Vtrique digni, quorum nomina laudibus omnium celebrentur. Nam & illi memores, in qua esset à Deo specula collocati, nihil curæ, solicitudinis, laboris prætermiserunt, quo possent à Christo sibi commissi gregis sui saluti prospicere. Neque cuiusquam potentiam reformidarunt, sed se murum pro domo Israel opposuerunt, neq; vllum bonorum pastorū officiū in se requiri passi sunt. Et hi pientissimi Principes, alter proauus tuus VValdislaus Poloniæ Rex, alter frater eius patruelis Vitoldus, cùm etiam regnum illis esset à Bohemis delatum, qui nuper adeò segregauerant se, & à Christi corpore Ecclesia præciderant, admirabili quadā animi magnitudine regnum potiùs respuendum sibi esse duxerunt, quàm vt indignum aliquid Christianis Principibus committerent. Quin disertis etiam verbis legatis Bohemorum renunciarunt, sibi religionem esse, apud hæreticos regnare. Quòd si verò illi in viam rectæ religionis, & ad societatem vniuersæ Ecclesiæ redire vellent, Reipub. Christianæ causa, alterutrum de ipsis, quin regni gubernacula susciṕiat, non esse recusaturum. Est



Est ne autem, aut fuit multis seculis Principum aliquis, cuius religio cum horum Principum religione potuerit comparari? Mihi verò vix etiam videntur illis inferiores nostri fuisse, quos olim Christo dixisse legimus: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid enim illi nisi nauiculas, & retia piscatoria reliquerunt? isti verò delatum etiam sibi regnum repudiandum potiùs esse duxerunt, quàm vt illius consequendi spe, quòd minus liberè Christum sequi possent, impediri se paterentur: quàm vt à Christi corpore, vna, sancta, catholica Ecclesia separati esse vellēt. Sonabat proculdubio semper in eorum auribus vox illa Christi, quam ex tuo quoq; pientissime Rex, ore, in celebri Senatorum totiusq; populi corona prolatam aliquando audiuimus: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Non illi cœlestia regna terrenis, non sempiterna caducis esse cōmutanda putauerunt: sed sicubi Christi religio agebatur, nullum eis tam suaue fuit meritum, quin & spiritus ipse vilis erat, quem amittere priùs q̄ religionis causam deserere, prompto semper & parato animo fuerunt. Hac igitur & Episcoporum vigilantia & singulari principum pietate, qui nec metuendum sibi quenquam præter Deum, nec illius charitati quicq̄ anteponendū esse putauerunt, factum est, vt per annos iam propè sexcentos integra & incontaminata in terris Maiestatis tuæ Christiana, Catholica, & Orthodoxa fides permaneret.

*Matt.19.*

*Matt.16.*

*Quæ occaſione Lutherus noua ſeuit diſſidia.*

Cæterùm annus nunc agitur quadragesimus, cùm in lucem prodijt Martinus Lutherus, à quo primùm nostro hoc infelici seculo fax est in Ecclesia Dei discordiarum accensa. Ex q̄ parua autem scintilla, quæ non difficulter opprimi nascens poterat, quantus ignis exarsit? Initio non alia de re quàm de peccatorum condonationibus, vulgò vocant indulgentias, disputari cœptum est. Eas Lutherus oppugnabat, non quòd legitimum earum vsum prorsus damnaret, sed quòd abusum ferendum non esse putaret. Vt autem in hanc arenam descenderet, non recti zeli feruore, neq; studio pietatis adductus est: sed cùm permolestè ferret, quod sui ordinis fratribus prædicandarum indulgentiarum anteà munus mandatum erat, quæ ex re non parum etiam emolumenti capiebant, id ad Dominicanos translatum fuisse, sicq; suis commodum illud interuersum: hæc illi causa fuit in certamen istud prodeundi: Quamobrem non aliò prima hæc illius velitatio, quàm ad Deum ventrem referebatur. Quod etiam ipse dissimulare non potuit. Nam cùm ad disputationem cum Eckio ventum esset, ac inflammatus ira Lutherus, modestiæ fines prætergressus, admonitus à quibusdam fuisset, quando quidem Dei causa tractaretur, vt modestius eam in spiritu lenitatis ageret, in hæc verba prorupit: Non propter Deum hæc res cœpta est, neq; propter Deum finietur: Sic ille morbum animi sui celare diu non potuit.

*Lutheri confeſſio.*

Nunc tu mihi diligenter illud animaduerte, quod ab Augustino scriptum est, duas radices in duobus agris à duobus agricolis plantari. Plantat vnā Christus in cordibus bonorū, plantat aliam Diabolus in cordibus malorum. Quæ plantatur ab hoc, radix est malorum omnium cupiditas: quæ plantatur ab illo, radix est bonorum omnium charitas, de qua dicit Apostolus: In charitate radicati atq; fundati. Nec de radice charitatis aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni nasci potest. Simul illud considera, ex vtra harum radice nata sit causa Lutheri, vt quis illius agricola fuerit, intelligas. Quamlibet in eum suauiter effusus fueris, tamen velis nolis fatearis oportet, q̄ non ex charitatis, sed ex cupiditatis radice processerit, quā in illius corde plantauit Diabolus. Certum est enim & indubitatum, q̄ ne muti isset ille quidem contra indulgentias, si prædicandarum illarum negotium sui ordinis fratribus datum fuisset, sed quod per alios intercipi videbat, quod suis delatum esse maluisset: ea verò iusta illi causa visa est, quamobrem tantas tragœdias exciteret.

*Aug. ſermo. 44. de tempore.*

*1. Tim. 6.*

*Ephe. 3.*

*Ex radice cupiditatis in Luthero plantata fructus nouæ ſectæ proceſſit.*

Habemus itaq; iam ex qua radice processerit prima Lutheri velitatio, nimirum ex radice cupiditatis, quæ crebris contentionibus magis etiam atq; magis aucta est indies. Nam initiò non alia fuit quàm pecuniæ cupiditas: accessit posteà cupiditas gloriæ, quam perniciosior etiam est consequuta cupiditas vindictæ, quæ posteà in odium quoddam exarsit implacabile. Satis constat, minus præfractum initio fuisse Lutherum, vt qui minimè recusaret, eorum quorum debebat iudicio scripta sua subijcere. Extant eius in epistola quadam ad Leonem Pontificem hæc verba, q̄ scripsit ante annos duodequadraginta: Beatissime pater, prostratū me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo: viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit: vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Sed verum est quod à Philone scriptum est, quòd contentio est materia iracundiæ, & ideò contentiosiores quiq; in disceptationibus cæteris q̄ colloquijs ad iram mouentur. Et hoc iræ proprium est, quòd facilè fallitur, fallitq;: vt non temerè quenquam iracundum, veracem reperire liceat, tāquàm deuictum ebrietate animi non corporis. Quātò maiore contentione actum est de rebus, quæ videri poterant initio non maximo cum periculo coniunctæ, tantò longius est à veritate discessum. Et est hoc ita natura comparatum, vt non ferè nascatur error aliquis, qui non secum plures trahat alios: vix vt quemquā reperire liceat, qui posteaquàm in vnum aliquem errorem prolapsus est, non discedat indies à recta via longius. Quemadmodum in cantu si vel vna aliqua in re turbata sit harmonia, per omnia confusa quædam existit dissonantia: ita doctrinæ consensus vna aliqua hæresi & dogmate à veri symphonia discrepante interruptus, subinde fit ad maiorem confusionem progressio. Et sicut in humano corpore loco suo mota qualitatum temperata constitutione, ex qua sanitas & partium ac omniū inter se viriū integritas consistit, alia ex alijs vitia & morbi consequi solent: ita si vel semel sanitas mentis læsa, nec rectè sit constituta, magis indies atque magis afficitur, & ægrotat homo periculosius. Hoc in Luthero quoque visu venisse videmus: Sanabilis erat initio morbus, sed progressu temporibus serpebat malum longius.

*Error vnus ferè plures ſecū trahit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Lutherus à Pontifice oppugnando exoriur sectam.*

Ac primùm quidem fecit, quod est hæreticis omnibus commune, vt Romani Pontificis auctoritatem labefactare, & eum in ordinem cogere conaretur. In hunc rabiem suam conuertit omnem, summaq; contentione perficere conatus est: vt plurimorum ab eo voluntates alienaret, & eum in ordinem redigeret: quò sic gubernatore sublato (sicut ait ille) atrocius atq; violentius circa Ecclesiæ naufragia sibi grassari liceret. Itaq; facinus ingens aggressus, omnes Pontificij iuris libros cum plerisq; literis pontificijs, vulgò bullas vocant, incendit. Nec ita multò post librũ scripsit de Captiuitate Babylonica, in quo ne Sacramentis quidem intactis, sursum ac deorsum omnia miscere conatus est. Hanc illius insolentiam cùm per triennium tolerasset Leo Pontifex, ac multùm, sæpeq; monendo vt in viam rediret, nihil profecisset, fecit tandem pro officio suo, vt eum hæreseos condemnaret, & è cœtu piorũ eijceret: ex quo iam anteà ipse se eiecerat. Hic ille magis atq; magis furere, ac rationes omnes inuestigare, quibus odium erga Pontificem suum expleret: quem de gradu suo deiectum, atq; omni prorsus auctoritate spoliatum cupiebat. Vna hac in re curę illius, cogitationesq; consumebantur omnes. Itaque non iam ille scribendis deinceps libris, quid esset, aut quid non esset cum pietate, cũ veritate coniunctum, sed quid incõmodare Papatui maximè posset, spectandũ esse putauit: vt quicquid scriberet, quicquid diceret, qcquid faceret, omnia in odiũ & despectũ Papæ, Cõciliorum & Episcoporum faceret. Fatetur hoc adeò ipse in quadam epistola ad Argentinenses, ad quos in hæc verba scripsit: Hoc diffiteri, inquit, nec possum, nec volo, quòd si Carolstadius aut alius quispiam, ante quinquennium persuadere mihi potuisset, in sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinxisset: grauibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus neruis extensis me obtricare & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebam, hac re Papatui valdè me incommodare posse. Nónne hic apertè confitetur ipse, peregrina sua doctrina populo inculcanda non hoc se spectasse, vt Christi gloriam propagaret, vtq; veritatem illius patefaceret, sed vt odio ipse erga Papam excæcatus, eodem illius odio cæteros inflammaret? Tanta autem fuit mens illius infuscata maleuolentia, Christum vt præsentem in Eucharistia libenter fuerit negaturus, dummodò per hanc occasionem incommodare Papatui potuisset.

*Cyp. li. 1. epi 3.*
*Luberi certamen contra Ecclesiæ Sacramenta.*

*Damnatus à Pontifice Lutherus, nihil nisi Papatui incommodare excogitat.*

*Testimonium Lutheri.*

*Lutherum malo spiritu actum pleraque perfecisse.*

Cùm itaq; in omnibus dictis, scriptis, factis suis, non alios quàm iram & odium pestimos consultores adhibuerit, erit adhuc quispiam qui dubitet, quæcunque ab eo profecta sunt, aliundè quàm à Diabolo profecta esse? Si quis est huiusmodi, tollet illi dubitationem hanc Lutherus ipse, qui in libro quem inscripsit de Missa angulari, quem habuerit auctorem doctrinæ suæ, non obscurè fert. Inducit enim ibi Diabolum secum disputantem, ac fortiora contra Missam argumenta proferentem, quàm quæ refelli à se potuerint. Cuius etiam vocem inibi describit, quòd ea grauis & robusta fit, tamq; terribiliter insonet, vt vsu quandoq; eueniat, quòd post collationem cum Dæmone nocturnam homines postridie manè mortui reperiantur: Nam & corpus, inquit, occidere potest, deinde verò animam ita reddit anxiam, vt in vno momento quandoq; necesse habeat è corpore migrare. Quod sæpè sibi quoque ipsi propemodum accidisse scribit. Quin & accidit ad extremum. Nam qui vesperè bene potus erat & hilaris, postridie manè repertus est in lecto mortuus, cùm totos annos vndetriginta magnos in Ecclesia Dei motus excitasset. Atq; hoc est illud, quod adeò magnificè prædicatur à quibusdam, Dei verbum & Euangelium non à Christo, sed ab auctore Satana profectum, sicut ipse fatetur, qui primus id in lucem edidit. Nam ab eo sibi gloriatur argumenta esse suppeditata, quibus & sacerdotium & sacrificium euerteret. Quibus euersis, quid aliud quàm Deus ipse sublatus è medio, vel saltem in ordinem coactus esse videtur? Nam vbi nullum sacerdotium, nullum est sacrificium, ibi consequens est, nullum etiam Deũ agnosci. Quamobrem cùm sibi conscius esset Lutherus, à quouis alio potius, quàm à Christo suum Euangelium esse profectum (si modò tam impiam doctrinam tam præclaro nomine appellare fas est) noluit sectatores suos vocari Christianos, quod nomen commune fuit omnium, qui ante quadraginta hos annos, quibus Lutheri dogmata in vulgus spargi cœperunt, Christum professi fuerant, sed vocauit eos Euangelicos, vt vel ipsa hac appellatione se, suosq; à Christo & à corpore eius vna, sancta, catholica, Apostolica Ecclesia segregatos, neq; sibi commune quicquam esse cum Christo declararet.

*Lutheri sectatores dicti Euangelici.*

*Cur Lutheri doctrina probari nõ possit.*

Habet Maiestas tua, vnde sit profectum istud, quod nunc nonnulli vocant Euangelium, & purum Dei verbum, idq; ex propria ipsius auctoris confessione, qui sicut olim dixit Christus: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris, cœlestem illum patrem suum Deum indicans, sic & ipse dicere non dubitauit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit mè patris diaboli, à quo sibi suppeditata gloriatur argumenta, quibus & sacerdotium & sacrificium euerteret, atq; ita verum veri Dei cultum abrogaret omnem. Quòd si non confiteretur hoc ipse Lutherus, vel res tamen ipsa clamat, quod ille primus in lucem ætate nostra protulit, non Dei, sed diaboli verbum esse. Etenim Deus noster sicut à Paulo scriptum legimus, Deus est pacis & dilectionis, non dissensionis: qui verò diuidit inter fratres, diabolus est, ait Propheta: Cùm igitur ex verbo Lutheri tanta diuisio, tanta separatio sit subsequuta, quantam nunc in Ecclesia (proh dolor) videmus, cùm ex eo tot sectæ tam dissectæ sint prognatæ, cuius id alius quàm diaboli verbum esse credimus? Omnis spiritus, ait Ioannes, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Soluit autem Iesum, quemadmodum vbi de traditionibus agebamus, ex Augustino pluribus docuimus, qui vel Ecclesiam à capite suo Christo, vel seipsum ab Ecclesia, vel Ecclesiam in se ipsa separat ac diuidit. Christus propterea mori dignatus est, vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Lutherus propterea & scripsit & fecit omnia, vt quos pretioso sanguine suo Christus congregauerat, eos dispergeret. Deinde verò mortis etiam suæ genere Christus declarauit, quàm sibi displiceret

*Ioan. 7.*

*2. Cor. 13.*
*1. Cor. 14*
*Oseæ 13.*

*1. Ioan. 4.*
*Iesum soluere.*
*Aug. tract. 6. in epi. Ioannis.*



ceret omnis diuisio. Nam neq; Ioannis mortem sustinuit capitis truncatu, neq; sicut Esaias Propheta, serra dissectus est, vt in morte sine mutilatione corpus integrum seruaret, & cauſa subduceretur ijs, qui cupiunt Ecclesiam in partes discindere. At Lutherus per omne vitæ suæ tempus nihil aliud maiore studio contendit, quàm vt quod integrum corpus Christi inter manus persecutorum in cruce permanserat, id inter manus Christianorum iam deinceps integrum esse desineret: Itaque quod non fecere tum impij milites, vt frangerent corpus CHRISTI, fecit hoc iste, speciem pietatis habens, virtutem autem eius abnegans, vt in multas partes diuideret totum corpus Christi, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Et erit adhuc, qui dubitet verbum illius verbum diaboli esse? Cuius ita proprium est diuidere, lacerare, spargere, sicut Christi proprium est, quæ dispersa sunt, congregare.

*Luthe. studia plena dissensionis ac diuisionis in Ecclesia.*

*2. Tim. 3.*

Neverò putes, temerè nos Martinum Lutherum arguere diuisionis & dispersionis in Ecclesia Dei factæ, audi pientissime Rex, in quot ille sectas, quàm dissectas nobilissimum Christi corpus dissecuerit: Nam simul ac licere sibi voluit, inflatus sensu carnis suæ, à communi consensu totius Ecclesiæ certis in dogmatibus discedere, vide quæso, quot & quantarum is discessionum ac separationum auctor alijs deinceps fuerit. Erat quasi frater illius amicus Andreas Carolstadius, quem arctissima necessitudine sibi deuinctum habebat: is non totos duos annos in eadem cum eo sententia permansit. Nam dum absens à VVittemberga fuisset Lutherus, præter voluntatem illius Missam abrogauit, habitum religiosum abiecit, sacrosanctam Eucharistiam prophanis manibus attrectari fecit, concitatæq; plebi fuit auctor, vt quasi portis effusa patentibus, infesta signa templis & aris inferret, & ex illis imagines eijceret. Quamuis autem VVittembergam reuersus Lutherus, rem ipsam non improbaret, quoniam tamen alio quàm seipso auctore factum esset, quasi minus rectè neq; ordine factum, grauissimè reprehendit. Adeò ferre non potuit vel statui vel mutari quicquã ab vllo mortalium, siue in doctrina, siue in ritibus, nisi priùs id per ipsum ita fieri debere, sancitum fuisset: Tanta fuit in homine gloriæ cupiditas, vt quod ad illius amorem attinet, rectè dicere potuerit: Riualem possum non ego ferre Iouem. Scripsit is duos libros contra cœlestes Prophetas, in quorum altero monet, vt prædicatoribus qui imagines per plebem ejici iubent, aqua & igni interdicatur, aut tale in eos exemplum edatur, vt abstinere deinceps necesse habeant, quòd ab imaginum demolitione venitur ad cædem. Boni Domini, inquit, non hic est diaboli scopus, vt oppugnentur imagines, sed vult sibi foramen fieri, per quod sanguinem profundat, & cædes faciat in orbe terrarum. Spiritus iconomachorum non est bonus, spirat enim cædes & seditiones, etiam si celet & dissimulet ad tempus, quamdiu non videt opportunitatem. Itaq; acerbæ inter eum & Carolstadium inimicitiæ exarserunt, & sic est alter in alterum debacchatus, vt vterque sit alteri factus plusquam hæreticus. Inimicitiarum aũt & contentionum hęc quoq; non minima causa fuit, quòd vterq; sibi gloriam hanc vendicabat, quòd primus ipse veritatem Euangelicam in lucem extulisset. Et constat primum fuisse Carolstadium, qui sacerdos cùm esset, vxorem duxit, & ea fecit, quæ paulò antè commemorauimus: quo nomine laudem assertæ veritatis Euangelicæ sibi deberi putabat. Sed cùm anteferri sibi Lutherũ videret, qui & ingenio, & doctrina & lingua vulgaris eloquentia longè præstabat, visum est illi, quò suum quoq; nomen celebre ad posteros transmitteret, nouum doctrinæ genus proferre: quod cùm Lutherus non dum attigisset, nullam inuentæ huius gloriæ partem arrogare sibi posset.

*Sectarum auctor Lutherus.*

*Andreas Carolstadius.*

*Lutherus gloriæ cupidiss.*

*Primus apud Germanos sacerdos, qui duxit vxorem Carolstadius.*

Cui doctrinæ proferendæ constat occasionem Lutheri scripta dedisse, qui sicut Caluinus etiam fatetur, transsubstãtiationem oppugnans, classicum canere visus est, ad Sacramentariorum hæresim excitandam. Docuit enim Lutherus etiam post consecrationem panis & vini substantiam in Eucharistiæ sacramento remanere. Quod sic nonnullis acceptum est, quasi quem scripturę produnt incarnatum, eum ipse Christum doceret impanatum, quem etiam extra sumptionem in Eucharistia nefas esset adorari. Quasi verò non vertro foret admotum, tanta vis esse verborum Christi non posset, vt illud Christi corpus efficerent. Quid autem hoc est aliud quàm scripturæ verba peruertere, & loco illius, quod à Christo dictum est, Hoc est corpus meum, dicere, hoc erit quando sumetur? Cæterùm Buceri fraudibus adductus est Lutherus ante annos viginti, vt in hanc sententiam illius iret: nam non aliter sibi persuaderi passus est, vt corpus & sanguinem Christi in S. Eucharistia substantialiter esse confiteretur, quàm si vicissim hoc sibi Lutherus concessisset, quòd extra visum non sit ibi corpus & sanguis Domini: quemadmodum articulum Louanien sem decimumtertium explicans vir insigni doctrina præditus Ruardus Tapper scriptum reliquit. Sic dolis Buceri captus Lutherus, dum in suam factionem pertrahere Bucerum conatur, factus est & ipse Sacramentarius. Nihil est enim quod magis valeat ad confirmandam Sacramentariorum hæresim, quàm hoc Buceri dogma, quod à Luthero fuit approbatum. Qua de re non vno loco Ioannes Caluinus gloriatur. Hactenus progressus erat Lutherus. Huc tamen impietatis nondum proruperat, vt auderet negare, præsens in Eucharistia Christi corpus & sanguinem adesse. Primus hoc ætate nostra negare ausus fuit Andreas Carolstadius, cui Philippus Melanchton hoc tribuit elogium, hac ipsa de re scribens: Carolstadius, inquit, primùm excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animaduertimus: tantùm abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. De quo & illud alibi scribit: Quod sicut Lutherus Papæ, sic ille vicissim odio Lutheri nõ aliqua pietatis opinione controuersiam hanc de Cœna Domini mouerit, Ac addit præclaram sen-

*Caluinus in defens. 2. contra Ioach. VVest.*

*Luthe scripta sectæ Sacramentariorũ occasionem dederunt.*

*In epist. ad Frid. Miconium.*

tẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentiam,cui vtinam ex animo faueret: Meo certè iudicio,inquit, magna est temeritas,dogmata serere non consulta Ecclesia veteri. Et tamen,hic talis,qualis à Philippo describitur,ita multos reperit,qui nefarium hoc dogma suum approbarent, vt plures iam Sacramentarios,quàm Lutheranos,videre liceat:& inter eos non paucos excellenti doctrina,& singulari quadam dicendi suauitate præditos, qui Carolstadium, quàm Lutherum ducem sequi maluerunt. Itaq; contra genus hoc hæreseos complures libros edidit, in quorum vno cui titulum fecit,contra Zuinglium, Oecolampadium, aliosq; nouos Vicleffistas, grauiter in hoc sectæ genus inuehitur, & eos in decem fermè foramina atq; effugia scripturarum lacerasse scribit. Neq; se legisse turpiorem vnquàm hæresim, quæ statim in initio tot inter sese capita,tot sectas habuerit:etiam si in principali causa,vtpotè in persequendo Christum,vnanimes existant. In eo verò libro quem inscripsit, quòd ista verba Christi, Hoc est corpus meum,adhuc firmiter stant,septem:In illo autem,quem paulò antè,quàm fuisset mortuus, breuem confessionem inscripsit de venerabili sacramento Eucharistiæ, enumerat octo diuersas & Pugnantes inter se verborum istorum, Hoc est corpus meum, interpretationes. Quarum prima fuerit Carolstadij,secunda Zuinglij,tertia Oecolampadij,quarta Suenckfeldij,quem per contumeliam Stenckfeldium vocat,ac post alios nonnullos Campani septima,cæterarum enim auctores nominatim non exprimit. Quòd si viueret is adhuc,plures etiam ei enumerando recensere liceret. Eò enim iam amentiæ sunt atq; audaciæ nonnulli progressi, vt etiam ipsa Christi verba in consecratione cœnæ Dominicæ mutare,proq; eo quòd ille dixit:Hoc est corpus meum,non fuerint veriti dicere,Hic est panis meus. Alij verò prorsus omittere verba consecrationis non dubitarunt,sic enim enunciant:Accipite,comedite, hoc facite in mei commemorationem:quemadmodum à Ioachimo VVestphalo, & Erhardo Schneppio legimus annotatum. Quanquam etiam superstite Luthero quendam exortũ fuisse terræ filium,scribit Iulius Pflug(cuius tanta est pietas, cum nõ mediocri doctrina cõiuncta,vt etiam hostes Ecclesiæ Dei,quòd verè Episcopum agat,confiteri necesse habeant) qui negaret,necessaria esse ad Eucharistiam verba Christi,quibus ea consecretur: quin nec speciem panis aut vini necessariam esse,sed satis esse,si motu interiori cordis Eucharistia capitur.

*Ioach.in libello quẽ inscripsit, Recta fides de cœna Domi. Schnep. in confessione de Euch. Iul. Pflug.in epist ad Eras. Rotero.*

Ecce fructus quos nobis attulit quintum istud Euangelium,per quod impij licere sibi volunt,etiam ipsa Christi verba in huius Sacramenti, quod est vnum omnium excellentissimum,consecratione vel mutare,vel prorsus prætermittere. Quod etiam in eius Sacramenti administratione,quod solum de necessitate salutis est, (vtcunq; neget id Caluinus) liberum esse vult hic ipse, cuius hic libellus quem confutandum suscepimus, tibi Sereniſſime Rex,dicatus est, Ioannes Brentius. Nam cùm disertis verbis hanc nobis formam Christus præscripserit,vt baptizaremus in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti, negat is baptismi virtutem ad certa verba Christum alligare voluisse: quòd non instituerit magiam,quæ ad certam verborum formam,aut certos ritus alligata sit. Itaq; nihil in eo piaculi fore putat, si mutetur sonus, dummodò remaneat sententia verborum Christi. Hæc iste,quem numinis instar colit Vergerius, cuius scripta dictaq; pro diuinis oraculis haberi vult. Videsne item ꝙ fœcundi monstruoso suo partu sint hæretici? Vix enim eorum quenquam reperies, qui vel nouam hæresim protulerit,vel veterem aliquam olim damnatam instauauerit,qui non multis erroribus,portentis,& monstris comitantibus stipatus incedat. Est autem hæreticorum hoc proprium,vt corrigi nolint:ac si reprehendi videant errata sua,quæ vnicè admirantur, & modò non adorant tanquàm idola manuum suarum, tantùm abest, vt mitescant,aut emendentur eiusmodi reprehensionibus,maiore etiam vt eorum odio qui reprehenderunt,inflammentur,atq; proficiunt in peius indies errantes, & in errorem mittentes. Huc perducit eos scelerata quædam vindicandi cupiditas, qua sic mentes eorum excæcantur,vt verum videre nequeant,sed falsa pro veris amplectantur. Documento nobis esse potest Lutherus, qui scribit ipse,quòd à fratre quodam reprehensus fuerit,quòd senserit aliquando,pulchrum fore, si pro Laicis vtraque Sacramenti species porrigenda statueretur in Concilio generali. Nunquid autem satis habuit ille reprehensionem hanc fratris deri non maximi momenti diluisse? Minimè gentium. Sed video,inquit,illis otium & chartas abundare:dabo operam,vt negocium scribendi habeant copiosum: Præcurram enim, vt dum glorioſissimi victores de vna aliqua mea hæresi(vt eis videtur) triumphant, ego interim nouam moliar. Profert mox nouam hæresim,ac impios omnes declarat,qui Laicis vtriusq; speciei communionem denegant. Atque illo quidem loco solos eos impietatis arguit,qui Laicos arcent à calice. Sed audi,quò paulò pòst progrediatur maiore quodam furoris œstro percitus. Quam penes Concilium prius potestatem esse volebat,vt Laicis vtraque species daretur,statuendi,non ita multò pòst eam abrogat, nec veretur os impudens ita dicere: Si quo casu Concilium statueret,minimè omnium nos vellemus vtraq; specie potiri,imò tum primùm in despectum Concilij vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri:& planè eos anathema habere, quicunq; auctoritate talis Concilij potirentur vtraq;.Quid scribi potuit arrogantius?scilicet si Concilium,ad quod ex vniuerso terrarum orbe doctissimi,grauissimi,sanctissimi viri conuocati fuerint,nullam esse causam declarauerit,cur à calice diutius abstineatur,irritum erit concilij decretum,hoc & inane: sin autem hoc ipse Lutherus ita sanxerit, tum demùm ratum & firmum erit. Cæterùm posteaquam semel ille veterum doctorum scripta,sanctissimorum Pontificum decreta, Conciliorum etiam Oecumenicorum,hoc est,totius Ecclesiæ Catholicæ placita contemnere cœpit,& pro nihilo habere,tandem eò progressus est,vt sicut paulò antè meminimus,& sacerdotium,& sacrificium euerteret quin ipsum etiam ex hoc sacramento Christum extra manducationẽ tol-

*Formam verborũ baptismi mutare fas Brentius.*

*Hæretici reprehendi non sustinent.*

*2.Tim.3.*

*Luth. de Capt. Bab.*

*Luth. quam fastuosus & arrogans.*

*Luth. in lib. de formula Missæ.*

*Luth. auctor sacerdotij & sacrificij euertendi.*



tolleret,ac debitam ei venerationem exhiberi prohiberet: cùm priùs etiam post consecrationem in Eucharistia panem & vinum remanere docuisset. Inde sumpsit originem posteà Sacramentariorum hæresis. Et quemadmodum licere sibi voluit Lutherus priuata sua auctoritate veteres abrogare,nouos ritus instituere: sic sibi quoque veniam hanc dari debere Caluinus cum suis existimauit, cùm nihilo se Luthero vlla in re inferiorem esse iudicaret. Fecit igitur ille quod adhuc à Luthero & sectatoribus eius factum non fuit, vt & sacras vestes, cùm res diuina fieret, & luminarium vsum, & campanarum pulsum prorsus reijceret: ne quod esset inter sacra & prophana discrimẽ, néve si quid esset honoris habitum huic venerabili sacramento, plus aliquid in eo quàm panis & vinum esse crederetur. Quin etiam ex hac vita migraturis sacramentum Eucharistiæ dari vetuit, quod non sine causa tamen fuerit à priscis illis viaticum appellatum. Neq; enim putauit ad illud admittendos, nisi qui cum reliquo cœtu cõmunicare possent: quibus neq; confessis, neq; absolutis dari sacramentum hoc voluit. Dies præterea festos, tum & Euangelij & Epistolarum iuxta receptum Ecclesiæ morem lectiones abrogauit. Ac ne solùm esset Eucharistiæ sacramentum, in quod sibi liceret omnia, etiam de Baptismi sacramento nouam doctrinam protulit. Cùm enim ex Lutheri didicisset, eos Christi mortem euacuare, & alium præter Christum mediatorem quærere, qui putant opera sibi esse ad salutem necessaria, quoniam & Baptismus opus quoddam est, visum est illi, quod aliud præter mortem Christi medium inducant, qui nos Baptismo fieri saluos docent: quodq; Christi sanguini reliquum nihil faciant, qui medicinam peti volunt in aqua Baptismi. Docet igitur infantes, modò sint ex Christianis parentibus prognati, extra Baptismum etiam Christi membra fieri, in Dei filios adoptari, regnig; cœlestis hæredes effici. Itaq; cùm non multùm ad salutem interfit, baptizẽtur nec ne, facilè fert eos absq; Baptismo ex hac vita migrare. Quid iam nobis intactum isti reliquerunt? Quorsum audacię & amentiæ non proruperunt? qui etiam ipsa Sacramenta, sine quibus saluus esse nemo potest, conuellere & labefactare veriti non sunt.

*Calui.in quo Luthe rum sequatur & superet impietate.*

*Collatio Luther. & Zuing. & eorum. terus præsens.*

Habes iam igitur duo Euangelia, si modò tam claro nomine tam impias sectas appellare fas est Lutheranorum vnum, Zuinglianorũ alterum. Nam vtraq; pars quod ipsa sentit, solum id purum putum Dei verbum & Euangelium esse deierauerit. Si doctrinam cõsideres, aut superiores, aut certè nihilo sunt inferiores Zuingliani Lutheranis, non pauciora quàm ij scripturarum examina proferunt, orationis verò splendore, persuadendiq; vi multò præstare videntur. Si speciem spectes pietatis, non eunt hoc inficias etiam ipsi Lutherani, quod ea sit maior in Sacramentarijs. Sic enim scribit de illis Nicolaus Amsdorffius: Anabaptistę & Sacramentarij iam imponunt Germaniæ sua sanctimonia, quemadmodum imposuerunt monachi vniuerso mundo. Si multitudinem inspicias, hac quidem longè superant. cùm ex Lutheranis plurimos in suam sententiam pertraxerint. Fatentur hoc ipsimet: sic enim scribit Ioachimus Vvestphalus: Nulla falsa doctrina tam latè dispergitur, nulla tanto conatu & hypocrisi defenditur, nulla tam multos homines abripit in errorem, quàm falsa doctrina de Eucharistiæ sacramento. Qui etiam alio quodam in libro cõtra Caluinum scribens suos propter paucitatem vocat imbellem turbam præ copijs ingentibus, quibus gloriari Caluinum & confidere dicit. Palàm autem illud est, quòd præter Saxonicas ciuitates pauci admodum Lutheri receperunt Euangelium: omnes alij siue apud Heluetios, siue in Germania, aut Catholici sunt, aut Sacramentarij. Quòd si pertinaciam intuearis in errore tuendo, tantùm abest, vt hac in parte Lutheranis cedant Zuingliani, priores vt etiam eos ferre Caluinus glorietur: qui dum alacriter ad mortẽ imprimis terrificam se obtulissent, suos quàm Lutheranos multò fuisse promptiores asserit ad fidei suæ, sicut ipsi videtur, veritatem sanguine suo obsignandam. Quin si catalogum legas eorum Pseudomartyrum, qui nostro seculo propter hæresim suam oppetere mortem non dubitarunt, plures inter eos Zuingliani, neq; minus ij, quàm illi de puro Dei verbo se iactent, vtriq; tamen sunt alteris plus quàm Lutheranos reperies. Cum itaq; nulla in re sint inferiores Lutheranis Zuingliani, hæretici. Lutherani præsertim sic detestantur Zuinglianos, vt eos ne quidem audiendos esse putent, ac sceptro potiùs magistratus eorum blasphemias, quàm stilo refutandas esse censent, vt quęrantur etiam de Lutheranis Sacramentarij, quòd non sustulerint, sed potiùs ad se pertraxerint Papæ tyrannidem: proq; ligneo iugo Papæ collo excusso, ferreum ab illis impositum sit. Sed negat Ioachimus Vvestphalus, hanc esse tyrannidem, si quis obsistat Pschotyrannis Hæreticis, nec eos tyrãidem suam blandam illam quidem, sed fœuissimam & nocentissimam in ouile Christi permittat exercere, nõ qtidem externo gladio, quo corpus tantum occiditur, sed pestilentis doctrinæ veneno, quo Diabolus interimit animas blandiendo & mentiendo. Pastor, inquit, non agit tyrannum, qui repellit lupos: magistratus non exercet tyrannidem, si secundum legem coërcet maleficos, & de sontibus sumit pœnas. Ecclesiastæ non sunt accusandi de tyrannide, qui noxios Ecclesię & pertinaces excõmunicant, voce & scriptis seductores reprimunt, gubernatores politicos admonent sui officij, edicta & necessariam seueritatem magistratus approbant. Minùs Ecclesia affligeretur à Pschotyrannis, minus acciperet damni: non ita multi, vt nunc fit, seducerentur, seducti minus pertinaciter hærerent in suis erroribus, si magistratus & ministri Ecclesiastici seuerioribus remedijs prosligarent morbos grauiores, qui contagijs afficiunt membra corporis sani. Hæc ille verissimè non contra Sacramentarios magis quàm cõtra suos quoq;. De sacramentarijs autem Martinus Lutherus hanc tulit sententiam: Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse, Zuinglianos & Sacramentarios omnes, qui negant Christi corpus & sanguinem ore carnali sumi in venerabili Eucharistiæ sacramento. Qui etiam in epistola quadam ad illustrem virum Albertum Marchionem Brãdenburg. in Prussia Ducem, negat cum illis tractatus vllos habendos, quando quidem ab initio quàm latè patet Christianus orbis,

*Ioach. Vvestphal.*

*Nicolaus Amsdor. In libr. Recta fides de cœna.*

*Luth. quo damnat Sacramẽtarios, etiã se & suos damnat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vna fuerit & concors omnium de hoc Sacramento sententia. Proinde, inquit, si quis nũc de eo dubitat, perinde facit, atq; si nõ credat vnam, sanctam, Catholicam Ecclesiam: qui etiam nõ solùm Ecclesiam vniuersam hæreseos condemnare videtur, verùm etiam Christum ipsum cum Apostolis & Prophetis suis, quorum grauissimo testimonio corroboratus est hic articulus, quo nos credere profitemur sanctam Ecclesiã Catholicam. Sic enim ait Christus: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et Paulus Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis. Deinde verò testimonium contra illos fert ipsa eorum propria opinio, cùm in istius textus expositione sic inter se dissident, vt septem propemodum aut octo liceat interpretationes reperire. Hic Lutherus non contra Zuinglianos magis quàm contra seipsum suosq; non minus & dissidentes inter se, & cõsensum Ecclesiæ pro nihilo ducentes, verissimam tulit sententiam. Pergit autem ad eundem Ducem scribens: Quocirca moneo & peto Illustrissimam vestram, velit eiusmodi homines vitare, nec eos in ditione sua ferre: Nam illud necesse est, vt secum reputet, si permiserit in suis terris versari sectarios eiusmodi, cùm prohibere possit, quòd multum grauabit conscientiam suam, ac vix vnquàm eam trãquillare poterit. Sic Lutherus ne receptum quidem à suis dandum esse Sacramentarijs censuit, quos etiã non dubitat vocare Satanæ ministros, mendaces, imò ipsum mendacium, fucum & simulationẽ. Et in eo libro, qui inscribitur, Confessio de Cœna Christi, monet vt haud aliter caueant sibi omnes à Zuinglio, quàm à Satanæ veneno. Hæc est Lutheri de Sacramentarijs censura.

*Quid Sacramentarij de Lutheranis iudicent.*

Nunc audi vicissim, quid illi sentiant de Luthero, deq; sectatoribus eius: Speciem, inquit, Oecolampadius, verbi Dei adferunt Lutherani, verbum Dei non adferunt, id quod Hæretici passim facere solent, omnesq; volunt videri verbo Dei niti. Bucerus verò scribit Lutherum ab omnibus accusari imperiosæ & acerbæ dicacitatis, & quòd non patiatur sibi aliquo cõtradici. Si exigit, inquit, Bucerus, ne quis à se vlla in re dissentiat, probet se esse Deũ. In vertendis & explanandis scripturis manifesti sunt, neq; pauci eius lapsus. Sic non minus Zungliani sibi fas esse putauerunt dissentire à Luthero, quàm sibi licere Lutherus voluit, dissentire ab vniuersa Ecclesia. Tigurini verò ministri, respondentes ei libello, quem paulò antè quàm fuisset mortuus, contra Zuinglianos ediderat Lutherus acerrimè contra eos inuectus, inter cætera sic aiunt: Prophetæ & Apostoli, Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant, sed peccatorum salutem quærebant vnicè: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Satanæ tradit, quotquot illius sententię non illicò subscribere velint: & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quàm minimum verò amici & paterni animi deprehẽditur. Hoc est vicissim Sacramentariorũ de Luthero, deq; sectatoribus eius, ac Lutheri de Sacramentarijs iudicium. Quin aũt vtrunq; verũ & rectum sit, cùm ex eadem vnius magistri Satanæ schola sint vtriq; profecti, dubitandum non est. Ac iactatur quidem à nõnullis, consensionem esse factam inter Zuinglianos & Lutheranos de sacramento Eucharistiæ. Cæterùm ne quis erret, quid hac de re compertum habeamus, paucis perstringere visum est. Quanta fuerit contentio inter Lutherum, qui panem esse affirmabat corpus Christi substãtialiter & realiter: & Oecolampadiũ atq; Zuinglium, qui signum & figuram esse tantùm dicebant, iam demõstrauimus. Quæ posteà quàm semel efferbuit, sic progressu temporis adaucta est & inflãmata, vt acerbissimè fuerit per annos plus minus quindecim exagitata, cùm sicut scribit Caluinus, neutri alteros æquo animo & placido audire sustinerent: Nam etsi, inquit, semel cõtulerunt inter se, tanta tamen animorum alienatio fuit, vt re infecta discesserint. Itaq; cùm ad concordiam aliquam accedendũ esset, magis ac magis regressi sunt, nihil aliud spectãtes, quàm vt opinionem suam tuerentur, & contrariam refutarent. Id cùm videret Caluinus, iudicem inter vtrosq; se constituit, haud aliter atq; Muncerus inter Papam & Lutherũ, neq; Zuinglij minus & Oecolampadij, quàm Lutheri sententiam damnauit, ac suam quandam attulit nouam, & à seculis inauditam, quæ non solùm priscis illis Doctoribus, verùm ipsis etiam nostri seculi Sacramẽtarijs prorsus fuit incognita. Docuit. n. panem & vinum in mẽsa Domini proposita, nihil aliud esse, quàm arrabonem, & quasi sigillum, oẽs promissiones in Christo nobis factas confirmans & stabiliens, idq; sine scripturarum, sine Patrum, sine collegarum etiam suorum auctoritate. Qua quidem re nõ magis Lutherum, quàm scholam etiã ipsam Tigurinam offendit: quæ cum Vlricum Zuinglium tanquàm primum doctrinæ suæ auctorem colat, ferre non potuit, eum à Caluino reprehendi, ac præter omnem scripturarum auctoritatem nouam ab eo quandam opinionem de Cœna Dominica adferri: quam vt placaret, scripsit posteà Caluinus epistolam, in qua conatus est ostendere, se non dissentire à Zuinglio, & alijs eius scholæ magistris, in doctrina de Cœna Dominica, cùm tamen re vera plurimũ ab eis dissentiret. Quin & illud vulgo persuadere conatus est, qui sunt Augustanæ Confessionis, eos habere se coniunctos in sua de Cœna Dominica doctrina. Qua de re ante septem annos libellũ quendam edidit, quem inscripsit: Sũma cõfessionis de Sacramentis: in quo conatus est illud demonstrare, quòd qui sunt Confessionis Augustanæ, de Sacramento Eucharistiæ nihil diuersum ab eo sentiant, quod hi docent qui sunt Confessionis Tiguring, cuius est ipse quoq; Caluinus. Cùm aũt vno vel altero anno nemo cõtra libellum scripsisse quicquam videretur, pleriq; sic interpretabantur, quòd isto silentio Caluini consilium hoc fuerit approbatum. Iamq; voces illæ vulgò iactabãtur, eos qui sunt Augustanæ Cõfessionis, ex Lutheranis factos esse Zuinglianos. Hoc Lutheri quidam sectatores ferre non potuerũt, quòd à Luthero suo defecisse, & in castra Zuinglij transfugisse dicerentur, tum quanta cõtentione dogma Zuinglij de Eucharistia Lutherus oppugnauerit, nemini sit obscurũ. Itaq; nõ defuerũt, qui Caluini scriptũ hoc scriptis cõtrarijs refutarẽt: cõtra quos mox Caluinus edidit ante bienniũ libellũ, cui titulum fecit: Defensio sanę doctrinę de Sacramentis, quam

*In dialogis aduersus Melan.*

*Explicatio de Caluini doctrina circa Eucharist.*

Pastores



Pastores & ministri Tigurinæ Ecclesiæ, & Geneuensis ante hac breui confessionis formula complexi sunt, vnà cum refutatione probrorum, quibus eam indocti & clamosi homines infamant. Edidit non multò post alteram quoq; defensionem contra Ioachimi Vvestphali calumnias: cuius quidem Ioachimi libros, quos nominatim contra Caluinum scripserit, nobis adhuc videre non licuit. Verùm cùm hęc scribere mus, incidit in manus nostras libellus Ioachimi Vvestphali hominis Lutherani, cuius hęc est inscriptio: Iusta defensio aduersus infignia mendacia Ioannis à Lasko, quæ in epistola ad Serenissimum Poloniæ Regem, & c. cõtra Saxonicas Ecclesias sparsit. Scribit is in epistola ad Senatores Francofordenses, etiam vigente Luthero fuisse Francoforti ad Mœnum, qui insinuarẽt animis errorem Zuinglij, idq; facerent astutè sub vmbraculo & prætextu, quasi à Saxonicis Ecclesijs nõ dissiderent: à quibus vt sibi diligenter cauerent, scripto quodam suo Lutherus hortatus eos fuerit. Mortuo verò Luthero multò maiore eos licentia & impudentia mendacia eiusmodi sparsisse, quòd de sacramento Eucharistiæ cum Augustana Confessione cõsentiant: cùm plurimum interesse dicat inter se Augustanam & Sacramentariorum doctrinam: Cùm qui sunt Augustanæ Confessionis, doceant panem verè esse corpus Christi, carnem & sanguinem Christi verè distribui ministri manibus, & sumi in hoc sacramento ore communicantium: Sacramentarijs contrà tantùm esse symbolum seu figuram absentis corporis dicant, & tantùm dispẽsari & accipi panem & vinum. Quamobrem hortatur Francofordenses, vt consilium Lutheri sequãtur, eiusmodi Pseudoprophetas fugiant, & ex cœtu ciuium relegent. Morbida, inquit, ouis separatur, ne totum ouile corrumpat: Membrum corruptum resecatur, ne noceat reliquis: Separantur corpora hominum, ne immunda lepra vel scabie inficiant sanos: quanto magis separari oportet immundos spirituali lepra mente corruptos, ne oues Christi inficiant & perdant? Apostolus prohibet in domum recipere non afferentes doctrinam Apostolicam, ne recipientes communicent ipsorum operibus malis: quomodo admittendi sunt in consortium populi Christiani, qui afferunt doctrinam Apostolicæ veritati repugnantem? sæpius commendat scriptura hospitalitatem, præcipit opera misericordiæ & charitatis exercere erga exules & peregrinos: verùm ita, ne fides violetur, & ne aduersus multos lædatur charitas. Vt. n. charitatis est, hospitio recipere peregrinos, & his benignè facere, si, p hospitalitate & beneficijs non malefacta rependant, si quieti non turbent Ecclesiam & Remp. ita charitati maximè repugnat, prębere hospitium ingratis, inquietis & noxijs cõmunitati: his parcere, hos fouere, nõ pię charitatis obsequium, sed impię peruersitatis exitiale nocumentum: non misericordia est, sed crudelitas. Hęc Ioachimus in ea quam ad Francofordenses hoc ipso anno, 1557. edita scripsit epistola. Qua de re Tymanus quoq; pastor Bremensis anno proximè superiore plura scripsit in eandem sentẽtiam. Vidimus autem posteà recens admodum editum à Caluino libellum, cui titulum fecit: Vltima admonitio Ioãnis Caluini ad Ioachimum Vvestphalum, cui nisi obtemperet, eo loco posteà habendus erit, quo pertinaces Hæreticos haberi iubet Paulus. In quo simul & Magdeburgenses, & Bremẽses, & Hildesamenses, & alias quasdam Saxonicas ciuitates, quę cõmuni consensu dogma suum damnauerant, grauissimis probris & maledictis insectatur: Sic esse dicit errore suo fascinatos, vt quod pueris in Catechismo traditur, veterani Theologi non teneant. Quid valeat Cœna, quorsum spectet, nunquam gustasse brutos istos homines: ne guttam quidem ingenii puoris in eis esse: nimis largam illis copiam catillationum profluere, dùm Lutheri sui hyperbolas proijciunt, modò plebeculam suos q; fraterculos fascinent, populares theatri plausu cõtentos, nec Dei nec Angelorum iudicium magnoperè curare. Tribuit illis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cœcam temulentiam, caninam improbitatem, diabolicam superbiam, quòd eis superbia sit loco pietatis, quòd eos ferocitas omni humanitate spoliauerit, quòd obstinatio nil moderaminis reliquũ fecerit. Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbam factionem Gigantum, latratores phreneticos, bestias, proteruos, fastuosos, pertinaces, & alijs id genus coloribus depingit. Queritur de illis, quòd se, suosq; indignos esse clamitent, quos terra sustineat: ita, quòd nisi repentè exterminentur è mundo, nõ posse cum eis mitius agi, quàm vt ad Schytas vel Indos ablegentur: accusare eos Principum segnitiem, quòd non exerto gladio protinus deleant Sacramentariorum memoriam. Hæc in eo libello Caluinus. Ex quibus facile quiuis perspicere potest, falsum esse quod de cõsensu iactatur, cùm omnes ferè Saxoniæ ciuitates doctrinam Sacramentariorum condemnauerint. Quamuis intereà dissimulandum illud nõ est, quòd in eodem libello duos Saxonię oculos Vvittembergam & Lipsiam nil simile contra suam doctrinam decreuisse, quodq; sefa diuelli posse scribit. Sed non propterea statim verum est, quia sic scribit Caluinus: nos verò de Philippo meliora nobis pollicemur.

*Hæreticos seuerè tractãdos, & punitos esse.*

*Calvini iudicium de plerisque Lutheranis.*

Existimas fortasse duas tantùm sectas has esse: quæ sibi nostro hoc infelici seculo nomen & auctoritatem Euangelij vendicare sint ausæ? Erras si id putas. Est pernicios ior etiam tertia, quæ quoniam à Catholicis legitimè baptizatos rebaptizat, Anabaptistarum secta vocatur. De quo genere videntur etiam fuisse fratres Vvaldenses, quos & ipsos non ita pridem rebaptizasse constat, quamuis eorum nonnulli nuper adeò, sicut ipsi in Apologia sua testantur, iterare baptismum defierint: in multis tamen eos cum Anabaptistis conuenire certum est. Ac scribit quidem in suis Dialogis Antonius Coruinus, quòd è Zuingliana secta potissimum haud aliter atq; ex equo Troiano prodierint. Sed si quis rem diligentius inspexerit, quàmuis idem illi quòd Zuingliani de sacramento Eucharistiæ sentiant, Anabaptismum tamen suum eos è Lutheri scriptis hausisse reperiet. Certè Balthasar Pacimontanus, qui primus auctor huius sectæ fuisse videtur, idem secum sentire Lutherum gloriatur: quem admodum ipse fatetur in libro quem scripsit ad duos Parochos de Anabaptismo. Testatur

*De tertia secta Anabaptistarum.*

*Antonius Coruinus*

*Balthasar Pacimontanus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Bucerus in cap. 3. Matth.*

autem etiã Bucerus, vnde Lutheri, inde & Anabaptistarũ Euãgelium prodijsse, nimirùm è Saxonia. Cùm ad Vvaldenses scriberet Lutherus, inter alios eorum articulos reprehendebat & hunc, quod paruulos ad futuram fidem baptizarent, quam adulti consequuturi sint. Ait igitur: Præstare prorsus omittere baptismum in paruulis, quàm baptizare sine fide: quia sacramenta neq; debeant, neq; possint sine fide accipi. Si verò sine fide accipias sacramentũ, magno tuo malo accipies. Huic vestræ doctrinæ opponimus nos, inquit, verbum Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hinc occasionem arripuerunt Anabaptistæ. Nam cùm absurdum illis videretur, quod asserebat Lutherus, habere suam propriam fidẽ actu paruulos, sicut revera est absurdissimum, satius illis visum est, omittere Baptismum in paruulis, & eos non nisi credentes baptizare: quòd hoc se verbo Christi niti dicerent, hoc

*Memno Phrisius.*

in æternum esse mansurum vociferarentur, aduersus hoc ne portas quidem inferi præualituras esse gloriarentur. Quorum etiam vnus Memno Phrysius, qui cæteris eruditione præstare videtur: Certè, inquit, hac in re non possum decipi, Verbo tuo Pater cœlestis credidi: illudq; susceпi per Spiritum sanctũ, vt certũ veritatis verbum. Ac paulò pòst: Ego scio certò & firmiter, quòd hac mea doctrina, quod est verbum Dei, in die recti iudicij, non solùm Dominos & Principes: non solum mundum, sed ipsos etiam Angelos iudicabo. Sic ille non minus confidenter & animosè, quàm Lutherus de sua doctrina tanquàm de puro Dei verbo

*Luth. cont. Anabaptistas scribens sẽ iugulat.*

se magnificè iactat. Cæterùm sicut sacramentariorum, sic & hanc sectam Lutherus vehementer est insectatus, & scripsit librum, cuius paulò antè meminimus, ad duos Plebanos, in quo inter cætera his etiam verbis vtitur: Quod dicunt Anabaptistæ, nusquam in scripturis haberi, quòd aut habeant fidem, aut baptizari debeant infantes, fatemur nos id nulla scriptura probare posse, quæ clarè & manifestè talibus aut similibus verbis dicat: Debetis pueros baptizare: nam & ipsi credunt: Si quis nos vrgeat ad demonstrãdam eiusmodi literam, huic nos tanquam victori cedamus oportet: nusquam enim scriptum inuenimus. Boniauem & ratione præditi Christiani, tale nihil à nobis exigunt: faciunt id contentiosi tantùm & præfracti homines, vt esse prudentes videãtur. Contrà verò nullam ipsi scripturam proferunt, quæ dicat: Debetis adultos baptizare, non autem pueros. Mox ex Apostolorum traditione semper in Ecclesia Dei obseruata docet, paruulos esse baptizandos, etiam si nulla scriptura faciendum id esse præcipiat. Ac sicut nuper in Eucharistiæ sacramento, ita nunc in paruulorum baptismo defendendo potissimum Ecclesiæ nititur auctoritate: quam tamen opponi sibi non vult, quoties ipse quacunq; tandem de re quamuis diuturna multorum seculorum consuetudine recepta, scripturam à nobis exigit.

*Anabaptistæ veliquijs sectarijs deteriores.*

Hoc ergo iam tertium est Euangelium, quàm illa duo superiora multò pestilentius. Nam præterquàm quòd cum Lutheranis legitimum sacrificium & sacerdotium abrogat, & cum Zuinglianis in Eucharistiæ sacramento realem Christi præsentiam negat, multa habet alia & blasphema & seditiosa. Publicum enim verbi ministerium prohibet, Deum humanam ex Maria naturam non susceпisse contendit. Chiliastarum errorem renouat, dominationem spernit, nec legitimæ potestati subiectos homines esse vult. Itaque quocunq; peruaserit hæ-

*Exemplum à ciuit. Monasteriensis.*

resecta, turbas & seditiones ingentes excitat. Documento esse possunt cùm alię quędam inferioris Germaniæ, tum præcipuè Monasterienſis ciuitas. Nam sicut Henricus Dorpius Luthe-ranus, & qui historiam eius ex Germanica Latinam fecit Ioannes Sleidanus Zuitugliana, literarum monumentis prodiderunt, eò primùm venerant ante annos quatuor & viginti, qui populo pro Christi Euãgelio Lutheri doctrinam annunciarent: Quos cùm Sacerdotes Catholici non esse ferendos putarent, fecit Bernardus Rothmannus cum suis, quos ad propagandam Lutheri doctrinam Philippus Lantgrauius Hessię miserat, quod Hæretici facere consueuerunt, vt certis doctrinæ Catholicæ capitibus conscriptis, Catholicos ad disputationem prouocarent, idq; Iudice prophano ciuitatis Magistratu: coram quo se probaturos ostendebant, falsam esse catholicorum doctrinam. Cùm autem Catholici Sacerdotes disputationem refugissent, migrarunt è ciuitate, posteaquam eis officio Dei verbi prædicandi fuerat interdictum. Vnus integer annus non intercessit, cùm suam quoq; doctrinam in eadem ciuitate pro Christi Euangelio disseminare cœperunt Anabaptistæ. Cumq; itidem alteri alteros ad disputationem prouocassent, sed eadem illa lege, quę Catholicis anteà lata fuerat, vt nihil præter scripturas Canonicas adduceretur: ecce qui paulò antè eadem hac lege Catholicos ad disputandum prouocauerat Bernardus Rothmãus, primus in illa ciuitate Lutherani Euangelij buccinator, cõditionem non accepit. Sic factum est, vt nulla disputatione habita, Lutherani qui non ita pridem eiecerant è ciuitate Catholicos, fuerint & ipsi non ita multò pòst per Anabaptistas ex ea exterminati. Nam & Senatus loco motus est, templa direpta atq; incensa, & quicunq; factionis Anabaptistarum esse noluissent, per vim ciuitate pulsi sunt. Bernardus verò Rothmannus, Henricus Rolius, & Godefridus Strallen ex Hessia missus, sicut ex Christianis Lutherani, sic paulò pòst ex Lutheranis facti sunt Anabaptistę, & Anabaptistarum Euangelium summa vi propagarunt, verumq; illud esse ostenderunt, quod scriptum est: Impius cùm in profundum venerit, contemnit. Nam si semel aliquis deserit religionem Christianam, cuicunq; tandem sectæ nomen dederit, ei ludus quidam esse videtur, de vna secta in aliam transilire.

*Anabaptistæ inter se dissecti.*

Est autem & hæc Anabaptistarum secta valdè dissecta: Neq; enim doctrinę capitibus inter se conueniunt. In quibusdam Germaniæ ciuitatibus quidam tanquàm œstro perciti nudi circumcursabant, populum ad pœnitentiam hortantes: in omnem intereà seditionis occasionem intenti. Neq; heri aut nudiustertius hæc hæresis nata est, fuit etiam Augustini seculo, & sicut aliæ pleræq; omnes hæreses, sic & hæc statim ab initio multas in partes fuit diuisa. Nam alij vocabantur Donatistæ, alij Rogatistæ, alij Maximianistæ, Circumcelles alij, qui conuersi tandem sunt à factione Donatistarum (hoc enim nomen cæteris erat celebrius)



brius) ad Ecclesiæ Catholicæ societatem: alij Circumcelliones, qui haud aliter atq; nostro seculo Monasterienses reliquos omnes immanitate superabant, quemadmodum & Augustinus non vno loco, & qui vitam eius conscripsit Possidonius, memoriæ prodiderunt. Sed neq; nunc pauciora sunt huius hydræ capita: Sunt enim alij Muncerani, alij Orantes, alij Silentes, Somniantes, pueris similes, Synceri, Impeccabiles à Baptismo, Liberi, Binderliani, Sabbatarij, Maderani, Hoffmannici, & post eos exorti Circuncisi: fortassis & Adamitæ ad Anabaptistarum sectam pertinent. Sunt qui originem huius sectæ ad Thomam Muncerum, quàm ad Balthasarum referre malũt, qui ante annos triginta duos seditionem Rusticorum in Thuringia excitauerat: quo nomine cum debitas pœnas persoluisset, priusquam capitis supplicium lueret, non mediocrem dolorem ostendisse dicitur de seducta plebe: quin & errores suos reuocasse, & peccata sua ritu Catholico confessus, sub vna specie Sacramentum venerabile Eucharistiæ percepisse. Sed qui scripsit eius historiam Philippus, nullam eius rei mentionem facit, quòd reba, tizare docuerit. Immanis hæc est Anabaptistarum secta, si vlla alia. Interea tamen qui nomen illi dederunt, æquè vt Lutherani vel Zuingliani, firmiter credunt & certò statuunt, sibi peccata propter Christum esse remissa, se esse in gratia, seque posse filios omninò regnum cœlorum: & idem vt quilibet credat, certoq; statuat, à suis omnibus exigunt.

*Aug. epist. 50. & 30 & de hæresibus her. 69.*

*Possid. in vita Aug. cap. 10.*

*Thomas Muncerus ex Anabaptista Catholicus.*

Ex quo videre licet, quàm falsum sit Lutheranorum illud axioma, cuiuis homini ad peccatorum remissionem assequendam esse necessarium vt firmiter credat, certoq; statuat, absq; vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis esse peccata sibi remissa. Quod sicut omnibus Hæreticis inter ipsos fuit semper, & est commune & proprium, sic apertè scripturis fideiq; Catholicæ aduersatur. Quid esse potest illa scriptura apertius: De propitiato peccato noli esse sine metu? Etiamsi certò sit remissum peccatum, non vult tamen Spiritus sanctus, vt omninò securi simus. Isti contra, capitale crimen esse putãt, si quis vel minimum dubitet, sibi remissum esse peccatum. Dicit eadem scriptura: Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. Huic scripturæ an non contradicunt, qui certò de se statuere & pronunciare audent, sibi peccata esse remissa, seq; esse in gratia? cùm præsertim iustificatum esse nihil aliud sit apud illos, quàm peccatorum remissionem esse consequutum? Loquitur alia scriptura: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. An verò isti non sibi quod Dei proprium est arrogãt, qui se corda sua scrutari, & cognoscere posse confidunt? quod ille certè sibi non fuit ausus arrogare, qui dixit: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: Neq; ille, qui dixit: Verebar omnia opera mea, sciens quòd nõ parceres delinquenti. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Monet Paulus: Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dñs, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium. Ac ne quis putet ipsum de eo tãtum quo alios, non autem quo nos ipsos iudicamus iudicio, loqui, quæ paulò antè præcedunt, de quo loquatur, manifestum faciunt: Sed neq; meipsum, inquit, iudico. Nil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: Qui aũt iudicat me, Dñs est. Ecce Paulus vas electionis nihil habebat, in quo reprehenderet eum cor suum, eo tamen audacię progressus non est, vt ipse se iudicare vellet, Domini qui solus agnitor cordis est, iudicium de se esse voluit. Et tu quod solius Domini proprium est, audes tibi vendicare? audes illius de te sententiam anteuertere? audes pronunciare certoq; statuere, te iustificatum esse, hoc est peccata tibi remissa esse? Monet Christus: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: & tu contra præceptum hoc Domini te seruũ vtilem esse pronunciare non dubitas? Quisquis n. certò statuit, sibi remissa esse peccata, se esse in gratia, quid is aliud, quàm se seruum vtilem esse pronunciat? Ait scriptura: Nescit homo an amore, vel odio dignus sit: & tu contra scripturam scire te, quòd sis amore dignus affirmas? Nam si certò scire te gloriaris tibi peccata esse remissa, teque esse in gratia, quid aliud quàm scire te, quod sis amore dignus asseris, & mendacij Dei spiritum arguis? Dicit beatus Iob: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: etiã si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Num illo tu sanctior? num de prædestinatione diuina quàm ille certior? vt quòd ille suam animam ignorasse fatetur, tu quòd simplex & innocens sis, certò statuere de te audeas? Non metuis, ne quod olim auditum est Pharisæi, quos dealbata sepulchra Christus vocat, idem audias tu quoq: Vos estis, inquit, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum? Nulla potest esse apud Deum maior abominatio, quàm sit Hæreticorum hæc tanta præsumptio.

*Falsò doceri fidem specialem, qua certo quisque statuat remissa sibi esse peccata.*

*Eccles. 5.*

*Eccles. 7.*

*Hier. 17.*

*Psal. 18.*

*Iob. 9.*

*1. Cor. 4.*

*Luc. 17.*

*Eccles. 9.*

*Iob. 9.*

*Matth. 23.*

*Luc. 10.*

Dicet aliquis: Quid igitur? tu me non iubes credere, quam in symbolo profitemur, remissionem peccatorum? Absit, Imò iubeo te firmiter credere certoq; statuere, quòd sit remissio peccatorum in Ecclesia, quodq; remissionem hanc & mihi, & tibi, & Iudæ proditori, & singulis adeò mortalibus, etiam ijs qui vel iam sunt, vel deinceps etiam futuri sunt apud inferos, abundè Christus promeruit vniuersis: qui pendens in cruce factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris aũt tantùm, sed etiam pro totius mundi: qui per mortẽ suam nos Deo patri suo reconciliauit. Vt autẽ credas, oẽs hanc remissionem esse consequutos, omnes aut possidere iam, aut possessuros regnum cœlorum, non ego, sed scriptura te, prohibet credere. Gustauit quidem ille mortem pro omnibus, sed mortis illius fructum non omnes in se trãsferre conantur: factus est causa salutis omnibus: sed addit scriptura, obtemperantibus sibi patefecit ingressum ad vitam omnibus: sed adiecit Christus ipse. Si mandata seruauerint. Si quis autem non obtemperauerint, si quis eius mandata non seruauerit, si quis ad finem vsque non perseuerauerit, eum qui nihilominus certò saluum fore statuit,

*Obiectio prima solutur, vt fides specialis negetur.*

*1. Ioan. 2.*

*1. Cor. 5.*

*Hebr. 2.*

*Hebr. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quid is aliud, quàm negat vocem Euangelij, quam audituri sunt ad læuam inter hœdos collocati: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius? *Matth. 23.*

Ita vt docere, necessarium esse vnicuiq; ad salutem consequendam vt firmiter credat, certoq; statuat, sibi propter Christum peccata esse remissa, se esse in gratia, se certò possessurum regnum cœlorum, nihil aliud sit, quàm docere, nullas esse gehennæ pœnas impijs constitutas, quos ad illas peruenturos nemo dubitat, qui Christo credit: nō Christi culpa, quasi crucis & mors parum efficax fuerit ad salutem illis adferendam, sed suo ipsorum vitio, qui illius per digna pœnitentiæ opera passionis & mortis Christi fructum in se transferre non sunt conati. Quamobrem si non teneor de omnibus credere, quòd sunt remissionem peccatorum consequuti, si non teneor de hoc aut de illo, certè neq; de me credere teneor, nisi mihi specialiter fuerit à Deo reuelatum.

*Obiectio secunda.* Hic dicent isti: Tu perinde nobiscum agis, ac si nos impios in impietate sua perseuerātes firmiter credere iuberemus, quod sint in gratia, cùm nos de cōuersis loquamur. Atqui hui- ibam, hanc à vobis confessionis vestrę vocem extorquere cupiebam. Aliquid igitur in nobis esse conceditis, quod nos firmiter credere certoq; statuere faciat, nimirùm vt à peccatis auersi, ad Deum autem simus conuersi. Sed obsecro vos, quid si conuersus sibi videatur, qui conuersus non est? verbi gratia: videtur sibi conuersus peruersus Lutheranus, videtur sibi conuersus magis etiam peruersus Zuinglianus, videtur sibi conuersus peruersissimus omnium Anabaptista, vel Seruetus, vel Suenckfeldius, vel quicunq; tandem alius pestilentissimus Hæreticus, num ideò dices eum esse cum Deo in gratia? Sicut autem nulli magis opinione doctrinæ sunt inflati, quàm qui quàm minimam illius partem habent, vt non sine causa *Thucid. libr. 1. belli Peloponnesiaci.* prouerbio celebratum sit illud, quod à Thucidide scriptum est: Inscitia confidentiam, eruditio cunctationem parit: sic non rarò fit, vt firmiter credant certoq; statuant, se conuersos esse, qui vel maximè sunt peruersi. Vidit hoc etiam ille sapiens, qui dixit: Sunt impij quibus *Eccles. 5. Actor. 9. Philip. 3. Gala. 2.* securi sunt, quasi facta iustorum habeant. Saulus dum adhuc spiraret minas & cædes in discipulos Domini, & ignorans Ecclesiam persequeretur, nōne sibi visus est singulari quodam zelo pietatis ardere? nōne securus erat se toto corde Deum quærere? se persequendis Christianis obsequium illi gratissimum præstare? cùm quicquid eius fecerit, fecerit sicut ipse fatetur, secundum æmulationem, quod abundantius æmulator existeret paternarum suarum traditionum. Habuit igitur zelum, sed non secundum scientiam, & ideò misericordiam ob- *Rom. 10. 1. Tim. 1.* sequutus est, quia ignorans fecit: Verum igitur est quod scribit Sapiens. Est via quæ videtur *Prouerb. 14.* homini iusta, nouissima aūt eius deducūt ad mortem. Et rursus: Omnis via viri recta sibi vi- *Prouerb. 21.* detur, appendit aūt corda Deus. Mittamus aūt infideles & Hæreticos, quamuis æquè sibi non videntur Hæretici Zuingliani, vel Anabaptistæ, atq; Lutherani. Sed loquamur iam de Catholicis. Etiam inter illos reperire licet, qui sibi conuersi videntur, cùm non sint. Præclarè *Prouerb. 20. Iacobi 3.* Sapiens: Quis possit dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? In multis offendimus oēs. Ac si maximè toto corde ad Deum essemus conuersi, non id nosipsi certò statuere, sed in misericordia Dei fiducia nostra collocata, illius qui scrutatur corda & renes, iudicium permittere debemus. Quamobrem, execranda est istorum superbia, qui dum se cōuersos pronunciant, certò sibi peccata remissa, seq; esse in gratia statuunt.

*Obiectio tertia de fide speciali. Verba sunt confessionis Ecclesiarum Saxonicarum.* Dices iterum: Nos non dignitati nostrę, sed misericordiæ Dei & promissionibus fidimus, & insulsam vestram cauillationē ridemus, cùm dicitis, dubitandum esse propter nostrā indignitatē. Nam ideò filius Dei mediator constitutus est, quia nos indigni sumus, & vt pater propter ipsum passum, resuscitatum & deprecantem pro nobis, & habitantem in nobis, ac vestientem nos iustitia sua certò sit propitius huic miserę massę, indigneq; & plenę sordium, *Rom. 8.* iuxta illud: Nulla nūc cōdemnatio est ijs, qui in Christo IESV ambulant. Rectè vos quidem *Matth. 19.* si nuda Christi esset promissio, si dignaretur ille misericordiam impartiri etiam non conuersis. Nunc aūt cùm promissio sit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, cùm non alijs prę- misericordiam, quàm qui pœnitentiam egerint, quiq; cōuersi fuerint à peccatis suis, vestra hoc dogma consistere non potest. Insulsa vobis cauillatio videtur, si quis dicat, rectè nos debitare posse propter nostram indignitatem: quid igitur? Num insulsum iudicatis illum, quo Christus neminem maiorem surrexisse testatur, qui dixit: Facite fructus dignos pœnitentiæ, *Matth. 11. Matth. 3. Actor. 26. 1. Cor. 11.* Insulsum Paulum, qui gentibus annunciabat, vt pœnitentiam agerent, & cōuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes? qui ad Corinthios quoq; de Eucharistia scribens: Quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: Qui. n. manducat & bibit indignè, iudicium sibi mādūcat & bibit. Digna pœnitentiæ opera à nobis Paulus & Ioānes exigunt: ne indignè ad Sacramentum accedamus, prohibent: & vos non vultis nos de dignitate nostra esse sollicitos? Quin vos potiùs nō insulsi modò, verùm & impij censendi estis, qui Spiritum sanctum per electa sua vasa loquentem, insulsitatis arguere non dubitatis, quòd is dignos fructus à pœnitentibus exigit, quòd indignè sumi Sacramentum prohibet. Est ita, quòd propterea filius dei mediator constitutus est, quia nos indigni eramus: sed nunquid vt indigni permaneremus? Minimè *Coloss. 1.* gentium: sed vt nos ex indignis dignos faceret, sicut scribit Paulus, in partem sortis sanctorum. Nam nisi Mediator ipse noster factus esset, nisi dedisset semetipsum redemptionem pro nobis indignis, etiamsi & faceremus & pateremur omnia, etiam si traderemus corpus nostrum ita vt arderet, nunquam dignos pœnitentiæ fructus faceremus. Sunt itaq; digni fructus pœnitentiæ faciendi, si volumus remitti nobis peccata, & cum Deo esse in gratia: quos an fecerimus, nos ipsi certò statuere nec possumus, nec debemus, illius est ea de re iudicis qui solus cordis est agnitor. Si verò fecerimus (quod ipse iudicet, non nos) tunc pacer coelestis propter filium passum, resuscitatum, & deprecantem pro nobis, & habitantem in nobis ac non tam vestientē nos, quàm quod nostræ deest donatæ nobis ab illo iustitiæ, iustitia sol compen-



compensantem, certò propitius erit huic massæ, non iam indignæ, & plenæ sordibus. (Absit à piorū cordibus hæc tam impia vox, vt de cruce & morte Christi, tam indignè sentiamus: quasi non potuerit nos facere dignos in partem sortis sanctorum in lumine, vt iam digni habeamur illo seculo: quasi non potuerit abluere sordes filiarum Sionis, de quo scriptum est, quòd lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et iterum: Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Et iterum: Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis. Non ita sanguini Christi detrahemus, vt eum abluere sordes nostras potuisse negemus. Tū aūt quomodo Deus habitabit in nobis, si pleni sordibus fuerimus? cùm scriptum sit, In maleuolā animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis? Quæ. n. participatio iustitiæ cum iniquitate? quę societas luci ad tenebras? quę cōuentio Christo ad Belial?) Non igitur habitabit Deus in massa, neq; propitius erit massæ plenæ sordium: Sed in ijs habitabit, ijs erit propitius, qui fuerunt quidem aliquando pleni sordiū, sed posteaquam conuersi ad Dūm, dignos pœnitentiæ fructus fecerunt, sanguinis Christi beneficio sunt abluti, vt eis dici deinceps queat: Et hæc quidē fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini IESV Christi. Quoniam verò nos an fecerimus dignos fructus pœnitentiæ, nescimus, remissa nobis peccata, & esse nos in gratia, certoq; possessuros regnū cœlorum, certò statuere non possumus, vel propter hæc ipsa verba, quę vos ad axioma vestrum cōfirmandum adfertis: Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo IESV, qui non secundū carnem ambulant. Nam etsi nos per fidem fidei sacramentū simul vt in Christo baptizati Christum induimus, incorporatos nos esse Christo non dubitamus: vtrum tamen in illo manserimus, dubitamus: maximeq; nos terrent illa verba, qui non secundum carnem ambulant: cùm non solùm conscij nobis simus, sæpè secundum carnem nos ambulasse, verùm etiam in eo ipso tempore, quo nobis cōuersi videmur, satis perspectum habere non possimus, nihil restare in nobis de carnis reliquijs. Scriptum autem est: Qui sunt in carne, Deo placere non possunt.

*Lucæ 20. Esaiæ 4. Apoc. 1. Ioan. 1. Hebr. 9. Sapient. 1. 1. Cor. 6. 1. Cor. 7. Rom. 8. Rom. 8.*

*Obiectio quarta de fide specialis hæreticorum.* Dicent iterum isti: Quid igitur? desperare nos iubes? Absit. Imò sicut constanter nego teneri quenquā, firmiter vt credat, certoq; statuat peccata sibi remissa esse, sic non minus constanter affirmo, teneri fidelem quemlibet, facientem quod in se est, vt firma & certa spe expectet, in hac quidem vita per sacramentum Baptismi & Pœnitentię peccatorum remissionem: in seculo aūt futuro, vitam æternam. Quam spem nisi firmam & solidam habuerimus, frustra Christiani simus. Spes aūt hęc nostra nō in nos, sed in Deum defixa esse debet: quem cùm spectamus, certissimum nobis est, eum esse fidelem & in promissis, & in cōminationibus. Cùm aūt nos ipsos respicimus, fieri non potest, quin horrorem quendam cōcipiamus, etiamsi mihil nobis conscij simus, vel propter infirmitatem saltem nostram. Cùm. n. lapsum esse sciamus Cherub Angelorum nobilissimū, Solomonem hominum sapientissimum, Israelem populorum electissimum. cùm & hoc intelligamus, nō magis debere nobis Deum perpetuam nostri tutelam & gratiam, qua nos ab omni casu præseruet, nec vnquam cesset in via salutis æternæ deducere, quàm aut illis, qui iam sunt à nobis nominati, aut Iudæ vocato Apostolo, aut Saul electo Regi, aut Nicolao constituto Diacono, non possumus omni metu prorsus esse vacui: cùm præsertim per electum suum vas nos Deus moneat: Noli altum sapere, sed time. Si. n. Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, cùm per eundem, vt cum timore & tremore salutem nostram operemur, hortetur: cùm per alium, beatum hominem pronunciet, qui semper est pauidus. Per alium aūt dicat: Qui sine timore est, non poterit iustificari. Hęc tamen trepidatio nostra non debet animos nostros deijcere, sed magis Christo subijcere, & fiduciam erga illum nostram excitare: vt cum beato Iob dicat vnusquisque nostrum: Etiamsi occiderit me, in eum sperabo. Quòd si verò paradoxum hoc alicui videtur, quòd firmiter credere, certoq; statuere non iubemus, firma aūt & certa spe vnumquemq; esse iubemus, quòd in præsenti peccatorum remissionem, in futuro verò seculo sit vitam æternam cōsequuturus, is ita rem accipiat: Nihil à nobis rectè credi (de fide Catholica loquimur) cui subesse falsum potest: Speramus aūt etiam ea rectè, quę secùs nonnunquam euenire possunt. Quoniam igitur fieri potest, vt credat aliquis firmiter, certoq; statuat, se esse in gratia, & vitam æternam consequuturum, & hæc eum opinio sua fallat, spe- rare iubemur magis quàm credere: Fidei. n. ratio in veritate tanquam à Deo reuelata, sita est: spei autem sufficientissima ratio sita est in possibilitate eius acquirendi, quod secundum Dei mādatum & promissum speres. Deinde verò si fidem pro fiducia accipias, quemadmodum accipere videntur isti, fiducia timorem excludit, spes comitem ducit metum. Quamobrem rectius certa spe, quàm certa fide iubemur expectare peccatorum remissionem, vt non omninò simus absq; metu. Quamquam nec credere quidem quisquā prohibetur, absit modò nimia securitas. A qua sententia ne Caluinus quidem abhorrere videtur, cùm dicit: Sic certos Dūs suos esse iubet, vt tamen securos esse nolit. Et iterum alio loco: Nos dum fidē docemus esse debere certam ac securam, nō certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione: nec securitatem, quæ nulla sollicitudine impetatur: Quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia: tantùm abest, vt eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quę nullis omninò turbis interpelletur. Kursus tamen qualemcunq; in modum afflictētur, decidere ac descendere negamus à certa illa, quam de misericordia Dei concepimus, fiducia.

*Rom. 11. Philip. 2. Prouerb. 28. Eccles. 1. Iob. 13. Cala. in 1. Ioan. 5. Idem institut. sua, cap. 5.*

Verùm libet, quid hac de re Patres in Concilio Tridentino congregati decreuerint, adscribere. Verba eorum hæc sunt: Quamuis necessarium sit credere, neq; remitti, neq; remissa vnquam esse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinē remissionis peccatorū suorū iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata remitti vel remissa esse dicendum est: cùm apud Hæreticos & Schismaticos possit esse, imò

*Concil. Trid. sess. 5. cap. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam cõtentione prædicetur vana hęc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neq; illud asserendum est, oportere eos qui verè iustificati sunt, absq; vlla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, sic esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum, qui certò credat se absolutum ac iustificatum esse, atq; hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; Christi mortis & resurrectionis efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; Sacramẽtorum virtute, & efficacia dubitare debet: Sic quilibet dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest: cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse Dei consequutum. Non quamuis hîc Patres certitudinem excludunt, verùm fidei tantùm certitudinem, cui non potest subesse falsum. Ista certitudine scire quenquã posse negant, quòd sit gratiam Dei consequutus. Quominus autem vel morali, vel probabili certitudine scire queat, aut ex facta sibi diuinitus reuelatione, sicut de Maria Virgine, deq; Apostolis certò creditur, de eo pugnare non videntur. Deinde non iubent hîc Patres dubitare, quod isti falsò asserunt: sed posse dicunt quemlibet, dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere: nihil vt ea res impediat, quominus aliquis in gratia sit, etiam si de propriato reuera peccato non sit sine metu. Hæc nobis propterea visum est pluribus persequi, quòd in proximis superioribus comitijs grauiter à quibusdam minùs rem intelligentibus, Louaniensium hunc articulum, qui tamen est in Concilio Tridentino confirmatus, reprehensum audiuimus. Qui sic habet: Fides qua quis firmiter credit, & certò statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seq; possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, imò eisdem aduersatur. Etiamsi firma & certa spe expectare debemus, in hac quidem vita, per Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam æternam. In huius igitur articuli defensionem hęc obiter adscribere libuit. Nunc vnde deflexit, eò redeat oratio.

*Explicatio verborum Synodi.*

*Articulus Louaniensis.*

*Anabaptistæ reliquis promptiores ad quæuis perferenda.*

Quamuis magis etiã impij sint Anabaptistę, quàm vel Lutherani, vel Zuingliani, nõ minus tamen & ipsi firmiter credunt, certoq; statuunt, sibi peccata propter Christum esse remissa, se Dei gratiam esse consequutos, se vitam æternam possessuros, quàm vtriq; horum neque verò verbis id magis, quàm factis etiam ipsis. Ad mortem enim oppetendam, ac durissimos quosq; cruciatus pro fide sua perferendos, non paulò quàm vtriq; sunt alacriores. Nam ad quęvis quãlibet horrenda supplicia non aliter, quàm ad epulas currunt: vt si quis inde velit argumentũ sumere vel doctrinę veritatis, vel eorum gratię certitudinis, facilè possit in eam opinionem adduci, nullam vt aliam sectam esse credat, in qua tanta sit vel fidei veritas, vel gratiæ certitudo. Sed verum est, quod à Paulo scriptum est: Etiam si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Non habet autem charitatem, quisquis diuidit vnitatem. Tales, inquit Cyprianus, etiamsi occisi in cõfessione Christi nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur: inexpiabilis & grauis culpa discordię nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, cõcordes atq; vnanimes esse præcepit: dilectionis atq; charitatis fœdera incorrupta atq; inuiolata seruari mandauit: Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Beati qui persequutionem patiuntur, dicit Christus, sed addit, propter iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, inquit Augustinus, & propter Christianæ vnitatis impiã diuisionem, sed qui propter iustitiam persequutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio iungebat, causa separabat. Potest impiorum similis esse pœna, sed dissimilis est martyrum causa. Et ea est quæ facit martyres, non pœna, sicut non vno loco repetens docet Augustinus. Quamobrem nihil est, quòd hoc nomine se, suosq; magnificè Caluinus efferat, quodq; propterea Lutheranis eos anteferendos esse putet, quòd promptiores, paratioresq; sint ad quæuis genera suppliciorum perferenda. Nam si vt quisq; promptissimus est ad mortem pro fide suæ partis obeundam, sic eius fidei veritas censeri debet exploratissima, certissimaq; nulla fides erit certior, neq; verior, quàm sit Anabaptistarum, cùm nulli sint neq; fuerint iam inde à mille ducentis annis, de quibus pœnæ fuerint expetitæ grauiores, quibus fortius, constantius, alacrius ad eas, tum ad mortem etiã ipsam quamlibet horrendam vltrò se obtulerint. Etiam Augustini seculo, quemadmodũ ipse narrat, prodigiosa quædã fuit in illis mortis cupiditas. Nam quo tempore cultus adhuc idolorum durabat, ad Paganorum celeberrimas solennitates, ingentia Donatistarum agmina sæpè veniisse scribit, vt à cultoribus idolorum interficerentur. Quidã etiam, inquit, se trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nõnunquam & à Iudicibus transeuntibus extorquebant violenter, vt à carnificibus, vel ab officio ferirentur. Vndè quidã illos sic illusisse perhibetur, vt eos tanquã percutiẽdos ligari & dimitti iuberet, atq; ita eorum impetũ incruentus & illæsus euaderet. Iam verò per abrupta præcipitia, per aquas & flãmas occidere seipsos, quotidianus illis ludus fuit. Neq; verò tantùm Augustini seculo tales fuerunt: Ante quadringentos etiã annos, quibus Bernardus vixit, fuerunt Anabaptistæ non minus vitę prodigi, quàm Donatistę. Mirabantur, inquit, aliqui, quòd non modò patienter, sed & lęti, vt videbatur, ducebantur ad mortem: sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas Diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiã in corda quę semel permissus, possederit. Nõne plus est hominẽ sibimet manus inijcere, quàm id libenter ab alio sustinere? Hoc aũt in multis potuisse Diabolum, frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspẽderunt. Deniq; Iudas suspẽdit seipsum, Diabolo sine dubio immittente. Ego tamen maius existimo, magisq; admiror, quòd potuit

*1. Cor. 3.*

*Cyp. tract. 3. de simplicitat. Prælatorũ. Extra Ecclesiam nullum martyrum. Matth. 5.*

*Non pœna sed causa facit martyres. Aug epist. 50.*

*Caluin. iactat fuorũ in patiendo alacritatem.*

*Aug epist. 50. Donatistæ mortis oppetendæ cupidi.*

*Bern. ser. 66. in cantic.*



potuit immisisse in cor eius, vt traderet Dominum, quàm vt seipsum suspenderet. Nihil ergo simile habet constantia martyrum & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis duritia cordis operatur. Nec à maioribus suis degenerarunt nostri quoq; temporis Anabaptistæ, neq; minus fortes fuerunt & alacres in omni mortis genere pro fide sua subeundo, quemadmodum inter alios oculatus etiam eius rei testis Iustus Menius in eo libro, quo errores eorum confutat, scripto prodidit. Sic statim ab initio feruere cœpit Anabaptistarum hæresis, neq; deinceps etiam quoties exarsit, de feruore suo quicquam remisit. Non ita Sacramentarij, quorum primus auctor cùm fuerit ante quingentos plus minus annos Berengarius, tantum abest, vt qui fuerunt eius tum sectatores, pari alacritate quibusuis discriminibus vitam suam obtulerint, vt ipse etiam eorum Doctor, bis aut etiam ter errorem suum recantasse legatur & abiurasse. Qui cum aliquantò pòst graui morbo oppressus, ex hac vita migraturus esset, non mediocrem dolorem præ se tulit moriens, quòd ita multos in tam fœdum errorem hunc adduxisset, ac suspirando dixisse fertur: Deus meus, hodie mihi apparebis ad meam saluationem, vt spero, propter pœnitentiam meam: aut ad duram meam damnationem, sicut timeo, propter eos, quos peruersa doctrina decepi, quos nequiui reducere ad veram viam tui Sacramenti: quemadmodum contra Romantium de Rosa scribens narrat Ioannes Gerson. Hac primùm tempestate nostra gloriari de suis martyribus cœperunt, quos tamen & numero & laude tolerantiæ longè superarunt semper, & hoc etiam nostro seculo superant Anabaptistæ, vt si suorum illi martyrologium conscribere vellent, multò maiora quàm Sacramentarij volumina conficere possent. Nihil est igitur, quòd glorietur de doctrinę suę certitudine Caluinus, quòd illius fiducia nec mortis terrores, nec Dei tribunal formidet: nihil est quòd iactet persequutiones, quas patitur, quodq; suos esse dicat oues mactationi destinatas. Et dicunt, & faciũt hæc omnia fortius etiam Anabaptistę, & fecerunt multis antè seculis, quam vel auditum fuisset nomen Sacramentariorum. Leget qui volet epistolam Petiliani, quam confutat Augustinus, videbit quàm ille multa conquestus fuerit de persequutione suorum: quomodo sacerdotes etiam Catholicos carnifices vocauerit, qui fuerint auctores Imperatoribus, vt in ouiculas innocẽtes tam grauiter sæuirẽt, quas etiam suis pœnis & sanguine æternas diuitias cœli mercari gloriatur. Legat & duas epistolas Gaudentij, contra quas & ipsas duos libros scribit Augustinus: inueniet ibi, quòd suos ille gaudere scribit, quòd persequutores in fide Christi constituti sustineant, quòd pro sua parte verba Christi & Apostoli vsurpant: Beati qui persequutionem patiuntur: Qui piè volunt viuere in Christo IESV, persequutionem patiẽtur. Sed præclarè Augustinus: Si semper esset laudabile persequutionem pati, sufficeret Domino dicere: Beati qui persequutionem patiuntur, nec adderet, propter iustitiam. Item: Si semper esset culpabile persequutionem facere, nõ scriptum esset in sacris literis: Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur, iniustus est, & qui eam facit, iustus est. Sed planè semper & mali persequuti sunt bonos, & boni persequuti sunt malos: illi nocendo per iniustitiam, illi cõsulendo per disciplinam, illi immaniter, illi temperanter, illi seruientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat, quemadmodum laniet: qui aũt curat, considerat quemadmodum secet: ille.n. persequitur sanitatem, ille putredinem. Occiderũt impij Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ: flagellauerunt Iudæi Christum, Iudęos flagellauit & Christus: traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines potestati Satanæ. In ijs omnibus quid attenditur? nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causa, quis emendandi. Non ergo similitudo pœnæ facit martyres: Sceleratus.n. potest habere similem martyris pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, vnus Saluator, alter saluandus, alius damnãdus. Quamobrem quisquis ad Hæreticos & Schismaticos ab Ecclesia trãsit, etiam si occisus propter nomen Christi postmodũ fuerit, extra Ecclesiam constitutus, atq; à charitate diuisus, coronari, inquit Cyprianus, in morte nõ potest. Cum Deo manere nõ possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licèt flãmis & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari nõ potest. Nihil igitur habent, cur diuisione mortem oppetere non dubitarunt.

*Aliud constantia martyrũ, aliud duritia Hæreticorũ.*

*Iustus Menius.*

*Berengarius, & eius pœnitentia.*

*Aug. libr. 2. contra lit. Petil. cap. 19. Idem cap. 99. Ibidem lib. 1. ca. 5. lib. 2. cap. 12.*

*Matth. 5. 2. Timoth. 3. Aug. epist. 48.*

*Psal. 100.*

*Non pœnæ, sed causæ similitudo martyres facit. Cyp. lib. 4. epist. 2. Cyp. de simplicitate Prælatorum.*

Habes itaq; iam tria Euangelia, & ea quidem inter se valdè pugnantia. Si spectes alacritatem in tolerandis persequutionibus, longo post se interuallo cęteros vtroq; relinquunt Anabaptistę. Si numerum inspicias, verisimile est, nisi tam grauiter in eos animaduerteretur, quòd eò quoq; futuri essent superiores: Si speciem pietatis, quod vtriq; fateri necesse habẽt, longè eos antecellunt: Si de verbo Dei iactantiam, non minus & isti confidenter prædicant, quàm Caluinus, quòd doctrinam suam super omnem mundi gloriam sublimem, supra omnem potestatem inuictam, stare oporteat, quòd non eorum sit, sed Dei viuentis. Neq; minus clara voce denunciant quàm Lutherus, quòd etiam Angelos doctrina sua, quod est verbum Dei, iudicaturi sint. Et certè quotquot contra hæresim hãc scripserunt siue Catholici, siue Hæretici, nõ tam scripturis, quæ satis euidentes viderentur, quàm Ecclesiæ auctoritate eam conuincere potuerunt.

Finem iam fortasis Euangeliorum horum esse putas? Longius adhuc absumus à fine. Quartum etiam Euangelium edidit in lucem Suenckfeldius, cõtra quem scriptos vidimus lingua Germanica quinq; libros, quibus Flaccus cum eo rixatur. Is cùm videret & Lutheranos, & Sacramentarios, & Anabaptistas, & omnes, non huius modò tempestatis, verum etiam priscorum seculorum Hæreticos è scripturis errores suos confirmare: quod vsq; adeò verum & certũ est, vt etiam nostri temporis hęresęon architectus Martinus Lutherus, id inficias

*De quarta secta Suenckfeldij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quòd hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firmiter stant contra Suermeros.*

ficias ire non potuerit, qui propterea dicit ad extremum, nomen hoc esse cõsequutum scripturam Canonicam, quod vocetur liber Hæreticorum, quòd ex eo ducãt originem omnes hæreses, quandoquidem oẽs Hęretici scripturæ præsidio nituntur. Hoc igitur cùm animaduertisset, ac fortassis in ipsis, etiam Lutheri libris legisset Suenckfeldius, excogitauit & ipse nouam hæresim, ac scripturarum nixus præsidio scripturis auctoritatem omnem abrogare conatus est. Sic. n. loquitur cum suis: Non oportet legis aut scripturę esse peritum, sed à Deo doctum. Etiam si millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen nõ nisi scripturæ peritus euades, & nunquam à Deo doctus. Vanus est labor, qui scripturę impẽditur: scriptura enim creatura est: Non conuenit Christiano nimium creaturę addictum esse. Deum audire oportet: huius voces de cœlo expectandæ sunt, vt erudiant. Beatus vir, inquit Dauid, quem tu erudieris Domine. Æquè nos docet hodie, atq; olim Patriarchas & Prophetas, visionibus, somnijs attendendũ: illis. n. loquitur nobis Deus: Vox Dei rectè docet, scriptura non est verbum Dei, sed mortua tantum litera, & inter alias creaturas reputanda. Ne putes te ex scripturis doctum: è cœlis illud expectandum erit, non è libris. Spiritus sanctus è supernis delabitur citra omne medium, non per externum auditum & vocalem prędicationem, seu scripturarum lectionem. Etsi autem visionum, somniorum, & reuelationum eiusmodi primus auctor fuisse videtur Thomas Muncerus, qui primus etiam à Lutheri secta desciuit, quemadmodum in historia, quam de illo scripsit, narrat Philippus: ita vt non minus Lutherum quòd nimiùm laxasset, quàm Papam quòd nimiùm adstrinxisset conscientias, damnandum esse putaret: tamen inter errores, quos illi tribuit Philippus, hos tantum enumerat, quòd amplectendæ pietatis Christianæ vias has & rationes cõmonstrârit: Primum vt à manifestis criminibus, qualia sunt, adulteria, cædes, blasphemię sibi temperarent homines: deinde vt corpus castigarent ieiunijs, vilitate vestium, pauca loquẽdo, toruum obtuendo, barbam non radendo. Tum vt secreta loca peterent, deq; Deo sæpè cogitarent: quid sit? num nostri curam gerant? num vera sit fides nostra? signa simul à Deo poscularent, quibus ostenderet, quòd sumus illi curæ, quodq; nostra fides recta sit. Scripturis non fiderent: accepti verò Spiritus sancti somnia certissima esse signa persuasum haberent. Dicebat Muncerus idem: Habere se mandatum, vt mutaret regimen seculare. Quamobrem cùm esset Alsteti, codicem confecit, in quo conscripsit omnes, qui secum coniurassent ad castigandos minimè Christianos, Principes, & Magistratum Christianum instituendum. Hæc sunt quæ Muncero tribuuntur à Philippo. De Suenckfeldio verò, quem per contumeliam Stenckfeldium vocat, scribit idem in præfatione commentariorum, quos anno proximo superiore edidit in epistolam ad Romanos: Stenckfeldius centimanus est: Habet milites passim, qui ipsius nomine nõ solùm scribunt, sed etiam seditiones mouent: iactitant afflatus, & abducunt homines à publico ministerio, & à lectione & cogitatione doctrinæ. Ac nunc quoq; aduersus me editis aliquot pagellis nomine Stenckfeldij, repetitur ille *κοκίσμος* gratissima cantilena fanaticis hominibus, non cogitatione scriptæ doctrinæ Deum communicare se hominum mentibus, sed sine medio. Neque solum Philippus, verum & Caluinus, & alij nonnulli videntur hæc ad Suenckfeldium tanquam primum auctorem referre. Quamuis enim ante eum fuerint cœlestes Prophetæ, contra quos iusta duo volumina conscripsit Lutherus, quorum dux & antesignanus fuisse creditur Thomas Muncerus, non tamen ij tam apertè à publico verbi ministerio, & à lectione scripturarum homines deterrebant, sicut nunc facit eum fines Suenckfeldius, qui non dubitat etiam ad patrocinium insaniæ suę trahere Pauli locum illū, vbi confert præsentis vitæ cognitionem, quæ est per verbum, cùm perfecta & reuelata cognitione, qualis erit in altera vita. Hæcisti detorquent ad hanc vitam, tribuentes quod est ex parte scripturę sacrę, quod profectum est, spiritus reuelationibus: ad quas cùm peruentum fuerit, illud quod est ex parte, puta tractationem & vsum scripturæ, somniant aboleri. Huc pertrahitur etiam ille quamlibet repugnans eorum enthusiasmo Petri locus, vbi monet vt attendamus Prophetico sermoni tanquam lucernæ lucenti in tenebroso loco, donec exoriatur Lucifer in cordibus nostris. Satanæ illusiones habent pro illuminatione Spiritus sancti & pro Lucifero: quo exoriente, iam nihil sit opus lucerna Prophetici sermonis. Proferit & illas scripturas, quas in libello quoque suo de abroganda Missa produxerat Lutherus, ad confirmandum errorem suum: Non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisq; fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim scient me à minore vsque ad maiorem eorum. Nolite plures Magistri fieri, vnus est enim Magister vester in cœlis. Non habetis necesse, vt aliquis doceat vos, vnctio eius docet vos. Ad hunc igitur Magistrũ qui in cœlis est, confugere iubent, vt ab eo doceantur, non à scriptura mortua aut ab hominibus.

*De Thom. Munc. Philip. in historia Munceri.*

*Philip. de Stenckfeldio.*

*Cœlest. Prophet.*

1. Cor. 13.
*Quibus scripturis pro sua secta nitantur Suenckfeldiani.*
2. Petr. 1.
Hebr. 8.
Hier. 31.
Iacob. 3.
Matth. 23.
1. Ioann. 2.

Vide pientiss. Rex, quò tandem istirem perduxerint. Posteaquàm exemplo Lutheri licere sibi quisque voluit, à sensu & consensu totius Ecclesię recedere, & peculiari suo sensu scripturas interpretari, vt quod ipse sensisset, id esse Dei verbum existimaretur. Eò ventum est ad extremum, vt scripturarum auctoritate scripturis auctoritatem omnem detraherent, hominesq; docerent non tam scripturis, quam somnijs & reuelationibus fidere. Sustulerat Lutherus externum sacerdotium & sacrificium: hoc ei cùm non impunè modò cedere videret Suenckfeldius, verumetiam probari factum a multis: ipse quoque sustulit externum verbi ministerium, eadem auctoritate, qua sacrificium Lutherus abrogauerat. Cur enim Lutheri auctoritas maior esse debet, quàm Suenckfeldij, cùm præsertim scripturarum hic maiore præsidio niti videretur? Nam sacrificare plures, nulla scriptura prohibuit; Magistros autem fieri plures, apertè non vno loco prohibuit. Cùm enim vnius Magister noster sit in cœlis, videtur eius obscurari gloria, videtur eius dignitati detrahi, si quis alius autoritate citra ministeriũ hominis id præstare queat. Sic q; Euãgelium p Lutherum orsus est Satanas absoluit



absoluit per Suenckfeldium, vt sublato sacerdotio, sublato sacrificio, sacris omnibus in summum contemptum adductis, externum quoq; verbi ministerium sublatum iam esse videamus: Scripturas autem Canonicas vsq; adeò dignitate sua prorsus omni spoliatas, nihil vt illis fidere iubeamur: quòd scriptura non sit verbum Dei, sed mortua tantùm litera, quæ sit inter alias creaturas reputanda, cui nimis addictum esse, minimè Christianum decere videatur. Neq; verò contemnendus aliquis est Suenckfeldius hic. Scribit Philippus, eum esse centimanum, habere milites passim, qui non solùm scripta spargant ipsius nomine, sed etiam seditiones moueant. Grassatur lues ista Suenckfeldiana, nõ modo per Germaniam vniuersam ferè, verumetiam per Heluetiam, & est ingens eorum numerus, qui iactant hunc afflatum, ita vt ex vulgo plures in maioribus nonnullis ciuitatibus Suenckfeldiani reperiri dicantur, quàm vel Lutherani vel Zuingliani. Equidem neq; noui hominem, nec eius scripta vidi: sed quod scripsit olim de ijs, qui se falsò iactant Euangelicos Erasmus Roterodamus, quotquot ad eorũ se cœtum adiunxerunt, neminem se scire, qui nõ seipso sit factus deterior: contrarium eius, cùm tuæ Maiestati nomine legatione fungerer apud Christianissimum imperatorem, vereq; Catholicum Regem Carolum Quintum de Suenckfeldio dici audiui, idq; à viris quibusdam grauibus, & omni fide dignis: quotquot eius essent amplexi doctrinam, eos de repente quasi numine quodam afflatos in alios viros mutari, veterem hominem exuere, nouum induere, neq; secundum carnem iam, verùm spiritu deinceps ambulare, carnem vt suam cum vitijs & cõcupiscentijs in specie crucifixisse videri possint. Hic videre licet, quemadmodum Satanas non rarò se transfigurat in Angelum lucis, vt per vmbram sanctitatis audientium decipiat simplicitatem. Quomodo quasdam illecebras escarũ aucupes proponunt, vt facilius aues per oblectamenta gulæ capiant: sic est quædam etiam Diaboli sanctitas, id est, decipula humanę animę, per quam facilius capere possit, & falsis sermonibus irretire: sicut Ecclesiæ olim in Psallianis, Euchitis, Antropomorphitis, Ebionitis, Tacianis, & alijs eiusdẽ generis hæreticis: nunc autem in Picardis & Suenckfeldianis videre licet: quæ nihil aliud est, sicut ab illo viro doctissimo dictum est, quàm decipula quædã humanarum animarum, insidijs Diaboli collocata.

*Quod Euangelium per Lutherum orsus est Satanas, absoluit per Suenckfeldium.*

*Suenckfeldianorũ ingens multitudo ac vis.*

*Sanctitas hæreticorum diabolica decipula animarum.*

*Origenes.*

Quatuor iam habes Euangelia, sed non secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, sed secundum Lutherum, Zuinglium, Muncerum, Suinckfeldiũ: Portentosa nomina, sed ipsa magis Euangelia portentosa, quæ Cacangelia rectius quàm Euangelia dicere possis, vt quæ malorum secum iliadem tulerint: non à Christo, verùm ab auctore Diabolo profecta: Quam etiam ob causam Euangelici malunt, quàm Christiani vocari: quod conscij sibi sunt, nihil habere se cum Christo cõmune. Quàm parua aũt scintilla, quæ simul vt emicuit, nullo prorsus negotio restingui statim initio potuit, ecce quantum (proh dolor) nobis incendium conflauit: quam multis in locis etiam cum puluisculo (quod aiunt) Christianam pietatem omnem euertit?

*Epilogus de quatuor Euãgelijs nouis.*

Absolutum existimas iam Euãgeliorum numerum? ingens adhuc eorum restat aceruus. Cùm enim peccandi magna quędam sit illecebra impunitas, hac proposita certatim prorumpunt, qui vetera fastidientes, noua facere omnia, ac nouo aliquo doctrinę genere excogitando, nomen suum immortalitati consecrare contenderent. Sed quis enumerando singulos recensere, vel cuiusq; proprios errores explicare queat? cùm primis id operosum, neq; præsentis est instituti. Quamobrem nolo esse longior in cõmemorandis trecentis illis apud Apocelliam in Heluetijs, qui post decantatas Dei laudes extinctis lucernis cùm brutorum instar fœda se libidine contaminassent, in montem nihilominus quendam editum ascenderunt, vnde se cum corporibus & animis sublimes raptos iri persuasum habebant. Sed neq; de alijs quibusdam cõuenticulis quicquam dicam, quorum Erasmus meminit, in quibus matres vltrò tradebant suos infantes occidendos, & tam immane facinus hilari vultu spectabant, persuasæ, sic interfectos inter præcipuos sanctos habendos. Quare quid magis horrẽdum dici potest: Quin & de sacerdote quodam in Sueuia capto, nihil est quòd multa dicam, qui finem iam instare Christianę fidei docebat: quòd cùm lex Moysi mille quingẽtis annis durauerit, Christi quoque lex non sit diutius duratura: quamobrem adesse iam tempus, vt alia lex, aliaq; fides hominibus tradatur. Deque alio quodam non procul à Vvittemberga, qui certum diem & horam colonis significauerat, quo dominus ad iudiciũ esset venturus. Quod adeò verum esse persuasum illis fuit, vt ab omni opere rustico cessarẽt, horam illam expectãtes: cumq; frustrati expectatione sua fuissent, in discrimen veniebant, ne fame morerẽtur, quòd cùm nihil seminassent, nihil erat, quod meterent. Deq; Dauide tertio, qui in oppido Embda veterem Saduceorum hęresim renouauit, cùm & resurrectionem carnis negaret, & extremum Iudicium, Angelos, Dæmones, Baptismum, Matrimonium, scripturas, regnum cœlorum. Itidem de Apostata illo Præmonstratensi, qui docuit, non esse infernum, neq; descendisse Christum ad inferos, sanctos Patriarchas & Prophetas in inferno nõ fuisse, quin Christum etiam ipsum: quoniam cùm diceret, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? desperare visus est, hoc nomine cõdemnatũ esse. Potuitne dici magis blasphemum aliquid? Sed & illos præteribo silentio, quibus horror est, si quis Mariam vocet Deiparam, à quibus in Ephesino Concilio pridem damnata hæresis Nestorij resuscitata videtur. Sed nec illorum mentionem faciam, qui decies per diem Diabolum adorãt, quam etiam ob causam Dæmoniaci vocantur, cæterùm exorti sunt demùm à schola Lutheri Ioãnes Cãpanus, & ex Hispanijs Michael Seruetus, qui libros aliquot de Trinitatis erroribus, plenos erroribus & blasphemijs ediderunt: in ijs nunc tandẽ veteres Arrij & Macedonij errores in lucem reuocare, fidemq; quam in Niceno & Cõstãtinopolitano primo cõcilijs, Patres cõgregati nobis tradiderunt, labefactare conantur. Solum. n. Deum patrem, & neminem alium adorari & iuuoca-

*Horrẽdæ & obscuræ sectæ sub Lutheranatæ, de quibus Erasm. de amabili Ecclesiæ concordia.*

*Dauid tertius.*

*Apostata Præmonstratensis.*

*Noui Nestoriani.*

*Dæmoniaci.*

*Ioãnes Campanus.*

*Michael Seruetus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



inuocari debere contendunt, quòd ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere poteſt: & est præceptum veteris legis, vt qui quenquam alium adorauerit præter Deum solum, occidatur. Ad quem, Deum alium intercessorem, procuratorem, & mediatorem habemus nullum, præter vnum Dñm IESVM Christum. Quid autem aliud his verbis, quàm adoratio, inuocatio q; Dei filij, & Dei Spiritussancti prohiberi videtur?

*Ex Lutheri initijs quàm horrēda impietas prodierit.*

Ecce quò ventum est, ad extremum abrogato Sacerdotio, euerso Sacrificio, Sacramentis omnibus modò non conculcatis, eò tandem res perducta est, vt nec infernus, nec cœlum esse credatur, & Christus à multis Deus esse negetur. Quis vnquam futurum existimasset, vt ex tam paruis initijs ad has tam horrendas blasphemias, quas paucis perstrinximus, ad extremum perueniretur? Sed scitum est illud:

*Principijs obsta, sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas inualuere moras.*

Quòd si venienti morbo statim occursum fuisset ab initio, minùs magnis nunc difficultatibus Ecclesia Dei premeretur. Longè, lateq; sparsa sunt & hæc Seruetica contagia. Atque vtinam sereniſſime Rex, sicut aliæ, quas recēſuimus, hęreſes ex magna parte, ſic & hęc regni tui fines non attigisset: quæ cum impietate superare cæteras videatur, nulla tamen est ex omnibus nostri temporis hęresibus, quàm sit hęc, scripturarum armis instructior: nihil enim crepat aliud, nisi scriptura, scriptura: Euangelium, Euangelium. Ac vide quę fuerit hominis confidentia. Quamuis Caluini scriptis fuerit error hic ipsius oppugnatus, ausus est tamen proficiſci Geneuam, & cum eo sermonem conferre. Tandem post multam & acerbam disputationem, cum dogma suum pertinaciter tueretur, capitis est damnatus: quod vrgente Caluino factum esse, dubium non est: qui mox librum etiam edidit, quo doctrinam eius explicat, & rem omnem, quemadmodum acta sit, describit, simulq; in Hæreticos rectè gladio vindicari docet. Neq; diſsimilia ſcripſit pastor quidam Bremensis, sic enim se vocat, Timannus in faragine sententiarum, quas collegit, non solùm ex priscorum Patrum, qui fuerunt Christianæ, verùm etiam ex eorum scriptis, qui sunt Confeſſionis Augustanæ: vbi Lutheri, Philippi, Vrbani Regij, Nicolai Amsdorffij, Viti Theodori, productis testimonijs ostendit, Caluinum cum Sacramētarijs omnibus & Anabaptiſtis, ac alijs hæreticis sceptro Magistratus potius, quàm vel stylo, vel disputationibus esse refutandos. Interea tamen de se, fuisque tacet quasi nō in eadem & ipsi causa sint, cùm quod Lutheranorum de Sacramētarijs, idem sit Sacramentariorum iudicium de Lutheranis. Nam quòd Lutherus inde sumit argumentum, Sacramentariorum doctrinam ab auctore Satana profectam esse, quòd hæc secta in ſo statim exordio in tot capita est dissecta, tam inter se dissidentia, de verborum horum interpretatione. Hoc est corpus meum, prudenter id quidem & verè colligit. Verissimum est quod à Gregorio Nazianzeno scriptum est: Verum enim quod est, vnum est, mēdacium autem multiplex. Ante quem etiam Athanasius: Ibi est, inquit, vt Patres tradiderunt, veræ disciplinæ & magisterij argumentum, vbi eadem confitentur omnes, nec à se inuicem aut à maioribus dissentiunt. Qui autem hoc animo non sunt, improbi potiùs quàm veri doctores appellari debent. Certè Ethnici cùm nec eadem profiteantur, sed inter se discrepant, veram disciplinam non habent: sancti contrà syncerę sunt veritatis prędones, eò quòd sententijs inter se conueniunt, & nullo dissidio inter se laborant, qui tametsi diuersis temporibus vixerunt, æquè tamen simul eodem tendunt, vt eiusdem Dei Prophetæ, & eiusdem ſcripturæ interpretes. Est itaq; certissimum argumentum hoc eorum inter ipsos dissidium, quòd non Dei, sed Satanæ spiritu agitentur. Sed quid? Si eadem ratione probare contendunt Sacramentarij quoq;, quòd Lutherus Euangelium in lucem à se productum esse gloriatur, id similiter à Satana profectum esse? quandoquidem non minus inter Lutheranos, quàm inter Zuinglianos dissidiorum videre licet. Acilli quidem, quamuis hæc Christi verba non ad eundem modum interpretentur, in hoc tamen vnanimiter idem sentiant omnes, quòd in Eucharistiæ Sacramento præsens adesse Christi corpus & sanguinem impiè negant. Lutherani verò non de vnius alicuius scripturæ sensu, sed de dogmatibus ipsis mirabiliter inter se pugnant.

*Seruetus à Caluino dānatus & occisus.*

*Timannus Bremēſis docet puniri hæreticos.*

*Nazianz. Atha in epist. de syn. Nic. decret cont. Arrianam hæresim.*

*Hæreticorum inter se dissidiū argnit, quo spiritu agiētur*

*Lutherana secta in tres sectas dissecta.*

Vis autem eorum dissensiones & pugnas audire? Equidem recensere non grauabor, yerùm non ita vt ordinem temporum obseruem, verùm vt à leuioribus exordio sumpto, deinceps ad grauiores progressum faciam. Biennio, postquam ex hac vita migrauit Martinus Lutherus, cùm quasi de tribunali pronuncians Deus apertè causam Lutheri condemnasset, admirabili quadam victoria Christianissimo Imperatori Carolo contra factionis eius homines concessa, quorum ingentem exercitum, nullo prælio commisso, perexigua manu, sed Iius Dei præsidio adiutus, in fugam conuertit: neq; multò pòst paucis comitatus Angelidum ectu Albi fluuio transmisso, multò numerosiores eorum copias fudit, ac Principem etiam ipsum factionis in potestatem suam redegit. Post hanc igitur admirabilem victoriam, in qua Deus ipse pro ministro suo Cæsare causam suam agente pugnauit, statim in tres sectas Lutherana secta dissecta est. Nam alij facti sunt Interimistæ, alij Adiaphoristæ. Interimistæ porrò duplices, vni ex permissu Cæsareæ Maiestatis, qui nulla in re alia se Lutheranos profitebantur, præterquàm quòd neque calicis vsum à Laicis intermitti, nec vxores à Sacerdotibus relinqui volebant. Quod ad reliquos ritus & doctrinam attinet, quin per omnia cum orbe reliquo Christiano consentirent, non recusabant. Hos ex comitiorum decreto saltem ad Oecumenicum vsque concilium tolerandos esse Cęsar censuit. Sed vbi Christiani totius orbis Oecumenici decreta non valent, cur ibi plus ponderis habere debeat, quod in vno aliquo regno aut imperio fuerit constitutum? Quamuis itaque Mauritius Princeps Elector, non grauatim comitiorum Imperialium decreto se pariturum ostenderat, ausi sunt hoc sibi quidam arrogare Lipsici Theologi, vt libellum, qui comitiorum decreto fuerat approbatus, arbitratu suo corrigerent, & nouum Interim conscriberent. Ac quod ad ritus quidem & cæremonias attinet, de ijs non magnoperè cum Christianis contendebant, sed plus tamen aliquid sibi de Lutheri doctrina, quàm fuit in Interim illo Cæsareo permissum, reseruare conabantur. Quamobrem in hoc Imperiali libello subscripserunt, vt cōtenti docere, fide nos iustificari iuxta Paulum, quod erat additum à Luthero sola fide, id reijcerent: quòd addi aliquid verbo Dei, nefas esse iudicarent. Vsum est aūt illis & hoc Ecclesię, quàm diuersum Lutheri dogma potius amplectendum, ad iustificationem opera esse necessaria, neq; totam nostram iustitiam in solius Christi iustitia ponendam esse. De pœnitentia quoq; receptam Ecclesię partitionem admiserunt: septem esse Ecclesię Sacramenta concesserunt: Missam abolitam restituerunt, vulgares Lutheri cantilenas fermè prorsus aboleuerunt: Episcoporum etiam iurisdictioni, quo minus parerent, causam non dixerunt. Hęc sunt quę in illo Lipsico Interim cōtineri scribit Matthias Flaccus Illiricus in quadam adhortatione sua ad Ecclesias Misnicas. Porrò Vvittembergenses, etsi non diuersum sentire viderentur à Lipsiensibus, quod inde colligit Flaccus, quia scriptum eorum non oppugnauerant: quoniam tamen ex eorum schola cœperat initium Euangelium Lutheri, fuit illis religio tam ab eo subitò discedere, quamuis pridem nonnullos, Philippum præsertim, pertæsum eius fuerit. Quare nondum esse tempus opportunum rati, traditum ab ipso doctrinæ genus mutare, sed tem ritus nouos, quos induxerat, abrogandos consuerunt, & veteres ex magna parte restituendos iuxta formam in libello Cæsareo præscriptam. Vocauerunt autem hæc Græco nomine ἀδιαφορα, Latinè dicere possis indifferentia, vt quæ natura sua sunt eiusmodi, nihil vt ad salutem interesse videatur, seruet quis ea, ne one. Nam & nos in his, quæ fiunt externe, summam Christianæ pietatis positam esse negamus, cùm omnis gloria filiæ Regis sit intrinsecus. Intus videt Christus, intus amat, intus alloquitur, nec vel punit, vel coronat, nisi quæ fiunt intus. Sed vbi verè Deus intus colitur, non ferè fit, vt eiusmodi cultus per signa quæda & indicia se foras non proferat, & ad spectantium oculos traducat. Habent autem & hoc isti ritus externi, quòd sicubi similiter ab omnibus obseruantur, vnanimitatis cuiusdam & cōsensus testes sunt. In ijs igitur maxima ex parte sibi Vvittembergenses cum Christianis cōsentiendum esse duxerunt: vt ijs quasi signis à Luthero quandam ad Christum inclinationē se fecisse declararent, simul spem facerent, successu temporis futurum, vt reiecta Lutherana, Christianam & Catholicam doctrinam in omnibus amplecterentur. Odoratus est hoc Flaccus, vt est minimè mucosis naribus: itaq; summa contentione, ne qua mutatio fieret, obstitit, cumq; se nihil proficere monendo, orando, obsecrando videret, multis maledictis & probris etiam Præceptores suos, præ cæteris autem Philippum, nunc obscurius, nunc apertius incessere veritus non est, quòd Christi sui, hoc est, Lutheri causam eos deserere quiritaretur: Nam ille Christum alium non nouit præter eum, qui natus est Israelitis, neq; dubitauit eos Epicuri de grege porcos appellare, non veritatem, sed ventrem respicientes, vt quorum Deus venter esset. Ad extremum, cùm neq; precibus, neq; conuitijs eos à cœpto deterreri posse videret, diris deuouit omnes. Cumq; nomen eis Adiaphoristarum priùs impositum esset, hac tandem eos sententia, quasi pro tribunali sedens, condemnauit. Cùm videam eos in sua impœnitentia manere, & præsentes Adiaphoricas constitutiones contra conscientiam promouere, & Papatui sequuturo fenestras fabricare non desinere: pronuncio, impœnitentes Adiaphoristas esse pro Ethnicis & Publicanis habendos: id est, neminem pium debere cum ipsis vllam familiaritatem, conuersationem, amicitiam habere: & ei qui præsertim nulla iuris necessitate eis adstrictus aliter fecerit, denuncio lepræ eorum contagium, & ita haud dubiè, iram diuinam. Vides quàm sibi Flaccus auctoritatem arrogat, qui non dubitat scholam Vvittembergensem vniuersam, ex qua prodijt etiam is, quem ipse pro Christo adorat. Martinus Lutherus, anathema pronunciare, & eorum consuetudine pijs omnibus interdicere. Quod inter dictum vtinam valuisset, cùm apud alios pios omnes, tum apud eos præsertim, qui sub sunt Imperio Maiestatis tuæ: minus nunc turbarum in regno videremus. Verùm quæ causa est, quòd adeò damnat istas Adiaphoricas mutationes? Alia nulla, quàm quòd olfecerit per eas Papatui sequuturo fenestras fabricari. Scilicet, nefas est fabricare fenestras Papatui: fenestras fabricare Satanismo, nefas non est? quas fabricasse Lutherum negare non potest mutationibus istis, quas priuata sua fecit auctoritate. Nam vnde Sacramentarij, vnde nobis Anabaptistæ, vnde Suenckfeldiani, vnde prodierunt Seruetiani? non aliunde certè, quàm ex ijs mutationibus, quas Lutherus instituit. Huic debemus quòd in Eucharistiæ Sacramento non esse Christi corpus & sanguis docetur: quòd à baptismo paruuli prohibentur: quòd scripturis Canonicis auctoritas omnis detrahitur: quod nec infernus, nec esse cœlum creditur: quòd Christus verus Deus, Deiq; filius esse negatur. Fatetur hoc ipse Caluinus, fatetur & Balthasar Pacimontanus, vt in superioribus demonstrauimus, quòd è Lutheri scriptis doctrinam suam hauserint. Lutherum scribit Caluinus rudimenta posuisse, viamq; cōmonstrasse: sed interim prępostero eum esse dicit ingenio, qui rectam ingressus viam, simulac vię demonstrator iter suū reflectit, in eodem loco pedem obstinatè figens, vltra progredi recuset. Progressus igitur est vltrà Caluinus ab illis rudimentis & incunabulis Lutheri, cœpitq́ue fieri politior & instructior, ac esse Christum in Eucharistia præsentem negauit. Progressus est vlterius etiam Balthasar, qui sicut Eucharistiæ Sacramēto Caluinus, sic & ipse, non sine Caluino tamen, baptismi quoq; Sacramento, præsertim quod ad infantes attinet, virtutem omnem detraxit. Progressus est longiùs adhuc Suenckfeldius, qui scripturis auctoritatem abrogauit. Tandem eò quo tendebat initio Satanas, peruenerunt eius ministri Campanus & Seruetus, vt Christum verum esse Deum, Deiq; filium negarent: atq; ita cui rudimenta posuerat Euangelio Lutherus, ei colophonem adderent. Sic factum est, vt cùm aggeres validis aquis oppositos, pauxillum initio Lutherus aperuisset, mox tota moles

*Interimistarum genus primum.*

*Lipsici Theol. nouū conditi Interim, vt finis secundi generis Interimistæ.*

*Vvittembergenses Adiaphoristæ.*

*Quid Catholici sentiant de ritibus externis, & quatenus cōueniant cum illis Adiaphoristæ. Psal. 44.*

*Illyricus flagellat Adiaphoristas.*

*Illyr. sententia excommunicatoria in Adiaphoristas.*

*Lutheri Satanismo fenestras fabricauit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Illyr. in epist. ad illustrissimum D. Albertum in Prussia Ducem.*

aquarum incumberet, & aggere perrupto, latè campos, segetes ac pagos subuerteret. Prudenter admodum, sicut etiam tu meministi Flacce, monet Aristoteles, quòd etiam ante eum docuit Præceptor eius Plato libro septimo de legibus, cauendas esse legum ac politicarum labefactationes: ac præstare nonnunquam, vt errata legumlatorum ac Magistratuum tolerentur. Neq; enim tantùm vtilitatis allaturum, si quis corrigat aut mutet, quantùm ex eo detrimenti redundat, quòd assuefiunt paulatim homines, non obedire Magistratui. Proinde veteres leges nouis legibus facilè commutare, nihil aliud fuerit, quàm eis robur omne detrahere, & homines assuefacere ad mutandum plura, maioraq; cum quę videntur in speciem esse res minimæ, maximorum causæ sint malorum. Quod in mutationibus per Lutherum fieri cœptis, euentus ipse docuit, quę fenestras huic, quem nunc in Germania videmus, Satanismo fabricatæ sunt. Contra has igitur quiritari, his fortiter initio resistere oportebat. Nunc verò nihil erat Flacce, quòd immemor officij, tam acerbè, tamq; contumeliosè, benè de te merentem Præceptorem tuum acciperes, quòd is, quum necessarium esse videret, ordinem ac disciplinam in Ecclesia, quæ per Lutherum vtraq; sublata fuêre, pro virili sua perficere conatus est? vt pedetentim eò reditus fieret, vndè facta est discessio. Pium fuit hoc institutum hominis non omninò deplorati, cui violentæ mutationes istæ per Lutherum factę nunquam placuerunt: cuius tyrannide se tandem aliquando liberatum esse non molestè ferre visus est, cùm scribens ad Carlouitium, se deformiter ei seruiuisse fatetur. Tuam verò religionem hanc pientissime Rex, non possum, quin laudem: quòd cùm à te quoq; nonnulli petiuissent, vt mutationes aliquas in regno tuo fieri permitteres in rebus, vt quibusdam visum est, adiaphoris, nulla ratione vt id faceres, adduci potuisti, ne signũ id videri posset defectionis à religione Christiana, quam à sanctis maioribus tuis per manus tibi traditam accepisti, & inclinationis ad Satanismũ, quem nunc in multis Germanię locis florere, & proh dolor, in nonnullis etiam regni tui partibus pullulare vides. Possunt aliqui videre leuiora, quæ sunt petita, de quibus magnoperè pugnare non oporteret: sed vt nihil in rebus ipsis esset vitij, tamen in præcisione ab orbe reliquo Christiano tantum est crimen, vt alia omnia cum hoc vno collata, festuca sint cum trabe comparata. Atq; hæc est, quam petunt nonnulli: Præcisionem. n. petunt, non res ipsas, quas nihil ad salutem intelligunt pertinere. Quod ipse quoq; Verg. cõfitetur in Scholijs, quæ improbus homo scripsit in epist. Pontificis, ad regni Consiliarios. Rectè fraudes istas Flaccus, quæ verę pietati struuntur, eumq; simulimas esse scribit, qui prima parte tenuissimus est, nec videtur in lignum impactus magnam ligni disruptionem facere: sed tamẽ, quantumuis prima sit acies tenuis, nihilominus aditum facit sequenti crassitiei, ita, vt cum illa pars recepta sit, necessariò tandem & sequentia recipiantur, donec lignum penitùs discindatur. His fraudibus vsum esse Satanam videmus in Germania. Prima exitialis istius cunei acies fuit disceptatio de indulgentijs: Secunda iam erat aliquantò crassior, quando calix Laicis, vxores concessæ fuerunt Sacerdotibus. Media pars Augustanæ Confessionis approbatio. Postremò, Satanismus hic vniuersus, de quo iam verba fecimus, quo tantam esse factam disruptionem videre licet, vt nisi Deus oculis misericordiæ suæ nos respexerit, non facilè medicina reperiri queat. Quamobrem non piè magis quàm prudenter feciſti Rex optime, quòd ab isto tam exitiali cuneo tibi, regnoq; tuo tam diligenter hactenus cauisti, à quo deinceps etiam quantum tua tibi, regniq; tui salus curæ est, tantum cauere debebis.

*Aliæ sectæ Lutheranorum.*

Habemus itaq; iam tres vel quatuor sectas Lutheranorum secundum Flaccum: Nam & Lipsicos Interimistas, vult esse duplices, quod vnum sit excerptum Interim, aliud ipsum verum Interim. Erunt igitur triplices Interimisti, & vni Adiaphoristæ, quibus omnibus consuetudine piorum interdixit Flaccus. Quinta iam non est de Adiaphoris, verùm de rebus grauioribus. Extiterunt. n. Vvittembergæ anno ab hinc propè 20. qui sicut anteà docti fuerant à Luthero, legem operum reijciebant. Contra quos ille multis disputationibus cõtendit, & eos probroso nomine vocat Antinomos.

*Antinomi.*

Sexta est Confessionistarum, qui sunt Confess. Augustan. non de veste linea, etiius causa tantas tragœdias excitauit Flacc. quam etiam esse vult primam exitialis cunei partem, sed de summa Christianarum rerum, de eo quòd Euangelicę doctrinę caput esse putat Lutherum in quo pendere dicit & periclitari cognitionem sui ipsius, cognitionẽ & gloriam Dei. quale est iuxta sententiam ipsius dogma de libero arbitrio. de quo semper ita docuit, quod patiatur tantùm, non autem agat, quod sit res de solo titulo, vel potiùs figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia vt Vicleffi articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eueniunt. Vnde non dubium Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium, ad seducendos homines à via Dei in vias proprias: Et mala, inquit, opera in impijs Deus operatur. Cuius doctrinæ subscripserat etiam Philippus Melanth. in ijs Locis communibus, quos edidit Vvittemb. anno 20. non sine quadam arrogantia iuuenili minimè ferenda. Nam & de sanctis Doctoribus ausus est censuram ferre. Scripsere, inquit, de libero arbitrio Augustinus & Bernardus, & ille quidem sua posterioribus libris, quos aduersus Pelagianos edidit, multipliciter retractauit. Bernardus non est similis sui. Sunt hæc de re apud Græcos quoq; quædam, sed sparsim. Ego quandoquidem non sequor hominum opiniones, & simplicissimè & planissimè rem exponam, quàm ferè obscurarunt auctores tam veteres, quàm noui: quia sic interpretabantur scripturas, vt simul vellent tamen rationis humanæ iudicio satisfieri. Parum ciuile videbatur docere, necessariò peccare hominẽ. crudele videbatur reprehendi voluntatem, si non posset se à vitio ad virtutem conuertere. Ideò & plura viribus humanis, quàm par erat tribuere: & mirè variarunt, cùm rationis iudicio viderent vbique refragari scripturas. Et in hoc quidem loco cùm prorsus Christiana doctrina à Philosophia & humana

*Constantia & pietas Regis Polon.*

*Quàm periculosum, & iam de leuioribus, à veteri religione deficere.*

*Quibus gradibus Satanismus Germaniam occupârit.*

*Philip. quàm arroganter primum negârit liberũ arbitr.*



mana ratione differentiant, tamen sensum irrepsit Philosophia in Christianismum, & receptum est impium de libero arbitrio dogma, & obscurata Christi beneficentia per profanam illam & animalem rationis nostræ sapientiam. Vsurpata est vox liberi arbitrij, à diuinis literis, à sensu & iudicio spiritus alienissima, qua videmus sanctos viros non raro offensos esse. Additum est è Platonis Philosophia vocabulum rationis æquè pernitiosum. Nam perinde atq; his posterioribus Ecclesię temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ita statim post Ecclesię auspicia per Platonicam Philosophiam Christiana doctrina labefactata est: ita factum est, vt præter Canonicas scripturas nullę sint in Ecclesia synceræ literę. Redolet Philosophiam, quicquid omninò commentariorum extat. Et paucis interpositis: In quæstionem vocatur, sit ne libera voluntas? respondeo, quandoquidem omnia quæ euenient, necessariò iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas. Quid igitur inquies, Nullane est in rebus (vt istorum vocabulo vtar) contingentia? nihil casu? nihil fortuna? Omnia necessariò euenire scripturę docent. Vallam ait Eckius, quòd scholarum sententiam de libero arbitrio confutauit, plura voluisse scire quàm didicisset. Et in fine huius loci summam colligens, dicit: Si ad prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus vlla est libertas, sed eueniunt omnia iuxtà prædestinationem diuinam. Si ad opera externa referas voluntatem, quædam videtur esse iudicio naturæ libertas: si ad affectus referas voluntatem, nulla planè libertas est, etiam naturæ iudicio. Concludit tandem: Vides Lector, quantò simplicius de libero arbitrio scripserimus, quàm vel Bernardus, vel vlli Scholastici. Et in annotationibus in epistolam Pauli ad Romanos, explicans illum Pauli locum, Iuxta prædestinationem Dei, posteàquam confirmauit, quòd nulla est rerum contingentia, nec libertas arbitrij, sic tandem loquitur: Nos verò docemus, non solum permittere Deum creaturis, vt operentur, sed ipsum omnia prioriè agere: vt sicut fatentur proprium opus Dei fuisse Pauli vocationem, ita fateantur opera Dei propria esse: siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, communia cum brutis: siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seueritatem animaduertentis in filium: cùm constet Deum omnia facere non permissiuè, sed potenter, vt Augustini verbo vtamur, vt sit eius proprium opus Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio. Hæc Philippus in his libellis, quos adolescens etiamnum scripsit, Quorum alterum de locis cõmunibus inuictum libellum esse dicit Lutherus, contra Erasmum de seruo arbitrio scribens: non solùm immortalitate, sed Canone quoq; Ecclesiastico dignum: cui tuus libellus, inquit, comparatus ita mihi sorduit ac viluit, vt tibi vehementer compaterer. In alterũ verò præfatus, non dubitat eum doctissimi Thomæ Aquinatis Cõmentarijs anteferre. Hieronymi autem & Origenis Commentaria meras esse nugas & ineptias, si illius annotationibus comparentur. Ac parum abest, quin eum Paulo superiorem faciat, certè proximum illi esse vult. Verùm vtrumq; libellum hunc toties variando Philippus, ipse posteà multis in locis erroris cõdemnauit: in hoc præsertim capite de libero arbitrio. Nam sæpè deinceps vtrumq; excudi fecit, multa detrahens, addens, mutans, corrigens, vt postremi cum primis nulla fere in parte conueniant. In ijs autem locis, qui sunt impressi anno Tricesimosexto Argentorati, tricesimo octauo Vvittembergæ, 46. Lipsiæ, quinquagesimo quinto Vvittembergæ, apertè recantauit ea, quæ in primis illis scripserat de libero arbitrio. Sic enim loquitur Valla, & pleriq; alij, detrahunt voluntati hominis libertatem, ideò quia fiant omnia decernente Deo. Addit in locis, anno 46. & 55. excusis: Hęc imaginatio orta ex Stoicis disputationibus deduxit eos ad tollendam cõtingentiam bonarum & malarum actionum, imò omnium motuum in pecudibus & elementis. Dixi autem suprà, non esse in Ecclesiam inuehendas illas Stoicas opiniones, nec defendendam esse necessitatem fatalem omnium, sed aliquam contingentiam cõcedendam. Non necesse fuit Alexandrum interficere Clytum. Nec miscenda est disputatio de determinatione diuina quæstioni de libero arbitrio. Et iterum in Locis anni 36. & 38. ac posteriori: Cùm in natura hominis reliquum sit iudicium & delectus quidam rerum, quæ sunt subiectæ rationi ant sensui, reliquus est etiam delectus externorum operum ciuilium: quare voluntas humana potest suis viribus sine renouatione, aliqua externa legis opera facere. Hæc est libertas voluntatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini. Nam & Paulus discernens iustitiam carnis à spirituali, fatetur non renatos habere delectum aliquem: manus à cæde, à raptu, à furto, continere. Et hanc vocant iustitiam carnis: imò hanc disciplinam etiam non renatis præcipit Deus. Ac interiectis nonnullis: Hæc sententia de libero arbitrio nihil habet absurdi: & est germana cùm aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum ac synodorum, tum verò Augustini sententia: nec adigit ad desperationem bonas mentes, nec deterret eas quominus conentur: imò & amplificat Spiritus sancti auxilium, & acuit curam ac diligentiam nostræ voluntatis. Non probo deliramenta Manichæorum, qui prorsus nullam voluntati tribuebant actionem, nec quidem adiuuante Spiritu sancto: quasi nihil interesset inter statuam & voluntatem. Scribit etiam concurrere tres causas bonæ actionis, verbum Dei, Spiritum sanctum, & humanam voluntatem assentientem, nec repugnantem verbo Dei. Posset enim excutere, vt excutit Saul sua sponte: sed cùm mens audiens, ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiæ, sed adiuuante etiam Spiritu sancto conatur assentiri, in hoc certamine voluntas non est ociosa. Et iterum post pauca: Vidi multos non Epicureos, qui cùm essent in mœrore propter suos lapsus, disputabant, quomodo sperem me recipi, cùm non sentiam in me transfundi nouam lucem, & nouas virtutes? Prætereà si nihil agit liberum arbitrium, intereà donec sensero fieri illam regenerationem, de qua dicitis, indulgebo diffidentiæ, & alijs vitiosis affectibus. Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium est: & ab hoc errore mentes abducendę sunt & docendæ, agere aliquid liberum arbitrium, Pharao, Saul, non coacti, sed volentes & libere repugnant Deo: nec fit conuer-

*Aliud Philippi testimonium contra liberam arbitrium.*

*Luth. quàti scripta Philip. fecerit, quorumtamen nonnulla dogmata ipse postea Philippus damnârit.*

*In scriptis posterioribus Philippus cõfirmat liberũ arbit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



fio in Dauide, vt si lapis in ficum verteretur: sed egit aliquid liberum arbitrium in Dauide, cùm audiuit obiurgationem & promissionem: volés iam, & liberè fatetur delictum: & egit aliquid eius voluntas, cùm se sustentat hac voce: Dñs transtulit peccatum tuum. Et iterum post pauca: Cùm promissio sit vniuersalis, nec sint in Deo cõtradictoriæ voluntates, necesse est esse in nobis aliquam discriminis causam, cur Saul abijciatur, Dauid recipiatur, id est, necesse est aliquam esse actionem dissimilem in ijs duobus. Et in capite præcedenti, quod est de causa peccati & contingentia. Est autem hæc pia & vera sententia, vtraq; manu, ac veritis toto pectore tenenda, quòd Deus non sit causa peccati: & quòd Deus non velit peccatum, nec impellat voluntates ad peccandum, aut approbet peccatum. Sed causæ peccati sunt voluntas Diaboli, & voluntas hominis, qui sua voluntate abuti potuit, seq; à Deo auertere: quæ quidem longiùs ibi persequitur.

*Philip. se Manichæum fuisse re ipsa declarat.*

Ex quibus planum cuiq; fieri potest, quemadmodum Philippus Melanchton, quicquid ab eo peruersè scriptum fuerat de libero arbitrio in Loc. Comm. anni 21. simul & Magistri sui Martin. Luther. eadem de re sententiam, tanquam impiam & cum hæresi Manichæorum congruentem, condemnauit: quod pluribus etiam verbis ab eo factum est in Epitome Philosophiæ moralis, quam edidit Argentorati anno 38. vbi similiter damnat ingenia turbulenta, quæ multas de libero arbitrio serunt contentiones, & Vallæ absurdas imaginationes, quæ propter diuinam gubernationem adimunt libertatem voluntati. Sed & in Comment. in epist. ad Rom. posterioribus expungi fecit ea, quæ scripserat anno 24. quòd esset Dei propria etiam mala opera, vt Dauidis adulterij, & quòd æquè proprium eius opus esset Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio. Quin enarrans illum locum: Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum: Nec vult, inquit, nec approbat, nec efficit peccatum Deus. Et quoniam Augustanæ Confessionis est auctor idem Philippus, in ea quoq; discessum est à Lutheri sententia, quo ad hoc doctrinæ caput, quod ille tamen ad finem vsq; vitæ suæ tanta pertinacia defendit, vt mori se priùs paratum ostenderet, quàm ab hac sua sententia discederet: In qua quantum positum esse putauerit, & in exordio, sicut paulò antè commemorauimus, & in fine libri, quem scripsit contra Erasmum, satis declarauit. Sic enim prope calcem eum alloquitur: In hoc te vehementer laudo, quòd solus præ omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est summam causæ: nec me fatigatis alienis illis causis de Papatu, indulgentijs, purgatorio, ac similibus nugis potius, quàm causis, in quibus me hactenus omnes venati sunt frustrà. Vnus tu & solus rerum cardinem vidisti, & ipsum iugulum petiisti. In eo igitur quod rerum cardo, quod causæ totius est iugulum, ausus est Philippus cum suis, qui Augustanæ sunt Confessionis, à Magistro suo Martino Luthero se palàm diuersum sentiendo segregare. Quod quid aliud fuit, quàm eum hæreseos & impietatis condemnare? Et revera cardo Lutheranæ doctrinæ vertitur in hoc vno dogmate de libero arbitrio, quod ruere non potest, quin simul eodem motu labefactata concidant omnia, quæ de iustificatione præsertim, deq; rebus ad illam pertinentibus ab eo scripta sunt. Lutheri sententiam tuetur etiam-num Caluinus, & in ea perstat. Neq; sibi prorsus eam sordere Brentius ostendit in prima epricope, quam scripsit contra venerabilem virum Petrum à Soto. Vidimus autem & Galli cuiusdam scriptum, quo grauiter insectatur Præceptorem suum Philippum, quòd in hac tanta re à Magistro suo Luthero dissentiat. In quo scripto Philippum etiam insimulat, quòd Caluinizet.

*Cardo Lutheranæ doctrinæ est de libero arbitrio.*

*1. In Apol. Confess. Aug. 2. in locis communibus.*

Habemus ergo iam huius hydræ Lutheranæ sex capita, quorum sextum revera caput est: agitur enim de summa rei. Sed neq; minoris momenti est septimum, de quo immane quantum est inter Lutheranos dissidium? Neq; enim agitur de linea veste, sed de eo, quem præcipuum doctrinæ Christianæ locum vocat Philippus, quem summam Euangelij continere scribit, nimirùm de iustificatione. Nec à scopo multùm aberrat, cùm illi tantum tribuit. Interea tamen & de hoc ingens est inter eos dimicatio. Nam cùm in Augustana Confessione minus dilucidè fuerit locus hic explicatus, fas sibi esse putauit Andreas Osiander, clariùs de eo aliquid differere: quod cùm fecisset non relata priùs re ad Philippum, & eos qui Confessionis Augustanæ præcipui sunt Doctores, tantæ fuerunt excitatæ tragœdiæ, vt non longè res ab fuerit à seditione. Cuius criminis non est insimulatus Osiander? quæ conuitia & maledicta in eum iactata non sunt? Vocatus est, vt ipse scribit, Hæreticus, Antichristus, Iudæus, niger Diabolus, Draco, homo nefarius, conscelleratus, hostis Christi. Fuit etiam de eo conclu-ctum: quacunq; incederet, quòd eum in specie canum duo Diaboli comitarentur, quos tamen non cuiuis videre liceret: quodq; quo tempore cibum & potum in inferiore cum suis hypocausto sumebat, vbi vacare solitus erat literarum studijs, in superiore sedens in illius loco Diabolus, visus fuerit scriptitare. Et alia id genus pleraque. Tum & illud sparsum de illo fuit, quòd affirmaret Christi passionem & mortem nullum nobis fructum attulisse, cùm tamen in scriptis illius diuersum reperiatur. In summa, tantum fuit odium hominis conflatum, vt non ipse modò tanquam impius haberetur, verùm etiam qui sermones eius audiebant, à communione cæterorum, qui se pios existimabant, arcerentur, ac ne sepultura quidem communi digni ducerentur. Missum fuit Vvittembergam, vt de doctrina eius iudicium fieret, damnata est per Philippum, Pomeranum, Forsterum, & alios. Missum est Vvittembergam, approbata est per Brentium, & qui sunt eiusdem sectæ. Hic vides, de vna, eademq; doctrina, quàm diuersum fuerit iudicium Vvittembergensium & Vvittembergensium Doctorum, cùm tamen inter vtrosque non sit nisi vnius literæ discrimen, cùm prolatis etiam è Lutheri libris locis aliquot, planum facere conetur Osiander, quod ipse scripserit, idem de iustificatione sensisse Lutherum, nimirùm essentialem Dei iustitiam habitantem in nobis, & excitantem nos ad benè agendum esse iustificationem nostram. Cæterùm contra scriptum illud, quod editum contra se fuerat à Philippo & collegis eius, edidit ipse quoque scriptum contrarium Osiander: in quo causam adfert, cur hanc ipsius doctrinam illi non approbarint. Narrat igitur, neminem Vvittembergæ vel Theologiæ Doctorem, vel artium fieri Magistrum, nisi prius conceptis verbis iuxta formulam sibi prolatam iurauerit, se tria symbola Apostolorum, Nicænum, & Athanasij retinere firmiter, ac tueri simul & defendere velle. Quòd si quid inciderit, quod in ijs tribus Symbolis & Augustana Confessione satis determinatum non sit, nolle se quicquam de eo conclusiuè (quod vulgò dicitur) dicere, nisi re prius ad seniores Doctores, qui constanter huic adhærent Confessioni, relata, & consilio cum illis communicato. Seniores autem isti cùm sint Philippus & eius similes, si quid incideret, quod in hac Augustana Confessione scriptum non sit, necesse habent, qui iurauerunt in Confessionem, nihil de eo statuere, nisi quod visum illis fuerit. Ita vt quod ipsi probauerint, id recipere sint adstricti, etiam si diuersum aliquid in scripturis Canonicis reperiatur: quando quidem non in sacræ scripturæ, sed in Augustanæ Confessionis vnanimi consensu se constanter esse permansuros, iurauerint. Itaque si scripturas potiùs sequerentur, periurij reatum non effugerent. Confessionem autem hanc Philippus ipse scripsit, penes quē etiam est, eam interpretandi potestas. Ex quo cõsequitur, quòd omnes qui iurarunt in eam Confessionem, necesse habeant illam eo sensu accipere, quem Philippus attulerit, vt sic reiecta scriptura ad tria symbola tantum & ad Philippi doctrinam sint alligati. Hæc de Philippo Osiander: qui parentes etiam diligenter monet, vt etiam atq; etiam secum deliberent, num suos filios mittere Vvittembergam debeant, vt ibi Magistri vel Doctores efficiantur. Coguntur enim, inquit, abiurare verba Dei, & in Philippi verba iurare. Iurat enim, inquit, quilibet, quòd de grauioribus rebus ad fidem pertinentibus, nihil velit statuere, nisi de sententia seniorum confessionis Augustanæ, etiamsi contrarium dicat scriptura: Quam si sequi potius voluerit, erit periurij reus. Ita secreta fit quædam, inquit, conspiratio, quę magis hominum, quàm Dei verba respicit: atq; ideo Christianæ Reipublicæ non parum adfert detrimenti. Philippi verbum plus apud eos ponderis habet, quàm Dei verbum. Sex & triginta scripturarum loca produxi, quibus habitare Deum in nobis ostendi, creditum non est. Simul vt Philippus paruam schedam scripsit, qua testatus est ita se rem habere, statim creditum est. Ac paulò pòst: Vox audita est, inquit, de cœlo Patris, de Christo dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, hunc audite. Hunc, inquit, audite, non Philippum, non alios homines, qui tibi os obturant, & volunt, vt secundum eorum consilium, non autem secundum scripturas, pronuncies: Sic Osiander ferre non potuit, vt homines ad Confessionem Augustanam, quod Philippi verbum est, alligarentur potius quàm ad Dei verbum, cùm quod ipse, non quod Philippus doceret, id esse Dei verbum credi vellet: cùm se nulla re Philippo inferiorem esse iudicaret: nulla vt causa esset, quamobrem non ipsius verbum, vt Philippi verbum, pro Dei verbo haberetur: cùm præsertim Philippus, quemadmodum alijs pleriſque in rebus, ita & in doctrina de iustificatione, nunquam sibi satis constiterit. Viginti dicit esse diuersas opiniones de hoc vno dogmate: ac Philippi, discipulorumqúe eius quatuordecim enumerat in eo libello, quem contra Nycticoracem quendam scripsit. Nam simul vt, inquit, locum aliquem in scripturis viderunt, in quo iustitiæ mentio fieret, statim nouam ex eo iustificationem sunt fabricati. Verbi gratia: legit aliquis, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, iam ex hoc vno loco duo collegit iustificationis genera: vnum ex verbo credidit, vt diceret fidem esse nostram iustitiam: alterum ex verbo reputatum est, vt diceret, Deum iustitiam suam nobis imputare, nos pro iustis habere, etiam si non simus, atque hanc esse iustitiam nostram. Legit aliquis iustificati sumus per sanguinem eius, statim ex eo colligit, quòd pretiosus Christi sanguis sit nostra iustitia. Legit alius: Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi: mox docuit, Obedientia Christi est iustitia nostra. Legit alius, Resurrexit propter iustificationem nostram: Resurrectio, inquit, Christi est iustitia nostra. Legit alius, Spiritus sanctus arguet mundum de iustitia, quia vado ad patrem: affirmauit illicò, quòd CHRISTI transitus ad patrem est iustitia nostra. Legit alius, quòd efficimur iusti absque meritis ex gratia Dei: non dubitauit affirmare, quòd gratia & misericordia Dei sit iustitia nostra. Legit alius: Ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, eueſtigiò docuit, remissionem peccatorum esse iustitiam nostram. Legit alius: Liuore eius sanati sumus, asseruit illicò, quòd vulnera Christi sunt iustitia nostra. Iam igitur enumerasse se scribit nouem genera iustificationum è scripturis collecta, malè inter se cohærentia, neque tamen omnia se adhuc recensuisse. Enumerat deinceps, quæ è suo quisque capite cõfinxit. Aliqui, inquit, dicunt, quòd iustitia sit opus Dei, quòd ipse in Christo operatur: alij, quòd nos Deus ad æternam vitam recipit: alij, quòd meritum CHRISTI: alij de media quadam iustitia loquuntur, quam tamen explicare nequeunt. Alij docent, quòd essentialis iustitia Dei creat in nobis aliam nouam creatam iustitiam. Sic Osiander quatuordecim opiniones de iustificatione recenset, & quam ipse profert est quintadecima. Iuxta numerum autem cuius meminit in confutatione scripti, quod contra se Philippus ediderat, erunt omnes viginti & vna.

*Iurandum est Vvittembergæ in Confessionem Augustanam, & verba Philippi.*

*Osiander de Confess. Augustana.*

*Tanti autem Confessionem istam fieri scribit Ioan. à Lasco, vt non dessint inter Lutheranos, & qui dicent possint, qui dicant se malle de Pauli ipsius Apostoli, quàm vel de Lutheri Confessionis Augustanæ doctrina dubitare.*

*Viginti opiniones Confessionistarum de vno dogmate iustificationis.*

*Alligari ad Philippi verbum.*

Nunc tu vide Serenissime Rex, quando quidem sic ipsi dissident inter se non de lana caprina, quod dici solet, sed quod ipsimet fatentur, de præcipuo doctrinæ Christianæ loco, qui summam Euangelij totius in se cõtinet, quàm tutum sit, de quocunq; tandem Christianæ doctrinæ capite disceptetur, à sensu & consensu totius Ecclesiæ deficere, & animam vnius alicuius istorum fidei committere, qui nuper exortus non modò cum suæ congregationis proceribus, sed ne secum quidem ipse persæpè consentiat, sicut in hoc ipso capite de iustificatione toties est à Philippo variatum. Certum esse dicit argumentũ Lutherus: quan-

*Quàm periculosum fidere Sectarijs, tam topere disceptãtibus de maximis rebus.*



*Osiandri doctrina Vvittembergæ damnata, Vvittembergæ approbata à Confessionistis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



doquidem septem aut octo sectas enumerauit Sacramentariorum, doctrinam eorum ab auctore Satana profectam esse, quòd in ipso statim exordio sit in tot capita dissecta. Atqui nos non septem, sed bis aut ter septem Lutheranorum sectas de vno saltem iustificationis articulo, qui summam Euangelij continet, recensuimus. In vniuersum autem de rebus etiam alijs dissidentes, quater septem vna minus. Collegit ciuis quidam Hallensis homo Laicus Caspar Querchamer triginta sex loca Lutheri inter se pugnantia super vno duntaxat articulo, qui est de communione vel vtriusque vel alterius speciei sacramenti Eucharistiæ. Quòd si triginta sex has opiniones adistas viginti septem, quas enumerauimus, addendas aliquis putauerit, erunt 63. Quàm multæ sunt aũt sectę, quæ nos adhuc fugiunt? Et erit quisquam qui dubitet, quin & hæc Lutheranorum doctrina sit ab auctore Satana profecta?

*Triginta sex pugnantes opiniones de communione vtriusque vel alterius speciei.*

*Quid venëtur noui sectarum assertores. Psal. 48.*

Caue putes pientissime Rex, Christi causam ab istis agi, aut hoc eorum esse studium, vt verbum Dei propagare queant. Nihil est, quod eis curę sit minori: quam vt gloriam propaget, suum vt verbum pro Dei verbo rudi populo venditet, id verò est, quod eorum quisque studet maximè. Vocauerunt, ait Propheta, nomina sua in terris: in hoc eorum cura cõsumitur omnis, vt sit nomen eorum in terris celebre, vt dicatur, hæc est confessio Philippi, hæc Brentij, hæc Osiandri. Nihil. n. nunc loquar de Zuinglianis, quos ipsi itidẽ vt Anabaptistas, habent pro hæreticis: de Lutheranis tantùm loquor, quos illi vicissim iudicant hæreticos: neq; diuersum est Christianorum omnium de illis iudicium. De ijs igitur dico, quòd & ipsi quamlibet induti sint ouium vestimenta, tamen quæ sua sunt, quærunt, non quæ IESV Christi: de sua quisq; nõ de Christi gloria sollicitus est. Quamobrem & ipsi, quamuis ex eadem Lutheri schola profecti, non eandem tamen confessionem habent oẽs: constat. n. quod Augustanam confessionem non receperunt nisi saxonicę Ecclesię. Ne in ipsa quidem Augustana ciuitate, vbi Cæsari primùm fuit exhibita, recepta est: Nam ea magis in Zuinglij partem propendere videtur, ac plures in ea reperiri dicuntur, qui Suenckfeldianæ, quàm qui sint Cõfessionis Augustanæ. Quam etiam causam fuisse puto, quòd cùm ante sex annos rem à Philippo scripta fuisset confessio, Synodo Tridentinę offerenda, sic librum inscripserunt: Confessio doctrinæ Saxonicarum Ecclesiarum.

*In schola Lutheri non omnibus placet Augustana cõfessio.*

*Consilium Brentij in edenda noua confessione.*

At Brentius quamuis & ipse præ se ferat à Lutheri doctrina se non esse alienum, minimè tamen in eo voluit acquiescere: quod in illo scriptum fuit oppido, ex quo primùm Luther prodijt Euangelium. Verùm scripsit & ipse peculiarem suam confessionem non sub suo, sed sui Principis nomine, quam etiam cõgregationi concilij Tridentini proposuit. Est aũt illud scitu dignum, quod nec Brentius, nec Vrbanus Regius, nec Osiander in cõfessionis Augustæ verba iurauerunt. Indignum. n. illis videbatur, vt præscriptam à Philippo fidei formulam sequerentur, cùm quilibet eorum de se persuasum haberet, quòd in sacris literis maiores etiam quàm Philippus, progressus fecisset: Atq; ideò se quoq; non minus idoneum quisque iudicabat, qui peculiarem etiam suæ fidei confessionem conscriberet. Sicsti dum sui quisq; nominis illustrandi, quàm inuestigandæ, propagandæq; veritatis est studiosior, licere sibi volunt, vt non ipsi modò à se inuicem, sed etiam à Magistro suo Luthero nõnullis in rebus, etiam ijs, in quibus cardo Christianæ rei vertitur, dissentientes nouam sibi quisq; fidem cõderent, ac singularem suam confessionem exhiberent.

*Petrus à Soto cur aduersus Brẽtij confessionẽ scripserit.*

Vidit hoc homo quidam Hispanus Petrus à Soto, qui nullam aliam præter Catholicam fidem didicerat, quòd aliam confessionem Philippus, aliam proferret Brentius: mirari satis non potuit, quando quidem vterq; magistrum suum esse Lutherum profitebatur, quòd ẽ dei suę nihilominus diuersas cõfessiones adferebant. Visum est ei quiddam portenti simile. Quòd si quemadmodum ante annos viginti septem factum est, quo tempore suam Cæsari confessionem Protestantes obtulerunt, Zuingliani seorsum suam confessionem produxissent, minus id illi mirum accidisset. Nam sicut iam à nobis dictum est, habentur à Lutheranis pro hæreticis: quales vicissim ab illis Lutherani iudicantur. Sed cùm id fieret ab ijs, qui quod à Luthero fuit inuentum, idem Euangelium se profiteri iactarent, id verò instar ellei monstri videbatur, quòd ex eadem schola profecti, non eandem confessionem adferrent. Quoniam verò magna fuit opinio, Ducem Vvirttembergensem, sub cuius nomine cõfessionem suam Brentius ediderat, à Christiana & Orthodoxa fide nõ abhorrere, ab ea, inquã, fide, quam à maioribus nostris, sicut ipsi ab Apostolis acceperũt, per manus nobis traditam habemus, viro pio & zelo Christianę religionis ardenti vehemẽter doluit, quòd eò se Brentij & collegarum eius consilijs adduci passus est Princeps ille, qui singulari quadam suæ voluntatis in Catholicam fidem inclinatione propendere putabatur, vt singulariter suæ fidei potius confessionem Synodo proponeret, quàm in Catholica, quam à suis maioribus acceperat, acquiesceret. Quamobrem tenere se non potuit, quin ipse quoq; suam assertionem ederet, sed non singulariter tamen suæ, verùm Catholicæ fidei. Quem librum ita scribi curauit, vt ex vna facie concionatorum Ducis Confessionem ostenderet, ex altera Catholicam. Et doctrinæ Ducis, Catholicam doctrinam: auctoritatibus scripturæ, auctoritates non pauciores: testimonijs Patrum, testimonia pariter opponeret.

*Quam scribendi rationem Petrus à Soto seruauerit.*

*Dux Vvirttembergensis ne fallatur scripto Brentij, qui Confessionem illius nomine edidit, humaniter à Soto admonetur.*

Scripserat autem in eo libro Princeps, testificari se velle coram Deo & Ecclesia studium suum in excitanda & propaganda verè pia doctrina. Quæ verba Petrus in scholijs excipiebat. Priùs, inquit, ea fuit agnoscenda, prius erat statuendum, vt ea doctrina, cui propagandæ datur opera, sit verè pia: maximè nunc, quando constat omnibus in dubium verti, quæ sit vera doctrina. Non te lateat, inquit, Princeps optime, quòd sicut tui impiam doctrinam iudicant, quam Catholici sequuntur: sic eam Catholici vicissim, cui tu propagandæ das operam. Vt mirum ergo, non veræ & piæ doctrinæ propagandæ das operam, sed aut impiæ, testibus Catholicis, aut certè dubiæ, necessaria ratione, Nónne igitur satius est, ab hoc studio cessare, & vel saltem



vel saltem suspendere iudicium, & expectare humiliter à Deo illustrari, idq; exigere pijs operibus & precibus ad Deum? Subiunxerat Princeps: Etsi. n. non ignoramus, suum esse discrimen inter politicam & Ecclesiasticam functionem, tamen cùm Psalmus nos grauissimè hortetur, Nunc Reges, inquit, intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore & tremore, non debuimus cœlestem contemnere, &c. Et hæc verba Petrus exciens. Quod verò, inquit, sit hoc discrimẽ, oportebat benè exploratum habere: certum est, alienum esse à Principe Rempub. administrante definire dubia circa fidem: hoc verò pertinere ad eos, qui Ecclesiam gubernant: ab illis oportet Principes accipere, & eorum expectare sententiã: alioqui timere debent, quod sequitur post verba hîc citata. Ne quando irascatur Dominus contra eos, & pereant de via iusta: hoc enim comminatur Principibus, qui non apprehendunt disciplinam. Quid verò magis indisciplinatum & inordinatum, quàm dubiam doctrinam sequi, & intrudere subditis ante iudiciũ Ecclesiæ? E regione verò post alia pleraq; sic scripserat: Nihil maiore discretione moderandum est, quàm zelus ille agnoscendæ & retinendæ veritatis, qui quò maior fuerit, eò in grauiora pericula & discrimina deducit hominem: vt testis est Paulus supra modum æmulator paternarum suarum traditionum, atq; ideò iam expertus correctionem verè paternam Dei, de alijs dicit: Testimonium de illis perhibeo, quòd zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Ideoq; pro illis tristitiam magnam & cõtinuum dolorem cordi suo inesse asserit. Debet igitur quisq; primò gradum suum agnoscere, & iuxta illum sequi, & non præire, duci, & non ad se ducere Dei Spiritum & ordinationem: ne dicatur illi, Vade post me Satana, scandalũ mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt.

*Psal. 2.*

*Non confundenda functio ciuilis cum Ecclesiastica.*

*Non cuiuis zelo fidendum in causa religionis. Galat. 1. Rom. 10.*

*Matth. 16.*

Quid est in ijs verbis non modestè, non piè, non verè, Catholicèq; dictum? Et ea tam exaggeranda sibi Brentius putauit, ac modo non cœlum terræ miscendum, quod ausus fuerit Principi dicere vir pius, Vade post me Satana: cùm tamẽ is nihil eiusmodi Principi dixerit, verùm admonuerit tantùm, vt agnoscat quisq; gradum suum, ne si præire velit, & non sequi Spiritum sanctum, dicatur illi: Vade post me Satana. Vide autem impotentiam hominis? Qui scripsit assertionem hanc fidei Catholicę contra singularem Brentij Confessionem, ei nomen est Petro, cognomen à Sotos. Loci nomen id sit an familiæ, mihi non satis liquet. Sed est insignis Brentij petulantia ne dicam, an improbitas. Non ei dignatur cognomen suum tribuere, sed eum per contumeliam vocat Asotum. Dicuntur autem ἄσωτοι Græcè, qui Latinè decoctores, nequam homines, luxu, ganeæq; studio perditi, qui bona sua abligurierunt omnia. At cui viro probrum hoc objicit Brentius, vt eum per summam iniuriam Asotum vocet? Ei, quo vix quenquam hominem hæc nostra secula tulerunt sanctiorem: qui non vt bis magis quàm factis pridem huic seculo nequam nuncium remisit: ac quò magis vacare pietati posset, S. Dominici sequutus institutum, ante complures annos in illius familiã transijt, non alijs, quàm sacrarum literarum studijs deditus: Cuius & doctrinæ & vitæ piè, sanctęq; traductę tãta fuit fama, vt eũ sibi præ cęteris omnibus eligeret Christianiss. Imperator, cui secretiora suæ conscientiæ vulnera detegeret, à quo sanandis illis medicinam peteret, cuius ministerio remissionem peccatorum se cõsequuturum speraret. Solent aũt potentissimi quiq; Reges non alios ad id munus ascisc ere, quàm qui sunt excellenti doctrina, vitæque sanctimonia commendati. Quò magis autem intelligas, quod minimè sit suo de illo iudicio fructratus pientiss. Imperator: inter cætera hac quoq; in re integritatis suæ specimen de se præbuit singulare, quòd cùm vltrò fuisset Episcopalis illi dignitatis delata, respuit, ac paucos perem vitam potius elegit, in qua reliquum ætatis suæ tempus consumeret. Equidem vidi hominem, cùm abs te serenissime Rex, missus ad M. Imperatoriam proficiscens, Dilingam ad Cardinalem Augustanum, virum cùm præclaris à Deo multis dotibus ornatum, tum Catholicę & Orthodoxę fidei propugnatorem acerrimum, diuertisse m. Is nunquam satis eximias & singulares hominis virtutes apud me prædicare potuit, Hunc igitur talem virum audet impurus homo Asotum appellare. Quid est hoc aliud, quàm lucem tenebras, bonum malum dicere? Sed vnde liceret agnoscere Lutheri discipulum è Satanæ schola profectum, nisi mendacijs eiusmodi tam sancti hominis famam contaminarit? Quid autem ei deinceps erit credendum, qui statim in ipso limine sic impegit, vt apertè falso conuitio vti non vereretur: Neq; tamẽ illi satis libidini suę feciss e se existimabat, nisi quo falso probro virum summa pietate, religioneq; præditum affecerat, eodem etiam vniuersum Episcoporum & Sacerdotum ordinem perstringeret, quos vocat Prælatos Asoticos. Quasi verò non plures Asotos inuenire liceat apud Lutheranos, quorum plerique tam sunt inexhausta libidine, vt ne coniunx quidem illis vna sufficiat, quàm apud Catholicos: præcipuè si partem istorum exiguam cum toto conferas orbe Christiano. Sed non possunt isti sibi temperare, quin ex qua schola sint profecti, planum omnibus faciant, & exemplo magistri sui sannis, scommatibus, dicterijs, conuitijs, calumnijs parum Christianis, libros suos omnes infarciant.

*Cardinalis Augustanus.*

*Brentij probrum in Magistratus Ecclesiasticos.*

*Virulentum libelli Brẽtiani proœmium.*

Sed audi quæso, quale sit, quamq; virulentum huius libelli proœmium? Orditur à fabula quadam de seruis, qui contra suos dominos insurrexerint, & eos alicubi peregrè redeuntes oppresserint. Tales esse vult Episcopos Catholicos, seruos flagriones, conscelerata mancipia, qui sint ausi mouere seditionem contra suos dominos, & eos de gradu suo deturbare.

*Prima Brentij pratio.*

Ac vide, quàm bellè primum eos eiusmodi seruos esse probet? Scriptum est, inquit, Quis est Paulus? quis Apollo? nisi ministri per quos credidistis? Nunquid autem non rectè dici potest ex aduerso: Quis est Carolus Imperator? Quis Ferdinandus Cæsar? quis est Sigismundus Rex, nisi ministri, per quos ius cuiq; suum tribuitur? quorum ministerio fit, vt in pace & tranquillitate vitam agamus: nisi fortè de seculari quoque Principe scriptum non est: DEI minister est tibi in bonum. Non sine causa gladium portat: DEI enim minister

*1. Cor. 3.*

*Rom. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Esaiæ 10.*

est, vindex in iram ei, qui malum agit. Longè potentissimus fuit Sennacherib Rex, eum nō modò ministrum, verumetiam virgam furoris sui & baculum vocat Dominus: at qui nullum est tam vile mancipium, quod non virgę sit & baculo præferendum. Nunquid ideò Reges & Principes subesse debent populo, non præsse? quia per eorum ministerium ius cuiq; suum Deus tribuit: bonos præmijs, malos debitis afficit supplicijs? Profertur & alia scriptura: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus. Quid igitur ex eo colligis? Ergo Paulus, Apollo, Cephas, & mundus vniuersus, fuit subiectus Corinthijs? Etiam Sigismundus noster est, sed nunquid tanquàm qui subiectus sit nobis? Absit, sed tanquā is, qui legitimè nobis imperat Rex & Dominus noster. Hic videre quilibet potest, quàm verū sit, quod de Hereticis ab Hilario scriptum est? Omnes scripturas sine sensu loquuntur. Atqui talibus è scriptura petitis vocibus, classicum isti cecinerūt rusticis, quo sunt ad arma capienda contra suos dominos excitati, cùm dicerent: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue Reges, siue Principes, omnes sunt serui vestri, vos autem Christi, vt in ipsum Brentium, & eius similes ea rectius quadrare videantur, quæ de seruis præfatur, qui contra suos dominos insurrexerint. Affertur & tertia scriptura: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed IESVM Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros. His tribus locis ex Paulo productis, probat Brentius, quòd Paulus Episcopos Ecclesiæ subijcit, & facit eam dominam: Nos autem adeò non pudet, seruos & ministros Ecclesiæ dici, vt qui Princeps est Episcoporum, & in terris Christi Vicarius, hoc titulo maximè glorietur, quòd seruorum Dei se seruum esse scribit: cùm scriptum sit: Maior seruiet minori. Et est ita revera, quòd nulla maior est seruitus, quàm sit eorum qui præsunt in solicitudine: qualis fuit hic ipse, cuius hæc testimonia proferuntur, qui cùm liber esset, se fecit seruum omnium, vt plures lucrifaceret: qui non leuiter affligebatur animo, cùm eum quotidie premeret, vrgeretqúe solicitudo Ecclesiarum omnium: ita vt non posset etiam, quin exclamaret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Tales serui quin sint Episcopi, quis est qui velit inficias ire? Quin & ipsi Reges & Principes, non dissimili seruitutis genere premuntur. Nam si non seruiunt vtilitati subditorum, si nulla cura tanguntur saluti eorum, si voluptatibus tantum, aut suis priuatis commodis inseruiunt, certum est, quòd eiusmodi nec Reges veri Reges, nec Episcopi veri dici merentur Episcopi. Monet Sapiens: Rectorem te posuerunt, noli extolli. Esto in illis quasi vnus ex ipsis: curam illorum habe. Hoc igitur est seruum esse, non subiectum esse, quibus præsis, non vt eos pro dominis agnoscas, qui tibi fidei formulam præscribant, sed vt ne te propterea extollas, verùm curam eorum geras, eis prodesse studeas, quibus te præsse Deus voluit. Ad hunc modum serui fuerunt Apostoli, & sunt etiam nunc eorum successores Episcopi, quos ita Paulus alloquitur: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Regere, inquit, non Regi: præsse, non subiectum esse. Ad gregem autem his verbis vtitur: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Nunquid ait, regite eos? imperate eis? tanquam eorum Domini præscribite eis docendæ fidei formulam. Nihil horum: Sed obedite, inquit, subiacete eis. Quæso te, potuitne dici planius aliquid? potuitne clarioribus verbis ostendi discrimen inter pastores & oues, quàm quòd illos regere, hos vult obedire & subiacere? Et tu non reformidas Spiritui sancto repugnare, tam dilucidā sententiā suā per Paulum explicanti? Verùm videamus Brenti, qualis fuerit seruus hic, qui quā liber esset, seruum se fecit omnium. Scribens ad Corinthios, quorum se seruum esse profitetur, ita loquitur: Quid vultis? in virga veniam ad vos? Scilicet in virga venire serui solent ad Dominos? Ac paulò pòst: Auditur, inquit, inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autē spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi tradere Satanæ in interitum carnis, &c. Vides in quali virga venerit, qualem seruum se gesserit erga suos Dominos, non hos modò, verùm, etiam alios quoldam, nominatim autem Alexandrum & Hymeneum, quos & ipsos Satanę se tradidisse scribit, vt discant non blasphemare. Non dixit ille: Vade post me Satana: sed quod multò durius est, Satanæ tradidit in interitum carnis. Num tu propterea sceleratum eum fuisse dices mancipium, qui contra suos dominos insurrexerit? Habes iam, qualis fuerit seruus Paulus. Quid aūt Petrus? Num huius dissimilis? Ananias cum Zaphira vxore sua vēderat agrum, & fraudauit de pretio agri conscia vxore sua, & afferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venūdatum in tua potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Introiuit & vxor eius, nesciens quod factum fuerat, Dixit ei Petrus: Dic mihi, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autem ait ad eam: Quid vtiq; conuenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Vides qualis & hic seruus fuerit, qui mortis, vitęq; poteſtatem in suos dominos haberet.

*Secunda probatio. 1. Cor. 3.*

*Hilarius in libr. ad Constantium Augustum.*

*Tertia probatio. 2. Cor. 4.*

*Gene. 25.*

*Rom. 12. 1. Cor. 9. 1. Cor. 13.*

*Reges etiam quodammodo serui. Eccles. 52.*

*Apostoli & horum successores Episcopi simul serui & domini. Actor. 20. Hæbr. 13.*

*Qualis seruus fuerit Paulus Apostol. 2. Cor. 4.*

*1. Cor. 3.*

*1. Tim. 1.*

*Qualis seruus Petrus Apostolus. Act. 5.*

*Quales serui, veteres Pontifices & Episcopi. Euseb. lib. 6. c. 34. histor. Eccles.*

Sed & qui successerunt in Apostolorum locum, nihilo minore fuerunt, sicubi respexerit libertate, scribit de quodam Eusebius, (verisimile est, Fabianum fuisse Pontificem Roman.) quod cùm Philippus Imperator, qui primus Christo nomen dedit, in die quæ vltimæ Paschatis vigiliæ celebrabantur, in precationibus Ecclesiasticæ multitudini, tanquam concors adiungi vellet, admissus ab eo non fuerit, nisi prius confiteretur, & ijs qui propter peccata

*Exemplum de auctoritate Pontificis in Imperatorem.*



peccata inquirebantur, & in pœnitentiæ loco fuerant constituti, se coniungeret: alioquin nisi hoc faceret, non ipsum admittendum forè, quòd in multis culpabilis foret. Quid autem pius Imperator? num à seruo de gradu se deijci quiritabatur? Imò scribit Eusebius eum promptè obediuisse, syncerumq; ac religiosum animum erga Deum ipsis operibus declarasse. Non ita Cōstantius Imperator, qui graui persequutione catholicos Episcopos prę-

*Constantius Imperator à Pontifice Liberio correptus Socra. lib. 2. ca. 41. eccles. hist.*

mebat, dum quotannis ferè nouam fidei confessionem conscribi vellet, ita vt nouem sub eo fides fuisse constitutas, recenseat Socrates. Adeò fuit illius seculi status, nostris temporibus ijs non dissimilis. Verùm & qui tum fuerunt Episcopi, fortiter illius tyrannidi repugnabāt. Incitauerat is Liberium, quemadmodum ipse scribit Athanasius, per Spadonem suum, vt contra Athanasium subscriberet, & munera pollicitus si fecisset, & supplicia cōminatus, nisi paruisset. Quid ad hæc Liberius? Non ita se habet, inquit, Ecclesiasticus Canon, & necq; vnquam accepimus talem à Patribus traditionem. Quòd si omninò Imperator curam suam pro ecclesiastica pace interponere quærit, aut scripta à nobis pro Athanasio deleri iubet, deleantur quoq; ea, quæ contra eum scripta sunt, fiatq; deinde Ecclesiastica synodus lōgè à palatio, vbi nec Imperator prestò sit, nec Comes se ingerat, nec Iudex minetur, &c. Post hæc trahitur Liberius ad Imperatorem, quò cùm peruenisset, magna & ibi libertate dicendi vsus est: Define, inquiens, persequi Christianos, ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere, ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eō deueniamus, vt Arriani appellemur. Ne coge nos fieri Christi perduelles, &c. Talis fuit seruus Liberius, multos cruciatus perpeti, quin & in exilium abire paratior, quàm vt suo munere strenuè non fungeretur. Similibus & promissis & minis adortus erat idem Cōstantius Hosium Cordubensem Episcopum. Verùm is scriptis ad eum literis, proposito fratris exemplo: Quid tale, inquit, à Constante actum est? aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quis ipsius Palatinus vim adhibuit? Define quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij, serua te in illam diem purū: ne te misceas Ecclesiasticis, necq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius à nobis ea disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesię concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te retrahens, magno crimini fias obnoxius. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Necq; dissimilis fuit horum Hilarius Pictauien. Episcopus: Proclamo tibi, inquit, Cōstanti, quòd Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirent: Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam seuis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum sed diuinorum. Hęc tibi à me atq; illis socia, atq; communia sunt. Tu verò nunc propria tua accipe: Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præuenis, & arcanorum eius mysteria operaris. Condis fidem, contra fidem viuens, doctor prophanorum es, indoctus piorum, subrepis nomine blādienti, occidis specie religionis, impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis. Et aliquot paginis interiectis: Hoc nunc à te Constanti, requiro, in qua tandem fide credas? ego eni mnunc fidem tuam ignoro, per demorationis tuæ tempora, quibus quisquam in vnum blasphemię suę baratrum descendens, per gradus præcipites cucurrit. Namq; post primam veręfidei synodicam congregato rursum Antiochię concilio, fidem tibi renouas. Sed accidit tibi, quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, vt accidere solet: vt semper destruas, quod semper ædifices. Et in sequenti libro: certè voces exclamantium à tua manſuetudine exaudiri decet: catholicus sum, nolo esse Hæreticus: Christianus sum, nō Arrianus: & melius est mihi in hoc seculo mori, quàm alicuius priuati potentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere.

*Hosius Cordubensis Episcopus. Ibidē Athanasius.*

*Aliud exemplum. Hilar. in lib. ad Constant.*

Et qui sequutus est hos trecentis post annis, & amplius Ioannes Damascenus, cùm LEO Isaurus Cōstantinopolitanus Imperator cùm imaginibus bellū suscepisset, easq; è templis eiecisset, his verbis contra eum scribens, vsus est: Cùm iam inde ab initio plurimi Sacerdotes & Reges Christiani à Deo dati fuerint, qui & sapientia & pietate, & non sermone magis quàm vita excellerent, cùm plurimæ præterea fuerint Sanctorum Patrum Synodi, cur nemo tale quid facere aggressus est? Non patiemur, vt nos aliquis nouam fidem edoceat: Ex Syon enim egredietur lex, ait per Prophetam Spiritus sanctus, & verbum Domini ex Hierusalem. Non patiemur, vt aliàs aliter sentire, temporumqúe vicissitudine fidem variare liceat, vt ea ijs, qui sunt extra Ecclesiam ridicula appareat. Non patiemur, vt Regio subiaceat edicto, si fortè conatus is fuerit morem à maioribus nostris traditum euertere. Non est enim piorum Regum, subuertere sanctiones ecclesiasticas: non Patrum hæc, sed latronum & prædonum sunt, quæ vi extorquentur, non libera persuasione fiunt: Non Regibus dixit Dominus: Vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: Non regibus ligandi & soluendi potestatem tradidit CHRISTVS, sed Apostolis & eorum successoribus. Et proximè in sequenti sermone. Non est regum præscribere leges Ecclesiæ. Vide quid dicat eximius ille Apostolus: Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad ædificationem Ecclesiæ: non addit Reges. Et iterum: Obedite Præpositis vestris & subiacete, ipsi enim pervigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Et iterum: Mementote Præpositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum, quorum contemplantes conuersationem, imitemini fidem. Non sunt vobis loquuti sermonem Reges, sed Apostoli, sed Prophetæ, sed Pastores & Doctores. Cùm præcepisset Deus Dauid, vt sibi curaret ędificandam domum, dixit ei: Non tu ædificabis mihi domum, quandoquidem vir sanguinum es. Reddite vnicuique debitum, clamat Paulus Apostolus, cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui vectigal, vectigal: cui tributū, tributum: Regum cura est, vt benè sit Reipublicæ: Ecclesiarum

*Ser. 1.*

consti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



constitutio ad Pastores & Doctores pertinet: eiusmodi alienæ functionis inuasio, præda- num est & latronũ, ô fratres. Saul Samuelis pallium diſcidit. Quid autem ei posteà euenit? Scidit Deus regnum ipsius, & dedit illud Dauid Regi mansuetissimo. Etiam Iesabel perse- quuta est, & linxerunt sues & canes sanguinem ipsius. Herodes Ioannem sustulit, & à ver- mibus erosus, exanimatus est. Quin & hac ætate nostra beatus Germanus, non vita solùm, verùm & sermone illustris, alapis cæsus, & in exilium relegatus est. Et alij multi Episcopi & Patres, quorum nescimus nomina, an hoc latronum & prædonum facinus non est? Domi- nus, cùm adijssent eum Scribæ & Pharisæi, vt tentarent, laqueo sermonis eum irretituri, quærebant, Num licet dare censum Cęsari? respondit eis, Exhibete mihi numisma: cùm au- tem illi protulissent. Cuius, inquit, habet imaginem? illis autem respondentibus: Cæsaris: Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ autem Dei, Deo. Tibi ô Rex, in ijs quæ perti- nent ad præsentis vitæ negocia libenter paremus, qualia sunt, vectigalia, tributa, & id genus largitionum acceptiones, quorum gratia administratio Reipublicę nostrę tuę fidei concre- dita est. In constituendo autem Ecclesię statu, habemus pastores, qui loquuti sunt nobis ver bum, & ritus atq; instituta Ecclesiastica nobis expresserunt. Non transferimus terminos, ab orbe condito nobis præscriptos, sed tuemur & retinemus traditiones quemadmodum ac- cepimus: Nam si cœperimus Ecclesię structurã vel in minimo demoliri: paulò pòst moles vni- uersa corruet. Ac paucis interiectis: Non recipio, inquit, Regem, qui per tyrannidem sibi sacerdotium vsurpat. Non Reges acceperunt potestatem ligandi & soluendi. Et iterum post pauca: Non assentior, vt Regum legibus gubernetur Ecclesia, sed Patrum potius traditioni- bus, siue scriptæ eæ sint, siue non scriptæ.

*Collatio veteris Ecclesiæ cum hac nostra in vindicanda potestate & doctrina Ecclesiastica.*

Habes, quales illo tempore serui fuerint Episcopi, Liberius, Hosius, Athanasius, Hilarius: quàm fortiter non vnius alicuius terræ Principis, verùm totius orbis Imperatoris, impijs conatibus obstiterint: quàm intrepidè dicere fuerit ausus vnus ex illis: Ne te misceas Eccle- siasticis Imperator, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius à nobis ea disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesię, concredidit. Quid si viuerent illi nostro hoc, non minus propè quàm fuit illud, infelici seculo: si viderent, non modò prouinciam, verù- etiam ciuitatem ferè vnam quamq; singularem fidei suæ confessionem adferre, ac synodo facienda, decernendaq; præscribere: quid eos facturos fuisse putas? Dicerent procul dubio eadem illa, quæ tum ab eis dicta sunt: Catholici sumus, non Hęretici: Christiani sumus, non Lutherani, non Brentiani. Melius est nobis in hoc seculo mori, quàm alicuius priuati po- tentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere. Nunquid autem aliter se poſ

*Exẽplũ Ambrosij. Amb. l. 5. epist. 32*

tos in simili causa gessit Ambrosius? Valentinianus Imperator iunior, Iustinæ matris im- pulsu, cùm puer adhuc esset, propemodum sibi de fide iudicium vsurpare conatus est. Quid ad hæc AMBROSIVS? Dalmatius (inquit) me Tribunus & Notarius mandato, vt alle- gauit, clementiæ conuenit tuæ, postulans, vt ipse Iudices legerem, sicut legisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati: sed id addidit, quòd in consi- storio esset futura contentio, arbitrio pietatis iudicio tuæ. Cui respondeo, vt arbitror, competenter, nec quisquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram, quod au- gustæ memoriæ Pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus sanxit suis: In causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis, iudicare eum debere, qui nec munere eius- par sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: Hoc est, Sacerdotes de Sacerdo- tibus voluit iudicare. Quinetiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur con- tumaciter respondet clementiæ tuæ, ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia probata est, & sapientia melioratæ Reipublicæ profectibus prædicatur. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docendus est Episco- pus à Laico, quid sequitur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à Laico. At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperato- ribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris, Deo fauente, etiam sene- ctutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui Laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo fauente, vir maturioris ævi dicebat, non est me- um iudicare inter Episcopos. Tua nunc dicit clementia: Ego debeo iudicare. Neque verò

*Amb. epist. 33.*

scripsit hæc modò, verùm & dixit Ambrosius, quemadmodum ad sororem scribens ipse narrat: Noli te grauare (inquit) Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale ali- quod ius habere. Noli te extollere: Esto Deo subiectus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæ- saris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ: Publicorum tibi

*Matth. 22.*

mœnium ius cõmissum est, non sacrorũ. Num & is aliud, quàm quod Petrus à Soto dixisse videtur: Vade post me Satana? Neq; id per epistolam tantùm, quæ minus erubescit, verume- tiam præsenti coram. Quàmuis autem æquè Caluinus infestus ordini nostro sit atque eu

*Caluin. cap. 8. inſtit. ſuæ.*

Brenti, singularem tamen hanc sancti huius hominis moderationem ac prudentiam, cum animi magnitudine, fiduciaq; coniunctam vehementer commendat. Negat, inquit, Impera- torem idoneum esse cognitorem tantę controuersiæ, id quod illius temporis necessitas po- stulabat, & ipsa etiam perpetua rei natura. Perpetuam rei naturam postulare dicit Calui-

*Theodoret. lib. 5. c. 8. Eccles. histor.*

nus, vt nè causarum Ecclesiasticarum, fidei præsertim, Iudex esset Imperator. Nec erga Valentinianum solùm se talem gessit Ambrosius, verùm & Theodosium Imperatorem, poſt



post cædem Thessalonicę patratam, ingressu templi prohibuit: deinde iam reconciliatum, cancellos egredi iussit, iuxta quos mysteria peragebãtur, quod ea solis patere Sacerdotibus diceret. Purpuram autem Imperatores facere, Sacerdotes non facere. Quod eius factum a- deò patienter tulit imperator, vt diceret etiam posteà, neminem se nosse, qui sciret Episco- pum agere, præter vnum Ambrosium. Fecit autem hæc Ambrosius nihil exemplũ veritus, quod anteà fuit ab Imperatore quodam editum in Martyrem Babilam à Ioãne Chrysosto- mo, celebratum: qui cùm Imperatorem tanquam vile quoddam & nullius pretij manci- pium, sic è Dei templo exegisset, sicut pastor scabiosam & morbidam ouem excludit ab oui- li, capitis luit supplicium. Cuius vestigijs incessit etiam vnicum in gente nostra, singulareq; sanctitatis exemplar Stanislaus Cracouiensis Episcopus, qui cum impio tyranno Bolesiao propter multa flagitia designata, sacris interdixisset, gloriosam, p Christi nomine mortem opperere non dubitauit.

*D. Stanislaus Cracouiensis Episcopus & martyr.*

Hõine tu omnes, quorum laus in vniuersa celebratur Ecclesia, quos cum Christo nunc in cœlis beatam vitam agere nemo pius dubitat, hos, inquam, tu & eorum similes alios, quos longum esset omnes cõmemorare, scelerata mancipia vocabis? quę seditionem contra suos Dominos mouere, quæ de gradu suo eos deijcere minimè vereantur, dum aut eos propter patrata scelera, Satanæ tradunt, aut non patiuntur, vt in ea se, quæ sui muneris non sunt, in- gerant, modò non eadem ista verba proferentes: Vade post me Satana? Serui quidem sunt Episcopi, sed de quibus scriptum est: Constitues eos Principes super omnem terram. Qui e- orum principatus tantò est omni regno excellentior, sicut & à Chrysostomo, & à Gregorio Nazianzeno in oratione, quam habuit de Hieremiæ dictis præsente Imperatore, scriptum legimus, quantum inter spiritum & carnem, inter cœlum & terram, inter diuina & huma- na discrimẽ & interuallum esse potest. Sed audi, quo loco illos habeat sanctissimus ille Mar- tyr Ignatius: Scriptum est, inquit, Honora fili Deum & Regem. Ego autem dico: Honorate quidem Deum vt auctorem omnium & Dominum, Episcopum autem tanquam Princi- pem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum quidem secundum Deum, sacer- dotium verò secundum Christum. Et post hunc honorare oportet etiam Regem. Nemo enim potior est Deo, neq; similis ei, neque Episcopo honorabilior in Ecclesia sacerdotium Deo gerenti pro mundi salute, neq; Regi, qui similis est in exercitu pacem & beneuolenti- am omnibus Principibus cogitanti. Qui enim honorat Episcopum, honorabitur à Deo, & qui inhonorauerit Deum, à Deo inhonorabitur. Quoties autem inculcat ille, vt obediatur Episcopo? vt in nullo ei contradicatur, terribile enim esse tali cõtradicere. Nõn enim istum visibilem quis spernit, sed illum inuisibilem in eo contemnit, qui non potest à quoquam contemni: hic enim non ab homine, sed à Deo habet promotionem: dicit enim Deus Sa- muẽli de contemptoribus eius: Non te spreuerunt, sed me. Et Moses populo aduersus se murmuranti: Non aduersus nos murmurastis, sed aduersus Dominum Deum? Proponit pœnas, quas dederunt Chore, Dathan & Abiron: quin & Osias & Saul Reges, dum sibi sa- cerdotium vsurparent. Itaq; nulla fuit vnquam gens tam barbara, quæ Sacerdotes suos & Episcopos non summo honore prosequendos putaret. Sacerdotium Iudæorum vmbra fuit nostro Christianorum sacerdotio comparatum: tanta fuit nihilominus Episcoporum in eo reuerentia, vt non ipsi modò Iudæi, verùm & gentiles nonnulli summa eos venera- tione prosequerentur. Scribit Iosephus, repetit Origenes, & ex ijs etiam nonnulli, qui res gestas Alexandri conscripserunt, quòd Alexander Macedonum Rex, cùm quæ petierat ab Iaiado Pontifice Iudæorum, non obtinuisset, iratus ei vehementer, Hierosolymam cum exercitu profectus erat, ciuitatem euersurus, in ipsum verò Pontificem omne crudelitatis genus exprompturus. Cui cùm vltrò Pontifex sacra stola indutus, cum agmine Sacerdo- tum & populi progressus fuisset obuiam, ecce Rex qui venerat iratus, simul vt Pontificem conspicatus est, compresso furore, magno cum circumstantium stupore propius ad Ponti- ficem accedens, eum adorauit. Cumq; postea Rex à Parmenione fuisset interrogatus, cur cùm ipse adoraretur ab omnibus, nunc ipse adoraret Pontificem Iudæorum? Non eum se respondit adorasse, verùm Deo, cuius Pontifex esset, honorem hunc habuisse. Quid autem? an huic simile non est, quod de barbaro Rege Attila scribitur, qui cùm bonam Italiæ par- tem occupasset, & omnia cæde, rapinis, incendijs vastasset, nec vllum in quenquam cru- delitatis genus prætermisisset, cùm non ita procul ab vrbe iam abesset, itidem illi san- ctissimus Pontifex Leo processit obuiam, ac ne progrederetur vlterius, petiuit. Homo, fe- rus alioqui, crudelis & atrox, qui ne germano quidem fratri pepercisset, quem cùm regni consortem ferre non posset, obtruncauerat, non modò magnam Pontifici, sicut scribit Paulus Diaconus, reuerentiam adhibuit, verùm etiam ad omnia, quæ sibi imperasset, ob- temperauit.

*Exemplum de Alexandro.*
*Ioseph. lib. 11. ca. 8. de antiquitatibus Iudæorum.*
*Orig. coner. Celsum lib. 5.*
*Attila Rex barbarus Leonem Pontificem reueretur.*
*Paulus lib. 15. rerũ Roman.*

Vide per Deum immortalem, quale sit hoc? quibus etiam barbari Reges, idem & hostes infestissimi tantum honorem habendum esse putauerunt, vt haud aliter quàm si pro suis Dominis ipsos agnoscerent, ipsorum imperata facerent, hos Brentius, qui, si Dijs placet, vi- deri vult Euangelicus, non honestioris tamen alicuius serui, sed mancipij loco vult haberi. Nunquid hic extremè barbaros, barbarie sua lõgo post se interuallo non relinquit? Possem hic commemorare de Petro à Cornelio adorato, de diuinis honoribus Paulo & Barnabæ habitis. sed ego tibi concedam, quod vis Brenti, serui sumus Episcopi: neque seruorum genus vllum est, quod grauiores labores exantlet, quod maiores ærumnas perferat. Quibus enim curis & solicitudinibus non excruciantur Episcopi, dum peruigilant pro animabus fidei suæ concreditis, de quibus rationem se Deo reddituros sciunt, cùm eorum vnicuique dictum sit: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima e- ius. Tum & illud apud Ezechiẽlem: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: Si dicente

*Actor. 10.*
*Actor. 14.*
*Episcopi secundum officij sui rationem maximè serui.*
*3. Reg. 20.*
*Ezech. 3.*

dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, vt auertatur à via sua impia, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Hæc & alia, quæ per eundem Prophetam terribiliter Deus malis Pastoribus comminatur, cùm Episcopi non ignorent, ingens revera labor eorum, & maior quàm credi queat, cordis est afflictio, cùm fore quisq; sciat, vt ei dicatur aliquando: Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cùm te visitauerit? Tu enim doces aduersum te, & erudis in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Credo mihi Brenti, quando pius hæc secũ Pontifex reputat, de sua suorumq; salute solicitus, quòd incredibiles animi cruciatus perfert: hoc præsertim tempore, quo vos multò grauissimam seruitutem hanc nostram effecistis, dum vnus vestrum dicit: Ecce hîc est Christus: alius ecce ibi: tertius, ecce in penetralibus: quartus, ecce in deserto. Quibus vestris vocibus ita miseras oues demẽtastis, vt iam vbi sit Christus, multis in locis ignorẽt, præcipuè posteaquàm à vobis edoctæ sunt, contra clarum & apertum Dei verbum non obedire Præpositis suis. Ex quo factum est, vt eò iam audaciæ atq; amentiæ nonnulli proruperint, vt dicant se ipsos animarum suarum Episcopos & Pastores esse: se pro illis non Episcopos suos rationem Deo reddituros. Ita facti sunt ipsi sibi Doctores, Episcopi, concilia: ipsi ligant, ipsi soluunt conscientias suas arbitratu suo, & quoniam per vos de doctrina iudicandi potestas eis cõceditur, in qualem quisq; libellum inciderit, talem fidem sequitur: Hic est confessionis Augustanæ, alius Brentianæ, alius Osiandrinæ, alius Tigurinæ, alius Anabaptistarum siue Monasteriensis, alius Suenckfeldianæ, alius fratrum Vvaldensium siue Picardorum, alius Seruetianæ. In summa, quod de suo seculo scribit Hilarius, hoc de nostro quoq; rectè dici possit. Tot nunc fides existunt, quot voluntates: tot doctrinæ, quot mores: tot causæ blasphemiarum pullulant, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur, vt volumus, aut ita intelliguntur. Et cùm secundum vnum Deum & vnum Dominum, & vnum baptisma, fides etiam vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit. Huc vos rem perduxistis Breuti, dum suam quisq; peculiarem Confessionem adferre studetis: hunc tam periculosum, tamq; miserabilem Ecclesiæ statum perfecistis: & si qua premebantur antè hac Episcopi seruitute, multis eam accessionibus auxistis. Sed quantò grauior seruitus, quantò labor eorum est maior, tantò plus eis honoris meritò debetur. Semper itaq; sicut sub impijs tyrannis, siue qui Christum apertè persequebantur, siue qui Christi fidem, Christi mendaces prædicatores extinguebant, non alio quàm seruorum numero sunt habiti, & ijsdem quibus nequissimi serui ac maioribus etiam supplicijs miserandum in modum excruciati: sic quotquot fuerunt pij Reges & Imperatores, modò non diuinis honoribus eos prosecuti sunt: quemadmodum cùm ab alijs, tum à Constantino illo verè Magno factitatum esse legimus. Qua de re fortassis alio loco dicendi dabitur occasio. Nunc ad rem ipsam veniamus, ac quibus rationibus probet Brentius, ostendamus, quod non ad Prælatos tantum, imò ne quidem vlla ex parte ad ipsos, quippè qui iam non sint Ecclesiæ membra, sed præcipuè ad pios Principes, & ad eos qui tam ex ministrorum Ecclesiæ numero, quàm ex reliquo hominum, qui doctrinam Christi agnoscunt, cœtu, in cõsilium adhibentur, pertineat de doctrina religionis cognoscere, & iudicare, idq; non iuxta arbitrium humanæ prudentiæ, sed iuxta oracula Spiritus sancti, quæ quantum ad æternam nostram salutem satis est, in libris (quos ita vocant) Canonicis sacræ scripturæ continentur.

*Hier. 13.*

*Hæretici nunc Episcoporum labores in immensum augent. Matth. 24.*

*Quantam vulgo licentiam sectarij attulerint.*

*Hilar. ad Constantium libro vltimo.*

PRIMI LIBRI FINIS.



# LIBER SECVNDVS DE LEGITIMIS IVDICIBVS RERVM ECCLESIASTICARVM,

## AVCTORE STANISLAO HOSIO, CARDINALE, EPISCOPO VARMIENSI.

NE temerè factum à nobis esse putes, pientissime Rex, quòd dum hæreses nostri temporis enumerando, recensemus, longiore paulò quàm præfatione vsi videmur. Nam qua de re sermo nobis nunc erit, ad eam quæ proximè sunt à nobis recens ita, plurimum ea pertinere paulò pòst intelliges. Oẽs. n. isti quos enumerauimus, siue sint tot tam dissectæ sectæ Lutheranorũ, siue Sacramẽtariorum, siue Anabaptistarum, siue Suenckfeldiani, siue Picardi, siue Campani vel Seruetiani, siue quocunque tandem alio nomine vocentur, omnes, inquam, isti quamuis in multis & præcipuis fidei nostræ Christianæ dogmatibus, quemadmodum iam audiuisti, grauissimè dissentiant inter se: nec minus atrocia alteri contra alteros, quàm contra Christianos, Catholicos & Orthodoxos prælia gerant, in hoc tamen vno consentiunt, quòd ordinem ex Ecclesia sublatum cupiunt. Terribilis enim est illis castrorum hęcacies ordinata. Videt Satanas, quoad ordo saluus est in Ecclesia, nihil se posse proficere. Hunc itaq; quo summo studio potest, perturbare nititur. Quod igitur, & anteà sæpè fecit, id nunc quoq; cùm per alios, cùm per satellitem hunc suum Brentium in hoc libello perficere conatur, vt iudicium de rebus Ecclesiasticis, à suis iudicibus ad alienos trãsferri queat: At qui grauissimis viris Hosio Cordubensi, & Ambrosio Mediolanẽsi Episcopis, tam hoc est visum absurdum, vt nihil magis: iudicium vt sibi in causa fidei, aut quacunque tandem alia ad sacerdotes pertinente laici sumerent. Interea tamen in hoc suos neruos oẽs contendit Brentius, vt proprium hoc esse laicorum munus asseueret. Qua tamen in re sibi non satis constat. Nam nunc ad Principes, nunc ad promiscuam plebem, nunc ad singulos quosq; priuatos homines iudicium de doctrina religionis pertinere dicit. Sed iam quo progrediatur ordine videamus.

*Hæretici quamuis in alijs mutuò inter se dissentientes, tamen conspirant contra ordinẽ Ecclesiæ.*

*Incõstãtia Brentij.*

Pluribus initiò verbis docere conatur, pios Principes esse inter præcipua membra Ecclesię. Quasi verò controuersum id sit. Affirmamus & nos Brenti, pios Principes esse præcipua membra Ecclesię. Sed quid si tibi pij non videntur, quos Ecclesia Catholica pios esse iudicat? Romanorum, Hispaniarum, Galliarum, Angliæ, Lusitaniæ, Hungarię, Poloniæ, Bohemiæ, Scotiæ Reges, & omnes præterea Principes Christianos, qui cum illis in doctrina religionis consentiunt, pios esse Principes non dubitanter asserimus. Qui verò dissentiunt ab ijs, vt idem de illis affirmemus, religione quadam prohibemur. Te contra sentire dubium nõ est: quin si quis horum Principum iudicium sibi de doctrina tua sumere vellet, Iudicem eum proculdubiò recusares. Atqui inter alias Regum horum pietatis laudes, hanc quoque nos minimè postremam ducimus, quòd eorum nemo, etiamsi tu deferres vltrò, de causa fidei sibi iudicium arrogaret: verùm exemplo aliorum sanctorum Regum, & Imperatorum, qui multis ante seculis vixerunt, ad eorum te quisq;, quorum id proprium esse munus intelligit, iudicium remitteret. Probauit ergo iam Brentius productis scripturæ locis, de quo nemo pius dubitauit vnquam, esse pios Principes Ecclesiæ membra.

*Conceditur Brentio pios Principes membra Ecclesiæ esse.*

*Reges hoc tempore Catholici, & verè pij.*

*Cum hæc scribebantur in Anglia et Scotia Christiani Reges fuerunt.*

Expectabas Lector, vt iam deinceps ostenderet, quando quidem Ecclesiæ membra Principes esse docuit, ad eos de doctrina religionis iudicium pertinere, tum quibus id argumentis probaret cognoscere cupiebas: ecce autem quo nunc se proripit ille? Non satis illi fuit Ecclesiasticum abrogare Magistratum, etiam ciuilẽ sublatum esse cupit. Nam & hunc simul ab hoc iudicio repellit, ac non solùm ad vniuersam Ecclesiam Dei, & ad eum cœtum, qui nomine Christi publica auctoritate conuenit, verumetiam ad vnum quemuis hominem priuatum, qui est Ecclesię membrum, pertinere dicit de doctrina religionis iudicare, & veram à falsa internoscere. Vides qui paulo antè oẽs voluit esse Episcopos & Sacerdotes quemadmodum is eodem supercilio Reges etiam esse vult omnes. Neq; id sine scriptura. Scriptum est enim: Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes. Qui Sacerdotes, idem sunt & Reges omnes. Itaq; iam non solis pijs Principibus, verùm & cuiuis è vulgo cognoscere de doctrina licebit secundum Brentium, & veram à falsa discernere. In promptu est scriptura. Cauete, inquit Christus, vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Hoc nõ solùm ad Apostolos, sed etiam ad reliquos discipulos, hoc est, ad vniuersam Ecclesiam, & ad singula eius membra dictum est: cuiuscunq; quisq; ordinis fuerit, necesse habet, quomodo potest, sibi à Pseudoprophetis cauere. Necesse habet cauere, sed nunquid ideò potestas illi iudicandi permissa est: Nunquid quibus verbis dixit Christus: Attendite à falsis Prophetis, hoc dicere voluisse visus est: Iudicate de doctrina Prophetarum, vera sit an falsa? An idem est attendere & cauere, quod iudicare & cognoscere? Sed quomodo sibi cauebunt à Pseudoprophetis, inquit Brentius, quomodo impios Doctores à suis regionibus prohibebunt, si non iudicauerint ac cognouerint, qui verè sint Pseudoprophetæ ac impij doctores? Hic inquit, remittit principes Asotus ad iudicium suorum

*Ad priuatum quem que vult Brentius pertinere iudicium de religione.*

*Apoc. 2.*

*Matth. 7.*

*Responsio de loco, cauete à falsis Prophetis.*

*Rursus instat Brentius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Responsio.* prælatorum. Rectè vir ille venerabilis Petrus à Soto, quem tu petulantissimè conuiciator
*Malach.2.* falsò vocas Asotum. Quid enim aliud ille, quàm quod verbo Dei consentaneum est? Siquidem Dei digito scriptum est, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius
*Matth.2.* requirent, Angelus enim est Domini exercituum. Ex ore sacerdotis legem requirere iussit Deus, non ex ore Principis, aut populi, at cuiuscunq; tandem vnius alicuius laici. Vidit hoc etiam ille, quamuis impius Rex Herodes, qui cum vbi Christus nasceretur, nosse cuperet, nō ab aulæ suæ ministris, non ab aliquibus de cōmuni populo, sed à Principibus Sacerdotum & Scribis de eo scisciitabatur. Nunquid aūt non ipse tu dicis in confessione tua, quam ex hæretica facere Catholicam conatus est virille venerabilis, quem tu cùm veritate superare nequeas, maledictis incessis. Non ignoramus suum esse discrimen inter politicam & ecclesiasticam functionem. Quod est autē discrimen istud? Quod esse dices aliud, nisi quod ipsa nomina declarant? vt politicę res politico, ecclesiasticæ contrà curę sint ecclesiastico Magistratui. Iudicet politicus Magistratus de ijs, quę ad statum politicum pertinent: Iudicet Ecclesiasticus de ijs, quæ ad Ecclesiasticum. Quamobrem in fidei causis quod rectè dictum est à te, solum est hoc Principum officium, ne dent vllum locum Pseudoprophetis ac impijs doctoribus in Ecclesijs suarum regionum. Qui verò sint Pseudoprophetæ, nō est ipsorum officiū iudicare, verùm sicut Deus ipse præcepit, ex ore sacerdotis requirere debent. Hoc in Ecclesia Dei iam inde à mille trecentis annis, ex quo tempore Reges & Imperatores Euangelium Christi receperunt, ita semper & non aliter obseruatum fuisse, paulò pòst docebimus.

*Discrimen inter functionem politicā & Ecclesiasticam.*

*Obiectio Bremij, Non esse Principum sibi sumere iudicium de doctrinā religionis.*

Exigis igitur, inquit Brentius, vt Prælatorum iudicio sine iudicio credat Princeps? Non hoc exigimus Brenti. Non credit sine iudicio, qui credit ei, quod iam præcessit legitimo iudicio. Quod nisi præcessisset, revera credere Princeps non teneretur. Etiam in causis ciuilibus credit vnum iudicium alteri. Vis aūt scire quid exigamus Brenti? Hoc exigimus, quod Hosium Cordubensem Episcopū olim Constantino Imperatori dixisse, scribit Athanasius: Ne te misceas Ecclesiasticis Princeps, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed à nobis ea discere. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt, Ecclesię concredidit. Quod illius exemplo dixit Valentiniano quoq; posteà Mediolanensis Episcopus Ambrosius: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesię. Hoc est Brenti quod exigimus, vt se Dux Ducem esse meminerit, non Episcopum, nec officij sui limites excedat: doceri se ab Episcopis debere sciat, non Episcopos docere: Quanquam si quid per inuidiam fieret aut maleuolentiam, & sic factum esse Principi constaret: verbi gratia, si condemnaretur aliquis tanquam hæreticus, qui ne cogitasset quidem vnquam de hæresi cuius insimulatur: cuius generis etiam est exemplum hoc, quod tu de Christo cōmemoras, qui tāquam malefactor traditus est Præsidi, cùm esset summus benefactor, & fons totius beneficentiæ, revera nihil alienum ab officio suo Princeps faceret, si non statim crederet. Cumq; non iuris hęc, verùm facti sit quæstio, factum sit nec ne, prius ei cognoscere liceret, quā quæ sunt sui muneris esqueretur. Vt aūt de doctrina religionis cognoscat, per nullas ei nec diuinas, nec humanas leges licuit vnquam. Proprium hoc iam est Episcoporum officium. Cæterùm si quis non expectato Ecclesiæ iudicio, ipse quasi sententiam cōtra se tulit, ac quod ab Ecclesiastico iudice factum oportuit, se de cœtu piorum eiecit ipse, nec eorum vti communione vult: quæso te, quid hìc opus est multa cognitione? Certè quando suo arbitrio de Ecclesia recessit, quod tu Brenti cum te farinæ hominibus fecisti, hæc ipsius recessio, sicut ab Hieronymo scriptū est, propriæ conscientiæ videtur esse condemnatio. Quid igitur iam impedit, etiamsi nullum de tali iudicium intercedat, quo minus officium Principis imploret Episcopus? ac ne locū ei det vllum in regione sua, petat: verùm pro tali potius habeat, qualem se fecit ipse: nimirùm pro hęretico, qui sit, sicut Paulus loquitur, à semetipso damnatus? Qualem esse te, tuosq; omnes, qui recesserunt ab Ecclesia Dei, negare non potes. Nam quòd recesseritis à nobis, qui fuimus in eadem Ecclesia in qua fuerunt nostri, & ijdem vestri maiores, ex quo tempore semel Christo nomen dederunt, apertius est, quàm vt inficias ire queatis. Sed ab impijs vos recessisse dicitis. Quęso te Brenti, in quo iudicio pronunciatum est, esse nos impios? Nullum proferre potes, vide autem quę hęc sit tua iniquitas. Vis vt Princeps tuus tibi credat, totum orbem Christianum in impietatem prolapsum à Christo defecisse, tot seculis Christum ignorasse, & idola pro Deo coluisse: Vis vt Princeps credat tuo iudicio sine iudicio: & non vis vt credat orbis Christiani totius iudicio, qui tot sententijs legitimè latis, toties, tuam tuorumq; doctrinam condemnauit? Neq; enim profertur à vobis ferè quicquam, quod pridem orbis totius Christiani iudicio non sit hæreseos condemnatum. Tu es ergo ille Brenti, qui exigis, vt Princeps tuus credat tuo iudicio sine iudicio: non nos, qui credit nobis non postulamus, nisi prius auditis partibus causam cognouerimus. Datur apud nos causæ dicendæ potestas. Est non cognoscendi modò, verumetiam ignoscendi locus. Si lapsus est aliquis, modò suum errorem agnoscat, necad eundem (quod aiunt) lapidem deinceps offendat, lapsum suum consitenti, resipiscentiæ signa proferenti, non difficulter venia conceditur. Tu verò principi tuo persuades, vt nos inauditos, hoc est, orbem vniuersum Christianum, vt eos etiam qui iam à mille & amplius annis vita functi, solius Dei iudicio sunt subiecti, non nostros magis quàm suos ipsius maiores, reos idololatrię pronuncient: tuam doctrinam esse piam, maiorum nostrorum & suorum qui Christum piè coluerunt, quorum nos vestigijs incedere gloriamur, impiam esse, te accusante nemine respondente, decernat. Certè, quando nostra doctrina non est vnius alicuius ciuitatis aut populi, sed est Catholica, hoc est, eorum omnium qui se per vniuersum orbem Christianos esse profitentur. Si Princeps tuus hoc sibi sumere volebat, prius eum cōuocare Christianū orbem vniuersum oportuit, tum te accu-

*Hier. in epist. ad Titum 3.*

*Vult Brentius, vt sui Principis sine iudicio credat hominibus nullius aut depraui iudicij.*

*Apud Catholicos locus datur cognoscendi & ignoscendi, nō apud hæreticos.*



teaccusantem, orbem Christianum causam pro se dicentem, audire, atq; ita demùm vel tuam vel Catholicam doctrinam condemnare: sic aliqua tamen iudicij forma seruata videretur, si modò pro legitimo Iudice Principem tuum totus orbis agnoscere dignaretur. Nunc verò quando neminem audit prætertę, quid aliud quàm sine iudicio, tuo credit iudicio? Quod etiam Ethnico præsidi turpe & indignum visum est.

*Obiectio Bremij.* Sed audiamus iterum loquentem Brentium. Cicero, inquit, aliàs dicit. Maioribus etiam nulla ratione reddita, credendum est. Sed hæc vox iam dudum ad suum auctorem reiecta est. Nobis enim, quibus cœleste oraculum de filio Dei dicit. Hunc audite: & de Apostolico, & diuinis miraculis confirmato Euangelio, Si nos, aut Angelus de cœlo prędicauerit vobis Euangelium prętęr id quod accepistis, anathema sit: nullo modo licitum est in causa ęternę salutis alienæ sententiæ ita inhęrere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur. Paulus vrget vt pro anathemate habeamus, si vel Apostolus, vel Angelus quispiam aliud Euangelium prædicauerit, ac eo ipso exigit, vt diligenti iudicio expendatur, vtrùm Apostoli aut Angeli prędicatio conueniat aut pugnet cum Euangelio, quod antè prędicatum, & diuinitus confirmatum est: Quomodo ergò non exigeret vt decreta & statuta Prælatorum, qui (non iam dicam qualem ducant vitam) sed qui vt homines in explicāda Ecclesiæ doctrina, fallere possunt & falli, ac sępenumero & fefellerunt, & falsi sunt, summo quisq; studio iudicet, num vel anathemate, vel obseruatione digna sint. Si dederimus tibi Brēti quod vis, nullo modo licitum esse in causa æternæ salutis alienę sententię ita inhęrere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur, quæso te quid ex eo consequetur aliud, quàm quòd apud vos in Germania videmus esse consequutum? Vbi dum de totius orbis Christiani iudicio suum quisq; iudicium interponere, quin & hocilli anteponere veritus non est, tot fides extitisse videmus, quot iudicia, quot sunt voluntates hominum. Vide aūt, ne sit hoc extremæ cuiusdam arrogātiæ, vel amentiæ potius, si quis de Prelatorum decretis, & statutis, quę prę-sertim in Synodis Oecumenicis facta sunt, rectè nec ne facta sint, sibi iudicandi potestatem vsurpet: certè ad Satanismum propagandum, qui per vos tam longè tamq; latè sparsus est in Germania, nihil fieri possit acommodatius. Qua de re posteà dicetur à nobis vberius. Nunc Brenti, quas tu scripturas adfers, eas, p eo, vt debemus, & libenter & reuerenter accipimus. Et quemadmodum Osiander tuus, cuius tu de iustificatione sentētiam approbasti, lectores aliquando suos admonuit, dicens: Vox audita est Patris de cœlo dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit, hunc audite: hunc, inquit, audite, nō Philippum: sic & nos eadem illa verba repetentes, dicimus: Hunc audite, non Brentium. Hunc audite per Prophetam suum dicentem: Legem ex ore sacerdotis requirent: non Brentium, qui iubet exore Principis requirere. Hunc audite per Apostolum dicentem: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? non Brentium omnes ordines confundentem, sursum & deorsum omnia miscentem, quę sunt Apostolorum propria, Magistratui prophano tribuentem. Hunc audite per eundem loquentem. Si quis Euāgelizauerit vobis prętęr id quod accepistis, anathema sit. Cùm itaq; certum sit, Brentium aliud euangelizare, quàm quòd à maioribus nostris, à sanctis Apostolis, & eorum legitimis successoribus accepistis: cùm, inquam, certum hoc sit & indubitatum, nō ex vnius alicuius hominis priuati, non ex vnius etiam Principis, aut Regis, aut Imperatoris, non ex vnius, pūinciæ aut regni, sed ex orbis totius Christiani iudicio, sit vobis Anathema, tāquàm pestem aliquam exitialem, ita doctrinam eius fugite.

*Galat. 1.*

*Argumētatio Brentij.*

*Responsio.*

*Prælatis omnem debitam reuerentiam & obedientiam.*

*Esaiæ 14.*

*2. Petr. 2.*

*2. Cor. 8.*

*Matth. 10.*

*Ibidem.*

*Mar. 18.*

*Matth. 28.*

*Ioan. 14.*

*Matth. 7.*

Sed possunt, ait Brentius, in decretis suis, & statutis ferendis Prælati & falli, & fallere vt homines: quare summo quisq; studio iudicet, num vel anathemate, vel obseruatione digna sint. Vbi fuit mens tua Brenti, cum hæc scriberes? mihi quidem prorsus ab ea desertus fuisse videris. Homines sunt Prælati. Quis negat? Fallere possunt & falli. Demus hoc tibi. Quid autem? ex vulgo quispiam, cui tu iudicandi potestatem de statutis eorum tribuis, nunquid & ipse homo non est? Nunquid & ipse non æquè, ac magis etiam & fallere & falli potest? Nisi fortè quem tu ludicem ex vulgo Prælatis das, eius esse similem, vis, qui dixit: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubiū, & ero similis altissimo. Sed audi, quid paulò pòst de eodem dicitur: Verumetiam ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Nunquid iste est vir, qui cōturbauit terram? Iste revera Brenti, non fuit homo, sed fuit ex ordine Cherubim: non defuit illi scientia quæ inflat, quæ vulgo tamen imperito deesse solet: sed charitate quæ ædificat, itidem vt tu, fuit destitutus. Itaq; rudentibus inferni detractum in tartarum, tradidit eum Deus cruciādum. Sed, ô Brenti, quid est verisimilius, priuatum aliquem hominem laicum, qui cùm se existimet scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire, & fallere & falli: an eos ex quorum ore legem requirere populus iussus est? quibus dixit Christus. Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ac paulò pòst: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Quibus itemq; dixit: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: quibus denięq; dixit. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Dixit autem hæc omnia, non ad turbas, verùm ad Apostolos tantùm: Qui cum vsque ad seculi consummationem in terris versati non sint, manifestum est quòd etiam de legitimis eorum successoribus hæc verba intelligi voluerit. Quod clarius etiam demonstrauit, dicens: Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis. Huncigitur audite loquentem in Ecclesiæ Prælatis, non spiritum vertiginis loquentem in Brentio, & alijs eiusdem generis, qui veniunt

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Athan. Oratione 1. contra Arrianos.*
*Quid vestimenta ouium?*
*Quid lupi rapaces.*

ad vos in vestimentis otium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quid sunt vestimenta ouium? quid aliud, nisi quod Athanasius, Ambrosius, Vincentius Lirinensis, & alij nonnulli interpretantur, Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ ijdem ouili quadam syncerit agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquàm vellera quędam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? Nisi sensus hęreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesię semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant. Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt luporum speciem, & sese diuinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus obuoluuntur, vt cùm quisq; lanarum molliciem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoscetis eos: id est, cùm cœperint diuinas illas voces nõ iam proferre tantùm, sed etiam exponere: nec adhuc iactare solùm, sed etiã interpretari, tunc amaritudo illa, tũc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur. Tunc primũ scindi sępem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc fidem Catholicam cædi, tunc Ecclesiasticũ dogma lacerari. Tales erant hi, quos percutit, Apostolus Paulus, ad Corinth. dicens: Eiusmodi pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurant sese in Apostolos Christi. Quid est, transfigurant se in Apostolos Christi? Proferebant Apostoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apostoli Psalmorum auctoritates, proferebant & illi: proferebant Apostoli sententias prophetarũ, & illi nihilominus proferebant. Sed cùm ea, quæ similiter protulerant, non similiter interpretari cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruersis, tunc postremò veri Apostoli à falsis discernebãtur. Ab ijs igitur falsis Prophetis, falsis Apostolis, & subdolis operarijs attendite vobis, cauete vobis diligenter, & cos haud aliter ac viperam aliquam aut basiliscum, fugite. Christum autem & eius spiritum in Ecclesiæ prælatis loquentem, hunc audite.

*2. Cor. 11.*
*Mos hæreticorum scripturam iactare.*

*Ex Psal. 138.*
*Brentius ratiocinatur.*

Sed alium tãdem è Psalmis locum adfert Brentius, quem propriè iam vult ad Reges pertinere. Dauid dicit: Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi? Rex suo ipsius exemplo significat, hoc esse, verè officium Regum & Principum, vt impiam doctrinam ex animo detestentur, & crudeles hypocritas, qui sunt viri sanguinum, seueriter persequantur. Sed quomodo poterit princeps impiam doctrinam detestari, & viros sanguinum odisse, nisi antè cognouerit & iudicauerit quæ doctrina sit impia, & qui sunt viri sanguinũ? Vis scire quomodo Brentius?

*Responsio qui princeps nosse possit doctrinam impiã, & viros sanguinum.*

Non quomodo per te Satanas, verùm quomodo per Prophetam Deus ipse docet: Ex ore sacerdotis legem requirit: ab eo de genere doctrinæ quod profitetur, ille qui vir sanguinum esse dicitur, certior fieri volet. Quod si doctus ab illo (neq; n. principum est docere Episcopos, sed doceri ab Episcopis) cognouerit, eum verè virum esse sanguinum, & impiam doctrinam in vulgus spargere, detestabitur eum, ac seueriter persequetur, nec in suarum regionum Ecclesijs locum vllum dabit. Sed audi Brenti, quos Augustinus, & eius diligens sectator Prosper, viros sanguinum hìc intelligi velit. Viri sanguinum aiunt qui sunt? nisi qui oderunt fratres: sicut Ioãnes dicit, Qui odit fratrem suum, homicida est. Isti ergo ab vnitate Ecclesię per superbiam recedentes, qui quasi offensi permixtione palearum ante discretionis ventilabrum, triticum deserunt, accipient in vanitate ciuitates suas, id est, in reprobam societatem, & in vana se consilia cõgregabunt, quia quod charitate Catholica non vnitur, hæretica vanitate dispergitur. Hos ergo sic oportet odio habere, vt prauitas eorũ odiosa sit potius quãm natura: quia aliud est in illis, quod ipsi faciunt, aliud q; creator instituit. Hoc est ergo perfectè, id est, sciẽter odisse, vt nec homines propter vitia oderit, nec vitia propter homines diligat. Vides Brenti, quemadmodum ipse contra te, tuosq; veritatis testimonijs prædux isti? vos. n. hi estis viri sanguinum, qui fratres vestros, quibuscum eundem in cœlo patrem inuocatis, capitali quodam odio prosequimini: qui propter paleas ventilabro iudicis excutiendas, relinquitis aream Domini: propter zizania in messe comburanda excæditis agro: propter pisces malos in littore, hoc est, in fine seculi separãdos, rumpitis retia: propter hœdos atq; hircos in iudicis aduentu segregandos deseritis gregem: propter vasa in contumeliam facta, migratis ex magna domo domini. Quamuis. n. & alias quasdam causas prætexitis, tamen & hoc non obscurè fertis, quòd propter peccata nostra quæ frequenter nobis objcitis, nõ paucioribus ipsi neq; leuioribus flagitijs cooperti, vos à nobis præcideritis. Quamobrem suo ipsius exemplo monet Principes Christianos Rex Dauid, vt vos hocipso nomine, quia retia pacis, vnitatisq; dirupistis, detestentur, odio habeant, ac seueriter persequantur: ita tamen, vt crimen hoc separationis in vobis potius, quàm vos ipsos persequantur: semper vt vobis veniæ locus detur, simul vt consilia separationis abijcere, & vnde vos impiè præcidistis, ad Ecclesię gremium redire volueritis.

*Qui hodie viri sanguinum.*

*1. Ioan. 4.*

Prosequitur Brentius: Ioannes Euangelista scribens ad maiores & minores natu: Nolite, inquit, credere cuiuis spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Hoc præceptum pertinet ad singulos, vt cognoscant & iudicent, quam doctrinam probare, quam refutare: tum præcipuè ad Principes, vt sciant quam doctrinam in populo suo tueri, quam profligare debeant. Hìc iam cõtrariũ ei facere videtur Brentius, quòd initiò fuerat pollicitus: pollicitus enim erat ostensurũ se, quòd ad pios Principes pertineat de doctrina religionis cognoscere ac iudicare. Nunc à Principibus ad quemuis è populo cognitionem & iudicium transfert, vt quam doctrinam singuli è populo probauerint, eam Principes tueantur: quam refutauerint, eam profligare studeant. Ac in hoc quidem non possumus, quin probemus Brentij sententiam, quòd is non cognoscendæ, iudicandæq;, sed probatę tantum doctrinæ tuendę, reprobæ verò profligandæ partes Principis esse vult. Laudamus te Brenti, quòd saniorem tandem aliquando sententiam protulisti, neq; dissimulasti diutiùs, quod esse piorum Principum officium existimares. Est enim hoc revera quod commemoras, & non aliud, vt probatam

*Responsio ad illud, probate spiritus.*



batam doctrinam tueantur, damnatam profligent. Cæterùm quod penes vulgum de doctrina cognitionem & iudicium esse vis, vt quam singuli de vulgo probauerint, eam tueantur, quam refutauerint, eam profligent Principes, hìc iterum delirare videris. Vel Cicero, cuius tu sententiam paulò antè protulisti, docere te potuit, si fortè nondum vsu rerum didicisti, quòd non est in vulgo consilium, non ratio, non disciplina, non diligentia, semperq; sapientes ea quæ fecisset populus ferenda, non semper laudanda duxerunt. Et ex huius tu belluæ multorũ capitum iudicio pendere Principes potius vis, quàm ex eorum quibus Ecclesiam suam regendam, quibus oues suas pascendas commisit Deus? ex quorum ore, non modò populum, verùm & Principes ipsos legem requirere iussit. Certè Deus in Exodo pręcepit Mosi, ne pateretur populum in montem ascendere, ne periret: solum Aaron subire cũ Mose, neq; tamen intra nebulam admitti vult. Nadab aũt ac abiud, & Presbyteros alios subire quidem, verùm procul à nebula subsistere. Qui verò sunt è vulgo, eos infernè vult in montis crepidine manere. Tu verò vis, vt populus ascendat in montẽ, vt secreta Dei rimetur, vt Sacerdotum & Episcoporum officium sibi sumat. Nescire proculdubiò videris, quid sit populus. Est. n. sicut apud Chrysostomũ legimus, quiddam tumultus, perturbationisq; plenũ, è stultitia, maiore ex parte constans per maris fluctus varia & pugnanti sententia sępè iactatum. Et ex huius tu potius, quàm ex eorum, quorũ propriũ est hoc munus, Episcoporũ iudicio vel tueri, vel profligare doctrinam Principes vis, Quantò te prudẽtior Anacharsis, quamuis & Scytha, & nulla Euangelij luce illustratus? Qui cùm interfuisset concioni Athenensium, quorum status erat popularis, vidisset; q; grauissimos viros in hanc, illamvè partem suadere, populum verò decernere, ad Solonem conuersus, admirari se dicebat, quòd apud Græcos viri sapientes dicerent, stulti verò iudicarent.

*Penes vulgum de doctrina iudicium relinquere, quàm inconsultum.*
*Cicero pro Planc.*
*Actor. 10.*
*Ioan. 12.*
*Malach. 2.*
*Exod. 19. & 24.*
*Chrysost. hom. 2. in Ioan.*

Prosequitur Brentius: Cùm aũt Asotus posteà suscipit hunc locum Ioãnis excutiendum, negare non potest, quin sit generale pręceptum. Quin sit generale pręceptum, inficias it nemo, sed quòd Cõciliorum spiritus probari Ioannes iusserit, id negamus. Quin etiam siquis id asserat, eum blasphemare dicimus in Spiritum sanctum. Quid. n. est in Concilijs, nisi, Visum est Spiritui sancto & nobis. Velle aũt iudicare de eo quod visum est Spiritui sancto, iam non est velle esse similem altissimo, quod cupiebat Cherub ille, qui detractus est in profundum laci: sed est velle esse supra altissimũ, vt nisi tu probes quod ab altissimo, qui spiritus est veritatis, dictum est, falsum sit quod dixit Veritas: verum aũt sit quod dixit homo, non modò mendax, verùm & mendacium ipsum, quando spiritu veritatis est destitutus. Quid est, quæso Brenti, si hoc nõ est in Spiritum sanctum blasphemare? Ac ne nostram putes hanc esse tantùm sententiam, Sanctus ille Pontifex Damasus ante mille ducẽtos annos ad Aurelium Carthaginensem Episcopum scribens, hoc ipsum testatur. Blasphemare Spiritum sanctũ (inquit) non incongruè videntur, qui cõtra sanctos canones Patrum, qui Spiritus sancti instinctu dictati sunt, libenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui pręsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt: talis. n. pręsumptio manifestè vnum genus est blasphemiarum in Spiritum sanctum. Ecce huc tandem progressus est Brentius, vt quod peccatum, nec in hoc, nec in futuro seculo remitti Christus dicit, ad hoc patrandum inuitet mortales oẽs. Quid autem dici potest rectius, quàm quòd à viro venerabili Petro à Soto dictũ est? quamlibet. n. improbetur à Brentio, pijs tamen omnibus non potest non probari. Quando demùm, inquit, vir ille non doctrina magis quàm pietate singulari præditus, erit finis probandi? Hæc probatio facta iam est in Concilio. Vultis igitur vt priuatus quilibet iterum ad iudiciũ deducat, quæ concilium iudicauit? Imò videte, rogo, ex hoc ipso verbo cõtrarium sequi. Nam siiubet nos scriptura probare spiritus, vtrum ex Deo sint, vt illud cum fructu fiat, necesse est rationem efficacem probandi spiritus dari in Ecclesia. Non potest aũt efficax esse, si in inuiam propriam definiẽdi dubia. Hìc exclamat Brentius: Hoccinè est scripturam catholicè explicare? Hoc Brenti. Qui verò secùs explicat, non catholicè, sed hęreticè explicat. Nam catholica doctrina, quæ per omnia loca, per omnia tempora, per nationes oẽs diffusa est, semper est eadem & inuariabilis. Vestra verò, hoc est, hæretica, mutatur in annos ferè singulos, quod & cõmentarij vestri, & loci communes, quos nouos quotannis editis, cum prioribus magna ex parte pugnãtes nõ obscurè indicant. Quare quod à spiritu priuato proficiscitur, id probari vult Ioannes, nec facilè cuiuis spiritui credi. Nam qui citò credit, leuis est corde. Quod verò profectum est à Spiritu sancto, quem concilijs Oecumenicis legitimè congregatis præesse nemo pius dubitat, iterum id probare velle, quid est aliud, quàm dubitare, nũ Spiritus sanctus sit spiritus veritatis? Sed vos hoc fortasse vultis, vt sicut cõmentarios vestros & locos cõmunes, modò non in singulos annos mutatis, idem de doctrina quoq; catholica facere vobis liceat, vt eam quotannis nouam habeamus.

*Probandi spiritus sed non cõciliorum.*
*Actor. 15.*
*Esaiæ 14.*
*Interpellatio Brentij.*
*Quæ doctrina catholica, & qualis nunc hæreticorum.*

Quo magis autẽ intelligas Brenti, catholicè rem exposuisse Petrum à Soto, quid hac ipsa de re prisci Patres illi Catholici & Orthodoxi senserint, paucis accipe. Neq; enim existimare debes, nouum hoc esse, quòd in legitimorum conciliorum decretis non acquiescunt hęretici, & quæ semel in eis rectè constituta sunt de ijs, denuò disceptari volunt. Non soli faciunt hoc nostro seculo Lutherani, faciebant pridem priscis etiam seculis illis cùm alij hæretici nonnulli, tum præ cæteris Arriani. Sed quid narrat de eis Ecclesiastica historia? cum quibus de rebus Niccœnæ synodi decretum intercesserat, de ijs vt iniretur noua disputatio postulassent, decretum est, inquit, à pijs, debere sufficere. Niccœnæ synodi decreta, nec in illis quicquam esse deinceps curiosè diuexandum. Legimus in eadem historia, quam ex Athanasio descripsit Sosomenus, quòd Valens & Vrsacius cum suis, itidem vt nunc tu Brenti cum tuis, nouam quandam scripturam, siue (quod nunc loquuntur) nouam fidei confessionem protulerant, quam non vnius alicuius terræ Principi, verum orbis totius Imperatori

*Etiam veteres hæretici non acquiescebant in decretis Conciliorum.*
*Socrates lib. 2. cap. 20.*
*Soso. lib. 4. ca. 17.*



*Damasus Pontifex. blasphemia in spiritum sanctum à quibus hodie cõmittatur.*
*Matth. 18.*
*Argumentatio Petri à Soto.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



probari dicebant, atq; ideò debere eam necessariò recipi, affirmabant. Quid aũt ad hæc sancti Patres Arimini congregati? nos, inquiunt, non quia fide indigeremus huc conuenimus: habemus.n. sanam fidem, sed vt eos qui veritati contradicunt, & noua moliuntur, confunderemus. Si igitur vos quasi nunc incipientes credere ista scripsistis, nondum clerici haberi potestis, vt qui nunc rudimenta fidei condiscere incipiatis. Quòd si eo animo quo nos huc venistis, sit omnium concordia, & hæreses anathemate execremur, & quæ Patrum sunt teneamus, ne posthac captatæ conciliorum occasiones obuersentur, cùm semel illi qui Niceę conuenerunt, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica fide. Itaq; nihil aliud Patres tum, quàm iusserunt, vt & aliarum hæresum, & Niceni quoq; concilij expositio legeretur, vt alijs hæresibus damnatis, Niceenis deeretis consentirent, & in posterum nemo de illis conquereretur, aut synodũ flagitaret, sed præteritis contentus esset. Imperatoriaũt rescripserunt ijs verbis: Supplicamus tuæ humanitati, vt benignis auribus & sereno vultu nostros Legatos intuearis, neq; ad contumeliam mortuorũ aliquid noui induci permittas, sed nos sinas in decretis, institutisq; maiorum permanere, quos magno ingenio prudentia & Spiritu sancto omnia fecisse asseueramus. Certè res nouæ quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem, incredulis credulitatem inducunt.

*Non reuocanda in dubium quæ concilio semel definita ad nos peruenerũt.*

*Athan. in Epist. de Synodo Arimini & Seleuciæ celebratis.*

Nunc audi Brenti, quod elogium tribuat sanctis illis Patribus, quorum legitima soboles est Petrus à Soto, magnus ille Athanasius. Quis (inquit) non approbauerit piam prudentiã Episcoporum Arimini congregatorum? qui tantùm itineris laborem, tantaq; periculamaris sustinuerunt, vt Arrianicè sapientes ab Ecclesia detraherent, & Patrum traditiones integras conseruarent, sancta & canonica decreta facientes. Quisq; enim eorũ sibi persuadebat, si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, vt quod ipsi egissent, rescinderetur. Audi contrà, quod elogium aduersæ parti, cuius tu soboles es, tribuat: Quis autem, inquit, nõ vituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij (posset hîc addi, Philippi & Brentij) qui honorem Patrum suorum Arrianitarum siue Lutheromanitarum gratiæ propinant & produnt? Quæ.n. fides in eorum actis, si decreta maiorum suorum soluant?

*Idẽ Apologetico 2.*

Aut quomodo eos, quibus succesisse, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant: Audi quid iterum alio quodam in loco scribat idem Athanasius. Quæ nunc, inquit, à tot ac talibus Episcopis probata sunt & decreta, clareq; constituta, superuacaneum esse denuò reuocare in iudicium nemo non confitebitur, ne si nunc quoq; examinentur & denuò iudicentur, ac rursus examinentur, atq; iterum in infinitum exeat ista curiositas. Et alio loco: Sancta synodus quæ Sardis conuenit, decreto sanciuit, ne quid vlterius de fide scriberetur, & sese cõtentos esse Niceena fide declarauerunt, neq; edendam esse aliam professionem fidei, ne illa quæ Niceæ scripta est, suos numeros non habere videretur, nevè illis quibus libido est semper noua statuere, occasio huiusmodi suppeditaretur, vt iterum atq; iterum de fide definiant. Quæso, te Brenti, quid hîc aliud scribit Athanasius, quàm quòd tu tanquam parum Catholicè dixisse Petrum à Soto reprehendis? Neq; verò solus ita sensit Athanasius: in eadem sententia fuit æqualis etiam eius Hilarius, qui scribens ad Constantium quanta mala peperit fides subinde nouata & conscripta, pluribus verbis demonstrat. Idem sensit Leo quoq; Magnus ille Pontifex, qui scribens ad Imperatorem: Prænoscat, inquit, pietas vestra venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contrà illos à sede Apostolica profecturos, quia de rebus apud Niceam & apud Calcedonem sicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam infirma & dubia sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Et in alia quadam epistola: Quotiescunq; diuina gratia administrante illos qui foris sunt, fontes doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis quas spiritus sancti diuinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter vtrumq; hostem nouellæ perfidiæ, sermonem nostrum cum omni cautela libremus (quod absit) tanquam de dubijs disserentes, sed auctoritate sua quæ benè definita sunt, adstruentes. Et iterum in alia: Quæ patefacta sunt (inquit) querere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt definita, conuellere, qd aliud est, quàm de acceptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibũ impiorum appetitus mortiferæ cupiditatis extendere. Ac ne solos Pontifices ita sensisse putes, audi quæ fuerit etiam Imperatorum eiusdem seculi hac ipsa de re sententia. Extat edictũ Imperatoris Valentiniani simul & ipsius collegæ Martiniani, in quo decreta Synodi Calcedonensis rata ab omnibus haberi volunt, vbi his verbis vtuntur: Cesset igitur iam prophana contentio: Nam verè impius atq; sacrilegus est, qui post tot sacerdotũ sententiam, opinioni suæ tractandum aliquid relinquit. Extremæ quippè dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis.n. post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nemo itaq; vel clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam inuriam facit iudicio religiosissimę Synodi, si quis semel iudicata ac rectè dispositareuoluere & publicè disputare contendit: cùm ea quæ nunc de fide Christiana statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta. definita esse nosc̃untur. Nam in contemptores diuinæ legis pœna non deerit, quia non solùm cõtra fidem benè compositam veniunt, sed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiusmodi cerãmine profanant veneranda mysteria. Quibus verbis etiam ad Palladiũ scribens Martianus vsus fuisse videtur, sicut in codicem Iustiniani relatum esse legimus: Est & aliud Martiani ad Constantinopolitanos edictum, in quo sic loquitur: Admonuimus vniuersos, vt de religione disputare definerent, quoniam vnus & alter tanta secreta inuenire non potest, maximè cum summo labore, & amplissimis orationibus tot venerabiles Sacerdotes, nisi Deo (vt ere-

*Hilarius ad Constantium.*
*Leo epist. 78.*

*Idem epist. 63.*

*Imperatores edicunt.*
*Conciliorum decretis standum, nec de illis dubitandũ aut disputandum esse.*
*Actio. 3. Concilij Chalcedonensis.*

*Codice de summa trinitate & fide Catholica.*
*Actio. 3. Concilij Chalcedonensis.*



dendum est) auctore ad indaginem veritatis non potuerint peruenire. Vides Brenti, quemadmodum etiam Imperatores noluerint in dubium reuocari, quæ semel in Oecumenico Concilio decreta sunt, sic & in Chalcedonensi Cõcilio nõ fuit permissum, vt decreta Niceænæ Synodi inquirerentur, quin clamauit sancta Synodus: Si quis retractat, anathema sit: si quis super ista inquirit, anathema sit. Maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui inuocat. Ibidem cùm esset proposita Leonis epistola, nihil aliud quæsitũ est, quàm illud: Num expositionibus trecentorum octodecim Patrum, & cẽtum quinquaginta apud Constantinopolim, & in Ephesino Cõcilio à Sanctissimo Cyrillo expositæ fidei cõcordaret? Cumq; oẽs Episcopi concordare dixissent, ita statim recepta est, vt qui contrà sentirent, pro hæreticis haberentur. Iam verò Gelasius Pontifex, cuius & ipsius nomen celebre est: Patres (inquit) nostri Catholici docti Pontifices in vnaquaq; hæresi quolibet tempore constituta, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atq; Apostolica secundum scripturarum tramitem, prædicationemq; maiorem facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmumq; constare: nec in eadem hac causa denuò quę prefixa fuerant, retractari, quamlibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissimè prouidentes: quoniam si decreta salubriter cuiquã liceat retractare, nullum cõtra singulos quosq; prorsus errores stabile consistere Ecclesiæ constitutum, ac semper ijsdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis, positarum semel synodalium regularum non cessant elisę pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quęq; corda percutere: quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire consilium, cùm quamlibet manifesta sit veritas, nunquam desit, quod pernicioſa depromat falsitas, tametsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens. Quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessariò præcauerunt, vt quę contra vnamquanq; hęresim coacta semel Synodus pro fide, cõmunione, & vnitate Catholica atq; Apostolica promulgasset, nõ sinerent nouis posthac recitationibus mutilari: ne prauis occasio pręberetur, quę medicinaliter fuerãt statuta pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquãdo huius generis communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus. Quod etiã exemplis productis, posteà facit planũ. Quid aũt aliud dicit Petrus à Soto, quàm quòd ante mille & ampliùs annos à Gelasio dictum est? qui & ipse finem aliquem esse probãdi spiritus cupiebat. Et qui successit illi Symmachus: Quando paternarum (inquit) regularum de spiciuntur inuenta, nec eorum quę benè institutа sunt firmitas vindicatur, huiusmodi impietatem necesse est fidei semper venire. Nam vbi facilis est dissolutio rationabilis constitutionis, ibi omnis sanctitatis forma corrumpitur, Christus impetitur. Et quis hoc fidelium patienter accipiat? Instituta Patrum reuerenda calcantur, & quis non vitæ mortem iusta electione præponat? Huius verò successor Ormisda: Nec ambigi, inquit, conuenit de rebus ita per fidem definitis sæpius, & penè superuacanea est allegatio, quę adhibetur instructis. Qui verò successit his Gregorius, quatuor Concilia quæ suam ætatem præcesserunt, sicut sancti Euangelij quatuor libros se suscipere & venerari fatetur, quorũ fidei si quis addere vel adimere aliquid præsumpserit, eum anathemate ferit. Cũctas (inquit) personas quas illa respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt cõsensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos ligant, aut ligare quos soluunt. Et qui Gregorio successit Agatho, sicut in sextæ synodi quarta actione legimus, vnũ vel præcipuũ id esse bonum iudicat, vt nihil de eis quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, sed eadẽ & verbis & sensibus illibata custodiantur. Habes iam Brenti, quæ fuerit priscorum Patrum hac ipsa de re sententia, qui cùm Ecclesiam Catholicam representarint, in Concilijs præsertim Oecumenicis congregati, etiam atq; etiam tecum considera, si non Catholicè Petrus à Soto explicat, qui sic explicat, sicut sanctos istos, tot, tam Catholicos & Orthodoxos Patres, tantis & locorum & temporum interuallis inter se disiunctos, pridẽ vno quasi ore, nimirùm ab eodẽ spiritu afflatos explicasse vides. Quibus omnibus iniquum visum est, vt quæ semel essent rectè definita, de ijs vel ambigere quisquã auderet: quod modum & finem tamen aliquem probandi spiritus esse volebãt: id quod nusquam alibi, quàm in concilijs Oecumenicis rectius fieri posse persuasum habebant.

*Actio. 1.*
*Immotam constare fidem & dignitatem decretis Ecclesiæ & Synodorum.*

*Gelas. ad Episcopos Dardaniæ.*

*Agatho Pont.*

Sed audiamus iam ipsum explicantem Brentium. Quærit (inquit) quando finis erit probandi. Respondemus, Tunc finis erit, cùm Spiritus sanctus certificauerit nos de vera sententia, & cùm implebitur in nobis q̃ Paulus dicit: Instructi in charitate in oẽs diuitias plerophoriæ intellectus ad cognoscendum misterium Dei patris & Christi. Hoccinè est Brenti, Catholicè explicare? imò hoc est fenestras fabricare sataniſmo, quem, immane quantum in vestra Germanica Babylone iam progressum videre licet. Nihil nunc dicam de vobis Lutheranis, qui cùm hæretici censeri nolitis, Patres tamen vos esse nostri temporis hæreticorum apertiùs est, quàm vt negare possitis. Dicam de ijs qui sè à vobis ortos gloriantur Sacramentarijs: num est eorum quisquam, qui non palàm iactet, quod se Spiritus sanctus de vera sententia certificauerit, quodq; sit instructus in charitate, &c. quinetiam eos vestri sæpè miseret, qui claram Euangelij lucem videre nondum possitis. Num autem idem etiam non fit ab Anabaptistis, qui sibi certiores etiam videntur quàm Sacramentarij? quod eos de vera sententia Spiritus sanctus certificauerit, pro qua magis etiam alacriter, & intrepidè, quàm vel illi vel vos, non modò supplicij quoduis genus, verùm & mortem ipsam quamlibet horrendam oppetere sunt parati. Iam verò Suenckfeldiani, quid iactant, quid crepant aliud, quàm afflatum Spiritus sancti, quo, se quidem plenos, vos verò magis etiam esse destitutos affirmant, quàm nos, qui patrũ nostrorũ vestigijs incedentes, nec à via regia declinãtes, per Dei gratiam Catholici sumus & Orthodoxi. Idem & alij faciunt, ac fecerunt semper

*Ormisd. in epist. ad Epiphan.*
*Gregor. in registro lib. 1. c. 24. li. 2. c. 49. lib. 3. cap. 33.*

*Quando sit finis probandi secundum Brentium. Coloss. 2. Responsio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



hæretici. Videsigitur quid ex eo sit consequuturum, si quod tu vis Brenti, penes priuatum quemq; probandi spiritus Conciliorum præsertim, futura sit potestas: cùm non rarò, sicut iam antè dictum est à nobis, Satanæ spiritus trâsfigurat se in Angelum lucis, & si quicquam aliud, tum discretio spirituum sit longè difficillima. Quid.n. cõsequetur aliud quàm quòd esse cõsequutum videmus, vt tot sint fides, quot voluntates, vtq; maiores indies progressus

*Instructi in charitate.* faciat Satanismus? Rectè verò citas illud ex Paulo: Instructi in charitate: Nunquid autem instructi sunt in charitate, qui se diuidunt ab orbis totius vnitate? Certè non diuidit, sed cõiungit charitas. Quanam itaq; ratione possunt esse instructi in omnes diuitias plenitudinis intellectus, qui nõ sunt instructi in charitate, qui inflati sensu carnis suę, se diuidũt ab orbis terrarum vnitate? Num autem vel tibi Brenti, vel cuicunq; tandem alij priuato, certius est

*Spiritus sanctus non vni, sed Ecclesiæ promissus. Augu. libr. 12. Confessionum cap. 25.* promissus Spiritus sanctus, quàm Ecclesiæ vniuersæ? Quam cùm ab illo regi certum sit, recte Paulus eam columnam vocat & firmamentum veritatis. De quouis autem homine priuato dicit Dei spiritus: Omnis homo mẽdax. Præclara sunt Augustini verba, quibus Deum alloquitur: Veritas (inquit) tua, nec mea est, necillius, aut illius, sed omnium nostrũm, quos ad eius cõmunionem publicè vocas, terribiliter admones ne velimus eam habere priuatã, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu ad fruendũ omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult quod omnium est, à cõmuni propellitur ad sua, hoc est, à veritate ad

*Brentius priuatum esse vult, quod August. vult publicũ.* mendacium. Qui.n. loquitur mendacium, de suo loquitur. Non mea est veritas, dicit Augustinus, sed neq; tua Brenti, neq; Philippi, neq; cuiusquam alterius, sed est omnium. Vbi omnes legitimè conueniunt, quandoquidem ad fruendum omnibus proposita est, & omnes ad eius communionem Deus publicè vocauit, ibi demùm est veritas. Non vult igitur vt quod publicum est, id priuatum quisq; faciat, ne priuetur: non vult vt quod omnium est per charitatem, id sibi propriè vendicet, aut suum quisquam esse velit per contentionem: quod

*Ioan. 8. Catholicus qualem sequatur spiritum in iudicando.* qui de suo loquitur, mendacium loquitur, non veritatem, sicut ipsa testatur Veritas. Tu cõtrà non vis, vt ea sit veritas quæ est omnium: vis vt priuato cuiq; de eo spiritu veritatis qui datus est omnibus, iudicium suum interponere liceat, vt quod publicũ est, priuatum quisq; faciat: vt quod omnium est id suum quilibet esse velit. Quid igitur aliud vis, quàm vt ea de suo quisq; loquitur, mendacium loquatur? At qui Catholicus est, non suum, sed qui omnium est, qui Catholicæ Ecclesiæ missus & promissus est, spiritum sequitur, memor illius,

*Ezech. cap. 13.* quod ab Ezechiele scriptum est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Itaque suspectum habet, si quid sibi seorsum ab alijs videtur, nihil vult habere suum. Quod omnium est, quod Catholicum est, quod orbis totius Christiani consensu receptum est, in eo libenter acquiescit, id verum, id rectum, id amplectendum esse censet. Etiam si propter intelligentiæ tarditatem pleraq; non assequatur, se tamen non intelligendi viuacitate, sed credendi simplicitate tutum fore, persuasum habet: ac non modò se non præfert cæteris, verùm sibi potius cæteros anteponit, se cęteros esse superiores arbitratur, eos præsertim, de quibus tot seculis tantam doctrinæ, tantam & sanctitatis opinionem fuisse videt, quosq; Patrum suorum vestigijs incedentes, in Oecumenico Concilio cõgregatos vnanimes, vno ore, idem sentire perspicit. Non ita tu Brenti, qui dicis: Quòd si probatio iam facta est in Concilio, quid est quòd priora concilia posterioribus emendentur, &

*Obiectio Brentij contra Concilia.* quid opus est concilijs posterioribus, si omnia sunt probata? An non Ioãnes, cùm ait: Nolite cuiuis spiritui credere, huc etiam spectat, ne cuiuis Concilio credamus, sed Concilia quoq; ipsa probemus.

*Responsio quomodo Concilia priora posterioribus emendentur. Aug. lib. 2. contra Donatistas de baptismo parunlorum cap. 3. Nullum Concilium legitimum errauit ijs quæ sunt fidei, in alijs Concilia variare possunt.* Nos verò Brenti, priora Concilia posterioribus nonnunquam emendari, non inuiti fatemur. Verùm ita sicut ab Augustino scriptum est: cum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. In ijs.n. quę in facto sunt, fieri potest vt falatur quandoq; Concilium: vt aũt erret in ijs quę sunt fidei, modò sit legitimè cõgregatum, fieri non potest. Profer Brenti, vel vnum aliquod Concilium plenarium legitimè congregatum, in quo prioribus plenarijs Concilijs itidem legitimè congregatis contrarium sit aliquid constitutum in ijs quæ ad fidem pertinent: nullum certè proferre poteris. Nam si quæ vel Arimini, vel Seleuciæ, vel Syrmi, vel Antiochiæ, vel iterum Ephesi congregata sunt, attuleris, quandoquidem auctoritate Romani Pontificis vel congregata vel comprobata iuxta Canones Niceni Concilij non sunt legitimè congregata, Concilia dici non possunt, sed conuenticula potiùs & conciliabula. Quamobrem in ijs quæ sunt iuris positiui, quæ vel ad externum aliquem ritum, vel ad Ecclesiasticam pertinent disciplinam, quoniam pro personarum, locorum & temporum circunstantia mutationem aliquando requirunt, fit nonnunquam vt priora Concilia posterioribus emendentur, quòd quædam superioribus seculis

*Can. Apost. 75.* quadrare poterant, quæ posterioribus minimè conuenire, vel ipsa magistra rerum experientia compertum est. Itaq; cùm longè sint omnium vetustissimi canones, qui vocantur Apostolorum, quoniam tamen in eorum plerisq; nimio plus inerat seueritatis, quàm posteriora secula ferre non posse viderentur, factũ est vt posterioribus Concilijs emendarentur, mitigarenturq;. Est Canon Apostolicus, deponi debere Presbyterũ fornicantem, quem in Gan-

*Dist. 82. cap. Presbyter. Cap. 6.* grensi Concilio, sicut à Gratiano citatur, legimus emendatũ, pœnamq; mitigatã. Sic in Cõcilio Niceno constitutũ fuit, vt Alexandrinus Patriarcha proximũ à Romano Põtifice locũ teneret: cui nõ ita multò pòst in Cõstantinopolitana Synodo prima, prælatus est Cõstantinopolitanus. Adeò verum est q; Isidori, Gregorij, Hieronymiq; productis testimonijs docet

*Synod. Constan. cap. 5. dist. 29. Cap. 3.* Gratianus, in plerisq; decernendis causam, locum, tempus, personas, considerari oportere. Quæ quoniam perpetua non sunt, fit, vt eiusmodi etiam plenariorum Cõciliorum decreta nonnunquam priora posterioribus emendentur: quæ tamen in ijs quę pertinent ad fidem, fixa & immobilia esse oportet, ac sempiterno tempore duratura. Neque propterea non esse opus posterioribus Cõcilijs, quòd omnia iam sunt probata. Certum.n, est, pleraq; non esse proba-



probata. Ad hoc igitur indicuntur Concilia, vt si qui noui errores emergunt, primo quoq; tempore extirpentur. Quibus aũt de rebus ad fidem pertinentibus semel est aliquid in Cõcilio cõstitutum, de ijs iterum in alio deliberationem suscipi, planè superuacaneum est. Nisi fortè solum hoc quæratur, num ea doctrina, cuius cognoscendæ causa Concilium edictum est, cum expositionibus priorũ Conciliorũ conueniat, nec ne: vt si eam cõuenire congnitũ fuerit, recipiatur: si minùs, reijciatur. Quemadmodum in Chalcedonensi Concilio, & quæ deinceps sequuta sunt, factum videmus.

*Ioannes non vult probari spiritum Cõciliorum, sed priuatum potius illum hæreticorum.* Non hûc ergo spectat Brenti, Ioannes cùm dicit: Nolite omni spiritui credere, ne cuiuis Concilio, quod quidem legitimè congregatum est, credamus, sed ipsa quoq; Concilia probemus. Absit, vt cuiuis priuato spiritui, qui & fallere potest & falli, de spiritu Conciliorum, qui neq; fallere potest, neq; falli, iudicandi potestas hæc permittatur. Quid.n. fide nostra in certius? quid institutis mutabilius? quid Ecclesiæ statu futurum esset perturbatius? Quis quęrendi, quis disputandi finis expectandus foret? cùm semper vnicum remedium finiendarum, si quæ sunt exortæ de fide, controuersiarum, Concilium Oecumenicum habitum fuerit. Vis aũt scire Brenti, quò spectauerit Ioannes, cùm hæc diceret? Prœuidebat is venturum te, tuisq; similes, vestimentis quidem ouiũ indutos, intrinsecus aũt lupos rapaces. Prodiaturum te diuinæ legis oracula, quibus prauæ detortis, à veritate mentes hominum abducere conareris. Cùm itaq; nulla sit ad fallẽdum via facilior, quàm vt vbi nefarij erroris subinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborũ prætendatur auctoritas, monuit pios oẽs, ne statim tibi, tuisq; similibus fidem haberent, sed probarent spiritus, si ex Deo sint: neq; moueretur, si frequens esset in ore tuo scriptura, quam etiam Diabolus aduersus ipsum scripturarum auctorem Christum produxisse legitur: verùm etiam atq; etiam secum illud expẽ derent, quandoquidem non in legendo, sed in intelligendo scripturæ cõsistunt, tuonè prophrio, an vniuersalis Ecclesiæ sensu, & iuxta Catholici dogmatis regulas scripturas interpreteris: illudnè quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditũ est, an diuersum aliquid proferas. Quòd si de tuo te loqui, propriumq; tuũ scripturę sensum adferre constaret, quin id mendacium esset, nihil ambigerent. Nam qui loquitur mendacium, de suo loquitur, sin aũt de eo loquereris, quod est omniũ, si cõmunem Ecclesiæ sensum adferres, si quod semel per eam est in Concilio plenario definitum, nihil ab eo discrepares, certum haberent hunc spiritum ex Deo esse, nec quod ab eo profectum est, verum esse dubitarent. Hic sanus est & catholicus verborum Ioannis intellectus.

*Matth. 4. Quomodo spiritus hæreticorum probandus.*

*Obiectio ex Actor. 17.* Pergit Brentius: In Actis Apostolicis Paulus & Silas ingrediuntur Berrhœę, in Synagogã Iudæorũ. Et additur, Eos, q summo genere nati erãt, recepisse sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hęc ita se haberent. Principes Iudęorum Berrhœæ probant & exigunt ad scripturas sacras spiritum tantorum Apostolorum: & Asoganț? Quæ hæc est impudentia? Quorsum hæc Brenti? Scribitur in Actis, quòd nobiliores co-

*Responsio,* rum, qui Thessalonicę fuerunt, susceperunt verbum, scrutantes scripturas, si hęc ita se haberent. Quid hoc facit ad rem, qua de nunc agitur? Num ideò sibi de doctrina Apostolorum iudicandi potestatem arrogauerũt, quia scrutati sunt scripturas? Quam sæpè aũt accidit, vt sermonem alicuius ex verbis ministris excipiat aliquis, & loca scripturarum, si quę per eum adferuntur, inspiciat. Num ideò se Iudicẽ illius doctrinæ constituit? Nemo prohibet Brẽti, quò minus vel tu, vel quicunq; tandem alius velit, scripturas scrutemini, & an ita se res habeat, quemadmodum in decreto Concilij scriptum est, inspiciatis. Sed si fortè secùs alicui verum videatur, vt propterea decreta concilij damnandi potestas penes eum sit, id verò ferendum esse non putamus, quin illud esse Christianæ modestiæ fraternæq; charitatis eximamus, vt se potius aliquis propter intelligentiæ tarditatem pleraq; non assecutum credat, quàm ita se cunctis, qui vnum aliquem in locum ex vniuerso terrarum orbe cõgregati de causa fidei disceptaturi venerunt, anteponat, vt aut à se solo processisse, aut ad se solum pertinere Dei verbum persuasum habeat.

*De loco. Deut. 17. Brentij censura.* Prosequitur Brentius: Scilicet quia lege Mosi scriptum est, difficilia & ambigua referenda esse ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: & qui non obedierit imperio sacerdotis, ex decreto Iudicis moriatur: idcircò spiritus Conciliorum non sunt probãdi an sint ex Deo, idcircò omnia decreta Romani Põtificis agnoscenda sunt sine vllo vel priuatorum, vel Principum iudicio, pro oraculis Spiritus sancti. Hic certè iustificat Actus Concilium Caiphæ & Annæ, qui filium Dei crucifixerunt. Non iustificat vir venerabilis Concilium Caiphæ & Annæ, sed verba legis profert. Impletum aũt fuit eo tempore quod à Propheta scriptum est: Peribit lex à Sacerdote: nihil vt mirum sit, si à Caipha quoq; & Anna, quos non rectè neq; ordine sacerdotium adeptos esse cõstat, lex perierit. Quid autem Brenti, si quo tu exemplo ex Euangelica historia producto tibi places maximè, id cautum esse putes, ne Concilia vel priuatorum, vel Principum iudicio pereant? Quid si nihil potuit adferri validius ad eam, quàm nos tuemur, sententiam confirmandam? Quod si vsquam alibi, hic maximè iustificatur in sermonibus suis DEVS, vt vincat cùm à vobis impijs iudicatur. Quid enim est quod vel tu conaris, vel Caluinus, vel Ioannes à Lasco, vel quicunque tandem alij, qui locum hunc tanquam Achillem quendam in aciem producunt, ad eam quæ propria est Episcoporum iurisdictionem euertendam? Quid aliud, quàm vultis ostendere falsum esse quod dixit Deus de sacerdotibus Leuitici generis: Ipsi indicabunt tibi iudicij veritatem? Atqui ô mirabile quodam ac stupendum diuinæ sapientiæ consilium. Nusquam illustrior apparuit, quàm hic dispensationis promissionis veritas: nusquam conuincuntur magis mendacij, quàm hoc loco, qui falsitatis veritatem arguere non verentur. Hic vel ipsa luce clariùs Deus demõstrauit, nullam esse posse tantam hominũ iniustitiã, quę iustitiã ipsius in gubernatione suæ ciuitatis, quę est

*Explicatur locus. Ezech. 7.*

*Deut. 17. Ipsi indicabunt tibi iudicij veritatem.*

Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ecclesia, quæ promissionum ipsius veritatem labefactare queat. Quid esse potuit Annæ Caypha sceleratius? quid iniustius? & horum tamen scelus ac iniustitiam conuertit Deus in occasionem gloriæ iustitiæq; suę. Noluit morti adiudicari, nisi per horum sententias: noluit redemptionis nostræ beneficium absoluere, nisi per horum ministerium: horum iudicij exitum ad generis humani salutem deduxit, ac veram esse promissionem suam declarauit, qua dixit de Sacerdotibus Leuitici generis: Qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Nam in hoc etiam quamlibet iniusto iudicio, fuit nihilominus iudicij veritas. Paradoxon hoc tibi videtur Brenti, quod iniustum fuisse iudicium, iudicij nihilominus in eo fuisse veritatem affirmamus? Sed nihil est facto facilius, quàm vt hoc tibi manifestissimis argumentis demonstremus. Quod iniustum fuerit iudicium concedis tu quoque, & clamat hoc res ipsa, Iudices fuerunt iniustissimi: testes qui producebantur, falsi: crimina quæ proferebantur, falsa. Nam neque populum seduxerat Christus, neq; censum dari Cæsari prohibuerat, neq; blasphemauerat, neq; de templo demoliẽdo, vel cogitare illi in mentem venerat, & tamen in hoc iniusto iudicio, per Iudices iniustissimos veritas iudicij indicata, vera sententia fuit pronunciata. Quænam illa? Reus est mortis. Hanc sententiam à Spiritu sancto profectam fuisse, dubium non est. Vnde autem istud tibi probabimus? Non recipis nisi Scripturas canonicas. Atqui Principem inter eas locum tenet Ioannis Euangelium, in quo concilium illud Pontificum & Pharisæorum de Christo comprehendendo describens Euangelista, narrat dixisse Cayphâ: Expedit vt vnus homo moriatur ꝓ populo, & non tota gens pereat. Ac mox subdit, Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Vides Brenti, quemadmodum hoc ipso Euangelista teste, non defuit sacerdotio Leuitico spiritus propheticus, Spiritus sanctus, spiritus veritatis, ad id vsque tempus, quo seipsum CHRISTVS cruentum sacrificium offerens Deo patri, sacerdotio & sacrificio illi finem imposuit. Tunc enim primùm spiritu prophetico destitui cœperunt, cuius rei figura fuit velum templi scissum Christo mortuo. Simul testata est hoc vox Christi, dicentis: Ecce dimittetur domus vestra deserta. Neq; verò dubium est, quin ipse Cayphas verba sua non intellexit, eius nihilominus lingua cùm Pontifex esset, ea proferri Deus voluit: sicut cymbalum, sic ille magnum quendam & sonorum tinnitum edidit, quem tamen ipse non sensit. Sed expectas, vt hoc tibi demonstremus, quomodo verè pronunciari potuerit, eum fuisse mortis reum, quem constat peccatum nullum fecisse, nec inuentum esse dolum in ore eius? Paucis rem accipe: Ex quo tempore primus parens noster, nihil interdicti ritus, de vetito ligno gustauit, factus est mortis reus Christus Dei filius. Non quòd ipse mortem cõmeruerit, qui fuit ipsa innocentia, sed quòd reatum & maledictionem peccato primi parentis debitam, quod ad omnes pertransijt in condemnationem, in se suscepit, vt eam coram Deo expiaret: eadem hac reum se pro nobis ipse cõstituit, vt pœnam solueret cui obstricti eramus. Itaque sic ipso volente, posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum. Nostra fuit maledictio, nostra fuerunt peccata, quæ pertulit ille in corpore suo super lignum: quamq; pœnam debebamus nos, eam ipse pro nobis tolerauit: vt sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti fueramus, sic per vnius ipsius obeditionem iusti constitueremur. Itaq; sicut in Apocalypsi scriptum legimus, ab origine mundi occisus est agnus hic innocens: vel vt Petrus hîc ait, præcognitus ante mundi cõstitutionẽ. Si quidem ab eterno fixum fuit, & immobile patris decretum, vt proprio filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus eum traderet, morte turpissima condemnandum. Cui decreto se filius vltrò submisit. Oblatus est enim, quia ipse voluit, & factus est obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Decretum igitur hoc, quod ante mundi constitutionem in mente fuit, & ideò diuinæ præscientiæ, per legitimos Iudices, hoc est, per Sacerdotes Leuitici generis pronunciari Deus voluit, & horum iudicio, quamlibet impij, quamlibet nefarij fuerint & scelerati, se tamen Dei filius vltrò subijcere dignatus est, vt exemplo suo doceret. suũ in cathedra legitima sedentibus, qualescunq; tandem hi forent, honorem habendũ esse. Nec falsum illud fuit quod dixerunt: Nos legem habemus, & secũdum legem hanc debet mori. Fuit. Nam revera lex illa Dei patris, quam vltrò suscepit filius, vt moreretur pro peccatis nostris. Quæ lex ex decreto Pontificum cùm cruci Christus affigeretur, fuit consummata. Quod ipse confessus etiam est Christus, cùm pendens in cruce, iamiam inclinato capite spiritũ traditurus, dixit: Consummatum est, Coosummatum est, inquit, fixum illud & immobile patris decretum: consummatum est quod lex & Prophetæ futurum prædixerunt, iam vmbræ sublatæ, iam figuræ sunt impletæ, iam illud sacrificium vitæ peractum est, quo solo reconciliari Deo mũdus potuit. Neq; moriens hoc solum ita dixit Christus, verumetiam cùm à mortuis surrexisset, ac se comitem duobus illis in Emaus euntibus adiunxisset, O stulti, inquit, & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ: Nónne hęc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipsõ erant. Iam ex ijs Brenti perspicis, quàm stupendo miraculo suam Deus iustitiam & veritatem inuiolatam conseruet in illorum iudicijs, quos ipse in cathedris ad iudicandum constituit, quamlibet hi sint ab omni iustitia veritateq; remoti. Simul & illud vides, quòd ipse nobis tela suppeditaueris, quibus rectissimè eorum figi posses. Quod enim illustrius exemplum adferri potuit ad probandum, quòd nulla possit esse tanta Pontificum improbitas, quæ impedire queat quo minus vera sit illa Dei promissio: Qui indicabunt tibi iudicij veritatem?

Sed quid ad hæc Brentius? Verborum quibusdam præstigijs fumum Lectorum oculis offundere conatur: Hic iustificat, inquit Asotus, concilium Cayphæ & Annæ, ac omnes eos, qui iuxta sententiam illorum filium Dei crucifixerunt: damnat autem Iosephum & Nicodemum, quòd non consenserint in sententiam Cayphę, & reliquos omnes, qui impietatẽ & crudelitatem huius concilij improbarunt. An non Caiphas erat summus Sacerdos? An non concilium erat auctoritate Caiphæ, hoc est, legitimè, vt Asotici sentiunt, congregatum? An non Caiphas & Concilium definierunt filium Dei blasphemasse, ac reum mortis esse? Dicamus igitur iuxta verba legis: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, (hic tum erat Caiphas) ex decreto Iudicis moriatur. Moriantur ergo Ioseph & Nicodemus: moriantur Ioannes & Maria, moriantur Apostoli omnes. Talibus verborum præstigijs perstringit imperitorum animos Brentius. Verùm iam antè diximus, quòd non iustificat consilium Caiphæ & Annæ Petrus à Soto. Nam vt iustum fuerit decretum, quo reum esse mortis Christum pronunciatũ est, non propterea iustificati sunt impij Iudices, à quibus nihil iure, nihil ordine factum esse constat, cùm quod ipsi quoq; Pilato minimè fuit obscurum, ex odio & inuidia fecissent omnia. Sed nihilominus per nefarios hos & sceleratos operari Deus nostram salutem in medio terræ dignatus est: quam pio quidem, sed humano tamen affectu, quantum in ipsis fuit, Ioseph, Nicodemus, & Apostoli cupiebant impeditam. Quo affectu Petrum etiam dixisse Christo legimus, cùm eum de passione, & morte sua loquentem audiuisset: Absit à te Dñe, non erit tibi hoc: cõuersum autem Christum dixisse, Vade post me Satana: scandalum es mihi, non. n. sapis ea quæ Dei sunt, sed quę hominum. Itaq; sicut pius in ijs affectus veniam, sic impius in illis damnationem meretur sempiternam. Vtriq; arcanum Dei cõsilium visi sunt ignorare. Nam quòd mors Christi tantam esset mundo salutem allatura, neq; Pontificibus, neq; discipulis fuit satis exploratum. Sed sicut illi suum odium erga Christum explere cupientes, eum morti adiudicarunt: sic ij vicem innocentis dolentes, magno quodam pietatis affectu seruatum cupiebant. Atq; hic est quem in operibus hominum spectat Deus. Affectus tuus, inquit Ambrosius, nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Clarius autem Bernardus: Nõ materia, inquit, nec exitus actuum, sed intentionis propositum culpas discernit & merita. Sic euenit nonnunquam, vt cùm res vna sit, intentio tamen diuersa, facta quoq; faciat diuersa, quod exemplo de Christo tradito producto planum facit Augustinus. Cùm. n. illud attulisset ex Paulo, Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Ecce, inquit, Christum tradidit Pater, & tradidit Iudas, nunquid nõ quasi simile factum videtur? Traditor Iudas, traditor est & Deus Pater. Absit, inquit, Non dico, sed Apostolus dicit: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et Pater illum tradidit, & ipse se tradidit. Ait idem Apostolus: Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me. Si pater tradidit filium, & tradidit seipsum filius, Iudas quid fecit? Facta est traditio à patre, facta est traditio à filio, facta est traditio à Iuda. Vna res facta est, sed quæ res discernit patrem tradentem filium, seipsum filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem Magistrum suum? Quia hoc fecit pater & filius in charitate, fecit aũt hoc Iudas in proditione. Videtis quia nõ quid faciat homo considerandum est, sed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto inuenimus Deum patrẽ, in quo inuenimus Iudam: Patrem benedicimus, Iudam detestamur, Quare Patrem benedicimus, Iudam detestamur? Benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem. Quantum. n. præstitum est generi humano de tradito Christo, nunquid hoc cogitauit Iudas vt traderet? Deus cogitauit salutem nostram qua redempti sumus: Iudas cogitauit pretium quo vẽdidit Dominum: Filius ipse cogitauit pretium quod dedit pro nobis, Iudas cogitauit pretium quod accepit vt vẽderet. Quòd si vbi res vna est, diuersa tamen facta censentur ex intentione diuersa, quãtò magis vbi res quoq; diuersæ sunt? Iam igitur intelligis Brenti, quam ineptè dictum sit à te, Moriantur Nicodemus, Ioseph & Apostoli? quin moriantur potius crudeles & impij Põtifices illi, qui non ad salutem & redemptionem humani generis respicientes, verùm vt odio suo satisfacerẽt, Christum innocentem Gentibus crucifigendum, tradiderunt. Quod aũt attinet ad Apostolos & discipulos Christi, sinant eos abire Pontifices illęsos, vt impleatur sermo quem dixit Christus: Quia quos dedisti mihi nõ perdidi ex eis quemquam. Nondum enim ita cõfirmati fuerant, vt si grauior aliquis terror ingruisset, constanter Christum fuerint cõfessuri: cùm qui Princeps eorum fuit Petrus, ad vnius ancillæ vocem ipsum negauerit: deinde verò prius illud impletum oportuit, quod à Prophera scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ipsi debebant esse testes eorum, quæ viderant & audierant: per ipsos prædicandum fuit Euangelium hoc omni creaturæ. Postremò, potuisset existimari, non sufficisse Christi mortem ad expianda peccata nostra, si sub idem tempus discipulorum quoq; mors accessisset, quamobrem alio tempori fuerunt reseruandi, vt sicut Christus non prius mortuus est, quàm expleuisset omnia propter quæ missus erat à patre: Sic & ipsi non prius pro Christo sanguinem suum profunderent, quàm expleuissent ea propter quæ missi fuerant à filio. Nihil igitur morte dignum fecerunt Apostoli, quòd in sententiam Cayphæ non cõsenserunt, quin eorũ pius affectus hic remuneratione potius dignus fuit, sicut impietas Annæ & Cayphæ nullum supplicij genus non merebatur.

Quid autem proferre potuit Petrus à Soto magis aptum & appositum ad id quod instituerat probandum, quàm locum hunc ex Deuteronomio, quo cuiq; fit planissimum, non aliundè, quàm ex ore Sacerdotis legem esse requirendam? Qui cùm docuisset, quem in lege gradum & Reges & populi erga doctrinam tenerent, & quemadmodum Principi præscribitur, vt nouerit se discipulum esse legis, non doctorem: & à sacerdotibus Leuitici generis accipere Princeps iubetur exemplar legis: Ad eos, inquit, non ad Reges aut Principes mittit eo loco Deus difficilia omnia & ambigua circa legem definienda. Ascende, inquit ad locum quem elegerit Dñs Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotem Leuitici generis, & Iudicem qui fuerit illo tempore, quęresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatẽ. Vbi & apertissimè non tantùm Principum, sed & populi circa legis doctrinam, ostensum est.

Et faci-

*Iudicij veritas etiã penes iniustos Christi iudices Pontifices fuit.*

*Ioan. 11.*

*Matth. 23.*

*Quomodo Christus reus mortis dici posit.*

*1. Pet. 2.*

*Esaiæ 53.*
*1. Pet. 2.*
*Rom. 5.*
*Apocal. 13.*
*1. Pet. 1.*

*Rom. 8.*
*Esaiæ 53.*
*Philip. 2.*

*Ioan. 19.*
*Christus secundum legẽ debebat mori.*
*Ioan. 19.*
*Consummatum est, cur in cruce dixerit* CHRISTVS.

*Lucæ 24.*

*Obiectio Brentij.*



*Responsio.*
*Alij Iudæorum piè, alij impiè in Christum patientem affecti.*

*Matth. 16.*

*Ambr. lib. 1. de officijs, cap. 30.*
*Ber. ex affectu nostro opera & merita æstimantur.*
*Rom. 8.*
*Augustin. de Christo quod aliter sit traditus, Galat.*

*Ioan. 17.*
*Apostoli ante Christum mori non debebant.*
*Psal. 18.*

*Soti sententia de loco Deut. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Et facies, inquit, quæcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Hic igitur est, inquit gradus populi, dubia fidei inquirere à legitimis templi ministris: eorum doctrinam sequi, non quòd tam eorum sapientiæ & pietati inniti debeant, illi enim homines erant, fallere & falli poterant, quàm diuinæ promissioni, cui non difficile est vera docere suos, per quoscunque demùm ministros. Iam ne quid desit Principi, audiamus quid circa subditos illi incumbat in doctrina legis. Qui autem, inquit, superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur homo ille: & auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Hoc igitur restat Principi erga populum eius, superbiam & inobedientiam erga Dei ministros & doctores legis compescere, atque sæueritate legum, sententiam eorum exequi, ne videlicet in contemptum veniat. Hęc sunt verba Petri à Soto, non aliundè quàm è scriptura sumpta, quæ vel ipsa luce clarior est. Verùm hîc videre licet, quàm verum sit, quod à Tertulliano scriptum est. Quòd nihil proficiat congressio scripturarum aduersus hæreticos, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri. Ista hæresis, inquit, non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata, conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stilus. Quid horum non rectè competit in nostri temporis hæreticos? quorum qui Princeps est & Architectus, nunquid non apertè Iacobi reijcit Epistolam, quòd ea suo dogmati desolius fidei iustificationem manifestè contradicit? Itaque vocat stramineam, nec in libro suo tolerare vult. Sed nec Apocalypsim recipit, nec Ecclesiasticum, nec Machabæorum, nec alios quosdam libros, quos habuit semper & habet pro canonicis Ecclesia Catholica. Iam verò quas recipit scripturas, nónne dum ex bonis Latinis mala facit Germanica, suis eas adiectionibus & deprauationibus ad sui instituti dispositionem interuertit? Si quas autem integras præstat, diuersas expositiones cõmentatur, quod facilè quiuis in hoc ipso scripturæ loco perspexit. Nam cùm Deuteronomij librum neque reijcere possit, cùm nunquam de eo quin sit canonicus dubitatum fuerit, neq; vel adiectionibus, vel detractionibus verba quæ ex eo citantur, ad institutum suum interuertere, quid illi restabat aliud quàm vt diuersam expositionem commentaretur, & quæ clara sunt & perspicua scripturæ verba, tenebras ei offundere conaretur.

*Tertull. lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos.*

*Hæreticorum in scripturæ libros arrogans & impudẽs iudicium.*

*Explicatio Brentiani loci. Deut. 17.*

Hoc igitur facit explicans hunc in Deuteronomio locum: hoc facit & eius discipulus Brentius, quem loquentem audiamus: Quam legem Asotus ex Deuteronomio citat, partim est cæremonialis, partim moralis. Neque enim talis lex est, cui κατὰ τὸ ῥητὸν, & singulas circunstantias, omnes aliæ respublicæ sint obnoxiæ. Et disertè additur: Quodcunque docuerint te iuxta legem Domini. Iuxta legem, inquit Domini, non iuxta proprium arbitrium. Nec solis Sacerdotibus permittit iudicium, sed adiũgit eis Iudicem, qui certè non semper erat de tribu Leui, vt testatur liber Iudicum, nec Reges qui sequuti sunt Iudices ante Babilonicum exilium, ex ea tribu genus suum ducebãt: vt perspicuè videas Principes, quos isti vocant Laicos, non habere tantùm vocem consultiuam, verùm etiam definitiuam. Et cùm hæc cæremonialis constitutio cogat tam Pontificem quàm Iudicem intra limites legis Domini, ac definiat eis certam regulam quam sequantur, dubium non est, quin concedat reo grauato libertatem iudicandi & definiendi, num de causa ipsius pronunciatum sit iuxta legem Domini. Ac si quidem persuaserit diuina adiutus clementia Iudices, vt sententiam aduersus legem Dei latam, &c. Quid hoc ad rem faciat, quod dicit Brentius, legem hanc partim cæremonialem, partim esse moralem, equidem non intelligo, nisi fortè hoc dicere vult, quod Magister eius dixit Lutherus, Mosen hîc agere non de verbo aut doctrina, vel quæstionibus fidei, sed de sententia publicorum & profanorum criminum. De quibus quin agat hic Moses, non repugnamus: sed legis nomen apud Hebræos latius patet, quam vt de criminibus tantùm intelligi debeat, vt omnes etiam dogmatum controuersiæ sub eo comprehendantur. Et si scriptura per aliam scripturam, sicut isti volunt, necessariò venit explicanda, clara sunt & apud Aggæum, & apud Malachiam scripturæ verba, quibus interrogare legem à sacerdotibus, & ex eorum ore requirere populus iubetur. Proferant illi contrà vel vnum scripturę locum, vbi legem ex ore Principis requirere iussus sit. Interroga sacerdotes legem, dixit Aggæus, non interroga Principes. Cæterùm vt demus hoc Luthero de criminibus hîc agere Mosen, non de doctrina legis, vel sensus hoc ipse communis indicare Luthero potuit, si de criminibus iudicium pertinet ad sacerdotes, multò magis pertinere de lege Dei, cùm præsertim tot scripturæ locis, quos iam produximus, manifestum id cuiuis esse queat, ita vt hæc illius tergiuersatio planè sit ridicula. Quòd verò negat Brentius, huic legi omnes alias respublicas obnoxias esse, si dicit de illis, quæ nõ credunt in Messiam, quem venturum Iudæi, nos iam venisse credimus, audiri fortasse posset. Quanquam & apud illas gentes, quæ Deum non agnouerunt, sed idola coluerunt, alia fuerunt Pontificum & Sacerdotum, alia Regum & Principum officia: quòd illis sacræ, his profanæ res curæ essent. Cæterùm illud pius nemo negabit, quòd Ecclesiæ quædam vmbra fuerit Synagoga. Estne autem verisimile, quòd vmbræ illi Deus prospicere voluerit de ratione, qua subortas de lege quæstiones & controuersiæ terminari possent: & non pari studio prouidere sit dignatus Ecclesiæ sponsæ suæ, quam ita charum habuit, vt eam sanguine suo sibi mundaret, acceptabilem q; faceret? Cùm præsertim apud hanc tanto maior eius rei sit necessitas, quanto difficilius est immensam multitudinem, quæ ex omnibus gentibus, nationibus, linguis, populis constat, in vnitate fidei contineri, quàm vnum cognatum populum, qualis ille fuit

*Lutheri interpretatio ridicula.*

*Responsio.*

*Aggæ. 2.*

Hebræorum? Qui cùm in Esau præfiguratus fuerit, quem Deus odio se dicit habuisse, noluerit contrà in Iacob, quem dilexit, quis est qui credere queat, maiori populum illum quem reprobauit posteà, curæ Deo fuisse, quàm hunc quem in illius locum elegit: qui non secundum carnem, sed secundum promissionem ex Israël prognatus esse dicitur? Non sustulit ordinem ex Ecclesia Deus, quem esse voluit etiam in Synagoga. Sed adiunxit, ait Brentius, iudicem Sacerdotibus, qui non semper erat ex tribu Leui. Fac hoc ita esse, cæterùm cognoscendi, iudicandi q; potestas non fuit, nisi penes Sacerdotes Leuitici generis, & Iudicem eiusdem tribus: vt si casu aliquo ex alia tribu Iudex adiungeretur, non alio quàm exequutoris munere fungeretur. Quod illa verba clarè videntur indicare: Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur. Sacerdos sententiam legis explicans, imperabat: si quis non obtemperasset, Iudex vt mortis de eo supplicium sumeretur, decernebat. Quid potuit magis perspicuè dici ad discrimen inter Sacerdotum & Regum officia demonstrandum? Quid ad hæc Brentius? Videt nullum esse tergiuersationi locum, quærit igitur aliud effugium. Hac enim cæremoniali constitutione tam Pontificem, quàm Iudicem cogi dicit intra limites legis Domini, vt iudicet iuxta legem, non iuxta proprium arbitrium. Quamobrem dubium non esse, quin concedat ista constitutio reo grauato libertatem iudicandi & definiendi, num de causa ipsius pronunciatum sit iuxta legem Domini. Quid si verba illa Brenti. (Et docuerint te iuxta legem eius) quibus tu potissimum niti videris, nec in translatione septuaginta, nec in interpretatione Chaldaica, nec in Hebræo textu reperiuntur? quemadmodum à viro doctissimo Alberto Piggio legimus animaduersum. Iam igitur conciderit omnis hæc tua argumentatio. Sed quis vnquam audiuit, eundem & rei & Iudicis personam sustinere debere? Certè si res ad hunc modum habet, nemo condemnabitur vnquam. Quis enim erit, qui in sua ipsius causa Iudex constitutus, condemnare seipsum velit? Quorsum autem attinet, aliquem ad Iudices remitti, si de eorum iudicio reus ipse posteà iudicare debet, num iuxta Dei legem, an secus pronunciauerit. Quid opus est isto circuitu? Suo quisq; iudicio potius relinquatur, neq; fruſtrà vel Episcopo, vel Principi negotium facessat.

*Brentius vult eundem & rei & Iudicis personam sustinere.*

Hic non possum quin te appellem, serenissime Rex Auguste. Tibi enim libellum hunc Brentij dicare, coram te capita doctrinæ, quæ tractantur in eo se defensurum iactare, te Iudicem virum longè sui dissimilem, non doctrina magis quàm vitæ sanctitate conspicuum Aloysium Lipomanum Episcopum Veronensem, qui sanctæ sedis Apostolicæ legatum apud te agebat, ad disputandum de illis prouocare, veritus non est Vergerius. Te igitur appello, atq; vt quorsum spectent istorum hominum conatus, etiam atq; etiam diligenter tecum reputes hortor, moneo, oro & obsecro. Nihil enim est aliud, in quo cura eorum omnis consumitur. Ẽ vt ordinẽ perturbare, vt auctoritatem legitimi Magistratus cõuellere queãt & labefactare. Erras autem serenissime Rex, si de sola Pontificia iurisdictione abroganda, solicitos eos esse putas. Etiam regiam sublatam cupiunt, vt sit rerum status is, quem in historia Iudicum fuisse legimus, vbi scribitur his verbis: In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisq; quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. In summa, hoc volunt, vt quod cuiq; rectũ videtur, id credere, id facere cuiuis liceat. Verbo quidem concedũt illi Magistratui iudicandi potestatem, sed reipsa prorsus adimunt, cùm reo grauato libertatem permittunt iudicandi & definiendi, num de causa ipsius pronunciatum sit iuxta legem Domini. Verbi gratia: Proponatur in comitijs coram Rege, & amplissimo Senatu illius, doctrinæ caput hoc, Solus Deus Pater, & nemo alius adorari & inuocari debet: quòd ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere potest. Et est præceptum veteris legis, vt qui quenquam alium adorauerit præter Deum solum, occidatur. Ad quem Deum alium intercessorem, mediatorem, procuratorem habemus nullum, præter vnum Dominum Iesum Christum. Fingamus autem Regem de Senatorum suorum consilio in hanc sententiam decretum fecisse. Dogma hoc falsum est, ac pridem ab Ecclesia damnatum, cùm ante mille ducentos annos pronunciatum sit in concilio Niceno, Filium eiusdem esse cum Patre substãtiæ, atque ideò æquè adorandum, æquè inuocandum vt Patrem, cùm in forma Dei nihilo sit Patre inferior. Quamobrem qui contrà sentiunt, eos hæreticos pronunciamus, & ijs quę debentur hæreticis, pœnis afficiendos esse decernimus. Quid hic faciendum docet Brentius? quid verò defendit Vergerius? Licere dicunt reo grauato per eiusmodi sententiam contra se latam, iudicare & definire, q; quod de causa ipsius non sit iuxta legem Domini pronunciatum: cùm nusquam scriptum sit in vniuersa lege tam veteri, quàm noua, quòd filius patri sit consubstantialis, nec nomen hoc in scripturis vsquam reperiatur. Confidenter igitur & intrepidè dicet reus Regi & Senatui: An iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum? Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus. Clara sunt Dei verba: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Clara sunt Christi verba, Pater maior est me, & vos iuberis me contrarium dicere, Pater non est maior. Quem hic oportet audire? Nónne illum de quo patris de cœlo vox audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite. Hũc igitur audiam, non vos, qui non iuxta legem Domini pronunciatis. Ita reus faciet, si Brentium & Vergerium audierit, ac si minus virium habebit, quàm vt Magistratus legitimi potentiæ resistere valeat: faciet quod Geneuæ Seruetus fecit, occidi se potiùs patietur, quàm vt Magistratus decreto pareat, qui ficut sibi videtur, non secundum legem Domini pronunciauit. Hæc est Brentij doctrina, quam tuendam suscepit Vergerius, plena seditionis, plena rebellionis contra legitimam potestatem à Deo constitutam. Volunt enim, vt de iudicio Iudicum iudicare subditis & reis liceat, vt si quidem decreuerit reus iustum esse, diuinæq; legi consentaneum, quod à Principe pronunciatum est, recipiat: si minus, reijciat: Hoc est, si pronunciauerit iuxta voluntatem rei, sit ratum: si contrà, sit irritum. Volunt, vt Princeps & Se-

*Ad Regem Apostrophos.*

*Quo spectent conatus sectariorum.*

*Iudic. 17.*

*Sicut solus Deus pater adorandus & inuocandus.*

*Act. 5.*
*Deut. 6.*
*Ioan. 14.*
*Matth. 17.*

*Incommoda doctrinæ Brentij atq; Vergerij.*





*Rom. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



natus ex populi, non populus ex Principis & Senatus iudicio, voluntate{q} pendeat. Dicam vno verbo: Volunt vt sit anarchia, vt Ecclesiæ absque Episcopis, vt regna sint absque Regibus, vt credat quisq;, vt faciat quisq; quicquid visum cuiq; fuerit. Hunc regni tui statum esse vult Vergerius, hæc est aduentus illius in regnum tuum causa: vult vt sibi quisq; Rex, vt sibi quisq; sit Episcopus, vt in sua quisq; causa sit Iudex. Neq; id sine scriptura: Scriptum est enim, Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Hic status perdidit ferè finitimam nobis Germaniam: hoc eodem statu vult Vergerius vt pereat regnum hoc quoq; tuum, quod sanctus pater tuus florentissimum tibi reliquit. Et tu sæculus hoc ferendum in terris tuis putabis? & non auferendum potius curabis?

*Apoc. 5.*

*Erasmi testimonium de secta Lutheri ferociente. in epist. de pseudoevangelicis.*

Quamuis autem oculis multorum testatius sit, quem hoc doctrinæ suæ genere Germaniæ statum isti reddiderint, nonnulla tamen verba visum est hic ad scribere Erasmi Roterodami, qui diligentiùs Germaniæ statum hunc descripsit in epistola quadam, quam edidit contra Pseudoevangelicos, tanto maiore fide dignus, quòd inter eos ipsos vitam degebat, qui se maximè iactabant Euangelicos, vt oculatus eorum testis fuerit. Sic autem ille scribit: Excussum est iugum humanarum constitutionum, sed vbi sunt qui submiserunt ceruicem suaui iugo Domini? Et interim constitutiones humanæ constitutionibus humanis, imò pro rum humanis mutantur. Titulus modò mutatus est: vocantur enim verbum Dei. Cæterum adeò nihilo est mitior, vt complures boni viri præferant vltroneum exilium istimagnificè decantatæ libertati. Atq; adeò proceres quidam, & antesignani istius factionis cùm nidum ad Episcoporum dignitatem, opes & ditionem peruenerint, tamen eiusmodi specimé de se præbent, vt ego me malim in Episcoporum, quàm in horum potestatem tradere, si detur optio. Malimq; potentissimi Cæsaris ferre iugum, quàm quorundam Magistratuum Euangelicorum, quamuis humili sorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui vestro Euāgelio submittunt ceruicem: magis vereor ne plerisq; pro graui iugo hominum portent grauius iugum diaboli.

*Aliud testimonium Erasmi.*

Vides quæ fuerit illius sententia de Magistratibus istis Euangelicis, quemadmodum eorum intollerabilem quandam tyrannidem & insolentiam descripserit, quæ tanta est, vt etiam ciuilis Magistratus ab illis metuere sibi necesse habeat, ne si quando sit eis visum, contra se populi seditionem concitent. Sed audi quæ sequuntur: Excussa est obedientia Episcoporum, sed ita, vt ne prophanis quidem Magistratibus pareatur. Iusto Dei iudicio factum est, vt qui datis à Deo sibi suarum animarum pastoribus & Episcopis parere noluerunt, eorum vicissim iugum, qui subiecti sunt eis, ferendum esse non putent. Audiui ex Magistratu cuiusdam ciuitatis, qui sibi videbatur Euangelicus, cùm diceret, magnam olim Senatus fisse reuerentiam, populi quoq; magnā obedientiam, nunc eò rem recidisse, nulla vt sit Senatus auctoritas, populi verò summa licentia. Sic isti suis vident oculis, ac modò non manibus etiam suis contrectant fructus, quos nobis tulit hoc Euangelium, neque tamen addoci possunt, vt ad officium, sanitatemq; redeant. Pergit Erasmus: Olim Christiani sub Ethnicis Principibus quietè viuebant, studiosè cauentes, ne quam seditionis occasionem darent, exhibētes honorem, cui debebatur honor: vectigal, cui vectigal: tributum, cui tributum: hortabantur Christo initiatos, vt idololatris etiam Magistratibus obtemperarent: pro illorum incolumitate quotidie Deum orabant: At iste populus tam Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur esse detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? Quoties q̄ leuibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus: profligandi etiam, si liberius in vitam eorum inuehātur, aut ab opinione dissentiant. Ecce quorsum res redijt. Cùm isti qui se vocāt verbi ministros, omne iudicium ac propemodum imperium omne traduxerint ad vulgum, eò tandem ventum est, vt iam doctrinæ suę non auditores, sed Iudices habeant eos, qui sunt de vulgo: vt ex illius iudicio pendere cogantur, nec alia quàm quæ sunt illi grata, prædicare audeant. Non possum hic quin commemorem, quid mihi quandoq; acciderit. Agebam cum quodā vicario ministro, qui quamuis homo fuerit rudis & indoctus, quoniam tamen ex ijs libris ad populum conciones habebat, quos ei mercatores & opifices nonnulli suppeditauerant, non mediocrem sibi gratiam & auctoritatem apud multitudinem imperitam conciliauerat: Sed volebat is tamen videri Catholicus. Querebam ex illo, qui fieret, quòd cùm esset in tempore populus, nulla prorsus in eo signa pietatis & religionis apparerent, atq; haud aliter, si inter Christianæ fidei mysterijs initiati forent, ita se gererent: pleriq; ne caput quidem aperirent, si quando sacrosanctum Christi corpus & sanguis ostenderetur? Respondit ille: Sua culpa non fieri: sæpè se contra eos hanc ob causam è superiore loco in Ecclesia detonasse, verùm non proficere quicquam. Sed audiuisti, inquit sermones meos: Dic si quid in eis reprehendendum esse putes, facilè me corrigi patiar. Audiui, inquam, sermonem vnum & alterum. Non reprehendo quæ tunc à te dicta sunt. Sed cùm sancta nunc sit hebdomada, quam lent homines delicta sua per cōfessionem sacerdoti factam expiare, & ad sacramentū altaris accedere, mirari satis nō potui, q; neq; de pœnitētiæ, neq; de Eucharistiæ sacramento mentionem vllam feceris. Tum ille, si quid, inquit, illis dicerem, quod in libellis suis non haberent, euestigiò cuncti se proriperent de templo. Ego verò, Tu ergo, inquam, ea de superiore loco prædicas, quæ continentur in libris, quos ipsi tibi suppeditant, quorum exemplaria & ipsi domi suæ habent: & nō ea potius, quæ p̄scribit Episcopus, qui & ipse tibi librum misit, iuxta quem populum institueres? Nunquid nō æquius esset ab Episcopo tuo te doceri, quales tibi sermones ad populum habendi essent, quàm ab aliquo de fece vulgi? Obstupuit ille miser, nec habebat quod responderet: ac verbi quod ei imprudenti excideram, vehementer eum pœnituit. Quàm est autem res ista præpostera? Doctorem legis ex imperitæ multitudinis iudicio pendere, ac ad illius nutum sermones suos accommodare? Sed audiamus Erasmum loquentem: Initio, inquit, tantùm non erat Deus illis Lutherus, nunc ijsdē prorsus delirat, quòd nouum de Eucharistia dogma non recipiat. Nouam verò libertatem Euangelicam, impunè facere, sentireq; quod cuiq; libitum est, &c. En quale iudicium est imperitæ multitudinis. Principiò Lutherum omnia iuxta legem Domini docere, iudicauerat. Posteaquàm exortus est Zuinglius, iam Lutherum secùs quàm est in lege Zuinglium cōtra iuxta legem Domini docere, maior vulgi pars definit. Hi sunt Iudices, ad quos remittunt Principes Brentius & Vergerius, qui aliud hodie, aliud cras pronunciant. Ex horum & non è Sacerdotum ore contra clara & aperta scripturarum testimonia legem eos requirere iubent.



*Alia Brentij ratiocinatio. Psal. 137. Matth. 10.*

Profert autem & alias scripturas Brentius: Quid pluribus, inquit, opus? cùm Psalmus dicat: Confiteantur tibi Domine, omnes Reges terræ, quoniam audierunt verba oris tui. Et Christus: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: perspicuum est, quòd vt priuatus priuatam, ita Princeps publicam habeat de doctrina religionis potestatem iudicandi & decidendi. Quod est hoc per Deum immortalem nouum collectionis genus? An idem est Brenti, Confiteri Domino, vel confiteri Christum, quòd iudicare vel decidere de doctrina religionis? Idem, inquit Brentius: Nemo enim potest ex vera & certa fide, idq; periculo omnium rerum suarum terrenarum confiteri Christum filium Dei, & Euangelium eius coram hominibus, nisi antè cognouerit Christum, & statuerit Euangelium quod sequitur, esse verum & certum Euangelium Christi. Est ita Brenti, tenetur quisq; cognoscere Christum, tenetur statuere, quod sequitur Euāgelium, esse verum Euangelium Christi: sed nunquid è suo ipsius, & non ex Ecclesiæ totius iudicio? Nunquid priuatus priuatam, Princeps publicam debet habere iudicandi potestatem? Quid ex hoc sequetur aliud, quàm vt tot sint fides, quot voluntates, quot hominum iudicia? Possem tibi prouinciam ostendere Brenti, vbi Princeps cum paucioribus tuam, reliquus verò populus multò maiore ex parte Philippi doctrinam de quodam religionis capite veram esse iudicauit, & decidit. Neq; multum res abfuit à seditione. Talis est doctrina vestra ad seditiones excitandas facta. Atqui Brenti, non tenetur è vulgò quiuis omnem religionis doctrinā exactè nosse, multò minus de ea iudicare. Simplicium fides in maiorum fide saluatur, Documento nobis esse potest veteris Testamenti populus, cuius maxima pars quantæ fuerit simplicitatis, vel Pharisæorum illa verba planum faciunt: Turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Atqui ex hac turba multi saluati sunt, ex Pharisæis illius temporis vix quisquā. Ex hac turba sibi Christus elegit Apostolos, rudes piscatores: ex Pharisæis ad munus Apostolicum ex duodecim adsciuit neminem. Quæstulta sunt mundi, elegit Deus, vt confunderet sapientes. Tu verò Brenti, vis tuos omnes esse sapientes, vis esse Doctores, vis esse Iudices, & decisores? Sed audi quod ab Augustino scriptum est: Melior est, inquit, fidelis ignorantia, q̄ temeraria scientia. Scientia enim inflat, charitas ædificat. Surgunt indocti (dicit idem alio loco) & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine. Ante quem etiam Irenæus, Melius est, inquit, nihil omnino scientem quempiam credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, q̄ per sermones & multiloquium in impietatem cadere. Fides tua te saluū fecit, dicit Christus, non exercitatio scripturarum. Habet, inquit Hilarius, non tam veniam quàm præmium, ignorare quod credas: quia maximum fidei stipendium est sperare quæ nescias. Tantum abest vt hi præstantes doctrina viri, iudicandi, decidendiq; potestatem de causa fidei vulgo tribuendā esse putauerint, vt eius etiam ignorantiam non venia modò, verùm etiam præmio dignam iudicauerint. Non enim habet necesse quiuis de vulgò nosse omnia mysteria fidei: charitatē habere illi necessarium est, quæ etiā absq; literis discitur, sicut apud Clementem Presbyterū Alexandrinum legimus. Itaq; si sciat is qui de vulgo est, Dominicam orationem, Angelicam salutationem, Symbolum, Decalogum, & nonnihil præterea de Sacramentis, baptismi præsertim, pœnitentiæ, & Eucharistiæ, deq; ritibus & præceptis Ecclesiæ, alia eum nosse mysteria de necessitate, salutis nō est. Turbam enim, sicut rectè dicit Augustinus, non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Ex qua si quis etiam ea quæ iam commemorauimus, non exactè nouerit omnia, modò sciat & credat Iesum Christum, & hunc crucifixum, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: iam confessus est Christum, & confitebitur eum vicissim Christus coram patre suo, q̄ in cœlis est. Nam sicut alia omnia, sic & hoc præclarè dictum est ab Augustino: Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt, quæ ad fidem pertinent, discernere, penè frustrà in Ecclesia laboramus, plures enim sunt qui non possunt. Quare nihil dubitādum est, quin simplices in fide maiorum saluētur. Quod etiam figuratū esse docet Gregorius in eo, quod scribitur in libro Iob, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos. Asinæ quosdam significant simpliciter viuētes: quæ rectè pasci iuxta boues dicuntur, quia mentes simplicium etiam cùm alta capere non possunt, eò magis vicinæ sunt, quò & fraterna bona, sua per charitatem credunt, cumq; inuiderē alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se mirabiliter animè diuidunt. Simul ergo se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus coniunctę tardiores, eorum intelligentia pascuntur. Iudicet igitur idiota, se nihil scire nisi Iesum Christū, & hunc crucifixum: credat præterea sanctam Ecclesiam catholicam: quicquid ab ea traditur, id pro certo & indubitato habeat. Absit autem vt de doctrina illius, quam in omnibus assequi non potest, iudicare velit, quin se potius, quantus quantus est, illius iudicio submittat, nec sectūs aliquid, quàm ab ea traditum est, vnquam sentiat. Hoc sufficit idiotæ, quem iudicandi de doctrina religionis, decidendiq; partes sibi sumere fas non est.

*Aliud pars argumenti Brentiani. Responsio.*

*Responsio.*

*Nō est necesse quosuis nosse omnia de religione. Ioan. 7.*

*Aug. de verbis Apostoli ser. 20. 1. Cor 8.*

*Idem. lib. 3. Confessionum ca. 8.*

*Iren. li. 2. c. 45. Luc. 8.*

*Hila li. 8. de Trin.*

*Credēdi simplicitas à vulgo requirēda.*

*Clem. li. 2. Pedag. cap. 11.*

*Quæ sint simplicibus de Religione scitu magis necessaria.*

*Aug. cont. epist. Manichæi quam vocāt fundamēti, c. 4. epi. 102. ad Euodiū*

*Greg. lib. 1. cap. 25. moralium.*

*1. Cor. 2.*

Prosequitur Brentius: Et quid sibi grauissima illa cohortatio Christi, Omittite illos cœci

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Brentius profecitat locum.*

*Matth.15.*

*De cœcis ducibus cœcorũ omittendis.*

sunt, & duces cœcorũm. Quòd si cœcus cœco dux fuerit, ambo in foueam cadũt: aliud vult, quàm vt summa cura & studio caueamus, ne cœcum ducem sequamur? Quare hic est limes, hic est gradus Principum, vt curent doctrinam non tantùm politicæ honestatis, verùm etiam spiritualis religionis ac pietatis. Et vanissimum est, quod Asotus in scripto suo nunc huc, nunc illuc balbutit, Principes & populos nec posse nec valere, nec debere dissensionem hanc circa fidem, vt ipse loquitur, definire.

*Responsio.*

Rectè locum hunc adducis Brenti, audiendus enim est Christus, quando monet vt omittantur aliqui, quòd sint cœci & duces cœcorum. Monet autem Christus, non per mendaces

*Orig. Hom. 2. in Exodum.*

hæreticos, quorum ora, sicut apud Origenem legimus, diabolus aperit, verùm per Catholicos Episcopos, Sacerdotes. Per hos igitur cùm hortatur populum, vt te, tuiq; similes omittat, qui percussi estis cæcitate & amentia, dum vos ipsos nimiò plus amatis, & orbis terrarũ iudicio veitrum iudicium anteponentes, ab eo vos per summam impietatem præciditis, tenetur populus Christum in illis loquentem audire, & omissis vobis, ad eos se conferre, à quibus sanam doctrinam perdiscere queat.

*De exemplo Regis Oziæ.*

Iterum Brentius reprehendit venerabilem virum Petrum à Soto, quòd is exemplo Regis Oziæ conatur deterrere Principes à suscipienda cognitione & iudicio de doctrina religionis. Atqui nullum exemplum versatur crebriùs in ore Catholicorum omnium, quoties hoc argumenti genus tractant: quod etiam vetustissimum illum Dionysium Areopagitam Pauli discipulum, sanctum Martyrem Cyprianum, B. Ioannem Chrysostomum, & alios pro

*Chry. de verbis Esaiæ com. 2. Col. 1.*

duxisse legimus. Cæterùm Chrysostomi verba libet adscribere: Rex, inquit, cùm esset, sacerdotij principatum vsurpat: Volo, inquit, adolere incensum, quia iustus sum. Sed mane intra tuos terminos. Alij sunt termini regni, alij termini sacerdotij. Illi quidem ea quæ sunt in terris sortitus erat administranda, cæterum sacerdotij ius è supernis descendit. Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Regi ea quæ hic sunt, commissa sunt, mihi cœlestia. Mihi cùm dico, sacerdotem intelligo. Itaq; cùm videris sacerdotem indignum, retrahe, ne

*Distinguendum inter vitia & ordinẽ, personam & officiũ sacerdotum.*

cas sacerdotium: non enim oportet damnare res, sed eum qui re bona malè vtitur. Quando quidem & Iudas proditor fuit, verùm non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus. Nec crimẽ est sacerdotij, sed malum animi. Et tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem malè re bona vtentem. Etenim si quis tecum disputet, dicat q; vidisti illum Christianum? respondeto: At non ego de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot Medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? non tamen artem vitu, ero, sed malè vtentem arte. Quot nauæ malè rexerunt nauigia? verùm non ars nauigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses professionem & sacerdotium, sed re bona vtẽtem malè. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas

*Aliud officium Regis, aliud sacerdotis*

corporum remittit, sacerdos autem maculas peccatorum. Ille bellum gerit cum Barbaris, mihi bellum est aduersus dæmones. Maior hic principatus. Propterea Rex caput submittit manui sacerdotis. Et vbiq; in veteri scriptura sacerdotes vngebant Reges. Verùm Rex ille sua transiliens septa modum q; regni transgressus, conatus est aliquid addere, atq; ingredi est templum, cum auctoritate incensum adolere volens. Quid igitur sacerdos? Non licet tibi Ozia adolere incensum. Vide libertatem, vide mẽtem seruire nesciam, vide linguam cuius attingentem. Non licet tibi Rex adolere incensum. Non est fas venire in sancta sanctorũ. transcendis septa tua, quæris tibi non concessa, eaq; quæ accepisti, perdes. Non licet tibi adolere incensum, sed sacerdotibus istud datum est. Non tuum hoc est, sed meum. Num mihi tuam vsurpaui purpuram? ne vsurpes meum sacerdotium. Vides quemadmodum nõ aliud Petrus à Soto dixerit, quàm quod à Chrysostomo dictum audis. Sic enim Petrus loquitur:

*Exemplum Oziæ. 2. Par. 26.*

Huius rei exemplum in Ozia Rege scriptura nobis ostendit. Legimus enim eum sepra grauissima percussum, non quòd quicquam detraheret diuino cultui, sed quòd potiùs nimio pietatis zelo sacerdotum munus præoccuparet, velletq; incensum offerre, quem magis deberet expectare, vt pro eo sacerdotes offerrent. Sed & exemplum Oziæ deterrere debebat vehementiùs, quò simplicius ille, & præter omnem temeritatem, manum admouere vt ruentem Dei iamiam se inclinantem ad ruinam teneret, credidit sibi licere, sed tamen occisus est.

*Alterum exemplũ Oziæ.*

à Domino, qui docere hoc exemplo voluit, neminem ita pro Deo æmulari debere, vt transgrediatur terminum suum. Quod dixerat Chrysostomus: Mane intra tuos terminos, non licet tibi adolere incensum, transcendis septa tua: hoc dixit Petrus à Soto, neminem ita pro Deo æmulari debere, vt transgrediatur terminum suum. Interea tamen grauiter à Brentio redarguitur. Quam tandem ob causam? Quia non cogitauit de vero discrimine vocationis.

*Dionys. in epist. 8. ad Demophilum.*

Arguit eum impudentiæ & mendacij, quòd dixerit, nihil Oziam diuino cultui detraxisse. Quid autem dicturus es Brenti, de Dionysio Areopagita, qui maius etiam quiddam aliis

est dicere?

Sic enim loquitur: Quid enim incõueniens Ozias faciebat, Deo incensum offerens? Quid aũt Saul sacrificans? Quid violenti nimium dæmones, cùm Iesum Dei filium verissimè prædicarent? Sed profectò à Theologia omnis alienus interdicitur Episcopus: vnusquisq; enim ministerij sui ordinem seruare debebit. Plus aliquid à Dionysio dictum est, quàm à Petro. Nam non modò nihil Oziam diuino cultui detraxisse, sed nec inconueniens quidẽ aliquid fecisse narrat. Num & hunc impudenter, & mendaciter scribere dices? Verissimè Brenti, Petrus à Soto negat Oziam diuino cultui quicquam detraxisse. Verissimè & ante eum Dionysius, negat eum inconueniens aliquid fecisse. Nam si rem ipsam spectes, nihil diuino cultui detractum, nihil est inconueniens factum: in persona peccatum est, non in re. Fecisset hoc Sacerdos aut Episcopus, quandoquidem officio suo functus esset, gratum Deo munus præstitisset. Quoniam verò fecit Rex, præter, vel contra potiùs vocationem suam, ideò fœnas dignitas fuit, quòd ordinem sui ministerij non seruauit. Sed malo vt Basilium te docente audiam,

*Basil. in regulis contractiuribus regula 276.*



dias. Potest, inquit, fieri vt sit aliquid propria sua ratione & voluntas Dei & bonum: qñ verò præter personæ vel temporis rationem vsurpatur, iam Deo acceptũ nõ fit. Vt exẽpli gratia: Voluntas Dei erat, & bonũ erat, incensum offerre Deo, verũ acceptũ illi nõ erat, cùm fieret à Dathan & Abiron. Vides Brenti, quam nullam causam habueris, cur tam acerbis conuitijs in virum pietate præstantem debacchareris? Sed quid faceret aliud progenies viperarum?

*Neq; scripturis neq; praxi Ecclesiæ contentaneum est principes de doctrina cognoscere.*

Falsum est autem, quod non rectè Regis hoc exemplum accommodari dicis ad eos q cognoscunt de doctrina: quodq; asseris cognoscere doctrinam veræ religionis, & iudicare in controuersia, de varijs sententijs partium in doctrina verbi Dei, non est solius familiæ Aaronis, sed cuiusuis pij hominis in populo Dei, ac præcipuè Regum & Principum: illius quidem vt priuati, horum autem vt publici Magistratus. Profer quæso vel vnum scripturæ locum Brenti, vbi ex Regis ore legem requirere Deus iusserit: sicut nos ex Malachia, ex Aggæo, ex Deuteronomio testimonia produximus, quibus docuimus, sacerdotes interrogandos esse legem: ad sacerdotes referendum esse, si quid fuerit difficile & ambiguum: herbam tibi non inuiti dabimus. Non scriptura modò, verùm & Ecclesiæ totius praxis iam inde ab Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra, huic tuæ sententiæ reclamat, sicut suo loco demonstrabimus. Quamobrem non minus peccat princeps, cùm cognoscit doctrinam veræ religionis, & iudicat in controuersia de varijs sententijs partium in doctrina verbi Dei, q̃ cùm vsurpat sibi officium adolendi thymiamatis. Quod si verò tantum hoc peccatum est in principe, quantò maius est flagitium in priuato? Fides nostra Brenti, non est huius aut illius prouinciæ, multo minus huius aut illius priuati hominis, sed vocatur, & est, Catholica: verùm apud vos, aut suam quisq; priuatam & solitariã fidem habet, aut ita credit, sicut princeps iusserit.

*Brentius probare conatur, priuatos fas esse de doctrina iudicare. Dem. 13.*

Pergit docere Brẽtius, q̃ etiam priuatũ hominem de doctrina religionis iudicare fas est. Lex, inquit, Mosis armat manus cuiusuis etiam priuati hominis, aduersus eũ qui suadet idololatriã sectandã. Si tibi, inquit, voluerit persuadere frater tuus clã, dicens, Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu & patres tui, nõ acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eũ: sed statim interficies. Sit primùm manus tua super eũ, & post te omnis populus mittat manum. Qui iubet quemuis etiam priuatum hominem in Ecclesia populi Dei tam sæueriter animaduertere in suasorem idololatriæ, an non eadẽ severitate exigit, vt de idololatria iudicet, ac alienos deos à vero Deo diligenter discernat? Quòd, si maiores nostri exercuissent sæueritatem huius legis aduersum eos, qui primi deserta doctrina prophetica & Apostolica, introduxerunt in Ecclesiam filij Dei noua, & aliena sacra, quæ ignorauerũt patres nostri, nouas & impias sectas monasticas, quas detestatur verbum Dei, nouam & Aristotelicam doctrinam religionis, quam abominatur Euangeliũ Christi, non dubitamus quin rectius sese haberent res Christianorum, & tranquilior esset Ecclesia filij Dei. Quid autem Brenti, si non modò priuatus aliquis ex vulgò, verùm & tu, qui tibi cæteris cautus & prudẽs esse videris, idololatriam esse iudices, qui est ipsissimus Dei cultus? Nunc audi qui sint hi dij alieni, quos prohibet sequi scriptura. Audi autem non me, qui mihi nullam auctoritatem arrogo, sed eos, qui vixerunt ante mille ducentos propè annos, in quibus Dei spiritum loquutum esse, persuasum habeamus. Ac primo loco virum illum excellenti pietate doctrinaq; ac singulari quadam persuadendi vi præditum Vincentium Lyrinensem: Vetus, inquit, Testamentum allegorico sermone deos alienos appellare cõsuerunt noua dogmata: eò quòd scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à gentilibus dij sui obseruentur. In quam sententiam etiam scribit æqualis eius Augustinus: Est, inquit, alius deterior & inferior cultus simulachrorum, quo phantasmata sua colũt, & quicquid animo errante, cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant. De cuius generis phantasmatibus illũ etiam Iosue locũ exponit: Auferte deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum vestrum: Et illum Ezechielis: De auro meo, & argento meo, fecisti tibi imagines. Itidem & Hieronymus, explicans illud Oseæ: Argentum & aurum suum fecerunt sibi idola vt interirent. Sed & illum locum enarrans: Repleta est terra idolis, opera manuum suarum adorauerunt, & incuruauit se homo, & humiliatus est vir: idola interpretatur dogmata veritati contraria. Et iterum alio loco: Non ea tantùm quæ manu fiunt artificis, de quibus scriptum est: Simulachra gentium argẽtum & aurum, opera manuum hominum, rectè vocari dicit idola, verùm etiam hæreticorũ peruersam doctrinam, quæ quodcũq; simulauerit, vertit in idolum, & pro Christo facit adorari Antichristum.

*Vincent. Lyrinens. Hæreses & errores idola ac dij alient. Iosuæ 23. Aug. Qu. ex. 29. super Iosuæ, & de baptismo cont. Donat. cap. 23. Hier. in Oseæ 8. Idem in Esaiæ 2. Hier. in Zach. c. 13.*

Aduersus vos igitur Brenti, lex ista Mosi manus cuiusuis armat: vos enim estis, qui dogmata vestra noua imperitæ multitudini colenda, & adoranda tanquam idola quædam proponitis. Dicit Lutherus: Quod ego doceo, Dei verbum est, & purum Euangelium: statim se

*Hæretici dogmata sua velut idola adoranda proponunt.*

ætatores eius adorant, & incuruantur coram idolo. Dicunt idem Zuinglius, & Caluinus, dicunt Anabaptistæ, dicunt Seruetus & Campanus, dicunt alij nonnulli hæretici: proferunt examina scripturarum in prauum sensum detortarum: mox hominis, vel diaboli potius per hominem loquentis verbum pro Dei verbo, proq; Christi Euangelio miseri homines amplectuntur, & adorant, & coram idolis incuruantur. Horrenda hæc est idololatria Brenti, contra quam lex Mosi meritò manus armat omnium. Quid enim ex eo consequitur aliud, quàm cùm vnaquæq; secta suum verbum, verbum Dei esse iactet, vt miseri mortales qui sedu cuntur ab istis, tot deos habeant, quot sunt hæresiarchæ? Sed audi quemadmodum hunc locum tractet Vincentius: Scribit, inquit, in Deuteronomio B. Moses, Si surrexerit in medio tui Propheta, aut somnium se quis vidisse dicat: id est Magister in Ecclesia constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitrantur: & dixerit tibi, Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, vt seruiamus eis: Qui sunt dij alieni, nisi errores ex-

*Vincent. Lyrinens.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tranei? quos ignorabas,id est,noui & inauditi: & seruiamus eis,id est,credamus eis,sequamur eos. Quid ad extremum? Non audias,inquit,verba Prophetæ illius. Vos notat hæc lex Brenti: vos non audiri iubet: de vobis hoc statui præcipit,quod tu maioribus litteris,(STATIM INTERFICIAS) scribi feciſti. Quod si factum fuisset anno ab hinc quadragesimo ferè,quando primùm deserta doctrina Prophetica & Apostolica,introduxistis in Ecclesiam filij Dei noua & aliena sacra, quæ ignorauerunt Patres nostri, nouas & impias sectas Aërij, Manichæi,Iouiniani,Vigilantij,Berengarij,Iconomachorum,Petrobrussianorum,Henricianorum,Valdensium,VVicleffi,& aliorum pridem damnatorum hæreticorum,quas detestatur verbum Dei,quas execrata semper est Ecclesia Dei, nouam & hæreticam doctrinam religionis,quam abominatur Euangelium Christi,si statim initio qui cùm potestate versabãtur,exercuissent seueritatem huius legis aduersus vos nec impia vestra dogmata,postea quàm semel Põtificis,cuius proprium hoc est munus,iudicio damnata sunt,radices in multorum animis agere permisissent,non dubitamus, quin se rectius haberent res Christianorum,& tranquillior esset Ecclesia filij Dei. Certè nunquam in magnas istas calamitates incidisset Germania,quas tantas tulit ex istis sectis vestris tam dissectis,vt si cum numerosissimo exercitu Turcarum tyrannus eam peragrasset,maiores inferre non potuisset. Nam nõ corpora modò miserorum hominum vos occidistis,verùm & innumerabiles animas gehennæ sempiternis incendijs tradidistis. Sed ad institutum.

*Quæ hæreses ex antiquis illis sectarij resuscitarint.*

*Plus calamitatis illatum Germaniæ ab hæreticis, quam inferre Turcæ potuisset.*

Profert legem Brentius ex Deuteronomio: Docete,inquit Iex,filios vestros,vt illa,videlicet legis verba,meditentur. Verum quid ad rem? Monemus & nos patres familias,vt suos pueros doceant Orationem Dominicam,Salutationem Angelicam,Symbolum,Decalogũ, quæ si quis eos non docuerit,graui reprehensione dignus censetur. Num autem ideò datur eis facultas de doctrina religionis iudicandi? Nihil igitur aliud hactenus,q̃ quod prouerbio dici solet: Extra chorum saltauit Brentius. Nunc tandem aliquid ad rem velle dicere videtur. Proponit enim nobis Dauidis,Salomonis,Ezechiæ,Iosaphat,Iosiæ Regum exempla. Liceret nobis ad ea respondere,quod in decretis canonicis legimus. Miracula & maximè vetera Testamenti sunt admiranda, non ad exemplum nostræ actionis trahenda. Possemus & illud dicere, quod à Gregorio Nazianzeno scriptum est: Non cõtinuò legem Ecclesijs dari, si semel aliquando,aut raro aliquid tale factum est: quodq̃ discipulus eius scripsit Hieronymus: Priuilegia paucorum non faciunt legem communem. Sed prius facta singulorum excutiamus,& num aliquid ad rem faciant,qua de agitur,videamus: Quantus,inquit,iste Daniel, quid in docenda pietate & constituendis sacris? At nos exemplum eius rei nobis ostendi cupiebamus,vbi iudicasset Dauid de doctrina religionis. Docuit pietatem Dauid,nunquid in Ecclesia publicè? Profer scripturam,vbi doctoris officio sit functus in Ecclesia. Scripsit Psalmos aliquot,si quid Athanasio credimus,quinq̃ tantùm. Quid ni scriberet? Ne nunc quidem Regi prohibetur,aut Principi, quò minus aut rythmos, aut Psalmos, aut carmina scribat, quibus Dei laudes celebret. Scribimus indocti,doctiq̃ poëmata passim. Scripsit Iustinus Philosophus,qui nullo sacerdotio fuctus legitur,præclara volumina, quibus fidem Christi contra Gentes tutatus est. Scripsit & Apollonius vrbis Romanæ Senator. Scripsit Minutius causidicus quidam Romæ,scripserunt & alij multi,quos enumerat Hieronymus. Nemo est, qui non laudi hoc illis potius,quàm vitio tribuendum existimet. Mittamus veteres: nostro quoq; seculo scripsit Henricus Rex Angliæ contra vestrum idolum Iflebiense,& egregiè doctrinam Ecclesiæ de Sacramentis tutatus est. Num quis factum hoc illius reprehensione dignum iudicauit? Ipsa quoq; sedes Apostolica tantùm abest vt reprehenderet,vt etiam elogium illũ illi defensoris fidei tribueret. Vtinã aũt is qualis cœperat vsq; ad finem perseuerasset,neq; dum se caput Ecclesiæ constituit Anglicanę,ab orbe se Christiano præcidisset: certè laude sibi debita non caruisset. Fecit idem & Albertus pius Carporum Princeps: fecit & ille Ciceronis diligens imitator Christophorus Longolius, homo priuatus, neq; sacris vllis initiatus,vt interea silentio præteream & alios multos, & Picos illos Mirandulanos comites,viros excellenti doctrina præditos: Nemo est qui studium hoc illorum non esse putet laudibus efferendum. Quamobrem & sanctum Dauid laudamus, quòd spiritu Dei plenus, Psalmos conscripserit,quibus Dei laudes celebraret,& homines ad pietatem inuitaret. Ac quò minus id faciant illius exemplo alij quoque Reges,& Principes,quibus dona sua Spiritus sanctus impartiri dignatus est,non prohibemus. Quòd autem dicis eum sacra constituisse,nunquid talia constituit qualia vos? Nunquid abiecit vetera,noua fecit omnia? Nunquid sibi sacerdotale munus aliquod vsurpauit? Nihil tale loquitur de eo scriptura. Quin si quid tale feciſſet,Oziæ & Ozæ pœnam non effugisset. Verùm dicit scriptura, eum constituisse quater mille ianitores, & totidem psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. Pium opus & laude dignum. Fecit etiam hoc sanctus pater tuus,Serenissimus Rex,non ita pridem in Christo defunctus: Ædificauit sacellum, quod facere Dauid prohibitus est, egregio quodam opere,magnoq; sumptu: instituit in eo psaltes, qui Deo laudes decantarent: dotauit etiam non paucos Ecclesiæ ministros, qui quotidie sacrum illud peragerent: quo fit eius rei memoria potissimum, quemadmodum Angelus Gabriel parituram Virginem,ex qua mundi salus nasceretur,annunciauit. Fecit idem & auia tua Alberti Romanorum,Hungariæ,& Bohemiæ Regis filia, soror Regis, vxor Regis mater quatuor Regum: instituit & ipsa psaltes,qui singulis diebus officium de passione Dominica decantarent,& sacrum,in quo potissimum eius fit commemoratio,peragerent. Fecerunt & alij maiores tui,quos enumerare nunc necesse non est. Fecerunt autem summa cum laude pietatis & religionis. Sed nunquid similia sacra constituerunt ij, quorum causam suscepit Brentius? nihil minus. Quin ea quæ sunt per maiores suos constituta, auctore Brentio, euerterunt potiùs. Itaque contra se testimonia proferre videtur Brentius,ac eos ipsos damnare,quorum

*Argumentatione ex lege Deut. 11.*

*Responsio. Obiectio ab exemplis veteris legis. 2. Quæst. 7. Petrus paragra. Daniel. Nazian. in sermone in sancta luminaria Epiphaniorum. Hier. in 1. ca. Ionæ*

*De exemplo Danielis.*

*Athæ. in Synopsi diuinæ scripturæ.*

*Iustinus Philosophus. Apollonius. Minutius. Hier. de viris illustribus. Henricus Rex Angliæ.*

*Albertus pius. Christ. Longolius. Pici Mirandul.*

*2. Par. 13. Pietas patris & auiæ Regis Poloniæ Sigismundi.*



rum auctoritatis assertor videri vult. Sic suo se ipse gladio iugulat. Nihil igitur ostendit adhuc,vbi de doctrina religionis iudicium sibi Dauid sumpserit: quin illud potiùs iudicauit, quæ sacra sunt à pijs principibus instituta,ea p summã impietatẽ à suis esse euersa. Quod autem diximus de Dauide,idem de Solomone quoq; sibi responsum esse putet.

Sed Iosaphat,inquit,abstulit excelsa & lucos de Iuda,& reformauit missis in vrbes regni sui nõ sacerdotibus tãtũ,sed ét principibus suis,Ecclesiã Dei. Abstulisse excelsa,& lucos de Iuda Iosaphat legimus, quòd aũt reformauerit Ecclesiam, necin Regum nec in Paralipomenon libris alicubi reperitur. Sic autem legitur in libro Paralipomenon: Quod misit Iosaphat de principibus suis Benhail,& Obdiam,& Zachariam,& Nathanalem, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda,& cum ijs Leuitas, Semeiam, Nathaiam, &c. & cum eis Elisama,& Ioram Sacerdotes,docebantq́e populum in Iuda,&cæt. Misit igitur Prophetas, Leuitas,& Sacerdotes,qui populum docerent: misit cum eis etiam,sicut scribit commentator,aliquot ex principibus suis,vt populum inducerent ad obediendum,& punirent rebelles,si quos inuenirent. Et hic locus Brenti,magis aduersatur tibi,quàm,vt quam tu vis,eam sententiam confirmet. Sed audi quid sequatur in eodem libro: Constituit,inquit,Iosaphat Leuitas,& Sacerdotes,& Principes familiarum ex Israël,vt iudicium & causam Domini iudicarent,præcepitq́e eis: Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum,vbicunque quæstio est de lege,de mandato,de cæremonijs,de iustificationibus,ostendite eis,&c. Amazias autem Sacerdos & Pontifex vester,in ijs quæ ad Dominum pertinent,præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Quid hæc sibi verba volunt Brenti? An non apertissimè sententiam tuam oppugnant? Quid enim hic aliud facit Iosaphat, quàm quod in Deuteronomio præceptum fuisse commemorauimus? Vult vt omnis quæstio de lege, de mandato, de cæremonijs,de iustificationibus non ab alijs decidatur, quàm à Leuitis & Sacerdotibus. Deinde verò potuit ne magis apertè, quàm hoc loco fecit, quod sit Sacerdotis & Pontificis ac Regis discrimen indicare? quando dicit, Amaziam Pontificem in ijs, quæ ad Dominum Deum: Zabadiam in ijs, quæ ad Regis officium pertinent, præsidere debere. Quæso te Brenti, pertinererẽne putas ad Deum religionem, siue doctrinam religionis? Quod si putas,id quod res est, ad Deum pertinere, cur à Rege potiùs quàm à Pontifice iudicari vis, contra tam manifestam scripturam? Sed qui tantoperè de scripturis gloriaris,hunc scripturæ locum nunquam inspexisse videris. Vide autem num,& nos ijsdem te lædorijs hoc loco perstringere possemus, quibus tu, cùm nullam etiam legitimam causam habeas,venerabilem virum Petrum à Soto toties perstrinxisti? Verùm de re proposita dicere malumus. Nihil fecerunt ab officio piorum Regum alienum,Iosaphat, Ezechias, Iosias, quòd ab Episcopis & Sacerdotibus admoniti, excelsa & lucos de Iuda abstulerũt, quòd aliquos etiã de suis Principibus miserunt, qui populum in ijs quæ sunt ad Deum parere Pontificii iuberent, qui iuxta legem in Deuteronomio conscriptam,non ab alijs quàm Leuitis & Sacerdotibus, de lege,de mandato,de cæremonijs,de iustificationibus iudicium fieri procurarent. Quid autem & priscis illis seculis,& hoc nostro,maiore studio contenderunt à suis Regibus & Principibus Sacerdotes & Episcopi Catholici & Orthodoxi, quàm vt exemplo piorum istorum Regum auferrent excelsa,& lucos de Iuda,vt iudicium de lege Domini ne permitterent alijs,quàm ad quos propriè pertinere videtur,Sacerdotibus & Episcopis? vt si viderent alicubi sacrilegum altare contra legitimum erectum,pestilentiæ & mendacij cathedram contra veritatis cathedram constitutam,eueſtigiò nulla prorsus mora interposita, demolirentur & euerterent. Hoc semper ab Imperatoribus & Regibus Christianis Episcopi petiuerunt,hoc petunt etiam nunc. Quid enim possumus nos Episcopi, qui nullam nostram habemus priuatam,sed Catholicam fidem tuemur & retinemus? Quid aliud possumus quàm docere,monere,deniq; doctrina religionis iudicare? Si comperta fuerit impia & hæretica,eã condemnare,sectatores eius è cœtu piorum eijcere. Verum est autem quod à Paulo scribitur. Quamobrem,cùm nihil hac ratione proficimus,quid aliud nobis faciendum restat,q̃ vt Regum & Principum nostrorum officium imploremus,vt & eos hortemur,oremus,& obsecremus,quò piorum Regum horum exemplo excelsa vestra,hoc est,altitudinem vestram hæreticorum extollentem se aduersus scientiam Dei (qui sic inflati estis sensu carnis vestræ, vt iam non contenti sitis esse similes Altissimo, sicut Cherub ille, qui propterea detractus est in profundum laci: verùm etiam supra Altissimum esse contendatis, dum de Altissimi, hoc est, de Spiritus sancti decretis in Concilijs, quæ legitimè congregata sunt, sanctis, iudicandi potestatem vobis arrogatis) vt hanc altitudinem vestram destruant, vt auferant hæc excelsa vestra simul & lucos. Nam quoties ad Catholicorum ciuitates venitis, non ferè nisi in lucis, hoc est, in tenebris, in opacis locis, in angulis excelsa ista dogmata vestra, in quibus mirum in modum vobis placetis, rudibus inculcare consueuistis. Hoc si fecisset Carolus Imperator, sistatim initio excelsa ista vestra & lucos de Iuda, de Ecclesia DEI, abstulisset, meliore nunc statu esset religio Christiana, neque tot fuisset infortunijs Germania mactata. Verùm nihil est, quòd quis religiosissimo Imperatori quasi negligentiæ crimen obijcere velit. Fuit ille voluntate magis promptus, quàm facultate paratus ad excelsa ista vestra, & lucos auferendos. Sed peccatis nostris factum est, vt per quos minimè oportebat, sanctæ cogitationes illius, quò minus ad rem conferri possent, impedirentur.

*Responsio. De exemplo Iosaphat.*

*2. Par. 17.*

*2. Par. 19.*

*Exemplo Iosaphat. Brentius redarguitur suoq; telo iugulatur.*

*Episcopi principum implorant auxilium aduersus hæreticos & illorum idola.*

*Ad Tit. 3.*

*Hæreticorum plus quàm Satanica superbia.*

*Caroli quinti Imperatoris animus erga Ecclesiam.*

Tu verò Sigismũde Rex Auguste, potes adhuc exemplo piorum Regum horum, excelsa ista,& lucos istos ac Lukiskos de Iuda, hoc est, de Ecclesia verè Deũ confitentium, quã tibi tuen-

*Ad Poloniæ Reges adhortatio Episcopi digna.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tuendam ille commisit, auferre. Potes vel nutu saltem magno tui nominis decore, magna subiectæ tibi Polonæ gentis infamia cathedras contra cathedras cõstitutas euertere: potes altaria contra altaria erecta, demoliri: potes non ita magno negotio, modò velle te homines intelligant efficere, vt multitudinis credentium sit cor vnum, & anima vna. Nam in regno tuo (Deo sit gratia) nondum eò res processerunt, quò, proh dolor, in finitima nobis Germania progressas esse videmus. Facilius nascens malum opprimi potest, quàm quòd iam est inueteratum. Quamobrem principijs obsta, ne quod sequitur, occini tibi, quod absit, posteà queat, serò medicina paratur. Vidisti iam quæ loca protulerit è scripturis Brentius. Quid autem is aliud, q̃ tela nobis, quibus oppugnari per nos posset, suppeditauit? Mihi certè nonnũquam in mentem venit subuereri, ne sibi Petrus à Soto præuaricatorem eum apposuisse videatur. Sic omnia, prudens an imprudens diuinare non possum, diligenter produxit, quæ ad eam, quam confirmandam suscepit causam, infirmandam pertinere videntur.

*Obiectio Brentij ab allegorico sensu legis.*

Incipit iam tandem ἀλλεγορικῶς explicare legem illam, quæ iubet Sacerdotes tantum Aaronis sacrum adolere thymiama. Quamuis autem nihil hoc ad præsens institutum faciat, ne sibi tamen allegorica ista interpretatione nimis placeat, simul vt pij fraudes istorum intelligant, nec eorum illecebris inescari se patiantur, libet hac quoq; de re pauca verba facere. Adolere, inquit, thymiama, significat placationem cœlestis iræ. Ac voluit Spiritus sanctus, vt soli Aaronici Sacerdotes thymiama adolerẽt, quo significaretur, solum Iesum Christum filium Dei, cuius illi vmbra fuerunt, solo suo thymiamate, sola sua intercessione, passione & morte placare iram Dei patris, & reconciliare ei hominum genus. Sorbonici autem & Asotici tribuunt hanc maiestatem & virtutem non soli personæ Christi, sed etiam operibus aliorum hominum: Nec tamẽ ijs operibus quæ fiunt ex præscripto verbi Dei, verumetiam ijs, quæ ipsi somniant, & ad gloriam Dei illustrandam suo ipsorum sensu excogitãt. Etsi enim negantur, opera habere hanc virtutem non ex se, sed ex gratia, tamen anteà demonstratum est, quòd impietas & idololatria sit, creaturæ tribuerẽ, quod soli diuinæ maiestati, & soli personæ Christi conuenit. Quare manifestum est, quòd Sorbonici & Asotici legem de adolendo thymiamate ita perstringunt, vt digni sint non corporali tantùm lepra, ficut Ozias, verumetiam æterna ignis gehenna. Quod supplicium, nisi resipiscant, proculdubiò euadere non possunt.

*Responsio.*

Quòd adolere thymiama significauerit placationem cœlestis iræ, non grauatim tibi concedimus. Sed nec illud diffitemur, sacerdotium Aaronis figuram & vmbram fuisse sacerdotij, quo functus est Christus in ara crucis, vbi semetipsum tradidit oblationem & hostiã Deo in odorem suauitatis, cui nos per sacrificium hoc reconciliauit, vnum cum illo manens, cui offerebatur: vnum in se faciens, pro quibus offerebatur: vnum existens ipse, qui offerebat, & quod offerebatur. Quod aũt asseris, propterea solos Aaroniticos Sacerdotes thymiama adolere, quo significaretur solum Iesum Christum filium Dei, cuius illi vmbra fuerunt, solo suo thymiamate, sola sua intercessione, passione, & morte placare iram Dei patris, & reconciliare ei humanum genus, Sorbonicos autem & Asoticos Prælatos tribuere hanc maiestatem & virtutem non soli personæ Christi, sed etiam operibus hominum, &c. Quos tu Sorbonicos & Asoticos voces, aut quid ijs verbis tibi velis, non satis assequimur. Nã si quia Sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech Christus est, ideò nullos iam dici & esse vis sacerdotes: si quia mediator & reconciliator noster Christus est, ideò nullos vis dici mediatores alios & reconciliatores: si quia sedens ad dexteram patris Christus interpellat pro nobis, ideò non vis vt ipsi quoq; alter pro altero interpellemus, vide, ne quos fortasse non vis, eos Sorbonicos & Asoticos Prælatos voces. Quid est enim, aut quid fuit ab Apostolorum temporibus magis vsitatum in Ecclesia, quàm vt Ecclesiæ ministri sacerdotes vocarentur, ex eo præsertim tempore, quo desijt Iudæorum sacerdotium?

*Etiam sacerdotes vocari mediatores & reconciliatores.*
*Cyp. lib. 1. epist. 3.*
*Nazia. in Apologet.*
*Hier. in Mala. c. 2.*
*Ambro. in oratione priore præparatoria ad missam.*
*Chrys. de verbis Esaiæ, hom. 5.*

Iam verò quòd mediatores reconciliatores ijdem vocãtur, non minus & illud vetus est. Sanctus ille Martyr & Episcopus Cyprianus, Sacerdotibus, inquit, maior labor incumbit in asserenda, propitianda, & procuranda Dei maiestate. Apertius autem Gregorius Nazianzenus, qui speciale sacerdotis officium esse dicit, populi mediatorem apud Deum effici. Qui & Basilium vocat mediatorem inter Deum & hominem. Quem præceptorem suum sequutus Hieronymus, vocat Sacerdotem Dei sequestrum & hominum. Et æqualis horum Ambrosius Iesum alloquens: Quoniam, inquit, me peccatorem, inter te, & eundem populum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses: nec per me indignum famulum tuum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus, salutaris dignatus es esse redemptio. Ad eundem modum Ioannes quoque Chrysostomus, medium stare dicit sacerdotem inter Deum & humanam naturam, illinc venientia beneficia ad nos deferentem, & nostras petitiones illuc proferentem, Dominum iratum vtrique naturæ reconciliantem, & nos, qui offendimus, ex illius mandatis erigentem. Vides quid iste sacerdoti tribuat? Sed audi quid alio loco dicat: Sacerdotem, n. ait, pro vniuerso orbe legatum intercedere, deprecatorem q̃ esse apud Deũ, vt hominum omnium non viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, Itaque quàsi mundus vniuersus illi concreditus, atque omnium sit pater, sic ipsum ad Deum accedere. Ac paulò post: Cùm autem ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore acreuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus admodũ pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? Per id tempus & angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Et qui fuit hic omnibus vetustior Anacletus, quartus à Petro Pontifex Romanus. Sicut, inquit, ipse filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos vice illius in Ecclesia estis constituti, vt

*Ibid. li. 6. de sacerdotio.*

*Anacletus Pont.*



vt inter Deum & homines legatione eius fungamini. Hæc ille, scribens ad Episcopos per diuersas regiones constitutos. Et qui fuit successor eius Celestinus: Cùm, inquit, sanctarũ plebium præsules mandata sibi legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum ingemiscente Ecclesia, postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides. Gregorius quoq; Magnus successor huius: Quid Antistes, inquit, ad Dominum, nisi pro delictis intercessor quidam eligitur? Vides quemadmodum hi omnes & mediatores, & reconciliatores, & sacerdotes, ac legatos, & intercessores vocant eos, quos vos nihil aliud esse vultis, quàm Ecclesiæ ministros. Num & hos tu Sorbonicos & Asoticos Prælatos esse dices?

*Celestin. epi. 1.*
*Greg. li. 1. epi. 24.*

Neq; tamen vel horum, vel posteriorum quisquam, qui vulgò vocantur Scholastici, tribuit hoc vnquàm Ecclesiæ ministris, quod proprium est filij Dei munus, vt eos ad eundem modum legatos, mediatores, intercessores, reconciliatores esse diceret, quemadmodum ipsi Christo vero Dei filio hæc omnia competunt: Nihil enim aliud eis tribuunt, quàm quod à Paulo tribuitur: Deus, inquit, ille, nos reconciliauit per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quid autem dixit aliud Apostolus, quam quod anteà dixerat ipse Christus? Pax, inquit, vobis. Sicut me misit pater, & ego mitto vos. Quam autem ad rem pater misit filium, nisi vt inter Deum & homines pacem faceret? Ad hanc ipsam rem suos quoq; misit in vniuersum orbem Sacerdotes & Episcopos, vt eorum ministerio reconciliarentur Deo: si qui se ab illo disiunxissent, peccatisq; suis eum offendissent. Quod ergo dixit Christus, Misit me pater, idem est cum eo, quod dicit Apostolus, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quod verò subiungit, Ita & ego mitto vos, idem est cum eo quod idem dicit Apostolus: Posuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Christo legatione fungimur: & Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quamobrem non contentus semel dicere, dixit repetita vice, Pax vobis, vt indicaret se & pacem illis fecisse, & pacem per illos mittere nobis.

*Scholastici non tribuunt sacerdotibus quod vni Christo ferri debet accepta.*
*2. Cor. 5.*
*Ioan. 20.*

Vides igitur qua ratione dicatur Sacerdos, Mediator, Legatus, Reconciliator Christus Dei filius, qua rursus ratione eadem omnia ministris Ecclesiæ sacerdotibus tribuãtur. Christus hæc omnia est, virtute sua, qui per sanguinem suum reconciliauit nos Deo patri. In homine sacerdote nihil est præter ministerium. Quo quidem fungitur is primùm, cùm annunciat populo per Christum in cruce pro nobis passum & mortuum, peccatorum remissionẽ nobis obtentam, ac Deo Patri nos esse reconciliatos. Deinde cùm eum admonet, quãdoquidem facta iam sunt per Christum omnia, quæ ad reconciliandum Deo patri genus humanũ pertinerent, vt ex ipsius Christi parte nihil desit hominibus ad salutem consequendam, vt ne sibi deesse velint ipsi, sed pro se quisq; reconciliari Deo studeat: nec existiment solũm hoc sufficere, si sciant & credant, quòd cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortẽ filij eius, sed requiri præter ea, vt ipsi adferant aliquid ad reconciliationis illius in cruce factæ fructum in se transferendum, vt peccata sua detestentur, vt conuertantur ad Dñm, vt in illo spem & fiduciam suam collocent, vt illius amore inflammentur, ac per fidem viuam, & per sacramentorum susceptionem illud efficere conentur, vt quem fructum vniuerso mũdo Christi mos attulit, eius participes esse queãt: quo quidem tempore legatione fungitur, & reconciliationis ministeriũ exequitur sacerdos apud homines pro Christo capite. Quando autem stans ad altare, eam quæ perfusum in cruce Christi sanguinem facta est reconciliationem, Deo patri offerens, atq; illius eum commonefacies, in totius Ecclesiæ personã supplex rogat, vt illius reconciliationis virtute populo suo propitius esse, ac fructum illius ad ipsum redundare velit: legatione fungitur & reconciliationis ministerium exequitur apud patrem cœlestem pro Christi corpore, Ecclesia. Nihil hic igitur Christo detrahitur: nisi fortè quia Christus interpellat pro nobis, ideò detrahitur Christo, quòd sacerdos etiam interpellat: qui non solùm tunc legatus est, & reconciliationis minister, quando prædicat Euangelium, verumetiam cùm baptizat, cùm pœnitentem absoluit, cùm Eucharistiæ sacramentum porrigit, cùm orat pro populo, cùm corporis & sanguinis Christi sacrificium offert. In omnibus his reconciliationis est minister: quam non modò verbis prædicat, verumetiam habitu & actione repræsentat: ac quemadmodum ea facta sit in cruce sub aspectum astantis populi, subijcit, atq; omnia facit, vt fidei suę commissus populus, recõciliationis in cruce factę, fructum consequi possit: Quam ad rem non alio vtitur mediatore, quàm ipso Christo. Illius enim corpus, illius sanguinẽ offert Deo patri: illius pretij quo redemptus & reconciliatus est ei mundus, ipsum commonefacit, nec per alium petit, quàm per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem preces suas omnes concludit: quandoquidem illum esse verum sacerdotem, verum mediatorem, reconciliatorem, interpellatorem agnoscit. Ille est qui baptizat, ille est qui peccata remittit, ille est qui reconciliat, ille est qui interpellat pro nobis, ille est qui docet, ille est qui consecrat Eucharistiam, ille est qui porrigit sumere volentibus, ille est qui offert corporis & sanguinis sui sacrificium, sacerdos manus tantùm & linguam accommodat. Itaq; virtus omnis & efficacia, non est vnquã tributa nisi vnico mediatori Christo, nisi vnico illi sacrificio, quo se ille obtulit in ara crucis. Sacerdoti nihil est attributũ præter ministerium.

*Rom. 5.*

*Aliter atque aliter Christo & sacerdotibus competũt hæc nomina sacerdotis, mediatoris, legati reconciliatoris.*

Quamobrem nihil habes quod quiriteris Brenti. Non tribuimus creaturæ, quod est solius diuinæ maiestatis, quodq; soli conuenit Christi personæ. Quò magis autem ita rem habere cognoscas, omnem nos gloriam in solum Christum transferre, etiamsi peccator sit minister, non ideò minus valere putamus, quòd manibus illius offertur sacrificium.

*Omnis gloria in solũ Christũ à sacerdote, quamuis mediatore, transfertur.*

Nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quid scholasticis opus operans & operatum.*

Nihil enim tribuimus hominis operi per se consideratо, sicut falsò tu nos insimulas: sed omnia referimus ad illud Christi solius opus, quo se pro nobis Deo patri victimam obtulit in ara crucis. Et hoc est quod à scholasticis dicitur, missam valere ex opere operato, non autè ex opere operantis. Opus operans appellare placuit, siue sacerdotis actionem, quod Antisiodorensi visum est, siue sacerdotem ipsum sacris operantem. Sic enim loquitur Innocentius: Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas Medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamuis igitur opus operans aliquandо sit immundus, semper tamen opus operatum est mundum. Opus operans vocat hic Innocentius ministru sacerdotem. Opus autem operatum vocant Scholastici, rem immolatam. Cùm itaq; docet missam ex opere operato valere, quid aliud videntur docere, quàm non esse personam aut actionem sacerdotis attendendam, verùm ipsam, quæ præsens est in altari, rem immolatã, ipsum verum Christi corpus, quod pro nobis traditum est, ipsum verum Christi sanguiné, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum nostrorum. Huius pro nobis traditi corporis, huius pro nobis fusi sanguinis virtute, non merito sacerdotis aut actione fieri, vt cum Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, & ea quæ petimus consequamur omnia. Potuit autem dici magis pium aliquid, aut veritati Christianæ magis cõsentaneũ? Quid enim? An non omnem hac ratione fiduciam ab homine transferunt, & in sola Christi passione, (nam passio Christi est sacrificium quod offerimus) collocari iubent? cũ Prophetа dicentes: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Nolunt vt quisquam in sanctitate vel in externo sacerdotis opere spem suã defixã habeat, verùm in agno illo immaculato, cuius pretioso sanguine redẽpti sumus: Hic est, qui tollit peccata mũdi: hic est in cuius nomine si quid petierimus patrẽ, dabit nobis. Hic est verus aduocatus, mediator, & recõciliator noster. Homo sacerdos, minister tantùm est reconciliationis: ministeriũ enim reconciliationis dedit ille Deus. Vera, ppitiatio, vera pro peccatis nostris recciliatio, verus sacerdos in æternũ, solus sanctus & immaculatus Pontifex, q& exauditus est, & exauditur semper pro suaue uerẽtia, non est alius quàm ille, qui per propriũ sanguinẽ introiuit semel in Sancta, qui sedens ad dexteram patris, etiam nunc interpellat pro nobis Dominus noster Iesus Christus. Cuius corporis & sanguinis sacramentum, cùm præsens adsit in altari, cum subijciatur sub oculos adstantium, quemadmodum ille semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: in huius sacramẽti præsentia, sicut à sancto martyre Cypriano scriptũ est, nõ superuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam.

*Hier. 17.*
*1. Pet. 1.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 15.*
*2. Cor. 5.*
*Heb. 3.*
*Heb. 9.*
*Rom. 8.*
*Heb. 9*
*Cypr. serm. de cœna Domini.*

Hæc est eorum doctrina, quos tu Asoticos & Sorbonicos Prælatos vocas. Quæso autem te, num tribuunt creaturæ, quod soli diuinę maiestati, & soli personæ Christi cõuenit? Quòd certiùs autem cognoscas, ita rem habere sicut diximus, quamuis multi sint, qui tractẽt quæstionem hanc, vtrùm sacerdotis mali Missa tantundem valeat, quantùm boni (tractat enim eam, 1. Thomas de Aquino, 2. præceptor eius Albertus, 3. Bonauentura, 4. Ioannes Gerson, 5. Gabriel Biel, & alij nonnulli) nos tamen vel vnius Ioannis Scoti testimonio contenti erimus, & eius verba paucis adscribemus: Missa, inquit ille, non solùm valet virtute meriti siue operis operantis, sed etiam virtute sacrificij & operis operati. Vel non solum valet virtute meriti personalis sacerdotis offerentis, verumetiam virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cuius persona per ministrum communem offertur sacrificium. Alioqui missa mali sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia: quod reputatur communiter inconueniens. Et rationabiliter iuxta illud Ioannis: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quandoquidem enim Christus vt summus sacerdos offert, panis quem dat, id est, caro eius, est mundi vita. Hic dices Brenti: Vel hæc ipsa verba plane faciunt ita esse, quemadmodum à nobis commemoratum est, quòd virtutem reconciliationis non soli personæ Christi tribuitis, verumetiam operi sacerdotis. Audi quæso Brenti: Duas personas sustinere sacerdotem docemus, vnam Christi capitis, cum consecrat, siue sanctificat, offert, distribuit. Tunc manus, lingua, ministerium hominis est mortalis, ipsa verò consecratio, siue sanctificatio, oblatio, distributio, deniq; virtus omnis & efficacia, nõ est nisi æterni sacerdotis illius & immortalis, Domini nostri Iesu Christi. Aliam Christi corporis Ecclesiæ: vt oblationis in cruce factæ per filium, cuius sit in altari, repræsentatio, fructũ ad fideles omnes redundare faciat. Hoc igitur dicit Scotus, siue sacerdotem consideres, tanquam Christi capitis, siue tanquam Christi corporis ministrum, vtroque modo valet Missa. Nam quod ad priusillud ministerium attinet, non refert quo sit vitæ merito sacerdos: Christus est enim summus ille sacerdos, qui semetipsum offert. Panis quem dat, id est, caro eius est mundi vita. Quamobrem non hominis sacerdotis actio, verum Christi Sacerdotis oblatio, Christi caro, quam semel in ara crucis pro nobis in mortem obtulit, illa est vita mundi, illa est per quam salutem consequimur: hominis autem sacerdotis, nihil aliud est quàm ministerium. Virtus omnis penes carnem illam est, quæ cum propter nostram salutem in cruce pependisset, nunc ad dexteram Dei collocata, pro nobis interpellare nunquam intermittit. Rectè enim ab Augustino dictum est: Qui fuerit superbus minister, cum diabolo reputatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est: quod per illum transit, liquidum venit ad fertilem terram. Puta quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest: per lapideum canalem transit aqua ad areolas: in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum adfert. Spiritalis enim virtus sacramenti, ita est vt lux, & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur. Quod verò spectat ad posterius ministerium, quo sacerdos fungitur pro Christi corpore Ecclesia, si dicit Scotus, aliquid valere ministri meritum, si bonus sit, quid aliud dicis, quàm quod scriptura loquitur: Multum valet deprecatio iusti? Sed si nullum etiam sit sacerdotis meritum personale: valere tamen dicit sacerdotis preces, virtute meriti generales Ecclesiæ, cuius personam agit: quæ tamen non aliter valent, nisi pro nobis interpellet verus ille sacerdos, mediator, & reconciliator noster, Dominus noster Iesus Christus, ita vt omnis virtus & efficacia precum etiam nostrarum, ex illius interpellatione pendeat: qui nisi pro nobis interpellaret, nullum esset precum nostrarum pondus, quæ quicquid valent, in illo & per illum valent. Hæc est Ecclesiæ doctrina Brenti, quæ si quid aliquãdo tribuit operibus, hactenus tribuit, quatenùs eius qui passus est, & mortuus pro nobis, precioso sanguine sunt respersa, ex quo precium suum omne mutuantur: omnem vt virtutem & efficaciam soli tribuat, pro nobis fuso Christi sanguini. Verùm hac de re scripsimus vberius in confessione nostra Christiana, vbi & quale sit sacerdotium sacrificiumq; nostrum, quod hoc loco perstringere tu videris, & quid operibus hominum ab Ecclesia tribuatur, copiosè disseruimus. Fortassis autem legisti Brenti, quid scribat Basilius locum illum adducens Euangelij. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sic enim ille loquitur: Non quòd per se ista ad mundationem sufficiant, cùm principaliter opus sit misericordia Dei & sanguine Christi: in quo & aliorum omnium redemptionem habemus, si in vno quoq; dignos respiscentiæ fructus fecerimus. Quod ille dixit de eleemosyna, hoc idem nos quoq; sentimus de omnibus alijs pijs operibus. Quibus si quando mundari, vel reconciliari quenquam Deo dicimus (nam & ieiunia & preces ad placandam iram Dei non sine scripturarum auctoritate rectè adhiberi docemus) principaliter tamen egere nos misericordia & sanguine Christi, profitemur: per quem & in quo valent, quicquid valent opera nostra omnia. Hæc vos aut ignoratis Brẽti, atq; ita neq; quæ dicitis, neq; de quibus affirmatis, intelligitis: aut si non ignoratis nos ita docere, tanto maior est improbitas: vestra qui cùm secùs rem habere sciatis, apud multitudinem tamen imperitam nos traducere non veremini, quasi nos per summam impietatẽ creaturæ tribuamus, quod soli diuinæ maiestati, soliq; personæ Christi conuenit: & cum veritate non possitis, eiusmodi cõfictis calumnijs perficere studetis, vt quàm plurimos à Christi corpore, quæ est Ecclesia Dei, segregare queatis. Verùm hęc extra causam hac quidem de re dicta sufficiant.

*Quatenus Ecclesiæ operibus nostris tribuat aliquid.*
*Basil. in regulis constractioribus, q. 27.*
*Quomodo dicamur operibus mundari. Deoq; reconciliari.*

Redit iterum ad conuitia Brentius, & grauiter inuehitur in Petrum à Soto, quòd scripserit Ozam licere sibi credidisse simplicius, & præter omnem temeritatem arcæ manus admouere. Quasi verò multum hoc ab eo dissimile fuerit, quod à Gregorio Nazianzeno, quem Theologum Græci vocant, scriptum est, Ozam hunc arcam iamiam lapsuram manu sedula & solicita sustentasse. Certè quod sedulò, quod solicitè fit, nõ omninò temerè fieri videtur. Adeò veteres etiam illi Theologi, non se putauerunt vlla necessitate adstrictos esse, vt ijsdẽ semper verbis scriberent, quæ in Canonicis libris continentur. Sed cùm validiora, quæ proferat, argumenta nõ habeat, cauillis eiusmodi virum & bonum & doctum vexare conatur. Nos autem conuitia, iocos & scommata Brentij missa faciamus, ac silentio præteritis ijs, quę vel non multum ad rem faciunt, vel abundèiam à nobis confutata sunt, de re potius ipsa sermonem nostrum instituamus. Itaq; nihil est, quòd de Oza quoq; plura verba faciamus, quandoquidem quæ dicta sunt de Ozia, rectè huc accommodari queunt. Quin & de gradu principum & Episcoporum in Ecclesia (qua de re petulanter admodum cum venerabili viro Petro à Soto rixatur Brentius) non est necesse nunc agere pluribus: erit alius locus ea de re dicendi magis opportunus, vbi quem in Ecclesia Dei quisq; gradum obtineat, ex Ecclesiæ praxi, Deo benè iuuante, demonstrabimus.

*Controuersia de Ozamanus arca admouente.*
*Responsio. Nazian. in Apolog.*

Nihil autẽ erat quod offenderetur Brentius, q; ex Pauli sententia Petrus ordinatissimam esse scribit Ecclesiam. Hac quidem de re cum Paulo rixari Brentium oportebat, non cum Petro. Quid autem potuit verius dici, q̃ quod à Petro dictum est? Tolle, inquit, ordinem in docendo, & necesse est tot esse doctrinæ diuersitates, quot auræ flatus, quibus nõ minùs instabiliter circunferantur paruuli, quàm arundo à vento agitata. Nonne clamat hoc res ipsa Brenti, vt si minus Petro scribenti, saltem sectis istis tam dissectis modò non ipsam vocẽ hãc emittentibus, ac re ipsa ita esse declarantibus, fidem habere te opportuerit? Satanismum enim hunc, quem operis huius initio recẽsuimus, quæ res nobis alia peperit, quàm q; Apostoli, Pastoris, Doctoris officio fungi quisq; vult? etiamsi legitimè vocatus non sit. Verùm intelligit hoc Brentius, si saluus sit ordo in Ecclesia, hæreses consistere non posse: quamobrẽ hũc sibi præcipuè censet oppugnandum.

*Ephe. 4.*
*1. Cor. 12.*
*Nisi saluus in Ecclesia sit ordo, hæreses non expugnabitur.*

Quid autem non fecit Brentius, vt quàm possit maxima Catholicis Episcopis principum odia conflare queat? Quàm virulenta sunt hæc illius verba? Ne autem Asotus omnem honorem & dignitatem auferat à Regibus & Principibus, facit eos auctoritate legis, quæ de ambiguis & difficilibus causis ad sacerdotes referendis extat, sacerdotum apparitores & lictores. Hoc restat, inquit, principi erga populum eius, superbiam & inobedientiam erga Dei ministros & doctores legis compescere, atq; seueritate legum, sententiam illorum exequi, ne videlicet in cõtemptum veniat. Quæso te Brenti, quoties aliquis fidem principis implorat, vt quem non sine causa portat gladium in maleficum aliquem stringi inbeat, num statim ex apparitorem & lictorem facit? At vos, inquit Brentius, vultis, vt hoc sine vllo suo iudicio & cognitione faciat. Quotus quisq; princeps autem est, qui de cædibus & maleficijs ipse cognoscat, & non aliorum iudicio stringi gladium in fontes faciat? Nam à quocunque tandem iudicatum fuerit, gladius certè non stringitur, nisi principis auctoritate: sicut nec iudicium vllum sit de seculi rebus quibuscunque tandem, nisi principis auctoritate. Quàm pauci verò fures, quàm pauci sicarij, quàm pauci grauiorum etiam scelerum conuicti, supplicium capitis luerent, si non liceret id de quoquam sumere, nisi cuius causam princeps ipse iudicasset? Credit princeps à se constituto legitimo iudicio, habet apparitores

*Virulenta Brentij obiectio circa principum potestatem.*
*Responsio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& lictores suos, per quos, quas commeruerit quisque, pœnæ de quoquo sumuntur. Quòd si credit princeps iudicibus à se constitutis, quid ni credat iudicibus ab ipso Deo constitutis? vt faciat quod in Deuteronomio præcepit Dñs: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur homo ille. Docebimus aũt hoc suo loco, quod ex quo tempore penes Christianos esse cœpit imperium, ad hoc vsq; nostrum seculum nemo fuerit Regum & Principum Christianorum, qui sibi de causa fidei iudicium arrogare sit ausus, de qua liberam semper cognoscendi potestatem penes solos Episcopos, quotquot se Christianos profitebantur, esse voluerunt. Quos illi pronunciassent hæreticos, eos pro hæreticis habuerunt, & ab omnibus tales haberi, nec receptum illis in suis terris dari sanciuerunt: Quam verò fidei doctrinam in concilio congregati Patres approbassent, eam firmiter ab omnibus obseruari mandauerunt: si qui contra venire ausi fuissent, seueritate legum in eos animaduerterunt. Nunc vnam Imperatoris Iustiniani constitutionem, quam in actis quintæ Synodi inserta reperimus, ea de re produxisse, contenti erimus. Rem, inquit, non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia, quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus depositi, quemadmodum Nestorium, Eutychen, Macedonium, Arrium & Eunomium, ac quosdam alios ad iniquitatem nonnullos illis: toties imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum auctoritate fuerunt: hoc est, quicquid sacerdotum sanxisset auctoritas, id cùm ipsi firmum & ratum habuerũt, tum ab aliis omnibus imperio suo subiectis, firmum & ratum haberi iusserunt, & vt executioni debitæ mandaretur, ordinauerunt. Metuebat enim eorum quisq; fi preire, quã sequi: si ducere potius ad se Dei spũm, quàm ab eo duci maluisset: ne vocem Christi sibi dicentis audiret: Vade post me Satana. Quamobrem nullus eorum de hæresi iudicauit vnquam, sed quos legitimè congregati Episcopi hæreticos pronunciassent, in eos quod iuris erat, statuerunt: nihil veriti, ne Brentius, aut eius similis aliquis, eos qui non castrorum & oppidorum aliquot Principes, verùm orbis totius Imperatores fuerunt, apparitores & lictores vocaret: si cum Dei ministri essent, neq; sine causa gladium portarent, vindices in iram, id quod sui fuit muneris, exequerentur. Vsque adeò autem nihil eorum hæresi maiestati detrahebatur, vt quanto se gerebant hac in parte submissius, tanto & apud homines honoratiores, & apud Deum essent sublimiores. Quos enim in ministris suis quam libet iuxta mundum vilibus & abiectis tantopere Deum honorare videbant, ijs maiore cum alacritate reuerentiam & obedientiam omnem præstabant. Fit enim non raro, quales se principes gerunt erga supremum omnium Regem Deum, vt populi sibi subiecti talia vicissimerga se studia experiantur.

*Iudicium de causa fidei semper penes Episcopos fuit.*

*Iustin. Imperat.*

*Imperatores antiqui de fidei causa nõ cognoscebant.*

Sed hic obstrepit Brentius, Quid si sacerdos definiret aliquid cõtra legem Domini? Quid si ij, qui iactãt se esse Dei ministros & legis doctores, superbi ipsi & arrogãtes essent, & nollent legi Domini obedire: an non liceret Principi seueritate & gladio suo uti? Quid autem Brenti, si Princeps à te persuasus, putaret aliquid cõtra legẽ Domini sacerdotes definiuisse, quod orbis totus Christiani consensus non esse contra legem Domini definitum testaretur? Nũquid non orbis potius consensui, quàm Principis alicuius sensui, ex tuo. vel tui similium sensu pendentis, fides habẽda foret? Sed quid (inquit) si summus sacerdos fuerit, pseudopropheta & somniator, & iuberet alienos Deos sequi, haberetq; suæ sententiæ suffragatores maximam partem sacrificulorum: an tum non liceret principi vnà cum paucis reliquis siue secularibus, vt vocant, siue spiritualibus, de impietate sacerdotis & suorum suffragatorum iudicare, & iuxta seueritatem legum in eos animaduertere? Hic iam, inquit, respondet nobis Asotus, quòd in Ecclesia non possit deesse legitima sacerdotum successio, nec in illis doctrinæ veritas: quippè quòd habeat promissionem sempiternæ præsentiæ Spiritus sancti. Quid autem dici verius potuit, quàm quod à Petro dictum est? Nisi fortè non sunt veræ voces illæ Christi: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: quodq; dixit idem de Ecclesia: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quòd si potuit non verum dicere veritas, falsum scripsisse Petrum à Soto confitebimur. Neq; enim solis hæc Apostolis, verùm eorum successoribus dicta sunt. Sed nihil est quod minus ferre possint hæretici, quàm vt aliquid sacerdotum legitimæ successioni tribuatur: quæ si quam debet auctoritatem retinuerit, iam sectas suas consistere, non posse facilè perspiciunt. Atqui demonstrauimus hoc alibi, quòd & ibi est Ecclesia, vbi est legitima sacerdotum & Episcoporum successio: & ab hac successione semper doctrinæ veritas est petita. Testatur autem hoc aureus ille Vincentij Lirinensis libellus, quem ante mille ducentos plus minus annos, hac ipsa de re conscripsit: neq; fuit ferè veterum quisquã, qui quoties esset de dogmatibus Ecclesiæ exorta disputatio, non ad hanc tanquam ad sacram anchoram quandam sibi confugiendum esse putaret.

*Obiectio alia.*

*Responsio.*

*Quid si Pontifex impia mandet, quæ rit Brentius.*

*Soto sententia.*

*Responsio.*

*Matth. 28.*

*Ioan. 14.*

*Matt. 16.*

*Ibi Ecclesia, vbi sacerdotum legitima successio in sede Petri.*

*Vincent. Lirinen. Testimonia Patrũ.*

Iræn. lib. 4. ca. 69. Longè vetustissimus fuit Irenæus Lugdunensis Episcopus, qui docet, agnitionem veram esse



esse doctrinam Apostolorum, & antiquum Ecclesiæ statum in vniuerso mundo, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam quæ in vniuerso loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita. Et in eodem libro aliquantò superiùs: Eis tantùm in Ecclesia Episcopis obedire iubet, qui successionem habent ab Apostolis: qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui abstiterunt à principali successione, quocunque loco colligantur, suspectos haberi vult, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vèl quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, Audin tu Brenti, quid Irenæus dicat? Cum successione, inquit, Episcopatus charisma veritatis certum acceperunt. Quòd autem aliò remittit nos Tertullianus, quàm ad successionem hanc? Quid aliud exigit ab hæreticis, quàm vt ostendant, ex qua auctoritate prodierunt? Edant, inquit, origines Ecclesiarum suarum, euoluãt ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseueraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Ecclesia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatũ edit. Proinde vtiq; & cæterę, exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Cõfingant tale aliquid hæretici. Num aũt ab hoc dissensit Cyprianus, cùm dicit: Ecclesia vna est, quæ vna intus esse & foris non potest? Nam si apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Quòd si apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est. Iam verò cùm Cathedræ Petri se consociari dicit Hieronymus, cùm qui iungitur illi, eum suũ esse dicit, cæteros se nosse negat: quid aliud quàm ibi Ecclesiam, ibi charisma veritatis esse innuit, vbi est legitima Episcoporum successio, quæ à Petro sumpsit initium? Quàm frequens aũt est Augustinus in hac Episcoporum, & sacerdotum successione commemoranda? Multa sunt, inquit, quę me in Ecclesię gremio iustissimè tenent. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dñs cõmendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum sacerdotum successio. Et alibi: Numerate, inquit, sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Quod aũt in eo Psalmo scripsit in epistola ad Generosum ipse fecit, ac Romanos Episcopos inuicem sibi succedentes, enumerauit, à Petro vsque ad Anastasium. Quibus enumeratis, in hoc ordine, inquit, successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Quod idem & ab Optato, qui fuit æqualis Augustini, factum legimus. Is contra Parmenianum scribens, eum scire dicit, Petro primũ Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus est, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur: vt iam schismaticus esset qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ego Cathedra vnica, quæ est prima, sedit prior Petrus, cui successit Linus. Ac enumeratis vsque ad Syricium, qui tum in Cathedra Petri sedebat, Romanis Pontificibus: Vestræ, inquit, Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Simili enumeratione successionis Pontificum Romanorum vsus est antiquissimus Irenæus. Quo in loco simul illud asseuerat, quòd ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata est, ea quæ ab Apostolis est, traditio. Enumerationem autem hanc Irenæi transcripsit etiam in Ecclesiasticam historiam suam Eusebius.

*Ibidem cap. 43.*

*Tertull. de præscriptionibus hæreticorum.*

*Cypr. lib. 1. epist. 6.*

*Patres cõmemorãt successores Petri.*

*Hier. ad Damasum scribens.*

*Augustin. contra epistolam Manichæi cap. 4.*

*Idem in psal. cõtra partem Donatist.*

*Idem epist. 165.*

*Optat. lib 2. contra Donatistas.*

*Iren. lib. 3. ca. 3. de auctoritate Romanæ Ecclesiæ.*

*Euseb. lib. 5. cap. 6. Ecclesiast. hist.*

Vides itaq; iam Brenti, quantum huic successioni tribuendum putauerint viri doctissimi sanctissimiq; Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Opratus, & alij, quos longum esset omnes enumerando recensere. Sed adhuc Augustinum audiamus: Cùm igitur (inquit) tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq; videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successionem Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinet? Cui primas dare nolle, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemqúe animis via est, nisi cùm eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ auctoritati velle resistere? Et si vnaquæque disciplina quanquam vilis & facilis vt percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid tam erariæ superbiæ plenius, quàm diuinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare? Et iterum alio loco, describens pestilentiæ Cathedram: Quoniam, inquit, Cathedram pestilentiæ non esse de Dei ordinatione asseuerauimus, etiam eorum qui extra Ecclesiam, vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, Cathedram pestilentiæ dicimus. Qui enim inconcessa præsumptione reus est, quantò magis si & corrumpat traditionem eius, cuius sedem vsurpat? Nam & ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & vsque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum seruatum, perturbant, ordinem sibi sine origine vendicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes. vnde cõgruit etiam, eorum sedem Cathedram pestilentiæ appellare. Nec enim ideò impunè erunt, quia sub Dei nomine hoc agunt: constat enim suas illos causas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt, sed sibi locum volentes defendere: cùm sciamus Core, & ducentos quinquaginta viros, per præsumptionem Deo offerentes, hiatu terræ absorptos esse: & Osiam regem cum Deo illicitè obtulisset, lepra in frõte percussum. Quam graphicè verò depingit vos Augustinus Brenti? Cathedram vestram, vocat Cathedram pestilen-

*Idem de quæst. veteris & noui Testamenti quæst. 110.*

*Cathedra pestilentiæ apud hæreticos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



stilentiæ: vel hoc ipso nomine, quòd ordinē ab Apostolo Petro cœptum, & vsq; ad hoc tempus per traducem succedētium Episcoporum seruatum, perturbatis: ordinem sine origine vobis vendicantes, hoc est corpus sine capite profitentes. Nec ideò vobis id impunè futurū dicit, quòd sub Dei nomine hocagitis, quasi verbum & Euangelium eius vindicare volentes, cùm constet, vestras vos causas agere sub Dei nomine, vestrum vos verbum sub verbi Dei prætextu propagare velle. Potuitnè dici quicquam aptius ad vos describendos? Tales enim vos esse, quales describit Augustinus, negare non potestis.

*Sedibus Apostolorum peremptibus sola perstat inuicta sedes Petri Romana.*

Neq; verò nos hoc dicimus Brenti, quod nos tu dicere fingis, ideò statim Apostolico spiritu quemquè prædituṁ esse, quod sit in Apostolorum sedibus collocatus, neque sic vnum aliquem Episcopum sempiternæ Spiritus sancti præsentiæ promissionem habere dicimus, vt errare iam non possit. Scimus erasse, qui Iacobo Hierosolymis, qui Andreæ in Achaia, qui Matthæo in Æthiopia, qui Philippo in Phrigia, qui Ioanni in Asia, qui Bartholomæo in India, qui Iudæ in Perside, qui Paulo successerunt in Græcia. Sola est Romana Ecclesia, ad quam nunquam accessum habuisse perfidiam scribit Cyprianus: in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum, narrat Augustinus: in qua Patrum auctoritatem incorruptam seruari testatur. Hieronymus: neq; dubitat Romanam fidem Catholicam fidem appellare: sicut & Ambrosius Episcopos Catholicos vocat Romanam Ecclesiam. Ad Pammachiū verò & Oceanum scribens Hieronymus, Quisquis es, inquit, assertor nouorum dogmatū, quæso te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod anteà nescisumus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsq; ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem: in qua puer natus sum. Quid tibi videtur Brentiꝰ? An non isdem verbis rectè nos vti contra vos possemus. Cur post mille quadringentos & amplius annos docere nos conamini, quod antè nescisumus? Cur profertis in medium, quod neq; Petrus, neq; Paulus, neq; quisquam legitimus eorum successor edere voluit? Vsq; ad hunc diem sine ista doctrina vestra mundus Christianus fuit. Illam adulti fidem tenebimus, in qua pueri nati sumus, Vsq; adeò autem Romana fides Catholica semper fides est habita, vt Gratianus Imperator, quo imperante vixit Hieronymus, quemadmodum in Ecclesiastica historia scriptum, & in codicem Iustiniani relatum esse legimus, noluerit de fide disputari: verùm edictum fecerit, vt cuncti subditi eam religionem retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus initiò tradidisset, ac tum Damasus Romanus Pontifex custodiret. In Chalcedonensi quoq; concilio sic legimus acclamatum: Omnes ita credimus, Papa Leo ita credit: Cyrillus ita credit: Papa Leo sic interpretatus est. Et iterum: Omnes sic credimus: Papa Leo sic credit: Anathema ei qui partit, & ei qui diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi: Leo sic credit, Leo & Anatolius ita credunt. Et iterum: Petrus per Leonem ita loquutus est: Apostoli ita docuerunt, piè & verè Leo docuit. Ac paulò pòst: Omnes ita credimus: sicut Leo, ita credimus.

*Laui Romanæ Ecclesiæ. Cypr. lib. 1. epist. 3. August. epist. 142. 1. ad Damasum. 2. li. 1. contra Rufinum. Ambro. in oratione funebri de obitu fratris.*

*Romana fides Catholica fides. Sozo lib. 7. cap. 4. Codic. de summa Trinitate. 1. Cunctos populos. Actio. 2. Concilio Chalced.*

Ex ijs & alijs multis facilè cuiuis perspicuum esse potest, quantum fuerit successionis sacerdotum tributum: in ea præsertim sede, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus, ad quam de fidei causis referri semper fuit solitum: nō à Catholicis tantùm: verùm etiam ab ipsis non rarò hæreticis, quòd ibi potissimùm sarcita ruinæ damna fidei spes esset, vbi non posset fides sentire defectum: quam solius sedis huius prærogatiuam esse dicit Bernardus. Fatetur autem hoc etiam Caluinus vester, quod res ipsa loquitur, magnum Romanæ Ecclesiæ honorem vbiq; detulisse veteres, reuerenterq; de ea loquutos: vel quòd fundata & constituta fuisset Petri ministerio: vel quòd in ea caput esset imperij: vel quòd, cùm Orientales & Græcæ Ecclesiæ Africanæ, etiam multis opinionum dissensionibus interse tumultuarentur, hæc sedatior alijs & minus turbulenta fuerit. Ita factum est, inquit, vt pijs & sancti Episcopi sedibus suis pulsi, illuc se velut in asilum, aut portum quendam fœlicis receptaculi confugerent. Nam quo minùs, inquit, acuto & celeri sunt ingenio Occidentales Asiaticis & Aphris, eo etiam sunt rerum nouarum minùs cupidi. Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimum addidit auctoritatis, quòd nō ita dubijs illis temporibus tumultuata est vt reliquæ, ac doctrinæ semel traditæ fuit omnibus alijs tenacior. Hactenus Caluinus. Ad hanc igitur nos quoq; maiore nostrorū confugimus, quoties de dogmate aliquo fidei controuertitur, vtilla nos doceat, quid per longam Episcoporum in ea successionem traditum de eo fuerit. In qua traditione libenter acquiescimus, nec temerè nobis ab ea discedendum esse putamus. Hæc est successio sacerdotum Brēti, de qua nos gloriamur: quam sempiternæ Spiritus sancti præsentiæ promissionem habere, persuasum firmiter habemus: quam vos heri, quod aiunt, & nudiustertius nati, cùm proferre non possitis, mirandum non est, si in ea oppugnanda nemo vestrum omnes contenditis. Verùm erit alius hac de re dicendi locus magis opportunus.

*Bern. epist. 190. Cala. quantum tribuat Roman. Eccle sia.*

*Confugiendum in dubijs fidei ad Ecclesiam Roman.*

Quòd autem Vriæ exemplo, qui voluntati Regis Achas obsequutus instituit in templo Dei altare Damascenorum demonstrare conatur Brentius, qui succedunt generi, dignitati, officio Aaronis, non statim eos eodem esse Spiritu sancto præditos: quodq; Prophetarū testimonijs idem ostendere conatur, qui pontifices & Sacerdotes sui temporis vocant speculatores cœcos, ignaros, canes mutos, qui dicunt Prophetas prophetasse mendacium, sacerdotes applausisse manibus, contempsisse legem, polluisse sanctuaria, possumus hęc vno verbo refutare, si negemus, aut Vriam Pontificem, aut eos, de quibus Prophetæ loquuntur, sacerdotes Aaroni successisse, Leuiticiq; generis fuisse. Quòd non obscurè nobis indicant illa scripturæ verba, vbi de Hieroboam dicitur: Fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Quo in loco commentator causam etiam reddit, quamobrem de qualibet tribu indifferenter sacerdotes fecerit: Quia tribus, inquit, Leui, noluit consentire ei, & ideò dixit populo, quòd non oportebat habere Sacerdotes de tribu Leui. Vides Brenti, quemadmodum vbi fuit ordinaria successio sacerdotum, ibi non est assensus prestitus ad idololatriam. In eo verò, quod proximè sequitur capite, scribitur de eodē Hieroboam, quod fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum. Et in sequenti libro de populo dicitur: Fecerunt sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus: Iosephus verò sic inducit loquentem Hieroboam, posteaquam fecerat duas vitulas aureas: Cōstituam ex vobis ipsis sacerdotes earum atq; Leuitas, vt tribu Leui nequaquam, neq; filijs Aaron indigeatis, sed qui voluerit vester esse sacerdos, offerat vitulum, &c. Iamnè perspicis Brenti, quemadmodum ipse contra te produxeris testimonia? De vobis. n. dixerunt ista Prophetæ, qui sacerdotes estis excelsorum, apud quos nulla est ordinaria successio: qui contra quàm à Paulo præceptum est, ipsi vobis honorem sumitis, & curritis, cùm vos non miserit Dominus. Vos cœcos cœcorum duces vocant, vos prophetare mendaciū, vos contemnere legem, vos polluere dicunt sanctuaria. Verùm demus hoc tibi, quòd Aaronis dignitati successerit Vrias: quæso te, qđ ille fecit aliud, q̄ q; aliquādo factum à Marcellino Pontifice legimus? qui in horribili illa Christianorum sub Maximiano & Diocletiano persequutione, metu suppliciorum, quę fuerant illi intentata, thura adoleuit, aris q; iniecit. Non ab Vria Pontifice processit facinus hoc, sed à Rege, cuius voluntati Pontifex obsequutus esse scribitur, non aūt vltrò contra legem venisse. Vel hoc solum exemplum docere te Brenti potuit, quàm sit periculosum, quod tu fieri debere contendis, Principi de religione statuendi potestatem permittere: quem hac in parte sequi, quàm præire, subiectum esse Pōtifici, potius oportet, quàm illi præscribere velle. Quamobrem etiam hoc, quod tu pro defendenda causa tua produxisti, contra te magis facere videtur: Non. n. Pontifex decreuit, vt altare Damascenorum in templo constitueretur, sed penes quem tu vis esse de talibus decernendi potestatem, Regi præcipienti paruit: vt metu magis, quàm vel errore, vel insciti, vel temeritate, peccatum à Pontifice fuerit. Quem si posteà sicut Marcellinum fecisse commemoratur, facti sui pœnituisset, eandem proculdubio, quam ille peccati sui veniam fuisset consequutus. Verum nihil de eius pœnitentia narrat historia: quod imperio iubentis Regis paruerit, hoc tantum commemorat.

*Idololatria non fuit in successione Sacerdotum Leuiticorū. 4. Regum 17. Lib. 8. antiq. ca. 8.*

*Loca Prophetica de pseudoprophetis ad hæreticos pertinēt. Hebr. 5. Hier. 13.*

*Marcell. Pontifex.*

Cæterùm quod addis de filijs Heli summi Sacerdotis, & Iudicis in Israel, quod filij eius generi quidem & dignitati parentis successerint, sed scriptura dicat eos fuisse filios Belial, nescientes Dīm, neq; officium Sacerdotū ad populum, vbi quæso legisti, quòd parentis dignitati successerint? cùm in historia Regum legamus, vtrunq; superstite patre in bello occisum, & priùs quàm pater vita functum esse? nec alium successorem patrem eorum habuisse, quam Samuēlem, quem ipse sibi Dīs elegerat. Cuius tamen & ipsius filios propter eorum peccata reiecit posteà Dominus.

*Respondetur obiectioni de filijs Heli. 1. Reg. 2. 1. Reg. 4. 4. Reg. 8.*

Neq; verò nō est, p legitimo successore statim habendus, neq; iugū eius est illicò detrectādum, qui non ambulat in vijs eorum, quibus successit qui longius abest ab eorum vitæ sanctimonia. Non ita nos Christus docuit: Super cathedrā, inquit, Mosi sederūt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quęcunq; dixerint vobis, seruate & facite, secundū opera verò eorū nolite facere: dicunt. n. & non faciunt. Multi sunt qui nō successerunt in eam vitæ sanctitatem, qua prædicti fuerunt Apostoli, sed successerunt nihilominus in eam doctrinę veritatem, quā prædicauerunt Apostoli. Hoc est, quod ab Hieronymo quoq; dictum est: Episcopus, presbyter, diaconus, non sunt meritorū nomina, sed officiorū. Quamuis igitur non habeant eandem vitæ sanctitatem, quam habere sine innocentia nemo potest: quæ dā tamen est, sicut ab Augustino scribitur, sanctitas vnctionis: quędam est & sacramenti sanctitas: qua duplici sanctitate rectè vocantur sancti Pontifices, etiam illi qui sunt eadem, qua cęteri mortales infirmitate prediti. Quamobrem, qđ non obscurè videtur enarrans illum Euangelij locū Hieronymus, indicare. Qui recipit Prophetam in nomine Propheţ, mercedem Propheţ accipiet: in quocunq; tandem Pōtifice, nō persona, sed nomen attendendū & suscipiendum est: vtitur, siue in Ecclesia sua gubernanda, siue in doctrina propaganda, siue in Sacramentis administrandis. Non illud attendendū est, Iudasne sit an Petrus, an Paulus: sed solūm hoc spectandum est, quòd sedet in Cathedra Petri, quòd Apostolus, quòd Christi legatus, quòd Sacerdos, quòd Pontifex, quòd Angelus est Domini exercituum, de cuius ore legem Dei requirere iussus est. Si Iudas est, quandoquidem Apostolus est, & pro Christo legatione fungitur, nihil te moueat q; fur est: audi nihilominus reuerenter, audi diligenter, audi legationē eius obedienter: quæ dixerit, facito: quæ fecerit, facere nolito. Non ad ipsum refer animum, verūm ad illum cuius nomen gerit. Euangelium (dicit Augustinus) fur quoq; Iudas sine detrimento fidelium prædicauit. Ac quicunq; nō recepit illum, Christum ipsum nō recepit: qui æquè Iudæ dixerat atq; Petro vel Ioanni: qui vos reijcit, me reijcit. Si verò Petrus est, aut Ioannes, qui eadē legatione fungitur, & dictis pareto, & facta imitare. Incerta erit salus nostra, si ex sanctitate pendebit docentium, aut sacramenta ministrantium. Prauū est inscrutabile cor hominis, vt qui sanctus, quiuè minus sanctus sit, nō possit nisi solus ille scire, qui scrutatur corda & renes. Itaq; fit non rarò sanctus vt esse videatur, qui non est, quicq; persequutor est, aut Publicanus hodie, cras fiat Apostolus. Quamobrem à Propheta rectè dictū est: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Etiamsi quis certò sciat iustum aliquem & innocentem esse, atq; omni prorsus macula carere: tamen si in illius sanctitate spem suam collocat, si saluum ab illo expectat, maledictus est. Nam Domini est salus. Et, Vana salus hominis. Nihiligitur impedit Brēti, quo minus habeat Spiritum sanctum Episcopus aut Sacerdos: quo si minus ipse sanctus est, sanctos tamen alios faciat, vel docendi vel baptizandi ministerio.

*Pro legitimo successore habendus etiā qui vitā adfert indignam officio. Matth. 23.*

*Lib. 1. cōt. Iouinia. Aug. contra literas Petiliāi, li. 2. c. 48. Etiam improbi. Pontifices rectè sancti dicuntur. Matth. 10. Hier. Non vitæ meritum, sed officiū spectandum in Ecclesiasticis.*

*Etiam Iudas quia Apostolus honorem merebatur. Ioan. 12. Aug. lib. 2. contra epist. Parm. c. 11. Luc. 10. Hier. 17.*

*Ibidem. Psal. 3. Psal 59. Malus etiam sacerdos habet Spiritum sanctum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Responsio ad aliam obiectionem.*

Nec est quòd eorum responsionem reprehendas, qui magis apertas præsentiæ Christi & Spiritus sancti promissiones habere dicunt cœtus Pontificum Christianorum, quàm habuerũt Põtifices Iudæorũ. Nam sicut illustriora nũc sunt fidei mysteria velo sciſſo Christianis, quàm quibus velata cuncta fuerũt Iudæis: sic illustriores nũc habemus promissiones Christi de Spiritus sancti præsentia, quàm habuerunt olim Iudæi. Quin hæc ipsa testimonia quæ profers ex scripturis: Statuam pactum meum inter me & te: Ponam tabernaculum meum in medio vestri: Ego sum Dñs qui habito inter filios Israel: Habitabo in medio filiorũ Israel, & si quæ sunt similia, non magis ad Iudæos pertinent quàm ad nos Christianos. Nam sicut ipse tu more tuo testimonium adfers contra te: Non oẽs qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israëlitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, oẽs filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, ęstimantur in semine. Quęcunq; sunt igitur in veteri testamento promissiones eiusmodi, vel populo Israel vel Leuitis factæ, nostro Christianorum cœtui, qui verus Israel sumus, nostrorum sacerdotum & Episcoporum congregationi factæ sunt.

*Genes. 26. Leuit. 3. Num. 15. 3. Reg. 6.*

*Rom. 9. Hier. 7.*

*Rectè Christiani fidunt Ecclesiæ, & de ea gloriantur, sed non Iudæorum more, vt obijcit Brẽtius.*

Neq; quia frustra confidebant quidam Hieremiæ temporibus in verbis mendacibus, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, propterea nostris temporibus minus confidenter clamare nobis licet, Ecclesia, Ecclesia. Siquidem diuersa fuit illorũ ratio: qui cum nõ corda solùm, sed & manus haberent pollutas furto, homicidio, periurio, adulterio, sacrilegio, & cultu eorum Deorum, quos nesciebãt: audacter nihilominus ingrediebantur domus Dei limen, & erecta ceruice stantes, exauditas iri preces in eo suas persuasum habebant. Non hac ratione nos clamamus, Ecclesia, Ecclesia: non in manufacto templo confidimus: sed cùm Ecclesiam esse dicat Paulus columnam & firmamentum veritatis, cùm non præualituras aduersus eam portas inferi Christus promittat, eius promissioni qui fallere nescit fidentes, quicquid est vnanimi totius Ecclesiæ consensu constitutum, id ab ipso spiritu veritatis cùm esse profectum indubitanter credamus, ei firmiter inmittimur, deq; eo gloriamur. Quamobrem etiam si cõsurgant omnes inferorum portæ, si velint irritum reddere quod semel per os Ecclesiæ suæ ratum & firmũ esse voluit Spiritus sanctus, nos qui nihil veremur, etiam in symbolo nostro nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam profiteri: fremant licèt omnes hæretici, non aliud tamen præ nobis ferimus, nõ alia de re magis gloriamur quàm de Ecclesia: ac magna subinde voce ita vt omnes exaudiant, summaq; cõfidentia clamamus, Ecclesia, Ecclesia. Hęc est à qua nobis tradita sunt quæ tenemus, & quæ docemus alios, hæc est quam in symbolo credere nos profitemur: hæc est quam qui audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi iubet CHristus: hæc est quam firmamentum & columnam veritatis vocat Paulus: hæc est, quam cùm ducem sequimur, errare nos nulla ratione posse, certum & indubitatum habemus. Quamobrem etiamsi rumpantur vobis ilia Brenti, tamen hæc est prædicatio, hæc est gloriatio nostra: neq; nos pudebit vnquam Ecclesiæ Dei, neq; sicut vos fecistis, ab ea discedemus vnquam. Animas nostras prius à corporibus nostris separari patiemur, quàm vt ab ea nos vnquam separari permittamus. Nihil est igitur quod ijs Hieremiæ verbis nobis insultes Brenti: quin illud vide potius, ne multò nos verius obijcere tibi possimus ex eodem Hieremia, quod ille non vno loco scribit de te, tuiq; similibus mendacibus Prophetis, quòd currebant, cùm eos non misisset Dominus, quòd prophetabant, cùm non esset ad eos loquutus Dominus, quòd subinde vociferabantur, Verbum Domini, Os Domini loquutum est: Hæc dicit Dominus, cùm tamen hæc Dominus loquutus non esset quæ ipsi dicerent: quos etiam ille fures verborum suorum vocare non dubitat. Qui sunt enim alij, qui magis aures nostras obtundant ijs vocibus, verbum Dei, Verbum Dei, Euangelium, Euangelium, quàm vos, cum tamen quod profertis, verbum Dei non sit, cùm aliud sit longè loquutum os Domini, quàm quòd vos per ea scripturarum verba quæ producitis, eum loquutum fuisse vultis. Verùm enim est quod scripsit ille: Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo: non in præuaricatione sunt, sed in charitate. Quòd si charitatem haberetis Brenti, nunquam ab Ecclesia vos diuideretis: cuius si gremio conderemini, tum demùm verum scripturarum sensum assequeremini. Nam rectè quidam ex vestris admonet (vestros autem appello Sacramentarios quoque, cum ex vobis eos prognatos esse constet) rectè igitur Caluinus vester admonet, & peculiariter notandum esse dicit, quod non est extra Ecclesiam sanæ intelligentię scripturarũ lux. Hanc igitur cum vos deseruerit is, quin & nobis tanquam probrum aliquod obijciatis, quod clamamus Ecclesia, Ecclesia: quòd eam nos ducem sequi præ nobis ferimus, fieri nulla ratione potest, vt sanæ scripturarum intelligentiæ lucem habere queatis, quæ extra Ecclesiam, cui tam acerbè vos insultatis, nulla est. Quamobrem Andabatarum (quod aiunt) more pugnatis in tenebris. Et quamuis frequenter nobis idem occinatis, quod magistro nostro Christo, magister vester satanas, olim occinebat: Scriptum est enim, quandoquidem extra Ecclesiam constituti, quod scriptum est intelligere non potestis, quid aliud, quàm aërem (quod est in prouerbio) verberatis?

*Hier. 23. Hier. 14.*

*Hier. 27. & 29.*

*Hil. in lib. ad Constantium.*

*Caluin. in epist. ad Hebr.*

*Matth. 4.*

*Obijcitur locus Deut. 20.*

Profert iterum Brentius locum ex Deuteronomio, vbi promittit Deus se fore in medio exercitus Israëlis. Nõ timebis, inquit, eos, quia Dominus Deus tecum est. Et mox: Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Quid, hac, inquit, promissione clarius? Et tamen quoties sunt ab hostibus cæsi & oppressi? Dicemus igitur promissiones Dei esse vanas & irritas? Nullo modo, sed ostendimus tales promissiones Dei non pertinere ad incredulos, ad impios, ad sceleratos, inobedientes, impœnitentes: ac frustrà glorieris de successione, & promissione, si non succedas pietati, & non accipias promissionem fide, atque fidei obedientia. Atqui promissio hæc Brenti, non est



non est de Spiritus sancti præsentia; qui custodiat ab errore, sed de felicitate terrena, cuius generis esse videntur veteris Testamenti promissiones, quas sub conditione factas esse constat omnes: quod etiam ex eo, quod proximè præcessit, capite, liquere cuiuis potest, vbi dicit Moses: cùm autem dederit tibi Dñs cunctam terram, quam patribus tuis pollicitus est, si tamen custodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dñm Deum tuum, & ambules in vijs eius omni tempore. Manifestius autem id videre licet in capite vigesimooctauo eiusdem libri, vbi sic loquitur: Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quę ego præcipio tibi hodie: faciet te Dñs Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, &c. Et recenset benedictiones multas. Quibus recensitis, subdit: Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ: quas maledictiones deinceps enumerat. Nunquam igitur irritæ fuerunt promissiones Dei: quoties enim ambulauerunt in vijs Domini, fuit semper Dominus cum illis: dimicauit pro illis contra aduersarios, & eruit eos de periculis omnibus. Cęterùm si quando dereliquerunt vias Domini, dereliquit eos vicissim Dominus, nec vnquam eius promissio vana fuit & irrita. Euangelium contra diuersam habet promissionem: non enim terrena ista & caduca, sed sempiterna felicitas nobis promittitur: neq; tamen absq; conditione, sicut vos docetis, sed sicut CHristus docet, Si vis ingredi in vitam, serua mandata. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: sicut imitator CHristi Paulus docet, qui compati nos oportere scribit, si conglorificari: commori, si conuiuere: sustinere, si conregnare volumus. Quòd si tu nunc ab ista tuorum doctrina discedis, & non sõlum ad incredulos & impios, verumetiam ad sceleratos & inobedientes, qui mandata non seruant, eiusmodi promissiones non pertinere negas: laudamus te, qui cum Ecclesia Catholica tandem aliquandò sentire cœperis, & Christi quàm Lutheri doctrinam vel hac saltem in parte sequi malueris: neq; sola fide, sed adiuncta ei obedientia Christianos hoc genus promissiones assequi posse doceas. Verum nõ de hoc promissionum genere nunc inter nos agitur: libenter hoc tibi concedimus, quòd sicut sub lege terrenam, sic etiam hoc tempore gratiæ cœlestem beatitudinem non incredulus tantum & impius, verùm sceleratus ac inobediens assequitur nullus.

*Respondetur.*

*Differunt promissiones veteris & noui testamenti.*

*Deut. 29.*

*Promissiones noui Testamenti non sine conditione.*

*Matth. 19.*

*Ioan. 3.*

*Rom. 8.*

*2. Timoth. 2.*

Quòd autem priuilegium Petri præcipuè Cathedræ promissum statim aliquis amittat, simul vt criminis alicuius affinis factus fuerit, nec in eorum, quorũ locum tenet, pietatem sanctitatemq; succesſerit, id verò tibi concedemus nunquam. Etiam qui super Mosi Cathedram sedebant, Scribas & Pharisæos, quamuis, dicerent tantùm, & non facerent, audire tamen Christus voluit: & non magis audiri debebunt qui sedent super Cathedram, quam illa Mosi figurabat, etiamsi dicant & hi, non autẽ faciant? Dicunt. n. quæ Dei sunt, faciunt quæ sua sunt: dicunt bona ex Cathedra Christi, faciunt mala ex pestilentia sua. Absit autem vt Cathedræ sanctitas deseratur, & propter pastores malos gregis vnitas diuidatur. Monet Iacobus, ne CHristi fidem in acceptione personarum habeamus: Augustinus autem etiam à perfido fidem aliquem percipere posse docet. Per asinam loqui Dñs dignatus est, qui minus loquatur per hominem quamuis grauibus flagitijs coopertum? Spiritus vbi vult spirat, etiam si voluntati eius is qui loquitur, non semper conueniat. Balaam precio conductus vt populo Dei malediceret, profectus fuerat: contrà tamen atq; animo destinauerat, simul ac in conspectum populi venit, ei benedixit. Saul Rex ad occidendum Dauidem properauerat, cuius posteaquam potestas ei fuit facta, contra quam proposuerat veniens ad cuneum Prophetarum, in quo Dauid erat, prophetauit & ipse coram Samuële cum cæteris, cùm factus esset super eum spiritus Domini. Quis ignorat quales fuerũt Sacerdotum Principes & Scribæ temporibus Herodis? qui tamen vbi nasceretur CHristus interrogati, semota quauis cunctatione dixerunt, In Bethlehem Iudæ. Caipha quid potuit esse nequius? qui quèm sciebat nõ natus erat Põtificatum precio redemptum, gessit etiam sceleratius. & tamen is cùm diceret: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: non à semetipso hoc dixit, quemadmodum Ioannes testatur, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit. Si non destituebatur dono prophetię, quamlibet esset impius, qui sedebat in Mosi Cathedra, certè multò minus eo destitui credendus est, qui sedet in Cathedra Petri, super quem CHristus ædificauit Ecclesiam suam, cuius à Domino cura suscipitur singularis, pro cuius fide propriè supplicatur: tãquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, aduersus quem nunquam esse portas inferi præualituras promisit veritas. Sed audi Brenti, quid de Vigilio Papa traditum sit annalibus: Per scelus ad Pontificatum is peruenerat. Syluerium. n. Papam, cuius erat Diaconus, instigante Augusta, de sede sua deturbandum atq; in exilium deportãdum curauerat, quòd is omnia se prius & facere & pati paratum diceret, quàm vt quod Augusta tanto studio postulabat, Anthemium, qui propter Eutychetis hęresim de sede Constantinopolitana per antecessorem suum Agapetum deiectus fuerat, in sedem illam restitueret. In huius autem Syluerij locum opera Augustę suffectus, ac Pontifex Romanus designatus est, ea lege, vt quod Syluerius cõstanter facere detrectabat, id ipse facturum se, atq; Anthemium ad Ecclesiam Cõstantinopolitanam restituturũ promitteret. Res est admiratione digna: Statim vt Petri Cathedram ascẽdit, idem illi quod Sauli euenit: nam super eum quoq; factus est spiritus Domini. Cumq; longè alio animo ad Ecclesię gubernacula accessisset, posteaquam promissi fuit admonitus ab Augusta, prius extrema quęq; se passurum respondit, quàm vt hæreticum in sedem, ex qua merito suo detrusus fuerat, restitueret. Cumq; multa probra, multos etiam graues cruciatus, famemq; diuturnam in carcere pertulisset, passus est omnia fortiter, quòd multò se grauiora supplicia cõmeritum diceret, qui malis artibus Pontificatum assequutus, horrendum facinus cõtrà sanctũ Pontificem Syluerium designasset. Non fuit hic Pontifex in primo suo ingressu Cay-

*Non ob pastores malos deserenda Cathedra, aut scindenda vnitas.*

*Iacob. 2.*

*Aug. lib. 1. cap. 2. contra literas Petiliani.*

*Num. 22.*

*Ioan. 3.*

*Dei spiritus etiam per malos prophetas, & vera sancta quę prædicat.*

*1. Reg. 19.*

*Matth. 2.*

*Ioan. 11.*

*Matth. 16.*

*Sedens in Cathedra Petri non destituitur assistentia Dei, in ijs quæ sunt fidei. Exemplum de Vigilio Papa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



phæ dissimilis: effecit tamen sedis huius Apostolicæ priuilegium, vt à fide non potuerit errare: quod q; prius impiè promiserat, id piè posteà negauit: ac eo, quo Christianum Pontificem decebat animo, tulit omnia potius fortiter, quamlibet acerba, quàm vt aliqui indignum Petri successore de religione statueret.

*Quantum sit priuilegiũ Rom. Pont.*

Ex quo videre licet, quantum sit Romanæ sedis priuilegium. Nam vt ab alijs peccatis nõ semper immunes fuerint Romani Pontifices, obtinuit tamen hoc venerabilis & efficax oratio Christi, quemadmodũ scribit sanctus Leo, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in seculum. Quæ propriæ sunt inferorum portæ, nunq; aduersus hanc sedem hæreses vlle præualuêre, nec deinceps etiam per Dei misericordiam præualebunt. Recensentur quidem à nonnullis, qui cùm in Cathedra Petri sedissent, infidem eius non successisse, nec ab hæresi dicantur alieni fuisse: verùm falsò notam hanc eis inuri dubitandum non est.

*Marcellinus Papa falsò accusatur impietatis.*

Nam quòd primo loco Marcellinus numeratur, de quo paulò antè fecimus mentionem, eadem ratione dicatur hæreticus Apostolus Petrus, quem & ipsum Christum negasse constat: sed sicut is crimen hoc posteà non lachrymis modò, verùm & fuso pro Christi nomine sanguine, cùm eum constanter ad mortem vsq; confiteretur, expiauit: sic fecit imitator & successor eius Marcellinus. De Liberio negari non potest, sparsum fuisse rumorem, quòd is in Cõstantij gratiam Arianorum errori subscripserit. Verùm id Arianorum, commentum fuisse, dubium non est, qui ad confirmandam hæresim suam plurimum id momenti allaturum intelligebant, si tantus ei Pontifex subscripsisse crederetur. Certè qui scripserunt Ecclesiasticam historiam, quamuis Græci, & hoc nomine Romanis Pontificibus minus æqui,

*Socrat.*

nullam subscripsionis eius mentionem feciſſe videntur. Socrates quidem hac de re sic scribit: Principio Liberius Episcopus Romanus, simulac se illi fidei assentiri denegauerat, ab Vrsacio in exilium eiectus est, & Felix Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianæq; sectę addictus, per vim & violentiam ab eodem Vrsacio ad eum dignitatis gradum delectus. Et paucis interiectis: Liberius autem nõ multò pòst ab exilio reuocatus, sedem Episcopatus propterea recuperauit, quòd Populus Roman. seditione conflata, Felicem Ecclesia illa eiecerat, Imperator ipse etiam inuito animo illis consenserat. An autem inuitus cõsensisset, si quod vnum tanto studio ab eo extorquere conabatur, Liberius ipsius voluntati de subscribendo assensum præbuisset: cùm non alia fuerit causa, quamobrem exilio multaretur, nisi quod id face-

*Theodor.*

re recusabat. Porrò Theodoretus, non modò nihil de subscripsione meminit, verumetiam dialogum quendam recenset inter Cõstantium Imperatorem & Liberium Papam habitũ, in quo cum Liberio Constantius omnibus modis persuadere conaretur, vt Athanasij damnationi subscriberet, nequaquam id ab eo potuit obtinere, cumq; trium dierum spacium ad deliberandum ei concessisset, nisi faceret, exilio multandum, respondit Liberius: Trium dierum aut mensium spacium, rationem non mutat, quare mitte me quò lubet, Sic in exilium ire iussus est: cumq; misissent ei & Imperator & Imperatrix 1000. aureos in sumptũ, recusauit, & in Thraciam se contulit. Biennio verò elapso, Constantius Romam proficiscitur, ibi nobiles matronę supplices ab eo petunt, vt eis pastorem restituat, quod quamuis grauat

*Lib. 4. cap. 10.*

tim, cõcessit ille tamen. Zozomenus verò rem ita narrat. Cõstantius Liberio Episcopo Romano ad se accersito, persuadere conatur, vt sententiæ Episcoporum quos circa se habebat, assentiretur, & Athanasij condemnationi subscriberet, cùm sibi refragaretur, constanterq; affirmaret, se nunquam illud facturum, iussit eum Birrheam vsq; quod est oppidum Thraciæ, relegari. Facit idem etiam dialogi mentionem, quem habuit cum Constantino, deq; muneribus repudiatis. Quid scribi potuit euidentius ab his quanquam Græcis, ad demonstrãdum, quòd Liberius nunquam vel Athanasij damnationi, vel Ariano dogmati subscripserit. Spargebatur quidem rumor de Liberio, sed eum per calumniam traductum fuisse nar-

*Lib. 3. cap. 17.*

rat Nicephorus. Quamobrem cum ijsdem temporibus, quibus Socrates & Theodoretus, Ecclesiasticam historiam scripsisset Ruffinus, regressum quidem in vrbem fuisse Liberium viuente Constantio, commemorat: Sed hoc, inquit, vtrum quòd acquieuerit voluntati suæ ad subscribendũ, an ad populi Romani gratiam, à quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo. Vixit aũt ijsdem temporibus Hieronym. quoq; sed si qui temporis illius historiam scribebat, ac diligentius omnia proculdubiò scrutabatur, nihil Ruffinus pro certo ea de re compertum habere potuit, verisimile est, multò minus Hieronymum scire potuisse, qui solitariam ferè vitam in desertis locis agebat. Ac fieri potest, quòd quem de Liberio rumorem falsò sparsum fuisse, scribit Nicephorus, quasi reprobasset homousion, & acquieuisset Imperatoris voluntati, perlatus is ad Hieronymum quoq; fuerit. Ex quo factum est, vt scriberet is, Fortunatianum Liberium Romanæ vrbis Episcopum

*In lib. de viris illustrib.*

pro fide ad exilium pergentem, primùm solicitasse ac fregisse, & ad subscriptionem hæreseos impulisse. Simile quiddam euenisse potuit Athanasio quoq; ad quem & ipsum hac de re falsus rumor peruenisse videtur: propterea conflictus ab Arianis, quò & ipse facilius adduci posset, vt homousion reprobaret, cùm id à tanto Pontifice factum accepisset. Quę cautũ fuit illi scribendi, quòd Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, miniſque

*Ad solitariam vitam agentes.*

mortis ad subscriptionem adductus est. Quare quicquid ea de re scribant, vel Hieronymus, vel ante eum Athanasius, quandoquidem id parùm certo rumore cognouerunt, cùm variè rem à varijs narratam fuisse constet, maius meritò pondus eorum habere debent testimonia, qui cùm temporis illius res gestas literis mandarent, diligentius omnia sunt explorare conati. Certè Augustinus & Optatus in catalogo Episcoporum Romanorũ, quem recensent, etiam Liberij meminerunt: quod nequaquam feciſſent, si quòd hæresi Arianæ subscripserit, certò constitisset: Dixisset autem Ambrosius, Tempus est soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior, eò sermo accedat gratior: si quòd hæresi subscripserit, exploratum habuisset? Epiphanius quoq; beatum, Basilius verò beatissimum, Syricius autem appellat Liberium veneran dæ memoriæ prædecessorem suum. Verùm demus factũ esse, quod rumore falso tum sparsum fuisse, quòd inductus fuerit ad subscriptionem, certè factum hoc eius ipse excusat Athanasius. Illud ipsum, inquit, & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit. Quę enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, eę iam non metuentium, sed ita cogentiũ voluntates habendæ sunt. Negat Athanasius, Liberij, sed eorũ, qui coëgerunt in subscribendo cõsentionẽ fuisse, ita vt si maximè verus fuisset rumor hic, qui cõfictus de eo erat, nõ alio tñ loco haberi oportuerit propterea Liberiũ, quam quo Petrũ Apostolũ qui Christum negauit: & quo Marcellinum, qui thura idolis admouit: nec ei crimen hæreseos vlla ratione impingi potuerit, cùm hæreticus is propriè dicatur, qui suo ipsius iudicio cõdemnatus, sua sponte seipsum eijcit ab Ecclesia, nec eam audire dignatur: quòd se rectius quàm vniuersam illã sapere persuasum habet. Idem. n. est hæresis Græcè, quod electio Latinè. Quamobrem is dicitur hæreticus, qui sibi nouum doctrinæ genus aliquod elegit, qui singulares quasdam opiniones adfert à cõmuni totius Ecclesiæ sensu & cõsensu discrepãtes, quas ita pertinaciter tuetur, vt orbem vniuersum Christianum coercitatis potius cõdemnare non dubitet, quàm semel & iterum admonitus errorem suum agnoscere, & ab eo discedere velit. Vbi verò nõ est electio voluntaria, sed metu quis adigitur, ibi propriè hęresis esse dici non potest. Quod ad Felicem attinet, scribit de eo Socrates, quod cùm Arianę sectę fuisset addictus, per vim & violentiam ab Vrsacio ad eum dignitatis gradũ quem obtinebat Liberius, delectus est. Sed eum Populus Romanus, seditione conflata, Ecclesia eiecerat, Imperator q; ipse etiam inuito animo, vt Liberius ab exilio reuocaretur, consensit. Theodoretus verò testimonium hoc Felici dat, quòd fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram, nisi quod cum illis, qui eandem labefactare studebãt, ne qũ Imperatorem offenderet, liberè cõmunicauit, ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiã dum ille intus erat, ingredi voluit. Idem illi dat testimonium Zozomenus quoq; qui narrat eum fidei Concilij Nicęni semper consensisse, & omnino quantum pertinebat ad religionem, reprehensione caruisse: atq; ob id solùm in crimen vocatum esse, quòd nõ modò Arianos ministros Ecclesia ordinaret, verumetiam quod eorum cõmunione vteretur. Neq; diuersum à Theodoreto & Zozomeno scribit Ruffinus, vt his tribus quàm vni Socrati maior fides haberi meritò debeat. Quanquam etiam si fuisset Arianus, pro Pontifice Romano nunquam fuit agnitus, sed ab Imperatore per vim intrusus.

*Epiph. epist. 75. Basil. epist. 74. Syri. in epist. ad Imerium.*

*Hæreticus quis prò priè dicatur.*

*Defenditur Felix Papa.*

*1. lib. 1. cap. 22. 2. lib. 4. cap. 11. 3. vbi suprà. Soc. lib. 2. cap. 37. Dist. 19. cap. Anastasius 1. quæstione 1. cap. Dictum est.*

Anastasio Pontifici suspicionem hanc primus cõflasse videtur Gratianus, cuius errorem, vt fit, alij posteà sunt sequuti. Narrat is fabulam quandam, quod multi clerici se à communione ipsius (sic enim loquitur Gratianus) abegerunt, eò quòd communicasset sine cõsilio Episcoporum, vel Presbyterorum & Clericorum cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communicauerat Achatio. Et quia voluit occultè reuocare Achatium, & non potuit, nutu diuino percussus est. Vnde fabulam hanc Gratianus descripserit, non satis constat: verùm qui libros eius legerit attentiùs, riuulos eum potius alio-

*Anastasio Pontifici iniquus est. Gratian. in decretis*

*Cur Gratianus alibi erret.*

rum compilatorum consectatum, quàm ex ipsis fontibus hausisse pleraque reperiet. Nam compilarunt ante eum quoque similes sententias Isidorus, Iuo Carnotensis, & qui præcesserunt eum Burchardus Vvormatiensis, Episcopi. Sed commentum hoc Gratiani refellit ipsius Anastasij Epistola, ex qua perspicuum cuiuis esse potest, quòd etiam in glossa textus illius legitur, antequam factus esset Anastasius Pontifex, Achatium defunctum fuisse. Qui potuit autem fieri defunctum, vt reuocare voluerit Pontifex? Nam quod scribit glossator, vt orationes pro eo in Ecclesia fierent, cum Achatium reuocare voluisse: prorsus id absurdum est: & contrarium eius ostendit epistola, quam ad cognominem suum Anastasium Imperatorem scripsit, in qua specialiter Achatij nomen taceri vult: quæ sola sufficit ad commentum hoc Gratiani refellendum, cùm præsertim etiam excommunicasse legatur Anastasium Imperatorẽ, propterà quod Achatio cõmunicaret. Ac adfert is alio loco piam quan

*2. Quæst. 1. cap. Dictum est.*

dam & catholicam Anastasij sententiam ex illa eius epistola, quam parum catholicè refutare conatur. Videtur autem eam ex aliquo compilatore potius excerpsisse, quàm integram epistolam Anastasij legisse. Nam si legisset integram, in errorem hunc prolapsus nõ fuisset. Porrò quòd scribit Anastasium nutu diuino percussum fuisse, id Imperatori Anastasio, qui vixit eodem tempore, non autem Pontifici contigisse, legitur apud Paulum diaconum in vita eius.

Recensetur inter hæreticos etiam Honorius, quòd is Monothelitarum errorem approbauerit. At vindicant eum ab isto crimine, quotquot ferè temporum illorum res gestas monumentis literarum consignarunt, Blondus, & eius abbreuiator, Æneas Syluius, Sabellicus, Nauclerus, Platina: qui primum hunc Pontificem fuisse volunt, qui Monothelitarum hæresim condemnauerit: ac ipso factum auctore narrant, vt Imperator Heraclius, in hanc hæresim lapsus, ab errore suo resipisceret, ac Phyrrum, per quem seductus fuerat, in Aphricam relegaret. Ex quo videre licet, quæ sit fides illis habenda, qui proximis superioribus annis, mendacis cuiusdam historiæ centurias conscripserunt, in quarum septima, Monothelitarum hæresi correptum Honorium fuisse somniant, & eius rei Blondum testem citant, cùm tamen in historia Blondi contrarium legamus. At in sexta Synodo Oecumenica condemnatus est, aiunt, Honorius, tanquam hæresis huius approbator. Quid igitur ad hæc dicemus? Num auctoritati tantæ Synodi detrahendũ esse putabimus? Absit? Verùm hoc potius dicemus, q; in huius ipsius sextæ Synodi duodecima & quartadecima actione dictũ fuit de actis quintæ Synodi, quæ sextam hanc præcesserat: q; in septima eius actione

*Honorius ab hæresi Monothelitarum vindicatur. Blond. lib. 9. dec. 1. cad. Sylui. Æneid. 8. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



pleraq; per falsarios inserta fuerunt, quæ ne cogitare quidem in mentem venerat vnquam
Octa. syn. sessione 20. Patribus in illa Synodo congregatis. Quod Græcis facere non insolitum fuisse, testatur etiam Nicolai Pontificis epistola ad Michaëlem Imperatorem scripta: testatur & Anastasij prefatio in octauam Synodum, quin & ipsi confitentur hoc Græci, qui conuenerant in Concilio Florentino. Questus est autem etiam ante mille annos. Leo primus Pontifex Rom. tale quiddam de sua, quam ad Flauianum Cõstantinopolitanum Episcopum dederat epistola, factum fuisse. Cęterùm quod potest adferri fortius argumentum ad hoc crimen, quod impingitur Honorio, diluendum, quàm ipsius Agathonis epistola? cuius Patres in sexta Synodo cõgregati sententiam sunt sequuti, quòd in ea per Agathonem Petrum loqui dicerent.
Sex. syn. Actione 4. Ibidem Actio. 18. Agathonis Episcopi vers. pro Cathedra Petri. In qua cum Agatho perstrinxisset hæreseos Monotheliticæ Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum, Constantinopolitanos Episcopos, ad Imperatores his verbis vtitur: Eximenda proinde, ac summis conatibus cum Dei præsidio liberanda est sancta Dei Ecclesia Christianissimi vestri imperij de talium doctorum erroribus, vt Euangelicam atque Apostolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata est supra firmam petram, huius B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ quæ eius gratia atque præsidio ab omni errore illibata permanet, &c. Ac non proculab initio eiusdem epistolæ: Hæc est, inquit, veræ fidei regula, quam & in prosperis & in aduersis vinaciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi imperij, Apostolica Christi Ecclesia: quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis, nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permansit: secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris
Lucæ 22. Euangelijs fatus est, Petre, Petre, inquiens, Ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, &c. Quæso te Brenti, aususnè fuisset sic sanctus ille Pontifex in facie totius Ecclesiæ gloriari, quod ab omni errore Petri sedes illibata permanserit, quòd à traditionis Apostolicæ tramite nunquam erraucrit, nec vnquam hæreticis nouitatibus deprauata succubuerit, si eius ipsius hæreseos, quam in illa epistola confutauit, primus approbator fuisset Honorius? inter cuius mortem, & illud tempus, quo sexta synodus est habita, nondũ anni sexaginta interfuerant. Nónne veritus fuisset, ne quis ei obiceret? Quam tu tantoperè Cathedram extollis, quam nunquam hæreticis nouitatibus deprauatam succubuisse scribis, ab ea ipsa quam nunc tu refellis, hæresis est approbata. Certè nec tàm rudis fuit Agatho Pontifex, vt ignorare potuerit, si qd eiusmodi factum esset: nec tam audax, vt si ciuisset aliquid, ita confidenter de eo gloriari vellet, quòd semper ab omni errore illibata sedes hæc permanserit. Deinde verò scripsit Photius Patriarcha Constantinopolitanus epistolam ad Michaëlem Bulgariæ Principem de septem Synodis Oecumenicis, & qui sint in singulis hæreseos condemnati recenset. Vbi ventum est ad sextam, omnes quidem alios hæreseos Monotheliticæ condemnatos enumerat, Honorij verò nullam prõsus facit mentionem. Quem silentio non præterijsset homo Græcus, & Romanorum Pontificum æmulus, si quid eiusmodi de eo compertum habuisset. Ac vt verum esse concedamus, quod eius generis aliquid scripserit Honorius, certè priuatas is literas ad Sergium dederat, nihil de Concilij sententia, nihil ea de re maturè fratrum Concilio decreuerat. Quòd si quid verò tale facit Pontifex, si priuatim tradit aliud, non est id petræ protinus impingendum, de qua illa Christi verba sunt: Portę inferi non pręualebunt aduersus eam.

Quod adfertur de Benedicto vndecimo, non indiget longa refutatione, cùm nusquà reperiatur aliquando ei hæreticum dogma obiectum fuisse, quin nouẽ illis mensibus, quibus Ecclesiæ præfuit, piè, sanctèq; Pontificatum administrasse perhibeatur.

Sed neq; de Ioanne vigesimosecundo, quicquam eiusmodi verè dici potest, quin illi potius, qui hanc illi notam conati sunt inurere, Marsilius Patauinus, & Guilhelmus Okkam hæretici sunt habiti.

Repertus est aũt qui Eugenium quoq; quartum inter hæreticos recenseret: Sed quę profertur illius hæresis? Censuit Ferrariam Basilæa conciliũ esse transferendum. Scilicet in hoc fidei cardo vertebatur, Basilææne, an Ferrarię Conciliũ haberetur? Iusta certè causa, quamobrem hæreticus censeretur. Sic istos nihil non cõminisci pudet, dum Pontificum auctoritatem eleuare queant. Quis aũt hanc Basilienſi Concilio dedit auctoritatem? quod Oecumenicum fuisse non constat: neq; ratum deinceps est habitum, quod in illo fuerat, hac quidem de re constitutum. Quin magis illud est agnitum pro legitimo Concilio, quod subidipsum tempus Ferrariæ fuit celebratum, ac paulò pòst Florentiam translatum, in quo tamen factum est operæprecium, quod erat inter Græcos & Latinos dissidium, eo sublato.

*Nullus Pontificum à fide Petri aberrauit.* Hinc videre licet, quàm anxiè quærentes hæretici, quàm nihil inuenire potuerint, quo demõstrarent in Cathedra Petri, per mille quingentos annos & amplius, sedisse quenquam aliquando, qui diuersum à Petri & successorum eius doctrina docuisset, quicq; conuictus alius enumerauimus. Successerunt igitur omnes Pontifices Romani, si minus in pietatem & sanctitatem, saltem in fidem & doctrinam Petri: quam & non aliam publicè semper sunt professi. Nam quid in corde cuiusque clausum fuerit, eius est solius iudicium, qui scrutatur corda & renes. Exigit autem hoc à nobis Christiana charitas, vt benè de cunctis existimemus, &
*Hier. 17.*



mus, & pro Catholicis omnes habeamus, quos nihil Catholicæ fidei contrarium apertè profiteri videmus. Cuius vos charitatis si vel micam haberetis Brenti, abistis tam scurrilibus iocis abstineretis procul dubio. Quæ est. n. ista dicacitas, vel scurrilitas potius, Petrum à Sotto Petrum Asotum, Cardinales vocare carnales? Scilicet vos estis homines, illi verè spirituales, quibus nihil est cõmune cum carne & sanguine: qui sic oẽm carnis curam abiecistis, vt etiam ad Euangelium prædicandum parum vobis idonei esse videamini, nisi per incœstum sacrilegium sub honesto coniugij prætextu, cum Nonnis etiam Monachi plerique compleminí? Tales cum sitis, alios vocare carnales nihilominus audetis: & legitimi successores Apostolorum vobis esse videmini: cùm Apostolos etiam legitimas vxores abiecisse constet, simũl vt Christum sequi cœperunt, quò magis esse possent ad Euangelium prædicandum expediti. Non imus hoc inficias Brenti, errare nonnunquã in eligendis Pontificibus & Cardinales & Canonicos: quid aũt si vulgus eligat, belua multorum capitum, si Magistratus, si Princeps? num & isti non æquè sunt errori obnoxij? num eos carnis & sanguinis expertes esse putas? Si legisti quæ scribit ea de re in tertio libro de Sacerdotio Ioãnes Chrysostomus, qualis melioribus etiam illis temporibus populi fuerit electio, cognoscere potuisti, cuius Babylonicã cõfusionem veritus Augustinus, quemadmodum ipse nõ succesſerat, sed accesserat, Valerio, sic viuens adhuc Ecclesiæ suæ de successore prouidere maluit, quàm vita functus, plebis iudicio rem permittere. Prauum est & inscrutabile cor hominis. Fieri potest, etiam cùm nihil aliud in eligendo spectatur quàm pietas & sanctitas, vt erretur nihilominus, piusq; videatur & sanctus, qui pius & sanctus non est. Fieri potest & hoc, vt vel carni & sanguini, vel affectioni plusculum indulgeatur in eligẽdo. Cæterùm vt aut eligatur hæreticus, aut qui Catholicè electus est sedens in Petri cathedra Pontifex, hæresim aperte profiteatur, non facilè fieri posse credent hi, quibus persuasum est, efficatiorem fuisse, quàm pro Petro fudit ad Patrem suum cęlestem orationem Christus, vt ne deficeret fides eius, quàm vt pro sua reuerentia non exaudiri potuerit.

*Christianæ charitatis est neminem facilè damnare, nedũ Pontificem.*
*Dicacitas & maledicentia Brentij.*
*Lutheri discipuli quàm spirituales.*
*De Pontificum electione.*
*Chrysost.*
*August. epist. 110.*
*Hier. 17.*
*Pontifex factus hæresim nõ professetur.*
*Lucæ 22.*

Quamobrem nihil est quòd illas contra nos sententias coacerues: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Non oẽs Episcopi sunt Episcopi. Nõ facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Auferet Dñs nomina sacerdotum cum sacerdotibus, qui fruſtra sibi blandiuntur in Episcopali nomine, & Presbyterij dignitate, & non in opere, qui malis operibus sua nomina destruunt. Nam & nos tibi cum tuo magistro Luthero respondebimus, quod ille Picardis aliquando respondit. Scimus heu nostrum casum & dolemus, non autem sicut heretici fugimus, & semiuiuum relinquimus, tanquam alienis peccatis polluti timeamus. Illi fugiunt à nobis Christianis, & repunt ad seipsos in angulũ. O blasphematores Dei, & proditores Christi. Si Christus fecisset sicut vos fecistis, quis vnquam saluatus esset? Sic Picardis vicinis suis hæreticis Romano fœtore gaudentibus (sic enim ipse loquitur) respõdit aliquando Lutherus: Vtinam aũt quas tu sentẽtias produxisti, minus in mores nostros quadrare possent. Sed intereà non minus verè contra vos eadem omnia proferri possunt, qui cum nouum quoddam Euangelium, quod sub scamno tot seculis latuisse dicitis, in lucem nuper adeò produxeritis, nullum tamen adhuc nouũ & eximiũ sanctitatis vestræ specimen exhibuistis. Vide aũt Brenti, num dogmati vestro consentanea scribas. Fidem. n. tantum à vestris exigitis, & eam sufficere solam putatis: cur à nobis opera prætereà requiritis?

*De indignis sacerdotibus distinctione 40. cap.*
*Non est facilè.*
*Hier. ad Heliodorum, epist. 1.*
*Hier. in Zoph. 1.*
*Lutherus in resolutionibus super propositionem 80.*

Estne autem hoc modestię Christianæ, quòd venerabilem virũ Petrum à Soto tam scurriliter insectaris, quòd dixerit, Totam quidem Ecclesiam, non autem singula membra, certam habere promissionem Christi & gubernationis Spiritus sancti? Sic. n. insultas homini: Quid hic noui? Imò quid blasphemiæ auditur? Amabo te, existimasne Asotum adhuc sana esse mente? Ecclesia habet promissionem præsentiæ CHristi, & gubernationis Spiritus sancti: tota quidem, non autem singula eius membra. Cùm ergo Asotici Prelati cõueniunt, necesse habet Christus iuxta promissionem suam præstò adesse, necesse habet & Spiritus sanctus eum cõuentum gubernare: cùm aũt inuicem à se iterum digrediuntur, & ad sua quiq; reuertuntur, digreditur etiam Spiritus sanctus, & reuertitur ad sinum Trinitatis suæ, vt ne plumam quidem apud Prælatos post se relinquat. Immanè, quantus hîc est stupor, quantus furor. Toti Ecclesiæ præsens est Christus, non aũt singulis eius membris. Tota Ecclesia gubernatur à Spiritu sancto, non autem singula eius membra. Ac si quidem sermo est de Ecclesia Asotica, certè nec CHristus, nec Spiritus sanctus præstò adest vel toti, vel singulis mẽbris eius. Si autem sermo est de vera Ecclesia Christi, profectò sicut Christus adest toti, ita adest etiam singulis eius membris. Et sicut Spiritus sanctus gubernat totam, ita etiam gubernat singula eius membra. Si quis, inquit Paulus, Spiritum Christi nõ habet, hic non est eius, &c. Nónne scurram hic agere potius videtur Brentius, quàm qualis videri vult Euangelij præconem? sed quò melius res intelligi queat, ipsa Petri verba adscribemus: Dixerat Brentius in confessione sua, quòd Ecclesia certam habet promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernatur à Spiritu sancto. Petrus hoc scholion addidit. Verum est, tota, nõ verò singula membra. Quòd si tota, maximè vbi tota conuenit, veraciter curatura & inquisitura, quæ ad salutem pertinent: quod fit in concilijs. Vnde illa specialem promissionem habet. Vbicunque sunt duo, vel tres, &c. Quæcunque igitur concilia sint, siue Prouincialia, siue Episcopalia, hanc habent promissionem, sed vniuersalia hanc, quæ fit toti Ecclesiæ: Portę inferi &c. Quid est quod in ijs verbis pium Lectorem offendere queat? Num quòd in veritate perpetuæ præsentiæ Christi, qui veritas est, habere dicit Petrus totam Ecclesiam, quàm vnũ aliquod eius membrum? Id si falsum est, cur igitur tu Brẽti, in ijs quæ proximè præcesserũt, magnam esse legitimorum Conciliorum auctoritatem scripsisti? quæ certè nihil habebunt

*Scurrilis Brentij oratio in Sotum.*
*Responsio, promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernationis spiritus sancti esse penes totam Ecclesiam, & nõ eius membra singula, quo ad veritatem inuestigãdã.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



eximium, si peræquè certam Christi perpetuæ præsentiæ promissionē habent singula membra, si perequè perpetuò gubernantur â Spiritu sancto quo ad veritatē inuestigandam. Cur autem dixit Christus. Vbicunq; sunt duo vel tres: at non potius: Vbicunq; est aliquis vestrū: si perinde præsens est semper singulis, atq; multis in vnum locū congregatis? Quorsum aut attinet Concilia congregare, si perinde præsens est perpetuò Christus vnicuiq; membro seorsum, atq; toti corpori Ecclesiæ? Quin Ecclesiæ membra sint etiam agricolæ, credo nō negabis. Cùm itaq; iuxta tuam sentētiam, etiam eorum quisq; promissionem habeat perpetuæ Christi præsentiæ, quid ex eo consequitur aliud, quàm vt æquè possit etiam agricola, quibuscunq; de rebus ambigitur, in causa fidei definire, atq; legitimū cōcilium, nec minor illius, quàm legitimi Concilij sit auctoritas? Stulti igitur fuerunt Apostoli, qui Concilium Antiochiæ primum congregauerunt: stulti Patres illi, qui Nicææ, Cōstantinopoli, Ephesi, Calcedone tot numero de causa fidei definituri conuenerunt. Quid .n. erat necesse tantos facere sumptus, tot itineris molestias, tot labores perferre, si peræquè certam Christi presentiæ promissionem habuerunt singuli seorsum habitantes, atq; vnum in locum omnes congregati? Deinde verò si certam habent perpetuæ CHristi præsentiæ promissionem singula veræ Ecclesiæ membra, qualem tu putas esse vestram Lutheranam: quæso te Brenti, fuitne tunc in singulis præsens Christus, cum plurima & ea præstantiora Ecclesiæ vestræ membra, partim ad Zuinglianam, partim ad Munceranam, partim ad Suenckfeldianam, partim ad Campanam, fidemnè dicam an perfidiam, ab errore vestro defecerunt? Aut fatearis oportet Brenti, præsentem etiam tum Christum istos habuisse, cùm hos tam fœdos errores vestris erroribus reiectis, amplexi sunt, etiam tum eos à Spiritu sancto fuisse gubernatos: aut verum scripsisse Petrum concedas, qui negat, certam perpetuæ Christi præsentiæ promissionem habere singula membra, quam certū est habere totam Ecclesiam. Videsnè iam quorsum tua tibi dicacitas reciderit? in quas ipse te falebras conieceris? quemadmodum ex illis explicare te non possis? dum homini pio piè de rebus diuinis differenti grauissimū blasphemiæ crimen impingere, stuporem, furorem adscribere, sanamq; mentem & sensum cōmunem detrahere non vereris. Neq; verò negauit Petrus, præsentem esse CHristum singulis membris, & à Spiritu sancto singula mēbra gubernari: verùm de re proposita loquebatur, de eo quod scriptum à te fuerat, Ecclesiam habere certam promissionem perpetuę præsentiæ Christi & gubernationis Spiritus sancti. Quòd perpetuò sit præsens CHristus, quòd ab eo perpetuò gubernētur singula Ecclesiæ membra, vt à fide nunq; aberrare possint, sicut gubernari Concilium legitimè cōgregatū nemo pius dubitat, hoc est q. Petrus à Soto rectè negat. Neq; verò tu ignorabas hoc Petrum dicere, verùm ad inuidiam illi cōflandam fecisti more vestro, vt calumniam hanc adhiberes, & ipse cōminisceretis aliquid, q. rectè posses oppugnare. Quæ causa etiam fuit, vt q. in confessione tua sic scripseras: Ecclesia certam habet promissionem perpetuæ præsentiæ Christi: sublata vocula perpetuæ, poneres in confutatione promissionem præsentiæ Christi. Atqui quin præsens adsit Christus in veris membris suis etiam singulis, quæ templa sunt eius, in quibus habitare dignatur, neq; Petrus à Soto, neq; pius quisquam, qui modò sanæ sit mentis, negat. Quòd autem perpetuò præsens adsit, quod æquè præsens adsit ad veritatem inueniendam singulis, atq; presens adest vniuersis in concilio legitimo cōgregatis: id verò negat Petrus: negant etiam omnes qui vel sensu communi sunt præditi. Itaq; nihil ad rem faciunt, quæ in testimonia profers è scripturis. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius, &c. Nemo enim cōtradicit. Sed audi quid idem dicat Apostolus: cùm enim præmisisset: Nemo potest dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto, subiunxit: Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationū sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritū datur sermo sapientię: alij aūt sermo scientię secūdum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatū in vno spiritu, alij operatio virtutū, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio fermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidēs singulis prout vult. Ad hoc igitur vt dicamus, Dominus IESVS, ex æquo Spiritum sanctum accepimus omnes, quotquot membra sumus Christi corporis Ecclesiæ. Nam qui non cōfitetur hunc, Ecclesię membrum nō est. Ad hoc autem vt prophetemus, vt scripturas interpretemur, vt de fidei cōtrouersijs definiamus, non ex æquo Spiritum sanctum accepimus omnes. Nam nec Episcopi, nec Doctores, nec Prophetę sumus omnes. Quin & ipsis Prophetis non semper præstò adfuisse Spiritum sanctum legimus, quo nonnunquam eos dostitui, documento nobis esse potest Helisæus, qui cùm flētem vidisset Sunamitidem, causamq; nescisset, ad puerum qui volebat eam prohibere dixit: Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Neq; tum solùm, verùm etiā cùm de futuris eum requisiuisset Iosaphat, spiritus ei prophetiæ defuit, vt necesse haberet psaltē adhibere. Sic alteri Prophetæ præstò quidem adfuit Spiritus sanctus, quando missus contra Samariam, quæ fuerant illi ventura mala, nunciauit: non autem adfuit, cùm pseudoprophetæ cuiusdam perfuasionibus adductus, panem in eius domo comedit, quod eum facere Dominus prohibuerat. Cuius mandati transgressi pœnas luit, à leone occisus. Sic & Nathan Propheta visus est Spiritu sancto destitutus, cùm interrogatus à Dauide Rege, num ædificare sibi templum liceret, respōdit, nihil impedire, quò minus faceret quod in corde suo deliberatum haberet: quem errorem suum posteà correxit, cum eum ædificare prohibuisset. Ex his cuiuis perspicere licet, si Prophetis etiam non semper præstò adest Spiritus sanctus, multò minus eum præstò adesse perpetuò singulis Ecclesiæ membris, qui non solùm vbi vult, sed etiam quando vult, & per quos vult, spirat: sępè vt sanctos deserat, inspiret aūt eos, qui sunt procul ab omni sanctitate

*Actor. 15.*

*Rom. 8.*
*1. Cor. 12.*

*Etiam Prophetæ spiritu nonnunquam destituuntur.*
*4. Regum 4.*
*4 Regum 3.*
*4. Regum 13.*
*2. Regum 7.*

*Ioan. 3.*



sanctitate remoti, sicut inspirasse legitur Balaam, Saulem, virum illum arrogantem Heliud, Caipham, & alios peruersos homines. Est quidem ita, quòd sicut nullum est membrum in corpore quod non sit particeps aliquo modo sensus & motus à capite, sic nullus est mortalium in Ecclesia, qui non sit particeps alicuius gratiæ Spiritus sancti. Cæterùm in quo simul omnes gratiæ concurrant, præter vnum Christum Deum & hominem, nemo fuit mortalium: quanquam spiritum veritatis Apostolis præstò semper singulis adfuisse, non negamus. Vbi verò simul conueniunt omnes, ibi præsens adest CHristus, ibi præsens adest Spiritus sanctus cum omni genere gratiarum. Nam quod vni deest, pensatur in altero: ac sæpè quod non reuelatur ducentis aut trecentis viris excellenti prudentia, doctrinaq; præditis, vni alicui non doctissimo reuelatur: in cuius posteà sententiam sic impellente Spiritu sancto, pedibus eunt alij multò doctiores. Sic abscondit pleraq; Spiritus sanctus à vobis sapientibus, & prudentibus, & reuelat ea paruulis. Quod etiam in synodo Niceena factum legimus, vbi quidam ex Confessoribus (libet autem Ruffini verbis vti) simplicissimæ naturæ vir, & nihil aliud sciens nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum, qui fuerat inter cæteros auditores Episcopos, insignem quendam Philosophum, quem ex doctoribus nemo disputando superare poterat, sic breui quadam oratiuncula constrinxit, vt obstupefactus ille virtute dictorum, ad alia mutus omnia, solùm hoc respondere potuerit, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quàm quòd Episcopus ille dixerat. Iamnè igitur intelligis Brenti, quàm verè Petrus dixerit, certam perpetuæ CHristi præsentiæ & gubernationis Spiritus sancti promissionem, quo ad inuestigandum veritatem, de qua potissimum agitur in Concilijs, habere quidem totam Ecclesiam, non autem singula membra? Nihil enim dixit aliud Petrus, quàm quòd etiam Caluinum vestrum fateri veritas coēgit: qui se minimè negare scribit, quin tota fidelium societas, multiplici donorum varietate instructa, longè ampliori & vberiori cœlestis sapientiæ thesauro prædita sit, quàm seorsum singuli: quodq; multò antè dictum ab Augustino fuisse cōmemorauimus, qui Deum alloquens, his verbis vsus est: Veritas tua nec mea est, nec illius aut illius, sed omnium nostrūm, quos ad eius communionem publicè vocas. Hoc enim dicere videtur Augustinus, quod ibi semper præstò CHristus adest, qui veritas est, ibi semper Spiritus sanctus præstò adest, qui spiritus est veritatis, vbi cōueniunt omnes, vbi simul in vnum locum tota congregatur Ecclesia: cæterùm in singulis membris, neque Christus veritas, neq; spiritus veritatis præstò semper adest, cùm de singulis membris scriptum sit, quòd omnis homo mendax: de tota verò Ecclesia, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Iudica nunc tu Brenti, vter vestrum fuerit cùm ista scriberet, sensui cōmuni destitutus? Petrusnè, qui dixit idem quod scripturæ consentaneum dictum anteà fuerat ab Augustino, quod & lumen ipsum rationis indicare videtur: an tu, qui tam scurriliter manifestam veritatem oppugnas? Quod si verum est, singula membra certam habere promissionem perpetuæ præsentiæ Christi & gubernationis Spiritus sancti, falsum sit oportet, quod à Propheta dictum est: Omnis homo mendax. Nam simul in eodē & veritas Christus, & mendacium, cuius pater est diabolus, inesse non possunt: Nec erit vllum Ecclesiæ membrum, quod labi, errare, decipi queat, si nunquam præsentia Christi, qui veritas est, destituitur. Vnde ergo tot hæreses quot enumerauimus? quę non aliundè ferè, quàm ex vestra schola Vvittenbergensi prodierūt? Quin & illud falsum sit oportet, quod ex Augustino proferre sæpè soletis, solis scripturarum libris, qui canonici vocantur, hunc timorē, honoremq; deferēdū esse, vt nullus eorum auctor scribendo aliquid erraſſe, firmissimè credatur. Cur .n. nō idem credamus de singulorum Ecclesiæ membrorum & scriptis & dictis, si certā habent singula promissionem perpetuæ præsentiæ Christi: qui cùm sit veritas, neq; falli potest, neq; fallere? Nos verò libenter Augustini sententiæ subscribimus, vt quem ille vult, honorem scripturis Canonicis habeamus, cęterùm sicut singula Ecclesię membra, quamlibet excellenti fuerint & vitæ sanctimonia & doctrina prædita posse tamen errare credimus: sic vbi tota conuenit Ecclesia, quam certam habere promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernationis Spiritus sancti, nemo pius ambigit, ibi nullum in fidei dogmatibus errorem admitti posse, certum & indubitatum habemus. Quamobrem illius Decretis proximum à scripturis canonicis locum tribuimus, & ab eodem ea Spiritu sancto profecta credimus, quo fuerūt inspirati, qui scripturę canonicæ libros ediderunt. Sed de re quę vel ipsa luce clarior est, plura nos verba facere necesse non est.

*Num. 22.*
*1. Reg. 10.*
*Iob. 27.*
*Ioan. 11.*

*Christus maximè præsens in Cōcilijs.*

*Matth. 11.*
*Ruffin. lib. 1. cap. 3. Ecclesiast. histor.*

Facit iam deinceps Brentius, quod facere solent qui malas causas defendendas susceperunt, & confarcinatis è scriptis Gregorij Nazianzeni, Basilij, Nicephori, Socratis, Bernardi, Adriani Papæ, delectorum quorundam Cardinalium & legatorū sedis Apostolicæ, qui præsidebant in cōcilio Tridentino, quibūsdam sententijs cōtra vitam & mores corruptos Episcoporum, & eorum qui sedent ad Ecclesiæ gubernacula, quandoquidem alia ratione non potest, vel hac saltem ordinem Episcoporū & Sacerdotū in odium, inuidiam, & contemptū omnium adducere conatur: quod in causa suę diuisionis defendendæ facere, semper hæreticis visitatum fuisse, in quadam epistola scribit Augustinus. Cur aūt non à Paulo potius exorsus es Brenti, quàm à Gregorio Nazianzeno? quò ficiam inde à Pauli temporibus nunquā Episcopis præstò Spiritū sanctum adfuisse, demōstrares. Nam & ipse de ijs qui suo tempore Dei regebant Ecclesiam, ad eundem propè modum questus est. Cùm .n. dixisset, Spero me Timotheum citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt, subiunxit eucstigiò. Neminem .n. habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis solicitus sit. Mox & rationem addidit: Oēs .n. inquit, quæ sua sunt, quærunt, non quæ IESV Christi. Vides quod eadem fere fuit Pauli de suis collegis querimonia. Neq; tamen ideò tales oēs fuerunt, qui cum Paulo tum erant. Erat .n. cum eo Lucas & Epaphroditus, Clemens, & alij nonnulli, quos constat non quæ sua sunt, quæsiuisse, sed quæ IESV CHristi: sed quia plures

*Hæreticorum mos est de cleri vitijs ac abusibus libentèr loqui*

*Aug. 137. epist. Etiam ætate Pauli Clerus non carebat vitijs.*
*Philip. 2.*

*2. Timoth. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



1. Timoth. 1. plures eiusmodi fuerunt in eius societate, nimirùm Demas, qui dereliquerat eum, diligens hoc seculum: Hymenæus, Alexander Ærarius, qui multa mala ei ostenderat, & alij, quorum

Philip. 1. in hac ipsa meminit epistola, qui ex contentione CHristum annunciabant non syncerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis eius, ideò, qui scripturæ mos est, dixit de non-

Hier. 6. nullis, tanquam de omnibus, quemadmodum etiam Hieremiam fecisse legimus: A minore vsque ad maiorem, inquit, omnes auaritiæ student, & à Propheta vsq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Quid ergo dicemus: quia tales erant etiam Pauli temporibus non pauci verbi ministri, num eis propterea Spiritus sanctus defuit? num ideò iugum eorum fuit ab omnibus excutiendum? Non ita docuit Apostolus: sed cùm quæstus esset de ijs, qui CHristum ex contentione prædicabant, non syncerè. Quid enim, inquit, dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Qui tum annunciabant Christum, faciebant id animo minimè Christiano: nihil enim aliud spectabant, quàm vt capto victoq; Paulo, maiorem adderent afflictionem: vt ex Euangelij profectu magis illi conflarent odium, & eum in vitę suę discrimen adducerent. Neq; tamen ideò Paulus eos audiri prohibuit: quin quacunq; tandem occasione CHristum per eos annunciari gaudebat. Huius exemplum imitari te Brenti oportebat, vt gauderes potius cum Paulo, si vel per occasionem Christus esset annunciatus, quàm tot virorum doctorum sententias coaceruares, quibus, quorum opera fit vt CHristus annuncietur, eos in odium &

Deterior olim Ecclesiæ status, quàm hodie Colloquia de Religione patribus improbata. contemptum adduceres. Quanquam quod ex Gregorio Nazianzeno profers & Basilio, de vestris hi scribunt, hoc est, de hæreticis, non de Catholicis Episcopis. Fuit enim idem propè tunc, qui nunc est Ecclesiæ status: quin deterior etiam, quàm sit hoc nostro seculo, cùm non aulæ tantum & ciuitates infectæ, verùm ne ipsi quidem Reges & Imperatores ab hæresi fuerint intacti. Sicut igitur subinde nunc instituuntur Colloquia, sic illo quoq; tempore

Gregor. in epist. ad Procopium. fuisse factum, etiam ante Gregorium questi sunt Athanasius, & Hilarius. Tales igitur synodos siue congressus deinceps fugere se velle, scribit Gregorius. Nunc audi quid in ea, quæ

Basil. epist. 70. proximè sequitur epistola, scribat Basilius: Vnum iam crimen est, inquit, quod vehementer punitur, si paternas quis traditiones diligenter obseruet. Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliud aliquid rerum temporalium, sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem in

Quod nunc sit ab hæreticis, olim quoque factum. acie ac certamine stamus. Domus precationum clausæ sunt, altaria cultu spirituali vacant, nulli amplius Christianorum cœtus, nulla amplius doctorum præsidentia. Cessarunt doctrinæ salubres, cessarunt panegyres, hymnodiæ nocturnę non habentur, Nobis iam dicere licet, quod in hoc tempore non sit neque Princeps, neque Propheta, neque Præses, neque oblatio, neq; incensum, neq; locus, in quo coram Domino possit offerri sacrificium. Quæso te Brenti, quos hîc notat Basilius? vosne, an nos, qui per Dei gratiam sumus Catholici? Quod nobis grauius crimen obijcitis, quàm quòd paternas traditiones diligenter obseruamus? Deinde qui sunt alij quàm vos, apud quos altaria spirituali cultu vacant, apud quos cessarunt doctrinæ salubres, nec habentur hymnodiæ nocturnæ: apud quos neque oblatio est, neque incensum, neque locus, in quo coram Domino possit offerri sacrificium: apud quos ipso etiam sacrificij nomine nihil est abominabilius? Vides igitur quod de vestris hæc maioribus, non de nostris scripsit Basilius: quodq; sicut anteà semel & iterum, sic & nunc testimonium ipse contra te produxisti. Iam quod adfers ex Nicephori & Socratis Ecclesiastica historia, demus tibi hoc erratum fuisse à Theophilo, & ab illo alio, quid aliud ex eo consequetur, quàm verum esse quod Petrus à Soto scripsit Ecclesiam totam, non autem singula eius membra: falsum autem esse quod asseris tu, singula Ecclesiæ membra certam habere promissionem perpetuę præsentię Christi, & gubernationis Spiritus sancti. Certè neque Petrus à Soto affirmauit hoc vnquam, neque nos in ea sententia sumus, vt putemus errare nō posse, si quis successit Episcopo Catholico: quin si quod à suis antecessoribus sibi traditum per manus accepit, id ipse non retinet, quin ei contrarium docet, aut facit aliquid, grauiter eum errare non diffitemur. Non enim satis est in locum Episcopi Catholici successisse, nisi catholicam etiam eorum doctrinam, quibus successisti, retineas. At vos Brenti, quo iure, quavè iniuria successistis in Ecclesijs plerisque Sacerdotibus Catholicis, neque tamen propterea vos non delirare dicimus, quandoquidem ab eorum pia doctrina, recessistis, neque Patrum nostrorum, qui ijdem & vestri fuerunt, traditiones retinetis: quin quòd ab eis nos discedere nolumus, per summam iniuriam grauissimum nobis idololatriæ crimen obijcitis: haud aliter atque Catholicis olim Arrianos fecisse scribit Basilius. Quæ verò proferuntur ex Bernardo & alijs, qui de corruptis moribus nostris nostro seculo scripserunt, vtinam ea refellere liceret, sed veriora sunt pleraque de multis, quàm vt refutari queant. Verùm

Semper in Ecclesia bonis permixti mali. (quòd aiunt) ab ouo tibi Brenti, exordiri licebat. Nam ab orbe condito semper in Ecclesia bonis mali permixti fuerunt. Quòd enim eadem sit eorum qui præcesserunt, & qui sequuntur

Genes. 4. sunt Christum natum Ecclesia, nec ignoras tu, nec diffiteris procul dubiò: temporum tantùm discrimen, fides fuit prorsus eadem. In venturum illi credebant, nos in eum qui iam venit Messiam credimus. Quamobrem si vel à primo parente nostro sumas initium, cum is

Genes. 9. duos filios habuerit, alterum fraterna cæde manus suas contaminasse reperies. In arca verò

Genes. 29. sua cum tribus tantùm filijs suis fuit Noë: quorum tamen vnus tam fuit ab omni pietate remotus, vt verenda detegere sui patris, & eum habere ludibrio veritus non sit. Abraham &

Malach. 1. ipse duos habuit filios, quorum reprobus alter eijci vnà cum matre sua iussus est. De liberis

Genes. 49. autem Isaac nónne dicit Dominus per Prophetam: Iacob dilexi, Esau autem odio habui? Iam in domo Iacob quàm turpe flagitium vnus ex filijs designarit, ex Genesis libro quàm ex nostra commemoratione te cognoscere malumus. Sed & reliqui fratres ferè omnes cum ære paruo fratrem suum Ioseph vendidissent, quantum in ipsis erat, eum perpetuæ seruituti manciparunt. Sanctus autem ille Dauid (vt interim silentio prætereamus, quæ de He-

Gen. 37. li, deq; Samuelis filijs narrat historia) quot & quàtis sceleribus coopertos filios habuerit, ex

1. Reg 2. eadem Regum historia videre licet. Quid verò faciunt aliud sancti Prophetæ ferè omnes, q̃

In secunda Regum. quòd sui quisque seculi mores perditissimos accusat? in quos ita sæpè grauiter inuehuntur, vt neminem superesse dicant, qui non declinauerit, qui non auaritiæ studeat, qui non dolū

Ioan. 6. faciat. Quid autem nato CHRISTO, num esse vitia desierunt? Elegit ipse sibi Christus duodecim, vnus ex eis erat diabolus. Elegerunt septem diaconos Apostoli, fuit vnus ex eis longè spurcissimus hæreticus. De Paulo iam diximus, quemadmodum is questus fuerit, neminem habere se, qui germanè de grege foret solicitus, quòd omnes quæ sua sunt, quærerent, non quæ Iesu Christi. Vetus itaq; fuit hic rerum status orenti. Ab orbe condito semper

Acto. 6. in Ecclesia bonis mali permixti fuerunt, & sicut huius seculi sapientes quidam dixisse fertur,

Phil. 2. plures mali. Quod ipsius dictum etiam æterna sapientia comprobauit, cum diceret: Multi

Matt. 26. sunt vocati, pauci verò electi. In cœlum conscendas oportet, si vis locum, vbi nulli sunt mali, reperire, quanquam & ex illo ceciderunt Angeli. Quod si qui seruiunt Deo, non sunt sta-

Iob. 4. biles, & in angelis suis reperit prauitatem, quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? Omnes declinauimus Brenti, & mutiles facti sumus: non est qui faciat bonum: non est vsq; ad vnum. Ante his mille annos dictum est hoc, & fuit multò antè verum, quàm dictum esset, & est nunc quoq; verius, q̃ vellemus. Quid igitur? Num propterea dicemus, ex quo tempore conditus est orbis ad hūc vsq; diem, non fuisse Spiritum sanctum in Ecclesia, quòd semper in ea fuerunt mali, & plures mali: quin & qui præsidebant, fuerunt sæpe mali? Absit. Quin propter hos malos, non

Mat. 9. propter vos iustos venit Christus in mundum: neque sic semper in Ecclesia mali fuerunt, vt

Mali etsi non habent in Ecclesia spiritum, quo iusti sanctificantur, habent tamen spiritum ad alios sanctificandos. Philip. in locis communibus. non essent illis boni quoq; permixti: qui licèt essent numero pauciores, sæpè tamen eorum causa Deus etiam malorum est misertus. Et ipsi mali quemadmodum antea scripsimus, quamuis non haberent spiritum quo ipsi sancti essent, habebant tamen spiritum quo sanctos alios facerent, siue sacramenta ministrando, siue Dei verbum prædicando. Fatentur autē hoc etiam tui Brenti (si modo tuus est Philippus) non modo Catholici, quòd fieret incerta fides, si vis Euangelij & sacramentorum penderet ex dignitate ministrorum cum Euangelium & sacramenta efficacia sint propter promissionem Dei nō propter ministri personā. Reuocat mentes nostras & fidem nostram Christus à persona ministri ad se se, inquiens. Qui vos audit, me audit, quasi dicat. Nec Euangelium est vestrum, nec opus vestrum est saluos facere auditores, sed Dei opus est, qui hoc mirabili modo sparsa voce Euangelij colligit sibi

Luc. 10. æternam Ecclesiam. Hoc vestri dicunt Brenti. Quorsum igitur attinet sic nobis exprobrare peccata nostra, quasi verò vos non sitis grauioribus flagitijs coopertí? Sed audi quid scribat de vobis, qui versatus fuit multis annis inter vos, nec valdè nonnullis visus est alienus à

De Lutheri secta doctrina vestra, ita vt quasi vulgò diceretur illud, Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat. Audi quid de vobis dixerit Erasmus Roterodamus: Vos, inquit, strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis,

Erasmi testimonium. in garrulitatem sophistarum, in preces, ieiunia & missas: nec ista purgari vultis, sed tolli: nec

Eras. in epistola in pseudo euangelicos. omnino quicquam in receptis placet, sed zizaniam euellitis cum tritico: aut, vt melius dicam, triticum euellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius & Euangelio dignius, vt ab assuetis recedamus? circumspice populum istum Euangelicum & obserua, nū mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostēdam, qui facti sunt scipsis deteriores. Et post pauca: Nunquam eorum Ecclesias fum ingressus, sed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus. Sic, opinor, discedunt milites à concione ducis ad prælium exhortati. Quis vnquam vidit in eorum concionibus quenquam fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Et iterum nonnullis interiectis: Circunspice mihi sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames? Et hos habent etiam in delitijs, tantum abest vt vitent. Apostoli quò magis vacarent Euangelio, aut abstinebant ab vxoribus, quas ducere licebat, aut legitimè ductas, vertebant in sorores. Nunc floret Euangelium, quòd sacerdotes & monachi contra certè leges humanas, contra professionem suam ducunt vxores. Condonetur hoc: Circumspice, num castiora sint eorum coniugia. q̃ aliorum, quos ducunt pro Ethnicis. Agnoscis, opinor, quas fabellas tibi possim referre, si li-

Aliud Erasmi testimonium. beret. Profert autem in epistola, quam scripsit ad fratres inferioris Germaniæ: Efferunt, inquit, honorabile coniugium & thorum immaculatum. Sed innui nonnullos Euangelicos (nam in genere loquutus sum) nihilo castiùs colere coniugium quàm Catholicos. Iubet me proferre fabulas: quid attinet: cùm vulgò narrentur. Negat esse notissima, cùm falsa sint, & tamen ipse fatetur de duobus. Ego noui monachum, qui pro vna duxerit tres. Noui sacrificum virum alioqui probum, qui duxit vxorem, quam pòst comperit alteri nupsisse. similia permulta de monachorum & monacharum coniugijs referuntur, qui ductas repudiarunt, eodem iure quo duxerant. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus fit adulteriorum? Quid Argentorati fiat nescio. Quid alibi compertum sit, mecum nouit populus. Iam vt donemus, istis Euangelij præconibus esse fas vxores ducere, quis non admiretur, cuiculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios (quibus accedit & paupertas, onus cùm miserum, tum graue) non posse viuere sine vxoribus? quas tam multi ob leuiores causas aut nō ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis tragœdia exit in catastrophem comicam. Vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca



contingit vxor, occinitur, Valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salaritas, quàm tot mala non possunt excutere? vnde tãta carnis rebellio in ijs, qui se iactant agi spiritu Christi? Et in eadem epistola : Sacerdotem, inquit, Basilęæ virgis cæsum, mox vrbe eiectum non nomino. Quid refert, quando defierit concionari? Istius erat professionis. Is, vt publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portã càm à carnifice dimitteretur, publicè testatus est, se postea quã se illi sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus prorusse. Quid de tota secta dixerit, non referam. Et iterum in epistola in pseudoeuangelicos: Dices, Nihil tam fuit vnquàm felix in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur. Ad bonos verte oculos. Fieri potest vt mea sit hæc infelicitas. Mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior: Et iterum: Euangelica pietas à minimis initijs paulatim creuit in maius & melius, & optimus quisque se illi iungebat: hanc doctrinam ferè leuissimus quisque amplectitur. Et in alio quodam libro: Adeò per hoc quod vos vocatis Euangelium, non corrigi scribit homines, vt potiùs videantur deteriores, nec fieri vt peccare definant, sed vt peccent impunitiùs. Sic ille, fenestram ad omnem nequitiam aperuisse vestrum? Euangelium iudicauit. Possem hic ex Gregorio quoque VVicelio viro non vulgari doctrina prædito nonnulla referre: sed quoniam is cùm fuisset anteà blasphemus, persequutor & contumeliosus, misericordiam Dei consequutus, ex persequutore tandem Apostolus, & ex Lutherano factus est Christianus, minus apud vos ponderis habiturum est eius quamlibet verum testimonium. Itaque nolo verbis eius recitandis esse prolixior. Extat libellus eius qui inscribitur, Ketectio Lutherismi. Ad eum vos remitto, cuiusmodi sint sectæ vestræ mores, ibi verissimè scriptum reperietis. Sed irrefragabile testimonium Islebiensis idoli vestri non possum, quin producam. Nam illi fidem quin habeatis indubitatam, causam dicere non potestis, præsertim cùm Dei verbum non aliud agnoscatis, nisi quod ab illo scribitur. Audiatis igitur Deum vestrum loquentem: Mundus, inquit, in dies fit deterior. Sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti & indisciplinati, multoq; deteriores, quàm fuerint in Papatu. Alio verò loco suos increpans, decies eos esse dicit Sodomitis peiores. Habesnè quod ei possis contradicere, cuius verba nihil aliud sunt iudicio vestro, nisi verba Dei? Si mentiri potest Deus vester, mentiri potest hæc scribens de vobis Lutherus : qui nusquam scripsit veriùs, quàm vbi quem fructum attulerit doctrina sua, planum fecit orbi vniuerso. Qua fronte igitur audet Asotus iste Brentius nobis decies Sodomitis peiores obtrudere, qui sunt Ecclesiasticæ doctrinæ iudices, & eos reijcere, quorum hoc proprium semper in Ecclesia fuit munus, in cuius possessione plus quàm mille quingentis annis fuerunt? quin si spectes Iudæorum etiam sacerdotes, plus quàm bis totidem alijs annis. Nam ex quo tempore sacerdotium Iudæorum sumpsit originem ad hunc vsque diem, nunquam apud omnes eos, qui vel in venturum, vel in eum qui iam venit, Christum crediderunt, penes alios quàm penes Episcopos & sacerdotes de religionis doctrina iudicandi fuit potestas. Quamobrem nihil est Brenti, quòd nobis iudicandi potestatem hanc adimas, quòd non sumus omnes absque crimine, cùm nihilo sint vestri nostris meliores : quin si vestro idolo credimus, multis etiam partibus deteriores. Quod si scriberet etiam nullus, res tamen ipsa clamat. Possem historiam tibi proferre Brenti, de quodam, qui cùm trium superstitum vxorum esset maritus, à vestris tamen magno cum applausu fuit exceptus, & in pretio habitus, ob hoc solùm, quòd contraria Christianæ fidei, Lutherana vestra dogmata in vulgus spargebat. Possem & alium in eadem ciuitate nominare, de quo publica fuit fama, quòd è schola carnificis profectus, itidem non vnius vxoris esset maritus. Quamuis autem vnam secum tantùm adduxisset vudecunq; tandem raptam (nam variè res narratur) inter scorta nihilominùs perpetuò volutabatur, vxorem etiam inspectante. Adeò nec vxoris commercium vllum ei contra fornicationem attulit remedium: fuit tamen habitus præclarus & idoneus cùmprimis Euangelij vestri ministeri. Sic autem iam hoc est moribus receptum apud Euangelij vestri præcones, simul vt duas aut tres vxores habeant, vt iam pro crimine propemodum non habeatur, ac modò non in laudem ponatur. Possem & carnificem pastoris apud vestros officio functum recensere. Et hos tu tales Ecclesiasticæ doctrinæ iudices vis esse potiùs, quàm qui sunt à tot millibus annorum legitimè ad eam rem vocati ? Et intereà nostra nobis obijcis peccata, nihil veritus, ne tibi quoq; dicatur illud ex Euangelio: Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides ? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.

Hic iterum te pientissime Rex appello, cui Brentij libellum hunc dicauit Vergerius, coram quo se doctrinam illius defensurum obtulit. Si locum hunc defendendum coram te susciperet Vergerius, quandoquidem non sic in pietatem & sanctitatem, sicut in loca, sedesq; quæ maiorum nostrorum successissimus, non esse nos idoneos Ecclesiasticæ doctrinæ iudices, quem hic esset accusaturus alium præter te? Cuius enim alius arbitrio præter quàm tuo, & à Canonicis eligunturs, & à Pontifice Romano confirmantur Episcopi? Certè nec eligunt Canonici, neque confirmat Pontifex, nisi quos tu nominaueris: vt quæcunque crimina iaciuntur in Episcopos siue sint vera, siue falsa, non in alium quàm in teipsum iaciantur? Cuius enim nisi tua culpa sit, vt Ecclesiasticæ doctrinæ nos idonei iudices esse non possimus, si verum est quod de nobis scribit Brentius, quodq; se defensurum offert Vergerius? Nam si vel suo iudicio Canonici eligerent, vel suo iudicio Pontifex Episcopos constitueret, iustam tamen videri possent habere causam Brentius & Vergerius, vel Canonicos, vel Pontificem, quam sectandi. Nunc cùm tuo ferè solius iudicio fiat Episcoporum & electio & confirmatio, quam ad rem venit huc Vergerius, nisi vt tibi insultaret? vt populi contra te seditionem excitaret?

*Idem in hiperaspiste secundo.*

*Georg. VVicelius.*

*Lutherus testatur suos Catholicos deteriores esse.*

*Luth. in Postilla super Euangelium Domin. primæ aduentus.*

*Et in veteri, & in noua lege iudicium de religione penes sacerdotes fuit.*

*Flagitia non rara ministrorum noui Euangelij.*

*Matth. 7.*

*Luc. 6.*

*Ad Regem apostrophe, perstringens Vergerium.*

*Reges Poloni eligunt Episcopos regni.*



cuius opera in regno & adiunctis illi terris imperio tuo subiectis, tales Episcopi constituti sint, qui doctrinæ Ecclesiasticæ Iudices idonei esse non possint? Verùm nos etsi non successimus oés in pietatem & honestatem maiorum nostrorum, quoniam tamen in eorum doctrinam successimus, à qua Brentium & Vergerium cum suis discessisse certum est, vel hoc satis esse debet pijs omnibus, vt nos Ecclesiasticæ doctrinæ Iudices agnoscere non recusent.

Tractat deinde locum Euangelij de portis inferi Brentius, & negat Episcopos siue Prælatos (vt ipse vocat) Ecclesiam illam esse, aduersus quam portas inferi non præualituras dixit Christus. Iam enim demonstratum est, inquit, quòd præualuerint: cùm tamen eius nihil demonstrauerit. Sperare se deinde dicit, pios aliquot viros inter Episcopos inueniri, quibus Asotica impudentia & impietas vehementer displiceat. Est ita Brenti: displicet pijs omnibus vehementer Asotica ista vestra impudentia & impietas, qui contra manifesta scripturæ verba legem ab alijs, quàm à sacerdotibus requiri, doctrinæq; religionis alios quàm Sacerdotes & Episcopos Iudices esse vultis. Petri verò à Soto pietas probatur vehementer pijs omnibus, qui ficu alijs de rebus, ita de hac quoque non aliud, quàm quod verbo Dei consentaneum est, docere videtur. Pergit posteà Brentius, ac pios Episcopos, quod ad priuatam eorum personam attinet, membra quidem Ecclesiæ, non autem ipsam totam esse dicit Ecclesiam. Quod verò ad publicum eorum officium attinet, ministri sunt, inquit, Ecclesiæ, non Domini. Non est Brenti, priuata persona Episcopus: Petrus, Paulus, Andreas, priuatæ personæ sunt: Episcopus præterquam quòd publicum in Ecclesia reconciliationis ministerium gerit, in hoc quoque sustinet personam publicam, quòd mandatum est illi à Deo munus pascendi oues, & Ecclesiam Dei regendi. Intereà tamen illud tibi concedimus, quòd si sint vnius prouinciæ vel nationis Episcopi, non rectè dicantur totam Ecclesiam repræsentare, sed illius tantùm prouinciæ vel nationis Ecclesiam, vbi sunt vnum aliquem in locum congregati. Cæterùm vbi conuocatur Oecumenicum Concilium, quicunq; veniunt ad illud ex toto orbe acciti Episcopi, etiamsi non omnes conuenerint, quòd alij morbis, alij sint alijs causis impediti, qui tamen præsentes adsunt è singulis prouincijs & nationibus, eos totam Ecclesiam repræsentare, dubium non est. Quod etiam Augustinus non obscurè videtur indicare, cùm plenarij Concilij sententiam, totius Ecclesiæ consensionem vocat. Et ante eum Athanasius: Ea, inquit, causa fuit, cur vniuersus orbis in Concilium coiret. Vniuersum orbem vocat trecentos, decem & octo Patres in Concilio Nicæno congregatos. Sic & Leo Pontifex Canonum Nicæ habitorum decreta, quo trecenti tantùm decem & octo Episcopi conuenerant, à totius mundi sacerdotibus dicit esse constituta. Quin & in octaua Synodo, quæ quarta fuit Constantinopolitana, sic Photium Bachaius alloquutus esse legitur: Loquere Domine Photi, totus mundus hic est, totum mundum vocauit Synodum Oecumenicam. Quamobrem & quæ constituuntur in tali Synodo, totius mundi constitutiones rectè vocari possunt, cùm eis totus mundus, quàm latè patet nomen in eo Christianum, ligetur. In prouinciali non item: non enim ligantur Synodi prouincialis decretis, nisi qui sunt eiusdē prouinciæ. Quam etiam ob causam à Gratiano scriptum esse legimus: Episcoporum Concilia sunt inualida, ad definiendum, & constituendum, non autū ad corrigendum. Corrigi mores possunt & cleri, & populi in Synodis prouincialibus : de fide constitui quicquam non potest. Mores enim habent suos cuiusque prouinciæ & nationis homines: qui quemadmodum corrigendi sint, nemo scire potest melius, quàm qui sunt ex eadem prouincia. Fidem autem suam peculiarem non habet vlla diœcesis aut prouincia, sed Catholici vocamur omnes. Sicut de vna Ecclesia Catholica, sic de vna etiam fide Catholica gloriamur: nec licet de fide quicquam definire, nisi vbi simul omnes ex omnibus totius orbis Christiani prouincijs conuenerint Episcopi: qui posteaquam vnum aliquem in locum congregati sunt, tota Ecclesia conuenisse dicitur. Legimus in libris Regum post descriptam illam magnifici templi à Salomone fabricationem hæc verba : Tum congregati sunt omnes maiores natu Israël ad Regem Salomonem in Hierusalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid. Ac paulò post: Conuertitq; Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ. Omnis enim Ecclesia Israël stabat. Omni Ecclesiæ benedictum, omnem Ecclesiam Israël stetisse dicitur, cùm antea maiores natu tantùm Principes tribuum, & Duces familiarum commemorati fuerint. Quid aliud ijs verbis indicatum est, quàm quòd illi repræsentabant omnem Ecclesiã? nam reliquus ferè cœtus omnis ex primarijs pendere consueuit. Tales itaq; cum sint Episcopi, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quemcunq; tandem in locum ex orbe Christiano vniuerso congregati fuerint, tota Ecclesia conuenisse dicitur, quandoquidē hi conuenerunt, quorum Deus ministerio gubernat Ecclesiam: quam etiam ob causam Ecclesiæ ministri vocantur: quod nomen etiam Regibus & Principibus tribuit scriptura. Nam & horum in rebus pollicitis ministerio Deus Ecclesiam gubernat: qui tamen & ipsi non arcentur à Synodis, imò vocari consueuerunt à Pontifice, præsertim quoties de causa fidei disceptatur, cùm habeant & ipsi suam in synodis functionem. Si quos enim tanquam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit sententia sacerdotum, eorum doctrina reprobata, debent esse Principes, præ cæteris autem Imperator, eiusdem sententiæ & ordinationis cùm sacerdotum auctoritate, sicut in epistola sua scripsisse Iustinianum, paulò antè commoratiimus: vt externa disciplina contra tales vtantur, quodq; fuerit ab Episcopis constitutum, exequitioni mandandum curent.

Quod autem ait Brentius, Episcopos Ecclesiæ seruire debere, non iuxta suum ipsorum arbitrium, non iuxta fictitias traditiones, sed iuxta certum & verum verbum Domini sui scripturis propheticis & Apostolicis comprehensum: itaque si hanc regulam & metam transiliunt, non aliud reliquum est, quàm spiritus ignorantiæ, cæcitatis, & erroris, &c. Quid si faci-

*De loco. Matth. 1.*

*Episcopi non priuatæ personæ, sed qui collecti totam Ecclesiam repræsentant.*

*Aug. li. 1 cap. 18. de baptismo parvulorū contra Donatistas.*

*Athan. epist. de gestis Synodi Arimini & Seleuciæ congregati.*

*Leo epist. 24.*

*Octa. syn. actione 5*

*Dist. 18. cap. 1. Ecclesia dicitur conuentus totorum Ecclesiam ipsam repræsentium.*

*Act. 20.*

*Ecclesiæ ministri dicuntur magistratus Ecclesiastici, tum et politici.*

*Brentius Episcopos verbo scripto vult alligatos esse.*

*Responsio.* ant hoc Episcopi Brenti, neque tamen facere vobis videantur? Quæso te, qua de re nunc agitur? nónne iuxta verum & certum verbum Domini nostri scripturis Propheticis & Apostolicis comprehensum docemus? Vis audire scripturas propheticas? Audi quid in Leuitico
*Catholicos ex verbo Dei docere & defendere, penes Magistratus Ecclesiasticos esse de sacris iudicium atq; sententiam.* dixerit Dominus ad Aaron: Præceptum, inquit, sempiternum est in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum doceatisque filios Israël omnia legitima mea. Cui dedit hic Deus discernendi, cui docendi facultatē? Nónne Aaron & filijs eius sacerdotibus? Rursus in Deuteronomio: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes Leuitici generis, &c. Et in eodem libro: Accedent Sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius: & ad verbum eorum omne negotium pendebit. Ad verbum, inquit, Sacerdotum omne negotium pendebit. Audi & Ezechielem: Sacerdotes, inquit, Leuitæ filij Zadoc, populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis: & cùm fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt, &c. Potuitne dici quicquam apertius? Sacerdotes, inquit, docebunt, Sacerdotes iudicabunt non Reges, non quicunq; tandem laici, sartores, sutores, agricolæ. Sic & Aggæus: Interroga, inquit, Sacerdotes legem non Principes. Sic & Malachias: Labia Sacerdotis custodiēt scientiā, & legem requirent ex ore eius. Nunquid hęc nó sunt scripturæ propheticæ? Vis & Apostolicas audire? Quosdam quidē, inquit Paulus, posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Et alio loco: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Vides quemadmodum hic officia distinxerint? Et iterum: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, Et hic Episcopos esse positos dicit ad regendam Ecclesiam, non Principes multò minus mercatores aut sordidos aliquos opifices. Nónne iam intelligis Brenti, nos iuxta verum & certum verbum Domini nostri scripturis Propheticis & Apostolicis comprehensum, Ecclesiæ seruire? Tu contrà, quod adfers Dei verbum, quo requirere legem ex ore Principis aut laici, populus iubeatur? quo docendi legem, quo iudicandi de doctrina religionis potestas illi permittatur. Interea tamen cum eiusmodi nihil proferas, te videri vis, tuosq; qui iuxta Dei verbum Ecclesiæ seruiant: nos ab eius possessione repellis: cùm tamen nemo sit qui grauius Dei verbum quàm vos oppugnet. Cæterùm vtrùm ad scripturas tantùm, an ad traditiones quoq; Deus Ecclesiam suam voluerit alligatam, alius erit ea de re dicendi locus magis oportunus.

*Aggæ. 2.* *Malach.* *1. Cor. 12.* *Ephe. 4.* *Actor. 20.*

*Brentius Ecclesiam fingit inuisibilem.* *Matt. 16.* *Responsio.* Quòd autem horrendum esse dicit Brentius, quòd scribit Petrus Ecclesiam, cui promissio illa Christi facta est, Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, visibilem esse: nec ex electione Dei, aut vera fide & charitate internis pendere, vt quis ad Ecclesiam pertineat: quis est qui tenebras huius Asoti mirari satis queat? scilicet id æam nobis quandam fingit Platonicam, dum visibilem Ecclesiam esse negat. Atqui concedunt hoc etiam tui Brenti, quòd cœtus vocatorum Ecclesia sit visibilis: nec alibi sint electi, nisi in hoc cœtu visibili. Nisi fortè tuus nō est Philippus, qui manifestū esse, dicit esse aliquā visibilem Ecclesiam Dei. Cùm n. dicit Christus, Dic Ecclesiæ: deducit nos ad visibilem cœtum, à quo neque Caluinus dissentire videtur. Verùm & hac de re suo loco tractare malumus, cùm de Ecclesia sermo nobis erit.

*Phil. in locis communibus, & in c. 8. ad Rom.* *Matt. 18.* *Cap. 8. Instit. De loco* *Matt. 18.*

Profert deinceps Brentius & illum Euangelij locum: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, & eum ad Ecclesiæ Prælatos pertinere negat. Primùm enim, inquit, non simpliciter dicit: Vbi sunt duo vel tres congregati. sed addit, In nomine meo. Non conuenitur autem in nomine Christi, si verbis tantùm iactetur Christus & gloria Christi. Hactenus verè, sed contra vos ipsos Brenti. Qui sunt enim alij, qui verbis tantùm iactant Christum & Euangelium, & gloriam Christi, præter nos? Vbi ergo duo vel tres vestrum, quin & duo aut tria millia vestrum congregata fuerint, ibi non esse Christum certum est, cùm non sitis in Christi nomine congregati. Addit Brentius: Non conuenitur in nomine Christi, si initio conuentus cantetur Missa de Spiritu sancto. Quam hic audio blasphemiam? Scilicet non est inuocandus Spiritus sanctus, quando conuenitur in nomine Christi? At talibus, inquit, moribus & cæremonijs pellitur potius, quàm inuocatur Spiritus sanctus. Quos tu mores narras? Quas cæremonias? Nos quidem neque moribus, neque cæremonijs alijs vtimur, quoties tremendum Deo sacrificium offerimus, quàm quibus vsi sunt sancti patres nostri iam inde à mille quingentis annis. Quamuis enim successu temporis accesserit precum nonnihil, & pleraque ad decorem addita sint, & ad excitandos homines ad deuotionem: de re tamen ipsa nihil est mutatum. Subiungit, Non conuenire in nomine Christi, si conuenerint impœnitentes. Hoc vt verum esse concedamus, qui sunt impœnitentes isti, nisi vos? Quod est enim aliud impœnitentiæ peccatum, nisi peccatum in Spiritum sanctum? quod vos non modò committitis ipsi, verumetiam alij vt committant, auctores estis: dum nec auditis Ecclesiam ipsi, nec ab alijs audiri vultis: dum traditiones eius, ad quas tenendas non vno loco nos hortatur Apostolus, contemnitis, & contemnitis. Ac tantùm abest vt vos alicuius malefacti pœniteat, vt tanquam Sodoma peccatum vestrum prædicetis. Fecit hoc Vergerius tuus Brenti, qui formulam iurisiurandi typis excudi curauit, quo pontifici fidem suam obstrinxerat, cui non modò tanquàm Episcopus, verùm etiam tanquàm vnus ex eius clientibus & ministris, subiectus erat. Hanc fidem quòd violauerit, quòd iusiurandum Deo datum fregerit, effert se magnificè, nec puder eum hoc nomine gloriari, perfidiamq; suam orbi testatam facere vniuerso. Fecit hoc & is, cuius verbum tanquam Dei verbum accipitis, Martinus Lutherus: qui cùm abiecta cuculla contra fidem

*Missam de Spiritu sancto videt Brentius.* *De Missæ cæremonijs.* *Peccatum impœnitentiæ, sed peccatum in Spiritum sanctum apud quos proprie.* *Vergerij impudētia* *Lutheri pertinacia.*



fidem Deo præstitam, & iureiurando firmatam, sibi monachus monacham copulasset, non modò non eum flagitij pœnituit, verumetiam incœstum suum sacrilegum ausus est honorabile connubium & immaculatum thorum appellare. Fecerunt idem illius exemplo alij quoq; multi. Tales igitur impœnitentes vbi conueniunt, non grauatim tibi Brenti assentimur, quòd in cuiusuis alius potius, quàm in Christi nomine conueniant: quibus grauis etiamilla Prophetæ comminatio metuenda est: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Quod autem ad nos attinet, qui non alia re magis in Domino gloriamur, quàm quòd per illius gratiam Catholici sumus & Orthodoxi: peccatores nos conuenire nō imus inficias, sed non tamen impœnitentes. Nam non modò non prædicamus peccata nostra, nō modò non gloriamur in malitia nostra, sicut à vobis fit: verùm subinde quæ mala patrantur à nobis, ea detestamur: atq; vtinam tam facilè cauere nobis ab illis possemus, quàm sæpè nobis ex toto corde nostro displicent: quamq; frequenter Deum precamur, vt infirmitatis nostræ memor, ea clementer nobis remittere dignetur.

*Lutheri pertinacia.* *Esai. 5.*

Addit Brentius: Non conueniunt in nomine Christi, qui hoc vnum præcipuè agunt, vt consulant potiùs dignitati, opibus, gloriæ, otio & voluntati prælatorum ex traditionibus non scriptis, & ex somniis monachorum, quàm saluti Ecclesiæ ex verbo Domini, & é scripturis Propheticis atq; Apostolicis. Quo quisque animo conueniat, Deo soli, qui scrutatur corda & renes, cognitum est: nec minùs ista verè de vobis, quàm de nobis dici possunt. Nisi fortè quod attinet ad non scriptas traditiones, quas reiecisse semper hæreticos, mordicus autem tenuisse Catholicos constat (quod suo loco, si Deus volet, docebimus) eas nos amplecti fatemur. Somnia verò Philippi sunt vestri Melanchtonis, & ea diuini quiddam habere credunt eius discipuli. Quamobrem illi, non nobis ea obijcias. Incipit nunc docere Brentius, quando conueniatur in nomine Christi: Tunc, inquit, verè conuenitur in nomine Christi, cùm conueniunt qui Christum vera fide complectuntur. Quid autem Brenti, si Christum vera fide se complecti dicant, qui quàm longissimè ab eo absunt? Tuos tu putas esse, qui Christum vera fide complectantur: ac nos persuasum habemus, quando quidem Christiani vocamur, non Lutherani: & quod vocamur, id esse pro virili nostra contendimus, nos esse potiùs quibus id verè competere queat. Arrogant autem sibi hoc Zuingliani quoq; arrogant & Anabaptistæ, arrogant & cœlestes Prophetæ, arrogant & Pikardi, arrogant omnes ferè nō priscorum solùm seculorum, verùm & nostri temporis hæretici. Quare si tunc verè conuenitur in nomine Christi, cùm conueniunt, qui sue ipsorum iudicio Christum vera fide complectuntur, omne genus hoc hæreticorum quod iam recēsuimus, non minùs in Christi nomine verè conuenire videbitur, quàm vos, qui proprium id vestrum esse vultis Lutherani: quandoquidem æquè illi ac magis etiam quàm vos, Christum vera fide se complecti gloriantur. Addit Brentius: Et inuocant solum patrem Domini nostri Iesu Christi: quod est hoc nouum loquutionis genus, Inuocant solum patrem? Quid si inuocent filium? quid si Spiritum sanctum inuocent? iam eos non conuenisse dices in Christi nomine? An hoc est quod paulò antè dixeras, quòd non conuenitur in Christi nomine, si cantetur Missa de Spiritu sancto? Huius inuocationem excludi vis? Fortassis aliquid cum Serueto commune habes, nisi fortè dicas te Sanctorum inuocationem excludere. At nos quemadmodum non alium imitamur, non alium veneramur in sanctis, nisi Christum: ita non alium inuocamus in illis & per illos, nisi Christū: q si vixit, & habitauit in illis, dum adhuc corpus istud mortis circumferrent, sicut à Paulo docti credimus, multò magis nunc eum in illis carnis ergastulo solutis viuere & habitare persuasum habemus. Quamobrem Christum inuocamus in sanctis & per sanctos, siue qui nobiscum adhuc in terris degunt, siue qui cum Christo iam in cœlis triumphant. Illum largitorem agnoscimus, his deprecatoribus tantùm vtimur. Qua de re copiosius in confessione Christiana disseruimus, ad quam lectorem remittimus. Pergit Brentius: Atque conferunt inter se de vero Dei timore, de doctrina Ecclesiæ, & de alijs rebus necessarijs. Verum timorem non minùs habere se putat hæreticorum illa fæx, quam enumerauimus, quàm vos Brenti. Subiungit: Non ex humana ratione, non ex confictis traditionibus, sed è scriptura Prophetica, & Apostolica, quæ est cœlestibus miraculis confirmata. Talē aūt cœtum nemo potest vel ex vestitu, vel ab externa facie, vel ex eruditiōe, vel expotētia, vel ex sapiētia iudicare. Possunt n. honestissimè vestiti, ac personę insignes, & doctissimi, & potentissimi, ac sapientissimi non fœdè tantum errare, verumetiam in doctrina æternæ salutis extrema cœcitate laborare. Quod scribis Brenti, Non ex humana ratione, concedimus: magis enim à Deo reuelatis credendum est, quàm rationem vt ab isto conuentu scripturas Propheticas & Apostolicas reiectas velimus, dummodò sana sit earum interpretatio. Cæterùm quid sibi volunt ea quæ sequuntur? Talem aūt cœtū nemo potest vel ex vestitu, &c. Num inuisibilē eum esse vis? Nū neq; vestes videri, neq; personas agnosci, neque vocem audiri vis? An ferendos in eo non esse putas qui sint honestè vestiti, qui vel oris dignitate, vel eruditione, vel splendore generis, aut potentia vel sapientia cæteros antecellunt? Itáne non modò Sacerdotes & Pontifices, quia veste talari sunt indutī, verumetiam reges & principes, virosq; doctos omnes (inter quos tu quoque non es indoctissimus) ab isto cœtu repellendos esse censes? ac sartores tantùm, sutores, zonarios, baiulos & reliquam fœcem vulgi. ei putas interesse vel præesse debere, vt illi conferant de doctrina Ecclesiæ, deq; ea sibi iudicium arrogent? Non hoc (ais) volo, verùm non esse quenquam, dico vel ex vestitu, vel ab externa facie, vel ab alijs rebus quas enumeraui, iudicandum. Quis hoc nescit Brenti? Nemini Spiritum sanctum talaris vestis impertit, multo minùs curta & scissa: sed nec oris dignitas, nec opes si adsint, partis ipes, nec eadem si ad-

*Obijcit Brentius contra Prælatos* *Responsio.* *Quid sit Brentio in Christi nomine conuenire.* *Responsio.* *Inuocari vult Brentius solum Deum patrem.* *Christum in sanctis inuocamus.* *Galat. 2.* *Ephe. 3.* *Quos Brentius velit conuenire in Christi nomine expenditur singulatim.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sint, expertes nos faciunt Spiritus sancti, quo sapientes etiam & eruditi perfæpè deftituuntur. Sed conatur tandem clariùs rem explicare: cognoscendus est, inquit, pius cœtus ex fructibus eius. Quos fructus attulerint cœtus vestri, vel ex eo quem recensuimus initio, Sataniſmo, cognoscere lector potuit: quem quidem Sathaniſmum vestros istos cœtus peperisse manifestius est, quàm vt negare queatis. Nam simul vt vos licere vobis voluistis, seorsum ab orbe reliquo Christiano cœtus congregare, seorsum ab illo singulares quosdam scripturarum intellectus proferre, voluerunt idem alij quoque sibi licere. Inde natus est is, quem nunc in Germania videtis, qui paulatim ad nos quoque serpit, Sataniſmus. Nunc fructus Brentius demonstrat. Quod, tunc, inquit, præcipuè fieri solet, cùm spiritus, seu decreta eius iudicantur & exiguntur ad regulam sacræ scripturæ, manifestè animaduertitur, quòd cũ ea conueniant. Atqui Brenti, gloriantur & Sacramentarij, gloriatur & Anabaptistæ, gloriantur & Seruetiani, gloriati sunt olim & Arriani, & Macedoniani, & Nestoriani, & Eutychiani, & alij ferè omnes hæretici, quòd spiritus, siue decreta cœtuum suorum iudicarent, & exigerent ad regulam sacræ scripturæ, quodq; cum ea conuenirent: quam etiam ita sibi solis arrogabant, vt eius possessione Catholicos & Orthodoxos omnes excludere niterentur. Hæretici nihilominus fuerunt, & sunt, & erunt: non quòd scripturas non crederent, non quòd earum auctoritatem contemnerent, cùm nihil creparent aliud, quàm scripturas: verùm quòd Ecclesiæ non crederent, quòd Ecclesiasticam traditionem itidem, vt vos nunc pro nihilo ducerent. At quicunque fuerunt Catholici, fidem veram duobus ijs modis approbandam existimabant: primùm diuini Canonis auctoritate, deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione: non quòd Canon solus non sibi ad vniuersa sufficiat, sed quòd verba diuina pro suo plerique arbitrio interpretantes, varias opiniones, errores q; concipiunt, atque ideò necesse fuit semper existimatum, vt ad vnam Ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigeretur, vt diuinum Canonẽ secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones interpretarentur. Hunc sanctorum patrum nostrorum morem, & nos Brenti libenter sequimur, ac eorum nos vestigijs incedere gloriamur. Verùm aliud erit hac de re differendi locus. Prosequitur Brentius: Deinde, Etsi Christus solet esse in medio eorum, qui verè in nomine suo congregantur, tamen non facit ex carne eorum spiritum, sed relinquit in eis suas imbecillitates, quamdiu sunt in hoc seculo, præsertim non ponunt verbum eius lucernam pedibus suis. Qui potest ex lapidibus facere filios Abrahæ, potest etiam ex carne Brenti, facere spiritum: quod si facere visum ei non sit, potest tamen etiam carni spiritum suum vel ad inuestigandam & denunciandam saltem veritatem impertiri. Nisi fortè non fuerunt caro Balaam, Saul, Caiphas, Heliud, & alij, quos antè recensuimus, quos prophetasse tamen etiam inuitos demonstrauimus. Interea tamen verum est quod scribis, quod relinquit in eis suas imbecillitates, quãdiu sum in hoc seculo. Verùm hg non impediunt, quò minùs veritas eis reuelari queat, præsertim in Oecumenico Concilio legitimè congregato. Non dubium est, inquit Brentius, quin Petrus & Barnabas fuerint prædditi Spiritu sancto, & cùm Hierosolymis ad exonerandas gentes à iugo legis Mosaicæ conuenirent, Christus in medio eorum fuerit. Sed & hoc negari non potest, quin aliquid humani passi sint, cùm se magno Gentium offendiculo subducerent propter Iudæos quosdam à Gentium conuictu, quemadmodum Paulus ad Galatas testificatur, Petrum & Barnabam optimo animo fecisse, quòd se subduxerint à Gentium conuictu, nec aliud ea re quæsiuisse, quàm vt quamplurimos Christo lucrifacerent, dubium non est. Itaque non fert Hieronymus vllum eis errorem attribui: quin eiusdem secum sententiæ septem alios doctissimos, grauissimosq; viros testes citat. Profert aliud exemplum è Nicæno Concilio: Nec dubium est, quin cum Patres Niceni Concilij definierunt, Christum filium Dei æqualem esse Patri essentia & maiestate, Christus fuerit in medio eorum: quia tum sequuti sint non suas ipsorum opiniones, sed sententiam Spiritus sancti in sacra scriptura traditam & patefactam. Libenter hoc tibi concedimus Brenti, sed non concedebant Arriani, nec concedunt etiam hoc nostro seculo Seruetiani, quin & ex vestra schola profecti Campani. Negabant enim, eos sententiam Spiritus sancti in sacra scriptura traditam & patefactam sequi: sed quod vos obijcere nobis crebrò soletis, hominum tantùm traditionibus eos niti: cùm ea vox Hosij, quam tum proferebant Patres, in scripturis non reperiretur. Et certè scribit hoc Theodoretus, quòd ex non scriptis sermonibus, piè tamen intellectis, Arriani fuerint damnati. Certè Athanasius cùm produxisset Patrum traditiones, quas vos reijcitis: Ecce nos demonstramus, inquit, istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres, quasi per manus traditam esse: vos autem noui Iudæi & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum Patres ac maiores demonstrabitis? cùm ne vnum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare positis, Cuncti enim vos præter diabolum istius vobis defectionis à Christo auctorem asserantur. Ille & olim vobis hanc impietatem insevit, & nunc vobis auctor est, vt orbis terrarum concilium vituperetis, non alia de causa, quàm quòd in eo concilio non quæ vestræ factioni patrocinẽtur, sed illa sint scripta, quæ ab initio ipsi qui testes oculati & ministri vebi fuere, tradiderunt. Fides enim quæ scriptis, decretisq; Synodi sancita est, ea est totius Ecclesiæ. Hanc cùm asserere vellent beati Patres, istis verbis concipiendam putauerunt, condemnarunt q; Arrianam hæresim. Vides quemadmodum is Patres, Ecclesiam, Traditiones obijciat Arrianis? De quibus quid alio loco scribat, audi: Ista, inquit, omniũ hæresẽ vltima, & nunc recens egressa, & anteambulo, & præcursatrix Antichristi, cui nomen est ab Arrio, dolosa, & vafra, cùm videret sorores suas, cæteras, inquam, hæreses, ætate grandiores publicè palamq; probrosas haberi, speciem suam dissimulat, & literarum sacrarum vocibus quasi honesto cultu induitur, vt pater eius diabolus: ac satagit denuò intrare in Paradisum Ecclesiæ, quò sub specie Christianismi nonnullos seducat, vt credibilitate falsarum ratio-

*Cognoscendum cœtus pius ex fructibus.*

*Qui fructus à Brentio requiruntur. Non satis ad scripturæ regulam exigere omnia.*

*Fides duobus modis approbanda.*

*Luc. 3.*

*Petrus & Barnabas Brentio errasse videntur.*

*Galat. 2. Responsio. Hier. in epist. ad Augustinum.*

*Iudicium Brentij de Nicæno Concilio.*

*Responsio.*

*Theodor. li. 1. ca. 8. hist. Athan in lib quem inscripsit Synodi Nicænæ, contra hæresim Arrianam de ætate.*

*Idem orat. 2. contra Arrianos. Arriani ad scripturas vt nunc hæretici provocabat.*



num persuasi, contra Christum sentiant. Ac nonnullis interiectis: Tametsi subinde (inquit) serpentis more sursum deorsum q; sese voluat, non tamen effugere potuit, vt non caderet in errorem Pharisæorum: Quemadmodum enim illi cùm legem prævaricari vellent, legis tamen verba prætendebant: & cùm eius animi essent, vt expectatum hactenus & iam præsentem Dominum abnegarent, Deum quidem in ore habebant, ipsum tamen blasphemare deprehenderentur, cùm his vocibs vtebantur, Cur tu homo cum sis, Deum te facis? & dicis: Ego & pater vnum sumus: ita quoque fucatus Arrius simulat se quidem de Deo loqui, cùm interponat verba sacrarum literarum, deprehenditur tamen ἀθεος, &c. Et iterum: Si igitur ea de causa, quòd voculas aliquot sacræ scripturæ ab illis scriptas videant, arbitrentur blasphemias benedictiones esse, prorsus futurum est, vt cùm Iudæos nostri temporis videant legem, & Prophetas euoluere, vna cum Iudæis Christum abnegent. Forsitan quoque audientes Manichæos loqui particulas aliquot Euangeliorum, inficiabuntur cum illis & legem, & Prophetas. Sin autem ex ignorantia ita æstuant & garriunt, discant è scripturis, excogitatorem, inuentorem q; hæreseon diabolum metu suæ grauoleniæ scripturarum voces vsurpare, vt illis obtectus, aspersò veneno suo simplices decipiat. Ita enim Euam deceptt, ita etiam illos hæreticos in errorem abduxit, ita nunc quoque Arrio persuasit, vt quasi sub specie aduersarij contra hæreses loqueretur, quò melius falleret, suam ipsius hæresim subijciens. Ex his Athanasij verbis liquere cuiuis potest, quod scripturarum sententijs tanquam velleribus quibusdam agni illius immaculati Christi obuoluebant se lupi Arrianici: & sicut Ambrosius alicubi dixit, per verba legis legem impugnabant, dum proprium sensum verbis legis adstruerent, vt suæ mentis prauitatem legis auctoritate commendarent. Contra quos Catholici traditiones Patrum, Ecclesiæ q; sensum & consensum opponebant, scripturas canonicas iuxta Catholici dogmatis regulas interpretantes.

*Ibid.*

*Amb. in ep. 3. ad Tit.*

Ostendit nunc Brentius, in qua re fuerit erratum à Patribus Nicæni Concilij. Cùm autem, inquit, posteà iudicarent eos, qui Christum professi ad militiam redirent, damnatione dignos, certè humani aliquid passi sunt, quòd damnauerint legitimam militiam, quam Ioannes ipse Baptista approbauerat, nec Christus reiecerat. Et hunc eorum Canonem ab auctores Spiritu sancto profectum dubium non est. Quid enim in eo non piè, non sanctè constitutum est? Vtinam autem retineretur adhuc prisca illa disciplina, sed ea pridem luxata, per vos iam tandem prorsus est euersa. Quæres causam dedit tot sceleribus & flagitijs, quibus ita nunc æstuat orbis Christianus vniuersus, vt vix vllo alio tempore magis refrixisse charitas, abundasse verò videatur iniquitas. Quod autem inter alia crimina magis est detestandum, quàm hoc, de quò verè dixit ille Poëta:

*Brentius Nicænum Concilium reprehendit ob damnatã militiam.*

*Responsio.*

*Nulla fides, pietasq; viris qui castra sequuntur:*
*Venalesq; manus, ibi fas vbi maxima merces?*

Neq; tamen id Patres Concilij Nicæni prorsus damnauerunt, sicut scribis tu: sed si qui solemnem pœnitentiam egissent, ad militiam secularem, cui semel iam renunciauerant, essent reuersi, non ita facilem illis aditum ad veniam esse voluerunt, sed eis paulò duriorem pœnitentiam iniungendam esse putauerunt. Qua tamen in parte, quàm fuerit ipsorum verè paterna lenitas, ex ipsius Canonis verbis videre licet, quæ sic habent: Quicunque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstrauerunt, deponentes militiæ cingulum, postmodum verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ita vt quidam & pecunias tribuerent, & beneficijs militiam repeterent, hi decem annis post triennij tempus, quo inter audientes erunt in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ conuenit explorare. Quotquot enim metu & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis, conuersionem suam, non simulationem demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque verò indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conuersionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant. Nónne summa moderatione Patres hic vsi sunt? Neque verò Canon hic de cunctis loquitur, qui militiam exercent, verùm de his tantùm, qui depositò semel militiæ cingulo, post ætatem publicè pœnitentiam, tanquam canes ad vomitum redeunt: in hos aliquod exemplum tamen edendum esse censuerunt.

*Can. 12. Nicen. Concilij.*

Cùm hanc posteriorem editionem adornaremus, legimus quæ scripsit ipse vir venerabilis Petrus à Soto contra eadem hæc Prolegomena Brentij, qui locum hunc expendens arguit inscitiam Brentij, qui Canonem hunc Nicæni Concilij parum intellexit: quo patres non militiam, sed abnegationem fidei damnasse, tantisq; pœnis afficere voluisse scribit. Vidimus autem simul postremam pericopen Apologiæ Brentij, in qua sicut alios multos, sic & hunc errorem tueri pertinaciter, quàm patefactæ veritati cedere, mauult. Etsi autem nos in eodem in quo Brentius errore sumus versati, procul tamen absit à nobis, vt in eo persistere velimus. Quin eum libenter agnoscimus, & hanc Petri à Soto sententiam approbamus: quòd vt minus dubitanter faceremus adducti sumus, cùm ijs argumentis, quæ profert in libro suo Petrus, tum Græcorum quorundam scholijs, quæ communicauit nobiscum, vir cum primis pius & doctus, ac insigni trium linguarum peritia præditus, Guilhelmus Scirletus, tum Prothonotarius Apostolicus, nunc autem S. R. E. Presbyter Cardinalis. Illustrarunt enim Canonem Nicæni Concilij scholijs suis Theodorus Balsamon, Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & eiusdem bibliothecarius ante quadringentos annos, & aliquantò antè, Ioannes Zonaras. Libet autem vtriusq; verba adscribere. Sic itaq; loquitur Canonem hunc explicans Theodorus:

Ἀποδέχεται τροπολογῶν ὁ κανὼν διωγμὸν ἢ πολεμίους ἢ ληστὰς ἢ ζώνας τὸ τραπέζιον αὐτῶν δεξάμενον, ἢ πρὸς μα-

Universidad de Deusto
Biblioteca



τυρίαν ὥρμησαν. ὕστερον δ' ὑπὸ δαιμονιωδῶς μελαμελείας συνωθούμενοι ἀπέσχισαν ἑαυτοὺς μαρτυρίου, καὶ πᾶς ἀπίστου διώξεως ἢ κολούσεων καὶ κρήμνασιν, ἢ ἄλλοις δορήμασι, τότε γὰρ ἦσαν τὸ εὐγενεστάτοις ὥσπερ εἴρηται, τὰς προτέρας αὖθις στρατείας ἔλαβον, καὶ εἰς τὸν οἰκεῖον ἐμεσαν ἀνέδραμον, φησὶν ὁ κανών, ὡς ἐπὶ τοῦτο μὴ εἰλικρινῶς καὶ ἀνύποιτος, παρασκευάσωσι τῇ ἐκκλησίᾳ, δεχθήσονται ὀφείλοντες, ἵνα μὲν δῶσι λόγον τῆς ἐκκλησίας ἐξωθεν ἴσασθαι, ἀκροᾶσθαι τοῦ θείου γραφῶν. δεκαετῆ ὑποπίπτειν, ἤτοι ἴσασθαι ἐπὶ τοῖς ἄμβωνος, καὶ δέχεσθαι μετὰ τῆς κληρικῶν. εἰ δὲ ταῦτα, σωτεύχεσθαι μὴ πιστῶν, πάλιν τῶν ἁγιασμάτων οὐκ ἀξιωθῶσιν, εἰμὴ διετία παρέλθῃ καλῶς καὶ ἄνωθεν ἀπομόλυ ὅλως καὶ οὕτως ἐκ τῆς ἐκκλησίας παραπεσόντων ἐστίν, ὃν ἔδοκε ὁ κανὼν ἐν ὑποσκόπῳ μᾶλλον τὰ βαπτίσματα, κατὰ τὴν ἐν ὑπολειφθέντος ὑπηρεσίαν. Hoc est, Quoniam nonnulli milites tempore persecutionis zelo quodá diuino permoti cingulos suos militares abiecerunt, magno quodam animorum impetu martyrij subire parati. Paulò pòst verò dæmoniaca quadam impulsi pœnitentia, martyrij consilium abiecerunt, & infideles persequutores illos sequuti, pecunijs & alijs largitionibus (hoc enim significat quod Latinè dictum est beneficijs) priores militias suas recuperarunt, & ad proprium vomitum reuersi sunt: dicit Canon, quòd si & ij cum vera compunctione ad Ecclesiam accesserint, recipiantur, ita tamen, vt annos tres extra Ecclesiam foris stare, & audire tantùm diuinas scripturas teneantur: decem verò annis procumbere & stare retro amboni, & exire cum cathecumenis. Post hæc autem orent licet cum reliquis fidelibus, verum interea tamen Eucharistiæ communione digni non habeantur, nisi biennium præterierit, sicut superiùs diximus: quandoquidem & ij sunt ex eorũ numero, qui voluntariè lapsi sunt. Cõcessit nihilominus Canon Episcopo potestatem pœnas mitigandi, pro eo, vt eum qui pœnitentiam ex animo conuersum pœnitentiam agere viderit. Zonaræ verò verba sunt hæc:

Περὶ στρατευομένων ὁ Κανὼν διαλέγεται, καὶ ἀποῤῥιπτάντων μὲν τὰς ζώνας ἤγουν τὰ στρατείας παράσημα, ὁρμήσαι δὲ πρὸς μαρτύριον οὐ δεξαμένων, οὓς καὶ ὑπὸ τῆς θείας χάριτος κληθῆναι φησὶν, ὡς δὴ ἐκ τῆς βαπτισθέντας πρὸς τὴν ἔνστασιν τῆς ὁμολογίας τῆς πίστεως, εἶναι οὐ μελαμελείᾳ γενομένων, καὶ οὕτως εἰς τὴν προτέραν ἐπανελθόντων στρατείαν, καὶ ταύτην ἀργυρίοις ἀναγκησαμένων, ἢ δεήσεσι διὰ μὲν γὰρ τὰ ἀργυρίων, δυλῶται τὰ χρήματα διὰ τῆς δεήσεως δὲ τὸν θεὸν ἢ πάντως, ὅτι οὐδεὶς τοιοῦτος ἀναστραλεύσασθαι δύνηται ἐν εἰμὴ τῇ πολλῇ σωτέρᾳ, τοὺς γὰν τοιούτους τὴν ζώνην ἀκροάσιν ὅτι δέκα ἐτῶν ὑποπίπτειν ὁ κανὼν διατάττεται. Hoc est, De militãtib. Canõ hic disserit, de ijs, qui semel zonas abiecerunt, quæ militiæ fuerunt insignia, & impetu se quodam ad martyrium ferendum duci ostenderunt, quam etiam ob causam eos vocatos esse dicit à diuina gratia, vt qui per eam impulsi sint, vt initium facerent confessionis dei suæ. Quòd si facti eos posteà pœnituerit, & iterùm ad militiam priorem redierint, quàm argento sint adepti siue beneficijs (per argentum significare vult pecunias: per beneficia verò omne genus gratiæ & humanitatis) quoniam constat hoc manifestè, quòd nullus eiusmodi repetere militiam potuit, nisi priùs errori consensisset. Præscribit Canon talibus, vt posteaquàm tres annos inter auditores fuerint, sint per decennium inter procumbentes. Ad eundem modum interpretatur Matthæus quoque monachus. Quid autem clarius ci potuit euidentius, ad Petri sententiam confirmandam? quòd non propter militiam, sed propter negatam fidem, quam exorsi fuerant confiteri, posteaquàm cingulum, quod erat insigne militiæ abiecerunt, hæc illis ad priorem vomitũ redeuntibus tam grauis pœnitentia fuerit impositа? Manifesta sunt verba Zonaræ, quòd militiam talem repetebat nemo, nisi priùs errori consensisset, & ad priorem suum vomitum reuersus fuisset: Quis autem hic fuit error est? quæ cœcitas? quæ plus quam sataniana superbia? cùm non tantùm ratione manifesta comprehendas, verum & oculis ipse tuis videas, & modò non manibus contrectes perspicuam veritatem, nolle tamen cedere, nõlle acquiescere, sed pedibus nihilominus & manibus obnixè iam agnitæ veritati reniti? Sed sic est hæreticorum ingenium, quibus nunquã persuaseris, ne si persuaseris quidem, vt facilè coniecturam ex eo facere liceat, ex cuius matris vtero prodierint. Mater enim hæreticorum omnium est superbia, qua impulsi citiùs dixerint:

*Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri,*

quàm vt vel minimùm de sua quamlibet falsa sententia, quam semel tuendam susceperint, discesserint. Error hic nõ erat grauissimus. Humanum aliquid passus erat Brentius, si quod ipsum aliquando legisse dubium non est, id ei scribenti non statim succurrebat: verùm hæc tanta superbia, tãtaq; præfractæ mentis in errore suo tuendo pertinacia, non iam est humana, sed sataniana. Nos verò non modò cedimus libenter agnitæ veritati, verùm agimus insuper gratias venerabili viri Petro à Soto, quòd nobis errorem hunc nostrum detexit: nec tam erasse turpe, quàm errorem nostrum agnouisse, nobis honestum esse ducimus, cùm humanum sit errare, diabolicum autem, in errore perseuerare.

*Conclusio Brentij contra Synodorum auctoritatem. Responsio.*

Tandem Brentius locum hunc ita concludit. Quare Christus non tradidit se simpliciter duorum aut trium, aut etiã plurium congregationi captiuũ. Sed videndũ est, num fiat congregatio verè in nomine Christi, & nũ iudicetur ex spiritu Christi, qui se scriptis Prophetis & Apostolicis patefacit. Quæ est hæc verborum petulantia? Quis dicit quòd se captiuũ alicui Christus tradat? Nos hoc dicimus Brẽti, quòd cùm sit veritas Christus, fallere nequit, neq; potest non præstare, quod semel est pollicitus.

*Cyp. de vero sensu illius Vbi sunt duo vel tres, &c. Cypri tract. 3. de simplicitate Prælatorum.*

Audiuisti iam lector, huc & illuc vertentem se Brentium, dum Euangelij locum hunc extra. Vbi duo vel tres, &c. & quo magis extricare conatur, hoc se magis inuoluentem. Nunc audi quemadmodum explicet eundem hunc locum sanctus ille martyr & Episcopus Cyprianus, qui quamuis ante mille trecentos annos pro Christi nomine mortem gloriosam oppetijt, perinde tamen acsi viueret adhuc, sermonem suum ad nostri temporis hæreticos cõuertere videtur. Sic enim loquitur: Nec se quidam vana interpretatione decipiãt, quòd dixerit Dominus: Vbicunq; fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum illis sum. Corruptores Euangelij atq; interpretes falsi, extrema ponunt, & superiora prætereunt: parum memores, partim subdolè corrumpentes: vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, sic vnius capituli sententiam scindunt. Dominus enim cùm discipulis suis vnanimitatem suaderet & pacem: Dico inquit, vobis, quoniam si duo ex vobis conuenerint in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo, qui in cœlis est. Vbicunq; fuerint duo aut tres in nomine meo, ego cum illis sum. Ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecãtium plurimum tribui. Si duo, inquit, ex vobis conuenerint in terra: vnanimitatem priùs posuit, cõcordiam pacis antè præmisit: vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem poteit ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesse runt. Cùm hæreses & schismata postmodùm nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atq; originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur, vt ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandauit & monuit, duo aut tres licèt collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licèt sint, impetrare possint de Dei maiestate quod postulant. Et paucis interiectis: Quando ergo in præceptis suis ponit, & dicit: Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit & fecit Ecclesiam: sed exprobrans discordiã perfidis, & fidelibus pacem, sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis. Et post pauca: Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? An secum esse Christum cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiã colliguntur? Audisne Brenti, de quibus hic sanctus martyr Euangelij locum hunc intelligi voluerit? nimirum de ijs, qui se non diuiserunt ab Ecclesia, sed in ea pacem cum fratribus retinentes, vnanimiter cum illis Deum precantur. Vobis contrà, qui vos ab Ecclesia Dei separastis, quãdoquidẽ extra Christi Ecclesiam colligimini, etiamsi quàm maximo numero congregemini minimè verba ista conuenire docet.



*Sententia Brentij de loco Matt. 28. Ego vobiscum sum vsq; ad cõsu. seculi. Responsio.*

Tractat deinde Brentius tertiam Christi promissionem. Ego vobiscum sum ad consummationem seculi. Manifestum est, inquit, quòd Christus hęc verba loquatur, non ad impios & impœnitentes, qui etiam si habent titulum populi Dei & Ecclesiæ, tamen non sunt verè Dei populus & Ecclesia: sed loquatur ea ad suos discipulos, hoc est, ad eum cœtum, qui verè est populus Dei & Ecclesia eius. Manifestum est Brenti, q̃ non loquatur ad impios & impœnitentes, qui vobis arrogatis titulũ populum Dei & Ecclesiæ, à qua vos vltrò separastis: cùm idem & nos verè vobis dicere possimus, quod Nouatianis paulò antè dixisse Cyprianum, au diuisti: Non nos à vobis sed vos à nobis recessistis. Sed loquitur ad nos, qui quamuis esse nos peccatores agnoscimus, quoniam tamen eundem, quem patres nostri, Deum colimus, nec ab eorum traditionibus discessimus, verè nos esse populum Dei & Ecclesiam eius confidimus.

*Brentius de vera Ecclesia. Ioan. 15. Ioan. 14. Ibidem. Responsio.*

Iam incipit docere Brentius, qui sint verè discipuli Christi, & quæ sit vera eius Ecclesia. Hic, inquit, respondemus non nostris verbis, sed Christi. Si vos, inquit Christus, manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatẽ. Et iterum: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & aperiam meipsum. Ac mox: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc omnia Brenti rectiùs nobis, quàm vobis competere persuasum habemus. Nam in Christi sermone manere nos indubitanter credimus: quem si minus omnes ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus nostris diligimus, vel hac saltem in re notram ergà illum dilectionem declaramus, quod nos ab illius corpore non separamus: quòd alter alterius onera portamus: quòd vinculum pacis & fraternæ charitatis non rumpimus. Quod si retinere vos quoq; potuissetis Brenti, nunquam per summam impietatem ab orbe terrarum vos præcidissetis.

*De officio principis in rebus Ecclesiasticis iudicium Brẽtij. Responsio.*

Occinit iterum atq; iterum eandem cantilenam cuculi more, totiesq; repetita crambe, modo non enecat lectorem. Sed quorsum attinet eadem tam sæpè iterare, cùm præsertim alius erit ea de re commodior dicendi locus.

Redire tandem videtur ad propositum: Proprium est, inquit, officium principum, nõ vt quæuis sacrificulorum & monachorum somnia pro oraculis Spiritus sancti agnoscant: non vt populum suum tyrannicè cogant impia decreta Prælatorum tanquam Dei mandata obseruare. Sed vt audiant ministros Ecclesiæ docentes, & legant ipsi quoq; Prophetica & Apostolica scripta, atque conferant cum ijs doctrinam ministrorum. De somnijs, Brenti, cum Philippi discipulis agas, qui somnia sui præceptoris diuini quiddam habere iactant. Nos non alio loco somnia habemus, quàm quo debent haberi somnia, siue sint ea monachorum, siue Philippi, siue cuiuscunque tandem alterius. Sed nec ad impia mandata obseruandа cogi quemquam per principes postulamus, verùm ad retinendas pias patrum nostrorum traditiones. Philippus est Brenti, qui cùm & ipse libellum eodem argumento scripsisset, hortatus est principes, vt cùm essent impios vestros cultus amplexi, pios nostros mutarent, ac vi etiam suos ad impia vestra dogmata suscipienda cogerent. Qui tamen in eo libello non tantùm principibus tribuit, quantùm in hoc tu. Nam spiritus ministerium illis adimit, nec vsquam de doctrina religionis indicandi potestatem permittit, sed externæ tantùm eis disciplinæ conseruandæ tribuit officium, etiam in ijs, quæ ad primam tabulam pertinent. Neq; diuersum ab eo sentit Caluinus, qui & ipse, quandoquidem Ecclesiam cogendi ciuili exercitatione potestatem habere negat, piorum regum ac principum partes esse

*Philippus & Caluinus non tantũ principibus tribuunt, quantũ Brentius. Caluin. cap. 8. instit.*

dicit,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Officium Catholicorum principũ quale.*

dicit, legibus & edictis religionem sustinere, iudicandi verò partes illis adimit. & Ambrosij factum, de quo suprà mentionem fecimus, vehementer probat. Quamobrem hac in re nobiscum potius, quàm tecum sentire videtur. Nam & nos magistratum itidem vt ille, custodem esse primæ & secundæ tabulæ legis, quod ad externam disciplinam attinet, profitemur. Debet enim prohibere externa scelera, punire fontes, prohibere idololatriam vestrã & blasphemias, vt ne pro verbo Dei verbum vestrum populo vos venditare, néue adorari illud tanquam Dei verbum ab imperita multitudine permittat, propter voculas aliquot è scriptura per vos productas, & in prauum sensum detortas. Debet magistratus, quam à patribus ad patres quasi per manus accepit piam doctrinam, eam tueri & promouere, impiã verò vestram vnà cum impijs cultibus vestris abolere.

*Sotus quale Principum esse munus velit.*

Redit ad conuitia Brentius, quandoquidem rationibus deficise videt. Dixerat Petrus à Soto, Principum hoc sit munus, vt legitimos Sacerdotes agnoscant, tradita ab eis & ipsi teneant, & populos sibi commissos seruare curent, atq; ita vtriq; & Principes & populi satisfacient muneri suo. At verò sibi proprios magistros & doctores adscisc ere, aut quacunque demum ratione nothos & spurios ministros, de quibus loquitur Dominus, Non mittebam eos, & ipsi currẽbant, vel sustinere, vel sequi, quid aliud est, quàm totum ordinem Ecclesiæ confudisse? Et in scholio, Principis Christiani est, à legitimis Prælatis fidem suscipere, & agere, vt sui suscipiant. Sed coaceruare sibi impios, vel eos audire, qui non legitima missione & auctoritate ab Apostolis deriuata docent, quid aliud est, quàm fures & latrones, qui non veniunt, nisi vt perdant & mactent admittere? Pupugerunt hæc verba Brentium vehementer, vt est amara veritas. Itaque conatur illud demonstrare, quòd in nostros potiùs illa verba quadrent: Currebant, & ego non mittebam eos, qui ad Ecclesiasticos honores malis artibus contendere soleant. Vtinam autem pauciores essent ex nostris, in quos & ipsos eadem quadrare possent. Sed interea tamen optant hoc omnes pij vehementer, vt quod in hac parte peccatur à nostris quoque nonnunq; id aliqua tamen ratione corrigi quandoque possit. Sed non minùs hic in vitio est Magistratus ipse, quàm qui ad Ecclesiasticos honores hac via grassantur: quandoquidem à Principibus alicubi nominantur in Episcopos eligendi, quorum quasi prærogatiuum suffragium sequuntur canonici: nec ab eo ferè dissentire solent Romani Pontifices, qui & ipsi cùm eliguntur, si penes quos imperium est orbis propè totius Christiani, minùs in electione contentionis adhiberent, meliore loco res esset Ecclesiastica, minusq; multa haberent hæretici, quæ contra Pontificum electiones tanquam vitio factas, obijcere possent. Verùm vtcunque se res habet, ordinem in Ecclesia retineri cum primis est necessarium: nam aliter obuiari Satanismo nequit, quem in Germania tantas iam radices fixisse videmus: vbi si non alij verbi ministerio functi essent, quàm quibus hoc munus ab ordinarijs eorum Episcopis mandatum fuisset, nunquam istam, quam nunc videmus in ea Babylonem, ædificatam esse miraremur. Quoniam autem in Confessione Christiana satis copiosè de Ordine scriptum est, ad eam Lectorem remittimus. Ardens ira & odio Brentius, ne Chrisma quidem sacrum in tactum relinquere potuit. Nam quod existimat, inquit, eos non esse legitimos Ecclesiæ ministros, qui non sunt vncti Chrismate Episcopali, etiamsi reliqua omnia in ordinatione eorum verè legitime q; conficiantur, prodit partim insc itiam suam, quòd non intelligat quæ sit vera ministrorum Ecclesiæ ordinatio: partim incogitantiam suam, quòd non consideret, qui sit huius controuersiæ status. Non est quòd miretur pius quisquam, si tam exosum habent sacrum Chrisma, quòs etiam nominis pudet Christiani: malunt enim Euangelici vocari, quàm Christiani: quasi possit extra Christum Euangelium esse vllum. Meritò igitur inuisum habent Chrisma, quos Christianorum appellationis pudet. Nam Christiani nomen ducunt à Christo: Christus à Chrismate, hoc est, ab vnctione vocatur vnctus. Ne quid igitur habere commune cum Christo videantur, nihil magis apud illos abominandum est, quàm vngi Chrismate: quo & reges & Sacerdotes vngi solitos esse in lege, manifestum est omnibus. Cùm itaque Deus noster Christus & Rex esset & Sacerdos, vnctus est & ipse non ab hominibus, verùm ab ipso Deo: non confecto oleo, sed diuino spiritu. Sic enim de eo Propheta loquitur: Spiritus Domini vnxit me: quemadmodum præter alios multos, copiosiùs id ab Eusebio quoque scriptum legimus. Neque verò propterea tantùm vocari Christus voluit, verumetiam quòd vnctionis gratiam in alios diffusurus esset, cuius qui volunt expertes esse, eis ab vnctione siue Chrismate licet abstinere. Ac non ignoramus nos quidem, inuisibiliter aliquem vngi posse, etsi amsi non accedat oleum visibile. Verùm ista visibilis, inuisibilis illius vnctionis signum est, quæ sanctis Patribus tam est visa non esse negligenda, vt sine Chrismate presbyterum ne baptizandi quidem ius habere, scribat Hieronymus. Constat autem vetustissimum esse morem hunc Sacerdotes vngendi. Anacletus Petri fuit successor, cuius hæc verba sunt: Ordinationes Episcoporũ auctoritate Apostolica ab omnibus qui in prouincia sint Episcopis, sunt celebrandæ: qui simul conuenientes, scrutiniũ diligenter agant, ieiuniumq; cũ omnibus celebrent precibus, & manus cùm sanctis Euangelijs quæ prædicaturi sunt imponentes, Dominica die hora tertia orantes, sacraq; vnctione exemplo Prophetarum & Regum, more Apostolorum & Moysi vngentes: quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismati est permixta: & hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Et qui præcessit eum Clemens: Omnis, inquit, Pontifex sacro Chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus oppidò esse debet, quem quasi CHRISTI locum tenentem honorare debent omnes, eiq; seruire, & obedientes ad salutem suam fideliter existere, scientes, quòd siue honor, siue iniuria quæ ei infertur, in Christum redundet, & à Christo ad Deum Scribit Egesippus. cùm Romã proficisceretur, cũ plurimis Episcopis in varijs ciuitatibus in itinere se congressum, tandem

*Brentius interpretatur illud, currebant, & ego non mittebã.*

*Ioan. 10.*

*Principes & Magistratus faciuni quo minus idonei Ecclesi æ sæpè præficiantur.*

*Brentius sacrum Chrisma reprehendit.*

*Responsio.*

*Cur hæretici nolint ferre Chrisma.*

*Esai. 61.*

*Euseb. li. 4. demonstrationis, cap. 15.*

*Hier. contra Luciferianos.*

*Anacl. epist. 2.*

*Quàm vetus & celebris mos sit vngendi sacerdotes.*

*Clem. Epist. 2 ad Iacobum fratrem Domini.*

*Egesippus lib. 4.*



Romam venisse, & ibi mansisse, donec Aniceto Soter, & Soteri successit Eleutherius. In omnibus, inquit, istis ordinationibus, vel in cæteris, quas per vrbes reliquas viderã, ita omnia habebantur, sicut lex antiquitùs tradidit, & Prophetæ iudicauerunt, & Dominus statuit. Qui mos obseruatus fuit legis & Prophetarum tempore, quo Reges & Sacerdotes vngi consueuerant, eundem in ordinationibus obseruatum fuisse, tum quoque narrat. Nam sicut præclarè scriptum est à Cypriano. Cessantibus ijs, quæ ritu antiquo inoleuerant, cùm iam in populo Christiano circumcisio videretur damnabilis, & sacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis mysterium religio Christiana non contempsit, sed cæteris generali sanctorum consensu damnatis, non solùm in Regibus & Sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicam effusa est huius gratiæ plenitudo. Et sicut Christus à chrismate dictus est, eò quòd singularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus: ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint tam vnctionis, quàm nominis, vt dicantur à Christo Christiani. Cæterùm si quis propterea reijciendum esse putat Chrisma, quòd cæremonia faerit aliquando Iudæorum, is & manuum impositionem eadem ratione reijciat, licebit: nam & ipsa Iudæorum fuit cæremonia, quibus familiare fuit cum aliquid commendabatur aut offerebatur Deo, manus imponere. Sic Iacob manus imponit duobus filijs Ioseph: sic super caput hostiæ immolandæ manus imponebantur. Sed manuum impositionis, aiunt, fuit vsus in lege noua, Chrismatis non item. Nihil in lege noua scriptum esse de Chrismate fatemur. Verùm absit, vt nihil nisi quod scriptum est, sicut hæretici docent, recipiendum esse putemus. Non ita nos Paulus docuit: State, inquit, & tenete traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et scriptas, & non scriptas traditiones teneri vult. Esse autem hanc Apostolicam traditionem, inter alios Basilius quoq; testatur. Fabianus verò sanctus ille Pontifex & martyr, Christum ipsum scribit, postquam cœnauit, Chrisma conficere docuisse, cuius non apud Latinos magis, quàm apud Græcos vsus fuit frequentissimus. Meminerunt enim eius 1. Dionysius Areopagita Pauli discipulus, 2. Tertullianus, 3. Chrysostomus, 4. Gregorius Nazianzenus, 5. Augustinus, 6. Ambrosius, Theophylactus: ac vix quisquam est veterum scriptorum, qui Chrismatis mentionem non faciat, ac plerique non sine honoris præfatione. Interea tamen non desunt homines imperiti, qui per summum nefas cachinnis prosequi non dubitant, quod à cunctis prisc is illis sanctis Patribus in summa semper veneratione fuit habitum. Adeò mysteria ferè iam omnia in summum contemptum venerunt, quæ si in vllo alio visibili signo, tum in ista Chrismatis vnctione plurima concurrunt. Quid enim aliud baptisma suscepturus, quàm Christo nomen dat? non vt ocio marcescat, sed vt sub signis illius militet? Quamobrem sicut ante certamen vnguntur athletæ, quò sint ad luctandum expeditiores: ita scribit Chrysostomus olco Chrysmatis vngi baptizandum, vt sibi tanquam athletæ spirituali luctandum esse sciat contra diabolum. Maius autem certamen incumbit ijs, qui sacris initiantur, qui Reges quidam sunt spirituales, quamobrem iterum atq; iterum vnguntur. Est autem in oleo fructus, est & pinguedo: ramus cum fructibus quasi pacis interpres, pinguedo luminis est ministra. Cùm itaq; Sacerdos pacis & reconciliationis minister sit, sicut iam à nobis dictum est: cùm idem eœcorum quoq; lumen esse debeat: per vnctionem hanc, quæ sit Chrismatis oleo, sui muneris admonetur, vt ministerium pacis & reconciliationis frequentet: siue populo Dei voluntatem annuncians, vt scire possit quæ sit reconciliationis ratio: siue pro populo Deo preces offerens & sacrificia, quibus propitius reddi queat: simul etiam quasi lucernam gestans manibus, & doctrina & exemplo populo præeat, viamq; salutis commonstret. Miscetur autem oleo balsamum, cuius arbor cùm primis est odorifera, quò meminerint Sacerdotes ita se gerere, sic vitam suam inter homines instituere, vt cum Paulo dicere possint: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Quod nemo nisi præditus virtute, cuius odor frãgrantissimus & suauissimus, rectè sibi potest vsurpare. Verùm hac de re satis.

*Cyp. in serm. de vnctione chrysm.*

*Impositio manuum probata est cæremonia.*

*Gen. 48.*

*Leuit. 1.*

*Chrisma etsi nõ scriptura probetur, reuerentur tamen habendum.*

*2. The. 2.*

*Basil. de Spiritu san. c. 28. epi. 2.*

*1. Eccles. hier. ca. 7.*

*2. De carnis resur.*

*3. Hom. 5. in Mat. Op. im.*

*4. in Apologetico.*

*5. Tract. 33. in Ioan. & ser. 43. de verb. Domini & li. 2. contra literas Petiliani. ca. 104.*

*6. De ijs qui initiantur mysterijs ca. 6.*

*Multa in Chrysmate mysteria concurrunt.*

*Chrys. hom. 5. in Matt. Op. im.*

*2. Cor. 4.*

Explicat nunc nobis controuersiæ statum Brentius: Non quæritur, inquit, num liceat alicui ministerium docendæ & administrandæ Ecclesiæ priuato suo arbitrio, sine legitima & ordinata vocatione inuadere: scimus ne in politia quidem, nedum in Ecclesia filij Dei licere cuiquam publicas functiones absq; legitima vocatione & auctoritate vsurpare. Sed hoc quæritur, num Asotus & Prælati eius, qui sunt hostes doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, & qui hanc doctrinam omni credulitatis genere persequuntur, sint vera illa filij Dei Ecclesia, à qua ministri ordinationem petere debeant? Hostes doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ vos estis Brenti, non nos: nec ad veram illam filij Dei Ecclesiam vlla ratione pertinetis cum à Christo & ab eius corpore vos præcideritis, quod suo loco docebimus. Pergit Brentius: Hoc quæritur, num Petrus, Ioannes & reliqui Apostoli non prius debuerint Hierosolymis prædicare Euangelium CHRISTI, quàm ordinarentur ab Anna & Caipha? An non Caiphas erat ordinarius successor Aaronis? Nihil est Brenti, quòd nobis Annam & Caipham toties obijcias: iam enim tum impleta fuit illa scriptura, Perijt lex à Sacerdote. Iam venerat ille Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui & legi & Sacerdotio Aaronis finem imposuit, & in illa nouissima cœna nouũ Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech instituit. Ab hoc ordinati sunt Apostoli, ab Apostolis deinceps alij. Et hæc est legitima successio, de qua gloriamur, quæ à CHRISTO & ab eius Apostolis sumpsit originem: cum Anna verò & Caipha nihil nobis est rei. Itaque non minùs absurdè fecissent, qui cùm semel ordinati, & ad prædicandum Euangelium missi fuissent à CHRISTO Pontifice, qui fuit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, si nihilominus ab Anna & Caipha ordinari petiuissent: quàm si quis nostro æuo ab Episcopo suo legitimè ordinatus, à te Brenti, vel à Culuino, aut quocunque tandem alio de grege vestro sibi mandatis imponi postularet. Quid ergo, inquit Brentius, si Romanus Pontifex fiat Caiphas?

*In quo statu controuersia Brentius ponat.*

*Responsio.*

*Odiosa Brentij quæstio.*

*Responsio.*

*Hier. 7.*

*Heb. 7.*

an

Universidad de Deusto
Biblioteca



an non sine auctoritate & vnctione eius licebit pio & docto viro in Ecclesia, ad quam consensu Magistratus & populi eius vocatus est, Euangelium Christi annunciare, & sacramenta eius administrare? Quid si cœlum ruat Brenti? Pontificem fieri posse Caipham, vt aperte Christum oppugnet, nemo pius credet, qui modo Christi preces quas ad patrem fudit, vt ne Petri fides in successoribus eius deficeret, efficaces fuisse, & eum exauditum esse pro sua reuerentia, persuasum habet. Ac demus fieri posse quod vos vultis, quod non exaudierit Christum deprecantem pater: quodque non attentis illius precibus, Petri fidem in eius aliquo successore deficere permiserit: non ideò statim in omnibus alijs Episcopis defecisse putabitur: neq; propterea licebit Magistratui, populoq; sibi quenquam adscisere, & ei prædicandi verbi Dei, ministrandorumq; sacramentorum potestatem permittere, nisi prius examinatus ab Episcopo suo diœcesano fuerit & approbatus: cuius, & non Magistratus aut populi munus est, de doctrina religionis iudicare quiue sit idoneus reconciliationis minister decernere. Nusquam in Prophetica & Apostolica doctrina reperies, quòd Magistratus aut populus potestatem habuerit sibi ministros constituendi: quin illud in Actis Apostolorum reperies, quòd Prophetis & Doctoribus ministrantibus Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam: & cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei, &c. Reperies de eodem Paulo iam non Saulo, & Barnaba, quòd cùm constituissent per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunijs, commendauerunt eos Domino: Reperies, quòd Paulus Timotheum, & Titum constituit Episcopos: quodq; Tito mandauit, vt ipse, non vt populus, qui docendus, non sequendus est, non prophanus Magistratus aliquis, constitueret per ciuitates presbyteros. Quòd autem quicquam hac in parte sibi iuris vel populus, vel Magistratus vsurpauerit, nusquam in scripturis propheticis & Apostolicis inuenies: vt vos illarum hostes illis omnia contraria docere, non autem nos, vnicuiq; perspicuum esse queat.

*Actor. 15.*

*Actor. 14.*

*Tit. 1.*

*Brentius conuitiosus.*

Redit ad conuitia Brentius: Dicit à Bernardo vocari Prælatos seruos Antichristi. Quasi verò suos non dixerit Lutherus, decies esse Sodomitis peiores. Sed quorsum attinet cum homine furioso conuitijs certare? Profert exemplum de Iosue, qui voluerit prohiberi quòd duo à Moise, ne Prophetarent, & audiuerit ab illo: Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet? Deq; discipulis qui quærebantur quendam ejicere dæmonia, nec sequi ipsos. Et audierunt, Ne prohibeatis illum: qui non est aduersus vos, pro vobis est. Videris oblitus eorum Brenti, quæ paulò antè dixeras: Negabas enim illud in disceptationem venire, num liceat alicui ministerium docendæ & administrandæ Ecclesiæ priuato suo arbitrio sine legitima & ordinaria sua vocatione inuadere, cùm sciant omnes, ne in politia quidem publicas functiones & administrationes absq; publica auctoritate vsurpare, cuiquam sibi licere, nedum vt id liceat in Ecclesia filij Dei. Nunc productis scripturæ locis, contrarium demonstrare conaris, vt licere credatur, quòd anteà non licere scripseras. Quid est quòd ipse tecum pugnas Brenti? Quòd si populum omnem Prophetare voluit Moses, cur tu negas esse putas, vt priuato suo arbitrio sine legitima & ordinaria vocatione docendæ & administrandæ Ecclesiæ ministerium quis inuadat? Deinde cur dicit Paulus: Alios dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas? Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ? Cur idem honestè iubet ac ordine fieri omnia, si populum omnem prophetare fas est? Videtur hæc Brenti, per excessum quendam dixisse Moses, non quòd efficaci voluntate cunctos prophetare voluerit: aut quòd vel ipsius, vel Domini fuerit hæc ordinatio. Nam si voluisset Dominus omnem populum prophetare, quorsum septuaginta viros de senioribus eligere Mosen iubebat? quos, inquit, tu nosti, quia senes populi sunt & magistri: & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis. Quare sic hæc Moses dixisse videtur, quam sonte Gregorio scriptum legitur: Fidelis prædicator optat, si fieri valeat, vt veritatem, quam sonare loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Si fieri, inquit, valeat: Aliud enim Dei & Ecclesiæ ordinatio exigit. Sed cur non prohibuit, inquis, Moses duos illos prophetare? Curue tem prohiberet? cùm testetur scriptura, quòd fuerint de numero septuaginta: quam ob causam requieuit super eos spiritus Domini: nam & ipsi descripti fuerant inter septuaginta. Quòd autem in castris remanserant, & ad tabernaculum non exierant, non ex contemptu fecere, sed sicut etiam à Procopio scriptum est, ex quadam animi submissione, quod se perceptione tanti muneris indignos iudicarent. Euenit igitur illis, quod euenerat Thomæ: qui cùm Spiritum sanctum insufflasset CHRISTVS Apostolis, præsens non aderat. Quoniam autem se non malitiosè subduxerat, æquè Spiritum sanctum ad remittenda peccata accepit, atq; alij Apostoli: cùm anteà iam Apostolorum numero fuisset inscriptus. Nihil igitur hi duo fecerunt contra Dei & Mosis ordinationem quamobrem causa non erat, cur eos prophetare Moses prohiberet. Cæterùm ex hac ista doctrina vestra Brenti, natus est Satanismus hic in Germania, de quo scripsimus initio. Nam dum omnes Apostolos, omnes Prophetas, omnes Doctores esse vultis, & quod proprium est munus Episcoporum, constituere ministros Ecclesiarum, id ad Magistratum secularem & populum transfertis, factum est, vt in tot sectas tam dissectas, dissectos vos esse videamus, quarum vix iam etiam numerum inire licet. Quòd si salua fuisset Episcopis sua iurisdictio, nec impediuisset quisquam, quò minus ipsi iuxta morem ab Apostolis traditum, & ad hoc vsq; tempus in Ecclesia semper obseruatum, Pastores & Doctores ac presbyteros constituerent, nunquam ea quæ terra non ita pridem fuit vnius labij & eorundem sermonum, in hanc quam nunc videmus Babylonem transformata, nec sic miserandum in modum nobilissima gens tot & tantis cladibus affecta & afflicta fuisset: quæ quicquid pertulit calamitatum per

*Num. 11. Mar. 9.*

*Responsio.*

*Ephe. 4. 1. Cor. 12. 1. Cor. 14.*

*Lib. 2. Moral. cap. 24.*

*Iosue. 10.*

*Tolentinus in Germania Satanismus.*



per hos annos quadraginta, non est quòd alij cuipiam acceptum ferat, quàm istis tam multis Prophetis, qui currunt vltrò, cùm eos nemo miserit, qui quidem mittēdi potestatem habuerit. In hunc igitur statum vos Brenti, Germaniam perduxistis, quorum omnes curæ, cogitationesq; non aliò collatæ fuerunt, quàm vt sederet populus vester absq; Rege, absq; lege, absque sacerdotio, absque Ephoth & Teraphin. Sublato igitur per vos ordine, omni disciplina luxata, omnibus legibus dissolutis, quid aliud quàm horrendam istam rerum omnium confusionem sequi necesse fuit? dum vnaquæq; ciuitas, quin & Satrapa ferè quisq; pruriens auribus coaceruat sibi magistros, & quod quisque vult, id pro Dei verbo prædicari mandat.

*Osee 2.*

Insectatur iterùm Brentius Petrum à Soto, quòd is commemorauerit hoc loco legem Imperatoris Theodosij, qui iubet subditos eam agnoscere religionem, quam Petrus docuit, & quam sequuntur Damasus Pontifex Romanus & Petrus Episcopus Alexandrinus. Nō videt, inquit, præanimi sui impotentia, quid pro se, quid contra se dicat. Primùm enim Petrus Apostolus veram & rectam docuit religionem. Ac Damasus Romanus & Petrus Alexandrinus rectam fidem de Triade (de hac enim tum præcipuè agebatur) sequuti sunt. Nos autem nunc loquimur de Pontificibus & Episcopis, qui docent & sequuntur impiam religionem, & qui tantum abest vt veram de pietate doctrinam agnoscant, vt etiam eam ferro, igne, laqueis persequantur: vultne Asotus vt etiam tales sequamur Magistros & Sacerdotes? Det nobis Petros Apostolos, det nobis Damasos Romanos, & Petros Alexandrinos, qui veram & synceram Apostoli Petri doctrinam sequuntur, & habebit pios Principes, non auditores tantum, sed etiam adiutores. Imò tu Brenti, præanimi tui impotentia, dum iuxta nomen tuum ardes odio Romanæ sedis & Catholicorum Episcoporum, non vides quòd ipse contra te loquaris. Quos enim tibi damus alios, quàm Petros Apostolos, Damasos Romanos, Petros Alexandrinos? Quamuis enim inficias ire non possimus, ab istorum sanctitate Pontifices nostros longiùs esse remotos, certum tamen illud est & indubitatum, quòd non in alia religione versantur, quàm in ea, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, quamque Damasum Pontificem, & Petrum Alexandriæ Episcopum sequutos esse constat. Ac primùm quod ad Petrum Apostolum attinet, quis est alius, de cuius in doctrina successione magis gloriemur: cuius etiam epistolas Canonicas vnde vos habetis præterquam à nobis, à quibus discessistis? Quod autem ad Petri successorem Damasum Romanum Pontificem attinet, producemus aliquot è scriptis eius loca, ex quibus planum fieri cuique possit, vosne an nos in ea religione versemur, quam ipsum esse sequutum, scripta eius indicant. Extat eius epistola numero tertia ad Stephanum Archiepiscopum & ad Concilia Africana, in qua Romanam sedem petram & firmamentum à Deo fixum & immobile, ac verticem vocat Ecclesiarum. Ad quam tanquam ad caput cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, referri debere: absque cuius auctoritate causarum Ecclesiasticarum querelas definire minimè licere, & ad eam appellare debere censet. Synodum sine eius auctoritate fieri non posse Catholicum dicit: nec vlla Concilia rata haberi, quæ nō sint illius auctoritate fulta. Ecce tibi damus Damasum Brenti. Num autem idem tu quod ille haec in parte doces? qui fic es implacabilis odij cuiusdam facibus erga Romanam Ecclesiam accensus, vt citius eam quæ graui Turcarum iugo premitur Hierosolymitanam, quàm hāc, cuius ipse etiam vnus omnium Christianissimus Imperator Carolus se filium esse profitetur, ac præ se fert, atque adeò gloriatur, pro matre vestra agnoscas, cùm tamen non solus sit Damasus, qui de Romana sede tam magnificè senserit. Fecerunt idem pij omnes & qui præcesserunt, & qui sequuti sunt Damasum. Quorsum autem attinet omnium testimonia proferre? Qui præcessit Damasum, Iulius ita scribit: Sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia, Domino instituente, prima & caput est cæterarum, vt ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores Ecclesiæ causæ & iudicia Episcoporum recurrant. Vides, vt hic matrem aliarum Ecclesiarum esse dicat Romanam? Ante quem etiam Cyprianus sanctus martyr & Episcopus, matricem eam ac radicem Ecclesiæ Catholicæ vocat. Quid autem Bernardus? ex quo tu pleraque collegisti, quibus Romanos Pontifices in odium & inuidiam adducere posses. Est ita, quod illi sicut alijs pijs omnibus Romanæ curiæ vitia vehementer displicuerunt, & ea grauissimè, si quisquam alius, quinque libris ad Eugenium conscriptis, est insectatus: Sed nunquid ideò sanctæ sedis huius auctoritati quicquam detrahit? Imò verò in secundo libro tantùm illi tribuit, quod ad personam attinet, quam gerit, Romani Pontificis, vt etiam ipsi Petro plura tribuere non potuerit. Et in alio quodam libro matrem nihilominus Ecclesiarum Romanam Ecclesiam appellat. Dolet multis pijs Brenti, quòd qui succedunt in cathedram & doctrinam Petri, non æquè succedunt omnes in sanctitatem Petri, plurimaq; Romanæ curiæ vitia multorū oculos vehementer offendunt. Sed qui sumus nos, qui seruos iudicemus alienos? suo illi Domino stant, aut cadunt. Statuet ille de quoque suo tempore, quod meritus quisque fuerit. Nobis certè iusta causa non esse videtur, cur separationis consilia sequamur, quòd malos in Ecclesia nonnunquam præsidere videmus. Nam quò nos tandem vertemus, vbi meliores intuenire liceat? Quod ad vos attinet, non magis in scriptis quorundam legimus, quàm oculis ipsi nostris, in moribus vestris cernimus, non esse quenquam ferè qui vestrum Euangelium sit amplexus, qui non seipso sit factus deterior. Ad Picardos autem vel Anabaptistas, vel Svvenckfeldianos, apud quos maior, elucere videtur sanctimoniæ species, vt à matre nostra Romana Ecclesia deficiamus, vos nobis auctores futuros non arbitramur. Verùm ad Damasum nostrum redeamus. Docet idem Damasus in eadem epistola, iudices Episcoporum iuxta decreta canonum Episcopos esse debere. Tu Brenti contra decreta Canonum, etiam Laicos Ecclesiasticarum causarum Iudices esse vis. Memi-

*Alia Brentij in Se. tum sugillatio.*

*Responsio Romanæ Ecclesiæ vindicans dignitatem.*

*Damas. epistola. 4.*

*Iulius Pont. ad Orientales Episcopos.*

*Cyp. lib. 1. epist. 8.*

*Bern. ad Euge. Ber. li. 4. ad Euge. Rom. 14.*

*Cauenda separationis consilia, dū mali Ecclesiæ præsunt.*

*Damasus Brentij sectam damnat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nit ibidem & sacerdotum & sacrificij: & in ea quæ proximè sequitur epist. Missæ quoq; nomi-
natim. At vos à Satana Magistro vestro docti, sicut fatetur dux & antesignanus vester Mar-
*Luthe. de Missa angulari.* tinus Lutherus: qui secum hac de re disputasse diabolũ, & fortiora quàm quæ refellere pos-
set contra Missam argumenta produxisse scribit: ab hoc Magistro docti vos, & sacerdotium,
& sacrificium prorsus omne sustulistis: neq; Missæ vel sacrificij nomine quicquam est apud
vos magis abominandum. Et intereà dicis: Da mihi Damasos, & audiam. Meminit idem in
quarta epistola consecrationis virginum de erectione altaris, de vnctione, sacratione q; de
Ecclesiæ dedicatione, de Chrismatis confectione, de baptizatorum frontibus Chrismate si-
*Iuo li. 1. decretorũ.* gnandis, de formatis epistolis mittendis, de populo benedicendo. Quid? An hæc omnia vos
Brenti propria vestra temeritate non abrogastis? Meminit etiam, sicut ab Iuone qui Gratia-
num præcessit, scriptum est, quòd Metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ ad
fidem suam exponendam, palliumq; suscipiendum ad Apostolicam sedem mittere tenea-
tur. Num idem vos Brenti, faciendum esse putatis? Iam de traditionibus audi quæ sit Dama
*Dam. epist. 3. Idem ad Aurelium Carthag. Episcopũ. De Petro Alexandrino.* si sententia: Quæ Apostolorum, inquit, prædicatione, & Patrum institutione percepimus,
semper tenere debemus, ne aliqua noua semper cudere videamur. Et alio loco: Sanctorum
Canonum voluntariam transgressionem, blasphemiam esse dicit in Spiritum sanctum. Nũ
hæc Brenti, cum vestro de traditionibus dogmate consentiunt? Et intereà clamas, Da mihi
Damasos. Vis autem vt etiam tibi dem Petros Alexandrinos? Mihi quidem nihil scriptorum
eius videre licuit, præter Canones quosdam ex sermone de pœnitentia, quibus præscribi-
tur, quæ sit iniungenda pœnitentia his, qui tempore persequutionis à fide exciderunt. Ac
in primo Canone ad reliquam pœnitentiam adijci vult quadraginta dies, quibus ieiunent.
Cedo Brenti, num vos talem pœnitentiam iniungere cuiquam consueuistis? qui cachinnis
eam potius explodi tis. Docetis enim, quandoquidem Christus pro peccatis nostris semel
satisfecit, nulla deinceps opus esse satisfactione nostra. Atqui non ita Petrus Alexandrinus,
non ita quem ille ducem sequutus est Petrus Apostolus: Christus, inquit, passus est pro no-
*1. Pet. 2. Matth. 3. 2. Pet. 1.* bis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Exigit à nobis Euangelium fru
ctus & opera digna pœnitentiæ. Dicit idem Petrus Apostolus: Satagite vt per bona operacer
tam vestram vocationem faciatis: vos exclusis bonis operibus, fidem solam sufficere doce-
tis. Est ne consentiens hæc vestra doctrina, non iam dicam Petri Alexandrini, aut Damasi,
verùm Petri Apostoli doctrinæ? Iamne vides Brenti, nos esse, qui versamur in ea religione,
quam vertex Apostolorum Petrus initiò Romanis tradidit? quamq; Pontifex Romanus Da-
masus, & Petrus Episcopus Alexandriæ sunt sequuti? Vos autem in quauis alia potiùs, quàm
in eadem hac religione versari: cùm eam partim risu prosequamini, partim horrendis blas-
phemijs insectemini, nec sit ea quicquam apud vos execrabilius. Et audes intereà vociferã-
ri: Da mihi Petros Apostolos, da Damasos Pontifices Romanos, da Petros Alexandrinos, &
habebis nos non auditores tantùm, verumetiam adiutores. Ecce dedimus eos tibi Brenti,
non in corporibus suis viuentes, nec viua voce sententiã suam exprimentes, sed spirantes
adhuc in monumentis literarum, quæ post se reliquerũt, & in eis quæ fuerit eorum religio,
declarantes: cum qua nos quidem per omnia consentire, vos aũt ex diametro cum ea pugna
re, negare non potestis. Nam si maximè negare velitis, vel ipsi libri vestri vos mendacij con-
uincent, omni genere blasphemiarum referti.

Tandem aliquando Brentius ad causam accedere videtur, nec adhuc vnquam in hoc scri-
pto suo propius accessit: nam extra causam ferè cætera loquutus est, nec multum ad rem,
qua de agitur, pertinentia. Nunc autem ex Ecclesiastica historia demonstrare conatur, quòd
*Theodo. Imperãt. an index inter Epi-scopos fuerit.* in causa fidei Theodosius Iudex inter Episcopos fuerit. Mirum est autem, si potuit hoc Am-
brosium latere, qui vixit eodem illo tempore, qui funebrem etiam orationem illi conscrip-
sit. Qua confidentia autem ausus ille fuisset scribere Valentiniano, qui cum Theodosio fi-
mul imperauit: Quando audiuisti Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse, si
quid eiusmodi factum à Theodosio fuerat? Nonne respondere potuisset Imperator: Audiui
quod fecerit hoc imperij mei consors nuper adeò Constantinopoli Theodosius? Deinde ve
rò hoc ipso Theodosio imperante, fuit habitum Concilium Aquileinse, priusquam Oecume
nicum illud Constantinopoli: vbi hæc Imperatoris verba recitantur: Ambigua dogmatum
reuerentia, ne dissideant Sacerdotes, quam primùm experiri cupientes, conuenire in Aqui
leiensem ciuitatem Episcopos iusseramus. Neq; controuersiæ dubiæ sententiæ rectius pote
rant experiri, quàm si obortæ altercationis iudicium in interpretes ipsos constituissemus
Antistites, vt videlicet à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem discordiæ eru-
ditionis repugnantia solueretur. Quæ cùm essent lecta, dixit Ambrosius, qui præsens ad-
fuit in illo Concilio: Ecce quod Christianus constituit Imperator, noluit iniuriam facere Sa
cerdotibus, ipsos interpretes constituit Episcopos. Hic laudat eo nomine Theodosium Am-
brosius, quòd is non alios, quàm Episcopos iudices esse voluerit: quod idem paucis interie-
ctis facit Eusebius quoq;. Inde coniecturam facere licet, quòd fibi in causa fidei nunquam iu
dicium Theodosius arrogauerit: qui quid sui, quid Episcoporum esset muneris, vel ex his
*Expenditur locus in historia Socratis.* quæ gesserat anteà Constantinus antecessor eius, cognoscere potuit. Quid igitur de Socra-
tis historia dicemus? Quod si Brentius ea fide, qua oportuit, Socratis verba recitasset,
nec præteritis quibusdam ea sola produxisset, quæ ad suum institutum probandum facere
videntur: facilè cuiuis perspicere licuisset, nihil præter officium suum Imperatorem fecis-
se. Nam in exordio capitis illius, ex quo nonnulla profert Brentius, omnia Theodosium de
Nectarij Constantinopolitani Episcopi cõsilio fecisse scribitur, ex quo perspicuum illud fit,
q; non sibi de causa fidei iudicandi potestatem vllam Imperator vsurpauerit: sed quòd à Ca-
tholicis Episcopis præscriptum fuit & iudicatũ, id pro Catholici Imperatoris officio & ipse
ratum habuerit, & ab omnibus sibi subiectis haberi ratum, inuiolateq; seruari iusserit. Sed



Sed quoniam vrget nos hic Brentius: quæ fuerit Ecclesiæ praxis hac de re, quidq; sit in ea
moribus receptum iam inde à mille trecentis ferè annis, paucis perscribemus. Ante mille
trecentos annos congregatum fuit primum Nicææ concilium, quò conuenerant ex vniuer
so terrarum orbe trecenti, decem & octo Patres. Venerat eò Constantinus etiam Impera-
tor. Sed quomodo? Scribit hoc Eusebius, quòd cum paucis postremus omnium ingressus,
posita modica quadam sede, non priùs consedit, quàm annuissent Episcopi. Cumq; de con-
cordia & pace pleraq; differuissent, diligentiorem dogmatum inquisitionem ipsorum senten
tiæ permisit. Quod ita factum esse, præter Eusebium, Socrates etiã & Theodoretus memo-
riæ prodiderunt. Vides quemadmodum iste nullas iudicandi sibi partes sumpserit, sed ad-
monitione facta, de pace & concordia dogmatum inquisitionem Episcoporum sententiæ
permiserit. Cui testimonium hoc Augustinus quoq; tribuit, quòd cùm Donatistæ causam
Ceciliani ad Imperatorem Constantinum detulissent, non fuerit ausus de causa Episcopi iu
dicare, sed eam discutiendam ac definiendam Episcopis delegarit: quod & factum est in vr-
be Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ, cum multis collegis suis. Scribit
deo Ruffinus quoq; quòd cùm Episcopi, qui Nicææ congregati fuerant, libellos ei quosdã
protulissent, quibus se accusabant inuicem, suscepit à singulis libellos, & eos omnes in sinu
suo continens, nec quid in eis contineretur aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit
Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi. Et ideò nos à vobis rectè
iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quòd Dei solius inter
vos expectate iudicium: & vestra iurgia, quæcunq; sint, ad illud diuinum reseruentur exa-
men. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos. sed
ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discer
nit. Et ideò ijs omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absq; vlla animorum contentione di-
stinguite. Cùm hæc dixisset, omnes simul quærimoniarum libellos iussit exuri, ne innote-
sceret vlli hominum simultas sacerdotum. Hæc Ruffinus. Habuitne tanquam seruos Epi-
scopos Imperator hic Brenti? Num autem est verisimile, quòd cùm recens hoc fuisset illius
exemplum, secùs aliquid facere Theodosius in animum induxisset, quàm ab hoc Imperato-
re laudatissimo factum esse meminerat? In actis Nicænæ Synodi, quæ in libro Conciliorum
extat, reperiuntur subscriptiones Episcoporum trecentorum, decem & octo. Cæsaris Con-
stantini subscriptio nulla reperitur. Quamuis aũtem interfuerint in ea Synodo, vel præfue-
rint potius legati Syluestri Romani Pontificis, Hosius Cordubensis, Victor & Vincentius:
dederunt nihilominus Patres literas ad Syluestrum, quibus ab eo, non autem ab Imperato
re confirmari petiuerunt, quod in Synodo fuerat ab illis constitutum.

In Secunda Synodo, quæ numeratur inter Oecumenicas, Constantinopolitana, nihil a-
liud actum est à Patribus, quàm quòd sententiam Damasi, quam ille paulò antè congregato
Romæ Concilio contra Macedonium, Sabellium & Eunomium tulerat, probarunt, & eam
sunt sequuti. Quo nomine scriptis ad Damasum literis, vt sibi congauderet, ab eo popoſce
runt. Quicquid igitur à Theodosio factum esse scribit Socrates, iuxta Nectarij consilium ex
auctoritate Damasi Papæ factum est: quæ causa fuit etiam, vt vnà cum collegis suis ediceret,
vt in tali religione cuncti populi sibi subiecti versarentur, quam Pontifex Damasus seque-
retur. Subscripsisse centum quinquaginta Episcopi leguntur: quod Imperator subscripse-
rit, in actis non inuenitur.

In tertia Synodo, quæ fuit habita Ephesi, Celestini Romani Pontificis nomine præfuit
Cyrillus Alexandrinus: ac lecta fuit epistola Celestini: quam sequuti Patres, Nestorium con
demnauerunt, & ab Episcopali dignitate, vniuersoq; sacerdotij collegio alienum esse decre
uerunt: sicut in historia sua scribit Euagrius. Ad hanc Synodum Imperator Theodosius mi
sit loco suo Candidianum. Sed nunquid vt iudicaret de causa fidei? Audi Brenti scribentem
ipsum qua de causa miserit. Deputatus est, inquit, Candidianus magnificus comes strenuo-
rum domesticorum, transire vsq; ad sanctissimam Synodum vestram: ac in nullo quidem
quæ facienda sunt de pijs dogmatibus quæstiones communicare. Illicitum namq; est, eum
qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immiscerì tractatibus. Vi
de Brenti, quemadmodum ipse Theodosius formulam à se deputato præscripserit, vt ne se
tractatibus Ecclesiasticis immisceret, neue de causa fidei sibi iudicium arrogaret, sed tuen-
dæ, conseruandæq; tãtum tranquillitatis causa Synodo interesset: quemadmodum is illici-
tum esse iudicauerit Imperatorem Ecclesiasticis se negotijs immiscere. Et est verisimile, q̃
fidei gereret? Qua autem ex causa mittantur ab Imperatoribus, Regibus & Principibus ad
Synodos nuntij, planum tibi Brenti, faciet eiusdem Imperatoris epistola, quam scripsit ad
Elpidium Comitem, & Eulogium Tribunum, quos miserat ad aliam Synodum, quæ fuit i-
terum Ephesi congregata, cuius acta sunt in Concilio Calcedonensi rescissa: quos mittere se
scribit, non vt de causa fidei iudicent. Sed valentes, inquit, nostris iussionibus ministrare, de
ijs quæ in Epheso à sancta Synodo fuerint constituta: & nullum fieri tumultum permitte-
re: sed & si quem videritis conturbationibus & tumultui studentem ad læsionem sanctæ fi-
dei, hunc custodiæ mancipate. In quam sententiã scripsit idem Imperator ad Proclum quo-
que Asiæ Proconsulem. Extat eisdem Imperatoris etiam ad Cyrillum epistola, quę habetur
in operum Cyrilli tomo 4. cuius hęc verba sunt: Nos sanè non patiemur, vt simul & vrbes &
Ecclesiæ turbentur, neq; vt inexcussa nobis sit ea doctrina, cui dijudicandæ præfici oportet
eos, qui circumquaq; sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis firmiores su-
mus, & post hac erimus. Et hic fatetur Theodosius, de controuersia religionis non ad se, sed
ad eos qui præsident sacerdotio, iudicium pertinere. In hac tertia Synodo subscripserunt du
centi Episcopi: quòd subscripserit Imperator, ex actis non apparet.

*Praxis & mos veterus Ecclesiæ de iudicanda causa Religionis.*
*Constantini exemplum.*
*Euseb. lib. 3. de vita Constantini.*
*Socr. lib. 1. cap. 8.*
*Theod. li. 1. cap. 7.*
*Aug. epist. 106. & epist. 48. & 206.*
*Ruffi. lib. 1. cap. 2.*
*Constantini oratio ad Episcopos concertiosos.*
*Psal. 81.*
*Episcopi subscribũt synodo, non Imperator.*
*Aliud exemplũ de synod. Cõstantinop. De summa Trinitate, Cunctos, & Zo. li. 7. ca. 4.*
*Tertiũ exemplum.*
*Euag. li. 1. ca. 4.*
*Verba Theodosij.*
*Cur Cæsares & Principes mittant Legatos ad Concilia Oecumenica.*
*Cyril. epist. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quartum exemplū Martiani Imper. Libera cap. 3.*

Quarta fuit Synodus Calcedonensis: Interfuit in ea Martianus Imperator ipse, sed à legatis Leonis Papæ petitus, vt sui præsentiam præstaret Concilio: quod ipso absente se ad Concilium non accursuros dicerent, sicut in Breuiario suo scripsit, Liberatus. Nunc audi quam ad rem interfuerit. Narrat enim ipse: Ad confirmandam (inquit) fidem, non ad ostendendam virtutem: vt nunc per hanc sanctam Synodum depolita nebula, quæ in his paucis annis ex prauitate quorundam & auaritia visa est exoriri, semper seruentur quæ statuta sunt. Ad hoc se scribit venisse, vt quæ decreta essent à Synodo, ea quemadmodum rata haberentur, & ab omnibus obseruarentur, auctoritate sua Imperiali prouideret. Extat autem epi-

*Pulcheriæ Augustæ auctoritas & sancti tas.*

stola Pulcheriæ Augustæ inter præambulares epistolas in Synodum Calcedonensem: qua monet Bythiniæ Strategū, vt clericos, monachos, laicos, quos nulla ratio ad concilium vocat, omninò de ciuitate, deq; locis ipsis vbi concilium haberetur, expelleret. Fuit autem hæc Pulcheria, sicut vitæ sanctitate, perpetuaq; virginali pudicitia insignis ita summa auctoritate prædita. Nam cùm ad fratrem eius Theodosium recens ablactatum orbis terrarum imperium fuisset deuolutum, & fratris, & imperij procuratrix erat à Deo constituta: cumq́ue de ipsius sententia mortuo fratre Martinus fuisset Imperator designatus, fuit nihilominus imperij consors: ac vnà cum illo Calcedonensi Concilio interfuit. Quæ cùm nondum esset quintumdecimum annum egressa, scribit Sozomenus, eam supra ætatem sapientissimum ac diuinum spiritum accepisse, eiusq; studio & sapientia perfectum esse narrat, vt

*Sozo. lib 9. ca. 2.*

suis temporibus hæreses non obtinerent. Neq; verò non paritum est huic Pulcheriæ mandato. Nam in actis Concilij Calcedonensis semel & iterum voces hæ fuerunt emissę: Synodus Episcoporum est, non clericorum: superfluos foras mitte: vt quod à Pulcheria præceptum, id auctoritate Synodi confirmatum esse videamus. In eadem Synodo scriptum repe-

*Actio 2. Syn. Calcedon. Ibidem Act. 1.*

ritur, quòd cùm ad Martinum Archimandritam directa fuisse chartula, vt subscriberet, non acquieuerit, dicens: Non est meum subscribere, Episcoporum tantum est. Subscripserunt nihilominus in ea Synodo sic Episcopis volentibus, etiam Presbyteri. Sed ita tamen vt esset inter eos & Episcopos discrimen. Nam Episcopi subscripserunt hac forma: Flauius Episcopus Cōstātinopolitanæ iudicās. Et alio quodā loco, definiēs subscripsi. Presbyteri verò simpliciter: Eusebius Presbyter subscripsi. Sic vt Iudices agnoscerentur Episcopi soli, Presbyteri verò tanquam decretis eorum consentientibus suscriberent. Fuerunt in eadem Synodo Iudices quoque seculares, sed nihil aliud quàm legi preces, quæ acta essent recitari, autentica monumenta proferri, ad obiecta responderi, si qui cupiebant audiri, eos introduci mandabant: vociferationes prohibebāt: si qua vis illata, si quid per tumultum factum esset, cognoscebant: vbi de fide agebatur, Synodo iudicium permittebant. Quod vel illa verba indicant ex actione prima Calcedonensis Concilij, vbi Iudices & Senatus dixerunt: Dicat sancta Synodus, si canonicis epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli consonat interloquutio Eustathij reuerendi Episcopi. Et in octaua actione ijdem Iudices: Omnis iam dubitatio de Theodoreto reuerendo est soluta, quippè & Nestorium coram nobis anathematizauit, & à sanctissimo Leone susceptus est, & definitionem fidei suscepit, & epistolæ sanctissimi Leonis subscripsit. Deest igitur, vt sententia proferatur à Deo amabilitate vestra, vt cuncta sua prius & Ecclesiam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus iudicauit. Qua sententia per Episcopos lata, dixerunt Iudices, Secundum decretum sancti Concilij Theodoretus

*Discrimen inter seculares & Ecclesiasticos iudices.*

sanctissimus Episcopus Ecclesiam ciuitatis Cyri recipiat. Similiter & de Iba, & de alijs nonnullis factum est. Hic iam vide Brenti, quod fuerit discrimen inter seculares & Ecclesiasticos Iudices: Hi dicernebant quid credendum, quidve faciendum esset: illi, vt quod esset ab eis decretum exequutioni debitæ mandaretur, procurabant: ipsi autem nullas sibi iudicandi partes sumebant. In hac quarta Synodo quidam resipiscentes Ecclesiæ sunt restituti, quemadmodum Theodoretus, Ibas, & alij nonnulli. Dioscorus autem & Putyches condemnati, factaq; sunt omnia iuxta sententiam, quæ fuit ante Concilium illud lata per Leonem primum Pontificem Romanum. Ac tenebant in ea locum Romani Pontificis Legati Pascasinus, Lucentius, & Bonifacius. Nihilominus missum fuit ad Pontificem, & à Synodo petitum, vt quæ fuerant à Patribus constituta confirmaret: quod ille fecit non grauatim. Cæterùm decretum illud, quo Constantinopolitanum Archiepiscopum proximum à Romano Pontifice locum habere pronunciatum est, præter legatorum suorum consensum, vt ratum haberet, adduci nulla ratione potuit. Subscripserunt in Concilio sexcenti triginta Episcopi: Quod autem Imperator, aut ex Iudicibus quispiam subscripserit, acta non iudicant.

*Quintū exemplum.*

In quinta, quæ est Constantinopolitana secunda, Synodo nec Imperator, nec ab eo missus quispiam, quantum ex actis cognoscere licuit, interfuisse videtur. Ac fuit Imperator tū Iustinianus, cuius extat epistola, in qua se pro executore gerit, non pro Iudice: nam eosdem illos quos damnauerat Synodus, Agapeti Romani Pontificis auctoritatem sequuta, Zoaram, Anthimum, Seuerum, Petrum, proscribit, & exilio mulctat. Ac scribit Photius in epistola ad Michaelem Bulgariæ Principem, de septem Concilijs Oecumenicis, quod fuit in vrbe Constantinopolitana, tum Vigilius Romanus Pontifex: verùm Concilio non aderat, & quamuis ad sacri cœtus conuentum promptus non esset, communem tamen Patrum fidem libello comprobauit. Subscripserunt centum sexaginta quinq; Episcopi, Imperatorem subscripsisse non constat. Subscripserunt autē & Presbyteri, sed Episcopi hac forma, Definiui & subscripsi, Presbyteri hac, Sequendo definita subscripsi.

*Sextum exemplū.*

In sexta, quæ fuerit Constantinopolitana tertia, & Imperator Cōstantius interfuit, & multi cum eo viri illustres: qui itidem vt in Calcedonensi Synodo, gloriosissimi Iudices vocati fuerunt: verùm nec Imperator, nec quisquam eorum qui vocati sunt iudices, hoc sibi arrogauit, vt de causa fidei iudicaret: sed sicut in Calcedonensi, ita & in hac sexta Synodo non a-



liam ad rem, & Imperatorem, & ordines istos interfuisse liquet, quàm vt ordine agi omnia procurarēt. Sic enim scribitur: Imperator & sanctū concilium dixerunt: Discurrat Gregorius codices: Proueniat lectio fiat lectio: Alter liber relegatur. Itidē & gloriosissimi Iudices nūc hunc, nunc illum intromitti iusserunt. Posteaquàm verò ventum est ad sententiam contra Macarium ferendā, iam nec Imperator loquitur, nec Iudices, sed sola sancta Synodus: quem admodum ex duodecima, & sedecima actione videre licet. Sed & in actione decimaoctaua, posteaquam subscripserant centum septuaginta Episcopi, in ipso fine subscripsisse legitur Imperator in hæc verba. Et subscriptio pijssimi & Christo dilecti Constantini Imperatoris: Legimus & consensimus. Ac mox, Pijssimus Imperator Constantinus dixit. Edicat sanctum & vniuersale concilium, si consensu omnium Episcoporum promulgata est definitio, quæ ad præsens celebrata est. Cumq; sanctum concilium exclamasset, Omnes ita credimus, edictum scribi fecit Imperator, vt quòd fuit à concilio definitum, id firmiter omnes obseruarent. Ac primus hic fuisse videtur (quantum quidem ex ijs quæ extant Synodorum actis cognoscere licet) qui concilij definitioni subscripserit: sed non iudicans, verùm consentiens tantùm. Quod aliquot ante seculis etiam in Arausicano secundo concilio factum legimus à viris quibusdam illustribus, vbi sic illi subscripserunt: Petrus, Marcellinus, Felix, Liberius, viri clarissimi Prefecti Prętorij, cōsentientes subscripserūt. Quanquam in octaua Synodo generali, cùm postularetur ab imperatore Basilio, vt primus ipse subscriberet Concilij decretis, respondisse legitur? Tranquillissimum imperium nostrum sequutum præcedentes, & iustissimos Imperatores: Constantinum videlicet Magnum, & Theodosium ac Martianum & cæteros vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporū. Sed quoniam postulat præferri nos sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum vicariorū. Edocti enim sumus à Christo vero Deo nostro, habere exaltantē humilitatem. Ex quibus Basilij verbis colligitur, quòd in prioribus etiam Oecumenicis cōcilijs Imperatores subscripserint post omnes Episcopos. Cæterùm in ijs actis, quæ typis exciusa sunt, præterquàm in sexta & octaua Synodo, nullius Imperatoris subscriptionem repe-

*Primus ex Imp. Cōstantinus in Concilio subscripsit non vt iudicans, sed vt consentiens, & extremo quidē loco.*

rire licet. In hac sexta Synodo condemnati sunt, qui tantùm vnam voluntatem & actionem in Christo esse contendebant. Pyrrhus ab Honorio pridem è cœtu piorum electus, & ab Heraclio relegatus: deinde Cyrus Alexandrinus, & Sergius à Theodoro & Martino Pontificibus iam anteà condēnati. Tū Theodorus Pharensis, Paulus Constantinopolitanus, Macarius, Polychronius. Hi sunt quos Photius quoq; recenset inter dānatos De. Honorio verbū facit nullum, quem non præterijsset proculdubiò silētio, si quid de eo compertum habuisset: vt inde falsitas actorum sextæ Synodi: quod ad Honorium attinet, elici facile queat. In omnibus autem. Hæc Synodus Agatonis Pontificis præscriptum est sequuta, cuius extat in actis pulcher rima epistola, de cuius sententia Patres omnia decreuerunt.

Septima Synodus habita est iterum Nicææ, de qua libet quæ scripsit Photius, quamuis ver bis paulò prolixioribus adscribere, quoniam ad hæc quoq; nostra tempora valdè sunt accōmodata. Hoc sacrum, inquit, magnumq; concilium recens patefactam & barbaram hæresim, quæ ab impijs & execrandis hominibus parta erat, diuina, communiq; sententia simul cum ipsius auctoribus condemnauit. Infelices enim homines isti, verbis non confitentes se Christo vero Deo nostro maledicere. factis omnia in eum maledicta, & linguæ petulantiam congesserunt. Cumq; illum sine medio, & sinę aliquo velo contumelia afficere non auderent, per venerandam imaginem omnem Christo inimicæ mentis cupiditatem expleuerunt. Adorandam enim Christi imaginem, per quam idolorum error excluditur (proh nefarium sceleratæ atq; impiæ linguæ cogitationis q; sonum) idolum appellauerunt, & omnibus ipsam ignominijs afficientes, & per plateas ac vias publicas trahentes, & pedibus conculcantes, in ignem coniecerunt, spectaculum Christianis hominibus miserandum, & sola Christi hostium impietate dignum. Eadem & in reliquas sacras imagines contulerunt, cùm celeribus pedibus sanguinem funderent, dirisq; manibus ac impuris labris petulantiam exercerent, nec vllam tanti furoris atq; dementiæ satietatem caperent homines pessimi. Sacras Christianorum notas & effigies non minus quàm si Gentium essent abominationes, imò verò magis publicè detestabantur: Ex quo bellum grauissimum aduersus Christum & sanctos eius commouebatur. Omnibus enim perspicuum est, honorem imaginibus habitum, ad eos transire quos illæ referunt. Verùm isti noua Iudæorum Christi hostium progenies, dum Christi atq; sanctorum eius imagines afficiunt contumelia, ea perficiunt, in qui bus Patres ipsorum defecerunt. Irruunt enim in facinora Iudæorum, singulariq; alacritate Patres suos superare conantur. Et dum non audent in medio Christianorum labris etiam Christum abnegare, in eundem ipsum Iudaicum, paternumq; zelum deprehenduntur incidere, & adulterinam etiam hanc ostendunt imitationem: nec vllo consistunt loco, sed tanquam veneno hæresis ebrij, huc illuc iactantur & ruunt: Christianos enim se esse profitentur, & aduersus Christum debacchantur: Iudæos appellari se nolunt, & imagines oppugnantes zelum ipsorum Christo inimicum imitantur & superant: idololatriæ nomen vitant, & se in ipsos Christianos diuinaq; Christianorum, sanctaq; mysteria nihilo idololatris leuiores præbent. Quamobrem sanctum & Oecumenicum concilium eos qui adulteræ istius & multis seminibus commixtæ opinionis ignobilitatem fugere noluerunt, tanquam nothos & à fidelium nobilitate alienos insolubilibus anathematis vinculis constringendos iudicauit. Imaginem autem Christi veri Dei nostri. ex Apostolorum & sanctorum Patrum traditionibus, & sanctorum oraculorum testimonijs, ad honorem & venerationem illius, quē ipsa refert, adorandam atque colendam suffragijs omnibus censuit & confirmauit. Cùm adoratio nimirum atq; honor adhibeatur eodem modo, quo in alijs sacris notis & formis sanctissimæ latriæ vtimur. Neq; enim in illis consistimus, honoremq; & adorationem con-

*Septimum exemplū ex Synodo Nicæna secunda.*

*Contra demolitores & contemptores imaginum Christi et sanctorum.*

*Sententia Synodo Nicænæ contra Iconoclastas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cludimus, neq; ad alios & diuersos fines distrahimur, sed per diuersum & singularem ipsorum cultum & adorationem, quę cernitur, sacra conuenientiq;, ac minimè diuisa ratione animos nostros ad inuisibilem illam, singularemq; atq; vnicam diuinitatem dirigimus. Sic venerabilem crucem adoramus, in qua Domini corpus extensum est, & sanguis ille, quo mundus vniuersus purgatus est, emanauit: & ligni natura illius fluxibus irrigata, pro morte vitam perpetuam tulit. Sic crucis signum adoramus, quo dæmonum agmina fugantur, & varij curantur morbi. Cùm semel in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit, & vsque ad exempla similis vis se diffundat. Hæc igitur singula, nempè Christi imaginem, & ipsam crucem, crucisq; notam, cultu adorationeq; prosequentes, honorem & adorationem non in ipsis concludimus, sed eum dirigimus, qui propter incredibiles diuitias amoris erga nos, factus est homo, & mortem propter nos pertulit contumeliosam. Sic & sanctorum templa, & sepulchra, & reliquias, ex quibus morborum curationes emanant, fideliter adoramus, Christum verum Deum nostrum, qui gloria ipsos affecit, collaudantes & celebrantes. Et si quid ijs in mysticis & sanctis nostris sacrificijs simile est, per munus & gratiam in illis exhibitam, præcipuum auctorem & Principem causam agnoscimus, & commendamus. Quapropter & diuinus ac sanctus ille beatorum atq; sacrorum virorum cœtus, non solùm imaginem Christi, quemadmodum diximus, verùm etiã immaculatissimæ, semperq; virginis Mariæ & Dominæ nostræ genitricis, & sacras sanctorum omnium imagines, pro ratione excellentiæ & sanctitatis exemplarium colendas & adorandas communium oraculorum decretis constituit & confirmauit. Per ipsas enim ad præsentiam quodammodo atque congressum, animi ducimus intentionem: & per hanc diuina, naturamq; superante coniunctione copulamur cum illo, qui summus est rerum expetendarum. Hæc igitur sapienter, diuinæque septimum illud Concilium decreuit, atque constituit. Quo quidem facto, omnem hæreticam pestem ac turpitudinem à grege ratione prædito depulit: propriumq; decus & pulchritudinem Ecclesiam recipere ostendit: & tanquam sponsam non in simbrijs aureis, sed intelligibilibus decoratam imaginibus, ad Christi sponsi dexteram constituram, hilaribus & lætis oculis toti fidelium multitudini conspiciendam honorandamq; demonstrauit. In hac Synodo præsidebant Adriani primi Pontificis Romani nomine, Petrus Protopresbyter Ecclesiæ Romanæ, & alter Petrus Præfectus sanctæ Sabæ. Fuerat autem iam antè damnata hæresis hæc Iconomachorum à Gregorio tertio, qui Leonem etiam Imperatorem, per quem euersæ fuerant imagines & electæ percussit anathemate. Quod idem statuit contra filium eius Constantium, qui sui patris impietatem fuerat imitatus, Stephanus Papa tertius. Ac interfuerunt quidem in hac Synodo duo Senatores, sed initiò tantùm pauca loquuti, non leguntur posteà se tractatibus Ecclesiasticis immiscuisse. Subscripserunt Episcopi trecenti sexaginta septem, alium quenquam subscripsisse, non apparet.

*De veneratione sanctæ crucis.*

*Qua ratione honos imaginibus tribuatur, & reliquijs, & templis, & sepulchris sanctorum.*

*Hucusque Photius. Leo Im. eiecit imagines, eiusque filius Constantius vnde vterq; excommunicatus.*

In octaua Synodo, quæ fuit Constantinopolitana quarta, interfuit quidem Basilius Imperator & subscripsit, sed quàm ab eo fuerit alienus, vt aliquas in iudicando sibi partes defide sumeret, demonstrant verba quę tum habuit ad eos, qui præsentes aderant in Synodo, quos in hunc modum alloquitur: De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm quiabsolutè versamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere: neq; penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificũ & Sacerdotũ est, qui regiminis officiũ sortiti sunt, q sanctificãdi, q soluẽdi & ligandi potestatẽ habẽt, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues. non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcunq; enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interiùs polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursusq; quantumcunq; sit Episcopu irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, pastoris nominis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo ratio est in ordine ouium constitutis, pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ supra nos sunt, quærendi & ambigendi: Oportet ergo nos cum timore & fide syncera hos audire, & à facie eorum veteri, cùm sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideãt, & nihil amplius quàm ea quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem vt videmus, adeò multos malitia in insaniam accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quod pedes sint minimè cogitantes, legem ponere velint oculis. Oculos hic vocare Basilius videtur Episcopos, quos Ambrosius etiam oculorum in Ecclesia fungi scribit officio: de quibus etiam in octauo concilio Toletano legitur: Dum secundum carnis assumptæ mysterium. Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus, meritò in membris eius intentio Episcoporum, officia peragere cernitur oculorum. Sic & Augustinus sanctos Apostolos vocat oculos. Quantacunq; religione sit & sapientia laicus, etiamsi vniuersa virtute polleat, fas tamen non esse censet Basilius, illi de causis Ecclesiasticis sermonem mouere, quòd proprium hoc sit Episcopi munus: etiamsi multò sit is in virtute, sapientiaq; inferior. Idq; Gregorij, quem Theologum Græci vocant, sententiam sequutus, qui in oratione sexta, qua se excusat, quòd ab Ecclesiastica functione tam diu abstinuerit, sic populum affatur: Vos oues nolite pascere pastores, neq; super terminos eorum eleuemini: satis enim est vobis, si rectè pascimini. Nolite iudicare iudices, nec legem feratis legislatoribus. Deus enim nequaquam Deus est seditionis & confusionis, sed ordinis & pacis. Nemo igitur caput sit, qui vix manus, aut pes esse possit, siue membrum aliquod corporis honorabilius: sed vnusquisq; fratres in eo ordine in quo vocatus est, permaneat, licèt etiam dignior existat: in illoq; magis præsentem amet claritatem, quàm vt eam quam non accepit, quærat. Nemo qui sine periculo subesse potest, imperare desideret: nec subiectionis lex soluatur, qua tam terrestria quàm cœlestia sunt alligata. Vides quæ fuerit hac de re, de qua nunc inter nos agitur, Basilij sententia: in qua Gregorius quoq; Nazianzenus fuisse videtur, qui fas esse non putat, vt Iudices iudicentur. Sed audi quid de hoc ipso in hac Synodo decretum fuerit. Illud tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quòd à quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque principali præsentia celebrari, cùm nusquam sacri Canones conuenire seculares Principes in Concilijs sanxerint, sed solos Antistites. Vn de nec interfuisse illos Synodis, exceptis Concilijs vniuersalibus, inueniemus. Neque enim fas est, seculares Principes sectatores fieri eorum, quæ sacerdotibus Dei nonnunquam euenirunt. Iam autem diximus, quemadmodum Imperator subscribere noluerit: subscripsere runt autem primo loco legati, quos Adrianus Pontifex Romanus miserat, hac forma: Ego Donatus Dei gratia Episcopus Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini mei Adriani Pontificis & vniuersalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens: ad voluntatem eiusdem eximij Præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi. Qua forma & reliqui duo collegæ eius vsi sunt. Ignatius verò hac: Ignatius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ, sanctam hanc vniuersalem Synodũ suscipiens, & omnibus quæ ab ea iudicata & scripta sunt concordans & definiens, subscripsi manu propria. Quam eandem formam in subscribendo sequuti sunt Ioseph, vices agens Patriarchæ Alexandrini, Thomas Antiocheni, Elias Hierosolimitani. Post quos tandem subscripserunt Imperatores hac forma: Basilius, Constantinus & Leo perpetui Augusti, in Christo Deo fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores, sanctam hanc & vniuersalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt concordantes, subscribimus manu propria. Ex eo videre licet, quòd Imperatores, vel quicunque tandem alij non Episcopi, etiam in subscriptionibus suis diligenter cauerunt, ne quid tanquam iudicantes in fide, aut quacunque tandem Ecclesiastica causa feciſse viderentur.

*Octa. exemplũ*

*Basi. Imp. oratio. pijssima.*

*Etiam sanctissimi laici indignos plane pastores reuereãtur & timeant magis quam inducant.*

*Epiſcopi dicti oculi Concil. Tol. c. 4.*

*De dignitate sacerdotali cap. 6.*

*Psal. 87.*

*Grego. Naz. de officio laicorum erga pastores.*

*Actio. 10.*

*Non est Principum & secularium, se causis & Synodis Episcoporum immiscere.*

*Nota subscriptionẽ Episcopi.*

Atq; hæ sunt octo Synodi generales, quas numerat Gratianus: neq; enim plures ante ipsius tempora habitæ fuerunt. In ijs omnibus non reperies Brenti, quòd quisquam Imperatorum aut Principum, aut quorumcunq; tandem laicorum in Ecclesiastica causa Iudex esse voluerit, quòd Apostolicam hanc esse traditionem non ignorarent, vt ne laici se causis Ecclesiasticis immiscerent. Nam & in illo Hierosolymitano Concilio nemo sententiam dixit præter Apostolos, quorum loca tenent Episcopi. Sic enim Lucas loquitur: Conuenerunt Apostoli & Seniores (qui Græci Presbyteri vocantur) videre de verbo hoc, Moxinducit Petrum loquentem, quem rectè scribit Hieronymus Principem in eo Concilio lati decreti fuisse. Post eius orationem tacuit (inquit) omnis multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum narrantes, quanta fecit Deus signa & prodigia in Gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, &c Hi sunt omnes, quos dixisse sententiam scribit Lucas, Petrum primo loco, tum Barnabam, Paulum, Iacobum. Omnis, inquit, reliqua multitudo tacuit. Quid his verbis esse potest euidentius? Hunc itaq; morem Apostolorum sequuta semper est in Concilijs Ecclesia Dei, vt illi soli sententiam dicerent in causis Ecclesiasticis, qui loca tenent Apostolorum, reliqua verò multitudo taceret. De Valentiniano Imperatore scribit Sozomenus, cum per Episcopum Hypatianum verbis Episcoporum per Hellespontum & Bythiniam agentium fuisset rogatus, vt Episcopis ad corrigendum dogma conuenire permitteret, sic eum respondisse: Mihi qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari: sacerdotes quibus ista curæ sunt, inter seipsos quocunque loco voluerint, conueniant. Hic est ille Valentinianus, qui nec interesse voluit, cùm Sixto Pontifici quædam crimina fuissent obiecta, sed surgens à Concilio, dedit in arbitrio Sixti Episcopi, vt iudicaret iudicium suum. Simile quiddam à Carolo Magno factum fuisse dicitur, in causa Leonis tertij Pontificis.

*Distin. 16. c. Sãcta. Nonum exemplum est in primo Concilio Apostolorum. Act. 15. Hier. in Epi. ad Aug. Sozo. lib. 6. cap. 7. Eccle. hist. Valentiniani Imp. erga Episcopos reuerentia.*

Vsque eò autem Imperatores Catholici iudicium in Ecclesiasticis causis sibi non arrogarunt, vt ne hæretici quidem id facere voluerint. Vnus fuit Valentinianus iunior Imperator, qui iustinæ matris impulsu, cùm puer adhuc esset propemodum, sibi de fide iudicium vsurpare conatus est. Sed quibus verbis eum adortus fuerit Ambrosius, iam antè commemoraui mus, pœnituit eum facti non multò pòst, ac informatus fide & institutis Catholici Principijs Theodosij, tanto in Ambrosium affectu pòst iucubuit, vt quem anteà perseqbatur, eum diligeret: quem anteà vt aduersarium repellebat, eum vt parentem putaret, sicut ipse in quadam epistola scribit Ambrosius. Non dissimile quiddam ausus fuit etiam Imperator ille, & re & nomine Basilicus, qui circulares dedit literas, quibus Chalcedonense Concilium, & Leonis libellum per anathema damnauit. Quod tamen ipsum fecit Episcoporum suorum, qui non pauci numero fuerunt congregati, sententiam sequutus, qui circularibus etiam literis eiusmodi subscripserunt, vt magis exequutoris, quàm Iudicis officio fungerentur videri possit. Sed has tamen ipsas literas circulares non ita multò pòst aboleri & eis contrarias scribi iussit, sicut apud 1. Euagrium, 2. Liberatum, 3. Nicephorum scriptum reperimus. Ad eundem modum & Constantius, quo nihil in religione fuit inconstantius, qui primus ex Imperatore Christiano factus erat Arrianus, quicquid egit contra Catholicos, non propria sua, sed Episcoporum auctoritate, quos frequenter conuocabat, faciebat, & quotannis ferè nouam fidem condi procurabat. Quamuis autem auctoritate Synodi iam fuerat Athanasius condemnatus, tamen vide Brenti, quantum ille positum putabat in vno Pontifice Romano Liberio, quem partim vi & minis, partim etiam pollicitatione munerum, sicut ipse scribit Athanasius, pertrahere conabatur, sed frustrà tamen vt paulò antè docuimus, vt Athanasij damnationi subscriberet. Tam ardenti desiderio nitebatur auctoritate Episcopi æternæ vrbis firmari, quod iã impletũ esse sciebat: sicut ab Ammiano

*Etiam hæretici Imp. non arrogarũt sibi iudicium de religione.*

*Amb. epist. 34.*

*1. lib. 3. cap. 4. hist. Eccl. 2. ca. 16. Breuiarij. 3. li. 18. ca. 3.*

*Ath. in epist. ad solitariã vitã agentes.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ammi. li. 5. Atha. Apolog. 2.*

quoq; Marcellino memoriæ proditum est. Intelligebat enim irrita fore omnia quæcunque acta ab alijs fuissent, nisi Romani Pontificis auctoritas accessisset. Athanasius autem ferendum non esse putauit: vt quicquam sibi iuris arrogaret Imperator in Synodis Episcoporũ.

*Atha. Principes omnino remouet à cognoscendis causis ecclesiasticis.*

Qui sic alicubi scribit: Qua fronte talem conuentum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? Et in Epistola ad solitariam vitam agentes: Obtendit, inquit, in speciem Episcoporum iudicium, sed interim facit quod illi volupe est, si istud est iudicium Episcoporũ, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contra ista minis Cæsaris conflãtur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando à condito æuo auditum est, quòd iudicium ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antea Synodi fuêre, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt: sed neq; Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicio socios assumpsit, &c. Et prope finem, dicit eũ Antichristi imaginem induisse. Quis enim videns eum, inquit, in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat, eum, illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? Nam cùm circumamictus sit Christianismo, & in loca sancta penetret, & inibi consistens deuastaret Ecclesias, abrogans Canones, vi cogens vt sua obtineant, quis vnquam audebit dicere, hoc tempus Christianis pacatum esse? Vides Brenti, quæ fuerit Athanasij sententia de eo, si quis, non dico Satraparum aut Ducum, sed Regum etiam & Imperatorum, Principem se facere vellet Episcoporũ. Et fecit tamen omnia Constantius, obtendens in speciem, sicut idem scribit Athanasius, iudicium Episcoporum, quod ad se minimè pertinere sciebat: Quare sequi non præire, exequi quod esset ab Episcopis decretum, non ipse decernere videri volebat.

*Ab exemplis tyrannorum, vt Hunerici & Theodoriti, Victor lib. 2. persecutionis Vandalicæ.*

Quid autem crudelissimus ille fidei Catholicæ persequutor Hunericus? cùm imperasset Eugenio Carthaginensi Episcopo, vt pro disputatione fidei constituta die vna cum Episcopis suis veniret, conflictum cum suis hoc est, Arrianis Episcopis initurus: Eugenius verò respondisset: disputationem legis cum adiutorio, Dei se nullatenus declinare vel fugere: sed sine vniuersitatis assensu se non debere causas assumere eius fidei asserendæ: num ipse Iudex in ea causa esse volùit? Quamlibet sæuus tyrannus, hoc sibi tamen non vsurpauit. Sed

*In 4. Synodo Romana sub Symacho Papa.*

cùm diceret Eugenius: Quis erit cognitor? quis examinator? Notarius Regis respondit Patriarcha Cyrillus. Similiter & alius quidam Rex Theodoricus, minùs quidem ille sæuus, sed Arrianus tamen vltro vocatus ad iudicium Ecclesiasticum: in Synodali arbitrio esse dixit, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam decernere videri. Quantò fuit modestior hic Arrianus, quàm tu Lutheranus?

*Ab exemplis Luthe ranorum.*

Vis autem etiam Lutheranorum ea de re sententiam audire, proferam: vt vestris vos telis confodiam, Gloriantur se Lutheranos esse, qui sunt Confessionis Augustanæ. Atqui dissertis verbis in ea scriptum est: Secundum Euangelium, seu vt loquuntur, de iure diuino, nulla iurisdictio competit Episcopis vt Episcopis, hoc est, ijs quibus est cõmissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam: & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ. Neq; verò dissentit ab hac sententia suæ confessionis Philippus in breui quodam scripto, quod de hac ipsa materia edidit. Nam sicut anteà meminimus, non permittit is Principibus de doctrina iudicandi potestatẽ, verùm custodes eos tantùm esse vult primæ & secundæ legis tabulæ, q; ad externam disciplinam attinet, hoc est, sicut nos interpretamur: vt meminerint se non sine causa gladium portare, prohibeant idololatriam & blasphemias: néve ferant pro Dei verbo verbum suum hæreticos populo venditare, néve propter voculas aliquot è sacris literis productas, & in prauum sensum detortas, quod abipsis profertur, adorari tanquam Dei verbum patiantur. Quanta per Deum immortalem est vis veritatis, vt etiam per hostium veritatis iugula nonnunquam erumpat?

*Ab exemplis Ethnicorum.*

Vis autem Brenti, vt etiam Ethnicorum exemplo demonstremus, fas non esse, quod tu fas esse doces, vt secularis Magistratus Ecclesiasticis se causis immisceat? Difficilè quidem id esse videtur, sed periculum tamen faciemus. Fuerat à Catholicis Episcopis propter hæresim ex communione piorum eiectus & Episcopatu priuatus Paulus Samosatenus, quo tempore imperij gubernacula tenebat Aurelianus Imperator Christianæ fidei persequutor. Paulus quoniam videbat Imperatorem esse Ethnicum, Episcoporum decretum contempsit, nec ab Ecclesiæ domo voluit abstinere. Quid fecerunt Catholici? Confugerunt ad Imperatorem Ethnicum. Ille verò, quamuis Ethnicus, non esse tamen sui muneris intelligebat, vt

*Euse. lib. 7. cap. 30. Eccl. hist.*

inter Episcopos iudicaret. Sed conuenientissimè decreuit, sicut scribit Eusebius, vt illis ea domus adiudicaretur, quibus Episcopi Italiæ & Romæ in dogmate concordes scriberent:

*Concluditur aduersus Brentiũ eleganter.*

Ita Paulus per summam ignominiam Ecclesia pulsus est. Vides Brenti, quemadmodum nec Ethnicus Imperator licere sibi putauit, vt Episcoporum se Iudicem constitueret, verùm ad suos Iudices eos remiserit. Et quod non modò Catholici, verùm ne hæretici quidem quam libet sæui nonnulli tyranni, quin etiam ne graues quidem Christianæ fidei persequutores, Imperatores, Ethnici fas esse sibi putauerunt, vt inter Episcopos de causa fidei cognoscerẽt: id tu Brenti fas esse contendis, non modò Regibus aut Principibus, verumetiam cuiuis de fæce vulgi. Quæ est hæc animi tui impotentia? quod est istud tam ardens Apostolicæ sedis & Catholicorum Episcoporum odium? vt & superioris, & huius ætatis nostræ hæreticos, quin & ipsos Ethnicos peruersitate superare coneris, dummodò odio tuo plusquam Vatiniano satisfacias?

Putat



Putat autem admirator ille tuus Vergerius, quod peruersè docetur à te, id se pientissimo Regi & Domino meo probare posse? Errat Brenti, & quidem toto cœlo, quod aiunt, errat. Nescit fortasse, quàm sanctis parentibus, auis, proauis, & paternis & maternis prognatus sit, quamq; semper abhorruerit, & nunc etiam abhorreat ab hoc vestro Satanismo. Quæ fuerit in Christiana, Catholica & Orthodoxa religione domus Iageloniæ constantia, in ipso operis huius inito paucis attingimus. Neq; verò sicut in alijs præclaris multis virtutibus, sic & in hac, sua laude caret inclita domus Austriæ, cuius quanta fuerit semper, & nunc etiam sit pietas, religio, sanctimonia, manifestum est orbi Christiano vniuerso. Atqui sic domus hæc cum Iagelonia coniuncta est, vt vna propemodum esse vtraque videatur. Nam sicut pientissimus auus Serenissimi Regis mei Casimirus Rex ante centum annos ex Austriæ familia, quã nulla est in orbe terrarum illustrior, Alberti Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis & Archiducis Austriæ filiam Elizabetham, qua vix vllam vidit Polonia fœminam religione præstantiorem, vxorem duxit: sic & hic Serenissimus nepos eius Excellentissimi illius, & vnius omnium religiosissimi Principis Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; Regis & Archiducis, itidem Austriæ filiam Catharinam sibi matrimonio coniunctam habet, quæ & ipsa pietate, religione, sanctimonia, nulla ex parte proauia sua Elizabetha inferior esse videtur. Cùm igitur hoc inter se certamen tuendæ Catholicæ religionis vtraque familia susceperit, nec altera alteri hac in parte concedere velle videatur, crede mihi Brenti, quòd ad extremum vsque vitæ suæ spiritum, Deo vires suppeditãte, in eo quod cœpit, perstabit.

*Laus domus Austriacæ.*

*Elizabetha & Catharina ex Austria familia Reginæ Polonia.*

Vis autem ex Austriaca domo recens exemplum tibi proferam? Non te clãm est proculdubiò, quemadmodum Leo decimus Pontifex Romanus, Martinum Lutherum ante annos plus minus triginta sex, errantem in viam reuocare conatus fuerit. Apud quem cùm nihil paternis adhortationibus profecisset, de consilio Patrum amplissimorum, & eorum qui sacrarum literarum doctrina præstabant, Martinum vestrum Lutherum, hæreticum pronunciauit. Ac misso nuncio ad vnum omnium Christianissimum Imperatorem, vereq; Catholicæ sententiam sequutus, pœnas contra eum decerneret, quibus hæretici condemnari consueuerunt, iuxta morem à priscis Imperatoribus Christianis & Orthodoxis obseruari solitum. Quid ad hæc pientissimus Imperator, auitæ religionis & puri verbi Dei propugnator acerrimus? Minimè grauatim se facturum ostendit, quod à primario Ecclesiæ filio & aduocato factum oportebat. Quoniam verò nonnulli vehementer instabant, vt prius homines ad se vocaret, quàm ad exequutionem decreti à sancta sede Apostolica lati processisset, nec illis negare, necaliquid quod personæ suæ non esset, admittere voluit. Quamobrem ne secùs aliquis factum hoc illius interpretari posset, in suo proscriptionis edicto, quod promulgari fecit, causam cur eum accersiri voluerit, his verbis adscripsit: Non vt nos, inquit de negotio hoc iudicaremus aut cognoscueremus: cùm id proculdubiò ad Romanum Pontificem & sedem Apostolicam pertineat: neq; vt res sancrosanctæ fidei nostræ tandẽ post tot secula per nouas altercationes cum magno fidelium scandalo & perturbatione ac infidelium derisione in controuersiam vocari pateremur: sed vt cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione hominis animũ per cunctantes, cũ bonis monitionibus & suasionibus ad rectã semitam, si fieri posset, reduceremus. Vides quemadmodũ & hic non obscurè tulerit, sui nõ esse muneris, de doctrina religionis cognoscere? Clarius aũt etiam id ostendit, cùm ei ante annos vigintiseptem libellus Augustanæ cõfessionis oblatus, iudiciumq; fuisset illius requisitum. Tum enim nulla circuitione vsus, respondit his qui hoc à se postulauerunt: non velle se quicquam determinare, neq; posse concludere de negotio religionis, verùm apud Pontificem Romanum pro officio suo diligenter se daturum operam de congregando Concilio generali. Agnoscis, opinor, verba vestræ confessionis Augustanæ. Sic sibi religiosissimus hic Imperator nihil eorum vsurpare volebat, quæ sui non esse muneris intelligebat.

*Exemplum posterioris Imperat.*

*Testimonium Imperatoris Caroli, non suum esse de religione cognoscere, sed Pontif. & Synodi.*

Nunc audi non diuersùm de Iagelonia familia. Sanctus ille pater Serenissimi Regis huius Austriæ familiam maternum suum genus duxit: sanctus, inquam, ille Rex, qui ante annos non ita multos in Christo obdormiuit, cùm alijs hæroicis virtutibus multis clarus, tum in tuenda fide Catholica constantia quadam & animi robore singulari præditus, pro qua mortem etiam oppetere paratus fuisse videbatur, cùm ab eo postularent itidem nonnulli, (quibus rectè dici potuit: Nescitis quid petatis) vt purum Euangelium in regno suo prædicari permitteret: respondit, officij sui non esse de puritate verbi cognoscere, ad Episcoporum id munus pertinere: quorum quidem hac de re iudicio, se etiam ipsum libenter Matthæi. 20. Matthæ. 20. iesias eius submitteret: eorumq; iurisdictionem saluam in omnibus esse vellet. Num autem ab eo degenerauit serenissimus hic filius eius, qui nunc habenas regni moderatur? Is verò nihil facit libentius, quàm vt sanctis sancti sui parentis vestigijs incedat, quem sui nominis gloria totum terrarum orbem impleuisse non ignorat. Itaque cùm anteà semel & iterum eadem illius quæ diui patris vox audita est, tum in proximis superioribus comitijs Varsauiensibus, cùm itidem peterent nonnulli, quòd de causa religionis cognoscerẽt, constanter admodum recusauit, quòd non esse sui muneris diceret: sibi satis esse cum prophanis causis negocij, nec eis omnibus dijudicandis vnum se sufficere posse: Regem agere se, non Pontificem velle. Has illius voces Christiano Catholico & Orthodoxo Rege dignas cùm præsentes in comitijs adfuissemus, auribus ipsi nostris audiuimus. Tantùm autẽ is ab eo abfuit, vt de doctrina religionis cognoscere vellet, suam vt etiam voluntatem omnibus declararet, q; de ijs rebus tantùm quæ propriè ad Comitia pertinerent, præcipuè verò de ratione regni defendẽdi deliberationẽ suscipi cuperet: cùm tractatio de religione ad

*Aliud exemplum Regis Poloniæ Sigismundi.*

*Exemplum Regis præsentis Poloniæ quàm sedulò curet is Religionem & obseruet Episcopos.*

Syno-

Synodos Episcoporum, non autem ad comitia spectet. Cùm autem omninò res postularet, vt aliqua fieret religionis mentio, sic rem proponi fecit, vt disertis verbis nolle se diceret, vt de constituenda religione, quæ rectè pridem esset constituta: verùm vt de eo tantùm sententiæ dicerentur, quemadmodum absente se à regno prouideri posset, vt pax nihilominus & tranquillitas in regno conseruaretur. Et putat Vergerius, Sereniſſimum hunc Regem meum, qui non semel iam suæ constantis voluntatis tot nobis tam illustres dedit significationes, eum vel à Christianissimi Imperatoris, vel ab eius quem tanquam alterum patrem colit & obseruat, Sereniſſimi & Excellentissimi Romanorum Regis, vel ab illius, quem iam æterni cœlorum gaudijs esse potitum confidimus, sancti, sui parentis institutis discessurũ, aut suipsius dissimilem futurum, vt suæ oblitus, alienam personam induat: & quibus de rebus semel iam orbis Christianus iudicauit vniuersus, de ijs rectè an secùs iudicata sint, cognoscendi sibi ius arroget? Prius oporteret, vt ei subderet orbem vniuersum, ac tum demũ hoc ei persuadere conaretur. Quanquam si feciſſet illud etiam, ne sic quidem sibi sumeret Rex pientissimus, quod etiam eos Imperatores, sub quorum potestate redactus fuit orbis vniuersus, arrogare sibi nunquam ausos fuisse perspectum habet.

*Quæ Vergerij temeritas.*

*Ad Regem Poloniæ apostrophe.*

Vide autem Sereniſſime Rex, quàm ineptum, quamq; sit absurdum, & ab omni ratione prorsus alienum, quod admirator Brentij postulat Vergerius. Fides de qua controuertitur, non est huius aut illius nationis, multò minùs huius aut illius hominis: verùm dicitur & est Catholica, est omnium, omnium inquam, gentium, regnorum, nationum: est orbis vniuersi Christiani. Et de eo quod omnium est orbis totius Christiani, vult Vergerius, vt vnus aliquis Princeps aut Rex (qui quotam illius partem obtinet) sibi iudicium vsurpet. Nunquid hunc hominem tu vel micam sanæ mentis habere putas? Etiam communi sensu destitutus esse videtur. Fingamus autem, vt in regno tuo (quod pro sua misericordia procul Deus auertere dignetur) quocunq; tandem Iudice seorsum aliquid ab orbe reliquo Christiano de fide constituatur: cedo Brenti, cedo & tu Vergeri, quo nomine fidem hanc appellabimus (Polonamne, an Lithuanam, aut Russicam, an Prussicam? Certè Catholicam vocare non poterimus, si fuerit ab orbe reliquo Christiano diuersa. Quid igitur aliud restabit, quàm vt expungamus illum articulum nostræ fidei, Credo sanctam Catholicam Ecclesiam? Et illius loco dicamus: Credo Polonam, aut Lithuanam Ecclesiam: quæ sancta dici non poterit, si fuerit à reliquo Christi corpore, sancta Ecclesia Catholica separata.

*Fides de qua contenditur hodie, quomodo Catholica cẽsenda & vindicanda est.*

*Epilogus ad Regẽ adhortatorius.*

*Aug. li. 3. cont. epi. Parmeniani cap. 2.*

Videsne iam Sereniſſime Rex, quàm sint inepta, quàm absurda, quàm cum ipsa ratione pugnantia, quæ isti persuadere tibi conantur? Nulla sunt eorum alia, quàm separationis consilia, quæ vir ille sanctus, prudens & doctus Aurelius Augustinus pernitiosa sacrilega, & impia vocat. Hæc vt amplectaris, vt ab orbe terrarum te diuidas, vt seorsum ab illo, seorsum ab Ecclesia Catholica, nouam tibi fideculam condas, nouos ritus, nouas cæremonias instituas, vt maiores tuos ac nostros etiam omnes, quin orbem Christianum vniuersum, aut cæcitatis aut impietatis condemnes, quòd aut in clara luce scripturarum hallucinati sint, aut si quid in scripturis fortè viderunt, apertè contra eas venire non dubitauerint: dicam vno verbo, vt schismaticus sis, & hæreticus, auctores tibi sunt ipsi schismatici & hæretici Brentius & Vergerius. Et horum tu pestilentissimis vocibus aures tuas accommodabis? horum pernitiosis consilijs locum dabis? Si rectè noui pietatem tuam, quam & in publicis comitijs omnibus, & in priuatis colloquijs mihi non semel testatam fecisti, non facies pientissime Rex, non facies. Quin istas pestes tu haud aliter atq; viperam & basiliscum vitabis, nec eis in regno tuo receptum dari patieris: cùm eorum scripta, dictataq; non alio, quàm & ad seditionẽ excitandam, & ad sempiternum animarum interitum spectent omnia. Etiam atq; etiam tecum considera, quem istiusmodi consilia rerum statum effecerunt in Gemania, quem ante annos non ita multos in Anglia quoq;, vt ne vetustiora proferam exempla. Alieno quanti tuo ipsius periculo discè potius; quantam secum ea res malorum iliadem adferat, si qua gens à Christo, à quo semel vocata est in gratiam, in aliud Euangelium transferri se patiatur. Sed nolo pluribus, ne de constantia tua, deq; animi tui robore dubitare videar. Nunc de eo quod proximè sequitur capite, disserere incipiam.

LIBRI SECVNDI FINIS.

LIBER



# LIBER TERTIVS
## DE AVCTORITATE SACRAE SCRIPTVRAE,

AVCTORE STANISLAO HOSIO
Cardinale, Episcopo VVarmiensi.

DE quo capite sermo nũc instituitur, in eo permultum esse positum facilè quiuis intelliget, qui vel Ecclesiasticam historiam, vel acta Conciliorum, vel sanctorum Patrum eos libros diligenter legerit, in quibus illis cum hæreticis certamen fuit. Semper enim hi sic ad solas scripturas prouocabant, sic solis illis innitebantur, vt præter eas nihil recipiendum esse censerent, nec vllas Patrum interpretationes admitterent, sed quem ipsi sensum attulissent, eum obtinere vellent. Horũ igitur maiorũ suorũ vestigijs incedunt etiã nostri temporis hæretici. Quemadmodum illi, sicut à Tertulliano dictum est, de scripturis agebant, de scripturis suadebant, scripturas obtendebant, & hac sua audacia statim quosdam mouebant, in ipso verò congressu firmos quidem fatigabant, infirmos capiebant, medios cum scrupulo dimittebant: sic isti quoq; nunc faciunt scripturarum contortores, sangq; fidei & bonorum operum extortores.

*Mos hæreticorum, ad solas prouocare scripturas.*

*De præscriptionibus hæreticorum.*

Quos eo quidem nomine quòd scripturas adferunt, damnat nemo: sed quòd sicut Arriani, sicut Macedoniani, sicut Nestoriani, sicut Eutichiani, sicut alij plerique omnes hæretici præter scripturas recipiendum esse putant nihil: quòd prauam earum interpretationem adferunt: quòd penes quam solam veræ scripturarum intelligentiæ lux est, Ecclesiæ sensum & consensum pro nihilo ducunt: hoc est, quamobrem eos damnandos censemus: hoc est, quamobrem eos hæreticos pronunciamus. E scripturis probare conabantur Iudæi, quòd Christus ne Propheta quidem esset. Dicebant enim: Scrutare scripturas & vide, quia Propheta de Galilæa non surgit. E scripturis ijdem eum esse morte dignum, demonstrare contendebant. Nos legem, aiunt, habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Quis autem eos vnquam propterea reprehendendos esse duxit, quòd scripturas adducebant? Nemo sanus certè. Sed quòd eas non intellectas, quòd in prauum sensum detortas, quòd contra scripturarum auctorem Christum producebant, hoc est quod eis meritò crimini datur.

*Catholici cum hæreticis, non de scripturis, sed de sensu scripturarum contendunt.*

*Ioan. 7.*

*Ioan. 19.*

Quamobrem ne credat pius lector, inter Catholicos & hæreticos nostri temporis, vllam esse de scripturis controuersiam, aut eam à nobis tanquam Dei verbum summa cum reuerentia non recipi. Nulli sunt, qui plus ei tribuendum putent quàm nos, qui per Dei gratiam & vocamur & sumus Catholici. Sed quod pridem ab Hilario dictum est aduersus eiusdem generis homines, cuius est Brentius cum suis. De intelligentia hæresis est, non de scriptura, sensus, non sermo fit crimen. Vnde autem Brentius? vnde cæteri, qui fuerunt ex nobis, sed non permanserunt nobiscum, scripturas habent? An non ab ijs ipsis, à quibus discesserunt? A nobis, à nobis, inquam, & à Patribus nostris Catholicis. Possunt ne vel iota vel apicé vnũ proferre, qui fuerit à nobis vel à Patribus nostris in Scriptura mutatus? qui sicut à suis acceperunt Maioribus, ita vicissim nobis suis posteris integras eas & incorruptas tradiderũt, vt eas quales accepimus, ad nostros quoq; posteros tranſmittamus. Res est euidentior, quàm vt demonstrationis alicuius indigeat.

*Catholici plus quã Hæretici scripturis tribuunt.*

*Lib. 2. de Trinit.*

*1. Ioan. 7.*

*Hæretici à Catholicis scripturas mutuantur*

Proferemus nihilominus hac de re Brenti, Isiebiensis idoli vestri testimonium. Sic enim ille loquitur: Audio, inquit, & video rebaptizationem à quibusdam vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciant, tanquam hi qui nihil ab Antichristo habere velint. Quemadmodum & Sacramentarij propterea merum panem & vinum credere volunt in despectum Papæ, arbitrantes se hoc pacto rectè subuertere posse Papatum. Profectò friuolum est hoc fundamentum, supra quod nihil boni ædificaturi sunt. Hoc enim pacto negare eos oporteret totam scripturam sacram, & prædicandi officium: hoc enim totum à Papa nimirum habemus, & nouam quoq; scripturam sacram nos facere oporteret. Sic & vetus testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis. Stultitia est hoc totum. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit Pharisæorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit, quod illi habuerunt, & docuerunt. Nos autem fatemur, sub Papatu, plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in papatu veram esse scripturam sacram, verum Baptiſmum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmum, vt sunt oratio Dominica, decem præcepta, & articuli fidei: dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse. Agnoscis verba Dei vestri Brenti? Quod autem pro causa nostra testimonium luculentius adferri potuit, etiam ab eo qui suauiſſimè in nos effusus esset, quàm quod allatum est ab hoc vno mortalium omnium nobis infestiſſimo? Adeò per Prophetæ huius vestri, sicut per Balaam olim iugulum, vel inuito eo veritas erupit.

*Luth. in epist. quadam ad duos plebanos de Anabaptismo*

*En Lutheri testimonium.*

*Num. 20.*

Quare

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Fraudulenta Brentij Rhetorica.*

Quare non credat pius lector impio Brentio sic suam causſam proponenti, quasi Petrus à Soto vir pius, Catholicus & doctus ſeeùs aliquid de maieſtate ſcripturarũ ſenſerit, quàm ſentire virum Catholicum oporteret. Rhetorem agit Brentius, atq; ita rem proponit, vt omni ratione ſummum odium & inuidiam viro pio, & docto conſtare queat. Sed nos arte Rhetorica ſepoſita, & confeſſionis Brentianæ verba & quæ ex aduerſo ſcripſit Petrus à Soto, ponemus, ex quibus facilè Lector æquus iudicabit, quanta venerabili viro fiat iniuria ab eo viro, qui nihil aliud quàm ardens odio, odium in illum ſuum explere cupit.

*Confeſſio Wittembergenſis.*

*Confeſſ. Cathol.*

Sic habet Confeſſio Brentiana, quam ſub nomine ſui Ducis edidit: Sacram Scripturam vocamus eos canonicos libros veteris & noui Teſtamenti, de quorum auctoritate nunquã in Eccleſia dubitatum eſt. Sic habet ex aduerſo Catholica aſſertio: Scripturam ſacram illam Catholica fides agnoſcit, quæ continet noui & veteris inſtrumenti libros, quos à Spiritu ſancto editos Eccleſia agnoſcit, & veneratur. Et quanquam inter hos illi primum locum teneant, de quibus nunquam dubitatum eſt, quoſque ſemper omnes ſuſceperunt Eccleſiæ: nec tamen propterea quos non omnes ſuſceperunt, extra Canonem habere debent conſentientes Eccleſiæ filij, ſi eos poſteriori tempore conſtat ſuſceptos eſſe in Eccleſia vt Canonicos,

*Ezech. 13.*

*Ioan. 20.*

Iudicet hic æquus Lector, vter de ſcriptura ſcribat reuerentiùs, is ne qui vel recipit, vel reijcit quoſuis libros Canonicos, arbitratu ſuo, an is qui recipit omnes, quos à Spiritu ſancto editos, Eccleſia recipit ac veneratur: quin non ſequitur hac in re Spiritum ſuum, quod faciunt inſipientes Prophetæ, ſed Eccleſiæ Spiritum ſequitur, & quos illa Canonicos eſſe quocunque tandem tempore iudicauit, eos pro Canonicis recipit. Nam etſi de nonnullis dubitatum fuit aliquando, num ideò dubitari perpetuò debet? Dubitauit etiam Thomas de Chriſti reſurrectione, num in hac ſua dubitatione permanere nihilominùs debuit etiam, poſtquàm ſuas illi cicatrices Chriſtus oſtendit? Sed ſicut dubitatum eſt à Thoma, ne dubitaretur à nobis: ſic etiam de quibuſdam Canonicæ ſcripturæ libris dubitatum aliquando fuit, vt per eorum quorum intererat, præſertim verò Patrum in Concilio congregatorum ſententiam, dubitationi quandoque finis imponeretur. Ad hoc enim Concilia congregantur, vt quibus de rebus dubitatur, de ijs quid pro certo teneri debeat, decernatur.

*Veterum dubitatio de ſcripturæ libris prodeſt poſteris.*

*De quibus libris ſcripturæ dubitatũ. Cano. 47. Epiſt. 3. ad Exupe-rium cap. 3. Li. 11 Machabæorũ Canonici.*

Dubitatum fuit olim de libris veteris Teſtamenti Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtico, duobus etiam primis Machabæorum, & Baruch. Noui verò, de Apocalypſi, epiſtola ad Hebræos, epiſtola Iacobi, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Ioannis. Ac de libro Iudith Concilium Carthaginenſe ſub Aurelio Carthag. Epiſcopo, Innocentius primus, Gelaſius cum ſeptuaginta Epiſcopis, Concilium Florentinum ſub Eugenio quarto, pronunciauit quòd ſit Canonicus: itidem & de Tobiæ libro, & de Eccleſiaſtico, & Sapientia. Quòd ad Machabæorum duos libros attinet, extant Ganones Apoſtolorum, quorum auctor fuiſſe putatur Clemens Petri ſucceſſor, in eorum extremo tres libri Machabæorum in Eccleſiaſtico Canone numerantur. Ab Innocentio primo duo tantùm, itidem à Carthaginenſi Concilio, pronunciali quidem, ſed quod à ſexta Synodo generali confirmatum eſt: vt iam illius decreta, pro Synodi generalis decretis habenda ſint. Similiter & à Florentino & à Tridentino Concilio duo tantùm libri Machabæorum in Canone recenſentur. De quibus ab Auguſtino

*Lib. 18. de cinit. Dei, cap. 26. Contra Gaudentij epiſt. lib. 2. cap. 23.*

ſcribitur, quòd Machabæorum libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet. Et alio loco, cùm de Rhaſia teſtimonium ex hiſtoria Machabæorum produxiſſet: Hanc, inquit, ſcripturam nõ habent Iudæi ſicut legem & Prophetas & Pſalmos, quibus Dominus Teſtimonium perhibet tanquam teſtibus ſuis, dicens: Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis & Pſalmis de me: ſed recepta eſt ab Eccleſia. Itaq; non ſolus Auguſtinus ex hac hiſtoria teſtimonia producit, verùm & Irenæus, & Tertullianus, & Origenes, & Cyprianus, & Chryſoſtomus, & alij, ita vt dubitare de ijs libris, num ſint Canonici, poſt factam ab Eccleſia determinationem ſit Iudæum eſſe, non Chriſtianum. Nam non recipiunt Iudæi, recipiunt iam à mille ducentis annis Chriſtiani. Eadem eſt ratio (ne longum faciamus) de libris noui Teſtamenti. Nam etſi fuit aliquando de nonnullis dubitatum, tamen ex quo tempore totius Eccleſiæ conſenſu recepti ſemel, & inter Canonicos numerati ſunt, dubitariam pliùs deinceps non debet.

*Brentius quantum ſibi permittat in ſcripturis, & quam confuſus.*

Proſequitur in ſua confeſſione Brentius: malumus enim verba confeſſionis ipſius adferre, q̃ quæ ſcripſit in hoc libello, cuius magna pars non aliunde conſtat quàm è ſannis, dicteriijs, cõuitijs: in quo ſic etiã Iudit ſcripturis, ſic eas tractat ioculariter, vt verè de illo dici poſſit, quod venerabili viro Petro à Soto falsò impingit, eum haud aliter ſcripturis, quàm Æſopi fabulis vti. Deinde verò confusè tractat omnia, ſubinde eadem repetens, vt ſcopas (quod eſt in prouerbio) diſſolutas agnoſcere liceat. Sic igitur loquitur in ſua Confeſſione Brentius: Hanc ſcripturam credimus, & confitemur eſſe oraculum Spiritus ſancti, cœleſtibus oraculis ita confirmatam, vt ſi Angelus de cœlo aliud prædicauerit, anathema ſit. Quare detestamur, omnem doctrinam, cultum & religionem pugnantem cum hac ſcriptura. Exaduerſo verò Petrus à Soto ſic: Hanc ſacram ſcripturam non dubitamus Spiritus ſancti eſſe reuelationem: ſic Eccleſiam omnes ad plenam ſibi adhibendam fidem obligantem, vt non dubium ſit, omnem doctrinam illi contrariam reijciendam eſſe. Hic nihil videtur eſſe controuerſiæ. Nam & Catholici deteſtantur omnem doctrinam, cultum, & religionem pugnantem cum ſcriptura: niſi quòd Brentius & cæteri qui ſegregauerunt ſemetipſos, iudicant nonnun quam pugnare cum ſcriptura, quæ non pugnant.

*Hæretici iudicant cum ſcriptura pugnare, quod non pugnat.*

Pergit Brentius: Sed q̃ nonnnulli ſentiunt, in hac ſcriptura non contineri omnẽ doctrinam, nobis ad veram & perpetuam ſalutem cognitu neceſſariam, & ius interpretandæ huius



huius ſcripturæ in poteſtate ſummorum Pontificum ita ſitum eſſe, vt quod hi pro ſuo arbitrio pronunciant, amplectendum ſit, p ſententia Spiritus ſancti, videtur facilius poſſe dici, quàm probari. Petrus ex aduerſo: Hanc ſcripturam agnoſcit, vera fides admirabili Spiritus ſancti Concilio ſcriptam, vt maximè ſaluti hominũ conueniebat. Quare multa in ea & difficilia, & obſcura: partim hoc ipſum intendente Spiritu ſancto ad exercendos pios, & repellendos impios, partim permittente malitia hominũ, conſtat inueniri. Quò fit, vt ad vnitatẽ fidei tenendam, neceſſe ſit eſſe in Eccleſia ius & poteſtatem certam & conſtantem ad interpretanda hęc dubia: & hęc apud ſummos eius gubernatores: non vt quiſq; pro arbitrio ſuo, id faciat, ſed pro ipſius Spiritus ſancti ſenſu. Ea quoq; Spiritus ſancti diſpenſatione mirabili, ita in hac ſcriptura iacta ſunt fundamenta omnium, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, vt tamẽ multa extra eam credenda tradita ſint Eccleſiæ.

In his Petri verbis tria ſunt, quæ offendunt Brentium: Primùm quòd dixerit, in ſcriptura difficilia & obſcura eſſe multa: Secundò, quòd extra eam credẽda pleraque tradita ſint Eccleſiæ. Tertiò, quòd ius interpretandi dubia voluit apud ſummos eius gubernatores eſſe. Nugantur, inquit, ſcripturam eſſe obſcuram, ideoq; indigere interpretatione: Interpretationem autem eſſe penes Eccleſiam. Negari quidem non poteſt, quin aliquoties nonnulla in ſacra Scriptura obſcuritas imperitis occurrat, propter phraſim eius linguæ, qua ſcriptores vſi ſunt. Atqui Brenti, phraſis eius linguæ fuit cognita legentibus epiſtolas Pauli, Petro ſuperſtite. Dicit illi nihilominus, quòd in illis quædã ſunt intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem, Nec negari, inquit, Brentius, poteſt, quod & res ipſa teſtificatur, quod impijs & incredulis ſcriptura ſit maxima ex parte obſcura. Si adhuc, inquit, Paulus, velatum eſt Euangelium noſtrum: videlicet quod Apoſtoli prædicarunt, & mox literis mandatum eſt: in ijs qui pereunt, velatum eſt, in quibus Deus huius ſeculi excœcauit ſenſus incredulorum, ne luceret illis lumen Euangelij. Et Ioannes: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Sed pijs credentibus in Chriſtum, atq; Spiritu CHriſti donatis præcipua capita Chriſtianæ doctrinæ ita nota & manifeſta ſunt: vt audeant etiam de ijs cum Satana ipſo certamen inire.

*De ſcripturæ obſcuritate & difficultate.*

*2. Pet. 3.*

*2. Cor. 4.*

*Ioan. 1.*

Eſt ità, quòd impijs & incredulis opertum eſt Euangelium, cùm non ſine cauſa dictum ſit à Propheta: Credite, & intelligetis. Verùm non ſolis impijs & incredulis. Cur enim alioqui tantum operæ poneretur à fidelibus in aſſequenda Scripturarum intelligentia? Inter fideles non poſtremus erat Hieronymus & linguis omnibus inſtructus, & doctrina non vulgari præditus, ſæpè tamen hærebat, ſæpè ſudabat in explanandis Prophetis. Idem accidebat Auguſtinus quoq; non rarò, præcipuè cùm locum illum explicaret de peccato in Spiritum ſanctum, & cùm alia multa ſcripturæ loca enarraret, in quibus ipſe ſibi perſæpè nõ ſatisfaciebat. Et certè fatetur ipſe, quòd pleraque ſint in Scripturis obſcura: quòd ita diuinitus etiã prouiſum eſſe ſcribit ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum: cui facilè inueſtigata plerunque vilеſcunt. Sed & Hieronymus: Omnes, inquit, pro phetia in obſcuritate continet veritatem, & diſcipuli intrinſecùs audiant, vulgus ignobile & foris poſitum, neſciat quid dicatur: Quid autem opus eſt Doctorum teſtimonijs? Clamat hoc etiam res ipſa. Vnde enim tot & tam variæ interpretationes trium tantùm verborum, Hoc eſt corpus meum, ſi nihil eſt in Scripturis obſcuritatis? de quibus ipſi etiam inter ſe Sacramentarij non conſentiunt. Quare nihil eſt Brenti, quòd cum Satana de doctrinæ Chriſtianæ præcipuis capitibus certamen inire velis. Tentauit hoc Magiſter quoque tuus Martinus Lutherus de non poſtremo Chriſtianæ doctrinæ capite, de Miſſæ ſacrificio: volebat cum Satana de eo certamen inire: verùm turpiter victus manus dedit. Abſit igitur, vt ingenij ſui fiducia fretus quiſquam, cum eo diſputare animum inducat. Eſt enim is in ſcripturis exercitatiſſimus, neque ſine cauſa Dæmon à Græcis appellatur: qui ſi charitatem, quæ non inflat, ſcientiæ coniũctam habere poſſet, minùs multos in errorem induceret: ſed cùm alia omnia habere poſſit, ſola eſt, quæ non inflat, charitas, quam nec ipſe, nec membra eius habere poſſunt.

*Inter interpretationem ſcripturæ ſacræ.*

*In Ezech. cap. 45.*

*Matth. 26.*

*Exemplũ Lutheri.*

*Quomodo vincatur Satan & ſus copijs.*

Quærit Brentius, quomodo peccatum, quomodo mortem, quomodo horrores inferni, adeoq; Satanam ipſum vincerent, ſi ignotum, ſi obſcurum eis eſſet verbum Domini, quod firma fide apprehendere, & quo tanquam gladio aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus vti debent? Non ſemper Brenti ſcientia, vel intelligentia Scripturarum peccatum, mortem, horrores Inferni, deniq; Satanam ipſum vincere licet. Firma fides ea demùm eſt, qua victoria ſemper contingit: quam ſolidiorem nonnunquam reperire licet in ijs, qui minorem habent ſcripturarum intelligentiam. Qui cùm ſe nihil aliud ſcire iudicent, quàm IESVM CHriſtum, & hunc crucifixum, in illo ſolo fiduciam ſuam omnem collocatam habentes, articulum hunc toto corde profitentur: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. Non ſcripturas, in quibus pij multi non multum exercitati ſunt, ſed vnicum hunc articulum oppugnant Satanæ, quoties ille cum eis certamen inire cupit: eo præcipuè tempore quo grauis eſt cum morte lucta, quod non ſine cauſa Græci vocauerunt agonem. Nihil eſt periculoſius, quàm velle tum de Scripturis cum Satana contendere, quas melius ille callet, ac dilucidius & veriſimilius explicare nouit, quàm quiſquam mortalium, ſingulari ſancti Spiritus auxilio non adiutus, quamlibet fuerit in ſcripturis exercitatus. Præclarè ſcriptum eſt à Tertulliano: Fides tua te ſaluum fecit, non exercitatio ſcripturarum, Scimus quemadmodum certamen hoc ſucceſſerit magiſtro veſtro Martino Luthero, qui cum de Scripturis cum Satana contenderet, ſic ſeab illo ſuperatum eſſe confitetur, vt argumentorum illius vi compulſus, & Sacerdotium & ſacrificium vllũ eſſe negaret. Neq; dubium eſt, quin eum vt Chriſtum quoq; negaret, facilè fuiſſet adducturus: verùm cauſæ ſuæ nondum id expedire videbat.

*Qua fide Satan deuincatur.*

*De præſcriptionibus aduerſus hæreticos.*

*Luther à Satana victum ſe fateur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bat. Prius per Lutherum animos hominum præparari necessarium esse duxit Sacerdotij & sacrificij simul abrogatione: quòd sic per gradus quosdam eò tandem peruenireturr, vt esse Deus quoq; Christus negaretur. Has itaque partes, Lutheri discipulo Campano & Seruetò reseruauit. Nam si per Lutherum omnia sua mysteria simul Satanas reuelassset, plus adeò causæ suæ detrimenti attulisset. Quis enim nondum satis Lutheri dogmatibus instructus, aures suas Satanæ prębere voluisset, si tam apertè rem ageret, vt Christum verum Deum esse, Deiq; filium negaret? Quamobrem nihil est, quod maiore cum periculo fit coniunctum, quàm si quis de Scripturis cum Satana certamen inire velit: præcipuè quo tempore grauis agon instat, cùm anima venit à corpore seperanda: tum verò tutissimum fuerit exemplum sequi Carbonarij cuiusdam: ex quo cùm animi causa vir quidam doctus quæsiuisset, qũ crederet, symbolum recitauit. Cùm interrogaret ille, quid prætereà crederet, respõdit: Quod Ecclesia credit Catholica. Ille verò: Quid credit Ecclesia? Quod ego, inquit, credo. Cumq; subinde ille quæreret, circulo hoc vsus Carbonarius: nihil aliud respõdit, quàm se credere, quod Ecclesia credit: Ecclesiam credere, quod ipse crederet: nec aliud ab illo quicquam elicere potuit. Fertur autem euenisse posteà, vt vir ille doctus, & sacrarum literarum peritus in grauem morbum incideret, deq; vita sua periclitaretur: Orsus est cum eo quoq; tum Satanas disputare: quidq; crederet, ex eo quærere. Cumq; nimis vrgeret Satanas, necq; se miser ille satis explicare posset, venit ei in mentem Carbonarij, nec alia fuit eius vox audita præter hanc, Vt Carbonarius. Qui verò assidebant, eum propter morbi vim errore mentis affici putabat: posteaquam verò fuit ex morbo confirmatus, interrogabant eum, quid sibi voluerit, cùm toties clamaret, Vt Carbonarius? Ille rem omnem explicat ordine, quemadmodum in illa sua cum diabolo disputatione, sicut olim audiuerat ex Carbonario quodam, nõ aliò sibi confugiendum esse duxerit, quàm ad fidem Ecclesiæ Catholicæ, tanquam ad asylum vnum omnium tutissimum: quodq; plus in ea præsidij tum inuenerit, quàm in omni scripturarum exercitatione, quas tota vita sua meditatus erat diligenter. Acceptum se ferre diuinæ misericordiæ, quòd in simplicem illum Carbonarium incideri: cuius nisi sibi succurrisset exemplum, ingens fuerit periculum & discrimen aditurus. Siue autem vera fit hæc historia, siue se res aliter habeat, certum tamen illud est & indubitatum, quòd cùm omnibus ex æquo fides ad salutem sit necessaria, nulli citiùs & grauius offendũt, quàm qui cùm abundent ingenio, plus aliis in scripturis videre se persuasum habent, nisi captiuent intellectum suum in obsequium Christi & corporis eius Ecclesię. Quam qui credit, qui se totum illi permittit, illam audit, illam secundum Deum ipsum veretur, etiamsi propter intelligentiæ suæ tarditatem pleraq; non assequatur, tutissimum tamen illum facit, non intelligendi viuacitas, verùm credendi simplicitas. Verè enim dixit ille, quòd pietas diuina, non attendit, quanta cognitione credatur, sed magis, quanta deuotione quòd creditur, diligatur. Et alius quidam: In die, inquit, examinis nouissimi non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noster acutus & eruditus, sed qualis fuerit affectus noster ad Dñm Deum nostrũ: hoc est, quàm simplex, quàm rectus, quàm pius, humilis & deuotus, quàm spontaneus & fidelis in Dei seruitio:

*Exemplum fidelis Carbonarij imitandum.*

*2. Cor. 12.*

*Ecclesiæ credendã.*

*Hugo de S. Victore lib. 1. part. 10. ca. 6. de Sacramentis.*

*Gerson. in libell. An monachus pro studio possit negligere diuina, Consideratione 9.*

*Non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas saluum facit.*

Pergit Brentius: Hoc autem verbũ Domini habet sua clara, aperta, dilucida, & perspicua testimonia in sacra scriptura. Testimonia hæc excutientur suo loco. Imò, inquit, vniuersa scriptura in hoc data est diuinitùs, vt quæ sunt saluti nostræ necessaria, ex ea cognoscamus. Hoc verum esse libenter concedimus: verùm & hoc nõ minùs verum est, quòd etiam scripturas oẽs non adamussim aliquis intelligat, salutẽ nihilominus consequi possit. Non enim intelligendi viuacitas, verùm credendi simplicitas nos tutos & saluos facit. Quid enim, inquit Brentius, prodesset, si nobis talis scriptura, qualis est Timæus Platonis, obtrudere-tur? Iam ex Augustino docuimus, quòd non nihil obscuritatis in sacris voluminibus proptereà DEVS residere voluit, quod expedire iudicaret, cœlestis philosophiæ mysteria sic velari impijs, porcorum exemplo conculcaturis margaritas, vt pijs tamen ac docilibus pateret aditus. Simul quod id excitandæ quoque mentis humanæ socordiæ conduceret. Nam quod in promptu est, negligimus, iuxta Græcorum prouerbium: In foribus hydriam: ad recondita semotaq́ue sumus auidiores. Et vt magis illa iuuant, quæ pluris emuntur: ita chariora sunt nobis, quæ cum labore sumus assequuti, quàm quæ vltrò obtigerunt.

*Non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas saluum facit.*

*Cur obscura scriptura.*

Quòd si alicubi, inquit, Brentius, obscurior videtur, extant alia eiusdem scripturę loca, quibus obscuriora illustrantur, vt verbum quod Dñs nobis cognoscendum proposuit, non sit supra nos, neq; procul positum, vt verbis Mosis vtar, nec in cœlo, multò minus in Roma situm, vt possis dicere: Quis nostrũ possit in cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atq; opere compleamus? Neq; trans mare aut vltra montana Antiochiæ aut Romæ positum, vt causeris & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, aut mõtes superare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed iuxta nos est sermo in ore nostro, & in corde nostro vt faciamus illũ. Hic. n. sermo tam perspicue nobis in scriptura propositus est, vt de eo & loqui ore, & cogitare corde possimus. Atqui Brẽti, quod profers ex Deuteronomio testimoniũ, id sancti Doctores de ea, quam vos negatis, ciuitate seruandorum Dei præceptorum, interpretantur non recentiores magis quàm illi prisci, Philo in libello de victimas offerẽtibus, Tertullianus, Origenes, Antonius, Athanasio referente, Ambrosius & alij. Quin & Paulus in hunc sensum citare videtur hoc ex Mose testimonium, quòd oẽm illo populo velut excusationem ademptam, si quod præceptum est seruare negligat: quando quidem sic est exhibitum, vt sit in promptu, nec illud è longinquo petere sit necesse. Quod nõ modò Chrysostomus & Theophilactus in hunc sensum à Paulo productum esse volunt, Verùm & ipsi Pauli verborum contextus id iudicare videtur.

*De loco. Deut. 30. & Rom. 10.*

*Lib. 4. contra Marcionem. Lib. 10. in epist. ad Roman. cap. 12.*



Sed demus tibi Brenti, veram esse quam vos profertis interpretationem, quòd verbum quod Dñs nobis cognoscendum proposuit, non sit supra nos, neque procul positum, nec in cœlo, multò minus in Roma situm, vt nihil necesse sit montes superare: certè, si non est Romæ situm, nec in oppido Vvittembergensi, nec in ducatu Vvittembergensi positum est. Si itaq; tam propriè est vnicuiq; mortalium vbicunq; locorum degat, verbũ hoc, qui fit, quòd qui vel Theologiæ Doctores Vvittembergæ, vel artium fiunt Magistri, conceptis verbis iurare coguntur, quòd nihil in doctrina religionis de rebus dubijs constituere velint, nisi re priusad Seniores Confessionis Augustanæ, quos Vvittembergæ degere certum est, relata? Quorsum aũt attinet etiam à longinquis & remotis locis de quopiam Christianæ doctrinæ loco Vvittembergam referre, si nihil in Scriptura difficile, nihil est obscurum? Si tam propè est vnicuiq; verbum Domini, si tam clarum est & dilucidum omnibus? Non ignoras Brenti, quanta fuerit alicubi de iustificationis articulo disceptatio, quem vos præcipuum Christianę doctrinę locum esse, quem summam Euangelij continere vultis. Certè, summam Euangelij claram & perspicuam esse oportet, cum nusquam periculosius erretur, quàm in summa Euangelij. Atqui hæc vestris etiam, quos tu pios esse vis Brenti, tam est obscura, vt viginti de ea diuersas sententias maxima ex parte vestrorum protulerit Osiander, quas cùm reiecisset omnes, suam tandem ab omnibus illis discrepantẽ attulit, & eam obtinere voluit: deq; verbo Domini, quod vos tam expeditum, tam vnicuiq; propinquum esse vultis, admirabilis quędam exorta fuit altercatio, dum Osiandrina factio quod ipsa diceret, Merliniana contra quod ipsa sentiret, id esse verbum Dei contenderet. Quis est autem qui satis admirari queat, cùm tam claram esse Scripturarum lucem velitis, cùm nihil in eis obscuritatis inesse, cùm eartum intelligentiam obuiam omnibus esse tam asseueranter dicatis, vnde de præcipuo Christianæ doctrinæ loco nata sit ista tanta contentio? Sed magis etiam hoc mirum est: posteaquam re ipsa comprobatum est, non esse tam propè verbum Domini, quàm vos vultis, vt necesse fuerit de eius sensu cognoscendo longius mittere: missum est longius ad eam, quæ Roma vestra est, Vvittembergam: ibi condemnata est Osiandri sententia. Erant, qui non acquiescerent in decreto Vvittembergæ lato. Mittendum sensuerunt adhuc longius: appellatum est ad te Brenti. Tibi verò fuit religio, sententiam Osiandri condemnare, quin eam approbare visus es. Cedo Brenti, si nihil est in Scripturis obscuritatis, cur de præcipuo Christianæ doctrinæ loco hoc, deq; summa totius Euangelij sic ambigitur? Si tam propè est verbum Domini, quam vos vultis, cur illius explicandi causa tam longè mittitur? Si tam est apertum, tam clarum, tam perspicuum, qui fit, vt aliud de eo Philippo, aliud tibi videatur? nec inter vos qui proceres estis & Antesignani Lutheranæ factionis, de summa Euangelij adhuc conueniat? quam obscuriorem etiam efficit hoc vestrum dissidium, quàm visa fuerit anteà.

*Seipsum & sectam suã efficit Brentius.*

*Iuramentum Vvittembergæ magistrorum.*

*Viginti sententiæ de iustificatione variantes.*

*Osiander à Vvittembergensibus damnatus, à Brentio nõ improbatus.*

*Dissensiones intestinæ Lutheranorum.*

Quòd si iuxta receptum à maioribus nostris morem iam inde à mille quingentis annis, quem non tantùm à Catholicis & Orthodoxis, verùm ab ipsis etiam hæreticis perfæpè lenimus fuisse obseruatum, de hac quæstione fuisset ad sedem Apostolicam relatum sicut Apostolos ipsos iussione Saluatoris statuisse narrat Anacletus, vt maiores & difficiliores quę-stiones ad eam deferrẽtur: si hoc, inquam, ita factum fuisset, & quam semper habuit à Petri Pontificatu ad hæc vsq; nostra tempora sedes ista auctoritatem, eam apud vos quoq; retinuisset, vel adhuc quoq; retineret: iam pridem diremptalis hæc, & quorum fluctuant conscientiæ, iam pridem in viam essent reductæ, animiq; tranquillitatem consequuti. Sed vos ad eas, quę heri (quod aiunt) & nudiustertius natę sunt Ecclesias de causis eiusmodi referri multis, quàm ad illam cuius solius proprium semper fuit de controuersia religionis iudicium, ex quo tempore in eum, qui iam venit, Christum credi cœptum est. Inde tot sectæ inde tot hæreses natæ sunt, inde Satanismus hic exortus est, quem in huius libelli initio recensuimus.

*Brenis & legitima ratio de fide quæstiones dirimendi. Anacletus epist. 1.*

Profert & alias scripturas Brentius: Hoc illud est, inquit, quod Esaias de filijs veræ Ecclesiæ ait: Dabo vniuersos filios tuos doctos à Domino. Et Hieremias: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltrà vnusquisq; proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, à minimo vsq; ad maximum, ait Dominus. Hoc dicto non extenuat, non reijcit Propheta sacram Scripturam, sed potius commendat eam, & docet, quod Dominus daturus sit populo suo Spiritum sanctum, vt Scripturam rectè intelligant, & ex ea Dominum verè cognoscant. Aperuit, inquit, Lucas, illorum mentem, vt intelligerent Scripturas. Rectè tu quidem non extenuari, neq; reijci Scripturas dicis per hæc Esaiæ & Hieremiæ verba, quæ produxisti. Sed quid, si secùs ea Suenckfeldiana interpretetur cum suis cœlestibus Prophetis, qui per ea volunt externum verbi ministeriũ abrogatum: quòd certè nihil opus est, si tam apertè, tam faciles, tam omnibus obuię sunt scripturæ, quam vos vultis. Frustra ergo dedit Deus, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, si oẽs à Deo docti sunt, si non debet vltrà docere vir proximum suum, si non habemus necesse, vt aliquis doceat nos, sed vnctio Spiritus sancti docet nos de omnibus. Sed & te Brenti frustrà Princeps tuus alit, cùm ipse doctus à Deo, te doctore non egeat. Nec omnino vanum est, quod Suenckfeldius docere dicitur, Deum non vti medijs ad iustificationẽ hominis, non per instrumenta salutem nostram operari. Spiritum sanctum sine medijs docere. Ex tali doctrina vestra prodijt ille nobis: ex tali doctrina prodierunt cœlestes quoq; Prophetæ. Vera sunt autem, quæ per Esaiam & Hieremiam dixit Dominus, sed ea partim iam sunt in Apostolis impleta, quo tempore Spiritu sancto repleti, cœperunt loqui varijs linguis, partim in illa cœlesti Hierusalem implebuntur, vbi quasi mercedis loco promittitur nobis ipsius Dei beatissima cõ-

*De locis. Esaiæ 54. & Hier. 31.*

*Cap. 24. Suenckfeld.*

*1. Ioan. 2.*

*Interpretatio locorum Esaiæ & Hieremiæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



templatio. Tũc. n. fiet, quod dicit Apostolus: Siue Propheticæ euacuabũtur, siue linguæ cessabunt, siue scientia euacuabitur: illa scilicet paruulorum scientia, in qua hîc viuitur, qua ex parte per speculum Deus in ænigmate videtur: propter hanc. n. necessaria est prophetia, cùm adhuc præteritis futura succedunt: propter hanc linguæ, id est, multiplicitas significationum, cùm ex alio atq; alio, aliud atq; aliud admonetur, qui nondum æternam lucem perspicuæ veritatis mente purgatissima cõtemplatur. Cùm aũt venerit quod perfectum est, & totum hoc quod ex parte est, fuerit euacuatum, tunc quod adsumpta carne carni apparuit, ostendet seipsum dilectoribus suis: tunc erit vita æterna, vt cognoscamus vnum verum Deum: tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus, sicut & cogniti sumus: tunc nõ docebit vnusquisq; ciuem suum aut fratrem suum, dicens: Cognosce Dñm: Omnes. n. cognoscent eum à minore vsq; ad maximum eorum: erit enim Deus omnia in omnibus. Ita verba hîc Augustinus interpretatur. Quamobrem nihil est, quòd ad præsentis seculi homines ea torquere velis, vt sic perspicuum esse scripturam affirmes, nemo vt interpretis aut Doctoris egeat. Quamuis & in hoc seculo fieri possit, vt alicui ex paruulis reuelet Deus, quæ abscondit à sapientibus. Sed priuilegia paucorum, non faciunt legem cõmunem. Vna hirundo, vt est in prouerbio, non facit ver.

1. Cor. 13.

1. Cor. 15.

*De spiritu & litera. cap. 24.*

*Etiam præcipua scripturæ capita egent explicatione.*

Profert iam Brentius præcipua capita verbi Dei, quod in scriptura cõtinetur, & quod ad æternam nostram salutem cognitu necessarium est: Nimirùm quatuor hęc, decalogum, symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, Sacramenta. Negat in ijs aut in scripturis, vnde sumpta sunt hæc quatuor, esse quicquam obscuritatis. Sed si nihil est in illis obscuritatis Brenti, qui fit ergo, quòd Decalogi, quòd symboli, quòd orationis Dominicæ, quòd Sacramentorum tot fuerint semper, & nunc etiam sint explicationes? Certè quæ clara sunt, explicationis nõ indigent. Vnde igitur tot tam prolixi cõmentarij? non à priscis illis modò, verumetiam ab ijs, qui vixerunt ante aliquot secula, quiq; nunc etiam viuunt conscripti? non à Catholicis tantùm, verùm & ijs qui se ab Ecclesia Catholica præciderunt, siue Lutherani sint, siue Zuingliani, siue quocunque tandem alio nomine vocentur. Vnde tot hæreses partim de Sacramentis, cùm alijs, tum Eucharistiæ præsertim: partim de ijs, quæ & in Symbolo, & in Decalogo continentur. Duo tu tantùm Sacramenta enumeras, Catholici septem.

*Explicatur locus ille, Bibite ex hoc oẽs*

Quòd verò scribis, verba quæ sunt in Scriptura de institutione Sacramentorum, nihil habent obscuritatis, nisi si quam inserant Sophistę importunis suis disputationibus, & Asotici impijs suis deprauationibus. Quid magis, inquis, perspicuè dici potest, quàm quòd Christus ipse de poculo Cœnæ Dominicæ dicit: Bibite ex eo omnes, & tamen Asotici inueniuntartificium, quo ex omnes, faciant non omnes. Reuera Brenti, minus habebant obscuritatis verba de Sacramentorum institutione, prius quam vos homines Asotici, & in arte Sophistica diligenter versati, tantam quantam nunc videre licet, rerum omnium caliginem inuexistis. Quid enim perspicuè magis dici potest, quàm quòd Matthæus dixit: Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim Discipulis: quodq; Marcus dixit, Vespere autem factovenit cum duodecim, & quod similiter Lucas, dixit, Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Ad hos igitur duodecim, quos ita diligenter enumerant omnes Euangelistæ, quin dixerit CHristus, Bibite ex eo omnes, dubitatum fuit nunquam: quod etiam eos fecisse scribit Marcus. Nam biberunt, inquit, ex eo omnes. Nec potest proferre quenquam Brenti, qui vel dixerit vel scripserit aliquando, quòd aut non iusserit bibere Christus duodecim Apostolos omnes, aut nõ biberint omnes. Quare falsum est, quod asseris de Catholicis, quos tu facetissimus homo per quàm lepido tuo dicto vocas Asoticos, eos artificium inuenisse, quo ex, omnes facerent, non omnes. Nunquam enim quisquam dixit è nostris, quòd aut non biberint, aut non iussi fuerint bibere duodecim Apostoli, omnes. Cæterùm fuerunt, qui claris verbis caliginem quandam offundere conarentur, vt quod ad omnes Apostolos dictum est, id de Christianis omnibus dictum intelligi vellent, quasi sic esset præceptum omnibus etiam Laicis de calice bibere, vt nisi facerent, de salute sua in dubium venirent. Hac de re Brenti, duorum decreta Conciliorum intercesserunt, in quibus vnanimiter ab omnibus definitum est, quòd non sit de necessitate salutis, vt de calice bibãt omnes Christiani.

Cap. 26.
Cap. 14.
Cap. 22.

*Summa cõtrouersiæ de calicis sumptione in quo versetur.*

*Lutherus, Philippus & Bucerus cõcedunt Laicis necessarium non esse vtrinsque speciei communionem.*

Quòd rectè decretum esse, vos quoq; negare non potestis. Nam & vestra eadem est sententia. Magister enim vester Lutherus, quàm frequenter hoc idem docuit. Quin illud etiam addidit, vsq; eò vtramq; speciem non esse de necessitate salutis, vt etiam extra omnem sacramentalem Eucharistiæ perceptionem saluus homo fieri possit. Qua in re necà nostris multum dissentire videtur, qui & ipsi vnicum tantum esse Sacramentum necessitatis Baptismum, non diffitentur: quòd extra cæterorum vsum, dummodo cõtemptus absit, homo salutem consequi possit, sicut saluari pueros constat, etiamsi Sacramentum Eucharistię non perceperint, etiamsi quem tu hoc nomine reprehendere videris, secùs Augustinus aliquando sensisse videtur. Cuius hanc sententiam cùm tibi displicere non obscurè præ te feras, tu es Brenti, qui artificium hoc inuenisti, vt ex omnes, facias non omnes. Nam si non cæteros omnes, certè infantes excludis, quos tamen actu fidem habere cõtendis. Iam verò Philippus vester nonne sicut edere suillam, aut à suilla abstinere, sic medium esse scribit alterutra figni parte vti? Hanc enim quàm receptam Ecclesiæ vocem vsurpare maluit, ne quid habere commune cum Catholicis videretur: In eadem est sententia Bucerus quoque, qui in colloquio Ratisbonensi, quod habitum est ante annos plus minus quindecim, interalios articulum hunc assensu suo comprobauit. Ad controuersiam quæ est de vna aut vtraque specie tollendam cùm primis cõducturum, vt sancta Ecclesia liberam faceret potestatem sacramentum hoc in vna, vel in vtraq; specie sumendi: ea tamen lege, vt nulli per hoc detur occasio, quem

*Philip. In Hypotyposi Locorum communium.*



vsum tanto tempore retinuit Ecclesia, temerè cõdemnandi, aut inuicem iudicandi. Certè qui liberum esse vult sub vna, aut sub vtraq; specie sacramẽtum hoc percipere, qui veterem vsum alterius tantùm speciei non esse cõdemnandum censet, nihil ea de re tanquam ad salutem necessarium à Christo præceptum esse, satis apertè confiteri videtur.

Neque tu Brenti diuersum ab ijs intelligis, qui si nihil in eo piaculi fore censes, si quis mutet præscriptam à Christo baptizandi formulam, dummodò ne mutet sententim: scilicet in eo permultum esse positum putabis, si quis altera tantùm specie sacramenti velit vti, dummodò nihil in altera de CHristi corporis & sanguinis integritate deesse credat? Plus vos in verbis Brenti, quàm in elementis positum esse iudicatis. Quare si certa verba mutare, quæ Christus ipse baptizaturis præscripsit, non fas esse tantùm existimas, verumetiã eos, qui anxiè illa obseruant, modò non magiæ insimulas: estnè verisimile tam ex animo te superstitiosum esse in altero elemento tuendo & retinẽdo, de quo ab omnibus sumendo certò scias nihil esse tanquam ad salutem necessarium à Christo præceptũ? Quæ oculis ipli videris videtis, certiora vobis nõ sunt Brenti, quàm sit hoc, nihil ad salutẽ referre, altera quis, an vtraq; Sacramenti specie Laicus vtatur: neq; dubitatis, quin verissimum sit, quod in Constantiensi & Basiliensi Concilio decretum est, non esse de necessitate salutis, vt de calice bibant Laici.

*Etiam præscriptam à Christo baptizandi formam mutare licere vult Brentius.*

Sed quia Conciliorum hoc decretum est, non quòd diuersum ab illis sentiatis, sed vt assuefaciatis homines ea contemnere, quæ decernuntur in Concilijs, vt eos Ecclesiam non audire doceatis, vt separationis ab illa cõsiliorũ auctores sitis: hæc est & non alia causa, quãobrem tantoperè calicem vrgetis: quem si permittendum esse Concilium statueret, vel ob solam causam hanc, quòd ita Concilium statuisset, negat eo se magister vester vsurum, sed in despectũ Concilij, velle se aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; specie potiri, & planè eos anathema habere, quicunq; auctoritate talis Concilij potirentur vtraq;. Quodq; Sacramentarijs, & Anabaptistis alicubi vitio dat, facit ipse dum nonnulla quæ recta esse scit, in Papæ Conciliorumq; despectum abrogare conatur. Dat. n. alicubi Cõsilium, vt homo Christianus tempore Quadragesimæ & Paschatis non confiteatur, nec ad Sacramentum accedat, & cogitet ita: Ecce quando hoc præcepit homo, Papa scilicet, ob idipsum non faciam: & si non præcepisset, vellem facere. Faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando & quomodo mea libera voluntas me tetigerit. Non dissimilia de ieiunijs alicubi scribit, exemplum imitatus Aerij hæretici, qui & ipse ante mille ducentos annos negauit se ieiunaturum cum Ecclesia, sed si omninò, inquit, volo ieiunare, qualemcunq; diem eligam à meipso & ieiunabo propter libertatem.

*Sectarij non quòd esse necessarium dicent, sed in contemptum Ecclesiæ defendunt cõmemorationem vtriusque speciei, vt homines assuefaciant Conciliorum decreta cõtemnere.*

*Idem de Confessione par 3 parag. 14.*

*Contemptores præcepti Ecclesiastici de ieiunijs arcuani.*

Hucigitur spectatis eiusmodi scriptis vestris, vt & Conciliorum & Pontificum auctoritatem oẽm cõtemnere doceatis. Et hoc est, quod sibi ferendum nõ esse putant viri Christiani, Catholici & Orthodoxi, qui cum sciant sicut alijs de rebus nõnullis, ita de calice sumendo à Laicis nullum esse CHristi præceptum aut interdictum: de audienda verò Ecclesia manifestum esse CHristi præceptum, & quidem tale, vt nisi quis ei paruerit, eodem quo Ethnicum loco CHristus eum haberi iubeat, cùm primis indignum esse iudicant, id quod à vobis decernitur, tanquam à Deo præceptum obseruari vos ab omnibus velle. Quod verò citra dubitationem omnem à Christo præceptum est, contemni, & pro nihilo duci. Intolerabilis hæc esse videtur pijs omnibus arrogantia vestra, summa cum amentia cõiuncta: qui quod vobis videtur, id esse Dei verbum, id haud aliter quàm si præceptũ esset à Deo, vultis ab omnibus obseruari: manifestum verò Dei verbum, homines aspernari docetis.

*Sectarij docent contra verbum Dei contemnendum esse Ecclesiam.*

*Matth. 18.*

Addit Brentius: Quòd si de illis capitibus piæ doctrinæ, quæ iam recensuimus, aliquid obscuritatis reliquum est: hoc si fuerit in homine pio quidem, sed inerudito, certè res ipsæ quantum satis est, notæ sunt ei, & quod adhuc ignorat, docebit eum vnctio, sicut Ioannes loquitur. Hoc verũ est Brenti de nobis, qui nos Catholicos esse profitemur, & sumus per Dei gratiam. Sed & illud quod subiunxit, (Si verò fuerit in Asoticis, non mirũm est, quandoquidem Deus huius seculi solet mentes incredulorum excœcare, ne illucescat illis lumen Euãgelij) verum est de vobis. Vos. n. estis Asotici illi, quorum Deus huius seculi mentes excœcauit, qui si cæci essetis, hoc est, si vos esse cœcos agnosceretis, peccatum non haberetis, nunc autem ob hoc ipsum, quia vos videre in Scripturis præ cæteris persuasum habetis perpetua cœcitas in vobis manet. Sed abeant, inquit Brentius, Asotici. Nos cùm loquimur de perspicuitate sacræ scripturæ, non respicimus ad Ecclesiam Asotorum, sed ad Ecclesiam piorum, cui scriptura in rebus ad æternam salutem cognitu necessarijs tam clara, tam perspicua est, vt iuxta Prophetam: Gentes ambulent in lumine eius, & Reges in splendore ortus eius. Et nos Brenti cùm loquimur de perspicuitate Scripturæ, nõ respicimus ad vestram Asotorum Ecclesiam, sed ad Ecclesiam piorum, in qua nos esse confidimus. In ea quàm plurimos esse certum est, qui fidem de quatuor istis à te propositis certissimam habent: quorum pars multò maxima cum sacrę Scripturæ libros non viderit quidem vnquam, tantùm abest, vt quæ sunt in illis abstrusa, intelligat: persæpè tamen inter eos reperire licet non paucos, qui sunt in fide constantiores, quàm ex ijs multi, qui sibi plurimum esse videntur in Scripturis exercitati.

*1. Ioan. 2.*

*Quos vnctio de scriptura doceat, quos non.*

*2. Cor. 4.*

*Ioan. 9.*

*Esaiæ 60.*

Prosequitur Brentius: Quemadmodum Deus populum suum Israëliticum quondam ita gubernauit, vt etiamsi non haberent Monarcham, tamen in summis periculis excitaret Iudices, quos nos Heroas vocare solemus, qui populum ab iniuria hostium mirando modo vindicarent, ac posteà cùm iam Monarchia & successio instituta esset, excitauit tamen Prophetas, qui in extrema necessitate viam euadẽdi demonstrarent: ita Deus hisce temporibus gubernat Ecclesiam suam, vt etiamsi aliquæ tenebræ inciderint, & ordinarij successores nõ sint amplius Ecclesię amici, sed hostes & persequutores, tamen in tantum non deserat eam,

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt sinon sit alius, qui tenebras discutiat & hostibus obsistat, Heros quispiam siue Ecclesiasti cus, siue Politicus ex lapidibus excitetur. Fatemur & nos Brenti, quòd varijs modis Ecclesiæ suæ prospexit semper Deus, non solum ante, verumetiam post Christum natum & mortuum. Defecerunt Monarchæ nonnunquam, sicut Constantius, Iulianus, & alij: quin & ordinarij successores (non tamen in Cathedra Petri) desierunt esse Ecclesiæ amici, sed hostes & persequutores facti sunt. Quod & nunc vsu venisse alicubi non ignoramus, vbi & Principes defecerũt, & Catholicis & Orthodoxis Episcopis & Sacerdotibus Lutherani vel Zuingliani successerunt: nec tamen, vel deseruit vnquam Deus Ecclesiam suam, vel nunc etiam deserit. Surrexerat Arius, excitauit Deus Heroas illos, Liberium, Athanasium, Hilarium. Exortus est Macedonius, produxit in aciem cõtra eum Damasum, Gregorium Nazianzen. & Basilium. Erupit alicunde Nestorius, emisit Cœlestinum Romanum Pontif. & Cyrillum Alexandrinum Archiepiscopum. Emersit è nescio quibus tenebris Eutyches, oppossuit illi fortissimum Leonem. Sic aduersus Valentinum, Irenæum: contra Marcionem, Tertullianum: contra Celsum, Originem: contra Nouatum, Cyprianum: contra Heluidium, Iouinianum Vigilantium: contra Luciferianos, Hieronymum: contra Donatistas & Manichæos, Augustinum: contra Monothelitas, Agathonem: contra Iconomachos, Tarasium: cõtra Berengarium, Lanfrancum, Guimundum, Algerum: contra Henricianos & Petrobrussianos, Petrum Abbatem Cluniacensem: contra Petrum Adelhardum, excitauit Bernardum: ac quocunq; tempore hæreses emerserunt, semper extiterunt singulari Dei beneficio viri, ingenio, doctrina, eloquentia præstantes, qui partim scripturarum eas auctoritate, partim ecclesiastica traditione confutarunt. Nec hoc infelici nostro seculo defuit Ecclesiæ suæ Deus. Nam cum erupissetis alicunde vos Lutherani, & ex vobis nati Zuingliani, mox Muncerani, siue Pacimontani, & alia plurima hæreticorũ portenta, produxit contra vos in aciem Deus multos ingenio minimè vulgari & excellenti doctrina præditos, per quos insana rabies vestra comprimeretur. Inter alios insignem etiam illum pietate v rum Ioannem Episcopum Roffensem, qui pro fide atq; Ecclesia Catholica vitam etiam suam cum sanguine profundere non dubitauit.

*Deus nunquam nõ excitat insignes Ecclesiæ suæ propugnatores, & quinam illi potissimum.*

*D. Ioan. Roffensis.*

Conatur nunc ostendere Brentius, scripturam non obscuram, sed perspicuam, non tenebris inuolutam, sed luce illustratam esse. Proferr igitur ex Psalmo primùm: Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Quomodo autem erit lucidum, inquit, quomodo illuminabit oculos, si est obscurũ? Rectè Dauid præceptum dicit lucidum, non vniuersam scripturã, quæ etiamsi lucida est Dauidi, aut alijs afflatis Prophetico spiritu, non statim dilucida est omnibus, qui tenent Grammaticam, & habent sensum communem. Præceptum aũt Dei vnicum est, Dilige: quo qd esse potest lucidius? Cæterùm an hoc ita vt præceptum est, expleri in hac vita possit, quantæ sunt ea de re cõtentiones? Negatis vos, & impossibilia Deum præcepisse vultis: aiunt Catholici, qui certò persuasum habent, nihil minus in eum cadere posse, qui summa bonitas est, cuius misericordiæ non est numerus, quàm quòd exigat à nobis, quæ nos præstare non posse scit, & nisi præstiterimus, transgressi præcepti sui pœnas expetat. Est itaq; dilucidium hoc Domini præceptum, quo lex impletur vniuersa, cui si per nos fuerit satisfactum, iam non modò scimus, verùm & habemus omnia, quæ sunt nobis ad salutem necessaria. Neq; tamen propterea non multa nobis in scripturis occurrunt obscura. Cæterùm hoc præceptũ, sicut ex Clemente Alexandrino paulò antè docuimus, etiam absq; literis discitur, & est spirituale quoddam decretum in cordibus hominum scriptum.

*Psal. 18.*

*Præceptum Domini lucidum, lucerna item & lumen est multa in scripturis obscura.*

*Rom. 13.*

*Lib. 3. pedagogi capite 11.*

Profertur & alius locus: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Quomodo verbum Dei est lucerna, quomodo lumen, si est obscurum? Hic quoq; sanctus Dauid non de perplexis tractat quæstionibus, quales de scripturis existunt non paucæ, sed de præceptis rectè viuendi, quæ prælucent & indicant, qd expetere, qd fugere debeamus, præcipuè verò de præcepto dilectionis, qd' qui seruat, securè ambulat. Præclarè. n. dictum est ab Augustino: Dilige, & fac quod vis. Qui docet etiam alio loco, summam & scopum Scripturæ totius nihil aliud esse, quàm charitatem. Quam si quis ita intelligat, vt sententiam adferat gratiæ dilucida sint, quis est qui eat inficias? Sed quòd omnibus ex æquo clara sint omnia & dificandi charitati vtilem, etiamsi non hoc dixerit, qd' ille quem legit, eo loco sensisse probatur, nõ pernitiosè fallitur, quandoquidem ea sententia fallitur, qua ædificat charitatem, quæ finis est præcepti: sed ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen pergat, quò etiam via illa perducit. Hæc lucerna si vobis quoq; præluceret Brenti, minus & vos pernitiosè falleremini, nec inflati sensu carnis vestræ, vltrò à Christi corpore Ecclesia separaremini. Cæterùm si maximè quis hæc Psalmi verba torquere velit ad legem tollendam, non propterea quadratin quemlibet Grammatices peritum, ac multò minus in laicum imperitum, qd' quadrat in sanctum Prophetam Dauid. Neq; quia dixit Dauid: Super senes intellexi, Super oẽs docentes me intellexi, statim idem aut idolo vestro Islebiensi, aut cuiuis è vulgo dicere licebit.

*De doctrina Christi anali. 1. c. 35. et 36.*

*Psal. 118.*

*Matth. 5.*

Adfert & alium locum: Vos estis lux mundi: ergo, inquit, prædicatio Apostolorum, quæ est ab ipsis excepta & literis mandata, non est obscura. Et si alicubi locus est obscurus, tamen alius est apertus & perspicuus. Erant reuerà lux mundi Apostoli, qui cùm essent Spiritu Dei pleni, quod erat in Prophetis obscurum, sic eos explicasse dubium non est, omnem vt caliginem ex animis hominum deterserint. Quare libenter illud tibi cõcedimus Brenti, quòd eorum prædicatio non obscura, sed lucida fuerit: Sed quòd equidem sint lucida, quæ ab ipsis excepta, literisq; mandata sunt, nemo tibi sanus concesserit, cùm nõ sine causa dictũ sit ab Hieronymo, quòd habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa fortius sonat, & plus afficit, & alit plenius, & altius in animo sedentis

*Lucida quidem Apostolorum prædicatio, sed nõ æquè scriptura.*

*In prologo Bibliæ.*



quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. Vita quædam orationis est actio, qua cùm scriptura destituta sit, quæ quasi fictitia vox quædã esse videtur, vereq; vocis vtcunq; imitatrix, perinde efficax vt viua vox esse non potest, vt nec illud celebratũ temerè fuerit, in scriptis Demosthenis magnã Demosthenis partem abesse. Quod potest de Paulo quoque totidem verbis dici, quem non sine causa Mercurium appellatum fuisse scribit Lucas.

*Act. 14.*

Quamobrem nihil erat Brenti, cur venerabilem virum Petrum à Soto tam grauiter insectareris, quòd is verbum siue sermonem, aut prædicationem à scriptura distinxerit, quod quæ plus in verbo siue viua voce lucis esse dixerit, quàm in scriptura, cùm ita se rem habere vel sensus ipse cõmunis indicet. Nec erat causa, quamobrem ipse te ridendum insulsis tuis iocis præberes, dum nobis ridiculum Petrum facere conaris. Nam vt verũ sit, quod à te scribitur, quòd sententiæ ac res, quę cõtinentur literis sacrorum Scriptorum, manent eædem, siue prædicentur voce, siue comprehendantur scriptis. Cur. n. id negaret, quod indubitãter verum est? Cæterùm duo sunt, quæ negauit Petrus. Vnum, quòd omnia scriptis essent comprehensa, quæcunq; sunt voce prædicata. Alterùm, quòd perinde lucida sint, quę scripto comprehensa nunc habemus, atque fuêre tum, cum ipsi ea voce sua prædicarent Apostoli. Hæc fuit causa Brenti, quamobrẽ ille verbum, sermonem, Euangelium, prædicationem, à Scriptura distinguenda esse putaret, vt & latius patere verbi siue Euangelij, quàm Scripturę nomen indicaret, & non perinde clara nunc esse, quæ comprehensa scriptis habemus, atq; tum fuerũt, cum essent Prophetarum & Apostolorum voce prædicata, demonstraret, atq; ita duplicem vestrum errorem confutaret, qui & nihil in scripturis obscuritatis esse, & sicut Patres olim vestri prisci illi hęretici perfæpè fecisse legũtur, nihil præter Scripturas recipi debere contenditis. Nunc tu Sophistam quendam agere videris, nec aliud quicquam nisi tenebras offundis lectori, dum aliud impugnas, quàm quòd à Petro dictum est, iocos intereà quosdam ad fabulas admiscẽt, scurra quàm Theologo digniores.

*Non malè distinguit Scripturã à prædicatione verbi Dei.*

Adfert iterum aliam scripturam: Habemus, inquit, firmiorem sermonem Propheticum cui dum attẽditis ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis. Vocat Propheticum sermonem lucernam lucentem in obscuro loco, hoc est, illustrantem obscura: quomodo autem illustraret obscura, si ipsa esset obscura? Sed si tam clara sunt & illustria Prophetica scripta Brenti, si nihil in eorum oraculis, si nihil in figuris legis obscurũ est, cur vmbræ vocantur? cur lucem vocamus Euangelicam? nisi quòd quæ figurarum inuolucris tegebantur in lege, per Euãgelium sunt in apertum prolata. An erant omnibus clarissima, quæ de Christo fuerunt à Prophetis prædicta? Legerat vir Æthiops Eunuchus locum ex Esaia Propheta: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, &c. Clara sunt verba: num ideo statim intellegebat, quòd essent de Christo dicta? Imò nisi Philippus accessisset, & ei locum explicuisset de se ipse Propheta dixerit, an de alio aliquo, vir Æthiops ille nesciuisset. Quin & ipsi Domini discipuli, post tot sermones auditos, post tot visa miracula, post tot notas & indicia, quæ de Christo non quibuslibet esse perspicua voluit, quemadmodum etiam in terris prædicari noluit ante mortem quòd esset Messias? quòd sic expediebat ad peragendum humanę salutis negotium. Cæterùm vbi iam Apostoli nunciarunt, ea esse peracta, quæ Prophetæ prædixerant, tum & lex collata cum factis erat dilucidior, factũq; est, vt lex adstrueret fidẽ Euãgelio, & Euangelium illustraret legis ænigmata. & hoc sensit Petrus, cùm Propheticum sermonem similem facit lampadi lucenti in caliginoso loco: cuius Prophetici sermonis quin plenior esset sensum, vt illas intelligerent. Iam Paulus ad Corinthios de claritate Moysi Christiq; disputans, tantùm eminentis claritatis Euangelio tribuit, vt dicat, id quòd claruit in hac parte (de lege loquitur) ne glorificatum quidem fuisse. Quid quod data opera Deus vaticinia

Universidad de Deusto
Biblioteca



quodq; qui contrarium asserunt, non modo mundo reiq; ipsi reclamante, verum etiam suis ipsorum scriptis ac suorum dissidijs refellentibus, falsi conuincantur.

*De traditionibus præter Scripturam recipiendis. 2.Tim.3.*

Nunc secundo loco de eo nobis differendū venit, an extra scripturā pleraq; credēda tradita sint Ecclesiæ. Negat Brentius, ait Petrus. Profert Brentius ex Pau. Omnis scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Illustrat hoc scholio suo Petrus: Vtilis est, inquit, sed non inde habetur, quòd omnia contineat. Quòd si dixeris ex illis verbis, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus: quia si perficit & instruit ad omne opus, nihil restat: respondemus ita esse: quia instruit Scriptura traditiones ipsas sequendas esse, vt Paulus ipse ad Thessalonicenses testatur. Sunt autem ex oppo-

*2.Thess.2.*

sito verba Pauli hæc: Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et de traditionibus frequens est in ijs Pauli ad Thessalonicenses epistolis mentio. Et in Actibus Apostolorum de Paulo, & qui cum illo erant, dicitur:

*Actor. 16.*

Cùm transirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quę erant decreta ab Apostolis & Senioribus. Producto iterum Pauli loco Brentius in hoc suo libello, quem cōfutandum suscepimus. Quid potest, inquit, de sufficientia & perfectione Scripturæ clarius dici? Sed hic mihi videt sophismata Asoti. Cùm enim cōfessio Principis recitasset hunc Pauli locum, & alia ad stabiliendam auctoritatem & perfectionem sacræ Scripturæ, Asotus concedit quidem, quòd omnis doctrina ad salutem necessaria contineatur in scriptura in genere, & vniuersali quadam ratione. Sunt hæc quidem verba viri venerabilis Petri à Soto, sed non firmat contineri omnem doctrinam nobis ad veram salutem cognitu necessariam in scriptura: ibi loquitur ista Petrus, & contineri fatetur omnem doctrinam in genere, dum docemur Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, & obseruanda esse, quæ ab Apostolis vel per scripturam, vel per sermonem præcepta sunt. At verò hæc omnia, inquit, in speciali non continentur in scriptura, sed in traditione Apostolorum, vel in explicatione posteriorum Conciliorum. Et adducit exempli loco nomen ὁμούσιον, Chrisma atq; vnctiones, quæ adhibentur in Baptismo, & eiusmodialia. Alioqui, inquit, qui nihil vultis recipere, nisi quod scriptum est: ipsum Euangelium Matthei, vbi scriptum est, à Spiritu sancto esse, non Thomæ, vel Nicodemi, indicate: idemq; de cæteris omnibus libris scripturæ. Quod si in illis statis iudicio Ecclesiæ, quæ fundamentum est fidei, cur non in cæteris eius stabitis auctoritati? Hæc quidem Petrus. Cæterùm Brentius vt fumum offundat oculis legentium, cōfundit omnia, nec ordinem eum seruat, quo & ipse in sua confessione & Petrus vsus est in Catholica assertione. Hoc est illius omne studiū, vt dicterijs, sannis, salibus, cachinnis in Petrum ludat, & eum impotentibus suis conuitijs exagitet, quibus nos relictis, quoniam scire quàm Theologum decere magis videntur, ordine rem explicabimus, atq; ita tractabimus, vt qua de re agitur, in ea maximè versemur, & eam sic sub oculos legentium subijciamus, vt quod ait Petrus, id esse verissimum, facilè cuiuis constare queat.

*Propositum & fundamentum Brentij in traditionibus reijciendis.*

Brentio fuit propositum probare, quòd in Scriptura contineatur omnis doctrina, nobis ad veram & perpetuam salutem cognitu necessaria: Quod eo consilio fecit, vt vetus illud hæreticorum axioma tueri posset, neq; credi, neq; recipi præter scripturas quicquam oportere: quod cùm alijs hæreticis, tum Arianis præcipuè fuit valde familiare. Petrus à Soto minimè negauit omnia contineri in scripturis, sed in genere. Nam & hoc inter alia docet scriptura, seruandas esse traditiones, audiendam esse Ecclesiam. Itaq; profert exempli causa nomen homousion, quod Arianis ideò visum est recipi non oportere, quòd in scripturis nusquam reperiretur. Porrò Brentius, priusquam de eo cōcedat aliquid, quod semel in animū induxit, ab Arianorum sententia se non multum abhorrere, sicut olim & magister eius Lutherus, non obscurè præ se ferre videtur. Sic. n. loquitur: Nam quòd existimat Concilijs acceptum ferendum esse, quòd habeamus nomen homousij, satis perspicuè significat, quàm oscitanter doctrinam veræ Ecclesiæ expendat. Laudamus maiorum nostrorum studium & diligentiam, quòd operam dederint, vt doctrina de vera & æterna diuinitate Christi, pura & syncera ad posteros transmitteretur: sed quantas turbas hoc homousij nomen excitauerit, non est obscurum. Fingamus aūt nigil periculi ex vocabulo ortum: quid, si rem ipsam probè tenuissemus, num nouum vocabulum fuisset nobis necessarium? Nicœnum concilium, & pij Scriptores illustrarunt æternam diuinitatem filij Dei, idq; non é suis ipsorum somnijs, sed è sacra scriptura. Num ergo Ecclesia amisisset huius necessarię rei cognitionem, nisi nouum homousij vocabulum fuisset excogitatum? Fortassis omnia fuissent tranquilliora, si maiores vt veterem Scripturæ sacræ doctrinā, ita etiam vetera rerū vocabula retinuissent. Quare non video, quàm magnum sit Conciliorum vsus, si nihil aliud egerint, quàm vt noua veterum rerum vocabula excogitent.

*Verba Brentij.*

*Brentius Arianis fauens, Concilio Nicæno detrahit.*

Quæ est hæc animi impotentia? quod contentionis studium? quæ libido non tam veritatis inuestigandæ, quàm victoriæ quoquo modo consequendæ? Nicœni quoque Concilij, quod semper sacrosanctum est habitum, auctoritatem eleuare, nec obscuram in Arianos voluntatis inclinationem potius indicare velle, quàm vt de sententia tua moueri te patiare. Quid enim aliud hæc scribens Brentius, quàm Arianis patrocinari videtur? Qui enim fuerunt, quos magis homousij nomen offenderet, quàm Ariani? de quibus narrat Rufinus, q cùm fuissent Arimini congregati, tanquam ignotum & à Scripturis alienum sermonem aufferendum id esse putauerunt. Quod ipsum ab ijs quoq; factum esse scribit Socrates, qui Philippus ciuitate Thraciæ cōstituit, separatim concilium fecerant, & manifestè homousion anathemate damnauerant. Contrà Catholici, Liberius, Athanasius, Hilarius, & qui cum eis faciebāt, extrema quæq; sibi referenda esse prius putauerūt, q̄ hanc sibi vocē eripi paterētur.

*Lib.1.cap.11.*

Nec alio



Nec alio fuit animo Basilius, de quo testatur historia Theodoreti, quòd cùm Cæsariæ Præfectus eum placidè alloquutus hortaretur, vt tempori cederet, neq; tot Ecclesias in discrimen adducere vellet tenui dogmatis exquisitione, multa Cæsaris verbis promittens, si nomen homousij reliquisset. Respondit vir ille sanctus, Adolescentulis tales sermones cōgruere: nam hos & ijs similes huiusmodi rebus inhiare. Qui verò diuinis essent literis innutriti, nullam eos illarum syllabam in discrimen venire pati posse, solereq; si res ita postulet, nullū genus mortis pro illis subeundum recusare.

*Lib.4.cap.10.*

Vide Brenti, quemadmodum etiam pro syllaba, priusquàm eam in discrimē venire permitterent, oppetendam esse pijs mortem Basilius existimauerit. Quin & de iota vno, quantum certamen fuit inter Catholicos & Arianos? qui sic inter se iam conuenire visi fuerunt, vt propter accessionem vnius tantùm iotæ dissiderent. Quem enim confitebantur Catholici esse Patri homousion, cum Ariani iota tantùm addito, dicebant ὁμοιούσιον, sub hac vnica litera suum errorem occultantes, cùm filium intelligi vellent similem patri largitate gratiæ, non proprietate naturæ. Exigebatur à Catholicis, ne tantoperè digladiarentur de vna litera: ne nimio studio contentionis impedire velle concordiam viderentur: verum id insignes heroes illi, Liberius, Athanasius, Hilarius nulla ratione sibi persuaderi passi sunt. Nec monebātur quicquam ea re, quòd offensurum pleroſq; nomen homousij, magnasq; turbas esset excitaturum.

*Religio Petrum etiam pro syllaba & iota vno certatium contra hæreticos.*

Sed ipsum potius loquentem Athanasium audiamus: Desinite, inquit, causificationibus istiusmodi contra Patres grunnire: alioqui restat, vt etiam cruci Dñi obmurmuretis: quoniam ea Iudæis scandalum est, Gentibus verò stultitia, vt dixit Apostolus. Cęterùm quemadmodum crux mala non est, nobis. n. credentibus Christus est Dei virtus & Dei sapientia, etiam si Iudæi insaniant: ita quoq; Patrum verba mala non sunt, sed vtilia ijs qui ea legitimè perlegunt, vimq; in se continent omnis hæresis extinguendæ, etiamsi Ariani subinde rumpantur, semetipsos condemnantes. Quem sequutus Hilarius quoq; Malè, inquit, sanctis reclamatur, si quia non sanctæ à quibusdā habentur, esse non debeant. Non ergo gloriemur in cruce Christi, quia scandalum est mundo, neq; in viuente Deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus Deus arguatur. Malè intelligitur homousion: quid ad me benè intelligentem? Quàm diuersa fuit istorum sententia Brenti, quàm pugnans cum ea quam tu profers? Cùm. n. viderent Arianos non aliam ob causam hanc vocem homousion repellere, quàm quòd & eorum hæresim aperiret, & sanam Ecclesię doctrinā, quę minus apertè fuerat in Scripturis expressa, claram & perspicuam redderet omnibus: quantò magis de ea abolenda laborabāt Ariani, tantò vehementius obstabant Patres Catholici, tantoq; diligentius eam, quasi pro munimento quodam & arce contra illorum impias cōmentationes inscripta referendam curabāt: nihil ea re deterriti, quod sicut nunc Lutherani, sic tum quoq; clamabant Arriani, quæ sunt ad salutem necessaria, contineri in Scripturis omnia: nō oportere nouas voces proferri: non debere præter Scripturas quicquam recipi.

*Athanasius in epistola de Synodis Arimini et Seleuciæ. 1.Cor. 1.*

Quid enim ad hæc Athanasius? Nihil id refert, inquit, si quis voces in Scripturis non reperias vsurpet, quamdiu pias sententias complectitur. Contra hereticus tametsi voces suas è sacris literis mutuetur, nihilominus suspectus, animoq; corruptus audiet à Spiritu sancto: Quare tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentū meum per os tuum? Ita quoq; diabolo de Scripturis loquenti, os à Dño obturatum est. Cōtra beatus Paulus etsi ex alienis literis loquatur, Cretenses semper mēdaces: & illud, Ipsius & genus sumus: & illud, corrumpunt bonos mores colloquia praua: tamen sanctus cùm sit, pium animum gerit, & CHristi mentem tenens, magister gētium est in fide & veritate: & quæ loquitur, cum pietate loquitur. Num autem ab hoc dissensit Hilarius? Is verò cùm induxisset Constantium loquentem: Nolo verba, quæ non scripta sunt, dici: Dic, inquit, prius si rectè dici putas? Nolo aduersus noua venena, nouas medicamentorum comparationes: nolo aduersus nouos hostes noua bella: nolo aduersus nouas insidias cōsilia recentia? Si enim Ariani hæretici idcirco homousion hodie euitant, quia prius negauerunt: nónne tu hodie idcirco refugis, vt hi nunc quoq; denegēt: Nouitates vocum, sed profanas, deuitari iubet Apostolus: tu cur pias excludis? cùm præsertim ab eo dictum sit: Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est. Innascibilem scriptum nusquam legis: nunquid & hoc negandum erit, quia nouū est? Decernis similem patri filium. Euangelia non prædicant: quid est, quòd nō refugis hanc vocem? In vno nouitas eligitur, in alio submouetur: vbi impietatis occasio patet, nouitas admittitur: vbi aūt religionis maxima & sola cautela est, excluditur. Sed diabolici ingenij tui fallentem subtilitatem non tacebo: Similem quod scriptū nō est, decernis patri filium prædicari, vt æqualem Christum Deum, quod est scriptum, taceas.

*Hilarius de Syn. aduersus Arianos.*

Quæso Brenti, nō eadem rectè vobis quoq; dici possunt? Num & vos à nouis vocibus abstinetis, quæ sacris literis nō cōtinentur? Imputatiuam iustitiam vestram vbi legistis in Scripturis? Reputari nobis fidem ad iustitiam, beatum esse cui non imputauit Dñs peccatum, præter Christum non reputari nobis delicta nostra, legimus in Scripturis. Quòd verò docetis vos, iustitiam Christi nobis ad iustitiam reputari, ac si nostra esset, non solùm in Canonicis, verùm ne in veterum quidem Orthodoxorum libris temerè quisquam scriptum reperiet. Interea tū hoc vos dogma vestrum ita vestris obtruditis, vt nisi quis id firmiter credat, eum salutem cōsequi posse negetis. Sic ipsi falsum esse demōstratis axioma vestrum, q̄ in Scriptris omnia cōtinentur ad salutem necessaria, quodq; præter eas credi nihil, recipi nihil oporteat. Nam certè nō verè nos esse iustos, sed imputatiuè, vel non esse iustos, sed pro iustis, imputatione haberi, quatenus Christi iustitiam per fidem possidemus, neq; scriptum, neq; pictum est vsquam in scripturis Canonicis. Ac ne in vllis quidem veterum, vel etiam recentiorum Doctorum scriptis, qui ante quadraginta hos annos vixerunt.

*Imputatiuam iustitiam hæretici statuunt sine scriptura.*

Quid

Quid aũt quòd asseritis, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò & absq; vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse dimissa, nec esse quenquam verè iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide iustificationem & absolutionem perficiat: hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum, & in finem vsq; magnum illud perseuerãtiæ donum habiturum, absoluta quadam & infallibili certitudine. Hæc & alia pleraq; quæ vos non alio prope loco, quàm quo fidei articulos in symbolũ Apostolorum relatos haberi vultis, vt nisi quis ea crediderit, saluũ fieri posse negetis, vbi in scripturis reperiũtur? Quin aduersantur illis potius, quemadmodum in exordio huius libelli demonstrauimus. Conaris tu quidem Brenti cõmentum hoc vestrum strenuè defendere, productis etiam nõnullis & scripturæ Canonicæ & sanctorum Patrum testimonijs, sed quæ si quis diligentius expendat, non magis ex illis elici potest quod asseritis, quàm ex pumice lac. Quod facilè demonstrare possemus: verum non est præsentis istituti.

*Bucer. Brentio contradicit de certitudine gratiæ. in cap. 3. Matth. 4.*

Ne vestris quidem omnibus commentum hoc vestrum probatur. Vester est Bucerus, at is, neq; solus, verè docet humanam esse cogitationem sine Dei verbo natam, quod vos asseueratis, tranquillitatem & pacem conscientiæ fieri per absolutionem siue annunciationem Euangelij. Sunt, inquit, Bucerus, ex nostris, qui affirmant singulare energiam habere, si quis priuatim Euangelium audiat, & sese pronunciari absolutum. Tum demùm, inquit, certus es, id propriè ad te pertinere, cùm tu priuatim ac propriè absolueris. Sed quòd priuatim absolui ab homine, hoc est, seorsum audire gratiæ promissionem, per se momentum aliquod ad confirmandam conscientiam habeat, & tum demùm certum habeas Euangelium ad te pertinere, cùm tu propriè ac priuatim absolueris, cogitatio humana est sine verbo DEI. Vides Brenti, quemadmodum vestri quoq; confitentur, commentum hoc vestrum humanam esse cogitationem sine verbo Dei? Hanc tamen vos cogitationem vestram, hanc visionẽ cordis vestri, summo studio & auribus & animis hominum inculcare studetis: necalio loco, quàm quo Dei verbum ab omnibus recipi vultis & adorari. Et est certè Bucerus inter vestros nõ postremi nominis: doctrina idolo vestro sflebienſi nihilo inferior, linguarum verò peritia, tum & Latinè scribendi facultate multò superior. Noli putare Bréti, quòd sine causa Deus sicut extremi iudicij diem, ita iustificationem quoq; nostram, gratiegq; suę cõsequationem nobis non esse certissimam voluerit, imbecillioribus enim ista certitudo superbiæ quædam esset occasio. Nam si qui persuasum habent apud Regem aliquem aut Principem se esse in gratia, quamlibet animi sui affectionibus imperare sciant, effugere tamen vix possunt, quin efferantur animis, estnè verisimile, quòd quiuis de vulgo si certò scire queat, se esse in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine cauere sibi possit? Monet Paulus, vt in humilitate superiores nobis alios arbitremur. Scilicet hoc facilè præstaret quiuis è turba. Posteaquam certè perspectum haberet, se iustificationem, se Dei gratiam, se Dei filiorum adoptionem esse consequutum, nec impedire iam quicquam, quò minus regni cœlestis hęres efficiatur? Sicut autem vsuenit nonnunquam, vt qui serui de gratia suorum dominorum sunt secuti, minus diligenter eis inseruiant, quin & contemnere nonnunquam incipiant: sic in viris imperfectis hæc, quam tanta contentione vos asseritis, gratiæ certitudo, quid aliud quàm inertiæ cuiusdam, socordiæ, vitæq; laxioris esset occasio futura: Quis n. de pœnitentiæ fructibus, quis de gratiæ profectu solicitus foret, si certò se iustificationem, Deiq; gratiam esse consequutum, persuasum haberet? Quamobrem quod considerationes Patres & Domini nonnunquam faciunt, vt gratiam suam erga filios & seruos dissimulent, nec eos omninò certos de ea esse velint, quo sicillos in officio contineant, ne si nimium de ea sint securi, negligentiores reddantur, idem erga seruos, creaturasq; suas Deum facere, credi rectè potest.

*Phil. 2. viliter ignorat homo se in gratia Dei esse.*

*Cõtra inanem fiduciam hæreticorum.*

Meritò igitur dogma hoc vestrum damnatum est ab Ecclesia, quòd homines natura imbecilles & ad malum pronos ad licentius peccandum, inuitare videntur. Quam autem cautam aliam esse dicimus, cur vt quisq; mortalium vestrum hoc Euangelium amplectitur, ita sese ipso reddatur deterior, præter inanem istam, quam vos docetis fiduciam? Quid enim respõdere vos docet Magister vester Martinus Lutherus, si quem ex vobis aliquando pungit conscientia propter peccata, quæ patrauit? Iubet his verbis vti, Quid peccatum, peccatum: attamen ego sum sanctus: si ego probus non sum, CHristus tamen est probus. Quasi verò propterea vos iam probos esse necesse non sit, quia CHRISTVS probus est? Quasi probitas illius etiam illi sufficiat ad salutem, qui improbus esse perseuerat? Nunquid autem tu diuersum ab eo sentis, quando negas nos propter indignitatem nostram trepidare debere, sed nullo meritorum nostrorum habito respectu, solius CHristi meritis niti dicis oportere? vt iam quoniam CHRISTVS probus est, improbo cuiuis esse liceat, neq; tamen intereà de iustificatione, de gratia, deq; salute sua dubitare fas sit, quasi CHristum, cùm interris versaretur, probum fuisse sufficiat, & illius probitate confidere quisque debeat etiam improbissimus, quòd sit æternam salutem consequuturus. Quantam verò Brenti, commento hoc vestro fenestram ad omnem improbitatem aperuistis? vt mirandum non sit, quòd idem ille dux vester & antesignanus queritur, posteaquam suum istud Euangelium prædicare cœpit, factos esse vos decies Sodomitis peiores. Fecerunt itaque pro officio suo Patres in Concilio Tridentino congregati, quòd hanc vestram doctrinam anathemate condemnarunt, qua videbant homines sua sponte procliues ad scelera, magis etiam ad illa incitari. Rectè Sapiens ille beatum esse pronunciat, qui semper est pauidus. Nam qui sine timore est, iustificari non potest. Contrà verò infelix est ille, quem vos, cum hac inani vestra fiducia securum descendere facitis ad gehennam. Verum de hoc satis: nunc vnde deflexeram, non eò redeat oratio.

*Prouerb. 28. Eccles. 1.*



Non omnia contineri in Scripturis, quæ sunt ad salutem necessaria, dum conatur demõstrare Petrus à Soto, profert vocem homousion, quam propterea reijciendam esse censebant Ariani, quod in Scripturis non cõtineretur, extra quas recipi quicquam debere negabant. Atqui sic fuit semper, & est ad salutem necessariũ credere, quod sit patri filius ὁμοούσιος, vt qui non credit, anathema sit à Christo & à corpore eius Ecclesia, nec vllam habere possit spem æternæ salutis adipiscendæ. Produxerat secundo loco Petrus Chrismata atq; vnctiones quæ adhibentur in Baptismo. Hic Brentius: Quid autem est, inquit, quod Asotus adjungat etiam Chrismata & vnctiones, quę sint Baptismo adhibendæ? Hoccine est officium concilio-rum? vt definiant quid præter ea, quæ CHRISTVS ipse instituit, Sacramentis sit addendum? Mirabor si has ineptias & hæc Asotica exempla sui ipsi Prælati non rideant, cùm scriptores eorum doceant, hæc ad substantiam Baptismi non esse necessaria. Congregemus igitur concilia Prælatorum magno sumptu, nec minori periculo, vt constituantur aut non necessaria, aut puerilia spectacula. Sed de talibus cæremonijs tum tractabitur Deo volente, cum illud Christi: Fruſtrà colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum, explicabimus.

*Brentius contrà Chrisma & vnctiones quæ in baptismo*

*Responsio.*

Imò verò Brenti, Conciliorum hoc est officium, vt non solum de doctrina religionis, verùm etiam de ritibus cognoscant, quos vel in Sacramentorum administratione, vel in diuinis officijs adhiberi oporteat, vt qui sint Apostolicæ traditionis, qui non sint: quos deceat, quos non deceat seruari planum fiat omnibus. Quamobrem ante mille ducentos plus minus annos in Arausicano primo concilio definitum fuit, vt vngerentur Chrismate baptizati. Quin & in posterioribus Concilijs, Lugdunensi, Valentino, Beluacensi, Martini Papæ, multæ sunt editæ constitutiones de Chrismate, quas recitat Gratianus. Neque tibi mirum hoc videatur Brenti, cùm etiam Apostoli de rebus non maioris momenti, nimirum, vt abstineretur à contaminationibus simulachrorum, & suffocatis, & sanguine, fi statuerent aliquid in concilio, se facturos operæpretium existimauerint. Intereà tamen fatemur verum esse quod scribis, ad substantiam Baptismi nõ esse necessarium vngi chrismate. Cæterùm ad salutem fidelium necessarium est, non contemnere, quæ præcepit Ecclesia. Sit infans aliquis vel adultus etiam, qui de vita periclitetur, non est ad manum Chrisma, si ninihil aliud quàm aspergatur aqua, cùm accesserit verbum ad aspersionem hanc, iam est baptizatus, nec ei quicquam deest, quod ad substantiam baptismi pertinet: ad quam adeò chrisma non est necessarium, vt ne Sacerdotis quidem in baptizando ministerium, si fortè qui baptizandus est, ei vitæ periculum imminet, nec Sacerdotis haberi copia possit, sit necessarium: & æquè pro baptizato talis habeatur, qui sit à fœmina, cùm vrget necessitas. atq; si fit à Sacerdote baptizatus, nec iterari baptismum liceat. Neq; tamen ideò nõ grauiter peccat, si quis nulla necessitate cogente, malit à Laico, quàm à Sacerdote baptizari. Non minus autem & ab illo peccatur, qui sciens, prudensq; per contemptum Chrismatis vsum prætermittit.

*De consecrat. dist. 4. cap. Si quis voluerit, cap. 1.*

*Si quis de alio cap. 2. omni tempore.*

*Act. 15.*

*Aliud est contemnere, aliud ex causa omittere cæremonias Ecclesiæ.*

Vis autem scire, quantum sit hoc peccatum? quem tibi potissimum proferemus, cuius testimonium aliquod apud te pondus auctoritatis habeat? Cupiebas non ita pridem dari tibi Damasum. Vis autem hunc tibi demus? Audi quid ille scribat ad Aurelium Carthaginensem Episcopum: Violatores, inquit, canonum voluntarij, grauiter à sanctis Patribus iudicãtur, & à Spiritu sancto, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt aut facere volentibus sponte cõsentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemiarum in Spiritum sanctum. Audisne, quantũ hic facinus esse iudicet, non Chrismatis vsum omittere, quod vrgente necessitate sine crimine fieri potest, sed proteruè contra canones Ecclesiasticos venire.

*Proteruè contra Cânones Ecclesiasticos venire ad Spiritum sanctum blasphemare.*

Ecce autem quo tempore locum hunc tractabamus, venit in manus nostras liber Brentij contra hunc ipsum virum venerabilem Petrum à Soto scriptus: Cui titulum hunc fecit, Apologiæ Confessionis Vvittembergensis pericope secunda. Deum immortalem, quàm est effrenis in hoc homine conuiciandi libido, & plus quàm scurrilis dicteriorum, fannarumq; petulantia? Quæ aũt est hæc Euangelij docendi tam non Euangelica ratio? haud aliter is libellum hunc suum scommatis, conuitijs, calumnijs parum Christianis impleuit, atq; solent ij, qui capos aut fasianos infarciunt alijs. Ab his incipit, per hęc pergit, in hęc desinit. Erit autem quisquam, qui possit animo suo imperare, vt credat hęc à Christi, & non à Satanę potius Spiritu esse profecta? Cõmendata mihi fuit à quibusdam Brentij modestia: cæterùm in hoc scripto tam longè ab ea videtur abesse, quàm qui longissime. Furere dicas hominem, nõ dicere vel scribere. Quàm ioculariter in eo Chrisma tractat? quos risus excitat lepidis suis fabellis recitandis? Quàm procaciter insultat sæpè venerabili viro Petro à Soto? quàm petulanter etiam in sanctos Patres iam vita functos debacchatur? Mimum quendam cùm agere dicas, non Theologum, vt ego satis mirari non possim, si quisquam est mortalium, qui modò non sit ab omni prorsus pietate, grauitateq; remotus, qui tali homine Theologo malit vti, quàm ludione. Sed quale Euangelium, tales Euangelistę, sicut veteri iactatur prouerbio: Similes habent labra lactucas. Vnde aũt Lutheri discipulum agnoscere liceret? Nobis verò non est hoc loco propositum de Chrismate multa scribere, & ad insulsas hominis cauillationes respondere: sed quin strictim, breuiterq; de nonnullis agamus, tenere nos non possumus.

*De secundo Brentij scripto Apologetico.*

Ac fateturhoc initio Brentius ipse, Chrismatis vsum in Baptismo à nonullis scriptoribus & Concilijs celebratum, & in Ecclesia post diuulgatum Euangelium solennem fuisse. Verum negat hoc modo, hoc consilio traditũ Ecclesiæ, quo cum Ecclesiæ scriptores obtrudũt.

*Sacri chrismatis vsus cõtra Brentium defenditur.*

Sci-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Scilicet melius exploratum habere poteſt heſternus hic homo, quo modo, quonè conſilio ſit Eccleſiæ Chriſma traditum, quàm illi priſci ſancti Patres, qui temporibus Apoſtolorũ proximi fuerunt, à quibus illud per manus Epiſcoporum inuicem ſuccedentium traditum eſſe dubium non eſt, quamlibet reclamet Brentius. Qui ferri tamen poſſe poſteà Chriſmatis vſum ſcribit, verùm illud ferri non poſſe, quod Petrus à Soto vociferetur, eos qui non vtantur Chriſmate, ab vnitate Eccleſiæ receſſiſſe, & eſſe Schiſmaticos & Eccleſiæ hoſtes. At- *Matth. 18.*
qui non Petrus ita cenſet Brenti, verùm Chriſtus ipſe. Vis audire Chriſti ſententiam hac de re? Qui non audierit, inquit, Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus. Si ſunt ſtthnici in Eccleſia, erunt etiam in Eccleſia, qui Chriſmate non vtuntur: quos tamen nemo propterea iudicat alienos ab Eccleſia, quòd non vtuntur Chriſmate, cùm accidere nonnunquam poſſit, vt omittatur Chriſma ſine crimine, ſed quòd Eccleſiam nõ audiunt, quòd prudentes & ſcientes ex incredibili quadam arrogantia, legumq; Eccleſiaſticarũ contemptu, contra ea venire audent, quæ ſunt vnanimi totius orbis Chriſtiani conſenſu recepta, perpetuoq; tot ſeculorum vſu comprobata, hoc eſt, quamobrem ab Eccleſia cenſentur alieni. Quid quiſq; credat, *Hier. 17. Hebr. 4. 1. Reg. 16.*
quid in pectore ſuo clauſum quiſque gerat, ſcire poteſt nemo, præter eum ſolum, qui corda ſcrutatur & renes, cuius oculis etiam ea nuda ſunt & aperta omnia, quæ ſunt noſtri cordis intima. Cæterùm homo, ſicut ſcriptura dicit, non videt, niſi ea quę patent, quę ſub aſpectum cadũt, ex facie iudicat, ex ritibus iſtis externis pronunciat. Obſeruat aliquis ritus, quos per orbem Chriſtianum vniuerſum obſeruari videmus ab omnibus, quicunq; Chriſtiani cenſeri volunt, nihil iã impedit, quominus inter Chriſtianos & Chriſti corporis Eccleſię membra numeretur. Nam quæ ſunt in animis hominum recõdita, Deo iudicanda relinquimus. *Schiſmaticum eſt, ſolennes Eccleſiæ, probatoſque ritus aſpernari.*
Quod ſi verò ſit aliquis, qui non modo non obſeruat, verumetiam faſtu quodam intolerabili reijcit & aſpernatur, quicquid eſt rituum, quibus homines Chriſtiani fidem ſuam erga CHriſtum orbi teſtantur faciunt vniuerſo, non habet is iam, cui potiùs imputet, quàm ſibi ipſi, quod pro Schiſmatico habetur, quòd inter Eccleſiæ membra non cenſetur, quòd inter Chriſtianos non numeratur. Omnes Chriſtiani iam inde à mille quingentis annis, præter *Quid nos doceat chriſmatis vſus, & crucis ſignum.*
Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentum, duobus etiam his ſignis viſibilibus ſe ad CHriſtum crucifixum pertinere, & eius membra eſſe teſtari voluerũt, Chriſmatis vſu, & crucis ſigno, quorum vno de Chriſti nomine, altero de Chriſti cruce, ſe gloriari, nec in alia ſibi re, quàm in Chriſto pro ſe crucifixo placere, ex illo pendere, in illo ſpem ſuam & fiduciam oẽm collocatam, in illo rerum ſuarum omnium præſidium cõſtitutum habere, publicè profitentur. Hæc ſigna ſi quis reſpuit, quid aliud is de ſe ſuſpicandi præbet occaſionem, quàm quòd neq; cum nomine, neq; cum ſigno CHriſti crucifixi cõmune quicquam habere velit, quòd eum & nominis & crucis Chriſti pudeat? Cuius vt minimè pudere, quin etiam vt in ea ſe gloriari Chriſtiani demonſtrarent, ipſam frontẽ, quæ pudoris & verecundię ſedes eſt, & Chriſmate vngendã, & identidem cruce ſignandam eſſe duxerunt, vt in quo membro erubeſcitur, ibi figeretur, vnde non erubeſcitur, imò gloria potius omnis quæritur.

*Vnde ſchiſmatici hodie dignoſcatur.*
Quamobrem nihil eſt Brenti, quòd ita grauiter feras, vos pro talibus haberi, quales vos ipſi facitis. Ab Eccleſia Dei vos ipſos præciditis, altare cõtra altare erigitis, cathedram cõtra cathedram conſtituitis, veteres ritus abrogatis, nouos inſtituitis, non à priuata vnius alicuius ex priſcis illis Doctoribus ſententia, ſed à communi omnium opinione totius Eccleſiæ conſenſu comprobata, diſcedere vobis fas eſſe ducitis, vt ita vos non ſolùm à noſtri temporis, quæ tamen diuerſa non eſt, verumetiã ab illa, quę fuit Apoſtolorum priſci temporis Eccleſia, in qua fuerunt præclara illa lumina, Hieronymus, Auguſtinus, Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ioannes Damaſcenus, Theophilactus, & alij multi viri ſancti eſſe, ſeparatos doceatis. Et intereà moleſtè fertis ſi quis eo nomine vos appellet, quod nõ modò ſcripta vel dicta, verumetiam ipſa facta veſtra vobis impoſuerunt.

*Aug. cont. Brentium vindicatus. Ad Hier. epiſt. 10.*
Sed quæ eſt frons tua Brenti, qui Chriſmatis vſum tanquam impium, Auguſtini quoq; conaris auctoritate damnare? cùm non ignores, quàm ſæpè, quam honorificè, quàm multis in locis vnctionis iſtius meminerit. Dixit is de veteribus Sacramentis, non eſſe ſopitos cineres eruendos, quin ea cum honore ſepulta à Chriſtianis omnibus irreparabiliter eſſe deſerẽda. *Eſaiæ 28.*
Num aũt in tota illa epiſtola vel verbo Chriſmatis facit mentionem? De circunciſione, ſabbato, capitis raſione, tum de ſacrificijs veteris legis loquitur ibi Auguſtinus, atq; hæc ſunt, quę cenſet irreparabiliter eſſe deſerenda: cęterùm ſicut manuũ impoſitionem, ſic & Chriſmatis vſum in Eccleſia retinendum, Apoſtoli cenſuerunt. Sed vos iam pridem Brenti deputauit, cùm de eorum eſſe numero videamini, quos dixiſſe ſcribit Propheta: Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.

*Pius vſus Chriſmatis, & ab omnibus retinendus.*
Neque verò nos vel in Chriſmate, vel in ſigno crucis noſtræ ſalutis ſpem collocamus: verùm in ſolo CHRISTO crucifixo, quem ſignis iſtis viſibilibus denotamus: quamobrem etiam abſque ſignis his fieri poſſe credimus, vt ſalutem aliquis æternam conſequatur. Verùm ſi, quod vos facitis vſum eorum, aliquis contemnat, eum in Spiritum ſanctum peccare à ſanctis Patribus docti perſuaſum habemus. Nam vt demus hoc, quamuis rite fieri poſſe non credamus, quòd hæc viſibilia ſigna, vel vſus eorum potius rectè poſſit abrogari, non tamen hoc vnius alicuius priuata, verùm publica totius Eccleſiæ auctoritate factum oporteret. Nunc autem cùm vnus aliquis hoc ſibi per ſummam ſuperbiam arrogat, vt ſuum ipſius priuatum ſenſum totius Eccleſiæ ſenſui & conſenſui præferendum eſſe iudicet, quid de eo aliud exiſtimari rectè poteſt, quàm quòd ſit ſingularis, ſit ſchiſmaticus, ſit hæreticus? cùm qui tali præditus eſt ingenio, non quod omnibus ſed quod ſeorſum & ſigillatim ſibi videtur, id ſentiat, à reliquo cœtu fidelium ſe præcidat, denique diuerſam quandam ſententiam eligat ab ea, quæ totius eſt orbis Chriſtiani.

Sed



Sed factus iam tandem mitior Brentius, vel vi potiùs veritatis coactus, Tolerabile eſſe, *Quid Catholicis Brentius affingat in Chriſma commune lioſus.*
inquit, ſi in Baptiſmo, in Pontificali confirmatione, & in alijs ſacris adhiberetur Chriſma ſimplex, & nulla incantatione ſordidatum, ac vſus eius permitteretur liber. Nuncautem hoc intolerabile ac deteſtandum eſt, quòd non ſolùm vſus eius tanquam ad ſalutem neceſſarius exigatur: verùm etiam non adhibeatur in vſum, niſi magicis execrationibus turpificatum. Quæ eſt hæc iſtius incircunciſi Philiſtæi blaſphemia, qui verba Dei magicas execrationes vocare non reformidat? Verum hoc Euangelium eiuſmodi gaudet leporibus. Nam non multum diſſimilibus verbis vtitur, quãdo de illa formula verba facit, qua nos vti Chriſtus in baptizando voluit. Sic iſtorum lingua nihil eſſe poteſt impurius.

*Patres pro Chriſmate contra Brentium teſtantur Dion. ca. 7. Hierarch. Eccle.*
Quibus autem contumelijs non afficit & Clementem & Dionyſium, & ſanctos alios Põtifices, quos omnes fictitios eſſe vult? Cuius rei nos contrarium docere poſſemus, niſi pigeret in ijs rebus diutius immorari, quæ præſentis inſtituti non ſunt. Reprehendit Brentius Dionyſium, quòd ſcripſerit is, diuinos duces noſtros, quos nos Apoſtolos interpretamur, hanc vnguenti conſecrationem tanquam eiuſdem ordinis, & eiuſdem efficaciæ cum ſacris cæremonijs Synaxeos, ijſdem vt plurimum figuris & myſticis diſpoſitionibus, ac ſacris benedictionibus conſtituiſſe. Sed ſi qui ſcripſit hæc, fictitius illi Dionyſius videtur, num Auguſtinum quoq; dicit eſſe fictitium, qui ſcriptum reliquit in eo libro, quem edidit contra literas Petiliani, quod in genere viſibilium ſignaculorum, Sacramentum Chriſmatis ſacroſanctum eſt ſicut Baptiſmus? Num fictitium eſſe dicet hoc vetuſtiorem etiam Cyprianum, qui cum alijs multis ad fratres quoſdam ſuos ſcribens, primum de aqua Baptiſmi ſic loquitur: Oportet mundari & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, vt poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Et paucis interiectis: Vngi quoq; neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, vt accepto Chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Porrò autem Euchariſtia, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari ſanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Videsquemadmodum Cypriani verba non multùm ab ijs, quæ ſcripſit Dionyſius, diſſidere videantur? Simul & illud exijs cognoſcere potes, non vngendi ſolùm, verum etiã aquã Baptiſmatis, & oleum Chriſmatis conſecrandi, quàm vetus fuerit inſtitutum. Quade re ſic etiam ab Ambroſio ſcriptũ eſt: Vidiſti aquam, ſed non omnis aqua ſanat, ſed aqua ſanat, quæ habet gratiam Chriſti. Aliud eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio. Non ſanat aqua, niſi Spiritus ſanctus deſcenderit, & aquam illam conſecrauerit. Ac nonnullis interiectis: Vbi primùm ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit, ſecundò ſuper creaturam aquæ inuocationem: poſteà & precem defert, vt ſancti ficetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ. Auguſtinus quoq; Benedicimus, inquit, aquam Baptiſmatis & oleum vnctionis. Baſilius itidem: Conſecramus aquam Baptiſmatis & oleum vnctionis. Et horum æqualis Sulpitius, quemadmodum D. Martinus oleum benedixerit, commemorat, vbi ſimul & exorciſmi meminit, dialogo tertio, de vita D. Martini. Quorſum autem attinet reliquos omnes proferre? cùm Apoſtolorum hanc eſſe traditionem, vt primùm conſecrentur aqua & oleum, deinde baptizentur homines & vngantur, tam ſit ex veterum Scriptorum conſentienti teſtimonio perſpicuum, vt de eo dubitari fas non ſit? Quòd ſi liber extaret, quem Ignatium ſcripſiſſe de Traditionibus Apoſtolorum narrat Euſebius, inde verò certo certius ita ſe rem habere, cognoſcere liceret. Porrò qua forma conſecrari fuerit ſolitus fons Baptiſmatis, vel oleum Chriſmatis, nõ ſatis conſtat ex veterum ſcriptis. Intereà quæ nobis in Pontificali Rom. præſcripta eſt, ea rectè vtimur.

*Aug. li. 15. de trinit cap. 26. Baſil. ad Amphilochium, ca. 27.*

*Arrogantia Brentij qui ſe toti veteri Eccleſiæ opponit.*
Et admirabilem Brentij faſtum & arrogantiam execrari ſatis non poſſumus, qui quod tanto conſenſu, tot ſeculis ab vniuerſa receptum eſt Eccleſia, non magis latinorum quàm Græcorum, non Occidentis magis quàm Orientis, tot ſannis tam ſcurriliter exagitare non veretur. Scilicet ſi quid ineſſet in ea re vitij, quod exorcizatur & conſecratur aquæ, ſalis, & olei creatura iuxta receptum tot ſeculis Eccleſiæ morem, ignoraſſent hoc illa præclara ornamenta totius Chriſtiani lumina, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus, vt nihil intereà dicam de Clemente & Dionyſio: nec fuiſſet hoc tãto temporis interuallo mortalium cuiquam reuelatum, niſi nunc demum filijs iſtis deſertoribus: qui quamuis de ſpiritu ſe iactent, nihil tamen aliud quàm caro ſunt? Et indicãt hoc eorum libri, quibus tam procaciter inſultant, tam petulanter conuitiantur, tam ſuccurriliter ſannis & dicterijs in quoſuis ludunt, nullo minùs eos, quàm Dei ſpiritu agi. Sed nolumus eſſe longiores in Chriſmatis vſu defendendo: ad inſtitutum redeamus.

*Ioan. 15. Non omnia continuo ſcripturis, vt vult Brentius.*
Profert aliam ſcripturam Brentius: Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota vobis feci. Ac ſubdit: Quæ autem Apoſtoli acceperunt à Chriſto, ea vulgauerunt prædicatione ſua in toto orbe terrarum, & tradiderunt ea poſteritati ſcriptis ſuis. Manifeſtum igitur eſt, quòd omnia, quæ ad ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, in ſcriptis Prophe- *2. Timo. 2.*
ticis & Apoſtolicis contineantur. Profert è regione Petrus ex epiſtola ad Timotheum. Quæ audiſti, inquit, à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Non dixit, inquit, quæ ſcripſi vel ſcripto tradidi, ſed verbo tantùm, quę audiſti. Non dixit: Tu commenda monimentis literarum, ſed hominibus fidelibus. Lex Euangelica magis eſt cordibus indita Spiritus ſancto interiùs docente: Docebit vos omnem veritatem. Apoſtoli huic Spiritus ſancti interiori inſtinctui innixi ſunt. Vnde Paulus: Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis la- *2. Cor. 3.*
pideis ſed in tabulis cordis carnalibus. Quare iniuriam facit dignitati Euangelicæ & Apoſtolicæ, & apertè imponit, qui docet: Apoſtolos ſcripto tradidiſſe cuncta, quæ verbo docuerunt, & acceperunt à Chriſto. Addidit in ſcholijs: Mirandum eſt, quòd tam audacter hoc aſſeratis & tam facilè, meritò eadem facilitate contemnendum. Nam primùm conſtat, non

Universidad de Deusto
Biblioteca



omnes Apostolos scripsisse, & tamen prædicarunt omnes. Deinde neq; ipsi qui scripserunt probantur omnia scripsisse, imò Paulus apertè contrarium dicit ad Timotheum, vt habes in assertione Catholica ex opposito. Et testatur Dionysius, Eusebius, & antiquorum plurimi, pauca esse scripta ab Apostolis. Neq; Christus præcepit vnquam eis, vt scriberẽt, sed prædicare, inquit. Et quàm indignè sentit de animis hominum, de Ecclesiæ firmitate, de operatione Spiritus sancti, qui non putat solidius & firmius teneri posse, quæ cordibus mandantur fidelium, dicente Paulo: Hæc commenda, &c. quàm quæ membranis aut tabulis. Denique Euangelica lex, testante Ezechiele Propheta, non scripta, sed indita est cordibus, nec ad eius essentiam pertinet scriptura aliqua. Quanto enim tempore sine scriptura Euangelica lex fuit annunciata? Imò vt antiquissimus Irenæus diligentissimè & verissimè considerauit vsq; hodie ad omnes Barbaros sine scriptura est lex Euangelica. Neq; enim quicquam Apostoli ipsis scripserunt. Sicut enim Græcè loquens, aut Hebraicè non loquitur Barbaris, ita ijsdem linguis scribens: Ordinationi enim, inquit, assentiunt multæ gentes Barbarorũ, eorum qui in Christum credunt, sine Charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum cordibus suis salutem, &c. Hæc à Petro scripta & apertiora sunt, & veriora, quàm vt refelli queant.

*Ridiculus in respondendo Brentius.*

Quid igitur Brentius? cùm videat se nihil habere quod contradicere possit, incipit nobis narrare lepidam fabellam de Synodo Monialium. Ludit etiam elẽchis quibusdam sophisticis. Monachus Dominicaster portentum in rerum natura, quia simul est albus & ater, sed portentum est generis neutri, igitur & Monachus. An non lepidum scurram agit hic Theologus? Sed quid faceret, cùm sibi sic occlusum os esse videret, vt quod contra mutiret, non haberet? Posteà tamen, ne nihil dicere videretur, non se loqui dicit de literis & syllabis, sue in membrana, siue in papyro scriptis, sed de sententia, quæ ijs literarum & syllabarum notis significatur. Quid aũt hoc ad rem, de qua agitur? Docet posteà: Eadem res manere, siue vocabula nuncientur, siue literis mandentur: quòd productis Scripturarum exemplis ex Genesi, Exodo, Deuteronomio, planum facere conatur. Verùm & hoc quid ad Rombum? Quærit deinde, Num Moses scribendo legem & Euangelium, susceperit vanum laborem, quippè qui cœlestem vocem mandauerit membranis rei fragillimæ? Quasi verò dixerit hoc Petrus, aut quasi quisquam sit homo Christianus, qui vel Prophetas vel Apostolos reprehendat, quòd legem & Euangelium literarum monumentis consignarint. Non de hoc agitur Brenti. Verùm cùm dixisset Petrus, quòd apertè imponit hominibus, & eos decipit, qui docet Apostolos scripto tradidisse posteritati cuncta, quæ verbo docuerunt, hæc illius à te sententia refutanda simul demonstrandum erat, quod nihil docuerint, quod non scripserint. Nũc tu de alijs loqueris, cùm ille de cœpis verba faciat.

*Euangeliũ ante scripturam omnem fuisse.*

Tandem videtur aliquid velle dicere: Euangelium, inquit, quod prædicauerunt Apostoli, non voce tantùm vulgatum est, sed erat anteà in Scriptura prophetica comprehensum, & iam tum mandabatur literis Apostolicis. Quid autem Brenti, si prius fuit Euangelium de Christo, quàm non modò scriptura, verumetiam vlla literarum esset cognitio? Inter primũ hominem & Mosen, qui primus legem scripto mandabat, duo millia, trecenti, septuaginta tres anni intercessisse, creduntur, num toto illo tempore nullum fuisse putas Euangelium? At vt demus tibi, quod in scriptura prophetica comprehensum anteà fuerit Euangelium, quàm prædicassent Apostoli, num Euangelium illud fuit de eo, qui iam venerat, & non potius de venturo Christo? Sunt graues auctores, qui totis sedecim annis negant fuisse Scripturam vllam de eo, quòd Christus venerat in hunc mundum, vt saluos faceret peccatores, deq; rebus ab illo gestis, quæ per omne tempus id voce tantùm prædicabantur ab Apostolis.

*Euangelio scripto caruit Ecclesia primitiua. 16. annis.*

Docet posteà Brentius, quo consilio fecerit Spiritus sanctus, vt scripto mandaret Euangelium: quasi verò sit quisquam, qui consilium hoc Spiritus sancti reprehendat. Profert paulò pòst conciones aliquot Apostolorum, quibus auctoritas & maiestas scripturæ sacræ commendatur. Quasi de dignitate illius detractum aliquid quisquam cupiat. Sic ille cùm extrarem dicat omnia, nullum tamen facit dicendi finem. Quorsum enim attinet congerere tot Scripturarum loca, quibus vsi fuerunt Apostoli: quasi verò sit aliquis, qui neget Scripturarum testimonijs aliquid rectè probari posse? Imò quoties Apostoli de Christo sermonem habuerunt, ad Iudæos præsertim, necesse fuit vt eum Prophetarum oraculis confirmarẽt.

*2. Cor. 11.*
*1. Timo. 3.*

*Etiam à sola consuetudine Paul. ratiocinatur.*

Cæterùm cùm de Synaxi loquitur Paulus, quas adfert scripturas: Ego enim acceperi à Domino, inquit, non legi in hoc aut illo. Nihil igitur adfert præter traditionem acceptam à Christo. Quòd in Ecclesia mulieri docere fas non est, quòd nudo capite vir, velato mulier orare debeat, q; Episcopum vnius vxoris virum esse oporteat, quibus docet scripturis? Quin ille ne rationem quidem adfert vllam, sed solam contradicentibus consuetudinem opponit: Si quis, inquit, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus. Et alio quodam loco dicit, Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.

*1. Cor. 11.*

*2. The. 4.*

*Sola scriptura non dirimit omnes contentiones.*

Nemo pius reprehendit Brenti, si quis ad scripturas appellet: nos verò laudamus id, quin & facimus ipsi. Verùm si scriptura sit ambigua, si diuersæ vel contrariæ nonnunquam illius interpretationes proferantur, quæso quid facere tum oportebit? Tu scripturam hoc sentire vis, mihi contrarium verius esse videtur: vnde veritas nobis erit elicienda? Verbi gratia, de tribus nunc verbis valdè controuertitur, Hoc est corpus meum, quorum quem tu sensum esse velis, fateor me non satis intelligere. Nam affirmas tu quidem in confessione tua, quin & alijs quibusdam scriptis tuis, quòd verum corpus & verus Christi sanguis in Eucharistia distribuatur, sed quòd realiter & substãtialiter ibi sit verum Christi corpus & sanguis, nusquam expresè q; quidem ego legerim, scribis. Quin cùm ita de pane dixisse Christũ asseris, Hoc est corpus meum, sicut ab Ezechiele de vrbe Hierusalem in latere descripta dicitur: ita

*Brentius fauere videtur sacramentarijs. cap. 5.*



est Hierusalem, non obscurè significare videris, quòd sis in Sacramentariorum partes propensior. Quin sicut in latere illo non fuit realiter vera ciuitas Hierusalem, sed illius figura tantum & imago, sic in Eucharistia negant esse realiter verum corpus Christi, sed illius figuram tantum. Itaq; sicut in alijs nonnullis, ita & in hoc videris ab Augustana confessione dissentire, quæ substantialiter in pane contineri Christi corpus affirmat: si modò eo sensu prolata est de Eucharistia confessio, quem in Apologia sua Philippus adfert.

*Quanta disceptatio de veritate corporis Christi in Eucharistia.*

Nũc igitur videamus quãta sit de tribus ijs verbis inter eos q Augustanæ, quiq; Tigurinæ sunt cõfessionis, disceptatio. Qui sunt Augustanæ cõfessionis, sicut iam dixi, tribus ijs verbis hoc significari volunt, quòd panis verè, substantialiter & realiter sit corpus Christi, quod in pane (sic enim illi loquuntur) præsens adest. Contrà, qui sunt Tigurinæ, secùs illis videtur: nam concedunt illi quidem, quòd in Synaxi sit corpus Christi, verum in signo tantum efficaci, non autem substantialiter. Quanta verò de re, quàm est hæc ingens discrepantia? Et certè pertinet ad salutem, vt de Eucharistia certam fidem habeamus. Quid igitur hoc loco faciendum? Doces tu Brenti, docuit prior etiam Lutherus, si qua videtur obscurior esse scriptura, quòd per minus obscuram aliam explicari debeat. Conditionem hanc accipiunt Sacramentarij. Sic, aiunt, dictum est à Christo, Hoc est corpus meum, sicut scriptum est à Paulo: Petra autem erat Christus. Ecce faciunt Sacramentarij, quod vos docetis Brenti; Quorum anteſignanus hoc æuo nostro Caluinus negat in disceptationem venire Christi auctoritatem, quam vos quoq; similiter vt nos, illis objcitis, sed verborum duntaxat sensum, de quibus cùm disceptetur, Scripturam, quæ videtur obscurior, per minus obscuram aliam iuxta præscriptum vestrum interpretatur. Num autem in eo vos acquieſcetis? Minimè gentium. Imò panem substantialiter esse corpus Christi, modis omnibus contenditis, & plurimum ad salutem interesse, si hoc ita credatur, persuasum habetis. Quid ad hæc Sacramentarij? Sicut nunc tu doces Brenti, sicut anteà docuit magister tuus Martinus Lutherus, contineri dicunt in scripturis omnia, quæ sunt ad salutem necessaria: quamobrem nihil ad eas addi, nihil præter eas recipi dicunt oportere. Nam si necessarium esset ad salutem credere: quòd in pane substantialiter & realiter sit corpus Christi prouidisset proculdubiò Spiritus sanctus per Apostolos & Euangelistas, quòd vbi Cœnæ Dominicæ faciunt mentionẽ, vocem hanc non prætermisissent. Vides Brenti, quemadmodum vestris contra vos telis pugnent Sacramentarij? negant addendam esse vocem, substantialiter, quòd ea sacris literis expressa non sit, interea tamen addunt ipsi, quòd ibi sit in signo efficaci, cùm ne hoc quidem exprimant sacræ literæ. Quò igitur hoc rerum statu confugiunt hi, qui sunt Confessionis Augustanæ? Quonam aliò, nisi quò Catholici confugere solent, ad sanctos Patres, quos tamen quoties eorum auctoritas à nobis producitur, reijciendos esse censetis: quoties verò vobis id expedit, multum apud vos valet eorum & Ecclesiæ totius consensus: cuius auctoritate potissimum pugnant vestri, non contra Sacramentarios modo, verumetiam contra Anabaptistas. Qua tamen si Catholici contra vos vtantur, ferendum non esse putatis, nec eã valere vultis.

*Patrum auctoritas modò placet, modò non placet sectarijs.*

Proferemus & aliud exemplum, quo res fiat illustrior: Dixit Christus: Bibite ex hoc omnes. Tu Brenti ex, omnes, facis, non omnes: Nam excludis infantes, & Augustinum reprehendis, qui communicet infantes corpore & sanguine Christi. Bibite, inquis, ex hoc omnes, qui iudicium, quiq; rationis vsum habetis. Hic meritò quiritabuntur Bohemi, non esse quicquam addendum ad Scripturas: contineri in illis omnia ad salutem necessaria: si visum esset Spiritui sancto, nemo particeps vt esset Eucharistiæ, nisi quia rationis compos esset, ad quæ sit corpus Christi, verum in signo tantum ditrum id in libris Canonicis proculdubiò fuisse. Cæterùm si sufficit infanti baptismum suscepturo fides Ecclesiæ, cur non eadem illi sufficiat Eucharistiam percepturo? Porrò si quibus alijs, tum vobis minimè licet, vt infantes arceatis ab Eucharistia, qui fidem eos actu habere contenditis: quàm qui adfert ad hoc Sacramentum, in eo nihil præterea requiritis. Tum autem in primitiua Ecclesia dabatur infantibus Eucharistia, sicut ex Dionysio, Cypriano, Innocentio, Zosimo, Augustino, tum ex prouincialibus aliquot concilijs liquet: quæ sub idipsum tempus infantibus dari desijt, cùm vos extincto Euangelio nullam fuisse vultis Ecclesiam. Ecce Brenti, quemadmodum & hi scripturis vrgent, à scripturis discedi nolunt, ad scripturas addi, præter scripturas aliquid recipi, nefas esse ducunt. Quid autem vos contra hæc? Equidem non video quid aliud, quàm Ecclesiæ auctoritatem obijcere potestis. Iam ergo non constare posse dogma tuum intelligis, quo vel apertas omnibus scripturas esse profiteris, vel sic omnia in illis ad salutem necessaria contineri asseris, nihil vt addi ad eas, aut recipi præter eas oporteat.

*De Eucharistia, sis ne danda infantibus.*

Non sumus autem hi Brenti, qui quod abs te falsò nobis impingitur, auctoritatem scripturarum eleuare diuinæq; legis Maiestati detrahere quicquam velimus. Nihil potest de ea dici tam magnificum, quin maiorem etiam illius esse dignitatem asseramus: quæ tanta est, vt nullis verbis exprimi satis queat. Quid enim Dei verbo fieri potest excellentius? quod his libris, qui Canonici vocantur, mandatum esse libenter confitemur. Sed interea tamen illud nec tu negabis, quòd sicut hoc nostro, sic & priscis illis seculis, ad scripturas Canonicas æquè semper hæretici prouocarũt atq; Catholici. Itaq; si detrahitur scripturis, sicut tu velle videris, quando dicitur: Mos est hæreticorum ad scripturas prouocare, quis magis illis detraxit, quàm ille magister vester, & hæreticorum nostri temporis dux & anteſignanus Martinus Lutherus, qui adeò non veretur scribere, quòd omnes hæretici Scripturæ præsidio nitantur, quodq; ex illis hæreses omnes originem duxerunt, vt ausus fuerit hoc etiam addere, Scripturam canonicam ad extremum hoc esse nomẽ consequutam, vt vocetur liber hæreticorum: quod nomen haud scio an quisquam illi tribuerit vnquam præter hunc magistrum, non nostrum, sed vestrum.

*Plus deferunt scripturis Catholici hodie, quàm Sectarij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Fingamus autem nunc verum esse, quod tu scripsisse nescio quem narras: nam nomen nō exprimis, ac fieri potest vt sit commentum tuum: Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ. Cedo Brenti num hic minus reuerenter de Scripturis loquutus est, quàm qui vocat eam librum hæreticorum, cùm tamen nullorum sit minùs quàm hæreticorum: est enim Catholicorū propria, qui tot seculis in eius possessione præscripserunt. Et potuit illud tamen pio sensu dici, quem homo pius qui charitatem habet, q̄ non cogitat malum, ex ijs verbis eliceret: Nam reuera, nisi nos Ecclesiæ doceret auctoritas hanc scripturam esse canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet. Tu ne eas quidem scripturas velere vis, quas non recipit canon Hebræorum, & vis, vt eius apud nos aliqua sit auctoritas, quam non reciperet canon totius Ecclesiæ? Cæterùm quæ Scriptura tanquam canonica semel est ab Ecclesia recepta, nomen ei tribuere, quòd sit liber hæreticorum, imò manè quanta est hæc blasphemia? Verùm tu, dum te transuersum rapiunt ira atq; odium, etiam quæ piè dicta esse scis, in sensum impium detorques. Sed reliqua persequamur.

*1. Cor. 13.*

*Non Canon Hebræorum sed Ecclesiæ, scripturas facit Canonicas.*

Produxerat in confessione sua Brentius locum ex Chrysostomo, Manifestauit temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi. Hæc est prædicatio: Omnia enim Euangelium continet, & præsentia, & futura, honorem, pietatem, fidem. Omnia prædicationis verbo conclusit. Illustrauit hoc scholio suo Petrus: Euangelium, inquit, verbum est, sed non scriptura Euangelica. Vbi statim obserua, Chrysostomum hic nihil de Scriptura Euangelij dixisse, imò magis de prædicatione tantum loqui. Vestri verò Doctores, consuetudine illa, qua Euangelium ad scripturam semper referunt, ita cæcutiunt, vt vbicunq; verbum, Euangelium audierunt, mox quasi Scripturam audiant, putant se triumphasse. Sed quis non videat quàm longè hæc diuersa sint? & quis non intelligat ex tantis testimonijs in assertione Catholica, multa tradita esse verbo, quæ non sunt scripta? Chrysostomus hic inquit, Omnia verbo prædicationis conclusit, nihil dixit de scriptura. Testimonia verò quorum meminit, è regione sunt hæc adscripta: Primum Dionysij, Substantia Sacerdotij nostri & præceptores nostri didicerunt, ex animo in animum medio inter currente verbo, corporali quidem, sed quod carnis penitus excedat sensum, sine literis transfusa sunt. Et regione autem illius, Sine auctoritate scripturarum garrulitas non habet fidem, collocauit Petrus testimonium Eusebij, cuius hæc verba sunt: Venerabiles & Deo digni Apostoli Christi, cùm essent in omnibus puritate vitæ & animæ virtutibus clari, non magni pendebant sermonis ornatum, &c. parui ducentes plures libros condere, quòd huiusmodi prædicationis assertio non argumento humani sermonis, sed adstipulatione diuinæ virtutis indigeat. Posteà dicit de Paulo, quàm pauca scripserit. Sed & reliqui, ait, Domini discipuli, si, qui sermonem aliquem diuinitus inspirati memoriæ reliquerunt, breuem hunc & succinctum esse voluerunt. Ad Hieronymi verò sententiam hoc addit scholion: Hic apertiùs nominat scripturam, reijciamus ergo ex hoc verbo Traditiones Apostolorum, si non habent auctoritatem scripturæ. At verò Paulus iubet seruari tradita etiam verbo sine scriptura: & Timotheo præcipit, quæ audiuit à se commendare fidelibus hominibus, non scribere. Benè autem dicit Hieronymus garrulitas sed non grauitas Patrum testimonia scilicet eorum, quos apostoli docuerunt, non auctoritas Ecclesiæ, non deniq; certa ratio. Hæc enim omnia fidem habent, etiā ea quæ asserunt, non sint in scriptura. Est enim in scriptura, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, audiendos Patres, & obtemperandum rationi. Quicquid sine ijs est, garrulitas est: videat quisq;, ne garriat in rebus tam serijs. Quorsum autem attinet omnia transscribere?

*Ad Tit. hom. 1.*

*Aliud verbum Euangelij, aliud scriptura Euangelica.*

*Dio. Eccl. Hier. c. 1.*

*Apostoli pauca scripserunt, & multa sine scripto tradiderunt.*

*Hier. ad Tit. c. 1.*

*Euseb. lib. 3. cap. 24. Eccle. hist.*

*2. Thess. 2.*

*2. Tim. 2.*

Adfert autem & in Apologia suæ Confessionis Brentius nonnulla Scripturæ loca, quibus idipsum probare contendit. Sed qua de re tandem ita contenditis Brenti? Num de eo, an scripturæ sufficiant ad salutem? Ecce vel tædio tandem victi, concedimus tibi quod vis; quin etiam plus concedimus, quàm tu etiam postulare sis ausus. Si nullas etiam scripturas viderit aliquis, eum salutem nihilominùs consequi posse dicimus, dummodò si cætera propter intelligentiæ tarditatem assequi non potest, vel hoc solùm sciat, quòd Iesus traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram, ac ineffabilis huius beneficij memor, redemptorem suum diligat, & propter eum proximo suo benè velit. Hoc qui fecerit, etiamsi quid contineatur, aut non contineatur in scripturis, nescierit, nihil est quòd propterea de salute sua dubitet. Idem enim sentimus, quod ab Augustino scriptum fuit aliquando: Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt, quæ ad fidem pertinent, discernere, penè fruſtrà in Ecclesia laboramus. Quodq; idem alibi dicit: Homo itaq; fide, spe, & charitate subnixus, eaq; inconcussè retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instituendos. Addimus & hoc, quòd qui talis est (quandoquidem prorsus est istud charitatis, vt submissum reddat hominem, & ad parendum superioribus promptum & alacrem, nullam vt ab eis præceptorum rationem exigat) quòd is de salute sua multò certior esse potest, quàm qui inflatus scientia, contemnit omnes præ se, nec quam audire iussit Christus Ecclesiam, ei parere dignatur, nisi Scripturarum examina proferat.

*Saluus charitas etiā sine scriptura scientia.*

*Rom. 4.*

*Aug. epi. 102. ad Enodium.*

Iam igitur & hæc est sublata controuersia. Nam cùm tu Brenti, præfractior sis, quàm vt de eo, quod semel tuendum susceperis, vel vnguem (quod aiunt) latum decedas: nos qui nō de victoria consequenda, sed de veritate inuenienda laboramus, vltrò tibi plus etiam quàm tu postulas, largimur: quòd etiamsi quis nesciat, quæ contineantur in scripturis, modò sciat Iesum

*Aug. de doctr. Christiana lib. 1. cap. 39.*



Iesum Christum, & hunc crucifixum, sufficit ei ad salutem. Ignorasse literas Antonium scribit Athanatius: vocat eum nihilominus columnam Ecclesiæ. Quem ita suos etiam admonuisse narrat: Confugite ad Crucifixi legem, vosq; eius imitamini famulos: & hoc scientiæ fine contenti, nullā deinceps secularis imprudentiæ argumenta quæratis. Porrò Crucifixi lex, quæ est alia, quàm charitas: Nam & crux illius quid aliud quàm charitatem, qua nos ille complexus est incredibili, designat: ad quam vicissim hoc exemplo suo nos inuitat. Hanc igitur quisquis habet, iam non solùm nouit, verumetiam impleuit legem vniuersam: & est ad salutem æternam instructior, paratior, expeditior, quàm tu Brenti cum omni caterua sodalium tuorum. Qui cùm scientiæ quadam opinione litis inflati, quandoquidem hac vnica Crucifixi lege destituti estis, à Christo & à corpore eius Ecclesia præcisi estis & separati. Damus itaq; tibi plus quàm ipse postulas, & clara voce pronunciamus, non solùm sufficere Scripturas ad salutem, verumetiam si quis nunquam scripturas legerit, ac ne viderit quidem, nec quid in eis contineatur sciat, dummodò sciat Iesum & hunc crucifixum, eiusq; crucifixi legem obseruet, iam eum nosse omnia, quæ ad veram & æternam salutem cognitu sunt necessaria: neq; nosse modò, quæ cognitu, verumetiam habere prorsus omnia, quæ sunt ad illam assequendam necessaria: de qua certus est, si legem obseruet crucifixi, quæ verbo tantū vno continetur, & sicut scribit Clemens Alexandrinus, absq; literis discitur, cùm sit decretum spirituale scriptum in cordibus nostris. Cæterùm hoc tibi nunquam concedemus, vt q̄ non credit sanctam Ecclesiam Catholicam, qui non audit illam, qui non obedit Præpositis, qui non facit ea, quæ dicunt sedentes in Cathedra à Deo constituta, possit ad salutem æternam peruenire, cùm eum apertè contrà legem crucifixi venire constet.

*charitas lex crucifixi, quæ sola hominī sufficere possit ad salutem.*

*Clemens.*

Sed hac de re longiores esse nolumus. Iam enim satis multa de duobus capitibus his dixisse, clareq; demonstrasse videmur, falsum esse quod Brētius, verum quod affirmat Petrus à Soto. Primùm etsi summa scripturæ totius & scopus, ad quem omnes in Christum credentes collimare oportet, neminem latere possit, cum vno tantùm verbo, eoq; claro, perspicuo & aperto contineatur, quod est Dilige, quo nihil esse potest lucidius, vt rectè dictum sit à Propheta: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos: non ideò tamen ita clara sunt in scripturis omnia, vt ad intelligendum obuia sint omnibus, cùm scribat de Pauli epistolis Petrus, quòd in eis multa sunt difficilia. Quod etsi nemo scriberet, clamat hoc tamen res ipsa: Quin istæ quoq; tam acerbæ nostræ fæculi de causa fidei contentiones, (vt interim de priscis illis taceamus, quæ non aliunde, quàm è scripturarum tam diuersis, & inter se pugnantibus interpretationibus exortæ sunt) vel ipsa luce clariùs demōstrant, in plurimis scripturæ locis permultum obscuritatis esse: vt dicere, nihil est in scripturis obscurum, non aliud esse videatur, q̄ dicere, nil extra est oleam, nil intra est in nuce duri. Deinde, quamuis in genere contineantur in scripturis omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, cùm vnicū præceptum hoc, Dilige, de quo iam diximus, quod obscurum esse nemini potest, in Christum credenti sufficiat ad salutem, sunt nihilominùs etiam alia pleraq; extra scripturam necessariò sic credenda, vt si quis contrarium asseruerit, anathama sit. Cuius generis sunt (vt ne qd dicā de nostri temporis controuersis dogmatibus) filium & Spiritum sanctum eiusdem esse cum patre substantiæ; eiusdem potentiæ, ac per omnia illi æqualem: Mariam Deiparam non solùm Christi iparam dici oportere: duas in Christo naturas, duas itidem esse volūtates & operationes. Quæ cū in Scripturis non ita fuissent expressa, quin diuersum vel contrariū posthac ex illis Arrius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Petrus Antiochenus, Sergius Constantinopolitanus docere conarentur, sic in Concilijs Oecumenicis, Nicæno, Cōstantinopolitano, semel, iterum, & tertiò habito, Ephesino & Calcedonensi nobis credenda tradita sunt, vt nisi quis crederet, è cœtu piorum extorris haberetur. Hæc itaq; duo satis iam à nobis copiosè tractata sunt, & error Brentij sic est omnium oculis euidenter expositus, vt nihil apud quenquam scrupuli iam residere, persuasum habeamus.

*Summaria repetitio de tractatis capitibus duobus.*

*Horatius.*

Nunc tertio & eo postremo loco dicendum nobis restat de eo, penes quos ius sit interpretandi dubia, si qua de doctrina religionis existant. Qua de re quamuis multa iam dixerimus in capite præcedenti, vbi, quorum sit munus de causa fidei cognoscre, satis copiosè disserui mus, quoniam tamen visum est Brentio, idem nunc quoq; repetere, nobis quoq; quæ profe runtur, ab eo refellere necesse est. Negat Brentius, ius interpretandæ Scripturæ esse penes summos Pontifices, quòd donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudētiæ, sed sancti Spiritus. Quod probat producto loco ex epistola Pauli ad Corinthios de deuisione donorum Spiritus sancti: Qui cùm sit liberrimus, non est, inquit, ad certum genus hominū alligandus, sed distribuit dona hominibus, pro suo beneplacito. Producit locum ex libro Numerorum, quo contendere vult, omnem populum prophetare debere, quem iam excussimus. Producit & alium ex libro Iudicum de Debora muliere, quæ excitatur in Prophetā. Producit & tertium ex Amos Propheta, quòd is fuerit armentarius. Quasi verò priuilegia pastorum legem faciant communem, & propterea mulieres omnes & pastores armentorum omnes debeant prophetare, quia prophetarunt Debora & Amos.

*Argumenta Brentij contra Pontificum potestatem in dubijs interpretandis.*

*1. Cor. 12.*

*Cap. 11.*

*Cap. 4.*

*Cap. 7.*

Contrà, Petrus à Soto concedit hoc, nulli generi hominum alligatum esse Spiritum sanctum, à quo recta interpretatio scripturæ proficiscitur: quia tamen, inquit, vna omniū Christianorum debet esse fides & vnica confessio, ne quisq; sensum suū sequatur, necessarium est, vt sit publicum magisteriū, & certi ministri, ad quos pertineat docere in Ecclesia. Inter quos cùm ordinē, oporteat esse, nō dubitamus ad summos pertinere, quæ inter alios de scripturę sensu & fide dubia sunt, definire. Proferet & ipse Pauli testimonia ex epistola ad Ephesios, quòd dedit alios Apostolos, & cæt. ex epistola ad Corinthios, quòd omnia honestè & secundum ordinem fieri debeant: ex epistola Ioannis: Non omni spiritui esse credendum.

*Argumenta Soti contraria.*

*Cap. 4.*

*1. Cor. 14.*

*1. Ioan. 4.*

*De quibus dicturus auctor.*

Sed nos ne simus longiores, nec ex confessione Brenti, nec ex ea quàm è regione collocauit assertione Catholica Petri, plura verba recitabimus. De ijs tantum dicemus, quæ continentur in hoc scripto Brentij, quod confutandum suscepimus. Quæritur is remitti se à scriptura ad traditiones Apostolorum. Ad quas autem, inquit, traditiones? num ad eas, quæ pugnant cum Prophetica & Apostolica scriptura? quæ iam cœlestibus testimonijs confirmata est? num ad eas, quæ scripturis sunt consentaneę? Proferant igitur eas, & sinant eas exigi ad scripturam, num cum ea aut conueniant aut pugnent. Nam vt cuiuis, quasuis nobis traditiones pro Apostolicis obtrudenti sine iudicio credamus, integrum nobis non est: & iubet Apostolus prouidere, ne quis nos seducat per inanem deceptionem secundum traditionem hominum.

*An hodie traditiones ad scripturam exigendæ.*

Mirari satis non possum Brenti, si tu credis Apostolos aliquid tradidisse, quod cum Prophetica vel cum ea, quæ propriè ipsorum est, Scriptura pugnaret: quos certum est eodem spiritu fuisse plenos, cùm per sermonem, quo vsi fuerunt, cùm per literas nonnulla traderent: quamobrem ipsi secum vel cum Prophetis pugnare non potuerunt. Cæterùm quod exigi vis ad scripturam traditiones quæ sunt illi consentaneæ, factum, id est, in plenissy Concilijs: vt iterum fiat, necesse non est. Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales patri, Mariam Deiparam esse, non Christiparam tantùm, esse duas naturas, esse duas voluntates & operationes in Christo, traditiones fuerunt scripturis consentaneæ, quas tamen hæretici consentaneas esse illis negabant. exurgat nunc Seruetus aut Campanus vester, spargat in vulgus, non esse eas Scripturis consentaneas: num ea de re nouum celebrari concilium necesse erit? Quis ergo finis erit dubitandi? quid erit in fide nostra certum & stabile? Sed audi

*Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4.*

quod ab Augustino scriptum est: Licuit, inquit, loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura nō contradicit. Si vis exigere ad scripturā, non inuenies alicubi in scriptura dici, tres personas: sed quia nō cōtradicit scriptura conuenire cum scriptura, & ei consentaneū esse visum est, si tres personas diceremus. Quod igitur satis fuit Augustino, satis esse debet cuiuis homini Catholico. Non sunt omnia seuerè nimis ad scripturam exigenda. Si non dicit scriptura, sufficiat quòd non contradicit.

*Non quasuis traditiones recipiunt Catholici.*

*Aug. epi. 118. ad Ianua. cap. 1.*

Neq; verò sumus hi, Brenti, qui quasuis traditiones pro Apostolicis obtrudenti, sine iudicio credi velimus, sed hac in parte seruandum esse censemus, quod ab Augustino scriptum est: Illa autem, inquit, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: Sicut quòd Domini passio & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersaria solennitate celebrantur. Deinde enumeratis alijs multis de sumptione Eucharistiæ, de ieiunijs, sic tandem loquitur. Ad hæc ita respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus. Similiter etiam si quid horum tota die per orbem frequentat Ecclesia: Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. Has ergo traditiones, quæ per totum orbem vnanimiter tot seculis obseruantur, quoniam vel ab Apostolis vel à plenarijs Concilijs commendatæ sunt, violare nefas ducimus. Sed de ijs suo loco.

*Cap. 5.*

*De Concilijs Brentius.*

Quæritur deinde Brentius, remitti se ad Concilia: & iterum quærit: Ad quæ obsecro? Ad posteriora & legitima. Cur ergo non etiam ad priora? Quia aliquoties errarunt, ideoq; aliquoties emendata sunt per posteriora. Sed quis nos certiores reddet, quòd & posteriora concilia non errent? Si legitima sunt, fieri, inquiunt, non potest, vt deserantur à Spiritu sancto. Priora concilia posterioribus esse nonnunquam emendata legimus apud Augustinum:

*Responsio.*

quòd autem Oecumenica concilia, siue quis plenaria dicere malit, legitimè congregata, in ijs quæ ad fidem pertinent, aliquando errauerint, nusquam legimus, nec vel factum esse, vel fieri posse credimus. Saltem vnum aliquod proferres Brenti, & eius errorem indicares, verùm sat scio, quòd proferre nullum potes: neq; enim id facere prætermisisses, si quem errorem in eorum aliquo reperire potuisses. Nisi fortasse vel Ariminense, vel Ephesinum secundum proferas. At ea non modò Catholici pro legitimis concilijs non agnoscunt, verùm ne vos quidem.

*Brentij sermo scurrilis de Concilijs.*

Sed audiamus lepidum scurram reliqua persequentem. Quibus ergo notis, inquit, cognoscemus ea esse legitima? si videlicet Romanus Pontifex legitimè electus & confirmatus conuocauerit Concilium, & primatem in eo locum habeat: Deinde si adiungantur illi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & reliqui Prælati, qui sunt ordinarij successores Apostolorum: postremò si cantauerint Missam de Spiritu sancto, & ieiunauerint aliquot diebus à summo manè vsq; ad horam diei sextam, aut Germanicorum horologium more, vsq; ad vndecimā seu duodecimam. Tali nimirum cœtui, præsertim si suis etiam Episcopalibus infulis ornati fuerint, Spiritus sanctus deesse, nec quidem si velit, potest.

*Responsio.*

Piget me pridem ad hoc scripti genus contra leuissimum hominem descendisse, qui nihil Scripturis, nisi fortè extra causam productis: nihil agit solidis argumentis, verùm ludit tantum & lasciuit. Sed sic est hominum istorum ingenium: qui dici volunt Euangelici nihil aliud apud eos, quàm ludus esse religio videtur: quamobrem quæcunque ad illam pertinent, omnia ferè tractant perquàm ioculariter. At intereà non desunt similes labris lactucæ. Quid autem? an non videtur scurra hic noster omnia Concilia deridere, quæ sunt à Catholicis vnquam habita? quæ nunquam aliter habita fuisse cōstat, quàm sicut ipse per iocum hic recenset. Semper enim eis præfuit Rom. Pontifex: cùm Ecclesiastica regula, sicut est in historia tripartita, iubeat non oportere præter sententiam eius Concilium celebrari, cuius & Iulius, & Damasus & Athanasius meminerunt. Et fuit hoc etiā ante Nicænā Synodum ab ipsis Apostolis, sicut Marcellus testis, institutum, vt præter auctoritatem Romanæ sedis nul-

*Romanus Pontifex Concilijs semper præfuit, lib. 4. cap. 9.*



la Synodus haberetur. Demus autem hoc, quòd Imperatores aliquando Synodum conuocauerint, penes quos orbis Oecumenici totius fuit imperium: tamen qui si Catholici fuerunt, non fecerunt id nisi de Romanorum Pontificum sententia. Quin etiam ille hæreticus Imperator Constantius, per vim adigere Liberium Pontificem conabatur, vt acta Synodi Ariminensis calculo suo comprobaret, quòd ea alioqui minimè rata fore perspectū haberet. Præsidebat igitur semper Pōtifex Concilijs, sicut in superiore capite demonstrauimus, & eius latus ex vtraque parte cingebant Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, quos pro legitimis in causa fidei iudicibus Ecclesia Catholica semper agnouit: quamobrem Episcoporum etiam concilia sunt vocata, sicut in confessione nostra Christiana ex Marcelli, Leonis, Augustini & aliorum testimonijs abundè nobis demonstratum est.

*Iust. Apologet.*

Iam si nefas esse putat Brentius inuocare Spiritum sanctum, quoties de causa religionis agitur, hic iam certę videtur exorcistę magis quàm refutatoris indigere. Quoties Apostoli conuenirebant, vel ob hanc solam causam, vt Ecclesiæ ministros instruerent, orationes & ieiunia præmittebant, quibus placatus Deus, gratiam suam impartiret. At huic lepido scurrę nostro ridiculum esse videtur, si quis vbi sempiterna salus agitur orbis totius Christiani, seriò velit diuinum auxilium implorare. De hoc genere dæmoniorum, quo Brentius agitatur, dicit Christus, quòd non ejcitur nisi oratione & ieiunio: quamobrem nihil mirum est, si contra se dæmonium, quo Brentius agitatur, agi quicquam non patitur. Sed nec infulas intactas prætermittere potuit. Scilicet ita vestitum incedere præstat, vt secta sint omnia, vt sicut in veste, sic in animo quoq; ne sit quicquam integrum, quàm decenti habitu iuxta vetustissimum Ecclesiæ morem ornatum prodire?

*Actor. 13.*

*De infulis Episcoporum.*

Pergit Brentius: Non possum mirari, quòd in tanto splendore Euangelij Christi, & tot eruditissimis scriptis aduersus primatum Rom. Pontificis in lucem editis, audeant adhuc Arrianis, & tot eruditissimis scriptis per Catholicos in lucem editis, quibus mendacia vestra pridem refutata sunt, auderis nihilominus vos Asotici manifestam veritatem oppugnare. Nuperadeò prodijt in lucem Nili nescio cuius liber, quem Matthias Flacius Illyricus non est veritus sereniss. Regi meo dicare, quo conatur ille quidem, quamuis leuissimis argumentis Romanæ sedi iurisdictionem in quatuor sedes reliquas Patriarchales abrogare. Sed interea tamen quin sit Occidentalis Ecclesiæ totius Oecumenicus Episcopus, minimè negat. Cæterùm in Concilio Chalcedonensi legimus Pontificem Leonem Oecumenicum sibi vniuersalem Patriarcham appellatum. Sed in re perspicua nihil est necesse plura verba facere.

*Nili liber de Illyrico editus.*

Redit ad conuitia Brentius (iam enim ea pridem intermiserat) iterum & successionis meminit, ac videtur tandem scurræ personam deponere, serioque rem agere velle. Itaque proposito Euangelij loco. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis. Duo, inquit, exigit Christus ab Apostolis & successoribus eorum, vt impetrent Spiritum sanctum, & non errent: Vnum est, vt maneant in Christo. Hoc fit, si verè in Christum crediderint, & à Christo per peccatum vastans conscientiam, non exciderint. Alterum est, vt maneat in ipsis verbum Christi, vt ministerio suo fungantur, non iuxta humana somnia, non iuxta mentitas traditiones, sed iuxta verba Christi, iuxta sacram scripturam, quam Christus ipse nobis commendauit, & in manus tradidit. Quare nisi concilium Prælatorum manserit in Christo, & verba Christi in eo, nec est legitimum concilium, nec Spiritus sanctus præstò adest, etiamsi omnes Prælati teneant loca Apostolorum, &c.

*Ioan. 15.*

*Argumentatio Brentiana.*

Si peccatores Brenti, à iure scripturæ interpretandæ excludendos censes, qui vestrum sine peccato est, is primus hoc sibi ius vendicet: sed magis etiam vos quàm nos à Christo, per peccatum vastans conscientiam, excidistis. Quamobrem si non erit fas cognoscere de doctrina religionis, nisi ijs, qui sine peccato sunt, solius Dei propemodum erit ea de re cognitio: quod etiam in fine capitis huius tu velle videris, quò maiore cum spe impunitatis mentes hominum omni genere peruersæ doctrinæ imbuere queas. Quòd autem vis, vt fungantur Antistites ministerio, non iuxta humana somnia, non iuxta mentitas traditiones, id æquum esse libenter concedimus, verbaq; tua sic interpretamur, quandoquidem mentitarum traditionum meministi, te veras non excludere, sicut nos, non modò non excludimus verba Christi, sacramq; Scripturam, verumetiam primas illi partes tribuimus. Non esse autem legitimum Concilium eorum, qui non manserint in Christo, fortassis aliquo sensu verè dici potest. Nam quos apertè constant à Christo discessisse siue corpore, siue capite, sicut ab Augustino memoriæ proditum legimus, qui vel de diuinitate, vel de humanitate eius secùs sentiunt, quàm è scripturis docti sumus: quales fuerunt Arrius, Apollinaris, Nestorius, Eutyches, Sergius, & alij nonnulli veteres hæretici: nostro verò seculo, Campanus, Seruetus, Swenckfeldius, & ex Anabaptistis quidam. A Christi verò corpore discesserunt, qui quamuis de ipso capite: Scripturis sacris consentiant. Ecclesiæ tamen vnitati non communicant: quales fuerunt priscis illis seculis, Iouinianus, Vigilantius, Pelagius, Donatus, & alij nonnulli: quales estis hoc nostro seculo vos Lutherani cū alijs quibusdam, qui è ludo vestro prodierunt. Si verò sic vis intelligi non esse legitimum Concilium eorum, qui non manserint in Christo, hoc est, quos iniquitates à Christo separauerunt, vix vllum fuit aut erit vnquam concilium legitimum. Nam si inter eos quos ipse sibi Christus duodecim elegit, vnus tamen fuit diabolus, qua ratione caueri poterit, quò minus vbi tam frequens est Episcoporum & Sacerdotum cœtus, aliquot etiam reperiantur

*Responsio.*

*Concilium eorum, qui à Christo, vel capite, vel corpore discesserunt, illegitimum Aug. de vnitate Eccle. cap. 1.*

*Nullum vnquam concilium sine peccatoribus fuit. Ioan. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



diaboli? Non erit felicior neq; melior eorum congregatio, qui nũc in Christi nomine conuenient, q̃ fuit illorum, quos cùm præsens in terris adesset Christus, ipse congregauit.

*Scripturam non intelligi, nisi à pijs Spiritu sancto donatis, ait Brentius.*

Sed audiamus ea, quæ dixit, accommodantem Brentium: Cùm Asotus, inquit, amandat nos à scriptura ad Concilia Prælatorum suorum, considera mihi quæso, à quanta luce in quantas tenebras, à quanta certitudine in quantam obscuritatem adducat. Non enim dubium est, quin sacra Scriptura nõ possit rectè ac verè intelligi, nisi ab ijs qui Spũsancto sunt diuinitùs donati. Etsi enim impij possunt quædam scripturæ loca & præsertim iudicialia & moralia, adeoq; quæ ad legem pertinent, & quæ historica sunt, cognoscere: tamen quis sit verus finis legis, quid Euangelium de Christo sibi velit, quid Christus ipse sit, & quantum in eo thesaurum per fidem habeamus, & quæ sunt id genus alia sacræ Scripturæ, non possunt nisi soli pij per Spiritum sanctum iudicare. Verum est Brenti, quòd dicis sacram Scripturam non posse rectè ac verè intelligi, nisi ab ijs, qui Spiritu sancto sunt diuinitùs donati. Sed sunt non pauci, qui cùm sint vacui Spiritu sancto intus habitante & sanctificante corda ipsorum, habent nihilominùs Spiritum sanctum foris secùs illuminantem & ponentem verba Dei in ore ipsorum, si minus ad ipsorum, saltem ad Ecclesiæ vtilitatem. Hoc est quod rectè docent Scholastici, præter gratiam sancti Spiritus gratum facientem, hoc est, sanctificantem homines, esse & alias gratias gratis datas, ad vtilitatem aliorum, de quibus in epistola priore ad Corinthios multa scribit Paulus. Sed & apud Matthæum legimus, etiam eos quos vocat Christus operarios iniquitatis, non fuisse dono Prophetiæ, virtutumq; aliarum destitutos. Quod est autem aliud Prophetiæ donum, nisi donum interpretandi Scripturas, quod etiam operarijs iniquitatis non deesse, testatur Euangelium? Quare falsum est, quòd negas, impios alia scripturæ loca, quàm quæ sunt vel iudicialia, vel moralia, vel ad legem pertinentia, vel historica, cognoscere posse. Sciunt etiam hi, qui sit verus finis legis: didicerunt ex Paulo, quòd finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti: didicerunt ex eodem, quòd finis præcepti est charitas: sciunt igitur, quòd hæc est summa totius Euangelij, quòd Christum, qui finis legis est, de cœlo detraxit charitas, vt exemplo suo nos ad charitatem inflammaret, quò, per quam viam ipse descendit ad nos, per eandẽ oportere nos ad ipsum ascendere, certum haberemus. Hoc nemo tam impius est, ex his dico, qui non sunt prorsus rudes Euangelicæ doctrinæ, qui nesciat, ac tanto magis est impius, quòd cùm sciat, quod Christi consilium, quæ summa sit Euangelij, quæ via sit ad cœlum perueniendi, quauis tamen alia via potiùs incedere vult, quàm ea qua videt Christum incessisse, qui nobis via factus est, Et in hoc est impietas, non quòd nesciat, non quòd non intelligat, sic enim venia dignus videri posset, sed quòd sciens, prudensq; contra Domini sui voluntatem venit, quam etiam ob causam tantò pluribus & grauioribus plagis vapulabit. Scitis, & vos Brenti, quòd hæc sic Euangelij summa, tantoque maior est impietas vestra, quòd oblati viæ, cuius ipse nobis Christus dux fuit, quòd immemores Christianæ charitatis, quàm solam à Christianis exigit, quin ardentes ira, odio, maleuolentia, vos ab orbe Christiano separastis.

*Responsio.*

*1. Cor. 12.*
*Matt. 7.*
*Etiam qui minus pij sunt, sensum aliquando scripturarũ cognoscunt.*
*Roma. 10.*
*1. Tim. 1.*
*Quæ summa Euangelij.*

*Luc. 18.*

*2. Cor. 3.*
*1. Cor. 3.*
*Scriptura posse ne cognosci, etiam à nõ spiritualibus.*
*Pseudochristiani spiritum sæpe habẽt illuminantem, licet nõ sanctificantem.*

*Roma. 14.*

*Ioan. 3.*
*Rom. 8.*

Congerit posteà Brentius loca Scripturæ: Vsq; in hodiernum diem idem velamen in lectione veteris Testamenti manet: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non seculi huius: Nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia quippe illi sunt. Ex quibus colligit, Scripturam non posse verè cognosci nisi à spiritualibus. Atqui loquitur ibi Paulus de Iudæis & gentilibus, non autem de malis Christianis, qui fidem & professionem habent piorum, vitã impiorum, vt videantur velut ex Ethnico & Christiano conflati. Confitentur enim Christum, decantant, laudant, celebrant: at omnis vitæ ratio longè à Christi præceptis dissidet. Vident hi, quid sit optimum, at affectibus corrupti, ad pessima deflectunt: de quorum numero si quis est, rectè potest illud vsurpare: Video meliora, proboq;, deteriora sequor. Quorum tantò maior est damnatio, quòd videntes & scientes contra Dei legem veniunt. Interea tamen de talibus non est hominum, verùm Dei solius iudicium, Cùm enim cernimus baptizatos, audimus confitentes, videmus orantes, nomen etiam in eis Christianorum agnoscimus, etiamsi facta minimè congruere cum nomine videantur, qui sumus nos, qui seruus iudicare velimus alienos? De talibus dixit Christus: Hoc est iudiciũ, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Viderunt ij lucem Christi per fidem, at tenebras magis amplexi sunt. Vtcunq; peccatores Christum tamen diligunt: sed magis illa diligunt, ob quorum cupiditatem à Christi præceptis desciscunt. Cupiunt hæreditatem, sed dulcis est honor: nolunt fraudare, sed vincit lucrum. Cupiunt compati cũ Christo, vt conregnẽt, sed auocant voluptates: nolunt bello conflictari, sed ad imperium dilatãdum non patet alia via. Tales igitur etsi vacui sæpè sunt Spiritu intus habitante, & eorum corda sanctificante, non rarò tamen fit, vt Spiritu forinsecùs illuminante, & verba sua in ipsorum ore ponente, minimè destituantur.

*De Ecclesia Brentius.*

Tãdem incipit Brentius tractare de Ecclesia, de qua suo loco, rectiùs dici potuit: sed quando sic illi visum est confusè omnia, nulloq; ordine scribere, ne quis existimare queat, nos consultò locum hunc præterire voluisse, quem etiam in superiore capite adduxerat, agè verbaillius excutiamus. Operæpretum, inquit, est audire, quid Asotus de Ecclesia Prælatorum suorum, ad quorum Concilia nos reijcit, scribere sibi permisit: & quidem libet verba ipsius recitare. Oportet Ecclesiam ipsam certam esse, visibilem scilicet, & sensibus ipsis corporeis perspectam, non minus quàm sunt aliæ humanæ Respublicæ: auctoritas etiam ministrorum & gubernatorum eius certa & manifesta esse debet, quare nec gratia, nec certè interior aliqua virtus occulta requirenda est vel in membris, vel ministris eius, præter publicam & legitimam professionem fidei & vocationem, vt ad eam pertinent, &



& vt eius munera integra perficiant. Hic primùm vide, inquit, quòd Asotus faciat Ecclesiã visibilem & sensibus corporeis perspectam. Delendus igitur ille erit articulus fidei, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, & erit sic reponendus, Video & sentio.

*Responsio Ecclesiã esse visibilem.*

Atqui non Petrus à Soto Brenti, sed Christus est, qui dicit Ecclesiam esse visibilem: hunc igitur, non Petrum reprehendis. Christus enim est, qui vocat eam ciuitatem supra montem positam, quæ abscondi non potest. Si non potest abscondi, est igitur hominum oculis exposita. Deinde dicit idem Christus: Si peccauerit frater tuus, dic Ecclesiæ. Quæso te, cui dici iussit? num his qui videri non poterant? Dicit enim Christi spiritus, quòd Episcopos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei: Quos regẽt? Num eos quos non vident? De se scribit Paulus, quòd sit Ecclesiam Dei persequutus: poteratne persequi quam non videbat? Iam cùm idem Paulus scribit Ecclesiæ, quæ est Corinthi, Ecclesiæ Galatiæ, Ecclesiæ Thessalonicensium: credo Brenti, quibus redditæ fuerunt literæ, si videri non potuit Ecclesia? Ac vt ex veteri quoq; lege proferamus aliquid: legimus in libris Regum, quòd Salomon benedixerit omni Ecclesiæ Israël. Omnis, inquit, Ecclesia Israël stabat. Quibus benedixit? Hisne quos videre non potuit: Videsne iam, quàm sit absurdum, quàm ab omni ratione alienum, quàm ab ipso etiam communi sensu remotum, quod tu scribis Brenti, non cadere sub aspectum Ecclesiam? Sensit hoc aliquando Philippus quoq; magistrum suum sequutus, verùm absurditate rei victus, sententiam mutauit, & esse visibilem Ecclesiam confessus est, quemadmodum aliquanto superius ex illius libro, quem inscripsit Locos communes, indicauimus. Quid autem aliud isti, dum asserunt, quòd Ecclesia sit inuisibilis, quàm errori suo latebras quærunt? Intelligunt se ad hunc visibilem cœtum non pertinere, quem esse veram Catholicam Ecclesiam, nemo pius dubitat, proinde quandam aliam sibi fingunt, quę nec videri nec agnosci queat.

*3. Reg. 8.*

*Melanchton contra Brentium Ecclesiã facit visibilem.*

*Quomodo Ecclesiã simul videamus & credamus.*
*2. Timo. 2.*

Neq; verò propterea delebimus illum articulum symboli, Credo sanctam Ecclesiam, & loco illius dicemus, video & sentio, sicut per quam acutè sibi dicere videtur Brentius. Nam & si videmus Ecclesiam quam credimus, interea tamen multa complectitur hic articulus, quæ credimus & non videmus. Qui sint electi in hoc cœtu vocatorum, quem Græci vocant Ecclesiam, nec videmus nec agnoscimus. Nam solus dominus nouit, qui sunt eius: credimus nihilominus firmiter, quòd non alibi sint electi, quàm in isto cœtu vocatorum. Deinde credimus hanc Ecclesiam regi Spiritu sancto, quam etiam ob causam errare non posse: credimus eam esse columnam & firmamentum veritatis: credimus extra eam non magis quẽquam salutem fieri posse, quàm qui fuerunt olim extra arcam Noë: credimus vera esse omnia, quæ in scripturis omnibus canonicis ab illa receptis scripta continentur, iuxta sensum, quem ipsa nobis adfert. Hæc & alia pleraq; credimus Brenti, quæ tamen neq; videmus, neq; sentimus. Quare nihil est, quòd propterea symbolum esse mutandum censeas, quòd aspectabilem esse dicimus Ecclesiam, quæ non sine causa Catholica vocatur: cùm præsertim nihil impediat, quominùs etiam ea, quæ videntur, rectè credi dicantur. Sicut dicit vnusquisq; oculis suis se credidisse, quemadmodum latiùs idem etiam prosequitur Augustinus. Etiam baptisma, quod videmus, credere nos profitemur.

*Tract. 79. in Ioan*

Sed est & aliud, quod in verbis Petri Brentius reprehendit: Palàm, inquit, & impudenter affirmat, non requirendam esse gratiam, & interiorem aliquam occultam virtutem, vel in ministris, vel in membris Ecclesiæ, præter publicam & legitimam professionem fidei & vocationem. Scilicet si Prælati eius sint animo suo Epicuræi, & vita Sardanapali, tamen si sciant verba symboli recitare, & sunt à Gardinalibus & Canonicis ad Prælaturas electi, pertinent ad Ecclesiam, & sunt ordinati, vt in rebus æternæ nostræ salutis ab ipsorum iudicio pendeamus. Scimus quidem veritatem Sacramentorum Christi non pendere è dignitate ministrorum, sed non esse requirendam gratiam Dei, aut Virtutem Spiritus sancti in ijs, qui de vera sententia sacræ Scripturæ seu verbi Dei iudicare debent, hoc demùm esse cœlestia oracula Spiritus sancti subijcere Epicuræis & Sardanapalis.

*Prælatis necessariã esse gratiam inhabitantem, vt Prælati agnoscantur, vuls Brentius.*

Ethæc absurdè tam petulanter dicta, in quem recidunt Brenti? nonne in Christum ipsum? Cuius enim illa verba sunt, Petrine à Soto, an Christi? Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia quæ dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt? Quem igitur hic alium, quàm Christum ipsum reprehendis? Ille enim est, qui iubet eos audiri, qui sedent super Mosi cathedram, etiamsi non faciunt, quæ dicunt, etiamsi contraria faciant ijs quæ dicunt, etiamsi secundum legem docentes, contra legem viuant. Quid autem, an ipse non concedis, quòd sacramentorum dignitas non pendet à dignitate ministrorum? Quæ ratio diuersitatis est, vbi de verbo agitur? Qui magis pendere debet doctrinæ veritas ex dignitate ministrorum? Cùm præsertim sicut in sacramentis non aliũ agnoscimus, qui baptizet, qui conficiat Eucharistiam, qui peccata remittat, qui per sacramenta, tanquam per vasa quædam gratiam suam fidelibus impartiat, quàm CHRISTVM: sit etiam vbi prædicatur Dei verbum, vbi de illo iudicium fit, non alium Doctorem & Magistrum agnoscimus, quàm eundem ipsum Christum, vt sicut in sacramentorum, sic in verbi dispensatione, nihil nobis obesse queat, quam libet scelerati sint & impij ministri, quandoquidem verus ipse & sacramentorum suorum dispensator, & verbi sui magister ac iudex, non tam sanctus est, quàm ipsa sanctitas. Præclarè ficut alia multa, sic & hoc Augustinus: Magisteria, inquit, forinsecùs adiutoria quædam sunt & admonitiones: cathedram in cœlo habet, qui corda docet: interior magister est, qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio & illius vnctio non est, forinsecùs inaniter verba perstrepunt. Sic sunt ista verba quæ forinsecùs dicuntur, quomodo est agricola ad arborem: forinsecùs operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ: quæ-

*Ex dignitate ministrorum non pendet aut doctrinæ, aut Sacramentorũ veritas.*

*Aug. in epi. Ioan. tract.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quælibet forinsecùs adhibeat, nunquid poma format: nunquid nuditatem lignorum vestit vmbra foliorum? nunquid tale aliquid intrinsecùs agit? Sed quis agit hoc? audite agricolam
1. Cor. 3. Apostolum, & videte quid sumus, & audite magistrum interiorem: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit, Neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hoc ergo vobis dicimus, siue plantemus, siue rigemus loquendo, non sumus aliquid, sed ille qui incrementum dat, Deus, id est, vnctio illius docet nos de omnibus,

*Confirmatio ab exẽplis & similibus. Matth. 16.* Vides Brenti, quemadmodum sacerdotis non est nisi ministerium? ipse verò verus Doctor & Magister, ipse verus iudex & interpres scripturarum, qui docet efficaciter, Dei spiritus est, sicut etiam ipse Christus dixit: Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Hic spiritus potest loqui per Balaam, potest per Caipham, potest per Iudam proditorem, denicq; potest etiam per asinam: nec ideò verbi Dei dignitati, doctrinæ, qúe, veritati quicquam detrahetur, quæ non magis ex ministrorum pendet dignitate, quàm ipsa veritas sacramentorum. Nam sicut sacramentorum, ita verbi quoq; ministri vocantur, & sunt sacerdotes & Episcopi: qui quali vita sunt, ipsorum quidem plurimùm refert ministrorum, sed auditorum nihil interest. Nam qui mali sunt, dum ea quæ bona sunt, administrant, se tantummodo lædunt, sicut fax accensa, sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat: & vnde commodum alijs præstat, inde sibi dispendium parit. Doctrinæ veritas à quocunq; proficiscatur homine, Dei, non hominis est. Et sicut Solis lux etiamsi per immunda loca transeat, non inquinatur, sed ab ijs qui illuminantur pura accipitur: sic Dei verbum etiamsi nonnunquam ex ore prodeat hominis impuri, purum nihilominùs ab ijs qui audiunt, accipitur, nec ex docentis impuritate labis aut sordium quicquam contrahit.

Hæc tu Brenti, non es tam hebes, vt non intelligas, sed ita malitia cor tuum excæcauit, vt aliud nonnunquàm scribas, quàm quod sentis ipse, dum odium erga Petrum tuum expletur, omnem ansam illum calumniandi quæris.

*Epicuræi & Sardanapali plures apud Lutheranos quàm christianos.* Neq; verò propterea Petrus cœlestia oracula Spiritus sancti subiecit Epicuræis & Sardanapalis, quòd negat ab ijs qui iudicant de sententia scripturæ, gratiam Dei gratum facientẽ esse requirendam. Non sunt Epicuræi, sed neq; Sardanapali, à quibus publica & legitima professio fidei & vocatio requiritur. Porrò de animo cuiusq;, quid in pectore suo clausum quisq; gerat, Dei solius est iudicium. Si quis autem Ecclesiæ iudicio tanquam Epicuræus & Sardanapalus est condemnatus, is ad iudicium de sententia scripturæ non admittitur, quin é cœtu piorum eijcitur: quoad verò legitimi iudicis decreto talis pronunciatus non fuerit, tolerari debet quamdiu toleratur ab Ecclesia, nec alicuius priuati sententia condemnari. Docuimus autem in priori capite, Martini Lutheri, qui dux vester est & antesignanus,

*A testimonijs Lutheri & Ioannis à Lasco.* testimonio, non pauciores inter vos Epicuræos & Sardanapalos reperiri, quàm inter nos, qui Catholici vocamur & sumus per Dei gratiam, præcipuè si paucitatem vestrorum cum nostrorum conferas multitudine. Sed audi quid ex vestris quidam scribat, vestrum enim voco Ioannem à Lasko, qui priùs vestrum postea gradu facto dogma Sacramentariorum est amplexus, quod amplexus nũquam fuisset, nisi vestro exemplo suum priuatum sensum publico totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponere fas esse iudicasset. Is igitur in epistola quadam quam ad Serenissimum Regem meum scripsit, ijs verbis vtitur: Summa, inquit, diligentia ac circumspectione opus est, ne sub prætextu ac fuco Euangelij vestri (nihil iam dicam de tyrannide, de qua vehementer quæritur? maxima ferè pars hominum ad atheismum quendam inclinare videtur. Ad quem non inclinant modò multi, verumetiam apertè ruunt, & præcipitantes in eum feruntur: quam ad rem gradum illis doctrina vestra fecit. Et hos tui iudices de sententia scripturæ dare nobis vis, quos palàm ad atheismum inclinare, vel ruere potius, etiam ij qui sunt factionis vestræ, profitentur.

*Conuitiator Brentius affingit Soto, quæ lubet.* Sed audiamus iterum ardentem ira atq; odio Brentium, & impotenti quadam conuitiandi libidine prorsus furentẽ. Profert ex capite de Conciliis verba Petri, quæ sic habent: Ecclesia cui promissio illa Christi facta est: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, visibilis est, nec ex electione Dei aut vera fide & charitate interiùs pendet, vt quis ad Ecclesiam pertineat, siue vt subditus, siue vt Prælatus, sed vt viuum Ecclesiæ membrum sit, hæc requiruntur. Ac mox insultat. Macte virtute Asote, sic defenditur Catholica Ecclesia, sic conuincũtur nouatores illi hæretici. Os impudentissimũ, audes tu Ecclesiã illã, aduersus quã portæ inferi, hoc est, veram & firmam, ita infamare, vt affirmes eam nec ex electione Dei, nec ex vera fide & charitate pendere? Dicit quidem Asotus hæc requiri, vt quis sit viuum Ecclesiæ membrum, non autem vt sit eius Ecclesiæ membrum, aduersus quam non prævalent portæ inferi. Quæso autem te, an non is aduersus quem non prævalent portæ inferi, est viuum Ecclesiæ membrum? Quid? Portæ ne inferi tam imbecilles, tam enerues sunt, vt ne quidem aduersus mortua Ecclesiæ membra prævaleant? Ne tu mihi concionaris de stramineis portis inferi, quæ sic computruerũt, vt ne mortuum quidẽ superare queant. O bellum defensorem Catholicæ Ecclesiæ.

*Responsio.* Quàm improbum autem Sophistam hic agit Brentius? qui præterquam quòd cùm diceret, negare Petrum, quòd Ecclesia pendeat ex vera fide & charitate, sustulit hanc vocem, interiùs, diuersum quiddam ex verbis Petri colligit, quàm quod illi vel cogitare in mentem venit vnq; cùm tamen quid sibi voluerit Petrus ijs verbis, obscurum illi non sit. Vbi verò dixit hoc vnquam Petrus, q̃ aduersus aliquod Ecclesiæ membrum portæ inferi non prævaleant,



leant, quamlibet id etiam viuum fuerit: quod certè tu magis fortiter quàm veraciter affirmas? Nam viuum fuit Ecclesiæ membrum Cyprianus, prævaluerunt nihilominùs aduersus eũ portæ inferi, vt in errorẽ inciderit: quẽ aut correxit posteà, sicut putat Augustinus, aut si minùs correxit, tamen quòd quam secùs sese res habebat, senserat, quandoquidem in Catholica nihilo secius vnitate permansit, & charitatis vbertate compensatum, & passionis falce purgatum est: cùm præsertim illis temporibus, nihil adhuc plenarij cõcilij sententia, quid hac de re sentiendum esset, Ecclesiæ totius consensio confirmasset. Origenis verò sanctitas, cui nota non est? Idem & de Tertulliano & de alijs nonnullis dicere licet. Quæ igitur est ista collectio Brentij, quandoquidem non prævalent aduersus Ecclesiam portæ inferi, non eas etiam aduersus Ecclesiæ membrum aliquod prævalere, cùm omnis homo per se consideratus sit mendax: Ecclesia contrà vbi sunt fideles omnes in vnum congregati, columna sit & firmamentum veritatis. Nunquam igitur ea fuit sententia Petri, quam adfert Brentius, qui sibi fuisse videtur, quod impugnaret: sed hoc dixit isto loco Petrus, quod alio loco dixerat, quem protulit Brentius ex capite de Ecclesia, vt quis pertineat ad Ecclesiam illam, cui promissio facta est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, non pendere ex electione Dei, aut charitate & fide interiùs, verùm sufficere publicam & legitimam professionem fidei & vocationem: cæterùm, vt viuum sit aliquis Ecclesiæ membrum, illa requiri. Quo magis autem res intelligi queat, vnde Petrus occasionem sumpserit hæc scribendi, paucis aperiemus.

*Inferorum porta contra membrum etiam viuum Ecclesiæ prævalere possunt. Cyp. Au. epist. 48.* *Origenes. Tertullianus.* *Collatio rationum Brentij & Soti.*

Brentius in sua confessione dũ vehementer metuit, ne quid in fide certum habere queamus, conciliorum auctoritatem, per quæ fit vt certa sit & vna fides nostra, modis omnibus eleuare conatus est: primùm quòd non quiuis hominum cœtus pro vera Ecclesia haberi potest: deinde quòd in ea pauci sunt electi, quòd nõ omnium fides, quòd plerunq; maior pars vincit meliorem: Postremò quòd Spiritus sanctus non facit populum suum impeccabilem, sed relinquat in ipso multas & varias imbecillitates. Ad hæc è regione Petrus ea verba posuit, quæ per Brentium adducta sunt, quibus illud ostendere conatur, Ecclesiam non ex electis tantùm constare, quibus nihil intus desit, quod ad fidem & charitatem pertineat, sed constare ex vocatis, ex ijs qui publicè se Christianos & fideles profitentur, de quibus dicit etiam Christus: Multi sunt vocati, pauci verò electi: fieri posse, vt qui se publicè Christianos profitentur, animo quidem potiùs, quàm Christiani sint, esse huius Christi corporis, quæ vocatur Ecclesia, partim viua, partim etiam putrida & mortua membra, atq; hæc quamdiu aut ipsa se non præciderint, aut Ecclesiæ iudicio præcisa non fuerint à Christi corpore, membra illius vocari & esse, quamuis mortua. Quid erat hic Brenti quod arroderes? Primùm si vocem ipsam Græcam consideres, certè Ecclesia non est electorum sed vocatorum cœtus, in quo multi vocati, pauci sunt electi. Deinde verò fateris hoc ipse, quòd huic Ecclesiæ, de qua loquimur, in hac terra multi mali & hypocritæ sunt admixti. Qui sunt autem alij hypocritæ, quàm, qui publicè Christianam fidem profitentur, cùm intùs fide sint, charitateq́e destituti? Cùm igitur idem dixerit Petrus in capite de Ecclesia, quod à te dictum fuerat, fuitne locus hic tragicis istis exclamationibus? Fuitne locus impotentibus conuicijs? quibus ita petulanter in grauem hunc & pium virum debaccharis, & cùm ipse sis effrons, homini pudentissimo falsum impudentiæ crimen obijcere non vereris. Sed vnde nobis Lutheri discipulum, vnde quinti Euangelij assertorem agnoscere liceret, nisi ex festiuis hoc genus leporibus?

*Matth. 20.* *Rationes Soti defendumur.*

Manifestius est, quàm vt negare possis Brenti, quòd in Ecclesia non boni tantùm, sed & mali sunt, ac plures mali, sed longè diuersa ratione quàm boni. Siquidem boni sunt in ea tanquam viua membra, quæ vitam suam habent à Spiritu Christi, & viuifico illo influxu, qui est per viuam fidem & charitatem. Cõtrà mali sic sunt in Christi corpore Ecclesia, sicut sunt in humano corpore sanguis noxius, humores mali, capilli, vngues, membra arefacta, quæ tametsi vitam à spiritu non recipiunt, sunt nihilominùs in corpore. Cæterùm si nimis exundat sanguis noxius, phlebotomia tollitur, ne totum corpus pereat: si nimis luxuriat, cęsaries capitis aut barba tondetur: si nimis extant vngues indecorè, resecantur: si redundet corpus malis humoribus, per vomitum releuatur: Si denicq; membrum aliquod cãcro sit infectum, ense rescinditur, ne pars syncera trahatur. Eadé est etiam ratio eorum, qui mali sunt in Christi corpore Ecclesia. Nam si nimis exundat eorum effrenis, petulantia vel castigatione compritur, vel excommunicatione prorsus resecatur. Quoad autem qui sunt tales, aut Ecclesiæ iudicio per excommunicationem separati non fuerint, aut ipsi sponte sua foras nõ profierint, dum vel persequuntur, vel contemnunt Ecclesiam, aut à Deo non fuerint per mortẽ exterminati, tolerantur in Ecclesia, & quàm diu non præciduntur, sunt eius Ecclesię membra, cui facta est illa promissio: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, haud aliter illi adhærentia, quàm adhæret palea tritico, vel capilli, membraq; arida corpori humano. Et contra hanc Ecclesiam, in qua sunt & boni & mali, non prævalere portas inferi firmiter credimus. De qua quoties agitur, nõ tam fidimus hominum sanctitati, quàm ipsius Christi promissioni, qui fallere nescit: qui cùm possit ex lapidibus filios Abrahæ suscitare, potest etiam per lapides salutem nostram procurare. Hæc nobis visum est crassius explicare, pinguiore (quod aiunt) Minerua, non tua Brenti, cui satis ista perspecta sunt & explorata, nec secùs rẽ habere certò scis: quo nequior es, qui sciens manifestam veritatem oppugnas. Non igitur tua, sed eorum causa fusius ista diximus, qui nostro seculo veterem Donatistarum errorem renouantes, manifestos peccatores esse negant in Ecclesia.

*Boni & mali in Ecclesia, sed diuersa ratione.* *Quàm diu mali Ecclesiæ maneant membra.*

Sed audiamus reliqua prosequentem Brentium: Scimus, inquit, multos impios dictu-
ros: Domine per nomen tuum prophetauimus, per nomen tuũ dæmonia eiecimus, ac alias vir-

*Matt. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



virtutes præstitimus: sed iudicium de doctrina æternæ nostræ salutis deferre ad eos, qui ipsi palàm fatentur, sibi ea in re non opus esse nec electione Dei, nec vera fide atq; charitate, quid hoc aliud est, quàm spiritum ipsum sanctum à suis ipsius oraculis dijudicandis excludere, & in locum eius homines Epicuræos & Sardanapalos reponere? Scis tu Brenti, nihil alienum à vero docuisse Petrum, sed cum veritate non possis, mendacijs eum oppugnare conaris. Quando dixit hoc vnquam Petrus, quòd ad eos deferendum sit de doctrina iudicium, qui palàm fatentur sibi non opus esse nec electione Dei, nec vera fide atq; charitate? An ille non potiùs disertis verbis contrarium dixit, nimirum requiri in eis publicam & legitimam professionem fidei? Non te pudet vanitatis? An non pugnant inter se, profiteri publicè fidem, & dicere, non est mihi opus fide? Quod si quis ausus esset dicere, tantum abest, vt ad eum iudicium de doctrina deferretur, vt is à Christi corpore tanquam putridum membrũ resecaretur potiùs, & è cœtu piorum exterminaretur. Obijcis alicubi Petro, quòd is non satis explicet, quid velit dicere: Est autem is reuera de eorum Theologorũ numero, qui sunt rerum quàm verborum studiosiores, vt cum Paulo dicere possit: Etsi imperitus sermone, sed non scientia. Quamobrem ne quis erret, quid nos eum existimemus dicere voluisse, paucis indicabimus.

*Vindicatur Sotus ab iniuria Brentij calumniosa.*

*2. Cor. 11.*

*Explicatio sententiæ Soti.*

Certum est eum in hac sententia nunquam fuisse, vt putaret, quibus de doctrina iudicandum est, eos non opus habere gratia, non fide & charitate interna, cùm nulli magis indigeant ijs rebus, quàm qui doctrinæ religionis iudices constituendi sunt. Cæterùm hanc illius fuisse sententiam, omninò persuasum habemus, quòd officium in ijs, non meritum spectatur, quibus de scripturæ sensu iudicandum est: ita vt si quis ad hoc iudicium sit vocatus, hoc est, Apostolorum in Ecclesia locum teneat, quem Episcopi tenent, habeat præterea publicã & legitimam fidei professionem, is ad iudicandum de doctrina sit idoneus. Nihil vt aliud senserit, quàm quòd ab Imperatore Basilio dictum aliquando fuisse, in superiore capite cõmemoruimus: Quantæcunq; religionis & sapientiæ Laicus exiſtat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec Laicus est, ouis vocari non desinet: rursus quantacunq; sit Episcopus irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, pastoris nominis & dignitatis damna non patietur. Quæ ratio est in ordine ouium constitutis pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ super nos sunt quærendi? Pastorum esse vult de doctrina iudicium Petrus, non otium: ita vt si præstet etiam vel sanctitate vel doctrina aliquis ex ouibus, quod vsu venire quandoq; potest, nihilominus ei de doctrina sibi iudicium arrogare fas non sit. Est autem aliquid in hac sententia, quòd abs te Brenti meritò reprehendi queat? nisi fortè velis Dei spiritum per Paulum loquentem reprehendere. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Oportet vt ordo sit in Ecclesia, nec omnes omnia sibi arrogent. Quæ cuiusuis, eadem Ecclesiastici quoque Magistratus est ratio. Reperire nonnunquam de plebeij cet, & iurisprudentia & integritate maiori præditos, quàm plerisq; sint ex politico Magistratu, qui iudicum officio funguntur? num ideò legitimos iudices de gradu suo deturbabunt? num ideò cuiuis de vulgò qui sibi castus & prudens videbitur, iudicis officium vsurpare sibi licebit? Minimè gentium. Quam diu toleratur à superiore Magistratu iudex inferior, tã diu necesse est ab ijs quoque toleretur, quorum Iudex est. Ac si aliquis sanctissimus, sit iuris consultissimus, Iudicis tamen ordinarij sibi munus non sumet, quoad alius hoc officio fungitur. Cæterùm quò minus in consilium adhibeatur à Iudice, nemo prohibebit. Hanc nos Petri sententiam fuisse non dubitamus: quod ipsum etiam tibi demonstratum existimamus, si modò te responso suo dignum iudicauerit. Nam & nos in hanc arenam nunquam descendissemus, nisi nos incircuncisi illius Philistæi admiratoris tui Vergerij procacitas & iactantia impulisset, qui sereniss. Regi nostro libellum hunc tuum dicare, & virum illum sanctum Aloysium Lipomanum ad disputandum de capitibus in eo contentis ipso iudice prouocare veritus non est. Quamobrem non tam Petrum à Soto contra te defendere, quod si volet ipse, multò præstabit melius, nec hac in parte nostra opera indiget, quàm serenissimo Regi nostro, quæ sit ijs de rebus Ecclesiasticæ doctrinæ veritas, iudicare voluimus.

*Vt in ciuili sic in Ecclesiastico Magistratu iudicãdi potestas est penes iudices, quamuis imperitos.*

*Argumentũ Brẽtij. Sap. 1.*

Pergit Brentius: Si Asotus serio reponit librum Sapientiæ in Catalogo Canonicorum librorum, miror quòd non audiat quid ibi dicatur: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus fugiet dolum, & auferet se à cogitationibus insipientibus. Si Asotus iudicat hoc verum esse, quomodo audent nobis eos Christianæ disciplinæ iudices proponere, in quorum maleuolam animam non ingreditur sapientia, & quos Spiritus sanctus fugit? Paulus ait: Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius. Non habent autem spiritum Christi, qui non sunt à Deo electi, & non habent veram fidem & charitatem, quomodo ergo hi possunt esse de doctrina Christi iudices?

*Rom. 8.*

*Responsio. Liber sapientiæ. Canonicus & à Brẽtio malè intellectus. Sapientia quid. Iob. 28. Aug. lib. 2. de Trin. cap. 14.*

Sapientiæ liber, sicut superiùs à nobis demonstratum est, quamuis ab Hebræis exclusus, à Christianis tamen in catalogum Canonicorum librorum à mille ducentis & amplius annis est repositus: quam etiam ob causam testimonium eius libenter accipimus. Verum quæ tu sensum eius adfers, eum respuimus. Quòd in maleuolam animam non intrat sapientia, quodq; non habitet in corpore subdito peccatis, minimè negamus. Quæ sit autem ista sapientia, fortassis nobis tecum non conuenit. Nam nos à scriptura docti dicimus, Ecce pietas est sapientia. Quam aũt pietatem Latinus interpres, eam septuaginta verterunt θεοσέβειαν, quasi tu dicas cultum Dei. Quis autem est cultus Dei, inquit Augustinus, nisi amor eius? Hic igitur non introibit in maleuolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Nam pec-



peccatum, mortale præsertim, cum charitate consistere non potest, cum fide quæ est ex auditu & intelligentia scripturarum, potest.

*Scientia cum peccato esse, non autem sapientia potest.*

Potest habere peccator scientiam scripturarum, potest habere fidem, charitatem habere non potest. Et certè diuersa dona sunt Spiritus sapientiæ & Spiritus scientiæ, sicut etiam ex Esaiæ illo loco patet, vbi dona Spiritus sancti enumerantur. Quod etiam Paulus indicat dicens: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum. Sermo sapientiæ non datur illi, cuius corpus peccatis est subditum: sermo scientiæ, donum prophetiæ datur. Itaq; quæritur alicubi Augustinus: Surgunt indocti & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris, ecce vbi volutamur? Potest habere quis scientiam, & cum illa mergi in profundum inferni: sapientiam, hoc est, veram pietatem, quæ charitas est, habere non potest, nisi is, cui regna cœlestia sunt præparata. Sed audi, quid ea de re scribat Augustinus contra Parmenianum hæreticum, qui tuebatur eandem quam tu Brenti, sententiam. Spiritus, inquit, sanctus in Ecclesia præposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum siue consecratur, siue euangelizatur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, deest quidem saluti eius, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserit, qui per eum salutem operatur aliorum. Propter quod Apostolus ait: Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est: id est, illis prodest, quibus hoc dispensõ, nõ mihi, qui fictus sum. Qui enim inuitus facit propter commoda, gaudia q; carnalia, quæ si aliter habere posset, illud desereret, ipse vtiq; fictus est, ideoq; inuitus facit, sed eis prodest erga quos facit. Se autem tantùm à mercede salutis alienat, non etiam illos priuat, quibus ciboria dominicus eructius ijs, qui mundo sunt corde, Deus reuelat, quàm illis, qui varijs sunt flagitijs cooperti. Atq; vtinam hoc præstari posset, vt ad munus Apostolicum, cuius proprium est de doctrina religionis iudicare, non vocarentur, nisi quorum esset perspecta vitæ sanctimonia: fortassis tanti motus in Ecclesia non fuissent excitati: qui verò sunt excitati minore negotio sedari possent. Verùm nemo propterea putet se iustam habere causam ab Ecclesiæ vnitate discedendi, vel eorum qui præsunt iudicium declinandi, quòd sicut populus, ita est & sacerdos, nec sanctitate cæteros, qui præsunt, excellat. Quamuis enim hi spiritum Christi non habeant, quo sancti sint ipsi, habent tamen spiritum Christi, quo sanctos reddant alios, siue cùm baptizant, siue cùm peccata remittunt, siue cùm Dei verbum annunciant, deq; scripturæ sententia iudicant. Nam quo sancti sunt homines, siue baptismus id sit, siue absolutio siue Dei verbum, non ministrorum est, sed ipsius Domini. Præclarè Gregorius Nazianzenus, vbi docere conatur, non esse curiosè dignitates eorum, qui nos purgant, expendendas, nec esse iudices iudicandos: Sint, inquit, duo annuli, aureus hic, ferreus alius: vterq; regia imagine sculptus, ceræ ambo imprimantur, quid inter signum hoc & illud intererit? Nihil. Discerne materiam in cera, etiamsi sapientissimus existas, dic quodnam ferri, quodue sit auri signaculum. Vnum est vtrunque, materia est diuersa, character vnus est. Quæ baptismi, eadem & absolutionis, eadem & doctrinæ est ratio. Idem est baptismus, eadem absolutio, eadem doctrina, idem Dei verbum, siue à probo, siue ab improbo ministro proficiscatur. Dic autem tu Brenti, qui potest per ministrum, quamuis improbum, peccata remittere, qui minus, possit per eundem doctrinæ veritatem indicare? An maius quiddam esse putas interpretari Scripturas, quàm peccata remittere? Verè dictum est ab Ambrosio, quòd quicquid verum à quocunq; dicitur, à sancto dicitur Spiritu, quodq; gradus charismatum sunt officijs Ecclesiæ, non vtiq; meritis humanis indulti. Sicut igitur qui dicit Dominum IESVM, in Spiritu sancto dicit, q ualis vis sit, ita & in loco ordinis officij ecclesiastici positus, Gratiam habet qualis vis sit: non vtiq; propriam, sed ordinis, per efficaciam Spiritus sancti. Nam neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quid autem aliud vult Petrus à Soto, nisi quod ab Ambrosio dictum est, Gratiam charismatum officijs Ecclesiæ, non meritis humanis indulgeri, quam qualiscunque sit, habere tamen possit qui est in loco ordinis ecclesiastici positus. Sed si nullum apud vos pondus habent veterum Orthodoxorum testimonia, proferam vestri cuiusdam non ignobilis ea ipsa de re sententiam. Ioannes is est Caluinus: Quæritur hic, inquit, cùm impij præclarè interdum de Christo & splendidè differant, an habeant DEI spiritum? Respondeo: Eos procul dubiò habere quod ad effectum illum spectat: sed aliud est donum regenerationis, aliud donum nudæ intelligentiæ, qua Iudas quoq; præditus fuit, cùm Euangelium prædicaret. Verùm de ijs satis.

*Scientia cum peccato esse, non autem sapientia potest. Esaiæ 11. 1. Cor. 12.*

*Aug. lib. 3. confessionum cap. 8.*

*Lib. 2. cont. epist. Parmenia. cap. 11.*

*1. Cor. 3.*

*Pium votum auctoris.*

*Esaiæ 24.*

*Amb. in 12. cap. 1. ad Cor.*

*Gratia Charismatum officijs Ecclesiæ, non meritis humanis indulgetur.*

*In ca. 12. 1. ad Cor.*

Ad confirmandam Conciliorum & Episcoporum auctoritatem adduxerat Petrus & illa loca: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et: Quicquid solueritis in terra, &c. Quibus productis Brentius: Sed hæc, inquit, loca non solùm sacræ scripturæ, verumetiam Ecclesiasticorũ scriptorum testimonijs à vanis & impijs Sophistarum cõmentis ita vindicata sunt, vt eximerit Asotum in alio orbe hactenus commoratum, quòd nesciat, quid in hoc orbe aduersus Romanensium adulatorum deprauationes dictum, scriptum, ac etiam pictum sit. Claues enim Ecclesiæ datæ sunt Petro & Confessoribus Petræ, quæ est Christus. Non sunt datæ Lyberio, Ariano, aut Marcellino idololatræ: datæ sunt ministro, nõ hosti Ecclesiæ: datæ sunt seruo Christi, non seruo Antichristi. Etiamsi sit inter vos aliquamdiu Petrus commoratus, est reuera tamen in alio quodam orbe natus. Quàm felix est autem orbis ille, in quo natus est? Nam solus hic esse propemodum orbis nunc videtur, vbi Pelopidarum, hoc est Lutheranorum, & aliorum nostri temporis hæreticorũ nec facta videntur, nec vel nomen ipsum audi-

*Matth. 16. Brẽtius cont. auctoritatem clauium.*

*Responsio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Commendatio regni Hispaniarum.*

auditur. Nullum est. n. regnum nostro hoc infelici seculo magis ab hæresibus intactũ, quàm sit vel hoc solo nomine felicissimum Hispaniarum regnum, cui propter hanc in fide Catholica cõstantiam, & eius tuendæ diligentiam alias prætereà multas felicitates Deus largitur. Quę laus olim penes Germanos fuit, quoad illi non aliud erant quàm Christiani, nec in aliud Euangeliũ se trãsferri passi sunt ab eo, q̃ à patribus acceperant, vt esse gens armis inuicta crederetur, ea posteàquam Lutherus in Germania Babylonem ædificare cœpit, nunc est ferè ad Hispanos translata. Est aũt ita, quòd nusquàm sunt pauciores, quàm in felici orbe illo, qui deprauationes vestras & scripturarum contorsiones vel scriptas, vel pictas viderint: tantùm abest, vt de ijs quicquam dici audiuerint. Ac tantò maior est illius regni tranquillitas, in quo & Rex pientiss. legitimè imperat, & qui sunt eius potestati subiecti, sic in omnibus ei dicto sunt audientes, nullum vt fidelium & obsequentium subditorum officium in se requiri patiantur, quos erga Regem suum, cuius opera fieri vident, vt non ab externis hostibus, modò, verumetiam ab ijs, qui multò sunt pernitiosiores domesticis inimicis (hæreticos dico) tuti esse queant tanto studio & obseruantia esse constat, vt quoties id vel salus illius vel dignitas postulet, ad quoduis vitæ discrimen subeundum non minore animorum alacritate, quàm alij solent ad epulas, accurrant. Et si autem in felici orbe illo vana & impia cõmenta vestra non à quibusuis leguntur, lecta sunt ea tamen & à Petro, & ab alijs viris doctis, quos cum iudicio legere posse existimatũ est, & quæ contra clauium auctoritatem à vestris adferuntur, pluribus doctissimorum virorum scriptis pridem confutata sunt, nihil vt ea nunc à nobis repeti sit necesse.

*Pág. 280. Brentius iniquè facit Liberium, Arrianum, & Marcellinum idololatram.*

Cęterùm quòd Liberium fuisse scribis Arrianum, id in proximo superiore capite falsum esse docuimus. Sed neq; Marcellinum rectè dixeris idololatram, etiamsi metu compulsus, thura idolis admouisse legitur. Nam vt lapsus in crimen hoc aliquando fuerit, martyrio tamen illud expiauit. Peccauit vt Petrus, pœnituit vt Petrus. Et sicut Petrus nõ inter eos, qui negauerunt Christum, sed inter eos qui constanter eum confessi, nullum supplicij genus subire, ad extremum vitam etiam pro nomine illius profundere nõ dubitarent: sic & Marcellinus non inter idololatras, verùm inter sanctos martyres ab Ecclesia Dei numeratur. Interea tamen illud libenter tibi cõcedimus, quòd claues datæ sunt Petro, & successoribus eius petræ confessoribus, Ecclesiæ ministris, & quamlibet indignis, seruis tamen Christi: nõ sunt autem datæ vobis hostibus Ecclesiæ & seruis Antichristi.

*Citat Brentius. Hier. contra claues Ecclesiæ. Hier. in cap. 16. Matth.*

Pergit Brentius: Et quæcunq; ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo: Quęcunq; ergo præceperint Prælati, erunt præcepta Dei, & quoscunq; abiecerunt ex Ecclesia, erunt & abiecti à Deo. Quid est igitur illud, quod Hieronymus de priore dicto apud Matth. scribit? Illum locum inquiens, Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisęorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententiam Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Hic Asotus iterum habebit paratas suas regulas interpretandi dicta Patrum. Quid si nos Brenti, Hieronymo opponimus aliquãto vetustiorem sanctum illum Martyrem Cyprianum? Sic. n. loquitur: Nec fas erat Ecclesiam pulsantibus claudi, cum permiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent: solui aũt possent illic, quæ hîc prius in Ecclesia soluerentur. Clarius aũt Hilarius Petrum alloquens. O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ, fundamentum, dignaq; ædificatione illius petræ, quæ infernas leges & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beate cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traditi sunt, cuius terrestre iudiciũ præiudicata auctoritas sit in cęlo, vt quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem cõditionem cõtineant & in cœlo. Ioannes quoq; Chrysostomus: Sacerdotum, inquit, vinculum ipsam etiam animam attingit, atq; ad cœlos vsque peruadit. Vsq; adeò, vt quæcunq; infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem superné Deus rata habeat, ac seruorũ sententiam Dñs confirmet. Quos sequutus Bernadus, vbi de Petro loquitur: Claues, inquit, regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cœli. Et eius æqualis Hugo de sancto Victore: Sententiam, inquit, Petri non præcedit, sed subsequitur sententia cęli. Vides igitur, quàm multos habeamus, quos vni Hieronymo opponere possimus. Verùm & is non pugnat cum istis, æquè vt ipse fuit Catholicus & Orthodoxus. Sunt. n. duæ claues, vna scientiæ, quam in Paulo: potestatis altera, quam in Petro fuisse scribit Ambrosius: quarum vtranq; synagogæ quoq; Christus tribuit, sed interim Scribis & Pharisæis abusum earum exprobrat: Væ vobis, inquit, legisperitis, qui tulistis clauem scientię: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. De claue autem potestatis dicit: Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite. Vtramq; clauem in Ecclesiastico iudice coniunctam esse oportet. Nam ita demùm ratum erit in cœlo, quod aut ligaverit, aut soluerit in terra, si claue non erranti fecerit, alioqui periculum est, ne rectè dicatur illud Prophetę: Mortificabant animas, quę non moriuntur: & viuificabant animas, quæ non viuunt. Scientiæ clauis haud aliter est necessaria potestatem habenti, quàm lucerna in tenebris ambulanti, qua si destitutus fuerit, quid aliud consequetur, quàm quòd dicit Christus: Si cœcus cœco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt. Quamobrem quod à Bernardo & Hugone dicitur, sententia Petri præcedit sententiam cœli, nõ aliter intelligendum est, quàm sicut à Chrysostomo scriptum est: sententiam seruorum Dñs confirmat, quatenus ea tamen iusta fuerit. Nam si iusta non fuerit, nihil potest dici verius, quàm quòd ab Hieronymo scriptum est, quod q; ante eum dixit Origenes: Si quis non recto iudicio eorum qui præsunt, depellatur, si ipse non antè exiuit, hoc est, si non ita egit, vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, vt interdũ ille qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui intus retineri videtur. Quamobrẽ rectè monet vir ille sanctissimus Gregorius Pontifex magno

*Ad Brentium. Sententia Petri præcedit sentiã Dei. Orig. hom. 14. in Leuiticum. Greg. homil. 26.*

*Matth. 23. Ezech. 13.*

*Chrys. libr. 1. de Sacerdotio.*

*Ber. in ser. 1. in die Apost. Petri & Pauli. Hugo l. 2. de sacra.*

*Duæ claues. Amb. ser. 66. Lucæ 11.*

*Hilar. Canon. 16. in Matth.*

*Respõsio. Cyp. libr. 1. epist. 2.*



magno moderamine pastores vel soluere debere, vel ligare: Sed intereà siue iustè siue iniustè obliget pastor, pastoris tamen, inquit, sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cùm iniustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is aũt qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne & si iniustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat. Non vult Gregorius, vt de iudicio sui pastoris ouis iudicet, etiam si fortè error aliquis sit admissus, quin sententiam ab illo latam ne contemnat: Quam si tulerit insons æquanimiter, coram Deo reus non erit: si verò contempserit, hoc ipso nomine coram Deo quoq; reus efficitur. Sed hæc sicut alia multa, sic volente Brentio extra causam dicta sunt.

*Ezech. 20. Excutitur locus, Ita præceptis Patrũ vestrorũ nolite incedere.*

Pergit is: Si quicquid præceperint Patres in terris, erit præceptum Dei, qđ est quod Propheta ait: In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere: nec iudicia eorũ custodiatis, nec in idolis illorum polluamini? Si non est incedendum in præceptis Patrum Brenti, qđ est qđ Paulus & silas, cùm perambularent Syriam & Ciliciam, præcipiebant custodire præcepta Apostolorum & Seniorum? Quid est, quod ijdem ipsi cùm pertranfirent alias ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quę erant decreta ab Apostolis & Senioribus? Quòd si verbo libet vrgere, nos in auorum, proauorum, atauorum præceptis incedimus, qui mille quingentis annis non polluebantur in idolis, verùm eadẽ qua nos ratione, Christum coluerunt, eiusq; colendi rationem partim scripto, partim traditionibus ad nos transmiserunt. Quare liberis vestris cantilenam hanc rectius occinetis, qui nisi mentem illis Deus dederit meliorem, non in aliorum, quàm in Patrum suorum præceptis incedent: auos enim & proauos suos præceptorum vestrorum sectatores edere non poterunt. Sed quid quæso vobis vultis, cùm hæc verba toties nobis obijcitis? num vt quam Patres religionem seruarũt, quos ritus tenuerunt, ab ijs discedant liberi, semperq; diuersam religionem, diuersos ritus quos ignorauerunt Patres eorum, sequantur: quò vel sic se quiduis esse potius, quàm Catholicos, testatum faciant omnibus? Quid esse potest absurdius? Non ita nos docet Dei Spiritus: Interroga, inquit, patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Nõ te prętereat narratio Seniorum, ipsi. n. didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectũ. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Terminos autem indubitanter transgreditur, qui statuta patrum postponit, atq; cõfundit: sicut Alexander quartus à Petro Pontifex Romanus, in prima sua decretali scribit epistola. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris.

*Prouerb. 32. Eccles. 8. Prouerb. 22.*

*Hier. 6.*

Profert & illud Brentius: Fruſtrà colunt me, docentes præcepta & doctrinas hominum. Habet, inquit, Asotus suum cœnum, quo hunc locum aspergat. Sed ne sit mora longa sua occasione probè (ne dubitet) eluetur. Locum hunc Maximus etiam Arianus aliquando protulit cum Augustino congressurus, ad eandem sententiam tuendam, quam hoc loco suscepit Brentius defendendam. Sic. n. loquitur Maximus: Si qđ de diuinis scripturis protuleris, qđ commune est omnibus, necesse est vt audiamus. Hę verò voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur, cùm ipse Dñs moneat nos, & dicat: Sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. Nihil itaq; noui profertis Brenti. Docebimus hoc suo loco, quòd vetus hæc fuerit hæreticorum cantilena, qui nihil præter scripturas recipiendum esse censerent. Verùm qđ ad hæc Augustinus? Si ad ista omnia, inquit, respondere voluero, id etiam ego agere videbor, ne veniatur ad causam. Proinde vt citò agamus, dic mihi fidem tuam. Sic Augustinus ne respondere quidem dignatus est ad hunc locum, quòd alienus à causa videretur, cùm æquè recipi traditiones Apostolicas oporteat atque scripturas. Quare nihil est, quòd dicat Brentius, dictum hoc CHRISTI sudem esse in Catholicorum oculis. Assueuerunt illi pridem, cùm nihil hæreticorum ore sonet frequentius. Rectè autem Petrus, solum illum cultum dicendum esse scribit secundum doctrinas & præcepta hominum, qui fidei non consonant. Nam & ante eum Basilius indicauit, nihil aliud ijs Christi verbis intelligi, quàm quòd humanis traditionibus ad mandatum Dei reprobandũ, obsequendum non sit. Quòd aũt promittit Brentius cõfutare se velle, qđ à Petro de verborum horum sensu scriptum est, id facit in secunda pericopé, verùm frigidius quàm vt respõderi sit necesse, cùm præsertim in Confessione nostra Christiana pluribus & de hoc, & de præcedenti scripturæ loco tractauerimus, ad quam lectorem remittimus.

*Matth. 15. Respõsio ad locum Fruſtrà me colunt do. præ et do. hominum.*

*Aug. lib 1. contra Maximinum.*

*Basil. in Ethicis definit. 12.*

Profert & aliam Scripturam Brentius: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viuentes in mundo decretis tenemini? Et mox iuxta præcepta & doctrinas hominum, quæ verbotenus quidem habent speciem sapientiæ, &c. Quatenus elementis hoc genus, teneantur homines, docuimus in eadem illa Confessione. Quoniam verò nihil ea res pertinet ad præsentem causam, minimè necessarium esse duximus, hac de re pluribus nunc agere. Pergit Brentius: Fingamus autem Christum dedisse hoc dicto, Quicquid ligaueritis in terra, &c. potestatem præcipiendi: non tamen dedit eam hostibus Ecclesiæ, non seruis Antichristi, qui præcipiunt quælibet: sed veris ministris Ecclesiæ, & seruis Christi, qui præcipiunt, non quæ ipsis libent, sed quæ Deus præcepit. Quæ igitur sic in terris præcipiuntur, erunt certè præcepta coram Deo in cœlo, quæ vt Deus verbo antè constituit: ita nunc per ministros suos verbo prædicata confirmat. Hac in parte libenter tibi subscribimus, quòd non dedit hanc potestatem vobis hostibus Ecclesiæ & seruis Antichristi, qui præcipitis, quę vobis libent: sed nobis quamuis peccatoribus, veris tamẽ Ecclesiæ ministris & indignis seruis Christi, qui præcipimus, non quæ nobis libent, sed quæ Deus præcepit. Nam vbi præcepit Deus, vt crederemus imputatione Christi iustitiæ nos iustos esse, etiam si nihil eius nobis adhæreat? Vbi præcepit, vt tanquam articulum fidei crederet vnusquisq;, sibi certò re-

*Coloss. 2. Alia obiectio. Respõsio. Lutherani docent præceptis Dei non consentanea.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



missa esse peccata, neq; vel minimum de eo dubitare auderet, verùm cõtra Scripturam de propitiato peccato securus esset? Vbi præcepit credi, quòd absoluta necessitate fiant omnia, & alia pleraq; quæ vos traditis, quòd vobis ita libet, non quòd Deus ita præceperit? Nos contra nihil tradimus, nisi quod à Deo traditum est, vel in sacris literis præcipiente, vel in legitimis Concilijs inspirante. Ieiunium præcepisse Deum constat, cæterùm quibus temporibus, quouè modo ieiunandum sit, ordinandum Ecclesiæ suæ reliquit. Quæ quamuis tempora modumq; ieiunandi præscribit, nihil tamen aliud tradit, quàm quòd à Domino præceptum est. Idem & de oratione, idem & de Sabbato sanctificando, deq; alijs præceptis Dei dici potest, de quibus nihil mutat, sed quemadmodum decenter & ordine fieri possint omnia, docet nos nostra mater Ecclesia. Quàm autem sibi non cõstat Brentius? Paulò superius non abnuere visus est in ijs verbis: Quicquid alligaueritis, &c. datam esse potestatem ministris Ecclesiæ præcipiendi, nunc diuersum eorum sensum adfert. Sic.n. loquitur: Hoc dicto Christus nõ loquitur de auctoritate præcipiendi, aut mandãdi, sed de ministerio Euangelij prædicandi: vt qui Euangelio, quod à ministris Ecclesiæ in terra audit, crediderit, soluatur in cœlo: qui verò non crediderit, ligetur in cœlo. Mox profert scripturam, iuxta illud: Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit Euangelio, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Quod cùm ita verè se habeat, iniquissimum est, quòd Astus remittat nos à sacra scriptura ad suorum Canonum explicationes. Nouum verò genus interpretationis, ac totis mille quingentis annis Orthodoxis omnibus inauditum, quibus vnanimiter visum est, iudiciariam quandam potestatẽ absoluendi, condemnandi, præcipiendi, prohibendi ijs verbis Apostolis & eorum successoribus esse concessam. Atqui de ijs qui foris sunt, hoc est, de infidelibus, negat suum Paulus esse iudicũ. Verùm hoc vobis commentum placuit ad falsum dogma vestrum de solius fidei iustificatione defendendum.

*Ecclesiæ præcepta cum Dei præceptis congruunt.*

*Non constat sibi Brentius.*

*Marc. vlt.*

*Confutatio.*

*2. Cor. 5.*

*Brentius non vult premi Patrum auctoritate.*

Pergit Brentius: Remittit nos ad Patres: Ad quos obsecrõ? ad veteres & iam mortuos? nominẽtur ergo, vt sciamus quorum interpretatio sacrosancta & inuiolata haberi debeat. Græca Ecclesia suos habuit Patres, Origenem, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, & alios. Habuit & Latina suos, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum, & alios. Habuit etiam posterior ætas suos, Thomam Aquinatem, Albertum, Scotũ, & id genus multos. Ad quos ergo Astus inter hos aut illos nos remittit? num ad omnes & singulos indiscriminatim? & non permittit nobis eorum scripta cum iudicio legere. An verò omnia eorum absq; iudicio vt sacrosancta agnoscenda sunt? Quin cum iudicio legenda sunt, causam dicit nemo, sed nõ tuo Brenti, neq; Philippi iudicio, qui qd' Catholicum est regurgitis, & non rarò sententiam è scriptis eorum aliquam profertis, quæ cum vestro dogmate facere videatur, cùm tũ ab eo longissimè dissideat. Non tuo igitur, non Philippi iudicio, sed cum Ecclesiæ iudicio legenda sunt scripta Patrũ, atq; ea est regula obseruanda, quam in aureo suo libello (quem vtinam legisses Brenti) tradit Vincentius Lyrinensis: Quòd si ipsa, inquit, vetustate duorum aut trium hominum, vel certè ciuitatis vnius aut etiam prouinciæ, error deprehẽdatur, tunc omninò curabit, vt paucorũ temeritati vel insciticæ, si qua sunt vniuersaliter, antiquitus, vniuersalis Concilij decreta præponat. Quòd si tale aliquid emergat, vbi nihil eiusmodi reperiatur, tunc operam dabit, vt collatas inter se maiorũ cõsulat, interroget'q; sententias, eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ cõmunione & fide permanentes, magistri probabiles extiterũt. Et quicqd non vnum aut duos tantùm, sed oẽs pariter vno, eodem'q; consensu apertè, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq; intelligat absq; vlla dubitatione credendum. Quod etiam exemplis deinde facit illustrius. Ad extremũ autem concludit, nos cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidẽ deserere debere: patrum'q; sententijs ea tandem lege credi iubet, vt quicqd vel oẽs vel plures vno, eodem'q; sensu manifestè, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato certo, ratoq; habeatur. Quicqd verò quàmuis ille sanctus & doctus, quàmuis Episcopus, quàmuis confessor & martyr, præter oẽs aut etiam contra oẽs senserit, id inter proprias, priuatas & occultas opiniunculas, à cõmunis & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit. nec cum summo æternæ salutis periculo iuxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum cõsuetudinem vniuersalis dogmatis, antiqua veritate dimissa, vnius hominis nouitium sectemur errorem. Habes iam quomodo legenda sunt Patrum scripta, & quantum sit eorum auctoritati tribuendum.

*Vincentius Lyrin.*

*Responsio. Quo iudicio scripta Patrum legenda.*

*Brentius insimulat Patres erroris.*

Tandem arrepta censoria virgula Brentius, de Patribus iudicium sibi sumit, & eos erroris insimulat. Negari, inquit, non potest, quin in Patribus sint errores, & alienæ à sensu Scripturæ interpretationes. Origenes fuit insignis pietate & eruditione, tñ habet quædam dogmata, quæ non sunt sacræ Scripturæ cõsentanea, & si nõnullis historijs creditur, abiectus est ab Ecclesia. Tertullianus Montanizat, Cyprianus Anabaptizat, Hieronymus Origenizat, & Digamizat: Putat. n. Digamiam, qualem quidam nunc intelligunt, hoc est, si quis post mortem prioris vxoris ducat alteram, parum aut nihil à scortatione differe. Augustinus scribit ipse libros retractationũ, ac prætereà cõmunicat infantes corpore & sanguine Christi. Longum esset singulos percurrere. Adnotemus etiam quædam loca Scripturarũ, in quibus interpretatio Patrum pugnat, Ioañis sexto: Amen dico vobis, nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Alij Patres putant Christum de spirituali tantùm manducatione loqui. Augustinus exponit etiam de sacramentali, vnde necessariò cõmunicat infantes corpore & sanguine CHristi. Ad cuius ergo Patris interpretationem remittit nos Astus? Matt. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Alij per petram intelligunt Petrum ipsum, alij intelligũt Christum, quam igitur interpretationem agnoscemus? Vide quàm probè cõsulat Astus saluti nostræ, quòd abducat nos à Scriptura ad Patres?



Imò Consilium hoc venerabilis viri Petri à Soto, Iõgè saluberrimum est: idem enim, iam commemorauimus, monuit Vincentius Lyrinensis, idem ante eum quoq; Clemens Petri successor, qui cum lex Dei legitur, illud seruari dicit oportere, ne secundum ingenij proprij intelligẽtiam legatur, seu doceatur. Sunt enim multa in Scripturis diuinis, quæ possunt ad eum sensum trahi, quem vnusquisq; sibi præsumit. Et ideò Scripturarum intelligentiam, inquit, oportet ab eo discere, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat. Hoc fecisse Basilium & Gregorium præcipuos Græcorum Theologos, narrat Ruffinus. Qui cùm omnium Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dedissent, eorum intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex maiorũ scriptis & auctoritate sequebantur: quos & ipsos ex Apostolica successione regulam intelligendi suscepisse constat. Nihil itaq; noui consulit Petrus à Soto, quando nos ad patres remittit, modò vt illud teneamus, quod à Vincentio scriptum est, vt cum Ecclesia Doctores recipiamus, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deseramus. Quare si cuius ex sanctis Doctoribus dogma aliquod est ab Ecclesia reprobatum, sequamur illius iudicium, vt quę per illam damnata sunt, reijciamus. Negari non potest, quòd Origenes habeat quędam dogmata, quę quamuis hæreticis visa sunt, Sacrę Scripturæ consentanea, præsertim Arrianis, ab Ecclesia tamen sunt explosa. Quamuis, si Ruffino credimus, dogmata illa falsa non tam Origenis fuerunt, quàm hæreticorum quorundam, qui libros illius corruperunt. Verum est & de Tertulliano, quòd is iam natu grandior incidit in hæresim Montani. Cyprianum etiam errasse manifestũ est, quem nihilominus inter sanctos martyres numeramus. Cæterùm quòd scribis Hieronymum Origenizare, quid ijs verbis tibi velis, non satis assequimur. Nam quòd is fuerit Origenis aliquantò studiosior, quòd eius libros nonnullos in linguam Latinam verterit, quòd in Cõmentarios etiam suos ex illis pleraq; transtulit, clarum est & manifestum: Sed fecerunt idem Hilarius, Victorinus, Ambrosius, cuius penè omnes libri sermonibus Origenis pleni sunt, & alij multi Catholici & Orthodoxi, tam Græci, quàm Latini. Cæterùm si virum sanctum hunc insimulas, quòd fuerit errores Origenis amplexus, nihil abs te dici potest à vero magis alienum: cùm vix quisquam alius errores illius vel diligentius annotauerit, vel vehementius fuerit insectatus. Quòd non modò libri contra Ruffinum ab eo scripti, planum facitunt, verumetiam epistolę testantur, quas de erroribus Origenis ad Pammachium, Oceanum, & Auitum conscripsit. Testantur etiam Theophili & Epiphani libelli, ab eodem Hieronymo versi, quibus Origenis dogmata damnantur. Sed & illud non minus falsum est, quòd eum arguere videris Digamiæ condemnatæ, cùm in eadem illa epistola, quam tu notare visus es, posteàquam pluribus verbis Geruntiam viduam à secundis nuptijs dehortari conatus est, his tandem verbis vtatur: Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minimè, sed prima laudamus. Abijcimus de Ecclesia Digamos? Absit, sed Monogamos ad continentiam prouocamus. In Apologia quoq; quam pro libris aduersus Iouinianum ad Pammachium scripsit: Non damno, inquit, Bigamos, imò nec Trigamos, & si dici potest, Octogamos. Habeat cui libet octauum maritum, & esse desinat prostituta. Non te pudet vanitatis Brenti? Quod de August. scribis, vtinam non essent grauiores errores vestri, quàm quales ij fuerunt, quos ille retractauit, hęretici iure dici non possetis. Cum autem veri virum sanctum, vt illius exemplo de retractandis illis, cogitationem aliquando suscipere tis. Mirum est autem eum abs te reprehendi, quòd cõmunicat infantes corpore & sanguine Christi, cùm quasi necessariò præcepto nos vrgeas, Bibite ex hoc omnes. An infantes quoq; baptizati non sunt inter omnes? Itanè solis vobis licere vultis, vt cùm vobis commodum est, ex, omnes, faciatis, non omnes: Ecclesiæ verò potestatem hanc non permittatis? Nos, quod Augustinus communicat infantes, non probamus, cum ex Vincentio Lyrinensi didicerimus, cum Ecclesia doctores recipere, nõ cum Doctoribus Ecclesię dogma deserere nos debere. Quanquam non solius hæc Augustini, verùm & Innocentij, Zozimi, Cypriani, Dionysij, ac plurimorum aliorum in Ecclesia primitiua fuerit de communicandis infantibus sententia.

*Responsio. Clem. ad Iac. fratrem Dom.*

*Ruff. libr. 2. cap. 9. in Eccles. histor.*

*De Origen. Ruff. Innocentius prima, cont. Hier. De Tertulliano. De Cyprian. De Hieronymo quod non Origenizauerit.*

*Falsò dicit Brentius ab Hieron. Digamiam condemnari.*

*De Augustino.*

Quod quæris de Ioañis loco, responsum accipe: Vtraq; sana est interpretatio tam eorum qui de spirituali, quàm eorum, qui de sacramentali manducatione hæc verba volunt intelligi. Siquidem ab Augustino docti sumus, nihil prohibere, quò minus idem locus in scripturis variè possit intelligi. Miror autem, cur cæteris Patribus hoc tribuas, quod ipsi de spirituali, soli verò Augustino, quòd is de sacramentali manducatione hæc verba exposuerit, cùm 1. Origenem, 2. Chrysostomum, & 3. Cyrillum, Græcos: 4. Cyprianum autem, & 5. Hilarium, Latinos, ea de sacramentali: Augustinum verò non magis de sacramẽtali, quàm de spirituali exposuisse legamus. Nam vt locum illum præteream in libris de Ciuitat. Dei, li. 1. cap. 25. vbi obiter hæc verba Augustinus tractat, certè vbi ex professo Ioannis Euangelium enarrat, de spirituali manducatione hæc verba exponit. Etiamsi sunt alia quædam loca, vbi de sacramentali contra Donatistas, & præcipuè contra Pelagianos scribens, vbi necessariam infantibus Eucharistiam esse censet.

*De loco Ioan. 6. Aug. li. 3. de doctr. Christ. ca. 26. 1. Hom. 7. in Nu, 2. Ho. 46. in Ioan. 3. Lib. 3. cap. 13. & 14. in Ioan. & lib. 10 cap. 13. 4. In expos. orat. Domin. 3. Lib. S. de Trin. Aug. tract. 26 in Ioannem. Contra Cresconium lib. 1. ca. 25. de verbis Domin. serm. 11. & 46. De peccatorũ meritis & remissione libro 1, ca. 20. & 23.*

Neq; diuersum tibi respondebimus de loco Matthæi. Poteras autem ibi etiam tertiam interpretationem addere, vt petram esse diceres non solum Christum aut Petrum, verumetiam fidem de Christo, quam confessus est Petrus. Nam super hanc fidem ædificasse CHristum Ecclesiam suam, quidam ex Patribus interpretantur. Neque verò pugnant hæc inter se: CHristus, fides de Christo, Petrus confitens CHristum. Quin seiungi rectè non possunt.

*Hypognostico li. 5.*
*1. Cor. 3.*
*Ephes. 2.*
*Apoc. 21.*
*Matth. 7.*

Certum est & indubitatum, quòd fundamentū aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Intereà tamen & illud falsum esse nequit, quod ab eodem Paulo scriptum est: Super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo. Quod magis etiam explicatè legimus in Apocalypsi: Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum. Fundamentum Christus, fundamentum & Apostoli. Fundamentū fundamentorum, quod per se soliditatem habet, sicut rupes aliqua, super quam ædificium construitur, non est aliud, quàm Christus IESVS. Ipse est petra illa, de qua dicitur in Euangelio, quòd domus fundata erat supra firmam petram. Ipse est summus lapis angularis, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum. Sed sunt interim & Apostoli fundamenta, quæ non ex se, sed ex illo summo lapide angulari soliditatem habent, sicut lapides, qui primò ponuntur supra solidam petram. Inter hæc fundamenta primarium est Petrus, cui præ cæteris dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram, hoc est, super te cōfitentem me, ædificabo Ecclesiam meam. Inter alios multos præclarè Leo Pontifex Euangelij locum explicans: Tu es, inquit, Petrus, id est, Cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum: ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inferanda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Vides, quemadmodum simul hæc tria pulchrè sanctus ille Pontifex coniunxerit, Christum, Fidem & Petrum. Absit enim, vt aliud fundamentum ponamus quàm Christum: ipse est caput inuisibile, qui gubernat inuisibiliter: ipse est petra inuisibilis & inuiolabilis, quæ virtute sua continet molem Ecclesiæ. Sed quemadmodum in sacramentis cùm ipse solus inuisibiliter operetur omnia, ministerio tamen vtitur visibilium Sacerdotum: sic visibilem in terris elegit ministrum, per quem Ecclesiæ molem hanc sustineret, per quem gregem suum visibilem inuisibilis ipse gubernaret. Est igitur petra Christus: est petra fides de Christo, quam confessus est Petrus: est Petra Petrus ipse cōfitens Christum.

*Leo hom. 3. in anniuersario die assumptionis suæ, & hom. 2. in natiuit. Apostolorum Petri & Pauli.*

*CHristus, Petrus, & Fides petra dicuntur, sed non eadem ratione.*

*Figmentum Brentij contra Petrum Ecclesiæ petram exploditur.*

Nam & hoc procul à nobis abst, vt iuxta commentum tuum esse dicamus ædificatam Ecclesiam super talem Petrum, qui publicè fateretur sibi non opus esse fide, sed sicut Petrus à Soto dicit, in quo non desideretur publica & legitima professio fidei, qui CHristum pro fundamento agnoscat: qui summo illi lapidi angulari innitatur: super talem Petrum ædificatam Ecclesiam credimus. Hic est, per quem à Christo gubernatur Ecclesia, cuius ministerio fit, vt vna fides in ea retineatur. Quod nostris temporibus his clamat etiā res ipsa. Nam vbi discessum est ab hoc Petro Christum confitente, Deum immortalem, quot ibi sectas, quàm dissectas? quot schismata? quot hæreses? quàm varias & multas blasphemias videre licet, & audire? Contrà vbicunque terrarum Petrus hic agnoscitur, vbi dictis eius paretur, vbi in doctrina eius acquiescitur, ibi ciuitas vnius labij, ibi multitudinis credentium videtur esse cor vnum & anima vna. Hoc & vos Brenti, quamuis inuiti, fateri tamen necesse habetis. Nam si taceant homines, vel ipsi lapides loquentur. Videmus enim, quid sit constructum, posteàquam ab hac petra pars ædificij diuulsa est, in quam multas deinde particulas fuerit comminuta. Iam ne intelligis, qua ratione Petram vocemus Christum, qua verò Petrum, quamq; nihil hæc inter se pugnent? Christus petra est, quæ virtute sua molem hanc Ecclesiæ sustinet. Petrus petra est, cuius id ministerio CHristus facit. Petrum autem cùm dicimus, publicè & legitimè CHristum confitentem dicimus: quod nisi faciat, Petrum esse negamus.

*A Petro petram discedere quàm periculosum.*

*Aug. epist. 19. ad Hieron.*
*Brent. Augustinum Soto opponit.*

Pergit Brentius: Quantò rectius Augustinus, qui nos potius à Patribus ad scripturam quàm à scriptura ad Patres ducit? Ego, inquit, fateor charitati tuæ, folis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur cōtrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Hactenus Augustinus. Sed Asotus maiori prudentia & pietate ornatus, quàm Augustinus, non remittit nos à Patribus & Scriptoribus ad Scripturam, sed à Patribus mortuis ad Prælatos viuentes, vt si hæsitauerimus in scriptura, adeamus Patres mortuos: si & in ijs aliquid ambigui occurrit, accedamus ad Prælatos viuentes.

*Responsio.*

Quàm tu malitiosè rem agis Brenti, Scis quid senserit Petrus, & quoniam in eo nihil reprehensione dignum inuenire potes, fingis eum dicere, quæ nusquam sensit, vt habere tamen possis, quod reprehendas. Quando enim à scriptura sic ille duxit ad Patres, vt maorem eorum quàm scripturarum auctoritatem esse voluerit? Scilicet ignorauit is, quod nemo nescit, etiam ex illis, qui sacras literas primoribus (quod aiunt) labris degustarūt, quid libris, qui vocantur Canonici, quidue Patrum scriptis debeamus? Verùm non hoc agebatur, an parem cum ijs, quæ in libris Canonicis continentur, scripta Patrum auctoritatem haberēt, sed si qd aut nō expressum, aut parùm dilucidè expressum esset in Scripturis, si quis occurreret scripturæ locus obscurior quē aliter vos interpretaremini, qui discessistis à nobis, aliter nos qui in Ecclesiæ vnitate permansimus, quid eo rerum statu faciendum, quouè confugiendum esset. Hic docet Petrus, quod olim docuit Augustinus, qui locum illum enarrans Prophetæ. Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: Attendite, inquit, in facta sanctorum, ne fortè nostra videatur interpretatio. Quomodo hæc verba intellexerunt Sancti, sic vtique intelligenda sunt. Quid autem aliud vult Petrus, quàm vt sic intelligantur verba Scripturæ, sicut ea sancti Patres intellexerūt? Neq; verò secùs ipse fecit, quàm docuit Augustinus: Ab Ecclesia docti credimus, quòd ex Adam trahimus originale peccatum, quòd per lauacrum regenerationis non solùm in maioribus, verumetiam in paruulis soluitur. Quàmuis autem hoc dogma diuinæ legis oraculis adstruitur, secùs ea tamen Iulianus interpretatus est, nec dubitauit, qui hoc sentirent, eis Manichæorum errorem impingere. Quid hîc Augustinus? Ad Patres confugit: profert, quid ea de re senserint Irenęus, Cyprianus, Rheticius, Olimpius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus. Et cùm illud attulisset è Salustio, quòd omnes iudices ab odio, inimicitia, ira, vacuos esse decet, paucos dicit inueniri tales potuisse: Verùm Ambrosium, inquit, alios q; collegas eius, quos cum eo commemoraui, tales fuisse credendum est. Etsi tales non fuerunt in ijs causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cùm hîc viuerent, suo iudicio definierunt, ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt. Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias prætenderunt, nullas inimicitias exercuerunt, neque nobis neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt: quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filij tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. Dicis, me si sub potestate iudicum premerer, nō habiturum fuisse quod facerem, quò confugerem. Ego planè haberem, quod facerem, haberem quò confugerem: à Pelagianis enim tenebris ad hæc tam clara Catholica lumina prouocaui, quod & nunc iam facio. Tu ergo respondes quid facias? dic quò confugias? ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos? An quia non numerandas, sed ponderandas esse censes sententias, etiam istos cœcos dicere audebis? Et vsq; adeò permiscuit ima summis longus dies, vsq; adeò tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Cœlestius, Pelagius, Iulianus, & cœci sint Gregorius, Hilarius, Ambrosius, &c.

*Augustin. hom. 18. de verbis Domini. Esaiæ 52.*

*Augustī. Patrum auctoritatem suscipit ac sequitur.*

*Aug. lib. 1. contrà Iulian.*

Vides quemadmodum non docuerit modò faciendū, verùm & ipse fecerit Augustinus, vt quibus de rebus ambigebatur, de ijs ad patrum iudicium prouocaret: qui tamen etiam in eo ipso loco, quem tu citas, longè aliud quàm quòd infers tu, sensisse videtur. Non. n. hoc vult, vt ad Patrum iudicia ne quis confugiat, ad quæ confugit & ipse non semel: sed vt primas partes deferendas esse scripturę quisq; sciat: patribus autem tantum tribuat, quantum vel scripturis, vel aliqua probabili ratione persuadere possint. Non scripturarum hîc tantum, verùm & probabilis rationis meminit Augustinus. Fieri autem potest, vt aliud mihi, aliud tibi probabile videatur. Quam igitur aliam probabilem rationem intelligemus, nisi quæ tot seculis Ecclesię probata, atq; illius iudicio fuit recepta? Cuius iudicio si qua Doctoris alicuius, quamlibet magni, sententia reiecta fuerit & exposa, quales pleræq; sunt Origenis, qualis, & illa de Monogamia Tertulliani, qualis de rebaptizandis hæreticis Cypriani, qualis de communicandis infantibus est Augustini, quamlibet multis diuinæ legis oraculis nixa sit, nihilominus non modò non sequenda, verumetiam velis est (quod aiunt) remisq; fugienda. Sic hoc Augustini testimonium contra te magis, quàm contra nos facere videtur.

*Quò sensu Augustinus scripturis Canonicis indubitatam fidem haberi velit.*

Tandem Brentius mitior factus, non omninò patres reijciendos esse censet: quin consulendos & audiendos potius, non tamen Scripturæ æquandos. Quasi quisquam æquandos eos esse dixerit. Si quidem, inquit, interpretantur scripturam per scripturam, & obscuros locos scripturæ per manifestos & claros, interpretatio eorū amplectenda est. Sin autem interpretantur Scripturam contra scripturam, & reddunt scripturæ locos obscuriores, refutanda est eorum interpretatio. Non enim tanti nobis esse debet vlla humana auctoritas, vt præferamus eam diuinæ.

*Brentius quatenus recipiat Patres.*

*Responsio.*

Postremum hoc libenter tibi concedimus. Sed nec illud negamus, rectè facere, si quis per scripturam, scripturam interpretatur. Nolumus autem hoc loco vel de nobis Christianis, vel de vobis Lutheranis quicquā dicere. Ex eorum scriptis exempla proferemus, quos æquè vos atq; nos pro hæreticis habetis. Quod vos rectè monetis, per scripturam esse scripturam interpretandam, id sē strenuè facere clamant Sacramentarij. Profertur & à nobis & à vobis scriptura, Hoc est corpus meum: eam interpretantur illi per aliam scripturam, Petra erat Christus: & iterum per aliam: Ego sum vitis. Hac itaq; ratione dicunt secundum nos, speciem, secundum vos autem substantiam panis vocari corpus Christi, qua ratione CHristus ipse petra vocatur & vitis. Num in hac interpretatione vos acquiescitis. Certè si qui verum in ijs manent, quæ didicerunt à Luthero (nam Philippo sunt qui crimini dent, quòd Caluinizet, quodq; sicut in alijs plerisque, sic & in hoc à magistri sui placitis discesserit) cæterùm qui constanter Lutheri doctrinam tuentur, nunquam acquiescent, sed neque nos, qui ducem sequimur Ecclesiam, quæ columna est & firmamentum veritatis. Proferemus & aliud exemplum: Anabaptistæ docent, neminem esse baptizandum, nisi qui crediderit. Neq; desunt illis diuinę legis oracula: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vna fides, vnum baptisma: præcedit fides, sequitur baptisma. Ac si quis dubitet, qualis fides, ne putetur esse infusa, per aliam scripturam interpretantur: Fides ex auditu. Et iterum, Docete omnes gentes, baptizātes eos. Et quoniā infantes, eq; sunt idonei, qui doceātur, atq; paries

*Sectarij omnes scripturam per scripturam se interpretari profitentur. Matth. 26. 1. Cor. 10. Ioan. 15.*

*De Sacramentarijs. Philippum Caluinizare.*

*De Anabaptist. Mar. 16. Ephes. 4. Rom. 10. Matth. 28.*

aut saxum aliquod, negant eos qui non credunt, baptizari debere. Num & in hac interpretatione vos acquiescitis? Æquè vt nos. Quin itidem vt nos, & à Sacramentarijs & ab Anabaptistis ad Patres confugitis, ad patrum iudicia prouocatis. Lege quæ scripserunt Lutherus, Philippus, Vrbanus Regius, Ioachimus Vvestphalus, tam contra Sacramentarios, quàm contra Anabaptistas, nihil eos magis crepare, quàm Patres, Patres, & Ecclesiæ consensum, inuenies. Et obiectum hoc sibi fuisse scribit Ioachimus, eadem ratione suos quoque patrum & Ecclesiæ iudicio damnari. Sed audi, quàm festiuè respondet: Conflescet, inquit, facilè ille clamor, modò velit attendere non quis dicat, sed quid & quàm verè aliquid dicatur, aut secùs. Quæ dicta sunt à me, veritati consonant, quicquid tandem Papa dicat, defiiniat, damnet aut probet. Non ideò oportet honestæ matronæ sermonem perse verum aspernari & reijcere, quòd scortum simile m proferat dissimili animo, & in dissimili causa. Iniqua fuerit comparatio, si bona matrona comparetur cum scorto, & boni viri rectè facta computentur cum malè factis viri peruersi, specie aliqua boni fucatis. Quid conuenit luci cum tenebris? quæ conuentio est CHristi cum Belial? Quid confert, Pseudolus seruos CHristi cum Antichristo? Sic ille in libello, quem inscripsit aduersus insignia mendacia Ioannis à Lasko.

*Ioachimus Vvestphalus.*

*Sectarij crepant Patres, cumeos causa suæ fauere putant.*

Bellum autem responsum: Scilicet quod volumus, sanctum est. Num autem hęc & quidè verissimè totidè verbis in vos retorqueri nō possunt: Scilicet quæ dicuntur à Vuthero vel à Vvestphalo, veritati consonant, non autem quæ ab Ecclesia dicuntur vniuersa? Scilicet non vos estis potius illa, de qua dixit Hieremias: In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix? De qua & alius Propheta scribit: Fabricata es lupanartuū in capite omnis viæ, & diuaricasti crura tua omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas? An non prosternunt se in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, qui posteàquam semel à sponso CHRISTO se diremerunt, & sponsæ eius Ecclesiæ membra esse desierunt, posteàquam fidem semel ei datam fefellerunt, subinde mutant ac nutant? ac simul vt viderint collem aliquem sublimem aut lignum frondosum, hoc est, simul vt quempiam conspexerint, qui scientiæ habet opinionem, quæ inflat, quiq; verbis ornatis ea quæ praua sunt, edisserere queat, statim illi adhærent. Initio sublimis illis visus est collis Martinus Lutherus, & lignum valdè frōdosum, illicò sub eo prosternebantur, & verbum eius tanquam Dei verbum adorarunt. Non ita multò pòst extitit Zuinglius, Visus est & ille collis magis etiam sublimis: ac mox sub eo quoq; prosternebantur, proq; Dei verbo, verbum eius receperunt. Tertius fuit sublimis collis Balthasar Pacimontanus. Quartus Suenckfeldius. Quorsum autem attinet omnes enumerādo recensere? coram quolibet eorum statim se prostrauerunt, & verbum cuiusq; tanquam Dei verbum adorauerunt: ita nunc ad hunc, nunc ad illum deflectentes, omni transeunti crura sua diuaricauerunt. Quæ potest esse maior, quæ turpior, quàm sit hæc vestra fornicatio, vel mœchia potius? Sed audi, quid super Ezechielis verba, quę produximus, dicat Hieronymus? In omnibus, inquit, viarum principijs fabricatur lupanar suum, qui ad peruersitatem doctrinæ testimonijs malè vtitur scripturarum: & dicit, Hæc ait Esaias, hæc dicit Oseas, hæc loquutus est Moses, hæc Daniel. Et pulchrè non in medijs vijs, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio. Si. n. ad scientiam & profunda diuinorum venerit librorum, errare non potest, Et paucis interiectis: Quinęq; de Hierusalem diximus, refer ad Ecclesiam, animas q; credentium, quæ munera maritalia, aurum videlicet in sensu, argentum in eloquio & vestimenta, quibus fœditas nostra ac turpitudo velatur, dant amatoribus suis, vel contrarijs fortitudinibus, vel magistris dogmatū peruersorum: quando asserunt nihil nocere luxuriam, cibis omnibus indifferenter vrendum, quia ad hoc facti sunt, vt sumantur, &c. An his verbis Hieronymus vos graphicè depingere non videtur? ex quibus quis est, qui non facilè perspiciat, quæ sit honesta matrona, quæ contrà sit mulier adultera & impudens meretrix? Hanc nimirùm esse vos, apud quos nullus est legitimus thorus sed vagi sunt cōcubitus: qui crura vestra diuaricastis omni transeunti: in qualemcunq; libellū incideritis, talem fidem plerique confitemini: apud quos nulla constans confessio, nulli sunt ritus perpetui, sed in annos propè singulos mutantur omnia. Contra nos honestam illam esse matronam, qui posteàquam semel fidem nostram CHristo desponsimus, nunquam in huius sponsi nostri cubile quenquam alium admisimus, nec vnquam sponsæ illius Ecclesiæ membra esse desijmus, sed illi fidem inuiolatam seruauimus, ad extremum etiam vsq; spiritum seruaturi.

*Hier. 2. Ezech. 16.*

*Duo dicta Prophetica in nostros hæreticos bellè quadrāt.*

*Hierony.*

*Figmētum Brentij, Ecclesiam tantū ex electis constare.*

Tandem (vt est fortissima veritas) eius vi superatus Brentius, eò inclinare videtur, vt Ecclesiæ iudicio nonnihil tribuat, verùm ita vt conferre magis velit cum viris modestis & eruditis, quàm quòd se cuiusquam iudicio totum submittat. Vult audire Synodos piorum, sed non sine iudicio suo: hoc est, Si iudicauerit ipse rectum esse, quod in Synodo piorum decretum erit, ratum sit: si secùs ipse iudicauerit, sit irritum. Illius ergo Synodi iudicium audire vult, cuius ipse Index esse queat, vt simul & litigatoris & Iudicis personā sustineat. Estne hoc iudicio se submittere, & nō potius dicere quod Lutherus olim dixit. Nolo iudicium, sed requiro obsequium? Et hunc nos plusquàm barbaricum fastum vestrum Brenti feremus? Deinde quò plures habeat rimas, quibus elabi queat, eam in qua fuerunt aui, proaui nostri, in qua cōtinemur & nos, qui Catholici vocamur, & sumus per Dei gratiam: Ecclesiam esse negat: quin plaustris quibusdam conuitiorum in eam inuehitur: cùm ea tamen non alia sit, quàm ea in qua fuerunt Apostoli & eorum successores, in qua fuerunt præclara illa lumina, Basilius, Athanasius, Gregorius, Chrysostomus Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Hieronymus, Augustinus: quorum nos iudicium non defugimus. Hanc igitur Ecclesiā esse negat, sed suā quandam fingit, quę nō ex alijs cōstet, quàm ex electis: itaq; nec videri, nec agnosci possit. Quoniam verò qui sint electi, nemo scire potest præter vnum Deum, hos potissimum Iudices dari sibi

*Brentius vult audire Ecclesiam, sed ita vt de illius iudicio sibi iudicare liceat.*

*Lutheri dictum.*



sibi vult: vt si secùs quid quàm ipsi visum erit, decreuerint, eos vel hoc nomine reijcere possit, quòd electos esse neget. Sed quia proprium erit caput de Ecclesia, magis opportunum nobis visum est, cùm ad illud ventum erit, pluribus de eo differere, nunc autem reliqua persequi.

Post interiecta pleraq; de perspicuitate scripturę, quę satis, iam diluisse videmur, tandem quærit iterum: Quis erit huius controuersiæ finis, & quod erit vltimum iudicium? Ac respondet ipse sibi: Nos negamus ea esse legitima concilia, quæ ex Asoticis Prælatis cōgregantur. Totidem verbis & nos negamus esse ea legitima concilia, quæ ex vobis Asoticis cōgregantur. Adfert causam, quare conuentus nostrorum non agnoscat pro legitimis Concilijs: Quia Canones etiam ipli describunt ex Apostolo Paulo, quales debeāt esse Episcopi, re ipsa autem videmus maximam partem Episcoporum, qui hisce temporibus suprema loca in Ecclesijs occupant, haudquaquam respondere ijs conditionibus, quas Paulus & Canones exigunt, non possumus affirmare, quòd talium Prælatorum conuentus sit legitimum Concilium. Si non alios Episcopos dari tibi iudices vis, quàm quales describit Paulus, qui sint irreprehensibiles, etiam Petrus Apostolus talis Iudex non erit, vt contra eum excipere non possis. Scribit. n. Paulus, quòd in faciem illi restiterit, quia reprehensibilis erat. Omnes declinauimus Brenti, & inutiles facti sumus. Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et certè si non reperiuntur inter nos, multò minus inter vos, qui sint irreprehensibiles.

*Cur Brentius concilia defugiat.*

*Responsio.*

*Galat. 2.*

*Psal. 13.*

*1. Ioan. 1.*

Quærit iterum: Quis igitur hanc litem componet? quis hic erit Iudex? Vos Asotici cōtenditis (exempli gratia) de hoc loco scripturæ, Tu es Petrus, &. Quod ad hunc scripturæ locū attinet, iam diximus, vtrocunq; modo interpreteris, nihil referre, nos enim Ecclesiam ædificatam esse credimus super Petrum confitentem petram Christum, nec Petrum à petra CHristo, & ab eius confessione disiungimus. Profert & alium locum scripturæ de poculo cœnæ Dominicæ, Bibite ex eo omnes. Vos Asotici per Omnes, intelligitis sacrificulos tantùm. Bis crambæ, vt est in prouerbio, mors. Cæterùm qua vos auctoritate licere vobis vultis, per Omnes intelligere tantùm adultos, & infantes à cōmunione Christi corporis & sanguinis excludere, multò maiore auctoritate licere sibi putat sancta mater Ecclesia, vt per omnes intelligat, sacris tantùm operantes, quibus solis poculum Christus ministrauit, cæteris neq; ministrauit, neque ministrari præcepit, nulla vt sint necessitate ex eo bibendi Laici adstricti. Quærit iterum, quis ergo dirimet iudicio suo hanc litem? Ante centum quadraginta annos in Constantiensi, & non ita multis annis pòst in Basiliensi iam est dirempta.

*Aliabrētij obiectio.*

*Responsio.*

*De verbis, bibite ex eo omnes.*

Rursum quærit, quò nos in tanto dissidio vertemus? quem tandem Iudicem, quod iudicij agnoscemus? Ac tandem aliquādo promit, quod ita diu premebat. Breuissimis, inquit, & perspicuè respondebo: Eum agnoscimus Iudicem, quem in symbolo Apostolorum iam inde ab incunabulis, & paterna atq; auita traditione (vt & nos aliqd traditionibus demus) didicimus Iudicem viuorum ac mortuorum. Quid autem aliud optarint omnes parricidæ, sicarij, venefici, fures, latrones, & quotquot sunt criminis alicuius rei capitalis, quàm vt nullus esset in terris Iudex alius præter eum, quem profitemur è cœlo venturum iudicem viuorum & mortuorum, vt illis intereà liceret in quorumuis fortunas & capita liberè grassari? Atqui multis modis vos istis estis sceleratiores, qui non in corpora, verùm in animas piorum grassamini, ac dum eis pestiferum doctrinæ vestre virus afflatis, in ima tartara miseras præcipitatis. Sed quorsum tandem res Brētio redijt? de Principum officio scribere cum instituerit, ac propriù eorum munus esse docere, de doctrina religionis iudicare, nunc & eorum & mortalium omnium iudicium excludit, neque putat doctrinæ suæ quenquam idoneum esse iudicem, præter solum Christum. Sed verè dictum est illud, quòd omnis qui malè agit, odit lucem. Si te bonam habere causam Brenti confideres, legitimum Ecclesiæ iudicium non defugeres. Quoniam verò ipse tibi conscius es impiæ doctrinæ, sacrilegæq; separationis tuæ, præstabilius tibi videtur, vt sit anarchia quædam inter Christianos: nec sit quisquam, qui vel cognoscat de sacrilegijs vestris, vel conuictos debitis pœnis afficiat, quo si omnia vobis impunè licere queant. Neq; tamen sine exemplo facis id, ô Brenti. Nam caussa sua disputationem iniuissent, cùm se nimis vrgeri animaduerterent, Cognitorem autem ad respondendum eos cogere velle viderent, cùm aliud effugium non haberent, dicebant huius caussæ solum Christum iudicem esse debere, & inuidiam Catholicis faciebāt, quod hominem peterent iudicem. Non est igitur inexcusabilis error hic vester: quandoquidem Hæreticos Donatistas, cùm ipsi sitis hæretici Lutheristæ, sequi maluistis, quàm vt more Catholicorum hominum de vestra doctrina iudicari pateremini: nec Petri successori quicquam tribuendum existimatis, ad quem tanquam ad CHristi Vicarium, iam inde ab Apostolorum temporibus, si qua de fide fuisset exorta cōtrouersia, semper Catholici referendum, & eius iudicio standum esse putauerunt, quòd vnam fidem esse non posse persuasum haberent, nisi pastor vnus agnosceretur in Ecclesia, ad quem de caussis ad religionem pertinentibus referretur.

*Brentius ad Deum iudicem prouocat. Responsio.*

*Aug. in Breuiculo Collationis, cap. 11.*

Queritur posteà de persequutione. Atqui ad eundem modum questi sunt ante mille ducentos annos Gaudentius, Petilianus, & alij Donatistæ. Quod illis respondet Augustinus, hoc sibi, suisq; responsum esse putet Brentius. Quin & nostro seculo queruntur Sacramentarij de vobis, quòd non sustuleritis Papæ tyrannidem, sed potius ad vos pertraxeritis, quodq; pro ligneo Papæ iugo collo excusso, ferreum imposueritis. Reperies has & apud Ioannem Caluinum, & apud Ioannem à Lasko querimonias. Quod vtrique respondit Ioachimus VVestphalus, sibi quoque dictum id existimet Brentius. Porrò quod queruntur

*Iniqua Brētij querela de persecutione*

Sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Etiam hæretici docent hæreticos gladio rectè vindicari.*

Sacramentarij de Lutheranis, queruntur idem Seruetiani de Sacramentarijs. Quid factum sit auctore Caluino de Serueto, scimus. Is libellum etiam edidit, quo docet, hæreticos gladio rectè vindicari. Scilicet vobis fas est, in Sacramentarios, Anabaptistas, Seruetianos, & alia huius generis hęreticorũ portenta animaduertere, eis in terris vestris receptum non dare, deniq; aut exilio mulctare, aut capitis suppliciũ de illis sumere: Catholicis idem in vos statuere fas non est.

*Vtrius partis, Catholicorũ ne an Lutheranorũ causa sit melior, ex victoria alteri parti cõcessa, vt vult Brentius, colligi potest.*

Profert ad extremum è scripturis loca nonnulla, quibus non rarò feciſſe Deum ostendit, vt victoria parti meliori concessa, quos approbaret, non obscurè quasi prolata sententia declararet. Atqui si ex eo coniecturam facere vis, vtrius partis causa sit melior, nihil est opus longius exempla petere, & ea quæ ante duo vel tria millia annorum gesta sunt, commemorare. Recens nos exemplum proferemus, ex quo vel cœco possit apparere, quòd secundum nos contra vos Deus pronunciauerit, nostramq; causam esse meliorem declarauerit. Ante decem hos annos qđ factum sit, recens est hominum memoria. Quale fuerit fœdus vestrũ Schmalcaldicum, vos Brenti scire melius potestis. Erat certè tuendi & armis propagandi Euangelij vestri causa percussum, cuius potentia freti, non dubitastis contra legitimum vestrum Dominum & Imperatorem Carolum eius nominis Quintum, non bellica laude magis, quàm pietate clarum, arma capere. Fuit exercitus vester, & numero lectissimorum militum, & omnibus rebus bello necessarijs, instructissimus: Fuit ęnearum machinarum tanta vis, vt cœlum implerr mugitibus videretur. Tanta fuit opinio rei benè gerendæ, tam nihil deerat ad victoriam consequendam, vt eam certa spe iam deuoraſſe videremini. Quoties perlatus est ad nos rumor, pientissimum Cæsarem, fusum, fugatum, & castris exutum esse? Sed fuit is tam verus, quàm verum est Euangelium vestrum. Erat ex altera parte Dominus & Imperator vester, quod ad robur militum, & ad victoriæ spem hominum opinione consequendam attinet, nulla re cum exercitu vestro conferendus, cùm essent illius copiæ perexiguæ, cumq; magna ex parte totius Imperij ferè præsidijs esset destitutus, ita vt si quis ex apparatu bellico vtriusq; partis iudicium de belli euentu facere vellet, fieri nulla ratione putaret, quin ex eo victus Imperator discederet. Visum est vobis, vos CHristi causam agere,

*Euidens Dei iudicium in Germanos hæreticos.*

nam sub huius obtentu bellum contra Dñm & Imperatorem vestrum suscepistis. Visum est & Imperatori Christianissimo, quòd Christi causam contra infestissimos CHristi hostes, pugnandam suscepisset. Sedit protribunali Deus: vtra pars causam suam ageret, quasi lata sententia pronunciauit, pientissimum Imperatorem Euangelij sui propugnatorem esse declarauit, eiq; victoriam incruentam concessit. Fugistis Brenti, nemine persequente. Cumq; postea bellum iterum instaurassetis, alteram contra vos sententiam pronunciauit Christus, cuius minister imperator ingentem exercitum vestrum, quamuis Albis fluuius esset interiectus, ductu tamen Angeli, vado reperto, perexigua manu vicit, fudit, fugauit, quin & ipsos belli duces in potestatem suam redegit. Vides Brenti, quàm apertè indicauerit Deus vos ea iussuis potius, quàm suam causam agere? Ac minister quidem eius iniustissimus Imperator, vt est natura propensus magis ad misericordiam, quàm ad seueritatem implicatus, editis compluribus clementiæ, lænitatis, moderationis exemplis, victorię laudem, quam Dei beneficio fuerat consequutus, multò reddidit illustriorem. Cęterùm multò maiores ipsi, graniores q; de vobis inuicem pœnas sumpsistis, Deo suam iniuriam apertè vindicante. Nónne statim initio nascentis Euangelij vestri, rusticorum contra Dominos fuit seditio concitata, cui libellos vestros occasionem dediſſe certius est, quàm vt negare possitis? Quibus ibi clarissimis Deus Germaniam non afflixit? Quin & post insignem illam Imperatoris Christianissimi victoriam, cùm perexiguo tempore cessatum ab armis fuisset, quando quidem clementer ab illo castigati, nulla tamen resipiscentię ligna dedistis, nõne Deus apertiora contra vos tulit iudicia? Nónne concurrere fecit Ægyptios contra Ægyptios? nónne pugnauit contra fratrem suum, & contra amicum suum? Nónne sic vos ipsi mutuis vulneribus concidistis, ipsi cędibus inuicem confecistis, tantis patriã ipsi vestram infortunijs mactastis, vt si quam libet eam truculentus hostis grandi cum exercitu peruasisset, vix vobis maiores calamitates inferre potuisset? Potuitnè Deus manifestiora iudicia proferre, quibus causam vestram damnaret, quàm quæ vobis per tot annos tam grauiter affligendis protulisse videtur? Sed accidit vobis illud, quod à Propheta scriptum est: Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Induruerunt facies suas supra Petram, & noluerunt reuerti. Clamat Dominus, reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos: reuertimini & viuite. Plagis etiam vos ad reuertendum impellit, vos nihilominus mori mauultis in peccatis vestris, quàm eò vnde vos per nefariam diuisionem præcidistis, reuerti. Quæ vestra cœcitas, cordisq; duritia, pœna & ipsa est impię vestrę & conscelerateq; ab Ecclesia Dei separationis: manentq; vos, nisi resipueritis, multò pœnæ grauiores. Siquidẽ quàm crudelis, quàmq; potens hostis ceruicibus vestris immineat, non ignoratis: qui quos nunc populos acerbissimo seruitutis iugo premit, eos ex magna parte non prius potestati suæ sebiecit, quàm ipsi se à Christi corpore vna, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia diuulsos, in Satanæ potestatem tradidissent. Quorum si vos exitus perhorrescitis, in eorum quæ fecerunt imitatione perstare nolite. Habes iam Brenti, quòd sententijs promulgatis, Iudex ille viuorum & mortuorum causam vestram apertè damnauerit: quarum etsi iam ex parte facta est exequutio, tamen præ ijs quæ vobis adhuc impendent malis, perexigua sunt ea, quibus iam estis multati. Sed quę vobis imminent, effugere tamen adhuc ea liceret, si possetis animo vestro imperare, vt vnde discessistis, ad Christum, & ad corpus eius vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam redieritis, ac vno ore atq; animo Deum & Patrem Domini nostri IESV Christi nobiscum glorificaretis. Quam vt vobis Deus mentem inspiret, diuinam illius misericordiam implorare nunquam intermitto.

*Seditio et cædes rusticorum in Germania.*

*Esaiæ 19.*

*Hier. 3. Zach. 3. Ezech. 18.*

*Germania propter sectas tot modos afflicta non resipiscit.*

*Ecclesiæ desertoribus Turca imminet*

Hactenus



Hactenus refutata sunt per nos argumenta Brentij, quibus demonstrare conatus est, quòd nihil sit in scripturis obscuritatis, quòd ea sic omnia continent ad salutem necessaria, nihil vt vel recipi vel credi præter eas oporteat: Quòd si qđ reperiatur illis controuersum, nec ad eorum Patrum, qui decesserunt ex hac vita, nec ad eorum qui successerunt illis, iudicium prouocari debeat. Ac esse quidem in scripturis obscura pleraq;, præterquàm quòd satis id à nobis copiosè demõstratum est in ipso propè capitis huius exordio, clamat hoc etiã res ipsa. Restat igitur, vt de posterioribus duobus, quæ praxis Ecclesię Catholicæ, qđ contrà semper fuerit ab hæreticis obseruatum, paucis nunc differamus, quò sic cognoscere possis pientissime Rex, cui potissimum labor hic noster desudat, vtra sit honestæ matronæ, hoc est, eius in qua nati vel renati sumus potius Ecclesię piorũ, vtra verò sit vox mulieris adulteræ, hoc est, eius quæ à viro suo Christo diuertit, quę se à corpore eius pcidit, Ecclesiæ malignantium. Pertinebit aũt hoc plurimùm ad cognoscẽdum, vtra vera sit Ecclesia, si linguam vtriusq; cognitam habueris. Quamobrem quòd in fine præcedentis capitis fecimus, faciemus hic quoq;, & ex actis 4. Conciliorum Oecumenicorum, quæ nec ipse Brentius improbare videtur, quæ fuerit Patrum Catholicorum, quæ verò vox hæreticorum, breuibus ostendemus.

*Repetitio prædictorum cum trãsitione.*

In primo concilio, quod est habitum Nicææ, quid Arrius, qui fuit in eo cõdemnatus, qđ post eum loquuti fuerint sectatores eius, iam non vno loco demonstrauimus, productis Athanasij, Hilarij, Augustini, Theodoreti, & aliorum quorundam testimonijs, quæ nunc repetere nihil est necesse. Vocem homousion propterea recipere noluerunt Arriani, quòd in scripturis ea non inueniretur, extra quas recipi nihil debere contendebant: eandem illam cantilenam cantantes, quam nunc occinunt nobis Lutherani: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata homum. Contrà Catholici, ad Patrum iudicia prouocabant, qui priusquam natus esset Arrius, & ij qui cum illo tum cõtendebant, qua de re controuertebatur, iam sententias tulerant. Quamobrem ex illorum sententia, pronunciatum est, frustrà reclamantibus Arrianis, rectè Patri filium homousion appellari. Habes hic quæ fuerit vox honestæ matronæ, quæ mulieris adulteræ, cuius vocem nunc semen etiam illius audis proferre, dum præter scripturas nihil recipi debere cõtendit: patrum verò iudicia, traditionesq; respuit.

*Quæ praxis Catholicorum, quæ item hæreticorum in primo Concilio.*

In secundo Concilio, quod est habitum Constantinopoli, quid fecerit Imperator Theodosius ex Nectarij suggestione, scribit in historia sua Socrates. Accitis enim hæresiarchis percontatus est illos, an aliquam eorum Doctorum rationem haberent, qui præcesserunt ipsorum hæresim. Illi cùm quorsum iret Imperator, nescirent, non alio loco, quàm quo suos præceptores, eos habere se respondérunt. Cùm autem iterum quæreret, num eos tanquam fide dignos Christiani dogmatis testes recipere vellent, tum illi primum olfecerunt, quid sibi vellet hæc Imperatoris interrogatio, cumq; aliter alij erga veterum libros essent animati, ortum est inter eos dissidium, cùm alij recipiendos, alij minimè recipiendos esse conferent. Et hic vides pientissime Rex, quòd illius quoque temporis hæretici non aliter, quàm nostri nunc, deferre Patrum auctoritati recusabant. Fuit autem in illo quoque concilio Macedonius condemnatus, qui propterea Deum esse Spiritum sanctum negabat, quòd scripturæ nomen hoc illi non tribuerent. Quid ad hæc Gregorius ille Nazianzenus, non sine causa Theologus à Græcis appellatus, qui maxima pars fuit illius Concilij, quem etiam auctorem esse volunt symboli, quod cantatur in Ecclesia? Quòd Spiritus sanctus in scripturis apertè nominari Deus non legatur, visus est inficias non ire: cæterùm vt hac in parte tolleuaret imperitos, quemadmodum rebus & nominibus vtatur scriptura, paucis edisserit. Rerum, inquit, aliæ cùm non sint, dicuntur tamen: aliæ cùm sint, non dicuntur: aliæ neque sunt, neque dicuntur: aliæ & sunt, & dicuntur. Primi generis exemplum ponit, quòd scriptura dicit Deum dormire, & vigilare, & irasci, &c. cùm tamen nihil eorum sit in Deo, sed pro nostro captu nomina ad res diuinas traducimus. Secundi, quòd vocamus Deum ingenitum: quod in scripturis non reperitur, sed è scripturis tamen colligitur. Tertij, Deum esse malum aut mali auctorem: hoc nec est, nec dicitur. Quarti, Deum esse, hominem esse, Angelum esse: hæc & sunt & dicuntur. Secundi generis vult esse, quòd Spiritum sanctum Deum esse dicimus: quod quamuis ijsdem verbis in scripturis non reperiatur, è scripturis tamen colligitur. Sic & Cyrillus ex illo scripturæ loco, Ego sum qui sum, colligit Filium esse consubstantialem Patri, quamuis nomen ipsum in scripturis nusquam reperiatur. Sic & nos ex plerisq; scripturę locis inuocandos esse Sanctos, orandum pro defunctis, esse purgatorium, colligimus, etiam si non omnia ijsdem verbis in libris Canonicis scripta reperiantur. Vides & hic serenissime Rex, quòd illo quoq; tempore Macedonius cum alijs hæreticis recipiendum esse negauit, quod nòminatim in scripturis expressum non esset, nec in Patrum testimonijs acquiescendum esse putauit. Sed alia fuit vox honestę matronæ, quàm illius mulieris adulteræ, facilè vt cognoscere liceat, vtrius ij semen sint, qui easdem nuncillas voces edunt, quas tunc Arrius & Macedonius edebant, qui tamen suis illis clamoribus nihil profecerunt. Nam sicut scribit Photius, Spiritum sanctum tanquam eiusdem naturæ & essentiæ simul cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, ex Patrum Theologorumq; doctrina, qui fuerant in Synodo Constantinopolitana cõgregati Episcopi declarauerunt.

*De secundo Concilio. Hist. Tri. lib. 5. cap. 10.*

*Nazianz. lib. 5. Theologiæ.*

Tertium Conciliũ habitum est Ephesi. Ibi condemnatus est Nestorius, quòd vnũ Dominum nostrum IESVM CHristum ausus est in duas secare atque diuidere personas, alium nudum hominem, alium Deum tantum esse dicens: quam etiam ob causam voluit MARIAM Virginem Christiparam: quod nudum Christum peperisset, non autem Deiparam vocari, ne Deum quoque peperisse crederetur. Quæ nunc hæreses pientissime Rex, in tuo quoq;

*Cyrill. lib. 1. dialog. de Trinit.*

*De tertio Concilio.*

*Vt olim, sic hodie Catholici docent quædam non expressa Scripturis.*

*In epist. ad Michaelem Bulgariæ Principem de septem Oecumenicis conciliis.*

*Matth.1. Lucæ 2. Ioan.19. Act.1.*

quoq; regno reuixisse, paululumq; pullulare videntur, in quo nõ desunt, quibus abomina-
tio quædã est, Mariam Virginem Dei Matrem appellare. Quid aũt aliud illo tempore Nesto-
rius, quàm scripturas crepabat? contra quas venire queritabatur, cùm semel & iterum IE-
SVM Matrem vocari Mariam in Euangelio legatur, Dei verò matrem nominari, nusquam in

*Cyrill. epist.1. quarti tomi.*

scripturis reperiatur? Quid autem ad hæc sanctissimus ille Cyrillus? Hanc nobis, inquit, fi-
dem diuini tradidere discipuli, & licèt nullam fecerint dictionis huius mentionem, ita ta-
men sentire à sanctis Patribus edocti sumus. Confitetur is nusquam scriptum esse, sed quia
sic Patres docuerunt, ideò monet amplectendum. Sed audi quæ scripsit de hoc concilio Vin

*Vincent. Lyrin. de Concil. Chalced.*

centius Lyrinensis, triennio postquam habitum fuisset. Cùm, inquit, de faci endis fidei re-
gulis disceptaretur, vniuersis Sacerdotibus, qui illo ducenti ferè numero cõuenerant, hoc
Catholicissimum, fidelissimum atq; optimum factu visum est, vt in medium sanctorum Pa-
trum sententiæ proferrentur: vt ex eorum consensu atq; decreto antiqui dogmatis religio
confirmaretur, & prophanæ nouitatis blasphemia condemnaretur. Deinde Patribus re-
censitis, quorum sententiæ tum prolatæ fuerunt. Hi sunt, inquit, omnes apud Ephesum sa-
crato Decalogi numero magistri, consiliarij, testes, iudicesq; producti: quorum beata illa
Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens iudicio, absq;
odio, præsumptione & gratia, de fidei regulis pronunciauit. Ac paucis interiectis: Admirati
sumus, quanta fuerit illius Cõcilij humilitas & sanctitas, qui cùm essent tot numero, tantæ
eruditionis, tantæq; doctrinæ, nihil tñ nouarẽt, nihil psumerẽt, nihil sibi penitus arrogarẽt,
sed omnibus modis prꝙcauerent, ne aliqd posteris traderent, quod ipsi à Patribus non acce-
pissent, & non solùm in præsenti rem benè disponerent, verùm etiam pòst futuris exempla

*Nestor. arrogantia & philautia.*

præberent, vt & ipsi scilicet sacræ vetustatis dogmata colerẽt, prophanæ verò nouitatis ad-
inuenta damnarent. Inuecti sumus etiam in Nestorij sceleratã prꝙsumptionem, quòd sacrã
scripturam se primùm & solum intelligere, & oẽs eos ignorasse iactaret, quicũq; ante se ma-
gisterij munere præditi, diuina eloquia tractauissent, vniuersos scilicet Sacerdotes, vniuer-
sos Confessores, & Martyres, quorum alij Dei legem explanassent, alij verò explanantibus
consensissent & credidissent, totam postremo nunc errare, & semper errasse asseueraret Ec-
clesiam, quæ, vt ipsi videbatur, ignaros, erroneosq; Doctores & sequuta esset, & sequeretur.

*Nestorio tota errat Ecclesia.*

Quid aũt de Nestorio dixit Vincentius, quod non totidem verbis verisimile dici possit de
Martino Luthero, deq; Ioanne Brentio? Vides pientissime Rex, quę fuerit in hoc quoq; Cõ-
cilio vox honestæ matronæ, quæ verò mulieris adulteræ! Defugiebat hæc Patrum auctori-
tatem, illa contra suos parentes libenter agnoscebat, ex eorum iudicio pendebat, in eorum
placitis acquiescebat.

*De quarto Cõcilio.*

Quartum Concilium habitum est Chalcedone. Fuit in eo condemnatus Eutyches, qui
duas in Christo naturas esse negabat: Audi sereniſſime Rex, quæ tum quoq; fuerit vox mu-
lieris adulteræ? quærebat Eutyches, in qua scriptura iacent duæ naturæ? Ego, inquit, à san-
ctis scripturis non didici de duabus naturis: ac subinde se de rebus eiusmodi solas inquire-

*Act.1. Concil. Chalced. & Act.5.*

re scripturas vociferabatur, tanquã sanctorum Patrum doctrinis & expositionibus firmio-
res. Audi rursus vocem honestæ matronæ. Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Ea quæ
sunt Patrum, teneantur. Ac rursus in definitione quam fecerunt: Sequentes igitur sanctos
Patres, vnum & ipsum confiteri filium Dominum nostrum IESVM Christum consо-

*Eudoxij præclara sententia.*

nanter omnes docemus, perfectum ipsum in Deitate, & perfectum ipsum in humanitate.
Quidam autem ex Episcopis in eodem Concilio congregatis, Eudoxius nomine, præcla-
ram dixit sententiam: Omnis, inquit, qui non cõsentit expositionibus sanctorum Patrum,
seipsum alienat ab omni sacerdotali communione, & à Christi præsentia. Nihil dici potuit

*Athan in epist. de Synod. Arimini & Seleuciæ celebratis*

verius. Quid enim aliud quàm semen adulteræ & fornicariæ se esse declarant, qui Patrum
placitis non consentiunt? Indicat hoc etiam Athanasius, cùm dicit: Æquum est, vt benè de
Patribus illis sentiamus, à quibus rectè viuendi instituta, & pietatis doctrinam accepimus,
nisi volumus nos esse filios adulterinos, declarare. Tales isti se manifestè declarant, qui Pa-
trum traditiones respuunt, in eorum præceptis incedere ne fas esse putant, & grauissimum
illis idololatriæ crimen impingere non verentur: illis, inquam, quos certò constat, ex quo

*Ecclesiæ desertores sectis in sectas ruũt.*

tempore semel se Christo desponderunt, illi se perpetuò virginem castã exhibuisse, nec va-
quam varijs & peregrinis doctrinis abductos, in aliud Euangelium se transferri passos fu-
isse. Contra verò isti, qui pietatis omnis obliti, tanti sceleris Patres suos filij degeneres con-
demnare sunt ausi, quibus cum idolis fornicati non sunt? posteàquam in Patrum suorum
præceptis incedere, & quod illos fuisse dubium non est, esse Christiani desierunt: Facti sunt
initio Lutherani, paulò pòst Zuingliani, mox Pickardi, deinde alij Seruetiani, alij Nestoria-
nij, alij Iconomachi, in quot hæreticorum libellos inciderunt, tot idolorum se stupris pol-
luerunt, dum vniuscuiusq; verbum, tanquam Dei verbum adorauerunt. Et erit quisquam,
qui vocem hanc adulteræ potius & fornicariæ esse putauerit audiendam, quæ nihil recipi-
endum præter scripturas, Patrum expositiones, traditionesq; respuendas, & eorum inci-
cia clamat esse declinanda, quàm honestissimæ matronæ, sanctæ matris nostræ, quę nos Deo
filios generauit, quæ iubet quidem, vt scripturis tantùm tribuamus, quantum si Deum ip-
sum loquentem audiremus: sed intereà iubet eadem, si quid repertum sit in scripturis am-
bigui, Patrum vt potius & Ecclesiæ sensum atque consensum sequamur, quàm interpreta-
tioni seminis istius adulteræ loci quicquam demus. Deinde iubet, vt istis ipsis scripturis
docti, non ea modò quæ per chartam & atramentum, verùm & ea quæ per sermonem no-
bis tradita sunt, firmiter teneamus. Sicut vnus etiam ex pijs istius honestissimæ matronæ fi-

*Aug. cont. Cresc. libro 1. cap. 27.*

lijs Augustinus, contra Cresconium, scribens, docuit: Quamuis, inquit, huius rei de scrip-
turis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac
re à nobis tenetur Veritas; cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam

ipsarum



ipsarum scripturarum commendat auctoritas: vt quoniam sancta scriptura fallere non po-
test, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consultat,
quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. Quàm verò dissimilis est vox hu-
ius ab ea, quam prolatam audiuimus à Brentio, qui verè dici potest semen mulieris adulte-
ræ? Si quid in scripturis canonicis non reperitur, non statim id propterea reijciendum esse
censet Augustinus, quin potius, quandoquidem in ijsdem scripturis Ecclesiæ nobis commẽ-
datur auctoritas, cum ea vocatur à Paulo firmamentum & columna veritatis, cùm à Chri-
sto dicitur: Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus: quid
aliud ait Augustinus, quàm scripturarum tenet auctoritatem, quisquis hoc facit, quod vni-
uersæ iam placuit Ecclesiæ? Sensibus hæc imis pientissime Rex, res est non parua, repone.
Cùm hoc facit aliquis, quòd vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, scripturarum eum tenere Veri-
tatem, docet Augustinus. At qui vir? cuius & pietas & doctrina sic spectata cunctis est &
probata, vt etiam filij desertores hæretici nostri seculi, nulli ex omnibus Catholicis Docto-
ribus, quàm huic vni, plus tribuere videantur. Neque verò non verissimè dixit hæc Augu-

*Ecclesia viuam est Euangelium.*

stinus. Est enim Ecclesia viuum Euangelium. Nam ea quæ per chartam & atramentum
Prophetæ scripserunt & Apostoli, non modò viua voce suis tradit libris, verumetiam die-
rum obseruatione, signis, simulachris, habitu, gestu, siue actione sacerdotum præcipuè sa-
cris operantium, ac vario rituum ac cæremoniarum genere, quasi præmansum infantium
ori cibum inserere cupiens, pijs omnibus quamlibet imperitis inculcare conatur.

*Athan. epist.1. Athanasij laus.*

Sed audi Serenissime Rex, quid in eandẽ propè sententiã alius ab Oriente, cuius & ipsius
præcipua semper in Ecclesia Dei fuit auctoritas, dixerit. Athanasius is est, qui Alexandrinæ
Ecclesiæ sedem, sicut scribit Cyril. integros quadraginta sex annos cum decore moderatus
est, & loquacibus hæreticorum impiorum nugis inexpugnabili quadã & Apostolica prudẽ-
tia restitit, quasiq; fragrantissimo quodam vnguento ipsum cœlum scriptis suis exornauit,
& ob dogmatum rectitudinem & integritatem, optimum ab omnibus sortitus est testimo-
nium. Hic igitur, cui tale Cyrillus tribuit elogium, in libro de incarnatione Christi, quem-

*Cyr. ad Reginas de recta fide.*

admodum ab eodem Cyrillo citatur, his verbis vtitur: Si quis præter hæc ex diuinis scrip-
turis alium esse docet filium Dei, & alium, qui ex Maria adoptatus est in filium, sicut nos: vel
si quis Domini nostri carnem supernè dicat, & non ex Maria virgine, vel conuersam diuini-
tatem in carnem, vel confusam vel immutatam, vel passibilem Domini Deitatem, vel inad-
orabilem Domini nostri carnem vt hominis, hunc anathematizat sancta & Catholica Eccle
sia, obtemperans in hoc diuino Apostolo dicenti: Si quis vobis euangelizauerit præterid,
quod accepistis, anathema sit. Obserua quæso diligenter, quid ab hoc sanctissimo viro dica-
tur: simul expende, num eadem sit Brentij quoq; vox, vt ex eo iudicium facere queas hone-
stæ ne matronæ, an mulieris adulteræ semen sit Brentius. Certa quædam capita profert A-

*Explicatio verborũ Athanasij.*

thanasius, quæ si quis ex diuinis scripturis docere sit conatus, eum anathematizari dicit à
sancta Catholica Ecclesia. Sed quánam auctoritate, si docet hoc ex diuinis scripturis? Pauli,
inquit, auctoritate dicentis. Si quis vobis euangelizauerit, &c. Res mira: quod Pauli testi-
monium pro scripturis contra traditiones nostri temporis hæretici producunt, hoc ad con
firmandas traditiones adfertur ab Athanasio, vt etiam si quis è scripturis contrarium do-
cere conetur ei quod in Patrum Concilijs definitum, per manus ab illis accepimus, non sit
audiendus: verum in eo quod accepimus, nobis potiùs sit permanendum: quamlibet ille
multa proferat in contrarium scripturarum examina. Non vult Athanasius iudicare filios
de Patrum decretis, nisi declarare se velint adulterinos: non vult etiam ad normam scriptu
rarum ea exigi, sicut semen istud adulteræ mulieris in hoc libro docuisse audiuisti. Sed eti-
amsi quis quamlibet multa proferat scripturarum loca, quibus infirmare conetur, quæ tra
dita nobis à Patribus accepimus, iubet eum iuxta Pauli doctrinam anathematizari, quoniã
aliud euangelizat ab eo, quod accepimus. Hic vides, quantum traditioni tribuendum puta
uerit Athanasius, quam etiam ipsi scripturæ non dubitauit anteferre: scripturæ, inquam, nõ
quomodo à Catholicis, sed quomodo profertur ab hæreticis. Nam quomodo profertur à
Catholicis, verbum est Dei, cui abfit vt quicquam anteponendum esse putemus: quomodo
profertur ab hæreticis, verbum est diaboli. Nam sicut per mẽbra sua Christus, ita per mẽbra

*Scriptura quomodo profertur ab hæreticis, verbum est diaboli.*

sua loquitur & diabolus, & sunt vtriusq; scripturæ cõmunes, q̃ nõ in legendo, sed in intelligẽ-
do consistũt. Oẽs hæretici (inquit Cyrillus) de scriptura diuinitus inspirata sui colligũt er-
roris occasiones, ea quæ à sancto Spiritu rectè dicta sunt, sua malitia corrũpentes, & super
sua capita flammam inextinguibilem excitãtes. Quæ verba & in septima Synodo proferun

*Cyr. epist. 28. Act. 6. Act. 1.*

tur, & est hæc Cyrilli epist. Synodi quoq; Chalcedonensis actis inserta. Quoniam verò pro-
prium ei rei caput dicauit Brentius, quod de traditionibus inscripsit, cui proximum
ab hoc locum tribuit, quod nunc est à nobis tractatum de auctoritate scrip-
turarum, agè quò nos Brentius vocat, sequamur, & eius de tradi-
tionibus quoq; vocem expendamus, vt honestę ne ma-
tronæ sit, an mulieris adulteræ, co-
gnosci queat.

LIBRI TERTII FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# LIBER QVARTVS
## DE TRADITIONIBVS.

*Soli verbo Dei credendum, quomodo verè dicatur.*
*Hier.10.*
*Rom.3.*
*Psal.13.*

QVI docent omni & soli Dei verbo fidem deberi, quia Christi fideles vocamur & sumus, hoc est, eam fidem cui falsum subesse non potest, horum sententiæ tantùm abest, vt nos repugnare velimus, vt etiam clara voce pronunciemus, nihil verius, nihil homine Christiano dignius dici posse. Dominus enim Deus verax est, quin ipsa potius veritas, omnis autem homo mendax. Quare soli & omni Dei verbo, qui mentiri nescit & fallere, fidem eam debemus, quæ Catholica vocatur, vt indubitanter verum esse, nec ei subesse falsi quicquam credamus, quod à Deo, qui Veritas est, proficiscitur. Cæterùm quid sit illud quod vocamus verbum Dei, diligentius nobis venit expendendum. Nam si quis putat hoc tantum esse verbum Dei, quod scriptum in ijs libris continetur, quos Canonicos vocamus, quod nostri temporis hæretici non iam putare, sed asseuerare videntur, ab eorum opinione nostra longiss. mè dissidet ratio, nihil vt dici posse credamus, quod magis à veritate sit alienum. Quis enim est, qui nesciat, quod multis antè seculis fuit Dei verbum, quàm esset vlla scriptura non modò sacra, verumetiam, vt quorundam est opinio, profana? Primus qui literis mandauit Dei verbum, fuisse Moses creditur, quin eum primùm literas inuenisse, nec ante ipsum vllum earum vsum fuisse, etiam Ethnicorum testimonio probare conatur Eusebius. Inter Mosen autem & primum hominem conditum, sicut anteà quoque meminimus, intercesserunt annorum plus quàm duo millia, ac toto illo tempore non fuit alia lex quàm lex naturæ. Nam lex scripta sumpsit exordium à Mose, sicut à Christo lex gratiæ. Fuit igitur multis antè seculis Dei verbum, quàm vel natus esset Moses, per quem primum literarum est monumentis consignatum. Quod verbum Dei, siue quod ipse loquutus est ad Adam, Noë, Abraham, siue quod sanctis illis Patriarchis inspirauit, sola traditione peruenit ad posteros, & ad Mosen etiam ipsum, præcesserit. scripturam traditio plus quàm 2000. annorum. Lex verò gratiæ non fuit scripta, sed à Christo, viua voce tradita, qui nec eam scribi mandauit, sed prædicari tantùm. Prædicate, inquit, Euangelium: hæc enim est lex gratiæ. Quare si quis tum aliqua de re contendere voluisset, non illi dicebatur: Sic scriptum est, aut, sic legisti: sed quomodo? Siue, inquit Paulus, ego, siue illi, sic prædicauimus, & sic credidistis. Tu verò permane in ijs quæ didicisti, sciens à quo didiceris. Sic visum est Spiritui sancto & nobis. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus. Sic illi non scripturas, verùm traditiones & consuetudinem allegabant, & in eo pij non grauatim acquiescebat?

*Verbum Dei lõgius patet quàm scriptura Canonica.*

*Eus. li.9. cap.4. & li.10.c.3. præparationis Euangelicæ.*

*Verbum Dei nõ scriptũ ad Mosen vsq;.*

*Etiam Euangelium traditione constat.*
*Marc.16.*
*1.Cor.15.*
*1.Tim.3.*
*Acto.15.*
*1.Corinth.11.*

*Prisci hæretici credebant verb Dei scripto, sed non item tradito.*

Verbum igitur Dei non sola scriptura, verumetiam traditione continetur, cui si quis fidem non habet, is non omni, sed scripto tantùm Dei verbo fidem habet. At qui verè dici vult & esse Christianus, is sicut soli, ita & omni Dei verbo credere tenetur, siue scriptum id sit, siue traditum. Certè multò maxima pars eorum, qui priscis etiam temporibus illis hæretici fuerunt declarati, non propterea sunt hæretici declarati, quòd scripto, sed quod traditio Dei verbo fidem non habuerunt, sicut in proximo superiori capite pluribus demonstrauimus. Eiusdem esse substantiæ cum Patre Filium, ex verbo Dei Patres Catholici docuerunt: Negabant id esse scriptum hæretici: concedebant illis Catholici non esse scriptum, sed esse traditum. Vides, quæ res Catholicos ab hæreticis discreuerit? illi non recipiebant verbum Dei, nisi quod esset scriptum: ij non modò scriptum Dei verbum, verùm & traditum recipiendum esse putauerunt. Certè Felix Pontifex, qui centum quinquaginta plus minus annis Nicænum Concilium præcessit, ad Benignum scribens, Apostolorum esse traditionẽ scribit, quòd filius eiusdem sit cum Patre substantiæ. Ad eundem modũ, quòd Spũs sanctus æquè sit adorandus & glorificandus, vt Pater & Filius, cùm eiusdem sit cum Patre & Filio substantiæ, demonstrabant ex verbo Dei Catholici. Quærebãt, vbi scriptum esset, hæretici Catholici cũ ijsdẽ verbis scriptũ nõ possent, verbũ Dei traditũ proferebant. Id hæretici recipere noluerũt. Sed quorsum attinet reliquos cõmemore? Magna ex parte quotquot fuerũt hæretici, solum esse Dei verbum asseuerabant, q̃ scripturis contineretur, cui fidem habere Christianum quemlibet oporteret. Contrà Catholici contendebant, & soli & omni Dei verbo, siue scriptum id, siue traditum esset, fidem haberi debere. Ex quo cuiuis perspicuum esse potest, quæ sit honestæ matronæ, quæ contra vox adulteræ mulieris & fornicariæ, tum vtrius semen sit Brentius. Qui cùm & ipse nõ aliud esse Dei verbũ recipiendum, q̃ quod his libris continetur, quos Canonicos vocamus, quòd verò per traditionem accepimus, id esse reijciendum doceat, quid aliud se, quàm semen adulteræ mulieris esse demonstrat? Sed audiamus, quibus modis opinionem suam tueatur.

*Felix. Pontifex.*

*Brentius verbũ Dei traditum reijcit.*

*Initium obiectionũ Brentij contra traditiones.*

Sumit exordium à cabala Iudæorum, quos in tantam Rabinorum suorum seruitutem coniectos narrat, vt quicquid illis fabularum quamuis incredibilium nomine cabalæ, quam receptionem siue traditionem interpretatur, obtruditur, necesse habeant tanq̃ cœlestia oracula excipere & adorare. Itaq; tanta premuntur, inquit, tyrannide, vt si Rabinus quispiam dixerit, dextrum esse sinistrum, & sinistrum esse dextrum, non est in misero vulgo, qui contradicere audeat. Hanc, inquit, Iudaicam seruitutem & tyrannidem suscipiunt hisce temporibus in Ecclesiam filij Dei, inducendam hi, quos à traditionibus dicere possis traditionarios, aut si breuiori vocabulo delectaris, traditores, &c. Quid autem Brenti, si vestri magistri hac

*Responsio.*



hac vestra tyrannide quæruntur? Produximus in præfatione libri huius quærimoniam Osiandri, qui sex & triginta scripturarum loca se protulisse scribit, quibus habitare Deum in nobis demonstrauit, neq; tamen fidem habitam esse: scripsisse breuem schedam Philippum, qua testatus est ita se rem habere, statim esse creditum. Quæritur & hoc Osiander, sicubi ibidem indicauimus, quòd qui vel Theologiæ Doctores, vel artium Vuittenbergæ Magistri creantur, iurare coguntur conceptis verbis, non in sacræ scripturæ, verùm in Augustanæ Confessionis vnanimi consensu se constanter esse permansuros. Coguntur, inquit, abiurare verba Dei, & in Philippi verba iurare, dum iurant, de grauioribus rebus ad fidem pertinentibus nihil se statuere velle, nisi sententia Seniorum Confessionis Augustanæ, etiamsi contrarium dicat scriptura. Vides ergo Brenti, vestros esse traditores illos, qui multitudinem imperitam induxerunt in eam seruitutem, vt quicquid ipsis tradere visum fuerit, necesse habeant tanquam cœlestia oracula excipere & adorare, vt si vos eorum Rabini, si vel tu Brẽti, vel Philippus dixerit, dextrum esse sinistrum, & sinistrum esse dextrum, non sit in misero vulgo qui contradicere audeat, cùm iureiurando etiam adstringantur, quibus docendi munus imponitur, ne contradicant. Magis hæc igitur in vestros quàm in nostros tua quadrat oratio: ac tantò minùs ferendi estis, quòd vestra quædam inculcatis auribus nostris, quæ tot seculis Ecclesiæ Dei fuerunt ignota: eaq; pro cœlestibus oraculis haberi, & tanquam Dei verbum adorari vultis: vt quibus persuasum est, vt ab Ecclesiæ gremio se separarent, eos sui Rabini verbum, Dei verbum esse contendit. Iamne intelligis Brenti, quòd vos estis, qui seruitutem hanc & tyrãnidem in Ecclesiam Dei induxistis: quodq; multò verius hæc de vobis dici possunt, quàm de Iudæorum Rabinis, vel Catholicis Episcopis?

*Ita confessionem fieri magis quam in scripturam iurat Vuittemberg.*

*Tot hodie dij adorantur, quot Hæresiarchæ.*

Neq; verò causam video, cur Petrum à Soto reprehendas, quod is dixerit, traditiones esse certissimum fidei fundamentum. Nam si quod primo loco ponitur in ædificatione domus, id rectè fundamentum dicitur, constat in ædificatione domus Dei viuentis, quæ est Ecclesia, primas fuisse traditiones, & illis ædificatam esse Ecclesiam, priusquam extaret scriptura vlla, nihil vt absurdè loquatur, si quis eas fidei fundamentum esse dicat. Deinde verò manifestum est & hoc, quòd labefactato fundamento, quod reliquum est operis extructũ, ruere necesse est. An non hoc ipsum accidisse videmus labefactatis traditionibus? Non potes dicere Brenti, nobis vilam esse vobiscum de scripturis controuersiam, recipimus omnes: tanquam Dei verbum veneramur & adoramus omnes. Qua de re itaq; agitur inter nos? Agitur de eo, quo sensu nobis recipiendæ sint, eóne quem vos adfertis, an eo, quem à Patribus nostris traditum accepimus? Deinde an simul cum scripturis traditiones quoque Patrum sint nobis retinendæ? Scripturæ saluæ sunt apud nos etiam vestro ipsorum testimonio. Iota vnum aut apex vnus ex illis per nos sublatus aut mutatus non est. Nam de vestris in Germanicam linguam versionibus, hoc loco mihi sermo non est. Posteàquam verò traditiones Patrum reijciendas esse putastis, tanquam, conuulso fundamento, quæ sit, & quanta ruina consequuta, quàm variæ, quàm multæ, quàm horrendæ sectæ ex eo natæ sint, vestris oculis ipsi videtis. Nihil igitur erratum est à Petro, quòd suo modo quodam fundamentum fidei traditiones esse dixit. Intereà tamen & fidei & domus, quæ supra hanc fidem ædificata est, aliud fundamentum non esse quàm illud, de quo scribit Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, Petrus vnà cum Ecclesia Catholica libenter confitetur. Quare quæcunq; sunt ædificata siue tradito, siue scripto Dei verbo, non super aliud fundamentum ædificata sunt, quàm quod à Paulo, quod & à cæteris Apostolis fuit positum super Christum Iesum: in cuius gloriam & tradita & scripta sunt omnia. Quò res fiat illustrior, exemplum proferemus. E scriptura didicimus, Iesum tradituũ esse propter delicta nostra, resurrexisse propter iustificationẽ nostrã: quorũ alterũ luctus & mœroris, alterũ gaudij, est & lętitiæ. Vide quemadmodũ hoc ipsum traditione quadã & cæremonia sit expressum, quò magis memoria tantorũ beneficiorũ animis fideliũ inculcari posset. Quoniam feria sexta passus est Christus, die vero Dominico resurrexit, quò tenacius infigi id posset mentibus mortalium, visum est Ecclesiæ statuendum, vt quo die passus est Christus, abstinentes à cibis delicatioribus, & ieiunio corpus macerãtes passionis illius & mortis beneficium, quasi compatientes illi pro nobis passo, grata quadam recordatione prosequeremur. Contrà verò, quia gauisi sunt discipuli, cùm Christum vidissent à mortuis resurgentem, quo die factum id est, vt eum ipsi quoque sumeremus hilariorem, & plus etiam aliquid reficiendo, recreandoq; corpori tribueremus. Vides quemadmodum & scriptura & traditionis idem est fundamentum Christus. Et impletur illud, quod ab Apostolo scriptum est: Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriã Dei facite. Et alio loco: Omne quodcunq; facitis in verbo & in opere, omnia in gloriam Dei facite. Quòd abstinemus, in gloriam facimus Christi, qui pro nobis passus est: quòd manducamus, in gloriam facimus eiusdem Christi, qui resurrexit propter iustificationem nostrã. Fundamentum igitur tam scripturæ, quàm traditionis, Christus est, quodq; per chartam & atramentum scriptura, hoc per cæremonias quasdam & obseruationes docet nos traditio.

*Non de scriptura, sed de earum sensu contenditur.*

*Dies Solis quomodo nos admoneat de Christo, idq; ex traditione.*
*Ioan.20.*
*1.Cor.10.*
*Colos. 3.*

*Cur Brentius traditiones oppugnet.*

Sed quam tandem causam adfert Brentius, quamobrem Petri sententiam de traditionibus refutandam esse putet? Quid, inquit, miserius, quid ærumnosius esset Ecclesia filij Dei quid incertius esset salute Ecclesiæ, si fundamentum eius penderet ab Asoticis traditionibus? An non hac via conijceretur Ecclesia in extremam seruitutem ambitiosissimorũ prælatorum, & superstitiosissimorum hipocrytarum, qui prætextu Apostolicarum traditionũ obtruderent Ecclesiæ, non solùm vanissimas quasq; nugas & ineptias, verumetiam horribi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Responsio. Quales traditiones Brentius recipiat.*

les errores amplectendos? Atqui tale aliquid obtrudi sub Apostolicarum traditionum prætextu negamus: quòd cùm tu dicas tantum, & non doceas, eadem facilitate contemnimus, qua dicitur abs te. Tandem Brentius de quo traditionum genere loquatur, definit. Non loquimur, inquit, nunc de traditione, qua nobis sacra scriptura, & quæ in ea continentur, à maioribus per manus tradita sunt. Hanc vult esse certam, necessariam, & modis omnibus amplectendam. De hac loqui dicit Irenæum, cùm recenset symbolum Apostolorum & successionem ordinariam. Nam in hoc prodest, inquit, cognitio ordinariæ successionis, non vt liceat Episcopis noua dogmata aduersus sacram scripturam fingere, sed vt habeamus ordinaria testimonia, quibus scimus hanc esse illam scripturam, in qua contineatur vera Prophetarum & Apostolorum doctrina. Miror Brenti, quomodo sis ausus dicere, quòd de scriptu-

*Responsio de Irenæo quid contra Brentiũ senserit de traditionibus. Iren. li. 3. c. 3*

ræ traditione loquatur Irenæus in eo loco, quem citauerat Petrus à Soto. Dicerem te librũ Irenæi non inspexisse, nisi ex ijs, q̃ paulò pòst ex eo adfers, malitia magis q̃ errore te peccare cognouissem. Qua de re cùm eò ventum erit, agam pluribus. Certè vel ex illis ipsis verbis, quæ citauit Petrus, vbi dicit Irenæus. Quam habent ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem: quando quidem annunciatam dicit, non scriptam, colligere tibi licuit, quòd nõ de traditione scripturæ loqueretur, verùm de traditione viua voce facta. Itidem ex ijs quæ præcesserunt, habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi Ecclesijs, & successores eorum vsq; ad nos: qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerut, quale ab ijs deliratur. Non dixit, nihil tale scripserunt, sed nihil tale docuerunt, neq; cognouerunt. Iam verò quando iubet ad successores Episcoporum, & Cathedras Apostolorum recurre, quam ad rem id iubet? num vt scripturas ibi legant? Quasi verò domi libros habere non possint. Certum est, quòd eo consilio remiserit eos Irenæus ad successores Episcoporum, & ad Cathedras Apostolorum, vt si quid fortasse scripturis canonicis comprehensum non esset, vt si quid obscuritatis haberet aliqua scriptura, vel propter intelligentiæ nostræ tarditatem, vel quòd hæreticorum peruicacitas perplexam redderet quæstionem, doceret non esse ad vnius alicuius oppidi Doctorem siue ministrum recurrendum: quale est, verbi gratia, V Vittemberga in Saxonia, Tubinga in Ducatu V Vittembergensi, Geneua in finibus Heluetiæ: sed ad Cathedras Apostolorum, vt quem sensum, quámve doctrinam per manus ea de re traditam accepissent, per longam Sacerdotum & Episcoporum successionem dubitantibus patefacerent. Sed audiamus adhuc loquentem Irenæum: Quid autem, inquit, si neq; Apostoli scripturas reliquissent nobis, nonne opportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ij, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes. Quibus si aliquis annunciauerit ea, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longè lorgiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunq; eorum portenti loquium. Potuitne clarioribus verbis indicare se non de scripturæ, sed de ea, quæ viua voce facta est, traditione loqui? Simul ex ijs verbis collige, quòd ipsius etiam sæculo, hoc est, centum octoginta annis post Christum natum, nulla fuerit apud pleraſque gentes Euangelij scriptura, sed sola tantum Apostolorum viua voce facta traditio. Sed de hoc paulò pòst pluribus.

*Quæ nunc cathedræ Sectariorum.*

*Idem li. 2. c. 4. Traditioni credendum etiam sine Scriptura.*

*Apud multas gentes fuit Euangelium sine scripto.*

Quòd autem in hoc modo prodesse dicis ordinariæ successionis cognitionem, vt habeamus ordinaria testimonia, quibus scimus hanc esse illam scripturam, in qua contineatur vera Prophetarum & Apostolorum doctrina, alium etiam eius vsum fuisse reperies, cum apud alios sanctos patres, tũ apud hunc ipsum Irenæũ. Neq;. n. de veritate scripturæ, sed de veritate doctrinæ, si qua noua proferebatur, num ad eundem modum, qui Cathedras Apostolorum tenuerunt, inuicem sibi succedentes Episcopi docuerint ordinaria testimonia, perquirebant. Sic in epistola quadam ad Florinum hic idem Irenæus: Hæc dogmata, inquit, Florine, sanam doctrinam non habent, hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, hæc dogmata tibi, qui ante nos fuerunt Presbyteri, qui & Apostolorum extiterũt discipuli, non tradiderunt. Hic Irenæus non de scripturarum, sed de dogmatum veritate traditionem profert. Sic in Concilio Nicæno, de eo quòd Filius est patri consubstantialis: in Constantinopolitano de eo, quòd Spiritus sanctus æquè sit adorandus & glorificandus, vt Pater & Filius: in Ephesino, quòd Maria virgo rectè vocetur Deipara: in Chalcedonensi, quòd duæ sunt naturæ in Christo: in tertio Constantinopolitano, quòd duæ sint in eo voluntates & operationes: in secundo Nicæno, quòd imaginibus rectè vtitur Ecclesia: in eo quod ante centum annos habitum est Florentiæ, quòd Spiritus sanctus à Patre, Filioq; procedat, cùm de rebus ijs in illis Concilijs disceptaretur, quandoquidem solis hæretici scripturis nitebantur, quas iuxta suam voluntatem interpretabantur, visum est faciendum Catholicis, vt quæ fuerit ije de rebus inuicem sibi succedentium Sacerdotum & Episcoporum sententia, diligentius inquirerent, & quod ordinariæ successionis testimonio tot sæculis vnanimiter ab illis traditum esse constabat, id tanquam Dei verbum reciperent. Cæterum quòd scribis: Non in hoc prodesse cognitionem ordinariæ successionis, vt liceat noua dogmata aduersus sacram scripturam fingere, verissimum esse confitemur, quin hanc solam causam esse dicimus, cur ordinariæ successionis testimonijs tantoperè nitamur, vt si quæ doctrina profertur, vetus an noua sit, cognoscere possimus. Verbi gratia: Docet aliquis absoluta necessitate fieri omnia, quæ fuerit Apostolorum traditio? Recurrimus ad eorum, qui successerunt illis, veterumq; Doctorum testimonia: inuenimus quòd primus eius sententiæ auctor fuerit Simon Magus, ei

*Synodi ex traditione multa constituerunt.*

*Ad discernenda dogmata prodest cognitio successionis ordinariæ.*

*Quomodo conuincendi, qui negant liberum hominis arbitrium.*



ei successerit Marcion: Marcioni, Manichæus: Manichæo, Petrus Adelhardus: Petro Adelhardo, Ioannes V Vicleff: V Vicleffo, dux & antesignanus hæreseos vestræ Lutherus: cõtrà quot quot fuerunt S. Pontifices & Sacerdotes, eos contrarium docuisse. A quibus cum hoc dogma vestrum incredibili quodam cunctorum consensu pridem damnatum esse videamus, audemus pronunciare, quod illi inuicem sibi succedentes Episcopi tot seculis, tam cõsentienter tradiderunt, id esse verbum Dei: quod verò profertur à vobis, aut à magistro vestrõ, verbum esse diaboli. Deinde profertis vos iustitiam nescio quam imputatiuam: profertis & fidem quandam specialem, de qua iam antè plura verba fecimus. Scrutamur scripturas, nihil tale in illis inuenimus. Quærimus deinde diligenter, num apud patres aliqua eiusmodi doctrina reperiatur contraria, reperimus potiùs omnia. His igitur ordinarijs testimonijs freti, quod ab illis docetur, tanquam Dei verbum recipere: quòd verò profertur à vobis, tanquam diaboli verbum execrari, & anathematizare nihil dubitamus. Adfertis etiã noua quædam vocabula. Nam quod nos pœnitentiam, hoc vos terrores conscientiæ: quod nos Eucharistiæ Sacramentum & sacrificium, hoc vos cœnam vocatis Dominicam. Excutimus Patrum scripta: videmus ijsdem eos nominibus vsos, quibus vtimur nos, vestras verò voces prorsus ignorasse. Nam & si cœnæ dominicæ mentionem faciunt nonnunquam, sacrificij tamen apud illos nomen multò est vsitatius. Quid igitur? facimus, quod Paulus mõnet, depositũ custodimus, & profanas vocũ nouitates deuitamus. Similiter statuimus de reliquis vestris dogmatibus. Negatis vos Missam esse sacrificiũ, negatis pro defunctis orandũ, aut sanctos inuocandos esse, vota monastica, cœlibatumq; sacerdotum damnatis: Nos priusquam aliquid de vestra sententia definiamus, quæ sint ijs de rebus ordinariæ successionis testimonia, diligenter indagamus: quibus perscrutatis, inuenimus vos nqua quædam dogmata, contra scripturarum sacram, contra sensum & consensum Patrum nostrorum fingere. Quamobrem quod à vobis adfertur, tanquam diaboli verbum repudiamus: quod verò per longam sacerdotum & Episcoporum successionem per manus nobis traditum accepimus, id mordicùs tanquam Dei verbum retinemus. Vides igitur, ad quid nobis prosit ordinariæ successionis cognitio? nimirùm ad hoc, vt cognoscamus quæ noua sit, quæ vetus doctrina.

*Contra iustitiam imputatiuam & fidem specialem.*

*Sectarij nomen pœnitentiæ & Eucharistiæ mutant. 1. Tim. 6.*

*Brentij sententia.*

Ostendit iam Brentius, de quibus traditionibus loqui velit: de ijs enim loquimur, inquit, quas nonnulli scriptores & alij tribuunt Apostolis, quæ tamen Apostolis non sunt scripto mandatæ. Concedit igitur & Christum fecisse, dixisse q̃ multa, & Apostolos nonnulla tradidisse & instituisse, quæ ab ipsis non sunt literis comprehensa. Cæterùm duo nobis, inquit, hic consideranda veniunt: vnum est, quæ sint illæ Christi aut Apostolorum traditiones, quæ sermone & non scripto posteritati sunt commendatæ. Alterum est, si constiterit, eas traditiones esse Apostolicas, cuius sint generis aut conditionis, & quo consilio sint traditæ. Videlicet num sint traditæ vel ad tempus tãtùm, vel ad externam tantùm disciplinam, vel, num sint eius conditionis, vt sine ipsarum obseruatione veram & æternam salutem consequi non possimus. Omninò enim ac diligentissimè cauendum est, ne nobis humanæ ac fictitiæ traditiones pro Apostolicis obtrudantur. Partitio tua Brenti, nobis non displicet: sed illud improbamus, quòd ex Paulo moues, cauendum esse, ne fictitiæ traditiones pro Apostolicis nobis obtrudantur, nam hac in parte nos quoq; tecum sentimus. Cæterùm Irenæi testimonium expendamus: Scribit, inquit, Irenæus, hæreticis solemne fuisse cùm vrgerentur scripturis, ad traditiones confugere. Cum è scripturis, inquit, arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex ijs inueniri veritas ab ijs, qui nesciunt traditionem. Sicut ipse scissus es ab Ecclesia Brenti, sic vnius capituli sententiam scidisti, dum superiora ponis, extrema verò præteris, partim memor, partim subdolè corrumpens. Cur enim illud non adiunxisti, quod non totis octo versibus interiectis sequitur? Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones, Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, qui aduersantur traditioni, dicent se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores synceram inuenisse veritatem. Quæ per Deum immortalem est hæc animi tui peruersitas? quæ frontis duritia? quod eum Irenæi locum ad opinionem tuam confirmandam ausus es producere, quo vix aptior alius ad eam infirmandam proferri potuisset? Contra quem enim ibi loquitur Irenæus? Nónne contra turbam vestram Asoticam, quam nullus pictor tam graphicè depingere penicillo suo potuisset, quàm ille calamo suo descripsit? Nam cùm duplex ratio sit congrediendi cum hæreticis, aut scripturis, aut traditione, quæritur Irenæus, neutra contra eos quicquam pro fici. Cuius etiam hæc verba sunt: Euenit, inquit, neq; scripturis iam neq; traditioni consentire eos. Aduersus tales certamen nobis est, ô dilectissime, more serpentum, lubrici vndiq; fingere conantes. De vobis igitur quæritur. Quod si quis proferat contra vos scripturas, verbi gratia, locum aliquem ex epistola Iacobi, aut ex Apocalypsi, aut ex Ecclesiastico, aut ex duobus libris Machabæorum, statim aut excipitis, contra scripturas has, quòd non sint ex auctoritate, quamlibet nos ordinarijs testimonijs, quod sint ex auctoritate, quodq; libros hos tanquam Canonicos iampridem receperit Ecclesia, demonstremus: Aut si nulla datur excipiendi potestas, variè dictum causamini quod scriptum est, & eius alienum quendam sensum adfertis. Si verò traditio vobis obijcitur Apostolica, si Patrum sententia contra vos profertur, non dubitatis vos illis profiteri sapientiores, & cum idolo vestro dicere: Nihil est, quòd quenquam tantillum moueat multitudo, magnitudo, longitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Ecclesiæ sanctorum: omnes perierunt, si senserunt vt scripserunt, nisi fortè qui resipuerunt ante supremum vitæ diem. Difficilis est igitur, inquit, ratio vobiscum congrediendi: Nam neq; scripturas recipitis: nisi quas vultis, & quo sensu vultis: neq; traditioni

*Responsio.*

*Responsio, Brentij in cuando Irenæo improbum esse.*

*Nec scripturis, nec traditione proficitur contra hæreticos. Iren. li. 3. ca. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus Apostolicis loci quicquam datis. Vbi fuit frons tua Brenti, cùm istud testimonium produceres? quo vides vel maximè tuam sententiam oppugnari. Et certè si quisquam Irenæus fuit is, qui traditionibus plurimum esse tribuendum putaret, quique subinde ad eas prouocaret, quod etiam exijs verbis, quæ paulò antè produximus ab Eusebio citata, ex epistola eius ad Florinum, cognoscere cuiuis licet.

*Euſ. li. 5. c. 20. hiſt. Eccleſ.*

*Quæſtio Brentij.*

*Euſ. li. 3. c. 39. hiſt.*

Quærit posteà Brentius, quomodo cognoscere liceat, num aliqua traditio sit Apostolica? Num sufficiat nobis auctoritas siue testimonium vnius & alterius Ecclesiastici scriptoris? Profert, quod Eusebius de Papia scribit, eum fabulosa quædam & peregrina, tanquam ex vna traditione Apostolorum ad se relata, vnde Chiliastæ quoque sunt errorem suum mutuati, scripsisse: cuius exemplo monet, ne temerè traditionibus, quæ Apostolorum & maiorum nomine proponi solent credamus, Perfacilis est ad id, quod quærit Brentius, responsio. Nã si quid nobis obtruditur Apostolicæ traditionis nomine, quod nõ modò non est ab Ecclesia receptum, & eius vsu comprobatum, verum etiam statim ab initio fuit illi reclamatum, siue Papias id produxerit, siue quicunque tandem scriptor alius Ecclesiasticus, quantæcunque sit auctoritatis, pro fabula potius, quàm pro Apostolica traditione habendum est: Cæterum illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, inquit Augustinus, intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, cõmendata ac statuta retineri. Nam si quid tota per orbẽ frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendũ sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. Vides quam regulã dederit Augustinus cognoscendæ traditionis Apostolicæ? hãc sequere & nõ errabis.

*Reſponſio.*

*Aug. epi. 11. ca. 1.*

*Brentij narratio de actis in Conci. Afri. contra Pont. Rom.*

Narrat deinceps Brentius, quemadmodum in concilio Africano petũt Legati Rom. Pontificis, vt liceat Episcopis Romam prouocare, & proferunt Canonem Nicæni Concilij, cuius auctoritate exigunt, vt Africanæ Ecclesiæ subijciantur Romanæ, sed Patres Africani Concilij petunt ab Ecclesia Alexandrina & Cõstantinopolitana vera exemplaria Canonum Nicæni Concilij, & deprehendunt Rom. Pontificem ambitione excitatum designasse in proferendis Canonibus Nicænis crimen falsi. Quare inuehuntur in eum grauissimè, & arguunt eum apertè mendacij. Vt aliqui, inquiunt, tanq̃ à tuæ sanctitatis latere mittãtur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum, quia illud quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum tanq̃ ex Patre Nicæni Concilij exinde transmisistis, in Concilijs verioribus quæ accipiũtur Nicæna, à sancto Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandriæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Cõstantinopolitano Antistite ex autentico, missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exequutores etiam clericos vestros, quibusq̃ petentibus nolite mittere, ne fumosum typum seculi in Ecclesiam Christi (quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem videre cupientibus præfert) videamur inducere. Hoc exemplo monet, cautè iudicandum esse de traditionibus, quæ Apostolorum nomine iactantur.

*Athanaſius de tyrannide Arrianorum in concremandis libris Epiſcoporum.*

*Reſponſio de alia Brentij peruerſitate incitanda ſi de hiſtoria.*

Sed quæ est hæc animi tui impotentia, Brenti? quam ardens odium erga sedem Apostolicam? quanta mentiendi libido? Scribis Patres Africani Concilij deprehendisse Romanum Pontificem designasse crimen falsi, Quando autem hoc illi crimen obiecerunt? An quia meminerunt veriorum conciliorum, quæ fuerunt aliundè missa, ideò Pontifici falsi crimen impegerunt? Num quia dico verius habere me exemplar, quàm tuum sit: falsi te sta tim insimulo, quasi tu codicem tuum adulteraueris? Videris ex te Patres illos longè tui dissimiles meritiri. Sed illi quamuis certis ex causis appellationes ad illum fieri nollent, quem tamen honorem deberent Romano Pontifici, non ignorauerunt. Itaque non modò quod falsò scribitur à te, grauissimè in eum inuecti non sunt, non modò mendacij non arguerunt, verumetiam reuerenter ad eum scripserunt. Tota epistola nihil habet in se amarulentiæ, nihil acerbitatis, sed est modestissimè scripta. Cur autem illud quoq̃ non adiecisti, quod in extremo positum est? Nam cùm negarent se Faustinum in Africa sustinere velle, clausulam illam adiecerunt, probitate ac moderatione tuæ sanctitatis salua. Sic illi sententiam suam Romani Pontificis moderationi subiecisse videntur. Hæc ita dicta sunt à nobis, ac si vera esse concederemus, quæ tum Patres illi scripserunt: simul etiam vt indicaremus, quæ tua sit vanitas & mentiendi voluptas. Quid autem Brenti, si quæ Patribus illis veriora visa sunt esse concilia, minùs vera fuerunt, quàm quæ proferebantur à Rom. Pontifice? Vis hoc tibi probemus? Quem autem eius rei testem dari tibi vis, qui sit exceptione tua maior? Vt Latini tibi satisfaciant metuo, ex Orientalibus aliquem Græcæ linguæ produci voles, si fides illi, per te sit habenda. Difficile est, quod à nobis exigis, vt ex ijs testes proferamus, quos Ecclesiæ Rom. semper iniquiores fuisse constat. Sed accipimus tamen conditionem, quamlibet ea dura videatur. Ecce tibi producimus ex Orientalibus testem omni maiorem exceptione Græcæ linguæ Magnum illum Athanasium, qui non solus, sed cum reliquis etiam Ægyptiorum Episcopis ad Marcum Sylueſtri successorem scribens, quæritur Arrianos omnia vastasse, libros etiam vsq̃ ad minimum incendisse, ne iota quidem vno relicto. Precamur, inquit, Pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni Concilij exemplaria, vt illa nobis, quæ (sanctæ recordationis) prædecessoris vestri Sylueſtri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quod à prædicta Synodo cum Pontifice nostro, id est, Alexandrinæ magnæ ciuitatis Episcopo in Diaconatus interfuimus officio, sub nostræ præsentiæ testimonio per beatos viros Victorem, Vincẽtium Presbyteros, missa sunt prædicto Papæ Sylueſtro cum adstipulatione subnexa capitula septuaginta. Audis hic Brenti, quo fuerunt per Arrianos omnes Ægyptiorum Episcoporum libri, ne iota quidem relicto, quorum impietate & fraude factum est, cùm præsertim nec Imperatoris Constantij studiũ illi deesset, vt paucis post annis q̃ celebratum esset Nicænum Concilium, de plenarijs eius Cõcilij exemplaribus dubitari cœptum sit, nec vllum integrum esse putaretur præterid, quod Romæ fuit asseruatum: ex quo & Iulius & Innocentius & Leo primus hunc ipsum canonem citant, de quo nunc agitur. Est ne autem verisimile, quòd Iulius Pontifex non plus quàm viginti post annis quàm habitum fuit Nicænum concilium, ausus esset falsum aliquem canonem citare, cùm illo tempore supereſſe testes non pauci potuerint, quibus eum de crimine falsi conuincere licuisset, quòd Arriani proculdubiò facere non prætermisissent? Produxissentautẽ post hũc etiam Innocentius & Leo Canonem hũc ipsum, si falsi crimen obiectũ à quoquam Iulio cognouissent: Sed quos tu semen adulteræ tanti patrati sceleris audes arguere? An non eos Pontifices, quorum sanctitas, honestas, grauitas in toto celebratur orbe Christiano? Patres Africani concilij potuerũt vt homines errare de re præsertim sibi minùs nota: tam sancti verò Pontifices ij falsi crimen committere nunq̃ potuerunt. Misit Cyrillus exempla canonum patribus Africanis, verùm vnde? ex Alexandria. Atqui Mgnus Athanasius incensos sibi libros fuisse quæritur ab Arrianis. Quod ergo mittere potuit Cyrillus exemplar aliud, q̃ quod ab hæreticis fuerat corruptum certis canonibus omissis? Attico porrò viuenti Ioanni Chrysostomo, cùm is in exilium pulsus fuisset, succesſerat, qui faciẽdus porrò viuenti Ioanni Chrysostomo, cùm is in exilium pulsus fuisset, succesſerat, qui facilè ferre potuit diminutum esse canonum numerum, eum præcipuæ sublatum, quo libera permitteretur ad Rom. Pont. appellatio, cùm sub idipsum tempus Innocentius Rom. Pont. Chrysostomum perhonorificè susceperisset, deinde eo restituendo in sedem suam laborasset: Sed extat Athanasij quoq̃ & Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum Episcoporum in sancta Alexandr. Synodo congregatorum epistola, in qua canon hic ipse Nicæni Concilij profertur. Satis ne iam tibi docuisse videmur Brenti, quòd lapsi fuerint Patres Africani Concilij, cùm esse veriora putarent exemplaria Nicæni Concilij, quæ Cyrillus Alexand. & Atticus Constantinopol. miserant, quàm ea quibus Rom. Pontifices nitebantur? Quid autem si ex abundanti docuerimus, etiam Africanos Episcopos errorem posteà suum agnouisse? & qui sub Bonifacio primo suas contra sedem Apostolicã ceruices erexerant, ea sub Bonifacio secũdo demisisse, pœnitentiaq̃ ductos totos se potestati Romani Pontificis subiecisse, prædecessorũq̃ suorum errorem hunc damnasse? Lege quæ scripsit hic ipse Bonifacius secundus ad Eulalium Alexandrinum Episcopum, tum & eam epistolam, quæ sequitur mox Eulalij Carthaginensis Episcopi ad Bonifacium, ita rem habere comperies. Habes itaque iam satis, vt opinor, demonstratum, non solum Roman. Pontificum testimonio, quos apud Catholicos omnes magnum semper auctoritatis pondus habuisse constat, verum & Magni illius Athanasij aliorumq̃ multorum Orientalium, quin & ipsorum Africanorum Episcoporum quodammodo propria confessione, quòd veriora fuerint, quæ Roma, q̃ quæ vel Alexandria, vel Constantinopoli producta sunt actorum Nicæni Concilij exemplaria.

*Alia probatio. Africani Epiſcopi Rom. Pont. ſe ſubmiſerunt.*

Monet iterum Brentius, vt de traditionibus, num sint Apostolicæ, cunctãter iudicemus. Aliquando enim, inquit, proponuntur nobis diuersæ de eadem re traditiones, quarũ vna huic, altera illi Apostolo tribuitur. Traditiones de tempore obseruationis Paschæ extant. Et alij quidem affirmant Petrum & Paulum tradidisse, Pascha celebrandum esse die Dominico post Lunam decimamquartam: alij autem scribunt, Ioannem Apostolum & Philippum tradidisse Pascha celebrandum esse Luna decimaquarta. De coniugio Sacerdotum aliter se, inquit, Stephanus, traditio habet Orientalium Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In eiusmodi casu Brenti, quid aliud faciendum est, q̃ quod factum esse legimus ab Imperatore Constantino, qui Concilium congregari, curauit cuius auctoritate, quæ fuit de tempore obseruationis Paschæ controuersia, dirempta est? Porrò de coniugio Sacerdotum, audi quid dicat celebris apud Græcos Epiphanius: Reuerà, inquit, non susçipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum, eos qui à nuptijs, mortua eorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt. Et hæc certò sancta Dei Ecclesia cum sinceritate obseruat. Sed & adhuc vigentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non susçipit. Sed eum qui se ab vna conuenit, vel in viduitate vixit, Diaconum & Presbyterum & Episcopum & Hypodiacodam locis adhuc liberos gignere Presbyteros & Diaconos & Hypodiaconos. At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Sic & hæc Stephani dubitatio iam est sublata. Nam quamuis aliter hac in parte se gerant Orientales, non faciunt hoc tamen iuxta Canonem, qui idem est, si quid Epiphanio credimus, apud Orientales, & Occidentales, sed faciunt pro libidine sua. Verùm ea de re pluribus in Confessione Christiana disseruimus, vbi de impedimentis matrimonij tractauimus, eò lectorem remittimus.

*Obiectio de traditionibus diuerſis, & quaſi contrarijs.*

*Reſponſio.*

*De coniugio Sacerdotum Epiph. hæreſi. 59. li. 2. Tom. 1.*

*Græci Sacerdotes ducunt vxores de facto, non de iure.*

*Brentij ſententia.*

Monet iterùm Brentius: Cùm à scriptore quopiam traditio tanquam Apostolica proponitur, eam non ideò agnoscendam esse, quòd scriptor ille, quantalibet sit sanctitate aut eruditione, affirmat: sed quia doctrina Prophetica & Apostolica, quæ sacris literis cõtinetur, diuinitus nobis commendata, & confirmata est: quamobrem expendendum esse, num ea traditio conueniat cum ijs sacris literis, quæ sunt cœlestibus testimonijs ad nos propagatæ. Nam si cum hac scriptura pugnauerit, dubitari amplius nec potest, nec debet, quin scriptor ille aut alios fallere voluerit, aut ab alijs falsus fuerit, & pro veritate mendacium acceperit. Fieri enim non potest, quòd Apostoli Spiritu sancto præditi, tradiderint verbis pugnantia cum ijs quæ mandauerunt, scriptis. Hoc quin verum sit, non dubitamus, quòd nihil tale verbis tradiderunt Apostoli, quod cum ijs, quæ scriptis tradiderũt, pugnaret: Sed quid si pugnare videbitur hæretico Traditio cum Scriptura, quàm Ecclesia tota pulchrè conuenire eum ea censet?

*Reſponſio.*

Aggreditur iã tandẽ alterã suæ partitionis partẽ, Si certò constiterit, inquit, traditionẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Brentij sententia de iudicandis Apostolorum traditionibus.*

esse verè ab Apostolis profectam, proxima cura erit, quo Consilio & in quē vsum ac finē ab Apostolis sit instituta. Nō possimus aūt hoc cognoscere, nisi ex ipsa Apostolorū doctrina & perpetuo eius doctrinæ, q̄ scripto est mādata, cōsensu. Quare siue dubitemus, siue non dubitemus, de traditione, semper nobis ad sacrā scripturā recurrendū est, & ex ea iudicium petendum. Quod excuti vis ab omnibus, quo Consilio traditio sit ab Apostolis instituta, nos minimè necessarium ducimus: quin illud magis probamus, quòd à Ioanne Chrysostomo scriptum est? Traditio est, nihil quæras amplius.

*Responsio.*

*Chry. hom. 4. in 2. ad Thes.*

Præclarè scriptum est à Gregorio Pontifice: Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudiciū maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat. Quem sequutus Bernardus quoq; Imperfecti, inquit, cordis & infirmæ voluntatis iudicium est, statuta Seniorum curiosius discutere, hærere ad singula, quæ iniunguntur, exigere de quibuscunq; rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit: nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata sanè, imò nimis molesta est huiusce modi obedientia: disputare, hoc est, instatu cordis, non in auditu auris obedire. Ac loquuntur quidem hi duo de monasticis institutis: cæterùm si Patris vnius alicuius, qui cæteris præest in monasterio præcepta discutere, fas isti non esse putant, quantò minùs fas esse debet, vt eas traditiones curiosius quiuis excutiat, quas Apostolicas esse, certò constiterit? Certè decretis Apostolorum tāquam à Deo profectis parere semper, eorum aūt quæ decreta sunt, rationē ab illis flagitare semper nō debemus. Illud verò nobis vel maximè pſuasum esse debet, quæcūq; lex, vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus lata est, eā respectu charitatis latā esse: nec in ea præscribi quicq̄, nisi quantum charitatis interest, nec aliud esse legis eiusmodi transgressionem, quàm charitatis violentiam.

*Quorum sit de traditionibus iudicare, an seruiam charitati.*

*Exemplum Phinees & Saul. Num. 25. 1. Mach. 2.*

*Idem vbi suprà.*

Docet id etiam Bernardus, vbi de monasticis loquitur institutis, quòd ea inuenta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret, sed quòd ita magis expediret: nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam charitatis. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutariq; omninò ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt. At si è contrario contraria aliquando charitati visa fuerint, non tibi Brenti, dicit Bernardus, nec tuæ farinæ alicui, sed ijs duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, nónne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuēre, pro charitate quoque vbi expedire videtur, vel omittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubiò foret, si statuta pro sola charitate contra charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamq; immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deseruiunt. Si de monasticis institutis recè visum est Bernardo, quòd non ad aliud quàm ad lucrum & custodiam charitatis inuenta sunt, quantò magis nobis persuasum esse debet, quæ sunt ab Apostolis & eorum successoribus instituta, itidem non ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam charitatis esse instituta?

*Idem scopus scripturæ & traditionum charitas. 1. Tim. 1.*

Cùm in omnibus ijs quæ decreuerunt, nihil aliud, quàm eam, quæ finis est præcepti, charitatem spectauerint: quam solam præcepit Christus, cuius lex non est, nisi lex charitatis: ad quam præcepta referuntur omnia, ita vt si quis dixerit, omnia mandata, siue quæ scripta in libris Canonicis, siue quæ tradita sunt nobis ab Apostolis & eorum successoribus, vnum esse mandatum charitatis, à verò nihil aberrauerit. Hoc itaq; consilio, in hunc vsum & finem institutæ sunt omnes Traditiones, quæ non ab Apostolis modò, verumetiam ab eorum successoribus profectæ sunt, quam denotat Bernardus, ad lucrum & custodiam charitatis: quā etiam ob causam non diutiùs immobiliter fixa sunt, quàm quoad charitati militant: cui simul vt militare desierint, iam nihil impedit, quò minùs vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud aliquid fortè commodius commutentur. Nam quæ pro charitate statuta sunt, ea contra charitatem retineri, prorsus iniquum fuerit. Sed num ideò cuiuis de fæce vulgi iudicare licebit, quando traditiones militant, quandò non militant charitati? Tantum abest, vt id vnicuiq; de plebe liceat, vt ne tibi quidem Brenti fas id sit, quamlibet cautus & prudens esse tibi videaris: verùm ijs tantum, inquit, Bernardus, quibus id posse videre datum & prouidere creditum est. Non satis est, si datum alicui sit posse videre, nisi creditum etiam sit posse prouidere. Quemobrem etiam si tu, qui prudens es in oculis tuis, posse te videre iudices, quando militet, quando non militet charitati traditio, quoniam tamen tibi non est creditum prouidere, nullam habes legitimam potestatem, quæ sint eius generis traditiones cognoscendi, & eas arbitrio tuo vel abrogandi, vel commutandi, sed inuitis etiam omnibus portis inferi, penes eos solos potestas hæc est, qui sedent in Petri Cathedra, qui cum semper ad manum habere queant viros & prudentia & doctrina singulari præditos, quorum vtantur consilio, datum est illis posse videre multorum oculis adiutis, quādo deseruiat, aut non deseruiat charitati traditio, simul posteàquam ad munus Apostolicum vocati sunt, creditum est illis prouidere, quo si traditionem aliquam non amplius charitati seruire iudicauerint, aut eam omitti deinceps, aut intermitti posse decernant, aut in aliud aliquid commodius commutent. Absit autem, vt penes quemuis de vulgo potestas sit ea de re iudicādi. Interest enim Reip. vt nō modò scriptæ leges, verùm & quæ moribus receptæ, eiusdemq; consuetudine sunt approbatæ, non temerè mutentur aut corrigantur, nisi eorum qui cum potestate versantur, auctoritas accesserit.

*Brentius de traditionibus Apostolicis. Acto. 15.*

Perstringit posteà Brentius traditiones aliquot, & expendit eas iuxta sacræ scripturæ regulam, vt quid de ipsis sentiendum sit cognoscamus, Non vesci, inquit, nec sanguine, nec suffocato, nec idolothito, traditio est. Et quia ex actis Apostolicis manifestum est, quòd Apo-



stoli ipsi tradiderint hoc Decretum Ecclesijs gentium, non amplius de hac traditione quærendum est, num sit Apostolica, sed quo Consilio, & quo fine Apostoli eam Ecclesiæ commendauerint. Quæritur, ergo, num Apostoli tradiderint eam hoc Consilio, vt imponerent Ecclesiæ perpetuam legem, cuius operum meritis consequerenturhomines coram Deo remissionem peccatorum? Nihil certè minùs. Quis aūt vnq̄ eo Concilio traditiones instituit, vt imponeret perpetuam legem, è cuius operum meritis consequerentur homines coram Deo remissionem peccatorum? Iam audiuisti quid ea de re scripserit Bernardus, quo Consilio, & quo fine pleraſque traditiones institutas esse docuerit, nimirūm ad lucrum & custodiam charitatis: per quam charitatem consequuntur homines coram Deo remissionem peccatorum, sicut à Christo dictum est: dimissa sunt illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Nam quod ad ipsa opera per se considerata attinet, non puto quòd quenquam reperies, qui doceat, quòd meritis eorum remissionem peccatorum aliquis consequi possit. Non est obscurum, quid de ea re scripserit Thomas Aquinas, à quo non dissentit omnis reliqua Theologorum schola. Si consideretur, inquit, opus hominis meritorium, secundum substantiam operis, & quatenus ex libero proficiscitur arbitrio, vita æterna dignum non est. Cæterùm præclarè dicit Augustinus: Radix nostra est charitas nostra, fructus nostri opera nostra, opus est, vt opera tua de charitate procedant: tunc est radix tua in terra viuentium. Radicem Deus inspicit, non opera. Sunt autem, sicut idem Augustinus docet, duæ radices. Radix omnium bonorum charitas: radix omnium malorum cupiditas. Sicut in charitate nihil vnquam mali, sic in cupiditate nihil vnquam boni poterit inueniri. Istæ duæ radices in duobus agris à duobus plantantur agricolis: vnam in cordibus bonorum plantat CHRISTVS, alium in cordibus malorum plantat diabolus. Nec de charitatis radice nascitur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Non attendit igitur Deus ad id, quod foris apparet, verùm radicem intuetur: vtrum ex cupiditate, an ex charitate facias, id comprobare. Nām & hoc libenter concedimus, quòd Apostoli liberauerunt gentes à iugo legis Mosaicæ. Non autem liberauerunt ab eo legis iugo, de quo dixit Christus: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Est lex vetus, est & lex noua. Ab illius iugo liberati, ab huius nequaquam. Vis autem scire, quod sit inter vtramque discrimen? Fuit illa timoris, est hæc amoris. Cohibebat illa manum, cohibet hæc animum. Obseruabatur illa spe præmiorum temporalium, quæ ferè sola tunc promittebantur: obseruatur hæc spe præmiorum æternorum, quæ prolixè Christus pollicetur. Quantò minùs autem grauia sunt quæ ex amore proficiscuntur, & quorum labores ingentibus præmijs pensatos iri certa spes est, tantò suauius est iugum nouæ legis, & onus illius leuius, quàm fuit iugum veteris legis. Quin & in hoc libenter assentimur Brentio, quòd Apostoli non tradiderunt hoc decreto perpetuam legem, cuius opera expient peccatum, sed tantùm præscripserint præsenti suo seculo regulam ad tempus duraturam, donec offendiculum inter gentes & Iudæos tolleretur. Etenim quæ vel ad externum ritum aliquem, vel ad Ecclesiasticam pertinent disciplinam, quoniā pro personarum, locorum, temporum, causarumq; circunstantia, mu-

*Luc. 7.*

*Thom. primæ secundæ, q. 114. artic. 3.*

*Merita nostra non substātia operis, sed vt charitatis nitus tur.*

*Aug. in Psal. 51.*

*Idem serm. 44. de tempore.*

*Gal. 5.*

*Aug. in psal. 39.*

*Tho. opuscolo 4.*

*Gal. 5.*

*Apostoli quàm legē iustulerint.*

*Matt. 11.*

*Veteris & nouæ legis differentia.*

*Charitatis opus quale & quantum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mutationem aliquando requirunt, non ferè solent eo consilio constituì, vt perpetua sint: nec si charitas id exigat, ea vel intermitti vel omitti fas sit. Docet hoc etiam Augustinus, q̃ charitatis opera non semper debent permanere, charitas autem semper. Quotquot itaque sunt instituta, quotquot sunt humanæ traditiones, vni charitati militant omnes. Quamobrem quoties hoc illa flagitat, vel intermitti, vel omitti, vel in aliud melius commutari possunt, sed non pro cuiusq̃ tamen libidine. Meritò commendatur ab Eusebio præclara illa Platonis sententia: Vobis quidem, inquit, si rectè constituræ sunt leges, vna certè erit præclarissima, quæ iubeat, ne quis iuuenum quærere audeat, recténe an contra se leges habeant, sed vno omnium ore, vnaq̃ voce, rectè tanquam à Dijs posita concedi præcipiat, nec vllo modo aliter pati quicquam à iuuenibus cogitare. Senem autem si quid excogitarit, Principibus & æqualibus nemine iuuenum audiente referre. Vides quàm ille vir prudentissimus Cretensium aut Laconum legibus religionem adhibendam esse putauerit. Iuuenes ne quæ rere quidem de illis vult, quo consilio latæ sint: senibus, quos Græci Presbyteros vocant, aliquid concedit tamen, sed quid illud? num vt figant & refigant arbitratu suo? Nihil minùs verùm vt referant Principibus, vt per quos lex est sancita, per eosdem decernatur, si iustas & graues causas è senibus aliquis attulerit, quamobrem id rectè fieri possit) vel intermitti vel omitti, vel in aliud aliquid commodius eam commutare debere. Id autem fieri vult Plato, nemine iuuenum audiente, quòd hæc ætas affectionibus, magis quàm rationis magisterio gubernari consueuerit. Quam etiam ob causam Aristoteles, humanæ philosophiæ minus eos idoneos auditores esse censet. Quid autem dici potuit prudetius? quid ad legum auctoritatem conseruandam, quibus regna stant & Respublicæ, accommodatius? Constat autem de non scriptis legis ibi loqui Platonem, quales fuisse Laconum leges dubium non est, quas propterea è scripto mandandas esse Lycurgus non putauit, quòd eas multò diutiùs duraturas, longeq̃ plus firmitatis habituras esse persuasum haberet, si moribus & institutis quodammodo mentibus hominum essent inscriptæ. Sic ille magis fixum forè credidit, quod per manus traditum, quàm quod literis esset consignatum. Nunc tecum Brenti reputa, si Cretensium aut Laconum leges tanquam ab ipso Deo sancitas haberi Plato voluit, qui bus etiam hanc ob causam Rhetorum nomen impositum esse Lycurgus existimatur, si ne mutare quidem aduersus illas permisit, quantum nos honorem habere legibus ijs oporteat, quas dubium non est à Spiritu sancto latas esse, qui Concilijs præsider, afflatuq̃ suo fouet ac vegetat Ecclesiam, nec eam in errorem vllum labi permittit? Si non vult Plato in legem inquiri ab hominibus latam, quantò minùs fas est in legem inquiri à Spiritu sancto latam? Quamobrem nihil dici potuit pernitiosius, quàm quod affirmatur abs te Brenti, cuius etiam de fæce vulgi fas esse, quo consilio, quóve fine lata sit lex, inuestigare, iudicium de illa suum interponere, ac si animo suo non arriserit, statim eam conuellere & labefactare: Quod nunc, proh dolor, quantò quisq̃ minus habet intelligentiæ, tantò maiore facit audacia. Interea tamen presbyteris nefas non est, ad eos qui præsunt Ecclesiæ, referre, si quid eiusmodi videatur in aliqua lege, quod mutationis alicuius indigeat. Per quos in vnum congregatos, quæ vel ad ritum, vel ad mores pertinent, pro eo vt præsens rerum status postulat, vel de re tinenda, vel de commutanda illa decerni aliquid rectè potest. Sic & alijs de rebus & de Eucharistiæ Sacramento factum esse videmus. Fuit hoc moribus aliquando receptum, vt infantibus daretur Eucharistia, mos hic postea fuit abrogatus. Calicis etiam vsum apud veteres fuisse scimus: verùm & hic ritus non aliò magis quàm charitatis respectu mutatus est. Nã etsi fuerunt aliæ quoq̃ causæ, nimirùm periculum effusionis, & ne quid habere cum Nestorianis commune Catholici viderentur: fuit tamen & hæc non postrema, quòd eum apud plerosq̃ populos, qui recens ad Christi fidem ante sexcentos & septingentos hos annos conuersi fuerant, aut nullus, aut rarus admodum esset vini vsus, vt sine difficultate tantum vini suppeditari vix posset, quantum ad bibendum omnibus ex calice sufficere valeret, ne quid ex eo offendiculi oriretur, si vterentur calice ditiores, non vterentur egeni, visum est à charitate Christiana nõ alienũ, vt ab eo cõmuniter omnes abstinerẽt, cùm æquè sub vna specie Christus integer sumeretur, atq̃ sub vtraq̃. Neq̃ tamen interea Christi violata est institutio. Nam quibus id mandatum est, Sacerdotes, quando faciunt hoc, quod in illa nouissima cœna Christus fecit, hoc est, quando conficiunt & offerunt, non aliter sumunt, q̃ sicut ipse Christus, qui tum conficiebat & offerebat, sumpsit, & sumendum illis dedit. Verùm nos ad Brentium reuertamur.

*Augu. hom. 8. in epist. Ioan.*

*Euseb. lib. 12. de præpar. Euangelica cap. 2.*

*Plat lib. 1. de legibus.*

*Non est iuuenum quærere de legum ratione cur latæ sint.*

*Arist. 1. lib. Ethicorum.*

*Nil pernitiosius quàm suum cuique iudicium de legibus permittere.*

*Presbyteri rectè ad Præpositos suos referunt corrigẽda.*

*De vsu calicis adẽpto Laicis in communione.*

*Brentij sententia de traditione celebrandi Paschatis.*
*Colos. 2.*
*Galat. 4.*
*So. lib. 5. c. 22. hist.*
*Responsio.*

Expendit is traditionem de Paschate: Num Apostolica sit, in dubium reuocat, idq̃ propter eam causam, quòd Asiani, qui celebrabant Pascha decimaquarta Luna, retulerint hanc traditionem in Ioannem Euangelistam & Apostolum: Occidentales, qui celebrabant Pascha die Dominico post quartam decimam Lunam, retulerint eam in Petrum & Paulum. Hæc ipsa diuersitas, inquit, quam scriptores de tempore celebrandi Paschatis referunt, suspicionem inijcit, quòd Apostoli nihil tale Ecclesijs tradiderunt. Et Paulus dicit: Ne quis vos iudicet in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbati. Et iterùm: Dies obseruatis & menses. Et Socrates: Erat, inquit, Apostolorum institutum, non de diebus festis sancire, sed rectam vitam & pietatem docere: Atqui diuersitas hæc non impedit, quo minùs hæc traditio semper Apostolorum habita fuerit, vt die Dominico post Lunam decimamquartam Pascha celebretur: quod & si secùs ab Asianis aliquando legimus obseruatum, errore tamen id factum esse scribit Epiphanius, quòd malè dictum Apostolorum interpretarentur, & per ignorantiam aliter intelligerent. Quòd verò profers Pauli verba, quibus probare niteris nihil eiusmodi Apostolos instituisse, suo quoq̃ seculo scribũt, 1. Epiphanius, 2. Hieronymus, 3. Ambrosius, 4. Augustinus, 5. Leo Magnus à quibusdam hæreticis ea prolata fuisse: quibus quæ respondent illi, eadem vobis etiam Brenti responsa esse putato.

*Epiph. hæres. 90.*
*1. Hær. 73*
*2. In 2 ca. ad Gal.*
*3. Epist. 83.*
*4. Epist. 119. ca. 7.*
*5. Serm. 4. de ieunio septimi mensis.*



Nam nos vel hanc ob causam in ijs veterum etiam hæreticorum argumentis refutandis lõgiores esse nolumus, quòd in confessione nostra Christiana satis copiosè sunt hæc à nobis tractata. Iam quòd à Socrate dictum adfers, quòd erat scopus Apostolis non de festis diebus sancire, sed rectam vitam & pietatem docere, hoc verissimum esse confitemur. Nam in omnibus quæ tradiderunt Apostoli, scopum hunc eorum fuisse certum est, vt charitate mentes hominum inflammarent, quæ sola recta vita est ac pietas. Charitatem, inquam, & Dei & proximi. Charitas erga Deum flagitabat, vt eius beneficiorum, quæ nobis, immensa præstitit, memoria nulla apud nos vnquàm obliuione obrueretur. Cùm autem nulla fuerunt illius erga nos beneficia maiora, quàm quod vnigenitum filium suum misit, qui traderetur propter delicta nostra, resurgeret autem propter iustificationem nostram, illa conati sunt animis hominũ diligentius inculcare, quò ficad eum redamandũ vehementius accederemur, quẽ nos priorẽ sic dilexisse cognouissemus, vt proprio filio suo non parceret, verùm p nobis omnibus traderet illum, traderet autẽ ad illudendũ, flagellandum, crucifigendum, & morte turpissima condemnandum, qui tamen tertio pòst die resurgeret à mortuis, quo fic nos de nostra quoque resurrectione certos redderet. Hæc præ cæteris memoriæ nostræ tenacius infigi voluerunt. Quare non contenti quartæ & sextæ ieiunium, diemq̃ Dominicum festum instituisse, quadrageſimam etiam, & sanctam hebdomadam, quam in luctu, & mœrore transigeremus, deinde verò Paschatis festa, quæ solenni quadam lætitia celebraremus, nobis obseruanda tradiderunt. Quorum obseruatio quid est aliud, quàm Euangelij quædam viua explicatio, quam si quis abrogandam putat, eadem ratione qua viuum hoc etiam scriptum Euangelium abroget, licebit. Hic igitur fuit Apostolorũ scopus, quo ad charitatẽ quã Deo debemus, in animis nostris excitandã. Fuit & alter scopus, vt inter nos quoq̃ mutuã charitatẽ conseruaremus, qua sola maximè alitur amicitia. Est autẽ hoc amicorũ proprium, idem velle & idem nolle, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Volebãt igitur Apostoli, vt quos in fratres sibi Christus cooptasset, quicunq̃ nomen ab illo ducere, de eq̃ illo gloriari cuperent, vt fraternam inter se charitatem retinerent, simul flerent Christi passi & mortui, simul gauderent, Christi resurgentis memoriam celebrantes, & sicut fidem vnam & eandem haberent, sic eam ijsdem etiam ritibus & cæremonijs, ijsdem etiam, quo ad eius fieri posset, obseruationibus mentibus fidelium, vt ita dicam, inscribere conarentur, nec vlla in re inter se discreparent. Habes iam Brenti, qui fuerit Apostolorum scopus. Ad quem etiam collimarunt Patres in Synodo Nicæna congregati: Quam duabus de causis fuisse conuocatam, scribit Athanasius: Primùm, vt festum Paschatis eodem die celebraretur: deinde vt hæresis Arriana, quæ suppullulauerat, anathemate percuteretur. Vides quantùm eo tempore fuerit existimatum, in eo positum esse, vt hæc de tempore celebrãdi Paschatis discrepãtia tolleretur, vt vniuersus orbis (sic. n. loquitur Athanasius) in Concilio propterea coiret, vt eodem die Pascha celebraretur, & hæc prima congregandæ Synodi causa fuerit. Nunc audi quibus rationibus adducti fuerint illi sancti Patres, vt vno eodemq̃ die sanctissimi Paschatis ferias peragi, & orientis Ecclesias, quæ à Romana & cæteris occidentis Ecclesijs dissidere visæ sunt, eandem cum ijs à quibus dissidebant, diem obseruare vellent. Duas enim Ecclesiasticæ historiæ scriptores commemorant. Primam, quòd minimè fas esset, Christianos Iudæorum sequi consuetudinem, qui posteàquam consceleratas manus suas nefaria Christi cæde contaminarunt, tanta sunt animorum cæcitate percussi, vt videntes non videant, audientes non audiant, neque quod rectum est, intelligant. Deinde, quòd graue cum primis & indecorum esse putaretur, quandoquidem vnum corpus, vnus spiritus sumus omnes, vna vocationis nostræ spes, vnus Dominus noster, vna fides, vnum baptisma, vnus est Deus & Pater omnium, non vno, eodemq̃ tempore anniuersarium redemptionis nostræ diem ab omnibus & singulis eiusdem corporis membris celebrari: sed per eosdem dies alios quidem ieiunijs exerceri, alios verò conuiuijs vacare, & hos quidem feriari & conquiescere, illos verò corporis afflictionibus macerari, quemadmodum in sua quadam ad Episcopos, qui ad Synodum Nicænam venire non poterant, & ad omnes vbiq̃ locorum Ecclesias, epistola, fusiùs ab Imperatore Constantino, & in eo libro quem aduersus hæreses conscriplit, ab Epiphanio proditum legimus. Ex eo colligere licet, quæ ratio prius fuerit, vel obseruandi certa tempora, vel mutandi: duplex nimirum, vna, vt ne quid vel cum Iudæis, quemadmodum de Paschate, deq̃ Sabbato factum videmus, vel cum gentibus haberent commune Christiani: quæ cùm sextum hebdomadæ diem tanquam Veneri sacrum, in ludis, epulis, nequitijs consumere consueuissent, visum est Christianis, vt quem illi diem cum primis lætum & hilarem ducebant, eum in mœrore, luctuq̃ traducerent, non sam illi dederunt, deflentes. Altera, quòd sicut à Damaso Papa scriptum, & à Leone Magno repetitum legimus, non aliter vnus grex & vnus pastor sumus, quàm si, quod iterum atq̃ iterum monet Apostolus, idipsum dicamus omnes: si perfecti simus in eodem sensu, & in eadem sententia, si vno atq̃ eodem tempore, ritus etiam eosdem obseruemus. Eundem igitur quem Apostoli, sancti quoq̃ Patres in Synodo Nicæna congregati, scopum sibi propositum habuerunt, cùm hoc de tempore celebrandi Paschatis decretum promulgarent, nimirum eam, quæ finis est præcepti, charitatem.

Ponamus, inquit Brentius, Apostolos aliquid de tempore celebrandi Paschatis quibusdã Ecclesijs, tradidisse, manifestum tamen est, quòd non tradiderint legem necessariam, sed disciplinam liberrimam, qua Ecclesia tantisper vteretur dum vtilitati ipsius seruiret. Paulus enim dicit: Hic quidem iudicat diem ad diem conferens, ille autem idem iudicat de quouis die, &c. Demus autem hoc tibi Brenti, non tradidisse legem necessariam Apostolos de tempore celebrandi Paschatis. Posteàquam verò totus orbis in Concilium coiuit, quæ-

*Scopus traditionum Apostolicarum, præsertim in dierum festorũ institutione.*

*Rom. 8.*
*Matth. 20.*

*Rom. 15.*

*Athana. in Epist. de Synodis Arimini et Seleuciæ congregatis, & in epist. ad Episcopos in Africa ibidem.*

*Euseb. lib. 3. de vita Constanti.*
*Socr. lib. 5. cap. 12.*
*Solo lib. 7. c. 18. & 19.*
*Theo. li. 1. cap. 10.*
*Ephe. 4.*

*Constantinus Epiph. hæres. 70.*

*Duæ causæ priscis obseruandi vel mutandi tempora.*

*Dam. epist. 4. de Coepiscopis.*
*Leo epist. 4. cap. 2.*
*1. Cor. 1.*

*Brentius iterum de traditione Paschatis celebrandi.*
*Rom. 14*
*Responsio.*

so

Universidad de Deusto
Biblioteca



so te, num propterea tanto labore coiuit in locum vnum, vt postquàm decreuisset aliquid, liberum esset nihilominùs vnicuique parere si vellet, aut non parere? Quorsum autem attinebat, vt laudatissimus Imperator ille Constantinus tanto sumptu suo tot sanctos patres ita fatigaret, quorũ alij ætate, alij valetudine affecta, alij lõgissimè fuerunt ab eo loco remoti, in quem illis conueniendũ erat: vt sine magna difficultate & molestia sua tam longũ iter perficere plerique non possent? quorsum inquam, attinebat tantos facere sumptus, & ita fatigare sanctos patres illos, si quod tu vis, liberrimam esse nihilominùs disciplinam hanc oportuit? Scilicet, ijs verbis ad illos Imperator vsus est: Decernite Patres aliquid de tempore Paschatis obseruandi, verùm ita, nihil vt hac de re tradatis tanquam necessarium, sed liberrimam tantùm disciplinam, qua tantisper vtatur Ecclesia, dum ipsius vtilitati seruiat. Si diceres. Nihil tradatis perpetuò tenendum, colorem tamen haberet aliquem oratio tua: sed si hoc vis, vt etiam post decretum factum liberrima sit nihilominùs disciplina, & liceat cuiuis iudicare, quàm diu seruiat vtilitati Ecclesiæ, quid dici potest absurdius? Nos verò nihil dubitamus, quòd etiam Apostoli quam hac de re legem tradiderunt, non tanquam liberrimam disciplinam tradiderint, sed ita necessariò voluerint ab omnibus obseruari, ne pro suæ priuatæ libidine cuiuis eam rescindere liceret. Quòd si quid aliquando dubitationis incidisset, eius eximendæ non penes vnum aliquem, quamlibet sibi prudens is videretur, sed penes vniuersam Ecclesiam, aut certè penes eum qui Petri tenet cathedram, potestatem esse voluerunt. Quorsum autem adducis locum illum Pauli, Alius iudicat diem, &c. Scilicet ignorabant illum Patres in Synodo Nicæna congregati? Denique totus orbis Christianus quis Pauli verborum horum sensus esset, nesciebat, quandoquidem iam inde ab Apostolorum temporibus in occidentis Ecclesijs: totis verò mille trecentis annis in toto orbe, quàm longe quamq; latè Christiana fides fuit propagata, summa concordia semper ab omnibus Paschatis festum eo die, quem Patres Nicænæ Synodi præscripserunt, ab omnibus Christianis ad hunc vsq; diem semper fuit celebratum, ac deinceps etiam nunquam aliter celebrabitur vsq; ad mundi finem? Legebatur, ante vos quoq; Brenti, Paulus in Ecclesia, legebatur, inquam, & intelligebatur, neq; de Christianorum: verùm de Iudæorum obseruationibus hęc Pauli verba sancti Patres nostri sunt interpretati. Nam cùm Iudaicæ fuerint vmbræ, ventura Christum figurauerint, obseruationes nostræ veniſse iam natum, passum, & mortuum: tertio die resurrexisse, quadragesimo pòst in cœlum ascendisse, decimo pòst, hoc est, ab eo quo resurrexit quinquagesimo, Spiritum sanctum misisse, nobis in memoriam reuocât. Quod non scriptum, sed nobis traditum per sanctos Apostolos, quasi viuum Euangelium, si sublatum aliquis cupiat, quid is aliud quàm Christum nobis ereptum, & omnem beneficiorum eius memoriam extinctam cupit?

*Apostoli suas traditiones non liberam esse disciplinam voluerunt.*

*De Victore Pontifice. Euse. lib. 5. cap. 25. Sot. li. 3. cap. 22. Nic. li. 4. ca. 36. Leo epist. 64. Epipha. hæresi. 70.*

Quod verò scribis, Victorem Romanum Pontificem grauiter à maioribus reprehensum esse, quòd suscepisset eos, qui decimaquarta luna Paschа celebrabant, ex Ecclesia abijciendos: Tradunt hoc auctores Ecclesiasticæ historiæ, non omnibus Episcopis factum hoc eius placuisse: Verùm intereà Leoni quoq; Pontifici Romano, cùm de festo Paschatis tractaret, non leuiter delinqui visum est, si in principio Sacramenti veritas & vnitas ab vniuersa Ecclesia nõ teneretur. Sed ante eum scriptor celebris Epiphanius tam esse graue iudicauit in hac obseruatione diei Paschatis, à more cæterarum orbis Ecclesiarum alios discrepare: vt non dubitauerit in album hæreticorum eos referre, qui luna quartadecima Pascha celebrassent, quos quidem quarta decumanos vocat.

*Brentius contra Basilium. Basil. de spiritu sancto. cap. 27. Cap. 29. Laus Basil. Theod. li. 4. ca. 19. Soc. li. 4. c. 23. epi. 26.*

Exutit nunc censor noster Basilij dictum de traditionibus, quod scriptum his verbis legimus. Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus, quæ vtraq; eandem vim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus, quæ vtraq; eandem vim habent, & nemo ijs contradicit, qui vel saltem modicam Ecclesiasticarum ad pietatem vim habent, & nemo ijs contradicit, qui vel saltem modicam Ecclesiasticarum legum experientiam habet. Et iterum: Apostolicum arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Quid autem in his & quæ sequuntur verbis, non piè, non Catholicè, non orthodoxè scriptum est? Et hunc tamen audet momus hic veriùs quàm Aristarchus reprehendere? At quem virum, Quem Theodoretus lumen orbis terrarum, quem Socrates columnam veritatis, quem Gregorius ille Theologus à Græcis vocatus, orbis oculum vocat, neq; dubitat cum veteris & noui Testamenti Patribus conferre, ac tantas illius fuisse virtutes narrat, nulla, vt vis orationis esse tãta queat, quæ pro dignitate eas exprimere possit. In hunc talem virum, cuius tot seculis in Ecclesia summa semper fuit auctoritas, audet sibi censuram sumere Brentius. Neq; verò non intelligit peccatum suum: rem esse videtur indignam, neq; posse non offendi piorum aures, cùm virum tantum homo ab eius doctrina, pietate q; longissimè remotus, reprehendere non veretur. Itaq; longa quadam vtitur præfatione, qua crimen à se temeritatis & arrogantiæ repellere conatur. Etsi Basilius, inquit, vir est in oculis nostris magnus, quem, & agnoscimus, & veneramur, tam doctrina, q; pietate insignem, & agimus Deo gratias, quòd excitauerit hunc, per quem multa & magna sua beneficia in Ecclesiam suam conferret: ac dolemus, quòd necessitas cogat nos ab ipsius sententia hac in parte recedere: Tamen non debet nobis esse fraudi, quòd d in seria, & ad salutem pertinenti, malumus diuinam quàm humanam auctoritatem sequi. Animaduertistine Lector, quemadmodum hic altera quidem manu caput demulcet, altera verò malam ferit. Reuereri se dicit insignem doctrina, pietate q; virum: hactenùs caput demulcet: Sed in re seria, & salutem pertinenti, malle se dicit diuinam, quàm humanam auctoritatem sequi: hic pugno maxillam ferit, Scilicet is fuit Basilius, qui diuinam auctoritatem sequutus non est, aduersus hæreticos præsertim scribens in re seria, in re ad sempiternam salutem pertinenti. An non est diuina auctoritas, quam secutus est Basilius? cùm post illa verba, quæ producta per te sunt: Arbitror Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus in-

*Responsio. Basilium vindicans ab infectatione Brentij. 1. Thess. 2.*



hærere, subiungit: Laudo, inquit, vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam. An hæc non est diuina auctoritas? Qua fronte igitur hominum arrogantissime tibi tribuere audes, quòd diuinam auctoritatem, quàm humanam sequi malis: quasi Basilius quoque non diuinam sequutus fuerit? Nisi fortè præterquàm quod vos dicitis, nihil diuinum censeri vultis, vt quàmlibet cum Dei verbo pugnantia loquamini, nihilominus acclamari vobis à populo velitis, quemadmodum Herodi quondam acclamatum fuisse legimus, Dei voces non hominis. Verum sicut illum, sic & vos aliquando, nisi resipueritis, Angelus Domini percutiet Adfert iam causam Brentius, qua fuerit adductus, vt sibi cẽsuram sumeret in Basilium. Nos quidem, inquit, honorificentiæ tanti viri libenter parcimus, sicut & hactenus eius sententiam de Apostolicis traditionibus dissimulare, & silentio potius obruere, quàm exagitare voluimus: Sed quid faciamus? Aduersarij nostri propugnatores Pontificiæ superstitionis & impietatis hunc Basilij locum ita proferre solent, vt videantur sibi auctoritate eius triumphare. Atqui sanctus Basilius, vt illi parcas, abs te non petit? quin quò magis illum vituperaueris, hoc se laudari magis interpretatur. Neq; enim minùs gloriosum est ab impijs reprehendi, quàm à pijs laudari. Sed quam tu nobis impietatem obijcis? Fuerit aliquid superstitionis apud quosdam qui Romani Pont. auctoritatem agnoscunt, quam & nos libenter & reuerẽter agnoscimus, cuius nos esse membra profitemur, impietas certè, nõ aliũdè q; à vobis originẽ sumpsisse videtur, per quos apertam esse fenestram Sataniſmo, quo referta nunc est Germania, mãifestius est, quàm vt negare possitis. Nam eò pedetentim rem perduxistis, vt multos iam reperire liceat, qui Christum apertè Deum esse negent. Ita dum Papisſmum (sic. n. vobis appellare Christianismũ libuit) exterminare conati estis, in eius locum induxistis atheismum. Qua de re vos ipsos aliquãdo quærentes, audire licet. Cur autem nos auctoritate Basilij non triumphemus, qui cùm eandem nos fidem eadem instituta tenere gloriamur?

*Cui sunt Chami Brentio. Responsio.*

Verùm audiamus adhuc Brentium sermonem suum prosequentem: Quanquam autem Asotus, inquit, obijcit nobis alicubi Chamum parentis sui derisorem, tamen re ipsa ostendam, Asotum & collegas eius multò impudentiores & sceleratiores esse Chamo. Verissimè Chamum vobis obijcit vir venerabilis Petrus à Soto, qui parentes vestros ridetis, & in eorum præceptis incedere nefas esse ducitis. Nunc videamus, quàm verè tu id in illum retorqueas. Hic enim, inquit, etsi non tegebat nuda verenda senis Noë, non tamen ipse denudauerat, nec contendebat ea esse pulcherrimam & venustissimam corporis partem, sed potius quia sentiebat esse turpitudinem, derisit. Illi autem immundi porci non solùm ipsi denudant verenda Basilij, viri de Ecclesia optimè meriti, verumetiam contendunt ea esse honestissimum membrum corporis eius. Atqui Brenti, quæ tu verenda vocas, quæ turpitudinẽ & scabiem appellas, & hoc nomine tegi vis, ea nos in Basilio summam esse puritatem contẽdimus, & non modò tegenda, verùmetiam præ nobis esse ferenda putamus: Neq; soli nos. Quis enim fuit priscorum Patrum iam inde ab Apostolorum temporibus vsq; ad hæc nostra, qui non idem, quod Basilius, senserit, scripserit, docuerit? An Origenes omnium Doctorum iudicio non fuit semper habitus longè doctissimus? At is etiam, si quis Christo se credere profiteatur, si tamen aliud de veritate Christianæ fidei credat, quàm habeat definitio traditionis Ecclesiasticæ, hæreticum eum pronunciare non dubitat. Et alio loco de hæreticis loquens: Quoties, inquit, Canonicas proferunt scripturas, quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire è prima Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Hic Origenes plùs aliquid dicit quàm Basilius. Nam etiamsi scripturæ Canonicæ proferantur, traditionibus tamen inhærere iubet. Et alio loco dicit: Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Quid autem Cyprianus? cùm dicit nõ minùs ratum esse, quod dicente Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse Christus tradidit, an non & ipse plus aliquid tribuit traditionibus quàm Basilius? Nolim autem ab eo dissentit Hieronymus cùm scribit, multa quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scripturæ legis vsurpasse? Quid hic ego proferam Athanasium? qui quoties illi res est cum Arrianis, maxima ex parte traditionibus niti videtur, qui suadet etiam omnibus, vt traditam fidem retineant, & tanti mysterij inquisitionem exhorreant. Nam qui, inquit, quæ vltra suas vires sunt, indagat, in præcipiti consistit: Qui verò traditionibus inhæret, extra periculum versatur. Profert is etiam epistolam, in qua Patres in Synodo Arimini congregati, supplicat Imperatori, ne ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittat: sed eos sinat in institutis, decretis q; maiorum permanere. Laudat etiam Patrum illorum piam prudentiam, qui tantũ, itineris laborẽ, tantaq; maris pericula sustinuerunt, vt Patrũ traditiones interpretes conseruarent. Quisq; enim eorũ, inquit, sibi persuadebat, si soluerat aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, vt quod ipsi egissent rescinderetur. Vituperat contrà temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem Patrum suorũ, Ariomanitarũ studio ac gratiæ propinarent & proderent. Quæ enim fides, ait, in eorũ actis, si decreta maiorũ suorũ soluant? Aut quomodo eos, quibus succedere, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? De Ignatio scribit Eusebius, quòd is docebat Ecclesiæ populos, vt diligentius ac tenacius Apostolorum traditionibus inhærerent, quas etiam scriptas reliquerit. Sed quor sum attinet, omnes hic enumerare? Totius Ecclesiæ vox eadem fuit, quam in hoc libro legimus. Et hæc tu os impurum verenda vocare? hanc turpitudinem & scabiem Basilij audes appellare, hanc tegi vis: cùm nihil magis præ se tulerint, nulla de re magis gloriati fuerint Ca-

*Gene. 9. Ierum Brentius. Responsio Patres omnes Basilio consonare. Orige. in exeplanatione. 1. cap. epist. ad Titum, sicut citatur à Pamphylo martyre in Apo. Origenis. Idem hom. 29. in Matth. Orig. in præfat. lib. Periar. Cypr. in serm. de ablu. pedum. Hier. aduersus Luciferianos. Athan. in princi. tom. 3. de incarnatione verbi Dei. Idem in epist. de synodis Arimini & Seleuciæ celebratis. Euse. lib. 3. cap. 35. hist. Eccle.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tholici Patres omnes & Orthodoxi? quòd hac vna re, se legitimos honestæ matronæ sanctæ matris Ecclesiæ filios esse declararuerunt.

*Atrox Brentij censura in Basilium.*

Pergit Brentius: Negari no potest, quin quod Basilius dixit Traditiones istas quas paulò antè commemorauimus, ἄγραφα ab Apostolis esse acceptas, & eandem habere vim ad pietatem, quàm habent ea, quæ scripta sunt, referendum sit in catalogum eorum dictorum, quæ Patribus ignosci potiùs q̃ probari debent. Atqui contrarium iam ex nobis didicisti. Et extat liber Vincentij Lyrinensis, quem non alia de re conscripsit ferè q̃ vt doceret, cum diuinæ legis auctoritate coniungendam semper esse traditionẽ Ecclesiæ Catholicæ, neq; minus huic q̃ illi tribuendum. Nostri igitur officij est, inquit Brentius, vt ista dissimulemus, & tegamus. Nihil est in Basilio Brenti, quod tegendum sit. Quicquid est in toto corpore librorum, quos edidit, est honestissimum. Sed si pergemus, inquit, actiones Basilij diligenter intueri, sese ipse tegit, & quod incogitanti forsitan excidit, haud obscurè alias emendat. Oportet, inquit, omne verbum aut rem confirmare testimonio sacræ scripturæ, ad certitudinem quidem & perfectionem bonorum, ad cõfusionem aũt malorum. Et iterùm: In quacunq; re vnusquisq; se indigum senserit, si in illis scripturis cõuersetur, velut ex communi medicamentaria officina, medicamentum ægritudini commodum reperit. Audis, quanti sacram scripturam faciat Basilius? Ait omne verbum testimonio sacræ scripturæ confirmandũ esse. Vult igitur, vt etiam traditiones, quæ nomine Apostolorũ circumferũtur, ad sacram scripturam exigantur. Et iterum ait: Scripturam esse commune pharmacopolion aduersus omnem indigentiam. Sed & alias vetus & nouum testamentum vocat thesaurum Ecclesiæ. Qui tam præclarè sentit de doctrina scripto veteris & noui testamenti comprehensa, num existimas eum, si eò admonitus fuisset, Traditiones illas pœdagogicas & pueriles, quæ nullo scripto continentur, æquaturum aut cum auctoritate sacræ scripturæ, aut cum Sacramẽtis Christi in scriptura traditis? Sed quod est istud collectionis genus Brenti? Magis facit sacram scripturam, Basilius præclarè sentit de doctrina scripto comprehensa, non igitur æquat cum illa traditiones? An propterea q; præclarè sentit aliquis de re aliqua, nihil est, quod æquare cum ea possit? Detrahitur ne quic q̃ scripturarum dignitati, si quis dicat, eandem habere vim traditiones ad pietatem, si præsertim traditiones istæ nihil aliud sint, q̃ quædam scripturarum explicatio vel si mauis, quædam eorum scriptura, qui literas nesciunt. Nam quo scripto mandatum est, id sub oculos quodammodo subijciunt, repræsentant q; traditæ nobis ab Apostolis cæremoniæ: sicut iam planum fecimus, & vberius posteà suo loco demonstrabimus. Nihil igitur, in cogitanti Basilio excidit, q; tegere & emendare voluerit ijs verbis, quæ tu ex alijs eius locis produceis. Nisi fortè quia dixit Paulus: Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam: cùm dixit, per epistolam, tegere voluit & emendare quod sibi priùs imprudenti exciderat, cùm diceret, per sermonem. Quin ille potius eodem loco habere voluit, quæ per sermonem, quo illa, quæ per epistolam tradiderat. Vides igitur, q̃ nõ constat hæc tua collectio? Incipit iam excutere Brẽtius traditiones, quarum Basilius meminit, qui cùm docuisset, parem vim ad pietatem habere dogmata scripta & non scripta rationem simul dicti sui profert. Nam si consuetudines, inquit, quæ scripto proditæ non sunt, tãquam haud multum habentes momenti reijcere conemur, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad numerum contrahemus. Quod genus est, vt eius quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem, vt signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Potuitne verius dici aliquid q̃ quod à Basilio scriptũ est? Est enim illud verissimum, q; reiectis traditionibus, ipsum etiam Euangelium reijci videtur. Quid enim aliud sunt traditiones, quàm viuum quoddam Euangelium? Hoc ipsum cuius primo loco meminit signum crucis, quid aliud est q̃ summa totius Euangelij? Quo magis miror hoc nescire tam insignem Rabinum hunc, qui sibi tamen ignorare nihil videtur. Quid, inquit, hoc facit ad honestam disciplinam, vel ad veram pietatem? Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Imò verò Brenti, omnis propemodum Euangelica disciplina, quin & vera pietas omnis, hoc vno signo crucis quodammodo comprehenditur & explicatur. Quod cùm apud nos ne pueri quidem ignorent, est ne verisimile te nescire Brenti? Sic apud nos matres puerulos instituunt, simul vt inceperint talem, qualem rationis vsum habere. Posteà q̃ è somno fueris expergefactus, surgès è lecto, cruce te signa. Similiter facies cùm iueris cubitũ. Ducem autem signum hoc à vertice capitis siue à fronte, ad vmbilicum vsq;, simul cogitationem tuam ad Christum referes, qui de summo cœlo egressus descendit in viscera matris, atq; passionis illius sanguinibus carnem nostram assumpsit. Deinde collocabis manum in sinistro brachio, & duces ad dextrum, simul causam animo tecum repetes, quamobrem eò se dimittere Dei filius dignatus fuerit, vt relinqueret domum suam, dimitteret hæreditatem suam, daret dilectam animam suam in manus inimicorum suorum, in cruce pro nobis moriẽs. Fecit enim hæc, vt nos qui pro meritis nostris cum hœdis à sinistris eramus collocandi, transferret ad dexteram inter oues suas, vbi vocem illam desideratam audire nobis liceret: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Faciès autem hoc signum tribus digitis, ad significãdum trinitatis mysterium, & vteris his verbis: In nomine Patris, & Fili, & Spiritus sancti, quo sic in recordationem eius rei venias, q̃ saluator noster, quæ crucis beneficio nobis obtigit, tota trinitas, cuius inseparabilia sunt opera, in medio terræ operata est. Pater filio, sicut ipse filius testatur, calicem passionis dedit, & ipse filius animæ suæ in potestate sua propinauit, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animã meã. Oblatus est enim, quia ipse voluit. Et Spiritus sanctus illi propinari fecit, Apostolo teste, qui dicit, q; Christus per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Vi-

*Responsio Vincent. Lyrinen.*

*Brentius citat loca Basilij.*

*Basil in Ethicis definitio 26*

*Idem in præfatione in Psal. 1.*

*Responsio.*

*Collatio scripturæ & traditionum.*

*2. Thess 2.*

*Basil. de pondere traditionum.*

*De signo crucis.*

*Traditiones Euangelium viuum. Iouin. 3.*

*Quid significet impressio crucis.*

*Hier. 12.*

*Matth. 25.*

*Ioan. 18. Ioan. 10. Esai. 53. Hebr. 9.*



des quanta fidei nostræ mysteria vnica hac signandi nos cruce forma nobis Apostoli tradiderint: vt si rudis aliquis & agrestis homo propter intelligentiæ suæ tarditatem assequi cætera non possit, vel hoc illi propè solum ad salutem sufficere queat. Hic enim incarnatio, hic passio Christi, hic causa passionis, hic extremum illud iudicium, spes nostræ vocationis, hic mysterium trinitatis, per quam redempti sumus, vnica signatione crucis exprimitur. Sic pueruli matres apud nos instituunt: sic etiam agricolas in villis docent Sacerdotes. Qui verò liberaliùs in ciuitatibus educantur, admoneri solent, vt ne sibi sufficere putent, si crucis, hoc signo facto, memoriam illius crucis, quam Christus pro nobis pertulit, sibi repræsentent, verùm eadem & ipsi cogitatione armati, simul ad crucem cùm vsus fuerit, pro illius nomine ferendam semper parati, crucifigere carnem suam cum vitijs & cõcupiscentijs suis assiescant, vt dicere q; possit, Christo confixus sum cruci, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sic futurum si compassi fuerint, vt conglorificentur. An non verè discit Basilius, quòd omnia quæ sunt in Euangelio ad salutem necessaria, damnat, qui traditiones hoc genus Apostolicas reijcit? Siquidem quicquid est Euangelicæ disciplinæ, quicquid est veræ pietatis, hac vna Traditione contineri videtur, vt eam reiecisse, nihil sit aliud, quàm vniuersum Euangelium condemnasse, fideiq; prædicationem omnem radicitus, euertisse. Et audes dicere Brenti, quòd summam hanc Euangelij Paulus infirmum elementum vocauerit? Quod si in solo hoc signo hæreretur, si nihil præterea sublimiùs cogitaretur, aliquid tamen dixisse videri posses. Nunc non iubemur in hoc visibili signo consistere, verùm ad illud quod non videmus, cuius nobis memoriam hoc signum repræsentat, immensum Crucis Christi beneficium cogitatione nostram auocare, quò sic nullo vnquã tempore illius apud nos memoria intermoriatur. Hoc beneficium, quo nullum est nobis à Deo maius præstitum, solicita de salute nostra mater Ecclesia non contenta fuit scriptis consignasse, verbis prædicasse, certis diebus instituendis inculcasse, verùm hoc etiam signũ addere voluit, quo non tam oculis, quàm animis nostris illud perpetuò repræsentaret. Quamobrem ad omnẽ progressum at q; promotum, vt Tertulliani verbis vtamur ad omnam aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq; tandem homines exerceret cõuersatio, frontem crucis signaculo terere fuit visitatum. De quo Chrysostomus quoq; sic loquitur: Neq; enim sic regia corona ornatur caput, vt crucis: subinde, omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostri, in fronte enim nostra quasi in columna quotidiè figuratur: sic in sacra mensa, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget, hanc vbiq; celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in vijs, in mari, in nauigijs, in vestibus, in armis, in coporibus brutis malè affectis, in corporibus à Demonijs obsessis, adeò certatim bonum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc ratio: nullus confunditur, nullus erubescit. Et huius te signi pudet Brenti, cuius in Ecclesia primitiua iuxta traditionẽ Apostolorũ, tam frequentẽ vsum fuisse vides? At vide q̃ illius non puduerit virũ lõgè tui dissimilem, doctissimum & sanctissimũ Augustinum, qui sic de ea scripsit quasi de te loqui videretur. Insultat, inquit ille, crucifixo Christo. Videam ego in frontibus regum crucem Christi: quod irridet, ibi saluor. Nihil est superbius ægroto, qui deridet medicamentum suum. Si non derideret, acciperet & ipse, & sanaretur. Crux illa signum est humilitatis, illa autem superbia non agnoscit, vnde sanetur tumor animæ suæ. Si aũt ego agnosco, in via ambulo: vsq; adeò de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa Sacramenta aliteraq; aliter accipimus, quædam ore, quædam per totum corpus. Quia verò in fronte erubescitur, ille dixit, qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo: ipsam ignominiam quodammodo, & quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Quam tu Brenti erubescis, quam infirmum elementum à Paulo vocari vis, quam etiam risu prosequi videris, ecce quomodo de ea gloriatur Ecclesiæ columna sanctus Augustinus? quomodo eam in loco pudoris in fronte sua collocat? Sed audi quid adhuc ille de signo hoc loquatur: Quid est, inquit, quod omnes nouerunt signum Christi? quod signũ nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorũ ritè perficitur. Et alio loco: Crucis mysterio rudes Cathechizantur, fons regenerationis consecratur, per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt, basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur, Sacerdotes & Leuitæ ad sacros ordines promouentur, & omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute conficiuntur. Audin tu Brenti, quantum huic infirmo (vt vos vultis) elemento tribuat Augustinus, nihil vt sacramentorum absq; eo ritè perfici dicat, simul illud adhiberi docet, non frontibus modò credentium, verùm & aquę, & oleo, & sacrificio, & basilicarum, altariumq; consecrationi. Num similiter vos docetis Brenti? Verùm vnde nobis constare posset, quòd estis adulteræ semen, si cum Patribus nostris eadem doceretis?

*Quanta fidei mysteria signaculum crucis complectatur.*

*Gal. 5.*

*Gal. 2.*

*Gal. 6.*

*Rom. 8.*

*Gala. 4.*

*Tert. de corona militis.*

*Chry. in demonstratione aduersus Gentiles, quod Christus sit Deus. Tom. 3.*

*De signo crucis. Aug. in Psal. 141.*

*Idem tract. 118. in Ioan.*

*Idem sermo. 19. de Sanctis.*

Iterùm nobis occinit Brentius eandem illam cantilenam, quam ex Ecclesiastica Socratis historia paulò ante contrà nos produxerat. Institutum Apostolorum fuisse, non festos dies sancire, &c. Itáne nullum habes, cuius nobis auctoritatem obijcere queas, præter hunc quẽ de, Nicephorus fuisse scribit hæreticum? Qui tamen si sanè intelligatur, nihil à verò dixisse videtur alienum. Nam sicut anteà scripsimus, certum est, non hunc Apostolorum fuisse scopum, vt ludaico more tantùm festa celebrari vellent, sed vt cum alijs, tum præcipuè festis diebus, contemplationi diuinorum beneficiorum homines totos vacare, nec à corporis magis laboribus, q̃ ab animi vitijs quiescere docerent. Certum est illos vt in externa cæremonia spem suam quis q̃ collocaret, noluisse, verùm vt per hæc signa visibilia mentes hominũ, inuisibilium amore raperentur: hic fuit scopus eorum, cùm hæc instituissent.

*Soc. scriptor. Nice li 6. cap. 27. hist. & lib. 9. c. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Brentius in signum crucis blasphemus.*

Occurrit obiectioni tacitæ Brentius. At enim aliquoties Satan talibus crucibus fuga tu est. Scio hoc de Iuliano & alijs commemorari, sed scimus etiam, Satanam esse mendacem, & impostorem, qui idcirco fingit se talibus crucibus fugari, vt superstitionem confirmet, & magiam doceat. Vna enim tantùm cruce fugatur Satan, nimirum cruce Domini nostri Iesu Christi, eaq; non digitis in aëre aut corpore efficta, ac ne illa quidem lignea in qua Christus pependit, sed ipsa passione in cruce peracta, & à nobis per fidem susceptа. Quare non est dubium, quin Apostoli longè occupatiores fuerint in explicanda passione Christi, quæ veram nobis salutem attulit, quàm vt vacauerit illud de cruce digitis formanda, Ecclesiæ tradere: quæ res per se ad pietatem nihil magis facit, q̃si manibus in aëre circulum describeris.

*Responsio. Atha. de humanitate Christi & aduentu eius in carne. Chry. vbi sup. & oratione 5. aduersus Iudæos, & hom. 55 in Matth.*

Quis hanc hominis blasphemiam non horreat? si modò dici meretur homo, portentum hoc in vltimas terras deportandũ. Audes tu magiam appellare signum hoc, cuius metu dæmones fugere, vaticinia conquiescere, magiam & veneficia irrita iacere, non vno loco scribunt Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, & alij. Quod autem dicis mendacem esse Satanam, vtinam quàm id verum est, tam facilè persuaderi potuisset magistro vestro Martino Luthero, qui illius argumentis conuictus, quem etiam in eo libro ab hac nota liberare conatur, & Sacerdotium & Sacrificium sustulit, Seruetoq; viam muniuit, ad verum Sacerdotem & Pontificem nostrum Christum Deum negandum. Scilicet fingebat se fugari cruce Satanas? Audi quid ea de re scribant, qui nobis rem gestam hanc literarum monumentis consignatam reliquerunt. Gregorius Nazianzenus, cui Theologi nomen Græci tribuunt, scribit de Iuliano: Ad crucem confugit, ac ob timorem signatur, adiutoremq; facit quem persequebatur: præualuit signaculum, superantur Dæmones, soluuntur timores, respiratmalum, animatur rursus: iterum impetus, denuoq; signaculum, compescũtur dæmones. Theodoretus verò celebris & ipse inter Græcos, sic de eo loquitur: Apparentibus Dæmonibus cogitur ille metu inscribere fronti signum crucis. At dæmones conspecta figura Dominici trophæi, & stragis suæ memores, mox euanuerunt. Zosomenus vero sic: Ex consuetudine prisca symbolo se Christi clanculum obsignauit: quo facto, spectra illa subitò euanuerunt. Quàm diuersa verò fuit vox Patrum nostrorum ab ea, quàm profert semen istud adulterę? Quid autem dici potuit atrocius ab ijs, qui fuerunt ex professo Christi crucis inimici, quàm dictum est ab hoc, qui vocari vult Euangelicus? Ne mystagogo quidem, qui Iulianum in aditum illum introduxerat, hoc tam impium commentum in mẽtem venit, cùm admirari crucis vim, cuius figura territi, fugatiq; fuissent Dæmones Iulianum videret. Caue, inquit ille, causam hanc eorũ fugæ fuisse suspiceris. Non illi formidine, sed odio facti tui fugerunt. Verá ille fugam fuisse non diffitebatur, timorem autem vt attribueret ijs, quos pro dijs colebat, religione prohibebatur. An non autem ipsos etiam Ethnicos impietate superat Cacangelicus hic, qui quòd illi non fuerunt ausi, nihil est veritus comminisci? Sed quo non progreditur impietatis? Non est contentum blasphemum os, crucem, quæ digitis effingitur, detrusisse,

*Theo. li. 3. c. 3. hist. Eccle.*

*Gregor. Nazian. in oratione priore, quã scripsit contra Iulia.*

*Zosimus.*

*Brentius ligno sanctæ crucis iniquus.*

nec illam intactam relinquit, in qua Christus clauis affigi, quam attactu sui corporis & aspersione sui sanguinis consecrare dignatus est & sanctificare, quam tot miraculis illustrem, sancti Patres nostri tot præconijs extulerunt, cuius etiam & inuentionis & exaltationis dies vt aniuersaria celebritate festus ageretur, ante mille annos instituerunt.

*Brent. prosecitat Dionysium.*

Pergit Brentius: Dionysius affirmat hunc morem signandi baptizatos cruce, ideirco vsurpatum, vt homines admonerentur ad ferendam crucem: Christus autem docuit hoc prædicatione verbi sui, non signaculis digitorum. Quare cùm Apostoli claris & perspicuis verbis Ecclesiæ tradiderint, non est verisimile, quòd posteà in hac clara luce induxerint tenebras vmbrarum. Habet huius sententiæ suæ adstipulatorem Brentius, qui sicut impietate non est inferior, sic Latinè scribendi facultate Lutheranos omnes longè superare videtur, loannem Caluinum, cuius & ipsius hæc verba sunt:

*Responsio.*

*Caluinus. Non sat est prædicatione nos commoneri de religione, opus est signis.*

Quorsum attinebat tot passim in templis cruces erigi, si probè & fideliter illu ci inculcaretur, Christum esse mortuum, vt in cruce maledictionem nostrã sustineret, peccata nostra expiaret, corporis sui sacrificio, sanguine q; ablueret, nos deniq; reconciliaret Deo Patri: ex quo vno plus discere poterant, quàm ex mille crucibus ligneis aut lapideis. Sed, ô geminina viperarum, quinam estis vos, qui præscribere Spiritui sancto, vt non alio modo quàm hoc, verbi gratia, prædicatione, mysteria sua fidelibus nota faciat, voluntatemq; suam explicet, audeatis? Quid autem? Si fuerint & alij Prophetæ post vos exorti, qui nec hunc modum ferendum esse putent, num his locum dabitis? Quid si dicant, Deum audiendum, non hominem, cùm scriptum sit: Beatus vir, quem tu erudieris Domine, non quem hic aut ille homo erudierit. Cùm scriptum præterea sit, Vnum esse magistrum nostrum, & non debere fieri plures magistros: Detrahi enim cœlestis magistri dignitati, & eius gloriam obscurari, si quis alius audiatur præterea, quasi parum idoneus ille sit ad docendum nos. Quamobrem é cœlo cœlestis Doctoris voces expectandas esse, ea nihil impediat, quò minùs æquè nos docere queat, atq; docuit olim Patriarchas & Prophetas. Non esse ad creaturam confugiendum, hoc est, ad scripturã: ne nos obiurgare videatur, Apostolus, dicens: Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa? Quæ enim esse alia infirma & egena elementa, nisi literas vel ipsis Grammaticis testibus, qui literarum elementa vocant? Non ex istis igitur egenis & infirmis elementis, quibus continetur scriptura, sed ab ipso Deo doctrinam petendam, illius esse vocem audiendam, quod ille nobis reuelauerit, siue per visiones, siue per somnia, tanquam Dei verbum esse suscipiendum. An autem tales Prophetæ iam exorti non sunt? An ipsi vos graues de illis quærimonias non contexistis? Sed quis eis ad hos errores in vulgus spargendos feneſtram aperuit præter vos? Voluistis externa signa sublata omnia, ne quid infirmis & egenis elementis tribui videretur. An literæ quoq; externa signa non sunt? an verba quoq; & elementa non sunt signa rerum, quæ illis significantur? A vobis igitur docti sustulerunt illi externa signa omnia, sustulerunt scripturas, sustu-

*Psal. 93. Matt. 23. Iac. 5.*

*Gala. 4.*



sustulerunt & prædicationem, siue externum verbi ministerium, quòd soli Deo gloriã hanc esse tribuendam putarent, vt ipsum, & non quenquam alium Doctorem & Magistrum agnosceremus.

Prosequitur Brentius: Cõcedamus, quòd Apostoli tradiderint talem crucis effictionem, num dicemus igitur, hanc traditionem idem robor habere, quod habet vel baptismus, vel cœna Dominica? Certò nemo de vera Apostolorum doctrina admonitus hoc affirmare potest. Quare etiam si hæc esset manifestè traditio, Apostolorum, tamẽ è scripta eorum doctrina iudicandum est de ea, quòd non sit necessaria obseruatio, nec magica consecratio, sed tum pædagogica, eaq; liberrima obseruatio. Etiamsi tu non concedas Brenti, nemo tamen plus dubitauit, quin Apostoli nobis tradiderint istam crucis effictionem, vel expressionem potius. Extat Abdiæ liber à Iulio Africano Latinus factus, quem ille scripsit de rebus gestis Apostolorum, quarum conscius ipse fuit, cùm eorum esset Discipulus & assecla, ibi non vno loco reperies, quàm frequenter illi & se & alios in frontibus cruce signarint. Cæterùm quod quæris, num idem robur habere debeat hæc traditio, quod habet vel Baptismus vel Cœna Domini, nunquam hoc dictum est à Basilio, nusquam ille comparauit traditiones Apostolorum cum Sacramentis à Christo institutis, sed hoc dixit Basilius, quòd quæ sunt ex Apostolorum traditione, parem vim habent ad pietatem cum ijs, quæ scripta sunt. Quid hic habes quod arrodas? Nisi fortè quòd minus dixerit q̃ ab eo dictum oportuerit. Nã quæ subijciuntur oculis, magis excitare solent homines, q̃ quæ vel dicuntur, vel scribuntur tantùm. Itaq; celebratur illud Poëtæ cuiusdam:

*Responsio. Abd. probat signum crucis traditionem Apostolicam esse.*

*Magis mouent visa quam audita vel lecta.*

*Segnius irritant animos demissa per aurem,*
*Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

Scimus etiam quid ab artis Rhetoricæ scriptoribus traditum sit, vbi docent, qua ratione sint mentes hominum permouendæ, vbi meminerunt etiam prætextæ Cæsaris, quæ fuerat in foro prolata, quantos ea motus fecerit in animis spectantium: quòd vestis illa sanguine madẽs, ita repræsentabat imaginem sceleris, vt non occisus esse Cæsar, sed tum occidi maximè videretur. Nihil igitur absurdi scripsit Basilius, cùm docuit, eandem ad pietatem vim habere traditiones non scriptas, quæ fiunt per signa, quàm habent scriptæ: cùm ipsa nos doceat experientia, quòd simplex præsertim & imperita plebecula, plus persæpè mouetur signis istis externis, si quando Christi crucifixi simulachrum ostenditur, q̃ si tota passionis historia ex Euangelista aliquo recitetur. Atqui Brenti, non vobis tantum magnis Rabinis consultum Apostoli voluerunt, verùm, & ijs, quorum pars est multo maxima, qui ad eam sapientiæ perfectionem, quam vos consequuti vobis esse videmini, nondum peruenerunt: qui simulachris eiusmodi plus persæpè, quàm vllis verbis afficiuntur. Huc accedit, quòd eiusmodi signa multũ faciunt ad memoriam rerum, quarum signa sunt, excitandam. Si sermo sit aliquis auditus, facilè excidit: Signum subinde repræsentatum oculis, non facilè rei memoriã, quam repræsentat, excidere patitur. Quàm sit autem hæc obseruatio necessaria, nihil est qd multis in præsentia de eo disseramus. Nemo cogitur vt se cruce signet, neq; tanq; necessariũ id cuiquam præcipitur, etiamsi fieri potest, vt si quis intermiserit vbi locus postulet, quoniã sacerdos de se suspicandi præbet occasionem, non leuiter peccet. Cæterùm si quis Episcopus aut Sacerdos in vtitatis cæremonijs non adhibet signum crucis, idq; prudens facit, peccat graui ter: si verò prætermittat ex contemptu, sicut à vobis fit, multò grauiùs peccat: peccat enim in Spiritum sanctum.

*Signa iuuant memoriam.*

Examinat aliam quoq; traditionem, vt ad Orientem in præcatione conuertamur. Itáne, inquit, putat Apostolos solicitos fuisse ad quam partem mundi faciem nostram in precatione conuertamus, & non potiùs vt in spiritu & veritate precemur? Primam curam Apostolorum fuisse, vt in spiritu & veritate precari fideles docerent, dubium non est: ex eo namq; vis penitus omnis precationis. Interea tamen nec illud visum est negligendum, ob certi mysterij significationem, quam ad partem versos orare nos oporteat. Sed audi quid ea de re scripserit Damascenus: Non simpliciter, inquit, & fortuitò ad Orientem adoramus, sed quia ex visibili & inuisibili, id est, intellectuali & sensibili conflati sumus natura, dupliceni adorationem Conditori nostro offerimus, vt & mente psallamus, & corporalibus labijs, & baptizamur aqua & Spiritu, & dupliciter Domino vnimur, mysterijs participantes & gratia Spiritus. Quia igitur Deus est lux intelligibilis, & Sol iustitiæ, & Oriens in scripturis nominatus Christus, dedicandus illi Oriens est ad adorationem. Nam omne præstantius, magisq; bonum illi offerendum, à quo omne bonum benignè largitur. Dicit autem diuinus Dauid: Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit supra cœlum cœli ad Orientem. Et quia dicit scriptura: Plantauit Deus Paradisum in Eden ad Orientem, vbi hominem, quem plasmauit, posuit, quem transgredientem exilio mulctauit, & è regione Paradisi ipsum habitare fecit, ab Occidente videlicet. Antiquam igitur patriam requirentes, & ad ipsam suspirantes, Deum adoramus.

*De traditione præcandi ad Orientem.*

*Lib. 4. de orthodoxa fide. cap. 13.*

Iudæis quondam, inquit Brentius, qui adhuc sub elementis mundi erant, præscriptum fuit, vt in exilium eiecti, verterent in precatione faciem suam adùersus Ierusalem: hoc erat tempus noctis & vmbrarum, nunc postquàm nox præterijt, & corpus absolutum est, Apostoli ne dici & veritatis præcones, nouas tenebras & vmbras inducerent? Atqui Brenti, meminit huius traditionis antiquior Basilio Origenes, ex quo pleraq; transcripsisse Basilius videtur. Meminit hoc etiam vetustior Iustinus Martyr, qui mouet hanc quæstionem: Si Deus, cùm fecerit omnia secundum naturæ circuitum, est omnium Dominus, ideoq; Dauid in omni loco ditionis Domini iubet nos celebrare Dominum: similiter & Apostolus in omni loco iubet nos attollere pias manus ad Deum, cur nos Solis tractum pro venerabili opere & domicilio diuino habentes, in eum intuemur, dum Deo laudes & preces mittimus: aut

*Orig. hom. 5. in Num. Iust. q. 118.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quínam consuetudinem hanc docuere Christianos? Et ei tandem respondet: Quoniam nō strorum honorabilissima quæq; ad Dei honorem seponimus, & est hominū opinione Solis ortus honorabilior, quàm aliæ partes mundi, propterea tempore precum spectamus omnes ad Orientem: quemadmodum dextera manu in nomine Christi consignamus eos, qui hoc signo egent, quia honorabilior existimatur quàm sinistra, tametsi situ non natura ab ea differt. Sic & ortus tanquam mundi pars honoratior adorationi Dei destinatus est. A quibus autem orandi morem accepit Ecclesia, ab ijsdem etiam locum accepit, videlicet ab Apostolis. Meminit Athanasius quoq;, nam & ipse quærit, quare nos Christiani adoramus versus Orientem, & Iudæi ad Meridiem? Qui duplicem adfert responsionem, quòd aliter Iudæis, aliter Græcis responderi velit: Iudæis, quòd ita nos instituerit Spiritus sanctus per Dauid Prophetam, cùm dicit: Adoramus ad locum, vbi steterunt pedes tui Domine. Et Propheta Zacharias docet nos dicens: Et stabunt pedes Domini in monte Oliuarum contra Ierusalem: Græcis, quòd non quasi in Oriente circumscriptus sit Deus, inde versus Orientem adoramus: sed cùm Deus sit, & nominetur lux vera, ob id respiciendo ad lucem creatam, iam non quidem illam ipsam, sed factorem eius adoramus, videlicet ex lucidiore elemento ipsum, qui est ante omnia elementa, & ante omnia secula illustrissimum Deum honorantes. Tertiam adfert responsionem pro fidelibus, quam etiam ei capiti, ex quo sibi Brentius hæc excutienda sumpsit, Basilius inseruit. Hac, inquit, de causa B. Apostoli fecerunt, Christianorum Ecclesias intendere versus Orientem, vt ad Paradisum respicientes vnde cecidimus, scilicet ad veterem patriam & regionem nostram, petamus Deum & Dominū nostrum reducere nos illuc vnde eiecti exulamus. Ad Austrum verò intendere Iudæis Prophetæ præceperunt, quòd ex Austro quò ad Ierusalem, scilicet ex Bethlehem nasciturus erat Dominus: ideò dixit Propheta, Deus ab Austro veniet. Meminit & Augustinus huius traditionis. Cùm ad orationes, inquit, stamus, ad Orientem conuertimur, vnde cœlum surgit, non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbiq; præsens est, non locorum spacijs, sed maiestate potentiæ: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius quod est terrenum ad corpus excellentius, id est, ad corpus cœleste conuertitur. Vides quemadmodum & Athanasius, & qui fuit Apostolorum temporibus proximus Iustinus Martyr, sicut alias pleraq;, quas omnibus quidem facere necesse est, inquit Origines, nec tamen ratio rerum omnibus patet, sic & hanc traditionem Apostolorum esse docuerunt, & eius rationes assignarunt.

*Athana. in q. 37.*

*Ioan. 1.*

*Li. 2. de ser. in monte.*

*vbi supra.*

*Obiectio Brentij.*

*Ioan. 4.*

*Responsio.*

*Col. 3.*

*Heb. 13.*

Sed demus, inquit, etiam hanc prædicationem esse Apostolicam. Quid? Habebitne ad pietatem hanc eandem virtutem, quam habet illud quod scripto mandatum est, Oportet Patrem in spiritu & veritate adorari? Quod est hoc genus quæstionis? An contulit aliquando Basilius orationem ad orientem, cum Christi præcepto, quo vult nos in spiritu & veritate Deum adorare? Quis autem de eo dubitat, etiamsi totos dies aliquot ad Orientem fuerimus, & mus, nec vllum orandi finem faciamus, nisi tamen in spiritu & veritate precati fuerimus, & oleum (quod aiūt) & operam nobis perituram. Non itaq; cum hac scriptura parē vim habet traditio, sed cum illa potiūs, qua iubemur, q̄ sursum sunt, quærere: qua iubemur ad cœlestē illam patriam vnde excidimus, anhelare. Quod igitur illa scriptura nos monet, ad hoc nos excitat ab Apostolis nobis tradita cæremonia. Quærit iterum Brentius. Quid? Peccabitne aduersus Deum, qui in precatione sua verterit se potiūs ad Meridiem & Septentrionem, quàm ad Orientem? Certè si esset traditio Apostolica, quæ eandem haberet vim ad pietatem cum ijs, quæ sacra scriptura mandat, fieri non posset, quin esses peccati reus, si te aliò quàm ad Orientem in precibus tuis verteres. Atqui si diligenter excusseris, quæ scribuntur ab Athanasio, non fuit hæc eorum intentio, vt omnes preces ab hominibus ad Orientem versus fierent, sed publicè tantùm, hoc est, vt templa ædificarentur fronte ad orientem conuersa: vt eò se quoq; cùm publico totius Ecclesiæ ministerio fungitur Sacerdos, orans conuerteret. Quare nihil peccat, si quis, priuatim orans, aliò se vertat, quàm ad Orientem. Quin & altaria, in quibus publicum fit sacrificium, & ad Austrum, & ad Boream versa nonnulla vidimus: qua in re si quid erratum est imprudentia, veniale peccatum est, ac dissimulatur non rarò. Cæterùm vt frons templi vertentur aliò quàm ad Orientem, non temerè quenquam vidisse putamus. Quamobrem q̄, in orbe vniuerso, q̄ longè, quamq; latè propagata est fides Christiana tanto consensu videmus in omnibus terris obseruari, quis est, qui tradition nem hanc Apostolicam esse dubitare queat? In quam nihil à vobis peccatur Brenti. Nam vos tantùm abest vt ædificanda vobis esse templa putetis, ex quo tempore quinti vestri Euangelij lux vobis affulsit, vt etiam ea, quæ sunt à Patribus vestris ædificata, partim euertieritis ipsi, partim in solitudinem redacta, sponte sua ruere passi fitis, partim etiam in priuatas ædes, in q̄ stabula conuerteritis. Sed si quis tamen sit, qui templum ædificare velit, fronte versus Occidentem conuersa, in despectum traditionis huius Apostolicæ, eum in Spiritum sanctum peccaturum, certum est & indubitatum: neq; video, quo possit alio peccatum hoc, q̄ Sataniſmi nomine rectiūs appellari. Satanam enim Hebræi vocant, quem aduersarium Latini. Aduersari autem ei, quod ab Apostolis traditum, tam est vnanimiter ab omnibus per orbem Christianum vniuersum in Ecclesia Dei totis mille quingentis annis semper obseruatum, quid est aliud, quàm Satanam agere: cuius non aliud est studium, quàm vt ob hoc ipsum pleraq; reijciat, quòd ea videt tanto Christianorum omnium consensu obseruari. Sic ferè fecit ille vester, qui se plurimum salis cum Satana comedisse gloriatur: qui pleraq; quauis esse laudanda sciret, non aliam tñ ob causam à suis respui voluit, quàm quòd auctoritas Conciliorum sancita, summo q̄ totius orbis consensu recepta essent ab omnibus & approbata. Quam enim ille causam habet, quamobrem calicem dari Laicis tantoperè nonnunquam exigat? Num quia de necessitate salutis esse putat, vt ex eo bibant omnes. Arqui non vno

*Publicæ preces & structuræ templorū versus Orientem sunt ex traditione.*

*Irreuerentia sectariorum in templa.*

*Sataniſtæ qui omittunt ex contemptu traditionem Apostolicam, peccant in Spiritum sanctum.*

*Luth. docet ex contemptu peccare in Ecclesiam.*



vno ex loco illius colligere licet, longè aliam ipsius esse sententiam, sed quoniam illius vsu fuit à Patribus in Concilio congregatis interdictum, ea sola visa est illi causa legitima, quam obrem eum restituendum omninò Laicis esse censeret. Quin etiam si quo casu, inquit, Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri, imò tunc primum in despectum Concilij vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri, & planè eos anathema habere, quicunque auctoritate tales concilij potirentur vtraque. Sic & alio loco de Confessione scribens: Fidele, inquit, consilium meum est, vt homo Christianus tempore quadragesimæ & Paschatis non confiteatur, nec ad Sacramentum accedat: & cogitet ita, Ecce quando hoc præcepit homo, Papa scilicet, ob id ipsum non faciam: & si non præcepisset, vellem facere. Faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando & quomodo mea libera voluntas me tetigerit. Et iterum alio loco: Videns quæ esset Ecclesia, quæ determinasset in altari non esse verum panem, verumqúe vinum, sed sola accidentia, nempè Thomistica, hoc est, Aristotelica, audacior factus sum, & stabiliui tandem conscientiam meam sententia priore, esse videlicet verum panem, verumqúe vinum, &cæt. Simile quiddam scribit etiam de eleuatione Eucharistiæ. Ad hunc modum decretis & traditionibus Ecclesiæ repugnare, & ob hoc ipsum eas aspernari, quia sic visum fuit Ecclesiæ & Spiritui sancto, hoc est, idololatriæ scelus admittere, hoc est in Spiritum sanctum peccare, hoc est hominem exuere, & Satanam induere. Et qui tali sunt ingenio præditi, non alio sibi magis appposito nomine possunt appellari, quàm si vocentur Sataniſtæ.

*Luth. in lib. de ſorā mula Miſſa.*

*Idem de Conf. par. 3. para. 14.*

*Luthe. de Cæp. Bab. cap. de Eucha.*

*Idem in libello, quē inſcripſit. Brenis confeſsio de Euchariſt. Sataniſtæ quis.*

Ad tertiam traditionem Brentius aggreditur, quæ est ter immergere hominem in Baptismo: de hac etiam re extat Canon inter eos, qui Apostolorum nomine circumferuntur. Si quis Presbyter aut Episcopus non trina immersione vnius mysterij, sed semel immergat in baptismate, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Mirabor, si seriò cogitare potes hanc traditionem ab Apostolis ipsis profectam esse. Baptizantur vno die Penthecostes ter mille homines: si ergo Apostoli necesse habuerunt iuxta suam ipsorum traditionem singulos ter immergere, num existimas vno omnes die baptizari potuisse? Sed fortasse hæc est causa, quia dies tum longiores fuēre quàm circa brumam. Quo tempore ter mille homines baptizauerunt Apostoli, nondum hoc ab illis traditum fuerat: quod si maximē traditum etiam fuisset, non habere tamen legem, sed facere legem rectè dicitur necessitas, & quod alias licitum non esset, sæpè necessitate cogente fit licitum. Quod multis exemplis docere possumus, verùm non est præsentis instituti longiùs in ijs immorari. Christus ipse, quibus dixit, vt eunt es docerent & baptizarent? Certè Apostolis, non Laicis. Quoniam tamen vnicum hoc est Sacramentum necessitatis, sine quo nemo saluus fieri potest, etiamsi contrarium Caluinus cum suis sentiat: contra Christi, sicuti alicui videri possit institutionē permissum est Laicis, neq; viris magis quàm fœminis, si quando mortis periculum instat, baptizare. Adeò verum est, quòd omnes traditiones vni militent charitati. Nam & si requirit hoc ordo, requirit ipsius Christi institutio, vt nō baptizet nisi Sacerdos, tantùm tñ valet charitas, quæ finis præcepti est, ad quam solam omnia vel Christi, vel Apostolorum & Ecclesiæ totius instituta referuntur, vt quoties id proximi salus flagitare videtur, non quod institutum est, sed quod Charitas exigit, id spectemus potissimùm: cùm certum sit & indubitatū, nihil vel à Christo, vel ab Apostolis, & eorum successoribus esse traditum, nisi quod pertinet ad salutem fidelium. Annotarunt hoc etiam ij, quos vos habetis ludibrio Brenti, scholastici Doctores, qui volunt in eiusmodi, non tam legem ipsam, quàm legislatoris intentionem spectari. Sic enim loquitur ea de re Vincentius Beluacensis, qui fuit Monachus ordinis Prædicatorum: Legislatorum intentio non est, vel esse non debet in condendo ius aliquod positiuum, obligare homines ad illius iuris obseruantiam, habentes causam legitimam, vel etiam rationabilem non obseruandi. Præcepta enim, quæ per modum statuti communis ponuntur, non eodem modo omnes obligant, sed secundum quod requiritur ad finem, quem legislator intendit. Cuius auctoritatem si quis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediatur, quòd impediatur finis, quem legislator intendit, talis transgressor peccat mortaliter. Si autem ex aliqua rationabili causa quis præceptum non seruat, præciuē in casu, in quo si legislator adesset, non decerneret esse seruandum, talis transgressio nō constituit mortale peccatum. Quæ totidem verbis repetit in sua summa Thomas Aquinas, cuius etiam alio loco sunt hæc verba: Præcepta iuris positiui magis obligant ex intentione legislatoris, quàm ex ipsis verbis, & ideò transgressor talis præcepti magis est reputandus, qui obuiat intentioni legislatoris, quàm qui deuiat ab aliquo in legis obseruatione secundum textum verborum. Intentioni autem legislatoris obuiat, qui ex contemptu, vel sine aliqua rationabili causa ordinationem non seruat. Qui verò in casu, in quo probabiliter crederet posse, si legislator adesset, quòd eum obligare non vellet, à verbis legis deuiat, intentioni legislatoris non obuiat, nec reputandus est statuti transgressor. Non dissimilia scribit Abbas Panormitanus, & alij nonnulli. Quamobrem cùm certum sit, Apostolorum intentionē non fuisse, vt cuiusdam salus negligeretur, quam absq; Baptismo consequi neminī licet, sicubi magna est baptizandorum frequentia, & est in mora periculum, non solam hanc traditionem, verùm & ipsius Christi institutionē, qui Sacerdotibus tantùm baptizandi potestatem fecisse videtur, sicubi eorum copia haberi non potest, rectè licet intermittere. Quamuis ea à verbis legislatorū nonnihil discedatur, nihil tñ cōtra eorum intentionē fieri videtur.

*De traditione trēnæ immerſionis circa baptiſmum. Canon Apoſt.*

*Reſponſio. 1. quæſt. 1. remiſſio. nem.*

*Neceſsitas non habet, ſed facit legē. Marc. vlt.*

*Caluin. Baptiſmi neceſsitatem negat.*

*Thom. 22. q. 147. ad tertium.*

*In 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1.*

*Panor. ſuper 9. Decret. de obſeruā tione ieiunij.*

*1. Tim. 3. Tit. 1.*

Proſequitur Brentius: Paulus ad Timothæum & Titum scribens, commemorat dotes, quibus is qui Episcopatu dignus est, ornatus esse debet. Non præfractus, inquiens, non iracundus, non vinosus, non percussor, non turpiter lucro deditus: sed hospitalis, bonarum

*Obiectio Brent. in cularis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rerum ſtudioſus, & quæ ſequuntur. Quod ſi Epiſcopus, qui tantùm ſemel eum, qui baptizatur, mergit, meretur ab Epiſcopatu deijci, an non debuiſſet Paulus in hoc virtutum Catalogo addere, mergens eum, qui baptizatur, non ſemel tantùm, ſed ter? Satis hæc ioculariter Brenti, ſed ſic eſt ingenium veſtrum. Atqui ſi quis præfractus non eſt, is facilè paret Maiorũ inſtitutis: itaq; ſatis Paulo fuit hoc vno verbo rem denotaſſe. Subijcit Brentius: Iam ſi hoc eſt Apoſtolicum decretum cur poſteri mutarunt. An non Apoſtolica Decreta ἀγραφα eandem habent vim, vt vos aſſeritis, cum ijs quæ ſunt ἔγγραφα, ideoq; debent eſſe inuiolata? Sic Gregorium ſcripſiſſe teſtatur Thomas: Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel tertiò vel ſemel immergere: & quidem addit Decretum Concilij Toletani, in quo ita ſcribitur: Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis vſum, ſimplam teneamus Baptiſmi immerſionem. Sed ſi ter immergere eſt Apoſtolica traditio, reprehendatur, aut damnetur ſchiſma ſeu hæreticum dogma prædicatione potiùs verbi Dei, quàm mutatione traditionis Apoſtolicæ, quæ cùm Chriſtus dixit: Qui vos audit, me audit, debet eſſe ſacroſancta. Quærit Brentius: Cur mutarunt poſteri Decretum Apoſtolicum? Quis autem prohibebit, quò minus & nos viciſſim ab eo quæramus, cur ipſimutarunt Apoſtoli Decretum Chriſti? Chriſtus decreuit, vt baptizarent in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: ſancti Apoſtoli baptizauerunt in nomine ſolius Ieſu. Cur mutauerunt poſteri Decretum de baptizando? cùm in pleriſq; locis perfundantur modò vel aſpergantur, non autem baptizentur? Cur mutarunt aliud Decretum de docendo? Quis enim eſt qui doceat, aut docere poſſit infantes, priuſquam baptizentur? Quam igitur illæ ſcriptæ vim habuerunt, eandem vim habet hæc non ſcripta traditio. Et tamen quam quærit cauſam adfert ipſe Brentius ex Decret. Concil. Tolet. quarti, quod Gregor. Pontificis auctoritate potiſſimum nititur. Sic enim habent verba Decreti ante nongentos annos lati: Beatæ memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolùm partes Italiæ illuſtrauit, ſed & longè exiſtentes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante ſantiſſ. Leãdro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diuerſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cætera reſcribens ei, ſic ait: De trina verò merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis, quia in vna fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudò diuerſa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, vt dum tertiò infans ab aqua educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neq; ad hoc, aliquid obſiſtit, baptizando ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in Baptiſmate vel ter, vel ſemel immergere: quando & in tribus merſionibus perſonarũ trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nũc vſq; ab hæreticis in baptiſmo infans tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant, dumq; quod faciebant, faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur. Ex huius itaq; ſententia Decretum hoc tulerunt Patres in illo Concilio congregati, cuius tu meminiſti. Intereà tecum reputa Brenti, quanta cùm honoris præfatione nominetur à Patribus iſtis Gregorius, quem vos mirè exagitatis: præcipuè verò impurus ille Vergerius tuus, quibus conuitiorum plauſtris in hominem hunc & ſanctitate & doctrina conſpicuum non inuehitur? Sed & illud conſidera, quòd iuſta fuit illis cauſa viſa, quãobrem ab Apoſtolica traditione diſcederent, ne quid habere cum hæreticis commune viderentur. Neq; ſatis fore iudicarunt, ſi prædicatione verbi Dei iuxta conſilium tuum ſchiſma damnaretur, ſed hac inſuper Traditionis mutatione, magis id animis hominum infigere libuit: efficaciùs enim res imprimitur, quando cum prædicatione ſignum etiam aliquod concurrit.

Proſequitur Brentius: Agitè, dum autem ſit ſanè certum, hanc eſſe Apoſtolicam traditionem non ſcriptam, num parem habebit vim ad pietatem cum ijs, quæ ſcripto ſunt mandata? Baptiſmus ipſe diligenter eſt nobis in Scriptura commendatus, num ergo tantum peccabit is, qui in baptiſmo hominem non ter immergit, quantum ille qui hominem Baptiſmũ legitimè petentem, omninò baptizare recuſat? At hoc neceſſariò ſequetur, ſi traditiones nõ ſcriptæ eandem habent vim ad pietatem, quam habent ea quæ ſcripto ſunt mandata, quis autem hoc diligenter admonitus ſentiat. Quare hæc de trina immerſione traditio, aut non eſt Apoſtolica: aut ſi eſt, pertinet tantùm ad pædagogiam, quæ ſit liberrimæ obſeruationis, & quauis oportunitate mutabilis. Videmur ad hæc iam antè reſpondiſſe. Non fuit ea mens Baſilij, quòd cæremoniam hanc cum Baptiſmo, quod eſt vnum omnium maximè neceſſarium Sacramentum, parem vim habere diceret, cùm abſq; cæremonia hac ſaluum hominem fieri poſſe conſtet, abſq; Baptiſmo verò nulla ſit ſpes ſalutis. Cæterum quod ſcriptum eſt, tertio die Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, cum eo parem vim habet hæc traditio. Nam ſicut à Leone Magno & à Ioanne Damaſceno legimus annotatũ, ſepulturã triduanã imitatur trina de merſio: & ab aquis eleuatio, reſurgentis inſtar eſt de ſepulchro. Quod itaq; dictũ eſt à Paulo. Quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul reſurrectionis erimus. Quod his verbis Paulus ſcripſit, hoc expreſſit iſta non ſcripta traditio, paremq; cum hac ſcriptura vim habet: cum Baptiſmo autem parem vim non habet. Nam & abſq; hac cæremonia conſtat Baptiſmus, quam eſſe mutabilem non negamus, ſed non pro cuiuſuis tamen libidine mutabilem.

Abſoluit tandem Brentius cenſuram ſuam in Baſilium: nunc incipit in Epiphanium quoque cenſorem agere: ac profert quidem hæc eius verba: Quòd oportet & traditione vti, nõ

*Reſponſio.*

*Greg. li. 1 epiſt. 41. in Regiſtro. Tho. par. 3. q. 66. art. 8. c. 5. Luc. 10.*

*Matth. 8. Apoſtoli mutarunt Decreta Chriſti.*

*Concil. Tol. cap. 1.*

*Greg. inuaſus ſectarijs.*

*Brent. iterum ad ueſſus dictam traditionem.*

*Reſponſio.*

*Leo epi. 4. c. 3. Damaſc. li. 4. ca. 18. Rom. 7.*

*Epiph. hære. 61.*



enim omnia à diuina Scriptura accipi poſſunt. Subijcit Epiphanius, quæ reticet Brentius: Aliqua in Scripturis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit ſanctus Apoſtolus: Sicut tradidi vobis, Et alibi: Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſijs. Et, Si continetis, niſi fruſtrà credidiſtis. Quàm pulchrè verò cum Baſilio concinit Epiphanius? Cuius tu ſententiam hanc Brenti quandoquidem non oppugnas, quamuis à teipſo prolata ſit, in eam id partem accipimus, vt à priore tua ſententia diſceſſiſſe te credamus, qua ſic omnem doctrinam nobis ad veram & perpetuam ſalutem neceſſariam in ſacra ſcriptura contineri docuiſti, nihil vt prætereà requirendum eſſe putares. Quod ſi ita eſt, gratulamur, tibi, quòd nonnihil de tua pertinacia remiſeris, erroreq; tuo correcto, concedendum aliquid eſſe veritati putaueris. Nunc de traditione quam oppugnas, videamus. Excutit enim cenſor noſter illa verba Epiphanij. Tradiderunt ſancti Dei Apoſtoli peccatum eſſe, poſt deceptam virginitatem ad nuptias conuerti. Et vt veriſimile faciat hanc eſſe Apoſtolicam traditionem, allegat ſimilem doctrinam ex Paulo de viduis: Iuniores viduas, inquit Paulus, reijce: cùm enim laſciuire cœperint aduerſus Chriſtum, nubere volunt, habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint. Expendamus igitur, num hæc traditio ſit Apoſtolica. Affirmat quidem Epiphanius, eam eſſe Apoſtolicam, & iudico eum tam bonum, tam pium virum, vt hac aſſeueratione non voluerit Eccleſiam Domini ſcienter fallere: ſed cùm non fuerit admodum vicinus temporibus Apoſtolorum, cogito multa ad eum publica, ſed incerta fama nomine Apoſtolorum relata eſſe, quæ fortaſſis alij de Apoſtolis, vt eſſent plauſibiliora confixerunt. Non cupit Epiphanius abs te laudari Brenti. Nam etiamſi tu ſecus de illo ſentires, nos tamen ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptoribus didicimus, eum inſigni fuiſſe pietate præditum. Sed ei doctrinæ quoq; laudem non mediocrem, variarum linguarum peritiam, & multi iugam lectionem tribuunt Hieronymus & Auguſtinus. Quin clamant hoc ipſi libri quos edidit, fuiſſe virum longè doctiſſimum. Quò minùs ferendus es tu, quòd ab eo, quem bonum & pium virum eſſe fateris, quem eruditionis laude quoque celebrem fuiſſe negare non potes, in eo diſſentire non dubitas, in quo ipſe cum Eccleſia conſentit vniuerſa. Cæterùm quas tu coniecturas adfers, quamobrem traditionem hanc Apoſtolicam non eſſe dicas? Non fuit admodum vicinus temporibus Apoſtolorum. Quid autem, vicimiórne tu? Certè mille ducentis annis te præceſſit. Potuit hæc incerta fama cognouiſſe. Quid ſi cognouit ex certa lectione grauium & fide dignorum auctorum, in qua diligenter eum verſatum fuiſſe, teſtis eſt etiam aduerſarius eius Ruffinus: Scribit, ais, Euſebius de Clemente, quòd ſignificauerit quædam à Presbyteris, id eſt, à ſucceſſoribus Apoſtolorum voce ſola ſibi tradita eſſe. Quòd ergo Presbyteri, hoc eſt, vt Euſebius ipſe interpretatur, ſucceſſores Apoſtolorum tradiderunt, fieri poteſt, vt pro ipſorum Apoſtolorum traditione vulgatum fuerit. Magis autem fieri poteſt, vt hoc falſum ſit, quod opinaris tu. Nam Presbyteros illos non eſt veriſimile tam fuiſſe vanos, vt maximè ab illis aliquid eiuſmodi profectum fuerit, vt alijs ſub Apoſtolorum nomine traderent, quæ ab ipſis non acciperent. Incipit iam de traditione iudicare, num ſit Apoſtolici Spiritus. Non eſt certum, inquit, quòd temporibus Apoſtolorum fuerit tale genus vouendæ aut definiendæ, vt Epiphanius loquitur, virginitatis, quale eſt vſitatum apud Monachos. Tibi certum non eſt Brenti, ſed nobis certum eſt, qui legimus hæc apud Apoſtolorum æquales, apud eos qui Chriſtum vidiſſe, ex numero ſeptuagintaduorum Diſcipulorum fuiſſe, & cum Apoſtolis cõſuetudinem habuiſſe creduntur: Quorum vnus Abdias, qui res geſtas Apoſtolorum cõſcripſit, quib. ipſe præſens intererat, & ex magna parte teſtis fuit oculatus, de Matthæo ſcribit, quòd Iphigenia filia defuncti Regis Æthiopiæ ſacrum velamen acceperat de manu eius, præpoſita iam virginum, inquit, ampliùs quàm ducentarum. Audi verò, quæ fuerit Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ hac ipſa de re, de qua ſermo nobis nunc eſt, ſententia. Docuit is, aliqua opera ſic mala eſſe, vt non per naturam mala ſint, ſed per intemperantiam noſtram. Nam ſi præſumat Sacramentorum myſteria ſumere is, qui nondum eſt cœleſti aqua perfuſus, rem bonam conuertit in crimen, & inde reatum æternæ pœnæ incurrit, vnde à reatu æternæ pœnæ potuerat liberari. Ita & nuptiarum bona cùm à Deo benedicantur consecrentur, videntur aliquibus aliquam habere diuinæ indignationis offenſam. Ac paucis interiectis: Videte filioli & fratres, inquantum ſermo noſter prorumpit, vt etiam homicidium bonum poſſe fieri probaremus, cùm hic occiditur, qui ſi non eſſet ipſe ſolus occiſus nocens, multos potuiſſet occidere innocentes. Sicut eſt occiſus Golias, & ſicut eſt occiſus Siſara, ſicut occiſus eſt Aman, ſicut eſt truncatus Holofernes, & ſicut denique ſunt occiſi cum laude, qui veſtris ſedibus inimicabantur & regnis. Sic ergo & matrimonia dum copulantur, bonis operis honeſtate ornantur, ſi ſanctè, & iuſtè, & integrè, & irreprehenſibiliter copulentur. Nam ſi hodie deſponſatam Regis, ſeruus Regis vſurpare audeat, non ſolùm offenſam, ſed etiam crimen tam grande incurriſſe dignoſcitur, vt meritò viuẽs tradatur flammarum incendijs: Nonideò quidem, quia duxerit vxorem, ſed quia ſponſam ſui Regis acceperit. Ita etiam tu, ô fili chariſſime, Rex Hirtace, ſciens Iphigeniam filiam Regis deceſſoris tui ſponſam Regis cœleſtis effectam eſſe, & ſacro velamine conſecratam, quomodo quæſo poteris ſponſam potentioris te tollere, & tuo eam matrimonio copulare? Audis hic Brenti, virginem Chriſto dicatam, audis de manu Matthæi ſacrum velamen accepiſſe, audis præpoſitam virginum plùs quàm ducentarum fuiſſe, audis quantum crimen incurrat, qui ſponſam cœleſtis Regis effectam, ſacroq; velamine conſecratam, tollere, matrimonioq; ſuo copulare? Quid ab idolo veſtro Iſlebienſi, quod ab Oecolampadio, quod à Pelicano, quòd à Bucero ter marito, quod ab alijs veſtris non paucis factitatum eſſe non ignoras. Audis, qua lem contra vos non quiuis homo, ſed Apoſtolus & Euangeliſta Chriſti ſententiam tulerit?

*1. Cor. 11. 1. Cor. 14.*

*Brent. examinat Epiphanij verba.*

*1. Tim. 3.*

*Reſponſio. Socr. lib. 6. c. 10. Zoſ. li. 7. c. 26. Laus Epiphan. Hie. de viris illuſt. & lib. 2. cõt. Ruff. Aug. de hæreſibus.*

*Ruff. in inuectiua contra Hiero. Euſe. li. 6. c. 13. Reſponſio.*

*An votum virginitatis fuerit in vſu tẽpore Apoſtolorũ.*

*Abdi. lib. 7. Apoſt. hiſt.*

*Matth. Euangeliſt.*

*Homicidium aliquando laudabile.*

*Hæretici ex Monachis mariti facti hac ætate. Deut. 19. Matt. 18.*

quæ

quæ si quis esset apud vos resíduus Dei timor, meritò vos commouere deberet. Quoniam verò scriptum est, q. in ore duorum aut trium testium stet omne verbum adhibebimus & alium testem huius æqualem, Martialis hic est Lemonicensis Episcopus, vnus & ipse è 72. Christi discipulis, qui scribens ad Tolosanos: Virgo, inquit, Valeria sponsa Regis terrestris, sed melius sponsa Regis cœlestis, quæ per meam prædicationem virginitatem mentis & corporis deuouerat, &c. Audis & hic, quòd virgo Deo virginitatem deuouerit, quod & fecerit hoc prædicatione S. Martialis: qui nunquam id ausus fuisset prædicare, nisi traditum ab Apostolis accepisset. Sufficiúntne tibi duo testes hi? Lex quidem plures non requirit, sed si tu contentus ijs non es, tertium producemus, & ipsum Apostolorum æqualem Philonem Hebræum. Meminit & is grandeuarum virginum, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædã sunt Sacrificulæ, sed spontè continentium amore sapientiæ. Vis & quartum? Fuit Ignatius à Petro tertius Episcopus Antiochiæ: Hortatur ille virgines, vt agnoscant, cui se consecrauerint. Quin & in Actis Apostolorum fit mentio quatuor virginum Philippi filiarum, quarũ duas in virginitate consenuisse narrat apud Eusebium Polycrates, Ephe. Episcopus, & ipse temporibus Apostolorum vicinus. Vides iam, quòd etiam Apostolorum temporibus non defuerint virgines, quæ Deo virginitatem suam deuouerent. Sed neque viduæ idem institutum vitæ professæ, quas suo tempore Nonnas fuisse vocatas ad Eusto. scribit Hieron. de quibus esse videtur locus hic Pauli, quem tu mirabiliter torques. Sed præstat verba tua ponere.

*Martial. cap. 8.*

*Philo. de vita contemplatiua.*
*Ignat. epist. 12.*
*Act. 21.*
*Euse. lib. 3. cap. 31.*

*Viduæ professæ olim cœlibatum.*

*Brentius de loco Pauli. 1. Tim. 5.*

Nam quod Paulus, inquis, de viduis scribit, non loquitur de Nonnabus, sed de mulieribus, quæ orbatæ viris, tradebant sese in ministerium pauperum Ecclesiæ: idq; ea tantùm fide & promissione, qua solent ancillæ sese in ministeria dominarum tradere. Nec cùm dicit eas reijcere primam fidem, intelligit monasticum genus vouendi, cùm nondum tale votum fuerit, sed intelligit fidem in Christum, quam in Baptismo dederant: ea enim lasciuæ viduæ de quibus Paulus scribit, postquàm saginatæ essent facultatibus Ecclesiæ, & metuerent, ne si nuberent, inferiori loco, quàm antè à inter Christianos haberentur: maluerunt à Christianismo prorsus ad Ethnicismum deficere, quàm inter Christianos contemptiores esse. Hoc significat Paulus, cùm dicit eas lasciuisse aduersus Christum, & conuersas esse ad Satanam. Cùm igitur non sit certum, quòd tale genus vouendæ virginitatis aut viduitatis fuerit temporibus Apostolorum vsitatum, quale nunc est monasticum, non potest etiam certum esse, quòd hæc traditio, decreta virginitate sit verè Apostolica. Est ne hoc interpretari scripturas Brenti? Quid autem est obtorto collo (quod aiunt) in quam velis tu sententiam eas pertrahere, si hoc non est? Ne per somnium quidem cogitare Paulo venit in mentem vnquam ea, quæ proferuntur abs te, sed neque contextus orationis patitur, is vt sensus verborum sit, quem elicere tu conaris. Tum autem, est ne quisquam veterum Orthodoxorum, qui Pauli verba hæc ad eundem nobis modum interpretetur? Totis mille quindecim annis non puto fuisse quenquam, non modò priscorum, verùm ne recentiorum quidem Theologorum præter vos quadraginta his annis natos, qui sic ea putaret intelligenda. Reuera consultò facitis Brenti, quòd tantoperè traditiones oppugnatis, quòd veterum simul & recentium scriptorum, qui vos præcesserunt, omnium auctoritatem eleuatis, quòd nihil præter scripturas esse recipiendum asseueratis, verùm ita, penes vos vt solos eas interpretandi sit auctoritas. Interest vestra plurimum, vt hoc quàm plurimis persuadere possitis. Nam sola hæc est, & non alia ratio, qua quicquid vultis, obtinere queatis. Nam si quid habebit momenti priscorum auctoritas, si quid valebit sensus horum Pauli verborum per illos nobis traditus, si quid receptus tot seculis Ecclesiæ, totius vsus, denique si verum erit, quod dicitur, Optima scripturarum interpres est consuetudo, iam quidem causa nobis est perorata: cùm quod vel verbo respondere nobis queatis, omnium seculorum Orthodoxis nobiscum facientibus, & ab hac interpretatione vestra dissentientibus, habere nihil possitis. Sin autem illud valebit, quod vos vultis, nihil vt recipiatur præter scripturas, & penes vos solos certa fuerit auctoritas eas interpretandi, vt quencunque sensum earum attuleritis, ab eo nobis discrepare fas non sit, vestra nimirũm est victoria. Quid autem Brenti? si ne ij quidem, qui vestræ farinæ sunt, in horum Pauli verborum interpretatione vobiscum consentiunt? Nam quod negas tu de Nonnabus Paulum hæc dixisse, concedit Caluinus vester. Sic enim loquitur: Ego verò illis minimè nego, viduas, quæ sese, suaq; Ecclesiæ operas addicerent, perpetui cœlibatus legem simul suscepisse, non quia in eo religionem aliquam statuerent, vt posteà fieri cœptum est, sed quoniam nisi sui iuris, & iugo matrimonij solutæ, functionem illam sustinere non possent. Quòd si data fide ad nouas nuptias spectarent, quid hoc erat aliud, quàm Dei vocationem excutere? Non est igitur mirum, quod talibus desiderijs lasciuire in CHRISTVM eas dicit. Posteà verò amplificandi causa subiungit. Adeò ipsas, quod Ecclesiæ pollicitæ sunt, non præstare, vt primam quoque fidem in Baptismo datam violent, ac irritam faciant, in qua hoc comprehenditur, vt vocationi quisque suæ respondeat. Nisi fortè hoc mauis intelligere, quòd velut amisso pudore, omnem deinde honestatis curam abijcerent, ad omnem lasciuiam & petulantiam se prostituerent, licentiosa, dissolutaq; vita, nihil minus, quàm Christianas mulieres præ se ferrent: qui sensus mihi perplacet. Respondemus ergo, quæ tunc ad publicum ministerium recipiebatur viduæ, eas sibi perpetui cœlibatus conditionem imposuisse: si posteà nuberent, fore intelligimus accidisse, quod dicit Paulus, vt proiecto pudore insolentiores fierent, quàm deceret mulieres Christianas. Ita non solùm peccasse fidem Ecclesiæ datam fallendo, sed à cõmuni piarum mulierum lege desciuisse. Vides quemadmodum vi veritatis compulsus Caluinus, quamuis & ipse similiter vt vos, vota reprehendat, in huius loci tamen expositione à vobis apertè dissentiat. Dicit enim, viduas illas perpetui cœlibatus legem fuí-

*Responsio.*

*Quo consilio Sectarij scripturas solas vrgeant.*

*Cal. cap. 4. institutionis religionis suæ sect. 19.*



fuscepisse: dicit, si data fide ad nouas nuptias respectarent, nihil hoc fuisse aliud, q̃ Dei vocationẽ excutere: dicit postremò, si posteà nuberẽt, accedisse quod scribit Paulus, vt proiecto pudore insolẽtiores fierent, q̃ decet mulieres Christianas. Quid autem postremum hoc, an non esse verissimum Sacerdotum vestrorũ periculo, qui nuptias incœstas contraxerunt, didicimus? Quid enim eorum fœminæ, quas vxores vocari volunt, an non omnem honestatis curam magna ex parte abiecerunt? an ad omnem lasciuiam & petulantiam se non prostituerũt? quidnis vt potius, q̃ Christianas mulieres præse ferre videantur. Verùm de hoc satis. Quòd autem primam fidem interpretaris, fidem in Christum quam in Baptismo dederant, q̃ coactum, id est? q̃ contortum? q̃ à Pauli cogitatione longè remotum? qui Baptismi ne verbo quidem hoc loco meminit. Primam fidem irritam fecerunt exponit August., id est, voluntate ad nuptias à, pposito cõtinẽtiæ deflexerũt. Irritã quippè fecerũt fidem, qua priùs vouerant, quod implere perseuerantia noluerunt. Et alio loco: Quid autem ais de quibusdam, quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt? Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & nõ reddiderunt. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio, neq; enim soli q sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum cœlorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: At illi non vouerunt, tu vouisti, tu retrò respexisti. Et iterũ alio loco: Apostolus de quibusdam, quæ continentiam vouent, & postea, nubere volunt, qđ eisdem, anteq̃ vouissent vtiq; licebat, habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Idem Augustinus conuersas retrò post Satanam interpretatur, quæ ab illo excellenti vidualis castitatis proposito in posteriora respiciendo ceciderunt & interierũt. Quorsum autem attinet aliorum etiam interpretationes huius loci producere? qui sicut cũ Augustino ferè consentiunt, sic à vobis dissentiũt omnes, Verùm nos in eorum verbis deserendis longiores esse nolumus, cùm præsertim vnus propè sit Augustinus inter omnes, cui vos tamen tribuere aliquid videmini. Vnicam expositionem ducentorum quatuor Patrũ, qui fuerunt in Concilio Carthaginensi ante 1002. annos congregati, proposuisse contenti erimus. Si quæ inquiunt, viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à viro relictæ se deuouerunt Domino, & laicali veste abiecta sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierunt, secundum Apostolum damnationem habebunt: quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerũt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine christianorum communione maneãt, quæ etiam nec in conuiuio cum christianis communicent. Nam si adulteræ coniuges reatu suo sunt viris suis obnoxiæ, quantomagis viduæ, quæ religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem quam Deo spontè, non coactè obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, atq; ad secundas nuptias transitum fecerint? quæ etsi violentia irruente ab aliquo præreptæ fuerint, ac postea delectatione carnis, ac libidinis pmanere in conIugio raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus. Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes dãnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

*Aug. ad Iulianam de viduitate cap. 8.*
*Idem in Psal. 75.*
*Idem ad Polẽtium de adulterinis coniugijs, lib. 1. ca. 14.*

*Idem de viduitate, cap. 8.*

Pergit Brentius: Apostolorum officium fuit, non imponere nouam legem Ecclesiæ, sed potiùs liberare eã à iugo veteris legis. Quid tentatis, inquit Petrus, Deũ, vt imponatur iugũ super ceruicem discipulorum? Et Paulus: In libertate qua Christus nos liberauit, state. Nullam nouam legem Apostolos imposuisse, libenter tibi concedimus. Verùm quisque sibi legem hanc imposuit. Certum est, quòd neminem Apostoli coëgerunt, vt perpetui cœlibatus legem susciperet, cùm ne nunc quidem, vt id faciat, compellatur quisquam. Cæterùm vestis erat lex: vouete & reddite. Ad vouendum nemo: ad ea quæ vouit præstanda, rectè quisq; cogitur. Non fuit, inquit Brentius, Apostolici officij, vt eximerent Ecclesiam ab obediẽtia legis naturalis: hanc enim obedientiam diligenter vrserunt. Sed hoc magna cura, quantùm in ipsis fuit, prouiderunt, ne ex rebus per se liberis, & in libertatem per Euangelium restitutis, nouæ fierent leges, & noui conscientiarũ laquei. Ne quis vos iudicet, inquit Paulus: Et mox: Si mortui estis cum Christo, &c. Virginitatem autem seruare, & cœlibem vitam ducere, res est per se libera: Quare tantũ abest, vt Apostoli docuerint, virginitatem ad cultum & gloriã Dei vouendam, & sibi ipsi necessitatem seruandæ virginitatis lege voti imponendam, vt potiùs vniuersam Ecclesiam ab hoc instituto doctrina sua deterruerint, & libertatem conseruandam censuerint. Quicquid blateres tu Brenti, maior est apud nos auctoritas Epiphanij, cui præsertim totius Ecclesiæ consensus accessit hac in re, q̃ vt nugis istis tuis aures nostras præbeamus. Nõ dubitat Origines mulieri cuidam suadere, quo superstite etiam marito suo dicat: Hoc voueo atq; promitto: si quid humanitùs acciderit marito meo, quod nõ opto, nihil aliud faciam q̃ vt incõtaminata, viduaq; perseuerem. Ausus autem fuisset Origenes hoc facere, si non modò non suasissent tale quid Apostoli, verumetiam vniuersam Ecclesiam, quod admodum imprudenter abs te fingitur, ab hoc instituto doctrina sua deterruissent? Quod ille certè tanto meliùs q̃ tu scire poterat, quantò fuit Apostolorum temporibus propinquior.

*Brentius adfert Scripturas. Act. 15. Gala. 4.*

*Responsio. Psal. 75.*

*Coloss. 2. Gala. 4.*

*Hom. 17. in Lucam*

Pergit Brentius: Quòd si quæ virgo temerè contra ipsorum doctrinam coniecisset se vouto suo in hos laqueos conscientiæ, putásne detinuissent eam in ijs nolentem, inuitam, & conditione sua ad coniugium magis, quàm ad cœlibatum idoneam? Certè quantum intelligi potest è dicto CHRISTI, Non omnes capiunt verbum hoc. Et è dictis Pauli: Meliùs est nubere quàm vri. Et, Vnusquisq; proprium donum habet à Deo, alius quidem sic alius autẽ sic. non solùm non detinuissent virginem in illis laqueis, verumetiam hortati eam essent ad suscipiendum

*Argumentatio Bremij. Matt. 19. 1. Cor. 7.*

dum

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Responsio.*

dum coniugium Apostoli? cùm suis etiam proprijs vxoribus eos persuasisse constet, vt abomni viri copula abstinerent, necalij rei quàm orationi vacarent. Quas etiam si quidam circunducebant, loco tamen sororum eas habebant. Quod nemini mortalium temerè vouendi fuerint auctores, certum est: sed quæ semel sponte virginitatem suam Deo deuouissent, eas vt hortarentur, quò resilirent ab instituto suo, nullis neq; precibus, neq; comminationibus, aut supplicijs adduci potuissent vnq̃. Quæ aũt causa fuit Matthæo Apostolo, quamobrẽ capitis de eo supplicium sumeretur, nisi quòd Iphigeniam, quæ semel continentiam suam

*Non est suadendum coniugium ijs qui ibatum profitẽtur.*

*Epiph. contra Antidicomarianitas hæres. 78.*

*Aug. li. 30. cõt. Fau.*

Christo deuouerat, cũ Hirtaco Regenuptias contrahere non permitteret? Paulus autem Apostolus, quemadmodum apud Epiphanium & Augustinum legimus, plus etiam aliquid fecit. Nam cùm oppignorata iam thalamo fuisset virgo Thecla, nuptijs eam exoluit, ac seruitutem suo in perpetuæ virginitatis amorem incendit. Nihil igitur est, quòd quisquam pius dubitet etiam si cui virgini cum carne sua grauior esset conflictatio, quin eam ad pugnandũ fortiter oratione sua inflammassent, simul ad eum qui dat omnibus affluenter, confugere docuissent, vt ipse daret quod iuberet, iuberet deinde quod vellet. Nam quòd in hanc sententiam pleraq; scripta sunt ab Athanasio, Hieronymo, Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, & alijs plerisq; sanctis Episcopis & Doctoribus, Apostolorum illi procul dubiò vestigijs insistebant, & eorum exemplo quàm plurimos ad virginitatem siue continentiam

*Aug. epi. 45.*

hortabantur. Libet autem hic adscribere, quæ in epistola quadam scripta sunt ab Augustino: Priusquam esses, inquit, voti reus, liberum fuit, quò esses inferior, quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate detereo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis manssisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior: modò autem tanto (quod abũt) miserior, si fidem Deo frangeris, quantò beatior, si persolueris. Nec ideò te vouisse pœniteat, imò gaude iam tibi fic nõ licere, qd cũ tuo detrimento licuisset. Aggredere itaq; intrepidus, & dicta imple factis, ipse adiuuabit qui vota tua explet. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Sic & Chrysostomus ad Theodorum lapsum: Sic & Ambrosius ad virginem lapsam: Sic omnes prisci Patres

*Chry. epist. 6. Ambr. cap. vlt.*

quoduis aliud potius remedij genus adhibuissent, q̃ vt violandi voti cõtinentiã profestis aures fuissent, Ambrosius verò accusatum se fuisse scribit, sibiq; tanquam crimen obiectum, quòd suaderet castitatem, & persuaderet plurimis. Quid autem is ad hæc? Vtinam autem conuinceret, vtinam tanti criminis probaretur affectus. Non vererer inuidiam si efficaciã recognoscerem. Atq; vtinam me exemplis potiùs argueretis, quàm sermonibus cæderetis. Sed vereor, ne præuaricatores mihi apposuisse videar, qui me alienis commendent laudibus. Initiatas, inquit, sacris mysterijs, & consecratas integritati puellas nubere, prohibes, vtinam potuissem reuocare nupturas. Vtinam possem flammeum nuptiale pio integritatis velamine mutare. An indignum, videtur, vt sacratæ virgines à sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? Et quibus licet sponsum eligere, non licet Deum præferre? Cæterũ quæ tu adfers à Christo & ab Apostolis dicta, pridem à Catholicis eorum verborum vera

*Hier. lib. 1. aduersus Iouinianum.*

sententia producta, vestra verò validis est argumentis refutata. Scripsimus & nos in Confessione nostra Christiana pleraq;, quò nunc lectorem remittimus. Nam eadem iterare nihil est necesse.

An non vouere virginitatem, inquit Brentius, humani tantùm est arbitrij, non diuini

*Brent. patrocinatur incæstus nuptijs.*

præcepti? coniugium autem seruare, præcepti est diuini. Coniugatis, inquit Paulus, præcipio non ego, sed Dominus: Vxor à viro non separetur, & maritus vxorem non dimittat.

*1. Cor. 7.*

Cùm igitur Apostoli audierint à Christo de Pharisæis: Cur vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? certè nunquam in animum induxissent, vt propter humanum votum prohibissent coniugium diuinitus ordinatum, aut dissoluissent iam contractum. Vouere virginitatem humani tantum arbitrij, non autem esse diuini præcepti, docemus etiam Paulus, dicens: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quare non inuiti verum id esse, concedimus, quod abs te scriptum est, virginitatem seruare, & cœlibem vitam ducere, rem esse per se liberam. Verùm & illud non minus verum

*Matt. 15.*

*Responsio.*

*1. Cor 7.*

*Aug. de adulterinis conciliis ad Polont. lib. 1. cap. 14.*

est, quod scribit Augustinus: Multa sunt facienda non iubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officijs gratiora, quę cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Quod cùm productis plerisq; scripturæ locis cõfirmasset, in hęc tandem verba concludit: Quæ licita sunt, id est, nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit, potius tractanda sunt, non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus Samaritani illius miseratione ad stabulum perducitur, vt tantò intelligantur esse gratiora, quantò magis ostenduntur indebita. Vides quàm longè dissentiat hic à vobis, qui voluntarios omnes cultus, qui sunt absque expresso mandato, Deo abominabiles esse, contenditis? Hic verò tantò centet esse gratiores, quantò magis fuerint voluntarij. Neq; verò solus ita centet Augustinus. In eadem sententia fuit Hieronymus quoq;: Plus amat, inquit, virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, maioris q; gratiæ est offerre, quod non debeas, quam reddere, quod exigaris. Et alio loco: Virginitas propterea maiore premio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltrà imperata se tendit. Quo maior est illius impudentia, qui dixit, veteres omnes vna voce clamare, nullam penitus voculam à CHristo emissam, cui non sit necessariò obtemperandum. Et hæc ipsa nominatim, quæ nos CHristum consuluisse dicimus, iusta esse, nulla dubitatione vbique docere. Cùm tamen longè diuersum doceant Augustinus, Hieronymus, & in plerisq; locis Chrysostomus. Cæterùm Brenti, non solùm virginitatẽ ue-



*Hom. 8. de pœnitentia. Ser. de charitate, & Hom. 19. in epist. ad Hebræ.*

re continentiam vouere, verumetiam coniugium inire, humani tantùm est arbitrij. Sed sicut seruare coniugium, sic & virginitatem seruare quam semel vouisti, diuini est præcepti. Nam quare præcepit Dominus coniugatis, vxorem à viro non discedere, & vt vir vxorem non dimittat, nisi propter votum, quod intercessit, cùm inuicem sibi desponsi sunt? Atqui simile votum intercessit, etiam cùm te virginem Deo castam despondisti. Quamobrem si non est fas à sponso mortali posteàquam contracta sunt sponsalia, discedere, multò minus à sponso discedere fas est immortali. Nam & illi, qui Christo virginitatem vouent, sicut verè scriptum est ab Augustino, quamuis ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia

*Aug. tract. 9. in Ioannem.*

teneant, tamen sine nuptijs non sunt. Pertinent enim & ipsi ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs sponsus est CHristus. Non minus igitur nefas est illis cœlestibus nuptijs irretitis à sponso suo CHristo discedere, quàm ijs à suis, qui mortalibus sponsis iuncti sunt. Verùm tu sophistica quadam captione Lectori fumos offundere conaris. Nam cùm virginitatem cum coniugio conferas, alio termino vteris cùm de virginitate, alio cùm de coniugio loqueris. Ibi enim dicis, vouere virginitatem, hîc seruare coniugium. At vtrobiq; eodem vti termino oportuit, sic enim veram inferre conclusionem licuisset. Nam sicut vouere virginitatem humani tantùm est arbitrij, sic & vouere, siue mauis, inire coniugium. Et sicut seruare coniugium, diuini est præcepti, sic & seruare virginitatem, quam voueritis, diuini est præcepti. Multis enim scripturæ testimonijs doceri potest, quod vouerit aliquis, id esse seruandum. Nam & in lege scriptum est: Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Dauid quoq; cecinit: Vouete & reddite. Similiter & filius eius. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim illi infidelis & stulta promissio, sed quodcunq; voueris, redde: multoq; melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Vides, quòd eque diuini præcepti est, Christo sponso virginalem, atq; mortali sponso coniugalem castitatem reddere. Nihil itaq; causæ fuit, cur illud à Christo dictum in nos detorqueres: Cur vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nam de nulla hic traditione agitur, sed de præcepto Dei. Vtrobiq; præceptum Dei est, & in seruando voto virginalis, & in seruando voto castitatis coniugalis.

*Diuini præcepti est seruare quod voueris.*

*Deut. 23.*

*Psal. 73.*

*Eccles. 3.*

Conatur iam tandem Brentius docere, quod etiam ijs, qui sunt obstricti voto continentiæ, matrimoniũ inire liceat, idq; ipsius Epiphanij testimonio. Est aũt & nostris in oculis magnus Epiphanius, sed ficubi licere sibi putat, vt à se dissideat ipse, dabit nobis hanc veniam, si potius ab illo sibi non satis cõstante, quàm ab Ecclesia dissentire voluerimus vniuersa. cùm præsertim à Vincentio Lyrinensi docti simus, cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ sententiam deserere nos debere. Quod est aũt hoc remedij genus, peccato peccato mederi velle? Certè Paulus, perquàm ferebat molestè sibi tribui, quòd esse mala facienda doceret, vt euenirent bona. Quod certò docere quodãmodo videtur hic Epiphanius. Libet aũt eius hac de re verba, sicut abs te citantur, adscribere.

*Examinatur alius Epiphanij locus.*

*Rom. 3.*

Epiphanius, inquis, in hoc ipso capite, quo cõmemorat hanc traditionem. sic addit: Melius est vnum peccatum habere, quàm plura: melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem: & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quę à diabolo ipsi inferuntur. Hic iterum, inquis, manifestè affirmat Epiphanius, quòd peccet qui post decretam virginitatem ad nuptias aspirat, non tñ sentit, tantum esse robur decreti aut voti, vt si quis cõtinentiam agere quàm peccatum peccato cumulare: hoc est scortationi operam dare, & ex Ecclesia excidere. Agnoscimus Epiphanij verba, sed cùm ipse pugnare secũ videatur, Ioannis illius sententiam sequi maluimus, qui non sine causa Chrysostomus est appellatus, cuius & nomen in orbe toto celebrius, & maior est apud oẽs auctoritas. Fecerat hoc monachus quidam Theodorus, qd̃ tu suadere vis Epiphanium. Audi, qd̃ illi scribat Chrysostomus: Bonũ quidem nuptias, & ipse confiteor. Honorabiles, inquit, nuptię, & cubile immaculatũ: fornicatores aũt & adulteros iudicat Deus. Sed te iam seruare non cõuenit priuilegia nuptiarũ. Angelorum. n. semel societate iunctũ illud relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequẽter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior & melior mortalibus Angelus. Nec vllus tibi fortè persuaserit, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dñs præcepit. Nec me ignorare cõfiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit, verùm in te adulterij nomen accipiet, si vxoris vnquam, quod absit, nuptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Maius longè audies: Homicida iustorũ laude donatur, & misericors plus quàm homicida punitur, quoniam hoc vetante fit Dño, illud volente. Et Phinees quidem ad iustitiam reputatum est, quòd impudicum cum turpi fœmina virũ vno gladio percussisset. Saulem aut Samuel sanctus Dei in luctibus, lachrymis, precibusq; pernoctans damnatione, cui illum addixerat Deus, liberare nõ potuit, quòd hostium duci, quem debuerat trucidare, inuito parcendum credidit Deo. Cùm hæc ita sint, stupere desiste, si nupti q; peiores adulterio iudicantur, quoties Christus offenditur: Atq; vt illud repetam, quod in principio posui Epistolę, si militię vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen obiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris est, quippè qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir, multò magis ij, qui Christo potius quàm sibi viuunt, conditionem sui corporis habere non possunt.

*Num. 25.*

*1. Reg. 15. & 19.*

*Bremij sententia.*

An autem eadem verba non quadrabunt in apostatas vestros, quos vos deorum loco habere videmini? Nisi quòd sceleratiores ij, qui monachi monachas duxerunt, quàm Theodo-

*In Monachos ductę monachas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rus, qui quamuis monáchus, nullo tamen cõtinentiæ voto duxit obstricta, in quam tamen admonitus postea reliquit. Geminatum itaq; scelus vestri designarunt. Sed audiamus, quid hac ipsa de re scribat Magnus etiam Basilius, qui sicut Chrysostomo doctrina non inferior, sic & ipse multò celebrior est, quàm sit Epiphanius. Extat eius de virginitate oratio, in ea sic loquitur de ijs, quibus hoc loco tibi patrocinari visum est. Cùm, inquit, virginitatem Dño professæ sint, carnali posteà voluptate maleblanda delinitæ, ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Ac paucis interiectis: Coniugium quippè illi in peccatum reputabitur: primùm quidem, quia pessimum coniunctionis huius fundamentum voluptatem iecit, preuaricationisq; malum: Deinde, quia causa non esset libera. Neq; enim mortuus est vir eius, vt cui vult, nubat, viuente immortali viro, meritò censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit. Et iterum post paucas: Si connubium istud & processu & testibus, cunctis deniq; iudicijs illustre & apertum est, nec est vir eius mortuus, mœchatur, quæ huiusmodi admittit scelus, viuente viro semper adultera. Nec sanè video, qua ratione, imò quo sacrilegio ipsa pro immortali viro Dei filio, mortalem hominem in malum suum ambire præsumat, ante viri oculos in ipsum impuris ac nequissimis semper amplexibus impia. Quo item furore homo ille cubile Domini conscendere ac violare non metuat. Quæso quo cruciatu digna censeretur mulier, quę nobili coniuncta viro, seruo suo seipsam violandam impudicè substerneret, ac seruum insidiosè, nequiterq; Domini thoris inueheret? quo item seruus ille damnandus examine, qui Dominæ suæ, Dominiq; cubili se concitatus libidine, adeò petulanter immiscuit? Accedit nunc propius ad rem, qua de agitur: Sed enim vafrę istæ quid faciunt? quæ tantum impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non timuerunt. Non modò non lachrymantur aut ingemiscunt, vt vel lachrymis remittant peccatum suum, minoresq; suscipiant pœnas, verùm virginitatem quoque, quam anteà professæ fuerant, abnegant. Quippè virginitatis limites transgredi, vt voluptatibus inseruiatur, turpissimum esse, plenumq; dedecoris non ignorantes, huiusmodi negatione, maiore scilicet scelere, virginitatem solari sese arbitrantur amissam. Homines miserè & infeliciter eligunt, sed quibus ad excusationem præuaricationis abnegent, quod fuerant antè pollicitæ, nec Dominum metuunt, cum quo fœdera castitatis inierant, cuiq; dederant dexteras, eò quòd in malorum profunda deciderint. Ignorant miseræ, quia apud Deum & apud homines contra se crimen exaggerant. CHristus præter violata virginitatis fœdera huiusmodi negationem, quam vice pœnitentiæ patrocinium criminis sumunt, acrius ac sæuerius suo illo iudicio vindicabit. Neq; prolapsæ ad voluptatem quicquam ad excusationem proderit vmbra, solatiumque connubij. Nec sanè incõgruè ijs, quæ sunt eiusmodi, illud Apostolicum aptari potest: Quoniam cùm fornicatę à CHristo fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, non coniugium, sed adulterium malè consumantes. Nullus itaq; seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat: nullus adeò insanus ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet: nemo in tantum audaciæ, demeritatisq; prosiliat, vt eiusmodi vltionem sacrilegis impendere consideranti, non vasa exanima ex auri, argentiq; materia elaborata, sed animata ipsa & viua donaria, latronis more profanis manibus temerare atq; incestare præsumat. Et si sponte sua se virgo sponsi fœdera transgressa substernat, cunctaq; simul & templum, & donaria, & charitatem sponsi, communionemq; ac societatem regni pernitiosæ voluptatis gratia confundere atque calcare meditur: noli huiusmodi ad scelus vti, neque te peccati communione commacules. Quòd si vigilante alij se virgo in matrimonij consortium tradiderit, illa pœnas fœderis luat: tu ipsum mundum atque integrum serua, ne sceleris impij in Dominum particeps fias. Oportet, inquit, filium hominis tradi: væ autem illi, per quem tradetur: vtile illi esset, si natus non fuisset. Nónne de illa pari ratione iudicabitur, quæ virginitatem antè professa, postmodum pœnitens, fruendæ voluptatis gratia mortali se viro immunda coniunxit? Sit si dixerit: Oportet me viro coniungi in matrimonium, quemadmodum oportebat filium hominis tradi, verùm væ illi, per quem illa sponsi fœdera transgressa, suam impleuerit impura libidinem. Vtilius fuerat (audeo dicere homini illi) non esse natum, quàm socium tanti in Dominum flagitij damnari. Non audis quoniam qui dimissam duxerit, mœchatur? etsi enim pro culpa dimissa est, viuit tamen vir eius. Quid ergo dimissam perturbat: cur ei spacium non das, vt de ijs agat pœnitentiam, quorum gratia dimissa est, & vir à se dimissæ pœnam, emendationemq; miseratus, ad se rursus proprium reuocet membrum? Quid emendandi spacium præripis viuente viro sic dimissam ducens? Permitte, inquit, aut ad viuentem virum remeare, meliorem factam mulierem, aut certè cùm neq; vidua, neq; vxor sit, pro remissione culpæ, quæ peccauit in virum, semper pœnas dare. Tu cur antequam peccatum suum pro quo dimissa est, planè intelligere possit, eam ad coniugium rapiens, impudentiorem ad scelera deinceps facis? nempè viuente viro, alienam adulteras coniugem, facilemque illi ad nequitiam reditum per connubium pandis. Si autem qui dimissam à viro mortali ducit, adulter atq; impius est, qui immortalis viri sponsam nunquam dimissam violare præsumis, multò profectò funestius adulter atq; impius erit. Itaq; etsi illa pessima se mutatione deiciat, ad carnis vitia vltrò denoluta: tu tamen eam noli tangere. viuit enim vir eius, neq; illam dimittere vult. Permitte, vt se inspiciat, vnde sit lapsa, vbinam iaceat. Digeras vitium, diluat amorem carnis, consideret diligentius indulto spacio, cuiusmodi crimen admiserit, quantumq; molita sit sceleris. Redibit prorsus ad spõsum suum. Quid infelicis anticipias ipsum? quid considerandi peccati tempus intercipis? quid consilij spacium tollis? Cur non dimissam à Domino ducens, non virum te, sed adulterum impiè Domini cubile violando manifestat? Hactenus Basilius.

*Basilius magnus.*

*1. Timoth.*

*Luc. 12.*

*Mar. 19.*

Quid



Quid autem acrius, quid vehementius, quid aptius ad rem qua de agitur, quid magis appositum ad incœsta vestra sacrilegia, quibus honestum coniugij nomen prætenditis, condemnanda dici potuit, quàm est dictum ab hoc sancto viro? Num autẽ is disdiapason, quod aiunt, ab Epiphanij sententia non discrepat? Nuptias hoc genus virginitatis abnegationem vocat, & maius id esse scelus, exaggerarique crimen ea re, quin & Christum acrius id & sæuerius in illo suo iudicio vindicaturum scribit. Deinde verò, si dimissa sit etiã à viro suo Christo, hoc est, si sit ad carnis vitia deuoluta, tangi tamen eam vetat, sed spacium illi pœnitentiæ concedi vult. Vides qualem de coniugijs vestris tulerit sententiam vir hic, nõ doctrina magis admirabilis & sapientia, quàm vitæ sanctimonia conspicuus, cuius cùm summa semper in Ecclesia Dei fuerit auctoritas, meritò maius hæc illius, quàm cuiusquam alterius diuersa sententia pondus auctoritatis apud pios omnes habere debet. Qui cùm sicut vitæ quondã, sic & huius sententię socium habuerit Ioannem Chrysostomum, duos hos celebres Græcos contra Græcum & ipsum Epiphanium à te productum, collocamus. Et horum duorũ sententiam tantò nos amplecti libentius profitemur, quantò magis cum ea, quæ totius est Ecclesiæ sententia, cõsentire videntur. Quamobrem nemini dubium esse debet, siue quis virginalem aut vidualem, siue continentiã vouerit coniugalem, eum vtrumq; præstare teneri, neq; licere post emissum votum cõtinentiæ matrimonium cuiquam contrahere. Cæterùm illud esse debet cuiq; persuasissimum, quòd cùm alia, tum monastica simul instituta, non in alium vsum inuenta sunt, quàm sicut scribit Bernardus, ad lucrum & custodiam charitatis. Hæc est enim, quemadmodum ab Augustino quoq; scriptum est, quæ præcipuè custoditur in monasterijs. Charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati cultus (addemus nos verò) charitati cœlibatus aptatur. Coitur in vnam, cõspiratur; charitatem. Hanc violare tanquam Deum, nefas ducitur: huic si quis resistit, eijcitur atq; vitatur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur: hanc ita commendatam sciunt omnes à CHristo & ab Apostolis, vt si hæc vna absit, inania: si hæc adsit, plena sint omnia. Cùm itaq; sicut Scripturę, sic & traditionũ, cùm aliarum, tum earum, quibus vtũtur hi, qui monasticam profitentur, non sit alius scopus quàm charitas, nec aliud spectatum sit, cùm instituta monastica fuerunt inuenta, quàm lucrum & custodia charitatis, ab eorum sententia nõ discrepamus, qui sicubi charitas hoc postulat Christiana (verbi gratia, salus alicuius regni, quod alioqui necesse foret interire, aut aliud aliquid eiusdem generis) rectè posse putant aliquem lege cœlibatus solui, modò ne sit ipse in sua causa Iudex, sed eius ea de re iudicium requirat, cui sicut à Bernardo scriptum est, posse videre datum, & posse prouidere, creditum est. Vt autem pro sua quis libidine resiliat ab eiusmodi voto, seq; propria sua auctoritate lege soluat, quam ipse sibi tulit (quod à vestris apostatis, quos vos Apostolos agnoscitis, factum est) scelus id esse prorsus inexpiabile iudicamus.

*Post emissum continentiæ votũ nulli licet contrahere matrimonium.*

*Ber. de præceptis & dispensatione.*

*Aug. de moribus Ecclesiast. cap. 33.*

*In casu solui potest lex cœlibatus.*

Profert canonem Ancyrani concilij Brentius, qui sic habet: Professi virginitatẽ qui sunt, si hanc mittentes irritam faciunt, inter Digamos censeantur. Digamia autem, inquit, qualẽ illis temporibus intelligebant, videlicet, cùm quis post prioris vxoris mortem duxisset alteram, non iudicabatur quidem ex omni parte commendabilis, non tamen damnabatur. Quare cum hoc Concilium censet eos qui professam virginitatem coniugio violant, inter Digamos habendos, etsi non laudat eorum facta, tamen non audet damnare, & vel ipsorum coniugia dissoluere, vel ipsos ex Ecclesia proscribere. Quid sibi vult Brenti, quod ais, digamia qualem illis temporibus intelligebant, videlicet, cùm quis post prioris vxoris mortem duxisset alteram? An aliam nunc intelligitis digamiam, quàm intelligebant tum? Digamos ad Episcopatum prouehi non vult Paulus. Quod si vos vultis aliam intelligi digamiã, quàm intelligebatur tum, & nunc intelligitur à Catholicis, quid aliud quàm duas vxores habere simul ijs, q Laici sunt, permittitis. Nam soli illi excludentur ab honoribus Ecclesiasticis, qui duas simul habent vxores: quandoquidẽ qui mortua vna, duxit aliam & tertiam, apud vos digamus non est, nec excluditur à Sacerdotio. Scimus etiã libros à vobis editos, quibus polygamia fuit à vobis approbata. Cęterùm, contra Canonem, quem tu profers Ancyrani Cõcilij, nos vicissim obijciemus canonem concilij Chalcedonensis: Virginem, quæ se Deo cõsecrauit, similiter & Monachum, non licere nuptialia vota contrahere: Quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Et quoniam verum est illud Augustini, concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, cedat necesse est Chalcedonensi concilio Ancyranum.

*Concil. Ancyr. c. 18.*

*1. Timot. 3.*

*Sectarij polygamiam defenderunt.*

*Canon. 16. Concil. Chalcedon*

*Aug. de baptismo parvulorum, contra Donatist. lib. 2. c. 3.*

Objicit postea Brentius auctoritatem Cypriani, cuius hæc verba profert: Si se cum fide Christo dedicauerunt, pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmiũ virginitatis expectent. Si aũt perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm vt in ignem delicijs suis cadant. Huic vni Episcopo Africano opponimus nos Patres itidem Africanos, qui fuerunt in Concilio Carthaginensi quarto cõgregati ante años mille ducentos, quorum hoc est Decretum: Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia custodiendum est, vt si quæ viduæ, quantumuis adhuc in minoribus añis positæ, & matura ætate à viro relictæ se deuouerunt Dño, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesię religioso habitu apparuerint, posteà verò ad nuptias seculares trãsierint, secundum Apostolum damnationem habebunt: quoniam fidem castitatis, quam Dño vouerunt, irritam facere ausę sunt. Tales ergo personę sine Christianorum cõmunione manent, quę etiã nec in conuiuio cum Christianis cõmunicent. Nam si adulteræ coniuges reatu suo sunt viris suis obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem, quam sponte Deo nõ coactè obtulerunt, libidinosa voluntate corruperint, atq; ad secundas nuptias transitum fecerint. Sed nos adduci non possu-

*Brentius ex Cyp. votum cœlibatus oppugnat. Cypr. lib. 1. epist. 11. Responsio. Con. Car. Can. 104.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus, vt credamus hoc sensisse Cyprianum, quod vos vultis. Nam cùm is CHristi sponsam esse dicat Deo dicatam virginem & si cum viro reperta fuerit, Christi voce adulteram, nó est verisimile, quòd ei adulterium permittendum esse censuerit. Quamobrem eãdem illius fuisse sententiam existimamus, quam apud Gelasium legimus, qui sic scribit: Si viduæ propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, multum earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, quia iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut.n. si se forsitan cõtinere non poterant, secundum Apostolum nullatenus nubere vetabantur: sic habita secũ deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidẽ debent custodire. Ante quem etiam Iñocentius in hæc verba scripsit: Quæ Christo spiritu-aliter nubunt, & à Sacerdote velantur, si posteà vel nupserint publicè vel occultè corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de hac vita decesserit. Hæ verò, quæ necdũ sacro velamine tectæ, tñ in proposito virginali semp se simulauerunt permanere, si fortè nupserint, ijs agenda aliquando pœnitentia est: Aut igitur de nondum velatis loquitur Cyprianus, quæ tñ in proposito virginali se permanere simulauerunt. aut illius verba retrò trahi oportet ad id tempus, quo nondum velatæ fuerunt.

*Gela. cap. 28. pist. pro.*

*Inno epist. 2. c. 12.*

*Idem cap. 13.*

Profert ad extremum Brentius auctoritatem Augustini. Quidam, inquit Augustinus, nu-bentes post votum, asserunt adulteros esse: Ego aũt dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. Et iterum: Qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, non mihi videntur satis acutè ac diligenter considerare, quid dicant. Ac mox: Fit aũt per hanc minus cõsidera-tam opinionem, qua putant lapsarum à sancto proposito fœminarum non parum mali, vt à maritis separentur vxores, quasi adulteræ sint, non vxores, &c. Tandẽ concludit ita Bren-tius: Ex hac Patrum sentẽtia, & ex alijs rationibus, quas suprà commemorauimus, apparet, quòd hæc traditio, quam ex Epiphanio proposuimus, aut non sit Apostolica, aut si est Apo-stolica, per peccatum non sit intelligendum tale peccatum, quòd natura sua cõiciat homi-nem in æternam damnationem, & propter quod dissoluendum sit coniugium eorum, qui post decretam virginitatem contraxerunt: sed pro nota inconstantiæ, quæ etsi honesto ho-mini non est omninò decora, tamen non est abiectione & damnatione digna. Et quæ etiam ipsa nonnunquam est honesta consilij mutatio, si iustæ & pię rationes ita ferant. Vellem ad-scripsisses locum, vbi scribit hæc Augustinus, quæ tu citas: nam hæc in libro illius te legisse non credo. Citat quidem hæc verba Gratianus ex libro de bono coniugali ad Iulianam: ea terùm ad Iulianam de bono viduitatis, non de bono coniugali scripsit Augustinus. In libro autem illius de bono coniugali hæc verba non reperiuntur, fortassis autem nec vsquã alibi. Quę tamen posterius adfers, qui dicunt talium nuptias, &c. ea leguntur apud Augustinum in libro de bono viduitatis. Quamobrem autem non adscripsisti quæ statim sequuntur? No possum, inquit, Augustinus, dicere, à proposito meliore lapsas si nupserint, fœminas, adul-teria esse, non coniugia, sed planè non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate san-ctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito, quanto grauius offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exe-gerat offerendum. Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed con-silio commonitus vouit, tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus ha-buit vouendi necessitatem. Hæc tu prætermisisti Brenti, quòd ad rem tuam non faciebant. Egregiũ verò nuptijs vestris elogiũ tribuit Augustinus, quas cùm adulteria quidé esse non dicat, quòd tamen sint adulterijs peiores, dicere non dubitat. Nec diuersum ab eo sentit Io-annes Chrysostomus, qui & ipse tales nuptias affirmat esse peius quiddam adulterio. Quo-modo autem peius quiddam intelligi debeat, docet Hieronymus, dicens: Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestę. Porrò ab Augustino sumus edocti, quòd sicut fornicatione peius adulterium, sic adulterio peior est incestus: Ambrosius, Basilius, Theophilactus, vocant hoc genus nuptias adulterium: Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, visum est, non satis pro eo ac ipsius turpitudo meretur, facinus-studappellari, si vocassent id adulterium: itaq; peius quiddam adulterio, hoc est, incestũ fa-crilegium, eas nuptias appellandas putauerunt, quibus cõtaminauit se primus auctor sectę vestræ, & complures alij, qui eum posteà sunt sequuti. Sed Augustinus, ais, nihilominus has esse nuptias contendit, nec à maritis separari vxores, quasi adulteras permittit. Est ita, sed eas Cyprianus, Ambrosius, Basilius, Theophylactus, quin & ipse Chrysostomus alio quodã loco vocat adulteria. Sed audi quid de nuptijs eiusmodi senserit Syritius, qui fuit æqualis Augustini: Monachorum, inquit, quosdam atq; monacharum abiectio proposito sanctitatis, in tantam potestatis demersos esse lasciuiam, vt prius diluculo, velut sub monasterio rum prętextu illicita se ac sacrilega contagione miscuerint: posteà verò in abruptum conscientię desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicè le-ges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas, detestabiles q; personas, à mona-steriorum cœtu, Ecclesiarum q; cõuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus rerum-in suis ergastulis, tantũ facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint po-nitudinis igne decoqui, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordię intuitu, per cõmu-nionis gratiam indulgentia subuenire possit. Adferũt aũt ex Gregorio Burchardus, & post eum Petrus Lombardus, & frater eius Gratianus verba hæc: Viduæ à proposito viduitatis recedentes, super quibus nos cõsuluisti, credo te nosse à sancto Paulo, nisi cõuertantur, olim esse damnatas: quas & nos Apostolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium, atq; à liminibus Ecclesiæ arcendas esse censemus, vsquequò obediant Episcopis suis, & ad bonum quod cœperant, inuitè aut voluntariè reuertantur. Quid igitur dicemus? Nulla quos protulimus, dissentiunt ab Augustino? Num inter sanctos Doctores pugna est? Nulla

*Aug. de bono viduitatis, cap. 10. Quomodo Bren. Augustinũ citet de coniugio eorum qui voluerunt cœlibatũ.*

*Aug. cap. 10. Ibidem cap. 11. Post votum cœlibatus contrahere peius est adulterio.*

*Chrys. epist. 6. ad Theoditum lapsum. Hier. lib. 12. aduersus Iouinianum. Aug. de bono coniugio, cap. 8. Amb. ad virginem lapsam, cap. 5. Basil. de virgi. 1. ad Corinth. Amb. vbi suprà. Basil. vbi suprà. Theod. vbi suprà. Theod. in cap. 7. Syr. epist. 1. cap. 6. Bar. lib. 8. cap. 45. Lom. li. 4. senten. distinct. 18. Gratia. 23. quæst. 1. vidua.*

*Responsio. Dist. 27. cap. Qui dicunt.*



prorsus, modò rectè rem accipias. Dissoluunt.n. nodum hunc Petrus Lombardus & Grati-anus, qui duplex esse votum docent, quòd aliud sit priuatum, aliud solẽne: Priuatum est in abscondito factum. Solenne verò, in conspectu Ecclesiæ factum. Priuatum votum si viole-tur, peccatum est mortale: solenne verò violare, peccatum & scandalum est. Qui priuatum faciunt votum continentiæ, matrimoniũ contrahere non debent, quia contrahendo mor-taliter peccant, si tamen contraxerint, non separentur, quia probari non potest, quod oc-cultè factum est. Qui verò solenniter vouent, nullatenus coniugium inire queant, & si ini-uerint, separentur. Videntur autem ij Doctores Innocentium sequuti, cum quo propemo-dum idem sentire videtur Epiphanius. Is.n. adferens locum illum Pauli, de viduis, ita loqui tur: Quæ promiserunt & reprobauerunt, iudicium habent, quæ verò non promiserunt, sed coniuncta sunt propter debilitatem, iudicium non habent: Si nanq; iudicium siue condem-nationem habituræ essent, quomodo dixisset, Nubant, domum gubernent? Quid autem a-liud ab Innocentio quoq; dictum est? Quod enim dixit Epiphanius, quæ promiserunt, dixit Innocentius, quæ Christo spiritualiter nubunt, & à sacerdote velantur, si posteà nupserint publicè, non eas admittendas esse ad pũblicam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerint, de hac vita discesserit. Quod verò dixit Epiphanius, quæ non promiserunt, sed coniunctæ sunt, p-pter debilitatem, hoc dixit Innocentius, quæ nec dum sacro velamine tectæ, tamen in pro-posito virginali semper se simulauerint permanere: ab ijs si nupserint, agi vult aliquã-to tem pore pœnitentiam. Idem vult & Epiphanius, cùm dicit in eo loco, quem tu citas, eam à vir-ginitate multo tempore pœnitẽtiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci debere. Quàm pulchrè conuenit Epiphanio Græco, cum Innocentio Latino? vt facilè cuiuis constare pos-sit, Orientis & Occidentis eandem ea de re sententiam fuisse. Simul autem explicat Epipha nius, ipse quo sensu dixerit ea, quæ producta sunt per te: quin & quæ videtur inter sanctos Doctores esse repugnantia, tollitur. Nam & Epiphanius in eo loco, quem tu profers, & Con-cilium Ancyranum, & Cyprianus, & Augustinus, etiamsi de professis loquantur, non de ijs tamen quæ publicè professæ sunt & velatæ, sed de ijs tantùm, quæ necdum sacro velamine tectæ in proposito virginali, vel viduali semper se simulauerunt permansuras, loqui viden-tur. Contrà, qui sunt à nobis producti, de ijs dicunt, quæ publicæ professæ, & habitum reli-gionis indutæ, solenni se voto obstrinxerunt. Talibus, tantùm abest vt nuptias permittant, vt ne ad agendam quidem pœnitentiam permittendas censeat, nisi is, cui se iunxerint, ex hac vita decesserit, hoc est, sicut Petrus Lombardus & Gratianus interpretantur, nisi ab in-cœsta copula discesserint. Tunc.n. ille, qui se coniunxerat Monachæ, defunctus erit, cùm ab illius illicitis amplexibus ea penitus recesserit. Sicut mundus ei dicitur mortuus, quem suis illecebris non adstringit: & ille perhibetur mortuus esse mundo, qui nihil in mundo concu piscit. Hæc igitur distinctio, quam non modò Petrus Lombardus & Gratianus, verùm & vetustiores ijs Innocentius & Epiphanius adferunt de voto priuato & solenni, si diligenter expendatur, efficit, vt quæ tu profers testimonia, cum ijs, quæ sunt à nobis producta, nihil prorsus pugnare videantur. Nec est, quòd eam cõtemnendam existimes. Nam præterquam quòd maiore deliberatione fit solenne votum quàm priuatum, nullus vt esse locus tergi-uersationi queat, grauiore cùm offendiculo violatur. Plures enim offenduntur, si quod publicè solẽniter q; quàm si quòd priuatum promissum est, non præstetur. Quid autem est quod sibi charitas magis cauendum esse putet, quàm offendiculum? Hinc est quod Pau-lus ait: Si esca scandalizauerit fratrem meum, nõ manducabo carnes in æternũ, ne fratrem meum scãdalizem. Vides, vt nos exemplo Pauli ad charitatis regulam omnia moderemur, cui soli apud nos aptantur omnia, quam haud aliter, quàm Deum ipsum violare nefas duci mus. Num similiter & vos estis animati? Quin vobis in contrarium potius recidunt omnia: qui si minus lingua, factis tamen dicitis: Quoniam esca scãdalizat fratrem meum, mandu-cabo carnes in æternũ, vt fratrem meum scandalizem. Sic omnia facitis, vt omnibus offen-diculo sitis, ac ne micam quidem charitatis vobis inesse, planũ orbi faciatis vniuersõ. Quæ causa est, quòd hanc quoq; distinctionem inter priuatum & solenne votum risu prosequi-mini. Nos verò cùm ex hac Patrum sententia, tum ex alijs rationibus quas commemorauimus, perspicuum nos fecisse iam putamus, quòd hæc traditio sit Apostolica. Deinde verbo nitatur, Vouete & reddite: quodq; peccatum sit vtrumq;, siue quis post priuato, siue post so-lenni & publico voto decretam virginitatem nuptias cõtraxerit. Sed prius tamen illud pœ-nitentiremitti posse, contractasq; nuptias dirimi non licere: cæterùm quę solenni voto vir-ginitatem siue continentiam decreuerunt, si nuptias contraxerint, eas ne ad pœnitentiam quidem admitti, nisi discesserint ab incœsta copula: & eorum nuptias non tantum adulte-ria, verumetiam incœsta esse sacrilegia.

*Lomb. ibi. 27. dist. presbyt.*

*Votum aliud priuatum, aliud solenne continentiæ.*

*Epiph. hæres. 48. contra Bren. defendit.*

*Grauius peccatur contra votum solenne, quàm priuatũ.*

*1. Cor. 8.*

*Catholici charitate omnia moderãtur, eam non seruant Sectarij.*

*Epiph. hæres. 75. Ex tm compendiaria doctrina de fide.*

*De traditione ieiuniorũ disputat Brẽtius ex Epiphanio.*

*Rom. 15. Th. 1.*

Excutitiam aliam traditionem Brentius: Epiphanius, inquit, recitat etiam aliam traditi-onem, tanquam ab Apostolis datam, quòd quarta & pro sabbato ieiunãdum sit, & quòd sex diebus Paschę nihil accipiendum sit præter salem, panem & aquam. Quæso aũt te, quis verè peritus Apostolicæ doctrinæ posset hanc traditionem pro Apostolica agnoscere? Fieri qui-dem potuit, quòd Apostoli ipsi aliquoties ijs diebus ieiunauerint, & in diebus Paschæ nihil præter salem, panem & aquam acceperint: sed quòd hoc suum exemplum tanquam firmum Decretum Ecclesiæ tradiderint & mandauerint, hoc demùm certis rationibus demõstrari non potest. Apostolorum.n. doctrina est, quòd non vno tantùm & altero die, sed perpetuò ducenda sit sobria vita: Nõ in comessationibus, inquit Paulus, & ebrietatibus. Eorum etiam doctrina est: Mundus omnia munda. Quomodo igitur prescripsissent Ecclesiæ certos dies ieiuniorum, & certum genus cibi? Quartæ & prosabbati ieiunium tam strictum, vt ab Epi-phanio describitur, verisimile est Apostolos exemplo magis tradidisse, quàm quòd legem aliquam ita ieiunandi necessariò seruandam ab omnibus sancire voluerint, cùm ad eam fe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Responsio de primitiuæ Ecclesiæ abstinentia.*

rendam non omnium vires ex æquo sufficerent. Et certè ea fuit Christianorum pietas Apostolorum temporibus, vt eiusmodi legibus opus non habuerint: plus vltro præstabat charitas, quàm vlla potuisset lex imperare. Quicquid Apostolos eorum Discipuli facientes videbant, id eis legis loco fuit: quòd ad eorum exemplum se libenter omnes componebant.

*Philo in lib. de vita contemplatiua.*

Itaq; tanta fuit tum Christianorum abstinentia, sicut à Philone memoriæ proditū legimus, nullus vt esset prandiorum vsus: neq; priusquam Sol occidisset, cibum quisquam caperet. Tertio nonnulli, quidam quarto, alij quinto, sexto demùm die corpus alij cibo reficiebant. Quamobrem hortati sunt magis nō verbo modò, verumetiam & exemplo ad ieiunium hoc, de quo scribit Epiphanius, eos qui Christum sequebantur, quàm quòd strictiorem aliquam legem illis imposuerint. Cęterùm credibile non est, quanto studio pij oēs hanc illorum traditionem amplexi fuerint, vt à temporibus Apostolorum ad hæc vsq; nostra fuerit ab omnibus ferè gentibus ad Christianam fidem cōuersis, ieiunium hoc diligenter obseruatum.

*Dei iustitia & iure, parag. in scripto. August. epist. 86.*

Scis autem illud, quòd diuturni mores cōsensu vtentium approbati legem imitantur: aut si mauis nostrorum nos vti sentētijs, nec illud ignoras, quòd in ijs rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenēda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum cōrcendi sunt. Adeò non minus graue flagitium visum est, Ecclesiasticam consuetudinem contemnere, quàm diuinam legem præuaricari. Quod autem scribis, Apostolos docuisse, perpetuò ducendam esse sobriam vitam: quę est qui neget? nec aliud nunc quoq; docet Ecclesie. Verùm nō oēs capiunt verbum hoc. Quare nostræ datum est hoc infirmitati, vt quoniam perpetuò nō poteramus, certis tamē diebus abstineremus, quibus Christi simul passi pro nobis, & mortui memoriam recoleremus. Neq; verò propterea certo ciborum genere abstinemus, quòd omnia munda mundis esse negemus: ipsi vos non ignoratis Brenti, quòd nullos cibos esse immundos credimus, quos Deus creauit ad percipiēdum cum gratiarum actione: nisi quòd vos omnem occasionem detrahendi nobis queritis. Abstineo, inquit, Bernardus, à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriāt vitia. Vides quæ Monacho fuerit à carnibus abstinēdi causa: eadem est & nobis, eadē fuit Apostolorū sęculo, & aliquot post magnæ parti fideliū, quos non vno aut altero die, sed toto vitæ suæ tempore ieiunasse testantur illa Biblidis apud Eusebium verba: Quæ cùm interrogata fuisset, cur infantes ederent Christiani, cuius tum falsò criminis insimulabantur, Quomodo, inquit, infantes ederent illi, qui ne irrationabiliū quidē animaliū carnibus vtuntur? Adeò tum nonà quadrupedum magis aut volatilium, quàm & à piscium carnibus bona pars fidelium abstinebat, pane tantùm & leguminibus contenta. Cæterùm qui perpetuò non possent, quarta saltem & prosabbatho, sicut erant ab Apostolis docti, ieiunabant. Nam quòd hęc fuerit Apostolorum traditio, videtur etiam scribens ad Philippenses Ignatius indicare, qui tertius à Petro fuit Antiochenus Episcopus, & eum sequutus Origenes.

*De loco, Omnia munda mundis.*

*Bernard. hom. 66. in Cantica.*

*Euseb. lib. 5. hist. Ecclesiast. cap. 3.*

*Ign. epist. 4. Orig. ho. 10. in Leuitic.*

Quale aūt est hoc Brenti, quod subdis? qd' Epiphanius de ieiunio quartæ & prosabbathi affirmat, hoc Augustinus apertè negat. Ego, inquiens, in Euangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellant Testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunii: quibus aūt diebus nos oporteat ieiunare, & quibus non præcepto Dominī vel Apostolorum non inuenio definitum. Quæso te Brenti, num his verbis negat Augustinus, Apostolicam hanc esse traditionem? Num quia dicit, quod eam nō inuenerit in Euangelicis & Apostolicis literis, viua voce traditam esse negat? Vbi fuit mens tua, cùm hæc scriberes? Nos verò nihil de temporibus ieiunij scriptū esse cōfitemur, & propterea traditionem esse dicimus, nō scripturam. Vis aūt, vt ex Augustino doceamus, quod hæc traditio sit Apostolica? Scribit is cōtra Donatistas: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs instituta, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Et alio loco: Illa quę non scripta, sed tradita custodimus, quę quidem toto terrarū orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Cōcilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, cōmendata atq; statuta retineri. Quin is etiam alio loco cauſam adfert, quamobrem quarta & prosabbatho ieiunent, hanc nimirùm: Quòd cōsiderato Euangelio, ipsa quarta sabbathi, quam vulgò quartam feriam vocant, consiliū reperiunturi, ad occidēdum Dūm fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vespera Paschæ Dūs cum Apostolis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam sabbathi, deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbathi, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Quam eandem de quarta feria rationem adfert Theophylactus quoq;. Pergit Brentius: Fieri quidem potuit, quòd eæ consuetudines paulatim apud Apostolicos successores pro externa & libera disciplina inoleuerint: sed non est sentiendum, quòd Apostoli ipsi has tanquā leges Ecclesiæ necessariò seruandas imposuerint. Non difficulter tibi concedimus, q; ita necessariò seruādas leges has Apostoli nō imposuerint, vt si quis ex legitima cauſa cibi sumpsisset aliquid cōstitutis ieiunij temporibus, is æternæ mortis reus esset: cæterū si quod vos facitis, contemptu legum faceret aliquis, vtà carnibus non abstineret, peccatum hoc rectè Satanismum dici persuasum habemus. Omnis pulchritudo filiæ Regis, dicit Psalmus, abintùs. Non esca est, quæ vel commendet, vel condemnet: non peccatur edendo, non peccatur abstinendo, intùs in animo peccatum est. Potest quis abstinere cum peccato, potest edere sine peccato. Non quod intrat in os, sed quod exit de corde, coinquinat hominē: quod intùs est, hoc vel punit, vel coronat Deus, voluntatem scilicet hominis, qua quis manducat, vel abstinet. Verùm hac de re scripsimus in Cōfessione nostra Christiana copiosè, ad quam lectorem remittimus.

*Theoph. in cap. 14. Marci.*

*Psal. 44.*

*Matth. 15.*

*Aug. epist. 86. à Brentio citatur. Responsi. falli Brentium in Aug. sententia indicanda. Aug. libr. 2. cap. 7. lib. 4. cap. 24. li. 5. cap. 23. de Baptismo parvulorum.*

*Idē in epi. 118. c. 1. Idem epist. 86. Cur die mercurij et veneris ieiunetur.*

Absoluit iam censuram suam Brentius in sanctos Episcopos, Basilium & Epiphaniū Græcos: nunc se confert ad Latinos, vt in eos quoq; censuram suam exerceat. Ac primo loco Cyprianum



prianum aggreditur, virum non doctrina magis insignem, quàm laude martyrij celebrem: quem haud aliter adoritur, atq; Ioab adortam aliquādo legimus Amazan, ad quem dixit: Salue mi frater, & tenuit manu dextra mentū Amazæ, quasi osculaturus eum, & percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram. Expendamus, inquit Brentius, & eam traditionem, quam Cypr. de mixtura vini cum aqua in calice Dominico scribit: hanc tanti faciunt Asotici, vt eam etiam inter suos Canones retulerint. Meritò quidem Catholici traditionem hanc maximi faciunt, non solùm quia tanti martyris testimonio, qui nō multū fuit à temporibus Apostolorum remotus, eam à Christo profectam esse didicerūt: verumetiam quòd Ecclesiæ totius moribus receptam esse vidēt. Scribit aūt, inquit, Cyprianus, aquā esse in Dominico calice miscendam ex ipsius Christi præcepto & traditione. Reueremur quidē huius sanctissimi martyris auctoritatem, & amamus eum ex animo. Agnoscis Brentium dicentem: Salue mi frater, & osculū dantem, aspice nunc eundem sancti illius viri latus transfigentem. Sed hoc non est ferendum, inquit, quòd Asotici abutantur auctoritate eius, ad stabiliendas suas partim ineptias, partim superstitiosas & impias traditiones. Potuitnè vulnus illi magis infligere capitale? Quid autem ineptum, quid superstitiosum, quid impium ex huius viri sanctissimi scriptis haurire licet? Cui non satis fuit semel impiorum gladijs occubuisse, nisi blasphemæ tuæ linguæ mucrone Brenti, feriretur iterum? Verùm ad felicitatis illius cumulum accedit & hoc, quod abs te CHristi crucis & veritatis hoste maiore, quàm fuerunt illi, quorum opera supplicio capitis affectus erat, nunc incessitur. Nam abs te accusari, laudari est. Dissimulari nō potest, inquit, quòd hic martyr fuerit aliquoties in asserendis suis opinionibus paulò acrior & vehementior, id quod testificatur exemplum de Baptismo hæreticorum, sed quia diuersum sentientes nec ignibus, nec Satanæ tradidit, ignoscendum illi erit, quantum salua pietate fieri potest. De Asoticis autem longè aliter sentiendum est, ij enim sua dogmata ita asserunt & tuentur, vt qui diuersum docuerit, anathemate deuoueatur, hoc est, igni & aqua interdicatur, & Satanæ tradatur. Itaq; quod in Cypriano est tolerabile, hoc in Asoticis est abominabile. In hac vna sua opinione asserenda, fatemur Brenti, quòd hic S. Martyr acrior paulò fuerit, nec ex omnibus, quæ scripserit, præter vnum hoc, quicquam est reiectum: cætera omnia totius Ecclesiæ iudicio sunt approbata, sicut & hoc inter alia, quod nunc reprehendendum esse putas. Cæterùm qd' sibi vult, qd' scribis, quod Asotici sua dogmata, & suas traditiones, ita asserunt, &c. Nullus ex Catholicis, quos tu lepidus admodum scurra vocas Asoticos, habet sua dogmata, vel suas traditiones: Ecclesiæ dogmata sunt, quæ tuemur: à qua si qui diuersum docent, si propterea à fuerint anathema pronunciati, vel Satanæ traditi, quid fit aliud, quàm quod præcepit CHristus, dicens: Si non audierit Ecclesiam, sit tibi tāquam Ethnicus, Quod Paulus quoq; monuit, cùm scriberet ad Galatas: Si quis euangelizauerit aliud præter id, quod accepistis, anathema sit. Quod etiam ipse fecit Paulus, qui Satanæ se tradidisse scribit Hymenæum & Alexandrū, vt discant non blasphemare. Quid aūt? An non idem vos quoq; facitis Brenti, si quis ab opinione vestra dissentiat. Num opus est hic recēsere, quibus aqua & igne fuerit Vvittembergę interdictum, quòd ab idolo vestro dissentirent. Iam verò nōne querūtur Sacramentarij de grauiore iugo suis ceruicibus per vos impositō, quàm fuerit Pontificium, deq; maiore promodum persequutione: Scilicet si quis diuersum à vobis doceat, in eum arbitratu vestro vobis animaduertere fas est? Si quis verò pugnantia cum Ecclesiæ dogmatibus adferat, durius aliquid in eum statuere fas non est? Sed non est ita sæuitum Cypriani temporibus in hæreticos. Demus hoc tibi, sed statum illorum temporum cōsidera. Durissimo tum seruitutis iugo Christiani premebantur, quando suberant Ethnicis Principibus, nullum supplicij genus in horas non expectabant, cùm toto die mortificarentur, æstimati sicut oues occisionis. Hoc rerū statu, putas tu aliud aliq; eos in hæreticos statuere potuisse, quàm vt eos anathemate damnarent, & è cœtu piorum eijcerent? Cæterùm postea quam ad Christianos imperium fuit translatum, quos insanabiles esse videbant, nō satis habebant eos anathema pronunciasse, simul illis & bona confiscabatur, & aqua & igni interdicebatur. At Cyprianus, ais, ne anathema quidem quenquam pronunciauit. Quo iure aūt id faceret, cùm orbis magnā partē à se dissentire videret? In quo cōcilio statutum fuit, esse rebaptizandos hæreticos: non Oecumenicum id erat, sed prouinciale: quamobrem nihil in eo definiri potuit, qd' sub anathematis pœna seruare tenerentur oēs. Quòd autem errauerit Cyprianus, cùm hæreticos esse rebaptizandos censeret, libenter tibi cōcedimus. Cęterùm cùm nondum illa quęstio satis diligenter pertractata, nec ab Ecclesia vniuersa quicquam de ea fuerit definitum, ignoscendum sibi Cyprianus merebatur. Cæterùm, quod in eo tu reprehendis, in eo sibi ignoscit per te non postulat, cùm quod ipse sentit, idem Ecclesia sentiat vniuersa.

*1. Reg. 20. Brentius Cyprianum insectatur. De consecr. distin. 2. Sicut. De traditione mixtionis vini & aquæ in calice.*

*Cyprr. li. 1. epist. 3. Responsio pro Cypriano contra Brentium.*

*Responsio.*

*Cur Brent. Cyprianum insectetur.*

Pergit Brentius: Sed audiamus, quam traditionis suæ rationem afferat Cyprianus: Si vinum, inquit, quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Habes verba Cypriani. Et si autem sentimus ipsi, non esse aquā tantū in cœna Dominica vtendum, propterea quòd manifestum est, Christum vsum esse in vino: nec existimamus per se perniciosum esse vinum aqua parumper diluere, ac fortassis ipse quoq; Christus, aut ministri cœnæ diluerunt pro more vinum aqua: sed negamus hanc traditionē vel à Christo ipso datā, vel obseruatu necessariam esse. Quæ est hæc aduersandi sanctis Patribus libido? Rectū esse confitetur, oppugnat nihilominus. Duo verò potissimum oppugnat, quod à Christo sit institutum, & quòd obseruatu sit necessarium. At prius illud asseueranter admodum affirmat Cyprianus, eadem illa vestris auribus occinens, quæ vos nostris soletis: Si quis vobis annunciauerit, præter quam qd' accepistis, anathema sit, Reijcitis mandatū Dei, vt traditionem vestram statuatis. Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. His ille Scripturis intonans, vrget, vt solū Christum audiamus, cui

*Cur Brent. Cyprianum insectetur. Responsio. Gal. 1. Matth. 15. Matth. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Pater de cœlo contestatus, vtiñ eo quod ipse fecit, eum imitemur, nēc ab eius præceptis & monitis recedamus qui calicem docuit exemplo magisterij sui, vini & aquæ commixtione misceri. Neq; verò solus hoc ita sensit Cyprian. Qui fuit quintus à Petro Pōtifex Romanus Alexander: Non debet, inquit, vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Dñi aut vinū solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumq; permixtū, quia vtrūq; ex latere eius in passione sua profluisse legitur. Testantur aūt etiam Patres in tertio Carthag. Concilio ante 200. annos congregati, Dñm tradidisse, vt in Sacramentis corporis & sanguinis Domini panis & vinum aqua mixtum offeratur. Vides igitur, quòd nō solùm Cyprianum, sed & Patres Carthaginen. Concilij, & eum qui videtur æqualis Apostolorum fuisse Pontif. Alexandrū, grauissimos eius rei testes habeamus, quòd hæc Christi fuerit traditio. Quam quòd obseruatu necessariam esse negas, perquàm est ridiculū. Scilicet in hoc à Christo & Apostolis eius plerag; tradita sunt, vt ea minimè sit obseruari necesse. Sed intereà tamē verum est, quod à Petro Lombardo scribitur: Si quis non intendens hæresim introducere, obliuione vel ignorantia aquam prætermiserit, non videtur esse irritum Sacramentū, sed ille grauiter est corripiendus. Quòd si quis autem ex contemptu prætermittit, sicut ex vobis nonnulli faciunt in despectum Ecclesiæ, quin grauissimum crimen designet, dubium non est. Excutit iam ēsor noster traditionis rationem, quam adfert Cyprianus: Multò minus, inquit, iudicamus rationem quam adfert Cyprian. esse probabilem. Quid enim? Num Christus in passione sua colligauit sibi Ecclesiam suam tam fragili vinculo, vt si fortè minister Ecclesiæ vtatur in cœna vino tantùm, statim Christus incipiat esse sine Ecclesia, & nō habeat amplius Ecclesiam, aut si quis vtatur tātùm aqua, iam protinus Ecclesia priuetur suo Christo? At Paulus dicit: Mihi persuasum est, quòd neq; mors, neq; vita poterit me separare à dilectione Dei. Et Christus ipse ait: Nemo poterit oues meas rapere de manu mea. Quid ergo de illis verbis iudicari aliud possit, quàm quòd incogitanti exciderint? Nihil excidit incogitanti Cypr. Brenti, verum improbè tu facis & arroganter, qui sanctì verbis alienum sensum affingis. Certū est, quod in passione sua Christus Ecclesiam suā fortissimo sibi vinculo alligarit, verūm ad hanc non pertinet, qui traditionem illius contemnit. Nec incipit esse sine Ecclesia Christus, siminister secùs offerat, quàm ille docuit. Habet ille nihilominus Ecclesiam suam, quæ vocem eius audit: sed eorum caput esse recusat, à quibus mandata sua negligi videt. Sensum aūt horum verborum non aliundè rectius intelliges, quàm ex ijs, quæ scripsit Beda venerabilis in Marcum: Quia, inquit, & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vino Domini calicis aqua miscetur: Attestāte. n. Ioanne, aquæ populi sunt. Et neq; aquam solam, neq; solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione & confectione in panem cuiquam licet offerre: ne talis videlicet oblatio, quasi caput à membris secernēdum esse significet: & vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione saluari, ac Patri offerri posse, confingat. Ex his Bedę verbis, hanc Cypr. sententiam fuisse conijcimus, quòd quando vel vinum tantum offertur, vel aqua sola Christus caput à corpore suo Ecclesia, vel Christi corpus Ecclesia à capite suo separari significatur: quę prorsus alienum est ab institutione Christi. Hanc igitur significationem Christi capitis cum corpore suo Ecclesia coniunctionis non exprimi, quando vel vinum tantùm, vel aqua tantùm offertur, dicit Cypr. Vinum enim significat passionem Christi, cui nomen calicis tribuimus nouę semel in Euangelio: aqua populum CHristi sanguine redemptum. Quando igitur in calice aqua vino miscetur, CHristo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur: quæ significatio prætermittitur omissa mixtione. Hoc quin censerit Cyprianus, dubitandum non est. Intereà tamen & illud verum est, quòd si quis data opera ex mero contemptu traditionis diuinæ vinum tantùm offert, & oblationi tali plebs consentit, quòd eius generis oblatio nullum fructum adfert, vel ipsi offerenti, vel plebi consentienti. Est enim CHristus pro nobis passus & mortuus, causa salutis factus omnibus sed obedientibus sibi. Cùm autem id ex mero fiat contemptu traditionis, cuius ipsum Christum auctorem fuisse credimus, nullus ex ea fructus est sperandus: Nam separare se tales à Christo videntur: Quare quem ille pro nobis fudit in ara crucis sanguinem, cuius rei sit in altari repræsentatio, fructum aliquem ex eo capere non possunt, cùm sint omnium Christi meritorum expertes. Cæterùm si per obliuionem aqua Sacerdos vinum non miscuerit, ipse quidem grauiter peccat, ad plebem verò, pro qua fit oblatio, nihil ex eo detrimēti redūdat. Neq; verò propterea Christus erit absq; Ecclesia, si vel Vvittebergenses ab eo deficiant, quin si, qd' absit, tota Europa deficeret, relinquet sibi nihilominus septem millia, quæ non curuauerunt genua ante Baal: & malis malè perditis, sicut factum videmus de omnibus illis, qui ab Ecclesia defecerunt, vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent illi fructum temporibus suis: quod nunc propemodum fieri videmus in istis, quæ repertæ dicūtur, nouis insulis. Sed vos, qui præcidistis vos ab Ecclesia Dei absq; Christo esse, certum est & indubitatum.

*Alexand. epist. 1.*

*Concil. Carthag. capite 24.*

*Lib. 4. dist. 11.*

*Ratio Brentij contra Cyprianum.*

*Rom. 8. Ioan. 10. Responsio.*

*Beda cap. 14. in Marc. Apoc. 7.*

*Hebr. 5.*

*3. Reg. 19. Matth. 21.*

*Quomodo Brentius simul flagellet ac excuset Cyprianum.*

Pergit Brētius: Sed hęc potius dicta esse volumus aduersus Asoticos seueros, suarum traditionum exactores. Quid autem ijs verbis an non ludere videtur Brentius? Sunt nè cuiusquam alterius hæc verba, quàm Cypriani? Num quisquā alius eis quàm tu, tam absurdū sensum affinxit? Videtur Mimus hic noster illum Retiarium repræsentare, dicentem: Non te peto: piscem peto: cur me fugis galle? Cypriano colaphos impingit, & alios intereà sē petere fingit. Adfert ipse tandem Cypriani verborum interpretationem, verùm sic, vt illum innuisse magis hoc dicere quàm dixisse, vt nisi nobis interpretationem hanc Brentius attulisset, Cypriani verborum sensum assequi nemini licuisset. Libenter, inquit, verba eius sic interpretamur, quòd cùm dicit: Si quis vinum tātum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, voluerit dicere, solū vinum non significare, Ecclesiam esse cum sanguine Christi coniunctam, sicut significaret, si ei aqua admisceretur. Et tamen ne hic quidem sensus tanti momenti est, vt cogat vinum necessariò miscēdum aquæ. Quàm necessariò miscendum sit aqua vinū, ex Petro Lombardo iam docuimus. Sed audi quid ea de re Theophilactus quoq; sentiat: Confundantur, inquit, Armenij, qui non admiscent in mysterijs aquam vino: non enim credunt, vt videtur, quòd aqua ex latere egressa sit, quod admirabilius, sed sanguis tantum. Tametsi enim, inquit, Brentius, coniunctio sanguinis Christi & Ecclesiæ eius non significaretur per vinum mixtum aqua, tamen Christus ipsa cœnæ suæ institutione & commendatione significauit se coniungere nos ipsi, & nos ipsi coniungi, quod faciat nos sanguinis & corporis sui participes. Significauit Brenti, quodq; fecit ipse, nobis quoq; faciendum præcepit, vt ipsius exemplo vinum aqua miscendo, significationem hanc exprimeremus. Sed quid est hoc Brenti, quòd cùm in hac epistola benè longa toties Cyprianus oblationis & sacrificij faciat mentionem, cœnæ verò nunquam, tu, tractans illius verba, cęnæ subinde memineris, sacrificij nunquam? Sudes est in oculis vestris oblationis siue sacrificij nomen, quo tamen vix quisquam est veterum scriptorum, qui non vtatur frequentissimè. Sed vnde liceret agnoscere semen adulteræ, si Patrum voces non respueretis? Hoc illud est Brenti sacrificium, quo copulæ illius ineffabilis admonemur, qua se nobis & sibi nos coniungere Christus dignatus est, vt sicut ipse caput corporis Ecclesiæ, sic Ecclesia corpus esset capitis Christi, tam ipsa per ipsum (vt inquit Augustinus) quàm ipse per ipsam fuetus offerri, vnum cum illo manens cui offertur, vnum ipse faciens pro quibus offertur, vnus ipse qui offert, & quod offertur: ipse & Sacerdos & sacrificium. Hanc admirabilem vnionem, peculiariter nobis exprimit vnum aqua mixtum, ad quam vos nō pertinetis Brenti, qui non modò mixtionem hanc ridetis, verumetiam in tremendum sacrificium hoc impiè non rarò blasphematis, & vt Satanæ vobis gratiam demereamini, qui nihil magis horret, quàm sacrificium hoc (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus, inquit, Cyprianus) omnem lapidem mouetis, vt illius memoriam abolere queatis. Vide autem viperam hanc, quomodo locum istum concludat? Et alioqui, inquit, apud Esaiam malè audit mixtura vini cum aqua: exprobrat enim Propheta Ecclesiæ suę impostura & rerum corruptionem. Argentum, inquiens, tuum versum est in scoriam, & vinum tuum mixtum est aqua. Non potest, quin acieum infigat, & suū virus effundat. Multa Scripturæ loca produxit Cyprianus, quibus hanc vini cùm aqua mixtionem asserere conatus est, quam hic vno hoc prolato nihil ad rem qua de agitur, pertinente, nititur infirmare: & sicut est in prouerbio, infixo aculeo fugit. Ac de ista quidem traditione hactenus.

*Theoph. in cap. 18. Matth.*

*Brentius subdolè tacet de sacrificio.*

*Lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 20. Libr. 4. de Trinit. cap. 14.*

*Lib. 2. epist. 3.*

*Esaiæ 1.*

Vltimo loco sibi sumpsit arrodendum celeberrimum Ecclesiæ doctorem Augustinum. Sed quid est in quo tibi non satisfaciat Brenti? Enumerat, inquit, & alicubi Augustinus aliquot festos dies, & affirmat eos ab Apostolis traditos. Quo nomine rectius hos homines appellaueris, quàm progeniem viperarum? de quibus traditur, quòd nisi dilacerato & dirupto materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci non possint. Sic isti non se putant in lucem prodire, nomenq; suum celebre posse reddere, nisi lacerent & proscindant eos quibus debent, si quem habent in sacris literis progressum, verè degeneres filij, & quātum in ipsis est, parricidæ. Sed adscribamus Augustini verba, quò magis liquere possit, num sit aliqd in ijs reprehensione dignum: Illa, inquit, quę non scripta, sed tradita custodimus: quę quidē toto terrarū orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Cōcilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atq; statuta retineri. Sicut qd' Dñi passio & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersaria solennitate celebrantur. Quid est in his verbis, quod non stellulis potius illustrandū, quàm obeliscō notandū sit? Sed hoc non ostenditur, inquit, firmis argumentis. Quid? an potest vllum esse firmius argumentum, quàm sit vsus totius Ecclesiæ? Sed teneamus, inquit, quod ipse scribit, non hoc ideo verum putandum, quòd ipse ita senserit, sed tum demùm accipiendum, cum id vel per Canonicos auctores, vel probabili ratione verum esse docuerit. An autem probabilis ratio non est, quæ totius Ecclesiæ moribus est recepta, cùm ab Apostolorum temporibus, vsq; ad hæc nostra semper ij dies fuerint singulari quadam solemnitate celebrati. Deinde manifestum est, inquit, quod Paulus scribit. Nemo vos iudicet in parte diei festi: nō est autem verisimile, quòd alij Apostoli aliud aut diuersum docuerint. De Iudæorum festis diebus loquitur Paulus: Christiani verò quò minus certos dies festos agerent, quibus memoriā Christi beneficiorū recolerent, nusquam Paulus vetuit. Postremò testificantur, inquit, alij scriptores, quòd non fuerit institutum Apostolorum, leges de diebus festis condere, sed veram pietatem docere. Quàm delectatur hæreticus hæreticis sententia? Quoties aūt hoc iam admonuimus, huiusmodi dies festos ad excitandam in animis hominum pietatem plurimum facere? Concludit tandem: Quare aut hæc traditio non est Apostolica: aut si est, non est data in perpetuam legem & singularem cultum Dei, sed tantum ad externam eamq; liberam disciplinam, quę tantisper obseruari possit, dum exercitio pietatis vtilis esset: mutari aūt possit, cùm inciperet pietati magis obesse quàm prodesse. Nos verò traditionem hanc Apostolicam esse teneamus, quam ipsis etiam Apostolorum temporibus obseruatam fuisse, docet Ignatius: simul & illud persuasum habeamus, quòd data sit in perpetuam legem, & singularem cultum Dei: nam hac ratione beneficiorum illius innumerabilium memoria nobis repræsentatur, & ad gratias pro illis agendas mentes hominum excitantur. Quare quoniam nihil esse potest exercitio pietatis vtilius, perpetuò nobis hæc traditio veniet obseruanda. Et quia nullum vnquam tempus euenire poterit, quo pietati officere queat beneficiorum Dei recordatio, nunquam eam nobis mutare licebit.

*Quàm iniquè tractet Brent. Augn. de ferijs Ecclesiæ. Aug epist. 118.*

*Ignat. ad Philip.*

Audiamus iam Epilogum Brentij: Quę cùm de traditionibus ita se habeant, inquit, manifestum est, quòd cùm Asotici dicunt, veritatem Euangelij non tantùm in scriptura sacra, verùm

*Epilogus Brentij.*

verùm etiam in traditionibus sine scripto contineri, & sacram scripturam per traditiones interpretandam, adeoq; traditiones certissimum fidei fundamentum esse, Satan meditetur primum quidem abolitionem, aut saltem extremum contemptum sacræ Scripturæ, deinde æternam Ecclesiæ internecionem. Cogitat. n. Ecclesiam à certissimis ad incertissima, à cœlestibus ad elementa huius mundi, à diuinis ad humana, deniq; ab oraculis Spiritus sancti, ad somnia & deliria prophanæ carnis abducere. Ne istud Deus clementissimus sinat, Ecclesiam sanguine filij Dei redemptam, & electam eius sponsam, ac scripturam cœlestibus testimonijs confirmatam, & Ecclesiæ summi thesauri loco diuinitus commendatam in tantum periculum venire, vt illa quidem fundamenta æternæ suæ salutis ex incertissimis hominum dogmatibus petat, hęc autem vanissimis Asotorum somnijs subijciatur. Vide quæ sit hominis impietas? De traditionibus Apostolorum loquitur, & audet eas vanissima Asotorum somnia vocare? Etiam Apostoli iam illi sunt Asoti. Sed nostrum vicissim epilogum Serenissime Rex audire ne graueris.

*Responsio.*

*Epilogus.*

Ex ijs, quæ de traditionibus hactenus per nos dicta sunt grauissimorum, doctissimorum, sanctissimorumq; Patrum testimonijs, quorum iam inde à mille trecentis & amplius annis in Ecclesia Dei sacrosancta semper fuit auctoritas, planum à nobis factum est, quòd veritas Euangelij non tantùm in scriptura sacra, verùm etiam in traditionibus sine scripto contineatur: quodq; non aliundè magis hæreses natæ sunt, quàm ex eo, quòd secundum suum sensum, non autem secundum eum, qui nobis per lõgam successionem Episcoporum & Sacerdotum à Patribus nostris, per manus traditus est, scripturas interpretari licere sibi quisque voluit: vt si quis certissimum fidei fundamentum esse traditiones dixerit, à vero nihil aberrauerit. Nam & primæ fuerunt in ædificatione domus Dei, quæ est Ecclesia, cum illis ædificata fuerit Ecclesia, priusquàm extaret vlla scriptura. Et sicut labefactato fundamẽto, quicquid superstruxeris, corruit: sic vbi labefactatæ sunt traditiones, nihil ibi firmum in fide, nihil fixum & stabile videre licet. Has igitur traditiones, cum summo studio Satan abolere meditatur, nihil aliud quàm æternam internecionem Ecclesiæ meditatur. cuius cùm salus non aliundè magis pendeat, quàm ex iugi & ea grata beneficiorum CHristi recordatione, qua fit vt eius ineffabilem in nos amorem animis nostris subinde recolentes, in illius vicissim amorem rapiamur, à quo sic nos amatos esse recordamur, cùm nõ modò quos amaret, indigni verumetiam quos æternis afficeret supplicijs, digni fuissemus. Quæ cùm vnica sit via eò ascendendi, vnde nostra causa Dei filius descendere dignatus est, vt sicut illum de cœlo charitas detraxit, sic nos vicissim in cœlum charitas attraheret: hanc nobis felicitatem Satan inuidet, quòd nihil ei molestius accidere possit, quàm vt ex quibus ille merito suo deiectus est, illis nos potiri sedibus contingat. Quamobrem hæc agit sedulò, quandoquidem ad accendendum in cordibus nostris amorem redemptoris nostri nihil æquè facit, atq; iugis memoria beneficiorum illius, vt ea prorsus extinguat, & obliuione quadam obruat sempiterna. Intelligit autem hoc sibi tantò difficilius esse, quòd ea non modò monumentis literarum consignata, verumetiam prædicatione, dierum obseruatione, signis, imaginibus gestu, habitu, varioq; ritu & cæremonijs sic auribus inculcata, sic oculis ingesta, sic mentibus hominũ impressa videt, vt sine magno negotio, quod meditatur, præstare non possit. Quid igitur? Verissimè scriptum est: Erat aũt serpens callidior cunctis animantibus. Nulla est astutia tanta, quæ cum Satanæ possit astutia comparari, qui non aliundè, quàm ex fraude, dolis & fallaciis constat. Nunquam is aperto Marte cõgreditur, verùm quibuscum illi res est, eos ex insidijs adoritur. Transfigurat se plerumq; in Angelum lucis, nihil minus præ se ferens, quàm quod animo clausum gerit. Perspicit ille, quòd istis dierum obseruationibus, quibus beneficia Christi natiuitatis, passionis, resurrectionis, in cœlum ascensionis, Spiritus sancti missionis, nobis in memoriam reuocantur: tum & signis ac cæremonijs ab Ecclesia receptis altius infigitur nostris pectoribus eorum recordatio, quàm vel scriptura, vel prædicatione, vt quoad istæ, quæ traditiones non scriptę vocantur, abolitę nõ fuerint, nulla fit spes ea quę mediatur, perficiendi. Quare fingit se maiestatem diuinorum oraculorum, quę literis mandata sunt, tueri velle, cui per hoc genus traditiones plurimum detrahatur: de illis itaq; eonuellendis prima illi cura est, quòd per eas beneficiorum Christi memoriã penitus mentibus hominũ infigi videt, cùm præsertim in Ecclesia multò maxima sit pars rudiũ & imperitorum, qui neq; scripturas legere sciunt, neq; sermonibus audiẽdis vacare semper possunt. Sic itaq; secum cogitat: Si sustuleris ea initio, quę cùm nunquam nõ ingerantur oculis rudium, memoriam Christi beneficiorum eis excidere non patiuntur, non parum profeceris. Nam quod ad scripturas & ad prædicationem attinet, non perinde mouetur ijs vulgus, cùm non eque intelligat, vel quæ dicuntur, vel quę scribũtur omnia: & sunt multò plures, qui legere nesciunt, neq; datur omnibus audiendi facultas. Deinde verò suus erit & ijs euertendis locus, nisi quòd non omnia simul tentanda sunt, verùm ille potius imitandus est, qui caudæ pilos equinæ paulatim vellebat. Quid aũt? An non successit Satanę suum consilium? Quinihil aliud initio se meditari simulabat, quàm vt externos ritus & cæremonias, vt dieurm observationes, vt externum Sacerdotium & sacrificiũ abrogaret, num in hoc acquieuit? Quin is vlterius progressus, tandem facessere iussit externum quoq; verbi ministerium, quò sic locus esset internæ Dei inspirationi. Quantum aũt hac in parte profecerit, obscurum non est, cum auctoritate verbi Dei, sublata sit apud multos prædicatio verbi Dei. Sed nec intra has metas cõsistit: Posteàquam sustulit externa signa, sustulit & prædicationem æternam, simul etiam ad scripturas ipsas abolendas studiũ suum cõtulit. Nam cùm persuasisset hominibus, omnia hæc externa signa infirma quædã & egena esse elementa, ad quæ cõuerti, quibus cõstat scriuire Paulus vetuerit, quoniã & literas infirma vocãt elemẽta Grãmatici, quibus cõstat scripturæ diuinę, etiam has tãquam infirma & egena elementa conatur in cõtemptũ adducere, quò

*Genes. 2.*
*2. Cor. 11.*

*Quibus artibus Satan memoriam & reuerentiam sacrorũ abolere conetur.*

*Gal. 4.*



quò sic tandem & ijs abolitis, eò perueniat, quò statim initio cogitabat, vt memoriam Christi beneficiorum omnem funditus deleat. Vides pientissime Rex, quorsum eat Satanas? Initio traditiones tantùm oppugnabat, mox & prædicationem & scripturam abolere conatur. Elementa sunt traditiones? elementa sunt & literæ, quibus constat scriptura. Quam obrem vbi prohibet Paulus, ne conuertamur ad egena & infirma elementa, quid aliud secundum istos, quàm ne ad scripturas conuertamur, prohibet? quæ magis etiam vsitatè vocãtur elementa, quàm quæcunq; tandem cæremonię. Vides, quemadmodũ euertere traditiones, ad scripturã etiam abolendã est fenestrã aperire? Inde cęlestes Prophetę, inde nobis nati sunt Suenckfeldij. Euãgelium igitur abolet, quisquis traditiones abolet, acq; verissimè scriptum est à Basilio, fidei prædicationẽ ad nudũ nomẽ cõtrahit. Quare tutissimũ fuerit Asotorum istorum vanissima somnia contemnere, qui tantoperè traditiones oppugnant, & Spiritum sanctum audire per Paulum nos monentem: Itaq; state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Nihil est, quòd separemus ab inuicem, quæ coniuncta Deus esse voluit. Non abducit à scriptura, qui cum scriptura teneri vult traditiones, per quas scripturis permultum & lucis & roboris accedit. Nam sicut scripturæ traditionibus, ita scripturis traditiones illustrantur, & esse firmiora consueuerunt, quę variis modis inculcantur, quàm quæ per solam scripturam ad memoriam hominum reuocantur: cùm præsertim non defuerint viri sapientes, qui magis probarent contemplationem, traditionemq; veritatis in animos, quàm in libros, quod minus tenaciter hærerent in memoria quę scripta, quàm quę tradita essent. Quę causa etiam fuisse Lycurgo putatur, quod quas condiderat leges, eas literis mandari nolebat: quod si ex animis in animos transfusæ essent, plus eas firmitatis habituras persuasum haberet, quàm si fuissent in literas redactæ. Quæ non ideò commemorantur à nobis, quasi nos consilium sancti spiritus non laudemus, qui quæ principio per Patriarchas & Prophetas, deinde per ipsum Dei filium Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM, postremò per Apostolos & Euangelistas dicta sunt & facta, monumentis literarum consignari voluerit: sed quòd hoc quoq; nomine satis laudare sancti Spiritus consilium non possumus, quòd non contentus hac vna ratione nobis ea patefecisse, traditiones etiam non scriptas adiungendas putauerit, quibus magis etiam atque magis & explicarentur & inculcarentur, simul tenacius mentibus nostris infigerentur, quæ sunt nobis ad salutem nostram necessaria.

*Basil. de Spiritu sancto, cap. 27.*

*1. Thessal. 2.*

*Plato in Phædro, & epist. 2.*

LIBRI QVARTI FINIS.

LIBER

# LIBER QVINTVS
## DE CATHOLICA ECCLESIA,
### AVCTORE STANISLAO HOSIO CARDINALE, EPISCOPO VVARMIENSI.

*Hæretici quoque sibi nomen Ecclesiæ vendicant.*

SIMIÆ cùm sint simiæ, videri tamen homines affectant: sic hæretici cùm sint hæretici, cùm sint suo ipsorum iudicio condemnati, cùm ipsi se præciderint, ipsi se è cœtu piorum, quem vocamus Ecclesiam, eiecerint, dici tamen & videri volunt Ecclesia. Neq; verò nouum hoc est & inusitatum. Mille iam & trecenti propè anni interfluxerunt, cùm scriptum est à Lactantio, quod singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant. Quo vetustior etiam Cyprianus de Nouatiano memoriæ prodidit, quòd more simiarum, quæ cùm homines non sint, homines imitantur, cùm ipse in Ecclesia nō esset, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis extitisset, hoc sibi vendicabat, vt apud se Ecclesiam esse diceret, ac nos hæreticos faceret. Suo quoq; seculo narrat Hilarius, quòd Antichristi synagoga se Christi Ecclesiam esse mentiebatur. Et de Donatistis scribit Augustinus, quòd Ecclesiam in Africa tantùm esse, eaq; non tota, sed in parte Donati modò contenderent. An autem Bernardi quoq; temporibus non fuerunt quidam, qui se vocabant Apostolicos, qui se Ecclesiam esse dicebant? sed cōtradicebant ei, qui dixit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Horum temeritatem imitati sunt proximis superioribus seculis pauperes de Lugduno, quorum nunc Picardi sunt soboles, qui & ipsi seorsum Ecclesiam colligunt, & ab ea Catholicos & Orthodoxos excludunt. Nihil itaq; noui fecit nostra tempestate Martinus Lutherus, qui cùm se nefario scelere ab vnitate Catholica, tanquam ab area Dominica separasset, suo cœtui, quem collegerat, Ecclesiæ nomen vendicauit. Sed præclarè de Donato scripsit Augustinus, quod sicut is CHristum diuidere conatus est, sic ipse à suis quotidiana concisione diuiditur. An autem idem Lutherus non accidit? Conatus est is diuidere corpus Christi, an vicissim à suis quotidiana concisione non diuiditur? Primus hic orbem Christianum indicta causa condemnauit, & ab eo se nefaria præcisione separauit. An autem quod ipse licere sibi voluit, idem sibi quoque licere debere nō cōtēdaebāt Carolstadius, Zuinglius, Oecolāpadius, Caluinus, & alij, q̄ tunc sectæ Sacramentariæ? cùm nec doctrina, nec impietate minus profecissent, quàm Lutherus. Fecerunt & ipsi sibi profana conuenticula, quæ vocauerunt Ecclesiam: seq; non minus ab ipso Luthero, quàm ab orbe toto Christiano diuiserunt. Neque id non optimo iure. Nam si licere sibi voluit Lutherus orbem Christianum inauditum condemnare, & ab eo se per nefarium scelus separare, quidni licere sibi vellent itidem viri illi docti, vt sicut in alijs multis ab orbe Christiano, sic in præcipuo quodam religionis nostræ capite ab ipso etiam Luthero dissentirent? Qui certè molestè ferre non debuit, quandoquidem ipse persuasum habuit, se plus in scripturis videre, quàm tot seculis viderit orbis Christianus vniuersus: si persuasum de se quoque viri illi docti habuerunt, se vidisse aliquid, quod videre Luthero nondum contigisset. Hallucinari potuit, quin hallucinatus est, si Luthero credimus, in multis totus orbis Christianus: cur non æquè potuerit hallucinari, vel vna saltem aliqua in re, Martinus Lutherus? Doctus ille quidem cautus, & prudens apud semetipsum, sed homo tamen. Certè scriptum est: Si alij reuelatum fuerit sedenti, prior Propheta taceat. Nulla fuit Luthero causa, quamobrem sic excandesceret contra sodales suos, cùm præsertim hunc et honorem haberent, quod eum sibi viæ demonstratorem fuisse faterentur, sicut in operis huius initio demonstrauimus. Eundem honorem habet illi quoque Balthasar Paeimontanus, quem primum volunt ætate nostra pridem sopitos ignes Anabaptistarum excitasse. Vidit is habere suam factionem Lutherum, habere suam & Zuinglium, non impunè modò, verumetiam cum quadam sui nominis laude. Cogitabat & ipse secum: Quid impedit, quò minus & nos celebre nomen nostrum ad posteros transmittamus? Cur & ipsi non congregemus cœtum aliquem, sicut Lutherus & Zuinglius fecerunt, seorsum ab orbe Christiano, sic nos quoque seorsum & ab orbe, & ab illis? vt habeamus & ipsi nostram Ecclesiam, & ad istorum impietatem amplius etiam aliquid addamus. Quid autem? Num idem à Suenckfeldio quoque, num idem à Campano & Serueto, & alijs plerisque factum non est? Et est quispiam ex ijs, qui suum cœtum non vocari velit Ecclesiam? Verùm dicet aliquis, Hos pro suis Lutherus nō agnoscit. At illi ex magna parte Lutherum ducem & antesignanum suum agnoscunt. Sed veniamus ad eos, qui sunt citra controuersiam Lutherani. Flacius nónne seorsum colligebat Magdeburgi? quandoquidem & Interimistas Lipsenses, & Adiaphoristas Vvittembergenses è cœtu suo eiecit. An alibi non idem fecit Osiander, qui suos etiam hortatur, vt ne credant Philippianis contra se, propterea quod sint plures: alioqui Papæ, inquit, credetis & Concilio: contra Philippianos, cùm sint multò plures, quàm Philippiani. Ita seorsum Philippus, seorsum Flaccus, seorsum colligit Osiander.

*Lact. lib. 4. cap. 30. diuinarum institutionum.*

*Cyp. ad Iubaianū.*

*Hilar. ad Cōstātiū. Aug. epist. 50. 166. & alibi.*

*Bernardus ser. 66. in Cantica.*

*Matth. 5.*

*Pauperes de Lugduno, Picardi, Lutherus.*

*Aug. de agone Christiana, cap. 29.*

*Lutheri soboles quamus dissentiat, Ecclesiæ nomen arrogat sibi.*

*Suenckfeld. Campanus. Serueto.*

*Ilyricus. Osiander.*

*Philippiani.*

*Brentius.*

Sed & Brentium seorsum à Philippo colligere, non obscurè indicat seorsum ab eo conscripta Cōfessio, & Patribus in Synodo Tridentina oblata, cum q̄ in iustificationis articulo non



non cum Augustana, sed cum Osiandrina confessione sentire videtur. Sic suam Philippus, suam Brentius, suam Flaccus, suam Osiander habet factionem, nec est istorum quisquam, qui suam non cupiat vocari Catholicam Ecclesiam. Sic euenisse videmus, quod scripsit Augustinus: quòd à suis quotidiana concisione diuiditur Lutherus, nam indies plures eorum sectas expectamus. Neq; verò mirum id alicui videri debet, quòd hæretici tantoperè cōtendunt id, quod non sunt, videri. Nam sicut ad impugnandam legem verba legis, quemadmodum ab Ambrosio scriptum est, sic ad euertendam Ecclesiam nomen Ecclesiæ obtendere conantur: adeò quòd de se suisq; profert ex Paulo Brentius: Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis. Nam si talem se qualis est, exhiberet, non facilè cuiquam imponere posset. Quamlibet infesti sint hostes Ecclesiæ, non tamen ignorant, quanta sit illius auctoritas. Sciunt eam esse corpus & plenitudinem Christi, columnam & firmamentum veritatis, perpetuum habitaculum Dei viui. Sciunt ab illa se scripturas habere: sciunt illi peculiariter sanæ intelligentiæ lucem esse promissam: sciunt, qui in sinu eius continentur, eis non posse nō constare veritatem: deniq; sciunt, quòd extra illam haud aliter, atq; olim extra arcam Noë, salus non est. Hæc itaque cùm eos minimè lateant, cupiunt & ipsi membra corporis huius videri, neque minus quàm Orthodoxi, nomen Ecclesiæ Catholicæ sibi vendicant, quod inter alios Brentius quoque magnoperè contendit: Sed ipsum ea de re disserentem audiamus.

*Cur hæretici laborent Ecclesiæ nomē arrogare sibi.*

*Amb. in comment. epist. ad Tit. cap. 3.*

*1. Cor. 11.*

*Eph. 11.*

*1. Tim. 3.*

*Gen. 7.*

Si quidem, inquit, nomen ipsum tam Ecclesiæ, quàm Catholicæ consideraueris, non est eruditis ignotum, quòd latissimè pateat. Psalmus meminit Ecclesiæ, hoc est, congregationis malignantium, & odit eam. In Actis Apostolorum Scriba vocat cœtum suum Ethnicorum Ecclesiam. Catholicum autem significat vniuersale. Et quia in cœtu humani generis iam inde à condito orbe nihil est magis Catholicum, nihil vniuersalius & generalius, quàm peccare hypocrisi, & idolomaniæ studere, rapere, furari, occidere, inuidere, adulterium committere, impostoris operam dare, & alia scelera designare: idcircò si quis hypocrita aut idolatra, aut raptor, aut homicida, aut adulter, aut impostor se in impietate & scelere suo sectari Ecclesiam profitetur, sceleratè quidem faceret, non autem falsò loqueretur. Quòd si hac significatione Asotus & sodalitium eius iactauerint se esse membra Ecclesiæ, & si de sorte eorum dolemus, tamen nemo hominum credo impediet, quò minùs Catholici vocentur.

*Brent. ser. de Eccle sia & Catholica.*

*Psal. 25.*

*Act. 19.*

Videtur hic homo non aliundè quàm ex felle constare, tantum est in illo amarulentiæ. Cæterùm vtrunq; tam Ecclesiæ quàm Catholicæ nomen latissimè patere, dubium non est. Quam enim Ecclesiam Græci vocant, Latinè dicere possis euocatam concionem, ex quibuscunq; tandem ea sit euocata, siue ex Ethnicis, siue ex Christianis, siue ex pijs, siue ex impijs. Sed & Catholica Græcè dicitur, quæ Latinè vniuersalis, hoc est, sicut Augustinus interpretatur, toto orbe diffusa: Quia diuersorum, inquit, hæreticorum Ecclesiæ ideò Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque prouincias continentur: hæc vero à Solis ortu vsq; ac occasum fidei splendore diffunditur. Dicimus autem, Catholica fides, Catholica Ecclesia, Catholicus homo. Cæterùm Catholicus adulter, Catholicus impostor, Catholicus homicida, non dixit quispiam Catholicus. Brentius est qui ita loquitur, quem nos cuperemus quidem, fidem habere Catholicam, vt ad Ecclesiam Catholicam pertineret, & Catholicus dici posset: sed si non vult quicquam habere cum Catholicis commune, præter quorundam in Ecclesia Catholica crimina, qui sumus nos, qui quo minus nouæ doctrinæ assertor nouo loquendi genere à se excogitato sit Catholicus, impedire queamus.

*Responsio.*

*Quid Ecclesia, & cur Catholica dicta.*

*Aug. ser. 13. ex ser. 151. de tempore.*

Pergit Brentius: Quibus autem temporibus Arrius summa Christianissimi calamitas, cōpit virus suū in veram Ecclesiam Domini euomere, obtinuit vsus, & publicæ leges posteà confirmarunt, vt Catholici dicerentur, qui vniuersam doctrinam Prophetarum & Apostolorum de vera & æterna diuinitate Christi filij Dei sequebantur: hæretici verò, qui Arrianam impietatem, aut aliam doctrinam pugnantem cum Prophetica & Apostolica, profitebantur. Itaque si hoc vsu de Catholica Ecclesia loquendum est, nihil minus quàm Catholici cognomen in Asotum & sodalitium eius competit. Imò verò in te tuumq; sodalitium Asoticum, nihil minùs quàm Catholicæ nomen competit. Sed causam expendamus, quamobrem ita dicas Catholici cognomen competere negat. Etsi enim, inquit, videntur, sibi egregiè de æterna diuinitate Christi sentire, tamen quia transferunt officium, quod solus habet Christus verus Deus & homo, in humana opera, idcircò aut habent Ethnicas de diuinitate Christi cogitationes, aut aliud verbis profitentur, aliud in latebris cordis sentiunt: & sequuntur multas impietates, quæ manifestè cum vera doctrina Prophetarum & Apostolorum pugnant. Hoc verò falsum est Brenti, quòd nos transferamus officium, quod solus habet Christus in humana opera. Quicquid est propitiationis, Christo tribuimus, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris: illud subinde Psalmi vsurpantes, Apud te propitiatio est: & ab eodem Dauide docti, sic Deum alloquentes: Domine misericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne despicias. Quæ verba sic intelligimus, quemadmodum ea celebris Ecclesiæ Doctor Augustinus interpretatus est: qui cum his verbis Deum deprecans quisque nostrum vtimur. Non dico, Domine ne despicias opera manuum mearum, non me iacto de operibus meis. Exquisiui quidem Dominum manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus: sed tamen non commendo opera manuum mearum. Timeo, ne cùm inspexeris, inuenias plura peccata quàm merita: Hoc solum rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero, opera manuum tuarum ne despicias. Opus tuum in me vide, non meum. Nam meum si videris, damnas: tuum si videris, coronas. quia & quæcunq; sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, & ideò tua magis quàm mea sunt. Num ita dicentes aliquid o-

*Ratio Brentij.*

*Responsio.*

*1. Ioan. 2.*

*Psal. 129.*

*Psal. 137.*

*Augustin.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



peribus tribuimus, quòd solius est Christi? Nostra de operibus doctrina Bréti, hæc est, quòd quatenus nostra sunt, quamlibet esse bona videantur, nihil tamen nobis prosunt ad vitam æternam consequendam: quatenùs autem Dei sunt, quatenùs opera sunt manuum illius, ex ipsius beneficentia singulari, & iustitiæ titulo, & mercede regni cœlestis digna habentur: Dei autem sunt, & quòd ea De us operatur in nobis, & quòd quicquid est in eis dignitatis, non est aliundè, quàm ex eo q̃ sunt respersa pretioso Christi sanguine: cui debemus, quòd ea facientes, regni cœlestis præmia consequimur. Nam absq; eo si essent, quicquid per omne vitæ nostrę tempus & faceremns & pateremur, ne minimum quidem nobis prodesset ad gaudia regni cœlestis assequenda. Quare sicut ab Alberto Magno scriptum est, iustitia meritorum Christi fulget in virtutibus Sanctorum. Tolle iustitiam hanc ex eorum virtutibus, damnari poterunt, seruari non poterunt. Remota enim illa, omnis iustitia nostra, mera erit iniustitia. Nullum enim ab hominibus exire potest opus, quod si in se censeatur, confusionem iustam non mereatur. Cùm rectè dictum sit à Gregorio Pontifice, Sanctus vir quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur, rectè subiungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Et alio loco: Ipsa nostra perfectio, inquit, culpa non caret, nisi hanc fœuerus iudex in subtili lance examinis misericorditer pensaret. Docemus igitur nos, quod in Scripturis legimus, datam iri mercedem regni cœlestis operibus nostris: verùm non propter eorum, quatenus à nobis proficiscuntur, dignitatem, sed propter Christum, cuius manuum opera sunt: ipse est enim, qui viuens & habitans in nobis operatur ea propter Christum, ad quem operátes respicimus: propter Christum, qui dixit: Merces vestra copiosa est in cœlis: propter Christũ, de quo seculis iam aliquot cãtatum fuit apud vos vernacula gentis vestræ lingua, quòd nisi natus puer ille fuisset, omnes eramus perituri. Nam nisi factus homo lauisset nos à peccatis nostris in sanguine suo, nisi dedisset semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, quid aliud essent vniuersæ iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? Quæso te Brenti, quid est in hac doctrina nostra, quod arrodere queas? Num ita dicentes transferimus in opera humana, quæ solius Christi sunt? Certè quicquid in illis dignitatis esse dicimus, id omne non in alium, q̃ in Christum transferimus: Sic autem docti sumus, non à priscis tantum illis Patribus, verùm etiam ab ijs quos vos contemnitis, sanctis Monachis & Doctoribus, Thoma, Alberto Bonaventura, Scoto, Guilhelmo Parisiensi, Guilhelmo Durandi, Gabriele Biel, Gersone, Dionysio Carthusiano, qui floruerunt illis temporibus, quibus vos Euangelij lucem extinctam fuisse vultis: quorum testimonia produximus in Confessione nostra Christiana, vbi copiosè locum hunc tractauimus. Falsò itaq; nos insimulas, quòd transferamus officium, quod solus habet Christus, in opera humana. Quin vos estis potiùs Brenti, qui Christi gloriæ detrahitis, qui crucem eius, quantum in vobis est, euacuatis, qui sanguinis eius pretium imminuitis. Cui namq; detrahitis, quando regeneratorum operibus detrahitis? Cui, nisi Christo, qui viuit, qui habitat, qui operatur in illis? Cuius, nisi Christi meritis & dignitati detrahitis, cum operum, quæ fiunt ab illis, meritis detrahitis? Vnde enim meritum operum nostrorum: vnde dignitas eorũ? Non aliunde, nisi ex precio sanguinis Christi quo respersa sunt. Illius itaq; dignitati derogatis, quando nostrorum operum in fide factorum dignitati derogatis. Tolle nimirum hoc ex operibus nostris, non erit in illis meritum, nisi fortè gehennę. Quid enim aliud fuerit pretiũ hoc ex operibus nostris tollere, q̃ fidẽ tollere? qua certo p̃suasum habemus, id quod etiam hymnum recitantes Ambrosij, quotidie profitemur, perennem illam gloriam, qua spiritus beatorum in cœlo fruuntur, præmium sacræ mortis illius esse, qua se Christus in Cruce Deo Patri pro nobis hostiam obtulit in odorem suauitatis, vt nobis illum propitium redderet, mundaretq; sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hoc qui non credit, nullum habere potest æternæ vitæ meritum, nec ei prodesse queunt ad illã consequendam quæcunque tandem opera, quamlibet in speciem bona sanctaq; videantur. Cùm nihil sit eo certius, quòd extra Christi fidem, Regni cœlestis nullum sit meritum, quãdoquidem illa meritorum nostrorum est initium. Cæterùm quæ fiunt opera bona in hac fide, quamuis natura sua non ita munda sint, vt in Dei, spirituumq; beatorum conspectu iustam confusionem non mereantur. Nam & Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo, putredo & vermis. Et verè dictum est ab Augustino, quòd ad claritatem Dei, Sol nox est? Tamen quod illorum puritati deest, supplet hoc ille sanguis Christi, de quo dicit Apostolus: Quòd emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis: de quo scribit etiam alius Apostolus: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Et iterum alio loco: Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et in eodem libro, de seruis Dei loquens. Hi sunt, ait, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Et in fine eiusdem libri: Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Dignum autem est animaduersione, quòd qui prius dixerat Christum lauisse nos in sanguine suo: idem ille de seruis Dei loquens dicit, quòd ipsi lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Si priùs nõ lauisset nos Christus in sanguine suo, lauare stolas nostras & dealbare, nulla ratione possemus. Quid enim sunt stolæ nostræ, de quibus ibi Ioannes loquitur, nisi opera nostra, nisi virtutum nostrarum indumenta, quæ nos ipsi prius abluti sanguine Christi, posteà lauamus atq; dealbamus in eodem sanguine Agni immaculati Domini nostri Iesu Christi. Priusquàm in ipsius morte baptizati, priusquàm in ipsius sanguine fuerimus abluti, nihil est quod stolas nostras, nihil est quod opera nostra lauare nos ac dealbare posse speremus. Posteàquam verò (cuius Baptismus sigillum esse dicitur) fidem

*Sũma doctrinæ Catholicæ de operibus*

*Alb. Mag. art. 3. q. 2. in 29. dist. Petri. Lomb. li. 2.*

*Li. 9. Mora ca. 2. Lib. 5. Mon. c. 8.*

*Matt. 5.*

*Apoc. 2. Tit. 2.*

*Esa. 64.*

*Confess. Polon. cap. 75.*

*Qui Christi cruci, meritis & gloriæ propriè detrahant.*

*In lib. quæstion. veteris & noui. Testamenti.*



fidem sumus consequuti, quæ purificat corda nostra, & eas quæ procedunt ex corde cogitationes & opera, quas Ioanni stolas appellare visum est: tum demum lauare nobis eas atque dealbare licet. Verùm non aliter quàm in sanguine eiusdem Agni immaculati Domini nostri Iesu Christi, vt per quem loti semel sumus atq; dealbati, per eundem sanguinem actiones nostras iam dealbati dealbamus. Quoad enim aliquis mundus, & Christi sanguine dealbatus non fuit, immundum erat quicquid per eum agebatur. Quin etiam posteàquam in morte Christi baptizati & mundi facti sumus, si quod laudabiliter deinceps à nobis agebatur, in eo potius tanquam à nobis profecto, quàm in Christi sanguine gloriabamur, in eo potius quàm in Christi sanguine spem & fiduciam nostram collocatam habebamus, iam immundum esse cœpit hoc ipso nomine, quod mundum erat futurum, si totum in Christi sanguine, dealbatumq; fuisset. Quã etiã ob causam beatos vocat Ioannes, qui lauant stolas suas in sanguine Agni, & eorum potestatem esse dicit in ligno vitæ, cosq; per portas intraturos in ciuitatem illam cœlestem, ciuitatem Hierusalem, de qua scriptum est in eodem libro, quòd nihil coinquinatum intrabit in eam. In hoc sanguine, mundæ sunt & acceptæ Deo stolæ nostræ, hoc est, opera nostra. Extra sanguinem hunc, quàmlibet rectè, laudabiliterq; facta fuerint, pannus menstruatæ sunt omnia. Nihil in eis mundum, nihil dealbatum, nihil iustum est. Cùm rectè dictum sit ab Ambrosio, quòd omnis iustitia nostra, Christi sanguis est. Quicquid igitur est in operibus nostris, quod placere Deo, quod iustitiæ titulo censeri queat, qd̃ iustam coram Deo confusionem non mereatur, id omne Christi sanguini ferimus acceptum, in quo ipsi priùs loti, lauamus ac dealbamus opera nostra, nec tamen eorum substantiæ, sed sanguini Christi tribuimus omnia, gloriam omnem, omne meritum in illum transferimus. Nam si consideretur opus nostrum in sui natura, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, quod his ipsis verbis narrat D. Thomas, non meretur, vitam æternã, quæ gratia Dei est. Hæc aũt gratia Christi sanguis est, cuius merito meremur, quicquid meremur, vt præmium sit mortis sacræ perennis illa gloria. Habes, quæ sit nostra de operibus sententia, simul & illud ex his intelligis, impudens esse mendacium tuũ, quòd scribis, habere nos Ethnicas de diuinitate cogitationes, & aliud verbis profiteri, aliud in latebris cordis sentire. Vestrum fuit hoc semper, & est hæreticorum proprium: nos quod corde credimus, ore confitemur. Est & illud falsissimum, quod scribis, sequi nos multas impietates, nullam enim pro ferre potes.

Ex his itaq; falsis præmissis tuis, falsam esse constat conclusionem illam tuam. Quare cùm nos diuina clementia eam teneamus de Christo & diuinitate ac officio eius, ac de omnibus reliquis articulis veræ religionis sententiam, quam nobis tradit Prophetica & Apostolica doctrina, & quam tenuit semper vniuersa verè piorum Ecclesia, iam inde ab initio totius orbis, nomen Catholicæ Ecclesiæ illis quidem optimo iure adimimus, nobis autem rectè vendicamus. Quæ est huius hominis arrogantia? quæ sui obliuio? Quis autem Brenti, Iudicem te constituit? & quidem orbis totius Christiani Iudicem, quem ausus es etiam inaudi-tum condemnare. Sed si vera est de articulis religionis sententia, quam tenuerunt Simon Magus, Marcion Manichæus, Petrus Adelhardus, Ioannes Vvicleff, Quintiliani, Pauperes de Lugduno, Eunomius, Iouinianus, Eustachius, Vigilantius, Petrobrussiani, Aërij, Felix, Iconomachi, Berengarius, & qui cum istis alij faciebant, rectè vobis nomen Catholicæ vendicatis Brenti: Hi sunt enim Patriarchæ vestri, de quorum successione gloriari verè potestis, cùm in eorum impios errores successerit is. Sin autem ea potiùs est vera sententia, quã de religionis articulis tenuerunt. Simon Petrus cum Apostolis, cum Clemente successoribusq; suis omnibus in hũc vsq; diem, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Epiphanius, Bernardus, & alij sancti Doctores Ecclesiæ (longum enim esset omnes enumerando recensere) quos etiam vos pro Catholicis habetis: quando quidem ab horum doctrina discessistis, illorum aũt errores apertè profitemini, dic iam ipse tu Brenti, qui fuerunt illi, quorum vestigijs inceditis? Pudet te proloqui? At magis pudere debebat, quòd eorum errorum amplexus es. Sed quando tu non vis, dicemus nos: Fuerunt orbis totius Christiani iudicio hæretici. Et vos igitur, quando cum illorum doctrina consentitis, à Patrum verò nostrorum sententia dissidetis, quos tamen Catholicos fuisse negare non potestis, hæretici estis, nõ Catholici, falsoq; vobis Catholicorum nomen arrogatis.

*Conclusio. Bremij.*

*Responsio. Brentium cum suis falsò sibi vendicare nomen Catholicum.*

*Quid Brentio, Cathol. Ecclesiæ.*

Nunc incipit nobis Brentius Catholicam Ecclesiam definire: Nos nunc, inquit, nomine Catholicæ Ecclesiæ, intelligimus eum hominum cœtum, qui verè credit in Christum, Patriarchis olim promissum, per Prophetas annunciatum, & per Apostolos in vniuerso mundo prædicatum ac diuulgatum. Producit posteà loca scripturæ, quibus id probare conatur. Atqui Brenti, in Christum Patriarchis olim promissum, per Prophetas annunciatum, per Apostolos prædicatum, credere se verè profitentur nostro seculo, qui non à nobis magis, q̃ à vobis de præcipuis dogmatibus religionis nostræ dissentiunt, Sacramentarij, Anabaptistę, Picardi, cœlestes Prophetæ, Svvenckfeldius, & alij: Quin & olim in Christum verè se credere professi sunt Manichæi, Pelagiani, Donatistæ, Nouatiani, & multi alij hæretici: non igitur omnes ij sunt, & fuerunt Ecclesiæ Catholicæ membra? quod tu quidem concedere videris, qui nomen Ecclesiæ Catholicæ tam latè patere vis, vt omnes in Christum credentes ad eam pertinere dicas. Quamuis enim illud negari non possit, quòd qui verè credit in Christum, Ecclesiæ Catholicæ membrum sit, quis est tamen hæreticorum, qui se non verè profiteatur in Christum credere. Quamobrem rectè August. inimicum & defensorem, cuius in Psalmis fit mentio, vult hæreticum intelligi. Nam & ipse, inquit, est inimicus & defensor, qui fidem Christianam cùm oppugnet, videtur defendere. Non multos reperias hæreticos, qui se non profiteantur in Christum credere, tanto nocentiores, quòd hoc solo nomine minùs cauentur à fidelibus.

*Responsio.*

*August. in Psal. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ac fatemur quidé, inquit Brentius, quòd præcipuè in publica pace & tranquillitate multi impij, hypocritæ, & impœnitentes, qui verbis tantùm Christum & Euangeliũ eius cõfitentur, corde aũt alieni sunt à Christo, non tantũ admisceãtur veræ Catholicę Ecclesiæ, sed etiã tanta sint hypocrisi, tanta potentia & auctoritate, vt fiant externi gubernatores Ecclesiæ, ac videantur in vero populo Dei, qui est verè Catholica Ecclesia, longè omnium primi. Si fateris hoc Brenti, cur igitur paulò antè, cùm idem diceret venerabilis vir Petrus à Soto, sententiam illius damnabas, & solos electos ad Ecclesiam pertinere, nec ad alios, quàm ad illos iudicium de doctrina religionis referri debere contendebas? Verùm audiamus eum reliqua persequentem. Sed hoc vtcunq; se habeat, inquit, certè firmum, fixumq; manet, quòd qui non verè credit in Christum, nõ sit verum veræ Catholicę Ecclesię membrum, nec verè fruatur eius Ecclesiæ beneficijs ac prærogatiuis coram Deo, etiamsi videatur summus in Ecclesia Monarcha.

*Brentij verba.*

*Responsio de malis in Ecclesia.*

Certum est, quòd viuum Ecclesiæ membrum non est, qui nõ verè credit in Christũ: quoniam verò quis credat, quis non credat, solus ille scit, qui scrutatur corda & renes: nihil impedit, quò minùs eum, in quo publicam & legitimam professionem fidei & vocationem agnoscimus, pro vero Ecclesiæ membro habeamus, etiamsi coram Deo verum membrum non sit: Quin si talis ad Ecclesiæ gubernacula sederet, propter hypocrisim eius non erit statim irritum, quod ab eo gestum fuerit. Nam vt verum illud sit, quòd coram Deo non rectè fruatur Ecclesiæ beneficijs & prærogatiuis, rectè tamen fruitur coram hominibus, & siue baptizauerit, siue consecrauit, siue absoluerit, siue ius dixerit, hypocrisis hæc eius nihil impediet, quò minùs Ecclesiæ munera integra perficiat. Hactenus autem coram Deo non rectè fruitur, quòd dum talis est, non aliam habet, quam expectet suæ functionis mercedem, quàm pœnas gehennæ sempiternas. Docet hoc autem Caluinus vester, quòd etiam, qui mala conscientia ad ministerium accessit, coram Ecclesia ritè nihilominùs vocatus est. Verùm arrige nunc aures, & collationem audi, quam facit Brentius, videtur enim propiùs iam ad causam accedere.

*Caluinus institutionis suæ. Cap. 8.*

Agedùm, inquit, conferamus inter se Ecclesiam veram Catholicam & Ecclesiam Asoticã. Catholica Ecclesia, ea videlicet, de qua nunc nobis est sermo, constat ex gratuita & clementi electione Domini Dei nostri per vnigenitum filium eius Iesum Christum in Spiritu sancto: (Hoc probat Scripturis, quas nihil est necesse recitare) Asotica autem Ecclesia non constat ex electione Dei, sed sufficit, quòd ore confiteatur Christum, etiamsi corde sit Epicureo, & vita Sybaritica: sic enim Asotus scribit: Ecclesia cui promissio illa Christi facta est: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, visibilis est, nec ex electione Dei, aut vera fide & charitate internis pendet, vt quis ad Ecclesiam pertineat, siue vt subditus, siue vt Prælatus. Et iterùm: Nec gratia, nec certè interior aliqua virtus occulta requirenda est, vel in membris, vel in ministris eius præter publicam & legitimam professionẽ fidei & vocationem, vt ad eam pertineant, & eius munera integra perficiant. Hic nunc expende mihi, quo iure Asotus vendicet suæ Asoticæ Ecclesiæ, quæ ad solam verè Catholicam Ecclesiam pertinent.

*Responsio.*

Quoties autem eadem iteras Brenti? vel ipsa vox Ecclesiæ, cuius tibi significatio non est obscura, cum sis Græcæ linguè minimè rudis, admonere te potuit, à vocatione ductum esse nomen, non ab electione: quod certò scio te non ignorare. Verùm excæcauit malitia cor tuum. Quis autem est, qui neget electos in Ecclesia esse? Sed Ecclesiam esse tantùm electorum, hoc est quod constanter negamus: Quin cum CHRISTO, qui veritas est, dicimus, quòd multi vocati, pauci sunt electi. Simul ex his verbis illud colligimus, quòd in Ecclesia plures peccatores quàm iusti, plures mali quàm boni, plures reiecti sunt, quàm electi. Interea tamen & illud asserere non dubitamus, quotquot electi sunt, eos non alibi, quàm in hoc vocatorum cœtu reperiri. Nam etsi possunt etiam esse alibi secundum Dei præscientiam & prædestinationem, ad vocatorum tamen cœtum eos aggregari necesse est. Si quidem electionem, quam in seipso alioqui absconditam habet, vocatione demùm sua tanquam certa testificatione Dominus manifestat & comprobat, & velut sigillo quodam confignat, vt in electis vocatio quædam sit electionis testificatio. Vidit hoc etiam Philippus vester Brentius qui cùm admonuisset, in conspectu omnibus semper esse debere Pauli dictum hoc: Quos elegit, hos vocauit: quotiescunq;, inquit, de Ecclesia cogitamus, intueamur cœtum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos vllos esse somniemus, nisi in hoc ipso cœtu visibili. Non electorum, sed vocatorum cœtum is vocat Ecclesiam, iuxta nominis ipsius etymon: nec alibi, quàm in isto cœtu visibili vocatorum, electos esse dicit, Nam vocatos quidem videre nobis & agnoscere licet: electos etiamsi videre possimus, non tamen agnoscimus. Solus est Dominus, qui nouit, qui sunt eius: secundum cuius hanc præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oues foris sunt, inquit Augustinus, quàm multi lupi intus: & quàm multæ oues intùs, & q̃ multi lupi foris? Quid est, quod dixi, quàm multæ oues foris? Quàm multi modò luxuriantur casti futuri? quàm multi blasphemant Christum, creaturi in Christum? quàm multi se inebriant, futuri sobrij? quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? verùm tamen vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intùs laudant, blasphematuri: casti sunt fornicaturi, sobrij sunt, se vino posteà sepulturi: stant casturi, & non sunt oues? De prædestinatis enim loquimur. Ex his verbis discimus, quòd alij sunt in Ecclesia secundum Dei prædestinationem, & ij soli electi: alij secundum præscientiam vocati tantùm. Illos nemo nouit nisi Deus. Nam etsi videatur aliquis hominibus electus, ac sit etiam pro tempore, fieri tamen potest, quòd qui hodie intus est, cras foris: qui hodie ouis, cras lupus: qui hodie electus, cras sit reiectus. De suis Apostolis dixit CHRISTVS:

*Ecclesia non est electorum tantum.*

*Matth. 20.*

*In locis communibus. Rom. 8.*

*Qui sint electi, soli Deo cogniti. 2. Timoth. 1.*

*Aug. tractat. 45. in Ioan.*

*Duplex hominum genus in Ecclesia.*

Nonne



Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus est diabolus? Fuit igitur inter electos etiam Iudas, fuit ouis, fuit intus, verùm postea progressus foras, factus est lupus. Æquè fuit Apostolus Iudas atque Petrus, æquè prædicauit vt Petrus, æquè baptizauit vt Petrus, nec impediebat quicquam ea res eius ministerium, quo minus æquè foret efficax, quòd furerat, quodq; traditurus erat Dominum. Verùm hæc tu, sicut dixi, Brenti, non ignoras. Quòd nequior es, qui sciens, prudensq; contra manifestam veritatem venire non vereris. Scis tu, quòd incerta esset salus Ecclesiæ, si ex ministrorum dignitate, sanctitateq; penderet: scis, quòd à vocatione nomen trahit Ecclesia, non ab electione, & multos in ea vocatos esse, paucos electos. Hæresis ab electione nomen ducit, non Ecclesia: Non quòd à Deo electi sint hæretici, sed quòd, sicut Hieronymus ait, eorum vnusquisque id sibi eligit, quod illi melius esse videtur. Non acquiescit in Ecclesiæ doctrina, sed illius iudicio suum iudicium anteponẽs, ipse sibi dogma eligit, quod pertinaciter tueatur, vel nouum aliquod, vel alicuius ex ijs qui pridem damnati sunt, quales ij sunt quos paulò antè recensuimus, ex quibus vos quoque confarcinastis ea dogmata, quæ nunc in vulgus spargitis. Ex tali electione vestram Ecclesiam constare non negamus, sed hæc non Christi, verum diaboli est electio. Cæterùm Ecclesia Catholica, etsi pertinent ad illam electi, quos vocatione sua signat Deus, non ita tamen ex electione Dei constat, vt soli ad eam pertineant electi: nisi fortè electos vocatos intelligi velis, quomodo fuit electus etiam Iudas: quomodo etiam Ambrosius interpretatur illud Pauli: Vocauit vocatione sancta. Vocatio, inquit, sancta est, cum electi sunt ad gubernandum populum sanctum Dei. Ex tali gratuita Dei electione quin constet Ecclesia, non negamus. Cæterùm si prædestinatos electos intelligis, Ecclesia illa triũphantiũ, q̃ est in cœlis, ex solis constat electis: sicut infernus ex solis reprobis. Hæc autem nostra Ecclesia, quæ est super terram, in qua perpetua quædam est militia, quam etiam ob causam vocatur militans, habet per Dei gratiam electos, quos cœlo Deus dignatur: habet alios vocatos quidem Dei misericordia, sed sua posteà culpa reiectos: quos iure suo sibi vendicat infernus. Sed nihil est op hac de re plura verba faciamus, cùm res vel ipsa luce sit clarior, & venerabilis viri Petri à Soto sententia, cùm caput illud de auctoritate Scripturæ tractaremus, copiosè sit à nobis defensa.

*Hier. in epist. ad Tit. 3.*

*Ambros. 2. Tim. 2.*

*Iob. 7.*

Pergit Brentius: Catholica Ecclesia renascitur non ex carne & sanguine, non ex humana electione aut successione, sed ex Deo, per sermonem Dei viuentis (quod scripturis probat) Asotica autem Ecclesia fit ex humana electione & successione. Dicit enim Asotus, confugiendum esse ad successionem non interruptam. Et vbi est, inquit, hæc Ecclesia Apostolis succedens, ibi est verum Dei verbum. Scilicet hoc vult Asotus, quod vbicunq; possit successio ab Apostolorum tempore in Ecclesia numerari, ibi sit vera Ecclesia, & verum verbũ Dei. Quasi verò successores Apostolorum & auditorum ipsorum non possint esse impijssimi & sceleratissimi nebulones. Quid igitur ad Ecclesiam Catholicam, quæ filius Dei suæ Ecclesiæ Catholicæ promisit & præstare solet.

*Responsio.*

Et hic locus de successione tractatus est à nobis anteà pluribus: quem sicut oppugnant omnes hæretici, sic asserunt diligenter omnes Catholici. Sed ego non video Brenti, quomodo possitis Catholicorum vobis nomen vendicare, quando quidem dum successionem hãc oppugnas, in eorum, quos Catholicos fuisse negare non potes, doctrinam vos minimè successisse, confiteris. Siquidem non quod ad vniuersa loca, ad vniuersa hominum genera, ad vniuersas nationes pertinet, id solum Catholicum dicimus, verumetiam quod pertinet ad vniuersa tempora. Cùm autem de successione loquimur, non hic dicimus, quod tu vis, *sa loca & tempora complectitur.* simul vt fuerit demonstratum, aliquem in locum alicuius Apostoli aut eius successoris successisse, vt statim esse Catholicus existimetur: Successerunt aliquot in locum Athanasij, qui fuit citra controuersiam Episcopus Catholicus: locus eos non fecit Catholicos, quandoquidem à doctrina Athanasij dissenserunt. Quando igitur nos de successione gloriamur, de eo gloriamur, quòd in Episcoporum Catholicorum, quorum loca tenemus, doctrinam successerimus. Verbi gratia: Negatis vos inuocandos esse Sanctos, assueramus nos: probamus hanc doctrinam esse veram ex eo, quòd quibus successimus nos, idem hoc docuerunt, non à centum, non à ducentis annis, sed ab ipsis propemodum Apostolorum temporibus: non in hoc aut illo orbis terrarum loco, sed in omnibus, quàm latè patet Christianum nomen. Hac nos ratione Catholicos non esse demonstramus: quod quia vos facere non potestis, ideò successionem hanc oppugnatis. Quod autem dicis, Ecclesiam nostram ex humana electione & successione constare: si credentes omnes in Christum accipis Ecclesiæ nomine, falsum est: Talis enim Ecclesia fit ex Dei vocatione, non ex humana aliqua electione. Sin autem Ecclesiam intelligis Præsules & Præsidentes Ecclesiæ, sicut illum locũ apud Matthæum, Dic Ecclesiæ, Chrysostomus interpretatur, & alij nonnulli, fatemur, quòd ex humana electione & successione, quæ fit per electionem, Catholica nostra constat & Apostolica Ecclesia. Hominum enim ministerio Deus in eligendis Ecclesiæ pastoribus vtitur. Quid autem hic sit quod te offendat, equidem non intelligo. Nisi fortè hoc apud nos quoq; fieri vis, quod vos facere Propheta scripsit: Ipse currebant, inquit, & ego non mittebam eos. Requiritur apud nos missio, requiritur vocatio siue electio. Sic enim nos docuit Apostolus, dicens: Ne quisquam honorem sibi sumat, sed qui vocatur à Deo: qui autem rectè eligitur, is à Deo vocatur. Si vocatus est Matthias, quem vt in Iudæ locum succederet, electum ab Apostolis esse legimus: quos homines fuisse non negabis. Num & hunc eijcies ex Ecclesia, quòd ex humana electione sit factus Apostolus? Sed huic electioni præstò adfuit, inquies, Spiritus sanctus. Quanquam autem nos ab Apostolorum sanctitate quàm longissimè remotos esse confitemur, nec cum hac Apostolica nostras electiones comparamus, tamen & à nostra electione non abesse Spiritum sanctũ cõfidimus. Sed electione vestra fit, ais,

*Catholicum vniuersa loca & tempora complectitur.*

*Quomodo Catholici de successione gloriantur.*

*An Ecclesia constet ex humana electione & successione.*

*Matt. 18.*

*Hier. 23.*

*Hebr. 5.*

*Act. 1.*

*Ioan. 6.*

*Act. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt in Apostolorum locum succedat impius aliquis & sceleratus. Atqui, si quos ipse Christus duodecim tantùm elegit, fuit vnus ex eis diabolus: si quos minore etiam numero, septem tantùm Diaconos elegerunt Apostoli, fuit ex illis quoque similiter vnus diabolus: qui præstari potest ab ijs, qui puri homines, quiq; tam longè sunt ab Apostolorum dignitate diffuncti, quò minùs inter eos, quos tanto numero eligunt, sint etiam aliquot diaboli? Homines quidem eligunt homines ad munus Apostolicum, ad quod electus à Christo fuit Iudas: Ad salutem verò non eligit, nisi solus Deus, qui non de omnibus loquitur, Ego scio, quos elegerim. Optimè igitur & salubriter Gregorius cùm dixisset, quoniam vocati sumus, nouimus: si sumus electi, nescimus. Tantò igitur, inquit, necesse est, vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quantò si fit electus, ignorat: quia & si iam nouit hodie qualis fit, adhuc cras, quis futurus sit, nescit. Quia ergo nulli de se certum est, electum se esse, restat, vt omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola diuina misericordia gaudeant. Eligunt igitur homines ad ministerium tantùm, quos eo dignos iudicant: eligit Deus non tantùm ad ministerium, verumetiam ad cœlestis regni consortium, quos ipse dignos iudicat. Ad ministerium electos videmus, & nescimus: ad regni consortium electos, solus Deus nouit. Quamlibet autem sit indignus, qui vocatur ad ministerium, si Cypriano credimus, non fit absq; Deo talis vocatio. Sic enim ille loquitur: Non aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, q; sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, nec ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragiũ, post Coëpiscoporum consensum, Iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam hæresim conderet. Nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotes, cùm Dominus in Euangelio suo dicat: Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter cadit in terram sine Patris vestri voluntate? Cùm ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciente, aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri? & sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari? Hoc est fidem non habere, qua viuimus, hoc est, Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus. Audin tu Brenti, quàm gratuiter sanctus Martyr in eos inuehatur, qui sine Dei iudicio fieri sacerdotes putant? quos quidem sacrilegæ temeritatis & perfidæ mentis esse dicit, & fidem habere quodammodo negat, neq; sutum honorem Deo tribuere. Asserit is omninò de sententia Dei Sacerdotes ordinari, idq; aut sciente, aut permittente Deo. Sciente Deo fiunt electi, permittente reprobi: dat enim aliquando Deus Reges in furore suo. Electos nouit Dominus, de quibus dicit Paulus: Nouit Dominus, qui sunt eius. Et Dauid: Nouit Dominus viam iustorum. Et ipse Christus: Ego cognosco oues meas. Reprobos autem se nescire fatetur ipse, dicens illis: Nescio vos vnde sitis. Et fatuis virginibus: Amen dico vobis, nescio vos. Quamobrem siue reprobi sacerdotes & Pontifices eligantur, de voluntate tamen Dei eligi eos affirmat Cyprianus. Facit enim quandoque Deus hypocritam regnare propter peccata populi, vt sit sicut populus, ita & Sacerdos. Solos autem eos Episcopos non de voluntate Dei fieri docet, qui extra Ecclesiam fiũt. Quãobrem etiamsi sit Episcopus non ea pietate, qua eum esse præditum oporteret, tamen si constat, quòd is in anteceſſorum suorum, qui quidem Catholici fuerint, piam doctrinam succesſerit, nihil impedit, quò minùs Episcopi munere fungatur, nec ex eius improbitate quicquam ad eos, quibus præst, detrimenti peruenit. Sibi malus est, si malus est: tibi nihil obiecit, si factis eius malis non communicaueris. Verùm hæc ad fastidium vsq; sic te coëgre, quoties à nobis dicta sunt?

*Alia hominum, alia Dei electio. Ioan. 13. Greg. hom. 38. in Euangel.*

*Cyp. lib. 1. ep. 3.*

*Vnde schismata nascatur & hæreses.*

*Matt. 10.*

*2. Tim. 2. Psal. 1. Ioan. 10. Luc. 13. Matt. 25. Iob 34. Esa. 24.*

*De signis & notis veræ Ecclesiæ.*

Pergit Brentius: Ecclesia Catholica agnoscit synceram prædicationem verbi Dei, & verum ac rectum vsum Sacramentorum eius, sicut ea tradit Prophetica & Apostolica scriptura, & vbicunque in toto terrarum orbe hæc prædicantur, & peraguntur, ibi veram esse Ecclesiam Catholicam, iudicandum est. Quod scripturis probat, quasi quisquam sit, qui neget. Cæterùm hoc negamus, quod dicis, nostram Ecclesiam, quam tu bellus scurra vocas Asoticam, non relinquere verbum Dei in sua synceritate, sed deprauare ipsum alienis interpretationibus, & peruertere verum vsum Sacramentorum. Vestra hoc facit Asotica Ecclesia, non nostra Catholica. Nam quod addis, nos negare, quòd synceritas verbi Dei & verus sacramentorum vsus sint certa signa, quibus vera Ecclesia cognoscatur, non omninò negamus Brenti: verùm Petri à Soto sententiam probamus, qui scripsit, fraudulenter & subdolè dici à vobis, signa certa quibus Ecclesia dignosci potest, esse synceram Euangelij prædicationem, & rectam atq; secundum Christi institutionem Sacramentorum administrationem. Sunt hæc quidem Ecclesiæ signa, sed non ita certa sicut vos vultis, quandoquidem vix vlla est, aut fuit aliquando hæresis, quæ sibi signa ista non arrogaret. Qui magis vnquam de synceritate verbi gloriati sunt, quàm Arriani? Num ideò penes eos fuit Ecclesia? Verum autem vsum Sacramenti Baptismatis, an ita sibi solis Donatistæ non vsurparunt, vt sicut Arriani, synceri verbi Dei possessione Catholicos excludebant, sic isti verum vsum Baptismi penes eos esse negarent, & ob eam causam vtriq; se esse Ecclesiam contenderent? Veniamus ad nostri temporis hæreticos? Nonne de præcipuis religionis nostræ dogmatibus dissident à vobis & Sacramentarij, & Anabaptistæ, & Picardi, & Seruetiani, & eiusdem generis hæreticorum alia portenta? Atqui omnes ij sic ista sibi signa arrogant, vt ea non magis nobis Christianis, quàm vobis detrahant Lutheranis. Non igitur vel Petrus à Soto, vel Catholicus quisquam negat has esse notas Ecclesiæ, cùm hæc Petri verba sint: Fatemur hæc duo semper esse coniuncta, veram Ecclesiam & synceram prædicationem verbi: At verò synceritas verbi magis agnoscitur ex veritate Ecclesiæ, quàm econtrà, quòd præcipuè Irenæus & Tertullianus notarũt, quorum ibi verba profert, quòd apud solam veram Ecclesiam vera est sacra Scriptura & vera traditio: atq; idem dicit de Sacramentorum vsu. Videris Brenti, in Rhetoricis præceptis non infeliciter esse versatus: vel ex ijs discere poteras, esse vitiosum argumentationis genus, quod commune vocant, quod nihilo magis ab aduersarijs, quàm à nobis facit. Tale est, quo tu nunc vteris: dicis in Ecclesia tua synceram esse prædicationem verbi Dei, & verum vsum Sacramentorum. Dicimus nos, vtrunque verius esse in Ecclesia nostra Catholica, cùm in vtroque præscripserimus, neque nos à vobis, sed vos à nobis discesseritis. Sed quid tandem tu vocas verbum Dei Brenti? Scripturas? Atqui eas à nobis, à quibus discessistis, habere vos, negare non potestis. Quin id ingenuè fatetur Architectus hæreseos vestræ. Quamobrem hoc verbum Dei, quod scriptum est, nostrum est: nec in eo quicquam iuris vendicare vobis potestis. Nam quòd eo vtimini, faciunt hoc omnes hæretici, faciunt & Iudæi, denique facit hoc etiam ipse diabolus: vt vsus scripturarum non possit esse propria nota, qua Ecclesia CHRISTI à vestra malignantium Ecclesia discerni queat. Sin autem verbum Dei vocatis eum Scripturæ sensum, quo Deus per Prophetas & Apostolos loquutus est (quod solum verè Dei verbum vocare licet) nos quidem certi sumus verbum hoc apud nos esse: & sicut Scripturas à nobis accepistis, sic verbum Dei, quod est in Scripturis, à nobis, hoc est, à Patribus & concilijs, vos petere debere. Quoniam verò vos id vocatis in controuersiam, quomodo vultis vt certa nota sit, quod ipsi controuersum feciſtis? quod eodem iure quo vos, æquè sibi alij hæretici non minùs à vobis, quàm à nobis dissidentes arrogant? Vel sensus ipse communis admonere vos potuit, quod certum signum Catholicos discernens ab hæreticis esse non potest, de quo inter vtrosq; controuertitur. Sed audiamus quomodo prius illud probet Brentius, quòd Catholica nostra Ecclesia non reliquat verbũ Dei in sua synceritate, sed deprauet ipsum alienis interpretationibus.

*Scriptura non potest propria esse nota Ecclesiæ.*

*Brentius imprudẽs de sensu scripturæ laudat Catholicos.*

Non enim recipit, inquit, scripturam, nisi & addat traditiones, & sicut à Patribus & Conciliis exponitur. Constat autem, quòd multæ traditiones quæ Apostolicæ iactantur, pugnẽt cum sacra Scriptura, quemadmodum supra explicuimus: & quòd Patres atq; Concilia scripturam sæpè & multũ sint interpretati, non iuxta sensum Spiritus sancti, sed iuxta sensum humanæ prudentiæ.

*Responsio.*

Vide Brenti, ne quis ex tuis meritò tibi crimen preuaricationis impingat. Nostram enim, non eorum quos tuendos suscepisti, causam tueri videris. Quod enim potuisti nobis dare testimonium illustrius, esse penes nos verbum Dei, quàm cùm dixisti, nos non recipere scripturas, nisi addamus & traditiones? Hoc est, nos non tantùm scriptum, verumetiam viua voce traditum Dei verbum recipere: quod vt ita faciamus, admonemur Dei verbo scripto: Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Quòd verò addis, nos non recipere scripturam nisi sicut à Patribus & Concilijs exponitur, potuisne quisquam clariùs demonstrare, nos verbum Dei syncerum recipere, quàm his verbis abs te demonstratum est? Nam qui recipit scripturas eo sensu, quo Patres interpretati sunt & Concilia, is demùm est, qui syncerum Dei verbum recipit: qui verò recipit scripturam, non Ecclesiæ, hoc est, Patrum & conciliorum, sed suo proprio sensu, is recipit quidem scripturam: sed verbum Dei non recipit, quin pro verbo Dei nonnunquam recipit verbum diaboli: quando non eam quæ Dei, sed quæ Satanæ spiritu facta est, scripturarum interpretationem recipit. Neq; verò mirum hoc tibi videatur, quòd multos recipere Scripturam dicimus, verbum autem Dei non recipere. Nam hoc ita fieri videtur etiam Paulus innuere, cum alibi, tum ad Thessalonicenses, scribens: Neq; terreamini, inquit, neq; per Spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. In priore, quam ad eos dederat epistola, dixerat Paulus: Nos qui viuimus, qui resideri sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. His verbis terrebant eos nonnulli, quasi iam instaret dies Domini. Monet igitur Paulus, ne terreantur, quòd non fuerit hoc verbum ipsius, nec Spiritus ipsius hoc senserit. Vides hic, quòd qui terrebant per hanc epistolam Thessalonicenses, tenebant illi quidem Scripturam Pauli, verbum verò, quod per Paulum Deus loquebatur, non tenebant: cum suo, non Pauli sensu: suo non Pauli spiritu, Pauli scripturam interpretarentur. Quamobrem rectè eos monet Paulus, Ne quis vos seducat eo modo, proferens scripturam nostram, & alienum sensum illius adferens. Quod itaq; tu proberi loco nobis obijcis, hoc est quod nos prædicamus, quod præ nobis ferimus, de quo gloriamur: nos non aliter scripturam recipere, nisi sicut à Patribus & Concilijs exponitur: hac vna re, maximè nos ab hæreticis discerni psuasum habemus, de quibus scriptũ est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Nullus itaq; nostrum in scripturis interpretandis sequitur spiritum suum, multò minùs Lutheri, vel Caluini, vel tuũ Brenti: quòd eum esse Satanæ spiritum, non dubitamus: verùm Ecclesiæ, hoc est, Patrum & Conciliorum spiritum sequimur: quod eundem esse Christi spiritum, certum & indubitatum habemus. Nam cùm Ecclesia sit corpus Christi, Christus autem caput huius corporis, fieri non potest, quin capitis & corporis vnus atq; idem sit spiritus. Hoc itaq; spiritu Patrum & Conciliorum scripturas interpretamur: & quod ij senserunt, esse Dei verbum, indubitanter asserimus. Quomodo autem in contrarium tibi res recidit? Videbaris velle nos ex numero Catholicorum eijcere, interea verò, contra quam tibi fuerat deliberatum, inuicto hoc argumento, nos esse Catholicos declarasti: quandoquidem scripturas non aliter recipimus, nisi sicut eas Patres Catholici, & Catholica Concilia exponunt. Sic tuo ipsius testimonio sumus Catholici, sicut contrà vos hæretici: qui dum suum quisq; spiritum in scripturis interpretandis sequimini, Patrum & Conciliorum spiritu neglecto, quem nunc videre licet in Germania, satanissimum inuexistis: Quod verò dicis, multas traditiones, quæ Apostolorũ

*2. Thess. 2.*

*2. Thess. 2. cap. 4.*

*Ephe. 2.*

*Ezech. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nomine iactantur, pugnare, cum sacra scriptura, in proximo superiore capite falsum id esse demonstrauimus. Et quamuis fieri possit, quòd Patrum aliquis non iuxta Spiritus sancti, sed iuxta sensum humanæ prudentiæ scripturam fuerit aliquando interpretatus: tamen si cubi plures in eandem sententiam conueniunt, & si Patres in Concilijs Oecumenicis præsertim congregati scripturam aliquam vnanimiter interpretantur, eorum sensum, spiritus sancti sensum fuisse, minimè dubitamus.

*Vsum verum Sacramentorum peruerti quomodo Brent. probet. Responsio.*

Probat deinde Brentius, in Ecclesia nostra Catholica verum vsum Sacramentorũ peruerti. Sordidat enim, inquit, Baptismum fictitijs appendicibus & humanis traditionibus. At quas tu vocas fictitias appendices & humanas traditiones? Cur nominatim non exprimis? Intelligis, quibus vtimur nos, earundem ipsis etiam temporibus Apostolorum vsum fuisse: quæ causa est, quod proferre non audes: alioqui necesse haberes affirmare totis mille quingentis annis Ecclesiam non fuisse: cùm quæ peruertit vsum Sacramentorum Ecclesiam esse neges: nec alium fuisse Baptismatis vsum per omne tempus id constet, quàm qui nunc est. Ac baptizat, inquit, non tantùm homines, quod Christus instituit, verumetiam campanas, quæ est impietas magica. Baptizari campanas mihi quidem inauditum est. Benedicuntur quidem iuxta formam in Pontificali Romano præscriptam, verùm de Baptismo ne verbo quidem fit vlla mentio. De poculo, inquit, cœnæ Domini, cùm Christus dicat: Bibite ex eo omnes, & sic Ecclesia Catholica vtatur. Asotica Ecclesia dicit, Nolite ex eo omnes bibere. Imò & vestra hoc dicit verè Asotica Ecclesia Brenti, Nolite ex calice omnes bibere: Arcetis enim paruulos contra manifestum, vt Bohemis & Armenis videtur, Christi verbum, dicentis: Sinite paruulos venire ad me. Cõstat aũt etiã Apostolorum temporibus, calicem non omnibus esse ministratum. Concludit iam tandem Brentius: Cùm ergo tantum sit discrimẽ Catholicæ & Asoticæ Ecclesiæ, qua fronte audet hæc sibi vendicare, quæ illi tantum conueniunt: Reuera nulla frons est in vobis Asoticis Brenti, qui vobis Ecclesiæ nomen vendicare audetis, & Catholicis detrahere. Non multum frontis habere Caluinus quoq; videtur, neq; magis nobis æquus est, quàm sitis vos: nondum tamen eò impudentiæ progressus est & audaciæ, vt nobis, qui Romani Pontificis auctoritatem agnoscimus, Ecclesiæ nomen adimeret. Quamuis enim ille pro more vestro plurimis conuitijs debacchetur in Pontificem, his tamen verbis vtitur. Hinc igitur patet, nos minimè negare, quin sub Papæ quoq; tyrannide Ecclesia maneat. Sic tu Sacramentarios etiam impudentia superas & audacia.

*Matth. 20.*

*Matt. 26.*

*Cal. ca. 8. institutionis suæ.*

*Brentij verba.*

Prosequitur Brentius: Catholica Ecclesia interpretatur Patres, traditiones & concilia per scripturam, & scripturam interpretatur per scripturam, hoc est, eo sensu, quem Spiritus sanctus in scriptura tradidit: Si nos, aut Angelus de cœlo prædicauerit vobis Euangelium præter id quod prædicauimus vobis, & quod nunc instinctu Spiritus sancti literis sacris mandatum est, anathema sit. Habemus firmiorem Propheticum sermonem, &c. Asotica autem Ecclesia interpretatur scripturam per Patres, per traditiones, & per Concilia. In scriptura inquit Asotus, vera fides quærenda est, sed prout à Patribus traditur. Quid ergo commune est Asoticæ Ecclesiæ cum Catholica?

*Gal. 1. 2. Pet. 1.*

*Responsio. Scripturam per scripturã interpretari quatenus probandum*

Imò quid tibi filio Belial cum sponsa Christi? Multa iam ad rauim vsq; diximus hac de re. Etiam sacramentarij scripturam interpretantur per scripturam, num ideò statim illos eo sensu dices interpretari, quem Spiritus sanctus in scripturis tradit? Num quem ipsi sensum adferunt, eum vos recipitis? Proferebant aduersus Arrianos Catholici locum illum: Ego & Pater vnum sumus: interpretati sunt eum Arriani per aliam scripturam: Vt sint vnum, sicut & nos: num hic fuit sensus Spiritus sancti? Quis non videt, quàm hæc inepta sint? Faciamus autem & nos Brenti, vt scripturam per scripturam interpretemur: Sed sicubi non sem per occurrit scriptura, quæ scripturam explicet, aut sicubi diuersum sensum adferunt hæretici, confugimus ad Patrum traditiones, & eorum interpretationem proferimus. Quod & vestri faciunt, quando contra Sacramentarios & Anabaptistas scribunt, & fecerunt prischis etiam illis seculis S. Patres nostri, quoties illis vel cum Arrianis, vel cum hæreticis aliis fuit dimicatio, sicut superius à nobis copiosè demonstratum est. Verùm vide quid agas Brenti, peccas ipse contra legem, quam hoc ipso loco nobis fers. Intelligis, quam adfers scripturam, eam pro nobis contra te facere: sunt enim verba Pauli: Si nos aut Angelus de cœlo prædicauerit vobis præter id, quod prædicauimus. Non dixit, præter id quod scripsimus. Traditionem nobis, non scripturam commendauit. Id cùm te non fugeret, addis de tuo. Et quod nunc instinctu Spiritus sancti sacris literis mandatum est. Vbi nunc est illud, quod toties contra nos profertis: Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, necauferetis ex eo? Nihil addi vis ad scripturas, & interim tamen addis ipse, quod in verbis Pauli non est. Nos verò quod explicandi gratia additum est per te, non reprehendimus: sed idem iuris nobis quoq;, quoties res postulat, non permitti: hoc est quod molestè ferimus. Cæterum qua tu nota nos excludere vis à Catholica, hæc nos vel maximè Catholicos esse designat: Catholicum est enim in Scriptura, veram fidem quærere. Quoniam verò falsam quoq; fidem suam in scriptura quærunt hæretici, non hæc satis adhuc illustris est nota, qua Catholici discerni possint ab hæreticis. Cùm autem illud adiunxit Petrus à Soto, quod per te reprehenditur vt quæratur in scriptura, prout à Patribus traditur, hoc demum verè Catholicum demonstrat. Nam à Patrum sensu & consensu discedere, & iuxta suum ipsius sensum scripturã interpretari velle, quod vos facitis hæreticum est Brenti, non Catholicum, neq; legitimæ prolis, sed seminis mulieris adulteræ.

*Ioan. 10. Ioan. 13.*

*Deut. 4.*

Pergit Brentius: Catholica Ecclesia, si de doctrina sermo est, fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica, nec tradit vlla dogmata extra eam doctrinam quæ scriptis Prophetis & Apostolicis continetur. Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, Auxilium nactus Dei, &c. Asotica autem Ecclesia fundatur super traditionibus & dogmatibus extra scripturam. Sic enim dicit Asotus: Traditiones sunt certissimum fidei fundamentum. Et iterùm: Ecclesia tradit dogmata fidei extra scripturam. Quare cùm Asotica Ecclesia sit structura alterius fundamenti, non habet commune habitaculum in ædificio Catholicæ Ecclsiæ. Qua ratione venerabilis vir Petrus à Soto traditiones certissimum esse fidei fundamentum docuerit, iam abundè diximus. Hoc ipsum autem nobis est testimonio, quòd Ecclesia nostra fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica, quòd non solum scriptum, verumetiam traditum Dei verbum recipimus. Sic enim nos docuerunt Prophetæ: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum: sic nos docuit Apostolus: state & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Vestra autem Asotica Ecclesia, non fundatur super doctrina Prophetica & Apostolica, quandoquidem iuxta doctrinam illius traditiones non recipit. Neq; est Ecclesia nostra, sicut tu cauillaris, alieni fundamenti structura. Nos enim aliud fundamentum non ponimus, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus: super hoc superstructi sumus, & superstruimus ipsi, nec ab eo diuellimur vnquam patiemur.

*Responsio.*

*Dent. 32. Eccles. 8. 2. Thess. 2.*

Catholica Ecclesia, inquit Brentius, agnoscit vnum solum caput æternæ suæ salutis tam in cœlo, quam in terra, Dominum nostrum Iesum Christum: & ad hunc solum Seruatorem suum alligata est: atq; in hoc solo quærit veram & æternam suam salutem per fidem. Et vtitur quidem ministris suis, non vt dominentur, sed vt seruiant ipsi: idq; non pro suo arbitrio, sed iuxta regulam à sacra scriptura præscriptam. Solum autem Iesum Christum filium Dei agnoscit Dominum & sponsum suum: & ex eo solo tam viuens, q̃ morie̅s pendet. (Hoc probat scripturis: quasi probationis res egeat: cùm omnes Christum, & caput, & Dominum cõfiteamur.) Asotica autem Ecclesia agnoscit in his terris pro capite suo Rom. Pontificem, & est alligata ad prælatos, qui sunt Romano Pontifici subiecti, quos & Dominos suos, nõ seruos agnoscit. Nec pendet ex solo Christo, nec quærit in eo solo salutem per fidem: sed quærit etiam eam in contritione, in ieiunio, in horis canonicis, & in omnibus suis operibus, quibus confidit se gratiam Dei mereri. Dicit enim Asotus apertè: Ecclesia est humana congregatio, & habet Prælatos & superiores suos. Et addit quidem Asotus. Hi sunt ministri Christi, & dispẽsatores mysteriorum Dei. Quæ verba scribit Paulus, sed nihil ad Asoticos Prælatos. Mox autem subiungit: Alligata est ijs tota Ecclesia non minùs, q̃ quælibet alia respublica suis capitibus & gubernatoribus. Ac mox: Sine illis, hoc est, prælatis (quos ipse vocat, sed falsò, ministros Christi legitimos) non est Ecclesia.

*Responsio. Ecclesia & si sedem Christum caput agnoscat, non negat tamen Christi vicarium Pontificem. Christus nobiscũ agit per suos vicarios, & Prælatos Ecclesiæ.*

Quantum ingredieris mare Brenti? sed nobis propositum est breuibus tecum agere. Nam si tractanda forent omnia, iustum volumen vix sufficeret. Propterea negas penes nos esse Catholicam Ecclesiam, quòd agnoscimus in terris pro capite nostro Roman. Pontificem, cùm Ecclesia Catholica solum vnum caput agnoscat Christum. Quasi verò qui pro capite Pontificem agnoscit, non agnoscat caput Christum. Dicis etiam de Catholica Ecclesia, quòd solum Christum Dei filium agnoscit Dominum. Num igitur nullus est in terris Dominus agnoscendus, quia solum Christum Ecclesia Dominum agnoscit? Num ideò Serenissimus Princeps SIGISMVNDVS AVGVSTVS REX, & Dominus noster esse desinet, quia Christum Regem & Dominum nostrum esse confitemur? Eiusmodi vocibus Brẽti, rusticos contra Dominos concitastis, & seruile bellum in Germania conflastis. Est caput Ecclesiæ Christus: neq; tamen propterea non est caput Ecclesiæ Pontifex? Est Rex & Dominus noster Christus, neq; tamen propterea non erit Rex & Dominus noster SIGISMVNDVS? Quis est, qui nesciat, solum Christum regere ac regnare in Ecclesia, & imperium hoc solo illius verbo exerceri atque administrari? Sed quia visibili præsentia inter nos non habitat, vt voluntatem suam ore suo coram nobis declaret, hominum in hoc ministerium adhibet, & quasi vicariam operam: non ad eos ius, honoremq; suum transferendo, sed vt suum tantum per eos opus agat ipse, qualiter ad opus quoque faciendum artifex vtitur instrumento. Quare manet ipse caput Ecclesiæ nihilominus: regit, regnat, & imperium exercet ipse nihilominùs in Ecclesia: verùm opus hoc suum per Pontificem agit ministrum suum: non quòd non posset id per se ipsum sine alio quouis aut adminiculo, aut organo præstare: sed hoc modo visum est illi, suam erga nos dignationem declarare, cùm ex hominibus sumeret, qui pro se in mundo legatione fungerentur, qui arcanæ suæ voluntatis essent interpretes, qui personam denique suam repræsentarent. Deinde visus est hic illi firmissimus vnitatis retinendæ nodus, quo Ecclesiam suam adstringeret, si vnum aliquem illi præfecisset, cuius in ea gubernanda visibili ministerio vteretur. Vides Brenti, nihil detrahi Christo capiti, si subiectum illi Romanum Pontificem, caput in terris agnoscamus? Non magis, quàm si caput Regni Poloniæ, Regem & Dominum nostrum Sigismundum Augustum esse profiteamur. Non propterea non erit caput, non propterea non erit Rex & Dominus noster Iesus Christus Dei filius: cui sicut Ecclesiæ, sic & regni caput subiectum est. Nam cùm proprium sit capitis munus, subiecta sibi membra gubernare, facit hoc ipse quidem Christus virtute sua: sed interea tamen sicut in Sacramentorum administratione, sicut in verbi sui prædicatione, sic in Ecclesiæ suæ, regnorumq; & prouinciarum gubernatione, hominum vti ministerio dignatur: Principum quidem, Regum & Imperatorum, in regnis & prouincijs moderandis: Romani verò Pontificis in Ecclesia sua gubernanda, quæ si non ex vnius alicuius auctoritate pendeat, nec Ecclesia, nec fides vna retineri potest, quemadmodum in confessione nostra Christiana fusius est à nobis demonstratum: eadem illa nunc repetere, nihil est necesse. Neque verò inusitatum est hoc in Scripturis quòd capitis nomen hominibus tribuitur. Sic Sauli dixit Samuel: caput in tribubus Israel

*Capitis nomen hominibus tributum in scripturã. 1. Reg. 15. Psal. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Oseæ.1. 1.Corinth.11.& ad Ephe.5.*

Israël factus es: Sic de se Dauid: Constituit me in caput gentium. Sic apud Oseam legimus: Ponent sibimet caput vnum. Sic apud Paulum: Vir caput est mulieris. Quid autem Brenti? cùm semel atque iterum dixit Apostolus: Vir caput est mulieris, num ideò Christum esse ca put mulieris negauit? Minimè gentium: Verùm hoc dicere voluit, Christum caput mulieri constituisse virum, vt eam gubernaret. An autem ideò non gubernat eam Christus. Imò gubernat: sed per virum, cui vult mulierem esse subiectam. Sic etiam cùm dicitur, Pontifex caput est Ecclesiæ: absit vt Christum excludamus, qui verè caput existens, verè gubernat Ecclesiam. Sed sicut mulieri virum, sic huic sponsæ suæ caput constituit Petrum & eius successorem, cuius ministerio illam gubernaret, quando dixit, Pasce oues meas. Ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ suæ, ipse Pastor & Episcopus animarum nostrarum. Sed intereà Petrum elegit. Petrique successorem, cuius in ea pascenda, gubernandaque ministerio vteretur. Quem qui pro capite non cognoscunt, in quot sectas quàm dissectas dissecti sint, videsipse Brenti. Ac nisi te datum iam in reprobum sensum totum Satanas possideret, non posses non fateri, quòd vna Ecclesia, quin & vna fides apud eos esse nulla ratione potest, apud quos

*Ioan.21. 1.Pet.2. Necessarius Ecclesiæ Pontifex & Pastor.*

sub inuisibili capite Christo visibile quoque caput in terris Pontifex vnus non agnoscitur. Nec obscurum est, quòd idem aliquando Philippus quoque vester senserit, cum ipsa magistra rerum experientia doctus, aliter consentientem in Ecclesia doctrinam, vnitatemque fidei conseruari non posse videret. Quid enim? si quod vos velle videmini, quisque Rex in regno, quisque Princeps in ditione sua, se caput Ecclesiæ regni, ditionisque suæ constituat: quod post hominum memoriam factum vnquam aut vsquam nescimus, præterquam hoc infelici seculo nostro in Anglia: quam tamen cùm hæc scriberemus regnante pientissima Regina Maria, oculus misericordiæ suæ tandem respexit Deus, errantesque in viam reduxit, & ad ouile suum aggregauit, nisi quod posteà peccatis nostris factum est, vt gaudium hoc nostrum non esset diuturnum. Sed quid si tale quiddam peccatis nostris offensus Deus permittat, per Deum immortalem, quale futurum esset monstrum Ecclesia? quot capita? quot fides? quot confessiones esset habitura? Hæc esset Augustana vel Saxonica potius, illa Virtembergensis, alia Osiandrina, alia Tigurina, alia Svvenckfeldiana, alia Picardina, alia Monterana siue Mennoniana, aut si mauis, Pacimontana, alia Seruetiana confessio: Quot principum voluntates, tot fides, tot confessiones videre liceret: sicut nunc in ista Babylone Germanica, quam ædificauit Lutherus, videmus omnes. Tale monstrum ne ferre cogeremur in Ecclesia, cumprimis vtile visum est & necessarium ad conseruandam in ea tranquillitatē, ordinemque retinendū, vt vnum aliquod sub CHRISTO capite caput Ecclesiæ ab ipso Christo constitutum agnosceretur, ad quod iuxta traditionem Apostolorum, & sicut ab Anacleto scribitur, iuxta iussionem ipsius Christi, de causis difficilioribus referretur, quòd non alia quàm hac ratione, vt vna apud omnes & eadem esset fidei confessio, prout deri posset. Hunc vos ordinem Brenti ferre non potestis, quòd eo saluo saluos esse vos, & errores vestros diu consistere non posse videtis. Quamobrem vt eum euertere queatis,

*Cyp.lib.epist.3. Primo Pontificem, deinde Cæsarem sectarij negarunt esse caput.*

omnes neruos vestros contenditis. Neque verò noui quicquam in hoc facitis. Fecerunt hoc etiam ante vos Patres vestri prisci illi hæretici. Veteres hæ sunt & vsitatæ Satanæ artes, qui sicut à Cypriano scriptum est, ob hoc Ecclesiæ Præpositum infestatione sua persequitur, vt gubernatore sublato, atrociùs atque volentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Sed quid accidit apud vos Brenti: Principio nihil aliud quàm Pontificem Romanum Ecclesiæ caput agnoscere noluistis, & eum reiecistis: num intra fines hos constitit furor vester? Neque quam, sed idem posteà de nunquam satis laudato Imperatore quoque vestro Carolo Quinto fecistis. Sicut Ecclesiæ Pontificem, sic illum Imperij caput agnoscere noluistis, & eadem auctoritate qua Pontificem, Imperatorem quoque vestrum reiecistis: contra quem etiam arma cepistis, & eū iam non Imperatorē, sed Carolum à Gandauo, visum vobis fuit appellare. Verūm non defuit fideli ministro suo Deus, deque hostibus Euangelij sui iustas est pœnas persequutus. Sed de his satis. At verò Brenti, vel hoc nomine nos id quod fumus dici debere Catholicos censemus, quòd sicut semper à Catholicis fuit factitatum, & Ecclesiæ caput Pontifex Romanus apud nos, & regni caput Rex à suis quisque agnoscitur. Et est apud nos Ecclesia, sicut scribis alligata ad Episcopos suos, qui sunt Romano Pontifici subiecti: quod ante mille trecentos annos Cypriani quoque seculo sic fuisse legimus obser-

*Ecclesia ad Episcopos alligata. Cyp.lib.4.epist.9.*

uatum. Sic enim loquitur sanctus ille martyr post illa verba: Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuit Ecclesia: docens, quia etsi contumax & superba obedire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen Christianorum non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse: & frustrà sibi blandiri eos, qui pacē cū Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, cùm Ecclesia, quæ Catholica & vna est, scissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata. Vides, quemadmodum hic ad Episcopos Ecclesiam alligauerit, & qui cum Episcopo non sint, eos in Ecclesia esse negauerit? est autem hoc moribus receptum in Ecclesia, Patrum vt nomen Episcopis tribuatur, qui quantò magis Ecclesiæ seruiunt vtilitati, tantò minus pro seruis agnoscuntur, quin eos pij Dominorum appellatione dignantur: de quibus per os Prophetæ loquutum aliquando Dominus esse sciunt: Constitues eos Principes super omnem terram: verùm sic tamen, vt interea meminerint Episcopi, quod scriptum est ab eo, quem primum in terris Episcopum Dominus instituit: Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Pendet autem Ecclesia nostra ex solo Christo: quæ in eo solo salutem per fidem: sed non per vestram illam specialem, charitateq; destitutam, sed per eam, de qua Paulus loquitur, fidem quæ per charitatem operatur. Per hanc fidem,

*Episcopi rectè etiā patres dicuntur.*

*Psal.44.*

*1.Pet.5.*

*Quomodo Ecclesia ex solo Christo per fidem pendeat.*



qua fit, vt conteramur in corde nostro, vt conuertamur ad Dominum in ieiunio, & fletu, & Planctu: vt accedentes ad thronum eius gratiæ, supplices misericordiam eius imploremus: Per fidem hanc quærit salutem in solo Christo. Neque confidit se primùm gratiam vllis operibus mereri posse: nam si gratia, iam non ex operibus. Et est hoc vulgatissimum etiam eorum doctorum, quos vocant Scholasticos, axioma, quòd primam gratiam nemo meretur. Cæterùm gratiam pro gratia se consequi posse confidit, hoc est, pro operibus in gratia factis sperat adipisci se posse vitam æternam, quam & ipsam gratiam vocat Paulus: non quia meritis non datur, inquit Augustinus, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Data sunt autem gratis: nam primam gratiam, qua fit, vt mereri possimus vitam æternam, nullis meritis assequi licet. Talem Ecclesiam, cuius nos esse membra profitemur, & præ nobis ferimus, etiam tu Brenti Catholicam esse negare non posses, nisi malitia cor tuum excæcasset, vt audias, & non intelligas, videns videas, & non videas? Sed quid habes, quæso, quòd arrodas in Petri verbis? An hoc, quòd hominum congregationem esse dixit Ecclesiam? Certè non est Angelorum, & multo minùs quadrupedum. An quod addidit, habet Prælatos & superiores suos? Quin tu cum Paulo iurgaris potiùs, qui dixit: Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios pastores & Doctores ad confirmationem sanctorum. Iam verò illa quæ sequuntur. Hi sunt ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, reuerà sicut dicis, nihil ad vestros Asoticos, sed permultum faciunt ad nostros prælatos Catholicos: quibus verè scribit Petrus, alligatam esse totam Ecclesiam, nō minus, quàm aliam quamuis Rempub. suis capitibus & gubernatoribus. Eadem est sententia sanctissimi quoque martyris illius Cypriani, sicut paulò anteà commemorauimus: qui & hoc in eadem illa scribit epistola, quòd sine prælatis, hoc est, Episcopis, quos Petrus à Soto verè vocat ministros Christi legitimos, non est Ecclesia. Reuerà dissipationem, vel ruinam potius, exitium Ecclesiæ molitur, quisquis ordinem hunc vel abolere studet, vel quasi minùs necessarium elenat. Neque enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus, tam sunt præsenti vitæ fouendæ ac sustinendæ necessaria, quàm est conseruandæ in terris Ecclesiæ Apostolicū & pastorale munus.

*Gal.5. Ioel.2. Heb.4. Rom.11. Ioan.1.*

*Rom.*

*Matt.13.*

*Ephe.4. Sine Episcopis non est Ecclesia.*

Hactenus collationem suam absoluit Brentius, quam sic à nobis esse tractatam existimamus, planum vt omnibus factum sit, cuius ipse partis est, eam Asoticam, Ecclesiam verò nostram esse Catholicam. Aggrediturque nunc ad promissiones, quæ factæ sunt Ecclesiæ Catholicæ, quas verè docet ad Asoticam, hoc est, suam Ecclesiam nihil pertinere. Quamobrem hac in parte non grauatim eius sententiæ subscribimus, nec locum hunc vllius confutationis indigere putamus: est enim verissimum, quod scribit, Asoticam suam Ecclesiam non esse spōsam Christi, non acceptam Deo, non sanctam, non formosam, neque consistere posse cōtra portas inferi, sed expositam esse libidini Satanæ, & omniū Angelorum eius, nihil in ea inueniri nisi mendacium & vanitatem: ac si quando veritatem profert, in mendacio eam profanari ac deprauari, non habere spiritum sanctum, non habere Christum præsentem tutorem & seruatorem, non habere pium vllum commercium cum Catholica, non habere vllam auctoritatem iudicandi & probandi quamuis doctrinam, & de eius veritate vel vanitate testificāri: non exaudire preces eius, nec fructum eam aliquem Christi promissionum capere, sed necesse habere in morte perire, & in tartarū perpetuò affligendam præcipitari. Hæc est sors, hæc est hæreditas Asoricæ Ecclesiæ.

*Quæ sors & hæreditas Ecclesiæ apud hæreticos.*

Proponit tandem Brentius dubitationem quandam, sed pridem à nobis discussam. At enim, inquit, dices, Quid si Asoticus quispiā impio & Lucianico corde admisceat se veræ Ecclesiæ Catholicæ, & profiteatur vnà cum pijs doctrinam Christi tanta eloquentia, tanta prudentia, tantaque externæ vitæ honestate, & eligatur publico suffragio in ministrum, adeoque Episcopum Ecclesiæ, num ministerium huius esset veræ Ecclesiæ inutile & inefficax? An qui per eum baptizarentur, non verè essent baptizati? an qui per hunc audirent cœlestem doctrinā, non possent spiritum sanctum accipere? an qui ab hoc cœnam Domini sumerent, non sumerent verum corpus & sanguinem Christi? Dixi suprà, quòd fieri soleat, vt impij hypocritæ admisceantur veræ Ecclesiæ: ea enim est sors Euangelicæ sagenæ, vt cùm in mare huius mundi iacta fuerit, contrahat ex omni genere piscium, malorum pariter & bonorum. Sed & hypocritæ sunt in externa congregatione & societate veræ Ecclesiæ, tamen cùm sit animo impio, Lucianico & Epicureo, nihil certius est, q̄ quòd non sunt illa Catholica Ecclesia, adeoque non prævaleant portæ inferi, quemadmodum Asotus alicubi nugatur. Nihilo minùs autem si fuerint ad ministerium Ecclesiæ vocati, & docuerint, quæ pia sunt, atque ad-uersus quam non prævaleant portæ inferi, quemadmodum Asotus alicubi nugatur. Nihilo minùs autem si fuerint ad ministerium Ecclesiæ vocati, & docuerint, quæ pia sunt, atq; ad-ministrauerint sacramenta iuxta institutionem Christi, ipsi quidem sunt Deo abominabiles & miseri: ministerio autem eorum efficitur id, ad quod Dominus ordinauit. Incrementum enim nō est ordinis ministri, sed Spiritus sancti: qui cùm sit liberrimus donorum suorum dispensator & largitor, cuius vult, non respicit, quod ad se attinet, organi indignitatem, sed suam ipsius clementiam & liberalitatem. Itaque repudiamus Donatistas, qui docuerunt Spiritumsanctum non esse per ministerium malorum efficacem.

*Fatetur Brentius Ecclesiæ hypocritas & impuros planè admisceri, idq; contra Donatistas.*

*Responsio.*

Et hæc de re Brenti, nihil est q̄ plura tecum verba commutemus. Nam & rixis his immorari diutiùs nolumus, quarum nos pridem est pertæsum: & videris nūc propiùs tandem ad veritatē accedere: nisi q̄ cùm veritate non possis, mendacio & calumnia Petrum à Soto supprimere conaris. Neque enim hoc dixit vnq̄ Petrus, quod eum tu dixisse fingis: q̄ qui sunt animo impio, Lucianico & Epicureo, sint illa Catholica Ecclesia, aduersus quam non prævaleant portæ inferi: verùm verba illius hæc sunt: Ecclesia, cui promissio illa Christi facta est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, visibilis est: nec ex electione Dei aut vera fide charitate internis pēdet, vt quis ad Ecclesiam pertineat, siue vt subditus, siue vt Prælatus: sed vt viuum membrum sit, hæc requiruntur. Quid igitur aliud dixit Petrus à Soto quàm qd à te

*Soto quid affingat Brentius.*

quoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca



quoq; nunc dicitur? etiam hypocritas esse in externa congregatione & societate veræ Eccle
siæ, quamlibet animo sint impio. Quòd autem hi sint illa ipsa Catholica Ecclesia, aduersus
quam non præualebunt portæ inferi, hoc nunquam dixit Petrus: sed pertinere tantùm dix
xit ad illam externam congregationem & societatẽ, & admisceri illi veræ Ecclesiæ, cui hæc
promissio facta est: esse illius mortua, non viua membra. Ac si quis talis in ministrum Eccle-
siæ, siue Episcopum, sit electus, efficax esse ministerium eius. Si quando congregatur Conci
lium, fieri potest, vt inter Episcopos reperiantur, qui sint impio corde, & externa vitæ hone
state impietatem suam tegant: num ideò non erit illis dicendæ sententiæ locus? Certè de ta-
*1. Reg. 26.* libus non est hominis iudicium, cùm scriptum sit. Homo videt ea, quæ patent. Dominus aũt
intuetur cor. Non est hominis, vt secùs iudicet de homine, q̃ videt: cordis iudicium Deo re-
linquẽdum est. Neq; fas est, cuius non videas nisi bona opera, de eo secùs iudicare: cùm etiã
quæ sunt ambigua in meliorem partem interpretari, Christianæ sit charitatis. Ac rectè mo-
*Aug. ser. 238. de tempore.* net Augustinus: Quæ vides, iudica: quæ non vides, Deo committe. Tu aũt eò audaciæ prorũ
pisti, vt etiam de corde hominis, quod solius Dei proprium est, tibi iudiciũ arroges. Verùm
scopus vester: cùm ista scribitis, hic est: vt si quis fortè sit externa vitæ sanctitate præditus, q̃
dissentiat à vobis, & impia vestra dogmata condemnet, excipere contra eum possitis, q̃ im-
pio corde sit & Lucianico. Quid autem esse potest à modestia, charitateq; Christiana magis
alienum? Sed si charitatem haberetis, ab Ecclesia Dei vos nunq̃ præcideretis.

*De malis Doctoribus ferendis, aut etiam exterminãdis.* Quod autem addis Brenti: Si impij hypocritæ docuerint pugnantia cum cœlesti do-
ctrina, & peruerterint verum vsum Sacramentorum Christi, quòd nulla amplius nec reue-
rentia, nec obedientia obstricta est eis Catholica Ecclesia, etiamsi fuerint anteà legitimè vo-
cati: quin potiùs necesse habet Ecclesia eos fugere & vitare, ac si fieri potest, ab ouili Christi
tanquam lupos arcere: verissimè scriptum est à te Brenti. Nam quoad aliquis fuerit externè
quidem Christianus, corde verò Lutheranus, quandoquidem quæ non videmus, Deo com
mittere iubemur, qui scrutatur corda & renes, ferendus est in externa ista congregatione
& societate veræ Ecclesiæ. Simul vt autem in lucem proferre cœperit impia vestra dogma-
ta, & peruertere more vestro verum Sacramentorum vsum, etiamsi pastor alicuius Eccle-
siæ, & ad hoc munus legitimè fuerit vocatus, iam oues ei nulla neq; reuerentia, neq; obedi-
entia sunt obstrictæ: quin eum fugere debent, & ab ouili tanquam lupum arcere: præsertim
postquam Iudicis Ecclesiastici sententia pronunciatus fuerit impiorum Lutheri dogmatũ
assertor, & è cœtu piorum exterminatus. Vides quàm pulchrè nobis in hoc extremo actu
tecum conueniat?

*De loco Io. 1. 2. Ex nobis prodierũt, sed non erant ex nobis.* Cæterùm nihil est, quòd stomacheris venerabili viro Petro à Sotò, quòd in vos accõmo-
dauerit illa verba ex epistola Ioannis: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si
fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. Quid enim potuit magis aptè & appositè
de vobis dici? Quæso te Brenti, vt ipse diligentiùs hæc verba excutias, & videas, an non re-
ctissimè quadrant in vos. Primum illud, nisiquid verissimum non est, quòd à nobis prodieri
*Consensus & pax Ecclesiæ ante Lutheranismum.* tis? Est hoc certè manifestius, quàm vt vllo modo negare possitis. Ante quadraginta hos an-
nos certum est indubitatum fuisse vos nobiscum in eodem ouili Christi: vnanimes in ea-
dem domo Dei nobiscum habitasse: in qua simul agnum comedebatis: commune fuit vobis
nobiscum altare, communis Cathedra, communia sacra omnia. Non audiebantur tum illæ
voces: Ego sum Lutheri, ego Zvvinglij siue Caluini, ego Balthasaris Pacimontani siue Men-
nonis, ego Svvenckfeldij, ego Serueti siue Campani, ego Philippi Melãchtonis, ego Brentij,
ego Osiandri, ego Flaccij, ego nescio cuius alterius Suermeri: nihil horum ante quadragin-
ta proximos superiores annos fuit auditum: sed vnanimes vno ore honorificabamus Deum
*Rom. 15. Gene. 11. Actio. 4. Psal. 132. Iudic. 20.* & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Terra labij fuit vnius, & eorundem sermonum. Mul-
titudinis credentium erat cor vnum & anima vna: & sicut horrendum dæmonibus, sic iu-
cundum fuit Angelis spectaculum, cùm viderent habitare fratres in vnum: cùm cernerent
illum verè populum Israël de quo scriptum est: Egressi sunt omnes filij Israël, & pariter con
gregati quasi vir vnus. Stans omnis populus, quasi vnius sermone respondit. Conuenit vni-
uersus Israël ad ciuitatem, quasi homo vnus eadem mente, vnoq; consilio. Congregatus est
populus quasi vir vnus in Hierusalem. In hoc itaq; populo Israël, in hac vnitate fidelium, in
hac Ecclesia nostra Catholica vos aliquando Brenti fuistis. Ipsa vos genuit, ipsa vos in sinu
suo fouit aliquandiu, in ipsa veram fidem professi estis, sed ex ea posteà per schisma sacrile-
*Psal. 54.* gum excessistis, vt rectè possimus de vobis illud Psalmi dicere: Si inimicus meus maledixis-
set mihi, sustinuissem vtiq;, & si is qui oderat me, super me maligna loquutus fuisset, abscon-
*Aug. in Psal. 54.* dissem me forsitan ab eo: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul me-
cum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Cedo Brenti, non
ambulauimus in domo Dei cum consensu ante quadraginta hos annos? Vnde ergo nunc
ista dissensio? Qui intus erat, inquit Augustinus, foris factus est: ambulauit mecum in do-
mo Dei cum consensu: aliam domum erexit contra domum Dei. Quare illa relicta est, vbi
ambulauimus cum consensu? Quare illa deserta est, vbi dulces capiebamus cibos? Confer
ergo iam Brenti quòd ex nobis prodijstis, quòd intùs aliquando nobiscum fuistis, nunc au-
*De loco Ioannis, Nõ eratis ex nobis.* tem foris facti estis. Restat iam, vt videamus, an illud quoque de vobis rectè dictum sit, quòd
non eratis ex nobis. Probat hoc Ioannes his verbis: Nam si fuissent, inquit, ex nobis, perman
fissent vtique nobiscum. Cùm in Ecclesia nobiscum fuissetis, corporibus tantùm fuistis,
non autem spiritu: falsoq; fidelium nomen obtendebatis. Nam si verè fideles fuissetis, nun-
quam ab Ecclesia defecissetis. Quare sicut paleæ licet in eadem area tritico sint permixtæ,
non tamen in tritico censentur: ita vos, licet in eadem Ecclesia, quæ Christi corpus est, veris
*Aug. in epist. Ioan.* membris permixti fueritis, in illis tamen censeri non potuistis. Præclarè Augustinus: Om-
nes hæretici, omnes Schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia: sed non exierant, si ex



nobis essent. Antequàm exirent ergo, non erant ex nobis. Sic erant inquit, in corpore Ghri
sti, quomodo humores mali: quando euomuntur, tunc releuatur corpus. Sic isti quando ex-
eunt, tunc Ecclesia releuatur: & dicit, quando eos euomit, atque proijcit corpus, ex me exi-
erunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, Non erant ex me? Non de carne mea præ-
cisi sunt, sed pectus mihi premebant cùm inessent. Vides, quàm & hoc bellè quadret in vos,
qui cùm ambularetis in magnis & mirabilibus super vos, nouas quasdam opiniones inue-
xistis, vt vos à CHRISTI corpore, nefario schismate separare, quàm ab illis discedere ma-
lueritis.

*Psal. 138.*

Sed non potes ferre Brenti, quòd in vos hæc Ioannis verba accommodentur. Dicis accu
sasse vos Catholicos Antichristianismi, quòd impia doceamus, quòd institutionem Sacra-
mentorum Christi deprauemus: necessitatem itaq; salutis vestræ exegisse, vt colluuiem eo-
rũ, qui in Apostolica doctrina non permanserunt, detestaremini, & quàm contento possetis,
cursu fugeretis. Accusastis nos Antichristianismi Brenti? Quid autem? Num sufficit accusas-
se? Num causam propterea legitimam habuistis, discessionem à nobis faciendi? Conuictos
certè tanti criminis, non accusatos tantùm oportuit. Quin vos Antichristianismi multò
verius estis accusati: neq; defuerunt insignes aliquot Academiæ, quæ doctrinam vestram
impiam iudicarent. Penes quem autem hac de re & est, & fuit, & erit semper statuendi po-
testas, frustrà portis omnibus inferi reluctantibus, Romanus pontifex hæreticos vos pro-
nunciauit, Sed in comitijs imperialibus VVormaciæ Proscriptionis decretum contra vos
latum est. Tot eorum sententijs, penes quos fuit legitima iudicãdi potestas, vos Antichris-
tos illos esse declaratum est, de quibus in hac epistola scribit Ioannes. Cæterum vos Brenti,
quis iudices constituit orbis totius Christiani? Quando autem dies illi dicta? quando cau-
sæ dicendæ potestas facta? quando quidquam eorum obseruatum est, quæ in legitimis iudi
cijs obseruari consueuerunt? Quis autem nos condemnauit? Idem ille qui accusauit. Ergo
& accusatorum, & iudicium officio ijdem vos functi estis. Quibus hoc legibus cautum,
quibus moribus receptum fuit vnquam? Etiam apud immanes Barbaros iudicis officio
non fungitur, nisi cui legitimè potestas hæc fuerit mandata. Deinde citatur tamen reus, cau
sæ dicendæ potestas illi permittitur, neque & accusatoris & iudicis personam eidem susti-
nere fas est. Itáne soli vos licere vobis vultis, contra ius gentium venire, naturæ ordi-
nem peruertere, diuinas, humanasq; leges conculcare, Barbaros etiam ipsos immanitate
superare? Sed vide Brenti, posteàquam vos per summam iniuriam ius vobis arrogastis,
orbem Christianum inauditum Antichristianis. accusandi simul & condemnandi, quem-
admodũ exẽplo vestro prouocati, idem sibi ius in vos vestri quoq; paulò pòst vsurpauerũt.
Quis inter omnes magis fidus Achates Martini Lutheri fuerit, quàm Carolstadius? Verùm
vix toto biennio durauit hæc inter eos amicitia. Sicut Lutherus orbem Christianum, sic
ipse pari auctoritate vicissim Antichristianismi Lutherum accusauit, simul & condemna-
uit. Idem fecit Moncerus, idem non de vobis magis Lutheranis, quàm de Carolstadianis
siue Zuinglianis, non ita multò pòst statuerunt Balthasar Pacimontanus & Menno: idem
de omnibus vobis posteà Svvenckfeldius, Campanus, Seruetus, & hoc genus hæretico-
rum alia portenta. Sed & Flaccius Illiricus, quam sententiam tulerit contra interimi-
stas & Adiaphoristas, obscurum non est. Permisistis vos vobis, cùm nullam haberetis
auctoritatem publicam, Antichristianismi Christianum orbem non vocatum, non au-
dictum accusare, simul & condemnare, & ab eo vos nefario schismate separastis? Sibi
quoque idem eodem iure permitti voluerunt isti. Nam si fas est vnicuique de doctrina iu-
dicare, & quam ipsi visum fuerit, tanquam impiam condemnare, sibi quoque fas esse
putauerunt, vt idem de vestra doctrina statuerent, quod de totius orbis Christiani doctrina
per vos fuerat constitutum. Hæc res nobis peperit Satanismum hunc, quo nunc æstuat Ger
mania, dum se pro Papa quisque gerere vult, dum sibi fas esse putat & accusatoris & iudicis
officio simul fungi, dum & illud licere sibi cupit, vt quos impios ipsa indicta causa iudicaue
rit, ab eis discessionem faciat, seorsum cœtũ congreget, sacrilegũ altare contra legitimũ eri-
gat, Cathedram pestilentiæ contra Cathedram salutis constituat. Vbi sic omnis ordo per-
uertitur, ibi florere Satanismum, & ordine sublato, horrorem necesse est consequi sempi-
ternum. Sed de his satis.

*Catholici accusantur Antichristianismi per Brentium.*

*Pro Papa se quisq; gerit in Germania.*

Proponit aliam quæstionem Brentius, sed priusquam ei respondeat, interrupto oratio-
nis cursu, aliò delabitur. Vehementer enim eum illa verba pupugerunt, quæ Petrus à Soto
verissimè scripsit: Vnitas certum signum est Ecclesiæ, discessio autem proprium signum hæ-
resis. Quamobrem omnes neruos contendit, vt ea refutare posset. Si intelligit, inquit, vni-
tatem per se, certum esse signum Ecclesiæ, & discessionem per se proprium esse signum hæ-
retici, quid furiosius? Quid enim? Itáne certum est, ibi esse Ecclesiam, vbi est vnitas? Pa-
teor nihil esse amabilius, nihil iucundius vnitate, mutuaq; charitate & concordia. Et in
hoc, inquit CHRISTVS, cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charita-
tem habueritis inter vos mutuò. Sed núm quæuis charitas, quæuis concordia, quæuis v-
nitas certum & infallibile signum est veræ Ecclesiæ, vt quęuis discessio proprium signum hæ
resis?

*An vnitas signum certum Ecclesiæ.*

*Ioan. 13.*

*Responsio.*

Sudes est in oculis hæreticorum nomen charitatis, & vnitatis: quod quoties audiunt, su-
am sibi diuisionem exprobrari putant. Neq; malè conijciunt. Quamobrem nulla de re mi-
nùs libenter dici audiunt, q̃ de vnitate & charitate, de qua etiam quoties de iustitia loquun
tur, ne verbo quidem fieri volunt mentionem, sed sola fide se iustificari contendunt. Fidem
enim habere se posse cum dæmonibus communem intelligunt: charitatem si haberent, ne-
que dæmones, dæmones, neque hæretici essent hæretici. Verè autem dictum est ab Augusti-
nus. Non existimo quenquam ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem, qui non ha-

*Contra Cresc. libr. 1. cap. 29. Lib. 3. de Baptismo contra Donatistas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ad Constantinum.* bet charitatem. Non autem, ait idem, habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem. Atqui non est alia certior Ecclesiæ nota, q̃ sit vnitas, quã etiam ob causam in symbolo Constantinopolitano, quod post lectum euangelium in Ecclesia cantari consueuit, cùm quatuor notis Ecclesia Dei describatur, quibus eãb Ecclesia Satanæ discernere liceat, primo loco ponitur, q̃ sit vna. Nam sicut fides non est nisi vna, vt quicquid præter vnam fidem est, perfidiam esse, non fidem dicat Hilarius: sic Ecclesia quoq; non est nisi vna, vt quicquid præter vnam est Ecclesiam, Satanæ synagoga, non Ecclesia rectè vocetur. Neq; verò non intelligit hoc Brentius, esse certissimum & maximè proprium Ecclesiæ signum, vnitatem: quare cùm sit res manifestior, q̃ vt ambigi de ea possit, rixam nobis de nomine suscitat. Etiam inter Turcas, etiam inter latrones esse dicit vnitatem. At nobis Brenti, non de Turcis, non de Iudæis, non de latronibus, sed de Catholica Ecclesia sermo nunc est: itaq; non de illorum, sed huius vnitate nunc loquimur. Scimus & malis non deesse suam vnitatem, qua nihil Ecclesiæ pernicios̃ius esse posse, in suis Moralibus docet Gregorius. Verùm nos nunc non loquimur de vnitate carnis, de qua scriptum est: A scintilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis: sed loquimur de spiritus vnitate, quam diligenter nobis commendat Paulus, atq; vt eam, supportantes inuicem in charitate, seruare solliciti simus in vinculo pacis, hortatur. Hanc autem vnitatem ab eo seruari docet Hieronymus, qui non rapitur omni vento doctrinæ, neq; in morem stulti, quasi luna mutatur. Hic locus, inquit, vel maximè contra hæreticos facit, qui pacis vinculo dissipato atq; corrupto, putant se tenere spiritus vnitatem, cùm vnitas Spiritus in pacis vinculo seruetur. Quando enim non idipsum omnes loquimur, & alius dicit: Ego sum Pauli: Alius, Ego Apollo: alius, Ego Cephæ: diuidimus spiritus vnitatem, ac eam in partes ac membra discerpimus. Quibus verbis, q̃ his, clarius depingi potuistis? An non rapimini vos omni vento doctrinę? An non in morem stulti quasi luna mutamini modò non in horas? nunc Lutheristæ? mox Caluinistæ, non ita multò post Anabaptistæ: sicut in Monasterien si ciuitate factum esse iam commemoraui mus, & fieri quotidie videmus. Deinde verò: Nónne fuimus omnes ante quadraginta hos annos pacis vinculo colligati? Eramus vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati fuimus in vna spe vocationis nostræ: vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus erat Deus & Pater omnium. Cedo Brenti, quis dissipauit, quis rupit hoc vinculum pacis? quo primùm auctore factum est, vt non idipsum omnes loqueremur? vt diceret hic, Ego sum Lutheri: alius, Ego Zuinglij: rursus alius, Ego Pacimontani, vel Swenckfeldij vel Serueti. Perfrica frontem, & ex tuis auctoribus fuisse nega. Scio tibi quàm minimum frontis esse, nondum te tamen ita pudorem omnem abiecisse puto, vt quod vel ipsa luce scis esse clarius, id negare audeas. Est igitur Ecclesiæ præcipua dos vnitas, & vnum omnium certissimũ signum, quo Catholica dignoscitur ab hæretica, quam quanto studio commendatam nobis Christus voluerit, indicat illius precatio, qua vsus est ad Patrem suum cœlestem illa ipsa hora, qua iam erat semetipsum traditurus pro nobis oblationem & hostiam Deo. Quid enim aliud præcatus tum est, quàm vt vnum cum ipso, vnum & inter nos essemus? quod non pro ijs tantùm orauit, qui tum præsentes aderant, verùm & pro ijs, qui crediturí essent per sermonem eorum: quotquot in præsenti crederent, quotquot posteris etiam ætatibus alij per alios essent crediturí: hos vt consertam coronam patri tum offerens vnionis Ecclesiasticæ cathena verè aurea colligari petiuit vniuersos, vt omnes vnum essent: ex vniuersis qui continua successione Euangelium susceperuri erant, vnam congregationem constituens, quæ propterea Catholica, hoc est vniuersalis Ecclesia nominatur, vt quæ non in aliqua orbis parte, sicut veteris religionis populus, sed vniuerso orbe: neq; ad certum aliquod tempus, sed ad consummationem vsque seculi: neq; peculiariter ex Israëlitis, sed ex omnium hominum nationibus esset cõgreganda, ad incomprehensibilem inter sese & cum ipso vnionem: quam quò diligentius retinere studeremus inter nos, nihil q̃ aliud vinculum illius pacem testamẽto nobis legare dignatus est: quin & mortis illius tam acerbæ, tam etiam ignominiosæ, non alia causa fuit, quàm vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Sed vos Brenti, & quod probis testamento per illum legatum est, repudiastis: & precationem ipsius ex incredibili quadam erga nos charitate profectam, nullum vobis fructum afferre passi estis: & immensum illud crucis & mortis illius beneficium, quantùm in vobis est, irritum & inane reddidistis: dum quod antea dispersum, postea sanguine Christi precioso fuit congregatum, id vos iterum dispersistis. Est ne hoc Brenti, Christianos esse? estne hoc Euangelium Christi profiteri? Christus ex duobus fecit vnum (fecit enim vtraq; vnum, dicit Apostolus) vos ex vno fecistis duo, ac pluram etiam, q̃ duo. Altare contra altare erexistis, cathedram contra cathedram constituistis. Obsecro vos per Deum immortalem, quid est hoc aliud, q̃ Antichristos esse? q̃ non Christi Euangelium, sed Satanæ Cacangelium profiteri? Sicut enim Christus est, qui congregat: ita Satanas est, qui dispergit. Impios illos milites, qui Christum in crucem egerunt, immanitate vestra superasse videmini. Venerunt enim impij illi, & non fregerunt crura Christi: veni stis vos speciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes, & dirupistis, ac in multas partes concidistis totum corpus Christi, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Integrum Christi corpus inter manus persequutorum in cruce permansit, & inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ, pro qua verum & viuum corpus suum in mortem Christus tradere dignatus est.

Greg. li. 41. c. 3. Eccl. s. 11. *Quæ vnitas arguat Ecclesiam.* Ephe. 4. *Hieron. in epist. ad Ephe. ca. 4.*

1. Cor. 1. *Hæretici nunc quasi luna mutantur.* Ephe. 4.

*Commendatio vnitatis Ecclesiasticæ.* Ioan. 17.

Ioan. 15. Ioan. 11.

Ephe. 2.

*Hæretici crudelio res militibus Christum crucifigentibus.* Ioan. 19. 2. Tim. 3.

*Non Catholici prius à pia doctrina discesserunt.*

Sed hic diuisionis siue dissensionis suæ causam affert Brentius, quòd priores nos à pia doctrina discesserimus. Quid autem Brenti, an non eãdem suæ quoq; discessionis à vobis causam adferunt Sacramentarij? qui quod vos nobis horrendum idololatriæ crimen impingitis, idem & ipsi vobis obijciunt, vt non magis nos vobis, quàm vos illis idololatræ sitis. Legequam scripsit epistolam ad sereniss. Regem meum Ioannes à Lasko, cui respondet Iosachimus



achimus VVestphalus: ita rem habere comperies. Deinde verò an vtrosque & impiæ doctrinæ, & peruersi Sacramentorum vsus non similiter condemnant Anabaptistæ, Swenckfeldiani, Seruetiani & Picardi? an idem sibi ius non esse dicunt, se à vobis separandi? Si satis est dicere, estis & vos non modò Catholicæ Ecclesiæ, verùm & istorum hæreticorum, qui paulò antè iurati fratres vestri fuerunt, iudicio impij & idololatræ. Sic nihil adfertur à vobis contra nos, quod non similiter ab alijs hæreticis adferatur contra vos. Nec secùs æquum est fieri, vbi permittitur vnicuiq; de doctrina iudicandi potestas, vbi accusasse, vicisse est. Sed si quis Brenti, recta ratione rem expendat, huius discessionis, qua vos à nobis nefario schismate separastis, arrogantiam, fastum, proteruiam vestram præcipuam fuisse causam dixerit. Nam cùm nonnihil gratiarum, donorumq; suorum Deus in vos sua benignitate contulisset, cùm nec ingenium vobis, nec doctrina, nec linguarum peritia, nec præclara plerisque dicendi, scribendiq; facultas deesset: has esse Dei gratias obliti (quas ille sicut non paucis Catholicis, ita vestrum quoque nonnullis largitus est) sic vos ipsos amare, sic vobis ipsi placere, sic magnificè vos efferre cœpistis, atque eò insolentiæ prorupistis, vt haud aliter, quàm si à vobis verbum Dei processisset, aut in vos solos peruenisset, illius possessione reliquos omnes excluderetis, & vniuersum orbem Christianum aut cæcitatis, quòd non videret in scripturis ea, quæ vos videre vobis videmini, aut impietatis, quòd sciens, prudensq; agnitam veritatem oppugnaret, condemnaretis. Hæc arrogantia vestra præclarum illud pacis vinculum rupit, quo fueramus inter nos in vnitate spiritus colligati. Nam cum illo, qui posteà detractus est in infernum, in profundum laci, visi estis in cœlum conscendere, super astra Dei exaltare solium vestrum, ascendere super altitudinem nubium, & esse vel le similes altissimo. Quicquid à sanctis Patribus traditum, quicquid Conciliorum auctoritate constitutum, quicquid incredibili totius orbis Christiani consensu, tot seculis est receptum, id tanquam hominum commentum reijci: quod autem vobis placuisset, id tanquèm Dei verbum ab omnibus adorari voluistis. Quorsum autem aliò spectabant hæc, quàm quòd vos pro dijs coli ab imperita multitudine cupiebatis? Et certè quæritur Osiander, quòd triginta sex loca produxerit è Scripturis, quibus habitare Deum in nobis demonstraret, neque tamen pro Dei verbo, quod è scripturis protulerat, habitum fuerit: simul vt idem hoc à Philippo dictum est, statim tanquam Dei verbum adoratum esse. Hæc itaq; diuinitatis affectatio, quæ & Cherub illum sapientia præstantem de cœlo, & primum parentem nostrum de paradiso deturbauit, vos à compage Christi corporis vna, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia diuulsit. Ac initium quidem huius rei, sicut ostendimus in præfatione nostra, profectum est ab ea, quam rectè Paulus vocat idolorum seruitutem, auaritia: cùm quem sibi suisq; deberi quæstum Lutherus putabat, eum ab alijs intercipi ferre non posset. Sed fuit ista causa quædam discessionis remotior, Cæterùm postquàm ei non defuerunt applausores, qui cùm illum solida plaustra conuitijs onusta, in mores vitamq; nostram effundentem viderent, subinde euge, euge, acclamabant: ea demùm res animum homini addidit, quò minùs cunctanter ab vnitate Ecclesiæ discederet. Nõ igitur doctrina nostra, judicio vestro parum pia, sed superbia vestra non minor, quàm fuit illius Angeli: quem de cœlo deiectum esse paulò antè cõmemorauimus, discessionis huius causam dedit. Quòd si spiritus minùs altos gessissetis, si quẽadmodum nos esse dicitis, ita & vos homines, atq; hoc ipso errori obnoxios esse, recordari voluissetis: si quod monet Paulus, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, ei parere, in animum inducere potuissetis, nunquàm hæc tam pernicios̃a & sacrilega separationis consilia amplexi fuissetis.

Ephe. 5. *Lutherum auaritiã & inanis gloria perdidit ad schysma.*

Philip. 2.

Verùm hic profert nobis exemplum Brentius ex historia Regum: In regno, inquit, Israëlitico Rex Achab, Principes Sacrificuli Baal, & maxima pars populi coniũgebantur concordia & vnitate in cultu Baalitico. Elias autem discedebat ab eis: ergó ne illi vera erant Ecclesia, quia consentiebant? Elias autem hæreticus, quia hanc consensionem deserebat? Atqui neq; Cæsares vestri Brenti, verè Catholici Reges, neque pientissimus Rex noster Sigismundus cum Achab impio Rege commune quicquam habent: neque nos sacrificuli sumus Baal, nec in cultu Baalitico, sed in cultu veri Dei populus Christianus concordia nobis & vnitate coniungitur. Et quantum est inter Eliam & iudicium venturi Christi, & Lutherum Antichristi præcursorem, tantum est discrimen inter pios Reges hos, & impium Regem Achab: inter Sacrificulos Baal, & institutos à Christo Sacerdotes nostros: inter eum populum, qui fuit illis, & qui nunc est istis vnitate coniunctus. Quòd si quemadmodum olim Donatistæ, sic vos nunc etiam de paucitate vestra gloriari vultis, & propterea vos cum paucis illis cum Elia coniunctis verè comparari posse putatis, quòd multò maior Catholicorum, q̃ veriandi viro non minùs docto, quàm sitis vos, Osiandro? qui & ipse ab ijs, qui sunt Confessionis Augustanæ, non aliter q̃ Elias ab impijs Prophetis Achab discessit: & suos hortatur, si propterea minùs auctoritatis tribuere velint doctrinæ suę, q̃ Philippianę, quòd plures sint q Philippum siue Confessionem Augustanam sequantur, vt eadem ratione se ad Pontificios conferant, qui multitudine Philippianos multò superant. Sic ille Philippianos non alio loco, q̃ quo Prophetas Achab, habuisse videtur. Interea tamẽ vide Brenti, quã verè dicas, quòd ab Achab & eius Prophetis Elias discesserit, cũ illis cõiunctus nunquã fuerit. Vos autẽ & pientissimis Regibus & Episcopis Catholicis ante triginta hos vel 40. annos ita doctrinæ religionisq; cõcordia cõiuncti fuistis, vt idipsũ sentiremus oẽs, idipsũ diceremus, idẽ saperemus. Cæterum nullum est exemplum, in quo sibi magis placeant omnes ferè nostri temporis hæretici, quàm sic hoc, quod & initio proposuit, & nunc libellum hunc suum claudens, repetit Brentius ex Euangelio, quod subinde contra nos inculcat: cùm tamen non magis

*Osiander.*

*Schismatis hodierni patres fastus, & arrogantia nouorum doctorum.*

1. Cor. 14.

Esa. 14.

*Responsio.*

*Brentius exemplã se tuetur à nota schismatis.*

*Aliud Brentij exẽplum de Caiphã & aliis in necem Christi conspirantibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ioan.11. Matth.26. Luc.23. Psal.2.*

ad nos pertineat, q̃ illud quod ex historia Regum proximè prolatum est. In occidẽdo Christo, inquit Brentius, cõueniebant vnanimi consensu Caypas, Annas, Pilatus, Principes, Pontifices, Sacerdotes, Senatores, & vulgus. Quare fremuerunt, inquit Psalmus, gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Vtamur ergo Dialectica Asoti, & dicamus hos esse Ecclesiam Dei: Iosephũ autem & Nicodemũ esse hæreticos, quod ab ijs discesserint.

*Responsio.*

Quorsum autem hæc Brenti? Vide quantùm absis à blasphemia: dum Synagogæ statum, quæ cum honore fuerat sepelienda, cum Ecclesiæ statu confers, quam fundauit Deus in æternum. Scilicet ad nouum aliquem Christum nos ducere vultis, vt quod semel de Christo Dei filio factum est, id fiat iterum? Futurum vt occideretur CHRISTVS, vt Sacerdotium legis transferretur, & alio Deo magis grato commutaretur: vt cæremoniæ Iudæorum ad coruscantem Euangelij lucem velut vmbræ quædam euanescerent, Prophetarum vaticinijs prædictum erat: deq; temporibus illis, quibus hæc facta sunt, scripserunt Prophetæ, quòd in die illa peribit cor Regis, & cor Principum: & obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ consternabuntur. Lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione. Et occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Quæ omnia, sicut scripta, sic tum impleta sunt. Sed quis vnquàm Prophetarum prædixit hoc futurum, vt posteàquam semel occisus est Christus, in credentium cordibus in æternum victurus, eum nihilominùs ab Apostolis prædicatum totus orbis ignoraret, & pro Deo coleret idola: tum quotquot in Apostolorum vices successerunt, excæcati, nihil viderent in sacris literis: deinde post mille quadringentos annos, à nescio quibus vobis Euangelistis, ad veritatis cognitionem reuocaretur. Hoc est Brenti: quod vos vulgò nimis (heu) credulo persuadere conati estis, per omne tempus id Ecclesiam caruisse Christo: stertenteq; sponso, sponsam pro Deo coluisse laruas & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cœcam: miracula Sanctorum nihil aliud fuisse, quàm præstigias dæmonum. Cedo Brenti, quibus Prophetarum oraculis hæc ita futura prædictum est: Nam quæ tu de Christo facta scribis, multis antè seculis prædixisse Prophetas legimus. Quòd si soluere Christum, hoc est, occidere Christum (Soluit autem Christum, si quid Augustino credimus, qui dirumpit Ecclesiam, qui schismata facit, qui vel Ecclesiam à capite suo Christo, vel seipsum ab Ecclesia, vel Ecclesiam in seipsa separat ac diuidit) quid potuit verius dici, quàm quòd in occidendo Christo conuenerunt vnanimi consensu Lutherus, Philippus, Brentius, Flaccius, Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Moncerus, Pacimontanus, Menno, Svvenckfeldius, Campanus, Seruetus, Pastores, atque ministri illis coniuncti? Nunquàm illi, quos tu commemorasti, tam atrociter sæuierunt in verum & viuum corpus Christi: nunq; illud ita laceraverunt & conciderunt, sicut à vobis laceratum, concisum, & in partes innumeras dissectum videre licet mysticum Christi corpus Ecclesiam.

*Augus. in 1. Ioan. Canonicâ, tract. 6. Christum soluere quid.*

*In necem Christi conuenium hæretici non minus quàm olim Iudæi.*

*Ioan.15.*

Et, interea de persequutione quærimini, & agnosci vultis in vobis veterem Ecclesiæ fortunam, de qua dictum est: Non est seruus maior Domino suo: si me persequuti sunt, & vos persequentur. Et quoniam corã huiusmodi tribunali causa cadere videbamini, ad aliud qd reliquum est, Christi tribunal appellatis, coram quo sicut nunc magna cum fiducia stare vos gloriamini, sic fore confiditis, vt in illa die summa cum alacritate stetis aduersus eos, qui vos angustiauerunt. Quid autem horum Brenti non pari ac maiore etiam fiducia dicitur à Sacramentarijs, ab Anabaptistis, & à reliquis hæreticorum portentis? Num & hi minùs gloriantur, sicut nunc magna fiducia, ita tunc summa cum alacritate se statures coram CHRISTI tribunali: Num de persequutione minùs quæruntur, non solùm quam à Christianis, verumetiam quam à vobis ferunt Lutheranis? quos ferreum iugum suis ceruicibus imposuisse quiritantur, cùm à Pontificijs ligneo tantùm pressi fuissent: sicut ex ijs, quæ scripsere Ioannes Caluinus, & Ioannes à Lasko contra Ioachimum VVestphalum, iamanteà demonstrauimus. Ac sicisti quidem de vobis quæruntur, nihilo tamen & ipsi minitiores in alios non solùm hæreticos, verumetiam Catholicos: quorum nonnullos publica lege lata extremo supplicio damnandos censuerunt, qui ad cor redeuntes, ad eam quam deseruerant, religionem sunt reuersi: quos etiam extinctos humoq; sepultos exhumari curauerunt. Docuit hoc (inquit Robertus Præsul Arboricensis in libello, quem hoc anno scripsit, De compescenda hæreticorum petulantia) cuiusdam personæ triste cadauer, post sepulturam vestro iussu cruci affixum, quòd præteritæ eius mens conscia culpæ, ad correctionem peteret ac repeteret sibi ministrari Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta. Parco, inquit, nomini, quod me etiam tacente norunt omnes Lutetiæ municipes. Parcit ille quidem nomini, sed palàm est, id à Sacramentaris factum esse Geneuæ proculdubiò: nam ibi fas non est morituris Eucharistiæ Sacramentum dare. Quid autem crudelius & immanius fieri potuit? Quas vos non excitaretis tragœdias, si quid eiusmodi fieret à Catholicis? apud quos vt exhumentur aliquando mortui, supplicium tamen de exhumatis non sumitur. Quod autem ita graue facinus fuit admissum, vt in exhumatum cadauer tantoperè fœuiendum esse putarent? Moriturus Christianus, viaticum sibi CHRISTI corporis & sanguinis administrari cupiebat. O facinus plus quàm Tragicum. Cæterum de Serueto quid statuerit idem Caluinus, & quemadmodum edito libello rectè in hæreticos gladio vindicari docuerit, à nobis est superiùs commemoratum. Cuius discipuli clamant, cùm scripturis eum superare non posset, à vi & armis præsidium Caluinum esse mutuatum. Verumabsit, vt nos Caluini de Serueto factum improbemus, quin laudamus potius. Si quod ille de Serueto fecit, factum idem fuisset ante triginta annos de primo hæreseon harum omnium architecto, nullum insigne magis exemplum diuinæ cuiusdam clementiæ edi potuisset. Seruatæ fuissent tot myriades rusticorum, quibus libertas Euangelica, quam vos prædicatis,

*De vana fiducia hæreticorum.*

*Vi comprimendos esse primos hæreticorum conatus, ne vel pauci noceant.*



stis, non solùm libertatem eripuit, seruitutemq; duriorem effecit, verumetiam & corporum & animarum exitium quàm plurimis attulit sempiternum. Neq; tot Principes partim cæsi, partim capti, neque tot viri nobiles interfecti, neque tot & tantæ fuissent in Germania calamitates cõsequutæ: nec haberemus nunc Psychotirannos istos Brentios, Caluinos, Svvenckfeldios, & qui sunt de grege Picardorum & Anabaptistarum: qui cum longè grauissimè sæuiant in animos plurimorum mortalium, iniuriam sibi tamen fieri putant, si quas à Christianis & Orthodoxis persequutiones patiantur: cùm ipsi tamen hæretici persequantur hæreticos, neq; cùm ipsi discrepent ab orbe terrarum, ferant ab opinione sua dissentientes. Præclarè scriptum est ab Hieronymo: Scintilla res parua est, & penè, dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamuis paruus ignis inuenerit, mœnia, vrbes, latissimos saltus, regiones q; consumit. Fermentum quoque res modica videtur & nihili, sed cùm farinæ conspersum totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne quod mixtum est. Ita & doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores: sed paulatim cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur & scintilla statim, vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum: secanda putridæ carnes, & scabiosum animal à cauis ouium repellendum: ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est. Sic & in Saxonia Lutherus vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, quantum ex ea sit incendium excitatum, quis est, qui siccis oculis commemorare queat? Digna vox est Bernardi, quæ celebretur: Auferatur malus, ne malos generet. Melius est vt pereat vnus, quàm vnitas. Sed & Chrysostomus: Si quis, inquit, arrepto igne, domum hanc demoliri & incendere, altaréque hoc diruere conaretur, nunquid quotquot hic estis, lapidibus eum velut scelestum & improbum obrueretis? Quid igitur agendum cum eo, qui flammam infert tali igne voraciorem, non lapidibus ædificatas domos demolientem, neque altare aurum subuertentem ac deuastantem? Hoc faciens, qua quæso venia dignus erit? Quid verius dici potuit? Quod si fax illa furialis priùs extincta fuisset, quàm vel vnam domum aliquam inflammasset, non ita multa nunc in orbe Christiano passim incendia videremus. Adeò verũ est, quod ille dixit: Sæuit in bonos, qui parcit malis. Sæuit in pios, qui parcit impijs hæreticis. Nulla est maior crudelitas, quàm in arcendis hæreticis benignum & clementem videri velle. Quòd si Saul Rex graues dedit pœnas, qui præpostera quadam sua misericordia pepercit Agag Amalechitarum Regi: quantò maiora supplicia manent eos Principes, qui non modò parcunt hæreticis, verumetiam receptum illis in terris suis dari permittũt: nec mouentur ea re quicquam, si quàm plurimos pestilentissimis eorum erroribus infici videant? Certè non minorem hi culpam sustinent, quàm illi ipsi, per quos miseri mortales doctrinis varijs & peregrinis abducti, in barathrum inferni præcipitantur, & incendijs gehennæ traduntur sempiternis: neq; minus ab illis, quàm ab his in illa tremenda die, quando cœli monendi sunt & terra, suppliciorum exigetur. Rectè nanq; dictum est ab Ennodio: Nõ est grandis differentia, an lethum inferas vel admittas: mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cùm possit, non excludit. Error, cui non resistitur, approbatur: & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippè, cùm possis prohibere peruersos, nihil est aliud, q̃ fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Quid prodest, inquit Pius Pontifex, illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Consentire autem videtur erranti (si quid Gregorio credimus) qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Verùm hac de re Principes ipsi viderint, quemadmodum suæ, suorumq; saluti prospiciant, neq; corporum saluti modò, verùm & quæ multò sunt pretiosiores, animarum.

*Hier. in c. 3. Ezech.*

*Bern. epi. 12 ô. Chrys. hom. 7. in epistol. ad Rom.*

*Principium est in hæreticos animaduertere. Ennodius in libro I defensorio duarum synodorum sub Papa Symmacho habitarum. Damasius epistol. 3. Pius epist. 1.*

Nam coram quo tu futurum scribis, vt vos magna cum fiducia stetis, omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Qua vos in re fiduciam vestram collocaturi tum sitis, nescio, qui vos abs ipsius Iudicis Christi corpore separastis: nos certè non in alia magis re figem nostram omnem defixam sumus habituri, quàm quòd vniuscuiusque nostrum portio, caro & sanguis, est in eo ipso, quem Iudicem expectamus, IESV CHRISTO Domino nostro. Vbi portio nostra regnat, ibi nos quoque regnaturos credimus: vbi caro nostra glorificatur, ibi nos fore glorioſos confidimus: vbi sanguis noster dominatur, ibi dominaturos & nos perfuasum habemus: Etsi peccatores nos agnoscimus, de communione tamen ista confidimus: & si peccata nostra nos prohibent, substantia tamen requirit: & si delicta nostra nos excludunt, naturæ communio non repellit. Non est tam immitis Dominus, vt obluisca tur hominis, quem ipse gestat, quem nostra causa suscepit, propter quem horrendum ignominioseq; mortis supplicium adire dignatus est. Non est tam asper & crudelis, vt non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. Caro tua sumus. O Iudex viuorum & mortuorum, sanguis tuus sumus, membra tua sumus: qualiacunque tandem, sed membra tamen esse tua nunquam desijmus: nunquam nos à corpore tuo, nunquam ab Ecclesia sancta tua, vel per hæresim aliquam, vel per schisma præcidimus. Carnem tuam Domine ne despexeris, carnem tuam odio ne habueris, carnem tuam ne condemnaueris. Nulla est maior spes, fiducia, gloriatio nostra, nisi quòd tu caro nostra es, quòd nos caro tua sumus. Non gloriamur de meritis nostris, non habemus in illis præcipuè fiduciam nostram collocatam: de hoc solo præcipuè gloriamur, in hoc solo maximè confidimus, quòd membra sumus illius corporis tui, quod pro nobis passum, crucifixum & mortuum, abundè pro peccatis totius mundi satisfecit. Quamobrem si merita à nobis requiris, ecce proferimus

*1. Cor. 5. Quanto maior & melior fiducia Catholicarum quam sectariorum coram tribunali Christi.*

*Auctoris ad iudicē Christum pia precatio & Catholica simul protestatio.*

tibi merita corporis tui, quòd cùm de nostro sit, nostra sunt & illius merita: proferimus tibi meritum passionis tuæ, meritum crucis tuæ, meritum mortis tuæ. Hæc sunt merita nostra, quæ tu clementissime Domine nobiscum pro immensa benignitate tua communicare dignatus es: secundum hæc merita abs te iudicari postulamus: his meritis freti, coram tribunali tuo nos intrepidi sistimus. Nostra sunt, quia nostri sunt capitis: nostra sunt, quia nostri sunt corporis, à quo nos nefario schismate nunquam præcidimus. Hæc merita interponimus inter nos & inter Iudicium tuum: aliter Iudicio tecum contendere nolumus: de quo solenniter protestamur. Cum hac fiducia Brenti, nos accedemus ad tribunal Christi: hoc solo freti, quòd caro illius, quòd sanguis illius, quòd membra sumus corporis illius, nec aliter coram illo causam nostram perorabimus. Cæterùm vos Brenti, num aliquid in illius carne & sanguine spei collocare, num pari cum fiducia illius corporis merita vobis vendicare poteritis? à quo non ipsi modò vos per sacrilegum schisma præcidistis, verumetiam tot præcisionum, tot sectarum alijs duces & auctores fuistis: ac multò crudeliùs mysticum Christi corpus trastis, quàm impij milites viuum illud, quod in crucem egerunt. Nam illi, sicut prædictum erat, os non comminuerunt ex eo: vos autem quas ex eo particulas non fecistis? Ego verò non dubitauerim affirmare, quamuis nihilo sitis nobis meliores, si tamen admirabili quadam essetis vitæ sanctimonia conspicui: si fidem, de qua sola gloriamini, tantam haberetis, vt ea etiam montes transferre possetis: si facultates vestras omnes in cibos pauperũ erogaretis: deniq; quod magis mirum est, si corpora enim vestra omni genere suppliciorum excruciandа pro Christi nomine traderetis: nihil hæc vobis omnia coram illo Christi tribunali profutura: si quidem extra Christi corpus nulla sunt merita, quæ prodesse queant. In Christi corpore valent, quicquid valent merita nostra.

*Misera fiducia Brentij, qua sese & suos coram Christi tribunali consolari tentat.*

*Exodi 12.*

*1. Cor. 13.*

Quamobrem redite Brenti, redite eò, vnde discessistis. In Ecclesia nostra Catholica nati, vel renati potiùs, Christi corporis membra facti estis. Ab hoc vos corpore nefaria præcisione separastis, quando ex ea, in qua renati estis, exiuistis. Nolite existimare, quòd vos Ecclesia Dei persequatur: errorem vestrum persequitur, non vos: illum extinctum cupit, non vos. Nihil est hac matre nostra clementius, nihil indulgentius. Simul vt errores vestros agnoueritis, & aliqua resipiscentiæ signa dederitis, summa cum alacritate vos haud aliter atq; prodigum filium benignus ille Pater obuijs (quod aiunt) vlnis redeuntes excipiet: & erit maius gaudium super vno peccatore conuerso, quàm super nonagintanouem iustis. Hanc vt vobis mentẽ Deus tribuat, supplices clementiã illius imploramus. Vtinã aũt ille nobis aliquando dies illucescat, quo vos ab erroribus vestris resipiscentes, ad Ecclesiæ gremiũ reuersos videamus & gaudeamus. Nullũ spectaculum oculis nostris iucũdius accidere posset. Tũpri mùm agnoscere tis, quas vos nunc persequutiones vocatis, eas medicinas tantùm fuisse, quibus sitiens vestræ salutis mater Ecclesia vos ad sanitatem reuocare conabatur. Sed hæc auersus Prolegomena Brentij scripta sufficiant: cuius nos cùm caput illud tractaremus, deauctoritate scripturæ, secundam Pericopen vidimus. Posteaquam verò finem huic operi imposuimus, peruenit & prior in manus nostras. Nobis verò propositum non fuit, nisi ea tantùm confutare, quæ Serenissimo Regi nostro per Petrum Paulum Vergerium dicata sunt. Non defuturos confidimus, qui laborem etiam reliqua confutandi minimè grauatim suscipiant.

*Ad Brentium & cum eo errantes ad hortatio Episcopo digna.*

*Luc. 16.*

*De consilio suscepti operis admonitio.*

LIBRI QVINTI FINIS.

PER



# PERORATIO

LABES iam pientissime REX, quoad eius fieri potuit, paucissimis confutata, quæ Petrus Paulus Vergerius à Brentio scripta, se coram tua Maiestate defensurum obtulit. Nec est, quòd hæc eius generis esse putes, quasi non maximum in se pondus habere videantur: quin hæc talia potiùs esse iudicabis, vt si per eos, qui discesserunt à nobis, obtenta sint, nihil iam impedire queat quominùs & alia quæcunque velint, obtineant omnia: neque prohibere quisquam possit, quò minùs quàm longissimè, quamq; latissimè Satanismus ille, quem in exordio libri huius recensuimus, propagẽtur. Qui quòd passim iam in orbe Christiano tantos progressus fecit, cui rectiùs acceptum feremus, quàm istis, qui iudicandi de causa fidei potestatem cuiuis, etiam de fæce vulgi, permiserunt? & quominùs ab eo quisquam deterreri possit, quóve maior esset id audiendi cuiuis licentia, nihil in scripturis obscuritatis, nec præter eas recipiendum esse quicquam persuaserunt? Traditiones etiam Apostolicas in contemptum adduxerunt, vt aut Apostolicæ non esse crederentur, aut si maximè tales putarentur, nulla tamen earum obseruandarum necessitate quisquam adstrictus foret: Patribus & Episcoporum Concilijs auctoritatem omnem detraxerunt. Denique vnicuique conuenticulo se per summum sacrilegium ab Ecclesia Dei separandi, suoq; cœtui nomen Ecclesiæ vendicandi potestatem fecerunt. Ex istiusmodi dogmatum propagatione quid potuit aliud consequi, quàm quod (proh dolor) consequutum esse videmus? Iam enim tot sunt fides, quot voluntates, tot Ecclesiæ, quot hæreticorum cœtus: iam à compluribus iam eò ventum esse, verissimè Ioannes à Lasko quæritur, vt in atheismum homines inclinent, vel ruant potiùs. Et hic est scopus, ad quem tendit Satanas, ad quem intelligit se collimare non posse, nisi vijs & rationibus, quas in hoc libro suo, quem confutandum suscepimus, præscripsit satelites eius Brẽtius. Nihil est Satana superbius, ipsam vt superbiam superbia sua superare videatur: quin ipse potiùs ipsa sit superbia. Quamobrem non alia re magis offenditur, quàm quòd is, qui propter nos, nostramq; salutem vsque eò se deiecit, vt ferui speciem in se, cùm Dominus esset omnium, susciperet, & quidem nocentis ferui, & haud aliter, quàm è seruis facinorosissimus quispiam capi, alligari, flagris cædi, conspui, ad extremũ omniũ probrosissimò, & eodẽ longè acerbissimo crucis supplicio affici dignatus sit: quòd is eò sublimitatis euectus, adeò per humilitatem hanc suam & crucis ignominiam illustratus est, vt ad huius Iesu consputi & crucifixi nomen sese flectat, & submittat omne genu, non solùm eorum qui sunt in terris, verumetiam eorum, qui vel apud inferos, vel apud superos degunt in cœlis: nec vlla sit vsquam lingua, quæ non confiteatur Iesum omnium rerum Principem ac Dominum à dextris assidere Deo Patri, vt regni communis gloriæq; omnis consortem. Est hoc illi mortis instar, quòd qui consputus, qui flagris cæsus, qui cruci fixus, eum tanquam Deum ab omnibus coli videt, inuocari, adorari, glorificari. Quamobrem omnia facit, vt hanc illius gloriam, quam sibi potius deberi putat, infringat, hoc est, in quo neruos suos omnes sibi contẽdendos esse putat. Nec verò statim orditur ab eo, quod imprimis habẽt propositum, non ipsum statim caput aggreditur, cùm non ignoret, quòd si sumptum inde fuerit exordium, se non facilè quicquam esse profecturum. Sic enim hoc per omnia Deo Patri sit æqualis, quodq; par honos, par ei gloria debeatur, vt si quis populo contrarium persuadere sit conatus, non aures ei modò nõ accommodent, quicũq; Christia ni censeri gaudent, verumetiam vt ab eo manus abstineant, sibi temperare non possint. Hoc itaq; cùm exploratissimum habeat ille, quo nigil est callidius, non statim prorumpit, quòd consilium suum aperiat, sed priùs animos hominum sibi præparat, quò faciliùs impias & blasphemas opiniones suas illis inserere queat. Porrò præparandi ratio hæc est, vt assuefaciat homines nihil non agere per contentionem & inanem gloriam, de quouis doctrinæ genere iudicandi sibi potestatem arrogare, nec; moueri quicquam ea re, quòd de hoc aut illo dogmate semel iudicium Ecclesiæ intercessit, quin eò potiùs audaciæ atq; amentiæ progredi, suum vt iudicium orbis totius Christiani iudicio anteponant: nihil apud eos Patrum, nihil Conciliorum & Pontificum auctoritas, nihil tot seculorum totius populi Christiani consensus valeat: neque recipiat quicquam præter scripturas: in quibus cùm nihil obscuritatis esse persuasum habeant, sibi quisq; eas interpretandi auctoritatem vsurpet: nec sensu suo cuiquam cedant, etiamsi secùs eas esset sanctorum Patrum cœtus omnis interpretatus iam inde ab Apostolorũ tempore: priuatũ suũ sensum publico totius Ecclesiæ sensui & consensui anteponãt, ac priùs ab Ecclesia discessionem faciant, priùs Cathedram contra Cathedram constituant, & altare contra altare erigant, quàm vel in minimo de sua sententia dimoueri se patiantur. Posteaquam verò discessio semel facta fuerit vel in re non maximi momenti, quæ natura sua iudicari possit indifferens: posteaquam eò ventum erit, vt in qua Christi fide imbutus, & per Ecclesiæ Sacramenta membrum corporis eius factus est aliquis, eam Ecclesiam non tãtùm deserat, verumetiam Ecclesiam esse neget, ac seorsum colligat, iam omnibus insidijs Satanæ magis sit opportunus, & proficit in peius indies, errans, & in errorem mittens: nec est iam doctrinæ genus vllum tam pernitiosum, tam impium, tam blasphemum, quod tali, qui se vltrò ab Ecclesia Dei præcidit, non facilè persuaderi queat. Quamobrem in hoc Satanæ studium omne consumitur, vt sicut lupus ouem secernit à grege, sicut accipiter columbam ab

*Vnde Satanismus ortus hoc tempore.*

*Quibus gradibus Satanismus creuerit.*

*Philip. 2.*

Ecc 4 agmine

Universidad de Deusto
Biblioteca



agmine volantium separat: sic & ipse possit aliquem à cœtu fidelium, quæ vocatur Ecclesia, segregare. Quod vbi perfecit, iam eum sic suæ potestati subiectum habet, nihil vt sit, quod ei rectè non possit imperare. Docuit hoc ipsa magistra rerum experientia. Non enim vsquam ferè factum videmus, vt subitò Satanas ad ea prosiliret inculcanda, quæ simul vt essent prolata, mentibus hominum horrorem incuteret: qualia sunt, nullum vt esse Christianorum Sacerdotium, nullũ sacrificium crederetur, vt Christi corpus realiter esse præsens in Eucharistiæ Sacramento negaretur, & si quæ sunt alia magis etiam impia. Ab his grauioribus nunquam illi visum est exordiri, quod id causæ suæ minimè iudicaret expedire: verùm in leuioribus quibusdam sic eos assuefacere voluit, à sensu & consensu totius orbis Christiani discrepare: sic quòd ipsi contrà sensissent, id solum rectum putare tueriq; mordicùs & defendere, vt impia & sacrilega separationis consilia sequi mallẽt, quàm ab eo discedere, quod semel in animum induxissent. Posteaquam verò semel ad separationis consilia ventum est, iam nihil ei fuit negotij, separatis ab Ecclesia Dei cætera quæ vellet omnia persuadere. Neq; verò nostris tantum temporibus hoc ita factum est: etiam priscis illis seculis idem legimus euenisse. Nihil autem est necesse vel altiùs rem repetere, vel abire longius, cùm à finitimis nobis Boëmis & Germanis exempla recentiora rectè peti possint. Patrum nostrorum memoria Boëmi & Moraui in re, quæ non maximi momenti videri poterat, ab orbe reliquo Christiano discessionem fecerunt: num hac vna in re discessionem fecisse contenti fuerunt? Nihil minùs: quin qua discesserant illi, qui priuata sua libidine potius, quàm auctoritate sibi calicem vsurparunt, eadem sacrilega audacia discesserunt ab illis vicissim alij, multò iam grauioribus erroribus inuoluti. Itaque multa videre licet oppida in Boëmia & Morauia, vbi posteaquam in vsu Sacramenti Eucharistiæ discessum est ab Ecclesia Catholica, multæ sunt aliæ discessiones consequutæ: ita vt vel in vna domo aliqua, varias fides inuenire liceat, dum aliud maritus, aliud vxor, aliud liberi, aliud credit familia. Quid autem? An idem in Germania non accidit hoc nostro quoque infelici seculo? An idem nuper adeò posteaquam è sui corporis diuersorio sanctus ille Pater tuus cœlestem in domum migrauit, in tuo quoque regno & adiunctis illi terris pientissime REX, non vsu venit? Vnde enim factum est discessionis initium? quod fuit istarum tot sectarum, quas in tuis quoque terris tam dissectas videre iam licet, exordium? A minutioribus quibusdam in speciem cœptum est. Sed euenit illud quod scriptum est: Qui modica spernit, paulatim decidit. Modicum quiddam visum est initiò, vesci carnibus in Quadragesima vel Prosabbatho: quod cùm necessitate fit exigente, certum est nihil in eo piaculi committi. Cùm autem id ex contemptu fieret, cùm Ecclesiasticas traditiones pro nihilo ducere, homines audaces & sibi placentes assuescerent, paulatim decidentes, vide quò tandem sint impietatis prolapsi. Magna iam ex parte non de calice laborant, aut de vxoribus Sacerdotibus permittendis, neque contenti sunt plerique deiecisse imagines, Christi crucifixi simulachra nullo contumeliarum genere non affecta concidisse, & Sacerdotium & sacrificium abrogasse, sacra simul omnia peruertisse, ipsum etiam sacrosanctum in Eucharistiæ Sacramento Christi corpus è templis eiecisse, & (proh facinus horrendum) pedibus conculcasse, & eius generis alia pleraque patrasse, quæ vix vlli, quamlibet etiam immanes barbari, fuerant designaturi: quos immanitate sua non nulli superasse minimè contenti, huc tandem impietatis proruperunt, vt inter capita suæ confessionis hoc etiam ponere non dubitarent: solum Deum Patrem, & neminem alium adorari & inuocari debere, quòd ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere possit. Et est præceptum veteris legis, vt qui quenquam alium adorauerit præter Deum solum, occidatur. Ad quem Deum, alium intercessorem, procuratorem & mediatorem habeamus nullũ, præter vnum Dominum IESVM CHRISTVM. An autem hæc non est ipsissima Seruetti hæresis? qui pridem iam extinctos Arrij & Macedonij errores, hoc infelici seculo nostro nobis in lucem reuocauit? Potuisset autem huc audaciæ progredi quisquam, vt hæc assereret, à quibus piorum aures abhorrent omnium, nisi priùs ei persuasum fuisset, quod in hoc suo libello docet Brentius: etiam ea, de quibus decreta legitimorum Conciliorum intercesserunt, iterum in disceptationem vocari fas esse? quòd nihil Patrum, nihil Conciliorum, sed Scripturæ solius valere debeat auctoritas: extra quam recipi nihil oporteat, de qua cuiuis etiam è vulgo iudicare liceat, quæ cùm obuia sit cuiusq; sensui, quò minùs eam interpretetur arbitrio quisq; suo, prohiberi nemo debeat. Hæc ferè summa est eorum, quæ in suis his Prolegomenis persuadere conatur Brentius: quæ se coram tua Maiestate defensurum offert Vergerius. Quæ si recepta sint (quod pro sua misericordia prohibere Deus velit) sibenè sopitos Arrianorum ignes suscitare, deq; doctrina religionis, quin & de Conciliorum decretis vnicuiq; sibi Iudicium arrogare licitum fuerit, credat Maiestas tua, quòd breui tempore Christiani esse desinemus, & pro Christianis non iam Lutherani tantùm aut Zuinglianni, verumetiam & vocabimur, & erimus Arriani: neq; deinceps amplius Christum esse Deum profitebimur. Verùm absit, vt in pij cuiusquam mentem hæc tam impia cogitatio veniat vnquam. Quin autem huc spectent consilia Satanæ, dubium non est, quando per Brentium & eiusdem factionis alios ea profert, q̃ nos hoc scripto nostro confutanda suscepimus. Neq; verò causam video, si permissa fuerit potestas Zuinglianis aut Lutheranis, ea quæ semel auctoritate Conciliorum rectè definita sunt, in dubium reuocandi, cur eadem Seruetianis quoq; siue nouis Arrianis permitti non debeat. Quod si factum sit, nihil est quod quisquam hæsitet, quin Ecclesiæ Dei plus negotij sit exhibitura Seruetiana, quàm vlla hæresium: cùm nulla sit vel in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis exercitatior, vel diuinæ legis oraculis instructior, vt semper cum eis disputationem Catholici declinauerint: quam quoties effugere non licuit, Patrum illis traditiones obiecerunt potius, quàm vt scripturarũ armis cõgredi voluerint, sicut in hoc scripto nostro locis aliquot à nobis demõstratũ est. Cùm

*De Boëmis & Moraus.*

*De Germa. & Polonis.*

*Eccl. 19.*

*Summa Prolegomenorum Brentij.*



Cùm itaq; non obscurè videat Maiestas tua, quorsum tendant Satanæ conatus, nimirum vt Christi gloriam obscuret, & illius immensi beneficij memoriam, quo nos pro nobis in cruce moriens afficere dignatus est, obruat obliuione sempiterna, quam etiam ob causam & Christmatis vsum, & cruce signandi morem, tot ledorijs, & scommatibus insectatur, hæc inquam, cum vel ipsa luce clariùs perspiciat Maiestas tua, cùm ab alijs impijs dogmatibus tum ab ijs quæ traduntur in hoc Brentij scripto, quod refellimus, diligẽter tibi cauendum esse putabis. Hæc enim sunt, quæ Satanismo fenestram aperiunt. Quem si tu voles ex regno tuo, terrisq; tibi subiectis exterminatum, sicut velle certè debes (nam & Catholici Regis officium hoc abs te requirit, & patriæ leges exigunt, & fides, quam iureiurando firmatam, quando capiti tuo diadema Regium imponebatur, cùm Ecclesiæ Dei, tum regno tuo obstrinxisti, modò nõ edita voce flagitat, vt hoc tam periculoso tempore præstes tandẽ, quod iuratus promisisti, si voles igitur exterminare Satanismum ex ijs populis, quos clementiæ tuæ regit Imperium, laudatissimorum Imperatorum Gratiani, Valẽtiniani, Theodosij, Martiani, vestigia sequutus, non modò non feres, vt iudicandi sibi potestatem de religionis doctrina quiuis arroget de populo, verùm ne disputare quidem, nec in disceptationem ea vocari permittes, quæ semel in Concilijs Oecumenicis iudicata, rectèq; sunt disposita: sed cum eos populos tibi subiectos in ea religione versari iubebis, quam Petrus Apostolus tradidit Romanis, quam successores eius Pontifices Romanos semper esse sequutos, ac nunc etiam sequi claret, quàm ex quo tempore Christi susceperunt Euangelium maiores tui Poloniæ Reges, vnà cum subiectis Imperio tuo populis, non tantùm ab ea non defecerunt vnquam, verùm sic in ea se per hos propè sexcentos annos gesserunt, vt ex integrè, inuiolateq; conseruata Christiana religione, summam pietatis & constantiæ laudem retulerint. Quare si tibi dixerit aliquis, Ecce hic est Christus, Ecce illic, Ecce in solitudine, non exeas: Ecce in penetralibus, non credas, quin ibi potius Christum esse persuasum habeas, vbi corpus eius est, Ecclesia. Porrò Ecclesiam ibi esse ne dubites, vbi sancti Maiores tui piè, sanctèq; tot seculis Deum coluerunt: vbi tu quoq; Christi corpori per Baptismi Sacramentum insitus, Christi nomen primum audiuisti, & Euangelicis præceptis institutus, Christianus dici & esse cœpisti. Hanc & non aliam Ecclesiam esse Dei sic tibi persuasum sit, nunquam vt secus aliquid persuaderi tibi patiare. Nec vlla tibi magis, quàm separationis consilia fugienda esse putes, quæ verissimè pernicioſa vocat Augustinus & sacrilega: quæ quantoperè Deus execretur, vel exemplum in Chore, Dathan & Abiron editum, documento nobis esse potest. Sed quid est necesse longius exempla petere? Quæ Petricouiæ, vbi Comitia regni maiora haberi consueuerunt, proximo superiore anno acciderunt, tenes proculdubio memoria. Domus illa in qua de separationis consilijs actum est, quemadmodum turbine discecta sit, non ignoras: neque dissimilè quiddam factum est de magnificis regni Consiliariorum ædibus, simul de ea domo, in qua tu cum illis de rebus ad salutem regni tui pertinentibus, deliberationem suscipere consueuisti: quin & regia tua non fuit in tacta. Noli putare fortuitò hæc ita euenisse. Nam quid impediuisset alioqui, quò minùs idem fieret de oppidanorum ædibus, quæ magis etiam esse videbantur eiusmodi casibus opportunæ? Sed quòd in illam potissimum domũ tempestas desæuijt, in qua de separationis consilijs deliberatio fuit habita, & reliquarũ etiam tecta disturbauit, vox quædam fuit Dei consilia separationis detestãtis, simul & tibi, & ijs qui tibi sunt à consilio denunciantis, nisi fortiter illis restiteris, nisi grauiter Catholici Regis, Catholicorumq; Senatorum officio functi fueritis, futurum, vt sicut nunc in fastigia domorum, sic non ita multò post in capita quoq; vestra multò grauior tempestas desæuiat. Siquidem approbari videntur sacrilega separationis consilia, dum viriliter eis non resistitur: per eos præsertim, qui & possunt & debent. Vtinam sim falsus vates, sed nisi maturè prospẽ tum, nisi tempori pestilentibus ijs consilijs obuiam itum fuerit, quæ Germaniam, quæ non ita multò antè Angliam quoq; calamitates peruaserunt, eædem & nobis veniunt expectandæ. Mirum est autem, quorum exitus perhorrescimus omnes, eorum imitari facta plerosq; minimè formidare. Sed hæc, quorum in hoc seculo nobis metus impendet, leuiora videri possunt. Nam quantacunq; sint, finem tamen aliquando consequuntur. Cæterùm ea q̃ sunt horrenda, quæ Iudex ille viuorum & mortuorum ab ijs expetiturus est, qui cùm semel corpori suo fuissent insiti, ab eo se per sacrilegium schismatis præciderunt? Nulla potest esse vis orationis tanta, quæ pro dignitate possit eorum atrocitatem explicare. Quantò pluris est anima, q̃ corpus, quantò sunt æterna & nunq̃ finienda caducis istis ac momentaneis grauioribus expectandæ, quantò maior fuerit in hac vita peccatorum impunitas. Tardiatem Deus supplicij grauitate compensare consueuit. Quam etiam ob causam celebre dictum illud habetur, quòd nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. Sed nolo pluribus, ne de tua constantia dubitare videar. Hoc tantùm abs te peto, nostrum vt laborem hunc tua potissimùm causa susceptum, boni consulas. Qui non alio magis consilio susceptus à nobis est, q̃ quòd honori tuo, quodq; saluti tuæ, pro virili nostra prospectum esse cupiebamus.

Est ne mortalium quisquam, qui tibi pluribus & maioribus, quàm ego, sit beneficijs obstrictus? in quem tu tot tam illustria minimè vulgaris gratiæ tuæ documenta dederis? Quæ iudicio multorum esse cumprimis expetenda videntur, an ea plena manu (quod aiunt) in me non contulisti? In me, inquam, non modò nihil tale cogitantem, verùm etiam vt alijs potiùs honores istos mandares, quibus imparem esse me iudicabam, semel atq; iterùm precibus abs te contendentem. Ego verò quæ tantoperè vulgus admiratur, quorum adipiscendo

*Ad Regem adhortatio.*

*Polonicis, turbine dissectis anno 1536. 24. Septem.*

*Integritas & modestia præclara Scriptoris.*

*Matt. 24.*

*Aug. li. 3. contra epist. Parmeniani. cap. 2.*

*Num. 16.*

*Omen de ædibus*

*Ex sententijs Aug. sententia 42.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dorum causa, nullos à plerisq; labores non susciꝑi, nulla pericula non adiri video, nunquam ea mihi maximi faciẽda esse iudicaui. Quin si qua necessitas id exigat, præcipuè veeò, si Christi causa postulet. huius ipsius Christi fretus auxilio, maiore cum alacritate, quàm susciꝑi, fumosistos dimiserim, quibus multorum oculi perstringuntur. Quamobrem non hæc sunt, quæ mihi maximi facienda esse putaui, non opes, non honores, qui Dei primùm beneficio, deinde tua quoque liberalitate mihi meritis meis ampliores obtigerũt, sed iudicium istud tuum de me, sed voluntas ista tam propensa augendi & honestandi mei: hæc verò sunt, quæ me tibi sic deuinxerunt. vt cùm dignitatis, tum salutis tuæ causa nihil non & facere, & pati semper sim paratus. Quamobrem cùm hoc ab hæreticis agi viderem, quandoquidem intelligunt se pietatem tuam in suas partes pertrahere nulla ratione posse, vt saltem nuncupandis nomini tuo libellis, quasi cum illis faceres, tibi suspicionem conflarent: simul omnes machinas adhiberent, quibus de tuo statu dimoueri tamen aliquando posses, credibile non est, quanto dolore exarserim, cùm eos in contaminandum nomen tuum, in oppugnandam salutem tuam, tanto studio incumbere perspexissem. Qua quidem in re nemo fuit ex omnibus audacior Vergerio, qui tibi Christiano, Catholico & Orthodoxo Regi, persuadere se posse putauit, vt Ecclesiæ Polonæ caput te constitueres, deq; doctrina religionis iudicandi tibi potestatem arrogares, quò sic, qui profitemur hactenus nos credere sanctam Catholicam Ecclesiam, profiteremur iam deinceps, nos credere non Catholicam, sed Polonam Ecclesiã, sacrilega diuisione nos ab orbe reliquo Christiano separaremus: quod pro sua misericordia procul Deus auertat. Hanc effrenatam hominis audaciam tuli grauius, quàm vt silentio dissimulare possem. In hanc igitur harenam, prouocatus ab eo, descendi, vt quam ille nomini tuo labem inferre conatus est, eam abstergere pro virili mea contenderem.

*Studium Vaulij Vergerij.*

Nouisti me pientissime REX: in tuis & sancti tui parentis oculis assiduè versatus, bonam vitæ meæ partẽ traduxi: non ego tibi vel opibus, vel oris dignitate vel fumosis imaginibus, vel alijs hoc genus aut corporis, aut fortunæ bonis fui commendatus vnquàm: cæterùm si qua fuerunt in me, quibus hæc ornamenta deberi putares, quæ tu pro bonitate magis tua, quàm pro meritis vllis meis tam prolixè, tamque liberaliter in me contulisti: si quæ fuerũt, inquam, quæ tu spectanda iudicares in me, quo tempore tantam tuam solicitudinem deme in Episcoporum Collegium cooptando declarasti, nihil eorum decessit, postea quàm sum Episcopus designatus. ad studium verò sacrarum literarum permultum accessit. Etenim vocationis meæ memor, totos octo annos hos, quibus indignus ego, sic Deo permittente, sine modò non compellente, Episcopum ago, non in alia re magis, quàm in meditatione diuinæ legis consumpsi: neq; studij, laboris, diligentiæ quicquam prætermisi, quò possem eorum dogmatum non omninò rudis esse; de quibus hoc infelici seculo nostro tam graues controuersias excitatas esse videmus. Quò fum autem illa perscrutatus diligentiùs, hoc in ea fide Catholica & Orthodoxa magis acquieui, quàm à sanctis Maioribus nostris per manus nobis traditam accepimus. Non te fallo pientissime Rex, non te fallo: Sic in extremo die meo propicium experiar Iudicem illum viuorum & mortuorum, non te fallo. Cur autem fallerem? quam vtilitatem inde caperem? Egóne & tuam & meã ipsius animam orco tradere conarer? Nullum tam suaue meritum est. Errare possum: prudens & sciens agnitam veritatem oppugnare non possum. Extremæ fuerit hoc cuiusdam improbitatis, quam in mores meos non cadere, à qua vitam meam omnem abhorrere, tu scis ipse Dõmine mi REX. Quòd si me talem existimas, vt secùs loqui, secùs me scribere credas quàm sentio, dignus non sum, quẽ vel in terris tuis feras, vel huius lucis vsura frui patiaris. Sed ego nihil ambigo, quin idem sit nunc etiam iudicium de me tuum, quod fuit ante annos octo, quando me tanta voluntate tua vnum ex ijs esse iussisti, quibus de doctrina religionis iudicandi potestas est permissa, Iudicium hoc tuum neque fefelli, neque fallo, neque fallam quoad vixero. Sed nec errare perniciosè queo pientissime REX, quandoquidem eam ducem sequor, & illius me iudicio submitto, quæ neque fallere scit, neque falli potest, quæ columna est & firmamentum veritatis, vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Equidem precari Deum sæpè soleo, priùs vt mihi mentem omnem eripiat, quàm vt hac me præditum esse mente velit, vt orbem totum Christianum despere, me verò solum sapere persuasum habeam, vtq; priuatũ meum sensum publico totius Ecclesiæ sensui & cõsensui anteponam. Non igitur eorum incedo vestigijs, quos insipientes Prophetas vocat Ezechiel, qui sequũtur spiritum suum, & nihil vident. Non ego vel meum, vel cuiuscunq; tandem alterius priuatum, sed eum, qui publicè promissus & missus est, Ecclesiæ spiritum sequor: quem esse spiritum veritatis manifestius est, quàm vt vllus dubitationi locus esse queat. Interea verò Deo gratias ago, cuius & hoc agnosco beneficium, quòd etiam priuatus sensus meus cum publico totius Ecclesiæ sensu pulcrè congruit, vt indubitanter ex animo esse vera credam omnia, quæcunque illa magistra didici. Quamobrem cùm idem nunc sim, qui fui tum, quando tam illustri gratia, tamq; propenso studio tuo, statim vt ad regni gubernacula accessisti, me in Episcoporum album referri voluisti; si ad sacrarum literarum studia accessio potiùs aliqua ex eo tempore facta est, quàm vt quicquam decesserit: si quàm longissimè ab eo absum, secus vt aliquid sentire velim, quàm aut loquor aut scribo: si & in loquendo, & in scribendo non meum aut cuiusquam alterius priuatum, qui falli potest & fallere, sed Ecclesiæ Dei spiritum sequor, quem constat spiritum esse veritatis. si denicq; fides erga te mea, si tua diũ & obseruantia spectata tibi satis est, & probata: ne dubita pientissime REX, mihi potius credere, quem nosti, quàm nescio quibus alijs qui tibi vel ignoti sunt, vel in pessimam partem plus ꝙ satis noti: & quæ vel scribũtur, vel etiã dicuntur à me, sic accipe: secùs vt nõ possit

*Precatio Catholici imitanda.*

*Cap. 1.*

*Epiſcopi Hoſij ſedulitas & induſtria.*

*Obtestatio Epiſcopi ad Regem ſcripta.*



sim, etiamsi coram ipso Deo, qui scrutatur cordis abdita, sit dicendum: cùm nihil sit quod minùs in me cadere queat, quàm vt aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habeam. Quòd si vel morte mea salus ac tranquillitas Ecclesiæ repræsentari posset, equidem non dubitanter eam oppeterem, illius auxilio fretus, qui cùm inimici essemus, mori pro nobis & horribili supplicio crucis nos ab æternis gehennæ supplicijs liberare, Deoq; Patri cœlesti morte sua reconciliare dignatus est. Sed ego nullam aliam repræsentandæ salutis, & restituendæ tranquillitatis Ecclesiæ Dei viam & rationem inuenio, quàm si ordo in illa retineatur, si ad quod quisq; ministerium vocatus est, illud implere conetur: si prima quidem Scripturis auctoritas tribuatur, sed proximũ ab ea locũ Ecclesiasticæ Traditiones obtineãt: nec in Scripturarum interpretatione suum quisq; priuatum, sed Ecclesiæ Catholicæ sensum & consensum sequatur: sacrilega separationis consilia haud aliter atq; præsentissimum venenum fugiantur: si denique omne studium ab ijs, qui debent & possunt, impensum fuerit in vnitate spiritus in vinculo pacis retinenda: quò sic omnes vnum corpus & vnus spiritus effecti, vnanimes vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi: cui sit laus, honor & gloria in sempiterna secula.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DE EXPRESSO DEI VERBO LIBELLVS,

HIS TEMPORIBVS ACCOMMODATISSIMVS,

ITEM,

DIALOGVS TRIMEMBRIS,

De Sacræ Eucharistię ſub vtraque ſpecie communione.
De Sacerdotum coniugio.
De celebrando Sacro vulgari lingua.

*Auctore Reuerendiſs. D. Domino STANISLAO HOSIO Cardinale, Varmienſi Epiſcopo.*



# SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO,

## DEI GRATIA REGI POLONIAE, MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIÆ, SOMOGITIÆQVE

*Domino & Hæredi, Domino ſuo clementiſſimo, STANISLAVS HOSIVS Cardinalis Epiſcopus Varmienſis, orationes & obſequia ſua reuerenter commendat.*

DE expreſſo Dei verbo, vt aliquid ad te ſcribere aggrederer, Sigiſmunde Rex Auguſte, fecit effrænata noſtri temporis hæreticorum audacia, qui quamuis ipſi mirabiliter inter ſe diſſecti, ſic illud nihilominus certatim ad ſe ſingulę ſectæ rapiunt, ſic ſibi ſolis vſurpant, vt eius poſſeſſione, cùm alios omnes, quotquot ab ipſis diſſentiunt, tum Catholicos etiam & Orthodoxos excludere conentur. Tanta enim eſt iſtorum hominum arrogantia, tanta ſui obliuio, vt alios omnes ſtupidos, bardos, ac truncos eſſe, nec in ſcripturis videre quicquam: ſe verò ſolos ſapere, ſe ſolos eſſe perſuaſum habeant, qui ſint veram earum intelligentiam aſſequuti. Eſtne autem veriſimile vbi tantus eſt animi tumor, tanta mentis inflatio, quod ibi poſſit eſſe ſpiritus ille, qui non requieſcit, niſi ſuper humilem & manſuetum, & trementem ſermones ſuos? Præclarè dixit Sapiens: Vbi humilitas, ibi ſapientia: vbi tumor & inflatio, ibi ſtultitia: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. In conuallibus, vt ait ſanctus ille Rex & Propheta, non in montibus emittit gratiæ ſuæ fontes Deus. Abſcõdit à ſapientibus & prudentibus myſteria ſua, reuelat autem ea paruulis. Itaq; nulli minus intelligunt, quid ſit expreſſum Dei verbum, quàm qui de eo maximè gloriantur, quiq; ſic ſibi ſolis illius intelligentiam arrogant, vt quod eſt in prouerbio, cornicum oculos cõfingere velle videantur.

*Effrænata noſtri temporis hæreticorum audacia, arrogantia & ſui obliuio.*

*Eſaiæ 66.*

*Prouerb. 12*

*Rom. 1.*

*Pſal. 103.*

*Matth. 11.*

Neq; verò nouum eſt hoc: Proprium hoc ſemper fuit hæreticorum, de expreſſo Dei verbo gloriari, ſibiq; ſolis illud vendicare. Quin & ante Chriſtum natum, quo alio quàm verbi Dei obtentu, pſeudoprophetæ populum ſeducebant? Cùm Hieremias Propheta triſtitia multa prædiceret, ſicut alios Prophetas Dei, ſic & illum, ijs ferè verbis præfari ſolitum legimus: Hæc dicit Dominus. An autem ijſdem verbis præfatus non eſt Ananias quoque pſeudopropheta, cùm longè diuerſa falsò vaticinaretur: quem à ſe miſſum eſſe Dominus negabat.

*Cornicũ oculos cõfingere dicuntur, qui ea quæ antiquitus probata, magno cum conſenſu damnant ac reſcindunt.*

*Hier. 28.*

Quem etiam alio loco ſic de pſeudoprophetis iſtis loquentem audimus. Falsò Prophetę vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neq; loquutus ſum ad eos: Viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem, cordis ſui prophetant vobis. Et alio loco: Nolite, inquit, audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, & nõ de ore Domini. Dicunt ijs, qui blaſphemant me: Loquutus eſt Dñs: pax erit vobis. Ac paulò pòſt, dicit eos furari verba ſua. Quem locum Hieronymus interpretatur: Semper, inquit, imitatur mendacium veritatem, & niſi habuerit aliquam ſimilitudinem recti, decipere non poteſt innocentes. Quomodo igitur in priori populo mentiebantur Prophetæ, atq; dicebant: Hæc dicit Dominus. Et vidi Dñm. & verbum Domini factum eſt ad illum, ſiue illum: Sic hæretici aſſumunt teſtimonia ſcripturarum de veteri & nouo teſtamento, & furantur verba Saluatoris, vnuſquiſque à proximo ſuo, Prophetis, & Apoſtolis, & Euangeliſtis, & aſſumunt linguas ſuas, vt cordis venena ore pronuncient. Præclarè Hieronymus cum Prophetis illis mendacibus confert hæreticos, & imitari dicit mendacium veritatem. Sicut enim Prophetæ Dei dicebant: Verbum Domini: Os Domini loquutum eſt: Hæc dicit Dominus: Ijſdem vocibus vtebantur & pſeudoprophetæ.

*Hier. 14.*

*Hier. 23.*

*Ibidem.*

*Hæreticorum mendacium, & furtũ.*

*Prophetæ Dei.*

Sed quid vtriq; vaticinati ſint, nonnihil expendamus. Arguebant Prophetæ Dei peccata populi, ad reſipiſcentiam hortabantur, ſimul imminere grauem indignationem Dei denunciabant, quòd eos gladio, fame, peſte conſumpturus, quòd ſeruituti duriſſimæ præſturus, quòd ad internecionem eſſet deleturus. Contrà, mendaces illi, quos non miſerat Dominus, neque præceperat eis: Non videbitis, dicebant, gladium, & fames non erit in vobis: Sed pacem veram dabit vobis Dominus. Curabant, inquit Propheta, contritionem filię populi cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Et ſicut dicit alius Propheta, de mendacibus iſtis qui dicebant: Ait Dominus: cùm Dominus non eſſet loquutus. Conſuebant puluillos ſub omni cubito manus, & faciebant ceruicalia, ſub capite vniuerſę ętatis, ad capiendas animas. Quam fuit iſtorum diuerſa prædicatio? dum illi terrent, vt ſeruent: hi verò palpant, vt perdant. Intereà tamẽ vtriq; vaticinabantur in nomine Domini, de verbo Domini gloriabantur vtriq;.

*Hier. 14.*

*Prophetæ falſi. Hier.*

*Ezech. 13.*

*Prophetarũ verorũ et falſorũ diſcrim.*

An autem ſimillima non eſt noſtri quoq; temporis Prophetarum ratio? Quid aliud agũt

qui legitimè missi sunt à Catholica Ecclesia, quàm quòd eadem illa populo annũciant, quę
*Ioel.1.* Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Ioël, Ionas, & alij Prophetę Dei olim annunciabant? Arguebant illi scelera populi: hortabantur, vt expergiscerentur ebrij, vt flerent, vt viularent, terroresq; magnos denunciabant. Quos ita perterrefactos hortabantur, vt se cõuerterent
*Ioel.2.* ad Dominum, vt dignos pœnitentiæ fructus facerent, quò sic tota mente correctis, pœnas eis effugere liceret, quas Dñs fuerat cõminatus. Conuersis autem ad Dominum in ieiunio & fletu, & planctu, sic demùm Domini misericordiam annunciabant: simul vetabant, ne quis
*Ezech.35.* propter magnitudinem scelerum veniam desperaret, quoniam benignus est Dñs & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia: Non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat, nec humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore nostram pręstolatur pœnitentiam, vt, si nos dignos pœnitentię fructus fecerimus
*Ioel.8.* pœniteat & ipsum suæ comminationis, & mala quæ denunciauit, non inferat, nostræq; sententię mutatione mutetur & ipse. Sic erectis in meliorem spem animis mortalium, ne forte
*Hieron.* prædicata diuinæ clementiæ magnitudo, negligentes eos & securos redderet: vide quemadmodum sermonem suum temperauerit: Quis scit, inquit, Ioël, si cõuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Quasi dicat, inquit Hieronymus: Nos quidem hortamur, quod nostrum est, ad pœnitentiam, quòd ineffabiliter clemẽtem esse Deum nouimus: quoniam verò profundum sapientiæ & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam temeperamus, & optamus potius, quàm præsumimus ignotum nobis iri peccata. Hieronymum
*Remigius Altisiodorensis Episcopus.* verò sequutus Remigius Altissiodorensis Episcopus, ante septingentos, plus minus annos: Poterant illi, inquit, respondere, quia Dñs patiens est, & multæ misericordiæ, sicut tu dicis, nõ est necesse vt affligamus nos, & agamus pœnitentiam, quia ipse miserebitur nostri, quię quid egerimus. At contra Propheta: Quis hominum, inquit, scit si conuertatur à furore iræ suæ ad misericordiam? Impossimile est hominem scire. Melius est vt agentes pœnitentiam, mereamur veniam peccatorum assequi, & quòd post actam pœnitentiam remissione peccatorum adepta, tunc offeramus sacrificium, & libamen Domino. Ad eundem modũ ante
*Rupertus Abbas Tuitiensis.* quadringentos annos, enarrans eadem verba Rupertus Abbas Tuitiensis: In ipsâ, inquit, pœnitentia, cautos esse cupit, & securitatem tollit.

*Albertus Magnus. Eccles. 7. 2. Macch. 9.* Neq; diuersum sensit ab ijs ante trecentos propè annos, Albertus quoq; non temerè Magnus appellatus, qui eadem verba explicans: Quamuis, inquit, certum sit, quòd contrito ignoscat Deus, tamen incertum est, vtrum aliquis verè contritus sit. Videbit quòd corrigi
*Genes.4. Num.15.* non possit, quem ille despexit: Orabat scelestus Dominum, à quo non misericordiam consequutus. Cain quidem obtulit, sed Deus ad munera eius non respexit. MOSES de cuiusdam dixit: Ne respicias ad sacrificia eorum. Hactenus Albertus, Vides quomodo Ioël
*Daniel. 1.* prædicauerit, & quomodo iam inde à mille ducentis annis per longam Sacerdotum & Episcoporum successionem, ad hanc ætatem vsque nostram, hæc illius verba fuerint intellecta. Neque verò solus Ioël ita prædicauit, verùm & Daniel, cum Regi Nabucodonosor somnium suum exponeret, an eum grauiter initio non perterrefecit, cùm quæ mala euentura illi essent, prædicaret? Neque tamen propterea statim desperare iussit, quin viam ostendit, qua pœnas, quas fuerat comminatus, effugere liceret. Placeat tibi, inquit, Rex, consilium meum, peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. His verbis perterrefacto, consolationis nonnihil attulit, neque tamen securum esse
*Hieron. in Daniel.* voluit. Non dixit, certò statue tibi remissa fore peccata: sed forsitan, inquit, ignoscet Deus delictis tuis. Quæ verba tractans Hieronymus: Cùm Daniel, inquit, præscius futurorum, de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter veniam pollicentur peccantibus. Glossa verò ordinaria, intollerabilem esse dicit hanc istorum temeritatem. Sic
*Niniuitarum Regis pœnitentia.* itaque Ioël, sic Daniel. Quid autem Rex ille Niniuæ, cùm Ionas Propheta fore prædixisset, quòd post quadraginta dies Niniuæ subuerteretur, indutus ipse sacco, & in cinere sedens, an populum ad pœnitentiam hortatus non est? vt operirentur saccis homines & iumenta: vt clamarent ad Dominum in fortitudine, vt conuerteretur vir à via sua mala, & iniquitate, quæ est in manibus eorum. Num autem post eiusmodi conuersionem statim iubebat certum esse de venia? Nequaquam, sed sicut Ioël, sicut Daniel sic & hic: Quis scit, inquit, si conuertatur, & ignoscat Deus. Quem locum exponens Hieronymus: Ideò, inquit, ambiguum
*Daniel.4.* ponitur & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agãt pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum. Quæ totidẽ verbis repetuntur à Remigio & à Ruperto, & in Glossa ordinaria, vt nunquam secùs in Ecclesia Dei Prophetarum horum verba quisquam interpretatus fuisse videatur.

*Actor.8.* Quorum hunc prędicandi modum etiam Apostolos sequutos esse legimus. Sic. n. Simonem Magum, qui donum Dei existimabat pecunia possideri posse. Petrus affatus est: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis
*De salute nemo vnquam securus. Psal.36.* tui, si fortè, inquit, certum & securum esse non iussit.

Hanc Prophetarum & Apostolorum doctrinam retinet adhuc Ecclesia Catholica, quæ terrorem peccantibus incutit, quò sic eos ad pœnitentiam prouocet, quam cùm egerint, non eos propterea statim esse iubet absq; metu, quin à noxia securitate deterret potius omnes omnibus: ac sperare quidem iubet in Domino, & facere bonitatem: cæterùm fiduciam, certitudinemq; remissionis peccatorum iactare, & in ea quiescere vetat. Quamuis enim de misericordia Dei, de promissis eius, de Christi merito, de sacramentorum virtute, & efficacia nemo pius debeat dubitare, tamen dum seipsum quilibet, suamq; propriam infirmitatem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ prædicatio cum Esaiæ, Hieremiæ, Ezechiẽlis, Danielis, Ioëlis, Ionæ: quin & Petri Apostoli prædicatione pulchrè congruens.

Num



Num autem cum ea consentiunt etiam ij, qui ante triginta hos annos discesserunt à nobis? quin ab ea potius ex Diametro, quod aiunt, distare videntur. Quid enim aliud ij, quàm quòd Ananias, quòd Semeias, quòd reliqui mendaces Prophetę, quibus non erat loquutus Dominus: Non videbitis, aiunt, gladium, non erit fames in vobis, sed pacem veram dabit vobis Dominus: pax, subinde vociferantur, cùm non sit pax, ac ingentem quandam securitatem annunciantes, multorum animas decipiunt. Docent enim, qualiacunq; sint opera nostra, dum tñ fixa, firmaq; sit fides nostra, certos nos esse salutis nostræ, quandoquidm opera Deus non respicit. Cùm aperta sint scripturæ verba, vbi de placato Niniuitis Deo loquitur: Vidit Deus opera eorũ, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est. Vidit Deus opera, dicit Propheta. Ifti contrà: Non respicit Deus opera. Alius verò Propheta: Vide, inquit, humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Et in alio Psalmo: Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Vidè quoniam mandata tua dilexi Dñe, in misericordia tua viuifica me. Quæ verba enarrans Hilarius: Referuans, inquit, omnia iudicio diuino, eripi se ob humilitatis meritum deposcit. Quem sequutus Ambrosius: Quasi is, inquit, qui humiliauerit cor suum, quasi is, qui plurimum laborauerit, ibi sibi dimitti peccata desiderat, hìc erui se precatur. Ac nonnullis interiectis: Athleta bonus membra sua mõstrat, vt suæ conuersationis approbet disciplinam, mõstrat etiam membra sua, quando post aliqua certamina grauiora iterum certare compellitur, vt iudex videns fessum corpus, nequaquam eum certare compellat. Et tu ostende cordis tui humilitatem, vt titulos virtutis ostendas: ostẽde corporis tui certamina, vt dicas: Certamẽ bonum certaui, cursum consummaui, vt videns spiritualis Iudex certaminis agonem, coronam iustitiæ decernat, quoniam legem agonis implesti. Precatur Propheta Deum, vt respiciat humilitatem suam, laborem suum, & quòd legem Dei non sit oblitus, & quòd eius præcepta dilexerit, quæ per nos etiam ostẽdi Deo præcepit Ambrosius. At nostri temporis Pseudoprophetæ, & Pseudoeuangelistæ negant Deum opera nostra respicere, negant de illis ei curę quicquam esse: quicquid sit de illis, certò nihilominus vnumquemq; statuere debere, quòd gratis propter Christum peccata sibi sint remissa, quòd acceptus Deo, quòd vitę sit hæres æternæ: quandoquidem omnis iustitia & sanctitas nostra merum sit peccatum, & res damnata: Contritio verò, vsq; eò nihil prosit, vt magis etiam faciat peccatorem. Quòd si quem arrodit propter peccatum conscientia, sic eum respõsare iubent: Quid peccatum, peccatũ: attamen ego sanctus sum: Si ego probus nõ sum, Christus tamen probus est. Quasi verò iam esse cuiuis improbo liceat, quoniam Christus probus est? Huius iustitia nos iustos, huius probitate probos esse docent, etiam si non modò micam nullã eius probitatis in nobis habeamus: verùm insuper omni flagitiorum genere cooperti simus. Quo turpior es, ait vnus ex his, eò citius impertit gratiam Deus. Qui suos etiam ita dicere iubet: Peccata mea non meam conscientiam, sed Christum premunt.

*Ab Ecclesia Dei a nullis, de sua salute se certos esse falsò existimant.*

*Hæreticorum doctrina.*

Quid autem, an cum Hieremia Propheta nobis quoq; dicere non licebit? Stupor & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacia, Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Reuera dilexit populus talia. Nam sic homines, mẽdacio Prophetarum istorum, & blandis vocibus, tanquam Syrenarum dulcibus cantilenis, iam demẽtatos videre licet, vt si quis vera magis & salutaria, quàm quæ grata sint auribus eorum, & iucunda prædicare velit, explodatur. Itaq; non dubitant rudes etiam asini, nonnunquàm Prophetis, quid vaticinari debeant, præscribere, & à quibus docendi veniunt, eos docere. Nolite, inquiunt, videre, nolite aspicere in nobis, ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, nolite videre in nobis errores, solam fidem nobis prædicare, gehennæ flammas nec cõminemini, sed promittite nobis regna cœlorum, vt post luxuriam & delicias, post incestas nuptias, pandatur nihilominus nobis Paradysus. Quid nobis ostenditis viam Dñi, per quam non libenter ingredimur? quod replicatis nomen sancti Israel: qd nostri pectoris arcana non penetrat?

*Tonæ 3. Psal. 24. Psal. 118.*

*Hilarius. Ambrosius.*

*2. Tim. 4.*

*Opera nostra curare Deum negant nostri temporis Pseudoprophetæ.*

*Cap. 5.*

*Idolatrarum quorundam huius seculi præscriptum. Esaiæ 30. Hieron.*

Videsne pientissime Rex, qualis eorum, qui se nostro seculo vocãt Euangelicos (cùm nihil cum Euangelio cõmune habeant) qualis cõtrà sit Catholicorum prædicatio. Nihil aliud illi quàm credere iubent vnumquemq; certoq; statuere, quòd sit in gratia, quòd sic indubitatus hæres regni cœlorum, quicquid sit de operibus. Et cum hac inani sua fiducia deducunt homines ad æterna gehennę supplicia: Nostri contrà, quamuis de Domini misericordia spectare iubeant, securos esse tamen homines vetant: simul monent, ne satis esse credant, quòd à peccatis resipuerint, nisi dignos etiam pœnitentiæ fructus fecerint, & quam profitentur fidem, eam ex operibus ostenderint. Quòd cum ad extremum illud iudicium ventum fuerit, non quæretur ex nobis, quid crediderimus, verum quid credentes in corporibus nostris, vel boni vel mali gesserimus.

*Catholicorũ exhortatio & assensus.*

*Matth. 3. Luc. 13. Rom. 8. 2. Tim. 2. Matth. 19. Ioan. 13. Rom. 2. 2. Cor. 5. Eccles. 6. Apoc. 22. Ioan. 5. Eccle. 9. Psal. 118.*

An autem alterutri diuinæ legis oraculis instructi non sunt, quin de expresso Dei verbo gloriantur vtriq; Clamant vtriq; Verbum Domini, Os Domini loquutum est, Hęc dicit Dominus. Proferunt scripturas Catholici: Facite fructus dignos pœnitentiæ: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Compati oportet, si conglorificari: commoti, si consolari: sustinere, si conregnare volumus. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Tu reddes vnicuiq; secundum opera sua. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHristi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum. Ego venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua: Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato?

Universidad de Deusto
Biblioteca



Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. De propitiato peccato, noli esse sine metu. Ne dices: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatum respicit ira illius. Cum timore & tremore salutem vestram operemini: Beatus homo qui semper est pauidus: Qui sine timore est, non poterit iustificari. Hæ sunt, & complures aliæ scripturæ, quas longum esset omnes recensere, quibus, tanquàm expresso Dei verbo, probare conantur Orthodoxi, nõ satis esse, si quis credat sibi remissa esse peccata propter Chirstum, se esse in gratia, se esse hæredẽ vitæ æternæ, quicquid sit de operibus suis: sed sicut ipsum Christum pati prius oportuit, atq; ita demùm intrare in gloriam suam, sic & nos pati prius oportere, quàm ad illam gloriam perueniamus, oportere sicut ambulauit ipse, sic ambulare nos quoq; oportere p bona opera certã facere vocationem nostrã: & cùm omnia fecerimus, non propterea statim securos esse debere, sed vereri omnia opera nostra & dicere, quòd serui sumus inutiles, vsq; eò etiam, vt ne de propitiato quidem peccato simus absq; metu.

*Prouer 20.*
*Iob. 9.*
*1. Cor. 4.*
*Eccles. 5.*
*Philip. 2.*
*Prouer. 28.*
*Ezechiel. 1.*
*Scripturæ pro nostræ salutis incertitudine.*
*Lucæ 24.*
*Ioan. 12.*
*2. Pet. 1.*
*Lucæ 17.*
*Scripturæ pro salutis nostræ certitudine.*

Proferunt autem & suas scripturas, qui segregauerunt seipsos, & contrariam sententiam tuentur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sic dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Viriliter agite nec paueatis ad aspectum eorum. Viriliter age, & confortetur cor tuum. Dicite pusillanimes, confortamini, nolite timere. Assumite vniuersam armaturam Dei, vt positis resistere in die malo. Cui resistite fortes in fide. Filium suum misit in mũdũ, vt viuamus per eum. Cõmendat Deus charitatem suam erga nos, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Si ambulauero in medio vmbrę mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Dñs protector vitæ meæ, à quo trepidabo? In te Domine speraui, non confundar in æternum. Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; vlla creatura poterit me separare à charitate Dei. Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foras? Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Omne quod natum est ex DEO, vincit mundum, & hæc est victoria nostra, quæ vincit mundum, fides nostra. Hæ sunt scripturæ, quas adfert Brentius ad confirmandam certitudinem suam, & inanẽ fiduciam. Verùm eius generis, vt ex pumice lac expresseris citius, quàm ex illis hoc, quod vult Brentius, elicueris. Vides itaq; quàm sit vetus hoc, quod de expresso Dei verbo gloriantur hæretici, cùm etiam Hieremiæ & Ezechiẽlis temporibus fuerit hoc vsitatum. Quid aũt nato iam CHristo, simul idem factitatum non est? Notissima est Euangelica illa historia, qua scribitur: IESVM, simul vt fuit baptizatus, in desertum à spiritu ductum, & ibi à diabolo fuisse tentatum. Quibus autem alijs ille, quàm scripturarum armis cum Christo congressus est? statuit eum, dicit Matthæus, supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: quia Angelis suis mandauit de te, in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quem locum tractans Ambrosius, valdè salubriter admonet: Discę hìc quoque, quia Satanas transfigurat se in Angelum lucis. & de scripturis ipsis sæpè diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticus facit, sic euiscerat fidem, sic iura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus, quia potest de scripturis aliqua exempla proferre: ne sibi arroget, quòd doctus videtur, vtitur & diabolus testimonijs scripturarum, non vt doceat, sed vt circumscribat & fallat. Tractat eundem locum longè pulcherrimè æqualis Ambrosij, Vincentius Lyrinensis, in illo aureo suo libello, quem inscripsit pro Catholicæ fidei antiquitate & vniuersitate. Liber autem altius illius verba repetere, cùm digna sint, quæ non legantur modò, verumetiam ediscantur. Hìc fortasse aliquis interroget, inquit, an & hæretici diuinę scripturæ testimonijs vtantur. Vtuntur planè & vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæq; sanctæ legis volumina, per Moſi, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia per Prophetas. Siue enim apud suos, siue apud alienos, siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue in libris, siue in conuiuijs, siue in plateis, nihil vnquam penè de suo proferunt, quòd non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula. Priscilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumq; pestium, cernes infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ nouiacveteris testamenti sententijs fucata & coloratanon sit. Sed tantò magis cauendi & pertimescendi sunt, quantò occultiùs sub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim ferores suos nulli ferè citò esse placituros, idcirco eos cęlestis eloquij velut quodam aromate aspergunt, vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaq; faciunt quod hi solent, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas, cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam ijs curæ est, qui mala gramina, & noxios succos, medicaminum vocabulis præcolorãt, vt nemo ferè, vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Idemq; & Saluator clamabat: Attẽdite vobis à Pseudoprophetis, qui veniũt ad vos in vestitu ouium, intùs autem sunt lupi rapaces. Quid est vestitus ouium? nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ ijdem ouili quadam sinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæretici, corum feri & rabidi, qui caulas Ecclesię semper infestãt, & gregem Christi, quaquà possunt, dilacerant. Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententijs veluti quibusdam velleribus obuoluunt, vt cùm quisq; lanarum molliciem persenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid dixit Saluator? Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Id est, cùm cęperint diuinas illas voces, non iam proferre tantùm, sed etiam exponere, nec adhuc iactare solùm, sed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum scindi sępem videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant hi quos percutit Apostolus Paulus, in secunda ad Corinthios, dicens: Nam eiusmodi, inquit, Pseudoapostoli operarij, subdoli, transfigurant se in Apostolos CHristi. Quid est transfigurant se in Apostolos CHristi? Proferebant Apostoli diuina legis exempla, proferebant & illi. Proferebant Apostoli Psalmorum auctoritates, proferebant & illi. Proferebant Apostoli sententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea, quæ similiter protulerant, interpretari non similiter cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tunc rectià peruersis, tunc postremò veri Apostoli à fallis Apostolis discernebantur. Et non mirum, inquit: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis, non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ. Ergò secundum Apostoli Pauli magisterium quotiescunq; vel Pseudoapostoli, vel Pseudoprophetæ, vel Pseudodoctores diuinæ legis sententias proferunt, quibus malè interpretatis, errores suos adstruere conentur, non dubium est, quin auctoris sui callida machinamenta sectentur, quæ ille nunquam profectò comminisceretur, nisi sciret omninò nullã esse ad fallendum faciliorem viam, quàm, vt vbi nefarij erroris subinducitur fraudulentia, ibi diuinorũ verborum prætendatur auctoritas. Sed dicet aliquis: Vnde probatur, quòd Sacræ legis exemplis diabolus vti soleat. Legat Euangelia, in quibus scribitur: Tunc assumpsit eum diabolus, id est, Dominum saluatorem, & statuit eum supra pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quòd Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipsum Dominum maiestatis, scripturarum testimonijs appetiuit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum. Quare? Scriptum est enim, inquit. Magnoperè nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est, vt tanto Euangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos Apostolica seu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum pereos loqui, minimè dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc membra membris loquuntur: membra scilicet diaboli membris CHristi: perfidi, fidelibus: sacrilegi, religiosis: hæretici postremò, catholicis. Sed quid tandem dicit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum. Hoc est: Filius vis esse Dei, & hæreditatem regni cœlestis adcipere, mitte te deorsum, id est, existius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, & doctrina & traditione demitte. Ac si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem. Vnde probas? vnde doces, quòd Ecclesiæ Catholicæ vniuersalem & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille: Scriptum est enim. Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, exarce Catholica, in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur. Iam verò illis, quæ sequuntur, promissionibus, miro modo hæretici incautos homines decipere consueuerunt. Audent etenim polliceri & docere, quòd in Ecclesia sua, hoc est, in communione suo cõuenticulo, magna & specialis ac planè personalis quædã sit Dei gratia: adeò, vt quicunq; illi ad numerũ suũ pertinẽt, tñ ita diuinitùs dispensentur, vt Angelicis euecti manibus, id est, Angelica protectione seruati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari. Hactenus Vincentius. Potuit autem Vincentius hic illustrioribus notis nostri temporis hæreticos depingere, quàm quibus eos hoc loco depinxit? Quid enim aliud est, quòd magis per eos moliatur Satanas, quàm vt persuadere possit hominibus, vt mittant se deorsum? vt ab sublimis huius Ecclesiæ (quam ciuitatem supra montem positam vocat Christus) doctrina, traditione q; se demittant? Quod limul vt persuasit, iam indubitatam est victoriam consecutus. Nam quòd aliquis ex hac sublimi ciuitate se non demiserit, quamlibet eum grauiter Satanas oppugnet, irriti tamen fręcadant conatus eius omnes. Simul vt autem aliquis miserit se deorsum, simul vt ab ouili discesserit, & à reliquo se grege segregauerit, euestigiò præda sit lupo. Quamobrem in hac vna re neruos suos omnes intendit Satanas, vt homines adducat, quò se mittant deorsum, vt à sublimi Ecclesiæ doctrina discedant, vt eius traditiones pro nihilo ducant, vt suum, aut cuiuscunque tandem alterius priuatum spiritum potius quàm Ecclesiæ totius, cui promissus est spiritus veritatis, sensum & consensum sequantur. Neque desunt illi scripturæ, quibus id persuadere conetur. Scriptum est enim, inquit: In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere: Sinę causã me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Quòd, si vel vna aliqua in re persuaserit alicui, quo se mittat deorsum, & à maiorum præceptis & institutis, & ab Ecclesiastica traditione discedat, iam eum in potestatem suam redactum habet, iam nullo negocio perficit, quo magis indies, atq; magis mittat se deorsum, nec vllum est doctrinæ genus tam ab omni pietate remotum, quo non facilè mentem illius imbuat. In hoc igitur vno studium illius omne consumitur, vt homines affuefaciat mittere se deorsum, id est, ac sensum & consensum totius Ecclesiæ ne pili quidem facere: quin illius placitis aduersari maximè. Quòd, cùm ab alijs hæreticis, tum ab illo, qui dux eorum fuit & antesignanus, hoc nostro seculo Martino Luthero, summa diligentia curatum esse videmus. Quid enim aliud ille crepat in scriptis suis omnibus, quàm vt se mittant homines deorsum: vt ab Ecclesia se præcidant, vt eius placitis aduersentur? vt, si quid illa præceperit, in despectum eius contraria faciant omnia? Verbi gratia: iubet Ecclesia, vt ieiunes tempore quadragesimæ, vt sub festum Paschatis peccata tua confitearis, & ad Eucharistiæ sacramentum accedas. Quid hic docet Lutherus: Quandoquidem sic ab Ecclesia constitutum est, ob

*Vides itaq; quàm sit vetus hoc, quod de expresso Dei verbo gloriantur hæretici, cùm etiam*
*In 2 Pericopę apologiæ suæ, contra Petrum à Soto.*
*Matth. 4.*
*IESVS ductus tentatus.*
*Psal 90.*
*Ambr. li. 4. in Luc.*
*Hæretici in Angelos lucis transfigurati.*
*Vincentius Lyrin. Hæretici ad confirmanda sua dogmata testimonijs sacræ scripturæ vtuntur.*
*Perelegantes Metaphoræ.*
*Matth. 7.*
*Lucæ 6.*
*Ouiũ vestitus quid.*
*Lupi rapaces qui.*
*Matth. 7.*
*Hæreticorum fructus.*



*2. Cor. 11.*
*Hæretici transfigurati in Apostolos Christi.*
*Satanas transfiguratus in Angelum lucis.*
*Diabolus sacræ scripturæ exemplis ad fallendũ vtitur.*
*Matth. 4.*
*Psal. 90.*
*Notandum.*
*Diaboli & Hæreticorum in eiusdem scripturis eadẽ vis & par auctoritas.*
*Hæreticorum conuenticula.*
*Mitti deorsum est sese ab Ecclesia Catholica subducere.*
*Satanæ nervus.*
*Ezechiel. 20.*
*Matth. 15.*
*Omnę Satanæ studium quò tendat.*
*Martinus Luther.*
*Satanæ antesignanus.*
*Ecclesiæ præcepta.*
*Lutheri præcepta.*

hoc ipsum non faciam: & si non præcepisset, vellem facere: faciam autem alio tempore, quo non præcepit, quando, & quomodo mea libera voluntas me tetigerit. Ad eundem modum, adiaphoron esse censet, eleuetur Eucharistia, nec ne. Sed quoniam sic Ecclesiæ visum est, vt eleuaretur, in despectum illius ab eleuatione docet abstinendum esse. Itidem sub vna quis, an sub vtraque specie sumat Eucharistiam, pluribus in locis nihil referre scribit, quòd nihil sit ea de re tanquam necessarium à Deo præceptum. Interea tamen in eo libro,

*Concilium Ecclesiam repræsentat. Mittit se deorsum, qui non assentitur Ecclesiæ Catholicæ.*

quem inscripsit, De formula Missæ: Si quo casu, inquit, Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque potiri, imò tum primùm in despectu Concilij, vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri, & planè eos anathema habere, quicunque talis concilij auctoritate potirentur vtraque. Quid autem aliud concilium, quàm Ecclesiam repræsentat? in huius itaque sanctientes aliquid despectum, contraria potius omnia facere iubet, per non ignobile membrum hoc suum Satanas, per quod clamat etiam nunc: Mitte te deorsum. An enim is non mittit se deorsum, qui non hoc sequitur, quod omnium est, quod Catholicum est, quod orbis totius Christiani consensu receptum est & approbatum: sed in eo libentius acquiescit, quo vni alicui fanatico nonnunquam homini visum est, qui quamlibet etiam cautus & prudens existimetur, tamè cùm de suo loquitur, nihil aliud

*Ioan. 8.*

sicut ipsa Veritas testatur, quàm mendacium loquitur? Potest autem aliquis magis mittere se deorsum, quàm si ab eo, qui est omnium, ad eum qui priuatus est alicuius sensum, hoc est,

*Quid Satanas hæreticis policeatur & persuadeat.*

à veritate prolabatur ad mendacium, quod homo de suo loquitur? Quam igitur cantilenam ipse per se Christo Satanas occinebat in deserto, eandem nunc quoq; per membra sua Christianis occinit, nec aliud vrget maiore studio, quàm vt mittant se deorsum, vt vninersalem & antiquam Ecclesiæ Catholicæ fidem dimittant. Pollicetur per ea nunc etiam, & docet, quòd in suæ cõmunionis cõuenticulo, magna quædam, & specialis, ac planè personalis Dei sit gratia. Persuadet imperitis, si quis fidem suorum specialem sit amplexus, quòd is, non modò si sit bonis operibus destitutus omnibus, verumetiam nullo sit flagitiorum genere non coopertus, certus tamen esse debeat, se esse in gratia, ac futurum olim, vt tollant eum Angeli manibus suis, & in cœlum recta perducant: vt illorum protectione seruatus, ne leuissimè quidem ad lapidem vllum offendat: sed esse apud Deum in gratia, si ad finem vsq; vitæ suæ perseueret. Hoc à suis ita certum haberi vult, & indubitatum, nullum vt scelus admitti posse putent grauius, quàm si vel minima quis eius rei dubitatione tangatur. Quæ

*Lutheranorum, Zuinglianorum, & Anabaptistarum schisma.*

persuasio communis est omnibus hæreticis. Nam non magis id à suis exigunt Lutherani, quàm à suis idem requirunt & Zuingliani & Anabaptistæ, (cùm interea non magis inter se dissideant ignis & aqua, quàm istorum inter se pugnant dogmata) fieri vt nulla ratione possit, quin vel ij, vel illi, vel isti manibus dæmonum in barathrũ inferni præcipitentur potius, quàm vt suis eos manibus cœlestes Angeli dignentur. Qui cùm æquè sint omnes à Christi corpore sua voluntate præcisi, nihil commune cum eis cœlestes Angelos habituros, certius est, quàm vt ambigere quisquam possit.

*Ioan. 7.*

Vidimus ergo iam, quemadmodum etiam Christum expresso Dei verbo Satanas fuerit

*Aliud Satanæ ex diuinis scripturis testimonium.*

oppugnare conatus. An aũt idem non fecit per membra quoq; sua contra eundẽ Christum filium Dei? An expresso Dei verbo demonstrare conatus nõ est, quod CHristus nõ modò non esset Propheta, verumetiam reus esset mortis? Legimus in Euangelio, quòd cùm audissent Christi sermones Iudæi, alij dixerunt, hic est Propheta: alij verò, hic est Christus: neq; defuerunt interea, qui dicerent: Nunquid à Galilæa venit Christus? Nónne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello vbi erat Dauid, venit Christus? Ad Nicodemum verò Pharisæi: Scrutare scripturas, aiunt, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit. Nec eo contenti, quòd in scripturis prolatis Prophetam esse negassent, vociferabantur præterea: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Quis est qui non obstupescat hæc legens? Legem & Prophetas, cõtra legis & Prophetarum Auctorem ac Dominum, diaboli membra proferebant, & sicut ipsis videbatur, expresso Dei verbo, quòd nõ modò non esset Propheta, verùm etiam tanquam facinorosus aliquis legis transgressor dignus esset morte, demonstrabant. Quòd si verò contra CHristum ipsum, cùm adhuc inter homines versaretur, sic est non ab ipso Satana modò, verùm etiam à membris eius, scripturarum armis pugnatum, quid non fieri putandum est miserrimis hominibus? aut quid erit, quòd Satanas è scripturis persuadere se non posse sperabit, qui Christum & non esse Prophetam, & esse mortis reum, è scripturis docere se posse persuasum habebat? Iam igitur & hoc planum factum est, quemadmodum ipsum etiam CHristum Dei filium in terris degentem, & per se & per membra sua, scripturarum armis appetere diabolus non dubitauit, & quem ex illis produxit sensum, expressum Dei verbum haberi voluit.

*2. Cor. 11. Satanas non minus Apostolos, quàm Christum suis armis aggressus est.*

Quid autem Apostolos? Nunquid eisdẽ armis aggressus non est? Hos verò maximè. Quid enim sibi volunt illa Pauli verba? Euiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ. Quam graphicè Paulus depingit sui temporis Pseudoapostolos? Nolebant illi videri aliud, quam Christum, quàm Euangeliũ prædicare. Quin sicut Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ nostri temporis hæretici, sic illi Pauli prædicationi, Euangelij nomen detrahere, sibiq; visi sunt illud arrogare. Nunquid hoc apertè Paulus non significat, cùm ita scribit Galatis? Miror quòd tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euãgelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Quem locum enarrans Pauli germanus interpres Ioannes Chrysostomus: Huiusmodi diaboli, inquit, fraus est, haud quaquam nudos proponere laqueos, quibus venetur homines. Etenim si dixissent: Discedite à CHristo Galatæ, vitassent eos velut impostores & corruptores. Nunc verò sinentes in fide manere, & interim fraudi prætexentes Euangelij nomen, impunè, summa q; audacia perfodiebant domum, videlicet ijs, quæ dixi, obtentis velamentis, per hæc nomina celantibus parietum perfossores. Quoniam igitur illi suam impostura, appellabant Euangeliũ, ipse etiã aduersus nomẽ repugnat, &c. Vides quemadmodum etiam tunc, sicut nunc, fraudi suæ quidam nomẽ Euãgelij prętexebant, & impostura suam Euangelium appellabant: quod ipsi docerent, non quod Paulus prædicaret, hoc Euangeliũ videri volebant: & sub huius honesto prætextu, fucum hominibus facientes, in eorum animos irrepere conabantur. Sic Satan ad illaqueãdos homines, aliquo semper abutitur intẽgumento: neq; statim, sicut vulgò loquũtur, ostendit cornua: sed scripturarum diuinarum, sed verbi Dei, sed Euangelij nomen prætẽdit, quò facilius incautos in suas nassas pertrahat. Decet autem fideles non statim eiusmodi laruis moueri, neq; si quis impostura suam vocet Euangelium, eo loco protinus eam habere debent.

*Hæreticorum prætexus & impostura.*

*Satana integumentum.*

*2. Thess. 2.*

Ac meminit idem Paulus ad Thessal. scribens, fuisse quosdam qui per epistolam, tanquã à se missam, terrerent homines, quasi iamiam instaret Dies Domini: cùm tamen à Paulo nihil tale scriptum fuerit. Sed cùm is in priore sua ad eosdem Epistola scripsisset: Nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt, istis eius verbis alienum sensum hunc affingebant, cùm ea Pauli mens fuisset nunquam. Sic etiã, superstite Paulo, Pauli verba secùs quidam interpretari veriti non sunt.

*1. Thess. 4.*

*2. Petr. 3.*

Scribit autem & hoc Petrus Apostolus de Pauli epistolis, quòd quædam in eis sunt difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Si quum adhuc in terris degeret Paulus, inuenti sunt, qui eius verba deprauarent & inuerterent, quid mirum est, si tot seculis, post quàm ille mortuus est, idem hoc de illis factitatum est, & fit etiam nunc? Quid autem illud fuerit, quod indocti quidam & instabiles in epistolis Pauli deprauare, siue peruertere sunt conati, docet in eo libro, quem inscripsit, de fide & operibus, Augustinus. Quum enim scripsisset Paulus: Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis: Sic hæc verba quosdam indoctos & instabiles accepisse dixit, vt mala quadam securitate, cùm suam, tum aliorum salutem perderẽt, dum ad salutem obtinendam, solam fidem sufficere putarent. Quam etiam causam fuisse narrat, quòd aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, cõtra sententiam hanc maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut etiam ipse Paulus non qualem libet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Vbi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio benè viuitur: plenitudo enim legis charitas. Hactenus Augustinus. Vide autem, quàm vetusta sit hæc hæresis, quæ solam fidem ad salutem sufficere dicit. (Fuit enim adhuc Diuo Paulo superstite) quàm expresso Dei verbo, quod ille per electum suum vas Apostolorum protulit, probare quidam sunt conati, cùm tamen hæc Pauli mens nunquam fuerit: sed, sicut scribit Petrus, indocti quidam & instabiles, sensum verborũ illius peruerterint. Quid autem aliud, per Deum immortalem, & auribus, & animis hominum nunc quoque Satan per membra sua magis inculcare studet, quàm quòd (cùm adhuc in terris Paulus versaretur) per suos inculcabat, nimirũ, vt solam fidem, & ad iustitiam, & ad salutem sufficere persuasum habeant? Quòd si tum Petrus questus est, inuersa fuisse Pauli verba, quantò magis nunc idem quereretur, cùm dogma hoc tam perniciosum, tanta cõtentione asseritur, cùm ingeruntur & auribus, & oculis hominum voces illæ pestilentissimæ, Euangelium pati non posse, vt prædicetur de bonis operibus, ouiculam Christi horrere, vbi prædicari ea audit? Fidem nullum opus bonũ posse iuxta se ferre? Qui bonis operibus operti sunt, eos vix posse cœlum penetrare, quòd ea iustificationẽ etiam cõsequentia, sint impura, cùm opus optimè factum, sit peccatũ? Pestilentes esse magistros, & radicem germinantem fel, qui in nouo Testamento cõscientias operibus vexant, nec esse simul in Ecclesia, fidei magistrum, & operũ. Huic tam impuræ doctrinæ, si nomen Euangelij prætendi Petrus nunc audiret: Si Paulus pestilentissimos homines iactare se videret, quod eam è suis epistolis hausissent, in quibus constat illum tanto studio bona opera nobis commendasse, & ad ea amplectenda fideles omnes excitasse, quid vtrumq; dicturum, quid facturum existimamus: Verùm de ijs satis: nobis enim hoc loco nihil aliud, quàm hoc demonstrare fuit propositum, quòd etiam Apostolorum temporibus non defuerint, qui fraudi suæ prætexerent nomen Euangelij, quique ex ipsis Pauli verbis, dum sensum eorum peruertunt, contrariam Paulo doctrinam proferri, minimè formidarent. Quòd si verò scripturas contra scripturarum auctorem Christum, si Pauli verba in prauum sensum detorta contra Paulum ipsum producere Satanas, & ipse per se, & per membra sua veritus non est, quis iam erit, qui magnoperè miretur, si posterioribus seculis maiori cũ audacia id facere aggressus est? Vetustissimus est scriptor Tertullianus, ab Apostolorũ temporibus non ita longo interuallo disiunctus, is de præscriptoribus aduersus hæreticos, præclarum librum cõscripsit, in quo frequens illud in eorum ore fuisse refert. Querite, & inuenietis: Scrutamini scripturas. Aç hortatur fideles, vt finem tamen aliquem esse quærendi velint, simul fidem exercitationi scripturarum præfert. Tandem ijs verbis vtitur: De scripturis agunt hæretici, de scripturis suadẽt: aliundè scilicet suadere possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei? Venimus igitur ad propositum, huc. n. dirigebamus & hoc præstruebamus ad locutionis præfationẽ, vt iam hic de eo congrediamur, de quo aduersarij prouocant. Scripturas obtendunt, & hac sua audacia maximè quosdam mouent: In ipso verò cõgressu, firmos quidem fatigãt, infirmos capiũt, mediocs cũ scrupulo

*Hæreticorum voces pestilentissimæ.*

*Auctoris huius libelli propositum.*

*Tertulliani vetustissimi scriptoris locus ex libro de præscriptionibus aduersus hæreticos. Cap. 4.*

*Hæreticorum aduersus orthodoxos congressus.*





*Vera fides quæ per dilectionem operatur.*

*Galat. 5.*

*1. Cor. 13.*

*Rom. 13.*

*2. Petr. 3.*

dimittunt. Mox docet, quid contra eos, quando scripturas obtendunt, faciendum sit: Hunc igitur, inquit, potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad vllam de scripturis disputationem. Si hæ sunt illæ vires eorum, an ne eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. Ne verò putaret aliquis hoc eum propterea sic scribere, quòd causæ diffidat, illicò subiungit: Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio consliterit in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quæstiones

*Cum hæreticis non disputandum, duæ rationes.*
*1. Tim. 6.*
*Tit 3.*
*Matth. 18.*

iniire, nouis vocibus aures accommodare: Hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeò interdixit disputatione correptionem designans, causam hæretici conueniendi: Et hoc vna, scilicet, quia non est Christianus, ne more Christiano semel & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigãdus videretur: cùm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad

*Hæresis peruersitas in corrumpendis scripturis.*

dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones, cõmentata, conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus: variæ præsumptiones necessariò nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur. His nituntur, quæ ex falso composuerũt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime scripturarũ, cùm si qd defenderis, negetur ex diuerso, si qd negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ille verò, si quis est, cuius causa in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, qd̃ te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi & defendendi diuersa parte statutum. Certè pari altercatione, incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Hæc vtiq; & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est. n. & illos dicere: à nobis potius adulteria scripturarum, & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in ijs constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam & si non ita euaderet collatio scripturarum, vt vtramq; partem sisteret, ordo rerum desiderabat: illud prius proponi, quod nunc solùm disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ad eundem modum æqualis eius Clemens Alexandrinus: Quòd si, inquit, Pro-

*Clemens Alexand. contra hæreticos.*

pheticis quoq; scripturis vti, qui sectantur hæreses, ausi fuerint, primùm quidem non omnibus, deinde nec integris vtuntur, neq; vt dictat corpus & contextus prophetiæ, sed quæ ambiguè dicta sunt eligentes, in priuatas suas transferunt opiniones, sparsim paucas voces carpentes veluti flosculos, nec quod significatur, per eas considerantes, sed ipsa nuda dictione abutentes. In omnibus ferè verbis quæ proferunt, reperias eos solis nominibus inhærentes, ac significata variantes. Quid autem scribi potuit melius? quid ad rem, quæ de agitur, accommodatius? quàm quòd à viro doctissimo Tertulliano scriptum legimus? Ostenditis, de scripturis agere, de scripturis suadere, scripturas hæreticos obtendere solitos fuisse, verùm intereà monet, vt eis gradus hic obstruatur, neuè amittatur ad vllam de scripturis disputationem, quod scripturarum ius illis nõ competat, cùm in earum possessione Catholici præscripserint. Simul Pauli testimonium producit, qui cum hæreticis confligendo, tempus terere vetat, quòd semper pugna pugnam, & disputatio disputationem pariat, nullus vt fit iurgijs & altercationibus finis futurus, si quis velit obstinatos vincere disputãdo: quòd nec eis verba desunt vnquam, & addit illis animos improbitas, ne pugnando fatigentur: vt longè præstat omnem, quem captare videntur, digladiandi cum illis ansam defugere, & à pugnis istis verborum abstinere, cùm non rarò verum illud fiat, quod quasi prouerbio celebratur: Nimium altercando veritas amittitur.

*1. Tim. 6.*

*Martinus Luther. eadem machera vsus, qua Marcion quondã hæreticus.*

Cæterùm, quod à Tertull. scribitur: Ista hæresis quasdam scripturas non recipit, & quæ sequuntur, an de nostri temporis hæreticis verissimè dici non potest? Quorum qui primus fuit auctor, an is palàm, quod de Marcione scribit idem Tertullianus, machæra vsus nõ est, dum ad materiam suam ędem scripturarum confecit? Docuit is, fidem solam nobis ad iustitiam, & ad salutem sufficere. Vidit hoc dogma suum cõsistere non posse, si quam haberet

*Primus error Martini Lutheri.*

auctoritatẽ Canonica Iacobi Epistolã, mox arrepta machæra, præcidit eam è libro suo. Nolo, inquit, eam habere in meis Biblijs. Satis pro imperio. Vocat aũt biblia sua, vt indicet, nihil sibi commune cum ijs esse, quæ sunt Ecclesię Catholicę. Docuit idem orationes & sacrificia pro defunctis esse superuacanea. Vidit huic doctrinæ suæ palàm aduersari scripturam, quam plerique omnes veteres scriptores Orthodoxi ex libro Machabæorum producunt: arripuit machæram, & hunc quoque librum resecuit. Docuit asoluta necessitate fieri omnia, tam certos & securos esse nos debere de gratia, deque salute nostra. Pugnabant cum hac illius sententia, quæ in libro sapientiæ & Ecclesiastico leguntur: præcidit & hos libros machæra sua. Idem fecit de nonullis alijs libris canonicis, & quibus dogmata sua confutari cernebat. Sic ille, quę materię suæ nõ seruirent, eas scripturas nõ recipiebat; quin arrepta machæra, de biblijs suis resecabat. Quas verò scripturas recipiebat, nónne dum ex bonis Latinis mala facit Germanica, suis eas adiectionibus & detractionibus ad instituti sui dispositionem interuertit? Quod ei non à Catholicis magis, quàm ab ipsis etiam sectarijs crimini datur. Iam verò, si quas recipiebat integras, an diuersas vel aduersas potius, planeq; contrarias expositiones non est commentatus? Quod idem & à cæteris hæreticis fieri videmus, qui non ipsi minus inter se diuersi, quàm Catholicis aduersi sunt in scripturis interpretandis. Quod suo quoq; tempore, similiter ab hæreticis factitatum fuisse Tertullianus meminit:

*Secundus error.*
*Tertius error.*

*Scripturarum depravatio per Martinum Lutherum.*

*Vbi supra.*

A suis,



A suis, inquit, ipsi regulis variant inter se, dum vnusquisque pro suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum suo arbitrio ille composuit, qui tradidit. Cum talibus igitur, qui non nisi quas ipsi volunt scripturas recipiunt, quas autem recipiunt, adiectionibus, & detractionibus ad instituti sui dispositionem interuertunt, aut diuersas expositiones commentati, conuertunt: disputare Tertullianus de scripturis prohibet, sed eos ad Ecclesiasticam traditionem remitti iubet. Cuius hanc sententiam Lutherus etiam ipse, quando cum Sacramentarijs & Anabaptistis ei res est, approbare videtur. Sed libet illius verba adscribere: Legimus, inquit, quid sancti Patres in Concilio Nicæno fecerint. Simul vt Arrianorum hæresim legi audiuerunt, exsibilarunt eam vnanimiter, neque dignati sunt eam audire, nec passi sunt vt eam defenderent, sed condemnarent eos euestigio, absque vlla disputatione, tanquam manifestos blasphematores. Moses etiam in sua lege præcepit, vt falsi doctores lapidentur. Ad eundem modum & hic non est multum disputandum, sed inauditi, & indicta causa condemnandi sunt tales manifesti blasphematores: Sicut etiam præcepit Paulus ad Titum 3. Debere hæreticum vitari post vnam atq; alteram admonitionem. Et Timotheo prohibet contentiones & disputationes, quæ nihil aliud efficiunt, quàm quòd auditores perturbant. Nam tales communes articuli totius Christianitatis, sunt iam satis auditi, declarati, & concluſi, scripto & confessione totius communis Christianitatis. Sunt multis miraculis confirmati, sunt multo sanguine sanctorum martyrum consignati: sunt omnium Doctorum libris defensi, neque deinceps vllius indigent magisterio aut artificio.

*Disputandum de interpretatione scripturarum non esse, sed ea remittenda ad traditionem Ecclesiasticam.*
*In psal. 28. alias 82.*
*Deut. 13. 17.*
*Hæretici apertè blasphematores inauditi condemnati fuerunt.*
*Tit. 3*
*2. Tim. 6.*
*Lib. 11. cap. 9.*
*Lib. 8. cap. 24.*

Neq; tamen ex omni parte verum est, quod feciſſe sanctos Patres in concilio Nicæno narrat iste Doctor hyperbolicus, quasi condemnauerint Arrium inauditum & indicta causa. Quamuis enim extet apud Socratem & Nicephorum Epistola Nicænæ Synodi ad Alexandrinam Ecclesiam, & eos, qui in Ægypto sunt, & Lybia, & Pentapoli, in qua scribunt, quòd ne audire quidem impiam opinionem Arrij, mentisq; vecordiam, & blasphema verba sustinuerint: ex epistola tñ Imperatoris Cõstantini, quæ mox ibidem sequitur, satis liquet, quòd eius doctrina diligenter fuerit excussa. His. n. verbis vtitur Imperator: Sunt omnia & dicta, & scripta diligenter examinata, quæ propter amphibologiam vel dissensionem prætextum generare videbantur. Si diligenter omnia fuerũt examinata, qui fieri potuit, vt nõ audiretur Arrius? Quamobrem quòd scribunt Patres, ne audire quidem se blasphemia illius verba dignatos fuisse, fortassis hoc sensu rectius accipietur, quòd posteàquam semel eius doctrina fuit examinata, cùm blasphemas ille suas voces nihilominus ingeminare pergeret, Patres illam audire dignati non sunt, sed anathemate percusserunt. Nam quòd auditus fuerit, indicat Socrates, quando scribit in eodem loco, significasse populo Alexandrino Imperatorem, definitionem fidei, non simpliciter ac temerè factã, sed multa cum inquisitione & examinatione dictatam esse, & quòd non quædam duntaxat dicta, quædam verò silentio pressa sint, sed quòd quęcũq; ad corroborationẽ dogmatis dici cõuenerit, in mediũ allata sunt, quodq; non simpliciter determinatum, sed exactè primùm inquisitũ sit, & quæcunq; occasionẽ dissidij & seditionis creare possent, ita sunt reiecta, vt cõtradici quicquam non posset. Itaq; vocat, inquit, Imperator concordem Episcoporũ synodi sententiã Dei sententiam, ac Spiritu sancto tot Patrum concordem sententiam acceptũ refert. Sozomen. quoq; (cùm dicit quòd Episcopi assiduè cõuenientes Arrium, in medium adducebant, ac propositiones illius diligenter inquirebant: cauebant aũt, ne in alterutram partem sententiam præcipitarent) satis manifestè declarat, Arrium auditum fuisse: Posteàquam verò diligenter eius causa fuit examinata dubitandum non est, quòd is disputare longius permissus non fuerit.

*Lib. 11. cap. 9.*
*Lib. 8. cap. 24.*
*Constantini Imperatoris verba de condemnatione Arrianæ hæresis.*
*Concors Episcoporũ synodi sententia, Dei sententia est.*
*Lib. 2. cap. 19.*

Sed illud intereà verissimum est, quòd sicut semper ad disputandum hæretici prouocabant, nouas; fides proferebant, sic ferè semper disputationes Catholici defugiebant, & in Patrum fide libenter acquiescebant: quemadmodũ apud scriptores Ecclesiasticæ historiæ, Socratem, Sozomenum, Victorem, Nicephorum videre licet. Qua de re semel synodi decrevere, vt in disceptationem iterum ea vocaretur, nunquam esse Catholici permittendum putauerunt. Scribit Athanasius, quòd Germinius, Auxentius, Valens, Vrsacius, Demophilus & Caius chartulam quandam suæ confessionis exhibuerunt, & eam synodis omnibus anteponi, postulauerunt. Quid aũt ad hæc Catholici Patres Arimini congregati? Nos, inquiebant, non quia fide indigeremus, huc conuenimus (habemus. n. sanam fidem) sed vt eos, qui veritati contradicunt, & noua moliuntur, cõfunderemus. Si vos igitur, quasi nunc incipientes credere, ista scripsistis, nondum Clerici haberi potestis, vt qui nunc rudimenta fidei condiscere incipiatis. Quod si eo animo, quo nos, huc venistis, sit omnium concordia, & hæreses anathemate execremur, & quæ Patrũ sunt, teneamus, ne posthac captatæ conciliorum occasiones obuersentur, cùm semel illi, qui Nicææ conuenerunt omnia præoccuparent. Absurdum quid dam Patribus illis visum est vt noua fides aliqua, siue fidei confessio produceretur, & in dubium ea reuocaretur, quam à suis maioribus accepissent: quam etiam ob causam, in Epistola, quam ad Cõstantinum Imperatorem scripserũt, ijs eos verbis vsos fuisse refert: Supplicamus tuæ humanitati, vt benignius auribus & sereno vultu nostros legatos intuearis, neq; ad contumeliam mortuorũ aliquid noui induci permittas, sed nos sinas in institutis, decretisq; maiorũ permanere, quos magno ingenio prudentia, & Spiritu sancto omnia feciſte asseueramus. Certè res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus inducunt credulitatem, incredulis credulitatem inducunt.

*Lib. 5. cap. 10.*
*Lib. 7. cap. 12.*
*Libr. 2. de perfectione.*
*Libr. 12. cap. 15.*
*In epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ congregatis.*
*Noua fides, vel fidei noua confessio patribus semper inusitata & absurda fuit ibidem.*

Quid autem facerent Patres illi, si nunc viderent, modò nõ singulas ciuitates in Germania suam, quamq; seorsum fidem siue fidei confessionem adferre, & eam, reiecta fide maiorum, approbari velle, tanquàm ij Christiani nõ fuerint? Potestnè magis absurdum aliquid, & magis impium cogitari? Scilicet, Patres nostri, Christianam fidem ignorarunt? & nunc demùm

*Lutheri quædam semetipsa laudãda de reijciendis hæreticis inditta causa*

*Lutherus Sacramentariorum & Anabaptistarum dux & sectarum Auctor.*

*De Eccles. Christi. cap. 28*

*Lutheri conatus.*

*Hæreticorum inimicitiæ & dissentiones.*

demùm opera quorundam Christi perduellium Christus nobis est cognoscendus? Quam obrem laudanda est hęc Lutheri sententia, qui tales audiendos negat, verumetiam indicta causa condemnandos esse censet. Verùm ita, quam tulit legem cõtra Sacramentarios, & Anabaptistas, eam patiatur ipse quoq; quum præsertim ipse sit ille, quem isti se ducem sequutos esse profitentur, cùm ipse primus discessionis auctor, quum ipse tot sectarum pater sit, quarum iam vix etiam numerum inire licet: Quod de Donato scripsit August. sicut is Christum diuidere conatus est, sic ipsum à suis quotidiana cõcisione diuidi, hocidem ipsi quoq; Luthero nunc euenisse videmus. Conatus est ille diuidere Christi corpus Ecclesiam: atq; suis vicissim quotidiana concision e non diuiditur? Vt nihil dicamus de Sacramentariis & Anabaptistis, de Campanis, quos fortassis ad se pertinere Lutherus negabit, an Philippi? Brentius, Osiander, Illyricus, de professo Lutherani non sunt? Quàm aũt infensæ sunt inter eos inimicitiæ? quàm acerbæ grauissimis de rebus dissensiones? An Philippum quereretem non audimus, quòd cùm ipse scripserit confessionem Augustanã, de tollendo nunc auctor deliberaturi? Hanc n. ad se rapiunt Illyriciani, & ab ea Philippianos vnà cum auctore suo nantur excludere: Quem cùm in alijs multis à Magistri sui Lutheri placitis discessisse, tum in dogmate de Eucharistia, ad Caluini sententiam accessisse palàm iactat. Qua de re nõ obscurè Caluinus etiam ipse gloriatur. Iam in eo capite quòd summam esse volunt Euangelij, nimirùm de iustificatione, immanè quantum inter se dissident Philippus & Brentius, cùm Osiandri sententiam hîc tueatur, qua Philippiani nihil fieri posse putant execrabilius. Sic etiam interipsos Lutheri discipulos de præcipuis religionis nostræ dogmatibus parum conuenit, de quibus pugnaciter inter se certant, & ipsi sibi sunt inuicem hæretici, vt alijs eos esse logijs ornare necesse non sit, quàm quibus ornant ipsi se mutuò. Quare pari meritò debent, quam ipse tulit legem Lutherus, vt qui sunt eis doctrinæ sectatores, nulla cum illis ineatur disputatio, sed simul vt eos tales esse constiterit, statim indicta causa condemnentur, vt non de Zuinglianis magis, quàm de Lutheranis verum sit, quòd à Lutheri discipulis dicitur, eos non stylo, sed sceptro Magistratus coërcendos esse: quum præsertim non ferè quicquam adferant & hi, quod ante mille annos non fuerit hæreseos condemnatum. Sed longius ab instituto digressi videmur, quamobrem vnde deflexit, eò redeat oratio.

*Disputatio nulla iucunda cũ hæreticis. Sceptra Magistratus & non stylo & disputatione coërcendi hæreticos.*

*Nihil nunc adferunt, quod ante mille annos non fuerit hæreseos condemnatum.*

*De vnitate Ecclesiæ diaboli deceptiones.*

*Epist. 28.*

Demonstratum est à nobis, quòd etiam illo tempore, quo floruit antiquissimus ille Doctor Tertullianus, de scripturis agebant, de scripturis suadebant, scripturas obtendebant hæretici quoq; Tertullianus eos ad disputationem de scripturis admitti, & in eis certandum constitui verat, verùm ad Ecclesiasticam traditionem remitti iubet. An autem & Cyprianus de insidijs diaboli non queritur? qui se transfigurat velut Angelum lucis, & ministros suos ornat velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Nihil verius dici potuit, quàm quòd à Cyrillo scriptum legimus: Omnes hæretici de scriptura diuinitus inspirata sui colligunt erroris occasiones, ea, quæ à sancto Spiritu rectè dicta sunt, sua malitia corrumpentes, & super sua capita flammam inextinguibilem excitantes. Augustinus quoq; non aliundè natas esse dicit hæreses, & quędam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi cum scripturæ bonæ, intelligũtur non benè, & qui in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. Quam etiam ob causam hęreticos Ambrosius ita describendos esse putauit: Hęretici, inquit, hi sunt, qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim sensum verbis adstruunt legis, vt prauitatem mentis suæ legis auctoritate commẽdent. Sciens enim impietas auctoritatem multum valere, fallaciam sub nomine eius componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nominis commendetur? Qui fuerint in Carthaginensi concilio, quod erat per Agrippinum congregatum, cùm quod dant hæretici & schismatici, non esse verum baptisma, dicerent, an id in scripturis sanctis vbique declaratum esse non affirmabant, expressoque Dei verbo sententiam suam sibi probasse visi sunt? Quæ tamen Ecclesiæ auctoritate postea fuit explosa. Sed Vincentium Lyrinensem ea de re loquentem audiamus: Tanta, inquit, in patribus illis ingenij vis adfuit, tanta eloquentię flumina, tantus adsertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta diuini legis oracula, sed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conspiratio, nullo modo destrui potuisse videatur, nisi sola tanti moliminis causa ipsa illa susceptа, ipsa defensa, ipsa laudata nouitatis professio destituisset. Non igitur illi diuinis legis oraculis, sed eorum verò sensu fuerunt destituti. Quamobrem rectè monet Hilarius: Memento neminem hæreticorum esse, qui se non secundum scripturas prædicare ea, quæ blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcion verbum Dei, cùm legit, nescit: hinc Photinus hominem IESVM Christum, cùm loquitur, ignorat: hinc & Sabellius, dum quòd ego & pater vnum sumus, non intelligit, sine Deo patre, & sine Deo filio est: hinc & Montanus: per insanas fœminas suas paracletum alium defendit: hinc & Manichæus, & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi Princeps diabolus est. Omnes scripturas sine sensu loquuntur, & fidem sine fide prætendunt. Scripturę enim non in legendo sunt, sed in intelligendo: non in præuaricatione, sed in charitate. Quem sequutus Hieronymus contra Luciferianos scribens: Neq; sibi blandiantur, inquit, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmasse, quòd dicunt: cùm & diabolus de scripturis aliqua sit loquutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Sic de Arrianis quoq; scribit Athanasius. Si de ea causa, quòd voculas aliquot sacræ scripturæ ab istis scriptas videant, arbitrentur blasphemias hęreticorum esse, prorsus futurũ est, vt quũ Iudęos nostri temporis videãt legem & Prophetas euoluere, vnà cũ Iudæis Christum abnegẽt: forsitan quoq; audientes, Manichæos loquentes legimus. Certè hac in re non possum decipi: Verbo tuo pater cœlestis credidi, scio certo & firmiter, quod hæc mea doctrina, quòd est verbum Dei, in die recti iudicij, non solùm Dominos & Principes, non solùm mundum, sed ipsos etiam Angelos iudicabit. An hic tibi minus certus esse videtur, doctrinã suam expressum esse Dei verbum, quàm aut

*Hilarius. Hæretici falsò vbique prætexunt scripturas. Marcion. Photinus. Sabellius. Montanus. Manichæus. Hieron.*

*Athanasius. Orationes contra Arianos. Hieron. Diabolus excogitator & inuentor hæresium.*



rantia ita æstuant, & garriunt, discant è scripturis excogitatorem, inuentorem q; hæreseon diabolum, metu suæ graueolentiæ scripturarum voces vsurpare, vt illis obtectus, aspersos veneno suo simplices decipiat. Ita enim Euam decepit, ita etiam alios hęreticos in errorem abduxit, ita nunc quoq; Arrio persuasit, vt quasi sub specie aduersarij contra hęreses loqueretur, quò melius falleret, suam metipsius hæresim subijciens. Quem sequutus Chrysostomus: Aperi, inquit, Arri sepulchrum gutturis tui, impletum mortuis sermonibus, nõ enim habes verbum illud viuificum, quod tuis rationibus factum & creatum fabricas. At ille cum videris ipsum è scripturis loquentem. Nam & diabolus cùm accederet ad Christum & tentaret eum, per scripturas loquutus est cum eo, dicens: si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim: quia Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, & in manibus portabunt te. Constat autem Arrium quadraginta scripturarum loca produxisse, quibus adstruebat, filium non eiusdem esse cum patre substantiæ, necaliud vel ipse crepabat, vel sectatores eius, quàm scripturas, quàm Euangelium, quàm expressum Dei verbum. Ad scripturas subinde prouocabat, nec aliundè secum quàm de scripturis agi permittebat. Cum Augustino cõgressurus Maximinus, hanc ei disputãdi legem præscripsit, vt si qđ de diuinis scripturis protulisset, id audire necesse haberet. Eæ verò voces, inquit, quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur, cùm ipse Dominus moneat nos, & dicat. Sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. De Donatistis autem scribit idem Augustinus: Sicut diabolus contra latorem legis proferebat verba legis: sic & vos ex verbis legis accusatis homines quos ignoratis, vt Dei promissis quæ in ipsa lege scripta sunt, resistatis. At paucis interiectis: Verba legis dicitis, sed in quos dicatis, non attenditis. Sicut diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret, non agnoscebat. Ille caput nostrum surgant Sacramentarij? Quónam alio Caluinus, quoties cum Lutheranis illi res est, quàm ad scripturas prouocat? Quid est, quod minus ferre queat, quàm cùm æquè à Lutheranis, atq; à Christianis Patrum & Conciliorum auctoritatem obijci sibi videt? Cùm scripsissent Magdeburgenses: Iubemur cœlesti oraculo filium Dei audire, respondet eis Caluinus: Magnè nec minus improbè Christi auctoritatem nobis obijciunt, quasi à pura, germanaq; eius doctrina, nobis vel minimum deflectere propositum sit: qui non minus re ipsa semper demonstrauimus, quicquid ex sacro Domini ore prodijt, nos reuerenter excipere, quàm ipsi verbis iactant. Sit ergo nobis filius Dei absq; controuersia summus, perfectissimus, & vnicus Magister, in cuius doctrina verbum aut syllabam mutare fas non sit. Sed non impedit fidei obedientia, quò minus ad sanam verborum eius intelligentiam attentissimus: Sit ille quamuis impius & blasphemus: sibi tamen nihil obijci minus fert, quàm quòd filium Dei non audiat: quòd ab eius pura, germanaq; doctrina, vel minimum deflectat. Quid autem? An remissius id fit ab Anabaptistis? ex quibus quendam sic patrem cœlestem allocutum legimus: Certè hac in re non possum decipi: Verbo tuo pater cœlestis credidi, scio certo & firmiter, quod hæc mea doctrina, quòd est verbum Dei, in die recti iudicij, illudq; susceptum per spiritum sanctum, vt certum veritatis verbum. Ac paulò pòst: Ego quentem legimus. Certè hac in re non possum decipi: Verbo tuo pater cœlestis credidi, non solùm Dominos & Principes, non solùm mundum, sed ipsos etiam Angelos iudicabit. An hic tibi minus certus esse videtur, doctrinã suam expressum esse Dei verbum, quàm aut

*Chrysost. In sermo. aduersus hæreticos.*

*Tob. 3.*

*Matth. 4.*

*Arrius quadraginta scripturarum loca produxit ad suam hæresim constituendam.*

*Aug. lib. 1. contra Maximinum.*

*Matth. 15.*

*Macedonius. Greg. Nazian. Nestorius.*

*Eutiches.*

*Aug.*

*Orig. hom. 31. in Lucam.*

*Testimonijs scripturarum ad durum statim acquiescendum non est.*

*Sacramentarij. Caluinus.*

*Magdeburgenses. Caluinus.*

*Anabaptistæ cuiusdam oratio ad Deum patrem.*

*Verbum suum, expressum Dei verbum esse firmiter hæretici statuere audent.*

Luthe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Lutherus, aut Caluinus? cùm tamen & huius & Lutheri & Caluini verbum expressum sit verbum Diaboli.

Quorsum autem ad extremum res redijt? Stupor & mirabilia: dum sic vnaquæque secta verbum ad se Dei rapere, sibiq; soli veram illius intelligentiam arrogare conatur. Natum est nouum quoddam Prophetarum genus, qui non sunt veriti, scripturarum auctoritate, scripturis auctoritatem omnem detrahere. En quò perduxit rem tãdem Satanas. Posteàquam eò miseros mortales adduxit, vt quam quisq; doctrinam esset amplexus, eam expressum esse Dei verbum, certò sibi persuaderet, nec vllis rationibus ab ea se deduci pateretur. Iam igitur hoc est cõstitutum, quòd nullus ferè fuit vnquam hæreticorum, qui suum errorem scripturis non cõfirmaret: quisq; suam opinionem, Dei verbum non esse diceret. Et clamat hoc quidem res ipsa, nihil vt opus vlla demonstratione fuerit, sed testatur hoc tamen Princeps etiam nostri temporis hæreticorum: qui propterea nomen hoc etiam ad extremum, scripturam sacram esse consequutam scribit, quòd vocatur liber hæreticorũ, quòd ex ea ducunt originem omnes hæreses.

*Prophetarũ quoddã nouum genus.*

*Scriptura sacra ab Hæreticorum Principe dicitur liber hæreticorum.*

Quorsum autem hæc dicit aliquis? Num tu Dei verbum extenuare, num omnem eius auctoritatem detrahere conaris? An hæc ita multa propterea produxisti, vt ostenderes, hæreticum esse, si quis testimonio scripturarum vteretur? Procul à nobis absit, vt vel cogitemus hæc, quæ sunt ab homine Christiano aliena, quin quod ab Hilario dictum est olim, idem & nos dicimus: De intelligentia hæresis est, non de scriptura, Sensus, non sermo, fit crimen. Nihil scriptura sanctius, nihil augustius, nihil secundum Deum omni veneratione dignius. Verum, quid esse potest tam sanctum, quo non in perniciem hominum, humani generis hostis abutatur? Non est quod quisquam existimet, qui verba Dei loquuntur, qui diuinæ legis oracula proferunt, quod eorum ora semper Deus aperiat. Annotauit hoc doctissimus Origenes, quòd non rarò, qui Dei verba loquuntur, eorum ora diabolus etiam aperiat: Qui mendacium loquitur, inquit, certum est, quòd diabolus aperit os eius, vt mendacium loquatur. Sed quomodo potest, inquis, loqui mendacium, qui scripturarum testimonia profert? quas à Spiritu sancto proficisci, qui spiritus est veritatis, à quo manat omne verum, nemo pius dubitat? Breuis est ad hæc, & expedita responsio: In scripturis quidem ipsis, quas diuinitus inspiratas esse scimus, nullum esse potest mendacium, cæterùm in sensu, quem adfert homo, de quo scriptum est: Omnis homo mendax: qui mendacium esse posse negauerit, quid is aliud, quàm Dei vocem negare, simul mendacij spiritum sanctum arguere videbitur? Quid igitur, dicet aliquis? Si omnis homo mendax, num igitur quicquid homo loquitur, quicquid etiam ex diuinæ legis oraculis profert, mendacium est? Absit. Non hoc dico. Qui sciam igitur, quando loquitur mendacium? Docebit nos hoc ipsa, quæ mentiri non potest, veritas. Qui loquitur, inquit, mendacium, de suo loquitur. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum: Si quid autem habet homo veritatis & iustitiæ, à Deo habet. Is igitur loquitur veritatem, qui non de suo, sed de Deo loquitur. Dices iterum: An non loquitur de DEO, qui DEI verba, qui scripturarum testimonia recitat? Atqui iam audiuisti, non semel à me dictum, quòd etiam diabolus testimonia scripturarum recitat, neque tamen propterea veritatem loquitur, quia de suo loquitur. Quid est hoc, de suo loquitur? Suum scripturæ, non Dei sensum adfert. Hoc autem est hæreticum esse, sicut iam ex Ambrosio docuimus, proprium sensum verbis adstruere legis, & per verba legis legem impugnare. Sed quomodo discernam, quando suum quis proprium, quando verò Dei sensum adfert? Docebit hoc nos celeberrimus Ecclesiæ doctor Augustinus, qui sic Deum alloquitur? Veritas tua: nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad eius cõmunionem publicè vocas, terribiliter admonens, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu ad fruendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum vult esse, quod omnium est, à communi propellitur ad sua, hoc est à veritate ad mendacium, qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur. Iamnè intelligis, quis de suo, hoc est, quis mendacium loquatur. Veritas non est huius, aut illius, sed est omnium. Omnes ad eius communionem, Deus publicè vocauit. Quisquis ergo, quod publicum est, facit priuatum: quisquis, quod omnium est per charitatem, id sibi proprium vendicat, & suum esse vult per contentionem, is de suo loquitur, mendacium loquitur. Veritas enim alibi non est, quàm apud omnes, hoc est, in Ecclesia Catholica: quamobrem, quicunq; singulares aliquos intellectus exquirit insolitos, & hactenus inauditos sensus excogitat, nouas & solitarias opiniones adfert, etiam si sexcenta proferat è scripturis testimonia, quandoquidem ea non omnium, hoc est, non eo, qui receptus est in Ecclesia Catholica sensu vult intelligi, sed suum illis proprium sensum adstruit, de suo loquitur, atq; ideò mendacium loquitur. Veritas enim non est apud vnum aliquem, sed apud omnes, hoc est in Ecclesia Catholica, cui sanè scripturarum intelligentiæ lux à Deo promissa est, nullum vt certius argumentum esse queat, aliquè de suo, hoc est mendacium loqui, quàm si quis ab huius sensu & consensu recesserit, expressum Dei verbum proferre non potest. Nam qui Dei verba loquuntur extra Ecclesiam, eorum ora diabolum aperire certum est: sicut econtrario, qui loquuntur eadem intra Ecclesiam, quin eorum ora Deus aperiat, dubitandum non est. Atq; hæc est causa, quòd Manichæis euangelistæ, aut insignis alicuius doctoris memoria fit in Ecclesia, quòd & in introitu missæ, & in horis Canonicis illud ex Ecclesiastico legitur, in medio Ecclesiæ aperuit os eius: quo significatur non aperire cuiusquam os Deum, nisi sit in medio Ecclesiæ, à cuius sensu Ecclesiæ Doctor nisi fuerit in medio Ecclesiæ, nisi cum Ecclesiæ sensu consenserit, os eius Deum non aperuisse certum est. Quòd si quis verò contra sensum illius & consensum loquatur, non dubitanter affirmauerim, quòd os eius diabolus aperuit. Quisquis igitur de suo loquitur, mendacium loquitur: quisquis autem de Deo loquitur, veritatem loquitur. De Deo autem loquitur, non quicunque scripturas quomodolibet profert, sed qui scripturas non suo proprio, sed omnium, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ sensu profert. Atq; hoc est, q; propriè dicitur verbum Dei, quando scripturæ verbis nõ proprius adstruitur sensus, verùm is, qui omnium, qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eundem esse Dei sensum ambigendum non est. Sic annotatum à Socrate legimus, quòd Imperator Constantinus omnium eorum, qui conuenerãt in Concilio Nicæno, sententiam, Dei vocat sententiam. Vox enim Ecclesiæ, vox est Dei per illam loquentis. Catholicus igitur & Orthodoxus est, neque mendacium vlla ratione loqui potest, qui memor illius, quod scriptum est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: non suum, sed Ecclesiæ spiritum: non suum, sed Ecclesiæ sensum & consensum sequitur. Etiam si minus aperta videri possent alicui scripturæ verba, quæ talis profert, quoniam tamen Ecclesiæ sensu profert, expressum Dei verbum profert. Si quis verò suum illis proprium sensum adstruit, si suo sensui scripturas attemperat, nõ suum sensum scripturis iungit, si non pro sententia scripturarum diuinarum, sed pro sua ita dimicat, vt eam velit scripturarum esse, quæ sua est: cùm potius eam, quæ scripturarum est, suam esse velle deberet: si pertinaciter eiusmodi sententiam contra communem totius Ecclesiæ sensum & consensum tuetur, hæreticus est & schismaticus, & quamlibet multa scripturarum testimonia producat, non tamen expressum Dei, sed expressum diabolo verbum producit. Nihil itaq; scripturarum auctoritati detrahitur, quando non tam ex illis, quàm ex earum praua intelligentia hæreses natas esse dicitur. Vetus est hæc Basilij querela, quòd veritatis deprauatores, non suam scripturæ mentem accommodant, sed ad suam voluntatem mentem scripturarum trahunt. Præclarũ aũt est Clementis consilium, vt cùm lex Dei legitur, non secundum ingenij proprij intelligentiam legatur seu doceatur: sunt enim multa in scripturis diuinis, quæ possunt ad eum sensum trahi, quem vnusquisq; sibi præsumit. Et ideo scripturarum intelligentiam oportet, inquit, ab eo discere, qui eam à maioribus, secundum veritatem sibi traditam seruat. Quod consilium sequutos esse scribit Ruffinus illa duo Græciæ lumina, Basilium Magnum, & Gregorium Nazianzenum, qui, cum omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dedissent, eorum intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione regulam intelligendi suscepisse constabat. Quantum autem ab horum dissident sententia, qui temerè quamlibet volunt expendere scripturam, & iuxta suum iudicium ei credere, neq; Patrum sensu moueri: ad quos remitti, nefas esse putant. Quid aũt istis rectius à nobis dici poterit, quàm quòd Manichæis aliquando dictũ ab Augustino fuisse legimus? Videtis, inquit, id vos agere, vt omnis de medio scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaq; scriptura probet, quid improbet: id est, vt nõ auctoritati scripturarum subijciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subijciat. Non vt ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te cõmittis? An & horum alicui nõ rectè dicemus: Quò te committis, anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis? itanè quod tibi placet, id vis vt sentire scripturam credamus, & pro expresso Dei verbo habeamus? Cur non id potius, quod omnibus, hoc est: quod Ecclesiæ placuit vniuersæ? Quis est hic superbiæ tumor? quæ arrogantia animi? quæ mentis inflatio? Tu ne sic tibi soli Dei Spiritum vendicabis: sic reliquis detrahes omnibus, vt quem tu scripturæ sensum esse vis, eum totius Ecclesiæ sensu posthabito sequi teneamur? Potestnè maior esse, quàm sit hæc, tyrannis vlla? Adlubuit monacho monacha, visum est illi, quod huncaut illum sensum, hæc aut illa scriptura haberet. Quicquid igitur à Patribus traditum, quicquid auctoritate Conciliorum sancitum, quicquid Ecclesiæ totius diuturna consuetudine receptum est & approbatum, id omne contemnite, reijcite, pro nihilo ducite: neq; vel tantillum moueat, quempiam multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas Ecclesiæ sanctorum: sed quod illum interpretari videtis, hoc sensisse Spiritum sanctum ne dubitate: quod autem Orthodoxi docuerunt, quod auctoritas Ecclesiæ tradidit, quod populus Christianus tot iã seculis amplexus est, quod scholæ defendunt, exitiabile Satanæ venenum esse putate. Quàm verè dictum est à Paulo: Scientia inflat, charitas autem ædificat? Quamuis opinio scientiæ magis inflet, quàm ipsa scientia. Quòd si vel micam isti charitatis haberent, num ita turgescerent, vt omnes præ se cæcos esse, stupidos, bardos, truncos, perfuasum haberent? sed sicut vinum, nisi temperatum aqua fuerit, mentem alienat: sic scientia, si temperata charitate non fuerit, fastu quodam ebrium & prorsus insanum hominem reddit. Quamobrem rectè subijcit Paulus: Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oportet eum scire: Nam si cognouisset, nunquam opinione scientiæ sic insolesceret, vt se præferret alijs, ac tanquàm ex alto reliquos despiceret. Principium enim verę scientię est Dei cognitio, quę parit in nobis humilitatem & submissionem, & prosternit potius hominem, quàm erigit. Vbi verò tanta est superbia, quantam in ijs hominibus videre licet, quid ibi aliud esse potest, quàm ignoratio Dei? Docet autem alibi Paulus, quemadmodum scire nos oportet: Nemo, inquit, se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt fit sapiens. Ita demùm sapientem fore dicit aliquem Paulus, si proprio sensu non nitatur, si apud se vltro stultus fiat, si seipsum examinat, si quam habere videtur prudentiam, eam in obsequium redigat Christi capitis & corporis, vt illi credat, & quod ille docet, cum timore & reuerentia potius amplectatur, quàm vt, quod sibi ipsi probabile fuerit, sequatur. Quod vbi non fit, quid ibi aliud agitur, quàm

*Quid sit de suo loqui in diuinis scripturis.*

*Aug. lib. 11. confess. cap. 25.*

*Veritas qualis. Ioan. 8.*

*Veritas omnium est, nõ alicuius priuati.*

*Veritas in sola Ecclesia Catholica.*

*Sanctorum memoria cur in medio Ecclesiæ celebretur: S. Eccles. 15.*

*Os quorundam apertum Diabolus.*

*Origenes hom. 3. in Exodum. Ioan. 8.*

*In scripturis sanctis nullum est mendacium, sed in earum sensu, quem adfert homo*

*Psal. 115. Mendacium.*



*De Deo quis loquitur.*

*Verbum Dei propriè dicitur.*

*Lib. 1. hist. Eccles. cap. 9. Ecclesiæ vox est Dei vox.*

*In Hexameron. Hom. 8.*

*Lib. 10. Recognitionum Epist. 5.*

*Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 9.*

*Lib 32. contra Faustum cap. 19.*

*1. Cor. 2.*

*Scientia sine charitate insania est.*

*Dei cognitio principium scientiæ veræ.*

*1. Cor. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Auguſt.* quod ſcribit Auguſtinus, vt omnis è medio ſcripturarum auferatur auctoritas? An autem hoc ita factum iam eſſe non cernimus?

Exortus fuit hoc infelici ſeculo noſtro Martinus Lutherus, violenter in ſcripturas irruit, ac ſubmotis omnibus, quod ipſe vellet, quodq; ſuis dogmatibus commodum eſſet, hoc ſentire ſcripturam contendit: deniq; ſic rem geſſit, quaſi ſcripturæ ſacræ non diſpenſator, verùm Dominus eſſe poſtularet, obſequium ab omnibus requiſiuit in eo, quem ipſe protulliſſet, ſcripturæ ſenſu amplectendo. Natus eſt poſteà Carolſtadius, & ex eo Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus: & ſicut Lutherus Catholicos omnes & Orthodoxos, ſic ipſe viciſſim vnà cum illis, Lutherum etiam ipſum ſubmouit: & non hoc ſentire ſcripturam, quod Lutherus diceret, ſed quod ipſe doceret, magnis clamoribus contendit. Erupit alicunde non ita multò pòſt Balthaſar Pacimontanus: is non à Luthero magis, quàm à Zuinglio in certis ſcripturarum locis interpretandis diſſenſit, ac, quod ipſe, non quòd illi

*Verbum ſuum pro Dei verbo haberi volum hæretici.* vellent, hoc ſentire ſcripturam contendit. Viderunt hoc Prophetæ cœleſtes (quorum nunc princeps eſt Suenckfeldius) quòd iſti ſuo ſenſui ſcripturas attemperarent, nec pro ſcripturarum, ſed pro ſua ſententia dimicarent, vt non quod (verbi gratia) Matthæus, aut Marcus, ſed quod ipſi ſenſiſſent, id pro expreſſo Dei verbo populo venditarent: atque ita, dum vnicuique ſuus animus auctor eſt, quid in quaque ſcriptura probet aut improbet, non eos auctoritati ſcripturarum ſubijci, ſed ſibi ſubijcere ſcripturas, & ſibi domiuium in eas arrogare velle, ſic ſecum cogitare cœperunt. Quouſque tandem hanc exculatorum iſtorum tyrannidem feremus: vt, quod productis è ſcriptura voculis aliquot, eorum alicui viſum eſt, id tanquam expreſſum Dei verbum ſtatim adorare neceſſe habeamus: cùm tamen ſic ipſos inter ſe pugnantes videamus, dum hoc quiſq; contendit, vt non,

*Hæreticorum argumenta ridicula.* quæ Apoſtoli aut Euangeliſtæ, ſed quæ propria ipſius eſt ſententia, eam pro expreſſo Dei verbo ſectatores habeant. Siccine iam iſti ſe tanquàm numina coli volunt? quid aliud reſtat, quàm vt incuruemur coram hoc, aut illo? & quicquid eorum aliquis dixerit, é vestigio tanquam Dei vocem adoremus? Nos verò Dei de cœlo ſententiam potius expectabimus, ac tum iſtos pro ſua, non pro ſcripturarum ſententia dimicantes, tum ipſas etiam ſcripturas, quarum totiam, non diuerſas modò, verùm & contrarias interpretationes adferri videmus, faceſſere iubebimus: & quod nobis cœleſtis ille magiſter dignatus fuerit reuelare, tam-

*Pſal.34.* quam expreſſum Dei verbum, ea, qua par eſt reuerentia, recipiemus: ac ipſum loquentem potius audiemus (ſicut etiam Propheta dicit: Audiã quid loquatur in me Dominus) quàm vt ad egena iſta elementa nos conuertamus, & in illis, quæ nunc in hunc, nunc in illum ſenſum inflecti videmus, ſalutem noſtram conſtituamus. Non oportet legis aut ſcripturæ eſſe peritum, ſed à Deo doctum, vanus eſt labor, qui ſcripturæ impenditur, ſcriptura enim creatura eſt, & egenum quoddam elementum. Non conuenit Chriſtiano, nimium creaturæ addictum eſſe, Deum audire oportet, huius voces de cœlo expectandæ ſunt, vt nos erudiant:

*Pſal.93. Matth.23.* Beatus vir, inquit, Dauid, quem tu erudieris. Æquè nos docet hodie, atq; olim Patriarchas & Prophetas. Prohibuit CHriſtus, ne plures magiſtri fiant, quòd vnus eſt magiſter noſter in cœlis.

Vides pientiſſime Rex, quò tandem res reciderit, & quàm verè dictum eſt ab Auguſtino,

*Auguſt.* quòd omnis de medio ſcripturarum aufertur auctoritas, quando non auctoritati ſcripturarum ſubijci vult aliquis ad fidem, ſed ſibi ſubijcere ſcripturas: neq; de ſcriptura, ſed de ſua ſententia dimicat, vt, quod ipſe ſentit, ſolùm id, etiam ſi contrà ſentiant omnes, expreſſum Dei verbum haberi velit. Nimium altercando, dicit ille, veritas amittitur. An autem amiſſa

*Græc.* nõ eſt veritas? an, in quibus ſolis eſt indubitata veritas omnis, apud quoſdam ſcripturarum auctoritas ſublata non eſt, ex quo tempore ſibi quiſq; iudiciũ de ſcripturis arrogare, & ſubmotis omnibus, quem ipſe ſeorſum ab Eccleſia ſenſum attuliſſet, eum tanquam expreſſum Dei verbum adorari voluit? Fuiſſet autem in hunc ſtatum aliquando res perducta, ſi iſti homines ſe eſſe memores, Eccleſiæ potius iudicium ſequi, & illi ſe reuerenter ſubmittere maluiſſent, quàm vt ſui cordis viſiones pro Dei verbo amplecti homines iuberent? cùm nemo poſſit eſſe mortalium tam excellenti doctrina, tamq; inſigni vitæ ſanctimonia præditus, cu-

*Sententiam priuati doctoris pro Dei expreſſo verbo nemo amplectatur.* ius ſententiã pro expreſſo Dei verbo nobis amplecti fas ſit. Contrà verò, vbi conſentiens eſt Eccleſiæ totius vox, ſi quis id expreſſum eſſe Dei verbum, certiſſimamq; veritatem dubitat, quid is aliud, quàm, an verax ſit Deus, quem per os Eccleſiæ ſuæ loqui certum eſt & indubitatum, ambigere videtur.

Habes itaq; iam, Sigiſmunde Rex Auguſte, quòd non ſtatim expreſſum Dei verbum eſt, ſi quid è ſcripturis profertur, ex quarũ praua interpretatione hæreſes oẽs natas eſſe conſtat: cùm etiam diabolum dixiſſe legamus: Scriptum eſt. n. cùm tamen, quo ille ſenſu ſcripturas protulit, ipſius diaboli proprium, non Dei verbum fuerit. Sacroſanctæ ſunt ſcripturæ, nec dubium eſt, in illis verbum Dei contineri, ſi ſanus earum adſit intellectus. Cæterùm de intelligentia hæreſis eſt, non de ſcripturæ ſenſus, non ſermo ſit crimen. Nulla cum iſs, qui diceſſerunt à nobis, qui ſe de expreſſo Dei verbo iactant, ſibiq; ſolis illud arrogant, de ſcriptura

*Pſal.90. Matth.4.* nobis eſt diſceptatio, quam ipſi non aliundè, quàm à nobis, à quibus diſceſſerunt, habere ſe vltrò fatentur, Quin ſcripturas Canonicas nos reuerenter oẽs recipimus. Illi contrà, quando quidem non auctoritati ſcripturarũ ſubijci volunt ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ſubijcere conantur, non recipiunt in illis, niſi quod ſuis dogmatibus cõmodum eſt. Non eſt igitur inter nos de ſcripturis, verùm de ſcripturarum ſenſu controuerſia, qualem iam inde à multis ſeculis ſemper inter Catholicos & Hæreticos fuiſſe legimus.

*Pater maior me eſt. Arrius.* Proferebat ſcripturam Arrius: Pater maior eſt me, qua tanquam expreſſo Dei verbo, rudi populo perſuadere conatus eſt, CHriſtum Dei filium Patre minorem, nec eiuſdem eſſe cum illo ſubſtantiæ. Et certè, ſi quis imperitior nuda verba expendat, aliquid illi dixiſſe vide-



videbitur Arrius. Quid autem ad hæc Catholici & Orthodoxi? Scripturam reuerenter accipiebant, ſed, quod Arrius ex ea colligebat, expreſſum eſſe Dei verbum conſtanter negabant, cùm nunquam eo ſenſu protulerit hæc verba Chriſtus quaſi non æquè Deum, nequè per omnia ſe Patri æqualem eſſe dicere voluerit, cùm quatenus Dei filius, eiuſdem ſit eum Patre ſubſtantiæ: inferior autem ſit, quatenus hominis filius. Quare quod Arrius per hæc verba demonſtrare conabatur, non eſſe Patri conſubſtantialem Filium, quamlibet id ipſi, & ſectatoribus eius, expreſſum Dei verbum viſum eſt, expreſſum tamen illud eſſe diaboli verbum, Catholici non dubitanter affirmabant. Non diſſimilis eſt etiam hoc noſtro ſeculo, de controuerſis dogmatibus inter Catholicos & Hæreticos concertatio: neq; enim nobis cum ijs, qui diſceſſerunt à nobis, vlla eſt de ſcripturis diſceptatio, verùm de ſenſu tantùm. Quõ melius aũt res intelligi queat, vnicum ſcripturæ locum tractabimus, qui nunc paſſim ab omnibus profertur.

Expreſſum Dei verbum eſſe dicitur: Bibite ex hoc omnes. An autem nos expreſſum id eſſe Dei verbum negamus? quin libenter id cõcedimus: verùm, quòd eo ſenſu ſit expreſſum Dei verbum, quem ex eo loco, qui diſceſſerunt à nobis colligere conantur, hoc eſt, quod cõſtanter negamus. Quid enim illi colligunt ex hoc ſcripturæ loco? Quòd omnes, etiam laici communicantes, adſtringantur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendam Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie. Hoc ſenſu protuliſſe Chriſtum hæc verba, non concedimus. Quin, quod ipſe dixit aliquando Lutherus, idem & nos dicimus, nihil hac in re tanquam neceſſarium laicis Chriſtum præcepiſſe, quòd hæc verba non alijs dicta ſint, quàm Apoſtolis. Vides, qui hic nõ de ſcripturis ambigitur, ſed de intelligentia. Nam non minus, imò magis etiam reuerẽter, quàm ij, qui ſegregauerunt ſeipſos, nos Catholici ſcripturam hanc tanquàm Dei verbum recipimus: verùm, ſicut illi pro ſua, ita nos pro Eccleſiæ ſententia dimicamus. Amant illi, quam adferat ſententiam, non quia vera, ſed quia ſua eſt, & eam tuentur mordicus: nos quam adfert Eccleſia Dei, ſententiam amamus, non quia noſtra eſt, ſed quia ſcripturæ eam eſſe confidimus: quod non vno aliquo priuato homine, ſed cui miſſus eſt ſpiritus veritatis, quam columnam & firmamentum veritatis appellat Paulus, Eccleſia nos ita docente didicimus. Sed ſcripturam ipſam paulò diligẽtius expendamus. Aiunt, expreſſum eſſe Dei verbum: Bibite ex hoc omnes. Omnibus igitur ex calice neceſſariò bibendum eſt: quòd, ſi qui ſecùs fecerint, inſtitutionis Chriſti violatæ rei ſunt. Libet hic propius cum iſtorum aliquo pedem conferre. Cedò, quid vocas Dei verbum? Scripturam. Quid autem expreſſum? Clarum, dilucidum, omnium oculis expoſitum, quod nemo tam hebes, eſt, qui non videat. Sed obſecro te: ſi tam clarum eſt & dilucidum, quàm illud haberi tu vis, qui fit, quod de eo nunc ambigitur? De rebus, quæ claræ ſunt & perſpicuæ (verbi gratia, de eo, num dies nunc ſit, quando quidem Solem illuxiſſe videmus) eſt ne quiſquam, qui diſceptandum eſſe putet? Oportet igitur non tam expreſſum eſſe verbum hoc, quàm tibi videtur, quando de eo ſic ambigitur. Mirum eſt autem, ſi tam expreſſum eſt, quòd ſexcentis annis ijs, quibus Euangelium CHriſti recepit Polonia, cùm hæc verba CHriſti ſemper in Eccleſia lecta fuerint, & recitata, nemo repertus eſt, non iam dicam in Polonia, ſed in orbe vniuerſo, quam latè patet in eo nomen Chriſtianum, cui viſum fuerit, hoc expreſſum Dei verbum eſſe, quo ſenſu proferatur à te, nimirùm quòd adſtringantur eo laici, tanquam præcepto Domini, ad neceſſariò ſuſcipiendam Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie. Ne Græci quidem, quamuis bibant apud eos ex calice laici, ſic iſta verba ſunt vnquam interpretati. Qui, cùm in Concilio Florentino cum Latinis, ante centum annos conueniſſent, ac alijs de rebus nonnullis cum eis contendiſſent, de calicis vſu, ne tria quidem verba cum illis commutarunt, quòd ſcirent, nullum eſſe CHriſti præceptum de eo, ab omnibus laicis neceſſariò ſumendo. An igitur tu cœcos, ſtupidos, bardos, truncos fuiſſe putas omnes, qui tot ſeculis, imò ex quo tempore ſcriptum eſt hoc Euangelium, tam expreſſum Dei verbum non viderunt? Tu verò tecum etiam atq; etiam conſidera, num ſit hoc pietatis & moleſtiæ Chriſtianæ, ſic de Patribus ſentire, quorum non pauci, qui calicis vſum, præterquàm ſacris operantes, ignorabant ſanguine ſuo ſignatum nobis Euangelium Chriſti reliquerunt: ità ne tu, aut cœcitatis, aut impietatis eos omnes non condemnabis, qui vel non viderint hoc tamen expreſſum Dei verbum, vel quod minus etiam eſſet ferendum, viui, videntes; contra illud venerint? Sed clara ſunt, ais, verba: Bibite ex hoc omnes: Quicquid tandem ſit de Patribus: qui dicit, omnes, neminem excludit. Qua audacia facitis, ex omnes, non omnes? Sed ſi neminem excludit, qui dicit omnes, num igitur ex calice bibere vis etiam infideles? Abſit, inquis. Ad ſolos fideles Chriſti Sacramentorum pertinet participatio pertinet. Atqui paulò antè dicebas, qui dicit, omnes, neminem excludit, qua igitur fronte nunc excludis infideles, & ex omnes, facis non omnes? Verùm hac in parte tibi rectè ſentienti libenter ſubſcribimus, ac non inuiti reſtrictionem hanc tuã accipimus. Nunc tu dic, amabo? Infantes baptiſatos, eſſe ne fideles cenſes? Maximè. Quid igitur? Num & hos ex calice bibere iubebis? Minime. At qui paulò antè dicebas, omnibus fidelibus eſſe bibendum. Cur nunc iterum ex omnes, facis non omnes? Cur tibi permittis, qd Eccleſiæ Dei licere non vis? Tu paruulos ab omni Sacramentali participatione Chriſti corporis, & ſanguinis arceri, fas eſſe credis, & ſi laicis adultis altera tantum ſpecies detur (cùm tamen ſub altera, quæ datur, totus & integer Chriſtus accipiatur) grande ſacrilegiũ admitti queritaris. At quòd infantes, inquis, ab Euchariſtiæ cõmunione rectè arceri credam, Pauli me monet auctoritas, qui ſcripſit: Probet aut ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quomodo autem ſe probabit infans? aut quomodo corpus Domini dijudicabit, qui rationis eſt expers? Quid autem, ſi ſuperuacaneum eſt, vt ij ſe probent, quos conſtat eſſe mundos, & ſacro baptiſmate purificatos, atq; recens in Chriſti familiam inſcriptos? Quid, ſi paruuli corpus Domini, quod ſumunt, dijudicare poſſunt in ſuis tutoribus? qui, priuſquam

*Matth.26. Bibite ex hoc omnes quid.*

*Concil. Florent.*

*Omnes quid.*

*Sacramentorum partis: patio ad ſolos fideles pertinet.*

*Infantes à communione excludnntur. 1. cor. 11.*

*Verbum Dei quid. Expreſſum quid.*

*2. Tim. cap. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



baptizentur, eorum nomine se credere profitentur, imò & puerum credere, & abrenũncia-
*Infantibus à susceptorum & Ecclesiæ fides sufficit. Ruardus Tapper.*
are Satanæ. Si sufficit ad baptismum percipiendum, susceptorum, & Ecclesiæ fides, cur non æquè sufficiat ad sumendum Eucharistiam eorundem dijudicatio? Certè Ruardus Tapper, vir doctus, nõ aliam causam adfert, quamobrem à Sacramentali participatione Christi corporis & sanguinis arcentur paruuli, nisi quia plerunq; quod in os ingeritur non deglutiũt, aut ingestum reijciunt. Sed absit. vt illud reprehendam, quòd magis etiam restringis hanc vocem, omnes, ac infantes etiam, ad communionem admittendos esse negas: quandoquidem eadem est Ecclesiæ sententia, etsi secùs in Ecclesia primitiua fuisse legimus obseruatũ. Cæterùm si iusta ratione factũ esse putas, quod ab omni Sacramentali participatione Christi corporis & sanguinis arcet infantes Ecclesia, cur non itidem de illa tibi persuades, quòd calicem quoq; dare laicis intermisit, nõ eam fecisse, nisi iustissimis, grauissimisq; rationibus adductam?

Sed excutiamus adhuc verba CHRISTI, quæ si rectè volumus intelligere, necesse est, vt quæ præcesserunt, videamus, quo sic, quibus ea dicta sint, cognoscere queamus. Cœnam Dominicam describens Matthæus, ita loquitur: Vescere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis: Marcus ita: Vespere autem facto, venit cum duodecim. Lucas ita: Et cùm esset facta hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Expressum in superiori loco tibi visum est verbũ, omnes: qui fit, vt non æquè tibi videatur expressum verbũ hoc duodecim? Num autem essent aliqua litigandi materia, si quam acutè cernis illam, tam acutè cerneres & hanc, quæ præcessit, vocem? An vtrumq; non eiusdem Dei verbũ est, & oẽs, & duodecim? vt sit sensus hic: Bibite ex hoc omnes vos duodecim, qui mecum discubuistis. Cõstat plures alios in domo Simonis leprosi, vbi cœna facta est, fuisse, solos tamen duodecim Apostolos discubuisse, quos, cùm nouos noui sacrificij Sacerdotes instituisset, dicens. Hoc facite in meam commemorationem, solos eos ex calice bibere iussit. Quod etiam fecerunt, sicut scribit Marcus: Et biberunt ex eo omnes. An ex eo tibi colligere non liceret, quòd quamuis sacramentum Christi corporis & sanguinis ad omnes pertineat, verba tamen hæc, Bibite ex hoc omnes, non pertineant, nisi ad solos Apostolos, & eos, qui successerunt illis, Episcopos & Sacerdotes: vt expressum Dei verbum sit, quoties hoc faciũt Sacerdotes, quòd ipse tum Christus faciebat, & eos facere iubebat, hoc est, quoties consecrant Christi corpus, & in memoriam passionis eius offerunt, necesse eos habere, vtraq; specie vti, & in consecrando, & in offerendo, & in sumendo, ita, vt si prætermiserint alteram, grande sacrilegium admittere videantur. Vel vnum autem verbum proferi non iam dicam expressum, sed quamlibet obscurum, ex quo conijcere tamen vtcunq; liceat, quòd vel iusserit vnquam ex calice bibere laicis, vel saltem bibendum illis ex eo sanguinem suum Christus dederit. Et interea nobis obijcis expressum Dei verbum, & inflatis buccis illud subinde crepas, cùm nec vmbram illius vllam in scripturis inuenire possis. Nos verò, siue spectare velis vmbram & figuram, siue rem ipsam & veritatem, contrarium è scripturis ostendere tibi possumus. Vmbram & figuram Eucharistiæ Sacramenti fuisse Manna, quod de cælo Iudæis erat suppeditatum, & simul agnum illum paschalem, non ignoras: de ijs comedebant omnes, liquida verò nunquam in aliorum quàm in Sacerdotum vsum veniebant, neq; sibi laici portionem eorum vllam vsurpabant. Veniamus ad rem & veritatem. Duobus illis in Emaus euntibus, appropinquans Christus, ibat cum illis. Cùm ad castellum peruenissent, mansit cum illis, ac recumbens cum eis, accepit panem, benedixit, & fregit, ac porrigebat eis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Panem hunc interpretantur sancti Patres, Sacramentum Christi corporis & sanguinis, hic de calice nulla fit mentio. Iamnè vides expressum Dei verbum, quòd sub specie panis tantùm, Eucharistiam Christus dederit, qui nõ erant Apostoli? Quòd autem vel dare iusserit, vel dederit ex calice sanguinem suum bibendum laicis, tantùm abest, hoc, vt expressum sit Dei verbum, vt ne vmbram quidem eius rei vsquam in scripturis reperire queas. Intellexerunt hoc Boëmi, quòd ex ijs Euangelij locis, vbi cœna Domini describitur, errorem suum defendere nõ possent, quo priuata sibi auctoritate calicem vsurparunt, quamobrem ad illum adstruendum, visum est illis magis expressum Dei verbum, quòd est apud Ioannem: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod verbum, qui se nostro tempore segregarunt, negant ad cœnam Dominicam quicquam pertinere, neq; de Sacramentali, sed de spirituali manducatione intelligi volunt. Sic quod Boëmis expressum, hoc Lutheranis non est expressum Dei verbum: qui cùm & Sacerdotium, & sacrificium ex Ecclesia sustulerint, quòd à Boëmis tamen factum non est, quandoquidem oẽs esse volunt Sacerdotes, omnibus esse dictum volunt, Bibite ex hoc omnes. Cæterùm ad hoc, quod ex capite sexto Ioannis adferunt Boëmi, præclarè quidam vir pius & doctus, ante centum annos respondit: Nullus fidelis Catholicus dicit, dictum hoc Ioannis: Nisi manducaueritis, &c. vel alia mandata Christi, non esse seruanda, sed Catholicus dicit, quòd vniuersalis Ecclesia melius intelligit, quæ sint Christi mandata, & qualiter sint seruanda, quàm Hussitæ: non igitur de verbis Christi, quę nemo pius non summa veneratione recipit, sed de sensu verborum eius disceptatur. Nostri quidem temporis hæretici, sicut paulò antè diximus, negant ea de Sacramentali Christi corporis & sanguinis manducatione rectè accipi, quam etiam ob causam, auctoritate loci huius ad asserendum calicis vsum non vtuntur. Nos verò, qui libenter ea, quæ patrum sunt, sequimur, quin de vtraq; rectè possint intelligi, minimè negamus. Interea tñ, etiá cùm sola species panis sumitur, & mãducari corpus & bibi sanguinẽ Christi, cõstãter asseueramus. Manducauerunt, inquit, Cyprianus, & biberunt de eodem pane, secundũ formam visibilẽ. Vides quemadmodum hîc, non manducari tantùm, verùm & bibi, dixerit de eodem pane: Quin & edi sanguinem in scripturis legimus. Manducatur igitur Christi corpus, &

*Matth. 26. Cap. 14. Cap. 22.*

*Duodecim quid.*

*Consecratione oblata & communione sub vtraque specie vtuntur soli consecrantes.*

*Lucæ 24.*

*Boëmi sumunt communionem sub vtraque specie. Cap. 6.*

*Cap. 6.*

*Inser. de cœna Domini bibitur & mãducatur de eodem pane. Ioan. 6.*



pus, & bibitur Christi sanguis, cùm sola species panis sumitur, etiamsi nihil in ora fidelium de calice fundatur. Quamuis .n. neq; dentibus atteratur, neq; glutiatur, fide tamen & charitate manducatur, & bibitur. Mirum est autem, quòd ex illo Euangelij loco suum institutũ probare Boëmi nituntur, in quo neq; calicis, neq; vini fit vlla mentio, sed solius panis tantùm, quem etiam solùm ad salutem sufficere verba Christi declarant, dicentis: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Vides, quemadmodum æternę vitę promissio, non calici, sed pani facta est. Ac in illo toto sexto capite, ne minimo quidem verbo loannes, aut calicis, aut vini meminit. Qua de re igitur queritaris, ô Satana, Quid hac inani tota, de expresso Dei verbo, iactantia, toties aures nostras obtundis? cùm quicquid è scripturis profertur, modò sanus adsit earum intellectus, magis ad receptum Ecclesiæ morem comprobãdum, quàm ad tuum istum errorem tuendum facere videatur. Verùm nihil est, quod homo Christianus existimet de calice tantoperè Satanam laborare. Non ignorat ille, nihil ad salutem referre, vtatur quis calice, necnè, quum per membra sua Lutherum, Bucerum, Philippum non obscurè fateatur, nihil de calice sumendo, tanquam ad salutem necessarium à Christo præceptum esse. Scit ille, longè verissimum esse, quòd à Patribus in Concilio Basilienſi, quod hac quidem in parte receptum & approbatum esse constat, decretum fuit: siue sub vna, siue sub vtraq; specie quis communicet, secundum ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ, proficere dignè communicantibus ad salutem. Itaq; non hoc eum offendit, quòd sub vna specie communicatur, nec hoc vrget, vt sub duplici communicetur: sed quod fit secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ: quoniam sic demùm, & nõ aliter proficere communicantibus ad salutem intelligit, hoc est, quod eum offendit maximè: ac ne communicetur hoc modo, nimirùm secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesię, hoc est, quod instat & vrget maximè. Satanas vult esse Satanas: Satanam Hebręi vocant aduersarium: vult igitur aduersari CHristo, & capiti & corpori. Est ordinatio seu obseruantia CHristi corporis Ecclesiæ, vt sub vna communicetur: vult sub vtraque. Est ordinatio seu obseruantia CHristi corporis Ecclesiæ, vt sub vtraque specie communicetur: vult vel sub vna, vel sub neutra communicare. Vis autem audire bestiam ipsam verba sua sonantem? Recitauimus ea superius aliquantò, sed quid impedit, quò minus ea nunc quoq; recitemus? Sic per electum quoddam suum vas loquitur: Si quo casu Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque potiri, imò tum primùm in despectum Concilij, vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri, & planè eos anathema habere, quicunque auctoritate talis Concilij potirentur vtraque. Vides, quorsum eat Satanas? Non facta cupit omnia. Satanas est, Christi capitis, & corporis aduersarius est, anticHristus est: quamobrem quicquid per os Ecclesiæ suæ CHristo decernere visum est, quamlibet id esse rectum, verboque Dei consentaneum intelligat, ei tamen obnixè, manibus (quod aiunt) pedibusq; semper aduersari conatur, & quam olim capiti nostro Christo (caput ipse sui corporis) eandem nunc per membra sua membris CHristi cantilenam occinit: Mitte te deorsum, hoc est, sicut Vincentium Lyrinensem interpretatum audiuimus, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Non hoc, quod Ecclesiæ, sed quod mihi visum est, sequere: Priuati alicuius, qui cùm spiritu meo sit afflatus, nihil sibi non arrogabit, nihil alijs non detrahet, non orbis totius Christiani, cui spiritum Christi non deesse certum est, sensum & consensum amplectere. Quoties igitur profert ex Euangelio Satanas: Scriptum est enim: Bibite ex hoc omnes, toties eum nihil aliud dicere putato, quàm quòd Christo dixit: Mitte te deorsum. Hoc enim est, quod ille persuadere conatur hominibus, vt Ecclesiam, quę firmamentum & columna est veritatis, cõtemnant, vt in scripturis interpretandis priuato suo, quàm illius iudicio plus tribuant, vt sanctiones eius pro nihilo ducant, vt ab eius corpore se præcidant. Quamobrem, quod ad vsum attinet Eucharistiæ, quod olim Donatistis dixit Augustinus: Non in Sacramentis, sed in præcisione vitium est, hoc istis & nos modò totidem verbis dicere possumus: Non in vsu sacramenti, sed in præcisione vitium est. Non in eo vitium est, si sub vna, nec in eo, si sub duplici specie communicetur, sed si contra ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ communices, in hoc solo vitium est, & quidem tantum vitium, vt omnia flagitia alia cum hoc vno collata, festuca sint cum trabe comparata.

Quæ (malum) igitur hæc est quorundam religio, qui se Dei timore, verbiq; saluificantis (sic .n. loquuntur) amore facere dicunt, vt de calice sibi necessariò putent esse bibendum? Scilicet, sexcentis ijs annis, quibus Christi fidem recepit Polonia, cum adiunctis sibi terris, nemo fuit, qui Deum timeret, nemo fuit, qui verbũ saluificans amaret, ac ne nunc quidẽ est quisquã in orbe toto Christiano, nisi qui Lutheri spiritu fuerit afflatus. Quis est hic animi tumor? quæ plusquàm satanica mentis inflatio? Sic, vt soli tibi Dei timorem: sic, vt soli tibi verbi saluificãtis amorem arroges, vt cæteris omnibus, quamlibet ij fuerint insigni pietate præditi, prorsus detrahere videaris. Qui sunt aũt isti, nisi filij degeneres, & sicut à Propheta vocantur, semen mulieris adulteræ? qui sanctis Patribus & maioribus suis, extremæ cuiusdam impietatis notam inurere non verentur, quasi nullus in eis timor Dei, nullus fuerit amor verbi saluificantis, & quidem ijs Patribus, à quibus acceperunt & rectè viuendi instituta, & pietatis doctrinam, quam eorum pleriq; sanguine suo nobis obsignatam reliquerũt, quorum opera factum est, vt Christi primùm nomen audiremus, & è densissimis idolorum tenebris eruti, luce veritatis eius illustraremur. Scilicet, secundum expressum Dei verbum hoc isti faciunt, quo nobis dicitur: Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

Sed expendamus, quis ille Dei timor sit, quo se perculsos, à calice negant abstinere posse.

*Ioan. 6. Vitæ æternæ promissio non calici. sed pani facta.*

*Cõcil. Basil. decretum de Eucharistia Satanæ odium ad Ecclesiæ ordinationem sub vna.*

*Satanas aduersarius interpretatur.*

*Lutherus vas Satanæ electum.*

*Vincẽt. Lyrinensis. Mittere se deorsum quid. Matth. 26.*

*Tim. 5.*

*August. Non in vsu Sacramẽtorũ, sed in præcisione vitium est.*

*Lutheranorũ animi tumor.*

*Isaiæ 57.*

*Dei timor, qua perculsi sint Lutherani. Ioan. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Num illi similimus non est, quo Iudæi quoque prohiberi videbantur, ne prætorium ingrederentur, vt ne cõtaminarentur: Grandis apud eos religio fuit in prætorium ingredi, quod hoc ingressu grauiter se contaminatos iri putarent, CHristum autem tradere gentibus ad illudendum, ad flagellandum, ad crucifigendum nulla fuit eis religio, quin secùs etiam facere, fuit religio. Sic enim sibi persuadebant, se Dei præceptum implere, si Dei filium extremis afficiendum supplicijs, gentibus tradidissent. Nos legem habemus, inquiebant, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Expresso Dei verbo sibi demonstrare videbantur, se iure Christum gentibus tradere, morte condemnandum: ac vsque eo nullo hac in re conscientiæ scrupulo premebantur, vt se grandi scelere obstrictos iri putarent, si secùs fecissent. Quid autem? An illi non multò leuiore piaculo, quacunq; tandem ex honesta causa fuissent in prætorium ingressi, quàm quo Christum Dei filium in crucem egerunt? Talis nimirùm est istorum religio, qui se conscientia sua prohiberi dicunt, quominus alterra tantum Sacramenti specie sint contenti. Rectè quadrat in eos illud ex Psalmo: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quodq; Christus ipse dicit in Euangelio: Culicem colantes, camelum autem glutientes. Timere Deum videri volunt, sicubi (quod expressum Dei verbum, & præceptum est) Ecclesia audienda, & receptus ac probatus ab ea ritus retinendus est: vbi verò corpus Christi mysticum, quod sic illo dilexit, vt pro ille viuum & verum suum corpus in mortem traderet, Ecclesia sancta Catholica in multas partes diffecanda, neq; minus crudeliter lanianda venit, quàm viuum & verum CHristi corpus à Iudæis fuit laceratum, ibi nullum Dei timorem ostendunt. Quin sicut Iudæi, cùm verum CHristi corpus dilaniandum tortoribus traderent, secundum expressum Dei verbum id facere se vociferabantur, dicentes: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori. Sic & isti, cùm idem de mystico Christi corpore consilium capiant, cùm vias omnes & rationes persequantur, quibus id in quàm plurimas partes dissecari queat, qui conatus eorũ (proh dolor) inmium eis succesſit, à calice sumpto initio, secundum expressum Dei verbum id facere videri volunt, clamantes & ipsi: nos legem habemus, bibite ex hoc omnes, & secundum legem hanc scindi debet, ac lacerari mysticum corpus CHristi Ecclesia. Quàm sunt autem admirabiles istæ Satanæ fraudes? quanta est insidiarum eius calliditas? Ex eo, quòd CHristus esse voluit Sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis, conatur ille facere, causam dissidij, materiam diuisionis, fomitem odij. Quid enim aliud agitur in hoc Sacramento, nisi quòd Paulus dicit: Mors Domini annunciatur? Quam autem ob causam ille mortuus est? vt filios Dei, inquit Ioannes, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Christus proptereà mortuus est, vt congregaret, vt nos vnum corpus efficeret, cuius rei symbolum etiam esse voluit hoc Sacramentum: vnus enim panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus: hic verò, non magis nomine quàm re Satanas, verus Antichristus, verus aduersarius Christi, propterea de calice cõtentionem hanc iniecit, vt segreget, vt diuidat, vt dispergat, & in quàm plurimas partes dissecet, quam ille precioso sanguine suo sibi collegit Ecclesiam, quò sic in eis, qui sacrilega separationis consilia sequuti fuerint, crucis & mortis Christi beneficium irritum, & inane reddat. Nos, ait Augustinus, in hoc Sacramento Dominus designauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis in hac mensa consecrauit: qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non pro se mysterium, sed contra se testimonium accipit.

Vis autem scire, quanto se scelere talis obstringat? Paulum dicentem audi, quòd reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc est, non leuius designabit facinus, nec minoris erit supplicij reus, quàm illi ipsi, qui suis manibus CHristum flagellauerunt, qui sanguinem ipsius profuderunt, qui corpus eius in crucem egerunt, qui graui supplicio mortis illum affecerunt. Et hoc est, quod vult Satanas, vt in hoc vnitatis Sacramento diuisio quæratur, quò sic denuò Christus crucifigatur, & ostentui habeatur.

Hoc aũt erit, qui verbu vocare saluificans audeat? Scilicet verbũ saluificàs dici meretur, qd reum facit mortis æternæ? Non est hoc verbũ saluificãs. Bibite ex calice, Bibite ex calice Iudas, & condemnatus est: biberunt hæretici multi, biberũt falsi fratres plurimi, Christum quidem confitentes, virtutem autem eius abnegantes, verùm ad mortem & condemnationem æternam, non ad vitam & salutem æternam.

Vis autem, quòd sit verbum saluificans, cognoscere? Breue verbum est, & expeditum: Ama, Charitas est verbum saluificans, quam qui non habet, bibat ex calice quantum volet, mortem æternam consequetur, salutem æternam nunquàm consequetur. Verum est enim illud, quòd qui non diligit, manet in morte: qui verò diligit proximum, legem impleuit. Videtur autem tibi diligere proximum, qui sic sentit de præpositis suis, quibus obedire iussus est, quòd nullo sint aut fuerint vnquam Dei timore, nullo verbi saluificantis amore prædi ti, quin illud conati semper sint, ac, nunc etiam oppugnare conentur? Certè non dilectionis hæc sunt, sed odij. Videtur is diligere proximum, qui se non ab vno aliquo, verùm ab omnibus, qui Christum verè profitentur, ab vniuersa Catholica Ecclesia separat: patres-qúe suos, & maiores omnes impietatis condemnat, tanquam qui Spiritui sancto restiterint, nec agnitam veritatem amplecti voluerint: Charitatis quidem & dilectionis proprium est vnire, non diuidere. Non est igitur verbum saluificans: Bibite ex calice, sed verbum saluificans est, dilige, hoc est, nõ te separa à compage Christi corporis, ab Ecclesiæ vnitate: quin illã obedienter & reuerenter audi: sensum tuũ illius sensui & cõsensui libenter subijce, nec vnũ tibi tantum arroges, vt illius iudicio tuum iudicium anteponas. Præclarè scriptũ est ab Augustino: Dilige, & fac quod vis. Siue bibas ex calice, siue non bibas, modò in dilectione & vnitate vel bibas vel abstineas, iuxta ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ, proficit tibi ad salutem. Contrà verò, siue bibas ex calice, siue non bibas in diuisione, reus eris corporis & sanguinis Domini: quandoquidem ibi queris diuisionem, vbi Christus vel maximè commendare nobis voluit vnitatem.

*Iudæorum simulata religio.*

*Hæreticorũ religio Psal. 13. Matth. 22.*

*Ecclesiæ corpus Christi mysticum ab hæreticis in multas partes dissectum.*

*Ioan. 18.*

*Satanæ fraus atque calliditas quam admirabilis. 1. Cor. 11. Ioan. 11.*

*1. Cor. 10.*

*Augustin.*

*1. Cor. 11. Deus esse corporis Domini, quid significet.*

*Verbum ædificans est charitas. 1. Ioan. 4.*

*Rom. 13.*

*Hæretici charitate vacui.*

*Aug. tract. 7. in epist. Ioan.*



Quæ cùm ita sint, quis est Sigismunde Rex Auguste, qui factum hoc tuum satis prædicare possit, quòd cùm tibi quoq; dictum non semel fuisset: mitte te deorsum, hoc est, è sublimis Ecclesiæ doctrina, traditione q; te demitte, ac vel in solius Eucharistiæ cõmunione contraduci potuisti, vt istis separationis consilijs loci dares aliqd? Quin, cùm personę tuæ non esse, quam ea re mouebantur, quòd vociferabatur Nestorius, expresso Dei verbo se niti, quod vocem hanc, Deiparam, negaret in scripturis Canonicis vsquam reperiri, nec extra illas recipiendum aliqd esse diceret, cùm hæresim Nestorij, qua is Mariam, nudum tantùm hominem peperisse Christum, contendebat, non alia re, quàm contraria constitutione citius abolleri posse, persuasum haberent. Nec q; verò frustrati sunt opinione sua. Tantas. n. radices egit hoc sanctorum Patrum in animis mortalium decretum, vt ne nunc quidem, tanto seculorũ interuallo, vlla gens vsquàm videatur (quæ modò Christi recipit Euangelium) cuius vernacula lingua, Maria virgo, non Deipara potius, quàm Christipara vocetur. Iam Apostolorum Canonem esse scimus, vt Baptizandi, ter mergantur: propter vitandum tamen schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, in quarto Concilio Toletano decretum fuisse legimus, vt simplex teneretur baptismi mersio, ne viderentur, qui tertiò mergunt, hæreticorũ assertionem probare, dum sequuntur & morem: Sed nec illud ignoramus, quòd in azymo pane Sacramentum Eucharistię Christus confecit, qui ritus aliquandiu etiam fuit obseruatus in Ecclesia: & obseruatur nunc quoq; simul vt autẽ exorti fuerant Ebionitæ, qui legalia simul cum Euangelio seruari debere contendebant (quam etiam ob causam, in fermentato pane Sacramentum istud confici posse negabant, quod omnis oblatio, quę offertur Domino juxta legem, absq; fermento esse debet) contrarium est cõstitutum, nimirùm, vt fermentato pane conficeretur Eucharistia, cùm natura tamen sua, sit indifferens: nec referre quicquam videatur, in Azymo ne cõficias, an in fermentato. Posteàquam verò cessauit Ebionitarum hæresis, ad intermissum in Azymo consecrandi morem, Latina quidem Ecclesia sibi redeundum esse putauit. Sic sancti Patres nostri, non permissionibus alendas, verùm cõtrarijs sanctionibus opprimendas hæreses esse censuerunt.

Et sunt interea, qui persuadere populo conantur, vnam hanc esse viam & rationem, qua dissidijs istis religionis mederi, simul id efficere liceat, vt in regno tuo, fidei dogmatũ consensus & vnitas retineatur, si calix laicis permittatur. Ne isti, quæ sunt Satanæ fraudes, non-dum satis dedicisse videntur. Potestne sanus aliquis credere, quòd errore permisso, errores tolli: quod q; separatione concessa, vnitas retineri queat? Errorem voco, si tanquam necessarius ad salutem calix exigitur: separationem voco, si seorsum ab orbe Christiano permittatur. Mihi quidem hoc etiam cum ipsa ratione, sensuq; cõmuni, pugnare videtur. Lõgè secùs ipsum est sanctis Patribus nostris: Non illi permissionibus, verùm contrarijs constitutionibus, hæreses extinguendas esse putauerunt. Quid habebat ea res iniquitatis, quòd Mariam Nestorius Christiparam vocari volebat? An ea Christum nobis non peperit? An parũ id frequens est in scripturis, quòd IESV Mater esse dicitur? in quibus nusquam Deipara vocata legitur: sanctis nihilominus Patribus, in Ephesino Concilio congregatis, hoc decretũ ferre vsum est, vt si quis eam Christiparam, & nõ Deiparam appellasset, anathema esset: nec quicquam hæreses Patribus nostris: Non illi permissionibus, verùm contrarijs constitutionibus, hæreses extinguendas esse putauerunt. Quid habebat ea res iniquitatis, quòd Mariam Nestorius Christiparam vocari volebat? An ea Christum nobis non peperit? An parũ id frequens est in scripturis, quòd IESV Mater esse dicitur? in quibus nusquam Deipara vocata legitur: sanctis nihilominus Patribus, in Ephesino Concilio congregatis, hoc decretũ ferre vsum est, vt si quis eam Christiparam, & nõ Deiparam appellasset, anathema esset: nec quicquam ea re mouebantur, quòd vociferabatur Nestorius, expresso Dei verbo se niti, quod vocem hanc, Deiparam, negaret in scripturis Canonicis vsquam reperiri, nec extra illas recipiendum aliqd esse diceret, cùm hæresim Nestorij, qua is Mariam, nudum tantùm hominem peperisse Christum, contendebat, non alia re, quàm contraria constitutione citius abolleri posse, persuasum haberent. Nec q; verò frustrati sunt opinione sua. Tantas. n. radices egit hoc sanctorum Patrum in animis mortalium decretum, vt ne nunc quidem, tanto seculorũ interuallo, vlla gens vsquàm videatur (quæ modò Christi recipit Euangelium) cuius vernacula lingua, Maria virgo, non Deipara potius, quàm Christipara vocetur. Iam Apostolorum Canonem esse scimus, vt Baptizandi, ter mergantur: propter vitandum tamen schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, in quarto Concilio Toletano decretum fuisse legimus, vt simplex teneretur baptismi mersio, ne viderentur, qui tertiò mergunt, hæreticorũ assertionem probare, dum sequuntur & morem: Sed nec illud ignoramus, quòd in azymo pane Sacramentum Eucharistię Christus confecit, qui ritus aliquandiu etiam fuit obseruatus in Ecclesia: & obseruatur nunc quoq; simul vt autẽ exorti fuerant Ebionitæ, qui legalia simul cum Euangelio seruari debere contendebant (quam etiam ob causam, in fermentato pane Sacramentum istud confici posse negabant, quod omnis oblatio, quę offertur Domino juxta legem, absq; fermento esse debet) contrarium est cõstitutum, nimirùm, vt fermentato pane conficeretur Eucharistia, cùm natura tamen sua, sit indifferens: nec referre quicquam videatur, in Azymo ne cõficias, an in fermentato. Posteàquam verò cessauit Ebionitarum hæresis, ad intermissum in Azymo consecrandi morem, Latina quidem Ecclesia sibi redeundum esse putauit. Sic sancti Patres nostri, non permissionibus alendas, verùm cõtrarijs sanctionibus opprimendas hæreses esse censuerunt.

Sed multitudini petentium, aiunt, concedendũ est aliqd. Quid, si caput hoc doctrinę, ponat multitudo: Solum Deum Patrem adorandum & inuocãdum esse? Christum aũt pro procuratore tantùm habendum: Num statim, quia petit multitudo, cõcedendum esse dicetur, qui propriè sunt ad munus hoc vocati: cùm verè dictum sit ab illo, quòd multitudo mater est seditionis & cõtumaciæ, paucitas verò magistra disciplinæ. Regi, non regere: præscriptis parere, non præscribere debet multitudo. Actum est de illo regno, in quo penes multitudinem est imperium. Cùm in alijs rebus omnibus, tum præsertim, vbi causa religionis agitur, non, quis petat, neque quàm multi petant, sed, quid petatur, attendendum est. Postulauit olim ab Apostolis & eorum sectatoribus multitudo, CHristum vt negarent,

*Sigismundus Poloniæ Rex maximè Catholicus.*

*Eiusdem responsio ad legatos Protestatiũ.*

*Episcopi & Sacerdotibus legis, qui præscribunt principes seculis semper à Deo puniti.*

*Schisma vult Satanas, non calicem.*

*Satanæ vafricies.*

*Errore permisso, errores non tolli.*

*Fraus Nestorij hæretici.*

*Maria Christipara appellari prohibita in Concilio.*

*Baptismi simplex mersio, Concilio Toletano constituta.*

*Eucharistiæ Sacramentũ quare nunc in Azymo pane, nunc in fermentato confici iussum.*

*Hæreses non permissionibus, sed contrarijs edictis opprimendæ.*

*Multitudini aliquid petenti contra morẽ Ecclesiæ nihil concedendum.*

*Seditionis mater multitudo.*

*Chrys. hom. 1. Oper. imper. in Matthæum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



2. Mach. 7. Act. 5.

vt idolis thura admouerent, idem ab illis & potestas contendebat. Quid ad hæc illi? Oportet, aiebant, obedire Deo magis, quàm hominibus, ac quæuis adire supplicia, quin & iugula prius offerre parati fuerunt, quàm, vt postulata facerent. Quæ tuæ sint patres, pientissime Rex, in hæresibus propulsandis, non ignoras: docent hoc te patriæ quoq; leges, in quas cùm regno inauguratus esses, iurasti. Ac omnibus quidem, qui Christiani censeri volunt, nobis tamen Episcopis præcipuè, qui duces religionis esse debemus, millies morte oppetere præstat, quàm semel Christum negare. Negat autem Christum, non is modò, qui Deum esse illi non confitetur, & pro procuratore tantùm agnoscendum esse putat, aut qui non credit eorum aliquid, quę nobis aut de diuinitate, aut de humanitate illius Canonicarũ scripturarũ auctoritas credenda præscripsit: verùm & is, qui vnitati Ecclesiæ non communicat. CHristus.n. est & caput, & corpus: Caput est vnigenitus Dei Filius, corpus Ecclesia, spõsus & spõsa, duo in carne vna. Quãobrẽ ęquè Christũ negat is, qui ab eius corpore, quæ est Ecclesia, ita dissentit, vt eius cõmunio non sit cum toto, quacunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, atque is, qui de capite CHristo à scripturis sanctis dissentit: sicut non vno in loco docet Augustinus. Extat apud Eusebium epistola Dionysij Alexandrini ad Nouatum, in qua non minoris esse gloriæ scribit martyrium, Ecclesiæ non scindendæ gratia toleratum, quàm quòd fertur propter idololatriæ recusationem: imò, meo, inquit, iudicio maioris est gloriæ. Nam illic quidem pro vna anima martyrium toleratur, hic verò, pro vniuersa Ecclesia. Ex quo videre licet, non minus esse crimen Ecclesiam scindere, aut assensit schisma comprobare, quàm idolis thura admouere. Proculigitur abfit hoc à quouis hominem Christiano, præsertim ab Episcopo, quum vel multitudo, vel magnitudo separationem ab Ecclesia Dei petit, vt statim assensum ad eam suum præbeat. Optandum est, vt hanc nobis Deus mentem det, quo prius à corporibus nostris animas nostras separari velimus, quàm vt sacrilega consilia separationis à CHRISTO, & corpore eius, assensu nostro comprobemus. Hoc animo, cùm alios omnes, quotquot Christianorum appellatione gaudent, tum Episcopos præsertim, præditos esse decet, si bonorum Pastorum officio fungi volumus.

Augu. de vnitate Ecclesiæ, cap. 4. In 1. Canonicam Ioan. tract. 6. Item 31. Euseb. lib. 6. Eccl. hist. cap. 45.

Boni Pastoris functio.

Matth. 16.

Quo tempore primùm ad regni gubernacula, pientissime Rex, accessisti, memoria tenemus, cùm itidem à te postularetur quiddam, quod ad separationem attineret, placidè quidem pro eo, vt mansuetudo tua fert, sed negasse tamen te, quòd ne faceres postulata, religione prohiberi te diceres: simul in celebri senatorum totiusq; populi corona Christi vocem illam vsurpasse: Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suę detrimẽtum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Non tibi tanti fuerat regium diadema, non regni tam ampli, tamq; copiosi, non tot illi terrarum adiunctarum imperium, vt eorum amittendorum metu faceres aliquid, quḋ facere te salua fide, religioneq; tua non posse putares. Quid autem impedit, quò minus ijsdem & nunc verbis vtaris, nisi fortè minus tibi grauis, quàm, illa, videtur hæc separatio, cùm, vt, à Christi corpore, sancta Catholica Ecclesia, præcisionem fieri permittas, abs te postulatur.

Anim aduertendum diligenter.

Mori millies satius fuerit, quàm aliquid aduersus Ecclesiam concedere, uti pati fieri.

Sed publicæ tranquillitati dandum est (aiunt) aliquid. An verò tum quoq; publica regni tranquillitas non prætendebatur? An summa rerum perturbatio, nisi postulata fecisses, consequutura non esse denunciabatur? Prospexit nihilominus regni tui tranquillitati Deus. Ac si tanta tot animarum iactura regni tranquillitas est redimenda: cęlum, quod est in Proconuerbio, terra misceri præstat, & si fractus illabatur orbis, illius opprimi ruina satius fuerit, quàm à Christi corpore præcisos, beatam aliquandiu (vulgi iudicio) vitam in terris agere, quæ paulò pòst, sempiterna morte, & nunquam finiendis gehennæ supplicijs commutanda sit. Leuior est fortunarum, leuior & corporum, quàm animarum iactura, quarum irreparabile damnum est.

Matth. 20.

Atque hæc sic à nobis dicta sunt, quasi verum illud iam esset, quod persuadere nonnulli conantur, ad regni tui tranquillitatem plurimum interesse, si quibusdam (quibus rectè dici potest: Nescitis quid petatis) quod petunt, de calice concedatur: cùm interea certum illud sit & indubitatum, si quod petitur, concessum sit, multò maiorem id regno tuo pertubationem allaturum. Etiam huius seculi sapientes, quid de Repub. scripserint, aliarum rerum omnium præterquàm malarum, tum legum præsertim, veterumq; morum mutationem, cùm primis Reipublicæ periculosam esse docuerunt, quòd à corporibus humanis sumpta similitudine comprobarunt: quòd hi, qui à consueta victus ratione discedant, & nouam aliquam sibi constituant, non sine discrimine suæ valetudinis id faciant. Quamobrem præstare putant, vt etiam errata quædam & legumlatorum, & magistratuum tolerentur: cùm perspicuè, non tantum in eo boni sit, si corrigatur error, quantum inde redundet detrimenti, quòd paulatim assuescant homines magistratui non parere: vt subinde leges mutare, nihil aliud esse videatur, quàm omne robur eis detrahere. & paulatim homines ad mutandũ plura, maioraq; assuefacere, cùm non rarò, quæ videntur in speciem esse minima, maximorum causa sint malorum. An aũt hoc oculis ipsi nostris non ita pridem ad nocùm apud finitimos nobis populos, tum apud eos, qui in regno tuo non ita pridem ad nouandas res animum adiecerunt. Posset ego nominatim quosdam recensere, qui nihil aliud initio sibi, præter calicem permitti postulabant, quem sibi paulò pòst etiam vsurparunt: qui autẽ in eo acquicuerunt? Quin illi posteà Cõfessionem Augustanam integrã sunt amplexi, eadem est & Geneuensis) quã publicè profitetur Apostata Lysmanius, à te Sigismunde Rex proscriptus. Quid illis ad extremum sit futurũ, nescio. Fortassis ad Suenckfeldiũ tãdem inclinabunt. Vellem aũt, vnam mihi terram aliquam ostendi, vbi priuata libidine calix vsurpari cœptus est, in qua non ẽ vestigio multæ sunt aliæ, & quidem horribiles hæreses subortæ

Moriendum potius millies, quàm Christum & eius fidem negandam. Notandum. Negare Deum qui dicantur.

Matth. 16. Mox ea reiecta, Picardicam, proximè verò Geheñensem (Geneuensem dicere volui, nisi quòd

Plato libr. 7. de legibus. Arist. lib. 2. Polit. 6.

Legum mutatio quid mali vehat.

Genenẽsis Ecclesia est Gehennensis.



quitæ. Aliorum nostrorum memoria, primùm in finitimo nobis Boẽmię regno incidit ista de calice contentio, quem sibi nonnullæ ciuitates quo iure, quia iniuria vsurparunt? Quæ verò mox hęreseon portenta subsequuta non sunt? Quàm rara in Morauia & Boëmia oppida reperire licuit, vbi calicis vsus receptus est, in quibus nõ simul sex aut septem sectas, mirabiliter inter se dissectas videre licet? In Germania verò, satanismus hic omnis, quem non sine magno dolore & stupore cernimus, vnde, nisi à calice, sumpsit exordium?

In Morauia & Boemia sex aut septem sectæ, inter se dissectæ.

Videntur fraudes istæ, quæ per Satanæ membra veræ pietati struuntur, esse cuneo similimæ: qui prima parte tenuissimus est, nec vdetur in lignum impactus, magnam ligni disruptionem facturus. Verùm quamlibet illius prima sit acies tenuis, aditum tñ facit sequẽti crassitiei, ita vt cùm prima pars illa recepta fuerit, necessariò tandem & sequentia recipiantur, donec lignum penitus discindatur. Huius igitur exitiabilis cunei, si quis primam partẽ tenuiorem, calicem fuisse dixerit, à vero non aberrauerit. Nam vbi receptus hic est, iam altera cunei pars est subsequuta crassior, Augustana confessio, quæ nobis & Sacerdotium & sacrificium abrogauit, ac Deum ipsum, in ordinem quodammodo coëgit, nullus vt ei prę cæteris mortalibus excellentior honos haberetur. Mox ingressa est pars altera crassior adhuc, Tigurina & Laskana confessio: quæ duo, quæ nobis reliqua tñ fecerat Augustana confessio, sacramenta sustulit, Eucharistiam & baptismum: vt sicut illa suos absq; Sacerdotio & sacrificio, sic hęc esse suos quoq; faceret, absq; Sacrametis. Neq; nos magis Christianos, quàm Lutheranos, idololatriæ condemnauit, quòd vtriq; persuasum haberemus, quamuis diuerso modo, verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistiæ Sacramento contineri: Itaq; cùm exillo quoddam idolum facerẽmus, tum ex baptismi quoq; Sacramento, dum ei peccatorum remissionem tribuimus, & per lauacrũ regenerationis, nos fieri saluos credimus. Sic, quòd nos Lutheranis, hoc Sacramentarijs vicissim sunt Lutherani, nimirùm idololatræ. Venit ad extremum Suenckfeldius, qui & scripturas omnes, & externum omne verbi ministerium sustulit, æquè Sacramẽtarios, & Lutheranos, & nos Christianos idololatriæ reos fecit, qui conuersi ad egena elementa, hoc est, ad scripturas Canonicas, ex illis salutem peteremus. Et hæc fuit nouissima cunei pars, cuius prima parte, quamlibet illius acies tenuis esdam scripto nostro pluribus demonstrauimus.

Tigurina & Laskana confessio.

Blasphemia quanta huius temporis hæreticorũ in Deũ & eius Ecclesiam.

Suenckfeldius impientissimus.

Vides pientissime REX, quorsum ad extremum res perducta sit? posteaquàm in despectum Ecclesiæ calix initio fuit impactus, quanta ex hoc solo facta est ad reliquum Satanismum inclinatio? Quisquis est homo Christianus, qui pietate tamen aliqua præditus est, non facilè potest animum inducere, vt à sensu & consensu totius Ecclesiæ discedat. Cæterùm, simul vt vel vna aliqua in re discessionis initium fecerit, iam difficilius est multò finem illius, quàm fuit initium, inuenire: vt non sine causa prouerbio celebratum semper illud fuerit: Principium plus esse, quàm dimidium totius: quod etiam ad oculum videre licet in ijs, qui solius in calicis vsu, se ab Ecclesiæ compage principio diuulserunt, apud quos, si minus aliæ sectæ statim omnes, certè Lutheranismus omnis simul est euestigiò receptus. An eius rei periculum non esse factum scimus in Germania Conseri? pta fuit ibi quędam interim religio (quàm rectè, nolo dicere) sed fuit auctoritate comitiorum ab omnibus probè recepta, paucis quibusdam exceptis: num autem, à quibus recepta est, apud eos legitimum Sacerdotium & sacrificium, iuxta formulam, in eo libello præscriptam, fuit receptum? Nihil minus. Etiam Interimistæ æquè sunt & fuerunt, vt alij Lutheristæ, nisi quòd à cæteris alicubi abstinent in quadragesima prosabbato, & rem diuinam, vel prophanam dicam sacrilegam facientes, lineis ac Sacerdotalibus alijs indumentis, nonnullis in locis vtuntur. An autem idem in regno tuo factum esse non vidimus, vbi calix per summum sacrilegium vsurpatur? an similiter & Sacerdotium, & sacrificium ibi non abrogatur, an laici sibi sacerdotalia munera non arrogant? an conficiendi CHRISTI corporis, quam nullam habent, sibi potestatem non vsurpant? & pro CHristi corpore dant communicantibus merum panem pistorium. Nam quomodo conficient CHristi corpus, quibus potestas eius cõficiendi nulla data est? In summa nihil aliud dicit Satanas, quando cõtra ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ iubet de calice bibere, quàm quòd CHristo dixit aliquando: Mitte te deorsum, hoc est, Ecclesiæ traditionem relinque, obedientiam illius omnem abijce, conciliorum auctoritatem pro nihilo ducito. Ac metuit quidem homo Christianus mittere se deorsum, & quoniam cum periculo coniunctum id esse videt, diu secum deliberat nonnunquam, vtrum sibi sit faciendum: posteàquam verò semel se mittere deorsum cœperit, iam non est in illius potestate, vt se ruentem sustineat, nec impedire potest quòd nos Lutheranis, hoc Sacramentarijs vicissim sunt Lutherani, nimirùm idololatræ. Fundauit terram fundamentum eius, non inclinabitur in seculum seculi: terram interpretatur Ecclesiam, aquam verò decurrentem, quæ ad nihilum deueniet, in alio quodam Psalmo significare vult hæreses: Quò minus aquæ decurrere possint ad Ecclesiam, hoc est, quò minus illam obruere queant hæreses, impediunt aggeres illis oppositi, quos rectè conciliorum sanctiones intellexeris. Cæterùm quamuis aggeres validi fuerint, si quis tamẽ vel parum foramen aperuerit, statim eò tota moles aquarum incumbit, ac perruptis aggeribus, longè lateq; campos, segetes, pagosq; subuertit, nihil vt sit, quod aquarum decursum remorari queat.

Lutheranismus quo tandem prodictus est ex paruo principio.

Item Interimistæ æquè sacrilegi, vt alij Lutheristæ.

Non potest corpus Christi conficere, cui eius conficiendi nulla data est potestas.

Augu. in psal. 103.

Psal. 77.

Ecclesia.

Aqua notantur hæreses.

Similitudo insignis.

Hoc igitur foramen tunc aperitur, quando contra ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ calix permittitur. Quis, n. impedire queat, quò minus per hoc ipsum foramen quamlibet exiguum videatur, perruptis aggeribus, hoc est, Conciliorum Decretis violatis, omne genus hereseon in Ecclesiam impressionem faciat?

Quò magis mirum est, non deesse quosdam, qui tranquillitatem Ecclesiæ, regnoq; tuo promit-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Mira nec minus pia auctoris vehementia.*

promittant, si contra ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ calix laicis concedatur. Si potest saluum & integrum esse lignum, in quod prima cunei pars, quamlibet illius acies tenuis sit, impacta est, si caueri potest, quò minus crebris ictibus reliqua crassitie impulsa, lignum illud prorsus diffindatur: si possunt esse saluæ segetes & prata, in quæ, foramine facto in aggeribus, magno impetu aquæ defluxerint, nec exitum facilè reperire possint: si potest saluus esse homo, qui semel de sublimi turri aliqua se præcipitem dederit: si potest ipse ruentem se sustinere, quò minus in imam vsq; terram precipitatus, aut ceruicem frangat, aut reliqua corporis membra collidat, poterit saluum, integrum, ac tranquillum esse regnū illud, in quo in despectum Concilij, calix fuerit vsurpatus.

Postulatur à multis Concilium, quam autem ad rem? quis illius vsus erit? si posteà quam rectè fuerit in eo constitutum aliquid, postremis etiam hominibus in despectum illius contraria facere licebit omnia. Num autem sanctior erit posteà comitiorum, quàm Conciliorū auctoritas? An ipsi nostris oculis non conspeximus? in despectum Regis & Comitiorum alicubi quædam contra decreta Comitiorum facta esse, quæ priusquàm in Comitijs decreta fuissent, facere tamen illi ipsi non audebant? Et ibi tranquillitatem forè sperabimus, vbi nulla Conciliorum, nulla Comitiorum, nulla Pontificum, nulla Principum est auctoritas? vbi hoc agitur, Vt simus sine lege, sine Rege, sine Sacerdotio, sine sacrificio, sine Sacramētis, sine Deo, vbi tanto studio laboratur, vt quæ ciuitas vnius hactenus labij fuit, & eorundem sermonum, ex ea Babylonem ædificare liceat, in qua tanta sit & est iam linguarum cōfusio, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui.

*Babylonis, hoc est cōfusionis constructio.*

*Genes. 11.*

Sed quid opus est pluribus? Ipse nosti, pientissime Rex, quòd cùm nonnulli, clamosis quibusdam offerendum esse calicem, cessuissent, modò in eo acquieuerent, repudiatus est. Pauciissimi iam sunt in regno tuo, qui solo velint esse calice contenti. Sed & confessionis Augustanæ non ita multi.

Quotquot à nobis discesserunt, magna ex parte, vel Picardi sunt, vel Caluiniani, aut Lascani, aut Nestoriani, aut Seruetiani, quibus concedendo calicem, nemo satisfaciet.

*Picardorū apologia.*

Qui legit apologiam Picardorum, reperiet in ea, quòd Picardi non minus propè Boēmos illos insectantur, qui in sola vtriusq; speciei communione acquieſcunt, cætera verò Catholici videri volunt, quàm eos qui per omnia sunt Catholici.

*Petrus Vergerius Hæreticus non modò seditiosus, imò ad seditiones excitandos natus.*

Iam verò Petrus Paulus Vergerius, qui proximo superiore anno, nō aliam ob causſam in regnum tuum venerat, quàm vt in eo seditionem cōciaret, protulit in medium litteras aliquosdam scriptas, quas etiam typis excudi fecit. An autem hoc fuit boni viri officiū? Certè si qd frontis habuisset, si qua mica probitatis in eo fuisset, tale aliquid facere nunquam aggressus fuisset. Sed videtur hic homo expers humanitatis, & vitæ cōmunis ignarus esse, qui in medium proferre literas ab aliquo scriptas, nihil aliud sit, quàm quòd dille dixit: Tollere è vita, vitæ societatem: tollere amicorum colloquia absentium. Verum ad rem. Etiam Pauli quarti Pōtificis litteras, & quidem binas, typis excusas peruulgauit, quin & scholijs quibusdam suis obscurauit, ac mirabiliter deformauit, quæ piè, sanctèq; scripta fuerūt, secus interpretando. Audi quid scribat in suis in priorem Epistolam scholijs.

*Ci. 2. Phi.*

*Vide huius Euangelistæ sacrilega verba.*

Dixerit, inquit, quispiam: Si quidem possemus Papam eò adigere, vt velit assentiri, vt ministri Ecclesiarum haberent vxores, lingua vernacula in administratione Sacramentorum vterentur, atque, vt vtramque speciem populo exhiberent, in reliquis verò articulis & doctrinis cum Romana Ecclesia consentiremus, quemadmodum hactenus consensimus, an non consultum putares, vt tunc acquiesceremus? atq; vt hæc prius lucro apponeremus, deinde paulatim labente tempore, vt etiam de reliquis articulis lucrifaciendis cogitaremus? Respondeo: Minimè mihi consultum videri. Neque enim in eo res lita est, vt minister vxorem habeat, vt populari lingua in Ecclesia vtatur, vt vtramque speciem porrigat: sed vt habeat viuam fidem, vt sit membrum Christi Ecclesiæ, atq; vt eam rectam doctrinam teneat, populoq; annunciet, quam filius Dei Dominus noster IESVS Christus attulit è sinu Patris. Quæ esset ista hæc contaminatio doctrinæ? quod monstrum? si consentiremus, vt esset Pastor animarum nostrarum, missarius, sacrificulus, vnctus & inauguratus ab aliquo Episcopo & Antichristi membro, &c. Per hunc verò satellitem suum apertius multò causam suam ageret Satanas, quàm per illos, qui de calice tantùm, deq; rebus alijs, quæ non perinde magni momenti videri possunt, tantoperè contendunt, quorum etiam detegit insidias, ac superua caneum esse ducit, longioribus ambagibus vti, mox ipsum petit iugulum, vt citra moram aliquam, Deus in ordinem cogatur, nec vllum, aut Sacerdotium, aut sacrificium extare habeat, per quod esse Deus cognoscatur. Hoc est, quod statim initiò sibi Satanas per Vergerium efficiendum esse putat: & est reuera verissimè dictum, quòd frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Quorsum enim opus est longo circuitu, si quo vis, compendio peruenire possis? Verùm audi quid paucis interiectis addat: Postquàm enim hic homo nimis in aliena republica curiosus, & ad seditiones excitandas natus, hortatus fuerat Polonos, vt si maximè concederentur illis hęc tria, constanter ea respuerent. Scias, inquit Polonia, etiam hanc, quæ de religione controuertitur, minimè posse vllam moderationem aut concordiam pati. Vide quid dicam & memori mente teneto. Sunt enim qui dicant: Anquam possit aliqua ratio inueniri, qua concordia sanciretur? Respondeo: Nullam prorsus posse inueniri, Si enim Papatus maneat incolumis, non potest doctrina IESV CHristi doctrina, corruat totus Papatus ab radicibus necesse est, ita vt nulla alia sit stabiliendæ veræ CHristi Ecclesiæ & concordiæ ineundæ ratio & spes, quàm si vniuersus Papatus, cum omni sua tyrannide & impia doctrina tollatur è medio.

*Ad obiecta Vergerij responsio.*

*Impia Vergerij impreeatio.*

Ac quòd scribit Vergerius causam religionis moderationē seu cōcordiam pati nō posse, quin



quin verissimè scribat, inficias ire non possumus. Nam aut totus Christianus oportet sis, aut totus Lutheranus: nihil est, qd in vtramq; partem claudicare velis. Æquè cōdemnaberis, si semichristianus sis, seu semilutheranus, atq; si totus esses Lutheranus. Semichristianum aūt voco, qui cùm de Christo capite credat, quę credenda sunt omnia, priuata sua libidine, certis in ritibus ab eius corpore se diuidit. Tenere is quidē quod se putat, nō autem tenet corpus. Itaq; dimidia ex parte vult esse Christi, dimidia ex parte Lutheri, hoc est, Satanæ, cùm tamen (ipso Christo dicente) nemo duobus Dominis seruire queat: Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? ait Paulus, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ aūt conuentio Christi ad Belial? Et in Apocalypsi legimus: Scio opera tua quod neq; frigidus es, neq; calidus: vtinā frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, nec frigidus, neq; calidus, incipiam te euomere ex ore meo: æquè eijcitur, æquè euomitur ab ore Dei, qui tepidus est, atq; is, qui in cōtrariam partem peccat. Quamobrem non mediocriter reuera falluntur, qui de religione concordiam iniri posse putant. Coangustatum est stratum, dicit Propheta, ita, vt alter decidat: & pallium breue, vtrumq; operire non potest. Non possunt in eodem esse strato, hoc est, in eodem hominis corde CHristus & Lutherus, alter excidat necesse est: non possunt eodem operiri pallio. Quamobrem, vna parte rituum Christum, altera Lutherum profiteri, nihil aliud, quàm totum Christum abnegare. Verissimum igitur illud est, quòd causa religionis concordiam non patitur. Profitemur in Symbolo fidei nostræ, nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam, Ab hac, si quis discesserit, si docentem illam & præcipientem non audierit, si suo plus, quàm illius iudicio tribuendum esse putauerit, etiam si cętera credat omnia, quæ continentur in Symbolo, si credat & recipiat præterea scripturas omnes, si tanquā Dei verbū (quod reuera sunt, modò sanus adsit intellectus (eas adoret, nihilominus nō est ei cum Christo capite quicquam commune, qui se à CHristi corpore seperauit, Ethnicus est, Publicanus est, Christianus nulla ex parte dici meretur.

*Semichristianus quis censendus.*

*Matth. 6. Luc. 16. 2. Cor. 6.*

*Apoc. 3. Tepidus eijcitur.*

*Isaiæ 28.*

*Qui se à Christi corpore separauit, Christianus nullo modo dici potest.*

Quòties tentatum fuit ab Arrianis, vt aliquam cum Catholicis cōcordiam inire possent? quam, vt accedere tamen viderentur, facilè se passuros dicebant, vt ὁμοιούσιος esse Patri filius crederetur, modonè diceretur ὁμούσιος. De vno tantū iota res agi videbatur inter Christianos & Arrianos, neq; tamen cōcedendum Arrianis esse Christiani iudicabant, quòd sub hac vna litera viderent eos errorem suum occultare, quò largitate gratiæ, non proprietate naturæ, filium Patri similem intelligi volebant. Quibus autem artibus Cæsareæ Præfectus Basilio persuadere nō conabatur, vt tempori cæderet, neq; tot Ecclesias in discrimen adduceret, tenui dogmatis exquisitione? Quid aūt ad hæc Basilius? Adolescentibus, inquit, tales sermones congruere: nam & hos & his similes, huiusmodi rebus inhiare: Qui verò diuinis essent literis innutriti, nullam eos earum syllabam in discrimen venire pati posse: solere, si res ita postulet, nullum genus mortis pro illis subeūdum recusare. Ac visus quidem fuit hæreticis esse pertinax Basilius, itidem vt ante eum Athanasius, atq; Hilarius: sed quam Hæretici pertinaciam, eam Catholici & Orthodoxi constantiam esse iudicabant. Quò minus & ego molestè fero, si quibusdam pertinax esse videor, qui nego, coire posse cōcordiam inter Catholicos & hæreticos, nisi qui discesserunt à nobis, redeant, vnde discesserunt, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ: illam credant, illi se totos permittant, illius iudicio suum iudicium subijciant. Malo pertinax videri cum Athanasio, Hilario, Basilio, quàm, vt esse dicar arundo ventis agitata; Et hæc quidem vetustiora.

*Hæretici volunt Deum in ordinem cogere.*

*Impia Vergerij impreeatio.*

*Orthodoxorum constantia.*

Nostro verò seculo, quoties inter Lutheranos & Zuinglianos actum fuit de concordia? Quàm autem ea res feliciter cessit Lutheranis? Qualis .n. illa fuit inter Lutherum & Bucerum concordia? Fecit in gratiā Lutheri Bucerus, vt concederet, corpus & sanguinem Christi substātialiter esse in sacra Eucharistia, modò vicissim in suam gratiam faceret Lutherus, vt concederet, ibi nō esse Christi corpus & sanguinem, nisi cum sumitur. Vter Martinorum hic alterum in suam pertraxit sententiam? Martinusne Lutherus. Sacramentarius, an Martinus Bucerus è Sacramentario factus est Lutheranus? Certè Ioannes Caluinus, nō aliundè sumit efficacius argumentum ad probandum in Eucharistiæ Sacramento non esse substantialiter corpus Christi, quàm ex hac Lutheri concessione: ex qua etiam colligit, quòd secundum virtutem, tantùm & efficaciam, non autem secundum eorum substantialem præsentiam, exhibentur nobis corpus & sanguis Domini: quomodo adsunt & exhibentur in baptismo & pœnitentia; imò quandocunq; Christi mors aliquem in nobis effectū operatur. In quam suam sententiam pedibus ire Philippum quoq; Melanchthonem gloriatur. Egregia verò concordia, qua fit, vt qui sunt hæretici, magis etiam fiant hæretici, & sacrilega sua audacia, blasphemijs & erroribus inualescentes, proficiant in peius, errantes, & in errorē mittentes. Missos aūt faciamus Sacramētarios, quorū impietatem ipsi quoq; Lutherani, quamuis eorūm nonnulli minus ab ea remoti sint, tamen ferre non possunt, adeò detestantur & execrantur, vt eis nec aue quidem dicere dignentur, & à congressu suo repellant, nec recipiendum eis dare velint, sed simul vt aliquem Sacramentarium esse constiterit, statim è suis ciuitatibus exterminandum esse putent.

*Buceri & Lutheri concordia.*

*Ioan. Caluin. in Eucharistiæ sacramentum.*

*Hæreticorum sacrilega audacia, & impietas.*

*2. Tim. 3.*

*2. Ioan.*

Inter Lutheranos & Christianos quoties actum fuit de concordia? Quæ causa verò fuit, cur interim religio constitueretur? nisi quòd non deerant qui minimè dubiam spem ostenderent, forè, vt per hanc viam & rationem coiret inter Christianos & Lutheranos concordia. Num autem eum, quem sperabant homines, res est exitum consequuta? Minime gentium. Quin quod omnium ferè iudicio (paucissimis exceptis) in comitijs imperij fuerat approbatum: quod summa eorū voluntate constitutū, hoc paulò pòst ab illis ipsis, à quibus fuit receptum, non est seruatum. Lipsenses, ne viderentur nō esse prudentiores, quàm vniuersum imperiū, quamuis in plurimis ad illam in Comitijs præscriptam Interim religionē, assensi fuerant, pleraque tamen sua, magistriqúe sui Martini Lutheri, retinenda esse putauerunt:

*Lipsenses.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Vvittembergenses.*

uerunt: ac duplex Interim conscripserunt, quod in quibusdam consentiret, in alijs abeo, quod erat cõstitutum in Comitijs, discreparet. Vvittembergenses verò, quanquam & vicini Lipsenſium, & eidem Principi, quisubscripserat Interim religioni, subiecti, quoddam & ipsi scriptum ediderunt: nec Interimistæ, verùm Adiaphoristæ dici & esse voluerunt, & in minus multis, quàm Lipsenses à magistri sui Lutheri doctrina discesserunt. Porrò Saxonæ ciuitates, cùm faces illis adderet Matthias Flaccus Illyricus, ne latum quidem vnguem à magistri sui Martini Lutheri placitis sibi discedendum esse duxerunt: cùm quicquid ab illo factum esset aut scriptum, id tanquam expressum Dei verbum recipiendũm & adorandũ esse censerent. Itaq; post concordiã tentatam, quæ facta iam etiam esse putabatur, maior est discordia consequuta. Nam sicut ipsi Lutherani nefario scelere ab vnitate Catholica se tanquã ab area dominica separarunt, sic & suam paulò pòst vnitatem discordijs furialibus dissipârunt. Vel de sola alba veste linea, cuius vetus vsus est sacerdotibus in tẽplis, quantę fuerunt, quàm acerbæ contentiones inter Germanos Lutheranos, quales videri voluntij, qui sunt Flacco: & inter degeneres Lutheri discipulos, quos ille vocat Adiaphoristas, & Interimistas, cuiusmodi sunt qui Philippum sequũtur? Quæ fuit aũt causa, cùm tam hostiliter se mutuò minutis adeò de rebus insectarẽtur? Non alia, quàm quòd metuebant Germani Lutherani, si qui fuissent ex priscis ritibus illis & cæremonijs in Ecclesiã restituti, ne quà à Lutheri ad Christum inclinatio facta, neuè sequuturo Papatui, fenestræ fabricari viderentur.

*Adiaphoristæ.*

*Quare Saxones nũquam à placitis magistri sui Lutheri discedẽdũ duxerũt.*

*De alba linea, cuius vetus vsus est, Sacerdotibus in templis, maximæ contentiones inter Lutheristas.*

Si, qui veri Lutherani dici gaudent, tanto studio cauerunt, ne vetustis Ecclesiæ ritibus restitutis, Papatui fenestræ fabricarentur: quanto maiore studio prouidendũ nobis est, qui non alio magis, quàm Christianorũ nomine gloriamur, ne fabricentur Satanatui, cui fabricantur procul omni dubio, cùm assuescunt homines Ecclesiam nõ audire: si quæ fuerint ab illa decreta, pro nihilo ducere, tum illius iudicio suum priuatum iudicium anteponere, certum est & indubitatum, Satanatum, siue Satanissimum istum omnem, qui nunc (proh dolor) ita floret in Germania, qui pullulat etiam in regno tuo, pientissime Rex, hinc potissimũ esse natum, quòd Ecclesiæ iudicio contempto, sibi quisq; licere vult, vt & scripturas interpretetur, & ritus, cæremonias q; mutet arbitratu suo. Quamobrem in hoc Vergerij sententiæ nõ inuiti subscribimus, quòd causa, quæ de religione cõtrouertitur, minimè possit, qualemlibet cupiunt, moderationem & concordiam pati: quũ verissimè scriptũ sit à sancto martyre Cypriano: Nulla societas fidei & perfidiæ esse potest. Qui cũ Christo non est, aduersarius Christi est. Qui vnitati & paci eius inimicus est, nobiscum non potest cohærere: Si cum precibus & satisfactionibus veniunt, audiantur: si maledicta & minas ingerunt, respuantur.

*Satanissimus, qui per totam Germaniam nunc floret, vnde natus.*

*Cyprian. epist. 3.*

Cæterùm quod scribit impurus ille Vergerius, non aliam ineundę concordiæ rationem & spem esse, quàm si Papatus vniuersus tollatur è medio: Vide, per Deum immortalem, quę sint istæ Satanæ fraudes, quorsum ille spectet, quum tanto studio Papatum euersum cupiat? Quo maior autem orationi nostræ fides habeatur, malumus illius de Papatu testimonium proferre (cui, quoad vixit, cum Papatu bellum fuit irreconciliabile, cuius etiam verbum, tanquam Dei verbum, adorat Vergerius) quàm nostris verbis vti. Sic igitur scribit Lutherus in epistola quadam ad duos Plebanos de anabaptismo: Audio, inquit, & video rebaptizationem à quibusdam vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciãt, tanquam hi, qui nihil ab Antichristo habere velint, quemadmodum & Sacramentarij propterea à meo rum panem & vinum habere volunt in despectum Papæ, arbitrantes se hoc pacto rectè subuertere posse Papatum. Profectò friuolum est hoc fundamentum, supra quod nihil boni ædificaturi sunt: hoc enim pacto negare nos oportet, totam quoq; scripturam sacram & prædicãdi officium: hoc .n. totum à Papa nimirùm habemus, & nouam quoq; scripturã sacram nos facere oporteret: Sic & vetus testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus haberemus Iudæis. Stultitia est hoc totum. Nam & CHristus in gente Iudaica inuenit Pharisæorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit, quod illi habuerunt & docuerunt. Nos autem fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani: imò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fatemur, in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prędicandi officium, verum Cathechismum, vt sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei: dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleũ Christianitatis esse. Ac ne quis fortè dicat, hæc inter initia scripsisse Lutherum, cùm nondũ illi, de qua tantoperè gloriatur, lux Euangelicæ veritatis affulsisset, fatebitur & anhanc Epistolam ab eo scriptam fuisse, decimo pòst año, quàm ab Ecclesia Dei se præcisus erat, quo tempore nomen eius, hæreséos fama cum primis fuit celebre. Sic per illius rãquam per Balaam Prophetæ iugulum, quamuis hostis esset veritatis, vel inuito tamen illo veritas erupit, lamnè igitur vides pientissime Rex, quorsum spectant Satanæ Consilia, quando per satellitem suum Vergerium, & per alios eiusdem generis, Papatum vniuersum è medio sublatum cupit? Cupit enim sublatum veram scripturam sacram, cupit sublatum verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Cathechismum, veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis. An autem non successerunt illi sua consilia? Primus è medio tollere Papatum conatus est Lutherus, & ei rei fundamenta quædam iecit, sicut anteà commemoratum est. Nam in despectum Papæ & Concilij, calicem laicis initiò concessit: deinde ritus veteres abrogauit, nouos instituit, nec ita multò pòst, de numero Sacramẽtorum, quinq; sustulit: postremò sacrificium simul & sacerdotium euertit. Quid autem ex eo cõsequutum sit? Pòst breue temporis interuallum exorti sunt Sacramẽtarij & Anabaptistæ, qui duo reliqua Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, quę reliqua tamen Lutherus fecerat, nobis abiudicarunt: neq; magis id in Papæ, quàm in ipsius etiam Lutheri (si Philippo credimus) odium fecerunt.

*Quò tẽdit Satanas cùm Papatum tanto studio euersum cupit.*

*Martinus Lutherus de Papatu.*

*Vt Papatu veram esse scripturã sacrã fateatur Lutherus.*

*Catechismus quid.*

*Num. 22.*

*Cùm Vergerius Papatũ vniuersum è medio sublatũ cupit, quid sibi velit.*

*Lutheri tyrannis.*

*Sacramentarij & Anabaptistæ exorti à Lutthero.*



despectum? Qui cùm pro Papa se gerere, quin plus etiam aliud quàm Papa videri vellet, hãc impotentem hominis tyrannidem ferendam non esse censuerunt. Nati sunt posteà cœlestes Prophetæ, qui nobis & scripturas, & externum prædicandi ministerium è medio sustulerunt. Emerserunt ad extremum, nescio è quibus tenebris Campanus & Seruetus, qui GHRISTVM saluatorem nobis eripere conati sunt, eius diuinitati detrahentes. Hunc tandem exitum consequuti sunt, qui Papatum euertere, & in despectum Papæ facere conati sunt omnia.

*Campanus & Seruetus hæretici.*

Soleo, pientissime Rex, nonnunquam etiam eorum hæreticorum nænias legere, qui nullam habent nominis celebritatem, vt quid inter illos agatur, cognoscam. Incidi in quendam Germanum Lutheranum, Erasmum nomine, neque cognomine magis, quàm re ipsa Alberum, qui libellum scripsit contra Carolstadium, & alios Sacramentarios, Anabaptistas, Iconomachos. Ibi narrat de quodam Iacobo Schenek, qui, cùm Berlini verbum Lutheri, pro Dei verbo, populo venditaret, nulla ratione potuit adduci, vt in solenni die Paschatis de resurrectione Domini sermonem faceret, verùm ipso die resurrectionis de passione prædicabat. Ac de alio quodam, qui Francoforti ad Mœnum, diem natalis CHRISTI festum agere nolebat. Cur autem hæc? In despectum Papæ, ne quid habere cum Papatu, hoc est, cum Christianismo commune viderentur. Magis adeò cupiebant omnem esse memoriam Christi beneficiorum abolitam, quàm vt cum ijs, qui Papam agnoscunt, Christianis, eam celebrarent.

*Impietas ciuiusdam Iacobi Schenck, in despectum Papæ. Alia.*

Vides pientissime Rex, quæ sint consequuta, posteàquam apud quosdam Papatus fuit sublatus? Et hunc rerum statum, in regno tuo Vergerius, vel per satellitem suum Vergerium Satanas potiùs, efficere conatur: cuius vetus hic mos fuit semper, sicut à sancto quoq; martyre Cypriano scriptum legimus, vt Ecclesiæ præpositum infestatione sua persequeretur: ob hoc tantùm, vt gubernatore sublato, atrociùs atq; violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Neq; enim aliundè sunt hæreses obortæ, sicut ibidem ait Cyprianus, aut nata schismata, q̃ indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi, cogitatur: cui si secundum magisteria diuina, obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post iam Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens & tumens, seorsum foris nouam Ecclesiam conderet. Quem sequutus Hieronymus, Ecclesiæ salutem à summi Sacerdotis dignitate pendere docet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot Sacerdotes.

*Vetus mos Satanæ.*

*Epist. 3. li. 1. Hæreses obortæ ex contemptu summi Pontificis.*

*Hieronym. contra Lutheranos.*

Ex ijs colligere potes pientissime Rex, quid sibi velit Vergerius, quando Papatum è medio vult sublatum: vult enim sublatum, quicquid adhuc in regno, terrisq; tuis supereſt Christianismi. Vult schismata introducta, vult hæreses propagatas, vult Christum ex omni ditione tua proscriptum: vult, vt in terris tuis omnibus q̃ longissimè, quamq; latissimè grassetur Satanissimus hic omnis, quem tanto gentis malo, tantas iam egisse radices videmus in finitimã nobis Germania. Huic eius voluntati, quò minùs ad rem cuferatur, nihil magis obstat, q̃ vnitas. Hanc igitur omnibus, quod aiunt machinis oppugnat. Itaq; cuius ministerio fit, vt vnitas in Ecclesia Dei retineatur, de eo tollẽdo laborat, quòd, quoad salua est illius dignitas & auctoritas, nihil se proficere posse videt.

*Vergerij hæretici mens.*

Sed expende tecum interea, Rex optime, posteaq̃ è medio quidam sustulerant Papatum, anijdem illi de Cæsareatu quoq; tollendo consilia posteà non cœperunt, quum non minùs apud eos probrum esset Cæsaristam, q̃ Papistam appellari? Quid ante non ita multos annos factum sit in Germania, non ignoras. Verùm hæc odiosa silentio præterire malo. Tu fac vt illius vulgò iactati versiculi nunquam obliuiscaris.

*Hæretici quod de Papatu conantur efficere, idem de omni dominio & regnis tollendis eos moliri censendũ est.*

*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

Etiam atq; etiã vide, ne paulò pòst non minùs habeatur ignominiosum, Registam, q̃ Papistam vocari. Huc .n. spectant istorum consilia, vt ordinem omnem è medio tollant: vt Principum auctoritatem in odium & contemptum adducant, vt Anarchiam quandam inducant. Quorum, cùm fax quædam sit Vergerius, nec aliud spiret, quàm seditiones, quando quidem ipse profitetur, & quidem verissimè, quod sit exul Iesu Christi, cùm nihil ei cum Christo cõmune sit: sicut ipse se fecit exulem Christi Iesu, sic eum ex regno, terrisq; tuis extorrem esse iubeto. Negatis, quam ipse profitetur Iesu Christi doctrinam, eam si Papatus maneat incolumis, incolumẽ esse posse: quasi verò quisquam sit ex omnibus nostri temporis hæreticis (qui sola hac in re mirabiliter inter se consentiunt, quòd Papatum è medio sublatum cupiunt) qui non se profiteri iactet doctrinam Iesu Christi, quamlibet omnes & singuli, & ipsi inter se dissidere, & ex Diametro quod aiunt, cum illa pugnare videantur? Quòd si quæras ex hoc loco tuleio, quam doctrinam Iesu Christi profiteatur? (quæ ruditas est hominis & inscitia?) non habiturum arbitror, quod respondere queat. Nam quantum è scriptis illius colligere licet, modò cum Zuinglianis, modò cum Lutheranis, modò cum Picardis facere videtur: Augustanæ quidem confessionis eum esse, nemo rectè poterit iudicare, quandoquidem Brentij confessionem, quem admiratur vnicè, reliquis omnibus eum anteferre cõstat: Brentium aũt Osiandri dogma de iustificatione, quæ summa totius est Euangelij, comprobare, manifestum est. Hoc autem dogma quantoperè detestentur, qui confessionis Augustanæ censeri volunt, cùm ex Vittembergensium Doctorum censura, tum ex Matthiæ Flacci, & Ioachimi Merlini non scriptis magis, q̃ factis, abundè cuiuis perspicere licet. Nam quo loco Merlinus habuerit eos, qui quum sui gregis essent, Osiandri sermones audiebãt, obscũ nõ est: nec sepultura mortuos dignabatur, nec infãtes eorũ, vt baptizaret, adduci potuit.

*Vergerij inconstantia.*

*Osiand. dogmã.*

*Merlini hæretici impietas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Et erit quisquam, qui sibi persuaderi patiatur, Iesu Christi doctrinam esse, quam profitetur Vergerius, quàm non Christiani modò detestantur, verùm ipsi etiam Germani Lutherani vsq; eò execrantur, vt qui sunt eam amplexi, cum ijs nec viuis, nec mortuis communicandi esse putent? Sed nolo plura de Vergerio, cuius propterea mentionem hic iniecimus, vt intelligere quiuis posset, apertiùs per hunc, voluntatem suam Satanam explicasse, q̃ per illos, qui per cuniculos quosdam vnitatem oppugnare conantur, dum nihil aliud præter calicem eis se petendum suggerunt: totoq; cœlo, quod aiunt, errare qui dicunt: Si calix laicis, vxores Sacerdotibus permittantur, inter Christianos & Lutheranos facilè concordiam esse coituram. Egregia verò concordia, per quam non vitia Papatus, quod ferri tamen posset, verùm ipse Papatus vniuersus euertitur, hoc est, Christianismus omnis aboletur.

*Vergerij mentio cur.*

Quoniam verò satis multa iam hac de re diximus, vnde defluxit, eò redeat oratio. De expresso Dei verbo sermo nobis fuit institutus, de quo docuimus, non minùs hæreticos, q̃ Catholicos & Orthodoxos: quin magis etiam hæreticos persæpè fuisse gloriatos. Demonstrauimus & illud, non cum expresso Dei verbo, neque cum Euangelio nobis pugnam esse, sed cum interpretationibus & asseuerationibus eorum, qui dicesserunt à nobis: vt, quod olim de Donatistis dixit Augustinus, quòd contra Christum portant signum Christi, & contra Euangelium, de ipso Euangelio, quod non intelligunt, gloriantur, hoc totidem verbis de istis quoq; nobis dicere liceat. Simul & hoc ostendimus, nos scriptura omnes canonicas recipere reuerenter: illos contrà quandoquidem non auctoritati scripturarum subijci volunt ad fidem, sed sibi subijcere scripturas conantur, non recipere in illis, nisi quod suis dogmatibus commodum est: ac scripturarum verbis proprium sensum adstruere, de q̃ sua, non de scripturarũ sententia nobiscũ dimicare, cùm nos prius omnia & facere & pati parati simus, q̃ vt, quod ipsi contra communem totius Ecclesiæ sensum & consensum dicunt & sentiunt, tan q̃ Dei verbum adoremus: quòd non aliud hoc forè, quàm Germanam quandam idololatriam persuasum habemus.

*Augu. epist. 61. Hæreticanon scripturarum auctoritati subijci, sed scripturas subijcere cupiunt.*

Hæc itaq; cùm satis à nobis copiosè dicta iam sint: quamobrem cum hostibus istis Euangelij consentire non possumus, qui per verba Euangelij, Euangelium oppugnant, & pro sua, non pro scripturarum sententia nobiscum pugnant, causam breuiter disseremus. Cognoscant enim nos ab illis dissentire seuerissima Dei mandata, iuxta hæc dicta: Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Item, si quis dixerit blasphemiam contra spiritum sanctum, non remittetur ei. Item, fugite idola. Cùm igitur ipsi sint, qui præter id quod accepimus, nobis euangelizant: qui dicunt blasphemiam contra spiritum sanctum: qui tanq; idola quædam à nobis adorari contendunt: meritò diuinis istis mandatis parentes, quòm nùs cum illis consentire queamus, deterremur.

*Euangelij ratio, quare cum hostibus non consentiendũ. Gal. 1. Matt. 12. Ezech. 14. 1. Cor. 10.*

Ac ne quis putet, quod isti faciunt, scripturis his proprium sensum nos adstruere velle, quò magis perspicuum cuius esse possit, nos illis verissimè contra hostes istos Euangelij vti, quemadmodum eis vsi sint veteres orthodoxi, paucis ostendemus. Ac primum quidē quis est, cui nomen Athanasij non sit in optimam partem cognitum? qui quasi fragrantissimo quodam vnguento, sicut à Cyrillo scriptum est, ipsum etiam cœlum scriptis suis exornauit: hic igitur in libro quem in scripsit de incarnatione Christi, quemadmodū à Cyrillo citatur, ijs verbis vtitur: Qui præter hæc ex diuinis scripturis alium esse docet filium Dei, & alium, qui ex Maria adoptatus est in filium, sicut nos: vel si quis Domini nostri carnem superne dicat, & non ex Maria virgine. vel vniuersam diuinitatem in carnem, aut confusam, aut mutatam: vel passibilem Domini deitatem: vel inadorabilem Domini nostri carnem vt hominis, hunc anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, obtemperans in hoc diuino Apostolo dicenti: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Ecce sanctus iste vir, cuius immortalis est in Ecclesia & sacrosancta memoria, si quis etiam é diuinis scripturis illa, quæ protulit capita, docere conatus esset, eum anathematizari dicit à sancta Catholica Ecclesia. Verùm, ô sancte pater, quánam id auctoritate fieri posse censes, si quis hæc ex diuinis scripturis docuerit? Pauli, inquit, auctoritate, qui dixit: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Res mira, Quam Pauli sententiam in ore semper habent nostri temporis hæretici, qua se tanquàm ariete quodam expugnare, & euertere posse putant omnem Patrum & Conciliorum auctoritatem: eam tu contrario sensu producis mirum, vt si quis etiam è scripturis contrarium ei dicere sit conatus, quod in legitimis Patrum concilijs, Oecumenicis præsertim, definitum, & per manus ab illis traditum accepimus, eum non modò nõ audiendum, verumetiam anathematizandũ esse putes, ac in eo q̃d accepimus firmiter esse permanendum censeas, quamlibet in contrariũ aliquis multa protulerit examina scripturarum. Non vult Athanasius, vt filij de Patrum decretis iudicent: nõ vult, vt quæ semel per illos ad normã scripturarum exacta sunt, iterum ad eandem exigantur: nisi fortè se non legitimos esse filios, sed semen adulteræ & fornicariæ mulieris declarare velint. Quòd si facere sint ausi (clament licèt ad rauim vsq;, scriptum est enim, sicut cum Christo congressus pater hæreticorum aliquando fecit) iuxta Pauli doctrinã eos anathematizare non dubitat, quoniam aliud euangelizant ab eo, quod acceperunt. Nunquid aũt cùm hæc scripsit S. Athanasius, expressum Dei verbum cõtemnere, & pro nihilo ducere docuit? Absit. Nunq̃ hoc illi vel cogitare in mentem venit, sed non quod hæretici, sed quod Catholici produxissent: non quem hæretici, sed quem Catholici, sensum è scripturis attulissent, id expressum Dei verbum habere voluit. Præclarè scriptum legimus ab Hieronymo, non in scripturarum verbis Euangelium est, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Habes igitur iam, quemadmodum Catholicæ & Orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, hæc Pauli verba produxerit: Cuius vnius auctoritate, ne simus longiores, contenti erimus: cùm præsertim sit vnus hic instar mul-

*Si quis præter quam quod in concilijs Oecumenicis receptum est, adducit, anathematizandus est.*

*Esa. 57. Oseæ 3.*

*Euangelium in quo Hiero. in 1. cap. ad Gal.*

*Nomen Athanasij in optimam partẽ semper cognitum. Ad Reginas de recta fide.*

*Gal. 1.*





Quamuis autem, ne quid præter decorum feciſſe videamur, metuimus, quò magis tamen rei veritas eluceſcat, etiam hæretici cuiuſdam expoſitionem horum Pauli verborum, in medium proferemus: & quidem eius, in cuius de Euchariſtia ſententiam Philippus Melanchthon inclinare dicitur. Sic igitur ille loquitur, enarrans eadẽ hæc Pauli verba. Nota, verbũ accepiſtis: ſemper enim huc incumbit, ne ignotum Euangelium imaginatione ſua quaſi in aere ſuſpendant, ſed teneant certam eius definitionem, illud, quod illis traditum eſt, & amplexi ſunt, verum Chriſti eſſe Euangelium. Præcipit itaq; pro diabolis haberi, quicunq; Euangelium aliud à ſuo adferre auſi fuerint: Aliud nominans, cui aliena commenta aſſuuntur. Et huius quamuis hæretici, ſententiam, hoc quidem in loco, non poſſumus non probare. Non vult enim is ignorum Euangelium accipi, verùm quod nobis traditum eſt, quod amplexi pridem ſumus: Atqui, quod nunc vocatur Euangelium, & expreſſum Dei verbũ, id cùm haberi, q̃aiunt, & nudiuſtertius in lucem prodierit, Patribus noſtris prorſus fuit ignotum. An igitur qui tanto ſtudio nobis illud obtrudere nituntur, eis non rectè cum Hieronymo dicere quiſq; noſtrum poterit: Quiſquis es aſſertor nouorum dogmatũ, quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos (nos aũt rectiùs, poſt mille quingẽtos & amplius) docere nos niteris, quod antè neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerũt? Vſq; ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem in qua puer natus ſum.

*Verborum Pauli de anathematizando hæretico, cuiuſdam Lutherani expoſitio.*

*Hieron. in epiſt. ad Pammachium & Oceanum. Illa fides nobis ſenibus tenenda, quam pueri didicimus.*

Quanta fuerit hæc mentis vecordia, ſi recipiamus ignotum Euangelium, reijciamus verò, quod à ſanctis Patribus nobis traditum habemus? Quòd ſi nomen Euangelij tribuunt ijs libris, quos ab Euangeliſtis & Apoſtolis, quos etiam à Prophetis antè ſcriptos, habemus, hos verò iam inde à ſexcentis annis propè recepit Polonia, nec eſt quiſquam, qui dubiter, quin ſit in eis expreſſum Dei verbum: Quamobrem, quod ad ſcripturam attinet, non eſt aliud Euangelium, quod hodie nobis obtruditur ab hæreticis, ab eo, quod nos profitemur. Quin ipſi ſcripturam omnem canonicam à nobis habere ſe, palàm fatentur. Quod igitur eſt aliud id quod euangelizant? illud nimirum, cui (ſicut ſcribit Caluinus) aliena commenta aſſuunt, cuius alienum quendam & in hactenus inauditum in Eccleſia Dei, ſenſum adferunt. Et hoc eſt, quod nos monet Paulus: Si quis vobis aliud euangelizauerit, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit: Hoc eſt, ſi venerit Lutherus, Caluinus, aut Philippus, & alio ſenſu vobis prædicauerit Euãgelium, q̃ quem à ſanctis Patribus accepiſtis: ſi quid ab eo diuerſum annunciauerit, quod ab illis traditum habetis, anathema ſit.

*Euangelium hæreticorum, quale.*

An ijs Pauli verbis non meritò deterremur, quò minùs iſtorum commenta pro Dei verbo recipiamus? Cùm præſertim hoc eſſe rectè dicatur in Spiritum ſanctum peccare, & eum blaſphemare, quæ ſunt nobis à ſanctis Patribus tradita, contemnendo violare. Quod ijs verbis docet ſanctus ille Pontifex Damaſus: Violatores voluntarij canonum, grauiter à ſanctis Patribus iudicantur, & à Spiritu ſancto, cuius inſtinctu ac dono dictati ſunt, damnãtur: quoniam blaſphemare Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſanctos canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio, manifeſtè vnum genus eſt blaſphemiarum in Spiritum ſanctum. Vides quemadmodum ſanctus hic vir, vnũ genus blaſphemiarum in Spiritum ſanctum eſſe dicat, ſi quis contra eà, quæ ſunt nobis à Patribus tradita: proteruè agere aut etiam loqui præſumat. Huius igitur blaſphemiæ ne rei efficiamur, nulla ratione conſentire cum ijs audemus, qui, quod Orthodoxi veteres tot ſeculis docuerũt, quod auctoritas Eccleſiæ tradidit, quod populus Chriſtianus amplexus eſt, quod ſcholæ theologorum defendunt, id haud aliter, q̃ exitiabile venenum Satanæ fugiendum eſſe cenſent: ſomnia verò ſui capitis, eodem loco quo Dei verbum, & quidẽ expreſſum, à nobis haberi volunt: cùm præſertim repetitis vicibus à Paulo moneamur: Si quis aliud nobis Euangelizauerit, q̃ quòd accepimus, vt is nobis anathema ſit.

*Peccare in ſpiritum ſanctum quid.*

*In epiſt. ad Aurelĩ. Carthag. Epiſcop.*

*Proteruè agere contra ea quæ à ſanctis Patribus nobis tradita ſunt, blaſphemiæ eſt, in ſpiritum ſanctum.*

*Gal. 1.*

Multò maximè verò nos terret, quod à Propheta dictum eſt: Recedite ab idolis. Quod iterat Paulus quoq; clamans: Fugite à cultura idolorum. Quod repetit Ioannes Euangeliſta, præclaram ſuam Epiſtolam concludens ijs verbis: Filioli, cuſtodite vos à ſimulachris. Quid enim? An verè non ſunt idola Lutherus, Caluinus, Philippus, Brentius? An in illis nõ eſt ingens quædam altitudo, extollens ſe aduerſus ſcientiam Dei? an (quod eſt Sataną propriũ) non aduerſantur, an non extolluntur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur? ita vt in templo Dei ſedeant, oſtendẽtes ſe tanq̃ ſint Deus, & quicquid ſcribunt, quicquid dicũt, hoc tanq̃ expreſſum Dei verbum ab omnibus adorari contendunt. Verùm & hic, ne, qđ hæretici facere conſueuerũt, cordis noſtri tantũ viſiones adferre videamur, quid in ſcripturis idolorum nomine ſæpè ſignificari ſancti Patres noſtri docuerunt, paucis edifferemus. Hieronymus explicans illud è Zacharia: diſperdam nomina idolorum de terra, non ſolum illa, dicit ijs verbis idola ſignificari, de quibus in Pſalmis legitur: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: verumetiam illa, de quibus Paulus loquitur: Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi falſiloquorum, cauteriatã habentium conſcientiam. Sicut enim, inquit, idola fiunt manu artificis, ita hæreticorũ perſa doctrina, quodcunq; ſimulauerit, vertit in idolum, & facit pro Chriſto adorari Antichriſtum. Similiter & illum locum enarrans ex Eſaia: Repleta eſt terra idolis, opera manuũ ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum, & incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir: Idola interpretatur dogmata veritati cõtraria. Neq; ſecùs intelligi vult, qđ ab Oſea ſcriptum eſt: Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent. Auguſtinus quoque, poſteaq̃ de ſimulachris manufactis pleraq; dixerat. Eſt, inquit, alius deterior & inferior cultus ſimulachrorum, quo phantaſmata ſua colunt, & quicquid animo errante cum ſuper-

*1. Tim. 4.*

*Quid idolorum nomine patres ſignificari voluerint.*

*1. Ioan. 5. Idola. 2. Cor. 10. 2. Theſſ. 2.*

*Cap. 2. Idola quid. Cap. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De vera religione. Cap.38. Quæst. 29. super Iosue, cap. 23. Lib.3. de Baptis. contra Donatistas, cap. vlt.*

bia & tumore, cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant. De cuius genēris phantasmatibus illum etiam Iosue locum exponit: Auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum vestrum. Itidem & illum Ezechielis locum: ô auro meo & de argento meo fecisti tibi imagines. Ad imagines, inquit, phantasmatum suorum cum quibus volutari carnalis anima delectatur, conuertit omnia sacramenta & verba sanctorum librorum. Nec tamen quia illæ imagines falsæ sunt, propterea & illa Sacramenta & illa diuina eloquia sic exhonoranda sunt, vt illorum esse putentur, cùm Dñs dicat: De auro meo, & de argento meo. Quorum æqualis Vincentius quoq; Lyrinensis, aliena ab Ecclesia dogmata, vetus Testamentum Deos alienos appellare scribit, quòd ab hæreticis ipsorū opiniones haud aliter obseruentur, q̄ à Gentibus Dij sui: Quod itaq; legitur in Deuteronomio: Si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit, quod loquutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras: nō audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dñs Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eū an non, in toto corde & in tota anima vestra: Per Deos alienos extraneos errores dicit significari, nouos quosdam & inauditos, quos propterea spargi nonnunq̄ patitur Deus, vt probet constantiam nostram in diligendo se, & in adhærendo sanæ doctrinæ, quemadmodum etiā à Paulo scriptum est: Oportet & hæreses esse. Ob hoc, ait Vincentius hæreseon non statim eradicantur auctores, vt probati manifesti fiant: id est, vt vnusquisq; q̄ tenax, & fidelis, & fixus Catholicæ fidei sit amator, appareat. Et reuera, inquit, cùm quæq; nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum. Tunc sine magno molimine excutitur ab aëre, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namq; alij prorsus euolant, alij verò tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucij, semineces, semiuiri, quippe, qui tantam hauserint veneni quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec moricogat, nec viuere sinat. Ex ijs perspicuum esse potest, quid in scripturis idolorum nomine significari prisci Patres existimarunt: nimirum: cùm ipsos hæreticos, tum eorum peruersa dogmata. Si quidem hominis alicuius verba, contra totius Ecclesiæ receptam doctrinam plera que omnia docentis, tanq̄ Dei verbum amplecti, quodq; vel dictum vel scriptum ab eo fuerit, adorare, seq; coram eo incuruare, quæ est, si nō hæc est Germana idololatria? Quod quid faciunt, quid aliud faciunt, q̄ quòd pro Christo adorāt Antichristum? Dicit Lutherus, quod ego doceo, Dei verbum est & purum Euangelium: statim adorant, & incuruantur coràm idolo? Dicunt idem Zuinglius & Caluinus, dicunt Anabaptistæ, Picardi, Suenckfeldius, Seruetus, Campanus, & alij nonnulli hæretici: proferunt examina scripturarum in prauū sensum detortarum, ac mox hominum, vel diaboli potiùs, per homines loquentis verbum, pro Dei verbo, pro q̄ Christi Euangelio, miseri mortales amplectuntur & adorant. Horrenda hæc est idololatria, & sicut Prophetę monent & Apostoli, velis, quod aiunt, remisq; fugienda. Quid enim ex eo consequitur aliūd, q̄ cùm vuaquæq; secta, suum verbum, expressum Dei verbum esse iactet, vt isti tot Deos habeant, quot sunt hæresiarchæ?

*Cap.13*

*Dij alieni extranei errores sunt.*

*1. Cor. 11.*

*Probati quomodo manifesti fiunt.*

*Germana idololatria.*

*Antichristi Hæresiarchæ.*

*Mala quæ ex hæreticorum idololatria proficiscuntur.*

Iámne vides, pientissime Rex, quo consilio, per varia mēbra sua, subindè iactet Satanas expressum Dei verbum? Nullus est nostri temporis hæreticorum, qui semper illud in ore non habeat, qui de eo non glorietur, qui sibi non illud propriè vendicet, qui cæteros ab eius possessione submouere non conetur. Vult igitur Satanas, vt modò coram hoc, modò coram illo incuruemur, vt nunc huius, nunc illius verbum tanq̄ Dei verbum amplectamur, vt pro vno Deo idola multa colamus, vt pro vno Christo, multos adoremus Antichristos. Nos verò Prophetarum & Apostolorum vocem audiamus clamantium: Fugite idola, fugite idola: Fugite Lutheri, fugite Caluini, fugite Philippi, fugite Brentij peruersa dogmata: fugite quotquot sunt alij, qui phantasmata sua tanq̄ idola coli volunt, qui quod ipsi dicunt & sentiunt, id tanq̄ expressum Dei verbum, & purum Euangelium adorari debere contendunt.

*Fugiendi Hæretici non minùs, quam Idolorum cultura.*

*Hæreticorum bella intestina.*

Ac vide, Rex optime, q̄ ipsi mutuò se ferre iam non possunt, isti dij Germanici, quos haud aliter atq; Deos Homericos, infestis armis inter se concurrentes cernimus. Non hiciam loquor de funestis illis prælijs, deq; cladibus innumeris, quibus infelix Germania miserandū in modum afflicta fuit, ex quo tempore Deos istos colere, quodq; dictum aut scriptum ab illis esset, pro Dei verbo recipere cœpit. Ipsi Dij, qui verbum suum pro Dei verbo venditant imperitæ multitudini, quemadmodum inter se dimicent, audi.

*Zuinglianii in Lutheristas.*

An Zuinglium, & qui sunt eiusdem sectæ, itidem & Anabaptistas Lutherus hostiliter nō inuasit? An impium vtriusq; sectę dogma pro virili sua iugulare conatus non est? quos etiam non stylo magis, q̄ sceptro Magistratus coërcendos esse iudicauit. Itaq; non solùm apud Christianos, verùm & apud ipsos Lutheranos, tam est detestabile Zuinghanorum & Anabaptistarum nomen, vt eis aqua sit & igni interdictum: ac, si quis receptum eis dederit, graues in eum pœnæ sunt constitutæ,

Num verò Zuingliani multò sint in Lutheranos mitiores? At ij pari quidem eos læuitia non prosequuntur? non quòd voluntas prompta non sit, sed quòd facultate se videant destitutos. Neq; enim sibi tantum adhuc esse virium intelligunt, vt id sine magno suo discrimine facere queant: Quemadmodum autem sint erga eos animati, facilè cuiuis è scriptis illorum liquere potest, cùm non alio loco Lutheranos habeant, q̄ quo habentur ab illis. Testantur hoc scripta Ioannis Caluini, & Ioānis à Lasko contra Ioachimū VVestphalū, & contra Saxonicas ciuitates. Scripsit autem aliquando Bucerus quoq; Lutherū ab omnibus accusari imperiosæ & acerbæ dicacitatis, & quòd non patiatur ab aliquo sibi contradici. Quod ipsum ei crimini dant Tigurini quoq;. Si exigit (inquit de Luthero Bucerus) ne quis à se vlla in re dissentiat, probet se Deum esse: Tacitè innuens, quòd se pro Deo coli, quodq; suum verbum tanq̄ Dei verbum ab omnibus adorari cuperet, ac nemini mortaliū à sua tanq̄ à diuina sententia discrepare, fas esse vellet. Sic hunc illius incredibilem fastum, quo haud aliter in templo

*Caluin. in VVestphalum.*

*Bucerus in Lutherum.*

*Caluini de Luthero conquestio.*



Dei sedere conabatur, q̄ si Deus esset, ne socij quidem eius ferendum esse putauerunt. An autem & Caluinus non queritur, imperiosè Lutheri placitis Ecclesiam Dei adstringi? Quàm verò molestè fert illud, quòd eum Ioannis Baptistæ spolijs exornant, quòd Heliam illum esse dicant, per quem restituenda fuerint omnia. Qua fallitate, non minùs eos fœdasse Lutheri nomen scribit, q̄ Hieremiæ corpus Ægyptij, sepulchrum eius adorando. Ac si maximè, inquit, concedendum esset Luthero nomen Heliæ, sacrilegæ tamen temeritatis est, asserere vltimum Heliam: ac si præcisa esset Deo manus, ne quē vel præstantiorē, vel parem post hac mittat. Nam quo oraculo illis patefactum est, in vnius hominis persona, sic exhaustos vel imminutos esse potentiæ Dei thesauros, vt nemo similis prodeat, ex illa immensa & incomprehensibili scaturigine? Non potuit hic dolorem suum dissimulare Caluinus, quem ex eo conceperat, q̄ vltimus Helias Lutherus esse diceretur: quòd nullum iam sibi locum relictū esse videret, cùm tamē se nulla re Luthero iudicaret inferiorem: quin superiorem etiam existimaret. Ioannes aūt à Lasko, qui cum Caluino consentire propemodum videtur, præterq̄ quòd pluribus in locis pessimē de Luthero sensit (sicut adnotatum est ab Erasmo Albero) de Lutheranis quoq; scribit, quòd cùm aliud nihil supereſt, ad Augustanam Confessionem, tanq̄ ad sacram, quod dicitur, anchoram, confugere consueuerunt: & tanti (inquit) illam faciunt, vt non desint inter ipsos (& quidem non postremi) qui dicant, se malle de Pauli ipsius Apostoli, q̄ vel de Lutheri, vel de Confessionis Augustanæ doctrina dubitare.

*Lutherus pro Helia à suis habitus.*

*Doctrinæ Lutheri à suis discipulis credita præstantior & verior ea, quæ D. Pauli est.*

Vides quemadmodum etiam ipsi non possunt ferre Sacramentarij, quòd pro verbo Dei retiptatur (quin pluris etiam fiat, q̄ Dei verbum) quod vel in Lutheri libris, vel in Augustana Confessione scriptum continetur? Et feremus nos Christiani, quòd non possunt ferre quam libet impij Zuingliani? ac pro expresso Dei verbo nobis obtrudi patiemur, quod expressum esse diaboli verbum certò certiùs exploratum habemus? Sed erunt fortasse, qui minus hac in parte tribuendum esse Zuinglianorum iudicio putabunt, quòd ij non obscurè videantur à Lutheri doctrina dissentire.

*Confessionistæ.*

Videamus igitur, quod ipsorum Lutheranorum de se mutuum sit iudicium: Confessionistæ, quin Lutherani sint, non opinor quemq̄ inficias iturum: quorū vnus cùm sit Andreas quoq; Osiander, an & ipse non queritur, plus apud suos habere ponderis confessionem Augustanam, q̄ Dei verbum? Et, qui VVittembergæ magistri creantur artium, aut sacræ Theologiæ professores, eos abiurare verba Dei, & iurare in verba Philippi. Vides quemadmodū & hic, Philippi discipulos idololatriæ condemnat, ac vt fugiant hoc idolum, admonet? Iam Philippus ipse, nónne dogmata illa Lutheri, (Quod nullum sit hominis liberum arbitrium: quòd absoluta necessitate eueniant omnia: quòd non plus homo sentiat, quid in se Deus agat, q̄ sentit incus, quid agat malleus: quòd opera non sunt ad salutem necessaria, quòd nulli ritus aut cæremoniæ debent in Ecclesiam admitti) mordicus initio defendebat, nec alio loco quàm quo Dei verbum habebat? Posteà tamen turpiter se Luthero seruiuisse questus, hæc illius phantasmata reiecit, ac ad mentem rediit meliorem. Quo nomine, tantum sibi, suorum etiam discipulorum odium conflauit, vt eum & quàm plurimis conuitijs exagitarent, & cuius ipsum auctorem esse constat, ab Augustana Confessione sint excludere conati. Mathias quidem Flaccus, plus etiam aliquid arrogare sibi veritus non est, qui benè merentē præceptorē, & omnes eius sententiæ adhærentes, pro Ethnicis & Publicanis habendos pronunciare non dubitauit: hoc est, vt ipsemet interpretatur, neminem pium debere cum ipsis vllam familiaritatem, conuersationem, amicitiam habere, & ei, qui præsertim nulla iuris necessitate eis adstrictus, aliter fecisset, denunciauit lepræ eorum contagium, & ita haud dubiè iram diuinam. Quam etiam fuisse causam suspicor, quòd in proximo colloquio VVormacien si Schneppius, Merlinus, Strigelius, Sarcerius, & alij quidam Illiriciani, rebus infectis inde discesserunt, quòd Philippi & Brentij (quorum vtrunq; Flaccus ab Ecclesia sua pronunciauit alienum) communionem sibi fugiendam esse putarent: cùm præsertim ij, qua lem exigebant ipsi, nulla resipiscentiæ signa darent.

*Philippus Melanchthon turpiter se seruisse Luthero conqueritur & conuiciatur.*

*Mathias Flaccus contra Lutherum & eius affectatores.*

*Schneppius.*

*Merlinus.*

*Strigelius.*

*Sarcerius contra Philip. Melanch.*

Quis igitur iā vel ipsa luce clarius non perspicit, quòd hæc sunt idola, quæ Prophetæ, quæ & Apostoli tanto studio nos vt fugiamus, hortātur: hæretici nostri temporis, Lutherus, Caluinus, Philippus, Brentius, Flaccus? hos tanq̄ viperam & basiliscum deuitare nos iubent? qd ipsi faciunt etiam inter se, mutuoq; iudicio suo se condemnant. An autem id non multò iudicio nostro faciemus nos, vt pro talibus eos habemus, quales ipsi nō Ecclesiæ Catholicæ modò, quā audire iussi sumus, verùm, & suo ipsorum iudicio facti sunt? Et erit intereà quisquam, qui nobis (qui Deū verū tantùm scimus & colimus) persuadere conetur, vt istorū hæreticorum verbum, tanq̄ expressum Dei verbum adoremus? O Christe, qui mentes nostras Euangelij tui luce iam inde à sexcentis propè annis illustrasti: priùs fortunas nostras omnes, priùs suauissimæ lucis huius vsuram, priùs ea cuncta, quæ sunt in hoc seculo mortalibus charissima, nobis eripe, q̄ vt ab hac nos mēte dimoueri patiaris, qua semel nobis deliberatū est, omnia prius & facere & pati q̄ vt ab eo, quod ab annis propè sexcentis nostræ genti traditum est, sancto tuo verbo discedamus: & horum, (qui se tanq̄ Dij quidam ostentant) verbū illius loco reciamus, atq; ira horrendæ cuiusdam idololatriæ grauissimo crimine nos obstringamus.

*Pia ad Christum oratio, qua precatur autor, vt illi det in Orthodoxa fide perseuerentiā.*

Verùm ad rem: Satis iam demonstrasse nobis videmur, quòd nunc imperitæ multitudini tanquā Dei verbum, ab hæreticis venditatur: id non Dei, sed diaboli verbum esse, à quo mentes piorum omnium abhorrere, quòd haud aliter eos fugere, q̄ exitiabile venenum oporteat, iuxta Prophetarum & Apostolorum vocem clamantium: Fugite idola. Nunc tēpus instat, vt receptui canamus, nisi q̄ priùs, de eo, quod sit expressum Dei verbum, paucis disserere decreuimus: quò magis eo cognito, quod sit expressum diaboli verbum, elucescat.

*Verbum Dei expressum quid. Ephe. 5.*

Sunt quidem in diuinis scripturis multa Dei verba, sed omnia tamen illa, sunt vnum Dei verbum: Dilige: Omnis enim lex in vno sermone impletur, inquit Apostolus: Diliges proxi

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Galat.5.* *Matth.23.* *Rom.13.* *1.Tim.1.* *In Prologo Psalm.140.* *In psalm.130.* *Serm.4.* *Vis charitatis.* *1.Corinth.13.* *Rom.10.* *Lib.3.pædagogi cap.11.21.* *Psalm.118.* *Psalm.18.* *Auguſt.* *2.Cor.13.* *Hæreticorum caligo cur tanta.* *Coloſſ.3.* *Superbia præcipuum inueſtigandæ veritatis obſtaculum.* *Prouerb.23.* *Epiſt.56.* *Scripturæ deninæ ſcopus dilectio.* *Lib.1.de doctrina Chriſtiana.* *Cap.36.* *1.Tim.1.* *Legendo ſcripturas charitas nos ædificat.* *Hæreticorum voces impiæ in deſpectum Papæ et Concilij.* *Rudis et indocti vulgi, ſtultarumq; quarundam mulierculariū ſuperbia.* *Hier 13.* *Matth.7.* *Lib.1.Theologia.*

mum tuum ſicut teipſum. Nec vniuerſa modò lex in hoc pendet, verùm & Prophetæ, ſient ipſe teſtatur Chriſtus: Itaq; plenitudo legis, & finis omnis præcepti, charitas eſt, ad eam enim refertur omne præceptum. In nullis ſcripturis, inquit Auguſtinus, aliud inquiratis, nemo vobis aliud præcipiat: Quicquid obſcurum eſt in ſcriptura, hæc ibi occulta eſt: quicquid ibi planum eſt, hæc ibi aperta eſt: Præceptum iſtud charitatis eſt ſuper omnes cœlos, eſt ſuper omnes libros: ei ſubduntur omnes libri, ei militat omnis lingua ſanctorum, & omnis motus diſpenſatorū Dei, & animi & corporis: Quicquid habeas, hanc ſolam ſi non habeas, nihil tibi prodeſt. Alias ſi non habeas, hanc ſolam habe, & impleſti legem. Si vna hæc abſit, inania: ſi vna hæc adſit, plena ſunt omnia. Sola hæc eſt, quæ ad ſalutem ſufficit, & ad eam ſic eſt neceſſaria, nihil vt ſit, quod quis q̄ ſperet, quòd eam aſſequi poſſit abſq; charitate. Hoc igitur verbum conſummans & breuians, verbum ſaluificans, verbum charitatis, & dilectionis tam expreſſum eſt & dilucidum, vt illud etiā abſq; ſcripturis diſci ſcribat Clemens Preſbyter Alexandrinus, cùm ſit ſpirituale quoddam decretum, cordibus fidelium (quamlibet rudes ij ſint) inſcriptum. Itaq; nemo poteſt eſſe tam hebes, qui verbū hoc non intelligat: nec ab illius ignorātia quiſq; excuſatur. Hoc eſt illud verbū, de quo dicit Pſaltes: Lucerna pedibus meis verbū tuū, & lumen ſemitis meis. De quo loquitur idem: Præceptum tuum lucidū illuminans oculos. Reuera, illuminātur oculi cordis noſtri charitate, ſicut excæcantur ecōtrariò cupiditate. Siue ſit ea carnis, ſiue oculorum, ſiue laudis & gloriæ cupiditas. Vbi fuerit hæc, ibi nihil niſi meræ tenebræ, nihil niſi terra caligo. Vbi contrà fuerit charitas, ibi ſplendida lux, ibi tā clarū lumen, nihil vt ſit, q̄d obſcurū eſſe queat habenti charitatem. Quāobrē præclarè dictū eſt ab Auguſtino: Qui vult habere notitiam Dei, amet: Fruſtrà accedit ad legendū, ad meditādū, ad prædicandū, ad orandū, qui nō amat. Quoniā aūt perfecta charitas alibi non erit, q̄ in illa cœleſti patria beatorum, etiam cognitio noſtra, ibi demùm, & non alibi perfecta eſt futura: hic interim ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.

Quare, ſi quis miratur, q̄, cùm inter alios hæreticos, tū inter ipſos etiā Cōfeſſioniſtas tāta caligo, tantaq; nox eſt, vt Andabatarū more pugnēt in tenebris, nec poſſint ad veritatis agnitionē puenire: mirari deſinet, poſteaq̄ hāc eſſe cauſam didicerit, q̄ ſunt ea, quæ ſola credentibus lucē adfert, deſtituti charitate: non enim diuiſiſſent vnitatē, ſi non priùs amiſiſſent charitatē, quæ vinculū eſt pacis & vnitatis. Sunt autem ideò deſtituti charitate, quoniam ſunt pleni cupiditate, qūbus alia, tum præcipuè laudis & gloriæ. Quemadmodū à Poëta ſcriptū eſt,

*Qui velit ingenio cedere, rarus erit.*

Nihil æquè officit inueſtigandæ veritati, atq; ea quæ mater eſt omniū hæreticorū, ſuperbia: ſemper enim inter ſuperbos iurgia ſunt: Ad capeſſendam autem veritatem: non eſt alia via quàm humilitas, per quā fouetur charitas, & retinetur vnitas, Et ea eſt (inquit Auguſtinus) prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc diceremus, ſicut de pronunciatione dixiſſe legitur aliquando Demoſthenes. Hac via cùm non incedāt hæretici, quis eſt, qui magnoperè miretur, quòd ad manifeſtæ veritatis agnitionem peruenire nequeunt? De expreſſo Dei verbo tantas nobiſcum, tantas & inter ſe cient pugnas, & intereà quòd nihil eſt in ſcripturis expreſsius, vt vel Sol ipſe minùs eſſe clarꝰ videatur, quodq; ſolùm ex illis didiciſſe, nobis abundè ſufficit ad ſalutem, expreſsiſſimum Dei verbum non vident, quod eſt? Dilige, quę ſumma, qui ſcopus eſt ſcripturæ totius: Vt præclarè ſcriptum ſit ab Auguſtino: Quiſquis ſcripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet iſtam geminam charitatem, Dei & proximi, nondum intellexit. Quiſquis verò talem inde ſententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati ſit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quòd ille, quem legit, eo loco ſenſiſſe probatur: quandoquidem ea ſententia fallitur, quæ ædificat charitatem, quæ finis eſt præcepti, non pernitioſè fallitur, nec omninò mentitur: ſed ita fallitur, vt ſi quis errore deſerens viam, eò tamen per agrum pergat, quòd etiam via illa perducit. Charitatem ædificare nos intellectu noſtro, ſcripturas legēdo, vult Auguſtinus, ſi pernitioſè falli nolumus.

An autem hoc eſt iſtorum ſtudium, qui nihil magis habent in ore, noſtro tempore, q̄ ſcripturas & expreſſum Dei verbū, ſic vt in ſcripturis intelligentia ſua verſentur, vt nihil aliud q̄ charitatē ædificare ſtudeant? Quis nō contraria potiùs ab illis fieri videt omnia? Quòd etiam indicant illæ voces, quibus nihil eſt apud illos magis vſitatum: Trotz, trotz, in deſpectū Papæ, in deſpectū Concilij. An hoc eſt ædificare charitatē? Vnde aūt nobis tot lites? tot cōtentiones? tot ſeditiones? tot pugnæ? tot hæreſes? tot ſectæ? quibus miſerandū in modū diſſectam Eccleſiam videre licet, niſi ex eo, quòd dum expreſſum Dei verbum ad ſe quiſq; rapit, dum ſibi quiſq; propriè conatur illius intelligentiam vſurpare, ſcripturis legendis, nihil minùs quæritur, q̄ vt charitas ædificetur? Rude vulgus etiam & indoctum, intolerabili quadam ſuperbia manibus (quod aiunt) & pedibus illotis, impudenter ad ſacrarum literarum lectionem accedere, quin & ſtultas hoc ſibi mulierculas arrogare videmus, vt reiectis Patribus, contemptis Paſtoribus & Doctoribus, totius Eccleſiæ ſenſu & conſenſu ne pili quidem facto, ſuam interpretationem etiam eorū interpretationibus anteponere non reformidēt: quos in lege Domini diebus ac noctibus verſatos eſſe, nec in eius vera intelligentia aſſequenda, ſtudij, laboris, diligentiæ quicq̄ prætermiſiſſe ſciūt, quos ſibi Præpoſitos eſſe, quibus ſubiacere ſe debere, q̄ſi quidē peruigilant quaſi rationem pro animabus eorum reddituri, nō ignorant? Eſt ne illud charitatem ædificare? Sed ſic viſum eſt hæreſiarchæ noſtri temporis, qui primus dare ſanctum canibus, & ante porcos auſus eſt proijcere margaritas, quorum pedibus q̄ fœdè conculcentur, quis eſt qui ſine lachrymis aſpicere queat? Præclara eſt Gregorij Nazianzeni ſententia, quòd non omnium eſt de rebus diuinis diſſerere, ſed nec quouis tempore, nec apud omnes, nec de omnibus diſputare fas eſt. Sed eſt, quando, & apud quos, & quo fine fieri id conueniat. Quod ille pluribus verbis perſequitur.

Nihil



Nihil eſt ſcripturarum lectione melius, nihil vtilius: ſed arbor quædam eſſe dicitur Rhododaphne, cuius folia quadrupedibus venena ſunt, hominibus preſidia aduerſus ſerpentes. Eadem eſt ſacræ quoq; ſcripturæ ratio, quæ ſicut ſobrijs ac prudentibus ſalutarem præbet admoniam, ita ſtultis & impijs hæreſeos & maioris impietatis miniſtrat occaſionem. An autem quadrupedes iſtos, quibus dare ſanctum Chriſtus vetuit, etiam à lectione ſacrarum ſcripturarum arcere non præſtaret, q̄ permittere, vt aranearum in morem nihil exillis præter exitiale venenum ſugerent. Porro fœminæ, quantò rectiùs facerent, ſi colum verſarent eo tempore, quo de expreſſo Dei verbo diſputant? Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Paſtores & Doctores, dicit Apoſtolus? At nunc omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Paſtores eſſe volunt & Doctores, quin etiam paſtrices & doctrices. Noluit Chriſtus vt ſuum corpus eſſet vnum membrum, ſed vt eſſent eo multa membra: nūc illi contrà volunt, vt omnia ſint vnum membrum, vt ſit vnius tantùm formę maſſa, nulla varietate diſtincta, ſic inutilis quædam congeries, ſit confuſum & diſſipatum chaos, omni ſymmetria ſublata. Qua ſublata non tantùm corpus labefactatur, nec ordo tantùm naturæ peruertitur, ſed ipſius etiam Dei palàm auctoritas conuellitur, quando plus quiſq; q̄ ſibi datum eſt, vſurpat. Inde diſſidia, inde ſectæ, inde rixæ, quibus tumultuatur orbis Chriſtianus, dum nec manus, nec pes, officio ſuo fungi dignatur, verū oculi ſibi linguæq; munus, vnūquodq; membrum vſurpare conatur, ac proprio ſuo neglecto, ſe in alienum officium impudenter ingerit: Sed hæc extra cauſam fortaſſis dicta videri poſſint, quamuis non omninò dicta ſint extra cauſam. Nunc ad inſtitutum redeo.

Vis cognoſcere pientiſſime Rex, quod expreſſum Dei verbum ſit, q̄d expreſſum diaboli verbum? Ex vna quidem, eademq; ſcriptura, ſicut copioſè iam à nobis demōſtratum eſt, vtrumq; produci poteſt. Verùm intereà diſcrimen paucis accipe: Si quis ita ſcripturam intelligat, vt intellectu ſuo, charitatem ædificet, Dei verbum eſt: Si verò ſic eam intelligat, vt intellectu ſuo, quod eſt charitati contrarium ædificet, diaboli verbum eſt. Quod maius etiam eſt accipe: Si quis è ſcripturis diuinis eam ſententiam duxerit, quæ ſit ædificandæ charitati vtilis, etiam ſi hoc non dixerit, quod ille, quem legit, puta Matthęus, Marcus, Lucas aut Paulus, eo loco ſenſiſſe probatur, non perniciosè fallitur, nec aberrat à verbo Dei: ſed ſic fallitur, quemadmodum is, qui viam errore deſerit, ac per agrum pergens, eò niquora ſulcantes, Cynoſuram aſpiciunt, ſic qui verſantur in ſcripturarum lectione, non hilominus peruenit, quò fuerat illum via, quam deſeruit, perductura. Sicut igitur æ- aliò ſuæ mentis oculos q̄ ad charitatem dirigere debent, ad quam, ſi referant intellectū ſuū, verbum Dei nunq̄ aberrare poſſunt, cùm (ſicut paulò antè dictum eſt à nobis) omnia Dei verba ſint vnum verbum. Dilige. Quo nihil eſt, nec eſſe poteſt in ſcripturis expreſsius.

Qui (malum) igitur furor hic eſt? quæ dementia? quæ mentis cæcitas? Expreſſum Dei verbū quæritur, de expreſſo Dei verbo litigatur, & cùm ipſum ſe noſtris oculis expreſſum Dei verbum ingerat, non cernitur: cùm ipſum ſe noſtris auribus inculcet, non auditur: cùm ipſum vltrò ſe modò non contrectandum noſtris manibus offerat, non agnoſcitur, neq; recipitur: quin & ex oculis, & ex auribus, vel cordibus potiùs, & ex manibus illud ſuis effugere, miſeri mortales facilè patiuntur: dum in ſciendo & diſputando, non autem in credendo & amando, ſalutem ſuam eſſe conſtitutam, falsò ſibi perſuadent. An autem in hos nō rectè quadrat illud ex Pſalmis: Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: manus habent, & non palpabunt? Charitas, charitas, charitas nusq̄ in ſcripturis non obuia noſtris oculis, expreſsiſsimum Dei verbum eſt, qua remota, ſi quis credit ſcientiam ſibi ſalutem alla turam, toto (quod aiunt) cœlo errat. Veriſſimè dixit vir quidam pius & doctus: Pietas diuina nonattendit, quanta cognitione credatur, ſed magis, quanta deuotione quod creditur, dili gatur. Et alius non minùs & ipſe pius. In die examinis nouiſſimi, non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noſter acutus & eruditus, ſed qualis fuerit affectus noſter ad Dominū Deum noſtrū, hoc eſt, quàm rectus, q̄ ſimplex, quàm pius, humilis, & deuotus: quamꝰq; ſponcaneus & fidelis in Dei ſeruitio.

Quæ cùm ita ſint, cur non in hoc vnum potiùs omne ſtudium noſtrum impēdimus, quod verbum? & ſolum ad ſalutem nobis neceſſarium eſſe ſcimus, vt quæ propriè eſt filiorum Dei nota, mutuam inter nos fraternam charitatem retineamus? quandoquidem ſcripturarū intelligentia non eſt omnibus peræquè neceſſaria. Turbam imperitam credendi ſimplicitas, non intelligendi viuacitas tutiſſimam facit. Et ſicut idem ſcribit Auguſtinus: Homo, fide, q̄, & charitate ſubnixus, eas q̄ inconcuſsè retinens, non indiget ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaq; per hæc tria, multi etiam in ſolitudine ſine codicibus viuunt. Nunc ſcrutari ſcripturas, deq; ſenſu earum diſceptare volunt omnes, ad quam verò tanḡ ad ſcopum quenquam ſcripturæ cunctæ referuntur: quam oculis, auribus, animis noſtris nuſquam inculcare tò magis de ſcripturis, deq; expreſſo Dei verbo feruet diſputatio, tātò magis in animis mortalium, quàm ſolam ſcripturæ ſonant omnes, refrigeſcit charitas.

Eſt autem veriſimile, quòd ſcripturarum ſanus intellectus, quòd expreſſum Dei verbum ibi ſit, vbi ſic refrixit charitas, vbi ſic exarſit odium, vbi præter conuitia, maledicta ſcōmata, lædorias vix quicquā ferè legere licet, aut audire: vbi illi ipſi etiā, qui diſceſſerunt à nobis (qui malunt Euangelici, quam Chriſtiani vocari) non modò nobiſcum, verùm & inter ſe tam infeſtis, minimeq; Chriſtianis animis tam hoſtiliter confligunt, vt quamlibet immanes Barbari, Chriſtiq; crucis inimici, magis hoſtiliter non poſſint. Certè priuſquam exortum eſſet hoc Euāgelium (à quouis alio potiùs auctore, quàm à CHRISTŌ profectum) nec tantas animorum acerbitates, nec tam atroces pugnas vidimus vnquam, inter eos præſertim, quorum hoc erat munus, Euangelium Chriſti propagare. Et vocabimus hoc Euangelium,



*Rododaphnē Dioſco.4.* *Plin.lib.24.c.11.* *Hæretici aranearū in morem nihil ex diuinis ſcripturis ſugunt quā exitiale venenum.* *1.Corinth.12.* *Corporis Eccleſiæ Chriſti diſſipatio.* *Expreſſum Dei verbum eſſe poteſt & expreſſum diaboli verbum ſub diuerſo ſenſu.* *Cinoſura ad Dei verbum venuſta comparatio.* *Hæreticis quanta ineſt mentis cæcitas.* *Pſal. 103.* *Vide Auctoris vt hementiam.* *Hugo de S. vict. li.1. par.10.c.6. de Sacramentis.* *Gerſon in lib. An Monachus præ ſtudio negligere poſſit diu.* *Conſider.at.9.* *Aug.contra epiſt. Manichei, quam vocant Fundamenti.* *Lib.1.cap.39.de doctrina Chriſt.* *Expreſſum Dei verbum penes hæreticos eſſe nō poſſe.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vocabimus expressum Dei verbum, à quo sic omnis exulat charitas, quæ sola nobis expressè præcipitur in Euangelio, quod qui se primi, pridem (vt ipsi dicunt) sepultum in luce protulisse gloriantur, tantis ipsi certant odijs inter se, tanta flagrant inuidia mutua, sic ipsi se mordent inuicem, vt non longũ sit nobis tempus illud expectare, quo consumentur ab intus in cem. Expressum hoc est diaboli, non est expressum Dei verbum, cùm sicut iam toties à nobis dictum est, expressum Dei verbum sola sit CHARITAS. Hæc est quæ complectitur vnitatem, hæc est, quæ nos omnes vnum corpus facit, hæc est, quæ veram pacem habet, quam puro corde custodit. Neq; enim charitas Christiana, nisi in vnitate Ecclesiæ custodiri potest, vt fruſtrà se tenere glorietur charitatem, si quis non amplectitur vnitatem. Quòd si verò non custoditur expressum Dei verbum (charitas) nisi in Ecclesiæ vnitate, quis iam erit qui dubitet, q; extra vnitatem hanc expressum Dei verbum haberi non possit? Et hoc est quod superiùs diximus, vnam & eandem scripturam si duo proferant, euenire nonnunq; vt vnius Deus, alterius os diabolus aperiat. Nam qui profert in Ecclesia iuxta sensum Ecclesiæ, Deus os eius aperit, & est Dei verbum. Qui verò profert separatus ab Ecclesia, suo, non Ecclesiæ, non omnium sensu (quoniam de suo loquitur, etiam si scripturam loquitur, mendaciũ tamen loquitur) diabolus os eius eius aperit, & est verbum diaboli. Cæterum quod Ambrosium sequuti diximus charitatem esse, quæ complectitur vnitatem: & quæ nos omnes vnũ corpus facit, nollem eo sensu accipi, quasi malos & iniustos exclusos à Christi corpore (quæ est Ecclesia) velimus. Quamuis enim charitas, quam præcipuè scriptura nobis commẽdat, propria nota sit eorum, qui piè Deum colunt, qua filij Dei discernuntur à filijs diaboli, & ij soli sint qui ad electorum cœtum pertineãt: est tamen etiam quidam cœtus siue Ecclesia vocatorum, à qua non excludunturij, qui sunt vera charitate destituti, modo retineant illam, quam vocat Augustinus charitatẽ vnitatis, per quam sibi membra Christi copulari tolleràtiæ tenax vnitatis, quæ per bitumen significata est: quò ideo intus & foris, arca, quæ fuit Ecclesiæ typus, illita est, quia & intus & foris mali tolerandi sunt, ne pacis compago soluatur. De qua charitate alio quoq; loco scribit Augustinus: Non existimo quenq; ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem, eum qui non habet charitatem: cùm certum sit, quòd pertinent ad Ecclesiæ vnitatem, quamdiu ab illa præcisi non fuerint, etiam qui cæteris effectibus charitatis destituti sunt, dummodò vim illam tolerantiæ retinentes, sint inter illos de quibus scribit Paulus: Supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Verùm hicisti negabunt eam Ecclesiam esse Dei, quam nos profitemur, cuius nos filios esse gloriamur, & eius nomen suo cœtui vendicare conabuntur. Ostendant autem nobis Ecclesiam suam, non iam de Sacramentarijs loquimur, nec de Anabaptistis, nec de cœlestibus Prophetis, nec de Campanis & Seruetis, quos omnes à suo quoq; cœtu reiecerunt: sed ostendant Confessionistæ nobis Ecclesiã suã. Philippus quidem cum suis, & Brentius cum suis, ab eius Ecclesiæ communione sunt eiecti, quæ Confessionis Augustanæ (non Christianæ) censeri vult, sicut ex Matthiæ Flacci, & Ioachimi Merlini scriptis, qui se germanos esse Lutheranos gloriantur, videre licet. Quòd si quis verò Philippi, vel eius discipuli Iusti Menij plus q̃ horum iudicio tribuendum esse putabit, non melius illi iudicabunt de Flacco, q̃ Flaccus de illis, Vbi iam igitur inueniemus Ecclesiam istam Lutheri? Philippus quidem, vt sit apud Illiricianos, non concedet: Illiriciani contrà negabunt eam apud Philippianos aut Brentianos reperiri, quos ex Ecclesiæ suæ communione pridem eiecerunt. An & suam vnitatem Lutheri sectatores furialibus discordijs non dissiparunt? sicut anteà Magister eorum per summum sacrilegium ab vnitate se Catholica tanq; ab area Dominica separauit. Vbi igitur quæremus iam illorum Ecclesiam, quam nec apud hos, nec apud illos alterutri esse concedent?

*Sola charitas est, quæ vnitatem complectitur. Ambros. in ca. 3. ad Colos.*

*Expressum Dei verbum quomodo verè cognoscatur. Ioan. 8.*

*1. Ioan 1. De vnitate Ecclesiæ cap 2 1. Corint. 3. Vbi suprà, cap. 5. Lib. 1. contra Cresconium, cap. 26.*

*Hæretic. pro suâ cuiusque Ecclesiâ conflictatio.*

Quis erit sic ab omni mẽte desertus, qui non multò magis elegerit, in qua natus & in Christo feliciùs est renatus, in ea Ecclesia manere potiùs, q̃ vt ad eam, de qua sic inter ipsos ambigitur, se conferre velit. Absit autem vt homo Christianus, Catholicus, & Orthodoxus dubitare velit, vtrum ea sit Ecclesia Dei, in qua non ipse non modò, verùm & parentes eius, quin & aui, & proaui Christi fide sunt imbuti. Quid enim hoc aliud fuerit, q̃ dubitare, num sit Christianus, & Christianis parentibus prognatus, & sicut à Propheta scriptum est: Impingere in meridie quasi in tenebris. In Sole posuit Deus tabernaculum suum. Super montẽ coelocauit ciuitatem suam Ecclesiam, quæ absconditi nõ potest. De qua nobis hoc loco pluribus disserere propositũ nõ est, cùm præsentis institituti non sit, & cùm in Cõfessione nostra Christiana, tũ in scripto, qd cõtra Prolegomena Brentij nuper edidimus, copiosè de ea tractauerimus, vbi docuimus q̃ sint Ecclesiæ notæ: nimirũ vt sit sancta, vt sit Catholica, sit vna, sit Apostolica, vt, nisi præsit illi vnus, cuius auctoritatem agnoscant omnes, Petri legitimus successor in Romana cathedra, & indubitatus Christi vicarius, Ecclesia Dei dici non possit. Nunc itaq; longiores esse nolumus, quandoquidem satis iam demonstrasse videmur, quòd qui maximè de expresso Dei verbo gloriantur, apud eos expressum diaboli, non expressum Dei verbum est: quum expressum Dei verbum sit charitas, quam vt in cordibus nostris diffundat Deus per spiritum suum sanctum, vt hæreseon & schismatum finem aliquando faciat, vt optatam Ecclesiæ suæ tranquillitatem restituat, supplices misericordiam eius deprecemur. Faciet ille procul dubio, non pro meritis nostris, quibus grauissima supplicia debentur: sed pro immensa bonitate sua, modò vitam nostram in melius commutemus, & adeuntes ad thronum eius gratiæ cum fiducia, nullum deprecandi finem faciamus.

*Vera Dei ecclesia Esa. 59 Psal. 18. Matth. 5.*

HÆC



*Epilogus.*

HÆc habui, Clementissime Rex, quæ de expresso Dei verbo ad te scriberem, quo tempore varijs curis mirabiliter fui distractus, cùm ternis Pauli Quarti Pontificis literis vocatus, profectionem in vrbem adornarem. Vt autem hunc scribendi laborem caperem, fides me mea, qua tibi sum obstrictus, impulit. Impulerunt & beneficia, quibus me tantis immerentem affecisti, quantis haud scio, an ab vllo Polonię Rege mortalium quisquã affectus fuerit vnquam. Quamobrem, quòd plura tibi me debere profiteor, & præ me fero, hoc magis de salute tua, & quidem æterna salute sum sollicitus: cuius tuendæ causa, non modò labores nullos defugerim, verùm & vitæ meæ discrimen non dubitanter adierim. Fortassis enim non desunt, qui tuas quoq; aures vocibus ijs obtundant: Mitte te deorsum: Scriptum est enim. Sed mihi tantum de tua constantia, tantum etiam de diuina misericordia polliceor, quòd adiutus ea, nunq; facies, vt sacrilega consilia separationis amplectaris, & aliquid apud te, pestilentibus horum persuasionibus esse loci patiaris. Ego verò, si (quod pro fua misericordia procul Deus auertat) de sublimi Ecclesię turri labentem te viderem, etiam si certa mihi mors esset oppetenda, Christo tamen robur mihi suppeditante, corpore meo te ruentem excipere, & illius interitu salutem animæ tuæ redimere nihil hæsitarem. Scis prudentissime Rex, quoties operam tibi meam, in sana Ecclesiæ doctrina tuenda detulerim: scis, quòd per hos annos aliquot, quibus Episcopum renunciari me voluisti, neq; sumptus, neq; labores, neq; pericula vlla defugerim, dum labanti in regno, terrisq; tuis religioni succurrere, eam nutantem pro virili mea fulcire possem, ac sustentare. Quis esse mihi potest, q̃ ipse tu testis locupletior in veteri nostra Christiana Catholica & Orthodoxa religione assertis nostris iracsitur Deus, quantum adhuc profecerimus, est quod nos vehementer pœniteat. Sumit Satanismus vires indies maiores. Posteaq; semel homines mittere se deorsum cœperunt, magis indies atq; magis in profundum errorum barathrum præcipites feruntur. Nam in quorum potestate fuit mittere se deorsum, simul vt semel id facere sunt aggressi, nõ perinde iam est in eorum potestate, vt se ruentes queant sustinere. Quis itaq; nunc sit regni tui status vides, dum non alia ferè de re, q̃ de expresso Dei verbo disceptatur ab omnibus, dũ sibi quisq; cognitionem illius arrogat, dum sua quisq; phantasmata, tanq; expressum Dei verbum vult adorari, neq; raro fit, vt quò quisq; est indoctior, hoc maiore cum audacia de eo, quod non intelligit, expressum tamẽ Dei verbum videri vult, differat. Quàm verò metuo, ne paulò pòst non minùs multos Polonicos, q̃ nunc Germanicos Deos numeremus, dum quod quisq; dicit & sentit, expressum Dei verbum haberi cupit. Vtinam autem ad duci possis, prudentissime Rex, vt Prophetas & Apostolos audires nusquàm non clamantes: Fugite idola. Quid enim aliud quàm idola sunt, qui diuinum honorem ad se transferunt, quodq; vel dixerint ipsi vel senserint, eodem loco, quo Dei verbum, haberi volunt? Hanc tu tam horrendam idololatriam procul à regni, terrarumq; tuarum finibus arcere debes & propulsare, nec, vt se quisquam tanq; Deum ostentet, ac imperitos homines coram suo, tanq; coram Dei verbo, incuruare se iubeat, permittes. Quod sit expressum Dei verbum, iam ex me didicisti: hoc quidẽ quãuis nihil eo lucidius, nihil sit expressius, prorsus tñ extinguitur, quando quisq; sibi de expresso Dei verbo disputandi potestatem sumit. Quæ fuerunt mearum partium, feci me puto. Nam si minùs doctè, clarè tamen, & perspicuè demonstrasse videor, quantam ea res Ecclesiæ Dei perniciem adferat, q̃ etiam imperitissimi quiq; de expresso Dei verbo sibi iudicium vsurpant. Simul & hoc ostendi, quod sit illud verbum Dei, quod tam clarum, tam perspicuum, tam expressum est, vt etiam absq; scripturis disci possit à quamlibet rudibus, neq; sit necesse credentibus in Christum de eo disputare, verùm necesse sit firmiter in eorum fide retinere, nec vt vnq; elabatur, permittere. Nunc tuæ partes esse videntur, vt hanc de expresso Dei verbo contentionem tuis hominibus interdicas, ac si qui volẽt, quod sit expressum Dei verbum cognoscere, iuxta scripturæ verba, legem eos ex ore Sacerdotis requirere iubeas. Illud aũt imprimis cauebis, ne tuæ quoq; vocibus istis hæreticorum aures obtũdãtur: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim: expressũ est Dei verbũ. Sathanæ sunt istæ voces p mẽbra sua loquẽtis, quas cane, peius & angue odisse debes. Quòd Ecclesia docet, expressũ Dei verbũ est, quod cõtra sensum & cõsensum Ecclesię docetur, expressũ diaboli verbũ est. Quamobrẽ ad horũ tu voces haud aliter ac Vlysses olim aduersum Syrenũ cãtilenas, aures tuas obturabis, nec obscura signa dabis quoties illas audire contigerit, nihil auribus tuis molestius accidere posse. Sic maiores tui reges olim nostri, cùm aliarũ virtutũ laude clari, tum pietate quadam & in tuenda fide Catholica & Orthodoxa constantia singulari prædíti, sanctus pater, auus, proauus tuus factitarunt, quos ab hæreticorum consuetudine sic abhorruisse, nostris annalibus proditum legimus, vt eorum nonnulli, vtrò etiam ab hæreticis sibi delata regna repudiarint, quòd eis esset religio cum illis commune quicq; habere. Horum si tu sanctis vestigijs incedere voles, quod facturum te nõ speramus minùs, quàm optamus, nondum ita sunt res in regno tuo deploratæ, quin propitio nobis Deo, optata tranquillitas, Ecclesiæ restitui queat. Qui nobis vt aliquando tandem dies illucescat, iterum atq; iterum supplices Deum deprecamur.

*Hosti pro Ecclesiæ defensione labores & pericula.*

*Satanismi vires.*

*Regnum Poloniæ religio quanta.*

*Sap. 14. Eccl. 30. Esa. 1. Hier. 2. Ezec. 14. 18. et 20. Osee 8. Amos 2. Mich. 1. Zach. 13. Act. 12.*

*Locorum in hoc bello contentorum compendiosa collectio.*

*Mala. 2.*

EIVS-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EIVSDEM DIALOGVS PIVS ET DOCTVS DE COMMVNIONE SACRAE EVCHARISTIAE

sub vtraque specie, panis scilicet & vini:

## CONIVGIO SACERDOTVM, ET SACRO in vulgari lingua celebrando.

*INTERLOCVTORES,*

Arator & Harpagus.



QVID agis Harpage? Túne receptam consuetudinem, Ecclesiæ totius auctoritate comprobatam, qua laici tantùm altera specie Sacramenti Eucharistiæ contenti sunt, & esse iubentur, damnandam esse censes? HAR. Tua fuit hæc Arator, non mea sententia. ARA. Scilicet Aratoris est de tantis rebus disserere, & ea quæ sunt Ecclesiæ totius auctoritate constituta, priuato suo iudicio conuellere, vel saltem in dubium velle reuocare? Nunquid non legisti?

*Ouidius.* *Nauita de ventis, de tauris narrat Arator.*

Equidem si de pecorum cura, deq; agri colendi ratione, sermo foret institutus, possem & ipse de rebus his non ineptè dicere. De Sacramentis verò, præcipuè contrà morem Ecclesiæ receptum disputare, cuiusuis potiùs, quàm Aratoris esse videtur. Nunquid omnes Apostoli? (dicit ille) Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? At qui ego tibi factus sum ex Aratore, Propheta, Doctor, Apostolus? HAR. Hócne tibi mirum adeò videatur, Ad Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum, oculos verte. Ex citharœdo psalmographum, quo nemo scripsit diuinius: Ex Armentario Pastore Sycomoros vellente, Prophetam egregium: Ex puero senum iudicem prudentia singulari præditum. Ex piscatore, prædicatorem, & Apostolorum principem: Ex persecutore gentium, Doctorem vnum omnium excellentissimum: Ex publicano, factum videbis Euangelistam eximium. Denique cæteros etiam Apostolos intuere, videbis Dei spiritum non per oratores docuisse piscatores: sed mira potentia, per piscatores subegisse non tantùm oratores, verùm ipsos etiam Imperatores. Quid Heliæus, in quo duplex fuit Heliæ spiritus? Nunquid ad Prophetæ munus ab Aratro vocatus non est? Elegit Deus infirma, vt confunderet fortia, elegit stulta huius mundi vt confunderet sapientes. Admirabilis quidam artifex est Spiritus sanctus, magister singularis: non habet ad docendum opus mora, simul vt mentè tetigerit, solum tetigisse docuisse est. Simul vt illustrauerit animum, immutat è vestigio, rotulit repentè hoc quod erat, & exhibet subitò quod non erat. Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia. ARA. Non sunt à vero prorsus aliena quæ narras Harpage. Sed nunquid vna hyrundo facit ver? Nunquid priuilegia singulorum legem possunt facere communem? Factus est olim ex armentario Pastore Propheta. Nunquid ideò statim omnes armentorum Pastores, erunt Prophetæ? Locuta est Asina cui Balaam insidebat. Nunquid vna omnes Asinæ? Quis nescit quòd admirabilis artifex est Spiritus sanctus, qui vbi vult, spirat? Sed ego me audire memini Sacerdotem dicentem, Spiritum sanctum extra Ecclesiam non dari: Tu verò sic mecum sermonem instituisti, cùm de veneranda Eucharistiæ Sacramenti speciebus esset inter nos disceptatio, vt auctoritatem Ecclesiæ sepositam esse velles: extra quam vel potius contra quam differenti qui fieri potuit, vt sutum donum Spiritus Sanctus impartiret. Quamobrem nihil est quod ita de me magnificè sentias, vt vniuersa Ecclesia sapientiorem me putes. Ego meo me pede metior: Aratorem me esse, non Doctorem memini. Præclarè mecum actum iri puto, si vel Dominicæ precationis formulam, cum articulis fidei in symbolo (quod vocant) Apostolorum contentis, cumq; decalogi præceptis memoria teneam, etiamsi non omnium verborum sensum assequar, cæteris de rebus si quis rationem à me reposcere velit, nihil aliud quod respondeam, habeo, quàm quod est in symbolo nostro, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Illi me permitto: illi credo: Iam audio: illam secundum Deum ipsum veneror: quæ de diuinis præscribit sequenda, quæ prohibet sine vlla dubitatione fugienda esse censeo: Quam cùm ducem sequor, errare me non posse confido. Etiam si pleraq; propter intelligentiæ meæ tarditatem non assequar, fidem tamen à pastore meo discere memini, qui sunt mei loci atq; ordinis, quòd eos non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit. Quamobrem ne mihi tribuat Hargage, quod meum non est. Harpagi proprium est, non Aratoris nihil ad se, nihil sibi non arrogare, cunctos præ se stupidos, bardos, truncos iudicare, denique totius Ecclesiæ iudicio suum vnius iudicium anteponere. Tum autem Aratoris nomen Latinum, Harpagi Græcum est, à te itaq; Græcorum ritum defensum potiùs, quàm à me Latino Latinum

*De Sacramentis ab Ecclesia receptis disputare non est imperitorum.* *1. Cor. 12.* *Spiritus vbi vult spirat.* *2. Reg. 17.* *Amos 1.* *Dan. 13.* *Matt. 8.* *Ioan. 1.* *Matt. 9.* *Mira Dei potentia.* *3. Reg. 19.* *1. Cor 1.* *Spiritus sanctus mirabilis artifex & magister singularis.* *Singulorum priuilegia legem communē facere nequēt.* *Num. 22.* *Ioan. 3.* *Quibus contenti esse debeant simplicium & indocti.* *Ecclesiæ Catholicæ auctoritas.* *Credēdi simplicitas non intelligēdi viuacitas tutissimos reddit homines.*



norum vsum reprehensum oportuit. HAR. Quid autem Arator, si quam tu tuã, eã ego quo que meam fuisse nego sententiam. ARA. Quasi verò quis auctor illius fuerit, obscurum sit. Nunc tu vide, quantum illius iudicio tribuendum existimes, qui nobis nihil tale cogitantibus tam temerè personas istas imposuit. Num autem ferendum esse putas, vt is de totius orbis iudicio, iudicãdi potestatem sibi sumat, qui in personis vtriq; nostrum imponendis, tam nullo fuit iudicio? Scilicet Aratorem de Ecclesiæ iudicio, iudicium suum interponere. Latinum cum Græco disputantem, Latinorum ritum reprehendere decuit? HAR. Missa faciamus isthæc Arator, ac de re potius ipsa, si tibi videbitur, sermonem instituamus. ARA. Quid vis, ineptus vt sim? Nunquid non audisti iam exme, de rebus tantis verba facere cuiusuis potius esse quàm Aratoris? HAR. Atqui prouerbium illud non ignoras, sæpè etiam est ôlitor valdè oportuna loquutus. Si posset olitor, cur non potest Arator quo que interdum ôportuna loqui? ARA. Nunquam ita insaniam, vt me Aratorem esse oblitus, Doctorem profitear? Sed quando sic vrges, dicam equidem, non quid ego intelligam, qui talium rerum cognitionem habere me nullam fateor, sed quid, quédam, de quo nonnulla est opinio doctrinæ, hac de re differentem audiuerim. Ne verò à me exigas, vt illud subinde repetam; dixit aut narrauit, aut inquit ille, iniucunda enim futura esset oratio, sed quicquid dixero tanq; ex illius ore me dicentem, illius verba referentem, non meam aliquam opinionem inculcãtem audire te putato. Quanquam sic quoque vix effugiam, quin meritò possim ineptus videri, si aliquid amico importunè petenti tribuendum est, in cuius gratiam etiam ineptire quando q; nefas non est. HAR. Nihil est quòd metuas Arator. Etiam si quid ageres minùs aptè, quando quidem soli duo sumus, quis est qui te redarguere queat? Per me quidem hæc tibi venia facilè conceditur. Quin tu semota cunctatione, quæ audiuisti, refer. Omnis enim mora mihi longa est. ARA. Narrauit is à se lectum dialogum esse, quo nos quidam facit de vsu Sacramenti Eucharistiæ contendentes: neq; se mirari satis potuisse, quòd q; sibi tãtum arrogat, vt plus videre se persuasum habeat, q̃ omnes hactenus tot seculorum Catholici & Orthodoxi, cùm doctrina, tum pietate viri præstantissimi videre potuerunt, eum hoc non vidisse, quod inanem operam sumeret, contra id tanta contentione disserendo, de quo nec esset, nec fuisset vnquàm vlla controuersia. Quin & illud addidit Paulinum, hoc rectè de eo vsu recipari posse: Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. HAR. Dic sodes cur inanem illum operam sumpsisse putas? ARA. Nunquid non apertè confitetur se genus hoc argumenti semota Ecclesiæ auctoritate tractare velle? Atqui si segreges auctoritatem Ecclesiæ, nulla est disputandi causa. Quis enim est qui nesciat illa semota, illius interdicto sublato, licitum cuius fore, siue sub vna volet, siue sub vtraq; specie vti Eucharistia? Quorsum igitur tanti conatus isti? Nunquid non extra viam currit, quantiscunq; tandem viribus lacertos moueret videatur. Quod fuit Apostolorum temporibus ἀδιάφορον, erit ἀδιάφορον nunc quoq; semota auctoritate Ecclesiæ. Qua de te Harpage igitur tanta fuit inter nos altercatio? Nónne sic curreba-mus quasi in incertum? nónne sic pugnabamus quasi aërem cedentes, & nebulas diuerberantes? HAR. Est ita vt dicis, quorsum enim attinebat, tot tam longos sermones facere in ijs rebus vel confirmandis, vel confutandis de quibus nullus ambigit? ociosos esse præstabat quàm adeò nihil agere. ARA. Deinde verò visi sumus nos, vel is potius qui nobis personas has imposuit, visus est de rebus planè incognitis, verba facere. Nam vsum vtriusq; speciei somniat in Concilio Basiliensi primùm interdictum fuisse, cùm ego ex viro illo audiuerim quòd viginti quatuor plus minùs annis Constantiensis Concilij decretum præcesserit, in quo consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata (sic enim habent verba decreti) communicandi sub altera tantùm specie confirmata, acsine Ecclesiæ auctoritate mutari pro libito prohibita fuerit. Ex quibus decreti verbis in Constantiensi Concilio latis illud videre liceat, non tum primùm, sed multis antè seculis, vsum vtriusq; speciei fuisse abrogatum. Quando autem, & quo auctore, sit abrogatus siue immutatus, etiam hi qui sunt Augustanæ Confessionis, constare sibi negant. Adeo non constat ex decreti verbis in Concilio Constant. lati, verumetiam ex eorum qui segregauerunt semetipsos propria confessione, cum primis vetustam esse mutationem hanc, manifestum est. Sexcenti iam propemodum anni dicuntur interceßisse, cùm Christi fidem & Euangelium recepit Polonia, nunquam aliter in vniuersa prouincia subiectisq; Regno terris omnibus, quàm sub vna specie communicatum fuisse, vel ex eo perspicuum cuiuis esse potest, quod si fuisset apud maiores nostros aliquando vsus vtriusq; speciei, annalium nostrorum scriptores, quos cætera quæ ad religionem pertinent diligenter persecutos esse constat, nũquàm commißissent, quin quo tempore fuerit intermitti cœptus, literarum monumentis consignatum reliquissent. Quin & ante mille & amplius annos Epheßi Concilium Oecumenicum aiunt fuisse congregatum: in quo iußi fuerunt laici, panis tantùm specie esse contenti. HAR. Equidem nunquam credidissem, tam vetustum esse morem hunc, sub altera tantùm specie communicandi, quòd ex te nunc didici: sed obsecro, potest ex actis Ephesini Concilij doceri quod asseris? ARA. Fortaßis posset, si ea integra extarent. Sed eius Concilij tantùm fragmentum habemus typis excusum, in quo faterur is, ex cuius hæc ore narro, nullam eius rei fieri mentionem. HAR. Qui scit igitur ita se rem habere? ARA. Etiam eos id non ire inficias dixit, qui se præciderunt ab Ecclesia Catholica, nominatim autem testem eius rei citabat Vrbanum Regium, qui suis in locis communibus ita se rem habere confeßus fuerit. Itaq; non Basilienße, quod isti putant & rerum & temporum imperiti, sed quod vetustius est Constantienße, ac longè vetustißimum Epheßinum Concilium Oecumenicum, cuius in Ecclesia Dei sacrosancta semper fuit auctoritas, oppugnant, qui contra interdictum hoc obgannire audent. HAR. Eius ne testimonio tribuendum aliquid ille putat, quem Ca-

*Nemo sibi de totius orbis iudicio iudicandi potestatem sumere debet.* *Est sæpe olitor valdè oportuna loquutus.* *Indocti est non de se aliquid, se quæ vel a doctis audierit, vel audiuerit, proferre.* *Narratio.* *Semota Ecclesiæ auctoritate nulla disputandi causa.* *1. Cor. 9.* *Visus sub vtraque specie communicandi quandiu in Ecclesia prohibitus.* *Sessio 3.* *A sexcentis annis quibus Polonia Christi fidem suscepit, non fuisse nisi sub vna specie communicatã.* *Epheßinum Concilium ante mille annos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Error Nestorij de Eucharistia, in Concilio Ephesino condemnatus.*

*Sermo. de quadr.*

*Ser. de Quadrag.*

*Ad solos Sacerdotes pertinet sub vtraq; specie panis & vini vti Eucharistia Sacramento.*

*De consecra. dist. 2. ca. Comperimus.*

*Lib. Decretorum à quo scriptus.*

*In 4. sen. dist. in. 12 3. art. 2.*

*Et parte 2. q. 88. art. 12.*

*Gelasius Papa, vir insignis.*

*Si cuilibet pro voto liceret Patrum sanctia rescindere, nullum stabile persisteret Ecclesia constitutum.*

*Rerum & diuinarum & humanarũ confusio, ex connubio Ecclesiæ decretorum.*

*Concilium Constantiense & Basiliense nihil noui cõstituerunt.*

tholicum esse negat? ARA. Nunquam is tantum illi tribuendum existimasset, sed cùm videret multos Catholicos in ea fuisse sententia, quòd inter alios errores Nestorij numeretur hic quoq; quod is docuerit, sub specie panis corpus sine sanguine: sub specie vini, sanguinẽ sine corpore contineri: quandoquidem dubium illud non est, in Ephesino Concilio Nestorium hæreseos fuisse condemnatum, verisimile sibi videri dicebat, quòd ad hæresim hãc tollendam illo tempore sublatus fuerit vsus vtriusq; speciei. Cuius rei & hanc coniecturam adferebat, Inter Ephesinum Concilium & Leonem Papam intercessisse dicebat annos prope triginta, totidem ferè inter Leonem & Gelasium. Atqui non solùm ad Leonis, verùm ad ipsa etiam vsq; Gelasij tempora, sic increbuerat vsus alterius tantùm speciei, vt ipsi quoque Sacerdotes sacris operantes à calice abstinerent: quamobrem & populum Leo Pontifex, & Sacerdotes Gelasius admonere necesse habuit, vt ad calicis vsum redirent. A quo quod abstinuerint multi, totis ferè sexaginta annis, quam aliam causam eius rei fuisse putabimus, q̃ Ephesini Concilij, quod posteà tamen sublatum fuit interdictum? HAR. Non reijciendæ sunt coniecturæ quas adfers, sed quoniam Gelasij mentio perte facta est, & huius auctoritate potissimum niti videntur hi, qui de calice restituendo tantopere laborant, quod eum seriò præcepisse dicant, vt aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: Quæso te quid eis respondebimus? ARA. Mirum est, quòd siue scripturarum, siue Doctorum sententias proferunt, hi qui se nostro hoc seculo, ab Ecclesia Dei præciderunt, non ferè conueniunt cum ijs, qui ante centum annos solius calicis causa segregauerũt semetipsos, q̃ si scissent hæc Gelasij verba pro se facere, citra dubitationem vllam eius auctoritate libenter vsi fuissent. Cæterùm quod de verbis Cœnæ Domini, hoc de Gelasij sententia sentire dentur, ad solos ea Sacerdotes pertinere. Quamobrem scripturæ locum ex Ioanne potiùs q̃ ex alijs Euangelistis cœnam Domini describentibus protulerunt. Pontificis verò Leonis q̃ Gelasij auctoritate niti maluerunt. HAR. De verbis CHRISTI posteà videbimus. Verùm illud, vnde constat Gelasij verba non ad alios quàm ad Sacerdotes pertinere, cùm nulla sit mentio in eis Sacerdotum? ARA. Inter ea scripta Gelasij, quæ Conciliorum volumini bus inserta, aut quæ typis aliquando sunt excusa, cùm diligenter quæfuerit, negauit ille se quicquam reperire potuisse, quod ad Mauricium & Ioannem Episcopos scripserit. Sed Gelasij sententiam hanc ex Gratiano proferri dixit, qui multis eius generis, sanctorum Pontificum, & Doctorum sententijs collectis librum compilauit, quem Decretorum inscripsit. Quòd si Gelasij Epistolam vnde hæc verba produxit Gratianus, integram videre liceret, contra quos eis vsus sit, manifestius cerneremus. Nunc quando nihil ex ea epistola habemus, præter fragmentum istud quod adfert Gratianus, quo alio sensu verba hæc accipi oportet, quàm quo Gratianus eis vsus esse videtur? Porrò, quo sensu sit eis vsus, ex aliquot Canonibus qui præcesserunt in ea distinctione, facilè quiuis perspexerit, qui non de alijs, quàm de sacrificantibus loqui videntur. Itaq; glossator de conficiente etiam ea vult intelligi. Ad eundem modum & Thomas Aquinas, & Archidiaconus explicans illa verba ab integris arceantur, aut ambo accipiant, inquit, aut abstineant à celebratione Missæ, vt neutrum conficiatur. Nihil igitur his Gratiani verbis adiuuantur, qui per ea sibi calicem concessum esse putant. Vtinam autem apud istos Gelasij valeret auctoritas, nulla nunc de Sacramenti speciebus esset altercatio. HAR. Qui nam istud? ARA. Magnus fuit hic vir, ô Harpage, & omni laude dignus: qui cùm ad Episcopos Dardaniæ quandoq; scripsisset, his verbis vsus esse legitur. Patres nostri, Catholici videlicet, docti Pontifices, in vnaquaq; hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundum scripturarum tramitem, prædicationemq; maiorum facta semel congregatione sanxerunt, incõuulsum deinceps voluerunt, firmumq; constare, nec in eadem hac causa, denuò quæ præfixa fuerunt, retractari, qualibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissimè prouidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret retractare, nullum contra singulos quosq; errores, stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper ijsdem ruroribus recidiuis, omnis integra definitio turbaretur. Hæc Gelasij sententia si quod meritò debet pondus apud omnes haberet, putásne futurum, vt vel auderet quisquam, ea quæ saluberiter in Constantiensi & Basiliensi Concilio decreta sunt, auctoritate sua priuata retractare, vel si quis ausus esset, pij cuiusquam aures ei paterent? HAR. Reuera si quòd habere debet pondus auctoritas Gelasij, per eum id facere nemini liceret. ARA. Atqui si Gelasij valere volunt auctoritatem in re non maximi momenti, nimirum in vsu specierum Sacramenti Eucharistiæ, ex quibus non est salus, cur non ibi potiùs valere velle deberent, vbi totius Ecclesiæ salus & tranquillitas agitur? quæ certè in eo consistere videtur, vt quæ sunt de consensu omnium constituta, ea non modò contuellere aut labefactare, sed ne in dubium quidẽ reuocare priuato cuiquam liceat. Quis enim non videt, quæ sit ex eo rerum & diuinarum & humanarum confusio sequutura, si cuiuis arbitratu suo, secùs aliquid de his, quæ in Concilijs constituta sunt, decernere fas fuerit? Quid fide nostra incertius? quid institutis mutabilius? quid Ecclesiæ statu futurum est perturbatius? quis quærendi, quis dubitandi finis erit expectandus? HAR. Non possum quin tibi vera dicenti assentiar, sed obsecro te, damnántne ista duo Concilia vsum vtriusq; speciei? ARA. Minimè gentium, sed aliquot ante seculis receptum alterius tantùm speciei vsum approbarunt, neque temerè mutandum esse decreuerunt. Nihil est in vtroq; noui constitutum, sed quod moribus in vniuersa Ecclesia multo fuit antè receptum, id habendum esse pro lege decretum est, quam non licere reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. HARPAGVS. Atqui ego putabam inter damnatos Ioannis Hus articulos, etiam hunc fuisse, quòd sub vtraq; specie communicandos esse laicos censuerit. ARA. Erras Harpage. Nihil eius in actis Concilij Constantiensis reperitur. Alij fuerunt errores pernicioſi, de quibus meritò damnatus est Ioan-



Ioannes Hus, quorũ aliquos etsi defendere conantur, qui seipsos hoc æuo nostro segregauerunt, nonnullos tamen iure fuisse damnatos, inficias ire non audent. Fuit Ioannes Hus VVicleffi sectator, & eius impios errores tuebatur, itaque iusta in eum damnationis lata est sententia. Verùm cùm ei multa alia legamus obiecta fuisse, de speciebus Eucharistiæ Sacramenti nullum esse verbum factum, reperimus. Quin etiam narrat Æneas Syluius, quoad superstes erat Ioannes Hus, nondum errorem illum de Sacramento altaris irrepsisse. Nouam autem hanc pestem attulisse Petrum Dresdensem, qui cùm Valdensi lepra esset infectus, patria pulsus, Pragam venit, persuasitq; Iacobello cuidam, qui fuerat ibidem à sacris concionibus, producto Euangelij loco: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibentis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: erratum fuisse grauiter ab Ecclesia Catholica, quæ speciei vnius tantùm communione laicos esse contentos iussisset. Hunc itaque Iacobellum primum fuisse, qui publicè populum admoneret, ne deinceps communionem calicis, sine quo saluari nemo posset, quoquo pacto negligeret: Cui statim assensi sunt omnes hæretici, non mediocri gestientes lætitia, quòd articulum in Euangelica lege fundatum inuenissent, per quem Romana sedes vel ignorantiæ vel nequitię argui posset: Neque solus id Pius ille Pontifex, fatentur idem etiam impij Picardi, quorum in Apologia sua confessionis hæc verba sunt. Atque hic est Iacobellus ille, qui primus vtriusque speciei communionem in Boëmia exorsus est, iam tum Husso ad Concilium Constantiense accersito. Ex quibus verbis facilè cuiuis liquere potest, quòd sicut in Polonia nunquam, sic nec in Boëmia quisquam ante Iacobellum vtriusque speciei communione laicus sit vsus vnquam. HAR. Mihi verò pergratum est hæc ex te cognouisse, simul & illud intellexisse, quòd multis ante seculis quàm Constantię Concilium fuit celebratum, vtriusque speciei mutatus, & alterius tantum vsus est receptus. Verùm quo tempore id factum esse putas? ARA. Nõ habeo quod pro certo possim affirmare. Sed ex quo tempore Germaniæ pars, quæ nobis est vicinior, Christi recepit Euangelium, ex eo vsus vtriusq; speciei tacito quodam consensu totius Ecclesiæ Catholicæ fuisse videtur abrogatus. HAR. Potésne docere qua ex causa? ARA. Quamuis in genere causæ aliæ nonnullæ proferantur, tamen cur sub id potissimum tempus à calice visum fuerit abstinere, coniectura magis assequi licet, quàm de eo certum aliquid affirmare. Cùm enim ea pars orbis Christiani, quæ vergit ad Septentrionem, paulatim Christum agnoscere, & ad eius se corpus aggregare cœpisset, quoniam in ea vini penuria laborabatur (scimus. n. qd' ne nunc quidem plerisq; in locis vineæ coluntur in parte Germaniæ citeriore) ne qua esset in eius Sacramenti vsu inæqualitas, si duplici diuites, altera tantùm specie pauperes vterentur, existimatum est ad Christianam charitatem pertinere, vt æqualiter omnes altera tantum, nimirùm panis speciem sumerent. Cęterę verò nationes, quę vino abundabant, tantò minus grauatè fecerunt, vt à calice sibi temperarent, quòd metuebant si qua fuisset ritus diuersitas animaduersa in eo sacramento, per quod admirabili quadam ratione coniungimur, consociamur, & vnum Christi corpus omnes efficimur, ne quam ea res, non magis animorum quàm opinionum quoq; disiunctionem pareret, præsertim apud eudem adhuc populum, nec dum satis fidei mysterijs imbutum. Itaq; quò plures ex hac ordis parte, in qua nunc degimus, Euãgelium Christi receperunt, hoc magis alterius tantum speciei vsus increbuit. HAR. At ego me quosdam videre memini, qui quod à te dictum nunc est, id cachinno prosequuntur. ARA. Facilè crediderim. Etenim hoc nostro seculo multos reperire licet, quibus quæ summa cum veneratione maiores nostri coluerunt, ea ridicula prorsus esse videntur. Sed sunt hi proculdubiò ex eorum numero, qui cùm habere se putent scientiam, quæ inflat, charitate, quæ ædificat, sunt destituti: cuius cùm ne micam quidem habeãt, nihil mirum est, si quæ sit vis illius, ignorant. Hæc est quæ nihil magis quàm ichismata detestatur, quæ haud aliter quàm pullos gallina sub alas suas pios omnes congregare studet sub vno pastore Christo. Huius itaq; vi adacti maiores nostri, diligenter sibi cauendum esse putauerunt, ne quod Sacramentum est vnitatis, id causa fieret alicuius diuisionis & diffidij, quod non ita facilè licuisset effugere, si qua fuisset inter Neophitos & inter eos, qui multò antè CHristum agnouerunt in tanti Sacramenti communione diuersitas. Cæterùm qui rident hæc verba nostra, quid hi dicerent si audirent Albertum in Germania natum, neque sine causa Magnum appellatum, ante annos propè trecentos in suo de missa tractatu dicentem, quòd in terris vbi nõ habetur vinum, expediret vt dispensaretur, quod corpus Christi sine calice conficere possent, corpus enim nõ est sine sanguine, anima & Deitate. Sic ille non sumendi tantùm laicis, verùm & conficiendi Sacerdotibus sub altera tantùm specie Sacramentum Eucharistiæ potestatem esse permittendam censuit, in his terris vbi vini penuria laboraretur. Quæ tamen ipsius sententia, quoniam apertè cum scriptura pugnare visa est, ab Ecclesia recepta non est, HAR. Mihi verò tua ista coniectura probabilis esse videtur, verùm dic amabo, damnatusne est in aliquo Concilio calicis vsus? ARA. Iam dixi: Verùm quo certius rem omnem agnoscas, verba Decreti vtriusq; Concilij proferam. In Cõstantiensi Concilio pronunciatum est his verbis: In nomine sanctę & individuæ Trinitatis: Patris & Filij & Spiritus sancti. Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistię sub vtraque specie panis & vini suscipere: & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent etiam post cœnam, vel aliâs non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegã damnabiliter reprobare conãtur: hinc est, quòd hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritusancto legitimè cõgregatum, aduersus hunc errorem saluti fidelium prouidere satagens, natura plurimũ doctorũ, tam diuini quã humani iuris deliberatione prehabita, declarat, decernit, & definit, quòd licet

*Ioan. Hus sectator VVicleff. In hist. Boëmica, capite 35.*

*Petri Dresensis hæresis.*

*Iacobelli peruersum dogma.*

*Impij Picardi.*

*Albert Magn.*

*Sessio 13.*

*Quæ de causa vsus vtriusque speciei in Sacramẽto Eucharistiæ ab Ecclesia Catholica abrogatus fuerit.*

*Eucharistiæ Sacramenti efficacia.*

*Quidam hoc seculo scientia inflati, omnia ridẽt quæ nostri maiores coluerunt. Matth. 23.*

*Censura Concilij Constantiensis, super Eucharistiæ Sacramento.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cèt Christus post cœnam instituerit, & suis Discipulis administrauerit, sub vtraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, quòd huiusmodi Sacramentum, non debet confici post cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis à iure vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et sicut hęc consuetudo ad euitanda aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraq; specie, postea à conficientibus, sub vtraq;, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Cùm firmissimè credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum CHristi corpus & sanguinem, tam sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri. Vnde cum huiusmodi cõsuetudo, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc cõsuetudinem aut legem obseruare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquàm hęretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per diocesanos locorum siue officiales eorum, aut inquisitores hęreticæ prauitatis in regnis seu prouincijs, in quibus cõtra Decretum hoc aliquid fuerit forsitan attentatum aut præsumptum, iuxta Canonicas & legitimas sanctiones, in fauorem Catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores salubriter adinuentas. Hæc sunt verba Decreti Constantiensis, in quo non calicis vsum prorsus damnatum, sed eos tanquam hęreticos videre licet reprobatos, qui pertinaciter asserérent, sacrilegum & illicitum esse, laudabilem Ecclesiæ consuetudinem obseruare, qua nęq; conficiebatur Sacramentum hoc post cœnam, nęq; sumebatur à fidelibus laicis, nisi ieiunis, & sub specie panis tantum. Porrò de vtraq; specie, nihil est in perpetuum cõstitutum, verùm hoc tantùm, ne cui receptam consuetudinem pro libito mutare liceat. Sed Basilienſis quoq; Cõcilij Decretũ audiamus, cuius hæc verba sunt: Vt lucidius videatur, pro declaratione Catholicæ veritatis, qđ circa perceptionem sacræ Eucharistiæ tenendum sit, & agendum pro vtilitate & salute populi Christiani, post diligentem perscrutationem diuinarum scripturarũ sacrorumq; Canonum & doctrinarum à sanctis Patribus & doctoribus traditarum, in hac sancta synodo longis temporibus habitã, consideratisq; omnibus quæ pro declaratione huius rei cõsideranda fuerunt, decernit & declarat eadem sancta synodus, quod fideles, laici siue clerici communicantes & non conficientes, non adstringuntur ex præcepto Dñi ad suscipiendum sub vtraq; specie, panis scilicet & vini sacrum Eucharistiæ Sacramentum. Sed Ecclesia quę regitur spiritu veritatis secum manente in ęternum, & cum qua Christus manet vsq; ad consummationem seculi, sicut ait diuina scriptura, ordinare habet, quomodo ipsis non cõficientibus ministretur, prout pro reuerentia ipsius Sacramenti, & salute fidelium videri expedire. Siue aũt sub vna specie, siue sub duplici quis cõmunicet, secundũ ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ, proficit dignè communicantibus ad salutem. Nec vllatenus ambigendum est, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integrè totus Christus. Laudabilis quoq; cõsuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à doctoribus diuinę legis sacrarum scripturarum atq; Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitũ est eam reprobare, aut sine auctoritate Ecclesię ipsam immutare. Hactenus Patres Basileæ congregati. Vides aũt & hic vsq; eo non damnari speciem vtramq; vt distertis verbis scriptum sit, siue sub vna specie, siue sub duplici quis cõmunicet, proficere dignè communicantibus ad salutem, hoc tantùm adiecto, vt secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ faciat, sine cuius auctoritate, mutare consuetudinem Ecclesiæ, quæ laici sub vna specie tantùm communicantur, fas non sit HAR. Video, neq; satis mirari possum hoc illũ non vidisse, qui nos de rebus incognitis differentes, facit. Videtur is nec prius illud nec posterius decretũ hoc legisse vnquam. ARA. Si legisset, inanem hanc operam, nunquam sumpsisset in eo tanta contentione astruendo, quod nunquam damnatum esse reperitur. HAR. Sed queruntur tamen multi cùm sub vtraq; specie Christus hoc Sacramentum instituerit, eius institutionem, altera tantum sumendo violari. ARA. Non est violata Christi institutio Harpage. Sicut ille conficiendum, post consecrationem offerendum, oblatione facta sumendum instituit, sic & non aliter ab omnibus, qui sacris operantur, obseruari videmus. HAR. Ergo tu verba illa, Bibite ex hoc oẽs, ad solos pertinere Sacerdotes exilitimas? ARA. Non ita ad solos Sacerdotes pertinere censeo, vt illicitum laicis prorsus esse calicis vsum contendam, dummodo non priuata cuiusq; libidine, sed publica totius Ecclesiæ auctoritate vsurpetur. Verùm quod in Concilio Basilienſi Patres decreuerunt, id indubitanter esse verum assero. Quòd fideles laici, siue clerici communicantes, & non conficientes, non adstringantur ex præcepto Domini, ad suscipiendum sub vtraq; specie panis scilicet & vini sacrum Eucharistiæ Sacramentum. Itaq; si quid est, in illis verbis præcepti, Bibite ex hoc omnes, quo tanquam necessario ad bibendum ex calice compellantur omnes, ad solos id Sacerdotes pertinere dico. Non quòd alijs tanquam illicitus calicis vsus, à Christo fuerit prohibitus, sed quòd quo ad laicos nullum, quoad Sacerdotes sacris operantes omninò præceptum est de calice sumendo necessarium. His.n. aliter fas non est conficere, quàm sub vtraq; specie, nec aliter offerre, nec oblatione facta sumere. HAR. Nullum igitur tu Christi præceptum esse putas de sumendo necessariò calice ab omnibus etiam laicis? ARA. Nullum. Neq; verò solus ego. Etiam hi quorum tu partis es, Lutherus, Philippus, Bucerus & alij nõnulli, mecum hac in parte vel cum Catholica potius faciunt. HAR. Nolim me partis alicuius esse dicere. Nam nisi Catholicus essem, nunquam ex te quę sit Ecclesię Catholicæ hac de re sententia tanto studio cognoscere laborarem. Sed quid ego audio? Etiam Lutherus, Philippus, Bucerus de vsu calicis aliquid tanquam necessarium præceptũ esse negant? ARA. Negant Harpage. Sunt hæc diserta verba Lutheri. Quamuis pulchrum quidem esset vtraq; specie Eucharistiæ vti, vt Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret pacem & vnitatem, quam vbiq; Christus præcepit, sectari, quàm de speciebus Sacramenti contendere. HAR. Mihi verò si scripsit hæc Lutherus, pia cumprimis & Catholico viro digna sententia videtur. ARA. Scripsit, quin & alium libellum edidit, quem vocat Eucharistiæ declarationem, in eo verbis istis vtitur. Non dixi neq; consului, neq; est intentio mea, vt vnus vel aliquot Episcopi propria auctoritate alicui incipiant vtramq; speciem porrigere. nisi ita cõstitueretur & mandaretur in Concilio generali. HAR. Oportuit hæc scripsisse Lutherum, priusquàm esset spiritus numine afflatus. ARA. Nondum omnes illos cum Satana salis modios consumpserat, quos posteà se comedisse gloriatur. HAR. Nunquid ab eo diuersum scripsit posteà? ARA. Imò quod ex diametro, planè cum hac sententia pugnaret. Neq; n. sibi sicut in alijs rebus, ita & in hac vnquam constitit, Collegit ciuis quidã Halensis homo laicus Gaspar Quethamer, triginta sex loca inter se pugnantia, super vno duntaxat hoc articulo, qui est de communione Eucharistiæ, sub vna aut sub vtraq; specie. Neq; verò propterea diuersum scripsit, quod secùs posteà sentiret quàm initio senserat, sed vt odium suum expleret. Nam cùm frater quidam eius hac de re sententiam oppugnasset, in libro de captiuitate Babylonica, sic de eo scripsit. Rogas fortè, quænam intemperiæ hominem agitent, aut contra quem scribat, cùm ego non damnarim vnius speciei vsum, & Ecclesię iudicio reliquerim vtriusq; vsum statuendum. Ac nõ nullis interim ętis curaturum se scribit, vt dum glorioſissimi actores de vna aliqua eius hæresi triumphant, ipsi interim nouam moliantur. Mox hęresim profert, seq; policetur ostensurũ oẽs esse impios, qui vtriusq; speciei communionem laicis denegant, & post pauca mentitè indicat, se non ex animi sui sententia, sed prouocatum ac per vim raptum, in hanc arenam descendere, Sic fatetur ipse. Non qđ sentiret se scribere, sed quòd ira & odium pestimi consultores suasissent, quorum vi quadam impulsus, prioribus contraria scripserit. Quid.n. aliud sibi volunt illa verba prouocatus: imò per vim raptus? Magna vis est impotentis irę atq; odij, cui cùm resistere non posset, contra animi sui sententiam illa scribere fuit coactus. Atqui certum est illud, oẽs homines qui de rebus dubijs cõsultant ab odio, misericordia, ira vacuos esse debere. Et Paulus nihil per contentionem agi vult. Cùm itaq; per contentionem egerit Lutherus, cùm irę atq; odio suo nimio plus indulserit: Cùm (vt ipse fatetur) prouocatus & per vim raptus, prioribus contraria scripserit, quis dubitauerit illis potius eius scriptis fidem habere, vbi sedato animo causam egit, quàm vbi scripsit prouocatus & per vim raptus? cùm nihil officiat magis inuestigandæ veritati quàm ira, quàm contentio, quàm odium, vt non sine causa quidam dixerit:

*Impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

Cato.

Ac vide quò tandem illius furor sit progressus. Qui prius in Concilio statui cupiebat, vt sub vtraq; specie Sacramentum Eucharistiæ sumere liceret, is posteàquam plus quàm salis modium cum Satana comedit, ausus est in hæc verba prorumpere. Si quo casu Concilium statueret, minimè omniũ nos vellemus vtraq; specie potiri, imò tunc primùm in despectũ Concilij vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri, & eos planè anathema habere, quicunq; talis Concilij auctoritate potirentur vtraq;. Potuitnè dici quicquam aut arrogantius, aut his, quæ prius ab eo scripta fuêre magis contrarium? HAR. Posterioribus meliorib⁹. Itaq; si qđ anteà fuit ab eo minus cõsideratè scriptũ, id si posteà correxit, quis est, qui hoc ei crimini rectè dare queat? Sed nec arrogantiæ meritò potest accusari, qui vt pluris fieret, quod ab hominibus, quàm quòd ab ipso Deo foret institutum, ferendũ esse non putauit. ARA. At qui qđ ita Sacramentum hoc à Christo sit institutum, vt ab omnibus etiam laicis necessariò sub vtraq; specie sumi debeat, id cùm ipse paulò antè negauit, tum nec ei cõdemnasse videtur. Quum igitur certum sit, nihil Christum hac de re tanq̃ necessariũ præcepisse, qđ est, quod adeò quiritatur in circumcisus iste Philistæus? Verùm intellexit is procul dubiò nihil referre, alteráne tantùm an vtraq; specie Sacramenti potiaris, & esse de eo qđ in hac parte magis expediat, liberam penes Ecclesiam statuendi potestatem. Quoniã aũt illius iudicio se damnatum hæreseos esse videbat, omni ope contendit, & elaborauit, vt illius auctoritatem quam posset maximè, labefactaret, & eam despicatissimã apud oẽs redderet, simul hominibus persuaderet inflatis sensu carnis suæ, totius orbis iudicio, suũ vnius iudicium anteponerent, vt qđ ipse diceret, spiritum esse vitæ crederent, qđ auctoritas Ecclesiæ tradidit, qđ populus Christianus amplexus est, id exitiabile Satanæ venenũ esse persuasum haberent. Itaq; lõgè diuersum spectauit pro sua libidine mutãs, in huius Sacramenti cõmunione receptam Ecclesiæ cõsuetudinem ab eo, qđ in eius institutione spectauit Christus. Quid.n. hic aliud, quàm quòd ab Aug. scriptum est, mysterium pacis & vnitatis in hac mensa conseruauit? Contrà, qđ aliud Lutherus, quàm cuius rei mysterium Sacramentũ hoc esse Christus voluit, pacem & vnitatem vt rumperet, vt quã plurimos à Christi corpore sancta Ecclesia segregaret, in sacramenti huius ritu mutando laborauit? Nõ ignorauit ille nihil ad salutem referre, sub vna quis an sub vtraq; specie Sacramentum hoc sumeret, modò secundum ordinationem & obseruãtiam Ecclesiæ id faceret: sed quoniam erat ex eorum numero, de quibus aliquando Paulus prædixit. Scio, quòd intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, nõ parcentes gregi: & ex vobis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: hæc illi præ cæteris via visa est commodior, qua posset abducere discipulos post se, si tragica quadam vociferatione persuadere credulis potuisset institutionem Christi violatam, contra præceptũ eius ventũ esse, dum effusus Christi sanguis sublato





*Post cœnam non cõmunicãdum nisi in firmis, & alterius necessitatis causa.*

*Cõsuetudo Ecclesiæ pro lege habenda.*

*Pro reprobis habendi qui laudabili Ecclesiæ consuetudini obiectantur.*

*Sessio. 30.*

*Ecclesia regitur spiritu veritatis. Ioan. 14. Matth. 28.*

*Secundũ ordinationem seu obseruantiã Ecclesiæ omnia nostra fieri debent.*

*Christi ordinationẽ non violari, cum altera tantum specierũ sumitur à laicis.*

*Non illicitus calicis vsus laicis, dummodo publica totius Ecclesiæ auctoritate vsurpatur.*

*Sacrificantibus non aliter fas est corpus dominicum conficere, offerre, aut sumere quàm sub vtraque specie.*

*Verba Lutheri de alterutra Sacramẽti Eucharistiæ specie sumenda.*

*Gloriatur Lutherus cum Satana plures salis modios comedisse.*

*Ira & odium Lutheri in summum Pontificem.*

*Plura scribere coactus fuit Lutherus contra animi sui sententiam impotentia quadã iræ atq; odij. Philip. 2. Tit. 3. Iac. 3.*

*Lutheri conatus.*

*Act. 20. Lupi rapaces.*

*Suo iudicio se damnatum hæreseos esse vidit Lutherus.*

*Damnanda hæreticorum persuasio.*

calice laicis est ademptus. Hoc & nihil aliud ab eo quæsitum esse, dum tantà cõtentione receptam Ecclesiæ consuetudinẽ oppugnare nititur, certius est, quàm vt vllus ambigendi locus esse queat. Quo minus aũt dubites Lutherum ἀδιάφορον semper iudicasse, altera quis an vtraq; Sacramenti specie vteretur, etiam discipulus eius Philippus, sicut edere suillam aut abstinere à suilla, sic alterutra signi parte vti (hanc.n. quàm receptam Ecclesię vocem, neq; habere cum Catholicis cõmune videretur, vsurpare maluit) mediũ esse scribit. HAR. Vbi scribit hæc Philippus? ARA. In locis cõmunibus. HAR. Atqui diligenter locos illius cõmunes legi, nec id vsquam ab eo scriptum reperi. ARA. Nihil mirum, quotãnis n. dogmata sua mutat, ita vt nouissima cũ primis multis in locis pugnare videantur. Si legisses Hypotiposes ab eo recognitas, quas ante complures annos scripsit, ibi reperisses. HAR. Atqui mendacij proprium hoc esse volunt, sibi non constare. ARA. Quid aũt aliud nisi mendaciũ loquitur, qui de suo loquitur? Istos aũt de suo loqui dubium non est, cùm suo non Ecclesię Catholicę sensu scripturas interpretantur. HAR. Quid aũt Philippus? Adhucnè perstat in sua sententia, medium vt id esse putet? ARA. Oppugnauit is quidẽ aliquot in locis vsum alterius speciei, sed in priuatis tamen colloquijs & consilijs non raro corã suis discipulis confessus est, quod sit indifferens. Cumq; nonnulli vacillantes & in doctrinam ipsius nõnihil inclinantes ex eo quæsissent, num salua fide, religioneq; sua, altera tantùm Sacramenti specie vti possent, citra dubitationem vllam posse respondit. Quòd ille respõsum dedisset nunquam, si quod ea de re tanquàm necessarium à Christo præceptum esse iudicasset, cùm quod à Deo præceptum est, indifferens haberi non possit. Vis aũt audire quid ea de re Bucerus quoq; senserit? In colloquio Ratisbonensi, quod habitum est ante annos plus minus quindecim, inter alios articulũ hunc assensu suo comprobauit. Ad controuersiam, quæ est de vna aut vtraq; specie tollendam, cumprimis cõducturum, vt sancta Ecclesia liberam faceret potestatem, Sacramentum hoc in vna vel in vtraq; specie sumendi. Ea tamen lege, vt nulli par hoc detur occasio, quem vsum tanto tempore retinuit Ecclesia, temerè cõdemnandi, aut inuicem iudicandi. Certè qui liberum esse vult: sub vna aut sub vtraq; specie Sacramentum percipere, non obscurè videtur indicare, nihil ea de re tanquam necessariũ à Christo præceptũ esse. Sic videlicet, quicunq; sunt apud eos, qui segregauerunt semetipsos aliquo iudicio præditi, quòd hi citra dubitationem aliquã intelligunt, nihil referre, sub altera quis an sub vtraq; sumat Eucharistiam. Sed si receptum Ecclesiæ morem acrius nõnunquam oppugnant, faciunt id nõ quod in eo retinẽdo peccari sentiãt, sed qd hac via potissimum efficere se posse persuasum habent, vt homines adducant, quominus grauatim à Christi corpore à sancta Catholica Ecclesia se præcidant. Neq; n. illud non perspiciunt, quoad initium discessionis factum non fuerit, quia sunt alia multa duriora, à quibus piorum omnium aures abhorrent, ea nulla ratione persuaderi à se posse, sed quos in eius Sacramenti vsu, qd signum vnitatis, & vinculum charitatis est, à recepto Ecclesiæ more discessisse vident, eos idoneos iudicant, quibus oẽs alios grauissimos errores inculcent. Quamobrem hoc iacto fundamento discessionis, & Sacerdotium & sacrificium euertunt, & Deum ipsum ex hoc Sacramento tollũt, aut nullũ, aut certè non incarnatum, sed impanatũ in eo Christum esse blasphemantes. Iam ergo quod sit eorũ Consilium in veteri Ecclesię ritu tanto conatu oppugnando, perspicis. Proferam aũt etiam Boëmi cuiusdam testimonium ante centum viginti annos & amplius hac ipsa de re conscriptum. Est is Ioannes Przybram, qui cùm ex verbis Christi, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, vsum vtriusq; speciei conatus fuisset approbare, his tandé verbis vsus est. Veruntamen hic Deum timens, & mores impios aliorum præcauẽs fateor, quòd quaslibet personas de Ecclesia communioni fidelitũ sub vtraq; specie repugnantes, damnare, aut hæreticare non intendo. Atqui si præceptum est Dei, vt sub vtraq; specie sumatur Eucharistia, qd est quòd ipse Dei timore prohiberi se dicat, quominus mores aliorum impios imitatus eos damnet, qui huic communioni fidelitũ? Cùm certe qui contra præceptũ Dei venerit, meritò damnari debeat. Quamobrem vel hius quoq; testimonio ἀδιάφορον est, altera aut vtraq; Sacramẽti specie vti. Vis aũt vt etiã corũ testimonia proferam, quibus planũ faciam, quòd & ipsi ἀδιάφορον id esse iudicauerũt? debet. Non ignoras proculdubiò quãta fuerit inter Græcos & Latinos animorũ acerbitas, quemadmodum illi à Latinorum cõmunione se præciderint, idq; propter vnam vocũlam ad Symbolum Cõstantinopolitanũ adiectam, quos vsq; eò abominabantur, quemãdmodũ in actis Lateranensis Concilij scriptum esse dicitur, vt si quando Sacerdotes Latini super eorum altaria celebrassent, non prius ipsi sacrificare vellent in illis, quàm ea tanquã per hoc inquinata lauissent. Quin & Baptizatos à Latinis, ausu temerario rebaptizare præsumebãt. Quos itaq; tanto persequebantur odio, num eos prætermissuros fuisse putas, si qua in re violatę Christi institutionis cõuincere Latinos potuissent, quin id sedulò fuerint facturi, quò iustiorem habere causam possent eos persequendi, & se ab eorum communione separandi? HAR. Verisimile est, quod dicis, nihil eos intentatũ relicturos fuisse. ARA. Atqui si Florentinum Concilium legeris, ante centum amplius annos habitum, hac sola de voce, filioq; ad Symbolum Constantinopolit. adiecta, longam fuisse disceptationem videbis: de Sacramẽti Eucharistiæ vsu, ne iota quidẽ reperies. Adeò homines illi & docti & ingenioſi, nihil ad rem pertinere putauerunt, vterentur laici calice necne: plus adeò positum in eo iudicauerũt in azymone, an in fermentato pane Christi corpus conficeretur. Itaq; de hoc fuit non nihil eo tempore controuersiæ, de speciebus Sacramenti prorsus nihil: decretumq; est quòd ad azymum attineret, sicut suo Latinos, sic suo quoq; ritu Græcos rectè conficere. Quin & in Lateranensi Cõcilio fuit constitutum, vt mores & ritus Græcorum quantũ cum Deo possent Latini sustinerent. Adeò nullum in eo visum est cõmitti piaculum, quem vel hi vel illi ritum obseruarẽt. Cùm autem

*Philippus Melanchton discipulus M Lutheri, quotannis dogmata sua immutat.*

*Ioan. 8.*

*Quod à Deo præceptum est, indifferens haberi non potest. Bucerus.*

*Iacto fundamento discessionis ab vnitate Ecclesiæ, quid superstruant hæretici.*

*In lib. de professione fidei Catholicæ, capite 19.*

*Græcorum hæresis de communione. Sacramenti Eucharistiæ.*

*Græcorum & Latinorum acerbitas. Cap. 4.*

*Græcorum ausus temerarius.*

*Concil. Florentinũ.*

*Græcorum contra uersia circa corporis Christi confectionẽ.*



autem (sicut paulò antè commemorauit) tantoperè Græci cuperent à Latinis esse disiuncti, ac Vatiniano quodam odio eos persequerentur, quos etiam pro schismaticis habebant, nunquid aut ingenium illis defuisse putas, aut eloquentiam, qua planum omnibus facere potuissent, quàm horrendum ab eis flagitium fuerit designatum, qui non modò non custodierint quod fuit apud eos depositum, verumetiam verbum & institutionem CHristi contempserint, & conculcauerint, qui Dei filios ab effuso sanguine, sine quo non est remissio peccatorum, prohibuerint, & eos à poculo quod Christus ipse bibi iussit, arcuerint? Nũquid non hęc & hoc genus alia tragicis verbis exaggerare potuissent? Et certè non deerat in illo Florentino Concilio vir inter alios doctus & eloquens Marcus Ephesius, implacabili quodam odio flagrans erga Latinos, cuius non alia in re cura cõsumebatur omnis, quàm si qua ratione potuisset efficere ne conueniret inter Græcos & Latinos, cùm se mori prius patiturum ostenderet, quàm vt ei decreto subscriberet, quod vnanimi sententia Græcorũ & Latinorum omnium de Spiritus sancti processione fuerat promulgatum. Cùm is videret, quo ad hunc articulum, nihil se posse proficere, nónne latissimum habuit campum exclamandi contra mutatum in Eucharistiæ vsu, Christi institutum, contra præceptum eius violatum, contra fusum è Christi latere sanguinem, Dei filijs ereptum, & vel hanc solã esse iustam causam diceret, quamobrem pro schismaticis & hęreticis Latini & Occidentales omnes habentur, & ab eorum cõmunione Græci vel eousq; abstinerent, dum ereptum laicis calicem restituerent? Crede mihi, nec animus illi, nec ingeniũ, nec verba defuissent, si qd rectè dici posse contra totius occidentis receptum vsum in Eucharistiæ perceptione putasset. Quem ignorare non poterat, cùm paucis ante annis Constantiense, & modò sub illud ipsum tempus, Basiliense Concilium fuerit habitum: in quibus duobus Cõcilijs quod in nullo alio factum legimus, multa fuit de vsu Sacramenti huius quæstio. Cęterùm sicut alij Gręci pleriq; omnes, sic & Marcus hic Ephesius quantocũq; erga Latinos odio flagrabat, nec præceptum tamen vllum de calice necessario sumendo à laicis extare, nec vlla ex parte si ab eo abstineretur, ventum esse contra Christi institutionem intelligebat, atque ideò vel tria verba cum Latinis hanc quidem ob causam commutare visum illi non est. HAR. Aliquid mihi tu dicere videris, & permouit animum meum hæc oratio tua vehementer: sed interea tamen eriam ipse fateri necesse habes clara esse Christi verba, Bibite ex hoc omnes. ARA. Fateor esse clara: verùm & illud clarum esse, tu quoq; negare non potes, quòd hi omnes quibus hoc dixit Christus, non fuerunt omnium Euangelistarum testimonio qui cœnam Domini describunt, nisi duodecim Apostoli, de quibus dicit Marcus, quòd biberunt ex eo omnes. HAR. Quid igitur inde colligis: institutionem cœnæ Dominicæ ad solos pertinere sacerdotes? ARA. Non hoc Harpage colligo. Verùm quod ipse fassus est nulla prouocatus ira Lutherus, quod Græci, quod qui ante centum annos ab Ecclesia Dei se præciderunt, Boëmi fateri videntur, nihil tanquàm necessarium omnibus laicis à Christo esse præceptum de vtraq; specie Sacramenti percipienda: nisi fortè totum Christianum orbem cæcutire, te verò solum videre putas. HAR. Quantum ego te dicentem intelligere mihi videor, indifferens esse censes alteranè an vtraque Sacramenti specie laici potiantur. ARA. Natura quidem sua eiusmodi est, vt nihil ad salutem adipiscendam referat sub vna quis an duplici specie communicet: sed posteàquam Ecclesiæ decretum intercessit, quòd recepta consuetudo hęc pro lege sit habenda, iam indifferens esse desinit: quin magno se scelere obstringit, si quis venire contra legem hanc ausit. HAR. Quid habet ea res iniquitatis, si quis de eo quod natura sua indifferens est, quod sibi magis expedire visum fuerit, id faciat, & in suo quod Paulus ait sensu abundet? ARA. Bernardè tibi verbis quàm meis respõdere malo, viri tum docti, tum pij. Licèt per se, inquit ille, ipsa iniuncti operis qualitas innoxia sit, adiunctæ tamen auctoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumq; peccato facit obnoxium. Simul vt enim lex aut præceptum eorum accesserit, qui cum potestate versantur, quę præstarentur, necnè, nihil prius intererat: ea postquàm iussa sunt, sine periculo non præstari nequeunt. Verbi gratia. Rus vt colat, vt in forum eat, vt domũ custodiat, aut si qd aliud est eiusdem generis, nulla diuina lege facere filius obligatur, sed hæc ipsa tamen solo præcepto parentum accedente, veniunt in obligationem, vt si contumax filius esse perrexerit, non iam contra mortalẽ patrẽ, sed cõtra Deum peccet immortalem, qui filios parentibus morigeros esse iussit. Quę aũt præcepti, eadẽ & interdicti ratio. Cęterùm si carnis nostrę patribus tãta debetur à nobis reuerentia & obedientia, quantò maior debetur cõmuni matri nostrę omniũ Ecclesiæ, quę nos Deo seruat, quæ filios regno quos generauit, assignat? quantò grauioris peccati reus est, qui cõtra præcepũ illius aut interdictũ venire audet? Nõ igitur in vsu alterius, aut vtriusq; speciei, sed in eius percepti trãsgressione peccatũ est, quo iubemur honorare Patrẽ & matrem, Deum & Ecclesiam, & eius dicto audientes esse. HAR. Quid si diuersum præcipiat mater ab eo, quod est mandatum à patre. ARA. Quid si cœlum ruat? fieri nulla ratione potest, vt à sponso suo Christo, sponsa dissideat Ecclesia mater nostra. HAR. Atqui certũ est, vtramq; speciem Apostolis Christum porrexisse. ARA. Certum: at quòd ad eundem modũ omnibus alijs porrigere iusserit, certum non est. Qin illud certum est potius quod quadraginta dies ieiunauerit, vos nihilominus quadraginta dierum ieiunium prorsus omne fustidi se fecit, nunc nemo circunciditur. Christus pransis hoc Sacramẽtum dedit, vos itidem vt Catholici non datis nisi ieiunis. Christus in azymo cõfecit, in fermentato Gręci, nec est, quitria verba cum eis propterea cõmutanda putet. Christus vini calicem (si qd Cypriano credimus) aqua miscuit, neq; nisi mixtum aqua vinum cõsecrari voluit, vos nihil id ad rem pertinere putatis, nec vinum aqua miscetis. Christus cœna facta, lauit pedes discipulorum, vos ritũ prosequimini, si quis hoc genus cęremoniæ velit obseruare. Atqui Bernardus loti-

*Marcus quidam Ephesius implacabili odio flagrans in Latinos, in Conc. Flor.*

*Nullum præceptum de calice necessario sumẽdo à laicis, nec si ab eo abstineant, contra Christi institutionem fieri.*

*Math. 26. Marc. 14. 1. Cor. 11.*

*Nihil tanquàm necessarium omnibus laicis à Christo præceptum.*

*Magne se scelere obstringit, qui consuetudini Ecclesiæ obtemperat.*

*Rom. 14.*

*De præcepto & dispensatione.*

*Si patribus carnis debetur reuerentia, multò maior debetur cõmuni matri omnium Ecclesiæ.*

*Fieri nõ potest, vt à sponso suo Christo, sponsa dissideat Ecclesia Mater nostra.*

*Matth. 4. Luc. 2. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.*

*In ser. de cœna Domini, in ser. de Christma.*

*Lib. 5. de Sacramen. cap. 1. Ioan. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Christi exemplum.*

onem hanc magnum vocat Sacramentum, quod ante eum, quoq; sic appellasse videtur Ambrosius. Cyprianus verò, cùm Christus lauit pedes Apostolis, hoc eum solenni deuotione omni tempore agendum instituisse scribit, quod etiam illa verba non obscurè videntur indicare, si ego magister & Dñs laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes? exemplum n. dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Non minus expressum hoc esse mandatum videtur de lauandis pedibus, quàm illud, bibite ex hoc oēs, & tamen tantùm abest, vt vos illud obseruari velitis, vt si quis etiam pius id faciat, eum cachinno prosequendum putetis, in solo calicis vsu tam estis anxiè superstitiosi. Quàm multa aūt recenſere liceret, cùm in veteri, tū in noua lege præcepta, quę vel mutata nōnunquàm, vel nō ita sunt anxiè obseruata? Nihil dicā de circūcisione sublata, de Sabbato in diē Dominicum, præter vel (quod alicui videri possit) contra præceptum Dei translato, nec illud cōmemorabo: sub lege quoq; circuncisionem in deserto, Sabbati sanctificationem, ingruente bello, fuisse à Machabæis intermissam. Nónne Moyses ex præcepto Dñi posuit serpentem æneum, cuius etiam in Euangelio fit mentio, quem posteà fregit Ezechias? Nónne manifestū Dei præceptum est, Non occides? perfodit nihilominus Phinees duos simul, & occidit contra præceptum hoc, & à Deo laudatur. Saul cōtrà plectitur, quod Agag Regem pinguissimū nō occiderit. Sed ad Sacramenta nostra veniamus. Nónne Christus apertè dixit: Euntes docete oēs gentes, baptizantes eos. Vos itidem. vt nos, baptizatis eos, qui non docentur, atq; adeò qui nec doceri possunt. At Gregorius Nazianzenus, quem Theologum Græci vocant, & si baptizari infantes, maximè si periculum imminet, non prohibet, consilium tamen dat, vt qui sunt extra periculum cōstituti, saltem triennium plus minus expectent, vt mysticum aliquid audire & respondere queant, & si non perfectè, saltem singulariter intelligant, atq; ita sanctificent animos & corpora magno illo sanctificationis mysterio. In qua sententia fuit Ioannes quoq; Chrysostomus, aut quisquis ille fuit auctor operis imperfecti in Matthæum. Si his quoque non postremi nominis Theologis visum est prius vt docerentur baptizandi, quo Christi præcepto satisfieret, quod clarius esse videtur, pro his, qui baptizandos infantes esse negant, quàm quòd adferunt hi pro se, qui pro calice tantoperè pugnant. Iam verò iussit CHristus baptizare, nunquid seruatur id apud omnes? Quid est aliud baptizare, nisi immergere? At quum alijs multis in locis, tum in patria nostra præsertim, non merguntur infantes, verùm perfunduntur tantùm. Non defuerunt autem etiam Cypriani seculo, qui sic perfusos pro baptizatis habendos esse non putabant. Quos ille reprehendens, negat in viu Sacramenti sic esse gratiam externis ritibus alligatam, vt non totum credentibus, conferant diuina compendia. Sed & forma baptizandi, quam CHristus ipse præscripsit, nunquid exactè fuit ab Apostolis obseruata, quos non in Patris & Filij & Spiritus sancti, sed in solius Christi nomine baptizasse legimus? Si quidem Christi appellatio, ficta à Basilio scripturn, & ab Ambrosio videtur esse repetitum, totius deitatis est professio. Quippè, quę simul declarat, & Deum Patrem qui vnxit, & Filium qui vnctus est, & Spiritum sanctum, qui est vnctio. Et repertus est nostro seculo, qui diceret quòd Christus non collocauit fundamentum Baptismi sui super certis literis, syllabis & dictionibus, nec alligauit nos ad certa verba. Non enim instituit magiam, quæ ad certam verborum formam, & ritus alligata est. Sed instituit cœlestia Sacramenta, quæ constant sua ipsius sententia & voluntate, ijs vel illis verbis nobis significata. Quod negat ad certam verborum formam alligare nos Christum voluisse, putasnè, quod is serò crediderit ad externum calicis vsum homines eum alligare voluisse, quamuis eum exigere serò videatur. Quòd verò visum fuit Spiritui sancto, vt abstinerent homines à contaminationibus simulachrorum, & suffocato, & sanguine, nunquid vel nunc obseruatur, vel ipsorum etiam Apostolorum temporibus, per omnia fuit ab omnibus obseruatum? Prætereo nunc illa quæ minutiora videri possunt, quòd virum aperto, mulierem velato capite vult orare Paulus, num & hoc apud oēs in vsu esse videmus? HAR. Quantum ex hoc sermone tuo colligere licet, nullum esse nefas putas contra Dei præceptū venire. ARA. Non ita insanio vt hoc putem. Verùm quod ante centum & amplius annos à quodam viro pio & docto, cùm hoc ipsum genus argumenti tractaret, scriptum est, idem tu quoq; tibi dictum esse puta. Nullus, inquit ille, fidelis Catholicus dicit, dictum hoc Ioannis: Nisi manducaueritis, &c. vel alia mandata CHristi non esse seruanda: sed Catholicus dicit, quod vniuersalis Ecclesia melius intelligit, quę sunt Christi mandata, & qualiter sine seruanda, quàm Hussitę. Iamnè rem intelligis: An vis vt exemplis etiā illustriorem reddam? Profectam vnum & alterū exemplum. Dictum est à Christo: Nolite iurare. Hic dicit aliquis ex fratribus VValdensibus (quos vulgo Picardos vocant) esse Christi mandatum, vt ne quisquam omnino iuret quacunq; tandem ex causa. Respōdebit Catholicus: Non tam esse mandatum quàm consilium: aut si mandatum sit, hoc esse mandatum, vt ne iuretur per cœlum aut terram, non aūt vt ne iuretur per Deum, consuetudinem q; iurandi potius quàm iuramentum his verbis interdictum esse, præcipuè si quis non voluntariè, sed necessitate coactus, verum iuret. Similiter: Non occides, quin sit mandatum Dei, nemo Catholicus negabit: Sed quòd ita obseruandum sit, sicut Picardis videtur, vt etiam præcepto iudicis neminem sit fas occidere, id verò negat vniuersa Catholica Ecclesia. Ad eūdem modum & illud quod à Christo dictum est: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, si quis ad literam intelligere velit, sicut facere Picardos fertur, quorum etiam nonnulli oculos sibi eruisse dicuntur, Catholicus & si Christi mandatum hoc esse non ibit inficias, sic tamen vt Picardi volūt, intelligendum esse negabit. Verùm audi Harpage, quod sit præceptum Dei, neq; toties illud mihi nunc deinceps obijcito. Vnicum est Dei præceptum, dilige. Verbum est abbreuiatum. Dilige, inquit August. & fac quod vis. Ad hoc vnum præceptū referuntur omnia, quęcunq; de rebus siue ritibus externis constituta sunt: de quibus nullum ferè præceptū est adeò necessarium, quod, si res postulat, non cædat aliquando charitati, quæ sola necessaria est. Nam absq; Sacramentis, modò ne quis ea cōtemnat, saluus homo fieri potest in necessitatis articulo: absq; charitate, etiamsi millies omnia Sacramenta perceperit, saluus esse nemo potest, vt rectè dictum sit à Thoma Aquinate, quòd omnium actuum humanorum regula, lex est charitatis diuinæ. Quod vidit etiam Lutherus, qui cùm nondum totus in sensum reprobū datus fuisset, ijs verbis, quorum antè paulò meminimus vsus est. Quoniam nihil de vtraq; specie tanquam necessarium præcepit CHristus, præstaret pacem & vnitatem, quam vbiq; præcepit Christus, sectari, quàm de speciebus Sacramenti contendere. Quę (malum) est, ista tua, Harpage, religio? trepidare timore vbi timor nō est? Certum est & indubitatum etiam illis ipsis confitentibus qui segregauerunt semetipsos, quòd nihil de vtraq; specie, tâquam necessarium, Christus præcepit: certum est & indubitatum, quòd pacem & vnitatem vbiq; præcepit: nónne culicem colare, camelum autem deglutire videris, qui contra id venire non audes, quod nusquam Christus præcepit, contra illud verò minimè reformidas, quòd vbiq; tanquam necessarium ad salutem CHristum præcepisse constat? Contra pacem, sine qua, sicut Paulus ait, nemo videbit Deum, sine vtraq; specie multi viderunt Deum, & videbunt: nisi fortè putas condemnatos esse omnes, qui sexcentis propè annis his vixerunt, quibus Christi fides in Polonia recepta est? quorum neminem præterquàm his paucis superioribus annis vtraq; specie vsum fuisse constat: sine pace & vnitate, quam nobis discessurus ex hoc mundo Christus ad Patrem suum cœlestem quasi testamento legauit, neq; vidit neque videbit Deum quisquam. Sed quò magis tibi satisfieri queat, paulò diligentius Christi verba, quibus nos vrges, excutiamus. Si, cùm dixit Christus, Bibite ex hoc omnes, præter Apostolos, quos tum bibere iussit, omnibus etiam alijs, vt ex calice biberent præcepit, cur vos itidem & nos infantes ab eo arcetis? cùm præsertim vsus obtinuerit Ecclesiæ primitiuæ, vt & ipsi sacramenti huius participes fierent, sicut apud Dionysium & Cyprianum, & Augusti num, Innocentium, Zosimum & alios videre licet? HAR. Christus ipse videtur infantes arcere, qui cœnam in sui memoriam celebrari præcipit, vt qui memoriam Christi celebrare non queant, ab ea cœna excludi debeant. ARA. Quid si eadem hac ratione paruulorū quoq; baptismum Anabaptista conetur abrogare, & dicat: Christus ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Euntes docete, baptizantes: quamobrem qui doceri non possunt vt credant, à baptismo excludi debent, nunquid ideò non baptizabimus infantes? scilicet quod vobis videtur Harpage, rectum est: quod Ecclesiæ videtur vniuersæ, rectum non est. HAR. Obsecro te, nunquid in eo Dialogo in quo fingimur esse colloquuti, non satis tibi rationes oēs confutatæ videntur, quæcunq; ad approbandum alterius speciei vsum allatę fuerūt? ARA. Mihi verò nequaquam: etenim quæ primo loco sunt proposita, doctorū iudicio nihil ad causam pertinere videntur, neq; n. propterea desitum est sub vtraq; communicare, quòd æquè sub vna atq; sub vtraq; Christus integer sumitur, sed magis hoc factū est, cùm ad effugienda quędam pericula, tum ad abolendum errorem Nestorij, qui sub specie panis solam carnē Christi, sub specie vini solū sanguinem esse credebat: cùm Ecclesię veritas hæc sit, quòd sub qualibet specie totus sit Christus viuus & integer, caro, sanguis, anima & diuinitas: & sub specie panis totus est Christus viuus & integer, & sub specie vini non est tantùm sanguis, sed totus Christus viuus & integer. Vt igitur huic errori obuiam iretur, & mentibus fidelium rei veritas magis imprimeretur, quòd sub qualibet specie totus est Christus, tum vtid non solùm verbo, sed etiam ipso signo indicaretur, visum est vtile sub vna tātùm specie Sacramentum hoc Eucharistiæ ministrare. Efficatius. n. imprimitur, quando cum doctrina, quæ verbis fit, signum etiam coniungitur, quod sensu percipitur. HAR. Quòd si in populi cōmunione tollitur calix, causa hæresis huius, cur etiam non in presbyterorum? Certè hæretici idem cauillabuntur in sacrificātibus, vesci eos mortuo corpore, quod sit sanguinis expers, quādoquidem illi corpore non contenti, seorsum bibant sanguinem? ARA. Alia est Harpage, ratio sacrificis operantium, alia eorum qui sumunt Eucharistiam extra sacrificium, siue Sacerdotes hi sint, siue laici. Illis. n. ex institutione Christi, neq; conficere neq; confectū offerre, nec oblatū sumere Christi corpus licet, nisi sub vtraq; specie: vt qđ ipse etiam, qui se præciderunt ab Ecclesia Dei) fatentur, nihil præceptū est tanq̄ necessariū de vtraq; specie sumenda. Quamobrem institutionē Christi mutare visum Ecclesię nō est, sed ea salua, prouidere voluit, vt error hic tolleretur, solis à calice laicis arcēdis, quò sic planū fieret omnibus, his præsertim qui seduci facilius possunt, & propterea etiam signis externis id genus admoneri præ cæteris necesse habent: verùm nos & viuū Christi corpus cum sanguine, anima, & diuinitate sub sola panis specie sumere. HAR. Si nobis hanc licentiam permittimus, vt propter hæreticos mutemus institutionem Christi, quis tandem erit modus huius licentię? surgat hæreticus quispiā, qui quòd videat templa extructa ad orandū & laudandū Deum, dicat Deum omnib in loco laudā dum & adorandū, an propter illū templa deseremus? An potius docebimus vsum legitimū templorū? Surgat item hæreticus vt olim Arrius, qui dicat Christū nō esse parem patri, nec potentia, nec vllā re propter verba illa: Pater maior est me, an verba illa expūgemus? ARA. Audiuistiā semel ex me, & iterū quòd sibi licentiā hanc Ecclesia nō permisit vt mutaret institutionem Christi. Nam cùm instituerit Christus, vt hoc Sacramēto necessariò sub vtraq; specie cōficientes vterētur, nihil de hac eius institutione detraxit. Quos verò pari ex calice bibendi necessitate Christus adstrictos esse noluit, eos rectè ab eo abstinere posse decreuit. Neq; verò faciet vnū Ecclesia, vt propter hæreticos vel institutionem Christi violet, vel vnū ex scripturis apicē expungat. HAR. Quantū ex tuo sermone colligere licet, ad solos Sacerdotes institutionem cęnę Dominicę pertinere censes. ARA. Vsum Eucharistiæ ad laicos quoq; pertinere dubium non est; cæterùm quod instituit Christus vt cōsecrarent, vt offerrent, vt



*Notandum.*

*Opusculo 4. Verba Lutheri de vtraque specie fu-menda.*

*Psal. 13.*

*Matth. 23.*

*Sine pace nemo vnquam Deum vi-dit.*

*Ioan. 14.*

*Bibite ex hoc calice oēs, quomodo est accipiendum.*

*Matth. 16.*

*Matth. 28.*

*Hæretici id rectum esse quod sibi videtur, quod vero Ecclesiæ videtur vniuersæ, non rectum putant.*

*Quare desitum est sub vtraque specie communicare.*

*Ecclesiæ veritas de Sacramento Eucharistiæ.*

*Signum cum doctrina coniunctum efficacissimum.*

*Alia ratio sacris operantium, alia eorum qui sumunt Eucharistiam extra sacrificium.*

*Vinum Christi cor pus cum sanguine, anima, & diuinitate : sub sola panis specie sumitur.*

*Ecclesia non mutat institutionem Christi in Sacramento R vsu, sed ordinatum & modo expe-dito, prout antio-ribus præstantio-ribus prouidet.*



*Multa præcepta in veteri & noua lege mutata, vel non obseruata.*
*Iosue 1.*
*1. Mac. 3.*
*Num. 21.*
*Ioan. 3.*
*4. Reg. 18.*
*Deut. 20.*
*Num. 25.*
*1. Reg. 15.*
*Matth. 28.*

*In oratione in sanctum lauacrum.*

*Hom. 49. Adulti prius docendi CHristi mysteria quàm baptizandi.*

*Baptizare quid.*

*Lib. 4. epist. 7.*

*Act. 8.*

*De Spiritu sancto. Cap. 12.*

*Brent. in Catheeism. suo.*

*Act. 15.*

*1. Cor. 11.*

*Dan. 5.*
*Iacob. 5.*
*VValdenses dicti vulgò Picardi.*
*Deut. 20.*
*Matth. 5.*

*In epist. Ioan. Tract. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ad solos Sacerdotes spectat.*

oblatum sumerent, ad solos id sacerdotes pertinere affirmo. Quod aũt ad vsum attinet extra sacrificium: siue sub vna specie, siue sub duplici quis cõmunicet: perinde valere me docuit Ecclesia, modò secundum ordinationem seu obseruantiam eius id faciat. HAR. Atqui clara sunt illa Christi verba dicẽtis: Accipite, comedite, bibite ex hoc oẽs, hoc facite in meã cõmemorationem. ARA. Si clara sunt, quid igitur causæ est, quòd de eis nunc ambigimus? Certè de eo num dies nunc sit, quandoquidem clarum est, nemo est qui ambigat. Quid causæ est, quòd ex quo tempore Christi recepit Euangelium Polonia, nunquàm eo sensu, quem tu profers, intellecta sint? Quid aũt dico de Polonia? vel vnum aliquem profert, ex quo tempore Christus hæc verba protulit, qui sic ea sit interpretatus, vt esse de necessitate salutis diceret, oẽs etiam laicos vtriusq; speciei participes fieri. Certè qui sit Catholicus proferes neminem, cùm etiam illi ipsi, qui segregauerunt se nostro hoc æuo, & scripserint & senserint, vt audiuisti contrarium. Vide aũt ne sit hoc extremæ, minimæq; ferendæ cuiusdam arrogantiæ, si te solum videre Christianum, orbem aũt vniuersum tot seculis in tam clara scripturarum luce cęcutiuisse, persuasum habeas. Sed obsecro te, clara tibi videntur hæc verba Christi? Quid aũt? nunquid & illa clara non sunt, Euntes docete oẽs gentes baptizantes eos: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium? Num ideò baptizare, docere, prædicare, ad omnes pertinere dicemus etiam laicos? Certè negat hoc Apostolus dicens: Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Quod si verba omnia, quibus in cœnæ institutione Christus vsus est, ad omnes etiam laicos pertinent, & consecrabunt igitur, & offerent laici. Cùm. n. dicit Christus, hoc facite, quid aliud dicere videtur, quàm hoc consecrate, hoc offerte, hoc sumite? Consecrabunt igitur & offerent omnes, & erunt æquè Sacerdotes, laici, etiam pueri, & fœminæ, atq; hi qui se peculiariter diuino cultui manciparunt, nec vllum erit inter Sacerdotes & laicos discrimen, non sumendi modò, verùm, & consecrandi, & offerendi, & distribuendi, potestate cunctis non concessa tantùm, verùm & præcepta. HAR. Sed si propter hæresim abolendam vsus vtriusq; speciei fuit aliquando prohibitus, quandoquidem nullus est Christianorũ, qui hodiè puret in Eucharistia mortuum corpus dari, nulla causa est, cur interdictũ hoc duret diutius. ARA. Mirum est quod hoc Auctor dialogorum audeat affirmare, cùm ab eo ipso, cui dialogos hos dicauit, secùs rem habere cognouerit. Neq. n. ignorat, quanto studio fuerit laboratum proximis his annis superioribus, vt hi quoq; Boẽmi qui calice vtuntur, nec vllo prætereà errore alio sunt implicati, ad vnitatem Ecclesiæ reduci possent, quibus iuxta conuenta Cõcilij Basileę habiti, permissus fuit calicis vsus, ea conditione adiecta, vt cõmunicaturos instruerent Sacerdotes, non sub specie panis corpus CHristi tantùm, nec sub specie vini solùm sanguinem, sed sub qualibet specie totum & integrum Christum contineri. Quam conditionem Boẽmorum Sacerdotes non receperunt, quum scriptũ esse dicerent: Hoc est corpus meum non additum, & sanguis. Hic est sanguis meus, non additum, & corpus. Verbis CHristi sicut detrahi nihil, sic addi nihil oportere. Videntur aũt tibi totum & integrum verè viuẽtem & viuificantem Christum in Eucharistiæ Sacramento confessi, qui corpus absq; sanguine sub specie panis: sanguinem absq; corpore sub specie vini contineri contendebant. HAR. Nequaquam. ARA. Quid autem Lutherus. Quamuis Boẽmorum hunc errorem aliquandograuiter impugnasset, nunquid ad eundem posteà lapidem ipse quoq; non offendit, vt erat in omni genere doctrinæ suæ Protheo mutabilior? Legat qui volet, quę contra Misnẽsis Episcopi mandata scripsit, ibi reperiet, eum pridem sopitam hæresim Nestorianam resuscitasse. Noster aũt hic, qui nos in illo dialogo facit arbitrio suo de Sacramenti speciebus cõtendentes, nunquid & ipse non se Nestorianũ apertè profitetur? Quid. n. illa sibi verba volant, Sanguis bibi non potest nisi effundatur? Homines acuti non vident adimi illis sanguinem effusum? Vt etiam si sumãt sanguinem, nequaquam tã bibant sanguinem effusum illum inquã, quo Christus & peccata purgauit, in ęternumq; consummauit sanctificatos, & eundem bibi iussit? Et iterum: Difficile est nõ credere, cum specie rem ademptam esse, hoc est, sanguinem effusum. Ac post pauca, & sanguinem effudit & sanguinem effusum bibi iussit. Nã vt corpus voluit edendum, ita sanguinem effusum bibendũ. De hac igitur iniuria queruntur filij Dei, quòd à sanguine effuso prohibentur. Qui toties vociferando queritur effusum sanguinem adimi laicis, qui difficilè dicit esse, non credere cum specie rem ademptam esse, hoc est, sanguinem effusum, nõne tibi videtur eum à corpore separare, nec aliud quàm exangue mortuumq; corpus sub specie panis relinquere? HAR. Quid ego audio: An nõ effusum sanguinẽ bibimus? Nunqd falsum est, q̃ scriptũ à Prospero legitur? Cùm frangitur hostia, cùm sanguine de calice in ora fidelium funditur, qd aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur? ARA. Rectè Prosper, modò tu rectè quod scribit, intelligas, certum est, & indubitatum in Eucharistiæ sacramento verum & viuũ Christi corpus & sanguinem realiter contineri. Cæterùm fractio corporis & effusio sanguinis vera non est, sed est quædam, vt ipse Prosper ait, Dominici corporis in cruce immolati, & sanguinis de latere effusi designatio. Itaq; non frangitur, non masticatur, non effunditur, nõ bibitur, nisi species. Christus aũt ipse sub vna non minus quàm sub vtraq; specie manet integer, nec sumptus consumitur, nec vnquã vel corpus eius à sanguine, vel sanguis à corpore quoties fideles eum sumunt, separatur. Christus. n. resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Non amplius frangitur corpus eius, non amplius funditur sanguis eius, qũi semel pro nobis fusus, semel pro peccatis totius mundi satisfecit, vt eum iterũ effundi necesse nõ sit. Crassus hic fuit Caphernaitarum error, qui cùm carnem suã Christus manducãdã esse diceret, sic intelligebãt quomodo in cadauere laniatur, aut in macello venditur, nõ quomodo spiritu vegetatur. Quibus rectè Christus: Caro nõ prodest quicquã: Spiritus est qui viuificat. Nihil est igitur, q̃ aliquis de corporali manducatione somniet. Haec manducatio & bibitio partim est sacramentalis, partim spiritualis. Manducatione sacramentali sumitur quidem, verum corpus & sanguis Christi, sed non masticantur neq; bibuntur, nisi species. Cæterùm quando Christum ita sumimus, vt in eo maneamus & ipse in nobis, ea manducatio spiritualis est, de qua dicit August. vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti. Credere in Christum, hoc est manducare Christum. Ac nisi quis manducaueritad hunc modum, nisi Christi capitis & corporis per charitatem effici membrum studuerit, nihil ei proderit dentibus pressisse, sacramentaliterq; manducasse, quin potius iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. HAR. Oppido quàm lubens hæc audiui ex te. Sed obsecro te, ad id respondeq̃ quod interrogaueram, nunquid nõ effusus Christi sanguis bibitur? ARA. Bibitur effusus, & nõ effusus. HAR. Hoc quidem ænigma est, Dauus sum, non Oedipus: Explices necesse est, si vis vt intelligã. ARA. Si effusum à corpore, separatum intelligis, à nemine sanguis eiusmodi bibitur. Nam qui semel pro nobis est effusus Christi sanguis, nec funditur, nec fundetur deinceps vnquam. Sin autẽ effusum sanguinem, eum intelligis, qui fuit quidem aliquãdo à Christi corpore separatus, verùm ad reliquam semel ad corpus Christi resurgentis rediit, ab eo separari deinceps nunquam potest. Neq. n. existimare debes, eum qui pro nobis effusus est, Christi sanguinem esse alicubi extra corpus eius. Legimus quòd resurrectio nostra sit cõformis futura resurrectioni Christi. Reformabit. n. ait Paulus, corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. Quòd si certa fides est Ecclesię, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, futurum vt redeat totum id, quod fuit de veritate humanæ naturę, ita vt etiam quę martyribus membra fuerunt amputata & abscissa, in resurrectione restituta illis iri scribat August. Cùm scriptum sit quòd capillus capitis vestri non peribit: quod vsq; eò verum esse contendit, vt etiam quæ comestæ sunt carnes hominum, quod famis tempore nonnunquam vsu venisse legimus, ea his quorum primitus erant redditas iri censeat, ab illo quippè altero tanquam mutuò sumptas deputari, quæ sicut ęs alienũ, ei reddendæ sint, vnde sumptæ sunt. Si de nostris corporibus ita futurum speramus, quantò magis factum iam de eo credere debemus, quem Paulus primitias vocat dormientiũ. Dño nostro IESV Christo: quòd nihil ei defuerit resurgenti, quod ad integritatem corporis humanæq; naturæ veritatem pertineret. Præcipuè verò, non potuit, neq; potest vnquã illud corpus eo sanguine destitutum esse, per quem IESVS vt sanctificaret populum suũ, extra portam passus est: quo nihil vel ad ipsius Christi gloriam illustrãdam, vel ad nostram spem corroborandam aptius esse potest. Humanitas Christi, quemadmodũ à Ioãne Damasceno scriptum legimus, salutiferam virtutem habuit, ex virtute verbi sibi vniti. Cùm autẽ salus hæc non aliundè nobis contigerit, quàm ex profuso pro nobis Christi sanguine, poteritnè quisquam dubitare, sanguinem illum, qui precium est redemptionis nostræ, in quo solo fiducia nostra omnis nobis esse debet collocata, ad Christi corpus resurgẽtis redijsse, ac vnitum diuinitati, cæteris humanitatis partibus adiunctum esse, nunquam ab eo disiungendũ? HAR. Nemo pius dubitauerit. ARA. Quid igitur iste somniat de effuso sanguine, quasi denuò fundatur, cùm ex calice bibitur, cùm effusus ille iam sanguis non alibi sit quàm in illo corpore glorificato, in quo resurgens Christus non amplius moritur, nec sanguis eius fundetur amplius, sed sicut in cęlo localiter, in verbo personaliter, sic sub panis & vini speciebus est sacramentaliter, vt siue quis sub vna, siue sub vtraq; specie sumat, totũ Christum sumat cum carne, sanguine, anima, & diuinitate, cùm hęc ab inuicem separari nequeant. Sed sic plerunque solent, qui de speciebus sacramenti Eucharistię contendunt: Nimium altercando veritas à nobis oculis non videtur, verè sub illis latentẽ, qui verè salus nostra est, Dñs nostrum IESVM Christum, ex vtraq; specie, quando seorsum corpus, seorsum dari sanguinem imaginantur, non hic ipse scriptor, qui nos de vtraq; specie facit contendentes, apertè negat panis & vini substantiam, in corporis & sanguinis Christi substantiam conuerti, & cum suis Martinis priorum adducti, Christum credimus incarnatum, eum prętereà scripturarũ auctoritatem facit impanatum. ARAT. Audiui quòd scripserit de Ecclesia librum, quàm plurimis erroribus scatentem, & his quidem grauibus, in eo fortasse hoc quod dicis, asserit. HAR. Et hęc & alia multa, absurda blasphema, impia. ARA. Nunc tu vide, quorsum tandem euadant altercationes istæ. Sicut altercatio de sanctorum inuocatione, produxit nobis Seruetianos, hoc est, nouos Arrianos, qui Christo Deo, Deiq; filio negant eundem quem Patri honorem habendum, cum solum Deum Patrem adorandum & inuocandum esse censent: ita contentio de vtraq; specie genuit nobis Zuinglianos, qui vocãtur Sacramentarij. Siquidem ab ijs initijs res progressa est, vt primùm exangue corpus manducandum, cruor potius quàm sanguis nobis bibendus dari crederetur. Qua quidem arte: cùm effecisset Sathanas, vt huic venerabili Sacramento minus iam honoris haberetur (quis. n. aut veneratione prosequendũ, aut vitam ab eo putet expectandam, quod vita caret?) serpsit longius, nec statim eò profiliit, vt negaret esse corpus Christi. Sed quæ fuit olim Ioannis Vvicleffi, cuius erat sectator Ioannes Hus, pridem ab Ecclesia damnata sententia, panem in Eucharistia simul esse cum CHristi corpore docuit: Progressus est mox vlterius, & cùm in pane corpus esse Christi concederet, non aliotamen tempore, quàm, quo sumeretur esse Christi corpus affirmauit, vt si quis extra sumptionem adorasset, is grauissimum crimen idololatriæ non effugeret. His progressibus ita factis, posteàquam isthæc ex animi sui sententia credere videt, iam euertit simul omnia: tollit sacerdotium, tollit sacrificium, omnem beneficiorum Christi memoriam, sempiterna



*Boëmorum error.*

*Verbis Christi sicut nihil detrahere, sic addere nihil oportet*

*Lutherus omni Protheo mutabilior.*

*Cuiusdã Lutheristæ execranda in Deum blasphemia. Heb. 10.*

*Cùm frangitur hostia, quid hac re designatur.*

*In Eucharistiæ sacramẽto verã et viuum Christi corpus contineri realiter.*

*Christus non minus sub vna specie, quã sub vtraque manet integer. Rom. 6.*

*Capharnaitæ. Ioan. 6.*

*Sacramento Eucharistiæ. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13.*

*Nemo fidelium vnquã dixit, de necessitate salutis esse laicos vtriusque speciei participes fieri. Matth. 28. Mar. 16.*

*2. Cor. 22.*

*Hoc facite, quid significat. Ioan. 3.*

*Manducatio corporis & bibitio sanguinis Christi partim sacramenta is partim spiritualis. Tract. 25. in Ioan.*

*1. Cor. 11.*

*Quomodo sit intelligendum, quod effusus Christi sanguis bibitur.*

*Effusus Christi sanguis non est alicubi extra corpus eius. Philip 3. 1. Cor. 15.*

*Integra Christi, & nostra futura reparatio. Lucæ 21. 4. Reg. 6.*

*2. Cor. 15.*

*Corpus Christi non potest sanguine destitutum esse. Heb. 13.*

*Sanguis ad CHristi corpus resurgentis rediit, ac vnitus est diuinitati.*

*Caro, sanguis, anima, & diuinitas in Christo, ab inuicem separari nequeunt.*

*Sacramentariorum error.*

*Seruetiani, hoc est, noui Arriani.*

*Zuingliani sacramentarij.*

*Sententia Ioannis Vvicleffi, atque Ioannis Hus damnata ab Ecclesia.*

*Vvicleffi impietas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



terna quadam obliuione conatur obruere, dum hoc agit modis omnibus, ne qua summi illius ac immensi beneficij, quo semetipsum CHristus redemptionem dedit pro nobis, memoria fiat & repræsentatio. Quibus ita iuxta voluntatem suam confectis, tum demùm impetu facto prorumpit eò, quò, tacitus initio tendebat, vt iam apertè dicat impius, dicat insipiens in corde suo, non est Deus. Non est Deus in hoc Sacramento, non est in eo viuum & verum corpus CHristi, sed merus est panis pistorius, cui diuinos honores tribuere, scelus est idololatriæ committere. HAR. Quàm bellè nobis artes Satanæ detexisti, nunc demùm intelligo, cùm tanta contentione calix exigitur, nihil aliud quæri, quàm occasionem ab Ecclesia Catholica discedendi, atq; vt aliquod initium eius rei fieri possit. ARA. Rectè conijcis Harpage, sed posteà quam discessio semel facta est, nil difficilius quàm finis eius inuenire potest. Si quis oēs nostri temporis hæreses cōsideret accuratiùs, inde sumpsisse eas videbit exordium. Quamobrem errant vehementer, meo quidem iudicio, qui putant hoc religionis dissidium, quod apud nos per Satanę ministros proximis his superioribus annis excitatum est, hoc modo sedari posse, si laicis calix, Presbyteris vxores permittantur. Alere hoc fuerit magis, quàm sedare dissidium. Quid. n. est aliud, quod hi, qui segregauerunt se, votis ardentioribus expetant, quàm vt vel vna aliqua in re ab vniuersa Ecclesia Catholica separare se licitū ipsis esse queat? Hoc fundamento separationis iacto, quò non eos progressuros putas? Arguent erroris totam Ecclesiam, sibiq; potestatem esse datam, interpretabuntur ab eius decretis, cæteris etiam in rebus discedendi. Quid. n. impediat, quò minus æquè in alijs atq; in vno hoc id eis liceat? Mentiar si hoc res ipsa non clamat, vbi facta est in huius sacramenti vsu ab Ecclesia Catholica separatio, quàm non multi sint alij errores cōsequuti: Non Lutherani modò, sed & Zuingliani, & Anabaptistæ, & quotquot alij sunt hæretici, vndè nisi ab vtraq; specie desciscendi, ab Ecclesia sumpserunt initium? Nunquid autē in eo acquieuerunt? Nunqd non simul & sacerdotium, & sacrificium, & Deum ipsum posteà ex hoc sacramento sustulerunt? Nunquid non & Picardi, & Seruetiani, hoc est, noui Arriani facti & in diuersas alias formas mutati sunt? Quare nihil fuerit homini Christiano tutius, quàm sicut alijs in rebus omnibus, sic & in hac Ecclesiæ sensum & consensum sequi: quod qui faciat, errare nulla ratione potest. Vociferetur aliquis ad rauim vsq; Verbum Dñi, verbū Dñi: Euangelium, Euangelium, nihil ea re moueatur pius quilibet, ac orthodoxus, etiam si multa scripturarū examina produci videat. Nā & suo tēpore Pseudoprophetas, minimè defuisse scribit Hieremias, qui & ipsi vociferati sunt: Verbum Dñi: Os Dñi locutum est: Hæc dicit Dñs: cùm tamen nec misisse se eos, nec aliquid eiusmodi locutum illis esse, per Prophetas suos docat Dñs: eosq; fures verborum suorum appellat. Iam verò Pharisæi: Nunquid non ex scripturis Christum non esse Prophetam: Christum esse morte dignum probare contendebant? Quorum. n. hæ voces sunt: Scrutare scripturas, & vide, quia Propheta è Galilæa non surgit. Et alio loco: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Nunquid scripturas contra scripturarum auctorem Deum nostrum non proferebant? Num quid non è scripturis Christum non esse Deum, Deiq́ue filium, sed ne Prophetam quidem, quin potius morte turpissima dignum, pronunciabant? Num aūt statim fuit verum, qui scripturas adducebant? Scripturæ quidem, quarum vtebantur testimonio, vera sunt, & à Spiritu sancto profecta: sed sensus quem ex illis proferebant, quàm longissimè à veritate fuit remotus. Quamobrem nihil pij moueantur, si cum Satana Christum in deserto tentāte dicat membrum eius aliquod: Scriptum est. n. sed si quis nimium obtūdat scripturas, reuerenter accipere se respondeant, ac ab eo procul abesse, vt eis vel in minimo cōtradicere velint. Cęterūm vnde didicerint hanc scripturam esse canonicam, cuius apud oēs auctoritatem esse summam oporteat, inde se quoq; didicisse hunc & non alium sanum illius sensum esse, à sancta Ecclesia Catholica. Quare, cui fidem habuerint de scriptura hac, quòd canonica, quod ipsa à Spiritu sancto profecta testificanti, eidem se fidem habere, hunc & non alium esse scripturæ eius sensum asserenti. Ad hunc modum si se gesserint, facilè Satanæ laqueos effugerēt. Neq; n. inter nos & eos qui exierunt à nobis, vlla est de scriptura controuersia, sed de eo tantùm agitur, vtrum in ea interpretanda suam aliquam propriam, aut vnius alicuius solitariam opinionem, an verò totius Ecclesiæ sensum & cōsensum sequi oporteat. Quod posterius quin longè sit tutius, non arbitror esse quenquam tanta præditum impudentia, qui inficias ire audeat. HAR. Nunc demùm Arator, qua de re agatur intelligo. Nihil. n. scripturis derahitur, vt audio, sed sua manet illis auctoritas integra. Cæterùm quod vnanimi omniū consensu, diuturnaq; totius Ecclesiæ consuetudine receptum est & approbatum, de eo priuata sua auctoritate secūs quempiam constituere velle, nefas esse putatur, cùm eiusmodi de rebus Ecclesiæ iudicium expectare sit necesse, in quo acquiescere oēs oporteat. ARA. Probè sententiam asse quutus es Harpage. Nam hoc etiam sibi volunt illa & Constantiensis & Basilienſis decreti verba, vbi dicitur: Quod sine auctoritate Ecclesiæ laudabilem consuetudinem laicum populum sub vna specie communicandi, ne sit alicui licitum immutare. Numquid aūt non Andabatarum more gladios in tenebris ventilasse videmur, cùm esset hęc tam inanis à nobis de speciebus Eucharistiæ Sacramenti disputatio suscepta? HAR. Nos quidem extra culpam sumus Arator, sed qui sibi tam catus & prudens videtur, vt omnes præ se stupidos, bardos, & truncos iudicet, mirum est, hoc eum animaduerrere non potuisse. ARA. Nihil est quod mireris Harpage, non sine causa dixit Apost. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Sed & illud scitū est Salomonis, vidistinè hominem, qui sapiens esse videtur, spes est de stulto, quàm de eius correctione multò maior. Nullos labi & errare contingit periculosius, quàm qui sic apud semetipsos prudentes sunt, vt cæteros omnes præ se caudices esse putent. HAR. Hac quidem de re mihi propemodum ab te satis iam factum est.

*Sacramentariorum Catechismus. Psal. 13 & 32.*

*Hæreticorum quo tendat insania.*

*Omnia sibi volunt licere hæretici nostri temporis.*

*Qui Ecclesiæ Catholicæ sensum & consensum sequitur, nullo modo errare potest.*

*Hier. 23. 28. et 29.*

*Pharisæi scripturarū testimonio Christum nō esse Prophetam, et esse morte dignū contendebant.*

*Ioan. 7.*

*Ibidem 19.*

*Membra Satanæ hæretici.*

*Rom. 1.*

*Prouerb. 20.*

*Non de scriptura, sed de scripturæ sensu inter nos & hæreticos solum est controuersia.*

*In Ecclesiæ iudicio acquiescere omnes oportet.*





SED non ignoras fortassis, qui sint apud nos religionis ergò motus excitati, peruenit & illud ad aures tuas procul dubio non deesse quosdam, qui sedari posse motus istos existiment, si quorundam importunitati tria concedantur, calix laicis, Vxores sacerdotibus, & vt vernacula lingua res diuina fiat. ARA. Audiui hominem etiam de reliquis duobus nonnulla differentem, sic enim ille dicebat. Tantum abesse, sperandum vt sit, concordiam rebus his concessis esse coituram, vt maior etiam sit discordia metuenda. HAR. Qui sic? ARA. Nunquid ex me iam non audiuisti, simul vt semel vna aliqua in re discessum est ab eo, quod aut legibus cōstitutum, aut moribus Ecclesiæ totius est receptum, non ferè finem fuisse discessionis inuentum: quamobrem, qui petunt isthæc, sibi seorsum ab orbe reliquo Christiano concedi, nihil aliud quàm initium sibi discedendi permitti petunt: quo cōcesso finem sibi nullum præscribi patientur, vt maximè daretur illis, quod postulant, crede mihi, quod in eo nunquam acquiescent. Sed quid in conuiuio quodam acciderit, in quo & ego præsens adfui, paucis tibi narrabo. Erant à quodam inuitati duo ex eorum numero, quibus quod Catholicū est, non probatur. Cumq; de religione (quod peruersō ætatis nostræ more nunquam crebrius fit, quàm inter pocula) sermo incidisset, dixit vnus qui minus à Catholica tunc erat alienus, sibi nihil aliud mutandum videri de his quę recepta sunt, & diuturna patrum consuetudine approbata, quàm vt calix concederetur laicis, quo si potiri liceret, abunde sibi satisfactū iri. Mox alius in eorum scriptis qui segregauerunt semetipsos versatus diligētius, atq; ideò animo in prauis opinionibus magis obfirmato: Mihi verò, inquit, etiā si de calice bibere liceat, nequaquā erit satisfactū. Alia cogitabat ille procul dubiò, nimirùm de subuertendis aris, de tollēdis imaginibus, de seruitute soli Deo debita (Græci λατρείαν, Latini vocant sacrificium) prorsus abroganda, deq; similibus alijs, quæ nisi cōfecta vidisset, nunquā erat animus illius acquieturus. Si vbi duo tantùm aderant, dissentire visi sunt, nec vtriq; satisfieri potuit, his quæ putantur Adiaphora concedendis: qđ futurum putas in tāta turba, quę magna ex parte ex Lutheranis, Caluinianis siue Sacramentarijs, Seruetianis, siue nouis Arrianis, & (quod hæreticorum genus non apud Orthodoxos modò, verùm, & apud ipsos hæreticos, summæ semper fuit abominationi) ex Picardis constare videtur? Quamobrem non dubitanter dixerim, quòd hoc alere fuerit religionis dissidium, non ei sedando medicinam aliquam adferre, si tria illa concedantur, quæ sunt à nonnullis postulata, quibus rectè dici possit: Nescitis quid petatis. Imprudentes. n. diuisionē & separationem quandam petunt à Christi corpore, quę est sancta Catholica Ecclesia, quę non vno aliquo angulo continetur, sed per vniuersum orbem Christianum est diffusa. HAR. De calice multa iam dicta sunt, nec est iterare necesse. Quem intelligo nisi in Concilio Oecumenico, idq; grauibus ex causis rectè laicis concedi non posse. Cæterùm qđ esset in eo piaculi, si sacerdotibus vxores permitterentur, his præsertim qui cōtinere non possunt? ARA. Nunquid est aliquis qui cōtinere non possit? HAR. Quasi verò tuis oculis multos ipse non videas ita ventri, & his quæ sub ventre sunt deditos, vt magis pecudum quàm hominum vitam agere videantur, ARA. Erras Arator, non desunt qui velint, sed vincuntur à carnis concupiscentia. ARA. Facile est vincere non repugnantes. Quòd si se viros præstarent, possent procul dubiò. HAR. Fieri potest vt sint non pauci, qui sua vincantur desidia. Sed crede mihi, repiriri nonnullos, qui cùm omnia sedulò faciant, quæ ad frenandam libidinem pertinere videntur, victi nihilominus discedant. Scis ipse Christum dixisse, nō oēs capiunt verbum hoc. ARA. Verè dixit Veritas, quid. n. eo verius & certius, quod non oēs capiunt. Sed nunquid dixit Veritas, quòd non omnes possūt capere? HAR. Imò hoc dixisse videtur. ARA. Imò hoc dixisse nō videtur. HAR. Quid si Christus ipse hęc verba sic interpretatur cùm subdit, qui potest capere, capiat. ARA. Quid si his verbis nihil aliud significare Christus voluit, quàm qui vult capere, capiat, cùm non sit iustū tantum hoc dicendi genus in scripturis, vt posse pro velle accipiatur? Ac ne pugnes meam hanc esse solitariam opinionem, priscorum Patrum sententiam tibi proferam: Inter quos qui in primis celebris habetur Ioannes Chrysostomus, enarrans illum scripturæ locum. Propterea non potuerunt credere, quia dicit Esaias: Non potuerunt, hoc est, noluerunt. Neq; te admiratio capiat. Alibi enim inquit: Qui potest capere, capiat. Ita nonnunquam potestate pro voluntate vtitur. Et iterum: Non potest vos mundus odio habere: me autem odio habet. Hoc & cōmuni sermone vsurpatum videmus, cùm quis dicit: Non possum asperū hominem diligere. Vehementiam voluntatis potestatem appellans. Et iterum: Non potest ille fieri bonus. Et Propheta: Si mutabit Æthiops pellem suam, & pardus varietatem suam, & populus hic poterit benefacere, qui didicit mala? Nō dicit, quòd impossibile sit ei benè operari: sed quia nolunt, ideo nō possunt. Vides quemadmodum Chrysostomus ex multis scripturæ locis, inter quos hunc etiam produxit, de quo nunc nobis sermo est, & communi vsu loquendi sæpè posse pro velle docet accipi. Quod ante eum quoque fecit Gregorius Nazianzenus, & vtroq; vetustior Clemens Presbyter Alexandrinus: velis, inquit, & poteris: Et libro sequenti, posteàquam statim à principio tractauit hunc Euangelij locum, velit tantùm, inquit, quod bonum est petere, & assequetur. Nōnunquam aūtem ore quidem dicimus, nolumus peccare: cogitatio autem nostra defixa est in peccato. Sed obsero re, num tu fati rem esse putas, continere? HAR. Imò futile esse dico quòd tu CHristum ideo non dixisse credis, non oēs possunt capere, ne quis fati rem esse putaret, cum ijs quę sequūtur verbis, eos tātùm cōtinere posse significauerit, quibus datū est. ARA. Atqui q̄ tu futile dicis, id homines minimè futiles, quin potius totius orbis Christiani iudicio doctissimi, grauiss.

*Ergò, ideſt, causa.*

*Tria quæ sibi concedi postulabant hæretici in comitijs Poloniæ.*

*Mos peruersus inter pocula de diuinis sermonem habere.*

*Subdola cuiusdam hæretici cogitatio.*

*Picardi genus hæreticorum, & Orthodoxis et ipsimet hæreticis maximè inuisum.*

*Matth. 20.*

*Qui dicunt se continere non posse, nolle potius quàm non possint.*

*Vehementia voluntatis potestas dicta. Hier. 13. Lib. 4 Theo. Libr. 2. strom.*

*Rom. 5. in Ioan. Ioan. 7.*

*Continere non esse fati rem, sed Dei donum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Hier. tract. 7. in Matth.*

grauissimis monumentis literarum cõsignarunt: Verba sunt Hieronymi, Euangelij locum explicantis, qui quidem sententiam sequutus esse videtur Origenis: Nemo putet sub hoc verbo, vel fatum vel fortunam introduci, quòd ij sint virgines quibus à Deo datum sit, aut quos quidam ad hos casus adduxerit: sed ijs datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui acciperent, laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Nec diuersum sensisse videtur Ioan. Chrysost. cùm ait: Nõ omnes capiunt, sed quibus datum est, vt singulare id esse certamen perdiscas, non vt fortè datam necessitatem suspiceris. Ijs enim datur, qui spõtè id eligunt. Quod ideò dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio esse opus, quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores euadere. Solitus quippè est quãdocunq; res ardua ponitur, hoc vti modo dicendi, vt etiam quando dicebat, vobis est datum nosse mysteria regni cœlorum, quòd maximè ita esse præsenti loco approbauit. Nam si datum solummodo superius est, ac nihil penitus, qui se in perpetua virginitate conseruant, conferre videntur, superfluè ipsis regnum cœlorum pollicetur, ac immeritò à cæteris Eunuchis distinguit. Iaminè igitur intelligis, quorum tu sententiam futilẽ voces, nimirũ eorũ, quorũ in Ecclesia Dei summa semper fuit auctoritas, HAR. Atqui ego nullius addictus: iurare in verba magistri, puto mihi hanc veniam concedi oportere, vt momenta rationum pluris faciam in disputãdo, quàm auctoritates. ARA. Insanum caput. Quasi vel illi momentis rationum fuerint destituti, quos tanquam summa ratione nixos orbis Christianus admiratur vniuersus, vel solus tu sis, qui momenta rationũ adferre queas. Scilicet tu is es, qui cornicum oculos (quod est in prouerbio) configis. Sed quæ tandem adfers momenta rationum, quamobrem hanc doctissimorum virorum interpretationem reijciendam esse censeas? HAR. Quæris quasi nõ ipse videas quàm pauci sint cœlibes, qui castè viuant. ARA. Quasi verò non & ipse videas, quàm sint multi Matrimonio iuncti, quos coniugalis castitatis oblitos videre licet. HAR. quid ergo, negas tu Dei donum esse continentiam? ARA. Non eorum tantum qui cœlibem vitam professi, verùm & eorum qui sunt irretiti coniugio, continentiam siue castitatem esse Dei donum affero, neq; magis præstare posse coniuges, vt castitatem seruent coniugalem, nisi datum sit illis, quàm continentiam cœlibes indubitanter affirmo, cùm æquè donum Dei sit castitas coniugalis, atque cœlibum continentia. HAR. At coniuges paratum habent incontinentiæ suæ remedium, quo destituti, cœlibes esse videntur. ARA. At quàm multos reperire licet, quibus hoc remedium nullam adfert vtilitatem: Deinde verò tu Dei potentiæ fines præscribis, quasi non potuerit ille nisi vnicum hoc incontinentiæ remedium dare, si ad nuptias confugiatur. Quid autem? nunquid non potest euenire, vt coniugem sortiatur aliquis diuturno languore marcescentem, vt hoc ei remedio, quod tu solum esse vis, vti non liceat? Quid si longiore sit ab ea locorum interuallo disiunctus, vt corporis eius potestatem habere non possit? Quid si illicita quadam animositate continere se velle dicat vxor: num propterea statim ad nuptiarum remedium confugiet maritus, & vna vxore superstite, ducet aliam? HAR. Hoc equidem fas non esse puto. ARA. Atqui negabitis se posse capere, negabit sibi datum esse, vt sit capax castitatis coniugalis. Etillud ex Paulo tibi occinet. Melius est nubere quàm vri. HAR. De ijs qui cœlibes sunt, loquitur Paulus, non de coniugio irretitis. ARA. Atqui eadem est causa eorum, qui Deo suam continentiam dicarunt. Habent & illi sponsum suum CHristum, & eum quidem immortalem, cui quum semel se deuouerint, fas illis non est, vt sui corporis potestatem cuiquam deinceps faciant: verùm eo se loco posuerunt, quo fuit vnus Orientis & Occidentis Ecclesiarum. Nunc verò quando grauissima de re nimirum de processione sancti Spiritus, diuersa est Orientalis Ecclesiæ, præsertim Antistites, te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regeneravit Ecclesia, quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti, quando in eius membra venisti? Ac vt maximè te Septentrionalis terra generauit, & hæc tamen in qua tu natus es, non alij fuit vnquam Ecclesiæ, quàm Occidentali subiecta, vt ad Occidentis potiùs, quàm ad Orientis Antistites prouocare te oporteret. Quos autem tu vis vt sequamur auctores? Eos ne quos tories doctrinis varijs & peregrinis abductos à fide defecisse, quos quaterdecies ad Ecclesiæ corpus redeuntes totidem vicibus ab ea se præcidisse, quos præcisionis huius, fidei q; suæ tam sæpè violatæ dura Turcarum tyrannide pressos, grauissimas pœnas vides expendisse? Scilicet quorum exitus perhorrescimus, eorum tu nobis imitanda facta propones? Quid autem Harpage, si nec apud illos licitum fuit vnquam Sacerdotibus vxores ducere? quid si grauis auctor Epiphanius, qui fuit vnus ex Orientalibus illis Episcopis, negat apud eos vnquam Sacerdoti fieri licuisse, nisi aut virgini, aut ei qui se contineret à propria vxore, aut qui ab vnis nuptijs viduitatem seruasset? Quid si quibus in locis essent reperti, qui cum his quas ante Sacerdotium vxores duxissent, Matrimonio copularentur, eos non iuxta Canonem, sed iuxta mentem hominum, quæ per tempus elanguit, hoc fecissent? Quid si huis eius sententiæ & Socrates itidem Græcus, & Hieronymus noster adstipulantur? Itaque nec Orientalis Ecclesiæ consuetudo pro te facere videtur, in qua æquè vt in nostra, Sacerdotibus nuptias contrahere fas non est: etiamsi peruerso magis more quorundam, quàm quòd per Canones Ecclesiasticos id liceat: quas ante Sacerdotium vxores duxerunt, cum his alicubi copulari permittantur. Et quod ab ipsis etiam Apostolorum temporibus ad hæc vsque nostra, quàm latè patuit nomen Christianum, semper nefas est habitum, id tu nunc demùm, fas vt sit, contendes? Tu scilicet is es, cui soli videre contingit quod

*Matth. 7. Luc. 11. Chrys. homil. 63. in Matthæum.*

*Matth. 13. Mar. 14. Luc. 8.*

*Hæreticis pluris mõta rationũ in disputando, quàm sanctorum patrum auctoritates facere solent.*

*Continentia siue castitas omnium hominum cuiusque sit conditionis, Dei donum est.*

*1. Cor. 7.*

*Fas non est ijs qui semel CHristo se deuouerunt, vt cuiquã deinceps faciant sui corporis potestatẽ.*

*In eos qui cnipiam suã in fatũ reijciũt.*

*Deo nos iuuante, nihil est quod nobis aduersari possit.*

*Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit:*
*Si modo cultureæ patientem accommodet aurem.*

*Stilpo Megarensis.*

*Socrates.*

De Stilpone quoq; Megarensi memorię proditũ est, cùm natura fuerit & ebriosus & mulierosus, vitiosam tamen naturam ab eo sic compressam & edomitam esse doctrina, vt nemo vnquàm vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium vllum viderit. Socrates quoq;



*Chrysost. in ser. de Martyr.*

*Aug. in Hom. 48. de verbis Domini.*

*Mar. 9.*

*De adulterinis conjugijs ad Pollentiã li. 2. ca. 19.*

*Luc. 18.*

*Iacob. 1.*

*Aug. li. 1. contra Iulianum.*

*De processione sancti Spiritus.*

*Orientalium ab Occidentalibus fides diuersa.*

*Græci quaterdecies ab orthodoxa Ecclesia se præcidêrũt. Epiph. Hæresi. 48. contra Montanistas hæresi. 59.*

*Lib 5. c. 22. Hist. Eccles.*

*Ab Apostolorum temporibus semper nefas est hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bitum, vt sacerdotes vxores ducerent.

quod in orbe Christiano vniuerso tot seculis videre potuit nemo, mille quingentis & amplius annis absque eo Sacerdotes in Ecclesia Dei fuerunt, vt sibi ducenda vxores existimarent, quin se graui scelere si id fecissent, obstrictos iri persuasum habebant. Nunc demum quando multò breuius tempus est, quàm fuit anteà, propter vnum & alterum impuros monachos, qui iusiurandi quod Deo præstiterunt immemores, hac ratione frena libidinis sibi laxare conati sunt, bonam Ecclesiæ legem tot seculorum vsu receptam & approbatam propter non bonos mores hominum abrogandam esse censebis? Atqui ex malis moribus

Bonæ leges non propter malos hominum mores abrogandæ.

bonæ leges procreatæ, non propter malos mores abrogandæ sunt. HARP. Habenda est horum temporum ratio. Maior fuit apud priscos hominum continentia quàm nunc sit. ARAT. Atqui homines ijdem fuerunt, qui nunc sunt ex eadem carne compacti, eadem infirmitate præditi. Quòd autem plures tum continentes, quàm hoc æuo nostro licuit inuenire, partim fides in causa fuit seruentior, partim disciplina, qua continebantur homines in officio. Nunc & fides elanguit, & disciplina per tuos Harpage, qui se nescio cuius Euangelicæ libertatis assertores esse gloriantur, sic sublata propemodum omnis & euersa videtur, vt ijdem magnificè (si dijs placet) libertatis huius assertores, non vno in loco grauiter de eo quærantur, quòd suos in officio nulla ratione continere queant: quorum nunc multò corruptiores esse mores, quàm fuerunt sub regno Romani Pontificis (sic enim appellat Ecclesiam Dei, Princeps & Architectus nostri temporis hæreseon) ingenuè fatentur, ac decies eos Sodomitis esse peiores affirmant. Quin igitur hoc non potiùs contendis, & e-

Hæretici propter libertatem sibi indultam, decies Sodomitis peiores.

laboras Harpage, quàm ita collapsam videre licet disciplinam Ecclesiasticam, vt ea restitui queat? Id si factum erit, reuiuiscet in hominibus ilicò, quæ iam inter mortua videtur, illa priscorum integritas & continentia. Nam quibus nondum eò peruenire datum est, vt virtutis amore peccare odisse queant, vel pœnæ saltem formidine peccare oderint. Est Pauli

Si iam præterlapsa Ecclesiastica disciplina esset restituta, omnia reuiuiscerent.

præscriptum de Episcopis & Presbyteris eligendis. Sunt Canones quibus quid fieri deboporteat, qui quam professi sunt continentiam, eam non seruant, sancitum est, seruentur præscripta Canonum, adhibeatur delectus in Sacerdotibus ordinandis, vt ne temerè manus cuiuis imponantur, sit aliqua iuxta sanctiones legum Ecclesiasticarum in earum præuaricatores animaduersio, mox alia rerum facies apparebit, ac minus multos videbis qui iam turpem & flagitiosam vitam ducant. Idem nunc est Deus Harpage, qui fuit illis priscis temporibus, nec est abbreuiata manus eius: æquè nunc est propensus ad impertiendum omni petenti gratiam, atqui tum fuit: neque natura nostra diuersa est, minus vt possimus nunc carnis nostræ motus Deo nos adiuuante, compescere, quàm priscis illi potuerunt. Nisi quod vt iam à me dictum est, & fides elanguit, & disciplina laxata est. Sed quantum ex vultu tuo conijcio, videris Harpage, quædam adhuc obijcere velle. Mihi verò quoniam inclinata iam est dies, & restat nobis, vt scis, de eo dicendum, quod tertio loco postulatum fuit. Nunc ergo dictum sit vernacula lingua rem diuinam fieri, hac quidem de re satis iam dictum esse videtur, neque est quòd de Matrimonio Sacerdotibus permittendo, pluribus mecum agere debeatis. Extat Confessio fidei Catholicæ Christianæ de Patrum, qui fuerunt ante annos quatuor

in synodo prouinciali Petricouiensi congregati, consensu ædita, ad eam te remitto, lege quæso ibi sunt scripta de impedimentis Matrimonij, si quis adhuc extat scrupulus, eum tibi, si diligenter legeris, exemptum iri spero. HAR. Atqui audiui ex doctore quodam irrefragabili, minimè satisfactum esse refellendis argumentis quæ contra cœlibatum adducta sunt.

Cõtentioso nunquam satisfit. 1. Corinth. 11.

ARAT. Contentioso nunquam satisfieri potest: quid autem impedit, quò minùs & nos ijsdem quibus Paulus olim verbis contra talem vtamur: Si quis, inquit ille, contentiosus esse volet, nos consuetudinem talem non habemus, neque Ecclesia Dei. HARPAGVS. Verùm ille quum alijs rebus sibi satisfactum esse negabat, tùm in eo maximè, quod qui scripsit confessionem illam, in qua conatus est argumenta refutare, quibus ille Sacerdotum cœlibatum oppugnat, cum in alijs plerisque refellendis multum laborauerit, integrum Ancirani Concilij Canonem (Diaconi) omiserit in Canone Nicæna: & Canone (Quoniam) fuerit prorsus mutus. Atqui satis est, inquit ille, nos vna lege comprobasse nostram sententiam. Aut omnia à nobis adducta erant refellenda, aut nihil. Quid enim si vnum alterum aut plures vincas, postremò ab vno vincaris, certè inter victos numeraberis?

Si qui quod probare contendit, obtinere cupit, quid necessarium. Dist. 18. cap. 1.

ARAT. Dicere tamen aliquid videtur inuictus & irrefragabilis iste doctor, non de veritate cognoscenda, sed de victoria tantùm consequenda solicitus. Nam reuerà si quis quod probare contendit, id obtinere cupit, in primis ei necessarium fore videtur, quæ contra istam sententiam dicuntur, vt eorum nihil non confutatum relinquat. Sed quid si quæ sunt ab isto producta, nihil ad ea rem qua de agitur, faciunt? Quid si leuiora sunt quàm vt ea confutari sit necesse? Deinde verò, nónne tuus iste Doctor vehementer probat, quod à Gratiano scriptum est de Synodis prouincialibus Episcoporum. Concilia sunt inualida ad definiendum & constituendum: atque huius generis fuit hæc Ancirana Synodus, quam non Oecumenicam, sed vnius tantùm prouinciæ fuisse constat. Qua quidem ex causa nihil ad definiendum & constituendum auctoritatis & roboris habere potuit. Ac vt habere maximè potuerit: non ignorat Doctor iste tuus quòd ab Augustino scriptum est: Concilia quæ per singulas regiones & prouincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere. Quare cùm fuerit plenarij Concilij Chalcedonensis hac ipsa de re sententia non sit nescius, quod Ancirana synodo seculis aliquot fuit posterius: quorsum attinebat, quod in vna aliqua prouincia fuit constitutum proferre, & vnam vrbem orbi vniuerso præferre? Sed ne tergiuersari tibi videar, profer Canonem integrum Ancirani Concilij, quem doctor iste tuus in confessione omissum fuisse dicit. HAR. Verba Concilij sunt hæc: Diaconi quicunq; ordinantur si, in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes, se velle habere vxores, nec posse se continere, si postea



si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod ijs Episcopus licentiã dederit. ARAT. Estne Canon is integer? HAR. Mihi quidem integer videtur: neque enim plus in libro doctoris illius reperio. ARAT. An non mihi quoque cum Cypriano rectè licebit exclamare? Corruptor Canonum atq; interpres falsè suprema ponis, extrema præteris partim memor, partim subdolè corrũpẽs. Sicut ipse ab Ecclesia scissus es, sic vnius capituli sententiã scindis. Quin tu q̃ sequũtur ea simul recitas? Sequũtur aũt hæc verba: Quicunq; sanè tacuerint & susceperint manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias peruenerint à ministerio cessare debebunt. Atqui hoc est quod maximè facere videtur ad eam rem de qua nobis sermo est institutus. Nam prior Canonis pars an fuerit aliquando in vsu, quis est qui pro certo possit affirmare? Posterius autem hoc & obseruatũ fuit semper, & nunc etiam seruari videmus. HAR. Non putauit Doctor ille fuisse necessarium, vt illa produceret, quæ pro se non facerent: Itaq; priore canonis parte contentus fuit. ARA. Quid, si ne illa quidem cum eo facit? Nam vt illud silentio præteream, quòd Canon non de Sacerdotibus, sed de Diaconis loquitur, qui sunt vno gradu inferiores. Certè quæ per se licita sunt, ea dispensationis alicuius non indigere, tu ipse fatearis oportet. Quòd si quemadmodũ contendis, licitum est Sacerdoti nuptias contrahere, cur illis tantùm licere Canon voluit, quibus Episcopus licentiam dederit? quid opus est dare vbi res est per licita? Vides igitur quemadmodum ille ipse Canon quem tuus Doctor iste adfert, pro sua sententia confirmandacontra eum magis facere videtur. HAR. Quid autem ad Canonem Nicæna vbi scribitur, quòd Nicæna Synodus volens corrigere hominum vitam in Ecclesijs commorantium, posuit leges quas Canones vocant, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt Episcopi, Presbyteri, Subdiaconi, Diaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias & castitatem esse ducens cum propria vxore concubitum. Suasit itaque Concilio, ne talem poneret legem, grauem esse causam asserens quæ aut ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. ARA. Quorsum hæc adfers? Extra scopum iaculari mihi videris. Neque enim de eo inter nos agitur. Licueritne aliquando aut liceat etiam nunc Sacerdotibus Orientalibus, præsertim posteàquam sacris initiati sunt, vxores retinere, quas ante susceptum Sacerdotium duxerint: Verùm qui iam facti sunt Sacerdotes, fueritne tempus vllum quo nuptias eis in Ecclesia Catholica contrahere liceret. Quid autem si cuius tu testimonio niteris, huius ipsius Paphnutij auctoritate docuero, etiam ipsius seculo Sacerdotibus vxores ducere minimè licuisse? Præstat autem ex fontibus haurire, quàm ex Gratiano nescio quæ mutila producente. Scribunt hæc quæ citat Gratianus de Paphnutio, Socrates, & Zosomenus, vterq; autem post ea quæ recitat Gratianus addit hoc, quod auctor fuerit Paphnutius Patribus in Concilio cõgregatis, vt secundũ antiquã Ecclesiæ traditionem, qui clericatu ante nuptias potiti essent, eis præciperent, ne Matrimonium deinceps inirent, non autem seiungeretur quisque ab ea, quam semel iam anteà cum laicus esset, duxisset. Vides quemadmodum etiam Paphnutij sententia pro nobis facit, & eorum errorem confutat, qui Sacerdotibus nuptias contrahere licere volunt? Cuius autem Paphnutius meminit antiquæ traditionis, ea est Apostolorum traditio. Verba Canonis, quem conscripserunt hæc sunt: Exijs qui cœlibes in clerum peruenerunt, iubemus vt lecto res tantùm & cantores, si velint, nuptias contrahant. Nunc tu vide, quæ sit importunitas istorum hominum, qui traditionem hanc Apostolicam vnanimi totius orbis Christiani consensu mille quingentis annis in Ecclesia Dei obseruatam, nunc demum tanto studio cupiunt abrogatam, cùm rectiùs multò quàm Pauli temporibus dici potest, Tempus breue est. Certum est enim, quòd minùs longè nunc absit supremus ille dies, quàm abfuit illo tempore, quo Paulus admonebat vt etiam hi qui vxores haberent cogitantes instare diem illum, neglectim illas haberent, perinde quasi non haberent, & quoad possent salua fide coniugiab earum commercio abstinerent, eisq; tanquam sororibus vterentur, sicut etiam minifros verbi tum fecisse Clemens Alexandrinus testatur. HAR. Ego verò nihil de eo audiueram, quod illud quoque suaserit in Concilio Paphnutius, vt qui cœlibes in clerum peruenissent, ij Matrimonium contrahere ne permitterentur. Verum illud modò ne separarentur à Sacerdotibus vxores. ARA. Plura sunt alia Harpage, quæ fortè non audiuisti, solent enim corruptores isti sicut ipsi integra fide non sunt, ita non sententias auctorum integras proferre. HARPAGVS. Sed obsecro te, quid ad Canonem dices (Quoniam?) quo non in perpetuum, sed tempore oblationis ab amplexu suarum coniugum Sacerdotes abstinere præcipiuntur. ARA. Tædet me iam ineptiarum. Citat Canonem hunc Gratianus è sexta synodo, quam tamen Canones edidisse nullos, & septima synodus & Anastasius Bibliotecarius Adriani Pontificis in sua præfatione in octauam synodum testantur, sed quin que post annis Episcopi congregati Constantinopoli in Trullo conueniunt, vbi centum & duo Canones æditi sunt, inter quos etiam hic numeratur, qui tantundem ad rem facit, de qua sermo nobis est institutus, quantum priores illi, ita vt noua confutatione minimè videatur indigere. Tantùm enim abest vt ea synodo, quæ fuit inter sextam & septimam interiecta, permissum fuerit Sacerdotibus vxores ducere, vt ne ductam quidem retinere fas esset, decretum fuerit ei, cui munus Episcopi delatum esset. Nam inter alios hic quoq; Canon legitur. Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi viri sui consensu priùs separata, postquàm in Episcopum ordinatus est ac consecratus monasterium ingredia tur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi prouidentia fruatur. Extat & alius Canon his verbis conscriptus. Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta vxore in clerum promouentur, solos lectores & cantores vxorem posse duce re, & nos obseruantes decernimus, vt de incepsnulli hypodiacono vel diacono, vel presby-

Cyprianus de simplicitat. Prælat.

quæ per se licita sunt, ea dispensatione ne non egerent.

Canones sunt leges.

Lib. 1. cap. 11.
Lib. 1. cap. 23.
Hist. Eccles.

Cano. 25.

1. Corinth. 7.

Libr. 3. stromatum.

Actione. 6.

Can. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca



tero post sui ordinationem coniugium contrahere liceat. Si autem hæc quis facere ausus fuerit, deponatur. Quoniam autem canones Apostolorum, quorum auctoritate potissimũ hæc Synodus nititur, à Clemente Petri successore conscripti putantur : quæ fuerit huius quoq; hac de re sententia, videamus. Sic enim ille scribit ad Iacobum fratrem Domini: Ad Dominica mysteria tales ordinentur, qui ante ordinationẽ suam coniuges nouerint. Quòd si post ordinationem ministrum altaris contigerit propriæ inuadere cubile vxoris, sacram non intret limina, nec sacrificij potitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat, sed aquâ Sacerdotum porrigat manibus: ostia forinsecus claudat, minora tantùm gerat officia. Quis autem potuit interpres esse melior eius canois, quo sancitum est, vt Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem suam prætextu religionis non abijciat : Si abijcit, segregetur à communione: quàm ipse Clemens, qui conscripsisse Canones istos creditur. Qui si hoc intelligi vult verbis his, vt etiam fraudare eos seinuicem non permittat, suiq; corporis potestatem alterutrum facere iubeat: cur ab omni Sacerdotij functione prohibet eum, qui propriæ vxoris cubile inuaserit. Quamobrem rectè quidem Apostoli non debere Presbyterum, aut Episcopum abijcere propriam vxorem statuerunt. Sed rectè etiam Hubertus ante quingentos plus minus annos, Nicetæ monachi scripta refellens : Omninò, inquit, contemnitur, non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, & Subdiacono, vxorem propriam causa religionis abijcere à cura sua : scilicet, vt ei victum & vestitum prouideat, non vt cum illa exinde carnaliter iaceat. Hoc est quod etiam in paulò superius citato Canone dicitur, à sancta Synodo, vxorem ab Episcopo separatam, Episcopi prouidentia frui debere, ita vt eam nihilominùs non abijciat, neque deserat in ijs, quæ ad victum & amictum pertinent. Sic & Epiphanius Canonem hunc intellexisse videtur, sicut superiùs à nobis est demonstratum, sed cùm satis iam refutata videantur, quæ contra Sacerdotum cœlibatum ab irrefragabili Doctore tuo scripta sunt, si quid aliquid prætereà vis, dicito. Nam hac de re nihil est quòd expectes vt plura verba faciam: ad confessionem Catholicæ fidei Christianam te remitto.

*Canones Apostolorum à Clemente Petri succe ssore conscripti. Epist. 2.*

*Apostoli statuerũt non debere Presbiterum aut Episcopum reijcere propriam vxorem.*

## DE SACRO VERNACVLE LEGENDO. HARP.

QVandoquidem neq; de calice, neq; de cœlibatu Sacerdotum sermonem fieri vis longiorem, iam ad illud veniamus, de quo nobis tertio loco disserendum restat. Cùm in sua Paulus ad Corinth. epistola disertis verbis præcipere videatur, vt vernacula cuiusq; gentis potiùs, quàm peregrina lingua publicè precationes in templis fiant, quid impedit, quæso, quò minùs huic illius præscripto pareatur? Mihi quidem grauiter peccare videtur, qui Christo, quem in Paulo loqui manifestum est, non obtemperant. ARAT. Quid si Pauli præscriptum hoc, magis ad prædicationes quàm ad precationes pertinere videtur? Verùm demus hoc etiam, precationes publicas eum vulgari lingua fieri voluisse, num ideò statim peccare censẽda est Ecclesia, si quæ fuerunt eius generis ab Apostolis aliquando decreta, probabilibus ex causis mutat. Neque enim omnia quæ statuerunt Apostoli, hoc animo ab eis fuisse constituta credendum est, vt ea perpetuò sic ab omnibus obseruari, neque licitum esse vellent, Ecclesiæ prout tempus aut ratio postularet, ea nonnunquam variare. Iam audisti decretum ab Apostolis fuisse, vt à sanguine suffocato, & idolothytis abstineretur, nunquid obseruatum hoc posteà fuit, aut nunc etiam obseruatur ? Præcipit Paulus, vt mulier velato, vir orare t aperto capite, nunquid & hoc apud omnes in vsu est ? Temporibus Apostolorum cibi afferebantur in templum, & in commune fideles possidebant omnia: nunc si quis id necessariò ab omnibus fieri fic oportere contenderet, alienus ab Ecclesia Catholica censeretur. Scribit Ambrosius, quòd vt crescret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum fuit Euangelizare, & baptizare, ac scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesijs ordinata sunt: vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum. Et cœpit alio ordine & prouidentia gubernari Ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, ac vulgaris, atq; vilissima res videretur. Itaq; non statim oportet in exemplum trahi, si quid sic aut aliter fuit Apostolorum temporibus obseruatum: nam fides Apostolorum necessariò nobis retinẽda est si salui esse volumus, nec minima ex parte violãda. Ritus Apostolorũ si vel temporum, vel locorum, vel personarum ratio postulet, mutari non modò nefas non est, verumetiam expedit nonnunquam, dum modò id non alicuius priuata libidine, sed Ecclesiæ totius publica fiat auctoritate: Vnicum est CHRISTI præceptum, contra quod si venerit, reus sit criminis capitalis : Hoc est verbum illud abbreuiatum, Dilige: hoc saluo, quæ pertinent ad ritus, quando res ita postulat, citra tumultum Ecclesiæ mutare, nunquam est nefas habitum, fieri namque potest, vt quod expediebat illo tempore, non expediat hoc. HARP. Quid autem an non expedit nunc quoque, sicut Apostolorum temporibus vtintelligat populus quid precetur Sacerdos ? Cùm enim Sacerdos benedixerit, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amen, super eius benedictione, quoniam quid dicat, nescit? ARAT. Quid si qui minùs intelligunt, ea quæ dicuntur à Sacerdote, maiorem in eis persepè videre licet pietatis affectum contrà frigus in illis ingens, qui non verba magis quàm sententiam quoque verborum assequuntur? Non omnia in intelligendo consistunt. Præclarè Augustinus de turba scribit, quòd eam non intelligendi viuacitas, verùm credendi simplicitas tutissimam facit. Qui etiam alio loco: Si propter solos eos Christus mortuus est, qui certa intelligentia possunt quæ ad fidem pertinent, discernere, penè frustrà in Ecclesia laboramus.

*1. Corinth. 14. Verum precationes quæ in templis fiant pupilce vernacula lingua fieri debeant edisserit.*

*Act. 15.*

*1. Corinth. 11.*

*Ambros. in epist. 4. ad Ephes.*

*Fides Apostolorum nec esse rio nobis retinenda, si salui esse volumus.*

*Contra Manichæos epistola quam vocant fundamenti. cap. 4.*



Non ergo quantum intelligas, sed quantum credas, & quantũ credendo ames, quærit Deus. Fit non rarò vt qui intelligunt, contemnant: qui non intelligunt, ampliùs admirẽtur, & piè magis ad ea quæ non intelligunt, afficiantur, vt non sine causa Christus in parabolis loquutus esse turbis, legatur. Quod si qui eo animo vel ad depromenda, vel ad audienda cantica & preces Ecclesiasticas accedunt, vt suam Deo gloriam, laudem & honorem præstare, deq; perceptis muneribus illi gratias agere, simul ea, quæ vel præsenti vel futuræ vitæ cõducura sint, ab eo cupiant impetrare, tam est Deo grata hæc in eis animorum affectio, nulla vt verborum intelligentia cum ea conferri queat : Putá sne tu pueros Hebræorum intellexisse quæ agerent, cùm in templo clamarent, Osanna filio Dauid? At qui hæc eorum quamlibet imperitorum, pietas adeò Christo nõ ingrata accidit, adeò non est aspernatus, nõ intelligentium laudem, vt cùm Principes Sacerdotum & Scribæ indignati dixissent, Audis quid isti dicunt? non obscurè tulerit se laude illorum delectari, ac iampridem à Propheta fuisse prædictum admonuerit: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, qui vel solus scripturæ locus docere nos potest, non quòd ab eorum supercilio proficiscitur, qui sibi nihil nõ arrogãt, sed infantium & lactentium laudem gratam esse Deo, experientia magistra didicimus, quid fructus ea res attulerit, quòd in plerisq; locis officia diuina, in linguam vernaculã id verbum translata decantentur. Tantùm abest, vt accesserit ad pietatem aliquid plus, vt etiam diminutum esse videatur: vt non temerè fuerit ac sit etiam nunc apud quosdam populos moribus receptum, vt qui priuatas ad Deum preces funderent non vernacula, sed Latina lingua tantùm, ipsam etiam Dominicã orationem & mares & fœminæ pronunciarẽt. HAR. Sed quis eius orationis fructus est, si quod vel precantem sacerdotem audis, vel quid precaris, ipse nõ intelligas? ARA. Pro me tibi respondebit vir totius orbis Christiani iudicio semper vnus omnium doctissimus habitus Origines Adamantius, cuius verba, nisi molestum est, proferam: tractat enim ea de re paulò pluribus. HAR. Tu verò profer quod ille dicit. ARA. Docet is non parum ex hoc ipso vtilitatis animæ conferri, quod verba diuinarum scripturarum aures nostras licet obscura ingrediantur, penetrant. Si enim creditum est, inquit, à gentibus quòd quædam carmina, quas præcantationes appellant, quibus istud artis est, insusurrantes nominibus quibusdam compellatis, quæ ne illi quidem, qui inuocant norunt, ex solo vocis sono vel sopiantur serpentes, vel etiam de cauernis protrahantur abstrusi: sæpè etiam & in corporibus humanis, tumores aut alia eiusmodi vocesola reprimere dicuntur, interdum etiam animæ stuporem quendam sensus infligere, vbi tamen Christi non existeret fides : quantò magis totius precationis & carminis validiorem & potiorem dicendam credimus, quamcunq; illam scripturæ sanctæ vel sermonum, vel nominum appellationem ? Sicut enim apud infideles contrariæ virtutes audientes, illa vel illa nomina in carminibus & præcantationibus adsunt, & exhibent famulatum, & dant operam in hoc ad quod inuocari se ex illo vel illo nomine senserint, officij sui rem quodammodo ac ministerij, cui se ipsos emancipauerint, dependentes, eò magis vtique cœlestes virtutes & Angeli Dei qui nobiscum sunt. Sicut & Dominus de paruulis Ecclesiæ dicit, quia Angeli eorum semper assistant in conspectu Domini videntes faciem eius. Libenter & gratè accipiunt, si semper verba scripturæ, & horum nominum appellationes, velut carmina quædam & præcantationes ex nostro ore promamus. Quia etsi nos non intelligimus quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur. Quod autem sunt, non solùm circa nos multæ diuinæ virtutes, sed etiam intra nos, indicat Propheta, cùm dicit in Psalmo: Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius, hoc est, omnia quæ intra me sunt. Constat ergo multas esse virtutes intra nos, quibus vel animarum nostrarum cura vel corporum permissa est : quæ vtique si sanctæ scripturæ leguntur à nobis, delectantur & validiores erga nostri diligentiam fiunt, si linguis loquamur & spiritus noster orer, sensus autem noster sine fructu sit. Dixit enim & hoc sanctus Apostolus, & mirum quodammodo mysterium humanis auribus protulit, dicens, aliquando fieri posse, vt spiritus qui in nobis est oret, & sensus noster sine fructu sit. Intellige ergo ex hoc quia sic aliquando noster quidem sensus sine fructu, spiritus autem, id est, virtutes illæ quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt, pascuntur & reficiuntur ex auditu scripturæ sanctæ, velut ex diuinis & rationabilibus cibis. Quid dico, quia diuinæ virtutes pascuntur & epulantur in nobis? Si nos verba diuinæ scripturæ proferamus ex ore, ipse Dominus noster Iesus Christus, si nos inueniat ijs vacantes, non solùm pasci & refici dignatur in nobis : verumetiam si has epulas apud nos viderit apparatas, patrẽ secum dignatur adducere. Ego, & pater, inquit, veniemus & cœnabimus apud eum. Sed sicut ex huiusmodi meditationibus diuinarum erga nos virtutum officia & consortia prouocamus, ita & econtrario malignarum virtutum insidias & pessimorum dæmonum incursiones ex huiusmodi sermonũ appellationibus effugamus. Verbi gratia, vt si quis nostrum aliquando perspexit præcantationibus sopitum serpentem portari in manibus, vel protrahi de cauernis, nihil valẽtem nocere venenis, vtpotè incanta tionis virtute torpentibus, ita etiam lectionis diuinæ virtute, si quis intra nos est contrariæ potestatis serpens, si quis ad insidiandum coluber latet, si patienter feras, si non tædio fatiga tus, auertas auditum scripturæ, canonibus, & diuini sermonis assiduitate depellitur. Si ergo vides, ô auditor, aliquãdo legi scripturam in auribus tuis, quam non intelligis, & sensus eius tibi videtur obscurus, interim hanc primam suscepisse vtilitatem, q̃ solo auditu velut præcantatione quadam noxiarum virtutum quæ te obsident, & quæ tibi insidiantur, virtus depellitur & fugatur, obserua tantùm ne efficiaris sicut aspides surdæ & obturantes aures suas, ne audiant voces incantationis & veneficij. quo incantantur à sapiente. Hæc autem ideirco diximus, ne fastidium capiamus, audientes scripturas, etiamsi non intelligimus. Sed fiat

*Ex diuinis officijs vernacule decantatis, plus diminutum pietatis, quàm accesserit.*

*Origen. Hom. 20. in Iosue. Animaduerte hæc diligentius.*

*Contrariæ virtutes hoc est, dæmones, carminibus & præcantationibus pauent.*

*Virtutes cœlestes eorum nominum appellatione delectantur.*

*Multæ virtutes intra nos nostri curã habentes.*

*2. Cor. 14. Sensus noster aliquando inter orandum est sine fructu, spiritus autem patitur ex auditu diuinæ scripturæ.*

*Matth. 21.*

*Iohan. 14.*

*Aspides surdæ & obturantes aures suas, dicimus hæc tici.*

*Psal. 37.*

*2. Tim. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nobis secundum fidem, credentibus: quia omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est. Si ergo diuinitus inspirata est, & vtilis, etiamsi non sentiamus credere tamen debemus quia vtilis est. Solent medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potũ dare. (Verbi gratia) ad discutiendum caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo vel in potando sentimus, qui vtile est & prodest oculis, sed cum tranfierit visum cibi illius & poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tũ demùm sentire incipimus, quia cibus ille & potus profuit oculis: hoc ergo modo credendum est etiam de scriptura sancta, quia vtilis est & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam & bonæ virtutes q̃ nobis adsunt, reficiuntur, & contrariæ torpescunt his meditationibus, & effugantur: Hasterenus Origenes. Vides autem Harpage, quemadmodum ille & rationibus & appositis quibusdam similitudinibus etiam non intellecta scripturarum verba prodesse, vel promentibus ea, vel audiẽtibus, planum facit? Idq; ex eo ipso Pauli capite prolato testimonio, quod tu pro tua sententia confirmanda citasti. Sed audi quæso: Si non promendæ sunt vel non audiendæ precationes, nisi quas intelligas, quid ex eo consequetur aliud, q̃ nullum fore in Ecclesia Dei Psalmorum vsum, quos Dauid cõscripsit? quorumquemq; enim reperies, etiam ex doctiori bus, qui sententiam eorum assequatur quacunq; tandem lingua promantur? Deinde verò qua nos alia precandi formula magis vti fas est, nisi quàm nobis Christus ipse præscripsit, q̃ propter hãc etiam causam oratio dominica vocatur? Habemus eam in linguam vernaculã conuersam, q̃ multos autem inueniri putas, qui vel tertium illius verbum, saltem, ad literã intelligant? certè ex imperita multitudine vix centesimum quemq; (vt interim de sensu taceam, quem nei j quidem assequuntur omnes, qui sibi cati præ cæteris esse videntur.) Apud Russos, neq; Græcæ, neq; Latinæ linguæ in sacris vsus est. Nunquid autem quæ pronunciat Sacerdos, è populo quiuis intelligit? Pleraq; ne Sacerdotes quidem ipsi. Nemo tamen apud eos quiritatur officia diuina lingua non intellecta decantari. Sexcẽti iam & amplius anni terce sserunt, cùm Cirulus & Methodius à sede Apostolica impetrauerunt, vt eis rem diuinam facientibus, lingua Sclauorum vti liceret. Ac ne nunc quidem fortasse desunt, qui meminisse queant, etiam in templo sanctæ crucis, quod in Clepardia est, Sclauorum lingua Sacerdotes sacris operantes vsos fuisse. Sed verisimile est quòd plures fuerint qui Latinam, q̃ qui Sclauorum linguam intelligerent. Itaq; cùm eam ob rem, tum alijs ex causis factum est, vt ea lingua rem diuinam facientes, vti desinerent. Constat autem in Morauorum gratiam id potissimum impetrasse Cirulum & Methodium, quòd ea gens ipsis auctoribus in Christum credere cœpisset. Sed nec apud Morauos, quorum tamen lingua propiùs ad Sclauoni dialecton accedit, nec apud nos diu mos ille durauit, quòd plus adferre detrimenti q̃ emolumenti visus est. Quamobrem & apud Morauos etiam illos qui Catholicæ sunt communionis, eadem qua apud nos, hoc est, Latina lingua rem diuinam facientes vtuntur. Ac vix est vlla lingua sub Sole, quæ latiùs q̃ nostra pateat, cùm plus etiam q̃ quartam Europæ partẽ complecti videatur. Hac enim vtuntur & Boëmi, & Moraui, & Cassubi, & Russi, & Moschi, & vnde nos originem duxisse putamus, Sclauij, Suetij, Dalmatæ, & Boznenses, Croatæ, Bulgari, Rasciani, Serbi: & aliæ gentes nonnullæ. Cæterùm sic inter se nationes hæ dialectis variant, vt minùs etiam Sclauum, aut Dalmatam Polonus intelligat, q̃ Hollandum aut Burgundum, Sueuus aut Heluetius. Quamlibet autem nos ipsos amemus, tamen illud fateamur necesse est: Sclauorum aut Dalmatarum linguam esse multò elegantiorem q̃ sit nostra, ita, vt si precationes & sacras lectiones in vernaculam transferri linguam oporteret, in eam potiũ mum transferendæ sint à qua nostra duxit originem, quæ præstat etiam cæteris elegantia, Cùm præsertim Dalmatica lingua sacros libros Hieronymum vertisse constet, vt in eius vsu minùs esse periculi videatur. Cùm autem & illud manifestum sit, quòd in diuinis officijs vsus illius aliquando fuerit, quis est qui dubitare queat, non sine causa eum non apud nos ma gis q̃ apud ipsos etiam Boëmos & Morauos, qui modò Catholici sunt, intermissum fuisse? HAR. Quid autem impediret, quò minùs sua quæq; gens dialecto vteretur in eiusmodi sacris lectionibus & precationibus conuertendis? ARA. Atqui hoc nec Russi faciunt, quos ãta constat esse religione in diuinis officijs ea dialecto peragendis, quam à maioribus suis traditam acceperunt, vt si quid ab illa variarent, grandi se piaculo obstrictos iri persuasum haberent. Nunc tu vide Harpage, dum nimiò plus de eo solicitus es, vt omnes omnia intelligant, si fortè concessum tibi sit quod optas, ne, qui capiti mederi potissimum debebas, non sine magno capitis discrimine reduuiam tantùm curare videaris. Caput enim est, vt verum diuinarum scripturarum sensum retineamus, quod ita multis & varijs translationibus vix rectè prouideri poterit. Quis enim præstabit, si sua quæq; gens dialecto sacras precationes & lectiones versas habuerit, nullus vt error in vertendo committatur? Atqui nusquam erratur, q̃ in hac parte periculosius, & est vsu compertum, versiones istas literarum sanctarum in linguam gentis alicuius vernaculam, multa m Ecclesiæ Dei incommodi attulisse. Nam præter q̃ quòd ista omnium omnia intelligẽdi, ac plus q̃ oportet sapiendi nimia quædam audacia fuerit, qua scripturas omnes canonicas noui Testamenti, præter vnum Matthæi Euangelium, traditas nobis esse non ignoramus, ita vt à Græcis ad Latinos Christiana fides propagata fuerit. Quin & illud iam docuimus trecentis annis ante decretum hoc latum, Sclauis permissum fuisse, vernacula sua lingua rem diuinam facere. Quòd autem ex quo tempore Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, cæteræq; prouinciæ Christi fidem receperunt, fuerit vnq̃ apud has, vel alias occidentis aut septentrionis Ecclesias in diuinis officijs vernaculæ linguæ vsus, à quo q̃ doceri posse non puto. Hoc igitur constitutũ est in Concilio Lateranẽsi, vt ne ciuitas aut diœcesis vna duos Episcopos habeat, sed vnum tantùm, qui secundum diuersitates rituum & linguarum prouideat de viris idoneis vnicuique populo. Verbi gratia

*Si non promendæ sunt precationes, nisi quas intelligas, quid queretur in ecclesia Dei psalmorum vsum fore inutilem. Matth. 6.*

*Lingua Cirili & Methodii.*

*Multis de causis apud plerosque effectum, vt vernacula lingua sacra fierẽt.*

*Nationes septentrionales quæ lingua Polonica vtuntur.*

*D. Hieronymus sacros libros in linguam Dalmaticã vertit.*

*Quare fit orandum potius lingua Latina quàm vernacula.*

*Gen. 3.*

*M. Lutheri errores plusquam sexcenti à Catholicis animaduersi in sacris biblijs vertendis.*

*1. Cor. 14.*

*Mulierum nostri temporis audacia simul & arrogantia impudentiaq;.*

*1. Cor. 15.*



sit habiturus, cùm ne viris quidem per vxores Catholicis esse liceat, & sæpè quòd vult vxor credere maritus cogatur. Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores, dicit Apostolus? nunc hæc scripturarum prophanatio verius quàm translatio, non solum Zonarios, Baiulos, Pistores, Sartores, Sutores. Verumetiam Zonarias, Baiulas, Pistrices, Sartrices, Sutrices, fecit nobis Apostolas, Prophetissas, Doctrices & omnem propemodum ordinem ex Ecclesia Dei sustulit, vt Hierusalem loco, quæ ædificatur vt ciuitas, cui⁹ participatio in idipsum, Babylonẽ quandã extructã, videre liceat, in qua rerum omniũ horrenda quædam est confusio. Hunc fructum & apud finitimos, & apud nos quibusdam in locis videmus nũc & ingemiscimus, ex hac diuinarum scripturarum in vernaculam linguam versione. Quin audire etiam quosdam licet dicentes: Ego ipse pastor esse animæ meæ, & eius curam gererete neor, si quid erratum à me fuerit, Episcopus pro me supplicium gehennæ non luet. Est ne autem hoc illi Dei verbo consentaneum? Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autẽ eius de manu tua requiram. Aut illi quod per Paulum locutus est, obedite Præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Comminatur Dei spiritus per Prophetam, quòd de speculatoris, hoc est, Episcopi manibus animam sit illius requisiturus, quem à via sua impia non fuerit auertere conatus. Loquitur idem per Paulum, quòd Præpositi siue Episcopi peruigilant, quasi rationem pro animabus sibi commissis reddituri, Et isti quoniam legerunt aliquid ex veteri aut nouo testamento, p Lutherum aut Zuinglium in vernaculam linguam verso, negant Dei vocem, se requisiturum sanguinem populi de manibus Prælatorum, eosq; de sibi commissis animabus rationem reddituros dicentis: Ipsi sibi Doctores, ipsi suarum animarum Episcopi sunt, & Pastores ipsi ligant, ipsi soluunt conscientias suas arbitratu suo, ipsi sibi non Episcopi modò, verùm & Papæ sunt & concilia, neque viri magis, quàm fœminæ, quarum petulantia minùs etiam est ferenda. Sic transferendis in vernaculam linguam sacris biblijs effectum est, vt omnis ex Ecclesia sublatus ordo iam esse videatur. Non temerè autem dictum est ab eo, quem propter singularem diuinarum scripturarum peritiam Theologum Græci vocant, quòd non omnium est de Deo, deq; rebus diuinis differere, quodq; neq; omni loco, neque omnibus, neque omnia sunt propalanda. Ignorare pleraque satius est, inquit Tertullianus, ne quid quod non debeas, noris: quia quod debeas, nosti, Quem sequutus Hilarius. Habet, inquit, non tam veniam, quàm præmium ignorare quod credas: quia maximum fidei stipendium est sperare quæ nescias. Et æqualis Tertulliani Clemens Alexandrinus: Fides, inquit, non sapientum secundum mundum, sed eorum qui secundum Deum sunt sapientes, est possessio: illa autem etiam absque literis discitur, eius autem scriptum, quod & ad rudes, ignaros q; homines pertinet, & est diuinum, vocatur charitas, quæ est decretum spirituale. Vides quemadmodum etiam absque literis discitur, eius autem scriptum, quod etiam diuinum appellat, vocari dicit charitatem? Ex eo discere licet, non in eo quantum intelligas, sed in eo quãtum credas, & credendo ames, permultum esse positum: cùm certum sit, etiam si pleraque non assequantur, in fide maiorum suorum saluos fieri minores. Nulla itaque est huius rei necessitas, vt officia diuina vernacula lingua celebrentur: cùm præsertim qui sibi nouandi omnia licentiam potius, quàm auctoritatem arrogarunt, apud eos non eund em hac in re morem obseruari videamus, apud quos quot ciuitates, tot dissentire licet rituum diuersitates. Nam alibi vernacula lingua cantantur omnia, Latina nihil. Alibi Macaroneam quandam videre licet, dum Germanicis Latina miscentur. Neque desunt qui prorsus reijciunt oẽm cantũ ecclesiasticum. In hac igitur istorũ varietate, qui rerum nouandarum cupidi segregauerunt seipsos ab Ecclesia Dei, etiam si quid mutare nobis propositum esset, nónne satius fecerimus, vt dum inter ipsos prius conueniat experiamur, quorum sibi plerique vestigia persequenda putant? HAR. Atqui in Lateranensi Concilio cum decretum fuit, vt sua cuique genti lingua, diuina officia celebrentur, qui fit, quòd huic tam salubri decreto non paretur? ARAT. Quid si quod in Lateranensi Concilio Decretum est, tu non intelligis? verba Decreti sunt: Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diœcesim, permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus, vt pontifices huiusmodi ciuitatum siue diœcesẽon sibi prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitatem linguarum & rituum diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exẽmplo. Prohibemus autem omninò, ne vna eademq; ciuitas seu diœcesis diuersos pontifices habeat. Quæso te, nunquid sanctum hic aliquid est de Græca lingua multò antè quàm Latina, diuina officia in orientali præsertim Ecclesia peragi cœpta fuerint, qua scripturas omnes canonicas noui Testamenti, præter vnum Matthæi Euangelium, traditas nobis esse non ignoramus, ita vt à Græcis ad Latinos Christiana fides propagata fuerit. Quin & illud iam docuimus trecentis annis ante decretum hoc latum, Sclauis permissum fuisse, vernacula sua lingua rem diuinam facere. Quòd autem ex quo tempore Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, cæteræq; prouinciæ Christi fidem receperunt, fuerit vnq̃ apud has, vel alias occidentis aut septentrionis Ecclesias in diuinis officijs vernaculæ linguæ vsus, à quo q̃ doceri posse non puto. Hoc igitur constitutũ est in Concilio Lateranẽsi, vt ne ciuitas aut diœcesis vna duos Episcopos habeat, sed vnum tantùm, qui secundum diuersitates rituum & linguarum prouideat de viris idoneis vnicuique populo. Verbi gratia

*Quid nobis attulit scripturarum in vulgarem linguam translatio, ne dicã prophanatio.*

*Psal. 121.*

*Ezech. 3.*

*Pastores Ecclesiæ tum prosę, tum pro ouibus sibi concreditis reddere Deo rationem tenentur.*

*Hebr. 13.*

*Omnis ex Ecclesia sublatus ordo tam propemodum esse videatur.*

*Lib. 1. Theologico.*

*Tertullianus.*

*Hilarius.*

*Clemens.*

*Absque literis fides discitur.*

*In fide maiorum salui fiũt minores.*

*Vide quæso omnium rerum Germanæ confusionis descriptionem.*

*Interpretatio Concilij Lateranensis, quo decernitur vt vnaquæque gens sua lingua diuina officia celebret.*

*A Græcis ad Latinos Christiana fides propagata.*

*Vna ciuitas aut diœcesis, duos Episcopos habere non debet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tia: Venetijs, quæ est ampla & copiosa ciuitas, ac orbis totius Christiani florentissimum emporium, sunt varij ritus, variæ linguæ, mores quoque diuersi. Sunt Græci & hi quidem Catholici (nam & inter Græcos, Catholicos adhuc reperire licet) qui suo ritu ac lingua: sunt Sclaui, qui sua: sunt reliqui populi occidentales, qui Latina lingua, rem diuinam facientes, in templis vtuntur. Decretum igitur est in Concilio Lateranensi, vt quocunque ritu ac lingua celebrata fuerint officia diuina, ne quisquam ad ea se ingerat, cui non fuerit ab Episcopo ciuitatis aut diœcesis prouisum. Vt autem Sacerdotibus rem diuinam facientibus, præterquam vbi vetus iam obtinuit consuetudo, vernacula vti cuiusque gentis lingua liceat, de eo verbum extat nullum. HAR. Nónne verba decreti sunt vt prouideant pontifices virosidoneos, qui secundum diuersitatem linguarum & rituum diuersorum populorum diuina illis officia celebrent? quid autem aliud his verbis, quàm illud sancitum esse videtur, vt sua cuique genti patria lingua diuina officia celebrarentur? ARA. Erras Harpage. Non ea fuit mens patrum, qui fuerunt in Concilio Lateranensi congregati. Nam si hoc illi sensissent, quod tu vis, iam inde à trecentis & quinquaginta annis (sub hoc enim tempus Concilium illud est habitum) & in Germania, & in Anglia, Vngaria, Polonia, Boemia, Dania, Scotia, Suetia, Noruegia, & in reliquis omnibus orbis Christiani regnis, vsus latinæ linguæ in diuinis officijs intermissus vel potiùs abolitus prorsus fuisset: quem tamen citra cuiusquam interpellationem sicut ab initio, ex quo tempore Christi fides in ijs terris recepta est, ita post Concilium hoc Lateranense retentum, & ad nostram hanc ætatem vsque transmissum ac propagatum esse videmus. Sed si quis temporum rationem diligenter expendat, facilè quæ causa fuerit huius decreti ferendi cognoscet: qua cognita quæ fuerit in eo ferendo patrum intentio, planum fiet. Concilium cuius hoc decretum profertur, habitum fuit sub Innocentio tertio: quo tempore & Constantinopolitana, quæ dudum Græcorum imperio parebat, & Hierosolymitana ciuitas in Latinorum potestatem peruenerat. Itaque præsentes in eo tum Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchæ adferunt, quòd Græci tum ad obedientiam Apostolicæ sedis reuersi fuerant. Quorum mores ac ritus, quantum cum Deo possent sustinendos esse, patres decreuerunt. Quamobrem non erat vitium patribus, vt impedirent Græcos, quominus, quemadmodum sua lingua suo & ritu Latini, sic illi quoque (quamuis sub Latinorum potestatem redacti) sua & ipsi lingua, suo & ritu rem diuinam facientes, vterentur: sed hoc tantum vt constitueretur necessariũ esse putauerũt, ne propter diuersas linguas & ritus, duos aut plures Episcopos vna ciuitas aut diœcesis haberet. Nam capta per Latinos Constantinopoli, Francorum & Venetorum opera, sic inter Francos & Venetos conuenerat, vt si designatus esset ex Francis Imperator, Veneti darent Antistitem, ne penes vnam gentem vtraque esset dignitas. Ac designatus tum erat Imperator Balduinus Flandrensis Comes. Antistitem verò siue Patriarcham dederant Venetij Thomam Maurocenum. Neque dubium est, quin suæ quoque gentis, suis & ritus & linguæ Patriarcham Episcopum habere Græci cupiuerint, quibus vt sua lingua, suo & ritu vterentur, facilè concessum est. Duos autem vt haberet Episcopos vna ciuitas & diœcesis, concessum non est. HAR. Video te promptiorem ad omnia refellenda quæ per me adferuntur, quàm vt contradicere tibi queam. Sed obsecro te (quandoquidem hæc tria, quæ tanta contentione nunc expetuntur, inter ea multi numerant, etiam Catholici, quæ Græci vocant ἀδιαφορα, Latinè dicere licet indifferentia) est ne quod impediat quò minùs tantoperè flagitantibus concedi possit? ARA. Vtinam autem in flagitatores istos non rectè quadret illud quod à Christo dictum est, nescitis quid petatis. Verùm hac de re Concilij sententiam expectare præstiterit, cuius cognitionem, vt vnius alicuis aut hominis, aut etiam prouinciæ, aut regni, calculo anteuertat, ferendum esse non videtur. Non est nostrum Harpage, quid vnaquaque de re decernere debeat Oecumenico Concilio præscribere, sed quod ab illo præscriptum fuerit, ei parere nostrum est. Verùm interea tamen tenere me non possum, quin ex Augustini sæculo quidam Vrbicus, qui longè diuersa ratione peccaret. Is enim non modò non detractum aliquid de ieiuniorum diebus, verùm auctos illos potius cupiebat, nam cum quarta tantùm & sexta feria ieiunaretur per totum orbem Christianum, exceptis quadragesimæ diebus, ille quoniam Romæ & apud paucos Occidentales non pranderi Sabbatis videbat, damnabat omnes quicunque Sabbatis à prandio non abstinuissent. Quo nomine quidem appellari Christianorum, quo Iudæorum Sacerdotes dignabantur. Ab Ioanne quoq; Chrysostomo grauiter eos reprehensos esse legimus, qui ieiunassent ijsdem diebus, quibus Iudæi solenniter ieiunabant. Sic in Ephesino Concilio, cùm Nestorius Christotocon non autem Theotocon esse Mariam virginem asseueraret, sub anathematis pœna fuisse legimus interdictum, ne quis eam Christotocon auderet appellare, non quòd hoc quoq; nomen illi rectè tribui non posset, sed quòd obuiandum errori Patres putauerunt, quò Nestorius purum hominem Christum, non autem Deum & hominem Mariam peperisse contendebat. Ac quiritabatur Nestorius contra verbum Dei veniri, q̃ matrem Iesu vocari Mariã legamus in Euangelio, matrem Dei vocari nusquã in scripturis reperiatur. Obtinuit nihilominùs Concilij Decretum, adeò vt nunc etiam vix vlla sit vernacula gentis cuiusq; lingua, quæ modò Christo nomẽ dederit, qua Maria non Dei potiùs, quam Christi mater vocetur. Sic in Toletano quoq; quarto Concilio propter vitandum schismatis scandalum vel hæretici dogmatis vsum, decretum est, vt simplex teneretur baptismi mersio: ne viderentur qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem: quod qui dem auctoritate Gregorij Magni factũ est. Vides igitur, quid in eiusmodi ritibus Patres nostri sequuti potissimùm fuerint, duo nimirum. Vnum, vt ne quid Christiani vel cum Iudæis vel cum hæreticis commune haberent: Alterum, quod à sanctissimo Leone scriptum est, nõ aliter vnus grex & vnus pastor esse possumus, nisi (quod iterum atq; iterũ monet Apostolus)

*Quo tempore habitum est Concilium Lateranense.*

*Concilium Lateranense habitum fuit sub Innocentio 3.*

*Adiaphora seu indifferentia. Matth. 20.*

*Concilijs parendũ, non eis quæ præscribendum.*

*Aug. Epist. 86. ad Casulanum.*

*Hæretici schismatici maledictis & probris Ecclesiam Dei incessant.*



tatis, aut impietatis omnes condemnare? qui non viderint clara scripturæ verba, Bibere omnes ex calice iubentis, prohibere nubere, doctrinam esse dæmoniorum affirmantis, linguis, quibus intelligi possint, loqui, aut orare præcipientis? aut si viderũt, eò sunt impietatis prolapsi, vt ea contra suam ipsorum conscientiam interpretati fuco imperitioribus facto, contra tam aperta & manifesta Dei verba venire non dubitauerint? Non putauit Vrbico concedendum Augustinus in re multò minore. Quid enim in eo momenti est, prandeatur Sabbato nécne, cum alicubi pransum, alicubi non pransum, vtrobique rectè fuerit, & nunc vbique non prandeatur modò, verùm & cœnetur, exceptis quadragesimæ, vigiliarum, & quatuor temporum diebus? Nam qua de re nihil certi statuerat diuina scriptura, nec Ecclesiæ (quam illa præcipit audiendam) decretum vllum intercesserat, in ea suo quemque sensu voluit abundare, & ad quamcunque venisset Ecclesiam, eius morem obseruare, ne vel pateretur scandalum, vel faceret. Si in re tam leui, nihil esse concedendum Vrbico putauit Augustinus, quid eum, si nunc viueret, facturum fuisse putas, si qui sunt ex imperita multitudine, eos tanto studio contendentes audiret, vt qui tot seculis in Ecclesia Dei recepti sunt ritus, ac plenariorum Conciliorum auctoritate confirmati, nulla legitima ex causa nunc tandem in vna aliqua prouincia seorsum ab orbe reliquo Christiano abrogentur? Qui si bono tamen animo, bonoque consilio peterent, sicut Cyrillum & Methodium aliquando fecisse scimus, fortasse non indigni videri possint qui audirentur. Nunc autem cùm præclarè moneat Athanasius, id quod pietas etiam suadet, vt benè de Patribus illis sentiamus, à quibus rectè viuendi instituta & pietatis doctrinam accepimus, nisi nos adulterinos esse filios declarare velimus, isti non aliam ob causam, hæc petere videntur, quàm vt Patres quondam suos, quos nos etiam nunc Patres esse nostros agnoscimus, ac deinceps etiam sempер agnoscemus, iam inde à sexcentis propè annis, aut cæcos aut impios fuisse planum omnibus facere queant: atque hunc sibi quasi gradum atque aditum faciant, ad reliqua sua impia dogmata propaganda. Qui enim sunt qui tantopere ista flagitant? nunquid non multò maxima ex parte aut Lutherani omnes aut Zuingliani siue Caluiniani quos vocant Sacramentarios, aut Picardi, aut Seruetiani siue noui Arriani, qui solum Deum Patrem, & neminem alium adorandum, & inuocandum esse contendunt, quòd ille tanquam solus Deus vider corda nostra, quod nulla creatura facere potest? Et est præceptum veteris legis, vt qui adorauerit alium quempiam præter Deum solum, occidatur: ad quem Deum intercessorem, mediatorem & procuratorem alium habemus nullum, quàm solum Dominum Iesum Christum. Quasi verò non æquè sit ipse Deus atq; Pater, & non æquè sit adorandus & inuocandus atque Pater. Tales itaque cùm sint qui sibi concedi ista postulant, quid aliud eos importuna sua petitione quærere verisimile est, quàm à Christi corpore ab vna sancta Catholica Apostolica Ecclesia, separationem? Intelligit Sathanas concordiam simul iunctam omninò vinci non posse. Itaque sicut lupus ouem à grege secernere: sicut accipiter columbam ab agmine volantium separare conatur: sic ille cùm sibi non esse satis virium aduersus omnes perspiciat, solitudinem quærit circumuenire singulorum, atque hoc maximè laborat, vt quos potest à reliquo Christi corpore segreget, quo sic segregatos magis habeat suis insidijs opportunos. Hanc itaque segregationem summo semper studio sibi cauendam esse, Patres omnes Catholici & Orthodoxi putauerunt, inter quos Augustinus adeò nulla in re communicandum esse dixit cum ijs qui segregauerunt semetipsos, vt ne magna quidem exigente necessitate, ieiunandum esse die Dominico censeret. Non quod ieiunando peccare quempiam existimaret: sed posteàquam hæretici impijssimi Manichæi die Dominico, non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi sacra solennitate statuta dogmatizare cœperunt, & innotuerunt populis Christianis, grãde nefas arbitratus est, aliquid commune cum hæreticis habere. Sic Apostolorum auctoritate, ne communicare cum Iudæis Christiani viderentur, Sabbati loco Dominicus dies, vt sanctificaretur, sancitum est, cùm tamen scriptura dicat: Sabbata sanctifices, non diem Dominicum. Sic eorundem auctoritate constitutum est eadem ex causa: Si quis ante Vernale æquinoctium sanctum Paschæ diem cum Iudæis celebraret, Episcopus, aut Presbyter, vt abijceretur. Quin & illud obseruatum est, quandiu durabat Sacerdotium Iudæorum, vt qui ministri reconciliationis Apostolorum temporibus fungebantur, non Sacerdotes, verùm Presbyteri vocarentur. Adeò ne nomine quidem appellari Christianorum, quo Iudæorum Sacerdotes dignabantur. Ab Ioanne quoq; Chrysostomo grauiter eos reprehensos esse legimus, qui ieiunassent ijsdem diebus, quibus Iudæi solenniter ieiunabant. Sic in Ephesino Concilio, cùm Nestorius Christotocon non autem Theotocon esse Mariam virginem asseueraret, sub anathematis pœna fuisse legimus interdictum, ne quis eam Christotocon auderet appellare, non quòd hoc quoq; nomen illi rectè tribui non posset, sed quòd obuiandum errori Patres putauerunt, quò Nestorius purum hominem Christum, non autem Deum & hominem Mariam peperisse contendebat. Ac quiritabatur Nestorius contra verbum Dei veniri, q̃ matrem Iesu vocari Mariã legamus in Euangelio, matrem Dei vocari nusquã in scripturis reperiatur. Obtinuit nihilominùs Concilij Decretum, adeò vt nunc etiam vix vlla sit vernacula gentis cuiusq; lingua, quæ modò Christo nomẽ dederit, qua Maria non Dei potiùs, quam Christi mater vocetur. Sic in Toletano quoq; quarto Concilio propter vitandum schismatis scandalum vel hæretici dogmatis vsum, decretum est, vt simplex teneretur baptismi mersio: ne viderentur qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem: quod qui dem auctoritate Gregorij Magni factũ est. Vides igitur, quid in eiusmodi ritibus Patres nostri sequuti potissimùm fuerint, duo nimirum. Vnum, vt ne quid Christiani vel cum Iudæis vel cum hæreticis commune haberent: Alterum, quod à sanctissimo Leone scriptum est, nõ aliter vnus grex & vnus pastor esse possumus, nisi (quod iterum atq; iterũ monet Apostolus)

*In eo quod diuina scriptura non præscripsit, nec Ecclesia Dei quisque suo sensu abundare potest.*

*Prisci ritus Ecclesiæ non abrogandi.*

*Athanasius.*

*Patres nostri semper agnoscendi.*

*Qui sint illi, qui vnius sacrum accelebrandi officia, lingua vernacula celebrari. Deu. 30.*

*Venusta similitudo luporum & accipitris ad Sathanam & eius ministros.*

*Segregatio ab Ecclesia valde cauenda. Aug. epist. 86.*

*Ad Cassidanum. Manichæi impijssimi hæretici.*

*Nihil commune cum hæreticis habendum. Exod. 20. Can. 8.*

*Ministri reconciliationis presbyteri, non Sacerdotes ad Apostoli vocati.*

*Mariam non Christotocos, sed Theotocos, id est, Dei genitrix, iussu appellari in Concil. Ephesino. Matt. 1. Luc. 2.*

*Can. 5.*

*Greg. lib. 1. epi. 41. in Registro.*

*Leo Papa, epi. 4. cap. 2.*

idipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca



*1. Cor. 1. epist. 41.* idipsum dicamus omnes: Nisi perfecti simus in eodem sensu & in eadem sententia: nisi ritus

*Duæ causæ quare hæretici veteris ritus mutari cupiunt.* etiã eosdẽ obseruemus. Nunc isti propter duas contrarias causas veteres ritus mutatos cupi

*Can. 6.* unt. Primùm, vt cum hæreticis potiùs q̃ cum sanctis Patribus nostris Catholicis & Ortho-

doxis communicare videamur: deinde vt nos ab orbe reliquo Christiano diuidamus. Te-

ribilis est Satanæ castrorum hæc acies ordinata. Quamobrem nihil aliud contendit magi

& elaborat q̃ vt rumpat ordines, vt segreget, vt diuidat: quòd simul vt perfecerit, iam opta-

tam erit victoriam consequutus. Atqui conatibus hisce Satanæ fideles oẽs omni ope resiste-

re oportet. Nam vt nihil sit in ipsis rebus, quæ petuntur mali, tamen in separatione tantũ est

*Nihil pernicioſius quam ſeparationis principium.* mali, nihil vt fieri possit pernicio sius, cùm principium separationi, q̃ finem reperire multò

sit faciliùs. Deinde verò nullum est crimen quod multis modis ab hoc vno crimine non su-

peretur. Itaq; res est non admiratione magis q̃ commiseratione digna, q̃ audire quosdã licet

*Peruerſa hæreticorum religio & conſcientia. Ioan 19.* dicentes, religione quadã, vel (vt magis trito verbo vtamur) conscientia sua prohiberi, quò

minùs à calice sibi temperent, aut altera tantùm specie contenti sint. Nunquid non hæc per-

uersa quædam est religio, siue conscientia? Nunquid non illi Iudæorum simillima, quibus re

ligio fuit in prætorium ingredi ne contaminarentur: cæterùm Christum illudẽdum, flagel

*Actor. 20.* landum, crucifigendum tradere, nulla fuit religio. Ad eundem modum isti quoq; conscien-

*Pie exhortationes. Matt. 23.* tia premi se dicunt, si à calice abstineant. Si verò corpus Christi mysticum lanient, pro quo

corpus ille suum viuum & verum in mortem tradidit: si sanctam Ecclesiam Catholicam la-

cerent, quam Christus acquisiuit sanguine suo, si multas in partes eam dissecẽt, nulla religio

ne tanguntur, nullo conscientiæ scrupulo præmuntur. Tu verò Harpage, si sapis, ab eiusmo

di peruersa religione tibi diligenter cauebis, ne tu quoq; numerari queas inter eos, de qui-

bus scriptum est: excolantes culicem, camelum autem glutientes. Nulla autem in re maiori

tangaris religione, nec vnq̃ te magis tua grauet conscientia, q̃ cùm discessionem, cùm separa

tionem, cùm præcisionem à Christi corpore tibi sit aliquis persuadere conatus, tum verò di

cito religione prohiberi, conscientiam tibi tuam non permittere, vt quod certò persuasum

*Extra Eccleſiam non eſt ſalus.* est, post habeas: & quemadmodum olim qui fuerunt extra Arcam Noë, regnante diluuio pe

rierunt, sic extra Catholicam Ecclesiam saluum esse posse neminem. Quamobrem intra hu

ius te septa contineto, quem sensum & consensum illius esse vides, ab eo temerè ne discedi-

*Nihil aliud credendum, quam quod credit Eccleſia.* to, Quamlibet vociferetur per membra sua Satanas: Scriptum est enim. Tu qui non es ex do

ctis imorum numero, nihil aliud ei clara voce respõdeas, q̃ credo sanctam Ecclesiam Catho

licam. Sicut ab illa doctus sum, credo, quam scripturam adfert, eam Canonicam, eam diuini

*Epilogus.* tùs inspiratam, eam esse tanq̃ Dei verbum recipiendam, sed nõ alio sensu, q̃ quem illa me do-

cuit, hanc ipsam scripturam verbum esse Dei credo, & tanq̃ Dei verbum recipio. Si quis au-

*Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 35.* tem contrarium sensum adferat, eum tanq̃ à malo spiritu profectũ repudio. Ad hunc modũ

si egeris Harpage, nõ errabis, nec de regia via deflectes vnq̃. Quoniã verò iã aduesperascit, ta

*Charitas ſcripturarum ſcopus.* tisq; multa verba de rebus ijs fecisse videmur, de quibus sermo nobis fuerat instituendus, finẽ

iam dicendi faciam, si priùs ex Augustino paucis admonuero, quid ille maximè sequendũ,

in scripturarum interpretatione censeat. Docet is summam & scopum scripturæ totius,

nihil aliud esse q̃ charitatem, Quisquis igitur (inquit) scripturas diuinas, vel quamlibet earũ

partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu, non ædificet istam geminam charitatẽ,

Dei & proximi, nondum intellexit. Qui verò talem inde sententiam duxerit, vt huic ædifi-

*Actor. 4.* candæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse proba-

tur: (quandoquidem ea sententia fallitur, quæ ædificat charitatem, quæ finis præcepti est)

nõ pernicioso fallitur, nec omninò mentitur. Sed ita fallitur, ac si quis q̃ errore deserens viã,

eò tñ pagrũ pergat, quò etiã via illa perducit. Ex ijs Augustini verbis illud discimus ita demũ

à nobis rectè scripturas intelligi, si intellectu nostro charitatem ædificemus, ad quam quo-

ties intellectum nostrum referimus, etiamsi non omni ex parte sensum scriptoris assequa-

mur, ad scopum tamen illum quem scriptura vult, peruenimus. Sed qui fieri potest, vt cha-

*Ezech. 13.* ritatem ædificet, qui separationis, qui diuisionis, qui schismatis auctor est? quum nullum sit

signum charitatis euidentius, q̃ vnanimitas, q̃ multitudinis credentium cor vnum & anima

vna. Quamobrem hanc Augustini regulam Harpage sequamur, sic enim facilè cauebimus

ne vnquam periculosè fallamur, néve à scopo, quem scriptura sibi propositũ habet, ab erre-

mus. HAR. Tu verò mihi iam persuasisse propemodum videris, atq; in tuam me sententiã

pertraxisse. ARA. Persuasissem proculdubio, nisi Harpagus esses: Verùm Harpago, ne, si per-

suasum quidem fuerit, persuaderi potest. HAR. Semestre spatium ad deliberandum

dari mihi peto. ARA. Nulla opus est deliberatione. Sed ego tamen in-

tereà Deum precabor, vt auferat abs te cor lapideum, &

det tibi cor carneum, quò facilius doctrinam

sanam recipere queas.

FINIS.

RE-



# REVERENDISS. D. DOMINI STANISLAI HOSII CARDINALIS VARMIENSIS EPISCOPI, IN CONCILIO TRIDENT. PRAESIDIS Iudicium & censura.

## *De Iudicio & censura ministrorum Tigurinorum & Heidelbergensium, de dogmate contra adorandam Trinitatem in Polonia nuper sparso.*

*Controuerſijs Theologicis facilè dirimendis coopertantia.*

LEGI Iudicium & censuram vestram, Heidelbergenses Tigurinique ministri, de dogmate contra adorandam Trinitatem per quosdam turbulentos in Patria mea nuper sparso. Quam vellem vt sicut hoc, sic alia pleraq; omnia scripsissetis. Vtinam in cæteris quoq; dogmatibus, de quibus hac ætate nostra conuertitur, dijudicandis, eadem vsi norma fuissetis, & aliquid Patribus, Vetustati, Concilijs, tribuendum esse putauissetis. Non videremus nunc Ecclesiam tot ita fœdis erroribus miserandùm in modum deformatam: nec tam grauibus eam tempestatibus & procellis iactari, atq; agitari cerneremus: nec aures nostræ tot blasphemijs tam horrendis personarent, non eorum tantùm, quos hac censura vestra percellitis, verùm & vestris, & aliorum vestri similium non paucorum. Neq; enim temerè quidam ex vestris quæritur licere nunc vnicuiq; monstrosa dogmata fingere: quando quidem res ad Anarchiam esse perducta videtur.

*Philippus Melanthon in præfatione in corpus doctrinæ ſuæ.*

Sed iam demùm intelligere videmini: quantò sit faciliùs initium discessionis ab Ecclesiæ Catholicæ consensu, quem vos Papatum vocatis, quàm finem inuenire. Si nos diceremus, quòd occasionem huic hæresi tam impuræ, quam nunc iustissimis rationibus oppugnatis, vos ipsi dederitis: quòd illius auctores vel propagatores potius vos ipsi fueritis, quòd in hoc extremæ barathrum impietatis illi sese, vobis ipsis vsi præceptoribus, & magistris præcipitarunt: proculdubio minus apud vos hæc assertio nostra pondus esset habitura. Cùm enim non à vestra magis parte, q̃ ab omni alia nefaria dissensione & sacrilega diuisione semper abhorruerimus: nec alia res vlla maiori nobis curæ fuerit, q̃ vt cum orbe terrarũ in Christi pace, in Ecclesiæ Catholicæ vnitate, in fraterna charitate, quem vos Papatum vocatis, permanere possemus, vsq; eò etiam vt si quis nos hac de causa Papistas appellare vellet, non solùm nihil nos eius appellationis puderet: verùmetiam cùm primis id amplum nobis ad laudem, & gloriam esse iudicaremus. Tales itaq; cùm nos esse profiteamur, & præ nobis ferimus: non immeritò hoc nostrum de vobis iudicium suspectum vobis esse posset. Nunc autem affirmat hoc de vobis minister, vel, si sic eum appellare magis libet, Symmistes quidam vester, quod q̃ maiorem vobis admirationem adferre possit: ille ipse, qui Iudicium hoc veterum de doctrina turbulentorum horum Cracouiæ typis excudendum curauit. Habuit is contra turbulentos istos in celebri quodã loco sermones aliquot, lingua vulgari, quos prælo statim traditos, in lucem prodire voluit. Et quoniam hic mos à multis obseruatur: vt in prima pagina scripturæ locum aliquem ponant, ad rem qua de agitur accommodatum, hãc et scripturam proferre visum est.

*Papiſtarum nomen gloriosum.*

*Samſon problema. Iudic. 14.*

Nisi vitula mea arassetis, non inuenissetis. Cuius hæc verba sint, non ignoratis: propter eos tamen, qui minus versati sunt in scripturis, paucis rem explicare libet. Proposuerat Samson suis in conuiuio quodam sodalibus problema, quod soluerent intra septem dies. Quod cum per triduum facere non potuissent: ad vxorem eius accesserunt, ab illa petiuerunt, vt quibus posset blanditijs à viro conaretur expiscari, quid sibi vellet hoc problema. Quod cùm illa fecisset, suisq; ciuibus, à quibus rogata fuit, indicasset: statim illi venientes problema soluerunt. Samson verò cùm quid actum fuerat, olfecisset, Si non arassetis, inquit, in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam. Quibus verbis hoc significare volebat, quod nisi didicissent ex ipsius vxore, nquũam problema soluissent. Cum igitur eadem hæc verba in prima statim facie libelli sui protulerit, Symmistes hic vester, eos oppugnans, quorum à vobis quoq; doctrina damnata est, quid aliud voluisse dicere credendus est, quàm: Nisi docti à nostris, nisi Luthero, Zuinglio, Caluino, præceptoribus vsi fuissetis, nunquam inuenissetis propositionem hanc: Non esse Deum trinum & vnum: Non esse ferendum, nec Trinitatis, nec essentiæ, nec personæ nomen: quandoquidem in scripturis nusquam reperiatur. Verùm à nobis didicistis, Patres, Vetustatem, Concilia contemnere: Consensum totius Ecclesiæ nepili quidem facere: plus priuato vestro, quàm orbis totius Christiani iudicio tribuere, nec quidquam, quod non expressè continetur in scripturis, recipere. Atqui hæc est vitula nostra, qua nunc vos aratis: qua si non arassetis, in hanc extremam impietatem prolabi nunquam potuissetis. Ac nos nostrum hoc esse commentum existimetis: Melanchton etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Prophetarum & Apostolica scripta quando optime intelligantur.*

etiam vester eadem hæc verba non dissimili sensu produxit. Sic enim scripsit in suo postremo Chronico: Etsi fides nititur verbo Dei: & norma iudicij esse debent scripta Prophetica, ac Apostolica, & Symbola: tamen vocem purioris Ecclesiæ docentis & commonefacientis, audire pium est, iuxta dictum: Nisi arasseris in vitula mea, non inuenisses. Præclarè Melanchton dictũ hoc vsurpauit, vt demonstraret, ita demũ scripta Prophetica & Apostolica intelligi rectè posse, si quis aret Ecclesiæ vitula, hoc est, si vocem illius docentis audiat: si quem illa scripturæ sensum affert, eum sequatur.

*Trinitarij errorem hauserunt à Luthero & Tigurinis.*

*Fundamentum doctrinæ Trinitariorum.*

*In iudicio Tigurino de Trinarijs.*

Cæterùm vester hic Symmistes dicit, quòd non Ecclesiæ: sed vestra vitula arauerint ij, quos oppugnatis, Videtis igitur: quæ sit illius de vobis sententia: sed neque vos infeias ire videmini, ita rem habere: cùm cui maximè fundamento nitantur isti, contra quos sententiam fertis, ijs verbis explicatis. Fundamentum doctrinæ ipsorum, cui reliqua nituntur, est: Vniuersam doctrinam in Papatu corruptam fuisse: & tantum integram baptismi formulam sub fœcibus relictam. Neq; enim Antichristum quicquam integrũ reliquisse: itaq; non credendum, summum dogma salutis non etiam fuisse corruptum. Se igitur his consideratis, quæ suis aliam & veram doctrinam de ijs dogmatibus in sacris literis, & vetustis Patribus, propinquis Apostolorũ ætati: eáq; sibi patefactã esse. Olim eũ floreret Papatus, grauiter Satan Ecclesiã afflixit, dũ omnia Pōtificũ figmẽta, pro oraculis diuinis illi obtrusit. Hæc fraude detecta, contrariã viã insistit: & suadet in vniuersum omnia explodenda esse, quæ in Papatu recepta fuerunt. Sed si ita faciendũ fuerit: reijciendæ erunt sacræ literæ: reijciendũ Symbolum Apostolicum & Nicænum: hæc enim in suis Ecclesijs legunt & canunt Papistæ, Vestra sunt hæc verba, Tigurini, quibus dum aduersariorum latus petitis: vestrum ipsi confoditis. Fundamentum ipsorum doctrinæ, cui reliqua nituntur, hoc esse dicitis: Vniuersam doctrinam in Papatu corruptam fuisse. Cedo, quis primus fundamentum hoc iecit? Si primos vos fuisse dicam, à veritate fortassis aberrauero: sed priores tamen vos fuisse, certum est, his, quorum hac vestra censura dogma condemnatis. Etenim qui maximè niteretur huic fundamento, primus fuit hoc infœlici seculo nostro, Martinus Lutherus. Proximum ab eo locum vos obtinetis: Qui cùm initio Lutheri sectatores fuissetis: sicut paulò antè sum, & consensum Ecclesiæ Catholicæ, sic & Lutherum posteà longum valere iussistis: ac pridem ab Ecclesia damnatam Zuinglij doctrinam estis amplexi, qua docet, falsum esse, quod ait veritas: Cùm panem accepisset, & benedixisset, ac fregisset, dedisseq; discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum: cùm non sit ibi corpus iuxta sententiam vestram, verùm figura corporis. Fuerunt quoq; alij non pauci, qui & ipsi niteban-

*Martinus Lutherus quo fundamento vsus.*

*Zuinglij hæresis pridem damnata.*

tur huic fundamento, quos longum esset omnes enumerando recensere. Quibus cum verò nunc nobis est dimicatio: nouissimum inter alios propè locum tenere videntur. Nam hæresis hæc nuper admodùm, in Polonia præsertim, nata est. Quod igitur istorum, quos oppugnatis, idem, & vestrum, & aliorum hæreticorum omnium doctrinæ fundamentum fuit, est, & erit semper: cùm vix vlli fuerint vnquam hæretici, qui non ei maximè niterentur. Testatus est hoc etiam sanctissimus ille martyr Cyprianus ante mille trecentos annos, cùm ad Cornelium scribens, ait: Neq; enim aliundè hæreses obortæ sunt: aut nata sunt schismata: q; inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quicq; moueret: nemo post diuinum Iudicium, post populi suffragium, postq; Episcoporum consensum Iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens, seorsum foris nouam hæresim conderet. Videtis quemadmodum sanctus Episcopus & martyr ille fundamentum esse docet hæreseon, & schismatum omnium: Non obtemperare Pontifici, non cogitare, quòd vnus ipse sit in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice CHRISTI: sed illius doctrinæ iudicem se facere: nihil vtaliud sit propemodum hæreticum esse, q; dicere, Doctrinam in Papatu corruptam esse.

*Trinitariorum hæresis in Polonia recens.*

*Omnium hæresum fundamentum. Cypr. lib. 1. epi. 3.*

*Hæreticum esse quid sit.*

*Papatus est legitimus Ecclesiæ Cathol. magistratus.*

*Aug. Epist. fundamenti. cap. 4*

*Iren. li. 4. ca. 63.*

*Cypr. ep 9. li. 4.*

*Hier. ad Dam*

*Tertul. de præscriptionibus hæreticorum.*

*Optatus lib. 2. con. Donat.*

*Hil. de Tri. li. 8*

*Osee 13.*

*Christus cur mortuus.*

*Ioan 11.*

*Can. 6.*

*Ephe. 4.*

*Exod. 12.*

*Ecclesia non potest esse vna nisi habuerit Pastorem vnũ.*

Quid enim aliud per Papatum intelligi rectè potest: quàm Ecclesia Catholica? Fremant licet omnes in ferorum portæ: verissimum tamen illud est, quòd sicut vbi Rex non est, ibi regnum dici nequit: Sic vbi Papa non est, ibi nec esse, nec dici potest Ecclesia Catholica. Nam vbi vnum esse debet ouile, ibi pastor quoq; sit vnus oportet: Nec est alia certior Ecclesiæ nota, quàm legitima pontificum successio. Hæc est, quæ Augustinum in Ecclesiæ gremio tenuit, hanc Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, Tertullianus, Origenes, Optatus: denique Catholici semper omnes agnouerunt. Sicut fides non potest esse nisi vna, præter quam quicquid est, sicut verè scriptum ab Hilario legimus, perfidia est, non fides: sic & Ecclesia, nisi vna sit: Satanæ Synagoga, quàm Ecclesia Dei rectiùs esse dicitur, Sathanas enim est, qui spargit, Christus est, qui congregat. Satanas est, qui diuidit inter fratres, Christus, qui non diuisionis, verùm pacis & dilectionis Deus est: ac propterea mori voluit, vt eos, qui fuerant per Satanam dispersi, pretioso sanguine suo congregaret. Quamobrem, si non fuerit vna, non erit Ecclesia Christi. Vna est columba mea, dicit sponsus: Perfecta mea. Vna est matri suæ. Vnum corpus. Vnus spiritus, dicit Paulus: Vna fuit domus, in qua comedebatur agnus, extra quam eum comedere fas non erat. Hæc vna domus figura fuit vnius Ecclesiæ Catholicæ. Cæterùm qui fieri potest: vt vna sit Ecclesia, si non habuerit caput vnum, pastorem vnum, Papam siue Pontificem vnum. Suscitabo super eos pastorem vnum, ait Dominus: Et iterum, Pastor erit vnus omnium. Et in Euangelio Christus: Erit vnus pastor: & vnum ouile. Pulchrè coniunxit vtrunq; Non enim esse poterit vnum Ouile, nisi pastor quoq; sit vnus. At pastorem hunc vnum Christum esse dicitis? Quid autem? an & nos alium, quàm Christum pastorem agnoscimus, & confitemur? Nos verò clara voce pronunciamus. Quod Christus est, qui pascit nos verbo suo: Christus est, qui pascit nos Sacramentis suis: Christus est, qui



qui pascit nos precioso corpore, & sanguine suo: Qui nisi pasceret nos ipse: frustrà pascerent quotquot sunt alij mortales, qui pascendi munere funguntur. Plus etiam aliquid à nobis audietis, ô Tigurini. Non solùm pastorem & Episcopum animarum nostrarum, verùm & Regem & Dominum nostrum, qui postatem habet in fortunas nostras omnes, & in ipsa corpora nostra, Christum esse profitemur. Sed num ideò Sigismundum etiam Augustum Regem & Dominum nostrum] profiteri, num ideò subiectas illi esse fortunas nostras & corpora dubitabimus: ne quid fortè Christi gloriæ detrahamus? de quo rectè cantat Ecclesia, Tu solus Dominus. Ego verò, Tigurini, non dubitanter id affirmo, profiteor etiam coram vobis, & præmefero, quamuis nihil sit eo verius, quod de Christo cantat Ecclesia, Tu solus Dominus, Regem tamen & Dominum meum esse Sigismundum Augustum, illi fortunas meas, illi corpus quoq; meum subiectum esse: quem insuper etiam Regni totius caput agnosco: Nec me propterea summi Regis illius Regum, & Domini dominantium, dignitati vel minimum detrahere puto, cùm illi me parere persuasum habeam, quando Regi meo Sigismundo paream: quandoquidem per illum Reges regnant, & Potentes decernunt iustitiam. Illius præceptum est: Vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: & vt subiecti simus Regi quasi præcellenti, & eum honorificemus. Quin caput regni sit Christus, quin regat illud & gubernet: nemo sanus dubitat: sed cùm oculis carnis nostræ: quandoquidem in cœlo degit, adspici non possit: munus hoc per eum, quem præsentem intueri licet: Regem, exequitur.

*Ezechielis 34.*

*Ezech 39.*

*Ioan. 10.*

*Christo nihil detrahitur, si Papa vnus Pastor dicitur, ostenditur à simili.*

*Prouerb. 15.*

*Rom. 13.*

*1. Pet. 2.*

Quod autem de Rege, totidem id verbis de Pastore quoq; & Episcopo animarum nostrarum, incunctanter affirmo: quòd & meum & Ecclesiæ totius Pastorem Pontificem & suprem sub Christo Capite, Caput agnosco, profiteor, & præmefero Pium Quartum papam, illiq; me subiectionem, reuerentiam, & obedientiam omnem debere. Qua de re tantum abest, vt imminuere me quicquam de Christi veri, summiq; Pontificis, ac Pastoris: & Ecclesiæ totius Capitis gloria persuasum habeam: vt magis etiam illam augere me per hunc modum & amplificare credam. Ipse enim est, qui sub Petri persona suas oues illi pascendas omnes commendauit, qui cum visibili præsentia non esset habitaturus inter nos, ipsius, in pascendo grege suo ministerium, & vicariam operam adhibendam putauit: non ad eum ius, honoremq; suum transferendo: sed vt suum tantum per eũ opus agat ipse: qualiter ad opus quoq; faciendum artifex vtitur instrumento. Quare manet ipse Caput Ecclesiæ, summus illius Pontifex & Pastor nihilominus regit, regnat: & imperium exercet ipse nihilominus in Ecclesia, verum opus hoc suum per Pontificem Pium Quartum agit ministrum suum: non quod non possit illud per seipsum, sine alio quouis adminiculo, aut organo præstare: sed hoc modo visum est illi, suam erga nos dignationem declarare: cùm ex hominibus sumit, qui pro se in mundo legatione fungantur: qui sint arcanæ suæ voluntatis interpretes: q; deniq; personã suam representent. Nec alius illi visus est firmior vnitatis retinendæ nodus, quo suã

*Toan. 21.*

*Papæ verum & proprium officium describitur.*

*2 Cor. 5.*

*Honor Pontifici ex hibitus in Deum redundat.*

*1. Reg. 8.*

Ex quo satis liquere cuiq; potest, quòd neq; Catholicus, qui non est papista: neq; fidelis Regis sui subditus censeri potest, qui non est Regista. Quod mihi quidem non esset difficile multorum priscorum Patrum testimonijs comprobare. Sed cum hoc alibi copiosè factum sit, nunc vnò vel altero contentus ero. Nouatum, quæ res alia fecit hæreticum, q; quòd corruptam esse dicebat doctrimam in papatu receptam: quod lapsis non esset venia denegãda. Quam etiam ob causam à legitimo pontifice Cornelio se per summum sacrilegium separauerat: Cathedram contra Cathedram constituerat: Altare contra altare erexerat: quo nomine grauiter eum insectatur Cyprianus: & cùm vnam esse doceat Ecclesiam: quæ vna intus & foris est: non potest: ibi tandem Ecclesiam esse definit, vbi papa Cornelius agnoscitur, q; Fabiano legitima ordinatione successit. Antonianum quoq; fratrem laudat: quod cum Cornelio, hoc est, (sit enim ipse loquitur Cyprianus) cũ Catholica Ecclesia communicaret. Sic illi communicare cum papa Cornelio, hoc est, esse papistam interpretatur communicare cũ Ecclesia Catholica: vt non aliũ, nisi papistam Catholicum intelligi velit. Nec secùs Hieronymus, qui Damaso scribens: Beatitudini, inquit, tuæ, id est, Cathedræ Petri communione cõsocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam esse scio: quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Profanum Hieronymus pronunciat, & ab Ecclesia Dei alienum: Meletium resuo, Paulinum ignoro, quicunq; tecum non colligit, spargit: qui Christi non est: Antichristi est. Sic ille vir sanctissimus iuxta ac doctissimus, quicunq; cũ successore piscatoris papa non colligerent, eos non ad Christum, sed ad Antichristum pertinere dicit: Satanistas liberè pronunciat: quicunq; non sunt papistæ, Quod apertius etiam scribit, in ea,

*Catholicus non est, qui non est papista.*

*Nouati hæresis vnde.*

*Cypria. lib. 4. Epist. 21.*

*Hieron. ad Damas.*

*Idem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Idem. Hæretici etiam hærere se papæ simulabant.*

quæ proximè sequitur Epistola: In tres, inquit, partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere si hoc vnus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Videtis Tigurini, quemadmodum olim etiam hæretici, quominus hæretici iudicarentur, sed vt Catholici censerentur, hærere se papæ simulabant. Quòd persuasum habuerant, non esse Catholicum, qui nõ esset papista. Itaq; de Paulino de'q; Apollinare scribit in tripartita historia sua Theodoretus, quòd asserebat vterque, se cum Damaso papa sentire, quo facilius morbum suum tegere posset. Sic & Eutyches Leonis papæ sententiam secuturũ se per omnia spondebat. Idẽfecit Antemius, sententia Synodi secundæ Constãtinopolitanæ damnatus. Possem hic aliũ Hieronymi locũ producere, vbi Demetriadem hortatur, vt S. Innocẽtij, qui Apostolicæ Cathedræ successor est, fidem teneat, nec peregrinam doctrinam recipiat. Et alium, vbi sic loquitur: Si Romanam fidem amplectimur, ergo Catholici sumus. Et alium Ambrosij: Percontatus est, inquit, ab Episcopo, vtrùm nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Possem & acclamationes in Synodis factas producere: *Synodi. 5. Actione 4.* Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit. Possem & Imperatorum edicta proferre, vt concti subditi eam religionem retinerent, quam Vertex Apostolorum Petrus initio tradidisset: *Iustinia.* actum Damasus Episcopus Romanus custodiret. Sed ne longior sim, vnum tantùm adferam Iustiniani locum. Licet, inquit, nobis dicere, ac pronunciare, omnes eos, qui habere papam pro capite noluerint, non esse Dei Sacerdotes, nec fideles seruos. Ex his discite Tigurini, quo loco sitis habendi qui papam, & receptam in papatu doctrinam, adeò resputitis, vt vel maximi probri loco Catholicis obijciatis: quòd sint Papistæ. Certè non alio censeri loco potestis: quàm quo sunt ij, quorum hac vestra censura de Trinitate dogma damnatis. Scio, quæ soletis obijcere: facitis enim, quod hæreticis omnibus esse commune scribit Augustinus: vt cùm non habeant quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactent, pleniq; conuitiorum & contumeliarum velis in Pontifices inuehuntur, quo sic & eos, & eorum doctrinam in odium, & contemptum apud omnes adducant. Verùm alius erit hac de re disserendi locus.

*Hæreticorum prorium ex Augustini epist. 137.*

*Trinitarij ex Sacramentarijs prodierunt.*

Fortasse autem & hoc dicetis: Longè dissimilem esse rationem vestram, quàm sit eorum, cum quibus dimicationem hanc suscepistis. Nam vos nunquam id asseruisse, quod ab illis asseritur, vniuersam doctrinam in Papatu corruptam esse. Atqui nec istos hoc asserere probatis: quandoquidem hanc eos exceptionem addere scribitis, quod relictam tamen esse diceretis. Sed cùm Caluinus (qui vester videri vult, etiamsi pluribus in rebus à vobis dissentit: nec de ipso Eucharistiæ Sacramento satis cum vestra doctrina conuenit) ita de Papismo loquitur: Pro verbi ministerio peruersa, & mendacijs conflata illic regnat institutio. In locum cœnæ Domini fœdissimum sacrilegium subijt: Cultus Dei varia & non ferenda superititionum congerie deformatus: Doctrina citra quam Christianismus non constat tota sepulta & exposita: publici conuentus idololatriæ, & impietatis scholæ Tigurini, cùm talem nobis Papismum Caluinus describit: an is minus apertè dicit, Vniuersam doctrinam in Papatu corruptam fuisse, quàm isti de quorum impuro dogmate iudicium fertis? qui relictam tamen esse fatentur integram baptismi formulam: Vester autem hic doctrinam, citra quam Christianismus non constat, sepultam & exposam esse totam scribit. Itaque nec baptismi formulam nobis integram relinquit, citra quam certum est Christianismum non constare. Iámne vestris ipsi cernitis oculis, fundamentum hoc, quod iure meritò oppugnatis in his, quorum censores agitis, nolo dicere primos: sed priores tamen vos posuisse? Vestrum enim est, & à vobis ad illos profectum. Quo magis miror, vos in alijs reprehendere, quod ipsi laudi vobis & gloriæ ducitis: scilicet quod vobis licet, alijs licere non vultis. Vos nobis hos Tigurini peperistis quorum iam blasphemias diutius ferre non potestis. Ex vtero vestro prodierũt, vestri sunt discipuli, vos eorum estis præceptores, & magistri. Quid mirum, si mali corui, mala nobis ova peperere. Sed hic respondebitis. Nunquam vos recepram in Papatu de adoranda Trinitate doctrinam oppugnasse. Quamuis in secunda ad Polonos Epistola Caluinus vester disertis verbis scripserit, hanc precandi formulam, qua vtitur Ecclesia, Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, sibi non placere: quod barbariem sapiat: & obijcitur hoc illi ab aduersarijs vestris: deq; eo gloriantur quasi cum illis faciat, damus tamen hoc vobis non inuiti: Sed cùm tam audaster, & impudenter asseueraretis, tam doctrinam, citra quam Christianismus non constat, in Papatu sue Papismo sepultam, & exposam esse, cur non vobis crederent ij, qui iam in vestrum Euãgelium, quod cum Christi pugnat Euangelio, translati figmenta vestra, pro diuinis haberent oraculis, cur non in eã quoq; opinionem venirent: veram de adoranda Trinitate doctrinam simul sepultam, & exposam esse? Quos enim ita depinxeratis, quisquis huic vestræ picturæ fidem aliquam haberet: quomodo posset animum inducere, vt crederet summum dogma salutis nostræ, non etiam apud eos tales fuisse corruptum? Quamobrem, & exemplo, & cohortatione vestra fecerunt isti, vt progrederentur longiùs, & in profundum hoc extremæ barathrum impietatis ruerent.

*Doctrinam, citra quam Christianismus non constat, in Papatu sepultam & exposam esse, impiè asserit Caluinus in Institutio. Cap. 8.*

*Cal. Trinitarius.*

Videbant vos longiùs esse progressos, quàm dux, & antesignanus vester, & omnium eorum, qui segregauerunt seipsos hoc nostro seculo, Martinus Luth. Nam, ne fraudem eum egregia laude sua, primus ille fuit, qui minimè ferendo fastu quodam ex magna parte doctrinam Papatus, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ condemnauit, non sine magno suæ factionis hominum applausu. Quamuis autem fuerit is proiecta quadam audacia, nunquam tamen eò progredi fuit ausus impietatis, vt negaret realem Christi corporis, & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento præsentiam. Contentus tãtum erat docere, quod maneret ibi nihilominus pa-

*An Luth. fuerit Sacramentarius. Luth. Papatum condemnauit primus, sed non Christum.*



panis, & in pane, sub pane, cum pane, esset ibi verum, & substantiale Christi corpus. Nihil autem est eo verius, quod quidam dixit, ex huius seculi sapientibus, Dato vno absurdo, sequũtur plura. Simul vt hæc verba prolulit nostri temporis hæreticorum Patriarcha, mox à vestris arrepta sunt, & statim alterius processistis, & qua nulla potest esse maior audacia, atque impudentia. Veritatem de veritate sui corporis, & sanguinis sub speciebus, panis, & vini dicentem, Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: arguere mendacij non dubitastis. Caluinus quidem gloriatur in quodam scripto suo, quod classicum cecinerit Luther. ad hæresim Sacramentariorum excitandam, cùm quæ doctrina in Papatu, hoc est, in Ecclesia Catholica summo totius orbis Christiani consensu recepta est, naturam sine substantiam panis in carnem, vini verò in sanguinem conuerti, negaret. Boquinus verò vester Heidelbergensis: si modò vester adhuc est: nam sicut doctrinam, sic & Magistros vestros mutare quotannis ferè consueuistis, quod etiam à vicinis vestris Argentoratensibus factum iam esse, pro certo renunciatur. Hic itaq; Boquinus, nisi statuatur prius ἡ μεταβολὴ & μετατοίησις τοῦ ἄρτε conuertio, & transsubstantiatio panis: nulla ratione dici posse, pluribus verbis contendit, quod in cœna verè, & substantialiter sumatur verum Christi corpus, quod pro nobis in mortem traditum est: non solùm quoad virtutem, efficaciam, potentiam, vigorem, vim, gratiam, spiritum siue meritum, sed etiam quoad essentiam carnis: nec solùm fide, verumetiam ore corporis. Quamobrem simul vt conuersionem hanc negare cœpit Lutherus, ac in alijs plerisq; doctrinam, & ritus Papatus, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ damnare: gloriatur Caluinus, cum rudimenta sectæ suæ posuisse, viamq; sibi commonstrasse. Sed interim eum esse præpostero quodam ingenio scribit, qui rectam ingressus viam simul ac demonstrator iter suum reflexis, vltrà progredi recusat. progressi sunt igitur vltrà primum Patriarcham, Tigurini, vester Zuinglius: deinde Caluinus & alij: cœperunt fieri (sic enim loquitur Caluinus) politiores, & instructiores, & esse Christum in Eucharista præsentem negauerunt. Longius etiam prorumperunt Balthasar Pacimontanus, & qui secuti sunt eum Anabaptistæ cum Suenckfeldio, do nec ventum est ad Campanum & Seruetum, à Caluino flammis Geneuæ traditum: & ad horum non dissimiles ter infelices istos in Patria mea Sanctissimæ Trinitatis blasphematores. Verisimile est quòd nihil minùs initio cogitauerit Martinus Lutherus, q̃ vt huic vestro, Tigurini, Satanismo fenestram patefaceret, qui Christo dicenti, Hoc est corpus meum, aduersa rim non dubitatis. Satis enim constat: sic eum hæresim hanc vestram fuisse detestatum, vt ea vel cogitari quicq̃ impurius posse negarit. Quam tamen, ad ipsum auctorem plericq; vestrũ referre conantur. Ac fateri quidem necesse est: quod js, quamuis nihil haberet quod reprehenderet, in doctrina de conuersione siue transsubstantiatione: solo tamen odio Papatus eã reiecit, vt cunq; permitteret nihilominus, q̃ vellet vtranq; opinionem tenere. Sed cùm vestram hanc hæresim exortam videret, vide quanto illius exarserit odio. Sic enim loquitur contra Patriarcham vestrum, scribens: Litem mihi non pariet, siue maneat ibi vinum, siue non: mihi satis est adesse sanguinem Christi, de vino fiat, sicut vult Deus. Et ante q̃ vellem cũ Suermeris (hoc vobis nomen Tigurini tribuit) merum habere vinum, mallem potiùs cum Papa merum sanguinem tenere. Quamlibet is implacabili Papatum, hoc est, Ecclesiam Catholicam odio prosequebatur, & eius doctrinam euersam cupiebat, vsq; eo tamen ei visum est abominabile vestrum de Eucharistia commentum, vt in Papatus doctrina, de conuersione panis in carnem Christi maluerit acquiescere, q̃ videri tam fœdos errores vestros approbare voluisse, vel eis fenestram aperuisse. Ad eundem modum nihil magis cupiebat, q̃ eleuationem Eucharistiæ in Missa tollere: ne videretur Orthodoxam sententiam in Papatu recepisse: quod Missa sit sacrificium, amplexus: cùm certissimum sacrificij signum eleuatio fuerit. Quoniam verò videbat priores vestros eleuationẽ abrogasse, ne consentire vobiscum existimari posset, per multos annos ritum Ecclesiæ Catholicæ retinendum potiùs esse putauit: quemadmodũ ipse testatur in eo libro, quem contra Patriarchã vestrum Zuingliũ pauò antè mortẽ suam edidit. Fuit illius odium erga Papã & Papatũ, plus q̃ Vatinianũ, de quo nemo ridè quidẽ, quic q̃ remisit: qd etiã versiculus ille testatur, quẽ in ore semp habuisse fertur.

*Pestis eram viuens moriens tua mors ero Papa.*

Tantam tamen vestræ doctrinæ, qua Christi corporis in Eucharistia præsentiam negatis, fœditatem & impietatem esse iudicauit: vt quò vos prorupistis, eò progredi non auderet. Quin audire, quid ad Argentoratenses ea de re scripsit: Hoc diffiteri, inquit, nec possum, nec volo, quòd si Carolstadius, aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset in Sacramento præter panem & vinum esse nihil: ille magno beneficio me sibi deuinxisset, reddidisset. Grauibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus neruis extensis, me obtricare & expedire conatus sum: cum probè perspiciebam, in hac re cum primis me valde Papatui incommodare posse. Et post pauca: Verùm, inquit, ego me captum video nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimium apertus est & potens, qui facilè conuelli non potest: multò minus verbis aut glossis è capite Christi corporis in Eucharistia fundatam, in scripturis esse persuasum habebat: vt secùs ea vertiginoso confictis subuerti. Tam ille doctrinam in Papatu receptam de reali præsentia de re docere magis, quam quod verbis satis explicari posset, horrendum sacrilegium esse iudicaret: ac omni genere tormentorum excruciatum se centies mortem oppetere paratorem fore scribit, quàm vt in Zuinglij, vel in Carolstadij de hoc dogmate sententiam pedibus ire vellet. Neq; dubitauit Zuinglianos, & Sacramentarios omnes: qui CHRISTI corpus, & sanguinem in venerabili Eucharistiæ Sacramento negant, ore carnali sumi, hæreticos & alienos ab Ecclesia Dei pronunciare: quos etiam vocat Satanæ ministros, mendaces, imò mendacium ipsum fucum, & simulationem: nec vllos cum ipsis tractatus haberi pmittit: atq; adeò nec audiri vult: & suos, vt haud aliter ab eis, q̃ à Satanæ veneno sibi caueant diligenta

*Aristot. Sacramentarij mendacij argumẽto Christum. Caluin. contra Ioachimum VVestphalum. Boquinus. Euangelici mini. stros suos subinde mutant. Caluin. vbi supra. Pacimontanus. Suenckfeldius. Campanus. Seruetus flãmis à Calui. exustus. Luth. Sacramentariorum hæresim detestabatur. Luth. contra Carolstadium. Tigurini Suermeri Eleuationem in despectum Sacramentariorum retinuit Lutherus aliquandiu. Eleuatio sacrificij signũ certissimũ. Lutheri odium in Papatum. Lutheri ad Argentoratenses scripti, vbi sibi Sacramentarios displicere dicit. Iudicium Lutheri contra Sacramentarios de reali Christi in Euch. præsentia.*

genter hortatur. Philippus verò Melanchton sceptro Magistratus eos non stylo refutandos censet.

*Carol. Sacramentariorum auctor. Philip Melanch. ad Fridericum Myconium de Carolstadio iudicium.*

Hoc, Tigurini, de Zuinglio vestro, deq; vobis ministris eius & sectatoribus, illius est iudicium, qui Princeps fuit earum seditionum, ac tempestatum, quas ita graues in Ecclesia vidimus excitatas: & cuius verbum tanquam Dei verbum à plurimis, in Germania præsertim, receptum est, & adoratum. Quamuis huius vestræ sectæ non Zuinglium, sed Carolstadium, primum auctorem fuisse referetis, quem sub exitum vitæ suæ palàm ad vestra castra transfugisse Lutherani quiritantur, Philippus Melanchton. De quo talis aliquando fuit eius censura: Carolstadius, inquit, primus excitauit hunc tumultum, homo ferus sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium, aut intelligere, aut facere animaduertimus: tantùm abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Hunc nihilominùs ducem secutus est ipse Melanchton, itidem vt Zuinglius antea, Oecolampadius, Caluinus, & eiusdem farinæ alij. Quemadmodum autem in odium & despectum Papæ, omnia se dixisse, scripsisse, fecisse, nō vno loco gloriatur Lutherus: sic de Carolstadio quoq; narrat Philippus: quòd odio Lutheri non aliqua pietatis opinione controuersiam de cœna Domini primus mouerit. Accidit igitur Luther, quod Christus aliquando dixit: Qua mensura mensi fueritis, eadem & remetietur vobis. Hic itaq; Carolstadius, Tigurini, non Zuinglius, primus auctor fuit hæreseos vestræ. Et quòd nunc vos fastidio longiùs, & ab opinione vestra saltem in vno aliquo dogmate dissentire? An & vos non estis æquè homines, vt nos? An solis vobis reuelata sunt omnia, nec est quicq̄ quod vos fugere queat? An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit? Probate vos esse Deos, si vultis vt ne latum quidem vnguem à vestra sententia discedamus vnquàm, & quicquid à vobis dictum aut scriptum fuerit, haud aliter q̄ purum putum Dei verbum, contra quod mutire fas non sit amplectamur. Nónne vos docuistis nos, doctrinam citra quam Christianismus non constat, in papismo totam explosam & sepultam esse? Nónne fuit & hoc interalia vestrum, sicut ante vos aliorum hæreticorum ferè omnium axioma? Nihil esse recipiendum præter scripturas? Quòd si nos à vobis docti, reijcimus omnem doctrinam, quæ Christianismum sepelit & explodit, qualem esse papatus doctrinam, ipsi profitemini: & est inter illius capita præcipuum hoc de Trinitate: Si quod vos facere contra papistas nunquam intermittetis: quærimus & à vobis, & ab illis vbi reperiatur in scripturis, vel Trinitatis, vel personæ, vel essentiæ nomen, ac si fuerit ostensum iuxta normam à vobis propositā, & in alijs dogmatibus examinādis, contra papistas obseruari solitam: recepturos nos esse negamus: per Deum immortalem vos obsecramus, quid alienum à præceptis & institutis vestris faciamus? An hoc tanq̄ atrox facinus in nobis vindicandum esse putatis, q̄ nos dociles discipulos præbemus? quòd in eodem luto pedem obstinatè non figimus: verùm à vobis moniti, pergimus & procedimus ea via quam nobis commonstrastis. Certè laudem potiùs à vobis hoc nomine promeriti videbamur: q̄ vt aliqua nos animaduersione propterea dignos iudicare debeatis. In hùc modum si vos itti vestri discipuli compellauerint, num estis habituri quod contra dicere possitis?

*Trinitariorum ad Sacramentarios Apostrophæ.*

*Hæreticorum axioma.*

Et certè vtitur ijsdem Argumentis contra vos apud Ochynum vestrū, idem Spiritus, quo vos estis afflati: dum pluribus verbis in quodam eius Dialogo contendit: Ecclesiæ doctrinā de adoranda Trinitate non esse nefas in disceptationem vocare, sic enim inter alia loquitur: Non negabis expediuisse tempore tuo disquiri, sit nec ne Christi corpus in pane, & sanguis in vino: quamuis & esse & adorari debere Concilia per errorem decreuissent. Et quoniam in Trinitate vsu venire idem possit, expedit negotium explorare. Verùm & ante Bernardinum hunc Ochynum egregius quidam professor Tubingensis Gribaldus ne dicam Ribaldus, in suo quodam libello quem D. Christophoro scriptum obtulit, in eandem propè sententiam ita loquitur. Nec mirum magnoperè est, antiquos illos Doctores, Deum hunc Trinitatem nimium subtiliter excogitasse à scripturæ veritate penitus aberrantes. Iam enim Christiana religio humanæ auctoritati, & inuentioni nimium tribuere cœperat, & à simplicitate doctrinæ Apostolorum longè deflectere. Quemadmodum & in cœna Domini, & quotidiana Domini corporis oblatione eos omnes euidenter erasse, vos ipsi egregiè docuistis. Quòd si antiqui omnes scilicet ex illo sancto Iesu Christi ministerio cōmemoratitio nihil integrum aut parum retinuerunt, quid mirum, si ex omnibus aliqui & sanè pauci etiā & imaginarium, & confusum loco veri, & simplicissimi atq; purissimi Dei temerè surrogantes, quem posteà errorem improuidi successores velut Epimetheus Pandoram totis vlnis amplexi sunt? Porrò abusiuus ille Eucharistiæ ritus vsq; ad vestra tempora conseruatus, nō omnino scripturæ fundamento destitutus videbatur, quem tamen grauiori adhibita interpretatione, & maturiori iudicio confirmati penitus emendastis. At verò hic Deus Trinitas à paucis primùm inuentus, & è multis posteà susceptus, vniuersæ scripturæ contrarius, vos etiam acerrimos protectores inuenit, qui etsi pro eius fundamento ne syllabam quidem ex vniuersa scriptura producere valeatis, hunc tamen tam impium, & manifestum errorem vnà cum papistis mordicùs, & vsq; ad sanguinem propugnatis, nō alia certa ratione, nisi quòd hunc ipse errorem non animaduertistis. Sed cum cætero grege parum cogitantes, & imprudenti iudicio deuorastis, quem nunc euomere (saluo honore vestro, & vestri nominis æstimatione) vos non amplius posse vobis certè nimis impiè persuadetis. Verùm quidquid fiat, vniuersus mundus persuadeat, quidquid maligna ipsius calliditas moliatur, stabit perpetuò fidelis, & inconcussa veritas ab ipso Dei filio & eius Apostolis firmiter complantata. Nū autem & hic præclarè non colligit, si licuit vobis in vsu cœnæ Domini, & quotidiana corporis eius oblatione vniuersam Ecclesiam erroris condemnare: cur nobis idem quoq; non liceat in hoc de Trinitate dogmate?

*Ochyni de Sacramentarijs iudicij. Lib. 2. dialogor.*

Verùm ipsos iam potiùs dicentes audite: sic enim vos quidam ex illis alloquitur: Hortor & obtestor vos per nomen Dei, & eius filij Domini nostri IESV CHRISTI, dispicite diligentius ea, quæ Dominus vobis nondum aperuit. Non dederat omnia Luthero, plura dedit posteà Zuinglio, & post eum alijs (fortassis Anabaptistas intelligit, & Suenckfeldium, & Seruetū, & alios non dissimiles) dat & nunc, cui vult (de se proculdubiò loquitur) sibi quoq;



*Luth. in scribendo & dicendo propositum.*

*Controuersia de Cœna Domini qua intentione à Carolstad mota.*

*Mar. 4. Luth. consensus cū Papatu, & cum Sacramentarijs diſsidium.*

*Luth. de Papatu in diuum.*

*1. Ioan. 2.*

*Trinitarios plus vltrà processisse temerè arguunt Sacramentarij.*

*Bucerus Lutheri imperium ferre nō potuit.*



Omnem tanq̄ Dei verbum & Euangelium adorare vellet: in hæc verba prorupit: Si exigit, ne quis vlla in re à se dissentiat, probet se esse Deum.

Quæso vos, an eadem hæc verba, contra vos quoq; Tigurini, non erit fas istis vsurpare? Num quo iure prohibere poteritis, quo minùs in hunc modum vos compellare queant? O veneràdi præceptores, & magistri nostri: licuit vobis, q̄ longè, quamq; latè patet orbis Christianus, ab eo toto dissentire: eum idololatriæ reum facere: eum ignorati Christi, beneficiorum eius omnium obscuratorum, non accusare tantùm, quod videri tolerabilius poterat, verumetiam inauditum condemnare: cumq; Lutherum hac in parte ducem secuti fuissetis: & is aliquam doctrinæ Papatus partem, nimirum de præsentia Christi corporis in Eucharistiæ Sacramento, non modo, non reprehenderet: verumetiam retineret mordicus: ac summa vi tueretur: licuit vobis ab illius quoq; sententia discrepare, cùm tamen omnis illius doctrina, multis in Germania locis, quin & à vobis initio non alio numero, quàm quo purum Dei verbum haberetur: cur & nobis non liceat exemplum hoc vestrum imitari? paulò progredi longiùs, & ab opinione vestra saltem in vno aliquo dogmate dissentire? An & vos non estis æquè homines, vt nos? An solis vobis reuelata sunt omnia, nec est quicq̄ quod vos fugere queat? An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit? Probate vos esse Deos, si vultis vt ne latum quidem vnguem à vestra sententia discedamus vnquàm, & quicquid à vobis dictum aut scriptum fuerit, haud aliter q̄ purum putum Dei verbum, contra quod mutire fas non sit amplectamur. Nónne vos docuistis nos, doctrinam citra quam Christianismus non constat, in papismo totam explosam & sepultam esse? Nónne fuit & hoc interalia vestrum, sicut ante vos aliorum hæreticorum ferè omnium axioma? Nihil esse recipiendum præter scripturas? Quòd si nos à vobis docti, reijcimus omnem doctrinam, quæ Christianismum sepelit & explodit, qualem esse papatus doctrinam, ipsi profitemini: & est inter illius capita præcipuum hoc de Trinitate: Si quod vos facere contra papistas nunquam intermittetis: quærimus & à vobis, & ab illis vbi reperiatur in scripturis, vel Trinitatis, vel personæ, vel essentiæ nomen, ac si fuerit ostensum iuxta normam à vobis propositā, & in alijs dogmatibus examinādis, contra papistas obseruari solitam: recepturos nos esse negamus: per Deum immortalem vos obsecramus, quid alienum à præceptis & institutis vestris faciamus? An hoc tanq̄ atrox facinus in nobis vindicandum esse putatis, q̄ nos dociles discipulos præbemus? quòd in eodem luto pedem obstinatè non figimus: verùm à vobis moniti, pergimus & procedimus ea via quam nobis commonstrastis. Certè laudem potiùs à vobis hoc nomine promeriti videbamur: q̄ vt aliqua nos animaduersione propterea dignos iudicare debeatis. In hùc modum si vos itti vestri discipuli compellauerint, num estis habituri quod contra dicere possitis?

*Trinitariorum ad Sacramentarios Apostrophæ.*

*Hæreticorum axioma.*

Et certè vtitur ijsdem Argumentis contra vos apud Ochynum vestrū, idem Spiritus, quo vos estis afflati: dum pluribus verbis in quodam eius Dialogo contendit: Ecclesiæ doctrinā de adoranda Trinitate non esse nefas in disceptationem vocare, sic enim inter alia loquitur: Non negabis expediuisse tempore tuo disquiri, sit nec ne Christi corpus in pane, & sanguis in vino: quamuis & esse & adorari debere Concilia per errorem decreuissent. Et quoniam in Trinitate vsu venire idem possit, expedit negotium explorare. Verùm & ante Bernardinum hunc Ochynum egregius quidam professor Tubingensis Gribaldus ne dicam Ribaldus, in suo quodam libello quem D. Christophoro scriptum obtulit, in eandem propè sententiam ita loquitur. Nec mirum magnoperè est, antiquos illos Doctores, Deum hunc Trinitatem nimium subtiliter excogitasse à scripturæ veritate penitus aberrantes. Iam enim Christiana religio humanæ auctoritati, & inuentioni nimium tribuere cœperat, & à simplicitate doctrinæ Apostolorum longè deflectere. Quemadmodum & in cœna Domini, & quotidiana Domini corporis oblatione eos omnes euidenter erasse, vos ipsi egregiè docuistis. Quòd si antiqui omnes scilicet ex illo sancto Iesu Christi ministerio cōmemoratitio nihil integrum aut parum retinuerunt, quid mirum, si ex omnibus aliqui & sanè pauci etiā & imaginarium, & confusum loco veri, & simplicissimi atq; purissimi Dei temerè surrogantes, quem posteà errorem improuidi successores velut Epimetheus Pandoram totis vlnis amplexi sunt? Porrò abusiuus ille Eucharistiæ ritus vsq; ad vestra tempora conseruatus, nō omnino scripturæ fundamento destitutus videbatur, quem tamen grauiori adhibita interpretatione, & maturiori iudicio confirmati penitus emendastis. At verò hic Deus Trinitas à paucis primùm inuentus, & è multis posteà susceptus, vniuersæ scripturæ contrarius, vos etiam acerrimos protectores inuenit, qui etsi pro eius fundamento ne syllabam quidem ex vniuersa scriptura producere valeatis, hunc tamen tam impium, & manifestum errorem vnà cum papistis mordicùs, & vsq; ad sanguinem propugnatis, nō alia certa ratione, nisi quòd hunc ipse errorem non animaduertistis. Sed cum cætero grege parum cogitantes, & imprudenti iudicio deuorastis, quem nunc euomere (saluo honore vestro, & vestri nominis æstimatione) vos non amplius posse vobis certè nimis impiè persuadetis. Verùm quidquid fiat, vniuersus mundus persuadeat, quidquid maligna ipsius calliditas moliatur, stabit perpetuò fidelis, & inconcussa veritas ab ipso Dei filio & eius Apostolis firmiter complantata. Nū autem & hic præclarè non colligit, si licuit vobis in vsu cœnæ Domini, & quotidiana corporis eius oblatione vniuersam Ecclesiam erroris condemnare: cur nobis idem quoq; non liceat in hoc de Trinitate dogmate?

*Ochyni de Sacramentarijs iudicij. Lib. 2. dialogor.*

Verùm ipsos iam potiùs dicentes audite: sic enim vos quidam ex illis alloquitur: Hortor & obtestor vos per nomen Dei, & eius filij Domini nostri IESV CHRISTI, dispicite diligentius ea, quæ Dominus vobis nondum aperuit. Non dederat omnia Luthero, plura dedit posteà Zuinglio, & post eum alijs (fortassis Anabaptistas intelligit, & Suenckfeldium, & Seruetū, & alios non dissimiles) dat & nunc, cui vult (de se proculdubiò loquitur) sibi quoq;

plus aliquid q̃ Luthero, vel Zuinglio, vel alijs datum esse persuasum habet. Ac paucis interiectis: Cauete, inquit, vobis à Gabaonitis, qui imponebant populo Dei laceris vestibus, mucido pane, &c. Sub nomine Dei nostri se venire dicebant, & impositum esse ab illis populo Dei: scriptura dicit, q̃ non consuleret os Iehouæ. Nõ imponant nobis patres, Vetustas, Concilia. Vetusti enim sunt isti panni quos vos primi lacerastis in alijs articulis fidei. Vnus sit magister noster Christus: Os Iehouæ consulendum, non hominum. Sunt etiam hic plerique Gabaonitæ, qui vobis imponunt: amicos se profitentur: & nihil interea optant, q̃ vt populũ ad Ægyptum reducant varijs modis, & Confessione Augustana: quod vobis posteà Dominus patefaciet.

*Lutherus de libero & seruo arbitrio.*

Auditis hæc Tigurini. Visi fuimus vobis aliquando Gabaonitæ, vetustis & laceris pãnis induti, cùm nouæ doctrinæ vestræ opposuissemus, Patres, Vetustatem, Concilia. Monebatis populum, vt sibi caueret ab istis Gabaonitis: docuistis deponendum esse, quicquid armaturæ suppeditant Orthodoxi veteres, Theologorum scholæ: Conciliorum, & pontificum auctoritas: tot seculorum ac totius populi Christiani consensus: quod nihil sit recipiendũ præter scripturas. Itaq; nihil morari quenq̃ debet: quid tanto consensu loquantur vetusti scriptores, quod antiquitas minimè debet impedire, quo minus liberè veritas, à mendacio discernatur. Hæc vos docuistis, statim vt nouum istud Euangelium vestrum in lucem proferre cœpistis. Ecce nunc & vos contra blasphemos istos disserentes, facti estis illis Gabaonitæ. Ecce nunc illis iterum induisse videmini, simul & ab ipsis indui velle, vetustos pãnos, quos abieceratis, & alijs vt abijcerent, auctores fuistis: dum eis patres, Concilia, Vetustatem opponitis. An autem isti non bellè vobis respondent? Vetusti sunt, aiunt, isti panni, quos vos primi lacerastis in alijs articulis fidei. Sic nos olim docebatis. Vnum nobis esse debere magistrũ Christum. Os Iehouæ consulendum esse, non hominum. Nunc ab hac doctrina desciuistis, & ad Gabaonitarum habitum reuersi, sub illo nobis imponere, populum ad Ægyptum reducere vultis.

*Caluinus in Epist. ad Heb.*

*A Trinitarijs progressus Satanismi describitur.*

Sed quid alio quoq; loco dicat, audite. Nam initium atq; progressum huius Satanismi, qd nunc, proh scelus nefarium, Euangelium à nonnullis vocatur, describens, his verbis vtitur. Cùm Lutherum Deus excitasset, Ecclesiam Antichristi, per eum ita dirutam esse voluit, vt non à fundamẽtis inciperet: alioqui tã putrida domus, eum prius oppressisset sua ruina: sed eam à tecto aggressus (vt fit in diruendis veteribus ædificijs) vastare cœpit primùm indulgentias Antichristi, quibus negatur Christi satisfactio, & gratuita remissio peccatorum. Posteà purgatorium aggressus ignem illum culinarum papisticarum, frigida verbi Dei penitùs extinxit. Hinc inuocationem mortuorum, qui pro mediatore vnico, funditùs abolito regnabant, pessum dedit, deinde peregrinationes, &c. Cùm venit ad profundiora & fundamento viciniora, vt ad Missam. Deus bone, q̃ furebat Satan. Extirpauit tamẽ Missam, diu sẽcum disceptans, & eius appendices retinens. Sed radices, ex quibus repullulascere potuit, non euulsit stirpitus: præsentiam eius in pane, carnis eius vbiquitatem, ac manducationem, quæ fit ore retinens. Hic iam hæsit Lutherus in doctrina de Sacramentis, nec Antichristum potuit funditùs extirpare: eius etiam Cæremonias Iudaicas & gentiles pro legitimis vsurpauit. Surrexit posteà Zuinglius, qui tandem Missam, cum suo Deo panaceo, & omnibus appendicibus eius radicitùs euulsit: ita vt nihil iam Antichristianissimi in ea re reliquerit: Sacramenta non includere in se CHRISTVM docuit: neque etiam Sacramentis gratiam Dei allegauit: in cœlum nos ad Christum relegare Sacramenta & deducere: & ad mortem Christi sub Pilato peractam fortissimè asseruit. Vbi verò iam suo ordine ad fundamentum ventum est, quod illis prioribus athletis penitùs repurgare, ab Antichristi & eius Sophistarum putridis commentis datum non fuit: quantum Satan furit, & in quæ monstra se non vertit, vt suum Deum ignotum, Prophetis Christo, Apostolis, Deum infinitum, Deum essentiam, Deum trinum, & alijs varijs, & monstrosis nominibus vocatum defendat? qui pro vno solo vero patre Domini nostri IESV CHRISTI, & pro filio eius vnigenito Deo vero, ex illo vero genito, tum vno spiritu Sancto regnabat diu. Nobis verò quicunq; Christi ministri sumus, & membra eius corporis, summa ope adnitendum est: quò penitùs hoc fundamento ab Antichristi sordibus, & dijs fictitijs repurgatum, tantùm ex lapidibus verbi Dei substruatur Ecclesiæ Dei: quo tandem contra omnes inferorum portas, in neutram partem inclinans, stare semper possit. Quoad enim aliquid putridum in fundamento manserit, metuendum ne putrefacto tandem fundamento, ædificium totum inclinet, & posteà ruat: sicut factum est in papatu: & nunc à nouo Sabellio, & illi similibus, totam veritatem patefactam euersam Satan curat.

*Zuinglius parietes Ecclesiæ dissecat.*

*Trinitarij fundamentum diruunt.*

*Lutheranismi progressus. Philip. 3*

Hactenùs blasphemus iste, Deum excitasse dicit Lutherum: sed legitur in scripturis etiam Deus venter: hunc si Deum intelligi vult: næ ille rem acu, quod aiunt, tetigit. Nam abisto Deo, Ventre, primam de indulgentijs velitationem excitatam fuisse, manifestum est omnibus. Successit posteà Deus huius seculi, qui mentes excæcat infidelium. Nam cùm hæc illi prima velitatio non infeliciter cessisset, multosq; post se discipulos abduxisset: elatus hoc rerum successu, sic est à Deo huius seculi excæcatus, vt de tremendo quoq; Missæ sacrificio deinceps cogitationem susciperet. Fatetur ipse, quod vltrò se facturum obtulerit, vt & de indulgentijs taceret, & ordinem ac iurisdictionem ecclesiasticam, non modò non oppugnaret: verumetiam pro virili sua tueretur ac defenderet: sed cùm non audiretur ab Episcopis, nec alia conditione reciperetur, quàm si recantasset, prouocatum se fuisse, vt progrederetur vlterius. Quid, inquit, inde lucrati sunt? Hic iacent indulgentiæ, & literæ simul cum figulis euanuerunt: Quid si propediem sic eueniet eis circa Ecclesiasticam potestatem: & circa ceremonias ordinum consecrationem, &c. Ac deinde pergit multa contra Missam scribere, Qua quidem in re diabolo se præceptore ac magistro vsum, eumq; sibi fortiora contra Missam

*Lutherus diabolo præceptore.*

*Luth. in lib. de Missa angulari.*

*2. Cor. 4.*



fam argumenta suppeditasse: q̃ quæ refelli potuerint, adeò non obscurè fert, vt etiam gloriari videatur. Palàm vt omnibus esse queat, quòd non Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, verùm Deus huius seculi mentem eius excæcauerit, vt hucusq; prolaberetur impietatis: & futile sit hoc istius mendacium, quod furebat Satanas, cùm ad Missam abolendam aggrederetur. Nam adeò non furebat, vt etiam tela suppeditaret, quod ipse fatetur Luthe rus, quibus eam expugnare posset: cùm à nulla re æquè abhorreat: atq; à tremendo isto sacrificio, quod Christi passionis & mortis est commemoratio, quam ille ex omni hominum memoria deletam, & sempiterna obliuione obrutam cupit. Intereà tamen verissimè describuntur ab isto gradus, quibus eò peruentum est: vt Ecclesia Dei, quam vos papatum vocatis, funditùs apud quosdam euerteretur. Nam reuera Lutherus: quemadmodum isti scribunt: tectum diruit: parietes autem, & viciniora fundamento mẽbra vester Tigurini, Zuinglius dissecit. Hi verò quibus cum vobis nunc est negocium, cùm in eam opinionem veniant, vos tempori seruiuisse, quod nondũ satis vobis oportunũ videbatur, ad ea, quæ iam erat is meditati perficienda: quod vos intactum tamen adhuc reliqueratis, ipsi fundamento manus intecerunt, atq; ita quæ per vos Ecclesiæ Dei vastatio fieri cœpta est, eam isti viri gloriosi absoluerunt: ac ipsis etiam fidei nostræ fundamentis, radicitùs extirpatis, cum puluisculo, quod aiunt, sustulerunt omnia, ne vestigium quidem vllum doctrinæ de Sanctissima Trinitate relinquere cupientes, quam nondum etiam vulgo notam, iam inde statim ab orbe condito, Sancti Patriarchæ & Prophetæ coluerunt: & nobis tot millibus annorum obscurius initio, deinde patefacta Euangelij luce clariùs, atq; manifestiùs colendam & adorandã quasi per manus tradiderunt.

*Trinitarij Ecclesiæ fundamentum dã. ruerunt.*

*Satanam imitatus Lutherus cum suis malefanis successibus in euertenda Ecclesia. Gen. 2.*

Verissimè dictum est illud, Erat serpens callidior cunctis animãtibus. Nihil cupiebat magis: nec alio collimabat magis, ab ipso statim exordio, quàm vt summum hoc salutis nostræ dogma prorsus euerteret, & ex animis mortalium tolleret: nihil tamen initiò minùs præ se tulit: paulatim eò sibi perrependum esse putauit: quod, quæ est ipsius astutia, facilè prospicit bat fore, priùs vt opprimeretur ipse ruina, quàm aliquod operæ pretium feciſſet, Quamobrem illius memor, quod scriptum est. Qui modica spernit, paulatim decidit, ab alijs quibusdam, quæ modica videri poterant, exordium sumpsit: Nimirum ab vsu calicis, ab esu carnium diebus prohibitis, & alijs eiusdem generis, de quibus Ecclesiæ doctrinam, & institutionem, non aliam ob causam reprehendit, quàm vt illius auctoritatem, in his, quæ modica videbantur initiò spernere doceret: vt sic modica spernendo paulatim homines deciderent. Itaq; calicem vsurpandum, carnes diebus ieiuniorum comedendas, vxores voto obstrictis ducendas docuit: non aliud, quàm in odium & despectum papæ & Conciliorum ab eo legitimè congregatorum. Indè progressus est ad ea, quæ recensentur ab istis: ac maiorem laborum suorum partem in tecto tantùm demoliendo consumpsit. Porrò Zuinglius ad ipsos parietes accessit, & eos dissicere conatus est, fundamẽtum non attigit. Ad quod euertendum, aggressi tandem sunt isti gloriosi milites, & summũ salutis nostræ dogma sustulerũt: q̃ eis, via iam per alios munita, præstare non adeò difficile fuit. Totis. n. quadraginta & amplius annis, nihil aliud mentibus hominũ diligentius per suos ministros inculcãdum, & imprimendũ Satan curauit, q̃ doctrinã in Papatu corruptã esse: nihil Conciliorũ decretis: nihil priscorum Patrum placitis tribui debere: solum illum audiendum esse, de quo lapsa de cœlo voce dictum est: Hunc audite. Præcipuè verò Pontificis Auctoritatem omnem non tam eleuare, quàm prosternere conatus est & cõculcare: qua stante proficere se quicquam posse, desperabat. In hunc igitur plenis conticiorum, & contumeliarum velis inuectus, exosum cunctis reddere nomen eius, & eum in ordinem cogere nitebatur: quo sic gubernatore sublato, fiet ut ille scripsit: atrocius atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassari posset. Qui conatus, cùm ei quibusdam in locis ex animi sui sententia cessisset: tum verò primùm per Zuinglium, Oecolampadium, Caluinum, & eorum similes alios progredi cœpit longiùs, donec ad hos infelices ventum est, qui fundamentum etiam ipsum dirutum cupiunt.

*Matt. 7.*

*Cyprianum.*

*Diſsidia hæreticorum inter se.*

Quid erat à quo piorum omnium aures initiò magis abhorrerent, quàm cùm in Missam, & in Ecclesiæ Sacramenta tanta petulantia debaccharetur Lutherus? sed hæ tandem in multis locis occalluerunt. Exortus est posteà Carolstadius, cũ suis discipulis, Zuinglio, Oecolampadio, Caluino: tum verò, non modò Christiani, verùm & ipsi Lutherani, sacrilegum errorem vestrum sic execrabantur, vt haud aliter vos Tigurini, q̃ viperam & basiliscum fugerent, atq; modis omnibus à suis congressibus arcere conarentur: cùm & aqua & igni vobis interdixissent. Sed vestris quoq; blasphemijs posteà multorum aures assueuerunt: & est hæresis hæc vestra tam longè, tamq; latè propagata, propemodũ vt iam extincta Lutheranam videre liceat. Qua de re non vno in loco gloriatur Caluinus. Quin & libellus quidam proximis superioribus annis in lucem prodijt, cuius hæc est inscriptio.

*Victoria veritatis & ruina papatus Saxonici:*

*Papatus Saxonicus*

Sic Saxonicum quoq; Papatum iam esse deletum vester ille gloriatur, cùm interea Papatus Romanus, ab ipso Christo fundatus, & institutus, fixus & stabilis permaneat: vt sit omnis homo mendax: verax autem appareat ille, qui dixit, quòd portæ inferi non præualebũt aduersus eum. Et alio loco: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Ecce autem venêre nunc isti, qui sicut Lutherus Ecclesiæ Christi: vos autem Ecclesiæ & Lutheri: sic ipsi vicissim & Ecclesiæ Christi, & Lutheri, & vestrum Papatum, sublato fidei nostræ fundamento, subuertere conantur. Noluit Lutherus à Pontifice sibi præscribi, quousq; progrediendũ foret in fidei dogmatibus: vos aũt nec à Papa, nec à Luthero, legẽ vobis statui ferre potestis. Ecce nũc exẽplo vestro surrexerũt isti, q̃ nec à Papa, nec à Luthero, nec à vobis modũ sibi ponũ certisq; finibus, intra quos consistendum sit, circumscribi doctrinam suam patiuntur:

*Matth. 16.*

*Luc. 22.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sed velitis, nolitis, memores illius prouerbij, quòd multi discipuli sint præstantiores magistris, ipsum etiam fundamentum petunt, & illud modis omnibus extirpatum cupiunt: vt fiè à Luthero fieri cœptam, à vobis autem aliquousq; progressam Ecclesiæ, quæ domus est Dei viui, vastationem, tandem aliquando perficiant.

Fuit à Christo Papatus vnus institutus, per quem vnitas in Ecclesia retineretur, ad quem euertendum cùm Lutherus vnà vobiscum, & cum alijs multis, eiusdem farinæ, conspiraret, videte, quæso, quorsum res ad extremum reciderit. Simul vt Christum, per legitimum Papam, cui peculiariter oues suas omnes pascendas commendauit, loquentem & præcipientem audire desijstis, & suaue Christi iugum per eum Ecclesiam suam gubernantis excussistis, q̃ multi, & ij minùs tolerabiles Papę q̃ Romanus, apud vos exorti sunt. Qui primus excutiendi iugi Põtificij fuit auctor Martinus Lutherus, an de eo magni Rabini vestri, Ioânes Caluinus & Iannes à Lasco non quæruntur: q̃ non sustulerit: sed potius ad se pertraxerit (sic enim ipse loquitur) Papæ tyrannidem, quodq; pro ligneo Papæ iugo collo excusso ferreum ab illo fuerit impositum.

*Pro vno Papa multi nati sunt.*

*Lutherus Papa.*

Sed libet aniles ea de re quærimonias adscribere cuiusdam Lutheri discipuli: Ioannes is est Spangenbergius, qui non ita pridem libellum edidit lingua sua Germanica, cuius talis est inscriptio. Verax narratio beneficiorum per Doctorem Martinum Lutherum piæ memoriæ, præsertim Germaniæ diuinitus præstitorum, & detestandæ ingratitudinis erga eiusmodi ingentia beneficia & munera, &c. Accusat autem is in eo libello, non Christianos, quos vocat Papistas: verùm illos ipsos accusat ingratitudinis, qui Lutheri verbum tanq̃ Christi verbum quadraginta his annis adorare cœperant, VVittembergenses potissimum, Lipsenses, & qui sunt sub Duce VVittembergensi. Hos igitur grauiter accusat q̃ acceptorum à Lutheri beneficiorum immemores, auli fuerint in decem, aut vndecim doctrinæ capitibus ab eius doctrina dissentire: quodq; ijs eum elogijs ornauerint. Vocant illum, dicit ille, Philautum, hoc est eiusmodi hominem, qui non nisi de se vno præclarè senserit, sibi vni plurimum tribuerit: cuiq; nihil arriserit, præter q̃ quod ipse dixisset, & fecisset. Appellant item Philonicum, & Eristicum, id est hominem vsq; adeò rixosum, vt semper suam tueatur sententiam, tanq̃ æquam, nemini quidquam concedere. nulli cedere velit: suam duntaxat aucupetur gloriam: nec quenq̃ præter se ferre sustineat. Itemq; Doctorem Hyperbolicum, puta, qui ex culice possit efficere Camelum, qui mille iactitet, & vix quinq; cogitet: effutiat quicquid in buccam venerit, floccipendens num verum, vel falsum sit, quod dicit: deniq; qui duplo plus asserat, q̃ ipsa habeat rei veritas. Nuncupant etiam illum Polypragmonicum, qui se procaciter, & petulanter negocijs omnibus immisceat, qui plura sibi expedienda sumat, q̃ ipsius pos ingenij ostentatorem eum nominant, q̃ non nisi ingenij acumen, præter necessitatem ostentare, seq; venditare voluerit. Sed & Stoicum durum, capitosum, qui non nisi suo vixerit cerebro, atq; alios Tyrannica continuerit, & compresserit seruitute. Deniq; Somniatorẽ eum vocant, & proh dolor, miserandum in modum coquunt, & permiscent, &c. Necaliter ea de re sentit Zuinglius vester, tot ab eo confossus anathematibus. Quin & discipulus illius Melanchton se turpiter illi seruiuisse quæritur.

*Ioannes Spangenbergius.*

*VVittenbergenses à Luthero defecerunt.*

*Lutheri elogia atque cognomina.*

*Tractatus Spangenbergius.*

*Zuinglius Papa.*

De vestro verò, Tigurini, Papa Zuinglio quid dicam? qui Lutheri fastum alio maiori fastu calcabat, ac minùs etiam, q̃ ille tolerabilis fuisse videbatur: cùm nullum illius dictum celebretur magis q̃ illud: Euangelium sitit sanguinem. Tartaream hanc esse vocem Poëta diceret. Verùm talis Euangelij, quod ex imo Tartaro profectum est, præconem non alia vox magis decebat. Neque verò dictis magis, quàm ipsis etiam factis Euangelium, quod ipse prædicabat, sitire sanguinem demonstrauit, Statim enim, vt se Papam ipse vestrum constituit.

*Zuinglij crudele dictum.*

*Cœpit Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.*

Quem quidem cantum, ille verbum Dei, Christiq; vocabat Euangelium. Bellonam videres sanguineo flagello armatam. Illo ductore complerunt campos acies: cnmq; futurum prædixisset, vt omnes eorum, qui stabant ex aduerso bombardæ, atq; lanceæ, aca lia tormenta bellica, in propria ipsorum viscera conuerterentur, euenit illud quod est apud Poëtam: Primusq; cadit Tolummius Augur: cuius Euangelium sanguinem sitiebat alienum: suum ipse sanguinem in acie prior vnà cum vita profudit. Et q̃ verum fuit Euangelium, quod prædicabat, tam erat illius vera prædictio. Nec obscuro signo Deus tum declarauit, qui nam essent illi, qui suum defenderent Euangelium: cùm paucis admodum, & eis inopia rerũ omnium pressis, victoriam concessit, de suis & Euangelii sui hostibus: quos & numero militũ & viribus, & armis, & rebus omnibus ad bellum gerendum necessarijs, multò fuisse constat instructiores: vt non homines: verùm ipse Deus pro suis fidelibus in aliquot illis prælijs pugnasse videretur. Nec enim humanis viribus illa victoria parta fuit, quæ propè nullæ fuerunt comparatæ cum tantis copijs: verùm dextera excelsi fecit virtutem hanc: Qualis verò futurus erat ille Papa vester temporis progressu, si vita longior ei suppeditasset, cuius initia tam fuere violenta?

*Zuinglius in acie vitam fudit.*

Sed iam ad alterum, qui & ipse pro Papa se gerit apud Allobrogos veniamus, quem & vos quandoq; papam appellare soletis: Ioannes Caluinus is est. An vobis Tigurini alijs illo tolerabilior esse videtur? Certè q̃ quidam vstulatus ab illo Geneuæ fuerit, minimè vobis probatur: multò minùs illud, quod idem edito libro hæreticos iure gladij coërcendos esse demonstrare conatus est: cui tamen multi Geneuenses ministri subscripserunt. Qui verò non subscripsit ei libro Theodorus Beza, suum & ipse edidit eodem argumento scriptum, de hæreticis à Magistratu puniendis, quo sui magistri sententiam, pro virili sua tueri nititur.

*Caluinus papa, Caluinus hæreticos igni & gladio coërcendos docuit.*

*Theodorus Beza hæreticos à Magistratu puniendos docuit.*

Non cum Solonem, sed Draconem legislatorem esse dicitis, qui non atramento: sed sanguine



ne scribat leges: Ciuitatem in qua sumptum est de hæretico supplicium, nouam instauratæ papisticæ crudelitatis officinam appellat.

Sed cùm hæc ita dicitis, vestram causam agere videmini: quò minùs miramur, si in ea cognoscenda, minus sæueros iudices habere cupitis. Nos verò, quòd plectantur hæretici non improbamus: cùm nullum sit hæresi crimen grauius: ita vt omnia alia in vnum cumulum congesta, quamlibet sint atrocia, tamen cum hoc vno collata, festuca sint, cum trabe compara rata. Quamobrem quod est vnum omnium scelus grauissimum, id gladio puniri, non improbamus: cùm nullum possit excogitari tam sæuum supplicium: vt huius tanti criminis atrocitas maius etiam non mereatur, Verissimeq; dictum est à vestro quodam: Summæ quidem esse crudelitatis innocentem & sanctum interficere: sed eiusdem ac maioris etiam esse crudelitatis impium hæreticum non interficere. Sed intereà tamen in eo libenter alij cuidam itidem ex vestris assentimur, quòd ab hæretico non potest) rit è corrigi hæreticus: cùm correctionis opus nõ sit, nisi verorũ Christianorũ. Quãobrẽ si papista sic enim vobis quasi p contumeliam veros Christianos appellare libet) fecisset hoc, quod fecit Caluinus, laudaremus factum. Nam immedicabile vulnus ense rescindendum est, ne pars syncera trahatur. Sæuit in bonos, qui parcit malis. Meliùs est, vt pereat vnus, q̃ vnitas. Quod autem factum est ab hæretico, non probamus: cùm hæreticus in hæreticum animaduertendi ius nullum habuerit. In quo tamen nõ hoc maximè reprehendimus, quod ista sæueritate sit vsus in hæreticum: multò magis illud, quod etiam Catholicos persequẽdi sibi ius arrogare dicitur. Quid enim, quod minùs tolerari queat, quàm quòd pietas ab impietate persecutionem patiatur. Tum verò qualia sunt illa, per Deum immortalem, quæ dicuntur, & quæ scribuntur de illius intollerabili arrogantia, deq; fastu incredibili, deq; tanta insolentia, vt eam etiam illi damnent, qui sunt ipsi iuratissimi, nec ferre diutius possint? Cùm in Idolum quoddam transformari, & sicut olim Titum Flaminium Græcia coluit, sic velit, vt se quoq; colat Gallia victimis, & sacrificijs: vt quos Idololatras eosdem & Caluinolatras vocari liceat. Buceri quidem hoc de illo iudicium fuisse fertur, quòd maledicentiæ morbo sit infectus, quem etiam in scriptis illius nemo est, qui non videat, q̃ impiè audax, falsus accusator, rabidus fratricida. Quæ res autem adegit Ochynum vestrum, vt ita diligenter admoneret principes, & Magistratus, ne nouum papatum surgere permittant: vt q̃ Dialogum quendam ederet, contra sectam terrenorum Deorum, siue paparum vestrorum, qui suum verbum tanq̃ Dei verbum adorari volunt, quos futuros multò sceleratiores & crudeliores asserit: q̃ vnquam fuerint Papæ Romani, nisi quòd intollerabilem esse papatum Geneuensem, fortassis autem & Figurinum iudicauit.

*Nota.*

*Caluini factus incredibilis.*

*Caluinolatræ.*

*Bucerus.*

*Ochyn.*

Sed nobis non est propositum omnia recensere, quæ de hoc homine à viris fide dignis dicuntur, & scribuntur, cùm alio stylus noster festinet. Libet enim de Lutheri discipulis nonnulla dicere, si prius, quod Caluini de illis iudicium fuerit, paucis indicauero. Is enim in libello, quem inscripsit. Vltima admonitio ad Ioachimum VVestphalum, cui nisi obtemperauerit, eo loco postea habendus erit, quo pertinaces hæreticos habere iubet Paulus. In genere scribens de illis, sic esse dicit errore fascinatos, vt quod pueris in Catechismo traditur, ve terani Theologi non teneant: Quid valeat cœna, quorsum spectet, nunquam gustasse brutos istos homines, ne guttam quidem ingenui pudoris in eis esse: nimis largam illis copiam cauillandi profluere, dum Lutheri sui Hyperbolas proijciunt, modò plebeculam, suosq; fraterculos fascinent, popularis theatri plausu contentos, nec Dei, nec Angelorum iudicium magnoperè curare. Tribuit illis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cæcam temulentiam, caninam improbitatem, diabolicam superbiam: quòd eis superbia sit loco pietatis: quòd eos ferocitas omni humanitate spoliauerit: quòd obstinatio nihil moderaminis reliquum fecerit. Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbam factionem Gygantum, latratores, phreneticos, bestias, proteruos, factiosos, pertinaces, & id genus alijs coloribus, depingit. Quæritur de illis: quòd suos indignos esse clamitent, quos terra sustineat: iScythas, vel Indos ablegentur: accusare eos Principum segnitiem, quòd non exerto gladio, ta quòd nisi repentè exterminentur è mundo, non posse cum eis mitiùs agi, quàm vt ad protinus deleant Sacramentariorum memoriam. Quis autem Apelles eos depingere potuit melius?

*Caluini de Lutheri iudicium.*

Nunc ad historiam de Lutheri discipulis accedamus. Cum enim illo mortuo, Saxonicus papatus vacaret, Philippus Melanchton eum sibi vendicare visus est: cum quotquot fuerũt alij, qui doctrina cæteris præstarent Augustanæ Cõfessionis, eũ ex magna parte Præceptorẽ omnes agnoscerent. Itaq; iure suo se statuere quiduis posse iudicabat: nec habere necesse, vt in omnibus Lutheri placita tanquam Dei verbum sequeretur. Cuius pleraq; dogmata manifestè condemnauit: & saniorem Papatus, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ sententiam est amplexus. In dogmate verò de Eucharistia Caluini sententiam comprobasse videtur. Quid autẽ fecêre, tum eius discipuli, & inter eos Princeps Matthias Flaccus Illyricus, qui quod & in Adiaphora præceptor consensisset, & in quibusdam fidei dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ sententiam sequi maluisset, ac secuturo Papatui (sicut ille scribit) fenestram aperuisset, ab illo diris deuotus est: vt pro Ethnico & Publicano haberetur, id est, vt nemo pius cum ipso, vel sectatoribus eius familiaritatem, conuersationem, amicitiam vllam haberet. Doluit hoc Philippo vehementer, quòd à suis discipulis ita tractaretur. Itaq; cùm sua scripta quædam in vnum volumen collegisset, quod Corpus doctrinæ Christianæ vocauit: in illius voluminis præfatione, quam admonitionem inscripsit ad lectorem, facta Matthiæ Flacci Illyrici & Nicolai Galli mentione, sic de illis loquitur: Cùm isto mirabilium hominum genere agi nihil possit, qui suo arbitrio damnant quidlibet: neq; personis auditis, neq; rebus dijudicatis. Cogunt Concilia, quando, & vbi ipsis placet: & vendicant sibi maiorem, magisq; intolera-

*Saxonicus Papa succedit Philipp. Melanchton.*

*Philippus ab Illyrico condemnatus.*

*Philippus in præfatione in corpus doctrinæ suæ.*

*Mirabile genus hominum hæreticis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rabilem ac minus excusabilem auctoritatem ac potestatem, quàm Papa Roman. vnquàm. Quæ quorsum tandem euasura videantur, cogitetur. In præfatione verò, quæ præcessit admonitionem hanc: In Anarchiam quandam euasisse dicit. Obsecro vos Tigurini, diligenter vt expendatis hæc Philippi verba. Mirabile genus hominum appellat, qui suo arbitrio damnant quidlibet, neque personis auditis, neque rebus dijudicatis. Atqui de hoc mirabilium hominum genere, fuit præceptor eius Lutherus, de hoc mirabilium hominum genere, fuit ipse quoque Philippus, de hoc mirabilium hominum genere, fuerunt Oecolampadius, Zuinglius, Caluinus, & quotquot alij cuiuscunque tandem sectæ doctrinam in Papatu corruptam esse dicunt: damnarunt enim omnes hi doctrinam papatus, hoc est, orbis totius Christiani, nec personis auditis, nec rebus dijudicatis. Sed magis etiam considerationе digna sunt, quæ sequuntur. Vendicant, inquit, sibi maiorem, magisq; intolerabilẽ, & minùs excusabilem, auctoritatem ac potestatem, q̃ Papa Romanus vnquam. Quanta est veritatis vis, vt etiam per hostium veritatis iugula, velint nolint, nonnunquam erumpat. Duo fatetur hic Philippus. Vnum quòd etiamsi quod Papæ alicuius sit peccatum in abusu potestatis, tolerabile tamen id sit & excusabile. Nam quòd à legitima potestate fit, quam Deus ipse constituit (qualem hic Papæ potestatem agnoscere videtur) & excusari tamen potest & tolerari, etiamsi modum fortè prætergressa fuerit. Alterum, quòd multò sit iugum durius istorum, qui se nunc pro Papis gerunt in Germania: q̃ fuerit vllius vnquam Papæ Romani. Nunq̃ enim vllus Papa Romanus condemnauit quenq̃ non auditum, neq; priùs illius causa cognita: quod istis vsitatum iam est facere, qui post excussum legitimi Papæ Romani iugum, maiorem quàm ille potestatem & auctoritatem sibi vendicare sunt ausi. Deinde verò, quod vos dicitis Tigurini, quòd Pontifices figmenta sua populo pro diuinis oraculis obtruserint, hoc multò rectiùs in vos retorqueri potest. Vos enim estis, qui vestrum verbũ pro Dei verbo populo venditatis, & non alio loco, quàm quo Christi Euangelium abillo haberi vultis. Itaq; verissimum est, quod Philippus vester dicit, Maiorem vos, magisq; intolerabilem, ac minus excusabilem potestatem vobis vsurpare, quàm Papa Romanus vnq̃.

*Papa ab hæreticis damnatus iniquè*

*Papæ delicta toleranda & excusabilia Philippi sententia.*

*Paparum Germanicorum iugum durius quàm Papæ Rom.*

Semper in papatu docebatur discrimen inter ius diuinum, quod diuinitùs promulgatur, & ius humanum, quod ex humana voluntate procedit. Inter legem diuinam, quæ æterna est fixa & immutabilis, qua solui nemo potest: & legem humanam, quæ pro eo, vt locorum, personarum, temporum diuersitas postulat, quoties id charitas, cui subsunt omnes leges, ex pedire iudicauerit, vel omitti, vel intermitti, vel mutari, queat, & aboleri. Modo ne priuata id quisq; faciat sua libidine: sed eius, qui legem condidit iudicio, penes quem est interpretãdi, mitigandi, corrigendi, quin & mutandi atq; abolendi potestas. Hac doctrina pleni sunt omnes libri Scholasticorum omnium: impudens vt sit commentum hoc vestrum, quod Pontifices figmenta sua populo pro diuinis oraculis obtruserunt. Sed audire Tigurini, quid Ochynus vester, dignus talibus magistris discipulus, de vobis scribat. Nam cum quæstus esset, non obseruari à vobis illud, quod monet Paulus de iudicanda Prophetarum doctrina: Non ita nunc, inquit, fit, sicut Paulus monet. Nam quod minister vester esse iudicat, docet, q̃ id censet alijs omnibus credendum esse tanquam caput fidei: quod si quis contrà dicit, neque illi citra vllam conditionem fidem adhibet, is hæreticus est: denique quod nostri somniarunt, id chartis mandant, excudi q̃ curant, suaq; scripta & verba pro oraculis haberi volunt. Neque est, quòd speres eos vnquam recantaturos, aut se Ecclesiæ subiecturos, volunt vt Ecclesia ipsorum, non ipsi Ecclesiæ arbitrio credant: id quod est nihil aliud, quàm se quosdam papas terrenosq; Deos esse velle, & in hominum conscientias tyrannidem exercere, ac Dominos esse fidei eorum, qui sunt in Ecclesia, velleq; vt ipsorum arbitratu credant contra Pauli sententiam. Quinimò docent, scribunt q̃ interdum ministri, contra quam ipsimet credunt, vt cum mundo consentiant, neq; cum Christo infestentur.

*Discrimen inter ius diuinum & humanum.*

*Charitati omnes leges subsunt.*

*Ochyni testimonium de Tigurinis.*

Verùm ad institutum redeamus. Quàm intolerabile visum fuerit Philippo iugum paparum istorum Flacci Illyrici, & Nicolai Galli, iam audiuistis Tigurini: Nunc vicissim audite: quod sit horum de suo præceptore iudicium.

Æquè, inquit Gallus, hoc est munus meum, æquè mihi mandatum est, vt illis, vt assistam veritati, & vt contradicentes arguam: sint quicunq; tandem velint: etiamsi sit Angelus de cœlo. Imò persuasum habeo, quòd eis hoc ipso, coram Deo, plus honoris, & beneficij defero, cùm illos arguo, & errorum admoneo, atq; vt pœnitentiam agant, hortor, quàm illipsi assentatores, & adulatores omnes, qui suis adulationibus eos in erroribus confirmant, & in impœnitentia detinent. An existimant se tales esse Præceptores, vt discipuli credere omnia necesse habeant, quæ ipsi dicunt: aut tales sanctos, vt non possint errare? Atqui non est hoc nouum, ne apud Ethnicos quidem, quòd præstitit hoc aliquando Deus, & præstare potest adhuc, vt citius discipulo, quàm præceptori veritas patefiat: qua cognita non dubitet à Præceptore dissentire. Inde natum est illud: Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Et ante illos errarunt magni, & sancti viri, & in errorem alios induxerunt. Deinde verò necesse est, vt Lutherum quoq; finant adhuc esse Præceptorem, & Præceptorem omnium Præceptorum Christum: à quibus ipsi defecerunt: quemadmodum in hoc omnis nostra superior disputatio quiescit: quibus Præceptoribus ipsi se nunc opponunt: & verè sunt ingrati pro manifestata veritate. Pergunt interim, mittunt in errorẽ, errãtes ipsi subtitulo Præceptorum, sicut Iudæi sub titulo legis: & Papistæ sub titulo Ecclesiæ. Atq; vt lepidam hanc & seriam collationem à Doctore tenebat, tantummodo accipiant: qui sic dicere solitus erat. Est q; sanè salutaris oratio, quam operæpretium sit non ignorare modò Christianis, pro fida commonitione. Sicut Iudæi, inquit, clamabant, Templum Domini, Templum Domini: Et Papistæ hactenus clamauerunt: & clamant adhuc, Ecclesia, Ecclesia: Ad eundem modum nunc clamant nostri Magistri & Scholastici VVittembergenses, & nihil aliud prorsus norũt, quàm



quàm Præceptores, Præceptores: præceptoris Christi, de quo Dominus testificatur: Hic est filius meus, hunc audite: tum etiam Præceptoris Lutheri, cui & scripta & opera testimoniũ dant, q̃ Deus illum ad reformationem doctrinæ, & Ecclesiæ, tanquam vltimum Eliam nouissimis temporibus his excitauerit: horum (inquam) Præceptorum, cùm Papistæ, tum Adiaphoristæ sunt obliti. Huc etiam illud pertinet, quod nos nouos Papas, & reformatores Ecclesiæ criminantur. Sed certò persuasum habeo: quòd magis id in illos quadrat. Nã quem admodum Pontifex Rom. sibi hoc arrogat, quòd non possit errare: quòd sit vniuersalis Episcopus totius Ecclesiæ, quòd quęcunq; dicuntur, & statuuntur ab illo, ea fixa & rata esse oporteat, ac sint mera diuina oracula: de quibus nemo dubitare, quibus nemo contradicere audeat: idq; eò, quòd Petri Cathedræ ipse sit hæres, aut esse velit: haud aliter profectò faciunt nunc VVittembergenses: volunt Lutheri & eius spiritus propter Sedem hæredes esse, cuius tamen spiritus: quomodo se nunc dant initia, tantum propè nunc penes illos residere videtur: quantum de Petri spiritu Romæ residet, apud papam, Cardinales, Episcopos, & eorum gregem.

*Lutheri spiritus nil reliquum VVittembergæ.*

Quid vobis videtur Tigurini? num discipulus hic Lutheri magistri sui spiritu plenus non est? qui nullum etiam scire discrimen videtur inter Christum, & Lutherum. Sic vtrumq; cõiungit: vt Lutherum ipsi Christo, si non anteferre, saltem æquare videatur. Cùm tamen inter tenebras, & lucem discrimen maius esse non possit. Quandoquidem ex Diametro (quod aiunt) cum Christi doctrina pugnare, quæ docet Lutherus, perspicuum ei sit, quisquis vtranq; contulerit. Quam autem bellè retorquet in Philippum Gallus, quod ille prior in ipsum, & collegas ipsius fuerat iaculatus,

*Illyricus Lutherũ Christo æquat.*

Verùm & hoc an non videtis Tigurini, post excussum papæ iugum, eò rem esse perductã: vt dum illud quod à Paulo scriptum est, negligitur: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: nec sibi quisquam alterum præferri patitur: quandam in Germania Babylonem ædificatam videre liceat? Nam qui primus in Germania sibi papatum arrogauit: neque iudicium fieri de doctrina sua permisit: sed obsequium tantum ab omnibus requisiuit: an illi non idem vsu venit, quod quondam in Africa Donato? Quid enim de Donato scribit Augustinus? Sicut, inquit, ille Christum diuidere conatus est, sic ipse à suis quotidiana concisione diuiditur. An hæc totidem verbis de Martino Luthero dici non possunt? Quin & de vestro Zuinglio. Primus Lutherus in Germania diuisit Christum, diuisit corpus eius Ecclesiam, Quid autẽ? an ipse quoq; diuisus non est? An ipsius quoq; sectam in multas sectas minrabiliter inter se dissectas, stupendum quendam in modum dissectam, oculis ipsi vestris non cernitis? Bona spes vt sit, quandoquidem ita mordent, & comedũt inuicem, breui futurum, vt consumantur ab inuicem. Sed quid futurum dicimus: quod factum iam esse quidam ex vestris triumphat. Cùm tamen & inter vestros, non maiorem, q̃ inter Lutheranos doctrinæ papæ sint oportet: quot sunt hæreseõ magistri. Quærũtur ipsi de se mutuò Lutheri, discipuli & magistri sui doctrinam, quam Dei verbum & Euangelium vocant, corruperint: quã apud sesolos incorruptam retineri, qui sunt factionis Flaccianæ, gloriantur: cui tamen factioni, so liam propemodum adhærere videntur Magdeburgenses, cum paucis admodum alijs in Saxoniæ ciuitatibus. Nam VVittembergenses & VVirtembergenses: quin & Ienenses, & alios iam ab ea defecisse quiritantur: Vt vbi Sedes fuit Lutheri: non ferè quicq̃ ibi reliquum sit de spiritu Lutheri: Quam etiam ob causam: q̃ proximis superioribus annis fecerat Andreas Osiander: vt moneret suos, ne liberos VVittembergam ad capiendum ingenij cultum proficisci permitterent: quod ibi negare Christum, & in Philippi Melanchtonis verba iurare cogerentur: idem & suos monet nunc Tilemannus Heshusius, in his libellis, quos hoc anno, postea à Magdeburgensibus pulsus est, edidit: ac VVittembergenses vnà cum alijs eadem cum illis sentientibus extra suam Ecclesiam esse pronunciat: & eorum communiones suis omnibus interdicit. Quod idẽ facit vniuersa factio Flacciana: quòd eos defecisse dicant à Christi & à Lutheri doctrina. Semper enim ferè duos istos coniũgunt: & eodẽ vtrũq; loco videntur habere. Sed hoc fortasse minus mirum videri poterat: q̃ istos ex Ecclesia sua Tilemannus, cũ sua factione Flacciana, propter corruptelas quasdam, vt ipse dicit, eiecerit. Illud autem quis est, qui satis admirari queat: q̃ ipsos quoq; Magdeburgenses in Ecclesia sua non ferat, quos tamen veros esse Lutherolatras constat: & qui Flaccianę sectæ videri volunt: nihilominus eos à Deo, & ab ipsius verbo defecisse clamat. Quod etiam hoc argumento probat. Sic enim loquitur in quodam suo libello.

*Lutheri spiritus sede sua pulsus.*

*Osiandri de VVitembergen iudicium.*

*Heshusij de ijsdem opinio.*

*Flacci de ijsdem sententia.*

Manifestum est, inquit, & vniuersæ ciuitati Magdeburgen. notum: q̃ vos tyranni, falsi fratres, & qui vobiscum faciunt, Christianos, qui sibi vestram hanc persecutionem displicere non obscurè ferunt: & se meam & aliorum fidelium Doctorum doctrinam sequi profitentur, magna quadam animorum acerbitate Flaccianos vocatis, ac per hunc modum segregatos à vobis esse vultis. (Notet autem hic Lector, quòd q̃ secum faciunt, eos vocat Christianos: Illud absque dubio volens innuere, quòd qui sunt diuersæ factionis, Christiani non sunt. Pergit deinde, non puto quòd hoc fitis inficias ituri, & si velletis, totam contra vos Magdeburgensium Ciuitatem in testimonium producerem, Nam & ex prætorio, & ex Schõlis, eò tandem res processit: quòd etiam pueri in plateis, & virgines quoties ad nuptias conueniunt, mutuò se Flaccianos increpant, & inuicem toruis oculis aspiciunt. Et reuera, tota fidei confessio in hoc vno verbo posita est. Nam qui alterum qui in CHRISTI nomine baptizatus est: quasi probri loco Flaccianum appellat, quid aliud is indicare vult: quàm se in his quæ ad fidem pertinent, cum eo minimè consentire: & se eum non habere pro Christiano, verùm pro sectario, pro seditioso, pro desertore, qui Flaccium Illyricum & non IESVM CHRISTVM suum Seruatorum sequatur. Nam quid opus est nouo nomine: si ipsi nobiscum

*Papa legitimo vel tecto multos fieri portet.*

*Papæ iugo excusso, Germania facta est Babylon. Phil. 2.*

*August. de agone Christiano. c. 26.*

*Luth. christum diuidere conatus, ipse quoquo diuisus est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



scum,& nos cum illis,idem in fidei confessione sentimus,& ad idem caput Iesum Christum pertinemus.

*Qui Christiani appellatione spreta aliàs appellationes suscipiunt,ex Antichristi sunt Synagoga.*

Vt autem rem,Lector,meliùs intelligat.Insimulauerat Heshusius Magdeburgensem Ciuitatem,quòd à Deo & ab ipsius verbo defecerit.Cùm autem ministri Ecclesiarum Ciuitatis illius hoc constanter negarent:& in eadem fidei regula,quâ præscripsit Flaccius permanere se dicerent,suprascriptis rationibus,qd affirmauerat probare Tylemánus conatus est. Quæ quin pondus tamen aliquod habeant,negari non potest : Nam & Hieronymus ante multa secula scribens contrà Luciferianos,verissimè dixit,si cubi audieris eos, qui dicuntur

*Non à Christo, sed ab aliquo alio nuncupari,hæreticũ est*

Christi,non à Domino Iesu Christo,sed à quo quam alio nuncupari,vtputa Marcionitas,Valentinianos,Montenses,siue Campates,(adderet,si nunc viueret Hieronymus,Lutheranos, Zuinglianos,Caluinianos)scitò non Ecclesiam Christi,sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso,quòd posteà instituti sunt,eos se esse indicant,quos futuros Apostolus nunciauit. Nec sibi blandiantur,si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt : cùm & diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant,sed in intelligendo. Et Hieronymi præceptor Gregorius Nazianzenus: Si crearuram

*Greg Nazia. in dict. Hum Euangelij,cũ consummasset Iesus,&c.*

colerem,Christianus vtiq; non dicerer. Cur enim Christiani nomen venerabile est? Nónne quia Christus Deus? nisi fortasse hoc humano more facio,amicitia nimirum cum ea conglutinatus. Atqui & Petrum honore prosequor,nec tamen Petrianus vocor,& Paulum,nec tamen Paulinus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere , qui à Deo sum

*Chrys. Hom. 33. in Act. Apostol.*

creatus. Ioannes quoq; Chrysostomus: Illi habent,inquit,quosdam à quibus appellantur. Prout enim Hæresiarchæ nomen,ita & secta vocatur.Nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa. Et paulò post,Nunquid scindimur ab Ecclesia? Num Hæresiarchas habemus? Nunquid nobis dux quidam est, sicut illi Marcion,& illi Manichæus,huic Arrius:alteri verò

*Hæres. 42.*

huius Hæreseos dux Epiphanius tractans illum Pauli locum, Non enim nos ipsos prædicamus:Sed Iesum Christum:nos aũt seruos vestros propter Iesum:Ab initio,inquit,vna fuit & consentiens Apostolorum prædicatio,non seipsos prædicãtium,sed Christum Iesum Dñm. Neq; n.audiuimus vel Petrianos,vel Paulianos,vel Bartholomæanos, vel Thadæanos vocari:propterea & nomen Ecclesiæ vnum oẽs imposuerunt,non suum,qui prædicauerunt,sed Domini sui Iesu Christi,ex quo tempore primùm in Antiochia Christiani vocari cœperunt: quæ quidem sola est Catholica siue vniuersalis Ecclesia,non aliud quicq; habens,quippe quæ Christi & Christianorum est Ecclesia. Non Christorum,sed Christianorum:q; is vnus est,illi verò ab illo vno denominantur Christiani. Post hanc eiusq; præcones,aliæ omnes non videntur eundem characterem retinuisse,sed alia quædam nomina sibi imposuisse,Manichæorum,Simonianorum,Valentinianorum,Ebionæorum. Ex quorum numero,tu quoq; Marcion vnus es. Posset nunc dici,tu quoq; Luthere vel Caluine,tuo.n.nomine qui à te sunt seducti appellantur Lutherani,vel Caluiniani,qui te iam deinceps prædicant & non Christũ. Quòd in mandatis veteris testamenti,fratris vxorem ad hoc frater ducere iussus est,vt non sibi sed illi sobolem susciaret,eiusq; vocaret nomen quod inde nasceretur: quid aliud,inquit Augustinus,in figura præmostrat,nisi quod vnusquisq; prædicator euangelij,sicin Ecclesia laborare debet vt defuncto fratri,hoc est Christo,suscitet semen,q pro nobis mortuus est:& quod suscitatum fuerit,eius nomen accipiat. Quod implens Apostolus,non iam carnaliter in præmissa significatione,sed spiritualiter in completa veritate,quos in Christo Iesu per Euangelium genuisse commemorat,succenset eis,& eos increpans corrigit volẽtes esse Pauli. Nunquid Paulus,inquit,pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Tanq; diceret:defuncto fratri vos genui,Christiani vocamini,non Pauliani. Optatus graui

*Aug. cont. Faust. li.22.c.10.*

*Optatus lib.3.*

ter eos reprehendit,qui de parte Donati se esse dicebant , quasi populum cum Christo diuiderent. Quid,inquit,respõsuri sunt in illo imminenti diuino iudicio, qui in hoc seculo alio modo confessi sunt,non se esse de Ecclesia Christi, qui libenter professi sunt se de parte fuisse Donati,cùm in Euangelio scriptum sit Christo dicente, Qui me confessus fuerit coram hominibus,confitebor eum corã patre meo. Isti Donatum confessi sunt,non Christum. Et

*Cyp. in lib. ad Nouatianum.*

antè hos omnes Cyprianus,productis illis verbis : Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo. Quos autem,inquit,maximè negabit Dominus Christus, nisi vos oẽs Hæreticos & Schismaticos,& nominis sui alienos. Qui.n. aliquando Christiani,nunc Nouatiani,iam nõ Christiani,primam fidem vestram perfidia posteriore pernomis appellationem mutastis.Et qui fuit proximus Apostolorum temporibus Iustinus Martyr:Sunt,inquit,& fuerunt multi,qui docent dicere & facere impias rẽs & contumeliosas in

*Quod lapsis spes venię non est denegãda.*

*Iustinus in Tryfone.*

Deum : cùm tamen in nomine Iesu veniant. Et sunt inter nos distincti cognominis denominati à quibusdam viris , vt quisque fuit author alicuius nouæ doctrinæ & sententiæ. Et post.Ex ijs alij vocantur Marciani,alij alio vocabulo, quisq; à primo inuentore sui dogmatis.Sed nemo melius hæc expressit q̃ Athanasius.Nunq; inquit populus ab Episcopis suis:sed à Domino,in quem creditum fuit,nomen accepit. Certè à beatis Apostolis præceptoribus nostris,ministrisq; Euangelij Saluatoris nostri,appellationes adepti non sumus: sed à Christo,Christiani & sumus & nuncupamur.Illi verò,qui aliunde originem suæ fidei deducunt,

*Athanasius contra Arrianos, Oratione 2.*

meritò auctorum suorum cognomenta,vt ad quos pertineant,præ se ferunt. Quapropter cùm oẽs à Christo Christiani & essemus & diceremur,explosus est Marcion,inuentor hæreseos:reliqui autem qui cum explosore Marcionis remansere,Christiani titulum retinuerẽt: qui verò secuti sunt Marcionem , non iam inde Christiani , sed Marcionistæ appellati sunt. Ita quoq; Valentinus, Basilides Manichæus , & Simon Magus sectatoribus sua vocabula imposuerunt: indeq; factum: vt alij Valentiniani,alij Basiliani, alij Manichæi, alij Simoniani, alij Cathaphryges à Phrygia, alij à Nouato Nouatiani vocitati sunt. Ita Melitius eiectus à Petro & Episcopo & Martyre,suos,qui ipsum sequebantur, non Christianos posteà

*Hæreticorum denominationes.*



sed Melitianos denominauit . Eadem iterum ratione beato Alexandro Arium eijciente, ij qui Alexandro adhæserunt, remanserunt Christiani : illi verò, qui vna cum Ario recesserunt,nomen Saluatoris nostri,Alexandro cum suis relinquentes,Ariani deinceps appellati sunt. Quinimò, ecce etiam nunc post mortem Alexandri, qui eiusdem communionis sunt cum Athanasio, Alexandri successore, & quibus ipse Athanasius communione coniunctus est:omnes eundem pariter characterem habent, neq; ille suis nomen indit,aut à suis recipit: sed omnes,vt anteà,consueto more Christiani nominantur. Nam quamuis magistri inuicem sibi succedant, nosq; illorum discipuli, ab illis acceperimus, quæ sunt Christianæ fidei:nihil tamen inde obstaculi nascitur,quominus ob id & titulo, & re, Christiani appellemur.Contrà, qui hæreticos sequuntur: tametsi millies mille successores habeant: omnes tamen nomen eius , qui primus hæresim adinuenit, referunt. Certè è vita exempto Ario: quum multi ex grege illo eius vices,successionemq; susciperent, tamen omnes, qui eiusdem cum eo sententiæ fuerunt, ex Ario notas suas , insignia q; habentes, Ariani nuncupantur, quod re vera eximium & admirabile argumentum est . Nam qui etiam nunc ex gentilibus omissa idolorum superstitione ad Ecclesiam veniunt , non Catechizantium, fideiq; rudimenta tradentium nomina : sed Saluatoris in se transferunt, & pro gentilibus Christiani incipiunt appellari. Qui verò ex eodem genere ad istos abeunt: aut ab Ecclesia ad hæresim transitum faciunt, nomen CHristi relinquunt , & Arianorum vocabulo induuntur, quasi qui non amplius fidem CHristi retineant:sed Arianæ insaniæ gregales habentur. Quomodo igitur Christiani fuerint, qui non Christiani: sed Ariomanitæ appellantur: aut quomodo de numero Ecclesiæ Catholicæ habeantur, qui Apostolicam fidem excusserunt: & nouarum pestium inuentores se præbent? Aliquid igitur dicere videtur Heshusius. Nam re-

*Christiani nomine nihil gloriosius.*

uera non est aliud nomen sub cœlo , quo censeri magis velle debeamus , quàm quo superstitibus etiam ipsis Apostolis Antiochiæ primùm,discipulos eorum vsos fuisse legimus,qui Christiani vocari gaudebant. Nullum esse potest nomen hoc vno glorioſius,quod qui respuit, certum est eum non ad Ecclesiam CHristi, sed ad Antichristi pertinere Synagogam. Quanquam hac in parte non satis constare sibi videtur Heshusius. Nam in libro de iustificatione quosdam arguit , qui Lutherani dici nolunt, & vt apertè se Lutheranos profiteantur,monet.

*Euangelicorum nomen,qui primi arripuerunt.*

Atqui Tigurini, quinam illi fuerunt, qui primi nomen hoc tãquam tritum & obsoletum reiecerunt? Nónne vos? qui simul vt à nobis,hoc est,ab Ecclesia Dei vos segregastis.Euangelicorum nomen vsurpare, quàm nobiscum vnà Christiani vocari maluistis. Ante quinquaginta hos annos, quonam alio quàm Christianorum nomine censebamur omnes? quanam alia magis, quàm hac appellatione gloriabamur? sed simul vt in lucem prodijt hoc vestrum Euangelium,Patribus nostris incognitum, & à quouis alio potius, quàm ab auctore Christo profectum,ne quid nobiscum,hoc est, cum Christo,& cum Christianis habere cõmune videremini, tam claro, & illustri nomine spreto, atq; reiecto, nomen Euangelicorum vobis vsurpare cœpistis .Et cùm aliud Euangelium Lutherus,aliud Zuinglius,aliud alij filij desertores prædicassent,vt quod cuiusq; foret Euangelium agnosci posset, (nam Christi non esse constabat,cùm vos à Christo nomen ducere puderet) necesse fuit auctoris nomen imponi: quò sic alij Lutherani vocarentur,alij Zuingliani, alij alijs alienis à Christo nominibus appellarentur : vt non valdè mirum sit, si nunc quoq; Magdeburgi vocantur aliqui Flacciani. Quod autem inter ipsos quoq; Flaccianos,quos ad paucos admodum iam redactos esse scimus,videre sectas nihilominus liceat,quòd inter se tantis certent odijs: ac adeò toruis inuicem oculis aspiciant,cùm eundem auctorem & consummatorem fidei suæ Flaccium profiteantur:id verò cumprimis est stupendum. Sed ita fieri necesse est, vbi nõ agnoscitur vnus papa.Cùm verissimè dictum sit ab Hieronymo: Quòd salus Ecclesiæ pendet à summi Sacerdotis dignitate,cui si non exors quædam,& ab omnibus eminens detur potestas,tot in Ecclesia efficiẽtur schismata, quot Sacerdotes. Hanc tam salubrem admonitionem, quoniam vos respuitis,ideò tot sunt apud vos orta schismata, quot ministri. Nam nolo dicere Sacerdotes,quos nullos habetis,quin & nomen ipsum horretis.

*Salus Ecclesiæ ex vnius Summi Sacerdotis dignitate.*

*Hieron. contra Luciferianos.*

Verùm videte,quæso,Tigurini,quorsum res ad extremum reciderit. Excusso papæ Romani iugo,dum in sua quisq; ciuitate papam agere vult: dum sicut Philippus loquitur, maiorem & magis intolerabilem & minus excusabilem auctoritatem atq; potestatem sibi vendicat,quàm papa Romanus vnquam: istorum quoque grauius, quàm quòd tolerari posset iugum excutitur, ac sibi ciuilis Magistratus reiectis istis , Pontificiam potestatem arrogat. Qua de re pleni sunt libri querimoniarum ab illis conscripti. Centuriatores inter alios, qui notam quandam historiam Ecclesiasticam conscripserunt,in suis præfationibus,de hac ciuilis Magistratus audacia grauissimè queruntur nec sine causa. Dicarunt enim quibusdam Germaniæ Principibus vnam è suis Centurijs, & eis hoc elogium tribuerant, quòd sub eorum vmbra , vera Domini nostri IESV CHristi doctrina sonuit, ac collecta est Ecclesia, quæ verè Deum coluit, & in vita æterna eum celebrabit. Ecce autem vix dum anni duo intercesserunt:cùm longè diuersam ab ea,quam expectabant sui laboris mercedem tulerunt. Iusserunt.n. eos illi Principes ex suis terris facessere, & alibi sedem sibi quærere. Ac quod maiorem etiam Centuriatoribus istis dolorem afferebat,eos ipsos in illorum locum posteà suffecerunt, quos non ita multò antè libro etiam edito, tanquam hæreticos condemnauerant:& de suis ditionibus ciecerant.Sed iam ipsorum querimonias audiamus: Filij, inquiunt,huius seculi audacissimè formas religionum ex suo cerebro fundunt:& formulas prescribunt,quas ministris verbi Dei imperiosè obtrudunt:in eas enim angustias iam Ecclesia Dei(pro nefas)redigitur : dormitantibus pastoribus, passim etiam prodentibus, & sponte tradentibus suum ministerium politicis viris:vt non rarò tumidi rabulæ quidam forenses

*Centuriatorũ querelæ contra Magistratus Pontificia sibi arrogantes.*

*Centuriatores pulsi.*

*In epist. dedicatoria,Cent.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sese non intra septa suæ rerum mundanarum continentes, alijsque res ad pastorum officiũ pertinentes, nefariè & impiè ad se rapiant. Et planè sicut olim pontificij proceres in Ecclesia sceleratè regna huius mundi inuaserunt, ita nunc vicissim Politici illotis quasi manibus, in gubernationem illam spiritualem, verorum ministrorum verbi Dei, legitimeq; suo officio fungentium irrumpunt: setq; vtroq; gladio instar Antichristi accingunt: cùm nec vnum quidem suum rectè administrare norint. Ac in alia quadam præfatione siue epistola dedicatoria, cùm docuissent, nequaquam esse licitum, aulas cum suis quibusdam Gnathonibus & ventriseruis formas religionum conflare, easq; Ecclesiæ citra omnem reluctationem obijcere, neq; synceros Doctores verbi Dei, eiusmodi formulis religionis aut edictis parere, sed potius voce & stylo contradicere debere: cùm distincta sint officia potestatis Politicæ & Ecclesiasticæ: & aliud sit sceptrum, aliud plectrum. Tandem in hæc verba prorumpunt: Antequam lux verbi diuini illuceseret in Germania, regnantibus tenebris Pontificijs & Monasticis, vnicus ille Romanus Præsul potestatem sibi sumebat, leges etiam Politicas, non modò reformandi, sed etiam delendi substitutis suis decretis & decretalibus: id quod superis atq; inferis notum est. Quid verò nunc fit, pro vno Pontifice innumeri ex Politicis, eminentia locorum atq; munerum suffultis, atq; elatis exiliunt, qui vicem alternantes, nunc à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendunt: & non contenti suis metis, religionũ formulas Ecclesijs cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis exhibent. Et vna vel altera pagina interiecta: Falcem, inquit, in alienam messem mittunt: & alienam functionẽ temerè inuadũt, sanctumq; sanctorum intrant, quemadmodum Osias: qui cùm sint Politici Magistratus, aut ipsorum serui: tamen magno supercilio audẽt nouas religionum formas componere, easq; Ecclesiæ ministris offerre, tali cum imperio: Ni applaudant sine cõtradictione, se suo sceptro illos expulsuros, aut puniturosid quod etiam facitant absq; omni misericordia. Hactenus centuriatores. Quibus tantò maior fides habenda est: quoniam experti loquũtur, cùm eos non vno ex loco expulsos esse constet, Rostochio, Heidelberga, Iena, Madeburgo: vnde alij carbonario curru: Superintendentes autem honoris gratia, tecto tamen carpento noctu deportati sunt, multis armatis circumsepti. Sic accipiunt suos Papas Euangelicos isti (hic enim eos vocare Centuriatoribus visum est) Politici Pontifices. Quæ de re sic et am alius quidam queritur: Posteàquam per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide ac potestate liberati sunt, & assueuerunt omnes illius constitutiones reijcere: progrediuntur vlterius, & volunt prorsus eandem cõsuetudinem in alijs quoq; rebus omnibus, siue sint bonæ, siue malè retinere. Volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi quò minus arbitratu suo viuant: haud aliter, quàm si Euangelium esset talis doctrina, quæ concedat vnicuiq; potestatem faciendi, quod illi placet, quæ nullum ordinem, nec vllam disciplinam ferre possit. Quod si quis eis resistere fuerit ausus, eò veniunt audaciæ, vt non solùm odia suscipiant erga suos prædicatores, & eos contumelijs afficiant, verumetiam pro virili sua tyrannide prosequantur. Ac si quem volunt ordinem prædicatores constituere, statim vim esse circunt minimè Christianam, & nouationem quandam, & introductionem veteris Papatus, per quam prædicatores priam suam potestatem & dominationem in commissum sibi gregem stabiliri velint. Qui si pergant executionem eorum vrgere, quæ cõstituerunt, non solùm conuitijs afficiuntur, verumetiam ad extremum expelluntur. Neq; verò proximis tantùm his superioribus annis hoc ita fieri cœptum est, cùm in ipso nascentis Euangelij vestri exordio, de vestris quoq; Iugurini, scripserit Erasmus Roterodamus: Quòd vester iste populus tam Euangelicus, subinde nouos tumultus excitat, ac leuissimis de causis procurrit ad arma, ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus: præsertim si liberius in vitam eorum inuehantur, aut ab opinione dissentiant. Initiò tantùm nõ Deus erat illis Lutherus. Nunc ijsdem prorsus delirat: quod nouum de Eucharistia dogma nõ recipiat. Nouam verò libertatem Euangelicam, impunè facere, sentireq;, quod cuique libitum est. Hactenus Erasmus.

*In epist. dedicatoria, Cent. 7.*

*Politici Pontifices.*

*Centuriatores carbonario curru educti.*

*Hieron. Mencelius in libro de pastoribus.*

*Euangelij Euangelicorum effectus.*

*Erasmi iudicium de nouatoribus illis, in epist. cont. Pseudoeuangelicos.*

At qui libertatem hanc Euangelicam potius, quàm Euangelicam vos, istos: vos, inquam, istos docuistis, quando, vt executerent Pontificum & Episcoporum iugum, docuistis. Quod qua religione per illos excussum, eadem & vestrum est reiectum. Nam qui potius vestrum ferrent, qui vobis honorem hũc simpsistis ipsi, quàm eorum, quos legitimè vocatos, & ritè atq; ordine munus illud constat esse consecutos? Vos licere vobis voluistis de doctrina ritus orbis Christiani consensu recepta iudicare, & eum inauditum condemnare: qui minus idem de vestrũm alicuius doctrina, vel Magistratui, vel etiam fœci populi facere licere debuit? Quid impedire potuit, quominus qua potestate Romanum Papatum, eadem & vestrum Saxonicum reijcerent. Cùm præsertim ab ipso statim nascentis Euangelij vestri exordio, priusquàm ad Episcoporum dignitatem, opes, ac ditionem peruenissetis, eiusmodi specimen de vobis præberetis: vt quidam, qui non prorsus alienus à vobis esse iudicabatur, non dubitaret dicere quòd se mallet in Episcoporum, quàm in vestram potestatem tradere: quodq; mallet potentissimi Cæsaris ferre iugum, quàm quorundam Magistratuũ Euangelicorum, quamvis humili sorte. Sic, inquit, excutiunt iugum hominum, qui vestro Euangelio submittũt ceruicem. Magis vereor, ne plerique pro grauiiugo hominum portent grauius iugum diaboli. Hoc fuit de vestro, Tigurini, Papatu iudicium illius, qui bonam vitæ suæ partem traduxit inter vos: vt satis perspectos & exploratos mores vestros habere potuerit: Accidit igitur, quod est in prouerbio: Malũ consilium cõsultori pessimum. Quibus auctores vestri fuerunt: vt Papæ & Episcoporum iugum suis ceruicibus excuterent, ij suum quoq; iugum ab ijsdem illis iam excussum esse vident. Et ventum est ad nouum quoddam Pontificum genus, hactenus orbi terrarum ignotum, ex quo tempore conditus is est: quos istipoliticos Pontifices appellant. Qui iam non modò ferre non possunt, si quise pro Papis gerunt

*Eras. Roter. ibidem supra.*

*Pontifices à Politicis Magistratibus cõtemni, Euãgelici docuerunt, sed ipsimet doctrinæ iuæ fructus eosdem experiuntur.*

*Nouum Pontificum genus.*



gerunt in Ecclesijs eorum ditioni subiectis, in vitam eorum, & mores liberius inuehuntur: verumetiam magno supercilio, nouas religionum formas componunt, & eas suis siue ministris, siue Superintendentibus obtrudunt, tali cum imperio, protinus vt è terris illorũ facessant, nisi applauserint, qui certè nunquam fuissent huc audaciæ atq; amentiæ progressi? nisi vos vt ita facerent, auctores illis fuissetis.

Vos autem cùm dico, non solos vos intelligo, Tigurini, sed eos etiam omnes, qui vobiscum vnà legitimo Papatu Romano reiecto, sibi ipsis Papatum arrogarunt: & Cathedram contra Cathedram constituerunt, cuiuscunq; tandem ij sectæ sint. An cuiusdam ex vestris doctrina non est, quòd non ad Prælatos tantùm, imò ne quidem vlla ex parte ad ipsos: quippè qui iam nõ sint Ecclesiæ membra: sed præcipuè ad pios Principes, & ad eos, qui tam ex ministrorum Ecclesiæ numero, quàm ex reliquo hominum, qui doctrinam CHristi agnoscunt cœtu, in consilium adhibentur: pertineat de doctrina religionis cognoscere & iudicare? Agnoscitis opinor ipsa vestri Symmistæ verba, qui pluribus etiam scripturæ locis, præfatum hoc suum confirmare nititur. Adfert illud: attendite vobis à falsis Prophetis. Nõne qui oderunt te Domine, oderam. Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus. Paulus & Silas ingrediuntur Berheæ in Synagogam Iudæorum, & hi, qui summo genere nati erant, receperunt sermonem, cum omni promptitudine, quotidie scrutantes scripturas: an hæc ita se haberent. Et quem locum propius ad Principes spectare putat: Confiteantur tibi Domine, omnes Reges terræ, quoniam audierunt verba oris tui. Et illud ex Euangelio: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo. Et rursus: Omittite illos, cœci sunt, & duces cœcorum. His & alijs quibusdam nõ dissimilibus scripturę locis docet, scilicet ad Principes propriè pertinere iudicium de doctrina religionis. Profert etiam exempla Iosaphat, Iosiæ, Dauid, Regum, quin & Imperatoris Theodosij, quibus id maximè decere Principes probat. Quod verò in contrarium adferũt isti Centuriatores de Osia, id cachinnis excipit, tanquam nihil ad rem pertinens. Vrget etiam illud ex Deuteronomio: Si tibi voluerit persuadere frater tuus clàm, dicens, Eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui, non acquiescas tu, nec audias: nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum. Sed statim interficies. Sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Qui iubet, ait, quemuis etiam priuatum hominem, in Ecclesia populi Dei tam seueriter animaduertere in suasorem idololatriæ, an nõ eadem sæueritate exigit, vt de Idololatria iudicet: ac alienos deos à vero Deo diligenter discernat?

*Brentius in Prolegomenis Principibus, &c. de doctrina religionis iudicium tribuit.*

*Duriora vincula nouatorũ, quam papæ.*

*Euangelici concionatores suos quomodo tractent.*

Quòd si vera sunt hæc (vos nunc alloquor Centuriatores, & qui parem vobiscum fortunam experti sunt) falsò certè querimini: quod absque omni misericordia sæuitũ sit in vos. Nam iuxta sententiam huius vestri Symmistæ, statim interfici debuissetis: cùm præsertim ijenes quos iste de Idololatria iudicium esse vult, ij tanti criminis huius vos reos esse pronunciarint. Neq; n. propter aliud, quàm propter hoc, quo nullum esse potest grauius Idololatriæ crimen, sceptro Magistratus è vestris Cathedris pulsi estis. Nam cùm illi fas non esse putarent, omnia Lutheri placita pro diuinis oraculis haberi, sed suo iudicio nõnulla corrigendi: quin & à quibusdã discedendi potestatem aliquibus permitti vellent, vos autem ita mordicus & scripta illius & facta vobis omnia ruenda suscepisse tis, vt eum nõ alio loco ponere, quàm quo Christum ipsum videremini, dum vel vnguem latum, à quocunq; tandem illius placito discedere, idẽ esse quod Christum negare, & ab illius Euangelio deficere, cùm ipsi vobis persuasum haberetis: tum alijs persuadere conaremini, magnis etiam ea de causa moribus excitatis: hanc illi vestram tantam Idololatriam sibi minimè ferendam esse iudicauerunt, ac leuius hoc de vobis, quàm pro criminis patrati grauitate supplicium sumpserunt. Quamobrem est potius, quòd illis agatis gratias, qui de sæueritate legis, contra quam veneratis, tantum remiserunt, quam quod actum esse vobiscum durius queritemini.

*Centuriatores propter idololatriã pulsi.*

Verùm ad rem. Graue vobis videtur, quòd pro vno Pontifice innumeri prosiliunt ex poliricis, qui non contenti suis metis, religionũ formulas Ecclesijs cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis exhibẽt. Est id reuera grauius, quàm vt equis auribus, atq; animis tolerari queat. Sed quęso, cui debemus hoc acceptum ferre, quod in hunc statum res producta est? Nõne vobis? Vt rectè Comicum illum vsurpare possimus: Tute hoc intristi, tibi est omne hoc exedendum. Et quod vetus verbum habet: Compedes, quas ipse fecit, ipsus vt gestet faber. Num simile quid in Papatu videre licet? Num eiusdem in eo generis auditunur quærimoniæ? Num stricto gladio petit aliquis eum, qui concionem habet in Ecclesia ad populum de superiore loco, quo sic eum de Cathedra deturbet? Sic scilicet, iuxta Pauli præceptum, duplici honore digni habentur apud vos Presbyteri, qui laborãt in verbo & doctrina. Verùm tales ministri, cuiusuis pòtius, quàm Dei, non alijs præmijs & honoribus digni sunt. Hæc Magdeburgi facta scribit Heshusius. Quin & in alijs locis, vbi similiter non Christi: sed vestrum prædicatur Euangelium, eadem illa non rarò vsu veniant, dubium nõ est. Nihil in Papatu tale, quin illud Paulinum diligenter obseruatur, vt in templo præsertim, quàm domũ suam, & domum orationis Deus appellat, omnia honestè & secundum ordinem fiant. Habetur personarum, locorũ, temporũ ratio. Non licet oui pastorem suum iudicare, nec eius doctrinam discutere. Sed cùm præclarè dictum sit ab Ioanne Chrysostomo: Quòd vbi honoris est æqualitas, aut oẽs principatum gerunt, ibi nunquam poterit esse pax: quandoquidem, sicut à Philone scriptum est, ista vel botenus æqualitas, in æqualitatem rerum parit. Nã æqualia in dignitate imparibus tribuere, est inæqualitas. Inæqualitas aũt fons malorũ. Ad hunc malorum fontem obstruendum, prouisum est in Ecclesia, quem vos papatum vocatis, vt non ex æquo possent omnes omnia. Sed quod in humano corpore fieri videmus, vt

*In papatu omnia honestè fiunt.*

*Matth. 21.*

*1. Cor. 14.*

*Chry. in epist. ad Ephes. hom. 20.*

*" "*

*Philo lib. 2. de Monarchia,*

*Cur papatus sit ita stitutus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt sit corpus quidem vnum, sed intereà membra multa, non eundem autem actum habeant omnia: idem & in Christi corpore, quæ est Ecclesia cernere licet. Multi namque corpus vnum sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hæc verò connexio, quemadmodum ab illo tertio maximo Pontifice Leone scriptum est, totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè concordiam exigit Sacerdotum, quorum etsi dignitas non est communis, ordo tamen est generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: Et cùm electio par esset omnium, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret, De qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et rursus, quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem, vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, & nihil vnquam à suo capite dissideret. Sic Papatum nostrum describit, Sanctus iste Pontifex: in quo, qui non dissensionis, sed pacis & dilectionis Deus est, vt pax & vnitas seruari posset, hanc rationem instituit, vt nō modò discretus esset ordo Sacerdotum ab ordine laicorum, verùm inter ipsos etiam Episcopos & Sacerdotes, quamuis ordo generalis, non tamen esset dignitas communis. Maior est enim Episcoporum, quàm Sacerdotum dignitas. Inter Episcopos autem, honoris quidem est similitudo, verùm discretio potestatis. Nam cùm idem sit honor Episcopi, qui Archiepiscopi, Primatis, Patriarchæ, Papæ: non tamen par est omnium potestas. Cùm enim alijs sint in partem solicitudinis vocati: penes vnum Romanum Pontificem est plenitudo potestatis. Nam si ex æquo possent oēs omnia retineri vnitas non posset. Itaq; quod ad laicos attinet: quoniam in Christi corpore mystico pedum & manuum officium sortiti sunt: nullæ sunt eorum de rebus Ecclesiasticis iudicādi partes. Sed neq; Sacerdotum: quamuis ij superiorem laicis in Ecclesia locum teneant: nisi quatenus eorum alicui fuerit hęc potestas ab Episcopo permissa. Nam Episcoporum officium est proprium, quod ipsa quoq; testatur Augustana Confessio, iudicare, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem, reijcere: & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione. Sic tamen, vt Archiepiscopus de Episcopi, Primas de Archiepiscopi, Patriarcha de Primatis, Papa de omnium horum sententijs iudicandi potestatem habeat. Quamobrem ouibus de Sacerdotis siue Pastoris vel doctrina vel moribus iudicare fas non est: sed si quid in illo desideratur, Episcopi iudicium requiritur. Si verò in Episcopo, ad superiorem refertur. De causis verò maioribus, ad fidem pertinentibus, non Episcopis, nec Archiepiscopis, nec Primatibus, nec Patriarchis, quicquam statuere fas est, etiamsi in vnum locum congregati fuerint omnes: verum ad eum, qui sedet in Petri Cathedra, Pontificem Romanum, ex ipsius institutione Christi: sicut scribit Anacletus, referre necesse est. Qui tamen & ipse, vel generale Concilium cōuocat: si causæ grauitas id postulare videtur: vt quod omnes tangit, ab omnibus approbetur: vel in cōsilium adhibet, quotquot in orbe Christiano reperiri possunt, viros doctrina præstantes: nec nisi rebus omnibus diligēter admodum excussis, quicquam in causa religionis discernit. Atq; hęc est illa, quam nos vocamus Ecclesiasticam Hierarchiam, ad instar cœlestis illius fabricata, quam vobis per contemptum Papatum vocare visum est: quam vos Hierarchiam postea quam sustulistis, quem audaciæ, atq; amentiæ huius vestræ fructum tuleritis, iam videtis. Noluistis, vt esset in Ecclesia cœlestis illius exemplar aliquod, nunc illius imaginem cernitis, quæ est in inferno, malignantium Ecclesiæ. Nullus. n. apud vos ordo: sed sempiternus horror inhabitat. Et ventum est vobis ad istos, de quibus querimini, Politicos Pontifices, qui cum sceptro, gladijs, & fulmine Iouis nouas vobis quotannis ferè formulas religionis exhibent, quibus aut applaudendum est, aut in extremū discrimen veniēdum. Inde vobis tot in Germania natę sunt Confessiones, quot Principes, quot Ciuitates. Vel sicut ille dixit, Tot fides, quot voluntates. Nunc enim illa tempora propemodum redijsse videntur: de quibus tam grauiter olim questus est Hilarius: quòd aut ita scribūtur fides, vt volumus: aut ita vt volumus intelliguntur. Et cùm secundum vnum Deum, & vnum Dōm, & vnum baptisma, fides etiam vna sit, excessum est ab vna fide, quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit. Facilè fuit ab vna fide, quam profitetur Ecclesia Catholica, discedere, sed finem inuenire discessionis huius, hoc opus, hic labor est. Præclaram quandam simultudinem adfert Ioannes Chrysostomus, quam ipsius verbis adscribere libet. Anima, inquit, quæ peccati gustum semel fecerit, tum quæ nullius doloris aut pœnitentiæ stimulis tangitur, magnum certè auctarium morbo adijcere solet. Ac quemadmodum vsu venit, vt scintilla ignis, si fortè immensam materiam corripuerit, statim obuiam quamque exurat, nec antè tamen subsistat, quàm quòd reliquum est, id omne depascatur, quantoque plura corripuerit flamma, tantò magis robor ad alia consumenda concipiat: sitque tum, vt comprehensorum à flamma lignorum cōgeries, lignis ijs quæ mox flamma comprehensura est, quasi insidias struat, flamma eadem sese semper lignorum comprehensorum auxilio, cōtra ea, quæ intacta adhuc manent armante: Sic & peccati natura, vbi animi cōtagionē aliquam adorta est, nec quisquam est, qui malum restingnat, procedens vlterius, grauior certè, ac magis indomita efficitur, propterea sæpè fit, vt quæ posteriora sunt peccata, prioribus grauiora sint, anima semper posteriorum peccatorum accessione, ad maiorem cōtumaciam ac despicientiam se promouente, & per hæc ipsa suam quidem vim eneruante, peccati autem robur alente. Qua vtiq; ratione complures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapsos: quòd flammam initiò exorientem non restinxerint. Ad eundem modū & Basilius, Peccatum dum æditur, aliquo pudore præditum est, sed vbi æditum fuerit, lōgè impudentiores efficit eos, qui illud patrant. Proinde quamdiu parua, & pauca peccata cōmittimus, non aliter ac plantæ, quę leui aura agitantur, leuiter quodammodo commouemur, vbi

*Leo epist. 84.*

*Ordo salubriter in Ecclesia cōstitutus.*

*Episcoporum maior dignitas, quàm sacerdotum.*

*Episcoporum officiū proprium.*

*Ouibus pastores iudicare non licet.*

*Papatus Ecclesiastica Hierarchia.*

*Hilarius ad Constantium.*

*Nihil facilius quā discedere ab Ecclesia catholica, redire aūt difficillimū est. Chrys. contra Gentiles.*

*In orat. 3. de peccato, vna ex istis 24. quæ hoc anno Venetijs impressæ sunt.*



vbi verò plura & maiora fuerint mala secundum proportionem augmenti peccatorum, etiam commotio augeri solet, Et alij quidem magis commouentur, alij verò catenus, quoad radicitus euersi prosternantur, siquidem spirituales malitiæ omni turbine violentius radices animæ, quibus per fidem in Deum fulcitur, abrumpunt.

Præclarè quidem iste peccati progressum describit. At inter omnia peccata, nullum est hæresi vel schismate grauius. Itaq; sicut in alijs, ità fit ac multò magis in hoc quoq; peccato, vt idem sit & peccatum, & causa peccati, & pœna peccati. Sicut inflāmatio domus vnius, est causa inflammationis alterius, ac si multam ignis materiam comprehenderit, maiores vires sumit, quàm vt incendium deleri possit. Est aūt hęreticum aut Schismaticum esse, non credere Sanctam Catholicam Ecclesiam: non idem sapere, quod sapit orbis Christianus vniuersus: plus priuato suo, quàm illius publico iudicio tribuere, per summum sacrilegium abillasecessionem facere. Non est autem, quòd existimet quisquam, posteàquam cœperit aliquis non credere sanctam Ecclesiam Catholicam, hoc est, Papatus doctrinam reijcere, quòd eam omnem statim reijciat, sicut necignis ita subitò totam domum consumit. Verùm vnus error gignit alium, & fit alterius causa donec eò venitur ad extremum, vt excœcetur cor hominis. Ita precedens culpa, fit causa subsequētis. Et rursum, culpa subsequens, fit pœna præcedentis. Quamobrem quod à Salomone scriptum est, capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, rectè vel Origenes, vel quisquis ille fuit auctor quatuor Homiliarum in Cantica Canticorū, de hæreticis intelligi vult, qui demoliuntur Ecclesiam: hos capi iubet, quādiu paruæ sunt vulpes: dum initia pessimæ persuasionis habent. Nam si fortè creuerint & maiores fuerint vulpes effectæ: non ita facilè capi queant. Hoc est quod in Psalmo quoq; dicitur, Beatus, qui tenebit & allidet paruulos Babylonis ad petram, hoc est, qui non permittit sensum Babylonicū crescere: sed cùm est in initijs, allidit eum, & tenet ad petrā. Tunc. n. facilè perimitur. Docet hoc etiam Paulus, cùm semen erroris dicit fuisse in infidelibus, quod cùm cognouissent Deum: nō sicut Deum glorificauerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis. Hoc fuit semen erroris. Quid autem inde pullulauit? Obscuratum est, inquit, insipiēs cor eorum. Ac paucis interiectis, Propter quod, inquit, tradidit illos Deus in desideria cordis eorū, in immunditiam, &c. Et iterum: Propterea tradidit illos Deus in passionem ignominiæ. Et iterum pòst pauca: Sicut non probauerunt habere Deum in notitia: tradidit illos Deus in reprobū sensum, vt faciant ea, quæ nō cōueniunt. Quia cognoscentes Deum, inquit Gregorius, peccatū superbię intelligendo cōmiserunt, cęcantur etiam, ne intelligant, qd' cōmittunt. Et qui intelligentiam suā sequi volunt in peccato, & causa peccati: & ipsum lumen intelligentię perdunt in peccato & pœna peccati. Prioris ergo peccati merito, peccatorum subsequentium fouea tegitur: vt qui malū sciens perpetrat: deinceps iustè in alia etiam nescięs cadat. Hoc quippe agitur, vt culpę culpis feriantur: quatenus supplicia fiant peccantium ipsis incrementa vitiorum. Nam quia Omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tñ humana malitia ad vsum suę iniquitatis intorquet: nimirū iusto Dei iudicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altius quandoq; cumuletur. Hinc. n. rursus de quibusdam Apostolus dicit: vt impleant peccata sua semper. Hinc voce Angelica Ioanni dicitur, Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Hinc Dauid ait, Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: vt non intrent in iustitiam tuam. Hinc rursus de Dño ab eodem Psalmista dicitur: Immissiones per Angelos malos, viā fecit semitę iræ suæ. Cor quippe Dñs prioribus meritis aggrauatum, iustè permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli: quod cùm dignè in culpam trahitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ suæ Dñs viam de semita fecisse perhibetur. Latior enim est via, quàm semita. Ex semita verò iræ suæ viam facere, est iræ causas districtè iudicando dilatare: vt qui illuminati, agere rectè noluerūt: iustè cœcati adhuc faciant, vndeamplius puniri mereantur.

Liber autem id exemplo quodam ex Dorotheo sumpto planum facere. Hortatur is ad humilitatem cordis & modestiam fratres suos, ac docet: Quando quis fratrem suum contemnit, ac nihil facit, ac nomen illius attenuat, fetq; illo præstātiorem iactat: nisi actutum resipiscat, ipsum eò prolabi: vt aduersus Deum insolescat. Frater, inquit, quidam fuit, qui, cùm aliquid boni de fratre quopiam quisquam prædicaret, statim respuebat eum, dicens. Quis est ille? Non est, qui momenti sit alicuius, nisi Zosimas, & qui cum eo sunt. Pòst cœpit & hunc contemnere, ac nihil pendere, dicens: Nemo est, qui quidquam valeat, præter Diuum Macarium. Et nōn multò pòst ait, Quid est Macarius? Nullus quidquam est, pręter Basilium & Gregorium: atq; etiam paulò pòst, cœpit & hos teruncij facere, dicens: Quid est Basilius? Quid est Gregorius? Nemo quidquam valet, nisi Petrus & Paulus. Cui ego dixi, Certè frater est Petrus? Quid est Paulus? Nemo est alicuius momenti: nisi sancta Trinitas. Post modum verò & cōtra Deum ipsum superbire cœpit, & insolescere. Deniq; ad eum modum delapsus est in perditionis & impietatis barathrum. Videtis Tigurini, cùm iste contemnere cæteros fratres cœpisset, ac solùm Zosimam in aliquo precio tamen haberet, quomodo fecit Dñs ex hac semita, viam iræ suæ magis indies atq; magis latam: donec ad perditionis & impietatis barathrum delapsus est. Ad eundem modum semita fuit irę Dei, cùm Lutherus oēm indulgentiarum, etiam rectum & pium vsum initio damnasset, quo tempore, nō alios ferè, quàm sui seculi Doctores contemnebat. Ex hac semita facta est posteà via, cùm Scholasticos Doctores omnes pili non fecit, & 400. totis annis ignotum fuisse Christum orbi Christiano vulgo persuadere conatus est. Hæc via latior est facta, cùm ab ipsis Gregorij temporibus Idolatriam in Ecclesia Dei versatam, & ignorata fuisse Christi beneficia mille totis annis, docuit. Inde progressus est, vt sacrificium, & Sacerdotiū abrogare, Sacramētorum etiam numero,

*Hæresis omniū peccatorum maximum.*

*Hæresis & peccatū & causa & pœna peccati.*

*Hæreticum esse quid.*

*Sic Papā hæreticī, vt Philosophi Deū exterminare volūt.*

*Vulpes hæreticos significant. Psal. 136.*

*Peccatū & causam & pœnam peccati esse, Patris testimonio ostenditur. Rom. 1.*

*Lib. 25. Moralium cap. 1. 12. & 13.*

*Culpæ culpis feriuntur.*

*Cur peccatum, peccati pœna fiat. 1. Tim. 2. Apoc. 22. Psal. 68.*

*Psal. 77. Viā fecit semitæ iræ suæ, explicatur.*

*Dorotheus ser. 2. Proximi contemptum Deo contumacem reddere, exemplo insigni ostenditur*

*Lutheri lenis ad summam impietatem progressio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dignitatiq; detrahere conaretur. Et fuerunt hæ, sicut scriptura dicit: Immissiones per An-
gelos malos. Nam fatetur hoc ipse, quod Angelus malus diabolus, immiserit in cor eius, ve
contra Missæ sacrificium, & Sacerdotium scriberet, ac illud abolere pro virili sua niteretur.
Hæc via, quam primus muniuit Lutherus, multò latior est facta, per vestrum Zuinglium, &
Caluinum: quādo Christi corporis præsentiam in Eucharistia negauerunt: donec ventum
est ad sanctam Trinitatem, vix iam vt quidquam, quod ad illius latitudinem addi queat, su-
peresse videatur, quin potius ad locum iam destinatum, peruenisse videntur.

*Luther. de Missa angulari Diabolo se præceptore vsum fatetur.*

*Iratum Deum & sibi exacerbationem habent Sacramentarij.*
*Esaiæ 64.*

Et est reuerà, quæ semita fuit initio, facta nunc iræ Dei via. Nam iratus Deus vestram à Pa-
patu, hoc est, ab Ecclesia sua secessionem, hoc modo puniendam esse putauit. Sicut etiam
apud Prophetam legimus, Ecce, tu iratus es, & nos peccauimus, propterea errauimus, & fa-
cti sumus sicut immundi omnes. Non quia tu iratus es, nos peccauimus, sed quia nos pecca-
uimus, tu iratus es: propterea errauimus, & reliquimus rectam viam. Peccastis Tigurini,
quando primùm à Papatu defecistis. Ecce, quomodo vos errare fecit Dominus de vijs suis.
Indurauit cor vestrum, ne timeretis eum. Non quod horum errorum vestrorum, auctor, &
impulsor fuerit (sicut impiè docet Caluinus, cuius vos libros, qd propterea Vulcano cor-
rigendos tradidistis, factum hoc vestrū prædicatur ab omnibus.) Sed quod cùm contem-
pl̄sset is diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius, nec vos hæc ipsius benigni-
tas ad pœnitentiam, & resipiscentiam adducere potuisset, desertus & contemptus à vobis,
deseruit vos vicissim Deus, atq; ita gratia illius omni destituti, vertistis vobis manſuetudi-
nem illius in cumulum damnationis, ac secundum duritiam vestram, & impœnitens cor,
non in hac modò vita grauius vobis Dei iudiciū cumulastis: verumetiā quidqd à vobis do-
norum eius possidetur, id in maiorem vobis cedet cōdemnationem, & eam sempiternam.
Nam quę se nondū satis protulisse videtur ira Dei, sentietis illam in illo tremendo die, quā-
do nos oēs manifestari oportebit ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisq; propria corporis,
prout gessit, siue bonū, siue malum. Tunc.n. tantò grauioribus afficiemini supplicijs, quātò
maiore contumacia, tantam Dei manſuetudinem ad meliora vos prouocantem reiecistis.

*Tigurini libros Caluini exurunt.*
*Quomodo Deus indurare cor alicuius dicatur.*
*Rom. 2.*
*Iudicium extremum heretius durissimum.*
*1. Cor. 5.*

An aūt & nunc non cernitis manifestam iram Dei, cuius, quæ fuit aliquando semita, iam
via facta est, & quidē latissima via? Quandoquidē in medio vestri Dñs miscuit Spiritū verti-
ginis, & errare fecit Ægyptū in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomēs, & nō erit Ægy-
pto opus, qd faciat, caput & caudā incuruantē & refrænātē. Sicut ebrius & vomens egerit,
quod ingesserat, & vbi sit nescit, sic Ægyptus vestra, nullum habet opus, siue cōsiliū, qd aut
caput habeat, aut finem. Quò crebriora cōuenticula facitis, hoc plures, maiores, & horribi-
liores inter vos errores exortos, hoc maiora dissidia cōcitata videre licet: dum estis ipsi vo-
bis inuicem plus quàm hęretici, nec vlla manifestior veritas à vobis vnquam dicitur, quàm
cùm vtraq; pars alteram hæreseos cōdemnat. An esse vos illos nō agnoscitis, de quibus Pau
lus ait: Eò q̄ charitatem veritatis nō receperunt, vt salui fierent: ideo mittet illis Deus ope-
rationē erroris: vt credant mendacio: vt iudicentur oēs, qui nō crediderunt. Obsecro vos,
vt hęc verba diligentius expendatis, nihil.n. est in illis ociosum, nihil, quod non summa di-
gnum sit animaduersione. Non dixit Paulus, quia nō receperunt veritatem, sed nō recepe-
runt charitatem veritatis. Multi sunt, qui se recipere putant veritatem: sed quia non recipi-
unt charitatem veritatis, quàm lōgissimè remoti sunt à veritate. Non.n. diuidit vnitatem,
quisquis habet charitatem. Quamobrem, qui diuidit vnitatem, quæ fouetur & retinetur
charitate, nūquam assequi potest veritatem. Verè dictum est ab August. Nulli Schismata fa-
cerēt: si fraterno odio nō excœcarētur. An vos tot schismata fecistis? An tot tam absurdas
& impias hæreses iam pridem ab Ecclesia damnatas, & benè sepultas, in lucē reuocastis, si
Papatus odio excœcati non fuissetis? Rectè scripsit Ambr. Nouatianus & alij nō prauę scien-
tiæ fuerunt: sed quia per zelum, fœdera charitatis perdiderunt, in schisma versi, ad perditi-
onem sui, hæreses creauerunt. Quoniam igitur vos, per zelum quendam, qui nō est secun-
dum scientiam, fœdera charitatis rupistis, neq; charitatem veritatis recipere voluistis, iratus
Deus, qd fecit vobis? Ecce, iuxta Pauli Prophetiam, misit vobis operationem erroris: vt cre-
datis mendacio. Legimus in Regum historia, Quòd Achab Rex noluit credere Michęę Pro
phetæ, charitatē veritatis annuncianti. Quid igitur fecit iratus Dñs? Cùm omnis exercitus
cœli assisteret à dextris, & à sinistris: Quis decipiet, ait Dñs, Achab Regem Israel: vt ascendat
& cadat in Ramoth Galaad? Egressus est aūt Spiritus, & stetit coram Dño, & ait: Ego decipiā
illum. Et dixit Dñs: Decipies & prœualebis: egredere, & fac ita. Nunc igitur, ecce dedit Deus
spiritum mundacij, in ore omnium Prophetarum tuorum. Audite hæc, non vos modò Ti-
gurini, verumetiam quotquot estis alij, qui vos à Papatu præcidistis, noluistis recipere cha-
ritatem veritatis, quam vobis in Ecclesia Dei Michæas añuntiabat, sed fanam doctrinam nō
sustinentes ad vestra desideria coaceruastis vobis Magistros prurientes auribus: Ecce misit
vobis Deus operationem erroris, vt credatis mendacio: Misit mēdacij spiritum in ore Pro-
phetarum vestrorum omnium, quibus miseri creditis, & quod vobis per illos mendacij spi-
ritus loquitur, à spiritu veritatis profectū esse persuasum habetis. Ita iusto Dei iudicio, tra-
diti estis in sensum reprobum, vt clausis oculis, & stupida mente, quasi fascinati, Satanæ & ce-
ius ministris vos fallendos tradatis. Et impletū est in vobis illud Hieremię Prophetę: Quo-
modo dicitis, Sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est,
stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, verbum.n. Dñi proiecerunt: & sapientia
nulla est in eis. Nullis verbis exprimi satis potest, quanta sit inter vos hæreseon colluuies,
quàm crassa & pudenda errorum absurditas, quàm fœdæ, & piorum auribus horrēdæ blas-
phemiæ. Quicunq; gustum aliquem habent sanæ doctrinæ, sine summo horrore de porten-
tis istis vestris cogitare nequeunt.

*2. Thess. 2.*
*Hæretici qua ira veri simi.*
*Locus Pauli explicatur.*
*2. Thess. 2.*
*Schismaticorum causa efficiens.*
*Aug. de baptismo paruulorum contra Donatist. Lib 1. cap. 11.*
*Ambr. in epistolam ad Corinth.*
*3. Reg. 22.*
*Locus hæreticis accommodatur.*
*2. Thess. 4.*
*2. Thess. 2.*
*Pœna peccati.*
*Hier. 8.*

Et est hoc non admiratione magis, quàm cōmiseratione dignum, quod cùm orbis totus Chri-



Christianus, in vestris istis tam fœdis ac portentosis erroribus obstupescat, vos nihilomi-
nus, haud aliter, quàm si in stipites, & truncos, vel in saxa conuersi essetis, hæc mala vestra
non sentitis. Verùm ita, quando quis à Domino cęcitate percussus est. Impius, cùm in pro-
fundum peccatorum venerit, contemnet. Vtinam autem inducere possetis animū, vt con-
fugientes ad Dominum (quibus verbis loquentem populum Hebræorum inducit Esaias)
ipsi em & vos illius misericordiam imploraretis: Tu Dñe pater noster, redemptor noster à
seculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti de vijs tuis? Indurasti cor nostrum, ne time-
remus te. Conuertere propter seruos tuos. Tu pater noster, non solùm, quia creasti nos, ve-
rumetiā quia nullo nostro merito, sed gratuita misericordia tua, cùm essemus inimici, nos
in filios tuos cooptasti. Tu, Dñs noster, qui nos non corruptibilibus auro & argento, sed
pręcioso sanguine filij tui redemisti. Cur ergo nunc deseris populum tuum? Cur nos in tan-
tis erroribus tam diu versari permittis? Cur nō aufers de carne nostra cor lapideum, & das
nobis cor carneum, vt in præceptis tuis ambulemus, & iudicia tua custodiamus. Cōuertere
Dñe, saltem propter seruos tuos. Nam nos quidem, in tot tam fœdos errores prolapsi, tot
prætereà sceleribus inquinati, fatemur, quod indigni sumus, quorum preces exaudias, sed
propter seruos tuos, patres verò nostros, Abraam, Isaac, & Iacob, quorum erga te fides, obe
dientia, charitas perspecta tibi satis est & probata, propter hos, cōuerte faciem tuam ad nos,
& oculos illos misericordiæ tuę, nō amplius à nobis auerte. Cæterùm cùm vos & Patribus,
& Patrum nostrorum Deo, pridem nuncium remiseritis, & eos longum valere iusseritis, ac
singuli post Idola vestra ambulare, & eis seruire, obstinatis animis pergatis, vix est vlla spes,
ô Tigurini, facturos vos, vt errores vestros agnoscatis, & ea qua par est, animi submissione,
Dei misericordiam inuocetis.

*Cur Sectarij non resipiscant, vtique resipiscant, quod facere debeant.*
*Proverb. 18.*
*Esaiæ 63.*
*Supplicatio quæ vti oporteret sectarios.*

Quamobrem relictis filijs alienis, inueteratis dierum malorum, ad eos qui domestici no
stri sunt, quorum præcipuam nos habere curam oportet, orationem nostram cōuertemus.
Qui cùm recens adeò doctrinis varijs, & peregrinis abducti, & in aliud, nescio quod, cuius-
uis potius, quàm Christi Euangelium, translati sint, maior spes est, futurum: vt vnde Satanæ
fraudibus illecti discesserūt: eò redeant: Cùm de vobis dixisse Propheta videatur, Auersus
est populus iste, auersione contentiosa, apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.
Et paulò superius, ecce incircumcisæ aures illorum, & audire nō possunt, ecce verbum Dñi
factum est eis in opprobrium, & non susципient illud. Ad vos igitur mihi sermo nunc est ô
Poloni, quibus cum etiam patria mihi cōmunis est. At vnde sermonis huius initium sumā?
Fiere magis libet, quām loqui. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachry-
marum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Si totus vertar in fletum, neq;
guttæ stillent: verùm torrentes fluant lachrymarum, pro eo, vt rei postulare videtur atro-
citas, interfectos filiæ populi mei, lugere satis non potero. Tanta.n. sunt mala, quibus vos
iam oppressos, & quę vobis adhuc impendere grauiora video, nisi Deus oculis misericordię
suę respexerit, ac ablato corde lapideo, cor vobis carneū dederit: vt omnem dolorem, sua
vincant magnitudine.

*Ad Polonos. Apostrophe.*
*Hier. 8.*
*Hier. 6.*
*Hier. 9.*

Quam autem causam adfers, ô sancte Propheta, quamobrem ita populum hunc deflen-
dum esse censeas? Quia, omnes, inquit, adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Quod eti-
am alius Propheta his verbis expressit: Omnes adulterantes quasi clibanus, succensus à co-
quente. Graue quidem est adulterium, quando coniugum alter alteri fidem non seruat, &
alienum inuadit cubile: sed multò grauior est Mœchia spiritualis. Despondi vos vni viro vir
ginem castā exhibere Christo, dicit Paulus: per quem, qui locutus est, idem etiam per Pro-
phetam antè dixerat: Et sponsabo te mihi in sempiternum. Et sponsabo te mihi in iustitia, &
in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide: & scies, quia
ego Dominus: Sumus ergo sponsæ CHristi: quodq; maximè stupendum est, & omnes vna
sponsa, & singuli singulæ sponsæ sumus. Hactenus autem singuli Christi sponsæ sumus: qua-
tenus illius vnius sponsæ Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ membra sumus. Spon-
sus noster ille est, de quo scriptum est, Rex omnis terræ Deus, ipse spōsus noster. Totam te-
net: quia totam emit. Vide autem, quanti emerit: vt intelligas quid emerit. Quod precium
dedit? Empti estis, dicit Paulus, precio magno. Sed quodnam est illud magnum precium? E-
sui precio nos emit. Vbi fudit sanguinem suum? In passione cruci affixus, quā prædixit Pro-
pheta, dicens: Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Di-
uiserunt sibi vestimenta mea: & super veste mea miserunt sortem. Habet ergo vestē sponsus
noster. Qualis ea fuerit docet Ioañes, dicens: quòd erat desuper contexta per totum. Quid
ea res nisi charitatem, quid significat nisi vnitatem? Hanc tunicam non diuiserunt impij mi-
lites Christi persecutores. Intereà diuidunt Ecclesiam, quā illa tunica designabat, qui Chri-
stum verbis confitentur, factis autem negant. Cæterùm, quisquis hanc diuidit, milites, qui
Christum in crucem egerunt, impietate sua superat. Quisquis à toto, quisquis à spōsa Chri-
sti, sancta Catholica Ecclesia semetipsum segregat, is à sponso quoque CHristo, à quo tanto
fuit, emptus precio, segregatus est, atq; illius esse sponsa desijt, ac tantò grauius mœchatur,
quàm qui coniugio iunctus, alienum thorum inuadit: quantò maior est Christus Deus, &
homo, cui desponsus fuit, quàm quiuis alius purus homo. De hoc genere mœchiæ, scribit
Clemens Presbyter Alexandrinus. Est autem adulterium, si quis relicta Ecclesiastica, &
vera cognitione, accedit ad falsam, quæ non conuenit, opinionem. Et eum secutus Opta-
tus, exponens illud Psalmi: Et cum mœchis, particulam tuam ponebas. Hæreticos, inquit,
dicit mœchos, & mœchas Ecclesias illorum, quas aspernatur & repudiat Christus in Can-
ticis Canticorum: quasi dicat: Quid mihi colligitis non necessarias, vna est dilecta mea,

*Populus maximè deflendus quis?*
*Oseas cap. 7.*
*Mœchia spiritualis maior est adulterio*
*2. Cor. 11.*
*Oseæ 2.*
*Sponsæ CHristi sumus.*
*Psal. 46.*
*Sponsus noster.*
*1. Cor. 6.*
*1. Pet. 1.*
*Precium hominis.*
*Psal. 21.*
*Vestis sponsi nostri qualis.*
*Cap. 19. in Apoc.*
*Tit. 1.*
*Crucifixoribus crudeliores hæretici.*
*Lib. 6. Stromat.*

vna est sponsa mea, vna est columba mea, id est, Catholica, in qua cùm & vos esse possitis, re-

*Hier. lib. 5. in Ezechiel. cap. 16.* baptizando inter mœchas particulam habere voluistis. Et æqualis eius Hieronymus Ezechielem enarrans: Est & alia, inquit, fornicatio spiritualis, quando deserentes Ecclesiam hæ-

*Hier. 6.* reticis iungimur: & ædificamus lupanar nostrum in capite omnis viæ. Quibus præcipit sermo diuinus: State in vijs, & quærite semitas Domini sempiternas, & videte, quæ sit via bona, & ambulate in ea, Moysi videlicet, IESV, Iudicium, & Regum libris, Esaiæ & Hieremia, & alijs Prophetis. In omnibus viarum principijs fabricatur lupanar suum, qui ad per-

*In scientia diuina qui errare non possunt?* uersitatem doctrinæ, testimonijs malè abutitur scripturarum, & dicit: Hæc ait Esaias: Hæc dicit Oseas: Hæc locutus est Moyses: hæc Daniel. Et pulchrè nō in medijs vijs, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio. Si enim ad scientiam & profunda diuinorum venerit librorum, errare non poterit. Ac nonnullis interiectis: Quicquid de Ierusalem diximus, refer ad Ecclesiam, animas q credentium: quę munera maritalia, aurum videlicet in sensu, & argentum in eloquio, & vestimenta, quibus fœditas nostra, ac turpitudo velatur, dant amatoribus suis, magistris dogmatū peruersorum, quando asserunt, nihil nocere luxuriam, quòd eam naturalis lex deposcat: cibis omnibus indifferēter vtendum: quia ad hoc facti sunt, vt sumantur. Hanc fornicationem ita grauem esse scribit Hieronymus, vt exponens illum locum: Et post te non erit fornicatio: collatione illius, omnem deinceps fornicationem leuiorem existimari debere dicat. Vocant eiusmodi Prophetæ, mulieres adulteras, vocant & meretrices: sicut apud Hieremiam legimus: in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Hoc enim ingenio sunt, qui semel à CHristo

*Hier. 2. Desertorum Ecclesiæ ingenium.* sponso nostro se diuiserunt: & sponsæ ipsius Ecclesiæ membra esse desierunt: vt quando semel, perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ claustris, datam ei fidem fefellerunt: eam subinde mutent, ac simul vt viderint collem aliquem sublimem, aut lignum frondosum, hoc est, qui scientiæ habet opinionem, quæ inflat: quicq verbis ornatis & amplis, ea, quæ

*Hæreticorum dogmata non sunt diuturna.* praua sentit, edisserere queat, statim illi adhæreant. Ex quo fit, vt nunc huic, nunc illi sectæ se tradant, dum nihil apud eos stabile est, & diuturnum. Sed nec apud magistros eorum, sectarumq Principes, constans est quidquam & perpetuum: cùm quotannis & ritus, & dog-

*Hier. in 16. cap. Ezechiels.* mata sua varient. Est. n. verissimum, quod scribit Hieronymus. Quòd semper fluctuantium pedes: nec sunt solida vestigia, quę contra veritatē sunt, sed huc, illucq discurrunt, & omni doctrinæ vento circumferuntur: dum de falsitate transeunt, ad aliam falsitatem.

*In cap. Esaiæ 57.* Et alio loco explicās illud Esaiæ, Multiplicasti fornicationes tuas cum eis. Hoc de hæreticis possumus dicere, qui derelicto Deo suo, sequuntur errores, & putant se aliquid plus habere, cùm sequentes mendacia perdiderint veritatem, & multiplicauerint fornicationem suam, non in vno dogmate, sed in pluribus.

Obsecro vos, expendite diligenter, quæ dicunt Hieremias, & Ezechiel, & Oseas Prophetæ. Num ea non rectè quadrent in vos? Nolo dicere, quòd estis omnes adulteri, sicut loquitur Hieremias, cùm certum sit esse plurimos inter vos, quibus hæc tam grauis fratrum stuorum fornicatio vehementer displicet, ac maiorem ex ea, quàm qui verbis vllis satis explicari queat, dolorem capiunt: sed quin plures, quàm expediat, inter vos adulteros reperire liceat: id inficias quemquam iturum esse non puto. Siquidem adulteri sunt omnes: Ambrosio quoq teste, Qui cupiunt adulterare fidei & sapientię veritatem. An vos non desponderunt vni viro Virginem castam exhibere CHristo, sanctissimi Patres illi nostri, Adalbertus Gnesnensis Archiepiscopus: & Sanislaus Cracouiensis Episcopus? qui primi propemodum gentem hanc nostram voluntariè Deo genuerūt verbo veritatis: qui quod prædicarunt Euangelium CHristi, per longam Sacerdotum & Episcoporum successionem sibi per manus traditum, sanguine suo signatum vobis reliquerūt? Estis autem vos adhuc illa casta & incorrupta virgo, quam illi vos ita Christo, spirituali coniugio copularunt: vt ab eo nunquam diuelleremini? Num in eo permanetis quod ab illis initio didicistis? Num in qua fide vos illi Christo desponsarunt, eam in hunc diem integram retinetis? Proh dolor, dolor superans omnem dolorem. Quod metuebat Apostolus, id vobis, proh dolor, accidisse videmus. Sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrupti sunt sensus vestri, & excidertis à simplicitate, quæ est in CHristo IESV.

*Amb. super Lucam lib. 8. cap. 2.* *Adalbertus & Stanislaus Poloniæ Apostoli.* *Iacob 1.* *2. Cor. 11.* *Locus Gen. 3. tractatur.*

Sed quomodo seduxit serpens Euam? Dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? Videte mendacem. Nunquam enim præceperat Deus: vt non comederent ex omni ligno Paradisi. Cuius mendacij tacitè traduxit etiam eum, cùm responderet mulier: De fructu, inquit, lignorum, quę sunt in Paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Quid autem ad hæc serpens? Astutia vsus, inquit, Ireneus, decepit eam denuò per falsiloquium, dicens: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus: quod in quacunq die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Cùm ipse sit mendax, mendacij Deum arguere, quin & inuidiæ suspicionem illi cōflare non est veritus: quasi causa præcepti huius esset inuidia. Sicille, cuius inuidia mors intrauit in hunc mundum, ex se metiebatur fontem illum totius benignitatis. Verùm audite quemadmodum tractet locum hunc scripturæ, qui fuit proximus Apostolorum temporibus, Irenæus Polycarpi discipulus. Docet is hæreticorum doctrinam, quæ oculis etiam ipsi nostris cernimus, sibi non cōstare: propterea quòd quam Ecclesia firmam habet ab Apostolis traditionem, eam negligunt: Cùm Ecclesia, cui creditum est lumen Dei, veritatem vbiq prædicet. Qui ergo relinquunt, inquit, Ecclesiæ præconium, imperitia sanctorum Presbyterorum arguunt: non contemplantes, quantò pluris sit idiota religiosus, & blasphemo & impudente Sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant, sequentes ea, quæ prædicta sunt variè & multiformiter, &

*Iren. lib. 5.* *Sap. 2. Vbi supra.* *Irenæus Polycarpi discipulus.* *Hæreticorum doctrina sibi non constat.* *Hæretici Sophistæ impudentes sanctæ imperitiam obijciebant.*



miter, & imbecille facientes iter: de ijsdem non semper easdem sententias habentes: velut cœci à cœcis circumducuntur: iustè cadent in sublatentē ignorantiæ foueam, semper quærentes, & nunquàm verum inuenientes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, & intentius obseruare, ne coniurgemur ab ipsis: Confugere autem ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & Dominicis scripturis enutriri: Plantata est enim Ecclesiæ Paradisus in hoc mundo.

*Lignum paradisi interdictum hæreticorum doctrina.* Ab omni ergo ligno Paradisi escas manducabis, ait spiritus Dei, id est, ab omni scriptura dominica manducate. Super elato autem sensu, ne manducaueritis: neq; tetigeritis vniuersam hæreticam dissensionem. Ipsi enim confitentur semetipsos agnitionem habere, boni & mali, & super Deum, qui fecit eos, iaculantur sensus suos impios. Supra igitur sentiunt, quàm est mensura sensationis. Quapropter & Apostolus ait: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad prudentiam: vt non illorum manducantes agnitionem, eam quæ plus quàm oportet, sapit, proijciamur de Paradiso vitæ: in quem Dominus inducit eos, qui obediunt præconio eius. Hactenus Irenæus. Nō in solo pane viuit homo: sed nec in solo fructu lignorum siue arborum, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Proinde pulchrè locum hunc accommodat Irenæus, ad escam spiritualem, hoc est ad scripturam dominicam. Ab omni, inquit, scriptura dominica manducate: super elato autem sensu ne manducaueritis. Quo minus vteretur, qui capax est solido scripturę cibo, Dominus non prohibuit: sed elatum scripturæ sensum, quem afflat serpens, dum vt esse velimus sicut Dij, persuadere conatur, hūc modis omnibus prohibuit, Et hoc est quod metuere se dixit Apostolus, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic seducat Corinthios quoq suos. Ne corrumpantur, inquit sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo IESV. Nihil magis pugnat cum simplicitate, quàm sensus elatus. Noli altum sapere dicit alibi, sed time: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

*Deut. 11.* *2. Cor. 11.* *Rom. 11.* *Rom. 12.*

*Polonorum ad suos maiores collatio.* Nunc vos videte carissimi, si per astutiam serpentis illius, qui seduxit primos parentes nostros, non sunt corrupti sensus vestri, si non excidistis ab ea simplicitate, quæ est in Christo IESV, quæ fuit in sanctis maioribus vestris. Si non manducastis de sensu elato, de quo ne manducaretis, Dominus præceperat, si non ista potissimum causa fuit, quamob rem in has tantas abominationes incidistis, & in has tam fœdas fornicationes, quas exposuistis omni transeunti. Maiorum vestrorum sensus integri fuerunt, & incorrupti, fuit in illis ea simplicitas, quæ est in CHristo IESV: non manducauerunt de sensu elato: non est exaltatum cor eorum, non sunt elati oculi eorum: non ambulabant in magnis, neq; in mirabilibus super se: Paulum rectè monentem audiebant: Non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem. Ille plus sapit, quàm oportet sapere, qui se sapientiorem, ac doctiorem esse persuasum habet, quàm Ecclesiam vniuersam: de qualibus dicit Apostolus, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Ille sapit ad sobrietatem, qui, qua par est animi submissione, suum quacunq tandem de re iudicium Ecclesiæ iudicio libenter submittit, & ei præcipienti libenter paret. Quod quam religiosè fuerit à sanctis maioribus vestris obseruatum, quotquot estis natu grandiores, memoria tenere potestis. Quid autem vos? Num ab hac eorum simplicitate non excidistis, qui non modò, non imitandam eam vobis, verùm illos ob hanc ipsam causam plerique cachinnis esse prosequendos existimatis? vt rectè de vobis illud vsurpare possit Ecclesia: Nunc autem derident me iuniores tempore. Sed non temere dixit CHristus: Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Quibus enim lachrymis deflendum est, quæ postea vobis acciderunt? Nam eius, quod scriptum est, obliti: Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic scrutator maiestatis opprimetur à gloria, quòd dicit alia scriptura: Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius, ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea, quæ sunt abscondita videre oculis tuis: Harum salubrium admonitionum obliti, posuistis in cœlum os vestrum: & lingua vestra transiuit in terra. Sicut olim Caphernaitæ, cùm CHristum de manducanda carne, deq; bibendo sanguine suo verba facientem audiuissent: Quomodo, dicebant, potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? sic & vos non minus curiosè quærere cœpistis: Quomodo potest fieri, vt ex pane caro, & ex vino fiat sanguis CHristi? Dumque rimari secreta cœlestia, dum altiora vobis quærere, & fortiora vobis scrutari, dum quæ sensum omnem, & intellectum humanum superant, & sola fide comprehendi possunt, ea ratione vestra, qua nihil est imbecillius, perfestigare conamini, Ecce quò tandem ad extremum estis prolapsi. Et CHristum ex Eucharistiæ Sacramento amisistis: & adorandum sanctissimæ Trinitatis nomen blasphemari, iam æquis auribus ferre potestis: quin & duplici honore dignos iudicatis eos, qui tam horrenda patrare non dubitant. Animaduertitis ne, quomodo serpentis astutia, sicut scribit Irenæus: sanctorum Presbyterorum imperitiam arguere cœpistis? Qui cùm corrupti sunt sensus vestri, posteàquam à simplicitate maiorum vestrorum excidistis: & scirent non in contentione sermonis DEI regnum esse, verùm in simplicitate fidei, de quo tam occultis illius mysterijs non disputandum, non ea discutienda, non esse quærendum, quomodo putauerunt: Sed cùm legissent: Iustum ex fide viuere: non ex argumentis aut rationibus, cœlestibus his mysterijs fidem adhibendo, nec ea curiosè scrutando, tandem ad fidei præmia peruenerunt, & illud consecuti sunt, quod scriptum legimus: Credite & intelligetis.

*Psal. 130.* *Plus sapere quid?* *Sapere ad sobrietatem quid.* *Iob 30.* *Lucæ 6.* *Prouerb. 25.* *Eccles. 3.* *Psal 72.* *Ioan. 6.* *Fructus elati sensus.* *Amb. de fide lib. 1. cap. 3.* *Regnum Dei in quo consistit.* *Abac. 2.*

Verùm libet hîc gradus describere, quibus ad supremum hoc impietatis fastigium peruenistis: quò magis astutia serpentis huius, oculis omnium subiecta esse queat: qui cùm fit callidior cunctis animantibus terræ, non festinando: sed sicut fert ingenium eius, rependo perfecit, vt in hunc locum veniretis. Verum enim est illud, quod quidam scripsit: Nemo repente fuit summus, ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ. Quod non magis

*Esa. 7. Gradus quibus ad extremam impietatem ventum est.* *Genes. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Bern. in ser. 1. de Diuo Andrea.*
*Basil. in orat. de virtute & vitio, vna ex istis 24. quæ hoc anno Venetijs impressæ sunt.*
*Lib. 12. de Trinit. cap. 10. & 11.*

magis de virtute, quàm de vitio rectè dici potest: sicut ille dixit: Nemo repentè fuit turpissimus. Quod etiam pulchra quadam similitudine Basilius expressit, Sicut tenebræ lucis præsentia superantur, & morbus sanitatis accessione, & ad virtutem progressio, à rebus minimis augmentum sumit: ita etiam prauitatis scaturigo, ab ijs, quæ initio imbecilla, atq; exilia erant, ad rem quæ sanari ac restitui amplius non potest, fertur. Ad eundem modum & Augustinus: Nec. n. inquit, ad tam turpem & miserabilem fornicationem, semel ab exordio prohibitus, non labi, non corruere, non præcipitari non posset? Quomodo. n. coluber apertis passibus: sed squammarum minutissimis nisibus repit. sic lubricus deficienti motus minutatim occupat.

*Hom. 87. in cap. 27. Matthæi.*
*Satana minimis.*
*1. Reg. 28.*

Libet autem ea, quæ leguntur apud Chrysostomum adscribere. Veterator, inquit, malorum diabolus, cùm sit magna malitia, multa opera, ingenti studio, condescensione q; non nulla ad perditionem hominum vtitur. A minimis enim plerunque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonissæ derisionem Saul Regem detrudere: Verum quia non adhibuisset ille mentem, ad Pythonissas paulatim ipsum inducit. Nam quoniam Samuël non obtemperauit, & holocausta offerri præparauit, illo absente accusatus, ait, necessitas hostium facta est maior. Cumq; flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur. Iussit deinde nonnulla de maledictis Deus, ea quoque transgressus fuit: hinc aduersus Dauid illum insaniuit, ac sic paulatim labens non stetit, quousque ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit. Similiter etiam de Cain factum esse videmus. Non enim confestim cædem fratris illi suggessit, ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur: sed prius ei persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: Deinde inuidiæ veneno succendit: nihil etiam mali hinc secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quàm malorum omnium verticem imposuit. Repellendaigitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad maiora prima non progrederentur peccata, non esse tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt: quapropter omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt euertenda. Non enim vim delicti solam considera res, nec quia paruum sit cogites: sed illud præcipuè tene: quia si radicem non euulseris, magnus inde labor succrescet. Mirabile quid atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quantò parua & vilia illa enim natura ipsa spontè auertitur: hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia nostra: hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditionis malum coaluit: nisi enim putasset paruum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem nõ deuenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad cædem CHristi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insilijt. Habet quippè insitum quendam anima pudorem atq; innatum, quem subitò calcare, atq; proijcere non potest: sed sensim atq; paulatim ex negligentia perit: hoc pacto etiam Idolorum cultus aditum inuenit: cùm vltrà quàm oportet, viui ac defuncti honorarentur: hoc pacto simulachra & statuæ adoratæ sunt: hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur. Consideremus autem, si nimium quidam, ac importunè risit, reprehensus à quopiam est, respondet alijs, nihil esse id mali. Quid enim est risus, aut quid vnquam ex risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta. Cùm alius proximo ex inuidia maledicteret, reprehensus q; esset, contempsit, dicens nihil esse mali huiusmodi verbis vti: sed hinc dissidia & odia nata sunt, inde inimicitiæ capitales, hinc contumeliæ, à contumelijs porrò pulsatio, ac inde cædes plerunq; secuta est. Sic à minimis ad maxima diabolus gradatim ducit, & inde ad desperationem detrudit, & hanc viam priore non minorem ad inuenit. Non enim tantos peccatum, quantos desperatio perdit. Nam qui deliquit, si seipsum per pœnitentiam excitabit, citò delicti remissionem impetrabit: qui autem pœnitentiam spernit: idcircò veniam impetrare non potest, quoniam medicinam pœnitentiæ non imponit.

*Peccata maxima ex paruis fiunt, negligentia nostra.*
*Peccata magna interdum non tanto studio sunt vitãda, quanto parua & vilia.*
*Animæ pudor innatus quomodo perit.*
*Ex leui risu qui progressus ad peccatũ.*
*A maledicentia ad cædem quis progressus.*

Digna sunt animaduersione, quæ scribit Chrysostomus, quamuis Paradoxa videri possint, quod non tanto studio magna peccata putat euitanda, quanto parua, cùm ab illis sponte sua natura mortalium abhorreat: hæc autem hoc ipso, quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, efficiunt, vt quãdoquidem eis minus generosè resistitur, ex paruis maxima fiant. Nullum autem est peccatum hæresi grauius & schismate: vt alia omnia cum hoc vno collata, festuca sint cum trabe comparata. Quamobrem optandum fuerat, vt statim initiò prorupisset Satanas in hos tam fœdos errores, qui nunc sparguntur. Nam neque tulissent hoc aures mortalium, nondum assuetæ leuioribus etiam: sed statim è medio blasphemos istos sustulissent. Verùm intelligebat hoc ille, quamobrem non est illi visum, ab his exordiri: sed cùm animaduerteret, quoad Papatus (nam sic illi vocare libet Ecclesiam Catholicam,) aliqua esset auctoritas, frustrà se laboraturum, neque consilia sua, quem cupiebat, vel progressum habitura, vel exitum esse consecutura. Quamobrem, vt illum eleuaret, & in odium & contemptum apud vos adduceret, in id studium, totò pectore (quod aiunt) incubuit. Quò sic, posteàquam illi præcipienti non parere, constitutiones etiam illius pro nihilo ducere consueuissetis, facilius in suam vos nassam pertrahe ret. Sed nec hoc non videbat, honestiorem aliquem prætextum adferri oportere, quo pollicitationem & Publicanũ haberi Christus voluit. Quis autem potuit prætextus honestior inueniri,

*Hæresi nullum peccatum grauius.*
*Satan hæreses à Patris oppugnatione cur inceperit.*
*Papatus oppugnatio initiũ hæresium.*



niri, quàm Euangelij, quàm Dei verbi? Quamobrem visum est illi, metu suæ grauiolentiæ, sicut Athanasius loquitur, scripturarum voces vsurpare: vt illis obtectus aspersò veneno suo simplices deciperet. Ita enim Euam decepit: ita etiam alios hæreticos in errorem abduxit. Prætexit igitur fraudi suæ nomen Euangelij, quod subinde crepabat, ac facinus minimè ferendum esse vociferabatur, humanis traditionibus Dei verbum obscurari, & priorem illarum rationem haberi. Vocatos esse nos in libertatem à CHRISTO, nunc autem iterum subici seruituti legis, & quidem humanæ, cuius iugum grauius etiam sit, quàm iugum legis Mosaicæ. Leges humanas esse ciborum delectum: dierum discrimen: Sacerdotum cœlibatum: orandi stata tempora, præscriptas etiam quasdam formulas, quas horas Canonicas vocant, & id genus alia quædam: Dirumpenda esse hæc vincula Papatus: Nam vbi scriptum est: quòd feria quarta potius, aut profabbato, aut in quadragesima, quàm alijs diebus ieiunandum: quòd à carnibus & ab ouis, quàm à piscibus magis abstinendum sit: quòd ab honorabili coniugio & immaculato thoro Sacerdotes prohibendi sint? Hoc sibilo serpentis affiati multi, cum quod ingratum auribus esse non potuit: laxari carni fræna viderent, minus iam Ecclesiæ tribuere, quin apertè, quæ sunt ab ea rectè constituta, flocci non facere cœperunt? vsque eo etiam: vt in despectum Papatus siue Ecclesiæ, non alijs diebus carnibus libentius vescerentur, quàm quibus vsum carum prohibitum esse sciebat. Neque Sacerdotes tantùm: verùm & ipsi Monachi contra iurisiurandi sui religionem, contra expressum Dei verbum, quò dicitur: Vouete & reddite Domino Deo vestro: Et iterum: Cùm voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere: se fœminis copularunt, quas eis vxores vocare visum est. Atq; hæc prima fuit fornicatio vestra.

*Matth. 18.*
*Satan venena sua scripturæ vocibus obtegit.*
*Prima fornicatio hæreticorum.*
*In despectum Papæ omnia faciunt hæretici.*
*Psal. 95.*
*Deut. 23.*

Cumque sibi serpens non infeliciter initia cecidisse videret, prorepsit longius: accessit ad Sacramenta, quorum tamen vel numero, vel virtuti, vel dignitati, non statim fuit ausus quidquam detrahere: verùm de speciebus tantùm venerabilis Eucharistiæ Sacramenti contentionem iniecit: quiritans, quod contra manifestum Dei verbum ventum esset: quando quidem disertis verbis dixit Christus: Bibite ex hoc omnes: Non esse ferendam tyrannidem hanc Pontificum, qui sibi licere vellent ipsam etiam institutionem CHristi, non modò violare, verùm & contrarium illi statuere. Sic ille transfigurans se in angelum lucis, ac Euangelium, Deiq; verbum obtendens, multò plures astutia sua seduxit. Sciebat ille, quod etiam per membra sua Lutherum, Bucerum, Philippum Melanchtonem, & alios non semel est confessus, CHristum de calice sumendo, nihil tanquàm necessarium præcepisse: Sciebat verissimum esse, quod etiam à Patribus aliquando fuit decretum, siue sub vna, siue sub vtraque specie quis communicet, proficere dignè communicantibus ad salutem: modò secundum ordinationem & obseruationem Ecclesiæ faciat. Itaque non eum offendit alterius tantum speciei communio: sed cum CHristi corpus Ecclesiam id ordinasse videret, illius ordinationem infringere conatus est: quo sic adsuescerẽt homines, plus priuato suo, quàm Ecclesiæ iudicio tribuere, & illius sensui, suum in scripturis interpretandis sensum anteponere. Hanc igitur, vt erroris conuinceret, ac vt viam sibi muniret, qua persuadere posset, vt in alijs quoque scripturis interpretandis, similiter suum potius, quàm Ecclesiæ sensum sequerentur, hæc illi fuit causa potissima, quamobrem tanto studio calicem vrgendum esse putaret. Qui cùm nihil aliud maiore studio contenderet, quàm vt inter fratres dissideret, quod est illi proprium, permultum se profecturum persuasum habebat, si per quod Sacramentum, vnum CHristi corpus efficimur omnes, in eo diuisionis, vt esset initium persecisset: Neque verò fefellit eum opinio sua: Nam simul vt persuasum est non paucis, contra tam expressum Dei verbum, per summam iniuriam, calicem esse laicis ereptum, id q; Concilij generalis auctoritate: venit apud eos Ecclesia siue Papatus in tantum odium & contemptum, vt nihil habere cum eo commune vellent: vt q; Zonarij, baiuli, pueri, puellæ, aniculæ, hanc opinionem de se conciperent, quod scripturas multò melius, quàm Ecclesia siue Papatus vniuersus intelligeret, cuius vel cœcitatem, si tam clarum Dei verbum non videbat, vel impietatem, si sciens, prudens q; contra illud veniebat, mirari satis, ac detestari non potuerunt. Et fuit hæc iam secunda fornicatio.

*Satanæ proprium inter fratres dissidere.*
*Tertia fornicatio hæreticorum.*

Hic semitæ iræ Dei via facta est, ac magis indies atq; magis dilatata. Paulò iam deinceps citatiore gradu repsit serpens vlterius. Videbat enim animos multorum benè præparatos ad libilum suum excipiendum. Persuasit igitur plurimis exangue corpus ad manducandum, neq; viuum sanguinem: sed cruorem bibendum dari, quòd sub specie panis corpus tantùm sine sanguine, sub specie vini sanguis tantùm sit sine corpore: qua ratione perfecit, vt minus iam reuerenter ad hoc Sacramentum accederetur. Quis enim ab eo vitam expectaret, in quo vita non esset? Paulò pòst iam non amplius eo voluit vti dicendi genere, quod obseruat Ecclesia sub specie panis: verũ, nunc in pane, nũc sub pane, nũc cũ pane docuit esse corpus Christi: q; remaneret ibi subst ãtia panis vna cũ subst ãtia corporis Christi. Quæ res rursum Sacramẽtarijs mouit, cùm quẽ nos incarnatũ esse profitemur, eũ illi credere Lutheranos dicerent, Christum impanatum: simul eis occasionem vlterius progrediendi dedit. Serpit posteà longius hæc bestia, neq; tamen adhuc eò peruenit audaciæ: vt Christi præsentiam in hoc Sacramento negaret: sed viam tantùm ad eam rem sibi muniuit. Concessit esse CHristum in Eucharistia præsentem, verùm non alio tempore, quàm quo sumeretur. Quasi verò non cùm accedit verbum, sed cùm accedunt dentes ad elementum, & confringunt illud, tum primùm fieret Sacramentum. Sed hoc ille tũ multis persuasit, ac si quis extra sumptionem Eucharistiam adorasset, eum Idololatriæ reum pronunciauit. Ac eò tandem perduxit miseros, vt & Sacerdotium & sacrificium abrogandum, ac oẽm Christi beneficiorum memoriam obruendam censerent obliuione sempiterna summi præsertim illius & immensi

*Zuingliani Lutheranos credere dicebat Christũ impanatũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mensi beneficij, quo semetipsum Christus dedit redemptionem pro nobis, cuius in tremendo Missæ sacrificio fit repræsentatio. Quę posteàquam ex animi sui sententia cõfecit omnia, tum primùm id oneum esse tempus existimauit, vt per nouum suum satellitem Zuinglium, eo pertraheret hominem, vt diceret insipiens in corde suo, Non est Deus. Non est Deus in hoc Sacramento. Non est in eo corpus Christi. Merus est panis pistorius: cui diuinos honores tribuere, est Idololatriæ scelus committere. Cuius tanti criminis non dubitauit orbem Christianum vniuersum condemnare: qui totis mille quingentis annis panem pro Deo coluerit.

*Zuinglius satelles diaboli.*

*Blasphemiæ illius, Psal. 15. & 52.*

Sic ille, posteàquam tectum Ecclesiæ, siue Papatus per Lutherum demolitus est, parietes etiam per Zuinglium diiecit: ad ipsum quoque fundamentum euertendum aggressus, istos de quibus nunc agimus, excitauit, qui sanctissimam Trinitatem, quæ verè fundamentum est fidei nostræ, blasphemarent, qui Deum esse trinum & vnum negarent, neque tres personas, & vnam eorum essentiam cœxiteri vellent, qui sancti Patris Athanasij symbolum (quod per mille trecentos annos ita fuit in Ecclesia receptum vniuersa, nullus vt auderet contrà mutire: nisi qui se manifestum hæreticum esse comprobare vellet, quod proximum à scripturis Canonicis locum hactenus obtinuit) blasphema lingua Satanasij symbolum appellaret. Nec illis defuerunt, proh dolor, qui tantas blasphemias has non modò ferrent æquis auribus, verumetiam tuerentur, atq; defenderent.

*Fundamentum fidei Trinitatis conuellunt.*

*Satanasij symbolum.*

Videtis iam charissimi: quomodo vos astutia sua serpens iste seduxerit, à quibus initijs, per quos gradus, ad hoc extremæ fastigium impietatis perduxerit. Quæ fuit initiò semita tantùm iræ Dei: quàm lata nunc via facta sit? Accidit vobis illud, quod accidisse populo suo multis cum lachrymis questus est Hieremias. Nam cùm dixisset, Omnes adulteri sunt, & cœtus prævaricatorum, subiunxit mox: Et extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij & nõ veritatis. Cõfortati sunt in terra. Re vera, cõfortati sunt in terra, quidam verè terrestres Nuncij: quia de malo in malum ingressi sunt: non cognouerunt me, dicit Dominus. Sicut sancti de virtute in virtutem, sic isti de malo in malum progressi sunt: Idolum Idolo mutarunt.

*Abominationes in Polonia grassantes deflentur. Hier. 9.*

Quid faciam patria mea dulcissima, in qua primùm lucem hanc aspexi (quam nunquam aspexissem potius, quàm in has tantas abominationes, in has tam fœdas fornicationes incidisse te viderem.) Sed quid faciam? Loquar an taceam? Loqui pudor prohibet: tacere dolor non permittit. Quin etiam grande fuerit scelus, tacere, quod loqui Deus præcepit, dicens: Notas fac Hierusalem abominationes suas. Quamuis te potius alloquar Pinzouia, quæ, quod sine lachrymis referre non possum: in patria mea plurimis pestiferum virus tuum aspersisti. Nã patriæ meæ tã ignominiosum nomẽ tribuere nolo. cùm sint multò plures in ea, qui vel maximè vestras istas abominationes execrantur. Confregisti Pinzouia iugum meum, dicit Dominus: Rupisti vincula mea, & dixisti, Non seruiam: Non seruiam Papatui: Non seruiam Ecclesiæ: Non audiam illam. Patres, Concilia, vetustatem, flocci non faciam. Quid ex eo consequutum est? Prosequitur Dominus. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix. Audin tu Pinzouia, quid factum sit de te, posteàquam ex eo fregisti iugum Ecclesię: rupisti vincula Papatus: nec amplius illi seruire voluisti, quem ex eo fructum tulisti? Facta es meretrix, dixit Dominus. Vbicunq; vidisti collem aliquem sublimem, aut lignum frondosum: ibi tu prosternebaris meretrix. Nihil nunc dicam de domesticis tuis amatoribus: de cq; finitimis Picardis: de ijs tantùm, qui longius à te dissiti fuerunt, verba faciam. Visus est aliquando tibi collis sublimis, & lignum frondosum Stancarus, de quo magnam opinionem scientiæ conceperas: statim in illo colle sublimi & sub illo ligno frondoso tu prosternebaris meretrix: totam illius voluntati te permisisti: quicquid ab illo dicebatur, tanquam Dei verbum adorasti. Quid autem paulò pòst factum est? Quæritur hoc ipse, qui se Paulo Apostolo æquiparat: quod sicut post Pauli discessum à recta fide Galatæ defecerunt: sic tu post ipsius discessum opera Pseudoeuangelicorum in Arrianismum, & Euthichianismum es retracta. Hoc est amatoris tui, sub quo te prostrauisti, de te iudicium. Constat autem ex historica narratione, quam edendam tu Pinzouia curasti: quod cùm Stancarus publicam disputationem expeteret, de dogmate, quod in dubium apud vos vocabatur: ministri tui cum suo Superintendente disputationem hanc refugerunt: quod se certos esse dicerent, ita rem habere, sicut ipsi docerent: quodq; cùm esset ipsorum de mediatore sententia, ministrorum Ecclesiarum quarundam, adhærentium doctrinæ suæ, calculis approbata, Stancari verò reiecta: fas non esse putarent, reiectis eorum iudicijs, nouam disputationem ingredi. Cùm tamen intereà velint: vt quibus de Capitibus doctrinæ Christianę totius orbis Christiani decreta interceserunt: ea rursus in dubium reuocentur. Itaq; condemnastis eum inauditum, libros eius Vulcano corrigendos tradidistis: fortassis idem de ipso factura eras: nisi mutare sibi fuga consulisset. Scribit autem idem Stancarus, misisse vos pro consilio ad Tigurinos & Geneuenses, qui vobis Arrianam, Eutichianam, Apollinaristarum, Timotheanorum, Acephalorum, Theodosianorum, Gaianitarum, & Macarianorum hæreses pro fide Catholica remiserunt, ipsi etiam inter se pugnantes. Coram his quoq; tu prosternebare meretrix. Venerunt ad te posteà Blandrata, Lysmaninus, Statorius cum alijs quibusdam Gallis, quidam Georgius Niger, qui minorem esse Patre filium asserebat: In his quoque sublimibus collibus, sub his lignis frondosis tu prosternebaris meretrix. Venit posteà Gentilis quidam personatus Eunomianus, qui gentilem vt te faceret, vel vt Iudaismum potius induceret, proximè secum trahentem inter cæteros comites Gentilismum siue Paganismum, Catholicam & Orthodoxam Ecclesiæ doctrinam de sanctissima Trinitate non est oppugnare veritus, atq; vt CHristum negares auctor tibi fuit. In hoc quoq; colle sublimi, sub hoc ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Venit ad extremum

*Ezech. 16. Pinzouia.*

*Ad Pinzouiam Apostrophe.*

*Hier. 2.*

*Pinzouiensium fornicatio.*

*Stancarus collis sublimis Pinzouiæ.*

*Galat. 1.*

*Hæretici de suorum iudicijs iudicare nolunt.*

*Stancari libri exusti Pinzouiæ.*

*Blandrata. Lysmaninus. Niger. Gentilis.*



tremum Ochynus, nuper admodum ab Heluetijs pulsus, qui diuersa quidem ratione: sed minimè tamen à Gentile diuersa docuit. In hoc quoq; colle sublimi, sub hoc ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.

*Ochynus.*

Sed paulò plura de Ochyno dicere libet: vt qui vir sit iste: simul quàm sit hæc turpis tua fornicatio, cognosci possit ab eis, qui fortè non satis adhuc habent eum perspectum, Vbi Psalmi locum illum enarrant Hieronymus & Augustinus. Vt destruas inimicum & defensorẽ, sic enim legit Augustinus. Inimicũ & defensorem, siue vltorem, hæreticum intelligi volunt. Qui cum nequitia sua fidem & Ecclesiam Christianam oppugnet, defendere tamen eam adsimulat. Ipsissimus hic est Ochynus. Est enim idem inimicus & defensor. Nec vllo tempore magis inimicus, quàm quo se maximè simulat esse defensorem. Vix vnquam sana doctrina, quam Ecclesia Catholica profitetur, hostem sibi magis habuit infestum, quàm hunc, qui tamen intereà sibi partes illius defendendas sumit vltrò: verùm ita defendit: vt facilè nequissimum prævaricatorem agnoscere liceat. Nihil est necesse recensere singula: foret enim id nimis longum: sed pauca tamen breuibus attingam. De Polygamia Dialogum quendam edidit, in quo, quibus potest fortissimis argumentis, quendam illam approbantem, se verò Ecclesiæ doctrinam tuentem inducit: Qua quidem in re, se talem defensorem præstat: vt ludere potiùs cùm aduersario, quàm seriò rem agere videatur. Haud aliter enim, quàm si victus esset argumentorum illius vi concedit ad extremum, quod ille vult: & vt id faciat, monet, ad quod eum Deus impellit. An autem magis fidum defensorem agit in eo dogmate tuendo, quod vnum est de præcipuis fidei nostræ capitibus, quo Sanctam Trinitatem & esse, & adorandam esse, Christumq; natura Dei filium esse Catholica profitetur Ecclesia: ipsa præfatio, quam ei Dialogo præfixit, satis indicat, qua fide rem agere proposuerit. Narrat enim se propterea à Dialogum hunc scripsisse, quod suspectum eum haberent nonnulli, quasi non crederet esse Trinitatem. Cæterùm ita suspicionem hanc diluit in isto suo Dialogo: vt siquis dubitasset anteà, quod Sanctæ Trinitatis infestissimus hostis sit: lecta eius defensione dubitare deinceps non possit. Itaque cùm esset sibi conscius eius rei, pluribus verbis in præfatione purgat sese, si non tanta vi probatam à se, defensamq; esse Trinitatem, quanta debuerit, si locus & argumenta, quæ contrà sunt adducta, per se ieiunè refutata esse quisque dixerit. Secutus autem est is exemplum Lutheri. Nam sicut Lutherus de sacrificio Missæ Sacramento secum disputantem ac multos locos, & argumenta proferentem inducit, quibus eam in contemptum adducat, & vt abrogetur persuadeat, sic & hic facit in dogmate de Sancta Trinitate, quam in Dialogo quodam, idem, qui Missæ sacrificium, spiritus grauiter oppugnat: simul & Christi diuinitatem, & ex Orco reuocat omnia, quæcunque vel à Praxea, vel ab Arrio, vel ab Eunomio, vel ab alijs hæreticis pridem allata, non semel sunt in Oecumenicis Concilijs condemnata. Quorum præiudicijs, cùm victum esse videret aduersarium, auctoritatem eorum, quin & sanctorum Patrum eleuat, nec his armis cum aduersario congrediendum esse censet, neque præter scripturarum auctoritatem valere quicquam vult: nec aliquid se præter illas, & Symbolum Apostolorum recipere profitetur. Dumq; reliqui Sanctæ Trinitatis Hostes Nicænum quoque Symbolum admitterre se profiteantur, & hoc iste reijcere videtur. Itaque cùm ad pugnam ventum est, nihil aliud, quàm ludos quosdam agit, & quamuis aliud præ se ferat, oppugnare tamẽ potiùs Ecclesiæ dogma, quàm propugnare videtur. Neque verò contentus fuit in hoc dogmate talem se præstitisse, longius etiam progreditur. In penultimo dialogo Philosophum quendam inducit, qui se religionis omnis expertem palam professus, non ille quidem prorsus Deum esse negat, quem optimum esse motorem concedit, sed eum nec adorandum, nec ab eo præsidij quicquam expectandum esse docet. Scripturarum etiam, quas Canonicas vocamus, & quas esse diuina quædam oracula certò persuasum habemus, & veritatem & auctoritatem vehementer oppugnat. Cui contradicit quidem Ochynus in speciem, verùm si quis & hunc, & alios Dialogos omnes diligenter excutiat, quod à me non sine magna molestia factum est: non aliud eum credere videbit: quàm quòd spiritum & Philosophum loquentes inducit. An autem super hac impietate tanta, terra non inhorrescat? an cœlum etiam ipsum non obstupescat?

*Inimicus & defensor Ecclesiæ Ochynus.*

*Psal. 8.*

*Ochynus iste.*

*Nec adorandum Deum, nec præsidia ab eo expectandum, Ochynus credit in penultimo Dialogo.*

Iámne vides ô Pinzouia, quorsum tibi res ad extremum redierit. Euangelij tui perfectio & progressio Epicureismus est, & Atheismus. Dixit aliquando Protagoras, non liquere sibi, num esset aliqua diuinitas: adeò visum est hoc Athenienſibus non ferendum, vt & ipsum è suis finibus expellerent, & in concione libros eius, in quibus ista continebantur, exurerent: Tu verò Pinzouia, quem expulerunt hæretici, quem nec ipsi ferrent Ethnici: qui sacra ridet omnia, qui Christum Deum filium, & adorandam Trinitatem habet ludibrio: qui Deum nullum prorsus credit, & eum naso suspendit adunco: in isto colle sublimi, sub isto ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Fabricata es ô Pinzouia lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea. Nec facta es quasi meretrix fastidio augens precium: sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos, omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & donabas eis: vt intrarent ad te vndiq; ad fornicandum tecum. Factumq; est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis. Et post te non erit fornicatio: hoc est: deinceps omnis fornicatio tui collatione leuior existimabitur. Nam & tulisti filios tuos, ait Dominus Deus: & immolasti dæmonijs ad deuorandum. Quid autem horum, quæ per Ezechielem dicit Dominus: non rectè quadrat in te Pinzouia? An tu non ædificasti lupanar? An non abominabilem fecisti decorem tuum: & diuisisti pedes tuos omni transeunti: & multiplicasti fornicationes tuas? Nam non solùm fornicata es cum eiusdem gentis hominibus, de quibus hoc tempore nihil esse dicendum putaui: verumetiam cum exteris, qui vel ex Italia, vel ex Gallia,

*Regressio ad Apostrophe.*

*Pinzouia magis quam Athenienſes impia.*

*Ezech. cap. 16. locum Pinzouiæ accommodatur.*



*Lutheri simia Ochynus.*

*Victus Ochynus Conciliorum auctoritate quo euertit?*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Externi fornicatores Pinzouiæ.*

lia, vel ex Heluetia, vel ex Germania, vel ex Boëmia, vel ex Morauia pulsi nonnulli, proscriptiq; fuerunt, cùm Stancaris: cum Blandratis: cum Gentilibus: cum Lysmanninis: cum Statorijs: cum Georgijs, cum Ochynis: & nescio quibus alijs fœdissimis hominibus. Vt & illud impletum sit in te, quod est apud Esaiam, Dilexisti dormientes tecum: & multiplicasti fornicationem tuam cum eis: & misisti legatos vltra terminos tuos: & humiliata es vsq; ad inferos.

*Esai. 57.*

*Ezech. 23.*

Et quod est apud Ezechielem: Cùm immolarent filios suos Idolis suis, miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuncium miserant. Itaq; ecce venerunt: Ecce venerunt Blandratæ, venerunt Gentiles, venerunt Lismannini: venerunt Ochyni: ecce quomodo per eos humiliata es vsq; ad inferos: posteaq; adorandam Trinitatem blasphemare & Christum naturam filium Dei esse negare te docuerunt. Quid enim iam superest impietatis, quod ab illis non hauseris? Deinde verò si quæstum aliquem ex hac fornicatione tua feciſſes, quàuis turpe, tolerabilius tamen id fuisset. Nunc autem, non fuit simplex hęc tua fornicatio: sed sicut mulier adultera, quando super virum suum inducit alienos, mercede conduxisti, qui tecum fornicarentur. Donabas eis, vt intrarent ad te, ex omnibus ferè partibus orbis terrarum, etiam ex ipsa Corcyra. In eo, quòd dedisti mercedes, & mercedes nõ accepisti: factum in te est contrarium. Propterea meretrix audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Quia effusum est æs tuum: & reuelata est ignominia tua in foruicatione tua, super amatores tuos, & super

*Pinzouiæ prò inexplebili fornicationis studio pœnæ prædicitur.*

Idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, & omnes quos dilexisti cum vniuerſis, quos oderas: Ecce congregabo eos super te vndiq;, & nudabo ignominiã tuam corã eis: & videbunt omnem turpitudinem tuam. Et iudicabo te iudicijs adulterarum: & dabo te in sanguine furoris & zeli: & dabo te in manus eorum: & destruent lupanar tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamq; ignominia. Et adducent super te multitudinem: & lapidabunt te lapidibus: & truncabunt te gladijs suis, & comburent domos tuas igni: & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari: & mercedes vltrà non dabis.

*Quàm studiosa olim fuerit Polonia religionis & pietatis.*

*Pinzouiæ nomen obscurum.*

His ego non meis, vel cùm Domini mei verbis Pinzouiam alloqui malui, q̃ te Patria mea mihi charissima. Fecit enim hoc pietas erga te mea, & quam parenti meo debeo reuerẽtiam, vt hoc te tam turpi nomine non esse compellandam existimarem. Sed quotus quisq; est, extra Regnum hoc præsertim, cui Pinzouia nota sit, qui vel nomen illius vnquam audierit? quod etiam in ipso regno satis est obscurum. At Poloniæ nomen fuit olim cum primis celebre, propter multa domi, foriſq; fortiter & præclarè gesta: præcipuè verò, quod posteaq; per sanctos Apostolos tuos Adalbertum & Stanislaum, & qui eos præcesserunt, vni viro Christo desponsa es: semper illi te virginem castam exhibuisti: nec vnquam serpentis astutia sensus tuos corrumpi passa es: nec à simplicitate tuorum maiorum excidisti: sed quam semel fidem ab illis tibi per manus traditam accepisti, in ea tuenda & conseruanda, cum primis te fortem & constantem ostendisti: quinetiam vt aliæ quoq; finitimæ gentes, in eadem qua tu fide, eidem vni viro CHRISTO desponderentur: omni ope contendisti & elaborasti. Nondum enim interceſſerunt anni ducenti, cùm longè, lateq; patentes Lithuaniæ terras, Christo primùm copulasti, deinde tuo quoq; Regno adiunxisti. Cuius magnum Ducem VVladislaum Iagellonem, alijs quidem virtutibus multis insignem, verùm idololatriæ tamen deditum, & à CHRISTI fide prorsus alienum, ob hanc solam causam tibi Regem elegisti: vt ipsum vnà cum Ducatu illo maximo Christo lucrifaceres. Huius igitur tantæ tuæ pietatis & religionis ergò, fuit olim nomen tuum in orbe toto Christiano longè celeberrimum. Fides tua annunciabatur in vniuerso mundo. Nunc propter istas tantas abominationes, tamq; fœdas fornicationes, nihil est nomine tuo magis infame. Scio quòd magna tibi fit iniuria, cùm pauperum crimen ad nationem refertur vniuersam. Constat enim quòd multis partibus plures sint, in omnibus ordinibus Regni, qui cui semel desponsi sunt, castam adhuc se virginem exhibent Christo: nec à simplicitate maiorum suorum exciderunt: quibus etiam est mortis instar, hæc audire, de fœdis fornicationibus istis, quæ toti genti tam turpem inurunt maculam. Sed quid vis patria mea dulcissima? Pinzouiæ nomen prorsus apud exteros obscurum, neq; mas an fœmina sit, quisquam scire laborat. Quicquid abominationum & fornicationum est in eo lupanari: in Polonia id esse peruulgatur. Polonia dicitur à Christi fide defeciſſe, & à simplicitate maiorum suorum excidisse: Polonia modò cum hoc, modò cum illo fornicari, & quasi mulier adultera, super virum suum alienos inducere, ac suos amatores subinde mutare, palàm renunciatur: Polonia legatos etiam suos ad viros de longè venientes mittere, & eis mercedem dare, vt intrent ad eam vndiq; ad fornicandum, affirmatur: denique Polonia sentina quædã & Asylum hæreticorum omnium, ab ipsis etiam hæreticis appellatur. Quòd si mihi nõ credis, lege præfationem, quam ad quosdam viros nobiles in hoc regno scribens, responsioni suæ contra Stancarum Simlerus Tigurinus, nescio quis, præfixit: quam etiam habes in maternam linguam cõuersam. Quæ maior turpitudo? quæ potest esse maior infamia, quàm sit hæc?

*Polonorum ignominiæ apud exteros Pinzouia est causa.*

*Polonia sentina & Asylum hæreticorum, etiam ab hæreticis appellatur.*

Fuit ante triennium Posiaci conuentus habitus, in florentissimo quondam Galliæ regno, qui maiorem illi, q̃ facilè credi queat calamitatem attulit. Nouo more quodam, & hactenus apud Catholicos inaudito, fuit actum in eo de causis ad religionem pertinentibus. Aderat ibi Theodorus Beza, qui cùm præsens adesset Rex puer, & Regina mater, cum Episcopis ac Regni proceribus plurimis, ausus fuit blasphemam vocem hanc emittere: tam distare Christi corpus ab Eucharistia, quàm cœlum à terra. Quæ tanto cunctorum fremitu excepta fuit: vt is vehementer perculsus, propemodum exanimaretur. Cùm ad alteram colationem, aliquot pòst diebus ventum fuisset, idem Beza, quò maiorem sibi conciliaret auctoritatem, fortaſſis etiam, vt auditorio, quod erat amplissimum, atq; nobilissimum, terrorem aliquem incuteret, ibi se stare iactabat, nomine Heluetiorum, Germanorum, & Polonorum. Non dixit ille nomine Pinzouiensium, sed Polonorum. Cùm tamen si quod ea de re mandatum habuit, non à te patria mea carissima, sed à solis filijs desertoribus, à Pinzouiensibus habuit. Nã tu Posiacum illum conuentum, pro tali nunquam agnouisti, cuius te iudicio subijcere velles, quacunq; tandem de re. Nam præter Pontificem & Regem tuum, nulli te mortalium debere subiectionem profiteris. Quod etiam palàm es testata, misso ad Oecumenicum Concilium, quod fuit auctoritate Pij Quarti Põtificis Romani, sub illud ipsum tẽpus Tridenti congregatum, Oratore, viro non magis maiorum suorum, quàm suis ipsius virtutibus illustri, Valentino Herborto Episcopo Præmisliensi, qui sic & Regis & Regni personam in eo loco sustinuit: vt amaretur ab omnibus & omnium calculo vehementer probatus inde discederet. Nunc vide quam hoc honestum tibi fuerit, in eo Regno, cui tu subiectionem debes nullam, quendam se iactasse, quòd ibi nomine tuo staret. At, qui vir fuit ille? Sicut is qui missus est à te, cùm aliarum virtutum, tum continentiæ laude, præ cæteris est insignis: sic ille vitam suam omnem in lustris & ganeis, & in omni genere libidinis traduxisse, fide digni testibus perhibetur. Ac indicat hoc etiam Epigrammatum liber, per eum editus ac typis mandatus, in quo Catullos, Tibullos & Martiales, lasciuia, petulantiaq; sua, si non superare, saltem æqua re videtur. Qui cùm in conuentu illo ea verba pronunciasset, quæ paulò antè commemorauit, tam distare Christi corpus ab Eucharistia, quàm cœlum à terra, lepidè quidam è sodalibus eius dixisse fertur: Quomodo credat esse Christi corpus in Eucharistia: qui vix in cœlo Deum vllum esse credit? Cuius etiam nefarium facinus, ad aures tuas procul dubio peruenit, quemadmodum ducem illum fortissimum, & eundem pietate præstantem Guisium, qui tùm prœlia Domini prœliabatur in Gallis, cum alia ratione vinci non posse videretur, summisso sicario, non magis nomine, quàm re ipsa Poltrono, per summum scelus, proditoriè confodiendum curauit. Nec satis habuit, hoc tantùm facinus patrasse, verumetiam edito libello parricidium hoc defendere, laudare, tituloq; pietatis ornare veritus non est. Quin & insidiatoris illius, tam horrendum flagitium, cum facto Moysis qui Ægyptium, & Dauidis, qui Goliath, interfecit, comparare: & cùm quod meritus erat supplicium, de scelerato sicario sumptum fuisset, Poltronum inter Martyres referre non dubitauit. Potuit ne scelus aliquod atrocius cogitari? Sed maius etiam aliud audi. Non fuit ille contentus, tam immane factum parricidæ laudasse, verumetiam alios ad imitandum illud eius exemplo accendit: ac fas esse docet fallere fidem: hæris insidiari, & eos quoquo modo tollere? iuxtà illud,

*Valent. Herbotus Episc. Præmisl. Orator ad Con. Trident.*

*Bezæ impietas.*

*Lepidè dictum in Bezam.*

*Guisius Dux interfectus Bezæ minister.*

*Poltronus à Beza inter Martyres relatus.*

*Dolus an virtus, quis in hoste requirat.*

Sicille quod nulli quamlibet barbari latrones fecerunt vnquam, inter perfidiam & stratagema, nihil vult interesse. Grande facinus est corrumpere seruum: subornare percussorem: & pacta mercede ad scelus impellere: & est res exempli pessimi, maximoq; cum publico periculo coniuncta. Nam cuius vita poterit esse tuta, si necesse fuerit, etiam à domesticorum insidijs metuere? Sed quantò grauius crimen est: tantum hoc latrocinium opinione religionis confirmare? Factum est hoc à Beza. Tamen hoc tale monstrum, tot stupris, adulterijs, sacrilegijs, parricidijs infame, stare se dixit in conuentu Posiaco Polonorum homine. Quid ad existimationem tuam, patria mea carissima, tibi turpius accidere potuit? Talem à te procuratorem constitutum esse, qui coram eo Rege, cui subiecta non es, coram tot Regum & Principum oratoribus, coram flore totius Galliæ causam tuam ageret? An illud iam euenisse tibi non vides, quod per Ezechielem Prophetam Dominus fuerat comminatus? Congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es: & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos oderas: & congregabo eos super te vndiq;: & nudabo ignominiam tuã coram eis: & videbunt omnem turpitudinem tuam. An illo celebri conuentu, vbi bona pars orbis totius Christiani præsens aderat, non fuerunt congregati amatores tui? non fuit nudata ignominia tua? non viderunt omnes turpitudinem tuam? Sat scio minimam eius rei culpam esse penes te, nam si fuit Patronus constitutus Beza, non à te, sed à paucis alijs, nimirum Pinzouiensibus fuit procurator constitutus. Sed interea tamen tua fuit ignominia, tua fuit hæc turpitudo, Polonorum Patronum esse palàm se iactabat mõstrum illud tot flagitijs infame. Quo si patrono fuit vsa Pinzouia, fuit reuera dignum patella operculum. Nam tale Euangelium, alium habere Patronum non merebatur.

*Concilia quorundã Polonorum à Tigurinis atq; Genevensibus petita ignominiæ totius Poloniæ causa.*

*4. Reg. 1.*

Sed nec de nihilo tamen est, quod in tam celebri conuentu, tuum se esse patronum iactabat Beza. Nam cùm quidam ex ordine equestri consulerent subindè Beelzebub Deum Accaron: & nunc ad Tigurinos: nunc ad Genevenses, nunc ad nescio quos alios nuncios mitterent, quasi non esset Deus in Israël, à quo rectius consilium peti potuerit, ferebantur ab illis responsa, quæ Magnificis, Generosis ac Nobilibus Dominis Polonis scribebantur: quæ simul vt lecta sunt: haud aliter quàm si diuina quædam essent oracula, recipiebantur à multis: quin etiam typis in ipsa Regia, quæ caput est regni, ciuitate Cracouiensi mandabantur: Non eadem modò lingua, qua scripta fuerunt, verumetiam in linguam vernaculam translata, ac longè, lateq; passim in orbe Christiano spargebantur: quæ cùm ab exteris quoq; legerentur: quantã infamiam nomini tuo attulerint: q̃ turpem tibi fornicationis notam inusserint: etiam tacente me, conijcere facilè potes. Ea res animum addidit Bezæ: vt auderet in tam celebri conuentu, quod ibi nomine Polonorum staret, se iactare.

*Responsa Genevensium Cracouij typis excusa.*

Quis autem est, qui non obstupescat, viros Nobiles, ab his populis consilia petere, quibus nulli magis vnquam infesti nobilitati fuerunt? Cuius, quæ sit apud Heluetios ratio, & quem admodum in ordinem omnes coëgerunt, extirpata nobilitate, non te fugit proculdubiò. Sed & Genevæ, simul vt ibi regnum sibi Caluinus vsurpauit, Principis iugum excussum: Ma-

*Heluetijs nullum inter nobilem & Plebeũ discrimen.*





*Conciliũ Tridentinum.*

*Concilium Posiacum.*

*Inconuentu Posiaco Beza ignominiã inusit Polonis immeritò.*

*Michael Fabritius.*

*Blasphemia Bezæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bilitas quibus locis loco iuo & dine mota.

eretici nobilium es diruerunt & enderunt.

gistratus ciuitate pulsus: & de equestri ordine idem est, quod apud Heluetios constitutum, nullum vt inter Nobilem & Plebeum discrimen habeatur. Itidem cùm Lugdunum & Rothomagum occupasset secta hæc, Magistratus eiecit: iudiciorum subsellia fregit: tabulas incendit: curiæ nomen abrogauit: in eo seniores duodecim pro iudicibus sedere: & alijs legibus, alio ritu, alia veste, alio pileo iudicare voluit. Cabilloni verò, conuentu, quem appellare synodum visum illis fuit, habito, decretum ab illis est & constitutum: vt cùm primum liceret, vniuersi fratres coniunctis viribus ad tres orbis terrarum pestes siue quisquilias exterminandas, concurrerent: nimirùm Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, & Iuris disciplinam. Papisticum enim esse, & à pura religione penitus alienum: vt quidam in Republica dignitatum gradus, personarumq; ordines, ac discrimina ponerentur: quandoquidem Deus cunctos homines, Rege vno dempto (hunc enim ad aliquod tempus excipiendum putauerunt) potestate pari & iure optimo esse voluisset. Itaq; non ita multò pòst, in Matisconensi solo nō nullas nobilium virorum ædes, ipsi clientes eorum, huiusce Synodi opinione imbuti, diruerunt: & compiures exusserunt. Et ab illis isti consilium in causa salutis petere maluntq; quos

biles quidam loni ab hostibus ilitatis consiliū uat.

lib. 13.

la. 2.

olonia doctis vi- s abundat.

infestissimos esse nobilitatis hostes exploratum habent: q̃ ab hic, quos, cùm ex eodē sint ordine, fratres suos appellant: propter paternam verò solicitudinem, in cuius partem vocati sunt: vt eorum tam liberorum suorum saluti prospiciant: & vt peruigilent, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri. Patrum eos appellatione dignātur. Quibus etiam vt obedirent & subiacerent: & si quid oriretur ambiguitatis, ex eorum ore legem vt requirerent, à Deo præceptum est. Sed fortasse parum eis idonei videntur, ad quos referant, quod esse minus exercitatos in lege, diuina persuasum habeant. Atqui si vnq̃ anteà, nunc in isto Patrū ordine reperire non paucos licet in Polonia, viros doctrina, pietateq; præstantes, ad quos re ctius, q̃ ad illos filios alienos de dogmatibus referre potuissent.

Verūm demus hoc illis: quòd quantam ab eis ipsi requirunt, doctrina non abundent. At congregatum nuper Tridenti fuit Concilium Oecumenicum, ad quod ex orbe toto Christiano, quotquot in eo sunt viri sacrarum literarum doctissimi, vocati venerunt. Vocati sunt autem & hi, qui segregauerunt seipsos: data est illis fides publica, qualem expetierunt ipsi: nullum vt eis furit periculum pertimescendum. Res est admiratione digna: quòd cùm fi-

Concil. Trident. propter defectiones Ecclesiæ maximè congregatum.

os eò miserit Oratores Imperator, miserint Reges omnes Catholici, nullo prorsus excepto, miserint etiam Principes aliquot, à solis illis, quorum causa Concilium illud maximè fuerat congregatum, vt morbis eorum aliquam adferre medicinam posset, nemo prorsus missus comparuit. Quæ autem est hoc per Deum immortalem, si quis de dogmate dubitet, ad fidem Catholicam pertinēte, quod in hæreticorum angulo quopiam, de eo docetur malit, q̃ in Oecumenico, (quod Catholicam Ecclesiam repræsentat.) Concilio: cùm tamen æquè vt nos, isti filij defertores Catholicam Ecclesiam, non Tigurinam, nec Geneuensem in Symbo lo, quod idem vtriq; recitamus, credere se profiteantur? Sed non potest nō esse verissimum,

Ioan. 3. quod à veritate dictum est. Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem: vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera e-

Hæretici pernitiosi fures. ius, quia in Deo sunt facta. Fures tenebras quærunt, quales isti sunt, qui non cernuntur aut rum & argentum, ve. ūm animas pretiosō Christi sanguine redemptas furant, rapiant, & Christi ouili abductas, mactant. Nolunt isti sapientiam audire, quæ miscuit vinum, & posuit mensam suam palatii, & misit vt vocarent ad sē transeuntes: sed semul cum stulto & clamose, pleno illecebris, & nihil omninò sciēti, (talem enim Salomon hæreticum dicit) dicto potius audientes præbent, quæ sedet in foribus domus suæ, vt vocet transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Quis est parvulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est, quæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Quānam alia re magis, q̃ sint vecordes, ostendi planum facere potuerunt vniuersi, q̃ quòd stultam hanc mulierem, clamosam, plenam illecebris, & nihil omninò scientem audire, ac apud eam aquas furtiuas, & panes absconditos, tanq̃ dulciores & suauiores nūc Tiguri, nunc Geneuæ bibere & manducare maluerint, q̃ comedere panem illum cœlestem, omne delectamentum in se habentem, & bibere cum iucunditate virū, quod sapientia miscuit: missis ancillis suis: vt vocarent, & cum & ad mœnia Ciuitatis, & publicè mensam suam proposuit, & omnibus q̃ venerunt, escas dam dedit? Verūm est & hæc grauissima peccati pœna. Nam euenit illis, quod dixit Esaias:

Esaiæ 6. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & intelligant corde & conuertantur, & sanem eos. Nihil magis metuere videntur, extremè vecordes isti, q̃ ne conuertantur & sanentur, ne excæcent malitia cor eorum. Itaq; confugere malunt ad Beelzebub, qui diuidit inter fratres: & ad ministros eius, quos opera Beelzebub inter se diuisos esse constat: q̃ ad eos, qui, cùm Deum pacis & dilectionis colant, nulla de re soliciti sint magis, q̃ vt seruent vnitatem spiritus in vinculo pacis. Hanc vnitatem velis, quod aiunt, rennisq; fugiunt: hanc oderunt cane peius & angue: ad hanc ne quando reduci possint: omni studio sibi cauendum esse, censent.

Tigurini & Genevenses inter se diſsident. Est autem & hoc manifestius, q̃ vt inficias ire quisquam possit, quòd inter Tigurinos & Geneuenses, de nōnullis minimè leuibus dogmatibus, graues admodum sunt dissensiones. Nam blasphemias Caluini, qui malis suis peccatis Deum facit auctorem & impulsorem, & qui

Libri Caluini à Tigurinis damnati & exusti. docet absoluta necessitate fieri omnia, adeò sibi non ferendas esse Tigurini putauerunt, vt hos illius errores, exulsis etiam libris eius quibus eos tuebatur, ante duos annos, publicè damnarent. Quod idem à Bernensibus quoq; factum esse scimus, quin & libellus, quem edi derat, posteàquam vstulatus ab eo fuit Seruetus, quo conatus est ostendere, hæreticos iure gladij coërcendos esse, quis nuis nihil in hac doctrina sit, quod reprehendi meritò queat, ab

Tigurini cum Caluino de Eucharistiæ vtrisque tamen similiter est reprobatus. Deniq; vt alia silentio præteream, etiam de ipso venerabilis Eucharistiæ Sacramento, non satis inter Tigurinos & Caluinum conuenit. Quam-



uis enim consentiant in hoc, quòd Christus in eo præsens non adsit: tamen quid oporteat credi de cœna Dominica: & qui sit sensus horum verborum: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, minimè leuis est inter eos controuersia. Nam cùm inter Lutherum, qui in pane & sub pane corpus Christi substantialiter & realiter esse contendebat, & Zuinglium, qui signum tantùm & figuram esse dicebat, ingens exorta fuisset disceptatio, vltrò sibi Caluinus hoc sumpsit: vt iudicem inter vtrunq; se constitueret: nec magis Lutheri q̃ Zuinglij sententiam damnauit, & suam quandam attulit, nouam & à seculis inauditam. Docuit enim panem & vinum in mensa proposita, nihil aliud esse, quàm arrabonem & sigillum, omnes prōmissiones à CHRISTO nobis factas, confirmans & stabiliens. Docuit autem sine scripturarum, sine patrum, sine collegarum etiam suorum auctoritate. Cordis tamen sui visionē hanc, tanquam diuinum oraculum recipi contendebat: Qua quidem re non magis Lutherū, q̃ ipsam etiam scholam Tigurinam offendit: quę cùm Vlricum Zuinglium, tanquam cœleste numen aliquod colat, minimè ferendum illi visum est, quòd eum reprehendere Caluinus, & præter omnem scripturarum ac Patrum auctoritatem, nouam suam auderet opinionem adferre.

Sacramento non conueniunt.

Caluinus Lutheri & Zuinglii sententiam de Eucharist. Sacramento damnauit.

Caluini sententia de Eucharistiæ Sacramento.

Talis igitur cùm sit inter istos discordia, quæ (malum) est hæc vecordia? qui stupor? quæ mentis cæcitas? quòd schola Pinzouiensis, ab illis potiùs varietatem opinionum, quæ in ipsa exorta est, ac dissensiones tolli petit, qui non modò cum Ecclesia, verùm & inter se, quin & secum ipsi, non rarò pugnant, quàm à terra labij vnius, & eorundem sermonum: vbi multitudinis credentium fuit cōr vnum & anima vna, hoc est à ciuitate Tridentina, cuius participatio fuit in idipsum. Certè quod Catholicum & Orthodoxum dici debet, non ab vna parte aliqua, nec in vno angulo aliquo: sed ab orbe Christiano comprobari debet vniuerso, à quo si quis dissentit, Catholicus dici nulla ratione potest: sed nec dogma rectè vocatur Catholicum, quòd ab illo non est approbatum. Nónne profitemur omnes in Symbolo, nos credere S. Ecclesiam Catholicam? Cur igitur isti, qui labijs tantùm idem nobiscum Symbolum profitentur: in angulos quosdam repere malunt: q̃ Ecclesiæ Catholicæ, quam Concilium Oecumenicum repræsentat, iudicio suas controuersias cognoscendas permittere? Quid autē est aliud hæreticum esse, q̃ vtrò per summum sacrilegium, ab Ecclesia Catholica se diuidere nec illius iudicio stare, sed somnia sui capitis sequi malle, nouam aliquam opinionem eligere, quam pertinaciter etiam tuearis ac defendas, nec vllis ab ea rationibus dimoueri te patiaris? Verūm hæc nunc hac quidem de re dicta sufficiant.

Pinzouiensis vecordia.

Ecclesia Catholica.

Hæreticum esse quid sit.

Magna fuit hæc ignominia, patria mea charissima, magna totius gentis infamia, quæ te filij defertores isti affecerunt, quæ meritò tibi dolenda venit. Sed vehementer metuo, ne sint hæc initia tantum dolorū, néve multò grauiora te maneant infortunia, quæ passim Dominus per suos Prophetas terribiliter denunciat, nisi reditum eò fuerit, vnde discessum est. Separationis Consilia, quàm horrendum semper exitum habuerint, quantum exitium attulerint: nemo est qui nesciat: cùm nullum peccatum fuerit vnquam designatum, quod grauiore supplicio Deus esse censuerit vindicandum. Documento sunt Core, Dathan, & Abyron, qui, quamuis eundem cum Aaron Sacerdote & Mose Deum nouissent, pariq; lege & religione viuentes, vnum & verum Deum, qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocassent: ob hoc solum facinus, quod seorsum sacrificabant: quodq; loci sui ministerium transgressi, contra Sacerdotem Aaron & Mosen insurgentes, se ab illis segregauerant, hiatu terræ absorpti, ac deuorati, pœnam statim sacrilegæ audatiæ persoluerunt. Nec soli illi, sed & cæteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à Domino igne, consumpti sunt. Documento sunt etiam decem Tribus illæ, quæ à Tribu Iuda & Beniamin scissæ sunt, & relicto Rege, alterum sibi foris constituerant: Et indignatus est, inquit Dominus in omne semen Israël, & dimouit eos, & dedit eos in direptionem, donec abijceret eos à facie sua: quia dissipatus est Israel à domo Dauid. Indignatum esse Dominum dicit scriptura, & eos in perditionem dedisse, quod ab vnitate dissipati essent. Et tanta indignatio Domini extitit aduersus illos, qui schisma fecerant, vt etiam cùm homo Dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atq; vltionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cùm non custodisset, & contra præceptum Dei prandisset, statim diuinæ censura maiestatis percussus est: vt inde regrediens, impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Ex eo facilè quiuis perspicere potest: quantopere Deus consilia separationis execretur, quantaq; digna censeat animaduersione, qui nec illum quidem impunè ferre voluerit, qui panem cum eiusmodi comederat. Sed quid opus est prisca commemorare, quasi recentiora nobis exempla desint? Quem in Germania: quem in Anglia, separationis consilia fructum attulerint, si minùs oculis ipsi videmus, saltem auribus nostris audiuimus. Verùm si quibus & hæc minùs esse recentia videntur, quid proximis annis acciderit in Galliæ florentissimo quondam Regno, quis est, qui nesciat, aut siccis oculis commemorare queat? Posteàquam in eo quidam sacrilega separationis consilia sunt amplexi, quas Regnum illud calamitates non pertulit? quibus cladibus affectum non est? An terras illas videre non licuit, promiscuis innocentum cædibus redundantes? Vxores in virorum, virgines in matrum sinu constupratas, & iugulatas? infantes ab vberibus matrum ad cædem tractos? prægnantes mulieres viuas incisas? honestissimos viros per summam crudelitatem interfectos: raptata cadauera, laniata, canibus obiecta, in flumen præcipitata? Quidam etiam catholici sacerdotes in crucem illam acti fuisse commemorantur, in qua simulachrum Christi crucifixi pendebat, vt vnus à dextris, alter à sinistris ponerētur. Pater contra filium, filius contra patrem, parricidialia sumpsit arma: vt in sua ipsorum viscera sæuire visi fuerint. Tantum sceleri datum est iuris: vt naturæ quoq; leges rumperentur,

Separationis crimē grauissimo supplicio vindicatū semper. Num. 16.

3. Reg. 12.

3. Reg. 13.

Fructus schismatis in Galliis qui fuerit.

Crudelitas nonatorum in Gallia immanitatem barbarā superans.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sepulchra sanctorũ ab hæreticis violata. Hier. 8.*

tur, nec eis loci quidq̃ superesset. In ipsas etiam res inanimas crudelitatem suam exprompserunt. Testantur hoc templorum euersorum parietinæ, ossa Principum eruta, Sanctorum reliquiæ Martyrum, è sepulchris effossæ. Et illius inter cæteras, cuius in orbe toto Christiano cumprimis celebris est memoria, Martini Turonensis Episcopi ossa & cineres per summum sacrilegium rapidis ludibria ventis proiecta, quibus barbarorum ferocitas olim pepercit. Vt impletum esse videatur, quod scriptum est apud Hieremiam: In tempore illo ejcient ossa Regis Iuda, & ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum qui habitauerunt Hierusalem, è sepulchris. Atqui tanta fuit apud Ethnicos religio sepulchrorum: horrendum vt sacrilegium id esse iudicarent ea violare. Nulli fuerunt vnq̃ barbari tam immanes, quos immanitate, crudelitateq̃ sua non isti superauerint, qui suum hoc Euangelium, quod primus illius auctor præsago corde sitire sanguinem dicebat: per hanc viam propagare conabantur, quæ fuit longè ab ea diuersa, quin ei potiùs aduersa, qua incedebant duodecim illi Christi Apostoli, qui suum non alienum sanguinẽ fundendo, Christi Euangelium per totum orbem disseminarunt. An autem horrendi, ac modis omnibus abominandi non sunt huius noui fructus Euangelij?

*Cap. 8. Sepulchrorum religio apud Ethnicos. Apostoli suum, non alienum sanguinem fundebant.*

*Dehortatio Polonorum à scissione in religione. Eph. 4. Gal. 1. Ephes. 2.*

Quamobrem agite per Deum immortalem, fratres charissimi, quorum exitus perhorrescitis, eorum imitari factáne velitis: ne sitis paruuli fluctuantes, ne circumferamini omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Quod semel à sanctis maioribus vestris, per manus vobis traditum accepistis: ab eo vos in aliud Euangelium transferri ne patiamini. Consistite firmi in lapide angulari Christo, in quo ædificati sumus in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Sicut ille diuisus non est: sic nec vos diuidi velitis, & ab ipsius corpore separari. Continete vos in arca: ne pereatis regnante diluuio. Manete in Petri nauicula: ne fluctus vos absorbeant. Perseuerate in ouili Ecclesiæ, ne fiatis præda lupis. Qui verò iam aberrastis à recta via: & serpentis astutia seducti, à simplicitate mariorum vestrorum excidistis, oramus vos & obsecramus, per viscera misericordiæ Dei, cùm Domini vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra. Conuertimini ad me, ait Dominus, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas, proijcite à vobis oẽs iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus. Reuertimini & viuite. Quid hac sponsi voce dulcius, quid esse potest suauius? Quibus autem verbis magis exprimere potuit mansuetudinem, benignitatẽ, clementiam & misericordiam suam ineffabilem? Est reuera sponsus hic noster, à quo vos discessistis, benignus & misericors. Est patiens & multæ misericordiæ: Est præstabilis super malitia. Nihil faciet libentius: quàm vt omnium iniquitatum, omnium præuaricationum, abominationum, & fornicationum vestrarum obliuiscatur, simul vt reuersi fueritis. Nam hoc etiam se facturum promittit apud eundem Prophetam: Si impius, inquit, egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Et apud alium Propheram: Tu fornicata es, inquit, cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me. Frons meretricis facta est tibi: noluisti erubescere, saltem amobo voca me. Pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Nunquid irascetis in perpetuum? aut perseuerabis in finem? Reuertere auersatrix Israël, & non auertam faciem meam à vobis, quia misericors ego sum, dicit Dominus. Et non irascar in perpetuum. Conuertimini ad me filij vagi, dicit Dominus, quia ego vir vester, & assumam vos. Vtinam autem eiusdem Prophetæ verbis, quæ paulò post sequuntur, vos respondentes audiamus: Ecce nos venimus ad te. Tu enim es Dominus Deus noster. Verè mendaces erant colles, & multitudo montium, verè in Domino Deo nostro salus Israël. Quàm lætus ille nobis dies illucesceret, quo vos ita dicentes audire, simul vndè discessistis, eo reuersos videre nobis liceret: vel sola vox hæc adiram Dei placandam, & ad illius gratiam recuperandam sufficere vobis posset: cùm præsertim tanta sit illius benignitas: vt pronior sit ad ignoscendum, quàm simus nos ad veniam ab illo, qua oportet fide, petendam.

*Ezech. 18. Hier. 3.*

*Hæreticorum obiectio cont. Papatum. Esaiæ. 1.*

Sed hic quosdam ex vobis dicentes audire mihi videor. Quónam reuerti nos iubes? ad Papatum? Nónne vides, quæ sint in eo scelera, quales pastores habeat? quam sui gregis curam gerant? A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. A minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ student. Omnes quæ sua sunt, quærunt: non quæ Iesu Christi. Vetus est hæc querela. Atque vtinam non verius hæc dici possint hoc nostro sæculo, quàm quo dicta fuerunt. Sed hæc tamen iusta causa non est, quamobrem secessionem aliquis facere debeat. Etiam illi ipsi quorum hæc verba sunt, non se propterea segregauerunt ab illis de quibus hæc scripserunt. Cognouit Dominus, qui sunt eius, dicit Paulus: Recedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Non dixit, Recedat ab iniquorum & malorum communione: sed recedat ab iniustitia, recedat à peccatis eorum: quibus si per consensionem non communicauerit, etiam si societatem eorum corporaliter non deseruerit, securus est, nec ei quidquam peccata præiudicant aliena. Præclarè scriptum est à Clemente: Vnusquisque de suis operibus rationem est redditurus. Nam neq; Noë pro mundo pœnas pendit: neque Loth pro Sodomitis igne flagrauit: neque Raab pro Hyerichunte interfecta est: neque Israel pro Ægyptijs. Non enim, si cum iniquis habitent, ea res condemnat iustos: sed si consentientem cum illis voluntatem habeant. Quamobrem piè monet Augustinus, tollerandam potius propter bonos esse commixtionem malorum, quàm violandam propter malos charitatem bonorum. Nihil est charissimi, quod in hac lachrymarum valle, gloriosam illam Ecclesiam exhiberi posse putetis, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Cœlestis illius Hierusalem hæc est gloria, non huius terrenæ, de qua nihil verius dicitur, quàm quod omnes declinauimus, & inutiles facti sumus: & in multis offendimus omnes. Quò libentiùs alter alterius onera portare debemus, vt sic adimpleamus legem Christi, supportantes inuicem in charitate. Quantò verò maior, & sublimior est potestas aliqua, tantò magis illius onera portanda sunt in charitate. Nam aliter Spiritus vnitas retineri non potest in vinculo pacis. Obedire Præpositis iubet Paulus: etiam discholis parere, præcipit Petrus. Et qui fuit Magister vtriusque Christus: Quæ dixerint vobis facite, ait, quæ autem faciunt ipsi, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Certum est, quòd Satanæ tentationibus nulli sunt magis obnoxij, quàm qui cum summa potestate versantur, siue secularis ea sit, siue spiritualis. Cùm autem illorum opera fiat, vt Spiritus vnitas in vinculo pacis conseruetur, quam testamento nobis Christus legauit: atq; vt quietam & tranquillam vitam agamus: tantò minùs grauatim ferre debemus eorum onera: quandoquidem hoc ex illis tantum ad nos cõmodum redundat. Quinetiam non statim omnibus est fides adhibenda, quæ narrantur. Affinguntur enim plurima: & sunt hac in parte minus fœlices ij, qui cum aliqua maiore potestate versantur: vt quantò locus eorum est, & fortuna sublimior, tantò minus omnibus satisfacere: tantò minus multorum voculas effugere queant: vt non sine causa celebretur dictum illud: Regum est malè audire: etiam cùm benè fecerint. Picardorum hæc fuit doctrina, siue quis eos fratres VValdenses appellare malit: quòd nullus est Dominus ciuilis: nullus est Prælatus: nullus est Episcopus: dum est in peccato mortali: sed eam tanquam seditiosam, quamuis à Ioanne VVicleff approbatam, non solùm in Ecclesia Catholica in Synodo Constantiensi congregata, verùm & ipsi nostri temporis hæretici condemnarunt. Sic enim ea de re scribit, qui primus fuit memoria nostra hæreseon Architectus: Hæc ideò, inquit, cõmemoro: ne Picardi nostri vicini hæretici, infelix populus, q fœtore Romano gaudet, sicut pharisæus suprà publicanum, non autem compatitur: ne, inquam, illi nos crederent nescire vitia, & labes nostras: & immensum aduersus nostram miseriam superbirent: si nos ista tacere, & approbare videremur. Scimus heu nostram causam, & dolemus, non autem sicut hæretici fugimus: & semiuiuum transimus, tanq̃ alienis peccatis pollui timeamus. Quo furioso timore illi sic timent: vt non pudeat gloriari, sese ideò fugere, ne polluantur: tanta est charitas. Nos verò, quò miserius laborat Ecclesia, eo fidelius assistimus & accurrimus, flendo, orando, monendo, obsecrãdo. Sic. n. Charitas iubet alterũ alterius onera portare. Nõ sicut hæreticorũ charitas facit, quæ solùm commoda quærit alterius: vt potius portetur, & nihil molesti sustineat à peccatis aliorum. O blasphematores Dei, & proditores Christi. Si Christus fecisset, sicut vos facitis, quis vnquam saluatus esset? Hæc de Piccardis Lutheri fuit sententia: quos vocat hæreticos, vocat infelicem populum, vocat blasphematores Dei & proditores Christi. Neque tamen desunt interea meretrices, quæ sub his quoque lignis frondosis prosternantur.

*Picardorũ doctrina cõtra Magistratus.*

*Ioan. VVicleff.*

*De Picardis iudicium Lutheri in resolut. super propositi. 80.*

Sed audiamus eundem hac ipsa de re loquentem in alio quodam libro: Quòd Romana Ecclesia à Deo sit præ alijs omnibus honorata, non est dubium. Ibi enim sancti Petrus & Paulus, quadraginta sex Romani Pontifices, ac tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt: infernum & mortem vicerunt, vt vel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quòd si nunc, proh dolor, res habet Romæ, vt expediret habere melius: attamen neque hæc, neque alia causa vlla tam grandis est: nec esse potest: vt ab Ecclesia illa separatio, aut discessio vlla fieri debeat. Imò quò peius res ibi habet, tantò magis accurrendum & adhærendum est. Per separationem enim, & contemptum non fit melius. Nec dimittendus est Deus propter diabolum, nec vitandi reliqui boni, propter turbam prauam: imò propter nullum peccatum aut malum, quodcunq; excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis vnitas diuidi. Charitas enim omnia potest: & vnitati nihil nimium graue est. Modica enim charitas & vnitas est, quæ finit se propter aliena peccata diuidi. Nec diuersum à Luthero sensit Ioannes quoq; Caluinus, cùm scribit: Horrendæ sunt illæ descriptiones, quibus Esaias, Hieremias, Ioël, Abacuc, & alij, Ecclesiæ Hierosolymitanæ morbos deplorant. In plebe, in Magistratibus, omnia vsq; adeò corrupta erant, vt clamet Esaias: à vertice capitis vsq; ad calcem pedis, nihil esse illic sanũ. Religio partim contempta, partim contaminata. In maioribus partim referuntur furta, rapinæ, cædes, & similia scelera. Neq; tamen propterea, aut nouas sibi Ecclesias erigebant, aut noua altaria extruebant Prophetæ, in quibus separata sacrificia haberent: sed qualescunq; essent homines: quia tñ reputabãt Dominũ, apud eos verbum suum deposuisse, & cæremonias instituisse, quibus illuc colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad Deum extendebant. Certè si putassent aliquid inde se contagionis contrahere: centies potius mori tui fuissent, quàm passi fuissent illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quominùs discessionem facerent: quàm seruãdæ vnitatis studium. Quòd si religio sanctis prophetis fuit, ob plurima & maxima scelera, non vnius aut alterius hominis, sed propemodum totius populi, se ab Ecclesia alienare: nimium nobis arrogamus, si protinus audemus ab Ecclesiæ communione deficere: vbi non omnium mores vel nostro iudicio, vel Christianæ etiam professioni satisfaciunt. Iam CHRISTI & Apostolorum seculum quale fuit? neque tamen impedire potuit desperata illa Pharisæorum impietas, & quæ tum passim regnabat, dissoluta viuendi licentia, quin ijsdem sacris, cum populo vterentur, & in vnum cum reliquis templum, ad publica religionis exercitia conuenirent. Vnde id? Nisi quia sciebant malorum societate minimè pollui: qui pura conscientia, ijsdem sacris communicarent. Si quem parum mouent Prophetæ & Apostoli, ille saltem Christi auctoritati acquiescat. Hactenus Caluinus.

*Lutheri de Rom. Eccles. opinio in declar. quorundam articul.*

*Caluini opinio de Eccles. Rom. in Symbolo, cap. 8. sect. 19.*



*Ecclesiæ militantis onus & officium. Psal. 13. Eccles. 6. Ephes. 5. Philip. 3. 2. Pet. 2. Matth. 25.*

*Affinguntur plurima ab hæreticis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Lutherus & Caluinus diuersum à sua doctrina faciunt.*

Sunt hæc quidem ab vtroq; valdè piè scripta: sed intereà tamen impiè factum est ab vtroque, quod seipsos tam sancta, tamq; salubria monentes non audiuerunt: & ab Ecclesia Catholica per summum sacrilegium discessionem fecerunt: & alijs vt idem facerent, auctores fuerunt: quæ res quantam orbi Christiano calamitatem attulerit, nullo sermone satis explicari potest. Nihil autem est eo verius, quod scribit Lutherus, nullam esse posse tam grandem causam, vt propter eam ab Ecclesia Romana separationem aut discessionem fiere liceat. Quod etiam Augustinus contra Parmenianum scribens, plurimis verbis testatur. Cuius nonnulla libet adscribere. Cùm omnis, inquit, pia ratio & modus Ecclesiæ disciplinę vnitatem spiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri, quod Apostolus sufferendo inuicè pepigit custodiri, quo non custodito, medicinæ vindicta non tantùm superflua: sed etiã pernicioſa, & propterea iam nec medicina esse conuincitur. Illi filij mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes iactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant, superbia tumidi, pertinacia væsani, calumnijs insidioſi, seditionibus turbulenti: ne luce veritatis carere ostendantur, vmbram rigidæ seueritatis obtendunt: & quæ in scripturi sanctis, salua dilectionis syncerita-

*Contra sceleratos consilium Aug. li. 3. ca. 1. cont. Parmen.*

te, & custodita pacis vnitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem præcisionis vsurpant. Ac nonnullis

*Cyprian. serm. 5. de lapsis.*

interiectis: Cùm consilia separationis & inania & pernitioſa & sacrilega esse dixisset: quia & impia & superba fiunt: & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigunt animosos malos, Cypriani proponit exemplum, qui quamuis pessimos Coëpiscoporum suorum descripsisset mores: quod cùm & hortamento esse cæteris deberent & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fiebant, derelicta Cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotationis quæstuosæ nundinas aucupabantur, esurientibus in Ecclesia fratribus, habere largiter argentum volebant: fundos insidiosis fraudibus rapiebant: vsuris multiplicantibus fœnus augebant. Tales cùm eos descripsisset, non se tamen separabat ab illis: verùm hæc illorum peccata deflebat: ac diuinæ censuræ,

*1. Tim. 1. Mali tolerandi in Ecclesia.*

iudicioq; permittebat. Quin & in Epistola quadam, cùm illa Pauli verba produxisset: In magna domo, non solùm vasa sunt aurea & argentea: sed & lignea & fictilia, & quædam qui dem honorata, quædam verò inhonorata. Nos operam demus, inquit, & quantum possumus laboremus: vt vas aureum vel argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringere, Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus: nec quisquam sibi, quod soli filio Pater, tribuit, vendicare potest, vt putet aut adaream ventilandam & pũrgandam, palàm ferre se iam posse, aut à frumento vniuersa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum sibi semper quidam plus, quàm mitis iustitia deposcit, summunt, de Ecclesia pereunt: & dum insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. Hic docet Cyprianus, perire de Ecclesia, lumenq; veritatis amittere, qui sibi superba quadam obstinatione plus assumunt, quàm deposcit mitis iustitia, & quod soli filio tributum est à patre, sibi vendicant: vt à tritico zizania suo iudicio segregent. Quamobrem optimum est hac in re consilium Augustini, vt misericorditer corripiat homo, quod potest: quod autem non potest, patienter ferat, & cùm dilectione gemat, atq; lugeat, dum aut Deus desuper emendet, & corrigat, aut vsque ad messem differat eradicare zizaniam, & paleam ventilare. Vt tamen securi de salute sua, bonę spei Christiani inter desperatos, quos corripere non valent, in vnitate versentur, auferant malum à seipsis, id est, vt in ipsis non inueniatur, quod in moribus aliorum eis displicet. Diuinum est hoc sancti Patris Augustini consilium: à nobis ipsis malum vt auferamus: quandoquidem ab Ecclesia vniuersa mala tollere non possumus. Veniet suo tempore, qui & zizania eradicabit, & paleam ventilabit.

*Contra pseudoeuangelicos.*

Sed nescio quomodo proniores sumus ad malum ex alijs, q̃ ex nobis ipsis auferendum: cùm qui ferre non possunt mala, quibus laborat Ecclesia, multò ipsi grauiora desiderent. Qui

*Hæretici maniticam alienam inspiciunt sua neglecta.*

versatus est inter eos, qui Zuinglij verbum, tanq; Dei verbum adorant. Erasmus Roterodamus, hoc illis tribuit elogium: Circunspice mihi sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames. Et nonnullis interiectis. Dices, nihil tam felix vnquam fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur. Ad bonos verte oculos. Fieri potest vt mea sit hæc infelicitas, mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior. Et iterùm paulò pòst: Euangelica pietas, à minimis initijs paulatim creuit in maius ac melius, ac optimus quisq; se illi iungebat: hanc doctrinam, nõnisi leuissimus quisq; amplectitur. Et in alio quodam loco: adeò per hoc quod ipsi vocant Euangelium non corrigi, scribit homines: vt potius videantur deteriores fieri: nec vt peccare desinant, sed vt peccent impunitius. Hoc elogium nascentis Euangelij vestri Doctoribus, & eorum discipulis tribuit Erasmus. Qui verò nuper ex Heluetia venit Ochynus, Nónne quendam inducit in Dialogis suis loquentẽ, quod quæsuerit (non alibi procul dubiõ, q̃ apud Hæreticos) omnes, vt ipse loquitur, Christi reformatas Ecclesias, eo consilio, vt in omnium sanctissima, perfectissimaq; sedem sibi caperet, sed vsu venerit sibi, quòd columbæ illi, à Noë missæ, quæ nusquam nacta locum, vbi pedem figeret, in arcam reuersa est: sic & se reuerti domum in Vngariam, vbi constituat in-

*Hyperaspeste secundo.*

contaminatam Ecclesiam. Cui respondet Ochynus, quærere ab omni Vitio purgatam Ecclesiam: nihil aliud est, q̃ cœlum in terra quærere. Quibus verbis non obscurè indicat, q̃ sine etiam hæreticorum Ecclesiæ contaminatæ.

*Sub nouo Euangelio deteriores facti homines.*

Verùm nihil est opus plura vestrorum testimonia proferre, quibus ipsi confitentur longè deteriores factos homines, & ad omne flagitiorum genus patrandum audaciores: posteaq; ho-



nouum hoc vestrum Euangelium prædicari cœptum est, q̃ vnquam anteà fuerant. Nam & longum foret ea recitare, & in moribus ac vita vestrorum, longè videntur apertius: q̃ vt vllo stylo diluciḋius explicari queant, Strenuè declamatum est à vestris, contra cœlibatum nostrorum sacerdotum. Quem cùm plerique non ita colant, vt deberent, ob hanc potissimum causam, eos in summum odium & contemptum adducere conati sunt. Absit autem, vt nos turpitudinis aliquorum patroni esse velimus: quin omnibus pœnis, quæ sanctæ sunt in sacris Canonibus contra tales, eos dignos iudicamus Verùm obsecro vos, an posteaq; vestri ministri fœminis copulari cœperunt: castiora sunt eorum, sicut ipsi vocari volunt, coniugia. q̃ sit quorundam nostrorum sacerdotum cœlibatus? An minus apud eos adulterium est & stuprorum? Duas ac tres etiam habere superstites fœminas, quibus vxorum nomen tribuũt, vsq; eò iam est apud illos vitiatum: vt non modò non habeatur infame: verumetiam in laude propemodum ponatur. Adeò non sufficit vna ministris vestris, vt incontinentiæ suæ mederi possent: Et incitamentum factum est, quod vnicum illi remedium esse fornicationis iudicabant.

*Ministrorum Matrimonia impura. Polygamia quædã deserorum tolere.*

Ecce autem dum hæc scribuntur à me, nouum adfertur de morte Ioannis Caluini, deq; successore illi designato, sancto illo viro Theodoro Beza. Quid autem? Si verum est, quod renunciatur, an super hoc successore cœlum etiam ipsum non obstupescit? Verùm talis decebat, vt esset pontifex vester, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus. Per cuius immanibus flagitijs, quæ superiùs commemorata sunt, ipsum etiam cœlum obstupescere et. Intereà vos Papatum nostrum ferre non potestis. Redite prævaricatores ad cor. Redite ad Papatum, hoc est, ad vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, à qua posteaq; vos præcidistis, in quot & quàm fœdas abominationes & fornicationes inciderit is, vos ipsi iam videtis. Nam earum vix etiam numerum inire licet: Redite ad sponsum vestrũ Dominum nostrum IESVM Christum, qui nihil aliud maiore desiderio, q̃ reditum hunc vestrum expectat: haud aliter q̃ Euangelicus ille pater filium prodigum ad se reuertentem, sic ille vos venientes, obuijs, quod aiunt, vltro excipiet. Eritq; maius gaudium in cœlo coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente, q̃ super nonaginta nouem iustis. Nec est quod metuatis, ne vobis exprobret aliquando præteritas abominationes & fornicationes vestras. Pœniteat modò vos, & reuertamini, nunq; amplius eorũ recordabitur. Quin futurum est per illius gratiam: vt iterum vos exhibeatis illi virginem castam, qualis tum eratis, cùm in sanacto regenerationis illi desponderemini. Permultum enim interest, inter Dei coniunctionem & hominum. Homo cùm vxorem acceperit, de virgine mulierem fa-

*Deus parauit suscipere relapsos.*

*Luc. 15.*

*Ezech. 18.*

*Deus ex meretricibus virgines facit.*

cit, hoc est, non virginem: DEVS, meretricibus etiam copulatus, eas mutat in virgines. Et hoc est, quod apud Hieremiam, cùm dixisset Dominus: Frons mulieris meretricis facta est tibi. Subiunxit mox, Ergo saltem amodò voca me. Pater meus dux virginitatis meæ es tu. Similiter Apostolus: Post fornicationem & Idolorum cultum, credentibus Corinthijs loquens: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere CHRISTO.

*Hier. 2.*

*2. Cor. 11.*

Quamobrem iterum atque iterum hortamur vos, oramus & obsecramus, nolite obturare corda vestra: sed necaures vestras cùm Domini vocem audieritis, tam vos amanter inuitantis ac dicentis: Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem morientis. Reuertimini & viuite. Vtinam verò dies ille nobis illucescat aliquando, quo possimus epulari vobiscum, ac de vestra conuersatione gaudentes dicere: Fratres nostri mortui erant: & reuixerunt: perierant, & inuenti sunt: nihil nobis in vita nostra lætius, ac iucundius accidere posset.

*Ezech. cap. 18.*

*Ad pastores Apostrophe.*

Quoniam verò, sic demum id facilius, & celerius euenire posse spes est, si pastores officio suo diligentius, q̃ in hunc vsq; diem factum videmus, functi fuerint: oramus & vos, quibus gregem suum pascendum Christus commisit, oramus vos & obtestamur, per amaram passionem & mortem Domini nostri Iesu Christi, cuius memoriam celebratis, quoties illud diuinum corpus, quod pro nobis traditum, illum ipsum sanguinem, qui pro nobis in ara crucis fusus est gratissimum Deo sacrificium offertis: ne committatis: vt vnquam ex animis vestris excidat, quod hoc est precium illud, quo, quem fidei vestræ concredidit, gregẽ hunc suum emit, vel redemit potius, Dominus noster Iesus Christus. Quamobrem quorum ille salutem tanti fecit, vt eam esse morte sua, & ea cum primis acerba & ignominiosa morte, repræsentandam existimaret, in eorum salute tuenda, & conseruanda, quin & amissa recuperanda: ne tam segnes & remissi videri velitis, vt multis ansam suspicandi detis: quasi tantùm hoc pretium contemnatis, & pro nihilo ducatis. Dolenter dico, verùm taceri non potest, quòd grex ille perit, quem tãti Dominus noster Iesus Christus æstimauit, multò maximam eius rei eul pam penes pastores residere, quos non solùm officio suo non fungi: verumetiam ita plerosq; vitam suam instituisse constat: vt his tantis abominationibus & fornicationibus, etsi non itam, tamen magnam & grauem causam dedisse videantur. Meminerint per Deum immortalem, esse vos quidem Præpositos, quibus vt obediret & subiaceret populus, à Spiritu sancto mandatum est: verùm intereà causa, cur obedire debeant, hæc adscribitur: Ipsi enim per vigilant, quasi rationem reddituri, pro animabus vestris. Appareat in pastoribus ea, quæ debeatur ab illis in curando grege vigilantia, non requiretur ab ouibus ea, quæ vicissim ab illis deberetur, obedientia. Vnicuiq; pastorum de vnoquoq; sibi subiecto dictum est. Custodi vitam tuam, si lapsus fuerit: erit anima tua pro anima illius. Sanguinẽ impij de manu speculatoris requisiturus se Dñs denũciat, si per eũ steterit, quo minus auertatur de via sua impia. Veniet, veniet, dies ille Dñi crudelis & indignationis, plenus & iræ, furoris q̃, quando dicetur singulis pastoribus: Vbi est grex tuus, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices cùm visitauerit te? tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuũ. Nunquid non

*Præpositis obediendum est. Hebr. 13.*

*3. Reg. 20.*

*Hier. 3. Esa. 13.*

dolo-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Rex pastor. Cap. 44.*

dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Quanq̃ hæc verba Regi Ioachim dicta leguntur apud Hieremiam Prophetam: sed nihil impedit, quo minus & Rex pastor dicatur. Nam & Cyro dictum legimus apud Esaiam, Pastor meus es, & omnem voluntatē meam complebis.

*Ad Regem Apostrophe.*

Quominus facere possum, vt silentio te præteream Sigismunde Rex Auguste. Nam exigit hoc à me subiectionis meæ fides, qua tibi sum obstrictus. Tibi quoq; quamuis diuersa ratione, pascendi gregis huius & pecoris inclyti curam Deus mandauit. Per te magna ex parte, maiorum præsertim Ecclesiarum, quas Cathedrales vocant, pastores designantur. Tu vi-

*Qua in re officium Regum ab officio Episcoporum diuersum.*

de quales illis præficiendos cures. Nam & à te rationem exiget, si non ea, qua oportet cura, per eos in pascendo grege fuerit adhibita. Diuersum est illorum officium à tuo, cùm illis animarum, tibi corporum cura sit à Deo commissa. Pertinet ad illos ministerium verbi & Sacramentorum, ligandi, soluendiq; conscientias munus, iudicium de doctrina religionis: & vt impios, quorum nota est impietas, è cœtu piorum eijciant, & ab Ecclesiæ communione prohibeant: quæ posteà tui sunt muneris, qui & ipse Dei minister es, etiam tacente me, vel patrig leges, in quas iurasti, satis te disertè docent. Regni tui infamia, tua est infamia. In hoc à Deo constitutus es: vt illius saluti, honori, & existimationi prospicias. Quod aliter à te præstari non potest, q̃ si toto pectore, quod aiunt, in id studium incubueris: vt quam religionem per manus sanctorum maiorum tuorum tibi traditam accepisti, eam integram & intiolatā conserues. Ne putes officio tuo te satis functum esse, si veram pietatem ipse colas, nec in aliud,

*Rex non satis est ipsi esse pium.*

nescio quod, Euangelium transferri te patiare. Sigismundo quidem satis hoc foret: verùm à Rege plus aliquid exigitur. Dixit Poëta quidam:

*Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.*

*Sap. cap. 6.*

Sed vbi causa religionis agitur, quidquid delirant Achiui, plectuntur illi quidem: sed non soli plectuntur & longè quidem grauius plectuntur etiam hi Reges, qui cum possint, matu-

*Sopho. cap. 15.*

rè tantis malis obuiam non eunt. Tremenda sunt illa scripturæ verba, quibus Reges alloquitur: Horrendè, inquit, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem, potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omniū dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Veniet, veniet dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris: quando tibi quoq; dicetur, ô Rex: Vbi est grex, qui datus est tibi, qui tuæ fidei concreditus est: Pecus inclytum tuum: verè pecus inclytum, quod est precioso Christi sanguine redemptum? Vbi nunc est Lithuania, de qua,

*Vladislai Iagello pietas.*

cùm esset Idolorum cultui dedita, religiosissimus ille Rex Vladislaus Iagello, proauus tuus tam fuit solicitus: vt vni viro desponsa, virginem se castam exhiberet Christo, vt apud eundem etiam & vilem plebeculam Doctoris & Apostoli munere fungi, non indecorum sibi du-

*Lithuanien facies.*

ceret: cùm Poloni sacerdotes, quorum vtebatur opera, minus essent eius linguæ periti. At æquè nunc: vt ante annos paulò minus ducentos, castam se virginem exhibet Christo? Ecce in quas abominationes: in quas fornicationes prolapsa est? Et propemodum in eundem sta-

*Hier. 5.*

tum recidit, in quo fuit ante proauum hunc tuum ad fidem Christianam conuersum, quam doquidem etiam sanctissimam Trinitatem blasphemare didicit: & iam in ea circuncidi multi feruntur, An autem & nobis cum Propheta dicere non licebit. Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Fides Christiana peruenit ad Lithuanos ex Polonia: nunc quidquid est impietatis, quidquid blasphemiarum est in Christum & in adorandam Trinitatem, à Lithuanis deriuatur ad Polonos. An talem tibi diui Reges, proauus & auus & patrui tui, talem sanctus pa-

*Hier. 15.*

ter ille tuus Sigismundus, Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ statim reliquerunt? Quid dices cùm visitauerit te Dominus? Tu enim doces eos aduersum te, & erudis in caput tuum? nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Quam vere-

*Fides Christiana.*

or, qui nolunt audire nunc: Vigilate pastores, ne posteà volentes, nolentes, citius opinione sua terribilem illam Domini vocem audire cogantur: Vlulate pastores & clamate, & aspergite vos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies vestri. Nolo quæ sequuntur adiungere: sed in cuius manu corda sunt eorum, qui regunt, supplex DEVM precor: vt illis ab hac auditione mala timere necesse non sit. Tu verò Sigismunde REX Auguste, si

*Athanasius in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ congregatis.*

plus hoc tempore præstare non potes, saltem ista flabella seditionum in Regno tuo, qui se ministros vocant, & sunt reuera ministri Satanæ, qui diuidit inter fratres, quorum opera ventos istos, ac tempestates excitatas vides: saltem hos procul è finibus tuis pelle. Multum hoc ad placandam iram Dei pertinebit, ac in plurimis ab ijs abominationibus & fornicationibus auertendis, minus erit negotij, cùm his fuerint destituti, qui sunt harum turpitudinum administri. Si qui verò fuerint, qui solos eos ex Regno, terrisq́ue potestati tuæ subiectis exterminandos esse censebunt, per quos adoranda Trinitas, nuper blasphemari cœpta est, eorum vocibus aures tuæ ne pateant: nihil enim tibi, Regnoque tuo pernicioſius accidere posset. Cùm æquè, vt isti, hæretici sint alij quoque, siue sint ij Confessionis Augustanæ, siue Tigurinæ, siue Geneuensis, siue Picardorum, vel fratrum Valdensium, vel quocunque tandem alio nomine vocentur. Vnam tantum ex his velle profligare, quid hoc aliud esset, quàm reliquas omnes approbare. Quidquid extra vnam fidem est, perfidia est: Sicut Christus diuisus non est, ita neque fides: neque Christi corpus Ecclesia diuidi potest. Vna est fides, vna est religio, quā à sanctis maioribus tuis per manus tibi traditam accepisti.

*Reginon satis est ipsi esse pium.*

*Ministri Satanæ è Polonia pellendi.*

*Non soli Trinitarij, sed omnes hæretici ex Polonia pellēdi.*

Qui



Qui si fuerunt Idololatræ: sicut impudenter isti mentiuntur, quid aliud faciendum nobis restabit, q̃ vt ijsdē verbis, ô Rex, vtamur apud te, quibus vsus aliquando fuit Sanctus ille Pontifex Athanasius. Cæterùm quò res melius perspici possit, ne molestè feras, si temporis illius historiam, quæ multum ad rem præsentem facit, pauciſſimis, quoad eius fieri poterit, explicabimus. Idem tum ferè fuit rerum status, qui nunc est. Quod non vno loco quæritur Gregorius Nazianzenus, Omnes linguæ, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Pastores & Doctores esse cupiebant. Et quamuis Concilium Nicænum de quibusdam fidei dogmatibus tum controuersis interesſisset, in quo ſic omnia, quæ vocabantur in disceptationem discussa: sic veritas credendorum omnium est explicata: nihil vt amplius iam superesse videretur, de quo dubitari posset: non defuere tamen malè feriati quidam, qui subinde nouas fides, vel vt nunc vocant, Confessiones conderent, quorum opera factum est: vt Arimini Concilium congregaretur. Quo cùm non pauci numero patres conuenissent, Vrsatius, & Valens, & qui fuerunt eiusdem factionis, chartulam quandam exhibuerunt, in qua fidem suam ita conscripserant: vt quamuis nihil minus præ se ferrent, non aliud tamen habere propositum eos appareret, quàm vt aboleretur ea, quæ Nicææ gesta sunt. Quod cùm animaduertissent patres, dixerunt ad eos, vt scribit Athanasius: Nos, non quia fide indigeremus, huc conuenimus: habemus enim sanam fidem: sed vt eos, qui veritati contradicunt, & noua moliuntur, confunderemus. Si igitur vos, quasi nunc incipientes credere, ista scripsistis: nondum clerici haberi potestis, vt qui nunc rudimenta fidei condiscere incipiatis. Quòd si eo animo, huc veniſtis, sit omnium concordia, & hæreſes anathemate execremur, quæ Patrum sunt, teneamus, ne posthac captatæ Conciliorum occasiones obuersentur, cùm semel illi, qui Nicææ conuenerunt, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica fide. Quæ cùm dixissent: nihil aliud in eo Concilio fuit actum: quàm vt suis calculis Nicænam Synodum approbarēt, & eam ad omnia sufficere iudicarent: qui chartulam illam produxerant, non dissimilem tabulis, vel vt quidam vocant, scalis, quæ nunc sparguntur à Trinitarijs, eos hæreticos pronunciarent. Qua de re literas etiam ad Imperatorem dederunt, in quibus rationem rei per se gestæ rediderunt: qua reddita, sic Epistolam suam concluserunt. Quapropter supplicamus tuæ humanitati, vt benignis auribus & sereno vultu nostros Legatos intueāris, neq; ad contumeliā mortuorum, aliquid noui induci permittas: sed nos sinas in institutis, decretisq; maiorum parmanere, quos magno ingenio, prudentia & spiritu sancto omnia feciſſe, asseueravimus. Certè res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem, incredulis crudelitatem inducunt. Laudans igitur Patres hos Athanasius: Quis, inquit, non approbauerit piam prudentiā Episcoporū Arimini congregatorum, qui tantum itineris laborem, tantaq; maris periecula sustinuerunt: vt Arianicè sapientes ad Ecclesiam pertraherent: & Patrum traditiones integras conseruarent, sancta & canonica decreta facientes? Quisq; enim eorum sibi persuadebat: si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris: vt quod ipse egisset, rescinderetur. Quis autem quæso non vituperaret temeritatem Eudoxij & Achatij, qui honorem Patrum suorum, Ariomanitarum studio & gratiæ propinant & produnt? Quæ enim fides in eorum actis, si decreta maiorum suorum soluant, aut quomodo eos quibus succesſere, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? Ac paucis interiectis. Quid videlicet docebunt populos ab ipsis institutos? An patres suos lapsos esse? Aut quomodo ipsi veri apud discipulos suos habebuntur, quibus persuadent, præceptoribus credendum non esse? Quibus porrò oculis intuebuntur monumenta patrum suorum, quos ipsi hæreticos nominant? aut quo iure ipsi Episcopi esse poterunt, si ab hæreticis, quos ipsi criminantur, constituti sunt? Quòd si illi malè senserunt, & scriptis suis orbem terrarū seduxerunt, cesset, omninò eorum memoria, & scripta illorum abijciantur. Ite ergo vos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis: vt ab omnibus intelligatur & illos fuisse seductores, & vos parricidas, esse. Certè B. Apostolus laudat Corinthios quòd vbiq; sui memores essent, & quòd traditiones, quas tradidisset illis, retinerent. Igitur cùm talia de suis antecessoribus cogitent, prorsus contraria ad populum non verebuntur dicere: Non laudamus vos, quod estis memores patrum, sed eo potius nomine vos commendamus, quod ex traditiones non retinetis. Superest, vt ipsi ignobilitatem suam culpent, & dicant, se nō ex pijs, sed ex hæreticis originem trahere. Istiusmodi enim verba istis loqui decet ad Arrianos, quibus, vt antè admonui, Patrum suorum honorem, & suam salutem propinant: nec metuunt illud quod in Prouerbijs scriptum est: Mala soboles patrem execratur. Vos autem nihil tale committite, neq; improbitatem illorum, veritatem putate. Nam & ipsi mutuò in se insurgunt, & à Patribus suis deficientes, non tuētur eandem sententiam: sed varijs & multiplicibus iactationibus iactantur: & aduersus Nicænam Synodum cōtendentes multas Synodos instituerunt, in quarum singulis, nouam semper fidem edentes, in nulla earum perdurare possunt, neq; vnquam aliter facient: quia malè quærendo, non inueniunt sapientiam, quam odere. Hæc ego propterea transcribenda pluribus esse iudicaui, quod in ijs verbis, imago nostrorum temporum graphicè videtur esse depicta. Nam & nunc reperire non pauços licet, qui dum in Oecumenicorum Conciliorum decretis acquiescere nolunt, nouas subinde fides condunt, noua subiunde conuenticula faciunt, quæ Colloquia vocant: in quibus, quantò frequentius conueniunt, tantò maior inter eos oritur discordia. Verùm vt de discessit eò redeat oratio.

*Athanasij sententia huic tempori accōmodatur.*

*Scalæ Trinitariorū Polonorum.*

*Vbi suprà.*

*Soluentes maiorū decreta, sua rescindans.*

*Prouer. 14. 30.*

*Colloquiorum fructus.*

Si verum est, quòd Idololatræ fuerunt Patres nostri, sicut isti blasphemant, quod hic ab Athanasio dictum est, idem & nos istis dicemus: Quibus oculis intuebimini monumēta Patrum vestrorum, quos ipsi Idololatras nominatis, quin ite potius, & corū reliquias è monu-

*Maiores Polonorū ab idololatriæ crimine vindicantur.*

men-

mentis eruite. Quo ſicab omnibus intelligatur & illos fuiſſe Idololatras, & vos eſſe parricidas. Quanta eſt autem hæc impietas, q̃ horrendum ſacrilegium, ita de ſanctis patribus iudicare: quaſi non eſſet illis prædicatus Chriſtus, quaſi non accepiſſent Spiritum ſanctum, quaſi non recepiſſent Euangelium. Vnde autem vobis, ô filij deſertores, vnde vobis Euangelium? vnde nomen Chriſtianum? vnde Baptiſmus & alia Sacramenta? Num ab Idololatris? Verùm vnde liceret à legitima ſobole ſemen adulteræ diſcernere, niſi talem affectum erga ſuos maiores oſtenderent, ſeq̃ verè malam ſobolem eſſe, quæ ſuos parentes execratur, declararent: vt rectè illis dici queat: Semen Canaan, & non Iuda: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea.

*Reſponſum trium ordinum Burgundiæ in cauſa religionis factæ Cracouiæ edítum.*

Cùm itaq̃ non ſit fides niſi vna, quidquid præter hanc vnam fidem eſt, perfidiam, ô Rex, non fidem eſſe iudicato, atq̃ procul à Regni tui finibus arceto. Quanto cum periculo duæ religiones tolerentur in vno Regno: recens exemplum capere potes, exijs, quæ proximis annis ſuperioribus in Gallijs acta ſunt. Qua de re fuit etiam hoc ipſo anno ſcriptum quoddam editum Cracouiæ, quo reſpondet Regi ſuo conuentus trium ordinum Ducatus Burgundiæ, nuper in cauſa religionis factæ, quod à te pientiſſime Rex, legi cuperem & expendi diligenter. Scio contrarium ſuaſiſſe quendam, qui ante annos quatuor Gallica lingua ſcripſit ad Regis Galliæ Conſiliarios, exhortationem, quæ tamen poſteà Latina facta eſt, qua prætexit, ſe docere velle, quo pacto obuiam iri poſſit ſeditionibus, quæ ob religionis cauſam impendere videntur: ſed quàm ſalubre fuerit conſilium hoc illius, euentus rei docuit.

*Bezæ libellus impiiſſimus.*

Auctoris nomen adſcriptum libello non eſt, verùm Theodorum Bezam fuiſſe, non obſcuris argumentis colligi poteſt. Nam inter alia quibus quod vult perſuadere conatur: minas quoq̃ regaliter addit, futurum vt in his, qui ſunt ſuæ factionis, cuius tamen ſe eſſe diſſimulat, exiſtant aliqui Scæuolæ, qui ſe putent ſacrificium exhibere Deo, ſi vnius aut alterius eorum nece, qui contrarium ſuaſerint, ſocijs ſuis parentauerint. Profert deinde Minardi caſum, qui cùm, vt fuiſſe dicitur, vir magno quodam Catholicæ fidei tuendæ Zælo præditus contra ſectatores quoſdam Caluini duriorem in conſilio ſententiam protuliſſet, egreſſus inde, ſtatim fuit ex inſidijs à quodam proditorie trucidatus. Non diſſimile quiddam Iuliano Imperatori ſcribit accidiſſe, quaſi conferre cum Chriſto Caluinum, cum Iuliano Apoſtata Regem ſuum velit. Similiter & Regi Galliarum Sigisberto, ac propemodum tale quid etiã accidiſſe Regi Macedonum Alexandro. Ac ne videatur abſq̃ ſcripturis rem agere, quò magis incitet homines, ad eiuſmodi parricidia deſignanda, ſimul Magiſtratui terrorem incutiat, ne ſuæ ſententiæ contradicere, deq̃ hæreticis ſupplicium ſumere audeat, exemplum etiam Petri Apoſtoli producit, quod is armis manum admouerit, ad reſiſtendum Iudaici Magiſtratus miniſtris, qui ad capiendum ipſius magiſtrum venerant. Adfert etiam Aſſaſinorum ſiue Beduinorum exemplum, qui propoſita ſibi ſpe voluptatis Paradiſi à ſe conſequendæ, ſolenni voto ſpondebant, ſe in Principes omnes ſæuituros, qui ſectæ ipſorum aduerſarentur. Deinde Colam quendam Mantuanum, literarum Mediolani profeſſorem, qui prædicabat, eos & in hac, & in futura vita forè beatiſſimos, quorum manibus aliqua tyrannis opprimeretur. Quæ ſententia, ſic inhæſerit animis quorundam Nobilium, vt conſpiratione facta, Mediolani Ducem Ioannem Galeatium, in medio templo, frequenti populi conuentu, quamlibet multis ſtipatum, interficere non dubitarent. Et hos tales tu pientiſſime REX, talia docentes in Regno tuo ferendos, ac ſolos inde Trinitarios auferẽdos & exigẽdos eſſe putabis? Quin tu, ſi tuæ vis & Regni tui ſaluti, tranquillitatiq́ conſultum: ſicut velle debes: eodem omnes loco habebis, tam eos, qui tectum deturbare, quàm eos, qui parietes diſijcere, & qui fundamentum Papatus, hoc eſt Eccleſiæ, prorſus euertere conantur. Nihil diuerſum ab eo Sacramentarij cupiunt, quod tanto ſtudio Trinitarij contendunt, vt ſimulata magis inter eos, quàm vera pugna eſſe videatur. Vtrique fundamentum euerſum volunt. Sed cum nondum eſſe tempus idoneum, Sacramentarij iudicent: vt ad hunc extremum impietatis gradum veniatur, differri magis, quàm auferri blaſphemias iſtas contra adorandam Trinitatem cuperent. Ac ne quis mei capitis hoc eſſe ſomnium exiſtimet, producam hic verba Sacramentarij cuiuſdam, ex concione, quam habuit ineunte hoc anno Calendis Ianuarijs, in celebri quodam loco, in quo eam habitam non oportuit, quam etiam typis mandari curauit.

*Minardi caſus.*

*Iulianus Imperat.*

*Sigisbertus Rex Galliæ.*

*Aſſaſini & Beduini.*

*Cola Mantuanus.*

*Ioan. Galeatius Mediolani Dux in templo interfectus.*

*Oẽs hæreticipellendi in Polonia.*

*Sacramentariorũ conatus.*

*Sacramentarij Poloni à Trinitariorũ errore nõ abhorrẽt. 1564.*

Celebramus hodie, inquit, feſtum Circunciſionis Domini. Mandauit autem Deus, vt infantium ætati teneriori propter imbecillitatem eorum parceretur, & octauus dies expectaretur. Cauſa autem cur nollet ſtatim, vt in lucem prodijſſent eos circuncidi, fuit hæc, ne recens dolor, quem ſuſtinuerunt cùm ederentur, maiori dolore cumularetur. Debebant & hoc iſti ſecum reputare (de Trinitarijs loquitur) vt parceret huic infanti debiliori, huic ſponſæ Chriſti, q̃ ita celeriter contriſtarunt, & præter neceſſitatem tantùm ei luctum attulerunt. Quid aliud ſibi volunt hæc verba, q̃ non hoc eis dolere, quod exorti ſint Trinitarij: ſed q̃ tã repentè proruperint, quòd octauum diem non expectauerint, dum eorum ſecta plus aliq̃ virium acquireret, quã adhuc imbecilliorem eſſe vident? Eſt enim hoc in confeſſo, q̃ multò maxima pars Regni tui, neq; corã Tigurino, vel Geneuẽſi Baal genua curuauit adhuc: nec eſt apud illos hoc Baal quid q̃ abominabilius. Quin & illud cõſtat, hãc inter iſtos exortam diſcordiam, effeciſſe, vt multi reſipiſcerent, & ad Papatum, hoc eſt ad Eccleſiã Catholicam redirent. Qua de re prodijt etiam hoc eodem anno libellus cuiuſdam conſolatorius, in quo, qui volet ãniles illius hac de cauſã quærimonias legere, poterit. Hoc igitur mã lè Caluiniſtas habet, quòd cum ſuis blaſphemijs, minus multorũ aures adhuc aſſueuerint, aliæ nouæ ſint exortæ, quibus fit: vt non pauci deteſtari ſuas iſtas fornicationes incipiãt, deq̃ reditu in gratiam cum ſponſo ſuo Chriſto, quem deſeruerant, cogitationem ſuſcipiant.

Quamobrem omnes ferre ſectas, quæ ſunt mirabiliter inter ſe diſſectæ, ſatius duxerim, mo-



mordentes & comedentes ſe inuicem ipſi conſumantur ab inuicem: q̃ vt, ſi tantùm vna pro ligata fuerit, tantò plus virium reliquis accedat, quarum toleratio, ſpeciem quandã approbationis habere videbitur. Bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ. Quod quanto fuerit implacabilius, tanto citius illos eò redituros ſpes eſt, vnde diſceſſerunt, ad vnam ſanctã Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Nec hæc inter illos bella deſinent vnq̃, niſi factum prius hoc fuerit. Enarrans illa Prophetæ verba Auguſtinus: Præcipita Domine, & diuide linguas eorũ, quia vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, Qui ſe malè, inquit, extulerunt, expedit eis: vt deiecti eis: vt ſubmergantur ſiue præcipitentur. Qui malà conſpirauerunt, expedit eis: vt eorum linguæ diuidantur. Ad bonum conſentiant, & concordent linguæ eorum. Ac mox, tractans illum locum, de turri Babel ædificata: Per ſuperbos, inquit, diuiſæ ſunt linguæ, per humiles Apoſtolos congregatæ ſunt linguæ. Spiritus ſuperbiæ diſperſit linguas. Spiritus ſanctus congregauit linguas. Quando enim Spirirus ſanctus venit ſuper diſcipulos, omnium linguis locuti ſunt, ab omnibus intellecti ſunt: linguæ diſperſæ in vnum congregatæ ſunt. Ergo ſi adhuc ſæuiunt: expedit eis diuiſas habere linguas. Volunt vnam linguam: veniant ad Eccleſiam: Quia & in diuerſitate linguarum carnis, vna eſt lingua in fide cordis. Præclarè Auguſtinus, Volunt vnam linguam: veniant ad Eccleſiam. Nunq̃ inter eos pugnæ deſinent, quoad eò non redierint, vnde diſceſſerunt. Quamobrem veniant vel redeant potius ad Eccleſiam: ſi volunt habere linguam vnam. Nam in ea non diſſenſionis, ſed pacis & dilectionis Deus eſt: in ea non vertiginis, verùm charitatis ſpiritus eſt, per quam vnitas retinetur in vinculo pacis.

*Præſtat nullam quam aliquam tam tum hæreſim eijcere. Gala. 5.*

*Aug. in Pſal. 54. Præcipita Domine diuide linguas eorũ, &c. explicatur. Ibidem.*

Ego verò procido venerabundus ante te, quæ nunc ab impijs iſtis blaſphemaris, ô adorãda Trinitas, ô veneranda vnitas: te Deum trinum in perſonis, vnum in ſubſtantia, te per quẽ creati ſumus vera æternitas, te per quem redempti ſumus, ô ſumma charitas, te qui pax noſtra es, qui facis vtraq̃ vnum, te ſupplex oro: tolle maceriam, quæ pacem & concordiam internos dirimit, quæ te nobis adimit: tolle ſuperbiam, quam qui facit, non habitat in medio domus tuæ: quæ inter quos eſt, inter eos ſemper ſunt iurgia: ſicut nunc oculis ipſi noſtris cernimus: tolle ſenſum elatum, qui cherub è cœlo detraxit ad infernum, in profundum laci, qui primos parentes noſtros è paradiſo deturbauit: & concede propitius, vt ne ſimus alta ſapiẽtes, nẽve dum ſupra q̃ ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum inflatur, velimus ſapere plus, q̃ oporteat ſapere: ſed in humilitate, ſuperiores nobis inuicem arbitrantes, lutum eſſe nos & vas figuli meminerimus: neq; curioſius ea myſteria perſcrutemur, quæ nec ipſi ſciunt Angeli quorum rectã confeſſio eſt ſcientiæ ignoratio: ſed ſimus contenti ſapere ad ſobrietatem: & in his, quæ captum noſtrum ſuperant, piè potiùs ignorantiam noſtram confiteamur, captiuantes intellectum noſtrum in obſequium Chriſti corporis Eccleſiæ, q̃ temerè ſcientiam ſibi vendicemus: vt ſic humilibus conſentientes, pacẽ quã diſceſſurus ex hoc mũdo Chriſtus nobis legauit, inter nos colamus. Ne patiaris: vt quos ille, cùm anteà diſperſi fuiſſent, preciosa morte ſua congregauit, eos iterum aſtutia ſerpentis diſperſos, diutius videamus. Ne ſit amplius inter nos Iudas & Iſraël, ne ſit Roboam & Hieroboã: ne ſit Hieruſalẽ & Samaria: ſed ſimus oẽs vnã ciues illius Hieruſalẽ, quæ ædificatur vt Ciuitas: ſimus terra vnius labij, & ſermonũ eorundẽ: ſit inter nos multitudinis credentiũ cor vnũ, & anima vna: ſit vnũ ouile, ſit vnus Paſtor, vt ſicut tu, quãuis trinus in perſonis, vnus tñ es Deus, non minus vnitate conſtans, ita & nos, in parabolam gentibus, & commotio capitis in populis. Non deſpiciat manus oculum: nec oculus manum: non inſurgant pedes contra caput: nec dicat caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Non velit oculus, aut lingua totum eſſe corpus. Vnumquodq; membrum ſuum ãbra, ſimus tamen vnum corpus, vnus ſpiritus: ſicut vocati ſumus in vna ſpe vocationis noſtræ. Sit inter nos vna fides, quam à Sanctis maioribus noſtris, nobis traditam per manus accepimus. De qua non diſputãdum, ſed ſicut illi fecerunt, in ea, & pro ea, ſumma cum alacritate moriendum nobis eſſe: quoties id res poſtulauerit, certò deliberatum habeamus. Vt ſic vnam linguam habentes, idipſum dicentes, idipſum ſentientes, idem ſapientes, inuocemus nomen tuum, & ſeruiamus tibi ſub iugo vno: ſub illo charitatis iugo, de quo legimus in Euangelio: Iugum meum ſuaue eſt, atq; vnanimes, vno ore honorificemus te, ô adoranda Trinitas, ô veneranda Vnitas, Te Deum Patrem, Te Deum Filium, Te Deum Spiritum ſanctum, te Deum Trinum in perſonis, vnum in ſubſtantia: cui laus, honor, & gloria ſit per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

*Ad ſanctam & adorandam Trinitatẽ ſupplicatio.*

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DE LOCO ET AVCTORITATE ROMANI PONTIFICIS in Ecclesia Christi & Concilijs,

## STANISLAI HOSII CARDINALIS Varmiens. in Concilio Tridentino præsidis,

## Ad Stanislai Orechouij Epistolam præfixam responsio.

*Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino D. Stanislao Hosio, S. Rom. Ecclesiæ Presbytero Cardinali, & Concily Tridentini Præsidi, ac Varmiensi Episcopo, Domino suo clementissimo, Stanislaus Orechouius Roxolanus, perpetuam exoptat felicitatem.*

PRimum omnium tibi, serò licèt, sed tamen aliquando, hanc celsissimã sedem dignitatis & honoris Cardinalitij, ita vt debeo gratulor: in qua tu ciuitatis Dei dignitatem & decus sustines. Quod cùm decorum tibi, tũ honorificũ nobis Polonis est, qui os de ossibus, & caro de carne tua sumus: quos tu, vt titulis insignibus, & pulcherrimis exornas: ita scriptis elegantissimis tuis ad omne pietatis munus informas: conquerisq; vt Poloni, ἀμαθοι quondam, & ἀνομοι reliquos inter mortales habiti, nunc te auctore atq; duce præstantissimo, ab omnibus & pijs existimentur, & docti: ita te magistro, atq; principe amplissimo nostræ ciuitatis, humanitate compensata est vetus illa gentis nostræ barbaries: qua inter reliquas Christianas gentes olim fuimus infames, quam scripta tua inueteratam ex nostris moribus, disciplinaq; funditus deleuerunt: tu enim extitisti in gente nostra primus, qui directum nobis iter ad ingenuas artes, & ad humanitatem dispositum demonstrares, quibus rebus re monitore, atq; præmonstratore, homines nostri capti, incensiq;, incredibili optimarum artium studio cœperunt flagrare: nihil sibi arduum ad capessendam virtutem, & ad vincendum, præstandumq; rati. In quo tamen ipso ingeniorum æstu à recto tramite abreptos esse nostrum quamplurimos, & in itinera deuia delatos, ingemiscendum est: multi enim ingenij præsidijs, atque doctrinæ fulti, ipsi patriæ, cuius & rem augere, & nomen ornare debebant, maxima detrimenta intulerunt: conatiq; sunt, vt Polonia variata sectis, & opinionibus conuulsa, à religione Catholica ad priscam rediret idololatriam, vnde exortum est genus nostrum. Quid enim quæso aliud sunt hæreticorum commenta, quàm idola? quæ ne sequamur, vetat Dei lex: vt tute aduersus Brentium, & in Confessionum libris, tum in libro de expresso Dei verbo, planè ac dilucidè demonstras. Hæc igitur idola, quoniam nostrates quidam, non rationibus (quæ enim ad errorem quadrabit vnquam ratio?) sed vi & armis tutantur: verendum est, ac maximoperè pertimescendum, ne fluctibus hisce hæreticorum, referamur ad veterem illam Illyriorum idololatriam, è quibus orti sumus. Quod ne accidat, cùm cæteris Tridentinis patribus, tũ tibi eius Cõcilij præsidi, imprimis est prouidendum: præsertim cùm te huc deriuare cogat curas & cogitationes tuas ipsa patria: quæ afflicta, nimiumq; sectis (vt tuo vtar verbo) dissecta, ne se deseras tanto in motu rerum, tuam fidem implorat. quæ, nisi istic Tridenti vos occurritis, præ libertate nimia, quæ licentiam iam excessit, citius quàm Germania, aut Gallia, motu conuelletur corruetq; suo.

Occurrendi porrò ratio non alia aptior est: vt mihi quidem videtur, quàm si ditionem Regis nostri amplissimam, latissimamq; multifariam ritibus diuisam, communione rel gionis, & societate pietatis, in vnum Dei populum redigatis: vt sublato illo vt prisco, ita calamitoso errore, quo in Polonia Latini aduersus Græcos: Græci aduersus Armenios dum de ritibus disputant, inflammantur: vno Deo, vna fide, vno baptismo in vnum populus coalescamur & vnum simus, quasi vir vnus, in Domino. Vt ita tribus hisce præsidijs inter se contectis, munitam contra hæreses Poloniam vniuersam habeamus: quò facilius à nobis refutentur putridi, ac furiosi hæretici isti, dum non Latinam Ecclesiam tantùm, quam hæretici aspernantur: sed vniuersam Septentrionis, atq; Orientis vicinitatem contra se facere nobiscum intelligent. Ac mea quidem sententia, alia ratio ad refellendum istos in Polonia, iustior nulla est: quàm si fuerit Tridenti ex auctoritate Decretum, Roxolanos atq; Armenios istic, vt



vt Polonos, Christianos vobis videri. Nam nunc quidam nostrates hæretici, Roxolanos, atq; Armenios secum facere, ac suarum partium esse, pugnant contra nos maximè. Quod si nos hoc illis damus, summam auctoritatem illis ad firmandum errorem dederimus. Eripiamus ergo tot gentes, atq; nationes ex horum impiorum consortio, & cum illis nos cõgregemus: conspiremusq; ad auctoritatem, maiestatemq; Catholicæ Ecclesiæ defendẽdam: quæ Catholicam fidem peræquè in disparibus ritibus, & vinum idem in varijs hydrijs, castè, integreq; conseruat. Necq; verò intelligo, quidnam ad coalescendum in vnum Dei populum Latinis in Sarmatia cum Roxolanis, atq; Armenijs obstent diuersi ritus. Nam Roxolani, Constantinopolitanam: Armenij, Antiochenam sequuntur Sedem, quæ ambæ Catholicæ, Apostolatu insignes sunt habitæ antiquitus in Ecclesia sedes. Quod si has nos, vt schismaticas spernimus, & pellimus Ecclesia, qd Ecclesia Catholica fiet? aut vbi nobis erit illud amplissimum Christi regnum, quod daturũ se policetur filio suo, in psalmo cœlestis Pater? Postula, inquit, à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quod regnum Oceano, atq; astris terminatum, si Regi Christo damus, quomodo secundum Regem Christum, Patriarchas quatuor, Præsides huic imperio non dabimus? quos si more, institutoq; veteri Regno Christi, quæ Ecclesia est, concesserimus: Roxolanos quoq; atq; Armenios. Constantinopolitanæ & Antiochenæ sedi subiectos, de corpore Christi esse germana membra agnoscamus: & illis locum in Regno Christi cum Latinis demus necesse est: aliter vniuersitas Ecclesiæ integra esse non potest, aut enim cum Patriarchalibus sedibus, Roxolani atq; Armenij in Ecclesia sunt retinendi, aut cum his pariter ex Ecclesia sunt à vobis expellendi.

Iam de Concilio hoc nostro Tridentino, quid tandẽ sentiemus? aut quomodo illud Oecumenicum esse defendemus, si illi adfuerint vt schismatici, Constantinopolitanus, Alexandrinus, atq; Antiochenus Patriarchæ? Iudices vtiq; Oecumenici consensu Conciliorum omnium. Nam si vos tres vrbis Romæ Cardinales, q̃ Concilio præsidetis, Iudices vos esse dixeritis, id non admittit Canon vetus, qui presbyteros ab vrbe Roma ad Concilium missos πατριάρχας, Episcopi Romani non autem ἀρχοντας, neq; ἡγέμονας, aut aliquid eiusmodi appellat, itaq; in Concilijs eiusmodi προτήκτα, infra omnes Patriarchas scribendo affuerunt, quod q̃ verũm sit: Conciliorum Oecumenicorum subscriptiones docent. Vnde apparet, nihil minus Oecumenicum dici, q̃ Concilium, in quo Patriarchæ, aut illorum προτήκτα nulli fuerunt. Quamobrem, vt totum Christi perfectum sit corpus Trident. Patriarchæ ordine atq; loco in Ecclesia Dei maneãt suo: vt cum his vna eorum subiecti vniuersi, atq; omnes, ritibus atq; moribus differant licet inter se, in Ecclesia tamen Catholica, quasi in vno Christi corpore simul viuant.

Hęc me pluribus verbis, q̃ volebam, tecum agere coẽgit: Primùm liber Andreæ Fricij nuperrimè in me editus: in quo impius ille, modis omnibus eleuat auctoritatem Concilij Tridentini: quòd illi tres Patriarchæ absint: pro schismaticis à vobis Latinis condemnati, quorum auctoritate se pugnare ait velle contra Romanam Apostolicam sedem, sic enim execratur hæreticus ille Catholicam, & Apostolicam sedam: aduersus quem quoniam accusationẽ paro, facile probabo, fundamentum Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ idem esse, extra quod, fundamẽtũ aliud nemo potest ponere. nec enim est quicq̃, quod ad rem magnoperè attineat apud Occidentales, quod idem non sit apud Orientales. De vxore & de fermento lis erat inter nos capitalis. Sed tamen, neq; vxor salutis nostræ prora est, atq; puppis: neq; fermentum, salua panis substantia, variat Sacramentum, quæ substantia, inquam, tota verbis sacratis, in Christi tranſit corpus. De calice quoq; controuersiæ nihil planè nobis supereſt. Nã apud Roxolanos, Græcorum instar, qui sacrificio intersunt, sanis, ac valentibus vtraq; datur species: illis verò qui absunt, & qui domi infirmi communicant, altera panis specie sunt contenti: tantumq; se isti credunt sumere sub vna specie domi, quantum illi sumunt in templo apud Aram, sub specie vtraq. Quamobrem, cum hæc, & alia Sacramenta omni numero, ordine, ponere, æqualiter inter Græcos, & Latinos constent: facile Fricium, Deo duce, & conscientia illius teste, conuincam, illum cum Orientali Ecclesia nihil habere commune, imò verò, vt Latinæ Ecclesiæ Fricius pro hæretico est condemnatus: ita quoq; Orientali Ecclesiæ illum pro eodem ipso condemnatum videri. Sed hac in re, ille ingens ineſt scrupulus, quonam modo, absq; Patriarchis Oecumenicis, Tridentinum Concilium Oecumenicum esse, Fricium, & cæteros, qui cœtum allatrant vestrum, poterimus docere: id nos à vobis Concilij præsidibus discamus necesse est. Nota.


Necq; verò propter Fricium tantùm id ego ex te scire aueo: sed etiam propter auctoritatẽ librorum tuorum, quorum in nonnullis auctoritatem Græcorum eleuas: Roxolanosq; nostros, totumq; Illyricum genus: quod amplissimum, latissimumq; sub Constantinopolitana sede est, pro schismaticis ducis: quæ sententia tua, perperam fortasse intellecta, multos offendit. Minuit enim maiestatem Regni Christi: Ecclesiam in angustum redigit: Romanum Episcopum Dominum, imo ὠμοφάγα quendam cæteris Patriarchis imponit: schisma parit: charitatem vulnerat, deniq; tunicam Christi in partes mille lacerat. Scio, & ita credo, Petrum Romanum (hoc enim nomine Papa apud me est, & semper erit) verticem, & os cæterorum omnium in Ecclesia Dei ministrorum esse, si munus illius Pastoricium respicias. Sed eundẽ tamen cæteris Patriarchis, Patriarchatu ipso parem esse dico. Petrus enim Romanus, non ab homine, neq; per hominem vllum, sed à Domino Iesu summo Pastore, atq; Pontifice maximo, pascendi munus accepit, quo ille dijs (vt ita dicam) hominibusq; sine exceptione omnibus præstat maximè. Sed quod Romæ, Occidentalem plagam versus, iurisdictionem suam Patriarchalem administrat, & non alibi gentium, id ille habet & à Patribus acceptum, quorũ auctoritate reliquæ quoq; Patriarchales sedes in principibus vrbibus sunt constitutæ, atq; in certas Dioeceſes descriptæ. Hæc est sententia Conciliorum Oecumenicorum: in hoc etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



Doctores veteres: vt hæc sententia non sit aliud, q̃ Plebiscitum quoddam Christianæ plebis & consensus nationum omnium: aduersus hanc sententiam diuersum te in scriptis tuis sensisse, miramur cuncti. Sed ego tamen malo ipse me tarditatis ingenij, q̃ te erroris vllius condemnare: quem columen Ecclesiæ Dei nunc profitentur vniuersi. Quare, antequam Fricio respondeam, abs te pero, pro tua pietate, doctrinaq; præstanti, mentem vt nobis declares tuam, nodumq; hunc dissoluas, quo valde distringor, ac planè obligor. Nam, & ab auctoritate tua discedere fas mihi non est: & tibi me id dare, quod cum charitate pugnat maximè, iustum vicissim non est.

Neq; verò vitanda tibi est quæstionis à me propositę disquisitio. Sic enim habeto, Dum tu & Cromerus Regno abestis, hæreticorum in me vniuersam incubuisse manum, idq; adeò, vt cuncta in Polonia, Antagonistam alium, se habere æquè grauem hæretici negent, q̃ autem id verè, viderint ipsi, sed tamen Deo duce resistimus istis: quantũ possumus: & fidè, quam in baptismo professi sumus, nescio q̃ splendidè, at fideliter certè quidem, ac fortiter contra furiosos istos tutamur. Ex qua concertatione nostra acri & vehementi, Chimæra nata est aduersus Stancarum Nestorianum: & Fricius contra Fricium Arrianum: & epistola cum conclusionibus ad Principem Radiuilum. Postremò, Dialogi lingua domestica, atq; vernacula, In quibus triangulari forma Poloniam constare docemus, ita vt eius trianguli conum, Altare teneat: basim verò latere dextro, Sacerdos: Sinistro autem, Rex ipse sustineat: hoc modo.




In his Dialogis, si in tuas manus fortè venerit, caue putes quicquam datum esse à me cuiusquam auribus. Res demonstratione per ἀνάλυσιν tractatur certa, quæ in causas resoluta suas, à determinatis principijs per determinatas conclusiones à nobis perducitur: vt nihil videatur contra posse afferri τὸ δὲ παράγμα ἐλεγχόδακτον. Quapropter, quoniam me vides assiduum, acrem, atq; acerbum singulari Dei munere hæreticorum in Polonia aduersarium esse, non illum Magnum Hosium, neq; hunc doctum Cromerum, sed Orichouium rusticum, squaloris plenum ac pulueris, quod aratorem decet, fac suppedites nobis ad hanc quæstionem de tuo: quo adiuti, facilius contra istos furiosos administremus indictum bellum, pro honore Dei, & pro salute Patriæ, quæ iamiam labascit, præcepsq; ruit. Amisimus Polosecum, accepta insigni plaga: Braslauium etiam nuper ad solum exustum est. In comitijs Petricouiæ actum est nihil. Iudiciorum noua forma, moribus & institutis nostris repugnans, est institu-
Nota. ta: quorum iudiciorum, quidam Iudices, non crucem seruatoris signum, quod luce palàm execrantur, sed solem ipsum iurant. Ita signum illud filij hominis apud nos iam viluit, vt, gentium ad morem, militiam cœli, iuremus: hoc est, in militiã cœli, non autem in Christum cruci affixum credamus. Quod enim quis iurat: in id vtiq; credit. Ita nos Poloni, (proh dolor) auersi ab Ecclesia Catholica, sensim in idololatriam priscam, è qua antè DC. annos nati sumus, ab integro delabimur. O Domine, salua nos, perimus. Vxor & liberi mei te salutant, tibiq; se vna mecum commendant, teq; orant, vt matrimonio nostro apud Patres, si visus venerit, isticne desis. Postremò, nos ita commendatos tibi habebis, vt habere soles eos, qui tecum cor sunt vnum, & anima vna. Bene vale. Datæ Peremisliæ oppido Roxolaniæ, 29. Mensis Maij. Anno Christi Dei nostri 1563.

STA-



# STANISLAVS HOSIVS CARDINALIS VARMIENSIS,

## Stanislao Orechouio S. D.

SERA gratulatio reprehendi non solet, sed nec serum videri debet, quidquid quocunque tandem tempore, ex amoris abundantia profluens, ad nos perfertur. Cuius generis gratulationem hanc tuam esse, mihi persuadeo. Etsi quod mihi gratuleris, nihil est. Quid enim ex hoc loco, in quo me nunc Deus esse voluit, præter incredibiles quasdam curas, animiq; solicitudines, & non mediocres labores ad me redundat? vt in cerea taceam de multis alijs incommodis, quæ ferre necesse est, in hac specula positum. Itaq; consolationis magis egere videor, quàm quòd vlla sit iusta gratulãdi causa. Sed ego nec molestias vllas, nec labores, nec pericula defugerim, nec mihi quicquam eorum graue futurum esset, etiamsi calix ille bibendus foret, quem prior amarissimum hausit pro salute nostra Dominus noster Iesus Christus: dummodo afflictis Ecclesiæ rebus, opera mea succurri posset. Interea tamen, sic me ab omnibus his rebus, quibus id effici queat, imparatum agnosco, sic omni ferè facultate destitutum, vt nihil ad eam, præter egregiam quandam voluntatem, & eam cùm primis alacrem adferre queam. Quam largè vobis emetiri possum, cætera sunt ab alijs quærenda, quibus maior suppetit subueniendi facultas. Imprimis aũt ab eo, sine quo, ne cogitare quidẽ aliquid idonei sumus ex nobis, tanq; ex nobis: Qui nisi domũ ædificauerit, in vanũ laborãt q̃ ædificãt eã. Nisi ciuitatẽ suã custodierit, frustrà vigilant qui custodiunt eam. Est aũt reuera, vt scribis, ingemiscendũ, sicut in magna reliqui orbis Christiani parte, sic in nostra quoq; Polonia, quã plurimos ingeniorum æstu à recto tramite abreptos, & in deuia itinera delatos esse. Quos si per hos labores nostros, quos hic maiores, q̃ credi facile queat, sustinemus, in viam reuocandi potestas daretur, næ ego præclarè operam hic meam collocasse me arbitrarer: etiamsi gratuitis curis & solicitudinibus oppressus, extremum spiritum exhalarem.

*Sera gratulatio, quæ non reprehenditur.*

*Pericula in quem finem subeunda.*

*2. Cor. 3.*

*Psal. 126.*

*Ingeniorum æstus quàm periculosus.*

In magna id fœlicitatis meæ parte ponerem, si vel morte mea, si minus reliquarum nationum, saltem patriæ nostræ salus reptæsentari posset. Sed inuitos seruare, perquàm difficilè est. Audio deploratos istos homines, palàm in Comitijs Regni iactasse, quicquid quacunq; tandem de re Decretum fuerit, in hoc sacro Concilio (quod illi tamen Concilij nomine non dignantur) id se nepili quidem facturos esse. Quæ autem his medendi ratio poterit inueniri, qui medicinam omnem respuunt: & vltro suo, quod aiunt, iumento, sibi mortem adfciscunt sempiternam? Aduenerunt huc ex omni ferè terrarũm orbe, quam latè patet Ecclesia Catholica, Patres Ducenti sexaginta, nullius rei magis, quàm liberorum suorum salutis auari: quorum languoribus tam periculosis adferre medicinam cupiunt. Et sunt in hac arte medendi, tam exercitati: vt aũt ab illis, aut à nullo prætereà mortalium, salus sit expectanda. Sed quid facias his, qui tanta sunt insaniâ correpti: tũc vt sibi sani maximè videantur, cùm eos in extremo mortis periculo versari constat? Rectè dici de illis posset illud Euangelicum: Si cæci essetis, peccatum non haberetis: Nunc autem: quia dicitis: videmus, peccatum vestrum manet, nec spes vlla reliqua sanitatis esse videtur. DEVS orandus, illius est auxilium implorandum, qui potest etiam ex lapidibus filios Abrahæ suscitare, ab illo supplicibus votis petendum est, vt auferat hominibus istis cor lapideum, & donet cor carneum, & spiritum suum ponat in medio eorum, & faciat, vt in præceptis eius ambulent, & Iudicia eius custodiant, & habitent in terra, quam dedit Patribus eorum, & sint illi in populum, & ipse vi-
cissim illis in Deum, nec in veterem illam idololatriam, à qua semel Dei gratia liberati sumus, relabantur. Quam verò tu rationem ostendis occurrendi malis his: quibus Patria nostra miserandum in modum affligitur, eam hic nos obuijs, quod aiunt vlnis amplecteremur, si per tuos istos Roxolanos, & Armenos liceret. Nam si tu putas, propter diuersos ritus, eos à nobis, ꝓ Catholicis non agnosci, toto cœlo, qd aiunt, erras. Non dubito, qui legeris acta Concilij Lateranensis, in quo præsentes adfuerunt Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus Patriarchæ: Metropolitæ LXX. Episcopi, CCCCXII. Abbates, Priores, Conuentuales DCCC. Græci & Romani Imperij Legati: Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores. In his disertis verbis testatur sancta Synodus, quòd Græcos ad obedientiam sedis Apostolicæ reuertentes, fouere, & honorare velit: mores & ritus eorum quantum cum Deo possit sustinendo: Nulla igitur nobis est cum Græcis de moribus ac ritibus disceptatio, de quibus ne in Florentino quidem Concilio tria verba commutata fuere. Nam qua vna de re disputatio fuit inita: num in fermentato consecrare liceret, facilè fuit ea sublata, permisso illis ritu suo, dum ne ipsi Latinorum ritum damnarent. Sed magnus fuit semper Græcorum tumor & arrogantia, posteàquam ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxerunt, & vsque eo Latinos abominari cœperunt, vt si quando Sacerdos Latinus ad Altare Græcorum sacrificium obtulisset, non prius ipsi sacra in eodem altari facerent: quàm altare, tanquam sacrificio Latinorum inquinatum, lauissent. Quin & baptizatos ab illis rebaptizabant: quemadmodum in actis Concilij Lateranensis sub Innocentio III. celebrati videre licet. Non ignoras proculdubio, qui labores ab Eugenio IIII. Suscepti fuerint, ante annos plus minus centum viginti, vt Græcos, & Armenos ad Ecclesiæ corpus; vn-

*Frequentia & studium Patrum in Conc. Trident.*

*Græci à Catholica Ecclesia non reiiciuntur propter diuersos ritus.*

*Græcorum tumor & arrogantia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



de segregati fuerant, reduceret. Et cessit illi conatus hic non infeliciter. Sed quod bona tua venia dictum velim, nota est omnibus huius gentis leuitas & inconstantia. Quater decies ad Ecclesiæ corpus reuersi, totidem vicibus ab eadem se præciderunt. Quem autem præcisionis huius suæ fructum tulerint: non sine magno dolore cernimus. Quamobrem quod cupere te ostendis, idem & nos multò ardentius cupimus, vt in vnum nobiscum populum redigantur, vt multitudinis credentium sit cor vnum & anima vna, vt fiat vnus Pastor, & vnū ouile. Scis missum à Pōtifice nuncium fuisse, qui Moscorū principem, ad Concilio inuitaret: adeò nihil ab eo prętermissum est, quod ad cōiungendos nobiscū Roxolanos pertinere videretur. Quod autem res non successerit: temporum iniquitati tribuendum est. Quid autem sibi volunt illa verba tua: Eripiamus tot gentes ex impiorum consortio, & vnà cum illis nos cum Cypriano dicere possumus, quòd non nos ab illis, sed illi discesserunt à nobis, redeant vnde discesserunt, nihil impediet rituum diuersitas, quo minus omnes in vnum Dei populum coalescamus.

*Græcorum leuitas & inconstantia.*

*Moschus inuitatus ad Concilium.*

*Græci ad Latinos, non Latini ad græcos redire debent.*

An autem & mihi non licebit illum versiculum vsurpare contra te ποῖον σε ἐπὸς φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Tunè præsidere nomine Romani Pontificis Legatos illius negas? Quid autem aliud contendunt maioribus clamoribus hi, qui segregauerunt semetipsos, quos tu scriptis tuis grauiter admodum & eleganter insectaris, quibus cum hac in parte facere te, cum fis acerrimus Petri Romani propugnator, vt credam, adduci non possum. Falleris autem, si Legatorum Oecumenici Concilij, cui præsident, Iudices esse putas. Iudicium enim Episcoporum est: Legatorum verò inter alia propriū est & hoc munus, quibus de rebus illis iudicandum sit proponere. Quod illi tamen minimè faciunt, nisi communicato prius cum Regum, & Principum Oratoribus Consilio, qui quod cuiusque regni, & prouinciæ rationibus expedire maximè videtur, id proponi per legatos postulant. Hi posteaq̄ ad Patres his de rebus retulerunt, eorum sententias audiunt: ac præcipuam eius rei curam habent, vt rectè atque ordine gerantur omnia: ne qua confusio, ne qua fiat perturbatio. Ipsi autem à sententijs dicendis abstinent, ne si priores dicant, alios in sententiam suam pertraxisse credantur, qui fuerint eorum auctoritatem secuti. Per vnum igitur & alterum mensem inter solos Episcopos de rebus propositis disceptatur, inter quos posteaq̄ conuenit: tum primum cōfessus: vbi ad sessionem appellant, in Ecclesia Cathedrali fit. Ibi de superiore loco leguntur omnia, quæ cunq; sunt vnanimi Patrum consensu Decreta: simul quæritur ab omnibus, num ea probēt. Primo loco rogati sententiam legati, probari sibi dicunt, quod ordine suo deinceps itidem faciunt, quotquot præsentes adsunt in Concilio. Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi omnes. Sic itaq; soli sunt Episcopi, qui magna conquisitione facta, de rebus propositis iudicant. A quibus quod vnanimiter Decretum est, id qui locum Romani Pontificis obtinent, primo loco suis quoq; sententijs approbant.

*Legatorum & Episcoporum officium in Concilijs.*

*Sessio & in eadem dicendi sententias ordo.*

Sed necillud existimare debes, quamuis tres illi patriarchæ præsentes hic non adsint (Ius enim adest Hierosolymitanus patriarcha) abesse propterea Græcorū omnes Episcopos, sunt ex illis nonnulli nobiscum, quorum nomina in scheda descripta tibi mitto.

*Græci Episcopi Conc. Trident. interfuerunt.*

Quod verò scribis, Legatos siue ὑποτήρητα, Romani Pontificis infra omnes patriarchas subscribendo adfuisse, vellem vnum saltem Concilium Oecumenicum produxisses, in quo factum id esse constaret. A me quidem quæ typis excusa sunt, lecta sunt omnia diligenter: Non modò nihil tale, verum contraria potius in illis omnia videre mihi licuit.

*Legati in Concilio Patriarchis superiores.*

Primum illud, quod est longe celeberrimum, Nicænum, Legatos habuit Osium Corduben. Vitum & Vincentium presbyteros, quos primo loco subscripsisse video. Quin & à Socrate, qui scripsit historiam Ecclesiasticam, primo loco recitantur, ante Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum patriarchas, qui præsentes tum adfuerunt. Et extat nihilominus in primo tomo Conciliorum Epistola Synodi Nicænæ ad Siluestrum Papam, in qua, quicquid constituerunt in illo Concilio, precantur ori sipsius consortio confirmari. Quod & factum est, quemadmodum ex responso Siluestri videre licet.

In Synodo Constantinopolitana prima, quę secunda est Oecumenica, fateor quòd non reperio quenq̄ Romani pontificis vicarium adfuisse: lego tamen apud Theodoretum, à patribus eiusdem Concilij quandam ad papam Damasum Epistolam scriptam, qua se tanq̄ pontificis illius membra, literis ipsius ad Romanam Synodum accersitos fuisse dicunt, simul indicant, nihil se libentius facturos fuisse q̄ vt ipsius desiderio, suis Ecclesijs derelictis, obtemperarent. Quoniam verò ad eiusdem pontificis literas, post Concilium Aquileiense missas iam Constantinopolim conuenerant, non se fuisse paratos, præterq̄ ad solam peregrinationem Constantinopolitanam (his enim illi verbis vtuntur) cùm non priùs essent facti certiores de longiore profectione, quàm Constantinopolim venissent: Itàque temporis angustijs excludi se, quo minùs Romam venire possint: Mittere nihilominus quosdam collegas suos.

Ex hac Epistola facilè perspicere licet, quòd Synodus Constantinopolitana, Romani pontificis auctoritate fuerit congregata: qui tamen postea, Romæ potius illam conuocandam esse putauit. Sed iam prioribus literis parentes, Aquileiensi Concilio peracto, Constantinopolim patres fuerant profecti. Quin & ex responso Damasi, & ex his, quæ scribit Ruffinus, non obscurè colligitur, quòd prius Romæ fuit Apollinaris cum discipulo suo Timotheo condemnatus à Damaso Papa, & Petro Alexandrino: qui tum præsens ibidem aderat: quodq̄ posteà Damasi sententiam secuti sunt patres in Concilio Constantinopolitano. Quam etiam ob causam Theodosium Imperatorem edixisse scribit Zozomenus, vt cuncti populi sibi subditi, eam religionem retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus Romanis initio tradidisset, at tum Damasus Romanus Episcopus, & Petrus Alexandrinus custodirent, & vt illi sancti, qui pari Triadem honore colerent, Ecclesia nominarentur: reliqui verò contraria sentientes, hæretici vocarentur, & supplicijs afficerentur. Quod edictum in Iustiniani quoq; Codicem relatum esse non ignoras. Tanta fuit apud Imperatores illos Romanæ Synodi auctoritas, quæ sub illud ipsum tempus habita fuit, quo Constantinopolitana prima.

*Apollinaris condemnatio.*



Quod ad Synodum Oecumenicam tertiam attinet habitam Ephesi, per quam exiguum eius fragmentum habemus, nec in illo reperiūtur vllæ subscriptiones Episcoporū. Sed Græcus author Euagrius testis est, quod in ea præsederit Cyrillus Alexandrinus, Cœlestini locū gerens. Et indicant hoc etiam acta Concilij Calcedonensis, in quo multa transcripta reperiuntur ex actis Ephesinæ Synodi. In quorum actorum particula quadam Concilij Chalcedonensis actis inserta, reperiuntur patrum subscriptiones: inter quas primo loco subscribit Cyrillus Alexandrinus, agens vices Sanctissimi ac Beatissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Cœlestini. Qui potuit aūt is, locum tenere & agere vices Pontificis Romani, si quod tu velle videris, omnes Patriarchæ pari fuerunt potestate prædi ti? Menas autem in sua professione fidei, quam Vigilio missit, additos Cyrillo collegas fuisse scribit, Arcadium, & Proiectum Episcopos, & Philippum Presbyterum. Quo magis autem intelligas, quæ tum quoque fuerit Romani Pontificis auctoritas, in formula, qua Nestorius deponitur, scribit Euagrius, his verbis Concilij Patres vsos fuisse: Quod necessitate tam Canonum, q̄ Epistolæ Cœlestini Pontificis coacti, frequenter illachrymantes, ad hanc tam duram sententiam processerint. Nec dissimilia verba reperire licet in Epistola, quam eadem Synodus Ephesina scripsit ad Nestorium, quæ in primo tomo Conciliorum habetur. Ex his perspicuum cuiuis esse potest, quod hæc quoq; Synodus, in condemnando Nestorio, Romani Pontificis auctoritatē fuerit secuta, qui prior Synodum eadem de causa Romæ congregasse videtur. Quod nō obscurè Nicephorus quoq; in Ecclesiastica sua historia significat.

*Nestorij condemnatio.*

Quarta fuit Oecumenica Synodus Calcedonensis. In ea quin primo loco subscripserint Paschasius, Lucentius & Bonifacius Presbyteri, habentes locum Romani, Archiepiscopi Seniores Romæ Leonis, dubium non est. Post hos verò, subscripserunt Anatolius Constantinopolitanus, Maximus Antiochenus, Iuuenalis Hierosolymitanus. Constat & hoc ex actis illius Concilij, quòd Legati Pontificis interfuerunt, cùm absentibus illis, primus post Romanum Pontificem locus Constantinopolitano Patriarchæ fuisset attributus. Itàque Decretum hoc induci petiuerunt, ac scire se velle dixerunt, quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ referre debeant, vt ipse vel de suæ Sedis iniuria, vel de Canonum euersione possit ferre sententiam. In hoc Calcedonensi Concilio, Leo Pontifex, non ipse sibi nomen Oecumenici Patriarchæ arrogauit, quemadmodum Patriarchas Constantinopolitanos feciſſe scimus, verūm hac eum appellatione Synodus vniuersalis est dignata. Qua longè antè dignatus est etiam Liberium Athanasius, vnà cum vniuersis Ægyptiorum Episcopis cum ad eum scribens diceret. Huius rei gratia, vniuersalis vobis à Christo commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Quin etiam cum illius Epistola legeretur, acclamatum fuit à cunctis, Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit: Anathema ei, qui partit, & qui diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi. Petrus per Leonem locutus est, Apostolica docuerunt, Piè & verè Leo docuit. Omnes ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Et quamuis præsentes in eo Concilio Legati Pontificis adfuerint, scriptis tandem ad eum literis petiuit sancta Synodus, vt ipsius Decreta auctoritate sua confirmaret. Quod ille fecit quidem non inuitus, quantum ad fidei dogmata pertinet: Cæterùm vt approbaret, quæ reclamantibus ipsius Legatis de patriarcha Constantinopolitano constituta fuerant: proximum vt locum obtineret à Romano Pontifice, nullis vnquam rationibus adduci potuit.

*Vniuersalis Episcopi nomen datum Rom. Pontifici.*

Adfuere nihilominus quidam ex Italia Episcopi, Sabinus, Epiphanius, Asterius, Leo, Rusticus, Theophanes, Pelagius, qui coadiutores Menæ vocantur: qui iuxta pium iussum Imperatoris à dextra parte Menæ Patriarcha considere iussi sunt: cum fuissent à sede Apostolica nuper missi.

Quinta Synodus Oecumenica fuit iterum Constantinopoli celebrata. Nullum in ea pontificis Legatum adfuisse lego. Causam hanc fuisse puto, quod initio præsens in ea fuisse videtur pontifex Agapetus, per quem Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus propter hæresim Eutychetis depositus, & Menas in eius locum fuit subſtitutus, quemadmodum ex ipsa constitutione Iustiniani Imperatoris contra Anthimum, Petrum, Senem & Soaram liquet. Fuit autem Agapetus paulò post q̄ venerat Constantinopolim, ex hac vita sublatus. Venit eò posteà Vigilius: sed is, quamuis inuitatus, venire tamen ad Synodum recusauit: quemadmodum & ab Euagrio, & à Nicephoro memoriæ proditum est.

*Euag. lib. 4. c. 37.*

Cum itàque nec Vigilius Pontifex: nec qui cum eo Constantinopolim venerant Episcopi, Concilio vellent interesse, præsedit illi Menas Patriarcha. Sicut autem scribitur in actionis prima, iuxta iussum Imperatoris, coadiutores consederunt à dextris: Sabinus, Epiphanius, Asterius, Leo, Rusticus, Theophanes, Pelagius omnes ex Italica regione ab Apostolica Sede nuper missi. Postea verò sicut in prima actione eiusdem Synodi legitur, consentientes fuerunt Agapeto Papæ, antiquæ Romę huc venienti. Hæc sunt ipsa verba, in actionis ipsius principio posita: Quæ repetuntur etiam initio secundæ, tertiæ & quartæ actionis. Nisi quod in tribus his additur: consentientes sanctæ memoriæ Agapeto. Ex quibus verbis coniecturam facere licet, quòd in actione prima fuerit adhuc superstes Agapetus. De quo legitur in vetusto quodam codice manu scripto, qui fuit inscriptus: Ordo Romanorum Pontificum, quòd diuinæ incarnationis anno DXXIX. Iustiniani X. Constantino-

*Niceph. li. 17. c. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



polim ascendens, Synodum celebrauit, contra impium Seuerum, & Iulianum Halicarnasensem, & cæteros Theopaschitas: inter quos & Anthimus, vt consentaneus eorum depositus, à throno proiectus est, cùm Episcopatum tenuisset vrbis Regiæ mensibus decem, & consecratur pro eo Menas ab Agapeto. Subscripserunt igitur in actione prima verbis his: Sabinus sequens definitionem sanctæ recordationis papæ Hormisdæ, anathematisans Seuerum, Petrum, Zoaram, &c. Nullus eorum, quòd potificis alicuius locum tenuerint, meminit: nisi quòd initio cuiusque actionis dicitur: Ab Apostolica Sede missi. A quo verò pontifice missi fuerint, non constat. Constat autem Agapetum præsentem adfuisse, priùs etiam, quàm illi Constantinopolim Episcopi venisse videntur. Itaq; sequuntur Hormisdæ sententiam, qui prior eosdem hæreticos condemnauerat. Cum autem actiones essent reliquæ celebrandæ, prolatus est actus Synodalis Epistolæ, scriptæ à sanctæ memoriæ Agapeto, qua significat, Anthimum à se depositum, & in eius locum esse Menam substitutum, quem suis Agapetus ipse manibus ordinauerat. Quo lecto, vocatus est Anthimus ad causam dicendã. Qui cum se non sisteret, à Synodo condemnatus est. Ibi Latini omnes Episc. subscripserunt hac formula. Ego Sabinus definitionem sanctæ recordationis patris nostri Papæ Agapeti sequendo, de persona Anthimi subscripsi. Quin & Menas Patriarcha sententiam contra eundem ferens, respicere se fatetur ad ea, quæ à sanctæ memoriæ papa Agapeto constituta fuere. Se enim Apostolicam Sedem sequi, & ei obedire: communicatores ipsius, communicatores habere: & condemnatos ab ipsa, se condemnare. Petrus Hierosolym. & ipse profitetur in sua sententia, quòd sententi a depositionis primum ab Agapeto fuerit lata, deinde à Menna confirmata, & ei se tanq; benè formatæ subscribere. Sic & de Seuero, & de Anthimo, nihil est in illa Synodo constitutũ, quod non anteà fuerit & ab Hormisda, & ab Agapeto declaratum. Quæ omnia Vigilius quoque successor Agapeti, qui & ipse Constantinopolim sub illud tempus venerat, rata habuit. Cæterùm Synodo trium Capitulorum, quæ fuit posteà subsecuta, vt vel ipse, vel Episcoporum, qui cum eo erant, quispiam subscriberet, adduci nunquam potuerunt.

Hic illud accuratius tecum expende, quòd in hac quoq; Synodo nihil decretum est, quod nõ aliquanto antè & Hormisda, & ab Agapeto, & à Vigilio pontificibus fuerit constitutum. Priùs enim omnes, qui sunt in illa Synodo reprobati, pontificum horum auctoritate fuerũt damnati, quorum illa iudicium secuta videtur: præcipuè verò Vigilij pontif. qui tum præsens aderat, certis tamen ex causis Concilio non interfuit, scripto cuidam niti videbatur. Tũ illud considera, si verum est quod scribitur à te, Petri Romani (vtar enim verbo tuo) patriarchatum cæteris patriarchis esse parem, quam potestatem habuit Agapetus, Constantinopolitanum de gradu suo deturbandi, de; cœtu eijciendi? Quod; magis etiam est stupẽdum, fauebat Anthimi partibus Imperator.

*Rom. Põt. cæteris Patriarchis superior.*

*Agapeti constãtia.*

Cum; libertate pontificis offenderetur, grauibus comminationibus vsus fuit. Pontifex autem, sicut apud Zonaram legimus, risit, iugulum; nudauit, ac se paratum ostendit, omnia pro veritatis defensione pati: cùm nihil in votis haberet, quàm vt eum Imperator tali exitu ex hac vita dignaretur. Imperator verò cessit posteà pontifici: nec impediuit, quo minus Anthimus loco suo moueretur. Cæterùm simul, vt ex hac vita discessit Agapetus, apud successorem eius papam Siluerium, vxoris consilijs adductus, iterum de restituendo Anthimo plurimum laborauit. Quod facere pontifex cùm recusasset, eum deportari iussit, ac Vigilium in eius locum sufficiendum curauit: quod Augustæ spem fecisset, s. nacte; promisisset, se simul vt esset põtifex factus, Anthimum in eum locum ex quo deiectus fuerat ab Agapeto, restituturum, & tribus capitulis subscripturum. Quod ille tamen promissum posteà non præstitit, atque ob eam causam capi, & Constantinopolim duci iussus est: vbi extrema quæq; prius pati voluit, quàm vt, quod malè promiserat, præstaret. Atq; hæc fuit causa, quamobrẽ ad Concilium illud vocatus, venire nunq; voluit: sed scriptam suam sententiam Imperatori se missurum dixit: Quem ego libellum, ex Vaticana Bibliotheca descriptum legi. In qua Synodo trium Capitulorum apertè contradicit. Quamuis autem infestum sibi haberet Imperatorem Vigilius, quòd ad illius nutum se conuertere nolebat: tamen in Menam quoq; patriarcham, sua potestate vsus est: & eum à communione quatuor mensium exclusit. Quin & illud de eo scribit Gregorius: quod in eadem Vrbe Regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam, & Acephalos, damnationis promulgauit sententiam.

*Sil uerij.*

Est autem & illud animaduersione dignum, quod in sexta Synodo generali narratur, Mothelitas, quò facilius opinionem suam probare possent, confinxisse quandam epistolam sub nomine Vigilij, ad Iustinianum & Theodoram vxorem eius scriptam, de eo, quòd vna sit Christi voluntas.

*Rom. pontif. auctoritati, etiam hæreticis plurimum tribuebant.*

Tantum in sententia Romani pontificis põdus esse iudicabant. Quin & aliquot antè seculis Constantius Imperator nihil non fecit, quo posset partim vi, partim etiam pollicitationibus munerum, sicut ipse scribit Athanasius, pertrahere Liberium, vt Athanasij damnationi subscriberet. Tam ardenti desiderio nitebatur, inquit Ammianus Marcellinus, auctoritate Episcopi æternæ vrbis, firmare, quod iam impletum esse sciebat. Intelligebat enim irrita fore omnia: quæcunq; acta ab alijs fuissent, nisi Romani pontificis consensus accessisset.

Sexta Synodus tertium fuit Constantinopoli congregata, in qua primo loco subscripsisse Theodorum & Gregorium presbyteros, & Ioannem Diaconum, locum gerentes Agathonis Beatissimi, ac vniuersalis Papæ Vrbis Romæ. Post eum Gregorium Constantinopolitanum patriarcham, & alios deinceps. In qua Synodo, cùm lecta fuisset Romani pontificis Agathonis Epistola, statim, sicut anteà in Concil. Chalcedonensi fuit ab omnibus acclamatum, seq́ue sic omnes credere sunt professi, quòd quæ scripta fuerunt ab Agathone, tanquam à spiritu Sancto dictata per os sancti ac Beati principis Apostolorum Petri sic ea re-



ciperent ac reuerenter amplecterentur. Et in prosphonetico sermone dictum fuit: Charta & atramentum videbatur: & per Agathonem Petrus loquebatur: Quos ille prior condemnauerat, eos illius iudiciũ secuta sancta Synodus, ipsa quoq; sibi condẽnandos esse putauit.

*Rom. pontificis dignitas.*

Septima Synodus iterum habita fuit Nicææ: statim in prima actione, primus locus tribuitur Petro Archipresbytero, & Petro Monacho, Vicarijs Apostolicæ sedis, cui præerat sanctissimus, beatissimusq; Archiepiscopus veteris Romæ Adrianus Secundus, Tarasio Archiepiscopo Constantinopolitano, & alijs deinceps. Et scribit ad Michaelem Imperatorem Nicolaus Pontifex: Secundo in Nicæa collectæ Synodo Apostolica nostra Sedes præsedit.

Qui locus etiam in scribendo semper fuit seruatus. In hac Synodo cùm lectæ fuissent Epistolæ duæ Pontificis Adriani, ad Imperatorem vna, ad patriarcham Tharasium altera, acclamauerunt patres: Vniuersa sancta Synodus sic credit, & sic docet. Ac singuli posteà sic se credere, sic sentire, sic tenere, sic docere, sic ex toto corde confiteri professi sunt.

Octaua Synodus, quam ante annos plus minus decem in Ecclesia mea Varmiensi, scriptã reperi, quartum habita fuit Constantinopoli. Præsederunt in ea Donatus & Sthephanus Episcopi, locum tenentes Adriani Pontificis Romani: & subscripserunt hac forma, Ego Donatus Dei gratia Episcopus Sanctæ Ostiensis Ecclesiæ locum obtinens Domini mei Adriani, summi pontificis & Vniuersalis papæ, omnia, quæ superiùs leguntur, huic Sanctæ & vniuersali Synodo præsidens, atque ad voluntatem eximij præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi. Qua forma & eius duo collegæ sunt vsi. Hic legati Romani pontificis, apertè se præsidere Concilio profitentur. Post illos Ignatius Constantinopolitanus patriarcha subscripsit hac forma: Ignatius Episc. Constant. Sanctam hanc vniuersalem Synodum suscipiens, & omnibus, quæ ab ea iudicata, & scripta sunt concordans & definiens, subscripsi. Quam eandem formam in subscribendo secuti sunt, Ioseph vices agens patriarchæ Alexandr. Thomas Antioch. Helias Hierosoly. Post hos Imperatores. Fuit in ea Synodo depositus photius patriarch. qui iam anteà per Nicolaum papam depositus fuerat, & in suum pristinum locum Ignatius restitutus.

*Photij depositio.*

Hæ sunt octo Synodi generales, quas recenset Gratianus: in quibus, excepta secunda & quinta, Romani pontificis Legati præsedisse, primoq; loco decretis Concilij subscripsisse videtur. Quas ego diligenter oẽs oculis ipse meis perlustraui. Quo magis illud miror: quomodo tibi venerit in mentem scribere, Legatos pontif. infra omnes patriarchas subscribendo adfuisse, quem ve sis auctorem in hac assertione tua secutus. Aut alios tu Conc. libros habuisti: quàm quos Coloniæ bis editos ipsi vidimus, aut errorem hunc ex nouatorum libris hausisti.

Vidi quendam libellum Vigilij manu scriptum, nec adhuc quod sciam in lucem editum, in quo inserta est professio Menæ patriarchæ Constantinopolitani: in ea quatuor Synodis Oecumenicis enumeratis, sic loquitur Menas: In quibus iuxta tempora sua prædecessores sanctitatis vestræ Beatissimi Papæ Senioris Romæ ipsis Synodis præsederunt. Quid apertius dici potuit ad probandum, quòd in Synodis Oecumenicis Romani pontif. per suos Vicarios præsederint. In Chalcedonensi quoq; Synodo sic legitur paschasius & Lucentius Reuerendissimi Episcopi, & Bonifacius presbyter, tenentes locum Sedis Apostolicæ, quia missi Apostolici semper in Synodis prius loqui & confirmare soliti sunt, per paschasium dixerunt. Ex his quoque verbis liquidò constare potest, quem locum in Synodis Vicarij Romani pontificis tenuerint.

*Vnus tantum Oecumenicus Patriarcha.*

Quod verò Fricium eleuare scribis auctoritatem Concilij Tridentini, propterea quòd illi tres patriarchæ præsentes non adsint, nihil est, quòd scriptis illius moueare, quasi propterea Concilium hoc non sit Oecumenicum. Vnus tantùm est Oecumenicus patriarcha Petrus Romanus, qui sicubi præsens adest in Episcoporum Concilio, quod est ipsius auctoritate congregatum, etiamsi non omnes ad illud vocati veniant, non propterea non erit Concilium illud Oecumenicum. Vocati sunt Angli, Dani, Sueti, Germaniæ principes nonnulli: neque tamen cum suum ad illos Petrus Rom. nuntium ablegasset: vt inuitati venirẽt, adduci potuerunt. Num ideò Concilium hoc Oecumenicum esse negabimus? Etiamsi Christi corpus hoc, ad pauciora membra, quod absit, redactũ esset, inter quæ numerari non possunt, nisi qui CHRISTO parent, & eius Vicario Rom. Petro: nõ ideò tamen corpus in suo genere, non esse perfectum diceretur. Vbicunque Petrus Romanus: vel ipse præsens, adsit, vel suos habet Vicarios, quandoquidem solus ille verè dicitur & est Oecumenicus patriarcha, quod Concilium ipsius est auctoritate congregatum, id verè dicitur Oecumenicum. Intereà tamen & illud latere te nolo, quod ad Alexandrinum quoque patriarcham pontifex misit, qui vel vt ipse veniret, vel vt suos huc vicarios, mitteret, eum hortarentur. Cùm autem nihil hac legatione profectum sit, num tu pontificis culpam hanc esse dices? Quin illud animaduertunt hi, qui missi fuere, patriarcham illum, totamq; gentem illam ipsi subiectam, hæresi Nestoriana grauiter admodum laborare. Sed ego non dubito, si quod asserere videris, patriarchæ isti tui Catholici essent, quòd pridem citra dubitationem vllam Legatos huc suos misissent. Verùm, quòd de Alexandrino renunciauit, qui missus ad eum fuerat, idem & de Constatinopolitano & de Antiocheno patriarcha nobis existimare licet. Quamuis enim ante annos centum viginti, Constantinopolitanus Concilij Florentini Decretis, in quo præsens aderat, subscripserit, vna cum Imperatore & Episcopis, quos ad illud Concilium secum adduxerat: patriarcha tamen mortuo, simul vt Græci domum rediere, nihil eorum, quæ decreta fuerunt in illo Concilio, ratum, eos habuisse tu non ignoras. Et huius leuitatis atque inconstantiæ suæ, posteàquam iterum atque iterum ab Ecclesia Romana se præcidit: graues admodum pœnas gens illa persoluit. Nam statim, vt fidem datam

*Absentibus & alijs Patriarchis fit, verè Oecumenicum concilium.*

*Patriarcha Alex. ad Concilium vocatus.*

*Nestoriana hæresi infectus.*

*Concil. Florent.*

*Decreta Græci repudiarunt.*

*Græci propter inconstantiam & di-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sceſsionem ab Eccleſia Rom. graues pœnas patiuntur.*

datam violauit, in Turcarum poteſtatem recidit, quorum eam nũc grauiſſimo iugo premi, non ſine magno animorum noſtrorum dolore conſpicimus. Nec ſoli hoc illi contigit. Quot quot gentes aliæ ſuaue Chriſti iugum, per vicarium ſuum Petrum Romanum Eccleſiam gubernantis excuſſerunt: in eaſdem calamitates inciderunt. Adeò verum eſt, quod à Prophetis ſcriptum legimus. Gens & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Vnus paſtor, vt ſit, oportet, & vnum ouile. Vnum paſtorem hunc ſi Chriſtum eſſe dicis, libenter vna tecum, Vnũ eſſe agnoſcimus & profitemur: Sed cum ille nobiſcum in terris verſari deſierit, nec eum amplius in humana forma contemplari nobis liceat, quæ eſt illius infinita bonitas, noluit Eccleſiam ſuam omni ſua præſentia eſſe deſtitutam, ſed vnius vti miniſterio voluit, per quem vnitas in Eccleſia retineri poſſit. Vnum in ea Petrum loco ſuo conſtituit, cui ſuas oues paſcendi munus cõmiſit. Quem non ſolum in Occidente, verùm & in oriente, ſummam in omnes patriarchas & Epiſcopos auctoritatem & poteſtatem habere voluit: qua non ſemel illum in eos vſum fuiſſe legimus.

*Chriſtus noluit Eccleſiam eſſe deſtitutam omni ſua præſentia.*

*Lib. 2. Reg. 7. Cap. 65. Rom. Pont. auctoritas in Eccleſijs Orientalibus.*

De Conſtantinopolitana Eccleſia ſcribit Gregorius ille magnus. Quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam, quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater noſter Eutichius, eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur? Paulus Conſtantinopolitanus, à Synodo quadam Ariana depoſitus, & ex Eccleſia ſua fuit pulſus: Is Romam poſteà confugit ad Iulium pontificem, quo tempore venerunt in eandem vrbem itidem è ſuis electi ſedibus, Athanaſius Alexandrinus, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, Lucius Adrianopolitanus Epiſcopus. Excepit oẽs Iulius perbenigne: & eos omnibus eſt humanitatis officijs proſequutus, cumq; cauſas eorum cognouiſſet, ſcriptis ad Orientem literis, ſuum cuique locum reſtituit: Et eius auctoritate factum eſſe ſcribit Zoſomenus: vt ſuam quiſque Sedem reciperet. Quamuis iuſſu Imperatoris Conſtantij, quo nihil fuit inconſtantius, iterum paulò pòſt inde pulſi fuerint. Neque tamen propterea Iulius fractus animo conquieuit, ſed Conſtantis Imperatoris, qui fuit frater Conſtantij, fidem implorauit. Guius impulſu fecit Conſtantius inuitus, vt ſuis eorum quemque Sedibus reſtitueret. Ioannes quoque Conſtantinopolitanus Patriarcha, non temerè Chryſoſtomus appellatus, à Synodo quadam innocens damnatus, ad Innocentium pontificem confugit. Qui poſteaq; cauſam illius cognouit, hominem abſoluit, & eum Sedi ſuæ reſtituendũ curauit. Cum aũt Arcadius & Honorius Imperatores, à pontifice moniti, ſegnius Ioannis reſtitutionẽ procurarent, vtrũq; vnà cum Arſatio iam vita functo, & Attico Conſtantinopolitano, qui ſedem eius occupauerant, & Theophylo Alexandrino: per quem eiectus fuerat, excommunicauit. Sicut à Nicephoro ſcriptum legimus: quem etiam extat Innocentij præclara quædam ea de re ſcripta Epiſtola. Proclus quoq; Cęleſtini pontificis beneficio, Conſtantinopolitanam Sedem adeptus eſſe legitur: Cui cùm ſucceſsiſſet Flauianus, conflictis quibuſdã criminibus, in Epheſina ſecunda Synodo fuit damnatus. Quamuis autem illa Synodus Oecumenica eſſe putaretur, ab ipſius tamen ſententia, ſicut ſcribit Liberatus, ad Sedem Apoſtolicam appellauit: & eſt per Leonem pontificem abſolutus, qui de reſtituendo illo Eccleſiæ ſuæ plurimum laborauit: quod cum illo viuo perfici non potuiſſet, ſaltem vt mortui corpus ex Epheſo Conſtantinopolim transferretur, ac religioſa, celebriq; pompa inter adita templi Apoſtolorum conderetur, effecit. De Methodio quoq; ſcribit Gregorius pontifex. In Græcia perſecutione feruente: hic apud beatum Petrũ, & apud nos, vbi olim Athanaſius, vbi Paulus, vbi plurimi cum illis & præter illos, vbi deniq; ſemper Catholici ſubuenitur, conſequuti ſunt requiem: donec apprehenderet Olimpum certaminis, iam ſatiatus lacte huius matris omnium, ſanctæ videlicet Romanæ Eccleſiæ, Catholicum dogma defendere fuerit eruditus.

*Ioan. Chryſoſtomus ad Rom. Pont. confugit.*

*Theodoretus.*

*Ambroſij.*

*Patriarchas Orientales Rom. Pontif. excommunicat.*

Ac talem quidẽ ſe geſsit Petrus Romanus, erga probos & ſanctos patriarchas Conſtantinopolitanos: quod ſi qui fuerunt eorum diſsimiles, pro eo, vt ipſorum peccata merebãtur, grauiſsimis in eos animaduerſionibus eſt vſus. Sic Arſacium, & Atticum, ſicut paulò antè commemorauimus, anathematis fulmine peręuſsit Innocentius. Idem Acatio fecere Simplicius, Felix, & Gelaſius, quorum hic, ne mortuo quidem Acatio pepercit. Idem de Neſtorio fecit Cœleſtinus, de Anthimo Agapetus: de Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Agatho, & eum ſecutus Leo ſecundus: deq; Photio Nicolaus, & ſucceſſor eius Adrianus. Nec ſoli fuere Conſtantinopolitani, in quos hac ſua poteſtate Petrus Romanus vſus eſt. Etiam Polychronium Hieroſolymitanum, cùm eſſet è Sede ſua deturbatus, per Sixtum põtificem illi reſtitutum eſſe legimus.

*De auctoritate Rõ. Pont. teſtimonium Hieronym.*

Porrò Antiochena Eccleſia, cùm adhuc viueret Hieronymus, quemadmodũ ipſe ſcribit in tres partes fuit ſciſſa, quarum vnaquæque ipſum ad ſe rapere feſtinabat. Sed quid ad hæc Hieronymus? Ego interim, inquit, clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt: Meletius, Vitalis, & Paulinus, tibi hærere ſe dicunt: Poſſem credere: ſi hoc vnus aſſereret. Nuncautem duo mentiuntur, aut omnes: Et iterum: Non noui, inquit, Vitalem: Meletium reſpuo: ignoro Paulinum: Quicunq; tecum non colligit, ſpargit. Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Sic ille ad Damaſum ſcribens, negabat eum eſſe Chriſti, qui cum Chriſti Vicario Rom. Petro non colligeret? Cum quo etiam ij colligere ſe non rarò ſimulabant: qui diuerſam abillius doctrina fidem ſequebantur. Quod non ſolum Latinus Hieronymus, verum & Græcus ille Theodoretus in ſua teſtatur hiſtoria. Tanta fuit Romanæ ſedis auctoritas: vt ſolus ille Catholicus haberetur, qui Romano Petro Chriſti Vicario hæreret, atque cum eo colligeret. Itaque Catholicos Epiſcopos & Hieronymus, & Ambroſius, Romanam Eccleſiam appellant. Vt autem ad Paulinum redeamus, Euagrius illi ſucceſſiſſe legitur, inter quem & Flauianum eiuſdem Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum, grauis exorta fuit controuerſia. Extat Ambroſij Epiſtola, qua Theophilum Alexandrinum hortatur: vt ad Romanum Pontificem vtriuſq; cauſam remittendam curet. Qui deinde Presbytero ſuo ad Damaſum miſſo, rem omnem compoſuit: ac vt Flauiano delictum, quod iuramento violato admiſerat, remitteretur, impetrauit. Quin & ipſe Flauianus, Romam Oratores miſit. ex Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, Antiochenis, qui lite, quæ decem & ſeptem annos durauerat ſopita, concordiam Eccleſijs conciliauerant, ſicut, in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcriptum legimus. Ab Hormiſda verò Papa, Seuerum & petrum, itidem & à Felice depoſitos fuiſſe aliquanto antè, quàm Synodus Conſtantinopolitana congregata fuerat, ex actis eiuſdem Synodi cognoſcere licet.



Quòd autem ad Alexandrinos patriarchas attinet, diximus iam de Athanaſio, deq; ſucceſſore illius petro, quemadmodum ij cum Sedibus ſuis pulſi fuiſſent: auctoritate Iulij pontificis reſtituti ſunt: deq; Theophilo Alexandrino, propter Ioannem Chryſoſtomum ex Eccleſia ſua deturbatum, è cœtu piorum eiecto. Cyrillum quoq; nouis quibuſdã dignitatis inſignibus ornatum à Cœleſtino fuiſſe tradit Nicephorus. Idem proterio quoq; fecit Leo pontifex: quemadmodum ex Epiſtola quadam ipſius ad eum ſcripta conſtare poteſt. Cyrum autem Alexandrinum Agatho pontifex anathemate percuſſit.

*Quatuor patriarchas Orientales Rom. Pont. præmijs ornauit & pœnis affecit. Prouinciales Synodi Rom. Pont. auctoritate approbantur.*

Sic igitur quatuor iſtos patriarchas, & ornauit benè merentes Petrus Romanus, & iuſtis pœnis affecit, quoties ab officij ſui religione declinarent. Huius auctoritatem ſequebantur omnes: quotquot Chriſtiani, Catholici & Orthodoxi cenſeri volebant. Huius iudicio ſe ſcriptaq; ſua omnia ſubijciebant: ac ſi quas prouinciales Synodos alicubi, quamliber in remotis terris congregaſſent: ab hoc ſuas conſtitutiones approbari petiuerunt. Sic Mileuitanum, ſic & Carthaginenſe Concilium feciſſe: atque ab Innocentio, vt Concilij ſui ſtatutis, Apoſtolicæ Sedis adhiberet auctoritatem, petiuiſſe: teſtis eſt in ſuis Epiſtolis Auguſtin. Idem factum eſt ab Orientalibus Epiſcopis ad Symmachum ſcribentibus, & aliquanto ante ab his, qui cum Athanaſio conuenerant Alexandriam, cùm ad Felicem Papam ſcriberent.

*Hæretici etiam pro Synodalib. ſuis Decre. Rom. Pont. auctoritatem implorabant.*

Nec à Catholicis modò fuit hoc ita factitatum, verum & ab ipſis hæreticis. Euſebium, qui fuit Arrianæ factionis, vna cum ſua Synodo Antiochena, ad Iulium pontificem reſcripſiſſe, vt in Athanaſij cauſa iudex eſſe vellet, ſimul, vt acta Synodi, iudicio ſuo comprobaret: petiiſſe, narrat Socrates. De Fortunato Pſeudoepiſcopo ab hæreticis conſtituto: deq; Baſilide, quod ad Petri Cathedram appellauerint, memoriæ prodidit Cyprian. Fecit idem Petrus Abelardus: cum in ſuſpicionem hæreſeos à Bernardo vocatus fuiſſet. De Pelagio ſcribit Auguſtin. quòd is literas, quibus ſe purgaret libellum q; fidei ſuæ, Romam ad papam Innocentium miſerit. Refert idem de Cœleſtio, quòd is Beati papæ Innoc. literis non eſt auſus obſiſtere, imò, quæ ſedes illa damnauerat, ſe quoq; damnaturum omnia promiſit: Eutychen quoq; libellum ſibi miſiſſe: deq; iniuſta damnatione quæſtum eſſe, quodq; ſententiam illius per omnia ſecuturus eſſet, ſpopondiſſe: ſibiq; propemodum obrepſiſſe, non obſcurè Leo pontifex indicat, ſcribens ad Theodoſium & ad Flauianum. Flauianus verò, cùr eum excommunicauerit, eidem Leoni rationem reddit: & approbat hoc illius factum Leo, Proterius etiam Alexandrinus, cùm & ipſe veniſſet in ſuſpicionem quorundam errorum, apud eundem Leonem ſe purgat, de quo teſtimonium, hoc, quòd eſſet Catholicus, Imperatori Martiano reddit Leo. De Anthymo legitur in ſententia Synodi Conſtantinopolitanæ ſecundæ: quòd is ad patriarchas ſcripſerit, ſe per omnia ſequi Sedem Apoſtolicam. Quod ab eo tamen falsò fuit affirmatum. De pyrrho patriarcha Constantinopolitano narrat Zonoras, quòd cum ad Sedem ſuam redire cuperet, libellum de fide ſua papæ obtulerit, quo ſe Monothelitarum hæreſim deſeruiſſe ſimulabat, papa libellum approbauit, ſed poſteaq; comperit eum Rauennam digreſſum, hæreſim ſuam celare non potuiſſe, conuocatis epiſcopis, eum penitùs condemnauit.

*Nullus patriarcharum Orientalium in Rom. Pont. parem poteſtatem exercuit.*

Hæc è multis pauca propterea nobis cõmemorare viſum eſt, vt ex his liquidò dilucideq; perſpicere liceret: q̃ ſit illud verum, quòd reliqui patriarchæ, patriarchatu pares Petro Romano fuerint. Nam quod Petrus Romanus in omnes illos patriarchas, à Deo ſibi tradita poteſtate ſit vſus, ex his, quæ recenſuimus, planum feciſſe videmur. Quod autem aliquis illorũ patriarcharum parem in Petrum Romanum poteſtatem exercuerit, me nuſquam legere memini, nec aliquod exemplum eius rei abs te proferri poſſe puto. Nam ſi quid attuleris, vel de Dioſcoro, vel de Acatio hæreticis: priuatæ libidinis fuit hoc & vſurpatæ cuiuſdã, non autem legitimæ poteſtatis: quam poteſtatem agnouerunt in Petro Romano, ſicut reliqui omnes Catholici, & Orthodoxi, ita & quatuor illi patriarchæ, ad eius fidem ſæpè confugerũt eius Iudicio ſe, ſuaq; omnia ſubiecerunt: quod nunq; ſimiliter à Romanis pontificibus factũ fuiſſe, docere potes.

*Roman. Eccleſiæ præeminentia & Ordo patriarcharũ ex decreto Lateranen. Concilij.*

Sed quorſum attinet in his diutiùs immorari? Legiſti proculdubio, cuius antea memini, Lateranenſis ſacta Concilij, quod ante trecentos quinquaginta plus minus annos fuit cõgregatum, quo nullum fuit vnquam patrum numero frequentius? cùm in eo præſentes adfuerint etiam ipſi patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: quibus aſſentientibus, hæc fuit ſanctio conſtituta quam ad verbum deſcribendam eſſe duximus. Antiqua patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, ſacra vniuerſali Synodo approbante ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineant, reſeruata cuilibet propria dignitate: ita quòd poſtq; eorum Antiſtites, à Romano pontifice acceperint pallium, quod eſt plenitudinis pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionẽ obedientiæ ab eiſdem.

*Pallium.*

Fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Concil. Florent. Rom.pont. potestas ex Decreto. Floren. Concil.*

Fuit autem & aliud Concilium Florentiæ celebratum, ducentesimo pòst anno, in quo cõstitutum est, Rom. pontificii in B. Petro, pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro IESV CHRISTO plenam potestatem traditam esse. Præsens adfuit in eo Concilio non patriarcha tãtum cũ suis Metropolitanis, & Episcopis, verùm & Imperator ipse Constantinopolitanus.

*Nota.*

Habes igitur quid sit, qua de re nunc inter nos agitur, in duobus istis celeberrimis Conciliis constitutum. Audebis autem tu vel negare, vel in dubium reuocare, quod non Occidentis tantũ, verùm & Orientis Episcoporũ tanto cõsensu receptũ esse vides? Audebis dicere, cæteris patriarchis, patriarchatu parem esse Petrum Romanum, nec vllam in eos potestatem habere? Cùm ille potestatem hanc in omnes, non ab homine, neque per hominem, sed ab ipso Domino acceperit: Qui cùm dixit Petro, pasce oues meas: non Occidentis tantùm, aut Orientis, verùm orbis totius oues, vt pasceret præcepit. Inter quas, etiam patriarchas istos tuos esse voluit, qui pastores quidem sunt sui gregis in patriarchatu suo, & suam in eum iurisdictionem exercent: Sed cum Petro collati, grex sunt, & inter oues illius numerantur. Aliter Ecclesia consistere non potest: nisi vnus aliquis in ea summa cum potestate versetur. Cùm præclarè dictum fit ab illo Sancto Martyre: Quod non aliundè nata sunt schismata & hæreses: quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice CHRISTI cogitatur: Cui si secundum diuina magisteria fraternitas obtemperaret vniuersa, nemo dissidio vnitatis, Christi scinderet Ecclesiam.

*Potestatem Rom. pont. non ab hominibus, sed à Deo accepit.*

*Hæresium & schismatum præcipua causa.*

Putas autem tu, quòd Græci tui, siue Roxolani, & Armeni, & quotquot alij sub reliquis patriarchis vitam degunt: sic ipsi dissiderent inter se, tamq; multis & varijs erroribus scaterent, si Romanum Petrum Christi Vicarium, & vniuersalis Ecclesiæ rectorem agnoscerent? Idem de finitima nobis Germania dicere licet, quæ nunquam hoc infelici nostro seculo fuisset in tot sectas tam dissectas miserandum in modum dissecta: nisi prius ab obedientia Romani Petri discessisset: verum quid illis accidit: simul vt quam papæ debent reuerentiam & obedientiam, ab ea se subduxerint, multos papas nacti sunt, atque tot in ea nunc fides existunt, quot voluntates, tot doctrinæ, quot mores. Et posteàquam recessum est ab ea fide, quæ sola est, dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit. Ac agnoscunt hoc ipsimet, mutuoq; sibi inuicem obijciunt. Accusat Philippum Illyricus quod Papam agere velit in Saxonia, nec ab opinione sua quenq; dissentire patiatur. Accusat vicissim Illyricum & Gallum Philippus, ac de vtroq; scribit his verbis: Cum hoc mirabilium hominum genere agi nihil potest, q; suo arbitratu damnant quidlibet: neq; personis auditis, neq; dijudicatis rebus, cogunt Concilia, quando & vbi ipsis placet, atq; vendicant sibi maiorem, magisq; intolerabilem, & minus excusabilem auctoritatem ac potestatem: q̃ Papa Romanus vnquam. Quæ quò tandem euasura videantur, cogitetur. Paulò autem antè scribit, quòd hæc licentia quandam Anarchiam peperit. Vides vbi multi volunt esse papæ: quemadmodum ipsi mutuò se ferrenõ possunt. Nec Illyricum Philippus, nec Philippum fert Illyricus, vt interim de Caluino, deq; reliquis pestibus nihil dicam.

*Propter papam contemptum Græci variis erroribus scatent.*

*Propter contemptũ papam Germania misere dissecta.*

*Hæretici multitudinem paparum inter se accusant & damnant.*

*Papæ contemptus, Polonis quanta in commoda attulit.*

Vtinam autem nulla nobis domestica succurrerent exempla, quæ proferre liceret. Verùm testatiora sunt multorum oculis, quàm vellemus. Posteàquam apud nos quoque plerique sibi defugiendam esse Roman. Pont. auctoritatem putauerunt, an sibi de vulgo quisque non maiorem, magisq; intolerabilem, & minus excusabilem quàm ille potestatem & auctoritatem sumit, dum arbitrio suo, vel damnat, vel statuit quidlibet, rebus non intellectis, nec personis auditis? Quorsum autem res euaserit, nihil opus est, quod ego scribam, cùm oculis ipse tuis cernas. An autem & anarchiam quoque non vides? Vtinam ea non videretur. Quid autem anarchiam hanc nobis peperit? nisi multitudo paparum. Posteàquam omnes Sacerdotes, omnes pontifices facti sunt: Reges quoque facti sunt omnes. Neque maior est apud istos Regis, quàm pontificis auctoritas, (proh dolor) vtramque simul excussam ab his potestatem videmus, qui suaue CHRISTI iugum, per Petrum Romanum Ecclesiam suam gubernantis excusserunt: Verùm hæc politica missa faciamus, & ad institutum redeamus.

*Vnitas in Ecclesia quo retineatur Cypriamus.*

Quod si vis, vt vna sit fides, vt vna sit Ecclesia, vt multitudinis credentium sit cor vnum, & anima vna, pastor vnus, vnus in Ecclesia patriarcha sit Oecumenicus oportet, à cuius dignitate salus pendet Ecclesiæ. Cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot Sacerdotes. Scripsit hoc quidam vir summa vitæ sanctimonia, & singulari doctrina præditus. Verùm nihil est necesse, vt hæc in libris legamus, in factis nostrorum oculis ipsi nostris cernimus: nihil vt sit opus abire longius.

*Vuladicæ & Metropolitæ Græcorum si venerint ad Concilium, de ritibus suis nihil timere debẽt.*

Cùm itaq; satis tibi iã demonstrasse videar (sed quid ego dico me demonstrasse, cùm res ipsa clamet?) vnam fidem, vnam Ecclesiam esse non posse: nisi pastor sit vnus, & vnus Oecumenicus patriarcha, quem non alium esse, quàm Petrum Romanum, tu quoque non diffiteris: Vuladicas istos tuos & Metropolitas hortare, vt Petrum hunc, in pio Quarto ipsius legitimo successore, pastorem suum vnà nobiscum agnoscant, atque ad Sacrum Concilium hoc, ab ipso legitimè indictum veniant, & si de dogmate aliquo non satis inter nos & illos conuenit: illi dijudicandum permittant, illius Iudicio se submittant. Quod si nulla dogmatum fuerit inter nos controuersia: nihil faciemus libentius, quàm vt obuijs, quod aiunt, vlnis, eos ad Ecclesiæ gremium redeuntes, recipiamus. Nec impediet quicquam rituum diuersitas: quo minus in vnum Dei populum coalescamus omnes. Quod si perfectum opera tua fuerit, maximam apud homines laudem tibi comparaueris: nec vllum Deo sacrificium gratius



tius offerre poteris. Nihil autem est, quod illi de suis ritibus velint esse soliciti, facilè permittentur, dummodo nulla sit fidei discrepantia.

*De libris Stanis. Orechouij Chimera & dialogorum Iudicium.*

Chimera tua multorum hic virorum doctissimorum teritur manibus: & eorum iudicio vehementer probatur. Quam & ego legi lubens, teq; de ista præclara voluntate tuendæ fidei Catholicæ contra Christi crucis inimicos, non possum non vehementer amare. Dialogos quoq; tuos vernacula lingua cõscriptos legi, in quibus & dicendi vim, & orationis impetum, & libertatem, imprimis autem Zelum istum tuum verè Christianum, valdè sum admiratus. Quod si par esset Zelus in his, in quibus esse debebat, minus nunc laboraremus, minore verfaretur in discrimine patria nostra.

*Triangulus Orechouij.*

Quod autem nobis testimonium tribuis, vehementer metuo, si diligentius expensum fuerit: ne beneuolentiæ magis in me tuę, quàm Iudicij testimonium esse videatur. Nam quę tu mihi plena manu tribuis, ea nõ agnosco: quin illud apertè profiteor, scribendi facultate multò te nobis esse superiorem. Nihil est autem triangulo tuo verius. Nam vbi non est Altare: neq; Sacerdos: ibi neq; Regem legitimum agnosci dubium non est: nec est, quod quisquam existimet, in eiusmodi regno firmitatis aliquid esse posse. Nam vbi nullum est Sacerdotium, neq; sacrificium: ibi nec Deus vllus esse creditur. Absq; Deo verò, qui fieri potest: vt Regnum aliquod consistere diu queat?

*Absque Sacerdotio nullum Regnum subsistere potest.*

Clades, quas in calce literarum tuarum commemoras: peccata nostra merentur. Sed hæ tamen maiorem animo meo cruciatum, quàm facilè credi possit, attulerũt: quin illud metuo vehementer, ne folia sint hæc, quæ ceciderunt hactenus: neuè paulò pòst cadant etiam arbores. Vix enim ferre Deus diutius hæc tam impia poterit. Quem supplex precor, vt misereatur nostri: vt illuminet vultum suum super nos, vt conuertat nos, & auertat iram suam à nobis. Bene vale. Ex Tridento vltima mensis Augusti. Anno Domini, 1563.

FINIS.

# PALINODIAE SIVE RECANTATIONES SEPTEM, FABIANI QVADRANTINI GEDANENSIS, CVM *FACTVS ESSET EX LVtherano Christianus, recitatæ Braunsbergæ in Collegio societatis Iesu.*

## Ab Illustriss. Cardinali Hosio conscriptæ.

### PALINODIA, SIVE RECANTATIO PRIMA.

QVI fuerim, scitis: qui nunc sim, fortasse scire cupitis. Quamuis autem factis vtrumq; sim testatus, quod plerisq; vestrum obscurum non est: propter eos tamen, quibus vitæ meæ ratio nõ satis est perspecta, paucis de vtroq; disserendum esse duxi. Fecit horum temporum infœlicitas, vt in eos homines puer inciderem, & inter eos æducarer, qui Pauli monitorum obliti, dicentis: Si quis aliud vobis Euangelizauerit, præterid, quod accepistis, Anathema sit: longè diuersum ab eo docuerunt, quod à sanctis nostris maioribus per longam Episcoporum & Sacerdotum successionem sibi per manus traditum accepe-

*Ad Gal. 1.*

rant. Et quò facilius abducere discipulos post se possent, fraudi suæ, nomen Euangelij prætexentes, locis aliquot è scriptura malè intellecta, vel in prauum sensum detorta, produ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



accipiente: nihil de fide, siue fiducia mediatoris huius: nihil de Euangelio, quod seculis aliquot sub scamno latuerit in Ecclesia Dei, quam isti Papatum vocant, prædicatum: sed pro Dei verbo, traditiones quasdam humanas obtrusas: & quod Dei propriũ est, in opera quædam humana translatum: quodq; soli Diuinę Maiestati, soliq; Christi personę conuenit, creaturæ tributum fuisse. Cæterùm proximis his superioribus quadraginta & amplius annis nouam Euangelij lucem affulgere mentibus hominum cœpisse. Quem autem hæc non mouerent? cuius animum ab eorum communione non deterreret? quos hæc tam impia docere persuasum haberet? sed verũ est, quod Sapiens ille dixit: Qui citò credit, leuis est corde. Credebam ego magistris meis, quorũ doctrinis varijs & peregrinis abductus, & in aliud quoddam Euangeliũ, quod cum Euangelio Christi cõmune nihil haberet, quin cum eo pugnaret potius, ab eo qui nos vocauit, in gratiam Christi sum translatus. Verum gratias ago Deo meo, quòd qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus, nunc misericordiam illius sum cõsecutus, quia ignorans feci. Illius enim nunquam satis mihi prædicandæ misericordiæ tribuo, quod in hunc locum veni, & horum venerabilium Patrum, qui præsentes hic adsunt non solum præceptis, verùm etiam exemplis auctus, & in vera Christi fide sum instructus: longè nanq; diuersum & auribus hausi, & oculis ipse meis vidi, quàm quòd superioribus annis mihi fuit inculcatum. Non modò nihil hic detrahitur Christi gloriæ, nõ modò non obscurantur eius beneficia, non modò non transfertur in creaturam, quod ipsius est proprium: sed hoc maximè laboratur, vt Christi mediatoris beneficia, quàm maximè clara & illustria ac testata omnibus quamlibet rudibus esse queant. Itaq; nõ scriptis tantum & sermonibus, verùm & dierum obseruationibus, & signis, & imaginibus, gestu, habitu, varioq; ritu & cęremonijs ea mortalium pectoribus imprimuntur: & quęcunq; credere necesse est ad salutem, haud aliter quàm præmansus oricibus, inserũtur. Quo magis mirorillorum frontem, per quos Ecclesiæ Dei tam impudenter affingitur, quòd per eam Christi beneficia sint obscurata, quodq; sint alij mediatores, præter hunc quęsiti. Quod à Propheta scriptum est: Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt, id in hoc hominũ genus rectè quadrat: qui si haberent oculos, quibus videre possent, certè in templa Christianorum ingressi, statim in medio cuiusq; cernerent IESV Christi simulachrum, in cruce pendentis, per quod rudes admonentur: quandoquidem hoc sunt idiotis picturæ, quod in literis versatis scripturæ: non alium esse mediatorem Dei & hominum, qui per crucem & mortem suam Deo Patri nos reconciliauit, præter vnum Dominum nostrum IESVM Christum. Per hanc ipsius crucem & mortem à Deo patre petendum esse, quicquid impetratum cupimus. Quod Christi crucis simulachrũ morituris etiam exhibetur, siue ijs qui lecto sunt affixi. siue ijs qui ducũtur ad supplicium, vt in memoriam illis reuocetur, quòd cum semel per crucem Deo reconciliati sint, huic reconciliationi innitantur: & quamlibet sibi multorum & grauium peccatorum conscij sint, non tamen propterea spem salutis abijciant: quin memores illius, qđ in cruce pro nobis moriens Christus pro totius mundi peccatis abundè satisfecit', magna cum fiducia Deum, in hanc sententiam alloquantur: Respice Domine in faciem Christi tui in cruce pro nobis pendentis & morientis. Caro nostra est, sanguis noster est, frater noster est, tibi vsq; ad mortem obediens factus est. Ne recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum: recordare quantam pro peccatis nostris ab eo satisfactionem acceperis. Vtinam appendas Domine in statera peccata, quibus iram metuimus, & calamitatem, quam pro nobis passus est innocens filius tuus, certè multò grauior hæc apparebit, multoq; dignior, vt propter ipsum effundas super nos misericordiam tuam: quàm fuit illa, vt pro peccatis nostris contineas in ira miserationes tuas. Quæso vos quotquot hic adestis, Auditores, an hoc est obscurare CHristi beneficia? quando sic rudes docentur, non solùm viua voce, verùm & muto simulachro coram oculis eorum exhibito? quod ab illis certè animaduerti potuisset, si oculos quibus videre possent, habuissent. Sed eos excœcasse tenebræ videntur, quoniam fratres oderunt: qui autẽ odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, quia tenebræ excœcauerunt illum. Sed si non habent oculos quibus videant, saltem aures audiendi si haberent, audirent in orationibus, quę funduntur ad altare, vulgò collectas vocant, preces omnes ad Deum patrem ferè dirigi: nec per alium concedi nobis ea, quæ petimus, postulari, quàm per vnicum Dei & hominum mediatorem D. N. IESVM Christum. Aut si templa non ingrediuntur, audirent saltem in priuatis etiam ædibus non solùm sacerdotes, verùm & pueros quando sumpto cibo Deo gratias agunt, in hunc modũ orantes: Retribuere dignare omnibus nobis bona facientibus, propter nomen sanctum tuum, vitam æternam. Orant illi quidem, vt benefacientibus mercedem Deus tribuat, quandoquidem ita se facturum promisit, & huius promissi sui reus tenetur: sed non propter eorum quæ benefacta sunt, dignitatem, sed propter nomen, aiunt, sanctum tuum. Quod est autem hoc nomen sanctum, nisi nomen illud, quod est super omne nomen, in quo flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum? propter nomen Domini nostri IESV Christi: propter crucis & passionis illius meritum. Petunt igitur operibus rectibui vitam æternã, non quòd illa tanto præmio digna sint natura sua, sed quòd passionis & mortis Christi merito fit, vt eo digna censeri possint. Quare propter sanctum nomen hoc, propter Christum, & eius passionis & crucis meritum, benefacientibus æternæ vitæ retributionem dari petunt, in illum omnem gloriam, in illius crucem & mortem omne meritum transferunt: vt dicere mediatorem hunc orbi Christiano tot seculis ignotum fuisse, nihil aliud sit, quàm dicere, tenebras lucem, & lucem tenebras: vt in horum hominum persona rectè Propheta dixisse videatur: Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Sed alios, aiunt, mediatores quæritis: quandoquidem sanctos inuocatis. Hoc mihi quoq; fateor, persuasum fuit aliquãdo, sed cùm interessem Litanijs, longè diuersum cognoui. Nam quod Dei

Eccles. 9.

1. Tim. 1.

1. Ioan. 2.

Isaiæ 28.

1. Tim. 2.



Dei est, Deo: quod hominum est, hominibus tribuitur: Deo dicitur, Pater de cęlis Deus, miserere nobis: Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis, &c. Ab illo misericordia, à sanctis hominibus nihil aliud, quàm intercessio postulatur: vt & hic manifestũ discrimen appareat inter mediatorem Deum & hominem: & inter mediatorem purum hominem. Qualis ille mediator fuerit, docet Paulus in illo ipso loco, vbi de Christo mediatore tractat. Qui dedit, inquit, redemptionem semetipsum pro omnibus. Talis mediator nullus fuit præter Christum: nam neq; Petrus, neq; Paulus, nos morte sua redemerunt, sed solus CHristus. Cæterũm à quibus intercessio tantùm postularetur, talibus mediatoribus, & in eodem illo capite, & multis alijs in locis, cum ipse vsus est Paulus, tum nos etiam vt vteremur, author nobis fuit. Sed in opera transfertis, aiunt, quod est Christi proprium, & eis propitiationem assignatis. At ego longè aliter sum hic edoctus. Nihil. n. operum substantiæ tribui audio, quæ cùm possint esse nobis communia cum infidelibus, nullum illis, magnum nobis meritum acquirunt. Quam tandem ob causam? quoniam quæ facimus fideles, non facimus nos, verũm facit ille, quem in Baptismo sumus induti D. N. IESVS Christus, qui viuit in nobis, qui per fidem habitat in cordibus nostris, qui operatur in nobis & velle & perficere, qui meretur in nobis, & cuius merito meremur nos. Huic igitur, & fidei, quam habemus in illum, omnis iustificatio & omnis propitiatio tribuitur. Fidei autem non soli, sicut sine scripturis asseritur ab aduersarijs: sed sicut Paulus dicit, quę per charitatem operatur. Itaq; non aliam hic quàm Christi, quem induimus in Baptismo, iustitiam commendari audio: quem si non essemus induti, si non fulgeret in virtutibus nostris iustitia meritorum Christi: non plus nobis prodessent, quamlibet laudabilia forent opera nostra, quàm vel Catoni, vel Aristidi, vel Zenoni, vel alijs quibuscunq;, qui fuerunt apud ethnicos, iustitia sanctitateq; celebres, profuerunt. Operibus nostris, quatenus nostra tantùm sunt, & non à gratia profecta, suppliciũ æternum mereri possemus: vitam æternam mereri non possemus: cùm tanquam pannus menstruatæ sint omnes iustitiæ, quæcunq; sunt extra Christum factæ: ad quem, nisi respicimus operantes, nihil est, quod mercedem vllam operum nostrorum expectemus. Quamuis enim certum sit, operibus mercedem dari, non tamen ea datur propter ipsorum, quatenus à nobis proficiscantur, dignitatem: sed propter Christum, qui operatur ea in nobis: propter CHristum, ad quem operantes respicimus: propter CHristum, qui dixit: mercesvestra copiosa est in cœlis: propter Christum, de quo seculis iam aliquot cantatum fuit, & cantatur etiam nunc vernacula gentis nostræ lingua: Quod nisi prognatus nobis puer ille fuisset, eramus omnes perditi. Nam nisi factus homo lauisset nos in sanguine suo, nisi dedisset semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, quid aliud essent vniuersæ iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ? Quamobrem illud ex Psalmis vsurpantes: Domine, misericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne despicias: cum illo sancto Patre dicit vnusquisque fidelium: Non dico, Domine, ne despicias opera manuum mearum: Non me iacto de operibus meis: exquisiui quidem Dominum manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus: Sed tñ nõ cõmendo opera manuum mearum: timeo, ne cum inspexeris, inuenias plura peccata, quàm merita. Hoc solum rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero: Domine, opera manuum tuarum ne despicias: opus tuum in me vide, non meum. Nam meum si videris, damnas: tuum si videris, coronas. Quia, & quæcunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt: & ideo tua magis quàm mea sunt. Hic iterum vos obtestor quotquot adestis, auditores optimi, num ita loquentes aliquid operibus tribuimus, quod est solius Christi? num in illa potius, quàm in ipsum CHristum eorum authorem, gloriam omnem transferimus? Quotidiè recitant in Ecclesia Dei, quam isti Papatum vocant, hymnum Ambrosij sacerdotes, in quo videre licet hæc illius verba: Sed præmium mortis sacræ perennis instet gloria. Auditis hic perennem gloriam, non operum, sed sacræ mortis præmium vocari: non quòd non operum quoque præmium, siue merces, rectè dici queat, cum id non semel in scripturis legatur, sed quòd, si non intercessisset sacra mors, non perennis gloria, sed perenne supplicium operibus nostris debebatur. Huic igitur sacræ mortis præmio, quicquid est propitiationis, tribuit Ecclesia. Hoc sacræ mortis præmium offert in illius persona Deo Sacerdos, quoties tremendum illud sacrificium celebrat, quam vulgò Missam vocant. Offert verum & viuum CHristi corpus, quòd pro nobis in cruce pependit: Offert verum & viuum Christi sanguinem, qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorum: hunc Deo patri offert, ac supplex illum precatur, qui protector noster est, vt auertat faciem suam à peccatis nostris, & respiciat in faciem Christi sui, pro nobis in cruce pendentis & morientis. Huius crucis & mortis merito, cuius iuxta Pauli præceptum commemoratio quædam & repræsentatio fit ad altare. peccata nostra nobis remittat: simul concedat, vt quem fructum toti mundo sacrificium illud crucis attulit, eius participes esse queamus. Sacerdotem autem quasi subsequentes, qui præsentes adsunt, quando sacræ mortis præmium hoc offertur, etiam ipsi prorumpunt in ea verba, quæ sunt à sancto quodam Patre scripta: Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro paruulo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum istud corpus est: nam illud de meo est, & meum est. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me, ô dulcissima reconciliatio, ô suauissima satisfactio. Hic iterum obsecro vos, per illum ipsum, qui pro nobis passus, crucifixus, & mortuus est, Dominum nostrum IESVM Christum, diligenter vobiscum expendite: qui sunt qui Christi crucem euacuant, qui summum hoc illius beneficium non solùm obscuratum, verumetiam sempiterna quadam obliuione prorsus obrutum esse cupiunt. Hi ne, qui quotidiè summa quadam religione illud celebrant, & Christum pro nobis exaltatum in cruce, oculis hominum subijciunt: atq;

1. Tim. 2.

Gal. 2.

Ephes. 3.

Philip. 2.

Gal. 5.

Luc. 6.

Apoc. 1.

Tit. 2.

Augu. in psal. 137.

Bern. ser. 1. de Epiphania Domini.

Isaiæ. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt passionis illius fructum in se trãsferre laborent, hortantur: an qui sicut alia signa omnia, quibus Christi beneficiorum admonere nos Ecclesia Dei voluit, sic & hoc tremendum sacrificium, vnà cum sacerdotio abrogarunt? Quod cum fecerunt: quid aliud illi, quàm omne discrimen, quod est inter diuinam maiestatem, & inter mundi Principes, sustulerunt,

*Lib 1. cont. aduersarium legis & prophet cap. 8. de ciuit. Dei. cap. 4.*

nullus vt peculiaris cultus Deo tribueretur. Nam sicut præclarè scriptum est ab Augustino, solo hoc externo sacrificio, diuina seruitus ab humanis obsequijs discernitur. Nam obseruantissimi autem cõmemorantur, qui sibi vt sacrificaretur, cum Regia potestate possent ausi fuerint imperare: qnicunq; tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt. Hocigitur vnicum signum, quo Deus agnoscitur, nimirùm externum, quod in Ecclesia Dei frequentatur sacrificium, sublatum Satanas per suos ministros voluit: vt nunc demùm, sicut à quo-

*Petrus Cluniacẽsis, lib. 1. epist. 1.*

dam ex Patribus dictum est: faciat populus, quod nunquam anteà fecerat: & more captiui illius populi, sedeat absq; lege, absq; rege, absq; sacerdotio, absq; Ephod, & Theraphin: cùq; Deo sacrificare cessauerit, & ipse Dei esse cesset, vt incipiat esse tẽporibus gratiæ, quod nunquam fuit nec tempore iræ: vt Christianis Deo sacrificare cessantibus, cultus, qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat: & qui Deum ritu suo colens, Deo subditus esse probabatur, cultum eius abijciens, absq; aliquo Deo prorsus esse videatur. Ego verò diffiteri nec possum nec debeo. Quod si quæ fuit alia causa, quamobrem ad vnius sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ gremium me contuli, cui soli missus Spiritus sanctus, cui soli sanctæ intelligentiæ lux promissa est: fuit hæc vna grauissima, quòd aduersariorum altercationibus eò rem vidi perductam, vt ad Atheismum inclinare viderentur. Nam vbi nullum est sacerdotium & sacrificium, ibi certum est, nullum agnosci Deum: cùm siue qui verum, siue qui falsos Deos coluerunt, ex quo tempore mundus conditus est, semper eum oblatis sacrificijs coluisse legantur: vt hæc naturæ quædam lex esse mentibus hominum infita videatur. Sed verum dixit ille quamuis Ethnicus: quòd nimium altercando veritas amittitur.

*Tim. 3.*

Dum isti nihil aliud quàm litibus & contentionibus vacant, à quibus abhorrere seruii Dei Paulus vult: amiserunt veritatem Christi corporis & sanguinis ex Eucharistia: amiserunt sacerdotium & sacrificium: amiserunt sacramenta, quæ sunt vasa gratiæ: amiserunt in plerisq; locis & nomen & cultum sanctissimæ Trinitatis, amiserunt ad extremum omnem agnitionem Dei. Quandoquidem, sicut verè scripsit sanctus ille Pater: qui populus Deum ritu suo colens, Deo subditus esse probabatur, cultum eius abijciens, absq; aliquo Deo prorsus esse videtur. Nunc ego tibi Domine IESV CHriste, quas maximas animus meus capere potest, ago gratias: cuius immortali beneficio factum est, vt in hunc locum venirem: vbi lux

*Ioan. 14.*

Euangelij, quam acerbis aduersariorum cõtentionibus partim obscuratam, partim extinctam prorsus in plerisq; locis videmus: mentis meæ oculis affulgeret, vbi te, qui via, veritas & vita es agnoscere, palamq; profiteri liceret. Quem certè nõ agnoscere, sed negare videntur, qui se à tuo corpore nefaria præcisione separarunt, cùm tu cum illo sis vnus CHristus:

*2. Cor. 1.*

neq; se possit quisquam à tuo corpore, vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, distinguere: quin idem à te simul huius corporis capite sit præcisus. Quod autem ignorãs peccaui, dari mihi veniam abs te supplex peto, qui Pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis: simul spondeo & promitto, quandoquidem ineffabili misericordia tua factum est, vt ereptus de potestate tenebrarum, transferrer in regnum tuum: & qui fui vas iræ, Euangelij tui luce illustratus fierem vas misericordiæ, me nunquam amplius ad easdem illas tenebras, quas effugere semel mihi licuit, deinceps esse reuersurum, sed eam fidem perpetuò, quoad mihi vita suppeditauerit, retenturum, quam vertex Apostolorum Petrus initio tradidit: ac nunc Pius V. Pontifex Rom. custodit: quamq; S. Tridentina Synodus proximis superioribus annis professa, ab omnibus in Christum credentibus inuiolatam seruari, præcipit. Vobis quoq; Reuerendi Patres & præceptores mei, tibi præcipuè, qui sanctæ Societatis huius rectorem agis, non possum, quin agam gratias pro grauissimis laboribus, quos mea causa suscepistis, vt me CHristo lucrifacere possetis. Nam sicut incrementum Dei solius, sic vestra fuit hæc plantatio: vestra fuit hæc rigatio: vestra diligentia factum est, vt veritatem agnoscerem, & ab Idolorum cultu, ad veri me Dei cultum transferrem. Quid enim aliud sunt, quàm Idola? qui suum verbum pro Dei verbo rudi plebeculæ venditant? quodq; sentiunt ipsi, non aliter quàm purum Euangelium, etiamsi cum Euangelio pugnet, à suis adorari volunt. cùm tamen ipsos haud aliter atq; Deos Homericos, infestis armis inter se concurrere videamus: dum vnusquisq; suum potius quàm alterius verbum, Dei verbum haberi, seq; pro Deo coli vult. Ab hac tam horrenda Idololatria quod fugerim, veriq; Dei verum cultum agnouerim: secundum Deum vobis acceptum fero. Quoniam verò parem gratiam huic vestro beneficio referre non possum, illum sedulò precabor: vt quod opis nostræ non est, præstet ipse, vobisq; curæ, diligentiæ, laborisq; vestri ea præmia largiatur, quæ præparauit diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vos verò, quotquot hic adestis commilitones mei charissimi, etiam atq; etiam hortor & moneo: vt periculo meo docti, ab ijs laqueis, ex quibus Dei misericordia iam sum expeditus, diligenter vobis caueatis. Nec enim dormit aduersarius noster Diabolus, sed tanquam Leo rugiens, quærit assiduè quẽ deuoret. Neq; tamen se sua forma prodit, sed se transfigurat in Angelum lucis: nec aliud magis quàm Scripturas. Euangelium, Deiq; verbum creat: cùm interea nihil minus ei cordi sit: quin ille potius, sicut à quodam è sanctis Patribus dictum est: arma contra legem sumit ex lege: impugnat Euangelium ex Euangelio pugnãs, & in sui perniciem de veris mendacia fingens. Nec orditur ille statim ab eo, quod maximè persuasum esse mortalibus cupit, vt quod est extremè impium amplectantur: sed in his quæ leuiora videri possunt, initium saltem vt fiat ab Ecclesia dissessionis, id maximè laborat. Et

*1. Cor. 2.*

*1. Pet. 5.*

*2. Cor. 11.*

*Augu. in Prolog. in Progn.*



hoc est, quod à S. quodam Patre scriptum legimus: Solis duntaxat initijs opus est Diabolo, solùm hoc ei laboriosum est: si verò nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi ipse suopte ingenio vestigat & amplificat. Quamobrem, nunquam vobis persuaderi patiamini, vt aliquod initium dissessionis ab Ecclesia Dei faciatis, quacunq; tandem in re: sed infixa sint vestris pectoribus, quæ scripta sunt ab eodem illo S. Patre: Quandiu, inquit, lapides benè compacti sunt, nihilq; vacuum inter se habent, firmi & infracti perstãt: Si verò vel foramen acus duntaxat, quod vtrinq; penetret, aut scissuram quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur ac pereunt. Ita & Diabolus, donec compacti quidem & benè compositi fuerimus, nihil suorum omnino potest inferre: quamprimum verò vel modicum nos relaxare poterit, non aliter quàm quasi quidam torrens, toto impetu in funditur. An hoc factũ hoc infœlici seculo nostro non videtis? non solùm impunè, verùm magno cum applausu multorum. SS. Trinitatem alicubi blasphemari, plerisq; vestrum ignotum non est. Quod adeò non obscurè faciunt homines impij, vt etiam factum hoc suũ præseferant, deiq; eo glorientur. Lutherum, aiunt, non à fundamentis Ecclesiam diruere cœpisse, alioqui fuisset ruina sua prius oppressus: sed eam à tecto aggressus est, inquiunt, vastatis indulgentijs, extincto igne Purgatorio, inuocatione mortuorum abolita, peregrinationibus reiectis. Missa etiam extirpata: sed cùm in doctrina de sacramentis defijsse. Surrexisse posteà Zuinglium, qui Missam cum suo Deo panacco (sic enim blasphemus ille loquitur) & omnibus appendicibus eius radicitus euulserit: sed posteàquam ad fundamẽtum ventum est, ipsum quoq; substitisse. Fundamentum autem vocãt, Deum infinitum, Deum essentiam, Deum trinum & vnum. Hoc fundamentum euersum à se esse gloriantur. Itaq; diruti tecti, Luthero: parietum disiectorum, Zuinglio laudem tribuunt. Quod autem à fundamento Papatus, hoc est, Ecclesia Dei, quibusdam in locis euersa sit, hoc est, quòd S. Trinitas non esse adoranda dicitur, quòd nomen etiam illius reijcitur, quòd CHristus eiusdem esse cum Patre substantiæ negatur, palmam hanc glorioſi milites sibi deberi iactant. Videtis à quàm leuibus initijs, ad quàm horrendas abominationes ad extremum ventum sit: cùm sit illud verissimum, quod scriptura dicit: Qui modica spernit, paulatim decidit. Magnus quidam Ecclesiæ Doctor, nõ dubitauit aliquando scribere: Non tanto studio sibi fugienda videri grauiora peccata, quãtò quæ leuiora censentur, quod ab illis abhorret ipsa natura sponte sua: cæterùm hæc dum contemnuntur, ex paruis maxima fiunt nostra desidia. Nam gradatim semper ad magis enormia peruenitur, donec eueniat quod scriptum est: Impius cùm in profundum veniet, contemnet. Quod ille dixit de morũ peccatis, hoc idem intelligi quoq; rectè potest, quando peccatur in doctrina fidei, quod multò grauius est. Nam si conferantur in vnum aliquem, luxus, libido, ambitio, auaritia, & quicquid præterea criminum est: omnem hanc tamen eorum lernam vna superat hæresis aut schisma: cum alia omnia crimina in vnum cumulum congesta, & huic vni comparata, festuca sunt cum trabe collata. Quamobrem etiam in ijs, quæ pertinent ad religionem, non maiore studio eos fugite, qui vel fundamentum subruunt, vel parietes dissijcere, vel tectum dirutum cupiunt: quàm qui vel minimum in tecto foramen facere moliuntur: quod, vbi perfectum est, iam toto impetu se Diabolus infundit. Quod, hoc infœlici seculo nostro sic euenisse, magno cum dolore nostro cernimus: cum eò iam audaciæ atq; amentiæ ventum sit, vt quibusdam in locis, apertè, Christus Deus esse negetur. Quapropter, iterum atq; iterum vos moneo, sicut in ijs quæ ad vitæ rationem: sic & in ijs, quæ ad fidem & religionem pertinent, ab initijs vobis diligenter caueatis: nec ab Ecclesiastici ædificij compage vos vel in minima re, diuelli patiamini: Sed quam vos in symbolo, quod recitatis quotidiè, sanctam, Catholicam Ecclesiam credere profitemini, eius præceptis & institutis pareatis: & eius iudicio vestrum iudicium in omnibus libenter submittatis: nec ea doctiores esse velitis: sanctissimam parentem hanc nostram, qua decet pietate, veneremur omnes: illi nos permittamus, illi credamus, illam audiamus, illam secundum Deum ipsum vereamur: quæ de diuinis rebus ipsa sentit, sentienda: quæ de humanis præscribit, facienda: quæ prohibet, fugienda esse sine vlla dubitatione censeamus: quam si ducem sequuti fuerimus, quandoquidem columna est & firmamentum veritatis, errare nunquam poterimus. Ego verò tibi summe Pater, qui me de tenebris vocare dignatus es in admirabile lumen tuum, etiam atq; etiam ago gratias: simul supplex oro, confirmare velis quod operatus es in me, fidemq; meam adaugeas. Prius fortunas meas omnes, prius suauissimè lucis huius vsuram, prius ea cuncta quæ sunt in hoc seculo mortalibus charissima, eripi mihi velis, quàm vt ab hac mente dimoueri me patiaris, qua semel mihi deliberatum est, omnia potius & facere & pati, quàm vt vnquam ab hac sanctissima parente mea diuelli, & ab illius me communione separari permittam, in qua, & pro qua, quoties id vsus tulerit, summa cum alacritate mori me semper paratum offero. Quam ad rem, quoniam vires meas imbecilles agnosco, gratiam vt suam præstare dignetur, vt qui dedit velle, det simul & perficere, si qua necessitas id postulauerit, Patrem illum cęlestem vna mecum, Charissimi commilitones mei, supplices inuocate.

*Chrys. in epist. ad Ephes ser. 14.*

*Eccles. 19.*

*Chrys. in Matth. hom. 37.*

*Proverb. 18.*

*1. Tim. 3.*

DIXI.

Universidad de Deusto
Biblioteca



PROximo superiori mense Iulio, qui fuerim aliquando, qui nunc sim, ex me cognouistis: Fui namq; proh dolor, Lutheranus, nunc sum per Dei gratiam Christianus, nec alium Christum agnosco, quàm qui natus est in Bethleem: nec aliud Euangelium, quàm quòd per longam sacerdotum & Episcoporum successionem ab Apostolis & Euangelistis per manus nobis traditũ, & multò antè per Prophetas in scripturis sanctis promissum accepimus. Simul & causas didicistis, quibus adductus fui, vt ab erroribus, in quibus versatus eram, resipiscerem. Nunc & eius rei causam vobis reddendam esse putaui, cur in Venerab. Eucharistiæ communione iuxta receptum Ecclesiæ morem, altera tantum Sacramenti specie contentus esse voluerim: cùm tamen ab ineunte ætate mea, quoties illius particeps anteà sum factus, ab vsu calicis abstinere, magna mihi fuerit religio. Deplorabam autem etiam tunc horum temporum infœlicitatem. Quod enim non fecerunt impij milites, qui Christum in crucem egerunt, vt os ex eo comminuerent, sed integrum corpus eius in cruce permanere passi sunt: id, proh dolor, feciſſe nonnullos hoc nostro seculo videmus, speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes: qui mysticum Christi corpus Ecclesiam, quod ille sic dilexit, vt verum & viuum suum corpus in mortem pro illo traderet, in multas particulas miserandum in modum conscinderunt. Inter hos cùm essem natus, & educatus, & eum ducem secutus, qui sicut ipse primus ætate nostra Christum diuidere conatus est, sic à suis nunc quotidiana concisione diuiditur: quandoquidem neminem audire mihi contigit, à quo sanam Ecclesiæ doctrinam percipere liceret, si quid à me peccatum est in vsu Venerabilis Eucharistiæ: peccatum autem esse confiteor: mirum vobis videri non debet. Etenim quibus armis caput nostrum Christum, ijsdem & me miserum per satellites suos Satanas oppugnabat. Nam eadem cantilenam occinebat mihi quoq; Mitte te deorsum: scriptum est enim: Bibite ex hoc omnes. Quòd si peræquè meis auribus ea verba quæ præcedunt, atq; postrema hæc inculcasset, minus fuissem illius insidijs opportunus: Verùm quod à S. martyre Cypriano sui temporis hæreticis dictum aliquando fuisse legimus, id in istos etiam vsurpare nobis licet. Corruptores Euangelij, atq; interpretes falsi, extrema ponunt & superiora prætereunt, partim memores, partim subdolè corrumpentes: vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Quid potuit magis perspicuè dici, quàm quòd à Matthæo dictum est, Vespere autem facto, discumbebat cum 12. Et à Marco, vespere autem facto, veniebat cum 12. Et à Luca, Cùm facta esset hora, discubuit, & 12 Apostoli cum eo. Iam cõiunge cum his ea quæ posteà sequũtur, Bibite ex hoc oẽs: Aut sicut est apud Lucam, Accipite & diuidite inter vos, & scrupulus omnis erit sublatus. His enim 12. quin dixerit Christus, Bibite ex hoc omnes, nemo Christianus ambigit. Quod eos etiam feciſſe scribit Marcus. Nam biberunt, inquit, ex illo oẽs. Neq; temerè factum est, vt hunc duodenarium numerum, tres Euangelistæ tam diligenter exprimerent. Omnibus .n. testatum esse volebant, Apostolis tãtum esse dicta, quos tum nouos noui sacrificij sacerdotes CHristus instituit. Expressum Dei verbum istis videtur, Omnes: an minus est expressum quod præcessit, Duodecim? an eiusdem Dei verbum vtrunq; non est? Iungamus igitur vtrunq; Bibite ex hoc omnes, vos, duodecim qui mecum accubuistis. Eritnè deinceps vlla litigandi causa? Verùm inter quos ego versabar cùm essent in cernenda voce Omnes, etiam iyncõo perspicaciores, in ea quæ præcessit: duodecim vel ipsa talpa visuros esse magis cæci. Quis autem nos CHristi verborum intelligentiam, quàm ipse cõtextus Euangelij docebit melius? Deinde, quibus dictum est, Bibite, num ijsdem dictum non est hoc facite? Et alio loco, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Et iterum alio loco, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Si pertinet ad omnes etiam laicos hoc, Bibite, pertinet etiam ad omnes laicos vt faciant, hoc est, vt consecrent, vt offerant, vt doceant, vt baptizent, vt remittant & retineant peccata, vt vnicuiq; laico, sacerdotis officio fungi liceat. Quis non videt, hæc quàm absurda sint? Institutum est quidem sacramentum hoc, vt sub panis & specie vini sumeretur: vt autem ab omnibus ita sumeretur, præceptum non est. Institutum est & matrimonij sacramentum ad procreationem liberorum, vt autem vel cõtraherent matrimonium omnes, vel qui contraxissent, procreandis liberis operam darent oẽs, præceptum nõ est: cùm ex cõsensu mutuo licuerit etiam iunctis matrimonio cõtinere, quò magis orationi vacare possent: Et quod ad rem præsentem propius facit, institutum à Deo fuit, vt offerretur ei semper cum omni victima certa similæ & vini mensura. Cæterùm vt omnis qui de sacrificio manducaret, etiam de vino gustaret, præceptũ nõ fuit, quin soli sacerdotes de vino gustabant, & fuit illa sacramenti huius figura. Erratautem, si quis putat illos ipsos, quibus cùm nobis res est, hæc non videre. Quo primùm quasi flabello quodam vsus est Satanas, ad istos quos nunc in Ecclesia Dei videmus motus & tempestates excitandas, an hęc illius clara verba non sunt? Pulchrum quidem esset vtrunq; sacramenti specie potiri: quia verò Christus hac in re nihil tanquã necessarium præcepit, præstaret vacem & vnitatem, quam vbiq; præcepit sectari, quàm de speciebus cõtendere. Nec diuersum ab hoc etiã alij senserunt, quibus adiutoribus & socijs vsus est in Ecclesiæ tranquillitate perturbanda. Quin & inter eos qui nunc supersunt, illorũ sectatores, quotquot aliquo sunt iudicio prædíti, nec omni prorsus ingenio destituti, tam illis certũ est, altera laicus vtatur an vtrunq; sacramenti specie, nihil ad salutem referre, cùm nullum ea de re Christi præceptũ extet, vt quæ suis ipsi cõtrectant manibus, num sint illis certiora. Quam igitur causam esse putatis, cur ab istis tanta cõtention calix tanquam ad salutem necessarius exigatur? Breuibus accipite. Nõ temerè à me dictum fuit anteà, de sententia cuiusdam S. Patris. Quòd initijs tantũ opus



opus est diabolo. Nihil .n. aliud quærit ista contentione, quàm initiũ discessionis ab Ecclesia Dei, quod non aliundè sumere sibi magis visum est opportunum, quàm si quod esse videt sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis, ex eo faceret causam dissidij, materiam diuisionis, fomitẽ odij. Nolite putare, quòd hoc offendat Satanam, si quis altera tantum vtatur sacramenti specie, vel quòd hoc vehementer laboret, vt potiatur vtraq; Scit ille quid à Patribus in quodam Concilio pronunciatũ est: siue quis sub vna, siue sub duplici specie cõmunicet, secũdum ordinationem siue obseruantiã Ecclesiæ, proficere dignè communicantibus ad salutem. Itaq; nec eum vna species offendit, nec de vtraq; multum est sollicitus: sed si fiat secũdum ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ: quoniam sic demùm & nõ aliter proficit ad salutem: hoc est, quod eum offendit maximè, ac ne sic fiat, hoc est quod instat & vrget maximè. Satanas vult esse Satanas. Satanam Hebræi vocant aduersariũ. Vult igitur aduersari Christo & capiti & corpori. Est ordinatio siue obseruantia Christi corporis Ecclesiæ, vt sub vna cõmunicetur, vult sub vtraq; Est ordinatio siue obseruãtia Christi corporis Ecclesiæ, vt sub vtraq; cõmunicetur, vult vel sub vna, vel sub neutra. Vultis aũt audire bestiam ipsam verba sua sonantẽ? Sic per vas illud suũ electum loquitur: Si quo casu cõciliũ statueret, minimè omnium nos vellemus vtraq; potiri, imò tunc primùm in despectũ Concilij vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri, & planè eos anathema habere, quicunq; authoritate talis Concilij potirentur vtraq; Digna certè Satana vox. In despectum Concilij. Videtis aũt quorsum eat ille? Non calicis vsum laicis cõcessum, sed in despectũ Christi capitis, & corporis eius Ecclesię, contraria sanctionibus illius facta, cupit omnia. Satanas est, Christi capitis & corporis aduersarius est, Antichristus est. Quare quicquid per os Ecclesiæ decernere Christo visum fuerit, quamlibet id esse rectum, Deiq; verbo consentaneum intelligat, obnixè tamen ei, manibus, quod aiunt, pedibusq; semper aduersari conatur, & quam olim capiti nostro Christo caput & ipse sui corporis, eandem & nunc per membra sua membris Christi cantilenam occinit. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est .n. Præclarè præclarus author ille Vincentius Lirinensis, interpretatur hæc verba. Mitte te deorsum, hoc est, è sublimis Ecclesiæ, quæ templũ Dei putatur, quæ ciuitas est super mõtem posita, doctrina & traditione te demitte. Nõ qd' Ecclesiæ, sed qd' mihi visum est, sequere: priuati alicuius qui cum spiritu meo sit afflatus, nihil sibi nõ arrogabit, nihil alijs omnibus non detrahet, non orbis totius Christiani, cui spiritum Dei minimè deesse certum est, sensum & cõsensum amplectere. Sciens igitur & prudens manifestè veritati Satanas aduersatur, non aliam ob causam, quàm in despectum Concilij. Quid aũt aliud Concilium legitimè cõgregatum, quàm Ecclesiam Catholicam repræsentat? De ea dixit Christus: Si quis nõ audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Contra nunc dicit Antichristus: Si quis authoritati Concilij, hoc est Ecclesię paruerit, anathema sit. Potestnè quicquam dici, qd' cum expresso Dei verbo magis pugnet? vt vel cæco perspicuũ esse queat, in hac de calice tanta contentione, nihil aliud Satanam, quàm schismatis, quàm diuisionis, quàm ab Ecclesia Dei separationis initiũ querere, cùm ipse sit ille, de quo dixit Propheta, qd' diuidit inter fratres: de quo dixit Christus, qui mecũ non colligit, spargit. Noster cõtra non diuisionis, non dissensionis, sed pacis: sed dilectionis Deus est: qui propterea à mori dignatus est, vt filios Dei qui erant dispersi, cõgregaret in vnũ: vt nemo pius dubitare debeat, quin expressum Diaboli verbũ sit, quo nihil aliud quàm diuisio, quam ab Ecclesia Dei separatio quæritur. Quò maiorem Christo gratiã habeo, qui per hos Reuerẽdos Patres, præceptores meos, tenebras quibus circumfusus eram, ex oculis mentis meæ depulit, Euangelijq; sui luce me tandẽ illustrauit, & sicut olim duobus illis discipulis in Emaus euntibus, ita mihi quoq; nũc fracto panem frangendo, nec vllũ calicẽ exhibendo, verborũ suorũ sensum aperuit. Nũc itaq; coram Deo, & corã vobis quotquot hic præsentes adestis, quin & corã vniuerso mũdo, quæ de re nunc agitur, quæ sit mea sententia clara voce cõfiteor, nec .n. est alia, quàm quæ fuit & est, & erit semper Ecclesiæ sentẽtia. Siue quis sub vna, siue sub vtraq; cõmunicet, proficit dignè cõmunicantibus ad salutem. Hic aliquem obstrepentẽ audire mihi videor: Si quẽadmodum dicis nunc, ita sentis, nec ad salutem referre quicquã censes, alterã an vtramq; speciem sumas, cur à calice tibi nuper abstinendũ esse duxisti, quo semper vsus anteà fuerat? Ego verò qd' olim Donatistis dixit Aug. Non in sacramentis, verùm in præcisione vitiũ est: idẽ istis modò non totidem verbis respõsum esse volo. Non in vsu Sacramenti, sed in præcisione, vitium est. Non in eo vitiũ est, si sub vna, nec in eo si sub vtraq; cõmunices: sed si contra ordinationem & obseruantiam Ecclesiæ cõmunices, in hoc solo crimen est. Ab hoc ergo crimine mihi cauendũ, & propterea à calicis vsum intermittendũ esse putaui. Vultis aũt scire quantũ hoc sit crimen. Docebit vos inusitatum supplicij genus, quo propter hanc solam causam Core, Dathan, & Abyron, Deus affecisse legitur. Quid erat in sacrificando vitij? Quid in adolendo incenso? Dei cultus hic est. Quoniam tamen seorsum id illi faciebant, loci; sui misterium transgressi, contra Moysem & Aaron sacerdotem insurgentes, ab illis se præcidebant, quamuis eundem cum illis Deum nouerant, pari lege & religione vixerant, vnum verum Deum, qui colendus & inuocandus erat, inuocauerant: ob hoc tamen solum facinus, quòd à sacerdote Dei se pręciderant, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit eos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substãtia eorum, descenderunt; viui in infernum operti humo. Iam ne videtis, quàm sit hoc horrẽdum scelus, velle seorsum ab Ecclesia cõmunicare, quam; grauiter id vindicandum esse Deus existimauerit. Ab hoc igitur tanto scelere, non à calice mihi temperandum esse putaui: neq; dubitanter contrariã illi sententiam proferam, quam produxisse per membrum illud suum Satanam audiuistis. Quod si concilium legitimè congregatum, quod Ecclesiã Catholicã repræsentat, sub vtraq; specie communicandum esse statueret, magna reuerentia, nec minore cum alacritate Christo per

Universidad de Deusto
Biblioteca



os illius præcipienti, paruero. Si verò statuat hoc aliquis, qui cùm fuisset Monachus perpetuam continentiam professus, voto se castitatis obstrinxerat, & contra iurisiurandi sui religionem, fractis pudoris repagulis, & ruptis pudicitię clausтris, cùm nonna se cõiungens incœstam cum ea libidinem suam expleuerat, simul honorabile connubium atq; thorum immaculatum dici voluit, quod esse constat abominabile adulterium, & thorum incœstu contaminatum: Si talis quispiam id statuat, in despectum Satanæ per eum id statuentis, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri volo, & planè eos anathema habere, quicũq; authoritate talis Apostatæ potirentur vtraq;. Hic iterum dicit aliquis: At non hoc ille voluit, vt suo iudicio de vsu Venerab. Eucharistię quicquam statueretur, verùm quòd hominũ commenta diuinæ legis oraculis anteferũtur, quòd hominibus quàm Deo magis obediendum esse statuitur, id illi minimè ferendum, & graui anathemate dignum visum est: expressum Dei verbum est, Bibite ex hoc omnes, tam clarum, tam dilucidum, tam omnium oculis expositum, vt vel solis ipsius iubar clarius esse non possit. Quare contra Dei verbum hoc adeò manifestum veniri, quodq; decretum est ab ipso Deo per homines rescindi, hoc est, quòd ille iudicauit indignius, quàm vt ab homine pio tolerari queat. Quousq; autem eadem? Sed obsecro te, si tam est hoc expressum Dei verbum, si vel ipsa solis luce clarius, cur de illo nunc ambigitur? An est quisquã qui de re clara, verbi gratia, num dies nunc sit, disceptandum esse putet? Minus igitur clarum esse oportet, de quo tantas cõtentiones excitari videmus. Tum autem & illud, quis est qui satis mirari queat, quòd ea totis 1400. annis, quo sensu nunc ab istis proferuntur, intellexit nemo: cùm tamen in Ecclesia semper ea fuerint recitata, priuatim etiã à multis lecta, quin & in scholis, & in sacris concionibus frequenter explicata. Quo tempore Constantiense Concilium habitum est, eo primum calicem exigere nonnulli cœperunt, ex præcepto Dei tanquam ad salutem necessarium, sed magis illi nitebantur eo scripturæ loco, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis, quòd eum qui nũc profertur, Bibite ex hoc omnes, non ad turbas, sed ad sacris operantes pertinere persuasum haberent: cùm tamen in illo capite toto neq; vini, neq; calicis vllam fieri mentionem, & soli pani factam esse promissionem legamus, à Christo dicente, Qui manducauerit panem hunc, viuet in æternum. Itaq; nostro primùm seculo, locum hunc, Bibite ex hoc omnes, obtorto quod aiũt collo, suam in sententiam, qui discesserunt à nobis, pertrahere voluisse videntur, cùm non de sacramentali, verùm de spirituali manducatione tantùm, totum caput illud Ioannis intelligendum esse censerent. Ac superiore illo seculo intra 20. annos duo fuere Concilia cõgregata. In vtroq; decretum est, nullum extare Dei præceptum de calice extra sacrificium sumendo, nec de necessitate salutis quenquam ad bibẽdum ex eo astringi. Quamobrem vix dum quinquaginta anni intercesserunt, quòd alij suam hanc sententiam ex verbis cœnę Domini confirmare conati sunt: quam tamen & ipsam in eo quod superioribus annis Tridenti congregatum fuit Concilio condemnatam esse scimus. Ac non solùm in Occidentis, verùm & in Orientis Ecclesijs, non ferè quisquam repertus est, qui locum hunc Euangelij sic intelligendum esse putaret. Constat vti Calice Græcos, & qui ritum eorum sequuntur, magisq; nobis vicini sunt, Ruthenos: nihilominus tamen apud illos etiam infirmis qui lecto sunt affixi, calix non datur. Auderent autem id illi facere, si tam expressum id esse Dei verbum, quo præcipitur, vt ex eo bibant omnes, existimarent? Intercesserunt iam anni plus minus centum viginti, quòd Cõcilium Florentię fuit congregatum, in quo præsentes fuerunt Imperator & Patriarcha Constantinopol. cum plurimis orientis Episcopis. Actum est in eo, de reducendis ad vnitatem Ecclesiæ Græcis, & fuit res optatum exitum consecuta. Disputabatur ibi de processione Spiritus sancti, de igne purgatorio, de primatu Rom. Pontif. de calice ne my quidem, vt est in prouerbio. Magis adeo visum est ad rem pertinere, num in azymo Christi corpus, an in fermentato pane rectè conficeretur, de eo disceptare, quàm altera ne an vtraq; specie communicandum esset: quòd plus in illo quàm in hoc esse momenti crederetur. Non defuerunt autem in eo cõcilio, qui ne procederet vnio modis omnibus impedire conabantur. In primis Marcus quidam Ephesius vir doctus, & in dicendo vehemens, qui mori se prius paratũ ostendebat, quàm vt subscriberet Concilij decretis, & vnioni consentiret. Cùm ei non superetent aliæ rationes, quibus id perficeret, an latissimum campum inuehendi non habuit, contra mutatam in Eucharistiæ communione Christi institutionem, contra præceptum eius violatum? contra fusum de Christi latere sanguinem, sine quo non est remissio peccatorum, Dei filijs ereptum? An vel solam hanc iustissimam causam adferre non potuit, quamobrem pro schismaticis & hæreticis Latinos habendos, & ab eorum communione, vel eo saltem vsq; Græcis abstinendum esse diceret, dum ereptũ laicis calicem restituerent? Certè nec animus illi, nec ingenium, nec verba defuissent, si quid aduersus Ecclesiæ Latinæ morem rectè dici posse persuasum habuisset. Quoniam verò satis illi perspectum fuit & exploratum, nullum esse Christi præceptũ, vt necessariò laici de calice biberent, hoc nomine tria verba, cum Latinis non commutauit. Manifestum igitur est, quòd nec ex Orientis partibus vidit quisquã in his Christi verbis, q; isti soli sibi videre videntur. Quid igitur dicemus? Cœcos, stupidos, bardos, truncos omnes fuisse, quotquot ita clarum & expressum Dei verbum tot seculis, ex quo tempore scriptum est Euangelium, nõ viderunt. Obsecro vos per Deum immortalem, etiam atq; etiã vobis cũ reputate, num sit hoc pietatis, & modestię Christiano, sic cùm de alijs, tum de his patribus sentire, qui primi gentem hanc nostrã Deo genuerunt verbo veritatis, qui calicis vsum iam inde à 600. annis, ex quo tempore Christi receptũ est Euangeliũ in his terris, prętерquàm sacris operantes prorsus ignorabãt, inter quos fuerunt etiã Adalbertus & Stanislaus nostrę gẽtis Apostoli, qui Euãgeliũ Christi per lógam sacerdotum & Episcoporũ successioné, vnà cum hoc ritu sibi per manus traditũ, sanguine suo sig-



natum ad nos transmiserunt. An illud potius personæ tuæ non esset, quisquis es, qui tanta cõtentione calicem exigis, vt hominem esse te meminisses: ac te potius humanum aliquid passum, non satis assecutum verborum Euãgelij sensum existimares, quàm vt orbem Christianum vniuersum cœcitatis condemnares: nisi fortè malis illum extremæ cuiusdam impietatis condemnare, qui viuus, videns q; sciens, prudens q; cõtra tam clarum & expressum Dei verbum venire non dubitauerit? Qua quidem re quid aliud effeceris, quàm vt semen adulteræ te, non autem legitimam Ecclesiæ matris prolem esse declares, cùm tanta feritas hæc erga parentes in legitimam sobolem cadere non posse videatur. Mihi quidem hominẽ exuisse, nec tam pecudes, quàm feras quasdam animantes induisse videntur, qui talem erga suos parentes, quos piè Christum coluisse constat, animum gerunt, nisi quod nec in ipsis feris bestijs tantam immanitatem reperire licet, vt rectius cum Ambrosio dicere possemus, Quòd expoliantes Christum superuestiti sunt amictum Diaboli, cùm nõ in alium quàm in solum Diabolum hæc tanta cadat immanitas. Conceperant olim non dissimilem de suis maioribus opinionem Ariani. Quid autem ad hæc S. ille pater Athanasius? Quòd si illi malè senserunt, inquit, & scriptis suis orbem seduxerunt, cesset eorum memoria, & scripta eorũ abijciantur. Ite ergo vos ipsi, & eruite reliquias eorum ex monimentis, vt ab omnibus intelligatur, & eos fuisse seductores, & vos parricidas esse. Num verò multò rectius id istis à nobis dici non potest, qui tantam de calice molestiam nobis exhibent? Si tam impij fuerũt patres vestri iam inde ab eo tempore, quo vel in Polonia, vel in Prussia Christi receptũ est Euangelium, vt scientes prudentes q; contra tam apertum Christi præceptum venirent, institutionem eius violarent, alijs etiam vt idem facerent authores fierent, cesset eorum memoria. Ite igitur vos quotquot estis vel Braunspergę, vel quibuscunq; tandem alijs in locis, qui sic estis de maioribus vestris persuasi, sui quisq; patris aut proaui, quin & ataui, & abaui reliquias è monumẽtis eruite, quò sic ab omnibus intelligatur, & illos impios fuisse, & vos parricidas esse. Hortatus estis ad hanc vocem? Atqui hoc est quod à vobis exigit Satanas, dum tantoperè calicem vrgens, nihil aliud quàm Euangelium, quàm expressum Dei verbũ subinde crepat: vult vt secessionem à S. maioribus vestris faciatis, vult vt eos non modò cœcitatis, verum & impietatis omnes condemnetis, vult vt semen adulteræ, genimina viperarum & parricidas vos esse declaretis. Vos verò, charissimi, nolite locum dare Diabolo, sed ea qua par est pietate S. maiores vestros prosecuti, quem illi scripturæ sensum per longam sacerdotum & Episcoporum successionem per manus vobis tradiderunt, eum germanum illius sensum esse certò persuasum habeatis. Quem verò Satanas adfert per membra sua, dicens: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: Bibite ex hoc omnes, quandoquidem aliud nihil per eum efficere conatur, quàm vt mittatis vos deorsum, hoc est, omnem authoritatem Ecclesiæ reijciatis, & illius iudicio, priuatum vestrum iudicium anteponatis, non expressum Dei, sed expressum Diaboli verbum esse nihil dubitate. Non statim Dei verbum est, quicquid è scripturis à quocunq; tandem profertur. Ad Nicodemum dicebant aliquando Pharisæi: Scrutare scripturas, quia Propheta ex Galilea non surgit, ac non modò nõ esse Prophetam Christum, verumetiam supplicio mortis esse dignum, è scripturis demonstrare conabantur. Nos, aiebant, legem habemus, & secundum legem hanc debet mori, quia filium Dei se fecit. Num ideo statim Dei verbum fuit, quo sensu peristos proferebatur? An autem hoc infœlici seculo nostro nouos Arianos ab inferis excitatos non videris, qui cùm alia multa impia & blasphema, tum illud conantur è scripturis probare, quòd Christus nõ sit Deus, nec eiusdem cum patre substantiæ, atq; id ipsius Christi testimonio dicentis. Pater maior me est. Quid aiunt his ipsius verbis Christi clarius? quid potest esse dilucidius? Num autem quem isti proferunt eorum sensum, quem ita clarum esse volunt, eum vos expressum Dei verbum, & non potius expressum Diaboli verbum esse iudicatis? Quæso vos, vt vobis cum diligentius expendatis, à quibus, & quàm leuibus initijs, quorsum tandem impietatis progressum sit. Omne studium amplectendę virtutis eneruatum: sacramentorum Ecclesię numerum imminutum, vel sublata potius omnia: Sacerdotium & sacrificium, quæ propriè diuinitati debita seruitus est, abrogatum: ad extremum eò ventum esse videtis, vt sanctissima Trinitas blasphemetur, & Christus esse Deus, apertè negetur. A quibus autẽ initijs ventum huc est, dicam non minus liberè quàm verè. Principium ab hac de calice tanta contentione sumptum est. Nam cùm eò quidam audaciæ atq; amentiæ prorupissent, vt hæc scripturæ verba, Bibite ex hoc omnes, melius intelligere se, quàm vniuersam omnium seculorũ Ecclesiam, sibi persuaderent, & eam cœcitatis vel impietatis potius condemnare non dubitarent: postea quam non infœliciter initia sibi cecidisse viderunt, idem in alijs quoq; scripturarum locis facere sunt aggressi, paulatim q; longius progressi, tãdem ad extremam hanc, quæ sine quodam horrore commemorari non potest, impietatem peruenerunt. Nec enim causam videbant, quod sibi permissum esset in vno scripturæ loco, secùs vt eum interpretarentur, quàm habet sensus & consensus totius Ecclesiæ: cur idem & in alijs multis, & in hoc, Pater maior me est, similiter facere non liceret, cùm non minus & hęc verba clara sint, quàm illa, Bibite ex hoc omnes? Iam ne cernitis, à quibus exordijs ventum sit ad horrendas abominationes istas, quas nunc audimus & ingemiscimus? Initijs tantùm initijs tantum opus est Diabolo: quæ cùm semel ei cesserunt, ex animi sui sententia, iam non habet dimidiũ facti, verùm totam rem confecisse videtur. Ab his igitur initijs, charissimi, cauete vobis diligenter, & memores illius quod scriptum est: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, non suum quisq; proprium sed neq; singularem cuiusq; tandem alterius in scripturis interpretandis, verùm Ecclesiæ spiritum sequamini. Nam qui spiritum sequuntur suum, nihil vident, ac tantò magis nihil vident, quantò sibi plus videre videntur: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui verò sequuntur Ecclesiæ spiritũ

cui

Universidad de Deusto
Biblioteca



cui soli sanæ scripturarum intelligentiæ lux promissa & missa est, ij demùm sunt qui videant & verum scripturæ sensum assequuntur. Hæc est, quam qui nõ audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi Christus iubet: hæc est, cum qua se futurum vsq; ad consummationem seculi: cui se Spiritum sanctum esse missurum, qui doceat eam, & maneat cum ea in æternum: aduersus quam portas inferi non prævalituras promisit idem Christus: hæc est, quam firmamentum & columnam veritatis vocat Paulus: hæc est, quam vt in symbolo nos credere profitemur, Apostoli docuerunt. Quam autem causam fuisse putatis, quòd illi Spiritu sancto pleni non dixerunt. Credo S. Biblia, vel sanctum Euangelium, sed máluerunt dicere: Credo sanctã Ecclesiam. Num illi biblia nos credere noluerunt? Absit. Sed cùm haberi posse Biblia viderunt extra Ecclesiam, de quibus Iudæos gloriatos, quorũ testimonijs Diabolum, & eius membra schismaticos & hæreticos, ita frequenter vsos legimus: propterea statuerunt, vt nos Ecclesiã credere profitemur, vt & ipsos Bibliorum libros nõ alios, quàm quos ipsa nobis tradidit, pro Canonicis haberemus: & eorum intelligentiam, non aliundè quàm ab ipsa peteremus: nec in illis interpretandis, priuatum nostrum, vel cuiuscunq; tandem alterius qui falli posset, sed Ecclesiæ, quæ nescit errare, spiritum sequeremur: extra quã pelles haberi siue chartæ possunt, atramentum haberi potest, literæ siue characteres quibus conscriptum est Euangelium, haberi possunt: cæterùm ipsum Euangelium, hoc est, sanus illius intellectus extra Ecclesiam haberi non potest. In ea sunt Biblia, in ea est Euangelium, in ea est sanus intellectus Euangelij, quin ipsa potius viuum est Euangelium, scriptum non atramento, sed Spiritu sancto, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hanc igitur Ducem & magistram sequamini: sic fnturũ est, vt germanum Euangelij sensum assequamini, nec à via veritatis aberretis: & semper infixa sint pectoribus vestris illa pientissimorum Imperatorum post synodi Calcedonẽsis definitionem, verba. Cesset iam prophana contentio. Nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ, aliquid tractãdum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium querit. Mendacium igitur quærunt & inueniunt, quotquot post veritatem in quatuor Concilijs, Constantiensi, Basiliensi, Lateranensi, & nouissimo Tridentino repertum, aliquid vlterius de vsu sacramenti Eucharistię discutiendum putant, ac verè impij sunt & sacrilegi habendi.

## RECANTATIO TERTIA.

PRoximis superioribus mensibus ex hoc ipso loco me semel & iterum vobis narrare memini, quemadmodum serpentis astutia seductus excíderim à simplicitate fidei, quæ fuit in S. maioribus nostris. Quoniam verò pleraq; sum in genere persecutus, & strictim attigi potius. q. pro eo vti rei magnitudo postulabat, accuratius explicaui: facturus operæ pretium esse videor, si quoties tempus fuerit opportunũ, paulò copiosius de quibusdã verba fecero: quò sic & eas quibus seductus, & eas quibus in viam sum reductus, rationes cognoscere melius possitis. Pertinebit hoc & ad vacillantes in sana Ecclesię doctrina cõfirmãdos, & ad eos qui similiter, vt ego, seducti sunt, vt similiter, vt ego, redeant, in viã veritatis adducendos. Visum est aũt ab eo, q. maximè Satanas horret, exordiri: nimirũ à sacrosancto corporis & sanguinis Christi sacrificio, q. est preciũ redẽptionis nostrę, q. ille rãtoperè cupit abrogatũ, nihil vt maiore studio cõtendat & elaboret, q. vt nõ solũ extinguere memoriã illius oẽm, verumetiam in summũ illud horrorẽ adducere queat. Primùm aũt vobis argumenta proponã ijsdem verbis, quibus ànobili quodã Sathanæ membro scripta sunt, quibus eum apud me, rerum imperitũ adolescentẽ, proh dolor, nimio plus profeciſſe confiteor: nihil vt magis abominandũ ducerem, quàm sacrosanctũ hoc Missę sacrificiũ, quo per ministros Dei sacris operãtes, sub oculos nostros subijcitur, quomodo Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiã Deo in odorẽ suauitatis. Propositis aũt argumẽtis, rationes quoq; quibus ea refutare didici, proferam. Nolite aũt expectare, vt in vno sermone producam omnia, cùm ei rei dies vnus nõ sufficiat. Quamobrem vnicum argumentum hoc tempore proposuisse, simul rationes quibus dilui posset, explicasse cõtentus ero. Quoniam verò sermo ea de re futurus est nobis, in qua totius nostræ salutis cardo versari videtur: tractandum enim erit de pretio redemptionis nostræ, quod nobis miris modis & artibus ereptum Sathanas cupit: vestrum erit tantò maiorem nobis attentionem præstare. Sic igitur ille quæritatur: Intolerabilem in sacrificio Missæ blasphemiam & cõtumeliam Christo irrogari. Sacerdos enim, inquit, & Pontifex à patre consecratus est, non ad tempus, quo modo illi in veteri testamento cõstituti leguntur: quorũ cùm vita mortalis esset, sacerdotiũ immortale esse non poterat. Quare & successoribus opus erat, qui subinde in demortuorũ locum subrogarẽtur: sed Christo qui immortalis est, vicarium substitui minimè necesse est. Itaq; à patre designatus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt generum permanente sacerdotio fungeretur. Qui verò quotidie sacrificant oblationibus sacerdotes præficiant necesse est, quos Christo velut successores & Vicarios subrogent: qua subrogatione, nõ modò Christum suo honore spoliant, & æterni sacerdotij prærogatiuã illi rãpiũt, sed è dextra patris deturbare ipsum conãtur: in qua sedere immortalis nõ potest, quin simul æternus sacerdos maneat. His ergo præstigijs verborum, quin motus aliquando fuerim, inficias ire non possum. Verùm posteà nihil aliud esse cognoui, quàm aranearũ telam, qua me captũ tñ fuisse profiteor, quamdiu musca fui. Nũc Deo gratias ago, cuius beneficio, ministerio vero Patrum horum, per quos pane verbi sui reficere me Christus dignatus est, factum est, vt esse musca desierim. Quamobrem quæ fuerint mihi rationes ostensæ, quibus telam hanc disiicerem, paucis indicabo. Libet autem alloqui verborum has ampullas iactantem. Cedo quisquis es, qui te solum sapere, totum autem orbem Christianum desipere persuasum habes: ecquem vnquam hominem Christianum legisti, vel audiuisti, qui Christum à patre designatum esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech negauerit: qui successores veluti mortuo subrogare, qui suo eum honore, spoliare, qui sempiterni sacerdotij prærogatiuam illi rapere, ac per hunc modum è dextra patris eum deturbare conatus fuerit? vel vnum aliquem proferre: sat scio, quod proferre neminem poteris. Quæ est igitur hæc audacia atq; impudentia tua, quòd Ecclesiæ crimen hoc impingere non vereris, à quo scis eam quàm longissimè remotam semper fuisse? An autem tuis, vel tibi potius tantum hoc sacrilegium impingi rectius non potest? Scimus quale fuerit Melchisedech æternum sacerdotium: panem enim & vinum eum obtulisse legimus. An autem tu sacerdotium, quod æternum esse voluit, Christo non eripis, qui negas eum vnquam hoc sacrificij genere vsum esse? Deinde verò cùm contrà quàm vel cogitare Paulo venit in mentem, hæc illius verba, Neque vt sæpè offerat semetipsum, semel oblatus est ad exhaurienda multorum peccata vna oblatione consummauit, in æternum sanctificatos, ita vis intelligi, vt post illam in ara crucis factam, nullam oblationem aliam restare persuadere coneris, an & illam oblationem simul non tollis, quam in cœlo facit Christus vultui patris semper pro nobis apparens, & ostensis cicatricibus vulnerum suorum pro nobis interpellans. Tu igitur ille es, qui Christum honore suo spolias: Tu es qui sempiterni sacerdotij prærogatiuam illi rapere: tu es qui eum è dextra patris deturbare, tu es qui nobis aduocatum nostrum, & propitiationem nostram è medio tollere conaris, & quod ipse facis impiè, falsò nos facere criminaris. Nec enim nos alium quàm Christum sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech: nec aliud in Ecclesia, quàm Christum sacerdotium & sacrificium agnoscimus: nec ei successorem quęquam subrogamus: quod nobis tu per summam calumniam affingis: verùm sicut in alijs reconcilictionis muneribus, sic in offerendo sacrificio, ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Ministrorum ordinem tenent in Ecclesia sacerdotes nostri: verus autem & propriè dictus sacerdos, non est, nisi sacerdos ille in æternum secundum ordinem Melchisedech, Dominus noster IESVS Christus. Hic est aduocatus noster: hic est propitiatio nostra: hic est offerens, & oblatio, & sacerdos, & victima, vnus cum illo cui offert, vnum in se faciens pro quibus offert, & quod offert. Vnus ipse qui offert, & quod offert. Multis antè Christum incarnatum seculis, tales futuros nouæ legis sacerdotes prædixit Esaias Propheta. Vos autem, inquit, sacerdotes Domini vocabimini, ministri Domini nostri dicetur vobis. Eosdem & sacerdotes & ministros appellat, nec; propterea non sacerdotes, quia ministri sunt: nam & Rex Dei minister est, inquit Paulus, neque tamen propterea non est Rex. Ius omne sacerdotalis potestatis exercet solus Christus, homines verò tantùm ministerium adhibent. Quale sit autem hoc ministerium, docet nos Paulus ad Corinthios scribens: Omnia, inquit, ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per CHristum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in CHristo mundum reconcilians sibi: non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Vides quemadmodum Paulus reconciliationem soli Christo tribuit, qui pacificauit omnia per sanguinem crucis suę, qui reconciliauit nos in corpore carnis suę per mortem. Ministerium autem reconciliationis Episcopis & sacerdotibus: vt sicut ipse fuit legatus Dei patris, ita illi sint ipsius legati: qd. munus mandauit illis Christus, cùm post resurrectionem ianuis clausis ad discipulos ingressus, post iteratam salutationem dixit illis: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quamobrẽ aũt Christus fuit à patre missus, nisi vt inter Deum & hominem pacem conciliaret? Hanc ipsam igitur ad rem, suos quoq; misit in orbem vniuersum sacerdotes & Episcopos, vt eorum ministerio reconciliarentur Deo, qui suis eum peccatis offenderãt. Quod ergo dixit Christus, sicut misit me pater, idem est cum eo qd. ait Apostolus, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quod verò subiungit, ita & ego mitto vos, idem est cum eo quod Paulus dicit, Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo legatione fungimur. Obsecramus, pro Christo reconciliamini Deo. Quamobrem semel dixisse non contentus repetita vice dixit: Pax vobis, vt insinuaret & pacem se fecisse illis, & pacem se per illos mittere nobis. Christus igitur missus fuit à patre: fungebatur legatione pro patre. Sacerdotes & Episcopi missi sunt à Christo: funguntur legatione pro Christo: Christus Deus & homo, est verus reconciliator, per cuius mortem reconciliati sumus Deo, quin est ipsa recõciliatio, verus pacificator, verus & propriè dictus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, solus sanctus & immaculatus Pontifex, qui & exanditus est, & exauditur pro reuerentia sua, & per quem exaudiuntur quotquot exauditur, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, qui sedens ad dexterã patris, etiam nunc interpellat pro nobis. At sacerdos ex hominibus assumptus, minister tantùm est reconciliationis. Ministerium recõciliationis datum est illi. Quoniam verò totus Christus & caput & corpus est, pro vtroq; legatione fungitur sacerdos ex hominibus assũptus, Pro capite, quando Christi prædicat Euangelium, quando reconciliationis beneficium annunciat, quando monet populum, vt reconciliationis huius fructũ ad se transferre satagat. Pro corpore verò Ecclesia legatione fungitur, quando stans ad altare, corpus illud quod cruci pro nobis affixum, & sanguinem, qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorũ, Deo patri offert, ac supplex precatur, vt huius reconciliationis in cruce factæ merito, populo

Universidad de Deusto
Biblioteca



pulo suo propitius esse velit, qua tamen & ipsa in parte, non magis corporis quàm capitis Christi ministrum agit. Sic apud Hieremiam legimus, quòd missus erat in vniuerso populo, vt oraret pro illis ad dominum Deum suum: & dixerunt ad Hieremiam, Sit Dominus inter nos testis veritatis & fidei, si non iuxta verbum omne, in quo miserit te Dominus tuus ad nos, sic faciemus. Voci Domini Dei nostri ad quem te mittimus, obediemus. Sic ille populi preces ad Deum deferebat, & vicissim populo Dei voluntatem annunciabat. Vtroq; munere hoc functus est, & fungitur adhuc, & fungetur in æternum CHristus Deus & homo. Vtroque fungitur & sacerdos ex hominibus assumptus. Verùm hic nihil aliud est, nisi minister, non autem sicut ille falsò nos dicere fingit, successor. Verus autem & propriè dictus sacerdos, verus mediator noster, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, quod iam toties repetitum est, non est nisi ille, cui soli dictum est, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ille de quo scriptum est, quod factus est propitiatio pro peccatis nostris: ille est qui docet, ille est qui baptizat, ille est qui Deum patrem pro nobis interpellat, ille est qui consecrat Eucharistiam, ille est qui porrigit sumere volentibus, ille est qui offert suum ipsius corpus & sanguinem in altari longè gratissimum Deo patri sacrificium. Ipse est reconciliator & reconciliatio, & sacerdos & sacrificium, & oblator & oblatio, minimè diuersum vt sit illius à nostro sacerdotium & sacrificium. Et sicut Episcopi & eius Vicarij tribunal vnum esse dicitur, si omnium qui sacerdotes vocantur, & Christi veri sacerdotis vnum est sacerdotium & sacrificium. Sicut in docendo siue prædicando, non est sacerdotis nisi ministerium, sic enim loquitur CHristus: Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Sic & Paulus, An experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus. Sicut in baptizando non est sacerdotis nisi ministerium, nam solus ille verè baptizat, solus ille verè nos abluit à sordibus peccatorum, de quo dixit Ioannes Baptista, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto, Dominus noster IESVS CHristus, quod & Paulus indicat, reprehendens eos, qui baptismum ex ministrorum dignitate metiebantur, dicentes: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo. Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & vnicuiq; sicut Dominus dedit: ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut in remittendis peccatis, non est sacerdotis nisi ministerium, cùm rectè dictum sit: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? sicut in interpellando non est sacerdotis nisi ministerium, nam verus interpellator, qui solus exauditur pro sua reuerentia, non est nisi ille qui sedet ad dexteram patris, semper viuens ad interpellandum pro nobis: sicut in alijs quibuscunq; functionibus ad reconciliationis munus pertinentibus, non est sacerdotis nisi ministerium: quod autem virtutis est & efficaciæ non præstat nisi solus CHristus: sic in Eucharistiæ consecratione, sic in distributione, sic in oblatione non est sacerdotis nisi ministerium. Qua quidem in re concors est omnium sanctorum patrum tam priscorum quàm recentiorum sententia, qui per ministros suos fungi sempiterno sacerdotio CHristum secundum ordinem Melchisedech, vno ore testantur: quando sub speciebus panis & vini Deo patri suo per sacerdotem sacris operantem corpus & sanguinem offert. Quoniam verò longum esset omnes recensere, vnius aut alterius tantùm verba proferemus: Non sunt humanæ virtutis hæc opera, dicit Chrysostomus. Qui tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit: Ministrorum ordinem nos tantum tenemus: Qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Multis alijs in locis eadem hæc alijs atq; alijs verbis repetit. Sed hunc vnum protulisse sufficiat. Oecumenius explicans illum locum, Tu es sacerdos in æternum, Non dixisset, inquit, de ea, quæ semel est facta oblatio & hostia: in æternum: sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur, qui etiam in mystica cœna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij. Eundem locum enarrans Theophilactus: Manifestum, inquit, est, de Christo hoc dictum esse. Solus enim ille pane & vino sacrificium consecrauit, perinde ac Melchisedech. Qui verò dixit in æternum? quia quæ fit in singulos dies, & fuit & est in perpetuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet Pontificem & sacerdotem Dominum, atque adeò ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur, & distribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur. Vides igitur, quòd licut in alijs reconciliationis generibus, sic & in Missę sacrificio, non est sacerdotis nisi ministerium, per quem ipse CHristus offert semetipsum, ad altare quidem in imagine, in cœlestibus autem in veritate. Quia de re sic aliquando scripsit Ambrosius: Hic, inquit, vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Anteà agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat: hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, ibi facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est. Hactenus Ambrosius. Vmbram ex Pauli sententia dicit in lege fuisse, cum agnus offerebatur, offerebatur vitulus. Vocat autem vmbram rudia lineamenta, quæ sunt adumbratio, veluti viuæ picturæ. Solent enim pictores, antequàm penicillo viuos colores inducant, carbone faciem adumbrare, quam exprimendam sibi proponunt: eam simul vt postea coloribus adhibitis ad viuum repręsentauerint, iam imago dicitur. Vmbram itaq; fuisse dicit in lege, quòd sacrificijs legis tanquam rudibus & inchoatis quibusdam lineis, fuit adumbratum sacrificium illud, quo se Deo patri CHristus obtulit in remissionem peccatorum nostrorum. Cæterùm in Euangelio, non vmbra iam est, sed imago. Iam enim viuis coloribus expressum est, quod in lege rudibus lineis fuerat adumbratum. Non amplius iam aut agnus aut vitulus, verum ipse Christus offertur, vel se potius offert ipse. Quoniam verò



verò non recipiens, sed quasi recipiens passionem offertur, ideo dicitur in imagine offerri, cum non sit in hoc nostro sacrificio vera passio veraq; mors, verùm imago quædam passionis & mortis, quam Christus pro nobis pendens in cruce sustinuit. Sic ab Augustino quoq; scriptum legimus, quòd mundationem peccatorum Dominus, oblatione sui holocausti, quod in veteri sacerdotio figurabatur, impleuit: & holocausti eius imaginem suæ passionis in Ecclesia celebrandam dedit, vt esset sacerdos in æternum non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Quod autem hic imaginem, id eodem in loco paulo superius vocauit similitudinem, dicens: Ipse est sacerdos noster in æternum, secundũ ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius sacerdotij similitudinem in suę passionis memoriam celebrandam commendauit, vt illud quod Melchisedech obtulit, Deo iam per totum orbem terrarum in Ecclesia Christi videatur offeri. Fuit igitur in cruce veritatis passionis & mortis, hic autem quamuis præsens adsit verum corpus, & verus sanguis Christi, passionis tamen & mortis imago quædam est & similitudo. Nec enim denuò Christus in hoc nostro sacrificio crucifigitur & occiditur, sed passionis & mortis illius quam in cruce pertulit, memoria quædam fit & repræsentatio: vt illud impleatur quod à Christo præceptum est, hoc facite in meam commemorationem. Dicitur autem & alia ratione quadam in imagine Christus offerri, nec enim in propria forma, sed in imagine, hoc est in specie panis & vini Christus offertur. Apparet enim imago panis & vini, quamuis ibi sit verũ & viuum Christi corpus, verus & viuus Christi sanguis. Sic à Cypriano dictum est: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentis verbi factus est caro. Naturam quidem panis mutatam esse dicit, & in substantiam Christi corporis & sanguinis esse conuersam, sed remanere nihilominus effigiem & imaginem panis. Sic à Cyrillo quoq; Hierosolymitano scribitur ὁ τύπῳ ἄρτος, hoc est, in figura siue specie panis dat tibi carnem: ὁ τύπῳ οἶνος, in figura siue specie vini dat tibi sanguinem. Ac paulò pòst, ὁ φαινόμενος ἄρτος, qui videtur panis, non panis est, quamuis ita gustui videatur, sed corpus Christi: ὁ φαινόμενος οἶνος, quod videtur vinum, non vinum est, etsi gustus ita velit, sed sanguis Christi. Quod Ambros. & August. imaginem siue similitudinem, hoc effigiem Cyprianus, hoc typum, figuram siue speciem, qui recentissimus est in Ecclesia loquendi modus, vocat Cyrillus Hierosolymitanus. De Paschate verò verba faciens Gregorius Nazianzenus, etiâ nunc τυπικῶς illud, hoc est in imagine siue figura celebrari dicit, etiamsi clariusset expressius aliquanto quàm vetus. Nam legale inquit Pascha audeo dicere τύπῳ τύπος figuræ figura erat obscurior. Paulò pòst autem perfectius erit & illustrius, quando biberit illud nouum vna vobiscum omnipotens verbum in regno sui patris. vbi nos manifestius ea docebit, quæ nunc pro captu nostro non obscurè nobis demonstrauit. Existimant autem Theophylactus & Oecumenius, cùm hæc scriberet, ad locum illum Pauli respexisse Gregorium. Vmbram habens lex bonorum futurorum, non ipsam imaginem rerum: & hoc dicere voluisse, quod vmbram Apostolus legem vocauerit. Quæ verò nunc in Ecclesia mysteria siue sacra peraguntur, imaginem esse censuerit futurorum bonorum, hoc est, maiorum nimirum cœlestium mysteriorum, vt idem senserit Gregorius, quod ab Ambrosio posteà scriptum fuit. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus, hic ad altare per ministros in imagine, hoc est, sub speciebus panis & vini, ibi nimirum in cœlestibus, vbi ad patrem pro nobis interuenit, per semetipsum se Christus offert in veritate, hoc est, vt Cyprianus loquitur, palàm absque vllis integumentis omnibus conspicabilis. Eundem Pauli locum explicans Nicetas. Triplex, inquit, Pascha in medium producit Theologus, Iudaicum, nostrum, & futurum: Ac Iudaicum quidem figuram nostri esse dicit: nostrum autem, futuri. Iudaicum porro nostro obscurius esse: nostrum verò, si quidem cum Iudaico conferatur, perfectum esse: si autem cum futuro comparetur, imperfectum: cuiusmodi autem sit futurum Pascha, sequentibus verbis docet. Quod verò ait: non enim hoc dicere verebor, hoc ideò addidit, quia nouum atque absurdum videri poterat, Pascha nostrum figuram dicere. Perfectius autem in altera vita Paschæ participes erimus, quia nunc in spe resurrectionis nostræ festum celebramus, tunc autem eam ipsam celebrabimus, cum nimirum ipsius quoq; pollicitatio expleta fuerit, quam fecit his verbis: Non bibam posthac ex hoc genimine vitis vsque ad di millum, cùm illud bibam vobiscum in Regno patris mei. Bernardus verò non dubitauit dicere, quod & hic & ibi, hoc est & ad altare & in cœlestibus veritas est, sed hic palliata, ibi manifesta. Quod Ambrosius & Augustinus imaginem, hoc appellat Bernardus palliatam veritatem. Quicquid igitur facit in imagine Christus per ministrum ad altare, idem facit in cœlestibus in veritate, per seipsum. In altari, manus quidem mortalis, lingua mortalis, ministerium hominis est mortalis: verùm oblatio non est nisi sacerdotis illius æterni & immortalis Domini nostri Iesu Christi, qui quod in altari per ministrum, idem illud suum corpus glorificatum, nec amplius passioni aut morti obnoxium offert in cœlo per seipsum. Quemadmodum autem non propterea non rectè baptizare dicitur minister, quia Christus est qui baptisat: non propterea non recte dicitur peccata remittere minister, quia Christus ipse est qui remittit: non propterea non rectè dicitur docere siue prædicare minister, quia Christus ipse vnus est Magister qui docet nos: nos propterea non rectè dicitur interpellare minister, quia Christus ipse est qui sedet ad dexteram patris semper viuens ad interpellandum pro nobis: ita non propterea non rectè dicitur offerre siue sacerdotio fungi minister ad altare, quia per eum sacerdotio fungitur, per eum seipsum hostiam offert Deo patri, sacerdos ille inuisibilis & immortalis secundum ordinem Melchisedech Dominus noster Iesus Christus. Quæso vos etiam atq; etiam quotquot hic adestis, est ne hoc Christum honore suo spoliare, & æterni

Universidad de Deusto
Biblioteca



cerdotij prærogatiuam illi rapere? est ne hoc è dextera patris eum deturbare? si quis doceat Christum habere ministros, per quos quod ipse facit in cœlestibus, nobis nunc inuisibilis, in terris faciat per ministrum visibilem: hoc est, vt doceat, vt baptizet, vt interpellet, vt peccata remittat, vt corpus suum consecret & offerat, & aliud quodcunque reconciliationis munus per ministros exequatur? An hoc non magis ad illius maiestatem, gloriam, & potentiam amplificandam pertinere videtur, si plures habere ministros dicatur, per quos ea quæ vult, exequatur? An & bonitatem illius ineffabilem ea res non declarat, quòd quæ sunt ipsius propria, cum suis creaturis communicare dignatur: & quamuis omnia per se præstare posset absque vllo medio, tamen quos ipse creauit, eos adiutores & cooperarios suos habere non recusat? Dei enim adiutores sumus dicit Paulus. Quid autem vobis videtur, quod p summam calumniam nos facere Satanas falsò criminatur, an hoc non ipse facit potius: qui cùm vnam oblationem illam in ara crucis factam, sic solam vrget ac prædicat, vt nullam aliam velle admittere videatur, an Christum honore sempiterni sacerdotij non spoliat? an eum etiam è cœlo quominus pro nobis interpellare possit non deturbat? Sed videte per Deum immortalem, quorsum ad extremum res recideret. Cum sacrilegam audaciam hanc & impudentiam, in abrogando externo sacrificio, non infœliciter sibi ceciderit Satanas animaduerteret, ijsdem rationibus etiam externum in prædicando Dei verbo ministerium, ex Ecclesia per membra quædam sua tollere conatus est, qui & ipsi modò non ijsdem tragicis verbis vociferantur: Intollerabilem Christo blasphemiam & contumeliam irrogari, cui dum successores & vicarij in docendo prædicandoq; Dei verbo subrogantur, honore magisterij sui spoliatur, deq; Cathedra quam habet in cœlo, deturbatur, quasi vel viuere vel docere nos iam desierit, aut quasi parùm sit idoneus ad hoc munus per seipsum præstandum. An autem ij non multò grauiores in speciem rationes adferunt, ad externum in prædicando Dei verbo ministerium, quàm isti quibus cum nobis negocium est, ad externum sacrificium abrogandum? Plures namq; magistros, aiunt, fieri, Christus etiam ipse prohibuit, at sacrificio nouæ legis, non modò nõ interdixit cuiquam aliquãdo, verumetiam expressis verbis id fieri præcepit, dicens: Hoc facite in mei commemorationem. Examina scripturarum proferunt, Nolite fieri plures Magistri, vnus enim est Magister vester in cœlis. Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, Vnctio eius docebit vos: Non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: quia omnes scient me à minimo vsque ad maximum eorum. Has illi cùm scripturas sic proferunt adeò sicut ipsis videtur dilucidas & apertas, cùm se ferre non posse dicant, vt Christus honore magisterij spolietur, & subrogatis successoribus de Cathedra sua quam habet in cœlo, deturbetur, maiorem habere tamen prætextum erroris sui videntur. Isti verò quam scripturam producunt, qua sacerdotium & sacrificium externum prorsus abrogatum esse doceant. Certè Paulus Apostolus non sublatum, sed translatum id esse docet, non abrogatum sed consummarum, & per meliorem sacerdotem in aliud multò melius, augustius, & perfectius, mutatum: nimirum sicut à sanctis patribus nostris didicimus, ab eo quod fuit secundum Aaron, ad id quod est secundum ordinem Melchisedech: ab eo quod fuit temporarium, ad id quod est sempiternum: ab vmbra, ad veritatem. Quam etiam ob causam explicans illum Psalmi locum Augustinus, Sacrificium & oblationem noluisti, Quid ergo, inquit, nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit: corpus autem perfecisti mihi. Ideo illa noluisti, vt hoc perficeres: illa voluisti anteq; hoc perficeres. Perfectio promissorum, abstulit verba promittentium. Videtis charissimi, quemadmodum extemporis, tot habere se tam expressa scripturæ testimonia gloriantur, Theodidactos, hoc est, à Deo doctos aiunt esse nos oportere, non ab homine doctos. Itaque frequens eis est illud in ore: Audiam, non quid omnis homo mendax, sed quid loquatur in me Deus, qui veritas est, & ipsa veritas. Beatus vir quem non Petrus aut Paulus, verùm quem tu erudieris Domine. Certò sibi persuasum habent, quòd & alijs persuadere conantur, Spiritum sanctum è supernis delabi, citra omne medium: non per auditum externum, & vocalem prædicationem siue scripturarum lectionem: & æquè nos hodie docere Deum, ac olim Patriarchas & Prophetas, etiam si neque magistros aliquos audiamus, neque scripturas vllas legamus. Et sunt plures quàm facilè credi queat, quibus hoc tam persuasum est, quàm quod maximè. Quam etiam ob causam in hortos frequenter se conferunt, & in abdita quædam loca, voces de cœlo quibus erudiantur expectantes. An autem qui non inuitus etiam scripturis vtitur, non rectè potest illud ex Psalmo proferre Satanas: Funes ceciderunt mihi in præclaris: adeò tragicæ vociferationes istæ non modò sacerdotiũ & sacrificium æternum, verùm & prædicationem externam in multis locis omnem sustulerunt, quin & scripturis Canonicis authoritatem omnem abrogarunt. Prodeunt nunc libelli, quibus non ex Ecclesia modò, verùm & ex Repub. discrimen omne tollitur, nihil vt interfit inter Regem & populum, inter principes & illis subiectos. Neque dubitauit quidam Phanaticus homo in Regni comitijs, quæ proximo anno superiore Lublini sunt habita, cùm ad populum concionem haberet, multis audientibus, palàm dicere: Non habemus Regem, nisi qui spinis pro nobis coronatus, & in crucem actus est. Quibus autem rationibus adductum putatis, vt hæc tam absurda sentiret ac diceret? Non alijs certè quàm tragicis eiusmodi vociferationibus, quibus ad abrogandum sacerdotium Satanas vtitur. Melchisedech non solùm sacerdos, verùm & Rex fuit, figuram Christi gerens, qui & ipse non solùm sacerdos, verùm & Rex fuit.



Et sicut sacerdotium: sic & Regnum ipsius est æternum. Sic enim dicit scriptura: Regni eius non erit finis, cuius Regnum, Regnum sempiternum: Regnum eius, Regnum omnium seculorum. Hæc itaq; cum non ignorent isti, vociferantur & ipsi, intollerabilem blasphemiam & contumeliam irrogari Christo, quando ei qui Rex est in æternum, sicut & sacerdos in æternum, haud aliter quàm si mortuus esset, aut esse Rex desijsset, successores & vicarij subrogantur: qua subrogatione Regia sua dignitate spolietur, & qui cœlum & terram implet, è solio suo Regio deturbetur. Videtis, quibus rationibus homines isti sacerdotalem dignitatem, quemadmodum ijsdem etiam Regiam potestatem euertere conentur: vt non sine causa dixerit, qui longo tempore versatus est inter eos, Erasmus Roterodamus, & mores eorum bene cognitos habebat: Iste populus tam Euangelicus etiam Principi Turcarum dicitur esse detestabilis, quem ait seditioni natum: quos subinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de causis procurrit ad arma, ne suis quidem Ecclesiasticis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus? Hi sunt fructus istius præclari, si Dijs placet, Euangelij, quos nobis attulerunt hoc genus Tragicæ vociferationes. Vidimus bellum seruile contrà Dominos, vidimus & subiectorum Principum contra legitimum suum Imperatorem Carolum V. fortissimum Euangelij propugnatorem, seditionem excitatam: quin & in ipso statim initio nascentis huius Euangelij, qui tumultus exorti, quemadmodum loco suo Magistratus moti fuerunt, etiam in his Prussiæ terris, qui sunt natu grandiores meminisse queunt. Quamobrem quotquot hic præsentes adestis, procul ab hoc genus hominum contagione discedite, & sermones eorum velut pestem fugiendo vitate: quos q; Deus ministros elegit, vel ad reconciliandos nos Deo, vel ad gubernandos, & ad politiam conseruandam, eis debitum honorem præstate. Sic futurum est, vt ordine seruato tum in ijs quæ ad Rempub. tum in ijs quæ pertinent ad religionem, optata pace tranquillitate q; frui nobis liceat gratia & misericordia, &c. Cætera, si Deus volet, alio tempore prosequemur.

# FRIDERICI BARSCII AD FABIANVM ORATIO.

MVltùm te amo, mi Fabiane, qui tuos istos errores, in quibus versatus aliquando fuisti, non modò confiteris tam candidè, tanta q; cum eorum detestatione: verumetiam, quæ tua minimè vulgaris est veréq; Christiana pietas, memor illius quod scriptum est, vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo, tanto studio prouidere conaris, vt ne vel incidant in eosdem errores alij, vel si fortè iam inciderunt, viam & rationem cognoscant, qua facilè possint ab illis explicari. Sed quale fuit hoc per Deum immortalem, quod in maioribus Regni comitijs, quæ Lublini sunt habita, non ita pridem accidisse narrasti? Sineciam & Regem non agnoscit præclarum hoc, si Dijs placet Euangelium, nisi qui spinis pro nobis coronatus, & in crucem actus est? Obstipui cùm hæc audirem. Verùm qualis est arbor hæc, alios fructus ferre non potest. Equidem sæpè mecum animo volutans, quænam sit causa plusquàm Babylonicæ cõfusionis huius, quam in plerisq; locis magno cum animorum nostrorum dolore cernimus: vbi sursum deorsum omnia miscentur: ac non solùm Ecclesiastici, verùm & ciuilis magistratus nulla ratio ducitur: aliam non reperio, quàm quòd ab eius obedientia discessum est, cuius ministerio Deus vnitatem, & erga quemq; magistratum reuerentiam & obedientiam conseruatam voluit: cuius authoritatem quoad cognoscebant omnes, & vnum sub Christo capite, caput Ecclesiæ Romanum Pontificem profitebantur: necesse habent hoc ipsi fateri, quin & fatentur nonnunquam, qui se per summum nefas abisto capite disiunxerunt, quod ciuili quoq; Magistratui, qui debebatur honos & obedientia fuit attributa. Sed posteàquam illum de gradu suo deturbare nõnulli conati sunt, idem non ita multò pòst de Regia, deq; cæteris quæ sunt illa inferiores, potestatibus facere sunt aggressi. Nec sunt veriti libris etiam editis dicere, quòd Ecclesia Catholica solum vnũ caput, solum vnum dominum, tam in cœlis quàm in terris agnoscit, Iesum Christum Dei filium: quæsi caput aliud sub illo capite profiteatur, biceps monstrum potius quàm Ecclesia dici debeat. An autem his verbis non tibi videntur omnem subiectionem erga legitimam potestatem ex animis hominum sustulisse? Quis negat, quin caput Ecclesiæ sit Christus? nũ propterea non erit caput Ecclesiæ Pontifex? Est Rex & dominus noster Iesus Christus: sed num propterea non erit Rex & Dominus noster Sigismundus Augustus? Est quidem ita, quòd solus Christus regit & regnat in Ecclesia, & imperium hoc solo illius verbo exercetur atq; administratur. Sed quoniam is visibili præsentia inter nos non habitat, vt voluntatem suam ore suo coram nobis declaret, hominum in hoc ministerium adhibet: non ad eos ius honoremq; suum transferrendo, sed vt suum tantùm per eos opus agat ipse, qualiter ad opus quodq; faciendum artifex vtitur instrumento. Quare manet ipse nihilominus caput Ecclesiæ summus illius Pontifex & pastor: regit, regnat, & imperium exercet ipse nihilominus in Ecclesia, verùm opus hoc suum per Pontificem Pium V. agit, ministrum suum. Non quòd non posset illud per seipsum sine quouis alio vel adminiculo vel organo præstare, sed hoc modo visum est illi suam erga nos dignationem declarare, dum ex hominibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



mit, qui pro se in mundo legatione fungatur, qui sit arcanæ suæ voluntatis interpres, q̃ denicq; personam suã repræsentet, Nec alius illi visus est firmior vnitatis retinendæ nodus quo suam astringeret Ecclesiam, quàm si vnum aliquem illi præfecisset, cuius in ea gubernãda visibili ministerio pastor inuisibilis vteretur, cui quicquid subiectionis, honoris, obedientiæ deferretur, non tam Pio V. quàm ipsi Christo deferretur. Contrà verò, quisquis eũ reijceret, non tam Pium V. quàm ipsum Christum reijceret. Sicut ad Samuelem dixisse Dominum legimus: Non te reiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Ex huius igitur vnius authoritate pendere voluit Ecclesiam, quod aliter nec Ecclesia, nec fides vna retineri possit. Suscitabo super eos pastorem vnum, ait Dominus. Et iterum: Pastor erit vnus omnium. Et in Euangelio: Et erit vnus pastor, & vnum ouile. Pulchrè coniunxit vtrunq;. Nec enim esse potest vnum ouile, nisi pastor sit vnus. Quem pastorem Christum libenter agnoscimus & confitemur, verùm is pascendi munus hoc in terris, per ministrum suum Pontificem exercet, de quo non dubitauit Hieronymus aliquando scribere, quod ex eius dignitate salus pendeat Ecclesiæ, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficiemur, inquit, schismata, quot sunt sacerdotes: quod oculis ipsi nostris nunc euenisse videmus. Vocamus autem Pontificem caput Ecclesiæ, quod cùm capitis munus proprium sit, subiecta sibi membra gubernare, per ministrum hunc suum Christus hoc facit. Nec est in scripturis inusitatum, vt capitis nomen etiam homini tribuatur. Saulo Samuelem dixisse legimus: Caput in Tribubus Israël factus es. De se quoque Dauid: Constituit me, inquit, in caput gentium, Oseas quoq; Propheta: Ponent, inquit, sibimet caput vnum. Et apud Amos Prophetam legitur: Optimates capita populorum. Sic à Paulo quoq; dicitur: Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir. Mulieris caput virum esse dicit Paulus. An autem propterea à mulieris caput Christum esse negat? Ablit vt hoc vnquam sensisse Paulum credamus: verùm hoc ille significare voluit, quòd Christus constituit caput mulieri virum, vt eam gubernet: non quòd ipse Christus eam non gubernet, sed quòd per virum hoc facit, cui mulierem subiectam esse vult. Eadem prorsus ratione, cùm dicimus, quòd Ecclesiæ caput est Pontifex, absit vt Christum excludamus, qui verè caput existens, verè gubernat eam: sed sicut mulieri virum, sic huic dilectæ sponsæ suæ caput constituit Petrum, & eius legitimum successorem, cuius ministerio gubernaret illam. Hoc autem tum fecit, quando dixit. Petre pasce oues meas. Ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ, ipse pastor est & Episcopus animarum nostrarum: verùm interea Petrum elegit, Petrũq; successorem, cuius in ea pascenda gubernandaq; visibili ministerio pastor inuisibilis vteretur. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ sana doctrina, de capite suo, quod propriè Christum agnoscit. Sed ei nihil tamen detrahi persuasum habet, si subiectum etiam illi Romanum Pontificem, suum in terris caput esse confiteatur. Vbi locus est huic sanæ doctrinæ, videre licet, q̃ omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est, siue Regi, quasi p̃cellẽti: siue ducibus, tanq̃ ab eo missis: quia sic est voluntas Dei, à quo est omnis potestas: cui qui resistit Dei ordinationi resistit. Vbi verò nescio quæ libertas carnis magis q̃ spiritus p̃dicatur, vbi persuasum est populo, non aliud caput Ecclesiæ, non alium Dominum in terris agnoscendum esse, præter solum & vnum Dominum Iesum Christum: quanta sit ibi rerum omnium confusio, quis est qui non videat & ingemiscat? Reiectum est Ecclesiæ caput Pontifex, facta est ab illo discessio: num aũt Imperij caput, etiam & Regni caput alibi reiectum nõ est? Num & ab illis non est facta separatio? Attigisti tu nonnulla, quæ facta sunt in quibusdam Prussiæ ciuitatibus, cum primum quod quibusdam Euangelium vocare placuit, id quod maximè pugnat cum Euangelio Christi, cœpit in his terris peruulgari. Sed ego externa commemorare mala. Neq; tamen interea quicquam dicam de seditione rusticorum contra suos dominos anno 40. annos concitata. Ab Augustana Confessione sumam exordium, quæ nonnullis à Christiana minus abhorrere videtur. Annus iam agitur 38. cum illa fuit exhibita fortissimo purè verbi propugnatori Carolo V. Imperatori: nónne statim subsecutum est fœdus quoddam Smalcaldicum? Quid autem annis aliquot interiectis per fœdus illud factum sit, quomodo nonnulli contra suum legitimum dominum & Imperatorem arma sumpserint, recens multorum est memoria. Qui suaue Christi iugum per Pontificem Ecclesiam suam gubernantis excusserunt, an idem facere de Cæsaris quoq; iugo, non ita multò post aggressi non sunt? sicut ab Ecclesiæ capite, sic ab Imperij capite se disiunxerunt, quod etiam esse cogitarunt, ne sicut bicipitem Ecclesiam, sic biceps Imperium habere, & aliud præter Christum caput ac dominum agnoscere viderentur. Sed in his quæ sunt nobis viciniora, quandoquidem cum primis odiosa sunt, præstat non immorari. Sed neq; de Scotis meminisse nũc libet, qui post excussum Pontificis iugum, quam fidem erga suam Reginam ostenderint, crebris rumoribus vbiq; est peruulgatum. In florentissimo quondam Galliarum Regno, quid factum sit ante sex plus minus annos, quid nunc etiam fiat, quis est qui sine magno quodam animi horrore vel dicere vel audire queat? Discessum erat ab Ecclesiæ capite, discessum est eodem iure à Regni quoq; capite. Qui sibi superintendentes creandi potestatem arrogauerunt, idem in Rege quoq; creando sibi licere voluerunt: & in superstitis Regis locum, cui iurisiurandi religione fuerant obstricti, alium elegerunt, cui Ludouici 13. nomẽ tribuerũt. Sicut nõ ita multo ante Cathedrã contra Cathedrã, sic nunc soliũ contra soliũ constituerunt, & sceptrũ cõtra sceptrũ erexerunt. Num simile quid auditur apud eos fieri, qui caput Ecclesiæ Romanum Pontificem agnoscunt, vel in Italia, vel in Lusitania, vel in Hispanijs, vel quibuscunq; tandem alijs in terris, vbi nulla est ab Ecclesia Dei facta separatio? Vbi pastor vnus est, & vnum ouile, ibi Rex etiam vnus in suo quisq; Regno. Princeps vnus est in sua quisque prouincia. Quæ debetur à Deo constitutæ potestati fides atque subiectio, tua-



tur integra, nec de ea quicquam detrahitur: vbi verò quæ Christi Vicario debetur fides & obedientia non præstatur, non maior ibi ratio ciuilis Magistratus habetur: qui suam authoritatem non retinet, vbi potestatem Ecclesiasticam euersam videmus. Sed hæc de politicis rebus dicta sufficiant. Quod autem ad religionem attinet, in ijsdem illis terris, in quibus vnum Ecclesiæ totius, in quibus & Regni cuiusq; caput vnum agnoscitur, fidem etiam vnam retineri cernimus. Contrà, quàm verum sit illud, quòd non aliunde schismata & hæreses obortæ sunt, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur: dum Episcopus quivnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur, non iam in Cypriani libris magis legimus, quàm in his locis, vbi discessum est ab obedientia Romani Pontificis, factum oculis ipsi nostris cernimus. Totibi sunt fides, quot voluntates. Nam & Papæ totibi sunt, quot hæresum magistri: qui se mutuò iam etiam ferre non possunt. Graues ea de re Philippi Melanchtonis querimonias legimus, quem cum quidam ex discipulis diris deuouisset, vt pro ethnico & publicano haberetur, vt nemo pius cum ipso vel sectatoribus eius familiaritatem, consuetudinem, amicitiam vllam haberet, in quadam admonitione ad lectorem, quam præfixit ei volumini, quod corpus doctrinæ Christianæ vocari voluit, his verbis vtitur: Cum isto mirabilium hominum genere (Matthiam Flaccum intelligit, & Nicolaum Gallum) agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quidlibet. Cogunt concilia, quando, & vbi ipsis placet, & vendicant sibi maiorem magistq; intollerabilem, & minus excusabilem authoritatem ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquam: quæ quorsum tandem euasura videantur, cogitetur. In præfatione verò quæ præcessit admonitionem hanc, in Anarchiam quandam euasisse dicit. Huic Philippi querimoniæ pluribus verbis respondens Nicolaus Gallus, Nouos, inquit, Papas nos criminantur, sed certò persuasum habeant, quòd magis id in illos quadrat. Ac multis rationibus ostendere conatur, quòd Philippus potius pro Papa se gerat quàm ipli. Vides quorsum res redijt, abiecto suaui Christi iugo, per vnum Pontificem Romanum Ecclesiam suam gubernantis, pro vno multi Papæ nati sunt, & illud euenit, quod in libro Iudicum legimus: In diebus illis, non erat Rex in Israël, sed vnusquisq; quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat: Quod sibi rectum videtur, hoc facit, hoc scribit, hoc docet quisque. Flaccus ex Ecclesia sua Philippum eijcit, viciſſim è sua Flaccum Philippus exturbat: quem adeò pertæsum iam fuisse tot sectarum, tot Paparum constat, vt vir qui dam dignus fide dixerit, ex ore se illius audiuisse, modò congregaretur aliquando Concilium, se profecturum ad illud, & quicquid Spiritui sancto & patribus in eo congregatis visum esset, in eo libenter acquieturum. Sat scio, mi Fabiane, si quando versatus inter eos fueris, qui suaue Christi iugum, per Pontificem Romanam Ecclesiam suam gubernantis, excusserunt, summi probri loco tibi ab illis obijcietur, quòd sis Papista. Tu verò caue quicquam eiusmodi sicut illis videtur conuicio mouearis: quin potius cum primis id tibi gloriosum fore puta, si Papista vocatus fueris. Quid enim aliud est esse Papistam, quàm Christianum esse? Siquidem qui Christi Vicarium agnoscit, & ei se dicto præbet audientem, is demum & non alius verè Christianus dici meretur. Quorsum autem res recidit per Deum immortalem? Virtus probro ducitur, sceleri virtutis nomẽ tribuitur. Si quem conuicio maximo volunt affectum, Papistam vocant. Quasi verò flagitium hoc sit, quam debes fidem & subiectionem à Deo constitutæ, potestati præstare. Videmus autem, quòd quibus in locis infamis visum est Papistæ nomen ijsdem Cæsaristas & Registas appellari, paulò pòst non minus ignominiosum iudicabatur: neq; plus ciuili, siue vt nonnulli vocant, seculari, quàm Ecclesiasticæ potestati subiectionis præstabatur. Tu verò si quis te Papistam vocauerit, non modo molestè ne feras, verùm te magno potius affectum honore interpretatus age gratias, quòd integrè conseruatæ fidei, subiectionisq; legitimæ potestati tuæ, tibi testimonium dederit, & non modò Papistam, verùm & Registam, & si fueris è ciuium numero, consulistam esse te clara voce pronuncia. Ich bin ein Christ/ein Papist/ ein Consulist. Aller meiner Oberkeit der mich Gott vnderworffen hat/ will ich trew vnd gehorsam leisten. Aber da behütmich Gott für/ das ich soll ein Lutherist/ein Caluinist/ein Sathanist sein. Debitam fidem & subiectionem erga sublimiorem potestatem testatam omnibus facere cumprimis id ad laudem & gloriam, amplum & illustre tibi fore iudicato, nec vlla tibi res maiori sit abominationi, quam vel à Luthero vel à Caluino, vel ab alio quopiã ciusdem farinæ nomen ducere, & eorum alicuius verbum, Dei verbi & Euangelij appellatione dignari, cum nulla possit esse maior quàm hæc idololatria. Memineris eius quod scriptum est, Fugite Idola. Politicis in rebus ciuili: quæ verò pertinent ad religionem, in his Ecclesiastico Magistratui pareto, & infixa perpetuò sint in pectore tuo aurea illa Augustini verba. In cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis. Cathedram autem vnitatis non aliam esse certò persuasum habeto, quàm eam, in qua nunc sedet Pius V. Romanus Pontifex: cui qui adhærent, vides ipse quàm sit inter eos admirabilis fidei dogmatum consensio, quomodo multitudinis credentium est cor vnum, & anima vna, facile vt agnoscere liceat, qualis fuit ante turrim Babel ædificatam, terram vnius labij & sermonum eorundem. Qui verò deseruerunt cathedram hanc vnitatis, in quas sectas mirabiliter inter se dissectas, quàm sint miserandum in modum dissecti, quamuis & hoc oculis ipse tuis videris, cùm inter eos versareris: tamen hæc quoq; tabula, quam cùm per ocium licuerit legendam tibi trado, te docebit. Huic igitur vnitatis cathedræ semper adhærebis, & sicut olim Damasum Papam Hieronymus, ita nunc tu Pium V. nihilo sanctitate illo inferiorem alloquens dices: Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior super illam Petram ædificatam Ecclesiam esse scio. Quicunq; autem extra domum hãc agnum comederit, profanus est. Et quod idem scripsit ad eundem: Non noui Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro. Quicũq;

tecum non colligit, spargit: qui Christi non est, Antichristi est, hoc tu cõmutatis nominibus ita profer, Non noui Lutherum, Osiandrum respuo, Caluinum ignoro. Quicunq; tecum non colligit, spargit: Qui Christi non est, Antichristi est. Vides autem quomodo vir ille sanctissimus iuxta ac doctissimus, quicunq; cum Petri successore Papa non colligeret, eum nõ ad Christum, sed ad Antichristum pertinere dicit: Sathanistam liberè pronunciat, qui non vult esse Papista. Quamobrem caue, Christum alium agnoscas, quàm qui natus est in Bethleem, illius Euangelium, tanquam ipsissimum Dei verbum amplectere & osculare, Eiusdemq; autem Antichristum, qui suum verbum, Dei verbum appellare, suoq; Euangelio nomen Euangelij tribuere veritus non est, hand aliter atq; viperam & basiliscum, remis, quod aiunt, velisq; fugito. sic futurum est, vt cum firmiter adhæseris Cathedræ vnitatis, nunquã te deserat lux veritatis.

## RECANTATIO QVARTA.

QVod vobis promiserim proximis superioribus mensibus, memoria teneo. Sed incidi nuper in quandam epistolam Augustini, quam ille scripsit ad Ianuarium, in qua de Sacramentis, deq; ritibus & cæremonijs tractans ita loquitur: Si quid horum tota die per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est: equidem perculsus fui, cùm hæc legerẽ. Nam cùm tale sit hoc, de quo sermo nobis nunc est institutus, tremendum Missæ sacrificiũ: cùm, q̃ latè patet orbis Christianus, iam inde ab Apostolorum temporibus ad hæc vsq; nostra semper illud frequentauerit, ac nunc etiã frequentat Ecclesia vniuersa, quã etiã ob causam iuge sacrificiũ à Daniele vocatur, non potui non metuere, ne me quis insolentissimæ cuiusdam argueret insaniæ, qui num id faciendum sit, de eo disputare nunc aggredior. Nam etsi nihil ea de re diuinæ scripturæ præscriberet authoritas, quam nobis minimè deesse suo loco docebimus, tamen vel hoc solo nomine, quod ab orbe toto Christiano, totis 1500. annis receptum, & in omnibus Ecclesijs perpetuò frequentatum est: ab homine sobrio, qui vel micam sanæ mentis haberet, id in disceptationem vocari minimè deberet. Cùm verè dictum sit ab eodem Augustino, quamuis huius rei è scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiã in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quã ipsarum scripturarum commendat authoritas, vt quoniam scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam consulat, quam sine vlla ambiguitate sacra scriptura demonstrat. Fateor quod cùm hæc Augustini verba legissem, & quod scripsit alius quidam qui præcesserit eum: Traditio est, nihil quæras amplius: non parum ab instituto meo fui retardatus. Quoniam verò promissi reus teneor, fidem vt meam liberem necesse est. Quamobrem quando nos huc adigunt insaniæ, insani quidam homines, qui in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere conantur, nec nisi quod ipsi sentiunt, rectum esse quicquam putant: liceat mihi quæso per vos, vna cum illis insanis insanire paululum, liceat cum Paulo dicere: Sufferte nos insipientes, cùm sitis ipsi sapientes: ac grauissima de re differentibus benignas nobis aures præbete. Priusquam autem autem ad rem aggrediar, paucis vos admonendos esse putaui, quòd Sathanas non ferè sua forma prodit, neque statim quod vulgò dici solet, ostendit cornua, sed ad illaqueandos homines semper abutitur integumento. Nam si qualis est illicò se talem exhiberet, quis aspectum eius non exhorresceret? quis congressum non expauesceret? quis non vel maximè refugeret? Itaq; transfigurat se in Angelum lucis contra Christum, portat signum Christi: contra legem, arma sumit ex lege: ex Euangelio pugnans, Euangelium impugnat, & in sui perniciem de veris mendacia fingit: vt non temerè describens hæreticum dixerit Ambrosius: Hæreticus est, qui per verba legis legem impugnat. Nam proprium sensum verbis astruit legis vt suæ mentis prauitatem legis authoritate commendet. Sciens enim impietatem multùm authoritatem valere, fallaciam sub eius nomine componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nominis commendetur. Legem Ambrosius vocat scripturam. Nunc quemadmodum legem per verba legis, hoc est scripturam, siue Dei verbum, per verba scripturæ Satanas impugnet, audiatis. Primùm autem legem Christi proferemus, Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Nouum Pascha Christus instituit in cœna nouissima, de quo dicit Paulus: Pascha nostrum immolatus est Christus. Pascha verus, fuit agnus, qui prius immolabatur posteà manducabatur. Pascha nouum Christus fuit, qui manducaturus illud cum suis discipulis, prius immolauit sub speciebus panis & vini, deinde manducandum illis tradidit: & quod ipse fecit, vt similiter illi quoque facerent, hoc est, vt prius corpus & sanguinem ipsius offerrent, ac ipsi quoque sumerent, deinde sumere volentibus distribuerent, præcepit. Audiatis igitur, quomodo legem hanc à Christo ipso latam, Satanas per verba legis oppugnat, & ex veris mendacia fingit. Conatur ostendere, quòd Missa Christi crucem & passionem obruit & opprimit. Hæc enim sunt illius verba: constat, inquit, ex scripturis, quòd Christus in cruce semetipsum sacrificium obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, & æternam redemptionem nobis quæreret. Quã obrem haud dubiè vis atq; efficacia huius sacrificij nullo fine perstat: alioqui nihilo honorificentius de Christo sentiremus, quàm de bobus & vitulis, qui sub lege immolabantur, quorum oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecilles, quod sæpius iterabantur. Quare aut Christi sacrificio quod in cruce impleuit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit: aut vno semel sacrificio Christum in omnia secula defunctum esse. Id est quod di-





cit Apostolus. Sûmmum hunc Pontificem Christum, per immolationem sui apparuisse sub consummatione seculi ad peccati profligationem. Item voluntate Dei nos sanctificatos per oblationem Iesu Christi, Semel item Christum vna oblatione in perpetuum consumasse sanctificatos. Quibus insignem sententiam subnectit: acquisita semel peccatorum remissione, nullam amplius restare oblationem. Hoc & postrema sua voce, & inter vltimos spiritus ædita Christus significauit, cùm dixit: consummatum est. Solemus extremas morientium voces pro oraculis obseruare. Christus moriens testatur, vno suo sacrificio perfectum esse, & implerum, quicquid in salutem nostram erat: nos huiusmodi sacrificio, cuius perfectionẽ luculenter adeo commendauit, quasi imperfecto, innumera quotidie assumus, quando sacrosanctum Dei verbum, non affirmat modò, sed clamat etiam & contestatur, hoc sacrificium semel peractum fuisse, eius vim æternam permanere. Qui aliud postulant, nõ ne ipsam imperfectionis insimulant & infirmitatis? His ergo verborum fucis, quin deceptus aliquando fuerim, diffiteri non possum. Sed sicut priorem illam, ita & hanc aranearum esse telam posteà cognoui, quæ me tenebat irretitum, quandiu musca fui. Nũc Deo gratias ago, cuius ingens hoc beneficium agnosco, quòd in hos Reuerendos Patres incidi, quorum cura, diligentia, labore, perfectum est, vt esse Musca desinerem, & hoc genus telæ non ita magno negocio perrumperem. Vidistis autem Satanam in Angelum lucis se transfigurantem, quando tam piè concionatur de vi, efficacia, & perfectione sacrificij, quo se Christus in ara crucis Deo patri pro nobis obtulit in odorem suauitatis. Audiuistis quemadmodum ex lege sumit arma contra legem, & ex veris mendacia fingit. Quæ profert ex Paulo verba legis, quid potest illis esse verius? quod autem ex illis colligere conatur, quod potest magis crassum esse mendacium? De sacrificio quod in cruce Christus peregit, nihil tam dici magnificè potest, quin multò virtutem illius excellentiorem esse profiteamur, q̃ vt eius præstantiam vlla verborum vis explicare satis queat. Libet autem hac de re cuiusdam S. Monachi verba recitare, qui vixit eo seculo, quo volunt istí lucem Euangelij prorsus extinctam fuisse. Christus, inquit, pro salute mundi, semel factus est hostia salutaris, rei reconciliatio generalis, omnibus sacramentis tam præcedentibus, quàm subsequentibus virtutem dedit & efficaciam, vt tanta & tali hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Vnde legitur, quia agnus occisus est ab initio seculi, ijs videlicet, qui fuerunt ab initio, ita vt per hoc quod dicitur, Ab initio, determines non tempus occisionis, sed salutis. Prius enim mors eius profuit, quàm fuit: prius promissio, & deinde exhibitio: Ab initio seculi occisus est. Hactenus ille S. Monachus, cuius tam piam doctrinam cum Pauli doctrina sanctorumq; Patrum interpretatione pulchrè consentientem, libenter amplectimur. Nihil enim ab eo prætermissum est, qd ad vim, efficaciam, & perfectionem illius oblationis vnicæ, qua Paulus consummatos esse dicit omnes qui sanctificati sunt in æternum, illustrandam pertinere videretur. Prius etiã eã profuisse dicit q̃, fuisse, neq; tum primum cum esset exhibita, verumetiam ante multa secula, cum adhuc esset in mente diuinæ præscientiæ præuisa, reconciliasse sanctificassèq; quotquot reconciliati sunt vnq̃ & sanctificati. Quam etiam ob causam nihil dubitauit Augustinus, eodem ex Apocalypsi loco producto, q; agnus occisus est à mundi constitutione: sanctis omnibus, Patriarchis, & Prophetis, qui Christum præcesserunt, Christianorum nomen tribuere, quòd indubitanter crediderint agni illius immaculati, qui pro totius mundi peccatis occidendus, & iam in præsentia patris occisus erat, precioso Christi sanguine se redimẽdos, reconciliandos, & sanctificandos esse. Sic ab initio genus fuisse Christianorum docet. Videsne igitur qui sis es, qui tibi tam prudens in oculis tuis esse videris, vt omnes alios præ te stupidos, bardos, truncos, & adeo cœcos esse persuasum habeas, vt nihil in scripturis videant, quòd de verbis legis, quæ profers ex Paulo de vi efficacia, & profectione oblationis, qua Christus vnica consumauit in æternum sanctificatos, nulla sit prorsus nobis vobiscum disceptatio: nec illi quicq̃ à vobis tribui tantum potest, quin plus etiam vltro concedamus. Nã prius etiam illam profuisse dicimus, q̃ fuisse: nec sequentibus modo, verum & præcedentibus oblationẽ hanc sacramentis & sacrificijs virtutem & efficaciam dedisse, nullus vt vnq̃ ab origine mundi reconciliatus iustificatus, & sanctificatus fuerit, aut reconciliari, iustificari & sanctificari deinceps etiam possit, nisi per vnam hanc oblationem, extra cuius fidẽ nulla potest esse sanctificatio, nulla salus. Itaq; nihil est eo verius, quod à Paulo scriptũ est: quod semel oblatus est ad exhaurienda multorum peccata, quod vna oblatione consumauit in æternum sanctificatos. Nam nec fuit, nec est, nec erit vnquam oblatio, qua sint exhausta peccata, vel deinceps etiam exhauriantur, qua fuerint homines sanctificati, vel deinceps etiam sanctificabuntur, præter vnam illam in ara crucis factam, quæ tam accepta Deo fuit, vt propria sua virtute ac merito sanctificet quotquot Deo reconciliantur, & reconciliando sanctificãtur. Sed quàm vera sunt Pauli verba, tam falsum est, quod ex illis colligere conaris, quam quidem per illud sacrificium crucis consumauit in æternum sanctificatos, non debere quotidianum illud sacrificium in Ecclesia frequentari: quòd Christi crucem & passionem obruat & opprimat, & eam imperfectionis & imbecillitatis insimulet. Certum est, quòd hæc oblatio crucis, non solùm quæ subsecuta sunt, verumetiam quæ præcesserunt illam, Sacramentis & sacrificijs omnibus virtutem dedit & efficaciam. Quæ, si non sublata sunt per hanc oblationem crucis præuisam, priusquam esset exhibita, quin etiam grata Deo fuerunt, non propter sanguinem hircorum aut vitulorum, cuius nulla fuit vis ad remissionem peccatorum impetrandam, sed propter sanguinem in ara crucis fundẽdum, cuius vmbra quædam & figura fuerunt illa sacrificia, nec aliò quàm ad vnam hanc oblationẽ de qua loquitur Paulus, referebãtur: certè multò minùs tolli debet per exhibitam oblationẽ hanc quotidianum hoc sacrificium, quod Ecclesia frequentat vniuersa, cùm in altari nostro non alia fit oblatio, quàm quæ fuit in cruce, idem vtrobiq; sit sacrificium, idem vtrobiq; sit

Universidad de Deusto
Biblioteca



sacerdos Christus, etiamsi modus offerendi non est idem. Nam in ara crucis mactabatur caro, fundebatur sanguis: in ara nostra, nulla mactatio, nulla sanguinis effusio, sed factæ mactationis, & profusi sanguinis, grata quædam commemoratio fit, & repræsentatio. Proponit quæstionem hanc Theodoretus, Epistolam ad Hebræos enarrans, qui vixit ante 1200. plus minus annos. Si & sacerdotium quod est ex lege, finem accepit, & sacerdos qui est secundum ordinem Melchisedech obtulit sacrificium, & effecit vt alia sacrificia non essent necessaria, cur noui testamenti sacerdotes mysticam Lyturgiam siue sacrificium peragunt? cui mox ita respondet: Clarum est his qui sunt in rebus diuinis eruditi, nos non aliud sacrificiū offerre, sed illius vnius & salutaris memoriam peragere. Hoc. n. nobis præcepit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, vt per figurarum contemplationem earum quæ pro nobis susceptæ sunt passionum recordemur, vt in benefactorem beneuolentiam conseruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus. Idem responsum dedit aliquantò antè Ioannes quoque Chrysostomus, & posterioribus sæculis Haymo, Theophylactus, & qui sunt eos consecuti. Est autem hoc obruere crucem & passionem Christi, si fiat quod à quodam S. Patre scriptum est, vt iugiter colatur per mysterium quod semel offeretur in precium: & quia quotidiana & indefessa currit pro salute hominum redemptio, perpetua sit etiam redemptionis oblatio: & perennis illa victima viuat in memoria, & semper præsens adsit gratia. Oblatio nostra non est noua redemptio, qualis fuit in cruce, sed est factæ per crucem redemptionis oblatio quædam & commemoratio. Sed obsecro vos, diligentiùs vobiscum expendite, cuiusmodi sit hæc ratiocinatio: Obtulit se Christus in cruce, non igitur offeramus nos. An ad eundem modum ratiocinari non licebit? Orauit Christus pro nobis, & fuit eius orationis tanta vis & efficacia, nihil vt eorum non obtinuerit, quæcunq; nobis necessaria sunt ad salutem, exauditus enim est pro sua reuerentia: nos ergo non oremus, ne videamur orationem eius imperfectionis arguere. Ieiunauit Christus, nos non ieiunemus. Tulit crucem suam Christus, nos igitur non feramus nostram ne crucem illius obruere, opprimere, & imperfectionis arguere videamur. Fuit bonus & sanctus Christus, non simus ergo nos neque boni neque sancti: ne similiter existimet aliquis, nos illius bonitatem & sanctitatem opprimere, & infirmitatis insimulare velle. Num autem tale quid Architectus nostri temporis hæreseon docere non videtur? Nam si quem atrodit propter peccatum conscientia, sic eum respondere iubet: Quid peccatum, peccatum, attamen ego sanctus sum. Si ego probus non sum, Christus tamen probus est. Si cisti belli homines licere sibi iam putant, vt extremè sint, improbi, quandoquidem Christus non tam probus, quàm ipsa probitas est. Sicuti illius oblationem in cruce, sic illius orationē, illius ieiunium, illius pro bitatem & sanctitatem ad salutem sibi sufficere putant, nec aliud maiore studio cauent, q̄ ne vel micam quidem probitatis in se habere videantur, ne sic perfectioni probitatis, quæ est in Christo, detrahere velle iudicentur: quam etiam ob causam nolunt, vt quisquam inhærenti sibi, quam à Deo accepit, sed ea tantùm, quæ est in Christo iustitie, sibiq; imputetur, iustus esse censeatur, etiamsi ne micam quidem in se probitatis habeat. An hæc vobis non portentosa videntur? quæ non aliunde quàm ex fidei solius prædicatione proficiscuntur. At non ita nos Christus, non ita nos eius Apostoli docuerunt, Orare, ieiunare, crucem nostram ferre Christus nos iussit, & qui princeps fuit Apostolorum, Christus, inquit, passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius: Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini. Paulus verò cum Dei filios & hæredes, cohæredes autem Christi nos factos esse docuisset, mox addidit: Si tamen compatiamur vt & conglorificemur. Et alio loco: Si commortui fuerimus, & conuiuemus: si sustinuerimus, & conregnabimus. Compati nos ille, commori, sustinere vult, si conglorificari, si conuiuere, si conregnare volumus. Sicut autem compatimur, vt passionis illius ac deinceps gloriæ participes reddamur: sic & offerimus, vt oblationis illius in cruce participes efficiamur, & quemilla toti mundo fructum attulit, eum in nos transferamus. Nullus igitur est, qui non libenter confiteatur, quòd Christus vna crucis oblatione consumauit in æternum sanctificatos omnes. Gustauit enim mortem pro omnibus, factus est saluator omnium, & maximè fidelium, factus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, verumetiam pro totius mundi. Num autem propterea sanctificati sunt, aut sanctificantur omnes? Præclarè Ioannes Chrysostomus, Ipse quidem, inquit, Christus pro omnibus est mortuus, non pro fidelibus tantum, sed & pro mundo vniuerso, quid autem si non omnes credunt? ille quod suum erat impleuit. Quantum igitur ad vim, efficaciam, & perfectionem illius oblationis attinet, certum est quòd nihil ei defuit. Fuit illa plus quàm sufficiens ad reconciliandos & sanctificandos omnes, verùm si non omnes, non solùm infideles, verumetiam ex eorum numero, qui confitentur se nosse Deum sed factis abnegant, fructum ex ea capiunt, ipsorum culpa fit, non quòd in sacrificio crucis, purgationis æternæ vis, defuerit. Rectè è dictū est ab illo S. Monacho, quod Christus pro salute mundi semel factus est hostia salutaris, rei reconciliatio generalis. Generalis, inquit ille, reconciliatio rei, hoc est, vniuscuiusq; peccatoris fuit illa salutaris hostia, qua seipsum in ara crucis Christus pro nobis obtulit. Sed ea sic se habet ad sanctificandos omnes, sicut se lux habet ad illuminandos oēs. Luci quidem nihil deest quod ad illustrandos omnes pertinere videatur, cæterùm si quis mauult in tenebris & vmbra sedere, si neq; foras in aërē prodire, neq; fenestras per quas lux ingredi queat velit aperire, iam non lucis, verùm ipsius vicio fit, q̄, non illuminatur. Sic igitur dicit Paulus, Christū vna oblatione consumasse in æternū sanctificatos: sicut si quis diceret, Deū vna illustratione mundū in æternū illustrauisse, quod reuera facit, cū solē quasi sempiternum lumē accendit, cuius tamen luminis non statim fiunt oēs participes. Monet alio loco Paulus, vt emundemus nos ob omni inquinamēto carnis & spiritus, perficientes sanctificationē in timore Dei. Et alius Apostolus: Omnis, inquit, qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Num autem Christi sanguis non emundauit nos ab omni delicto? Præcipit nihilominus Paulus, vt & nos emundemus nos. Et alio loco dicit: Si quis ergo se mundauerit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum. An vna CHRISTVS oblatione non consumauit in æternum sanctificatos? & tamen Paulus monet, vt sanctificationem ipsi perficiamus. Et alius Apostolus dicit: Sanctificet se, sicut & ille sanctus est. Quasi non consumauerit sanctificatos CHRISTVS? Quin etiam vno & eodem loco dicit Paulus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Dixerat paulò antè, quòd sibi nos Deus per mortem filij sui reconciliauerit, obsecrat nihilominus Corinthios, vt reconcilientur Deo. Quorsum autem attinet reconciliari semel iam reconciliatos, & sanctificari semel iā sanctificatos? An illi recōciliationi & sanctificationi, qua per vnam crucis oblationem consumauit omnes, parum fidebat Paulus? an illam, sicut isti loquuntur, imperfectionis & infirmitatis insimulabat? Absit, quin fidebat ille plurimum, sicut & nos omnem spem & fiduciam nostram, non alia magis in re, quàm in vnica oblatione illa posita m atque defixam habemus, qua Christus Deo mundum reconciliauit, & consumauit in æternum sanctificatos. Cæterùm intelligebat ille spiritu Dei plenus, à nobis etiam aliquid adferri oportere, quo fructum illius oblationis consequi possemus. Nec enim sine causa dixit alio loco: Dei adiutores sumus. Non quòd ille sit imbecillior, quàm vt per se nos absque vllo adminiculo reconciliare & sanctificare queat, cùm rectè dixerit Prophetā, Quis adiuuit spiritum Domini, sed quòd cooperarios suos nos esse voluit, & ministros. Si fructum aliquem ex illius oblatione, generalisq; reconciliatione capere volumus, simul vt patiamur, simul vt offeramus cum illo. Verùm hic alia proferuntur verba legis. Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Nihil est his verbis legis verius, nihil est eo sensu, quem ex illis elicere conaris, magis falsum. Iam enim audiuistis, quod vna illa oblatione consumauit Christus in æternum sanctificatos, remissione peccatorum illis obtenta: nihilominus monet Paulus, vt reconciliemur Deo, vt perficiamus sanctificationem nostram. Generalis illa fuit oblatio, generalis reconciliatio & sanctificatio nostra, nec alia deinceps generalis vlla requiritur: sed si volumus fructum illius ad nos redundare, speciali quoque nobis opus est oblatione, quò nostram illam facere possimus, & vim atque efficaciam illius nobis applicare. Quod exemplo planum faciemus: Illustratus est semel mundus generali quadam illustratione, quamobrem nulla tali deinceps nobis opus est: non opus est alio sole, alia luna, aliis stellis, veruntamen interea necesse est quotidie singulas aëris illustrationes interuenire, si terra singulis est diebus illustranda. Tale quid de altaris oblatione nobis imaginari licet. Certum est, quòd iam non relinquitur nobis alia pro peccatis hostia, non alia crux, non alia passio, non alia mors, non alia sanguinis profusio, per quā reconciliari Deo & sanctificari nos oporteat, quando quidem illius semel in cruce mactatæ hostiæ oblatio, nōn minus hodie in conspectu patris efficax est, q̄ eo die quo de saucio latere sanguis & aqua exiuit, & reseruatæ in corpore plagæ semper humanæ salutis precium exigunt, & obedientiæ donatiuum requirunt. Sed si volumus, vt ea nostra quoque propria sit, & vt oblationis illius fructum consequamur, necesse est, vt illam ipsam, & non aliam hostiam, hoc est, redemptionem, sanctificationem, reconciliationem, quam illa nobis attulit, offeramus Deo patri, simul supplices precemur, vt illius contemplatione placatus & propitius esse nobis velit: Quo magis autem intelligi possit, quale sit hoc sacrificium, de quo sermo nobis nunc est, admonendos vos esse duxi, quatuor in scripturis oblationum genera reperiri. Fuerunt enim quædam ante legem, & sub lege, quæ vocat Apostolus vmbram & figuram, quòd illud in cruce pro nobis immolandum sacrificium adumbrabant & præfigurabant. Ac habuerunt illæ quoque reconciliandi vim & sanctificandi, verùm non ex propria sua, sed ex illius oblationis in cruce faciendæ virtute, ad quam referebantur: à qua vim sanctificandi mutuabantur, vt illius hostiæ futuræ merito sanctificarentur, quotquot erant sanctificati. Cæterùm adueniente veritate, cesserunt figuræ: adueniente luce, cessit vmbra. Quorsum enim attinebat, vt præfiguraretur & adumbraretur amplius, quod iam exhibitum est omnibus & reuelatum. Nam quod veterum victimæ & sacrificia promittebant, id vna crucis oblatione perfecit Christus & consumauit. Promittebant autem futurum, vt Dei filius in assumpta carne genus humanum redimeret. Deoq; patri per mortem suam reconciliaret, id impletum est in cruce. Quam etiam ob causam exhalaturus animam dixit Christus, Consumatum est. Sublatæ sunt igitur vmbræ, sublatæ sunt figuræ, posteàquam quod adumbrabatur & præfigurabatur, perfectum est. Sed num ideò tanti beneficij iam re ipsa nobis præstiti memoria debuit intermitti? Hoc vero cum illa pugnaret Euangelij vox: Hoc facite in meam commemorationem. Oblationis illius in cruce factæ memoriā hoc quotidiano sacrificio, sacerdos ille secundum ordinem Melchisedech Christus, in Ecclesia sua perpetuò celebrari præcepit, neque vnquam ante seculi consumationem intermitti. Succedere voluit hoc omnibus illis veteris testamenti sacrificijs, quæ immolabantur in vmbra futuri. Cuius enim futuræ victimæ Prophetiam suis victimis Hebræi celebrant, eius peracti sacrificij memoriam nos Christiani celebramus. Sacrificij nostri caro & sanguis, ante Christi aduentum per victimarum similitudinem promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, qua perfecta per memoriæ sacramentum celebratur. In veteri testamento fuit vmbra, figura, similitudo, in cruce veritas. Nam ibi verè mactata fuit caro Christi, verè sanguis illius profusus: in hoc nostro quotidiano sacrificio, memoria. Nō quòd in ipso quoque non sit veritas & præsentia carnis, quam pro nobis Christus obtulit in cruce, sed quòd passionis in ea veritas & præsentia non est, verùm imago quædam commemoratio

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratio & repræsentatio. Iam enim passio præterijt, nec vnquam deinceps amplius iterabitur, cùm illa quæ præterijt perpetua virtute consistat, neque minus Deo sit acceptabilis, nec minus efficax in illius conspectu hodie, quàm quo die caro pendentis in cruce mactata, quo die sanguis de saucio latere profusus est. Et sicut illa Iudæorum non propterea non fuerunt vera sacrificia, quòd simulachra quædam erant veri sacrificij, quòd erat in cruce peragendum, sic & hoc nostrum, non propterea non est verum sacrificium, quòd simulachrum est eiusdem illius veri sacrificij iam peracti. Nisi quis fortè sic insaniat, vt magis ad rationem sacrificij pertinere putet, quod rem faciendam signat, quàm quod iam factam commemorat. Certè sicut cœna nostra, non esset commemoratio cœnæ Dominicæ, imagoq; illius & exemplar nisi verè manducaremus: ita nec Eucharistia nostra, verùm exemplar & imago foret sacrificij, quod in cruce Christus obtulit, nisi verè sacrificaremus. Habemus itaque iam tria genera sacrificiorum, vmbram, veritatem, & memoriam. Superest quartum adhuc, quo Christus fungitur ingressus in cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, vbi nostrum agit aduocatum & propitiatorem, & sedens ad dexteram patris interpellat pro nobis, patriq; suo cœlesti cicatrices offert vulnerum suorũ, quæ pro peccatis nostris in corpore suo pertulit. Et est hoc idem sacrificium prorsus cum eo quod offertur in altari, idem vtrobiq; sacerdos, eadem victima, idem offerendi modus, nimirum incruentus. Nisi quòd in cœlo, per seipsum: in altari, per ministrum. Vtrobique corporis quod offertur veritas: verùm hic palliata, in cœlo manifestata. Hic in imagine Christus offertur, hoc est, sub panis speciebus & vini, ibi palam absq; vllis integumentis omnibus conspicabilis. An autem & hanc non tollunt oblationem? An autem aduocatum & sacerdotem nostrum, qui sedens ad dexteram patris pro nobis interpellat, de cœlo non deturbant? qui tantoperè contendunt, postillam in cruce factam nullam oblationem pro peccato superesse. Iam igitur habetis quatuor oblationum genera. Cæterùm de qua nunc agimus, eam nemo describit melius, quàm qui dixit: Passio Christi est sacrificium quod offerimus. Quam etiam ob causam Hermanus Patriarcha Constantinopolitanus, Agnoscite, inquit, omnes sacerdotes qui sacro altari assistitis, & incruentam victimam sacrificatis, quòd viuas Christi passiones annuntiatis. Viuas vocat, tanquam ad viuum veluti coloribus quibusdam expressis, non autem verbis tantum annunciatis. Nullam itaq; nouam hostiam, nullum nouum sacrificium offerimus, verùm quod in cruce peractum est, id sub oculos astantium subijcimus, vt eorum ergatam beneficum redemptorem affectum excitemus, & patri cœlesti, redemptionis nostræ precium repræsentemus, vt illius admonitus peccatis nostris propitius esse velit. Quam etiam ob rem à viro quodam pio & docto scriptum legimus, Missam dici legationem, quia in eius officio nobis legatio repræsentatur, qua pro humano genere patris legatione fungebatur. Porrò legatio non erat aliud quàm crux illius & passio, ad hoc enim à patre missus erat. Dicitur etiam legatio Missa, quia sacerdos in ea pro Ecclesia legatione fungitur. q. Christi corpus est, qua tamen ita fungitur, vt capitis quoq; Christi legatum agat, quem etiã quibus induitur vestibus repræsentat, vt passionem illius & habitu, & gestu, & actione, & quibuscunque potest signis exterius, non auribus modò, verùm & oculis assistentium ingerat, & sic mentibus eorum imprimat, vt haud aliter afficiantur, quàm si nunc in cruce pendentem & morientem Christum aspicerent. Amictus, significat velum quo velabantur oculi Christi, cùm alapis cederetur. Alba siue Camisia, vestem, qua fuit illusus ab Herode: Manipulus, funes quibus ad columnam ligatus: Chorda siue cingulum, flagella quibus grauiter fuit afflictus: Stola, crucem quam ad Caluariæ locum baiulabat: Casula, purpuream vestẽ, in qua fuit à Iudæis illusus. Ad hunc igitur modum ornatus, non aliter quàm si mundus vniuersus illi concreditus, atq; omnium sit pater, sic ad Deum accedit, & pro vniuerso terrarum orbe legatus apud illum & deprecator intercedit, vt non solùm viuentium, sic enim Chrysostomus loquitur, verùm & mortuorum peccatis, eum propitium reddat, nihil aliud offerens Deo patri, quàm Christi crucem & passionem. Quam, eleuans Eucharistiam, quod est sacrificij signum (nam & in lege, quæ sacrificabantur eleuari consueuisse docemur ex Leuitico) seorsum etiam corpus, & seorsum sanguinem in sublime tollens, & manus expandens, ita sub aspectum astantium subijcit, vt sibi tum Christum in crucem sublatum, & in ea manus expandentem, sanguinem etiam à corpore separatum videre videantur. Quod etiam ab Hermano Patriarcha Constantinopolitano legimus annotatũ. Quamobrem & rude vulgus cernere licet, vbi diligentius ad pietatem institutum est, & pectus tundentes, & ora percutientes, & gemitus atque suspiria quædam ædentes, ac modò in has vices nonnullos ex illis qui liberaliùs instituti sunt, prorumpentes: Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob. Equidem indignum esse me fateor, cuius orationem exaudias: verùm ô protector noster, aspice Deus, aspice qualis sit hæc victima, quæ tibi nunc offertur: num agnus hic est? num vitulus? num hircus pro peccato? num ex eo victimarum genere quas offerri tibi per Moysen in veteri lege præcepisti? Protector noster aspice Deus, respice in faciem Christi tui, pro nobis in cruce pendentis & morientis: respice quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nónne hic est mi Domine innocens ille, quem vt seruum redimeres, filium tradidisti? Nónne hic est author vitæ, qui vt ouis ad occisionem ductus, & vsque ad mortem obediens tibi factus, ignominiosæ crucis non dubitauit graue subire tormentum? Reduc Domine Deus oculos tuæ Maiestatis ad hoc opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum. Cerne manus innoxias pro sanguine manantes. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & remitte placatus, quæ manus pedesq; mei scelera patrauerunt. Considera inermе latus crudeli cuspide perfossum, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse, specta grati ilii mæ



næ prolis lacerata membra, & recordare benignius quæ fit mea substantia. Conspicare Dei hominis pœnam & relaxa conditi hominis miseriam: vide redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, qui iustus pro iniustis mortuus, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum crucis. Vtinam Domine appendas in statera peccata, quibus iram tuam meruí, & calamitatem, quam pro nobis passus est hic innocens filius tuus. Certè grauior hæc apparebit & magis digna, vt propter ipsam effundas super me misericordiam tuam, quàm fuit illa, vt pro peccatis meis contineas in ira misericordias tuas. Hanc igitur pro peccatis meis tibi satisfactionem offero, filij tui dilecti crucem & mortem interpono inter pecccata mea & iram tuam, & cum quæ possim allegare merita mea nulla reperiam, crucis hoc passionis, & mortis illius meritum allego. Meum est hoc meritum, quoniam ille pro sua ineffabili bonitate & misericordia, mecum id communicare, & quasi meum proprium esse voluit. Meum est, quia caro quoque de meo est, quæ fuit in cruce mactata, quia sanguis de meo est, qui de saucio filij tui latere manauit. Huius itaque passionis & mortis filij tui merito, per quam abundè pro totius mundi peccatis, tibi satisfactum est, quæ sunt à me patrata scelera clementer mihi condonari supplex peto. Nec enim aliud habeo quod offeram, vel tibi gratius, vel ad exinanienda peccata mea magis efficax, quàm vnicam oblationem istam, qua dilectus filius tuus in cruce consummauit in æternum sanctificatos. Sic sacrificium hoc offertur à cunctis simul fidelibus, non solum viris, verumetiam mulieribus, licet ab vno sacerdo te specialiter offerri videatur. Nam quæ ille Deo offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium intenta mentium deuotione commendat. Nec absunt ab hoc sacrificio cœlestes quoq; virtutes, cum nõ sine causa superiorum quoq; ciuium ordines in præfatione, quæ canonem præcedit, à sacerdote commemorantur: quam etiam ob causam sacrificium Angelorum à nonnullis præfatio vocatur. Qua de re sic aliquando scripsit Chrysostomus: cũ autem sacerdos Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omniũ Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum ordine collocabimus? Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum Chorus plenus est. Et alio loco: Papæ mensa mysterijs instructa est, agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, sanguis spiritualis ex sacra mensa reflcitur, Seraphin astant sex alis faciem tegentia. Omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritualis de cœlo descendit, sanguis in cratere ad tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis, & non reuereris, non confunderis, neq; Deum tibi propicium facis. Et iterum alio loco: Tempore, inquit, illo mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genua flectunt, & Archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos oliuarum gerentes, mouere Reges consueuerunt, eoq; arboris genere misericordiam commemorant, sic & Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini protendentes, rogant pro humano genere, quasi dicant: Pro his Domine oramus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires: animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc imolasti. Etiam Angelos habere dicit Ioannes Chrysostomus hanc oblationem in honore, quam tamen ab hæreticis nunc rideri videmus. Nec tantùm fideles omnes, & superni ciues, verùm & ipse Christus, qui verus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: præsens adest in hoc sacrificio, & quod in altari per ministrum, hoc in cœlo per seipsum facit, Deo patri vulnerum suorum cicatrices offerens, sic absque voce, quemadmodum à Theophylacto dictum est, re ipsa loquens: Pro humana natura, filius tuus ego sustinui hæc: miserere igitur eorum pro quibus ego patiti & mori sustinui: Si non appareret vultui patris pro nobis, non si ageret aduocatum nostrum apud illum, frustra preces & à populo, & à clero funderentur vniuerso. Sed per hunc sacerdotem petimus, quicquid impetratum cupimus. Quam etiam ob causam, omnes orationes, quas vulgò collectas vocant, ita ferè concludimus: per Dominum nostrum Iesum Christum, & post absolutum sacrificium hoc populo dicitur, Ite missa est. Quæ verba sic ante 700. annos quidam ex SS. Patribus interpretatus est, singularis legatio, CHRISTVS missa est pro nobis ad patrem, habens indicia secum passionis, vt patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, semper ostendat. Hic videre licet, quàm verè dictum sit à quodam S. Patre, In ipsa immolationis hora cœlos ad sacerdotis vocem aperiri, in ipso Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex inuisibilibus atque visibilibus fieri: dixit Augustinus, quòd sacrificium sit omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo. An autem esse potest opus vllum quo magis inhæreamus Deo sancta societate, quàm sit hoc quod in Missa peragitur, per quod sic & inter nos & cum Christo coniungimur, vt vnum corpus, vnus panis esse videamur. Nec in quoquam alio, quàm in hostia crucis, qua consumauit in æternum sanctificatos, omnem spem & fiduciam nostram collocatam habeamus. Quamobrem Cyrillus Hierosolymitanus de Missa, quam Lyturgiam Græci vocant, verba faciens, appellat eam, τὴν πνευματικὴν θυσίαν τὴν ἀναίμακτον λατρείαν, hoc est, sacrificiũ spirituale, & incruentũ cultũ. Christi verò corpus quod præsens adest in altari, vocat ibidẽ τὴν θυσίαν τοῦ ἱλασμοῦ, hoc est, sacrificiũ propitiationis Ger manus quoq; Patriarcha Cõstãtinopolitanus, θυσιαστήριον, hoc est, altare vocat, ἱλαστήριον, hoc est, propitiatorũ: propter præsentiam illius in ipso, qui est propitiatio nostra. Ioannes verò Chrysost, pulchram quandam similitudinem adfert de rege. Si quando trophæũ illius ce-

lebratur, quòd illo tempore captiui dimittuntur è vinculis, & multa licet impetrare, quæ, posteà quam solennitas est peracta, frustra petuntur. Sic fieri dicit etiam, cùm horrendum hoc sacramentum celebratur, quo pro mundo dedit seipsum Deus, quòd hoc tempus opportunum sit ad eorum qui peccauerunt memoriam faciendam, & veniam illis impetrandam. Sic à Cypriano, vel quisquis fuit author sermonis de cœna Domini, fuit autem cum primis pius & doctus, & ex priscis patribus scriptum legimus, quòd in huius victimæ præsentia, non superuacuæ mendicant lachrymæ veniam, neq; vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Hinc manasse mos iste videtur, qui nunc etiam obseruatur in Ecclesia, si quod grauius impendat periculum, quod propulsatum, aut si quid maiore studio cupimus impetratum: verbi gratia, vel vt pestilentiam à nobis Deus repellat, vel ab imminente ceruicibus nostris hoste nos protegat, vel aëris temperiem donet, vel si quid est eiusdem generis, vt ad hæc impetranda non aliud magis opportunum tempus existimetur, quàm sub eleuationem Eucharistiæ, quo tempore præsens adest realiter in altari, qui sacerdos & victima pro nobis factus est Dominus noster Iesus Christus. Cui victimæ vique eo soli tribuitur omnis propitiatio, nihil vt referre putetur, quo vitæ merito, iustus an iniustus sit sacerdos: sicut nihil refert qui ignem accendit, & ad stipulam aut lignum comburendum admouet, frigidus ille sit an calidus, tantum quippe caloris impertiet, non quantum habet ipse, sed quantum habet ignis admotus, quandoquidem ex opere operato, hoc est, ex vi rei factæ sit illa combustio. Sic proximis superioribus seculis ab Innocentio III. dictum est: Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti, sicut nec infirmitas medici, medicinæ virtutem corrumpit. Quamuis opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum. Opus operans ab Innocentio vocatur sacerdos, qui sacris operatur: opus operatum, res immolata, victima quæ præsens adest in altari. Huius virtute, non merito vel actione sacerdotis fieri dicit, vt cum Deo reconciliemur, peccatorum remissionem, & ea quæ petimus pro salute nostra, consequamur. Necaliter docuerunt qui secuti sunt eum scholastici Doctores omnes, virtute sacrificij, & operis operati valere Missam, productis illis Christi verbis, Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita, probauerunt. Quando CHRISTVS vt summus sacerdos offert, ait Scotus, caro eius est mundi vita, qualiscunq; tandem sit minister per quem offert. ¶ Cùm igitur in hoc sacrificio non alius agnoscatur sacerdos, nec alia victima, quàm Christus, qui semetipsum in cruce pro nobis obtulit, cum non alia sit legatio, sic enim appellare Missam quibusdam sanctis patribus visum est, quæ per ministrum ad patrem cœlestem ab Ecclesia mittitur vniuersa, quàm ille ipse Christus pro nobis apud patrem interpellans, & vulnerum suorum cicatrices, quæ pro salute nostra pertulit, Deo patri offerens, cum quicquid est propitiationis, illi soli tribuatur hostiæ, quæ pro nobis in cruce mactata est, qua vna consummauit in æternum sanctificatos: iam vos ipsi quotquot hic adestis iudicate, num hoc sit obruere & opprimere crucē & passionē Christi? nū hoc sit eā imperfectionis & infirmitatis insimulare? Quid aūt est aliud, bonū dicere malū, & malū bonū, ponere lucē tenebras, & tenebras lucē, ponere dulce in amarū, & amarū in dulce, cuius generis hominibus væ sempiternum per Prophetam Deus comminatur, quàm quod isti faciunt, qui quod est quā maximè clarum, testatum omnibus & illustre fecare, vocant obruere & opprimere: quod est summam virtutem & efficaciam tribuere, vocant imperfectionis & infirmitatis insimulare. Scilicet hoc est obruere Christi crucem & passionem, eam sub aspectum omnium subijcere, perennem illius memoriam esse velle. Deniq; sic mentibus hominum eam imprimere, vt à quo se sic amatos esse vident, non possint vicissim eius amore non inflammari? Hoc est imperfectionis eam insimulare, illam ad patrem cœlestem allegare, in illa spem & fiduciam omnem collocare, illam inter peccata nostra, quibus Deum grauiter offendimus, & iram eius interponere: ab illa propiciationem, ab illa salutem omnem expectare. Quæ vos per Deum immortalem, quale sit hoc genus hominum, vobiscum expendite. Sub horum persona dixisse videtur aliquando Propheta, Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Quod ipsi facere conantur: vt CHRISTI crucem & passionem obruant & opprimant, vt illius memoriam prorsus omnem deleant, id nobis per summam calumniam impingere non verentur. Quid aliud est hoc tremendum de quo nunc agimus Missæ sacrificium, quàm Christi beneficiorum breuis quædam commemoratio, & quasi sub ob oculos subiectio? præsertim illius immensi mortis & crucis beneficij, quo nullum præstari nobis maius potuit. Hocigitur dum isti abolitum esse volunt, quis est qui dubitare queat, quin Christi crucem & passionem sempiterna quadam obliuione obrutam & oppressam cupiant. Sed ego longior sum, quàm initio proposueram. Quamobrem hic dicendi finem faciam, si prius vos admonuero, quanto maiore studio contendit & elaborat Satanas, vt redemptorem nostrum, & redemptionis nostræ pretium sanctum Christi corporis & sanguinis iuge sacrificium nobis eripiat: vt id vos tanto ere brius maioreq; pietate frequentetis. Nec alia magis in re, quàm in assidua crucis & passionis huius, quæ per sacerdotem sacris operantem sub aspectum nostrum subijcitur, cogitationes vestras, spem etiam & fiduciam vestram omnem defixam habeatis, & eadem, sicut Petrus admonet, cogitatione armemini. Ita futurum est, vt, si compassi fueritis & conglorificemini, & sempiterna bona consequamini, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi.





DVAS aranearum telas, quibus captus eram, quamdiu musca fui, fic mihi dissoluisse videor, vt bona spe sim, non facilè quenquam vestrũ deinceps illis irretitum iri. Sed si quis tamen adhuc in animo cuius quam scrupulus restat, is ad Reuerendos Patres & præceptores nostros adeat, qui facilè sunt ei dubitationem omnem sublaturi. Nunc ad reliquas dissoluendas vestris precibus adiutus aggredior. Vos quod hactenus fecistis, benignas aures, grauissimis de rebus dissentiri præbeatis. Idololatriam aiunt esse cultum extra Dei verbum instituere: quod clarè testetur hoc dictum: Fruſtra me colunt mandatis hominum, Et prophetæ vocant, inquiunt, idololatriam sacrificia, quæ fiebant extra verbum & mandatum Dei, qualia fuerunt sacrificia excelsorum, & in lucis, & cultus idolorum in Betauen, & cultus æneiserpentis. Sed si verum est quod isti dicunt, quis poterit SS. Patriarchas ab idololatriæ grauissimo crimine vindicare? Quod enim habuit mandatum Abel, de suis primogenitis & adipibus offerendis? Num autem quia faciebat id extra Dei verbum, quod asserere videntur isti, reus idololatriæ pronunciabitur? At non ita scriptura, verum has oblationes gratas Deo fuisse testatur, cùm ait, Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Quod habuit mandatum Dei Noë de altari ædificando, & holocaustis in eo offerendis? quod Abraham, quod Iob, & alij nonnulli, quos in odorem suauitatis obtulisse Deo sacrificia scriptura testatur? An hos omnes tu reos fuisse idololatriæ dices? Vides igitur quantum sit absurditatis in hoc argumentandi genere. Sed scripturam profers? Rectè scriptura, sed sensus quem adfers rectus non est, quin à veritate longissimè remotus est. Nihil minus cogitabat Spiritus sanctus, quàm quòd ex hac scriptura tu colligere conaris, Idololatriam esse cultum omnem extra Dei verbum institutum. Sed quem adfert Basilius, hic verus est huius scripturæ sensus. Traditionibus humanis ad mandatum Dei reprobandũ vtendũ non esse. Sensum hunc etiam ipse Christus attulisse videtur, cùm in eodem capite paulò superius dixisset: Irritum fecistis Dei mãdatum propter traditionem vestram. Non igitur his verbis cultus extra Dei verbum prohibetur, sed ne propter traditionem humanam irritum faciamus Dei mandatum. Quod autem exemplum adfers de sacrificijs excelsorum, & alijs: quis potuit ad id melius respondere, quàm ille celeberrimus Ecclesiæ Doctor Augustinus. Qui Christianas, inquit, literas vtriusq; testamenti sciunt, non hoc culpãt in sacrilegis ritibus paganorum, quòd construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia: sed quòd hæc idolis & dæmonijs exhibeant. Videtis quemadmodum vnum & idem opus & sacrificium sit in odorem suauitatis, si quis Deo: & abominandum sacrilegiũ, si quis illud exhibeat Idolis atq; dæmonibus. Ante 1200. annos congressurus cum Aug. Maximino Arianus, hunc ipsum scripturę locum, eodem quo nunc isti sensu protulit: Si quid, inquit, de diuinis scripturis protuleris, necesse est vt audiamus: hæ verò voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur, cùm ipse Dominus moneat nos & dicat: Sine causa colunt me, docentes mandata & precepta hominum. At Augustinus, ne responderequidem ad hæc illius verba dignatus est, quòd ea nihil ad rem pertinere iudicauerit. Sed vt ad causam veniatur, fidem suam profiteri Maximinũ iubet. Si quis historiarum Ecclesiasticarum scriptores legat, si Conciliorum Oecumenicorum acta, non alio rationis genere frequentius vsos fuisse Hæreticos reperiet, quàm hoc, Non est scriptum, non est itaq; recipiendum: vetus vt hæc eorum cantilena semper fuerit, nihil esse recipiendum præter scripturas, quas & earum intelligentiam vsq; eò sibi solis arrogabant, vt earum possessione cæteros excluderent. Quam etiam ob causam scriptor ille vetustissimus Tertullianus, qui non ita longo interuallo fuit à temporibus Apostolorum disiunctus, hunc potissimum gradum obstruendum illis esse docet, vt non admittantur ad vllam de scripturis disputationem, quòd eis minimè competat possessio scripturarum. Arius cum suis sectatoribus, nullam vocem extra S. Scripturam recipiebat, atq; propter eam causam non admittebat Homousion, quòd ea vox in scripturis non reperiretur. Sed eos ex non scriptis, piè tamen intellectis sermonibus in Cõcilio Niceno damnatos fuisse, Theodoretus narrat. Similiter in Concilio Constantinopolitano, cùm Spiritum sanctum Deum esse profiteri nollet, quandoquidem id his ipsis verbis expressum in scripturis non inueniretur, ex Patrum Theologorumq; doctrina cõfirmatam veritatem, & Macedonium esse condemnatum, scribit Photius. Nec secùs actum est in Ephesino Concilio. Cùm. n. tragicè Nestorius vociferaretur, semel & iterum IESV matrem in Euangelio vocari, Dei verò matrem nusquam in scripturis appellari: non esse voces extra scripturam recipiendas, responsum hoc à Cyrillo tulit: Hanc nobis fidem diuini tradidere Discipuli, & licèt nullam fecerint dictionis huius mẽtionem, ita tamen sentire à SS. Patribus edocti sumus. Fatetur hic nusquam in scripturis vocem hãc reperiri, sed quia sic Patres docuerunt, in eorũ placitis acquiescendum esse censet. In Concilio Calcedonensi quærebat Eutiches, in qua scriptura iacent duæ naturæ. Ego, inquit, in SS. scripturis non didici de duabus naturis. Solas inquirere se scripturas iactabat, tanquam illo Concilio congregati? Clamauerunt, vt in actis eius Concilij legimus, Ea quæ sunt Patrum doctrinis & expositionibus firmiores. Quid ad hæc Reuerendissimi Episcopi in trum teneantur. Sequentes SS. Patres ita docemus, Qui non consentit expositioni SS. Patrum, seipsum alienat ab omni sacerdotali communione, & à Christi præsentia. Sed quorsum attinet, quę sunt in alijs quoq; synodis ad eundem modum aduersus hęreticos acta, cõmemorare? Quamobrem vnum tantùm canonem adhuc ex actis septimę synodi Oecumenicę, quæ fuit habita Niceæ protulisse contenti erimus. Qui doctrinas SS. Patrum, & Ecclesiæ

siæ Catholicæ contemnunt quicq; caussantur, & voces Arij, Nestorij, & Dioscori iactant, dicentes. Quod nisi satis ex veteri & nouo testamento instructi essemus, sanctorum Patrum, sacrarum sex synodorum, doctrinas & Catholicas Ecclesias traditiones non sequeremur, execratio. Semper eos Ecclesia Catholica fuit execrata, qui reijciẽdum esse censerent, si quid ijsdẽ verbis in scripturis expressum non reperiretur, & cum Apostolo suos est hortata: State & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Sicut ille Thessalonicen-ita suos illius exemplo pia mater Ecclesia, nõ magis ea quę scripto, quam quæ sermone tradita sunt, obseruari voluit. Sed videte per Deum immortalem, quorsum tandem res recideri, cùm ab istis persuasi quidam, Idololatriam esse censerent, cultum extra Dei verbum instituere, doctrinis quibusdã alijs nouis & peregrinis abducti, nec paulò longius quàm eorum præceptores progressi, cœperunt & ipsi quærere, quodnam Dei verbum sit illud, quo Deum trinum in personis, & vnũ in essentia colere iubeamur, & vbi scriptum hoc inueniatur. Et cùm nec Trinitatis, nec essentię, nec personæ nomen vsquam illis in toto canone scripturarũ ostendi potuerit, sicut etiam ab Augustino scriptũ legimus: Personam dicimus, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit: in SS. Trinitatem, in Deum trinum & vnum, in essentiam diuinam, tot probra, tot maledicta, tot blasphemias eiaculati sunt, vt rectè cum Propheta nobis exclamare liceat: Misericordiæ Domini, quia consumpti non sumus. Misericordia Domini, quia terra non dehiscit, & blasphemantibus, & has tam horrendas blasphemias æquis auribus audientibus. Verùm grauiora tantis flagitijs supplicia Deus destinasse videtur. Quid autem ad hæc isti, qui docent Idololatriam esse cultum extra Dei verbum instituere? molestè quidem ferre se, quòd eorũ discipuli tam longè progressi fuerint, ostendunt, cùm doctrinę suę, quam purum Dei verbum & Euangelium vocari volunt, ea re detrahi plurimum, & ab ea multos alienari videant. Sed cùm adipsos in eam quam volunt viam reducendos, & ad eorum tetros errores cõfutandos aggrediuntur, non eis alia succurrunt arma, quibus vti rectè possint, quàm quibus à Catholicis prius oppugnatos se fuisse meminerunt. Intelligunt in scriptura sibi parum aut nihil esse præsidij, quamobrem Patres, Concilia, vetustatem, perpetuum totius Ecclesiæ consensum, blasphemis istis opponunt. At boni Trideistę, malorum coruorum oua pessima: Non imponant, inquiunt, nobis Patres, Concilia, vetustas. Vetusti sunt isti panni, quos primi vos lacerastis in alijs articulis fidei. Vnus sit magister noster Christus, Os Iehouæ cõsulendum, non hominum. Sunt etiam hic plerię Gabaonitę, qui vobis imponunt, amicos se profitentes, & nihil intereà optant, quàm vt populum ad Ægyptum reducant, variis modis & cõfessione Augustana. Iamnè videtis, charissimi, quo tandem ventum sit, qui cùm de sanctorum inuocatione, de satisfactione, de purgatorio, de tremendo Missæ sacrificio, deq; cæteris eiusdem generis disceptabatur, nihil minus ferre poterant, quàm vt sibi Patres, Cõcilia, vetustatem, quisquam obijceret: quandoquidem idololatriam esse docebant, instituere cultum extra Dei verbum. Os Iehouæ consulendum esse non hominum: ecce nunc ij discipulis suis longius quàm volebant progressis, opponunt eadem illa, quæ cùm olim à Catholicis obiecta sibi fuissent, aures eorum audire non sustinebant. Sed surdis, quod aiunt, fabula. Irritus cadit labor eorum omnis. Audiuit enim ab illis, vetusti sunt isti panni, quos primi vos lacerastis in alijs articulis fidei. Licuit vobis cum alia multa, quæ paulò antè commemorauimus, tum quotidianum Ecclesiæ sacrificium, tanta priscorum Patrum & Conciliorum authoritate firmatum, tot seculorum incredib. li totius Ecclesiæ consensu roboratum, vt semper hactenus fuerit habitum sacrosanctum: Licuit vobis illud hoc solo nomine reijcere, quòd nihil in scripturis Prophetarum & Apostolorum de eo reperiatur, & idololatria sit, cultum extra Dei verbum instituere: cur & nobis non liceat, quando quidem semel Papatum oẽm, hoc est, Christianam religionem omnem euertere decretum est, qua via vos alij tectum illius diruistis, alij parietes disiecistis, eadẽ ad fundamentũ etiã illius aggredi, quo sic & illud ab Antichristi sordibus repurgetur. Nam quoad in illo putridum aliquid remanserit, metuendum est, ne putrefacto fundamẽto, totum ædificium inclinatum paulatim ruat. Cùm autem fundamentum sit Papatus, Trinitas, Deus trinus in personis, vnus in essentia, hoc nobis imprimis repugnandum est. Facessant igitur voces quæ non reperiuntur in scripturis: facessat cultus Trinitatis extra Dei verbũ institutus: facessat illa precatio, quæ neq; Caluino placet, quod eam barbariem sapere dicit, Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis: cum puluisculo tollantur omnia quæ sunt extra Dei verbum: & ne vestigium quidem vllum doctrinę de Trinitate relinquatur. Videtis charissimi, quorsum impietatis vẽtum sit ad extremum, posteàquam hominibus persuaderi cœptum est, quòd nihil sit recipiendum præter scripturas, quòd Idololatria sit, cultum extra Dei verbum instituere. Simul & hoc intelligitis, quàm verè dictum sit à Basilio, si consuetudines, quæ scripto proditę non sunt, tanquam haud mustum habentes momenti reijcere conemur imprudentes, etiam præcipuis Euangelij partibus plurimum detrahemus, vel potius ad nudum nomen fidei præcationem contrahemus. Quamobrem perpetuò mentibus vestris infixa sint ea verba, quæ proxima superiore Declamatione ex Augustino recitauimus. Insolentissimæ cuiusdam est insaniæ, de eo disputare, quod per orbem vniuersum tota frequentat Ecclesia: nec vnquam excidat memoria vestra saluberrima S. Patris alterius admonitio, Traditio est, nihil quæras amplius. Si tràditiones tot seculorum Hęretici nostri temporis non contempsissent, nunquam in hoc tam profundum totius impietatis baratrum incidissent. Iam igitur & hac aranearum tela dissoluta, multò minus illam habere virium demõstratum est, quàm vt ea teneri facilè quisquam possit, qui non prorsus omnis Ecclesiasticę doctrinę rudis est. Sed nos tamen hoc loco minimè cõsistemus, non quòd aliquid addere necessarium ducamus, quandoquidem sufficit illud, Traditio est, nihil amplius quæras: verùm vt quorundam curiositati, quoad eius



eius fieri poterit, satis faciamus. Itaq; sicut falsum esse doctimus, Idololatriam esse, cultum extra Dei verbum instituere: Nam alioqui sanctos etiam illos Patriarchas, grauissimi criminis huius condemnare necesse foret: Sic & illud falsum esse demonstrabimus, quòd extra Dei verbum sit institutus cultus hic, hęc, sicut Augustinus loquitur, propriè soli Deo debita seruitus, quod Missæ sacrificium vocamus. Nisi fortè Dei verbum non est, quod ab ipso filio Dei pronunciatum est, qui dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Quid hac scriptura clarius & apertius esse potest? Quid enim tunc Christus faciebat? Pascha cum discipulis suis mãducabat. Quale Pascha? Pascha de quo paulò antè dixerat, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Non veruecinũ fuit hoc Paschæ, sicut loquitur Tertullianus: indignum enim erat, vt veruecinum Dei filius tanto desiderio manducare desideraret. Illud igitur Pascha manducare desiderabat, de quo scripsit Paulus: Pascha nostrum immolatus est CHristus, quod Pascha paulò pòst verè fuit immolaturus in ara crucis, vbi sanguinem suum pro nobis fudit, id in mysterio tùm obtulit in illa cœna nouissima. Duplex enim Pascha celebrabat, duplicem agnũ eadem vespera cum suis discipulis manducabat: Iudaicum vnum, nostrum alterum. Agnus ille Iudaicus, quem in lege Moyses manducari præcęperat, agni futuri typus fuit: sanguis ille, sanguis Dominici, sicut apud Chrysostomum legimus, monstrabat aduentum: & ouis illa, fuit spiritualis ouis exemplum. Agnus ille vmbra fuit, hic veritas. Sed postquàm soliustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce: & ideò in ipsa mẽsa, vtrumq; Pascha, & typi, & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigijs quibusdam adumbrare consueuerunt, & sic varietate colorũ perficere: ita & Christus fecit in vna mensa, & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis ostendit. Vbi vis paremus tibi manducare Pascha? Iudaicum Pascha fuit, quod discipuli præparabant: sed oportet vmbram euanescere apparente sole, & figuram cedere adueniente veritate. Sic de duplici celebratione Paschæ loquitur Chrysostomus, à quo nõ diuersum sentit Hieronymus. Postquàm typicum, inquit, Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui corporis & sanguinis repręsentaret. Si verũ Pascha tùm CHristus cum suis discipulis celebrabat, & verum agnum cum illis manducabat, nimirùm suum ipsius corpus & sanguinem: constat autem, quòd ex præscripto legis agnus ille prius immolabatur, & immolatus manducabatur: cui dubiũ esse potest, quia Christus verum agnum, hoc est, suum ipsius verum corpus, & verum sanguinem, prius obtulerit patri suo cœlesti: deinde & manducauerit ipse, quandoquidem & conuiua fuit & conuiuium, & manducandum Apostolis dederit. Vnanimiter testantur hoc omnium seculorũ sancti Doctores omnes, quin & ipsa vocula, qua Christus vsus est, Hoc facite, satis id exprimere videtur. Nam non Latina magis quàm Hebræa & Græca lingua facere significat, idem quod offerre, cùm frequens illud sit in scripturis: Facere agnos, facere hircum, facere turtures, facere hędum, facere holocaustum, facere arietes, facere vitulos. Citat Hieronymus ex Leuitico iuxta septuaginta: Accede ad altare, & fac pro peccato. Ac paulò pòst, Descenditq; cùm fecisset pro peccato. Quod est in Græco ποίησον περὶ ἁμαρτίας, hoc ille sic ex Hebręo vertit: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo. Et rursus: Completis hostijs pro peccato descendit. Quin & ipse verborum Christi contextus, quemadmodum Græcè scripta leguntur, satis indicat, quòd in illa cœna se Christus obtulit. Præsentis enim temporis, non futuri verbis vtitur. Hoc est, inquit, corpus meum, quod pro vobis datur & frangitur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis, vel pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Iam tùm in illa cœna dari, hoc est, immolari Christi corpus: iam tùm in mysterio, sicut fit ad altare sacris operante sacerdote, sanguis eius in remissionem peccatorum effundi videbatur. Quò respexisse videtur etiam Gregorius Nissenus, magni Basilij frater, cùm non dubitaret dicere, quòd Christus in illa cœna præoccupauerit œconomia quadam violentium impetum Iudæorũ, & iuxta quendam ineffabilem sacrificij modum, & qui ab hominibus cerni nequit, seipsum obtulerit oblationem & hostiam pro nobis. Cuius sententiam Theophilactus quoq; sequutus esse videtur. Ex quibus omnibus, vel ipsa luce magis perspicuum esse potest, quòd prius offerebat seipsum in illa cœna Christus, deinde verò cum ipse manducabat, tum Apostolis manducandum porrigebat, quodq; fecerat ipse, etiam illis præcepit: Hoc, inquit, facite in meam commemorationem, hoc, quod me vidistis facientem, qui prius obtuli Deo patri meo cœlesti, corpus hoc meum, & sanguinem hunc meum, deinde manducandum & bibendum Apostolis dedi, hoc & ipsi facite. Corpus hoc meum, sanguinem hunc meum, grattissimum Deo sacrificium offerte, cum gratiarum actione, summum illud redemptionis vestræ beneficiũ recolentes, deinde cùm edatis ipsi, tum edendum alijs exemplo meo præbeatis. Hic est germanus Christi verborum sensus, nec pro sacrificio quod à nobis nunc asseritur, apertius dici quicquam potuit. Præcepit enim his verbis Christus Apostolis, vt quę ipse fecit in illa cœna sacrosancti sui corporis & sanguinis hostiam, in suæ passionis & mortis recordationẽ offerrent, quò sic iugiter coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium. Sicut Iudæis mandatum à Deo fuerat, vt immolarent agnum illum typicum: sic Apostolis & eorum successoribus idem præcepit, vt immolarent verum illum agnum, quem designans Ioannes, dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. De quo scripsit Esaias, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet. De quo loquitur agnus ipse per Hieremiam: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Et sicut Iudæis Deus præceperat, Cùm dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? vel vt est apud Septuaginta: Qui cultus hic est? dicetis eis. Victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



domos nostras liberans. Sic & nunc præcipit Christianis: Si dixerint vobis filij vestri, quæ-nam hæc religio? qui cultus hic est? quid sibi vult, quod sacrosanctum corpus & sanguis Christi sub panis & vini specie offertur in altari? Dicetis eis: Victima transitus Domini est. Grata quædam fit illius nunquam satis prædicandi beneficij recordatio, quo Dei filius homo factus, victimam Deo patri seipsum obtulit, quo suum corpus ex virgine sumptum pro nobis in mortem tradidit, quo suum sanguinem in cruce fudit, vt nos erutos è Diaboli captiuitate, patriq; cœlesti per mortem suam reconciliatos, non tantùm in libertatem asseret, verumetiam fratres, Regniq; sui cœlestis cohæredes efficeret. Hic videre licet, quòd agni figura, quem Iudæi iuxta legis præscriptum offerebant, magis in cœna, quàm in cruce fuit repræsentata. Nam sicut in Paschate Iudæorum, sic & in eo quod cum suis discipulis in illa nouissima cœna CHristus celebrabat, quod nunc etiam à sacerdotibus ex illius institutione quotidie celebratur, præteritæ tantum redemptionis fit recordatio, cùm in cruce præsens fuerit ipsa redemptio. Quod etiam enarrans illa verba Ioannes Chrysostomus: Hoc facite in meam commemorationem, non obscurè videtur indicare, cùm ait: Vides quomodo à Iudaicis abducit & auocat moribus. Nam sicut illud, inquit, in miraculorum memorationem, quę in Ægypto patres vestri viderant, faciebatis: sic & hoc in meam facite commemorationem. Habeatis itaq; iam tale præceptum de cultu hoc soli Deo propriè debito præstando, nullum vt euidentius requiri possit. Facit nihilominus omnia per membra sua Satanas, vt huic tam claræ luci tenebras offundere queat. Negat præcepisse Christum Apostolis, vt offerant, verum vt manducent & bibant, & idem facere volentibus ministrent. Quid aût? An optima non magis humanæ quàm diuinæ legis interpres consuetudo non est? Ante 1500. & amplius annos, hæc semper totius Ecclesiæ praxis fuit, quotidianum hoc & iuge sacrificium, nunquam in ea celebratum non est, nec per tot secula quisquam repertus est, aut ex priscis aut ex recentioribus Theologis, quos quidem Catholicos esse constaret, qui contrarium his verbis affingere sensum auderet. Habemus Missæ Canonem, quem Romana recitat Ecclesia, simul vt sub Christi persona dixit sacerdos, Hoc facite &c. statim subiungit, in sua & cuius minister est Ecclesiæ persona: Vnde & memores nos Domine serui tui, huius tam beatæ passionis &c. offerimus, &c. De Christo quoq; loquens Ambrosius in sua Missa: Qui formam, inquit, sacrificij salutis perennis instituens, hostiam se prius obtulit, & primus docuit offerri. Et in libro de sacramentis, quantum sit sacramentum cognosce: Quotiescunq; hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adueniam. Et sacerdos dicit: Ergo memores glorioſissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ, & petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificiū Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech, &c. Quis potest melior esse verborum Christi interpres, quàm sponsa sit eius Ecclesia? Ne verò putet aliquis Latinam tantum Ecclesiam hæc verba Christi sic intellexisse, Græca quoq; quin & Hebræa minimè diuersam eorum interpretationem adfert. Extat Missa Iacobi Apostoli fratris Domini. In ea post recitata verba, Hoc facite in meam commemorationem, subiungitur mox: Memores igitur & nos peccatores passionum eius viuificarum, crucis salutaris & mortis, &c. offerimus tibi Domine hoc sacrificium verendum & incruentum. Extat quoq; Liturgia Basilij, in qua similiter his verbis recitatis, Hoc facite in meam commemorationem, subiungit è vestigio. Memorantes igitur & nos salutarium passionum, &c. tua de tuis tibi offerimus, &c. Ac aliquantò superius, Tu Domine, inquit, ostendisti nobis magnum istud salutis mysterium. Tu idoneos nos fecisti fieri ministros sancti altaris tui. Ministros altaris, inquit, non verbi tantùm. Extat Liturgia Chrysostomi. Recitantur ibi quoq; verba cœnæ, subiungitur mox: Memoriam igitur agentes salutaris huius mandati, & omnium pro nobis factorum, crucis, &c. tua de tuis tibi offerentes. Quæ verba Germanus Patriarcha Constantinopolitanus explicans, Dominus, inquit, noster IESVS preciosum suum corpus & sanguinem nobis dedit, inquiens, Hoc facite in mei commemorationem. Nos autem memores eius mandati ἀντίτυπα, hoc est, figuralia, sic enim vertit interpres, offerimus, inquientes tua ex tuis tibi, &c. Ac aliquantò superius: Fac nos dignos, vt offeramus tibi sacrificia immaculata pro populo tuo, & idoneos nos redde, quos in hoc tuo ministerio posuisti. Ac paucis interiectis: Summus Pontifex noster, sacrificiorum ritum instituisti, ac solemnis huius & immaculati sacrificij celebrationem nobis mandasti. Extat Æthiopum quoq; Missa. In ea, postquàm dixit Sacerdos, Quoties hoc feceritis, &c. subiungit: Nunc autem recordamur mortis tuæ, & resurrectionis tuæ, offerimusq; tibi hunc panem, & hunc calicem, tibiq; gratias agimus, quòd per hoc sacrificium, dignos nos fecisti standi in conspectu tuo, & sacerdotale coram te officium exercendi. Extat apud Clementem quoq; Liturgia similiter ibi recitatis verbis his, Hoc facite, Memores igitur, inquit, passionis eius & mortis, offerimus tibi Regi & Deo, secundum ipsius ordinationem, panem hunc, & calicem hunc &c. Et aliquantò superius, vbi tractat de ordinatione Episcoporum: Placeat, inquit, tibi laudabiliter offerendo tibi mundam & incruentam hostiam, quam per Christum instituisti mysterium noui testamenti in odorem suauitatis. Et in fine eiusdem libri, Primus, inquit, natura Pontifex, & vnigenitus Christus, qui non sibi ipsi honorem arripuit, sed constitutus est à patre, qui propter nos factus homo, & spirituale sacrificium offerens Deo & patri suo, ante passionem nobis solis præcepit hoc facere, quanquam præsentes nobiscum essent alij, qui in ipsum crediderunt. Sed non omnino omnis qui credit, continuò sacerdos est, & pontificium consequitur honorem. Post autem assumptionem ipsius, non oblato secundum ordinationem



nationem eius sacrificio, puro & incruento constituimus, &c. Idem Dionysius quoq; sentit Areopagita, qui fuit æqualis eius. is itidem vt Clemens discipulos ad functionem sacerdotalem à CHristo in cœna fuisse promotos indicat, verùm ita, ne prius hoc officio fungerentur, quàm assumptus in cœlum, Spiritum sanctum eis misisset. Et aliquantò antè, Hoc facimus, inquit, vt eloquia aiunt, in eius recordationem. Et paucis interiectis, Quòd hostiam salutarem quę supra ipsum est litet, excusat se decenter ad ipsum exclamans, Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem. Et qui vixit eodem tempore Martialis, Quòd, inquit, CHristi corpus Iudæi per inuidiam in ara crucis immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dns noster iussit nos agere in sui commemorationem. Proximus horum temporum Irenæus disertis verbis, Noui testamenti nouam oblationem CHristum in cœna docuisse scribit. Nec minus apertè Cyprianus id indicat, patres hos non ita lõgè sequutus, cùm dicit, quòd sacrificium Deo patri CHristus ipse primum obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit. Sed nec illud obscurius est, quod ab Eusebio scriptum legimus: Sacrificium eximium patri suo CHristus operatus pro nostra omnium salute obtulit, eiusq; rei memoriam vt nos ipsi Deo pro sacrificio offeramus, instituit. An autem & hæc Ambrosij verba non æquè clara sunt? Accedo ad altare tuum, vt offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Num autem obscuriora sunt quæ profert æqualis eius Gaudentius. Discipulis eius, inquit, fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, vt indefinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsque quo Christus iterum de cœlo adueniat, quò & ipsi sacerdotes & omnes pariter fidelium populi ex-emplar passionis CHristi ante oculos habentes quotidie & gerentes in manibus, ore etiam fumentes, ac pectore, redemptionis nostræ incredibilem memoriam teneamus. Chrysostomus verò cùm dicit, quod pro brutorum cæde seipsum offerendum præcepit: an minus apertè idem asserit? verumetiam apertius Leo Pontifex, IESVS, inquit, discumbentibus secum discipulis, ad edendam mysticam cœnam corporis & sanguinis sui ordinans testamentum, docebat qualis hostia debet offerri Deo. Nec minus perspicuè Theodoretus: Clarum, est, inquit, nos non aliud sacrificium offerre. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Sed longum esset omnium hac de re sententias proferre. Quamobrem ijs contenti nunc erimus, quos vixisse constat ante mille annos. Nam qui sunt cæteris recentiores, Leo Pontifex ac Theodoretus, vixerunt Calcedonensis Concilij tempore, quod habitum est ante mille centum annos. Qui verò posteà sunt ad hæc vsq; nostra tempora consequuti, quin idem senserint cum istis, dubium est nemini. Itaque superuacaneum prorsus fuerit, eorum hac de re sententias recensere, cùm & vnus die sad id non sufficeret. Habetis igitur iam ex vna parte sanctas illas aquilas, quæ ex varijs, & longo locorum interuallo disiunctis totius orbis Christiani partibus, in vnam hanc sententiam conuolarunt, quod his verbis: Hoc facite in meam commemorationem, noui testamenti nouam oblationem CHristus instituerit. Habetis ex altera parte corum vnum, Monachum vnum apostatam, qui cùm interposito iureiurando perpetuam professus continentiam, voto se castitatis obstrinxisset, posteàquam ei Monacha quædam adlubescere cœperat, œstro numinis quam venirem vocant percitus, contra iurisiurandi sui religionem per fractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ claustris, cum ea se nefaria turpitudine contaminauit, & quod semper fuit habitum incœstum sacrilegium, id honorabile coniugium & thorum immaculatum vocari voluit, & vt ita vocaretur, à multis obtinuit. Hoc igitur tale monstrum habetis ex altera parte viris illis totius orbis Christiani celeberrimis oppositum. Non agitur de scriptura, quæ profertur à Catholicis, nec reijcitur ab hoc monstro, verùm agitur de eo, num sit ea potius illius interpretatio recipienda, quam totius orbis Christiani lumina, tot sancti Patres adferunt, an ea quam heri, quod aiunt, & nudiustertius à cerebro suo commentus est vnus ab omnibus dissentiens, quidam excusatus frater, quem verè semen adulteræ dicere possis: quandoquidem nulla parentum reuerentia tangitur, & eis obstrepere non veretur. Et erit quisquam, qui sanctissimos, grauissimos, doctissimosque patres illos, quorum sententias protulimus, fuisse cœcos: hunc verò solum cum suis sectatoribus oculos habuisse, quibus à se nuper inuentum scripturæ sensum videri, persuaderi sibi patiatur. An autem & nobis exclamare cum Augustino non licebit: Vsque adeò permiscuit ima summis longus dies, vsque adeò tenebræ lux, & lux esse tenebræ dicuntur, vt videant Cœlestius, Pelagius, & Iulianus, dicemus nos, Lutherus, Philippus, Brentius: & cœci sunt Clemens Pontifex, Dionysius Areopagita, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Gregorius Nissenus, Eusebius, Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, Gaudentius, Leo Pontifex, Theodoretus, & alij sexcenti. Quid fuerit aliud tenebras lucem, & lucem tenebras dicere, quàm illis tribuere scripturarum intelligentiæ lucem, istis autem adimere. Scilicet illa tetra portenta viderunt, quod hæc tam clara totius orbis Christiani lumina non viderunt. Dixit quidam ex huius mundi sapientibus, Errare se malle cum Platone, quàm cum obscurioribus quibusdam Philosophis bene sentire: quantò rectius à nobis dici potest, quòd præstat errare cum illis, ad quos proculdubio pertinent illa Christi verba, Vos estis lux mundi, quam cum tenebrionibus his rectè sentire. Sed nec errare facilè potest, qui lucem sequitur, nec rectam viam insistere, qui tenebras insectari matie. Sed iam tempus est, vt receptui canamus, ne quid nobis molestiæ longior afferat oratio. Quamobrem in aliud tempus, quæ restant reijciemus, ac euidentioribus etiam argumentis, modo nos Deus incolumes conseruet, Christum in vltima cœna sacerdotio fun-

ctum, sacerdotium & sacrificium instituisse planum faciemus. Vnum tantum Canbnem adhuc proferemus à Patribus in Trullo Imperialis Palatij Constantinopolitani constitutum, qui fuerunt, 227. Oportet inquiunt, eos qui præsunt Ecclesijs, si ad scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, non eam aliter interpretari, quàm quomodo Ecclesię luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt: & maiorem ex his laudem assequentur, quàm si quæ à se dicuntur componant, ne dum quando que ad id hæsitant, ab eo quod conuenit excidant, Canonem hunc, vt perpetuò mentibus vestris infixum habeatis, etiam atque etiam vos hortor & moneo. Sic enim futurum est, vt nunquam in pernicioſum aliquem errorem incidatis.

## RECANTATIO SEXTA.

PRoxima superiore declamatione tam clarè tamqúe dilucidè demonstrasse videmur, quòd in illa nouissima cœna seipsum oblationem & hostiam Deo patri Christus obtulerit, & ab Apostolis eorumqúe successoribus eandem perpetuò deinceps offerri præceperit, vt apud quos vel ratio vel authoritas aliquid valet, satisfactum eis esse minimè dubitemus. Docuimus enim, quòd in cruce paulò pòst facturus erat CHristus, quod prius id in cœna repræsentauerit, & à suis discipulis, quos tum noui sacrificij nouos instituerat sacerdotes, idem fieri voluerit. Quid autem in cruce fecit CHristus? Obtulit se Deo patri sacrificium acceptabile. Si quis igitur manducat & bibit modò, non autem offert, cœnam quidem ille Dominicam repræsentat, sed sacrificium crucis non repræsentat, ac verbis modo, non autem symbolis CHristi mortem annunciat. At qui non dixit CHristus, Hoc dicite, sed, Hoc facite: symbolis ille, non verbis tantùm, sacrificij quod oblaturus erat in cruce, memoriam celebrari voluit. Quod si manducatio est tantum Eucharistia nostra, sicut quidam contendunt, non autem oblatio, quid aliud consequetur, quàm quòd exemplar & imago cœnæ erit: exemplar & imago sacrificij non erit. Quamobrem vt sit exemplar & imago sacrificij, statim vt consecrauerit Eucharistiam sacerdos, eleuat illam. Signum enim sacrificij, quod ex Leuitico paulò antè docuimus, fuit eleuatio: quam etiam ob causam ab Hæreticis nostri temporis eam sublatam cernimus, ne sacrificium agnoscere videantur. Eleuat igitur hostiam sacerdos, quo sic sub aspectum hominum subijciat, quomodo CHristus in crucem sublatus Deo patri se sacrificium obtulit. Cùm itaq; CHristus dicit, Hoc facite, dicere videtur, Hoc quod ego faciam, vos facite. Sed ego faciam in cruce cruento sacrificio, vos in illius cruenti memoriam facite incruento. Mysticè facite sicut ego nunc, quod paulò pòst reipsa palàm & sine vllo mysterio sum facturus in cruce. Voluit CHristus, vt quæ mensa est, eadem sit nobis & altare, quo non tantum cœnaremus, verùm & sacrificaremus. Voluit vt Eucharistia nostra, non modo sacramentum esset; verùm & sacrificium, quorum alterum cœnæ Dominicæ, alterum mortis Dominicæ foret symbolum: quasi diceret: Nolite putare, quod iam satisfeceritis legi, si manducaueritis & biberitis: ad commemorandam quidem cœnam hoc suffecerit, sed ego volo mortem quoq; meam commemorari, quod non tam fit manducando, quàm sacrificando. Quamuis enim inter manducandum & bibendum aliqua fit mortis commemoratio, quando sanguis à corpore quodammodò separari videtur, tamen oblationis & hostiæ commemoratio non fit: ego verò non qualiscunque mortis, verùm eius mortis commemorationem fieri volo, qua Deo patri meipsum in ara crucis oblationem & hostiam pro vobis in odorem suauitatis obtuli. Quamobrem hoc idem facere vos, quomodo fuit à me factum in cœna mystica, nec verbis magis quàm symbolis oblationem in crucem factam, commemorare volo. Quin hæc verborum Christi germana sit interpretatio, nemo sanus dubitare potest. Non qualemcunque mortem, sed oblationem & hostiam commemorari CHristus præcepit. Mortui sunt etiam duo latrones in cruce pendentes, vnus à dextris, alter à sinistris: neque tamen eorum corpora fuerunt oblationes & hostiæ. Plus dicam aliquid, quamlibet sancti fuerint Apostoli, vel quicunque tandem alij sancti Martyres, eorum tamen corpora propriè loquendo non fuerunt oblationes & hostiæ pro peccatis nostris: solum est Christi corpus, quod oblationem & hostiam pro peccatis nostris rectè vocamus. Verissimum enim est, quod sanctus ille Pontifex dixit. Quamuis in conspectu Domini multorum sanctorum præciosa sit mors, nullius tamen insontis occisio propiciatio fuit mundi: acceperunt iusti, non dederunt coronas. Propiciatio nostra non est alius, quàm Dominus noster IESVS CHristus. Hanc igitur propiciationem, hanc oblationem & hostiam, qua nos in cruce CHristus redemit, & auribus & animis fidelium, pia mater Ecclesia semper est inculcate conata, nunquam vt ex eorum pectoribus eius elabi memoria posset. Quamobrem etiam pueri panem ad consecrandam Eucharistiam præparatum, hostiam & oblatam vocatam esse meminimus, ac nunc etiam vocari scimus, idqúe non Latina magis, quam vernacula cuiusque gentis lingua: quin & in festis Natalicijs mos hic fuit obseruatus, & obseruatur adhuc apud Catholicos, vt ecclesiarum templorum, quos Campanatores vocant, strenæ loco ferrent in domos ciuium panem ad consecrandum præparatum, quas hostias & oblatas vocabant, quo sic admonerentur eius rei, quod iam natus est ille, qui semetipsum Deo patri traditurus est oblationem & hostiam in odorem suauitatis. Priscos quoque Doctores omnes ferè, quoties Eucharistiæ meminerunt, sacrificium, oblationem, & hostiam illam appellasse legimus. Cœnam non ferè vocant, nisi cùm cœnæ Dominicæ verba explicant. At in hæreticorum nostri temporis oculis, sudes est oblationis, hostiæ, sacrificij nomen, nec aliud ferè quàm cœnæ nomen Eucharistiæ



charistię tribuunt: & hęc est admirabilis eorum audacia quędam & impudentia, quod cùm sæpè Cypriani testimonium proferant, ex epistola quam scripsit ad Cecilium, in qua frequentem oblationis & sacrificij: nullam cœnæ fieri mentionem legimus: adulterare S. Patris verba non verentur, quodqúe vocat ille sacrificium, cœnam appellant: adeò non aliàs de re quàm de cœna, deqúe manducando & bibendo perpetuò cogitant. Libet autem paucis commemorare, qualem illi cœnam celebrant. Quando suam cœnam Corinthij manducabant, scribit Paulus, quòd alius quidem esuriebat, alius autem erat ebrius: & apud istos tales cœnas celebratas esse scimus, vix vt quisquam in eis reperiretur, qui non esset ebrius. Postquam poculis certatum est, armis quoq; non rarò dimicari cœptum est: & qui sacrificiū incruentum respuunt, ab illis cruentas victimas Diabolo non Deo mactatas & oblatas esse scimus, vt quod ab illis celebratur Lapytarum conuiuium, quale describitur à Luciano, quàm cœna Dominica dici rectius queat. Non tales igitur cœnas, verùm oblationem & hostiam inuitis etiam omnibus inferorum portis, oblationem & hostiam propitiationem nostram, redemptionem nostram in cruce factam perpetuò mentibus hominū infixam Deus esse voluit. Hoc igitur nomen semper in Ecclesia retentum est, & ipsi pani, non solùm consecrato, verùm & consecrando tributum, planum vt omnibus fieret, quòd non magis ad manducandum, quàm ad offerendum à sacerdote iuxta Christi mandatum consecretur. Mirum est autem, ita grauiter quosdam ferre, quòd non contenti CHristi mortem verbis annunciasse, symbolis etiam & rebus ipsis eam ad altare commemoramus. Num idem in baptismo quoq; non fit? Num & ibi Christi mors, sepultura, resurrectio, solis verbis, & non symbolis quoq; repręsentatur? Quid enim sibi vult, quòd mergitur baptizandus, idqúe ter: quòd paulò pòst ab aquis eleuatur: quid aliud ea re, quàm quomodo CHristus mortuus & sepultus, tertio die resurrexit: & quomodo qui baptizatus est illi commortuus & consepultus vnà cum eo resurrexerit repræsentatur? Et audet blasphema lingua de tremēdo sacrificio dicere, quòd quædam theatrica sit actio & hystrionica repræsentatio. Quid autem prohibet, quin idem etiam de Baptismo dicat: certè qui dixit Baptizate, idem dixit, Hoc facite, offerte, sacrificate. Sicut illud, sic & hoc externis quibusdam symbolis fieri voluit, nec manducationis tantùm, verùm oblationis & hostiæ pro nobis in ara crucis factæ iugem recordationem fieri præcepit. Ego verò non dubitauerim affirmare, quod ex Apostolica traditione manauerit, vt non solùm consecratus, verumetiam consecrandus panis, oblata, vel hostia vocaretur: vt oblationis in cruce factę, memoria nunquam ex pectoribus nostris elaberetur. Verùm hac de re satis. Nunc alium scripturæ locum producemus, ex quo magis etiam cuiuis perspicuum esse queat, quòd Christus in illa nouissima cœna sacerdotis munere functus, nouū testamenti nouam oblationem instituit. Christum sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech fuisse, manifestius est, quàm vt alicuius demonstrationis indigeat. Testatur hoc Paulus, testatur ante Paulum quoq; Dauid Propheta: nec eunt inficias illijpsi, qui discesserunt à nobis, qui per summum sacrilegium redemptionis nostræ precium, propiciationem nostram, oblationem & hostiam pro peccatis nostris, auferre nobis conantur. Hic quæritur, vbi sit functus hoc sacerdotio Christus? Certè neq; locus, neq; tempus aliud reperietur, præterquàm in illa nouissima cœna. Nam quale fuit sacerdotium, quale sacrificium illud Melchisedech, scribitur in Genesi, quòd panem & vinum obtulerit: erat enim sacerdos Dei altissimi: Melchisedech oblatio fuit panis & vinum, Christi verò sub speciebus panis & vini corpus eius & sanguis. Tunc igitur & non aliàs, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse se declarauit. Nam in illa oblatione, quæ facta est in ara crucis, quod etiam Thomas Aquinas annotauit, quin & res ipsa loquitur, magis expressa fuisse videtur figura sacerdotij secundum ordinem Aaron, quàm secundum ordinem Melchisedech, cùm ibi cruentam victimam obtulerit, & semetipsum verè mactandum tradiderit. At eiusmodi victimas offerebant sacerdotes secundum ordinem Aaron: in illa verò nouissima cœna, quamuis eandem hostiam corporis & sanguinis sui, non tamen palàm & absq; integumentis, sed sub his quæ Melchisedech obtulerat anteà, panis & vini speciebus obtulit: nihil aliud Melchisedech quàm panem & vinum: at Christus corpus & sanguinem sub illis speciebus: & sicut in ara crucis, qui finis legis est, Christus, sacrificijs secundum ordinem Aaron finem imposuit, sic in nouissima cœna nouum sacerdotium & nouum sacrificium secundum ordinem Melchisedech, instituit. Quid autem ad hæc isti? Protulisse dicunt Melchisedech, non autem obtulisse: nullum igitur sacrificium fecisse. Cùm aliter elabi non posse videant, controuersiam de verbo nobis mouent. Atqui sacerdos omnis & Pontifex ad hoc vt offerat dona & sacrificia pro peccatis cōstituitur, qd' ipse quoq; Paulus testatur. Quamobrem si nullum obtulit Melchisedech sacrificium, sacerdotis nomen illi rectè tribui non possit. Sic enim connexa sunt inter se sacerdotium & sacrificium, vt vno sublato, tollatur & alterum. Quam etiam causam videmus, quòd qui sacrificium abrogarunt, ijdem & sacerdotij nomen sustulerunt, quod certè persuasum habeant, absq; sacrificio, sacerdotem aliquē dici nō posse, quare quorū opera in ijs quę pertinent ad religionem vtuntur, eos ministros, non sacerdotes appellant. Verùm quale genus hoc est ratiocinandi? Scribitur in Genesi, quòd protulerit panem & vinum: ergo non obtulit. An contraria sunt inter se proferre & offerre? certè nemo potest offerre, nisi prius proferat quod offerat. Sed non ad offerendum eis protulit, verùm ad manducandum & bibendum. Qui probas hoc? Sicut non dixit scriptura, quòd protulerit ad offerendum, ita nec hoc dicit, quòd protulerit ad manducandum. Atqui tu nihil dicis, quod in scripturis expresè non inueniatur: dicamus igitur quòd protulerit ad inspiciendum, vt videret Abraham panis & vini copiam, & admiraretur, neq; tamen quicquam de ijs gustaret. Huc absurditatis tandem vt isti veniant necesse est, dum nihil recipiendum esse putant, quod in scripturis non habetur. At Iosephus

Universidad de Deusto
Biblioteca



historiam hanc tractans, non obtulisse Deo, sed his qui cum Abraham fuerunt, in cibum & potum panem & vinum suppeditasse Melchisedechum scribit. Posterius quidem hoc scribit Iosephus, prius autem illud nequaquam: quin contrarium ex illius verbis elici potest. Quemadmodum nō pugnant inter se proferre & offerre, ita non pugnant inter se, proferre ad manducandum, & proferre ad offerendum. Quin grauis author Gregorius Nissenus nō dubitauit dicere, quòd nemo comedit, nisi quod prius immolatum sit. Quæ verba Theophilactus quoq; scribens in Matthæum repetit: & iam docuimus, quod agnus Paschalis, qui fuit huius nostri sacrificij figura, prius immolabatur iuxta legis præscriptum, deinde manducabatur. Cæterùm expendamus verba Iosephi quemadmodū habentur in Græco textu. Suppeditauit, inquit, Melchisedech exercitui Abraham xenia, & magnam comeatus copiam: & instituto sacro conuiuio ipsum Abraham in hoc laudare, & benedicere Deum, qui inimicos ei subiecit, aggressus est. Hic Iosephus, non qualecunq;, sed sacrum conuiuium, quod epulum Latini vocant, Melchisedechum instituisse dicit: est enim in Græco, ἑστίασιν, quod à Latinis epulum vocatur. Quamuis autem quoduis etiam prophanum epulum hoc nomine possit appellari, tamen vtraq; lingua tam Græca quàm Latina, non ferè tribuitur nomen hoc, nisi publico solenniq; conuiuio, quod vel in dedicatione templi, vel in funere magni alicuius viri, vel sicut factum est à Melchisedech, in honorem Dei propter partam de hostibus victoriam, institutum sit, & præerant etiam apud Ethnicos huic epulo sacerdotes, qui Latinè vocabantur epulones, qui solennem ritum in sacrificio peragebant. Præcedebat itaque sacrificium, sequebatur epulum, siue sacrum conuiuium, prius offerebatur, posteà manducabatur. Sic igitur & Melchisedech, quandoquidem erat sacerdos altissimi, sicut scriptura dicit, prius offerebat Deo, posteà dabat epulum his qui cum Abrahamo venerant. Quod clarius etiam Philo demonstrat, qui fuit æqualis Iosephi, cùm eandem tractans historiam, ita loquitur: Conspicatus magnus ille Pontifex Dei Max, redeuntem Abraham, reuertentemq; ad vnum suos incolumes & victores, attonitus tanti facinoris magnitudinem, simul id quod verum erat, cogitans præsentem eis opem diuinam adfuisse, manus ad cœlum tendens, illi fausta precatus est, & epulum victoriale sacrificauit, sociosq; certaminis eius excepit splendidissimo conuiuio. Quod Iosephus ἑστίασιν, hoc Philo dixit, τὰ ἐπινίκια θύσειν, hoc est, epulum victoriale sacrificauit. Prius itaq; cùm esset sacerdos, epulum sacrificauit: posteà socios certaminis refecit. Qui verò melius potuerunt explicare Mosis verborum sententiam, quàm hi duo, quos fuisse constat eiusdem Hebrææ gentis viros doctissimos disertissimosq;, qui non tantùm ad manducandum, verùm & ad offerendum protulisse Melchisedech panem & vinum disertis verbis ostendunt. Verùm isti, quibus ministris ad oppugnandum hoc tremendum sacrificium Satanas vtitur, cùm hoc illis commentum suum non succesſerit, aliud inueniunt. Aiunt Paulum de sacerdotio Melchisedech accuratè singula tractare, ac propemodum scrupulosè excutere nomen hominis, sedem Regni, perpetuitatem vitę, ius decimarum, benedictionem prosequi, in quibus omnibus minus momenti sit, quàm in oblatione panis & vini, de qua tamen verbum fecerit nullum. An existimandum sit, obliuione lapsum esse Dei spiritum, vt dum rebus minutis immoratur, quod erat præcipuum, & ad causam maximè valebat, id omiserit. Videte quale sit hoc ratiocinandi genus. Non scripsit in illa tota epistola, Christum esse conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, num ideo verum id esse negabimus? Non est obliuione lapsus Dei spiritus, ô Satana, sed fecit quod faciendum admonuit Propheta, Disposuit sermones suos in iudicio, fecit quod anteà Christum fecisse cognouerat, cùm diceret: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modò. Vis autem ipsum Paulum audire, modò non hæc eadem verba proferentem. Is verò statim vt Melchisedech mentionem fecit, de quo nobis, inquit, grandis sermo & interpretabilis ad dicendum. Quid hoc aliud est, quàm habeo multa vobis de eo dicere? Quod verò sequitur, Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum, quid aliud est, quàm, sed non potestis ea portare modò. Magistrum itaq; suum secutus Paulus, illorū ad quos scripserat imbecillitatis rationem habebat: cumq; videret, quòd opus illis adhuc esset lacte, nec solido cibo vti possent, quæ de Melchisedech dicenda captum illorum excedebant, ea non putauit oratione sua persequenda. Quod pluribus etiam verbis ad Ebræos scribens docet Hieronymus, cuius verba ne sit sermo prolixior nūc omitto. Cùm itaq; Paulus Iudæis scriberet, non iam fidelibus, non illis prodenda mysteria, sed quod alios etiam Apostolos fecisse narrat Basilius, eorum reuerentiam & authoritatem silentio conseruandam esse putauit, ne si vulgo forent omnibus cognita, in contemptū venirent: quin & inde vocata sunt mysteria, quòd ea occulta esse, nec in vulgus prodi oporteret: quam etiam ob causam neq; literis mandabantur, sed per manus tantùm tradebantur, quemadmodum de hoc ipso sacrificio loquens Basilius indicat, quin & excludebantur ab illis nondum initiati. Quod Ioannes quoq; Chrysostomus testatur dicens: Ideo mysteria claustis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt adesse prohibemus, non quia mysteriorum infirmitatem aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem eorum illi quos arcemus, adhuc infirmi sunt. Cùm Augustinus hunc ipsum Psalmi locum explicaret, Tu es sacerdos in æternum. Vident, inquit, Iudæi, perijsse sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. Si qui non intelligunt & non cognoscunt sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. Si qui non intelligunt Catechumeni auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non opus est mysteria prodere, scripturæ nobis intiment, quod est sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. Si non putauit Augustinus, passim omnibus esse prodēda mysteria, quo tempore maior terrarum orbis pars Christum apertè confitebatur, quantò minus id à Paulo factum oportuit, cùm Iudęis persuaderet, vt Hieronymi verbis vtar, non iam fidelibus. Prudenter admonet Ambrosius, quòd qui tractat, debet audientiū considerare personas, ne prius irrideatur, quàm audiatur. Quando enim Athenien. crederent, quia Verbum caro factum est, & de spiritu virgo concepit, qui ridebant, quia mortuorum resurrectionem audiebant. Et est celebris illa Gregorij Nazianzeni sententia, quòd non omnia, nec omnibus, nec ab omnibus, nec omni loco & tempore dici oporteat. Habes igitur iam causam, quamobrem scribens ad Hebræos Paulus, cùm de Melchisedech sermonem instituisset, nullam oblationis panis & vini mentionem fecerit, nimirùm quòd non poterant adhuc portare, quòd erant imbecilles ad audiendum. Cùm primis itaq; ridiculum & ineptum est hoc ratiocinandi genus. Non scripsit Paulus, ergo non est. Quod hæreticis quidem fuit vsitatum, semper autem à Catholicis reiectum, qui magno consensu docuerunt, quòd panem & vinum obtulit Melchisedech, figuram fuisse quotidiani sacrificij, quod per orbem vniuersum Catholica frequentat Ecclesia. Sic in Asia, sic in Africa, sic in Europa sancti patres docuerunt. Qui præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Ioannes non temerè Chrysostomus appellatus, explicans illum Pauli locum, Tu es sacerdos in æternum, quærit quare dixit, secundum ordinem Melchisedech: Respondit mox, Et propter sacramenta, quòd ille quoq; panem & vinum obtulerit, & quòd sacerdotium sit à lege liberum: ac alijs quoq; locis aliquot eiusdem rei meminit. Æqualis autem eius Epiphanius, Visum est, inquit, vt in veteri sacerdotio sacerdotalis dignitas non constituatur, verùm ad id quod ante Leui & ante Aaron fuit, secundum ordinem Melchisedech, transferatur. Quod sanè nunc in Ecclesia viget à CHristo & hucusque. Clarius autem, qui vixit eodem tempore, Cæsariensis Eusebius. Sanè, inquit, oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur: quemadmodum saluator noster IESVS, ipsius Melchisedech ritu, ea quę ad sacerdotiū in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane dum Abraham benedicit: Ita sanè primus ipse saluator noster, deinde qui profecti sunt ab eo sacerdotes, In omnibus gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & sanguinis mysteria repræsentant, quæ sanè mysteria Melchisedech tanto antè spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat. Sicut etiam scriptura Mosi testificatur, vbi ait: Melchisedech protulit panem & vinum: erat autem sacerdos Dei altissimi. Sed nec Eusebius Emissenus minus disertè: Melchisedech, inquit, oblatione panis & vini hoc sacrificium Christi præsignauit, de quo Propheta pronunciat, Tu es sacerdos in æternum. Theodoretus quoq; Cyrensis Episcopus Psalmum hūc explanās, exorsum esse dicit Christum sacerdotium in nocte, qua crucē subiuit. Cùm accepit, inquit, panem, &c. Similiter & calicem, &c. Inueni autem, Melchisedech sacerdotem & Regem esse: figura igitur erat sacerdotis & Regis, & offerentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum. Sacerdos autem nunc est Christus, qui ex Iuda secundum carnem ortus est, non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum qui offerunt, quandoquidem eius corpus Ecclesiam vocat: & propterea sacerdotio fungitur, vt homo: recipit autem ea quæ offeruntur, vt Deus: offert autem Ecclesia corporis eius & sanguinis symbola. Sic senserunt de hoc sacrificio Patres Asiatici. Num autem diuersa fuit Africanorum opinio? quin illi pedibus in eandem currunt sententiam. Clemens Alexandrinus, Origenis præceptor, non ita longo fuit interuallo disiunctus ab Apostolorum temporibus. Melchisedech, inquit, sacerdos Dei altissimi, vinum & panem sanctificatum dedit in typum Eucharistiæ. Non qualemcunq; panem dedisse scribit Melchisedech, sed sanctificatum, hoc est, oblatum, sicut etiam apud Iohannem dixisse Christum legimus: Ego pro eis sanctifico, hoc est, offero meipsum. Quem secutus Cyprianus, Quod Melchisedech typum, inquit, Christi portaret in Psalmis declarat Spiritus sanctus, ex persona patris ad filium dicens, Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui ordo, vtiq; hic est, de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus IESVS CHristus? qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, panem & vinum, suū scilicet corpus & sanguinem? Ac paucis interiectis: Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem, benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij in pane, & vino constituti. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem, & calicem vino mixtum obtulit, & qui est plenitudo veritatem præfiguratam imaginis adimpleuit. Quid clarius dici potuit? Imaginem sacrificij, quod in cœna Christus erat oblaturus, præcessisse dicit, quando Melchisedech panem & vinum obtulit. Post hunc Arnobius enarrans illa Psalmi verba, Tu es sacerdos, ita de Christo loquitur: Hic qui per mysterium panis & vini sacerdos factus est in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in sacerdotibus, &c. Post quem Augustinus: Nondum erat, inquit, sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Euangelium legerunt, quod sacrificium nunc toto terrarum orbe diffusum est. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, & illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. Melchisedech protulit panem & vinum: de quo alio dicit, Tu es sacerdos in æternum, nisi de illo cuius nosti sacrificium? Sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse secundum ordinem Melchisedech. Pluribus in locis eadem repetit. Hactenus patres Africani. Quàm pulchrè verò conuenit illis cum Asiaticis. Quid autem Europa nostra? Num aliter quàm isti de sacrificio hoc docuit? Idem prorsus pluribus in locis eandem sententiam confirmat Hieronymus. Sed nos paucula verba quædam adferemus. Melchisedech, inquit, in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Et alio loco: Quod autem ait, Tu es sacerdos in æternum, &c. mysterium nostrū in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dis,sed oblato pane & vino,id est,corpore & sanguine Domini.Scripsit autem is ad Euagrium epistolam,in qua pluribus verbis ex Origenis,Dydimi,Hypoliti,Irenæi, Eusebij Cæsariensis,& Emisseni, Apollinarij,& Eustathij sententia, doctrinam hanc Ecclesiæ confirmat: ex quo perspicuum cuiuis esse potest, quòd ex magna parte prisci patres omnes, in eadem hac sententia fuerunt. Ambrosius in Missa sua, Dominus,inquit, IESVS CHristus, sacrificandi ritum instituit,dum panem & vinum, quod Melchisedech in præfiguratione futuri mysterij sacerdos obtulerat,in sacramentum sui corporis & sanguinis celebrandum transformauit. Eucherius quoq; Lugdunensis Episcopus, vbi locum hunc Geneseos explicat, Christus,inquit,non ex tribu Leui,sed ex tribu Iudæ ortus est, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit,vtiq; propter mysteria sacramenti,quod Christianis celebrari præceptum est,vt non secundum ordinem Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini,id est,corporis & sanguinis eius sacramentum in sacrificium offeramus.Ibi quippe primum apparuit sacrificium,quod nunc à Christianis offertur Deo,toto orbe terrarum.Sed me dies prius defecerit, quàm vt omnium ea de re verba recitare queam, qui sunt patres istos consecuti,cùm plura scripserint in eandem sententiam,Haymo, Paschasius, Rabanus, Albinus, Anselmus,Rupertus,& alij sexcenti.Videtis igitur charissimi,quomodo conuolarunt sanctæ illæ aquilæ ex Asia,Africa,Europa,hoc est,ex vniuerso terrarum orbe, ad veritatem huius doctrinæ nostræ de sacerdotio Melchisedech adstruendam. Et erit quisquam, apud quem non plus valebit eorũ autoritas, quàm nescio cuius obstreperi corui, qui sensit carnis suæ inflatus, posteàquam semel euolauit ex arca, non modò nulla solicitudine tangitur,vt ad illam,extra quam salus non est,redeat, verumetiam alijs euolandi segregandiq; semetipsos author est.Quid autem si docuerimus etiam Rabinorum testimonijs,qui comprimis apud Iudæos celebres fuerunt,hanc doctrinam nostram esse confirmatam.Difficile quidẽ id fore videtur,sed periculum tamen faciemus. Qui legit historiam Antonini,reperiet in ea librum vel epistolam Rabbi Samuëlis Israëlitæ, ad Rabbi Isaac ante annos prope 600. scriptam,in qua sic ille loquitur:Attende Domine mi,quanta sit differentia inter sacerdotium Aaron,& Dominiiusti illius. Sacrificium Aaron fuerunt carnes,& sacrificium illius iusti Domini fuit panis & vinum,quod est secundum ordinem Melchisedech: in quibus verbis Deus per Prophetam manifestè ostendit, quòd sacrificium finiretur,quando inciperet istud sacrificium in æternum: & ordinatio sacrificandi secundum Aaron ex toto cessaret, quando inciperet sacrificium in pane & vino æternaliter duraturum. Rabbi quoq; Nadarzan & Pinas de Melchisedech narrationem ad Messiam pertinere docentes, quòd panem & vinum obtulit,id per illa Psalmi verba interpretantur. Erit placenta frumenti. Sic enim habetur in Hebræo textu:Septuaginta verterunt, Erit frumentum in terra, Hieronymus autem,Erit memorabile triticum in terra,Ionathas verò Chaldæus & Onchelus apertius etiam explicarunt, dicentes.Erit sacrificium panis in terra. Quemadmodum hæc & à Petro Galatino superioribus annis, & ante triennium à Petro Galesino diligentius annotata videre licet. An autem & nobis exclamare cum Propheta non licebit,Stupor & mirabilia? quod qui sunt inimici,qui sunt hostes Euangelij, Iudæi, vi veritatis coacti negare non audent, hoc per summam impudentiam negant, & veritatem Euangelicam oppugnant,hi qui volunt Euangelici censeri.Vos verò charissimi tanquam viperam & basilicum istos fugite,quos eò perduxit amentiæ cœcus amor sui, suum vt sensum pluris facere non dubitent, quàm totius Ecclesiæ Catholicę sensum & consensum.Nihil vobis maiore studio cauendum existimate,quàm vt scripturæ singulares quosdam intellectus exquiratis, vt insolitos & hactenus inauditos sensus excogitetis,vt nouas & solitarias opiniones proferatis, aut his qui talia faciunt aures vestras accommodetis, & assensum præbeatis:verùm quod ab Eusebio Emisseno præclarè scriptum est,in perpetuo fixum in vestris pectoribus hereat: Fides,inquit ille,religionis Catholicæ,lumen est animæ,ostium vitę fundamentum salutis æternæ. Quicunq; hac derelicta velut pessimum ducem proprium sequitur intellectum, quicunq; per sapientiæ suæ sensum ad mysteriorum cœlestium se putat posse peruenire secretum: sic facit, quomodo si absq; fundamento ædificet domum, aut si prætermisso ostio velit intrare per tectum,vel si nocte sine lumine inferat gressum:totum se clausis oculis vrgeat in profundum.Pessimus dux est proprius intellectus, de quo dixit etiam Propheta:Væ Prophetis insipientibus,qui sequuntur spiritum suum,& nihil vident.Non hunc igitur,verùm Ecclesiam sequamini Ducem: Ecclesiam autem cùm dico, sanctos illos Patres, sanctas illas aquilas intelligi volo,quas ad confirmandam huius doctrinæ nostrę veritatem, ex toto terrarum orbe conuolasse, nobis eorum sententias recitantibus,iam audiuistis. Hos duces & magistros si secuti fueritis, promitto vobis & spondeo,quòd nunquam in errorem aliquem incidetis.

RECAN-



QVòd ab Hæreticis nostri temporis tam audacter asseritur, cultum illum,vel vt Augustini verbis vtar,illam soli Deo propriè debitam seruitutem,quod Missę sacrificium vocamus,extra Dei verbum institutum esse, quàm longè sit ab omni prorsus veritate remotum,cùm ex lege,tum ex Psalmis, quin & ex ipsius Christi non verbis magis quàm factis, adeò planum & perspicuum fecisse videmur, nihil vt iam in animo cuiusquam scrupuli residere persuasum habeamus. Quanquam etiamsi nulla per nos producta fuissent scripturarum autoritas, vel vnum id fideli cuique sufficere deberet,quòd hoc ita per orbem Christianum vniuersum, ea quæ firmamentum est & columna veritatis, tota frequentat Ecclesia, quam credere, cui fidere in cuius institutis acquiescere, nec ab illius vnanimi consensu nos vnquam discedere velle, Symbolum Apostolicum recitantes,quotidie profitemur. Veruntamen, vt ne quid etiam his desit,qui curiosius hæc indagare conantur, & vt quoad eius fieri poterit satis omnibus faciamus, vnum aut alterum adhuc ex Prophetis testimonium ad hoc, de quo sermo nobis nunc est probandum, adferemus. Vos quod hactenus fecistis, faciles & benignas aures nobis præbete. Sic apud Malachiam Prophetam locutum esse Dominum exercituum legimus: Non est mihi voluntas in vobis,& munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. In quibus verbis tria nobis consideranda veniunt: Primum quod vetus illud sacrificium,quod erat secundum ordinem Aaron, quo solus Israel populus vtebatur, Deus reiecerit, quod antè Malachiam quoque prædictum ab Esaia legimus. Deinde quòd nouum & æternum quod illi succederet, quod est secundum ordinem Melchisedech institutum voluerit, ad quod peragendum,non ex vna familia, qualis illa fuit Leui, sed ex omni gente sacerdotes eligerentur. Tertio, quod oblatio per nouos nouæ legis sacerdotes offerenda munda futura sit,nec aliquo certo loco circumscribenda, sed in omni loco totius orbis eam offerre liceret. Hæc igitur Prophetæ verba, si quis ad eam oblationem quæ fuit in cruce facta referre voluerit,satis constat, quòd nec inter gentes,nec in omni totius orbis loco, sed in vna tantùm Iudææ parte,nimirùm in Caluariæ monte,semetipsum CHRISTVS victimam obtulerit, vt huic Prophetæ loco nulla ratione sensus hic quadrare possit. Si quis autem de contriti cordis & humiliati sacrificio, deq́ue puræ mentis & bonæ voluntatis officijs accipi malit,dubium non est, quin ea Deo placeant, & possint in omni loco rectè offerri. Sed quis erit qui se mundum cor habere gloriari queat? vt sic eius oblatio munda censeatur, apud eos præsertim, quibus cum res nobis nunc est, qui sacrificium hoc nostrum,quod est precium redemptionis nostræ, sacrilega quadam audacia, nobis eripere conantur. cùm nihil habeant in ore frequentius, quàm quòd apud Esaiam scriptum est: Vniuersæ iustitiæ nostræ pannus menstruatæ: nec dubitent asseueranter affirmare,quod etiam in omni bono opere iustus peccat. Potest autem oblatio munda dici, quæ peccatum est, siue pannus menstruatæ? Huc accedit, quod idem illi Pharisaicum esse docent: opus nostrum Deo, tanquam mundam oblationem offerre velle. Verùm detur hoc illis, de sacrificio contriti cordis & humiliati locum hunc intelligi rectè posse, certè sacrificium hoc non magis huius Ecclesiæ,quæ CHRISTI passionem & mortem est secuta,quàm illius quę præcessit promptum, nec sub lege minus quàm hoc tempore gratiæ frequentatum esse, nec plus ad sacerdotes,quàm ad laicos pertinere manifestum est, vt non minus fœmina, quàm qui legitimè vocatus est ad munus hoc, tali sacerdotio & sacrificio fungi posset. Verùm isti producunt nobis Tertullianum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & alios nonnullos, qui de spiritualibus sacrificijs locum hunc interpretantur, qualia recensent prædicationis celebritatem,benedictionem, laudem, hymnum, Orationem de conscientia pura, cor contritum & humiliatum, gloriæ ad Deum relationem, & id genus alia. Quis autem est, qui neget hæc quoque rectè sacrificia vocari?nec absurdè facere,si quis de illis Malachiæ locum hunc interpretetur. Scilicet nouum hoc est, quòd idem scripturæ locus diuersas expositiones quandoque recipit, vt & secundum historiam siue literam, & secundum Allegoriam,& secundum Tropologiam,& secundum Anagogiam,eum interpretari liceat. Quod non vno loco faciunt, cùm alij nonnulli, tum Origenes, Hieronymus, Augustinus, & Eucherius. Verùm intereà proprius & germanus est scripturæ sensus,quem vulgò literalem vocant, quem Regium sensum vocat Hieronymus, ac solidissimum & firmissimum esse dicit. Hoc itaque Regio & literali sensu Malachiæ locum hunc non de alio sacrificio SS. Patres intelligunt, quàm quòd per orbem vniuersum tota frequentat Ecclesia. Neque tamen ea res impedit, quò minus per Tropologiam etiam de spiritualibus & internis sacrificijs exponatur. Mirum est autem,quòd qui non admittant in scripturis tropum, & ad eum confugere nihil aliud esse docent, quàm omnem scripturarum vim labefactare, id ipsos facere,quod vt fiat à Catholicis,nulla ratione ferendum esse censent,vt excluso sensu literali, ad tropum confugiant. Nos verò tropum libenter admittimus, quo Paulum etiam vsum esse scimus,modò seruetur illud, quod ab Hieronymo scriptum est: In Prophetis historiæ veritas quærenda primùm, deinde Allegoria. Vt autem Regius propterea scripturæ sensus excludatur,id verò minimè ferendum esse iudicamus. At exclusit alium quemcunq; sensum Ioannes Chrysostomus, cùm enarrans illa Pauli verba:Per eum sacrificium offerimus Deo,fructum labiorum,ita loquitur: Quale sacrificium dicit?Fructum labiorum,inquit, confitentium nomini eius.Illi offerebant pecudes,vitulos,& dabant Pontifici: nos autem

nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca



nihil horum offerimus, sed solam gratiarum actionem, hanc labia nostra germinent. Talibus, inquit, sacrificijs placatur Deus. Demus illi talem hostiam, vt etiam ipse eam offerat patri: aliter aut nō offertur, nisi per filium. Hoc loco maximè quidam triumphat, quòd solam gratiarum actionem offerendam esse Chrysostomus ex Pauli sententia docuerit. Non igitur offerre debemus corpus & sanguinem Christi, quem manducare tantùm & bibere, non autem offerre iussi sumus. At quanta, per Deum immortalem, est huius hominis cœcitas, qui non videt, si nullum aliud offerri debet sacrificium præter solam gratiarum actionem, quod non hoc modo de quo sermo nobis nunc est sacrificium, verùm & alia excluduntur omnia, de quibus Malachiæ locum hunc Tertullianus & alij prisci patres interpretabantur. Sed idem nunc isti de sacrificio faciunt, quod olim de fide fecerunt. Legerunt apud priscos patres non vno loco, sola fide iustificari sola nos fide saluari, mox omne genus operum excluserunt. At sanctis patribus nunquam hoc cogitare venit in mentem, vt excludere vellent opera, quæ forent in fide facta, sed ea tantum, quæ sunt legis cæremonialia, aut quæ facta essent extra fidem. Ad eundem planè modum agunt etiam nunc de sacrificio, cùm tamen Chrysostomi mens ea nunquam fuerit, vt cùm alia spiritualia sacrificia, tum hoc, quòd verè propriéq; sacrificium dicitur, excluſum vellet, cùm ex ipsis verbis colligere liceat, quòd pecudes tantùm & vitulos, de quibus mentionem fecerat, excluſos voluerit. Sed quis nobis melius mentem suam, quàm ipse Chrysostomus explicabit? Is Psalmum illum enarrans: Cantate Domino omnis terra, posteàquam hunc Malachiæ locum produxit, in hæc verba prorumpit: Vide quàm dilucidè, quámq; luculenter mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thimiama verò purum, appellat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Hic seruat illud Chrysostomus, quod ab Hieronymo præceptum est. Primum historiæ profert veritatem, deinde Allegoriam. Iuxta germanum scripturæ sensum, de mystica mensa, quæ est incruenta hostia, locum hunc interpretatur: iuxta Allegoriam verò siue Tropologiam, de precibus. Ac paucis interiectis. Vides vt vbiq; concesſum est, Angelicum illud sacrificium in clarescere: vides nullis finibus circumscriptum, neq; altare, neq; canticum. In omni loco Thimiama offertur nomini meo. Est igitur hostia pura, prima quidem mystica mensa, cœleste summeq; venerandum sacrificium. Est autem & in nobis varia sacrificiorum differentia: mox enumeratis veteris testamenti multis hostijs: Habemus autem & nos, inquit, in nobis ipsis varias immolationes, non quę iuxta legem incedunt, sed quæ decent Euangelicam gratiam. Vis ne has cognoscere victimas, quas habet Ecclesia? Mox enumerat: Primum est, inquit, sacrificium, quod antè dixi, spirituale illudac mysticum donum: Alterum est martyrium, Tertium precationis, Quartum laudis. Quintum iustitię, Sextum eleemosynæ, Septimum iubilationis, Octauum spiritus contriti & humiliati, Nonum prædicationis, Decimum fructificationis. Hæc singula recenſet ex scripturis. Inter omnes autem has primum locum tribuit incruentæ hostiæ, quæ offertur in mystica mensa, quam vocat hostiam salutaris, vocat Angelicum, cœleste, summeq; venerandum sacrificium, vocat vnam ac veram hostiam, cùm reliquæ non verè neque propriè sed per Allegoriam hostiæ vocentur. Tantum igitur abest, vt cùm dixit Chrysostomus, solam gratiarum actionem nos offerre Deo debere, excluſa voluerit alia sacrificia, vt alias præterea decem etiam hostias recenſuerit. Qui verò præcesſisse Chrysostomum videtur Eusebius Cæsariensis, interpretatur & ipse locum hunc de orationis incenſo & sacrificio: sed num ideo propriè dictum sacrificium excludit? Quin ille præterquam quòd aliud etiam ex Esaia vaticinium producit, Erit altare Domini in terra Ægypti, & cognoscent Ægyptij dominum, & facient sacrificia. Malachiæ quoque locum hunc in eiusdem libri fine profert, ita loquitur: Sacrificamus igitur Deo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, & odorem afferens, & sacrosanctum sacrificium, sacrificamus nouo more secundum nouum testamentum hostiam mundam. Et paulò pòst explicans quod sit illud sacrificium. quod nouo more sacrificamus: Sacrificamus, inquit, & incendimus, alias quidem memoriam magni illius sacrificij, secundū ea quæ ab ipso tradita sunt mysteria celebrantes: & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiosis q; hymnos & orationes sanctas illi offerentes: alias nos ipsos totos ei consecrantes. Facit & hic mentionem sacrificij gratiarum actionis, & hymnorum, siue laudum, & precationis. Sed intereà primum locum tribuit ei sacrificio, cuius memoriam, sicut aliquantò antè dixerat, signis quibusdam in mensa celebrandam corporis illius salutarisq; sanguinis, vt noui testamenti institutio habet, accepimus. Sed & Hieronymus locum hunc Malachiæ, de sanctorum orationibus domino offerendis, interpretatur: verùm interim addit, offerri mundam oblationem, vt in cæremonijs Christianorum: quibus verbis quid aliud innuere voluit, quàm quòd offertur in mystica mensa, prò priè dictum CHristi corporis & sanguinis sacrificium? Quod clarius etiam Theodoretus explicat, cùm dicit: Diuinis Malachias planè nos, inquit, ex his docet eam pietatem, quam nunc profitemur, in omni loco obitum iri. Nam circumscriptio loci ad sacra obeunda deleta est. Omnis locus accommodatus ad Dei cultum est existimatus, & victimarum ratione carentium cædes immaculatus agnus, & tanquam signum virtutis odorum incensum existit. Hic non obscurè Theodoretus indicat, se de sacrificio agni immaculati, quem sacerdos offert ad altare, locum hunc intelligere, qui succesſerit in locum cædis victimarum ratione carentium. Irenæus verò facit ille quidem primitiarum oblationis mentionem, sed intereà tamen verba cœnæ proferens: Noui testamenti, inquit, nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, de quo in Prophetis ait. Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, &c. Certè laudis, orationum, eleemosynarum siue primitiarum, contriti cordis, & id genus alia sacrificia minimè noua, verùm & in veteri lege fuerunt vsitata. Nunc Irenæus noui testamenti



nouam oblationem in cœna Christum docuisse dicit, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Qui verò fuit Irenęo vetustior, Iustinus Philosophus & Martyr, disertis verbis locum hunc interpretatur de sacramento Eucharistiæ. Quod offertur, inquit, in omni loco à nobis gentibus, tum pane, tum poculo, quo nos clarificamus nomen Dei, quod à Iudæis prophanatum est. Quorsum autem attinet, vel Remigij Antisiodorensis, vel Ioannis Damasceni, vel Ruperti Tuitiensis, vel Rabbi Samuelis Iudæi, vel aliorum sexcentorum, qui posteriores his fuerunt, sententias producere, quos vnanimes vno ore de corporis & sanguinis CHristi sacrificio, Malachiæ locum hunc exposuisse constat. Porrò D. Augustinus, in censum de quo Malachias loquitur, sanctorum orationes interpretatur: hoc ipsum tamen dicit ab Ecclesia sacrificium immolari, sed secundum ordinem Melchisedech, subiunxit mox: Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech. quando benedixit Abraham: & si iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Domino in toto orbe terrarum. Ac paulò pòst, productis Malachiæ verbis: Non est mihi voluntas in vobis, hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce, inquit, quod est secundum ordinem Aaron, ac mox: In omni loco offertur incensum nomini meo, & hostia pura. Ecce, inquit, quod est secundum ordinem Melchisedech. Quid his verbis clarius esse potest? Ex hoc Malachię loco probat Augustinus, quòd sacerdotium secundum ordinem Aaron Deus reiecerit, & in eius locum aliud instituerit, secundum ordinem Melchisedech, quem panem & vinum obtulisse constat. Ex his omnibus facilè quiuis perspicere potest, quòd nihil impedit, quo minus de alijs quoq; sacrificijs, Malachiæ locus hic exponatur, dummodo quod vnum est & verum propriéq; dictum corporis & sanguinis Domini sacrificium, non excludatur. Cùm & illud certè constitutum sit, quicquid habent in se puritatis, quæcunq; sunt aliæ spirituales hostiæ, quòd non habeant aliundè, quàm ex hoc primo & omnium summo propriéq; dicto sacrificio. Nihil est puritatis & mundiciei vel in sanguine martyrum, vel in precibus, vel in laude, & gratiarum actione, vel in iustitia nostra, vel in primitijs & eleemosynis, vel iubilatione, vel in Euangelij prædicatione, vel in quibuscunq; tandem alijs oblationibus nostris: nihil est in eis omnibus mundiciei, nisi quatenus partem eius aliquam ex hac oblatione, verè munda, quæ pro nobis in cruce fuit oblata, quæ præsens etiã adest in altari, mutuantur, extra quam verè dixit Propheta, quòd pannus menstruatæ sunt omnes iustitiæ nostræ. Nam quicquid est splendoris in virtutibus nostris, & in omnibus spiritualibus hostijs quas offerimus, non alia puritas, non alia iustitia splendet in illis, quàm illius nunquam satis prædicandi CHristi meriti iustitia, quando corpus suum tradidit pro nobis iustus pro iniustis, quando sanguinem suum in ara crucis fudit in remissionem peccatorum nostrorum, cuius rei memoria quædam & repræsentatio fit ad altare. Sicut gemmæ magis rutilant in præsentia Solis, in absentia verò contenebrantur: sic in huius victimę, quà nihil splendidius esse potest, præsentia, magis rutilant quæcunq; tandem aliæ visibiles, vel inuisibiles hostiæ, quæ per nos offeruntur. Hoc est quod Petrus monet, vt accedamus ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per IESVM CHristum. Per hunc acceptę sunt hostiæ nostræ Deo, quin & offeruntur per hunc, qui simul est & offerens & oblatio. Sic & Paulus hortatur nos, vt per Christum offeramus hostiam laudis Deo. In Christo opera nostra æstimantur, quæ in seipsis nihil merentur. In omnibus quorumcunq; tandem operum nostrorum sacrificijs nunquam ea puritas reperietur, vt per se Deo grata sint, cùm rectè scriptum à D. Thoma: Si consideretur opus hominis meritorum, secundum substantiam operis, & quatenus ex libero proficiscitur arbitrio, vita æterna, in quam nihil coinquinamentum ingredietur, dignum non est. Nunquam integra est plena cordis nostri contritio, nunquam ita syncerus est, vt oportet, affectus precandi, nunquam tam ardenter & strenuè incumbimus ad offerendos vitulos labiorum, & spirituales hostias: quin aliquid in illis vitij fit. Sed quæ præsens adest in altari victima, pro nobis in cruce mactata, qui præsens adest CHristi sanguis, emundans conscientias nostras ab operibus mortuis, ille est per quem acceptą Deo sunt sacrificia nostra, per eum lauantur, per eum fiunt munda, quæ natura sua nihil erant aliud, quàm pannus menstruatæ. Cùm igitur eleuat CHristi corpus & sanguinis eius calicem sacerdos, & sub oculos astantium subijcit, quomodo CHRISTVS in cruce fuit separatus, & perfosso latere sanguis eius, per quem lauat nos à peccatis nostris, à corpore fuit separatus, tùm qui præsentes adsunt, & ad pietatem accuratius instructi sunt, soliciti, quomodo possint reconciliationis in cruce factæ fieri participes, in eiusmodi verba cum Bernardo prorumpunt: Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possimus pro paruo illo, si volumus. Totum quod dare possum, est miserum corpus illud, illud si dedero, satis est, si quo minus, addo & ad corpus tuũ, ô Domine. Nam & illud de meo, & meum est. Paruulus enim datus est nobis, & filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio, ô suauissima satisfactio, ô verè facilis reconciliatio, sed perutilis. Et ante Bernardum Anselmus Cantuariensis Episcopus, Quid misericordius, inquit, intelligi valet, quàm cum peccatori tormentis æternis damnato, & vnde se redimat non habenti, Deus pater dicit: Accipe vnigenitum meum, & da pro te: & ipse filius, Tolle me, & redime te. Sic videtis, quòd quicquid est in alijs oblationibus nostris vitij siue defectus, illa supplet sacra victima, quæ præsens adest in altari. Illam tollimus, quemadmodum nos isti S. Monachi docuerunt, illam Deo patri fistimus, vt redimamus nos, hoc est, vt redemptionis per illam in cruce factæ, fructum consequamur. Per eam fit, vt accepti sint vituli labiorum nostrorum, vt acceptæ sint spirituales hostiæ quas offerimus, in quibus quod minus est, id supplet corpus illud CHristi, quod per Ecclesiæ ministrum offertur. Quam etiam ob causam Ioannes Chrysostomus, cuius rei memini minimus in superiore declamatione nostra, diligenter hortatur, vt quo tępore pro-

posita

Universidad de Deusto
Biblioteca



posita sunt mysteria, quando mors Domini perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta peraguntur, quasi Domino præsente, nos attentius geramus, atq; tempus id ad ea quæ petimus impetranda cum primis opportunũ existimemus. Sicut enim, inquit, quando Regum trophæa statuuntur, tum & quicunq; socij fuerunt victoriæ celebrantur, & qui sunt in vinculis per tempus id liberi dimittuntur: quod vbi præterierit, qui neglexerit, nihil obtinet: Sic, inquit, & in hoc tremendo mysterio, trophæa quędam celebrantur, quomodo morte sua mortem Christus destruxit, & vitam resurgendo reparauit, simul inferni claustra perfregit, & ex Diaboli potestate prædam insignem eripuit. Quamobrem illo tempore, quasi sedente Rege, trophæaq; sua celebrante, facilius quæcunq; petita fuerint obtinentur. Tempus enim illud propiciationis tempus est, quando quidem præsens adest in altari propiciatio nostra, præsens adest illa victima, quæ pro nobis in cruce fuit mactata, per quam acceptæ redduntur omnes aliæ, cuiuscunq; tandem generis oblationes nostræ, quodq; minus in illis est, de ea suppletur, de qua Cypriani quoq; dictum hoc anteà recitauimus, quod in huius victimæ præsentia non superuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Obsecrat Paulus fieri obseruationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Quæ Pauli verba dum enarrat Augustinus, Multa, inquit, hic dici possunt, quæ improbanda non sunt, sed eligit in his verbis hoc intelligere, quòd omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes siue obseruationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam id quod est in Domini mensa incipiat, benedici: orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur. Quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Ad quem intellectum etiam verbi Græci origo nos adiuuat. Nam eam quam dicunt ἐυχὴν, rarò ita scriptura ponit, vt intelligatur oratio, sed plerunque & multò vsitatius votum appellat ἐυχὲν, προσεύχὴν verò, quod verbum ita positum est, vnde tractamus, semper orationem vocat. Cùm igitur vsitatius in scripturis votum appelletur ἐυχὴ, ea propriè intelligenda est oratio, quam facimus. προσεύχὴ. Vouentur autem omnia quę offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo sacramẽto prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vtique in compage corporis CHristi, cuius rei sacramentum est, quod vnus panis & vnum corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione existimo Apostolum propriè προσεύχὰς, hoc est, orationes ad votum, quod vsitatius in scripturis nuncupatur ἐυχὴ. Postulationes fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut aduocati fusces ptos suos per manus impositionem offerunt misericordissimæ potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacramento gratiarũ actio cuncta cõcludit. Videtis quemadmodũ hic Augustinus, quem ritum obseruat Ecclesia, eum ab Apostolo traditum esse, non obscurè indicat, & quòd eas propriè dici vult orationes, quæ tum fiunt, cum benedicitur & sanctificatur CHristi corpus, & sancti altaris oblatio celebratur, quæ non alio tempore possunt esse magis efficaces. Ab Augustino minimè dissentit Ambrosius, qui & ipse locum hunc Apostoli tractans, Prima, inquit, oratio debet habere laudem Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem. In suis autem in Epistolas Pauli commentarijs explicans hæc illius verba: Hæc regula, inquit, Ecclesiastica est tradita à Magistro gentium, qua vtuntur sacerdotes nostri, vt pro omnibus supplicent, deprecantes pro regibus huius seculi, vt subiectas habeant gentes, vt in pace positi, in tranquillitate mentis, & quietè Domino Deo seruire possimus. Hic & Ambrosius indicat, quòd præcandi formulam qua vtimur in canone, quem hæretici nostri temporis tantoperè detestantur, nõ alunde quàm à Magistro gentium Paulo traditam acceperimus, & adeò non excludunt SS. Doctores hi, per ea quæ translatè sacrificia nuncupantur, nimirùm obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, & id genus alia, verùm illud & propriè dictum, quòd altaris oblationem siue sacrificium non vno loco vocat AVGVSTINVS, vt absque eo minus ea perfecta minus etiam DEO grata, quin ab illo mutuare vim omnem & efficaciam existiment. Verùm & altaris oblatio non prodest, si quis vitulos labiorum, & spiritales alias hostias non obtulerit, cùm falsò nobis hoc ab hæreticis impingatur, quod sacrificium prodesse doceamus, asque bono motu vtentis. Sed est hoc adeò clarum atque testatum omnibus, etiam his qui sacrilega quadam audacia, redemptionis nostræ precium auferre nobis conantur, quòd Malachiæ locus hic quem tractamus, de quotidiano Ecclesiæ sacrificio rectè intelligatur, vt quamlibet inuiti, fateri tamen quod res est, cogantur. Itaq; cùm aliam elabendi viam reperire non possunt, eo tandem ad extremum confugiunt, vt dicant: Interpretari quidem priscos illos patres locum hunc de celebratione Eucharistiæ, sed non de sacerdotis actione, & histrionica (sic enim loquuntur homines blasphemi) repræsentatione. Quasi verò quisquam theologorum tam insigniter stultus fuerit, vt quod est expiationis in hoc sacrificio sacerdotis, actioni tribuendum id esse putauerit. Sed neque temerè quenquam repertum iri credimus, qui sacrificium altaris expiatorium vocauerit, cùm non aliud sit expiatorium, quàm vnicum illud, quo posteàquam se CHRISTVS in ara crucis obtulerat, consummauit in æternum sanctificatos, cuius meritò cum Deo patre reconciliationem, peccatorumq; nostrorum remissionem consequimur. Propiciatorium quidem sacrificium hoc altaris, non rarò scimus appellatum fuisse: quãdoquidem in altari præsens adest illa propiciatio, præsens adest illa victima, quæ fuit in cruce pro nobis mactata, per quam vt propicius esse velit populo suo, qui pro CHristi corpore Ecclesia legatione fungitur sacerdos, Deum supplex precatur. Quamobrẽ nulla fit hic noua oblatio, nulla noua redemptio, reconciliatio, vel expiatio, sed vt oblationis, redemptionis, & expiationis in cruce



cruce factæ fructum in nobis iugiter sentiamus, & illius hostiæ merito, quæ præsens etiam adest in altari, propicium nobis Deum habere queamus, id verò cum sacerdote populus, quo summo potest studio, contendit & elaborat. In eum finem fiunt obsecrationes orationes, postulationes, gratiarum actiones, de quibus iam diximus. In eum finem & vituli labiorum, & aliæ spirituales offerũtur hostiæ, quæ nõ aliundè tũ, quàm ab illa crucis hostia vim & efficaciã suã habẽt. Ita quicqd est expiationis, & propiciationis nõ actioni sacerdotis, verùm oblationi quam in cruce Christus fecit, per nos tribuitur, non quòd non prosit nobis ad propicium reddendum Deum etiam sacerdotis oratio, sed quòd ea non per alium prodest, quàm per Christum oblata. Quamobrem nõ in homine sacerdote, penes quem solum est ministerium, verùm in solo Christo, qui verus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, spem nostram & fiduciam omnem defixam habemus, qui nisi quod facit in altari per ministrum Ecclesiæ, faceret ipse quoq; per semeti, sum in cœlo, nisi preces nostras Deo offerret, nisi cicatrices etiam vulnerum suorum exhiberet, quibus propter iniquitates nostras, vt nobis propicium redderet Patrem suum cœlestem affectus est: nullum prorsus ex actione sacerdotis ministerioq; fructum caperemus. Præclarè dictũ est ab Ambrosio, quòd ipse est oculus noster, vt per illum videamus patrem: ipse vox nostra, per quam loquamur ad patrem: ipse dextera nostra, per quam Deo patri sacrificium nostrum offeramus. Quicquid ad altare sacerdotis ministerio visibiliter agitur, hoc inuisibilis ipse virtute sua facit efficaciter. Quamobrem vanissimum hoc istorum cõmentum, qui per summam audaciam & impudentiam affingere nobis non verentur, quod actioni sacerdotis propiciationem nostram tribuamus. Verùm ita malitia cor istorum excœcauit, vt videntes non videant & audientes non audiant, neq; intelligant. Nam etiam apud eos quos vocant scholasticos Theologos legerunt isti proculdubio non vno loco, quòd homini sacerdoti ministerium tribuunt: quicquid autem est virtutis & efficaciæ, non ad alium quàm ad illum, qui sacrificium idem & sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, ad Christum Deum & hominem referunt. Quorsum autem attinet omnium ea de re sententias proferre, quorum pleni sunt ea de re libri: longum id foret, minimeq; necessarium. Vnius tantum testimonium produxisse contentus ero. Multi scholastici Doctores ritum & ordinem sacrosanctę Missę diligenter explicarunt, inter quos adeò non postremus est Alexander de Ales, vt vel inter primos rectè numerari queat. Nam præter quàm quòd alios ætate præcessit, excellenti quadam doctrina præditus fuisse videtur, vt non sine causa nomen irrefragabilis Doctoris obtinuerit. Is vbi de fine verba facit, quo claudi consueuerunt orationes, quas vulgò collectas vocant, Non per aliam, inquit, viam æterna Dei beneficia possunt ad nos decurrere, quàm per eum qui est mediator Dei & hominum, homo CHristus IESVS: per illum enim exaudiuntur preces fidelium, qui in diebus carnis suæ preces supplicationes; q; ad Deum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Vides quemadmodum hic non per hominem sacerdotem, qui ministerio tantùm reconciliationis fungitur, sed per verum reconciliatorem, verum Dei & hominum mediatorem, verum & æternum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cui petenti, nihil à Deo patre negari potest, preces fidelium exaudiri docet. Nam quod ad ministrum sacerdotem attinet, non suum ille sed Christi meritum, non suam sed Christi gratiam Deo repræsentat, nõ suum illi sed Christi sanguinem qui redemtionis nostræ precium est, offert. Itaq; sicut si quis ignem faceret, & ad vrendum lingna admoueret, calidus ipse foret siue frigidus, nihil interesset, quãdoquidem vi sua nihilominus ignis vreret: sic & homo sacerdos, quocunq; sit vitæ merito, siue charitate ferueat, siue prorsus frigeat, quod ad consecrationem Christi corporis attinet, nihil refert. Conficit ille nihilominus in altari Christi corpus & sanguinem, & eius meritum ex fide viuẽtibus & charitate feruentibus applicat, vt quem optant ex ea re fideles fructum consequantur, cùm verè dictum sit à Ioanne Scoto, quòd quandocunq; Christus vt summus sacerdos offert, panis quem dat, id est, caro eius, non actio sacerdotis, dat vitam. Sed quoniam lõgius aliquantò progressa est oratio nostra, quàm initio nobis fuerat propositum, proxima in sequenti declamatione pluribus hac de re disseremus.

Finis septimæ & vltimæ Recantationis.

# REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr. Omnes sunt Terniones, præter Rrr Quaternionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# INDEX EORVM O=
## MNIVM QVAE IN LIBRIS PRIMI
### Tomi Cardinali Hosij obseruatione sunt digna, copiosus.


A.

Aaronis sacerdotium & sacrificiũ quale, quando cessare debuit 114
Ab Apostolorum temporibus semper nefas est habitum, vt sacerdotes vxores ducerent 660
Ab Ecclesia Dei auulsi de sua salute se certos esse falsò existimant 613
Abelis sacrificij & Cain discrimen 313
Abraham, Isaac & Iacob, & cætera Patriarcharum nomina ab hominibus inuocata sunt 223
Abraham ad iustitiam fides non fuisset reputata nisi filium obtulisset 244
Abrenunciatio baptismum præcedere debet 87
Abrenunciatio antiquissimæ traditionis ibid.
Absolutio & confessio à Deo constituta 147
Absolutio quid sit, & quomodo à quibusdam intelligatur ibid
Absolutio sine peccatorum cõfessione, nisi certa quadam ratione fieri nequit ibid.
Absolutio ignotorum peccatorum 148
Absolutio forma pœnitentiæ 144
Absolutio omnibus est necessaria 148
Absolutionem confert Sacerdos ibid.
Absolutionis vis quæ 149
Absq; literis fides discitur 663
Abstinentia virtuosa quæ 367
Abstinentia mater sanitatis 362
Abstinentia hæreticorum qualis 366
Abstinentia Christianorum, Iudæorum, & Hæreticorum diuersa 365
Abstinentia primitiuæ Ecclesiæ quanta 579
Abstinentium sex genera 368
Acolithi, ceroferarij 177
Actuum humanorum regula, lex est charitatis diuinæ 312
Ad emendam vitam æternam solùm sufficit quod habetur 405
Adam veterem exuere & nouũ induere oportet 144
Adam nouit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum 3
Adam Christianissimi formam ostendebat 3
Adelbertus & Stanislaus Poloniæ Apostoli 690
Adeò nos doctos & non solùm legis, aut scripturæ peritos esse oportet 433
Ad martyrium puerum mater secum trahit 257
Adimplere qua desunt passionum Christi, quid sit 139
Adoratio angelis & hominibus facta, Dei gloriam nunquam obscurauit 216
Adoratio quid, & quoruplex 217
Ad obiecta Vergerij responsio 632
Ad solos fideles Christi Sacramentorum participatio pertinet 652
Ad solos Sacerdotes pertinet sub vtraq; specie panis & vini vti in Eucharistiæ sacramento 626
Ad solos Sacerdotes spectat Christi institutio de Sacramento Eucharistiæ 644
Aduentus tempus cur institutum: primaq; & secunda Dominica aduentus cuius rei admoneant 5. & 10
Adulterij & stupri pœna capitalis 186.323
Adulterij nomen quam latè pateat 106
Adulterij prohibitio non sancit matrimonium. ibid.
Adulterium spirituale grauius quàm carnale 324
Adulterium non tantùm circa corpus, sed etiam circa animam admittitur 325
Adulterium quomodo punitum olim, & eius nostro æuo impunitas 365
Aduocati officium 340
Aduocati persona nec abest, nec prodest causæ 340
Aduocati, & antistitis similitudo ibid.
Aegrotis Eucharistiam dari prohibuit Caluinus 429
Agapeti constantia 714
Aequalitas duplex 282
Aequitas simulata duplex iniquitas 273
Aërij hæretici error 243.159
Aërius ieiunium Ecclesiæ reiecit 563
Aetas ieiunando obnoxia 403
Affectum Deus pensat, non effectum 81
Affectus nomen operi imponit 399
Affricani Episcopi se Romano Pontifici subiecerunt 557
Agnus Paschalis, qui sacrificij Eucharistiæ figura erat, prius offerebatur deinde manducabatur 749
Agni paschatis immolatio apud Iudæos quid repræsentabat 114. 115
Agnus paschatis figura Christi ibid.
Agnus quomodo ab origine mundi occisus dicatur 462
A Græcis ad Latinos fides Christiana propagata 665
Agonis extremi pulchrum exemplum 291. & 292
Agricolarum pietas maior quàm ociosorum 249
Albati in primitiua Ecclesia 90
Albertus Magnus præceptor Thomæ de Aquino. 284
Albertus Magnus 238
Alexandri Magnis erga Pontificem Iudæorum reuerentia 448
Alia ratio sacra operantium, alia eorum qui sumunt Eucharistiam extra sacrificium 653
Altaria Deo in memoriam martyrum non ipsis martyribus eriguntur 227.349
Altare Hermanus Patriarcha Constantinopolitanus propitiatorium cur vocet 741
Altaris sacramentum. Vide infrà de Eucharisti 112
Altercando veritas amittitur 410
Ambrosij morientis verba 291
Ambrosij Episcopi constantia 450
Amicis benè faciendum 320
Amicitia Christiana qualis esse debeat 211
Amor sui quàm pernicios us 212
Amor arguit cuius ciuitatis sumus 257
Amor Christi fortissimus 254.462
Amor mundi laboriosus ibid.
Amoris causa, visio 309
Anabaptistarum dogma de puerorum baptismo falsum 108.110
Anabaptistæ cur nolunt pueros baptizari ibid.
Anabaptistæ cuiusp iam ad Deum Patrem oratio 621
Anabaptistæ fiunt ante Lutherani,
Bernar Rotman.
Henricus Rollius
Godef. Stralen 432
Anabaptistæ reliquis hæreticis deteriores ibid.
Anabaptistæ reliquis paratiores ad quæuis perferenda 436
Anabaptistæ varij & nunc & Augustini tempore. 432
Anabaptistæ vnde orti 431
Anabaptistarum auctor quis ibid.
Anabaptistas confutat Iustus Menius 435
Anarchiam hæretici introducere moliuntur 446
Anastasius Papa temerè hæreseos insimulatur 487
Andræ Apostoli desiderium pro Christo patiendi 190
Angeli & Archangeli intersunt sacrificio Missæ 170
Angeli sciunt vota nostra 443
Angeli Deo preces nostras offerunt ibid.
Angeli in templis habitant 384
Angeli Sacerdoti assidẽt in Missæ sacrificio. 741. 742

Universidad de Deusto
Biblioteca



Anglicanæ ecclesiæ caput non Rex diu 491
Animæ sunt in purgatorio 159
Animæ vident facta nostra, & sciunt petitiones nostras 228
Animæ puritas naturalis, omnium virtutum origo 314
animarum à corpore abstractarum perspicacia, ibid.
animalia occidere licet 322
animus rationalis virtutis habitaculum est 67
Anna typus ecclesiæ 249
annus cur in certa tempora distributus 5
Anomei hæretici quando fuerunt & eorum opinio 242
ante oculos Dei, manus non est vacua à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate 303
antichristi hæresiarchę 638
antinomi quales sint 442
Antiochenorum religio in obseruando quadragesimæ ieiunio 366
Apollinaris condemnatio 712
apostoli non obtulerunt nisi post assumptionem. 125
apostoli temporalia relinquentes æternæ potestatis gloriam mercati sunt 300
apostoli amanuenses Spiritus sancti 244.245
apostoli quam legem sustulerunt 559
Apostoli Sacerdotes à Christo in vltima cœna instituti 203
Apostoli suum non alienum sanguinem fundebant. 700
Apostoli auctores ordinis Monastici 356
Apostoli diuinis rebus intentissimi 335
Apostoli præ diuinarum rerum contẽplatione quandoque vix sexto aut septimo die cibum capiebant ibid.
Apostoli Christum sequentes reliquerunt vxores. 197
Apostoli, non debere Presbyterum aut episcopum reijcere propriam vxorem, cur statuerint 525
Apostoli cur ante Christum mori non debuerint. 463
Apostoli, quædam Christi decreta mutauerunt 605
Apostoli quale fuerunt fundamentum 545
Apostoli sunt domini & serui 545
Apostolica doctrina non scripto tantùm, verum & traditione constat 55
Apostolica ecclesia quæ & vnde dicta ibi.
Apostolicæ ecclesiæ auctoritas 55.56
Apostolici quales hæretici 68
Apostolici qui 224
Apostolis solis dictum, Bibite ex hoc omnes 529
Apostolorum traditiones ab Ignatio quanti factæ. 392
Apostolorum canones cur plèriq; in Concilijs emendati 460
Apostolorum pietas cum regum pietate in Polonia confertur 424
Apostolorum instituta in dubium reuocare grande nefas 20.& 21
Apostolorum & Episcoporum principatus sublimis 40
applicatio sacrificij 340
aqua in baptismo quid efficiat 116.& seq.
aqua Sacramento baptismi cur adhibita 75.& 77
aquę furtiuę dulciores 698
aquę furtiuę doctrinę hęreticorum 203
aquę benedictę vsus 342
aquilę in euangelio qui intelligendi 419
à quo tempore Polonia recepit Christi euangelium. 109
Arca Noë figura Christi 85
arcana fidei non statim omnibus prodenda 117
arcę virtus quanta fuerit apud Iudæos 348
Archiepiscopi principes episcoporum 18
Archiepiscopo præfertur crux ibid.
Archiepiscoporum instituendorum ratio 179
Arriana hæresis quàm latè serpserit 46
Arrij vocem homousios non recipiebant 24.56
Arrij hæresis de Christo ibid.
Arrij in Christum blasphemia 439
Arriani noui 439
Arrius quadraginta scripturarum loca produxit ad suam hæresim constituendam 621
Armenij in mysterio aquam vino non miscent 433
Articulos Louanienses explicat Tapper 447
Asoti qui 447
Articulus, Credo sanctam ecclesiam Catholicam, discernit Catholicos & hæreticos 19
Ascensio Christi cur in quadragesimam diem dilata à resurrectione 9
Ascensionis Christi vtilitas ibid.
Ascensionis Christi memoriæ cur externi iudicij mentionem ecclesia adiunxerit 10
A sexcentis annis quibus Polonia Christi fidem susceperit, non fuit in ea nisi sub vna specie communicatum 663
Aspides surdæ & obturantes aures suas, dicuntur hæretici 706
Assasinorum & Beduinorum exemplum 551
Athanasij laus 694
Athanasij symbolum, hęretici Sathanasij symbolum appellant 694
Athanasij sententia huic tempori accommodatur. 705
Athanasius non admittit principes ad cognoscẽdas causas ecclesiæ 510
Attilæ regis erga Leonem Papam reuerentia 451
Augustana Confessio de episcoporum auctoritate & potestate citata 50
Augustana Confessio 446.694
Augustana Confessio secum pugnat, ibidem, &c.
Augustinenſibus primum prędicandarum indulgentiarum munus fuit mandatum 425
Augustini dictum de radicibus duabus ibid.
Augustini sententia, an cogi quisquam ad fidem debeat 356
Augustinus Valerio episcopo non successit, sed accessit 178
Auhustinus an errarit, & quomodo 545
Augustinus Patrum testimonijs sua approbat 360
Aulici Dei pauperes 511
Aurelianus Cæsar noluit de episcopis iudicare 88
Aures & nares baptizandis cur liniantur 272
Aurium & linguarum pruritus in magistris & discipulis hoc tempore 516
Austriacæ domus laus 86
Auctoris huius libelli propositum 1
Auctoritas ecclesiæ facit, vt euangelio credamus 22. 23 ibid.
Auctoritas ecclesiæ prior quàm scripturæ 107
Auctoritas ecclesiæ mutare quædam interdum contra mandatum Dei potest 571
Auctoritas Sedis Apostolicæ quanta

B.

Babylon ab hæreticis extruitur, & quid significet 51.177
Babylonicam ciuitatem scripsit Lutherus. ibid. 427
Babylonis, hoc est, confusionis constructio 59
Balaam vt malediceret conductus, benedixit populo Dei 501
Balsamum cur chrismati miscetur
Balthasar ob sacra pocula depredata punitus. 241 442.654
Balthasar Pacimontanus
Balthasar Pacimontanus auctor Anabaptistarum. 431 396
Balthasarus Anabaptista primus, hoc æuo Donatista 79
rum hæresim resuscitauit 85
Baptismi multiplex definitio 747
Baptismi Ioannis & Christi discrimen 749
Baptismi fructus, & celebrandi ritus 529
Baptismi quemadmodum & eucharistiæ vsum deprauant hæretici 570
Baptismi aqua prius consecranda
Baptismi immersio quid significet Baptis-



Baptismus Ioannis fuit vice puerilis institutionis. 85
Baptismus cur sigillum vocetur 75
Baptismus clauis cœlorum 79
Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum 79
Baptismus non corpotis sed animæ mundatio est. 82
Baptismus an in tribus, an vna consistat immersione ibid.
Baptismus fidei Sacramentum, & ianua ad vitam instantium 74
Baptismus quorum nos admoneat 75
Baptismus Christianæ iustificationis visibile principium inter Sacramenta primum locum, quid conferat 328.
Baptismus infirmitatem carnis non tollit, sed solùm iniquitatem 76
Baptismus quomodo remissionem peccatorum tribuit ibid.
Baptismus cur in nomine & non in nominibus tribuatur 75
Baptismus ianuam Regni cœlestis aperit 70
Baptismus quomodo à D. Cypriano definitur ibid.
Baptismus omnibus ad salutem consequendam necessarius 80
Baptismus paruulorum 81
Baptismus aufert non radit peccata 76
Baptismus Catholicis & hæreticis communis 85
Baptismus triplex 81
Baptismus extra Ecclesiam non prodest 85
Baptismus apud veteres non porrigebatur nisi festis Paschæ & Pentecostes 88.354
Baptismus Ioannis baptismo Iudæ inferior 85
Baptismus primùm in solius Iesu nomine conferebatur, postea in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti 108
Baptismus redemptionis nostræ beneficium non obscurat 123
Baptismus laboriosus pœnitentia 150
Baptismi signum & forma 74
Baptismi ritus & ceremoniæ an sint necessariæ & cur adhibeantur 87
Baptismi vicem implet passio 81
Baptismi instrumentum ac minister est Sacerdos. ibid.
Baptismi bonorum epilogus 80
Baptismi mira efficacia 266
Baptismi adultorum propria fides & pœnitentia est necessaria 83
In Baptismo multa mutata sunt 108
Inter Baptismum & pœnitentiam discrimen 156
Baptizandi potestas fœminis permissa 81
Baptizandi forma à Christo præscripta, ab Apostolis immutata 108
Baptizandi an immergantur, an perfundantur nihil refert ibid.
Baptizandi cur Chrismate vngantur 506
Baptizandus cur non mox templum ingrediatur. 87
Baptizare quid sit 108
Baptizare in necessitate quilibet potest 83
Baptizati ab hæreticis non rebabtizandi 85
Baptizati cur sint confirmandi 88
Baptizatis cur remittantur peccata, & omne gratiarũ genus infunditur 75.& 76
Basilicæ cur sanctorum nominibus vocentur 348
Basilij de statu ecclesiæ quærimonia 491
Basilij Magni laus 562
Basilij querela contra deprauatores veritatis 25 383
Basilici Imperatoris circulares literę 44
Bellum hæreticorum pax Ecclesiæ est 51
Benedictio cum impositione manuum quid significet 83
Benedictio cur in ordinandis adhibetur 165
Benedictionis vis maior quàm naturæ 93
Benedictionis vsus ab hostibus Ecclesiæ irridetur. 19
Benignitatis ratio 320
Berengarij dogma hæreticum de Eucharistia 103
Berengarij error, & pœnitentia 437
Bernardus Rothmannus disputationem cum Anabaptistis cur Monasterij refugerit 431
Bernardus Rothmannus primus Monasterij Lutheranam doctrinam prædicauit ibid.
Bernardus Rothmannus Lutheranus sit Anabaptista ibid.
Bestiæ de se benè meritos naturaliter diligunt 305
Beza Polonis ignominiam inusſit immeritò in conuentu Posiaco 697
Bezæ blasphemiæ ibid.
Bezæ impietas ibid.
In Bezam lepidè dictum ibid.
Beza successor Caluini 703
Bezæ libellus impiissimus 706
Bibite ex hoc omnes, quomodo ab hæreticis accipiatur. 625
Bibite ex hoc calice omnes, quomodo est accipiendũ 653
Bibite ex hoc omnes, solis Apostolis est dictum. 724
Bisantiorum religio in obseruando quadragesimæ ieiunio 366
Blandrata 695
Blasphemia Phil. Melancth. dicentis Dauid adulteri. um esse opus Dei 255
Blasphemi & falsi doctores lapidandi 37
Blasphemi in Spiritum Sanctum qui hodie sint 457
Boëmia & Moravia hæresibus infecta 52
Boëmorum dissidium à Romana Ecclesia inexcusabile 414
Boëmi volunt esse omnes Sacerdotes 644
Boëmorum error 654
Boëmiam quando infecerit lepra Valdensis 424
Boëmiæ Regnum
VVladillaus
Vitoldus
Poloniæ Reges
possidere recusarunt ibid.
Boëmi multi à Christiano orbe se præciderunt 425
Boëmorum & Polonorum lingua eadem ibid.
Boëmorum patris Poloni esse noluerunt ibid.
Bona opera quæ sint 153
Bona mala fiunt si non benè fiant 211
Bonæ leges non propter malos hominum mores abrogandæ 235
Boni Pastoris functio 630
Boni natura omnibus se proponere 263
Bonis mali permixti nihil nocent 433
Bonis semper mali permixti 490
Bonitati domini omnia adscribenda 283
Ad bonum cogi à malo prohiberi sanctum est 356
Bonum nullum Deus relinquit irremuneratum 157
Bonus vt quis dici possit 376.294
Boquinus 673
Bremenses damnantur à Caluino 451
Brentianæ doctrinæ auctor Lutherus 425
Brentianæ doctrinæ quæ sint capita ibid.
Brentij de verborum baptismi forma impia doctrina 428
Brentij impudentia 454
Brentij sententia de iudicandis apostolorum traditionibus 558
Brentij inconstantia 453
Brentij in ecclesię præpositos probrum 447
Brentij liber Polonię Regi dicatus 428
Brentij petulantia in Petrum à Soto 447
Brentium instar numinis colit Vergerius 447
Brentius baptizandi formam mutare putat 428.519
Brentius principibus de doctrina religionis iudicũ tribuit 685
Brentius fauens Arrianis, Concilio Nicęno detrahit. 522
Brentius fauere videtur sacramentarijs 528
Brentius quam corruptè citet Irenęum 555
Brentius Osiandri doctrinam probauit 446
Brentius Patres erroris insimulat 543
Brentius imprudens laudat Catholicos 592

Universidad de Deusto
Biblioteca



Brentius Patres in Concilio lapsos ait 495
Brentius quàm imprudenter vanus 556
Brentius vult eundem & rei & iudicis personam sustinere debere 465
Breuis afflictio carnis emit cœleste conuiuium 306
Bucer fraude Lutherus adductus malè de Eucharistia docuit 427
Bucer & Lutheri concordia 633
Bucerus Brentio contrarius de certitudine gratiæ. 524
Bucerus Lutheri imperium ferre non potuit 674
Bucerus 679
Bucerus de Luthero 430
Bucerus & Lutherus alter alteri concessit 427
Bucerus Luthero est doctrina non inferior, linguarū peritia superior 524
bullas Lutherus incendit 426.

C.

CAcangelorum blasphemia 272.249
Cadauer exhumatum cur alibi ab hæreticis cruci affixum 602
Cædes non omnis mala 322
Calicem cur vrgeant Lutherani 319
Calicem plebi adimere an sit contra institutum Christi 107
Calicis vsum non esse de necessitate salutis Lutherani fatentur 518
Calicis vsus licet aliquando fuerit, nunquam tamen fuit vniuersalis 518.& 108
Calicis vsus cur laicis ablatus 560
Calix dominicus vinum aqua mixtum habere debet. 579
Caluinus Papa Genevæ 678
Caluini fastus incredibilis 678
Caluinolatræ 679
Caluini de Luthero iudicium ibid.
Caluino de Luthero testimonium 427
Caluini impiè gesta ac scripta ibid.
Caluini iudicium de Lutheranis 431
Caluinus contra VVestphalum 672
Caluini in VVestphalum, & Buceri in Lutherum pugna 638
Caluini de Luthero conquestio ibid.
Caluini error circa Eucharistiam damnabilis 91
Caluinus Eucharistiam dare vetuit ægrotis 429
Caluinus & Zuinglij & Lutheri sententiam condemnauit 427
Caluinus in quibus sequatur Lutherum ibid.
Caluinus trinitarius 672
Caluinus reiecit
sacras vestes
luminarium vsum,
campanarum pulsum ibid.
Caluinus, Lutheri & Zuinglij sententiam de eucharistia damnauit 697
Caluinus iactat suorum in patiendo alacritatem. 426
Caluini opinio de Romana ecclesia 702
Caluinus quantum tribuat Romanæ ecclesiæ 480
Caluinus quomodo certos nos velit esse salutis 436
Caluini sententia de eucharistia 699
Calumnia hæreticorum aduersus Pontifices 65.& 66
Calumnia Sacerdotij illata Christo infertur 181.182
Campanas an ecclesia baptizet 56
Canales beneficiorum Christi 122
Candela ardens cur baptizato adhibetur 88
Canones ecclesiastici non sine grauissimo scelere contemnuntur 525
Canones quidam Apostolorum cur à posterioribus concilijs emendati 466
Canones sunt leges ecclesiasticorum 497
Canones Apostolorum à Clementi Petri successore conscripti 662
Canonici cur instituti in cathedralibus ecclesijs 180
Canonicam scripturam vocari librum hæreticorum dicit Lutherus 432
Cantilenas vulgares quasdam canere ecclesia nunquam prohibuit 134
Capillorum resectio in ordinandis quid significet. 165
Capita scripturæ etiam præcipua egent explicatione 518
Capitis nomē hominibus tribuitur in scripturis. 595
Capitis vnius in ecclesia necessitas 57
Capitis nomen homini tribui, non est nouum in ecclesia 738
Capitis & corporis Christi minister est Sacerdos ad altare 730.& 729
Captiuitatē Babylonicam Lutherus scripsit 425
Caput ecclesiæ est Romanus etiam Pontifex 648
Carbonarij cuiusdam exemplum maximè mouens 515
imitandum 137
Carcer purgatorium 447
Cardinalis Augustini laus 444
Cardo Lutheranæ doctrinæ quis 364
Carnes cur prohibitæ 580
Carnibus cur abstineant Catholici 382
Carnibus vescentes in quadragesima ex contemptu, Satanæ mancipia 382
Carnifices etiam nostri seculi apud hæreticos prædicant, consecrant, &c. 172
Carnis opera 239
Carnis bellum cum spiritu implacabile 388
Carnis resurectionem cur in symbolo profitemur. 214 375
Carnis nomine quid intelligendum 365
Carnium esus consideratio ibidem
Carnium esus quàm noxius ibidem
Caro, sanguis, anima & diuinitas in Christo ab inuicem separari nequeunt 618
Carolstadij à Luthero dissensio, eiusq; causa 427
Carolstadij res gestæ ibid.
Carolstadij cur Lutherus sit præpositus ibid.
Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, M. Lutheri filij 624 396
Carolstadius Luthero aduersus 427
Carolstadius à Melanchone vt describitur ibid.
Carolstadius cur sacramentariorum hæresim excitarit ibi.
Carolst. Lutheri amicus quamdiu ibi.
Carolstadius
Missam abrogauit,
habitum religiosum iecit,
Imagines ejici fecit,
Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit. ibid.
Carolstadius primus duxit apud Germanos vxorem. ibid.
Carolstadius primus in eucharistia Christi corpus adesse negauit ibid. 664.665
Carolstadius sacramentariorum auctor 664.665
Carolstadius à Carolstadio qua intentione controuersia de cœna Domini mota ibid. ibi.
de Carolstadio iudicium Melanchthonis 43
Caroli Quinti Imperatoris Catholici factum præclarum 548
Caroli Quinti laus ibi.
Carolus imperator defenditur cur hæreticos in iure non profligarit 518 188
Carolus imperator noluit de religione iudicare 518
Castitatem seruari posse 176
Casuum reseruatio vnde originem habeat, & quò referatur 634 86
Catechismus quid
Catechumenus quomodo fiat 348
Catenæ Pauli quanto fuerunt in honore Chrysostomo 435
Cathedra non deserenda ob malos Pastores 479
Cathedra pestilentiæ quæ sit ibid.
Cathedram Petri obtinens non destituitur assistentia Dei ibid.
Cathedræ Romanæ sanctitas non deserenda propter culpatam vitam præsidis 68
Catholica ecclesia cur & vnde dicatur, quanq; late pateat 394.26.27



Catholica Ecclesia an sit illustris 394
Catholica, dictio, per Lutherū è symbolo sublata. ibi.
Catholica doctrina quæ 540.456
Catholica fides in Polonia cur diu integra permanserit 424
Catho. ecclesiæ, lux sanæ intelligentiæ promissa. 283
Catholici cum hæreticis non de scriptura, sed sensu scripturæ contendunt 513
Catholici ex verbo Dei docent 494
Catholici vox quibus rebus, & quibus non attribuitur 587
Catholici, Christi mortem non verbis solùm annunciant, sed & symbolis ad altare, & in baptismo cōmemorant 749
Catholici congregationem, vnionem, dilectionem procurant: Hæretici dissipationem, secessionem, & odia 725
Catholicorum consensus 613
Catholicorum & Orthodoxorum de scripturis intelligentia 625
Catholicum quid dicatur 587
Catholicus & Orthodoxus quis sit 287.26.32.163
Catholicus vt ab hęretico & schismatico possit digno sci 32
Catholicus qua nota discernatur ab hæretico 594
Catholicus quem in iudicādo spiritum loquatur. 246
Catholicus quomodo se gerat ibid.
Catholicus non est, qui non est papista 670
causas fidei ne Imperatores iudicent 46
causæ grauiores ad Pontificem Romanum referuntur 176
Cāzimiri Regis Poloniæ abstinentia 381
cœlibatus Sacerdotum 334
cœlibatus votum pium, Deoq; gratum 333
cœlibatus non est cultus Dei, sed via ad seruiendum Deo expeditior 334
cœlibes multi vitam suam egerunt 323
cœlum quomodo à nobis emi possit 299.& 300
cœna Dominica in priuatis ædibus celebranda non est 544
cœnobiorum auctores Apostoli 335
cereorum vsus antiquissimus & probatissimus 342
cerei accensi cur Euangelij lectioni præferantur. ibid.
ceremoniæ Ecclesiæ non contemnendæ 525
ceremoniæ circa baptismum quæ, & cur fiant 86
ceremoniæ Natalis Domini quid significent 5
ceremoniæ missæ in quem finem sunt institutæ 13. 17
ceremoniæ ecclesiæ & ritus quid indicent 17
ceremoniæ externæ quatenus vtiles & fructuosæ 337
ceremoniæ cur institutæ, vnde sumantur, & ad quid profuit ibid.
ceremoniarum instituendarum causa 334
censura concilij Constantiensis super Eucharistiæ Sacramento 647
centuriatorum querelæ contra magistratus Pontificia sibi arrogantes 683
centuriatores pulsi ibi.
centuriatores carbonario curru educti 684
centuriatores propter idololatriam pulsi 685
ceroferariorum officium 196
certamen christianorum cum diabolo 89
certitudine quali scire possimus esse nos in gratia. 436
charitas christiana quid exigat à nobis 295
charitas etiam sine scripturæ scientia saluat 530
charitas lex crucifixi ibid.
charitas quantum habeat efficaciæ 256
charitas scopus traditionum & scripturæ 520.608
charitas est vita fidei 245
charitas fidei & spei necessaria ibid.
charitas fortior morte 256
charitas sola nos vnit Deo 257
charitas conseruatur in humilitate, tenetur in vnitate 411
charitas via ad Deum, & Dei ad homines ibid.
charitas duplex 258
charitas à charitate, id est, Deo 407
charitas extra Ecclesiam nulla 258
charitas cum peccato mortali consistere nequit 138
charitas Dei & nostra 257
charitas iustificat & sanctificat 258.& 259
charitas est anima fidei 245
charitas quæ sit, cui perfectio tribuatur 245.261
charitas finis præcepti 314
charitas operit multitudinem peccatorum 259
charitas est christianorum iustitia 261
charitas salutis precium 301
charitas præfertur scientiæ 411
charitatem quis non habeat 437
charitati omnes leges subsunt 680
charitati omnia facilia 258.189
charitatis alia ratio quam fidei 246
charitatis laus 258.314
charitatis radix plantari nequit, nisi eiecta prius cupiditatis radice 332
charitatis præceptum vnum, sed duo continet 314
cherub plenus scientia 403
chiliastarum errorem renouant Anabaptistæ 432
Chore, Dathan & Abiron quomodo puniti 181
chrisma cur non ferant hæretici 50.& 91
chrisma in Baptismo adhibendum 312
chrisma reuerenter habendum 501
chrismati Apostolorum etiam temporibus multum tribuebatur 91
chrismatis multa mysteria ibid.
chrismatis vsus quid significet 525
chrismatis antiquitas, consecratio, & materia 88
christiana indulgentia 368
Christiana amicitia qualis esse debeat 561
Christiani à Christo cur dicti 501
christiani ante 40. annos omnes idem sentiebant. 424
christiani cur ab vno nomine vocari voluerint ibid.
chaistiani nomine nihil gloriosius, ibi. & 681
christiani prima vox, Credo 3
christiani nominis origo vnde, & qui primò dicti ita sint 405.366
christiani non omnes Sacerdotes 171
christiani sub malo pastore officium 182
christiani qua iustitia iusti 263
christiani fiunt, non nascuntur 265.266
christianismi finis ibid.
christianismus quid 265
christianismus petrà scandali 248
christiano credendum non disputandum 104
christianorum primorum abstinentia 367
christianorum genus ab initio fuisse 737
christianum esse quid 265
Qui christiani appellatione spreta alias appellationes suscipiunt, ex Antichristi sunt Synagogæ 681
christianus tāto magis quisq; est, quanto magis Christi particeps est 267
Christi graviores passiones fuere quàm totius mundi peccata 159
Christi persequutionum nondum finis ibi.
Christi sarcina leuis 189
Christi nauicula dormientis allegoria 68
Christi ineffabilis charitas in eucharistia declaratur. 91
Christi mors victoria Christianorum 16
Christi resurrectio, nostra est iustificatio 9
Christi morti contristari debemus 67
Christi diuinitas & humanitas probatur ibi.
Christi membra quomodo esse possumus 111
Christi sanguinis merito detrahunt, qui in Christo obdormientibus cœli ianuam apertam negant. 337
Christi passio profuit, antequam fuerit 721
Christi passione sanctificati sumus, sicut sole mūdus illustratur: sed vt terra quotidiano solis ortu illustranda, ita nostra sanctificatio eadem ad altare oblatione frequentanda 739
Christi passionis, & solis non dissimilis ratio ibid.
Christi verborum in nouissima cœna germana interpretatio 748
Non à Christo, sed ab aliquo alio nunc pari, hæreticum est 307
Christi passionibus communicare qui dicantur 6

Universidad de Deusto
Biblioteca



Christi sermo operatorius 94
Christi passionis mysterium summa omnium credendorum 15
Christi auxilio omnia possumus 189
Christi corporis veritas astruitur 91.92
Christi corpus manet post consecrationem, etiam extra vsum 94
Christi decreta mutarunt Apostoli 570
Christi proprium quid 427
Christi ordinationem non violari cum altera tantũ specierum sumitur à laicis 648
Christi legem esse mille quingentis annis nec amplius duraturam quis docuerit 439
Christi oblatio duplex 106
Christo commori non sufficit, sed cum eo resurgere oportet 6
Christo nihil detrahitur si Papa vnus Pastor dicitur: ostenditur à simili 67
Christum caput & Christi corpus qui relinquant. 533
Christum desperasse ac damnatum esse quis docuerit 439
Christum extra sumptionem in Eucharistia non adesse, neq; adorari debere rectè docuerit Lutherus. 426
Christum induimus duobus modis 266
Christum quis soluat 602
Christum in nouissima cœna, & seipsum hostiam obtulisse, & eandem ab Apostolis eorumq; successoribus offerri præcepisse 748
Christum, vt misereatur: sanctos, vt intercedant, in supplicationibus postulat Ecclesia 721
Christus quomodo seipsum manibus suis portauerit 93
Christus antè passionem præcepit offerre 126
Christus quando immolatus 126
Christus impossibilia non præcepit, sed perfecta. 249
Christus cur sic dici voluerit 500
Christus à chrismate dictus ibid.
Christus Luthero impanatus 427
Christus quando sequendus 411
Christus cur mediator 3
Christus quale fundamentum 735
Christus quare natus sit 426
Christus secundum legem debebat mori 462
Christus vt fuerit mortis reus ibi.
Christus non minus sub vna, quàm sub vtraq; specie manet integer 106
Christus mediator Dei & hominum 3
Christus duplici modo seipsum obtulit 123.124
Christus meretur in membris suis & quomodo 160
Christus non tantùm redẽptor, sed & legislator. 246
Christus orare nos docuit 115
Christus quod proprium ei erat, Sacerdotibus communicauit 116.117
Christus in nobis operatur & nos in Christo 281
Christus carnis suę mundissimæ tactu, aquis vim purgatiuam ac regeneratiuam contulit 75
Christus vsq; in finem seculi patitur in membris suis 160
Christus cur mortuus 726
Christus legis finis 192.115.4
Christus Rex & Sacerdos 172
Christus sub specie panis duobus discipulis in Emaus corpus & sanguinem suum dedit post resurrectionem 107
Christus sub qualibet specie totus & integer 109
Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & quando eo sacerdotio perfunctus sit. 116
Christus sacrificium eucharisticæ in vltima cœna instituit. 115
Christus venit quod imperfectum erat perficere. 171
Christus & ecclesia duo sunt in carne vna 159
Christus Sacerdos secundum ordinem Aaron cum Sacerdotio finem imposuit 114
Christus neq; scripsit, neq; scribere præcepit, sed prædicare 22
Christus qualis causa iustificationis nostræ 264
Christus per sacerdotem omnia facit in ministeris ecclesiasticis 169
Christus in hunc mundum venit etiam, vt se nobis imitandum proponeret 264
Christus quo precio nos emerit, de quo Paulus ad Corinth. ait 325
Christus quomodo à Paulo peccatum nominetur. 328
Christus cur in mundum venit 338
Christus non ex sapientibus Iudæorum Apostolos elegit, sed ex turba 6
Christus nostri causa esurijt ibi.
Christus quadragesimam ieiunando sacrauit 56.58
Christus vt caput non destituit sponsam 239
Christus qũo solus sufficiat & quomodo non 98.99
Christus sponsus & sponsa quomodo 83.120.130
Christus in missa qũo dicitur immolari 121
Christus duplici modo oblatus
Christus inuisibiliter Sacramento salutem cõfert. 111
Christus corpus suum quomodo nobis manducandum dederit 94
Christus non nascendo sed moriendo à morte nos redemit 5
Christus scopus ad quem omnia referuntur 18
Christus dies & sol dictus 238
Christus offert per Ecclesiam & ecclesia per Christũ. 114 98
Christus quibus modis est in eucharistia
Christus in Eucharistiæ consecratione, atq; oblatione, quod virtutis atq; efficaciæ est, solus præstat. 731
cerdotis nihil est præter ministerium
Christus in vna cœna duplex pascha celebrauit, & iudaicum, & nostrum 744
Christus per sacerdotem offert seipsum, ad altare quidem in imagine, in cœlestib. vero in veritate 730
Christus in nouissima cœna nouum sacerdotium, & nouum sacrificium instituit 749 101
Christus occiditur in Martyribus 302
ciborum delectus quomodo obseruandus 364
ciborum delectus qualis nunc apud christianos, & qualis olim apud Iudæos fuit 364
cibo omni per viginti dies quosdam monachos ieiunando abstinuisse 383
cibus mortis & cibus vitæ quid sit 137
cicatrix peccati 6
circumcisio spiritualis 72
circumcisio quale signum 72
ciuiles functiones non cum ecclesiasticis confundendæ 447
claues ecclesiæ quid sint 149
claues duæ 540
clauis triplex ibid.
clauium potestas maior penes episcopum quàm Sacerdotem 176
clementia Dei ingens 143
cleri vitia hæretici libenter commemorant 489
clerus non caruit vitijs etiam Pauli temporibus ibid.
clinicorum aspersio efficax 108
coactio ad bonum salutis 356
cœlestes Prophetæ 634
cœlibatum professi si nuptias celebrent adulteris deteriores 575
cœlibatus lex in casu solui potest 577
cœnam Domini, quasi lapytharum conuiuium celebrant Hæretici 749
cœnæ Dominicæ mysteria declarata 745.746
cognatio spiritualis contrahitur in baptismo 87
cognitio Dei homines à brutis discernit. In prooemio confessionis 706
cola Mantuanus 429
collatio Lutheranorum & Zuinglianorum 223
collectę Ecclesiæ docent nos fidem & omnem fiduciam in solum Christum collocare 546
colles sublimes mysticè sunt hæresiarchæ 490
colloquia de religione patribus improbata 705
colloquiorum fructus 234
colluctatio carnis & spiritus 110
comitiorum auctoritas quàm conciliorum maior esse non debet 52 5
commanducare linguas suas qui dicantur 69
cõmunicare passionibus Christi qũo possumus 69
comunio sanctorum quæ com-



communio bonorum in Ecclesia ibid.
communicandi vetus mos 108
communionis alterius speciei vsus quando inoleuerit 109
communionis ratio 356
communio vtriusq; vel alterius speciei triginta sex opinionibus pugnantibus docetur 446
communio vtriusq; speciei cur defendatur ab hæreticis 518
compati & commori Christo quid 5
compũctio pœnitentibus necessaria, & quæ sit eius vis 145
concilia an possint errare 37
concilia legitima absq; Rom. Pont. sententia celebrari nequeunt 39
concilia cur instituta 37
concil. quatuor Gregorius & christiani omnes tantùm quatuor euangelia recipiunt 38
Concilia Episcoporum quomodo à Gratiano diceantur inualida 39
concilia nationalia ibid
concilia œcumenica octo, & quid in eis actum 37
concilia Episcoporum sunt 38
concilia repræsentant vniuersam ecclesiam 38
concilia vel prouincialia, vel œcumenica decretorũ suorum cõfirmationem à Romano Pontifice sem per perijsse, multis exemplis probatur 58.60.62
A Concilijs definita, non esse reuocanda in dubiũ 35
In concil. Imperatorum & regum officium 40
In concil. an locum habeant laici docti 41
In concil. Principes non iudicant 41
In concil. imperatores interfuerunt 43
In concilijs iudices ibid.
In concilijs subscriptiones 44
concilia cur celebrentur 460
concilia quantoperè spreuerit Lutherus 518
cõcil. generalia ex traditione multa constituerũt 554
cõcil. generalia à prouincialibus vt differant 492
cõcil. generalia in dubiũ reuocare impium 458
concilia in quibus possint errare 459
concilia legitima quæ non sunt ibid.
concilia priora qũo à posterioribus emendentur ibid.
concil. dicta velut aggeres hæresibus oppositi 631.632
concil. Basil. decretum de Eucharist. sacramento 627
concilijs Christus maximè præsens 489
concilijs non acquiescunt hæretici 457
concilijs parendũ non eis quid præscribendum 533
concilium Triden. propter desertores Ecclesiæ maximè celebratum 698
cõcil. Trid. proximè celebrato quales interfuerint. 41
In Triden. concil. frequentia & studium Patrum 711
conciliorum definitioni standum 458
concilium an sine peccatoribus sit 533
concilium legitimum an errare queat 460.488
cõcil ecclesiam repræsentat 616
Concilium Floren. 715
concilium quorum sit illegitimum 533
concionatores hæretici ad vulgi libidinem, suas conciones accommodant 467
concionari verbum Dei ad quos pertineat 174
concordia quanta ante annos quadraginta 424
concordia in sacramento Euchar. spectanda 104
concordiæ vis quanta 19
concors Episcoporum in synodis sententia, Dei sententia est 618
concupiscẽtia non habet locũ, vbi sobriè viuitur 75
concupiscẽtia carnis est pœna peccati originalis 77
concupiscentia prohibita quomodo 328
concupiscentia remanens post baptismum non est peccatum ibid.
cõcupiscentia carnis qũo in baptismo dimittatur 77
Non concupisces quomodo intelligendum 308
concupiscere & velle differunt 329
concupiscere facere est 330
Ex condigno merendi vitã æternam causæ octo 285
Confessio & communio in sacram passionis septimanam cur ordinata 6
confessio soli Deo facta, no sufficit 149
confessio institutionis diuinæ ibi.
confessio pœnitentiam indicat 150
confessiones resipiscentium publicandæ, & earum singularis vtilitas 721.725.
confessio Augustana à quibus recepta 445
confessio Augustana mutata à Philip. Melancthone. 718
confessiones variæ hæreticorum ibid.
confessiones pestiferæ 613
confessionistæ hæretici 442
confessor prudens eligendus 147
confirmatio Sacramentum est 726
confirmatio rectè Sacramen. dicitur ibid.
confirmatio pertinet ad Baptismi perfectionem. ibid.
confirmatio à Christo quando & quomodo instituta ibid.
confirmatio necessaria 89
confirmatio perfectè tribuit Spiritum sanctum. ibid.
confirmationis minister Episcopus antiquitus 89
confirmari Christo debemus, si cum illo regnare volumus 89
confiteri soli Deo non sufficit 148
confusio aliquando bona 144
coniugalis copulatio latebras quærit 198
coniugalis pudicitia, etiam donum Dei est 191
coniugibus castis Dei gratia præsto adest ibid.
coniugium spirituale 200
coniux infidelis fideli viro iuncta, ab iniquitate non mundatur 80
coniugium fuit inter Ioseph & Mariam 430
coniugium inire quibus non liceat 324
coniugatis quæ liceant ibid.
connubij desiderium post continentiæ votum malũ est 195
consensus apud hæreticos nullus ibid.
consensus Doctorum de sacrificio Missæ 132
conscientia bona, nisi aduigilemus, facillimè superbiam gignit 299
conscientia bona optima quæq; sperare facit 303
conscientia pro spe à Paulo posita 261
consolatio nostra Christus 404
Constantini magni Imperato. pietas & modestia eius & reuerentia erga Sacerdotes 68
constantini Imperatoris verba de condemnatione Arrianæ hæresis 619
constantinus cur in Apostolorum templo sepeliri voluerit 351
constantinopolit. Synodi quando & quot 42
constantinus Imperator quàm reuerenter senserit de Episcopis 505
constantinus primus definitioni concilij subscripsit 44
constantinus primus Imperatorum synodo subscripsit ibid.
constantio Imperatore nouem fuerunt fides subscriptæ 449
constituere suam iustitiam quid 264
consuetudo obseruanda 387
consuetudo Ecclesiastica pro lege diuina habenda. 580
consuetudo Eccle. pro lege habenda 646
consuetudo tam diuinæ quàm humanæ legis interpres optima Missæ sacrificium mille quingentos annos frequentauit 746
contemptum sui aut suorum Deus grauissimè vlciscitur 183
contemptus Ecclesiæ mortale peccatum 379
contentio est materia iracundiæ 409.428
contentioso nunquam satisfit 660
contentionibus nimijs hæretici veritatem amittunt. 722
continentia siue castitas hominum cuiusq; conditionis sit, Dei donum est 191
continentiæ votum Deo gratum 188
continentis voluptas maior quàm incontinentis. 192
continentibus adest Deus 190
continentia impossibilis non est 190

Universidad de Deusto
Biblioteca



continentia an possit seruari, & an sit contra naturã. 324
contineri non esse fati rem, sed Dei donum 190
contrariæ virtutes, hoc est, dæmones carminibus & præcantationibus parent 719
contra præceptum Dei aliquando ab ecclesia ventũ est 103
contritio quid, quomodo fieri debeat, eiuq; præceptũ 144.145
controuersia cum hæreticis non est de scriptura, sed de intellectu 217
controuersijs theologicis facilè dirimendis cooperantia 669
copulari matrimonio quid sit 201
cornicum oculos configere quid 612
corporis Christi veritas & figura 94
corporis Christi veritas post benedictionem etiam extra vsum manet 91
corporis ratio quam minima habenda Christiano. 383
corporis Ecclesiæ Christi dissipatio 641
corpus & sanguis Christi quomodo in Missa offeratur 337
corpus Christi quomodo sumendum 143
corpus Christi in Eucharistia quomodo nobis datur. 91
corpus Christi duplex 197
corpus Christi in eucharistia tribus modis 97
corpus Christi in Eucharistia non figuratiuè sed essentialiter 91
corpus Christi post resurrectionẽ nõ est corporale. 98
corpus nostrum abluitur aqua in baptismo, spiritu Sancto intus cooperante 76
corpus nostrum est carcer, & hostis domesticus 382
corpus Christi non potest sanguine destitutum esse. 654
crapula multi pereunt 382
credendi simplicitas non intelligendi viuacitas tutissimos reddit homines 644
credere commune est & Christianis & dæmonib. 274
credere in sanctos quomodo dicamus 220
credere quid & quomodo oporteat 4. 405
credens in Iesum Christum, eumq; crucifixum & resuscitatum & Ecclesiam Catholicam, cuncta ad salutem necessaria credit 20
christiano credendum, non disputandum 104
credo, prima christianorum vox 3
credo S. Ecclesiam, cur dicatur: & non, credo sanctum Euangelium 321
credo in sanctam catholicam Ecclesiam, rectè dici posse 220
cruce signandi mos antiquus & Apostolicus 12
crucem cur gestant episcopi 17
crucem Christi euacuant, qui operibus christianorũ derogant 288
Ad crucem quæ pertinent, hæreticorum oculi ferre non possunt 19
Per crucem in cœlum ascendere debemus 544
crucem Christi vt adoremus 507
crucis signum cur nobis imprimamus 616
crucis & mortis Christi beneficium præ cæteris insigne 5
crucis signo surgentes & cubitum euntes, cur christiani se munire debeant 10.11.12
crucis christi efficacia maxima, eaq; in omnibus actionibus adhibenda ibid.
crucis signum tribus digitis fieri debet, & cur 14
crucis signo omnia christi beneficia exprimũtur. ibi.
crucis simulachrum grauibus de causis ab Ecclesia erectum 13
crucis signum cur in baptismo fiat 13.87
crucis vsus in omnibus sacramentis maximus 15
crucis vexillo mors victa ibid.
crucifixi imago morituris cur ostendatur 16
crux à dæmonibus timetur 15
crux lex est christianorum 17
crux facinorosis præfertur ibid.
crux Archiepiscopo cur præfertur 18
crux christi & Sacramentum & exemplum 265.266
crux cur in supplicationibus præferatur 15
crux via ad gloriam 16
crucifixi imago in omnibus Ecclesijs cur erigitur 720
cruces quatuor in Missa quid designent 305
crux cur fronti imprimatur 526
cuius finis bonus est, ipsum quoq; bonum est, & è contra 282
cuiusdam Lutheristæ execrãda in Deum blasphemia. 651
culpæ culpis feriuntur 687
cultus Dei quibus absoluitur: in proœmio. 111. 344. 3
cultu externo quomodo homo Deũ colere debet. 369 370
cultus præcipuus quem Deus requirit, & qui ei velim primis debetur 218
cultus Dei sine verbo Dei ibid.
cultus triplex 218
cultus diuinus sanctis non tribuitur 654
cùm frangitur hostia quid hac re designatur 654
cùm Vergerius Papatum vniuersum è medio sublatũ cupit, quid sibi velit 634
cur infantes ab eucharistiæ communione arcentur. 626
cur plerisq; interim religio constituta rata visa sit. 633
cynosuræ ad Dei verbum venusta comparatio 641
cyprianus errauit, & tamen martyr 332
cyprianus quando mortuus 499
cyp. locus excussus de virginibus lapsis 161
cyrilli commendatio 264.

D.

Dæmon à scientia dictus 219.405
Dæmoniaci hæretici cur sic dicti 473
Dæmones aliter credunt, aliter homines. 274
Dæmones credunt, sed non saluantur 257
Da quod iubes, & iube quod vis 134
Damnatur nemo nisi merito malæ voluntatis 175. 175
Damnanda hæreticorum persuasio 647
Damnandis in extremo iudicio non obijcietur, quod non crediderunt, sed quòd pietatis opera non exercuerunt 244
Danielis & sociorum eius abstinentia 382
Danielis locus de iugi sacrificio per Antichristum abolendo 116
Dauid etiam mortuus suis profuit 70
Dauid Rex ter vnctus, & quid designet 163
Dauid commisso adulterio non amisit fidem 245
Dauid terrius & eius errores 439
Dauidis peccatum cur translatum legatur, cur tam grauiter sit punitum 154
De alba linea cuius vetus vsus est sacerdotibus in templis maximè contentiones inter Lutheristas. 639
Debita nostra cur dimitti nobis petamus 235
Debita nostra peccata intelliguntur ibid.
Debitum vxori aut marito reddere quid sit 197
Decreta conciliorum non sunt in dubiũ vocanda. 55
Decreta conciliorum non sunt in dubiũ vocanda. 110
De decretis maiorum non iudicandum 111
Decretorum liber à quo scriptus 722. & 725
Defectionem ab ecclesia Hæretici cur principio vigent 140
Defunctorum memoria cur fiat in Missa 160. 213
Defunctorum merita nobis adiumento sunt 622
De Deo loqui, quomodo intelligendum 301
Descensio veritatis, ascensio facta est humanitatis nostræ 612 623
Dei Prophetæ 426
Dei cognitio principium veræ scientiæ 424
Dei gloriam non quærit Lutherus 424
Dei regnum in quo consistat 304
Dei cognitio omnium virtutum caput in Proœmio confess. 319
Dei filius sacrificium iustum 647
Dei diem quomodo quis furetur 130 131
Dei singulare beneficium in Eucharistia erga homines
Dei disciplinæ nunquam à lege Ecclesiæ dissidet. 320



Deificatio quid 267
Deo semel consecratus, si ad aliud vitæ genus transeat, sacrilegus est 207
Deo grata esse sacrificia 743
Deo nos iuuãte, nihil esse quod nobis aduersari possit 658
Deo per charitatem inhæremus & ipse nobis 259
Deorum homericorum instar inter se pugnant Hæresiarchæ 722
Deum ex toto corde quomodo diligimus 307
De processione sancti Spiritus Orientalium ab Occidentalibus fidei diuersitas 659
Deprauatio scripturarum, per M. Lutherum 618
De sacramentis ab Ecclesia receptis disputare non est literarum imperiti 644
Deprauatores malitiosissimi, & verborum scripturæ, & Ecclesiæ rituum, arguuntur Hæretici 749
Deus est spiritus 261
Deus laudatur & honoratur in sanctis 218
Deus tentari nos sinit, vt coronet certantes 248
Deus quærit fructum nostræ industriæ 248
Deus nos præuenit, vt velimus: subsequitur, ne inaniter velimus 253
Deus ipsamet bonitas: homo verò bonus participatione 268
Deus non accipiendo, sed promittendo, debitorem se facit 290
Deus se debitorem constituit etiam pro quibus nos debemus 291
Deus facit, vt ipsius dona sint merita nostra 291
Deus solus est: creaturæ, vt sint, ab eo esse accipiunt. 294
Deus, quod quærit à nobis, prius ipse donauit 310
Deus non præcepit impossibilia 249
Deus quomodo nobiscum vsq; ad consummationẽ seculi 387
Deus quomodo operetur in nobis 255
Deus si nos deserat, deserit nullum 256
Deus si nos deserit, fit culpa nostra ibid.
Deus quomodo in fidelibus habitet 259
Deus vbiq; & quomodo 260
Deus vult & potest omnia 215
Deus quomodo & clemens & bonus ibid.
Deus est forma animæ ratione præditæ, & quomodo imprimatur 312
Deus in nomine sicut Rex in imagine honorari debet ibid.
Deus considerat non quid, sed propter quid faciamus 313
Deus non patitur sibi quicquam anteponi 313
Deus tanquam pater audiendus: Ecclesia tanquam mater 321
Deus non locum sed mentem requirit quomodo intelligendum 344
Deum vbiq; esse quomodo intelligendum 260
Deus & si sit vbiq;, non tamen æqualiter vbiq; operatur 350
Deus sua beneficia per ministros nobis porrigit 169
Deus quomodo est in rebus creatis 260
Deus paratus suscipere relapsos 703
Deus ex meretricibus virgines facit ibid.
Deus non est mali operator 254
Deus non agnoscitur, vbi nullum est sacrificium vel sacerdotium 426
Deus in quibus habitet 434
Diaboli quid proprium 426
Diaboli vox qualis ibid.
Diaboli & hæreticorum in citandis scripturis eadẽ vis & par auctoritas 615
Diabolum qui adorent 439
Diabolus docuit Luth. argumenta quibus Missam euerteret 426
Diabolus Lutheranæ doctrinæ ipso Luthero confitente auctor ibid.
Diabolus quantoperè nitatur è cordibus hominum beneficiorum Dei memoriam abolere 584
Diabolus qua re maximè offendatur 605
Diabolus quibus gradibus nunc orbem seducere conetur ibid.
Diabolus excogitator & inuentor hæresum 628
Diabolus etiam scripturam prætendit tentans. 106
Diabolus vel solo auditu S. scripturæ etiam non intellectæ velut incantatur 133
Diabolus nihil aduersus nos potest, nisi Deo permittente 236
Diabolus post baptismum vehementius quàm antea oppugnat 89. 110. 173. 184
Diabolus ex ordine Cherubin deturbatus 403
Diabolus maximè hæreticos incitat contra Ecclesiæ caput, & cur 59. 65
Diabolus nos decepturus in Angelum lucis se transformat 736
Diabolus nos decepturus cornua non monstrat, neque sua specie, sed in Angelum lucis transformatus prodit 736
Diaconi qui sint, quodq; eorum officium 186
Diaconi Sacerdotibus Sacramenta non porrigant. 128
Dies certi cur ab Ecclesia ad seruiendum Deo instituti 5. 12. 147
Dies festi rectè obseruantur 523
Dierum discrimen nullum nouit Ecclesia quomodo 12
Difficultas quæ est in Paulinis Epistolis quomodo tolli possit 277
Differentia inter Deos alienos & sculptile 314
Dignitas Episcoporum æqualis, potestas verò inæqualis 176
Dij alieni qui sint 314
Dij alieni extranei errores sunt ibid.
Dilectio proximi quid requirat 312
Dilectionis genus aliquod in hac vita præstari nequit 305
Disciplina Ecclesiastica & ciuilis simul collapsa. 263
in disciplina quid primum Christianis propositum esse debeat 708
Discretio spirituum maximæ difficultatis 402
Dispensatio indulgentiarũ ad quem pertineat 160
Disputatio de Sacramento Eucharistiæ fugienda. 92
Disputationum pernicies 400
Disputare de eo, quod per vniuersum orbem ecclesia frequentat, insaniam esse 744
Disputationes doctioribus mandandæ 386
Distinctio ordinum in Ecclesia maximè necessaria. 176
Distinctionum commoditas 337
Dissimilitudo causa displicentiæ 143
Diuini qui dicti 228
Diuortium inter coniuges non permittitur 186
Doctores falsi à quibus declarandi 453
Doctrina quę Catholica, quæ hęretica 456
Doctrina in Sacerdotibus non vita spectanda 68
Doctrina prædicatorum recipienda, non mala vitia imitanda ibid.
Doctrina Luth. à suis discip. credita præstantior & verior ea, quę D. Pauli est 639
Doctrinam sanam hęretici non sustinent 272
Doctrinę ecclesię de bonis operibus 278
Doctrinę conseruandę ratio 177
Domesticorum ratio habenda, quiq; eo nomine intelligantur 105
Domi non tam benè oratur quàm in Ecclesia 135. 325
Dominica prima & secunda Aduentus cuius nos admoneant 5
Dominica in albis vnde dicta 88
Dominicales processiones quid designant 9
Dominicę diei beneficia ibid.
Dominicanis post Augustinenses mandatum munus prędicandarum indulgentiarum 425
Dominico die Missam audire debent seculares 136 340
Dominico die non ieiunandum 359 363
Dominicus dies vnde dictus, & in quem finem institutus 317. 9
Dona virtutum & Dei sunt, & nostra sunt 283

Universidad de Deusto
Biblioteca



Donum, quomodo fiat meritum nostrum 254
Donatistæ seipsos occidebant 436
Donum Dei est quicquid à nobis rectè geritur 191
Dubia fidei ad quem referenda 56.176
Dubitatio veterum de quibusdam scripturæ libris vtilis fuit posteris 514
Duæ causæ quare hæretici veteres ritus ecclesiæ immutare cupiant 668
Duæ rationes, quare non veniunt intendendæ quæstiones cum hæreticis 618
Dulia sanctis debetur 140.217
Duo maximè fidelibus inculcat ecclesia 10
Duodecim Apostoli tantùm cum Christo discubuerunt in cœna 106.

E.

EBrietas diaboli opus 194
Ecclesia vide à capite 13. fol.18. vsque ad caput 32
Ecclesia Romana Vrbs æterna appellata 65
Ecclesia Romana à fide nunquam defecit 65
Ecclesia Romana Apostolorum schola, & pietatis Metropolis 62
Ecclesia hæreticis vtitur ad probationem doctrinæ suæ 29
ecclesia ibi est vbi Pontifex est 57
ecclesia catholica re vera docet euangelium, & verbũ Dei, quod Hæretici falsò ostentant 719
ecclesia nihil operibus tribuit, quod solius es Christi. 721
ecclesia Christum honore celebrat, quem Hæretici honore spoliant 731
ecclesiam contemnendam esse docent hæretici 519
ecclesia Catholica & cognoscit & ignoscit 449
ecclesia Deo excitante suos semper habet propugnatores 520
ecclesiam catholici quam dicat Brentius 527
ecclesiam non ex electis tantùm, sed vocatis constare 535.536
ecclesiæ salus ex vnius sacerdotis summi dignitate. 683
ecclesiæ desertorum ingenium 690
Nihil facilius quàm discedere ab eccles. catholica, redire autem difficillimum est 686
ecclesia Catholica 698
ecclesiæ militantis onus & officium 701
In ecclesia mali tolerandi 702
Contra scelerator in ecclesia consilium Augustini. ibid.
ecclesiæ Romanæ præeminentia & ordo Patriarcharum 717
ecclesiam suam Christus destitutam voluit omni sua præsentia 716
ecclesia columna & firmamentum veritatis 624
ecclesia corpus Christi mysticum ab hæreticis in multas partes dissectum 626
ecclesia regitur spiritu veritatis. 642
ecclesia non murat institutionem Christi in sacramẽtorum vsu, sed ordini tantùm & modo expediti ri, præstantiorij, prouidet 653
ecclesiam vt simul videamus & credamus 515
ecclesia est ad episcopos alligata 597
ecclesia est visibilis 535
ecclesia non solùm constat electis 536.590
ecclesia non deserenda propter malos Prælatos 503
ecclesia num ex humana electione & successione constat 591
ecclesia quid & cur Catholica dicta 394.587
ecclesia Rom in dubijs fidei consulenda 484
ecclesia tota, non eius membra singula promissionẽ habet peꝛ petuæ præsentiæ Christi. 487
ecclesia vbi sit. 478
ecclesia vetus qua praxi vsa fuerit in decernenda causa religionis. 536
ecclesia viuum est Euangelium. 496
ecclesia vt bonos ac malos contineat. 537
ecclesia nullum dierum discrimen nouit vniuersa. 362
ecclesia antiquior quàm Noui & Veteris Testamenti scriptura, 345
ecclesia triumphans qualis sit. 184
ecclesia Cathedralis à Cathedra dicta,
ecclesia hic in terris est imago sempiternæ gloriæ. 346
ecclesia habet potestatem cogendi hæreticos 356
ecclesia Occidentalis & Septentrionalis sacrificia lingua peragit Latina 114
ecclesia plus gratulatur de resipiscentibus, quàm de illis qui nunquam ceciderunt 296
In ecclesia docendi ratio quæ 29
ecclesiæ traditiones expeditiorem reddunt viam ad salutem 281
ecclesiæ notæ tres ex Augustino 395
ecclesiæ status à Basilio verè qualis nunc est descriptus 383
ecclesiæ desertores moderni quid imprimis timeant. 699 344
ecclesiæ oratio quàm efficax
ecclesiæ auctoritas pro ratione temporum, aliquando contra mandatum Dei mutauit & mutare potest 102
ecclesiæ doctrina de præceptis decalogi 311
ecclesiæ doctrina cur arctè amplectenda 320
ecclesiæ in omnibus vt repugnent, id maximè laborant Hæretici 725
ecclesiæ in terra præfectus vnus, cuius visibili monachia inuisibilis pastor vteretur 733
eccles. ita caput constituit Dominus Petrum, & eius successores, vtmulieris virum 734
ecclesiæ salutem ex summi Pontificis auctoritate pendere 733
ecclesiæ typus Iacob 464
ecclesiam tanquam matrem deserentes non possunt habere Deum patrem 341
ecclesiarum Orientalium & Occidentalium altercatio de festo Paschatis 321
ecclesiastica consuetudo seruanda 407
ecclesiasticæ sanctiones non confundendæ cum ciuilibus 447
ecclesiasticas causas Athanasius non permittit Principibus 510
ecclesiastici canones non sine peccato contemnẽtur. 325
effrenata nostri temporis hæreticorum audacia, arrogantia, & sui oblitio 615



Effusus Christi sanguis non est alicubi extra corpus eius 655
Si qui quod probare contendit, obtinere cupit, quid necessarium 660
Electio alia Dei, alia hominum 592
electorum multitudo quare à malis spiritibus timeatur 364
Eleemosyna necessaria ad orationem 360
Eleemosyna quæ fit ex rapina vel bonis pauperum, Deo ingrata 326
Eleemosyna est vita iciunij 360
Eleemosynę temporariam vitam auertunt 143
Eleemosynarum vis 361
Eleemosyna secundus Baptismus 81
Eleemosyna animarum lauacrum 81
Elementum & verbum cur in Sacramentis concurrant 73
Elementa in Sacramentis materiæ vim obtinent, formæ autem verbum Dei 74
Eleuationem in despectum sacramentariorum Lutherus aliquandiu retinuit 673
Eleuatio Eucharistiæ 133
Eleuatio sacrificiorum in veteri lege 134
Eleuatio sacrificij signum certissimum 68
Elisei cadauer prophetauit 228
Elisęus facta Giesi absens cognouit 229
Encæniorum festum à Machabæis institutum 386
Ephesinum Concilium ante mille annos institutum 646
Ephrem commendatio 145
Epiphanij laus 359
Episcopalis benedictio quid sibi velit 41
Episcopi aliter quàm Presbyteri subscribunt in synodis 505
Episcopi à quibus iudicandi 450
Episcopi etiam mali eliguntur à Deo 59
Episcopi ecclesiæ oculi 41
Episcopatum olim qui desiderabant, martyrem fieri desiderabant 178
Episcopi in œcumenico Concilio congregati totam repræsentant ecclesiam 483
episcopi Principum implorant auxilium contra hæreticos 471
episcopi qui necessarij ecclesiæ 597
episcopi qua ratione creentur apud Polonos 492
episcopi quomodo in Concilijs subscribant 505
episcopi sunt serui & domini 52.448
episcopi vt sint honorati à Constantino 505
episcopi cur propendentem de collo crucem gestent. 17
episcopi Poloniæ Concilijs & Constantiensi & Basiliensi interfuerunt 109
episcopi vnde dicti, à quo constituti, eorum munus. 177
episcopi Patrum locum in ecclesia tenent 33
episcopi institutio penes Romanum Pontificem 179
episcopi primò in suas diœceses intrantes cur obuios signo crucis salutent 144
episcopi officia 176
episcopi contemptus hæresim generat 180
episcopi sunt iudices fidei 38.41.180
episcopi iudicant de Principibus in causis ecclesiasticis 45
Episcopi, Archiepiscopi, Pontifices & Sacerdotes in quo differant 176
episcopis honor & obedientia debetur 57
episcopis solis permissum est confirmare 89
episcopis quantus habendus honor 451
episcoporum legitima successio vbi sit, ibi esse Apostolicam sedem 57
episcoporum & Sacerdotum corrupti mores nos ab eis separare non debent 180.181.278
episcoporum iurisdictio secundum protestantes 178
episcoporum ordo & series in ecclesia Catholica. 47
episcoporum maior dignitas quàm Sacerdotum. 686
episcopatus Hierarchia dictus 60
episcoporum in Polonia vigilantia 424
episcoporum quanta seruitus 448.449
episcopos Aurelianus Imperator iudicare noluit 518
episcopum deserens, ecclesiam deserit 180
episcopus qualis esse debeat 178
episcopus si erret, quid faciendum 188
episcopus est pastor 43.17
episcopus cur maiorem soluendi potestatem habeat, quàm alij sacerdotes 176.177
episcopus sit vnius vxoris vir, quomodo intelligendum 202
episcopus non est nomen ordinis, sed honoris 177
Erasmi testimonia de hæreticis nostri temporis 492
Erasmi Roter. de Nouatoribus iudicium 757
Erasmus Rotero. de vitâ & doctrina Lutheranorum. 173.206.272
Erasmus Vitellius Epis. Plocensis 382
Error errorem parit 190
Error de vnica Christi operatione damnatus 42
Error vnius aut alterius non præiudicat Ecclesiæ. 26
Error principij tandem longè à recto abducit 26
Error vnius ex Patribus in interpretatione scripturarum reliquis non præiudicat ibi.
Error vnus plures secum trahit 425
Errore permisso, errores non tolli 629
Errores Lutheranorum 395
Errores circa sacramentum Eucharistiæ damnantur. 92. & seq.
Erroris mater acceptio personarum 67
Errorum causæ 26
Esaiæ locus exponitur 518.517
Esau typus Iudæorum 465
Esse sempiternum, Dei est proprium 262
Est pro significat exponi in verbis Christi nequit 97
Est sæpè olitor valde opportuna loquutus 644
Ethnici, si quid boni fecerint, absq; mercede non relinquuntur 278
Ethnicum esse quid sit 213
Euangelia quatuor noua 439
Euangelici 424
Euangelici cur Lutherani dicti 427
Euangelici nostri de suis flagitijs gloriantur 492
Euãgelici nostri quàm sint flagitijs cooperti 491 492
Euangelici sunt prolygami 218
Euangelici concionatores suos quomodo tractent. 635
Euangelici qua intentione Euangelium prædicent. 192
Euangelici ordinem Eccles turbant 384
Euangelici ex templis faciunt horrea 383
Euangelici ministros suos subinde mutant 673
Euangelici somnia sua typis mandant 680
Euangelici aliter interdum scribunt, quàm credunt. ibid.
Euangelicorum nomen qui primi arripuerint 682
Euangelicorum ministri quales 177
Euangelij noui fructus 272.349
Sub nouo Euangelio deteriores homines facti 702
Euangelij vox traditionis, non scripturarum 22
Euangelij summa quæ sit 534
Euangelij ac verbi Dei prætextu imperitum vulgus seducentium hæreticorum detecta mendacia 719
Euangelij verbum & scriptura euangelica vti differant 530
euangelio scripto quot annis caruerit ecclesia primitiua 356.358
euangelium omnia ad salutem necessaria quomodo contineat 387
euangelium ante scripturam omnem esse 527
euangelium an ad salutem sufficiat 387
euangelium præcipit vt ecclesiam audiamus 388
euangelium quid significet 404
euangelium quando audiendum 345
euangelium non tantùm annũciat remissionem peccatorum, sed & mandatorum obseruationẽ 246
euangelium an extra ecclesiam esse possit 406
euangelium à quo & de quo datum 424
euangelium Lutheri à paucis receptum 432.438
euangelium Lutheri vnde profectum 426

Universidad de Deusto
Biblioteca



uangelium quintum quodnam sit, & quos afferat fructus 428 429
Euangelium suum diabolus per Lutherum orsus per Suencfeldium absoluit 441
Euangelium viuum, est Ecclesia 551
Euangelium Catholicis & hæreticis commune 84
Euangelium hæreticorum quale 635
Eucharistia data aliquando infantibus 108.317
Eucharistia quantas inter Tigurinos & Confessionistas habeat contentiones 317
Eucharistia charitatis est Sacramentum, & vires resumentium 93.113
Eucharistia symbolum vnitatis 93
Eucharistia non est in vsu tantùm 93
Eucharistia cibus est, ibid. quale corpus in Eucharistia 92
Eucharistia quomodo rem sacram in se contineat & quomodo alia sacramenta 92
Eucharistia Sacramentum Sacramentorum 112
Eucharistia quid sit ibid.
Eucharistia si solo cordis interiori motu sumatur, satis esse docent quidam 427
Eucharistia nostra, voluit Christus, vt esset nō modo sacramentum, sed etiam sacrificium 747
Eucharistiæ Sacramenum panis & vini substantiam continere docuit Lutherus ibid.
Eucharistiæ Sacramentum viaticum dictum 92
Eucharistiæ Sacramentum rectè sacrificium dicitur 111
Eucharistiæ venerationem prohibuit Lutherus 428
Eucharistiæ appellationes 111
Eucharistiæ vtraq; species à Christo non est præcepta tanquam saluti necessaria 107
Eucharistiæ tantùm alteram speciem laicis dandam, sacerdotibus vtranq; figuræ veteris testamenti apertè præ se ferunt ibid.
Eucharistiæ olim vsus quotidianus fuit 354
Eucharistiæ altera species ex instituto Concilij Ephesini 109
Eucharistiæ eleuatio cur ab antiquis instituta 133
Eucharistiæ communio solius panis fractione absq; calice duobus discipulis in Emaus euntibus exibita 297
Eucharistię Sacramentum quare nunc in azymo, nūc pane fermentato, confici à Patribus iussum 629
Eucharistiæ effectus qui 137
Eucharistiæ sacramenti efficacia 646
Eucharistiæ sumptio quomodo remittat peccata ibidem
Eucharistiæ sacramētum laicis sub altera tantùm specie communicandum 723
Eucharistiæ sacramenti figura 724
Eucharistiæ in oblatione quanquam adest verum corpus, & verus sanguis Christi, mortis tamen eius atque passionis imago quædam est, & similitudo. 730
Eucharistiæ ac nouæ legis sacrificium Christus expressis verbis fieri præcepit 732
Eucharistiæ in Missa eleuatio sacrificij signum est. 747
Eucharistiam participantes quomodo affectos esse deceat 138
Eucharistiam dari ægrotis vetuit Caluinus 429
Eucharistiam extra sumptionem non esse adorandā, an rectè docuerit Lutherus 428
Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit Carolstadius 427
Eucharistiam verum esse corpus Christi, primus negauit hoc tempore Carolstadius 428
Eucharistiam, cùm cœnæ Dominicæ verba interpretantur, Doctores antiqui cœnam vocant, alioqui sacrificij, hostiæ, & oblationis nominis nomine celebrare solent 747
Eutichetæ siue Psaliani hæretici 357
Eudaxia noua Iudith 38
Eudoxij Episcopi de Patrum auctoritate vera sententia 550
Exaudi me in iustitia tua Domine, quomodo intelligatur 229
Eugenius quartus non fuit hæreticus 579
Eunapij in monachos & martyres conuicia 335
Excommunicatio quid sit in ecclesia 71
Excommunicati qui & cur ibid.
Excommunicati ab ecclesia præcisi ibid.
Exculatorum tyrannis 624
Ex diuinis officij vernacula lingua decantatis, plus diminutum pietatis quam accessum 663
Exomologesis quid 144
Exorcismus. quid & cur ab ecclesia baptismo adhibetur 87
Exorcistæ qui quo fungaretur 161
Exorcistæ quæstuarij nihil suo nomine peragunt, sed Christi 165
Expressum Dei verbum quid 625
Expressum Dei verbum esse potest, & expressum diaboli verbum sub diuerso sensu 641
Expressum Dei verbum penes hæreticos esse non potest ibid.
Expressum Dei verbum, quomodo vere agnoscatur ibid.
Ex proprijs operibus punimur, & saluamur 301
Externa opera, signa sunt interioris cultus 374.375
Extra ecclesiam qui sint 71
Extra ecclesiam non est salus 668
Extremæ vnctionis consideratio. 163.

F.

FAcere pro offerre vsurpatur 113 745
Facinorosi & hæretici extra ecclesiam sepeliendi 351.352
Falsi Prophetæ 612
Felix neq; fuit Pontifex, neq; hæreticus 484
Feria quarta & sexta cur ieiunijs dicata 9
Feria quintæ in hebdomada sancta mysteria 341
Feriæ sextæ abstinentia à carnibus 319
Festa sanctorum ieiunijs peruenienda ibid.
Festis an laborare liceat ibid.
Festorum dierum opera ibid.
Fide, spe, & charitate cultus Dei proprius absoluitur 372
Fide sola vtomnia opera, ita sola gratiarum actione omnia sacramenta tollunt Hæretici 754
Fidei quantus vbiq; consensus ante annos quadraginta 424
Fidei pluralitas facit, ne vlla sit fides apud hæreticos 58 435
Fidei ratio in quo sita 36
Fidei conditio duplex 52
Fidei varietas magna in vna familia 3
Fidei Christianæ summa 4
Fidei articuli omnes credendi 13
Fidei nostræ compendium signo crucis inclusum 18
Fidei maximum stipendium 19
Fidei nostræ scopus quis sit 3
Fidei gradus 74
Fidei sigillum baptismus 46
Fidei, spei, charitatis diuersa ratio 215
Fidei obiectum 387
Fidei etiam profectus est ecclesia 117
Fidei arcana non statum omnibus prodenda 39.177
Fidei causæ maiores vbi & qualiter tractandæ 214
Fidei & spei comparatio 262
Fide per charitatem operante, reparatur in nobis imago 69
Fideles defuncti ad corpus ecclesiæ pertinent 69
Fideles bonorum operum communionem habes 69 ibid.
Fideles omnes olim sancti vocati 394
Fide es plurimi absq; scientia 245
Fidem mortuam habentes, quomodo fideles dicantur 633
Fidem sine operibus sufficere ad salutem, falsò asserunt hæretici 285
Fidere quomodo debeam us bonis operibus 3
Fides fundamentum & initium Christianæ religionis 3
Fides quæ hominibus necessaria 3
Fides ecclesiæ omnia ad salutem necessaria includit 20.21 5
Fides Saluatoris ante lapsum minimè necessaria Fide



Fides sine operibus, & opera sine fide, æquè improbantur 243
Fides in Petro Christum negante non fuit amissa, sed constantia turbata 244
Fides Catholica non Polona, Lituana, vel Germana. 406
Fides Romana, est Catholica fides 66
Fides simplex magis saluat quàm anxia disputatio & arrogans scientia 133
Fides Ecclesiæ non deserenda propter præsides vitæ minus inculpatæ 66
Fides omnibus fidelibus primò datur virtute Ecclesiæ 74
Fides aliena quomodo adulto prosit, vel non 82
Fides aliena quomodo paruulis infantibus baptizandis sufficiat ibid.
Fides Petri nunquam defecit, neq; deficiet 67
Fides non sufficit ad vitam æternam 74
Fides cùm ad omnes pertineat, num præterea etiam iudicium de fide ad omnes pertinet. Vide cap. 52. per totum
Fides iustificans quæ sit Paulo 259.260
Fides est in voluntate 242.143
Fides quolibet peccato mortali non amittitur 143
Fides & spes inesse possunt illis etiam, qui non sunt in gratia 455
Fides vna 51
Fides nouæ 705
Fides prodesse nequit, nisi iungantur illi spes & charitas 260.261
Fides de Christo mediatore antiquissima 4
Fides potest esse sine charitate, sed non prodest 246
Fides mediatoris quandiu fuit, tam diu etiam fuit Ecclesia 22
Fides Catholica in Polonia cur integra diu permanserit 424
Fides Catholica quæ 480
Fides modis duobus approbanda 496
Fides & spes vti differant 433
Fides hodie varia & multiplex 452
Fides qua quis certò sibi statuit peccata remissa, vana est 433
Fides Satanam vincens cuiusmodi sit 515
Fides simplicium in maiorum fide saluatur 467
Fides vnde tam multiplex in Germania 455
Fides Apostolorum necessaria nobis obtinenda, si salui esse volumus 662
Fides vera ea est, quæ per dilectionem operatur. 617
Fiducia Catholicorum in qua re sita 602
Fiducia inanis Euangeliorum quæ mala peperit. 524
Fiducia Christianorum perpetuò in Christo locata. 283
Fieri non potest, vt à sponso suo Christo sponsa discedat Ecclesia mater nostra 640
Figuræ Iudaicarum cæremoniarum cessant in Euangelio 316.317
Filij Dei qui sint 206.77
Filij Dei nominamur & sumus 243
Filij irę fiunt per Baptismum filij gratiæ 75
Filius Dei causa meritoria est salutis nostræ 50
Finis hæreseos nullus reperitur 744
Flaccus Illyricus quinque libros lingua Germanica scripsit contra Suenckfeldium 438
Flacci de VVittembergensibus opinio 681
Flaccianum nomen odiosum 681
Fœminis etiam in necessitatis articulo baptizare permissum 81
Fœminis ne loqui quidem in Ecclesia permissum. 197
Fomes concupiscentiæ nobis inditus non est peccatū 76
Fomes manet post baptismum ibid.
Fons baptismatis 76
Fons aquæ vitalis in latere Christi apertus in passione, & quomodo eius fructum percipiamus 122
Foris esse qui dicantur 71
Forma Sacramentorum omnium, est verbum Dei. 73.74
Forma pœnitentiæ verbum absolutionis 143
Fornicatio minoris est culpæ quàm arrogantia. 212
Fornicatio quale crimen 323
Fornicatio vt castigetur 153
Fornicatio spiritualis 324
Frater iussus ducere vxorem fratris sui ad suscitandā sobolem non sibi, sed illi, quid figurauerit 682
Fratres sumus omnes homines 320
Fratris osor membrum Christi non est 142
Fraus Nestorij hæretici. 691.690
Fructus hæreticorum 456
Fructus Euchar. si dignè sumatur 139
Fructus pœnitentiæ digni satisfactio est vera 150
Fructus digni pœnitentiæ qui 151
Fugiendi hæretici non minus quàm idolorum cultura 638
Functiones ciuiles, & Ecclesiasticę non confundendę 447
Functio politica vt ab Ecclesiastica differat 454
Fundamentum idem scripturæ, & traditionis. 544
Fundamentum Christus, & Apostoli 544
Furti nomine quid intelligendum 326
Furtum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. ibid.
Furtum pernicioßissimum ibid.

G.

GAlea salutis spes 215
Gedeonis vellus Mariam designauit 238
Gehennæ addictis suffragia nostra non prosunt 158
Generalis iudicij vsus 229
Generatio casta & syncera fuisset, si non intercessisset transgressio 195
Geneuensium responsa Cracouiæ excusa 697
Geneuensis & Gebennensis confessio idem 629
Gentilis trinitarius 694
Genus electum regale sacerdotium qui dicantur. 171
Germana idololatria 638
Germania quando Euangelium receperit 109
Germania propter hæreses in multa pericula incidit. 548
Germania propter contemptum Papam miserè dissecta 716
Germania quando inceperit colere vites 109
Germania vnde in tot hæreses inciderit 502
Germaniæ plus mali illatum ab hæreticis quàm à Turcis potuerit 470
Germaniæ bellum rusticum vnde 173
Germani longo tempore in religione concordes fuerunt 424
Germani quàm constantes olim in fide ibid.
Gersonis narratio de quodam fratre ieiunante. 378
Gladius spiritualis excommunicatio 71
Gladius flammeus ante Paradisum quid significat. 158
Gloria æterna, merces charitatis 302
Gloriæ cupiditas in Luthero quanta 427
Gloriam & honorem suum Deus nobiscum communicat 216
Gloriatur Lutherus, cum Satana plures salis modios commedisse 649
Gnostici mulierum amorem persuadebant 197
Gnostici 424
Gradus quibus ad summam impietatem ventum est. 691
Græci quaterdecies ab orthodoxa Ecclesia sese præciderunt 659
Græci à Catholica Ecclesia non reijciuntur propter diuersos ritus 718
Græcorum tumor & arrogantia ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Græcorum leuitas 711
Græci ad Latinos,non Latini ad Græcos redire debẽt 712
Græci Episcopi Concilio Trident.interfuerunt.ibid.
Græci propter discessionem ab Eccles.Ro.pœnas patiuntur 715
Græci decreta Conc.Flo.repudiarunt 715
Græci licet Romanæ Ecclesiæ inimicissimi, contra eius morem in communione Eucharistiæ nihil obiecerunt,cum in Florentino Concilio de illorũ nobiscum vnione ageretur 726
Græcorum cum Latinis cõuentus in Florentino concilio 625
Græcorum hæresis de communione sacramenti Eucharistiæ 650
Græcorum & latinorum acerbitas ibid.
Græcorum consuetudo in Episcoporum & Sacerdotum matrimonio 202
Græcorum ausus temerarius 650
Græcorum controuersia circa corporis Christi confectionem ibid.
Gratia inuisibilis abundè nobis in Sacramentis datur 74
Gratia renouationis an præcedat vel sequatur remissionem culpę,curiosè magis quàm fructuosè quæritur 273
Gratia quæ in Sacramento nobis confertur multiplex:item quo ordine nobis conferatur 74
Gratia,per quam opera nostra sunt acceptabilia,à solo Deo in nobis efficitur 285
Gratia gratis data quæ 286.297
Gratia quid 297
Gratia Sancti spiritus nobis non collata, quomodo æqualis sit gloriæ 281
Gratia in aqua non ex nutura aquæ, sed ex præsentia Spiritus sancti 75
Gratia charismatum officijs Ecclesiæ non meritis humanis indulgetur 539
Gratia Dei cùm insit nobis, vtiliter nos ignorare. 524
Gratia gratum faciens quæ 525
Gratiæ incrementum 286
Gratiæ vasa, sacramenta dicuntur 74. & seq.
Gratiam triplicem diuinitus accipimus 286
Gratiam nos consecutos, vt scire possimus 435
Gratiam pro gratia quid 277
Gratiam primam num quis mereri possit 652
Gratiam pro gratia consequi,vt intelligatur ibid.
Gratiarum actione omne sacrificium,sicut prius sola fide,omnia opera excludunt hæretici 754
Gratiani locus de sacerdotum matrimonio excussus. 202.209
Gratiani error,& erroris causa 485
Gratianus falsò Anastasium hæreseos accusat ibid.
Gratis qui boni sint,admodum pauci 195
Gratulatio sera non reprehenditur 691
Grauia peccata vt extinguantur 336
Gregorius Romanus Pontifex, & monachus dire à Luthero proscinditur 275
Gregorius Papa quanti fecerit quatuor generalia concilia 459
Guisius Dux interfectus Bezæ ministerio. 697.

H.

HAbere vxorem suam quid sit 196
Habitus & gestus orantis qualis esse debeat. 231
Hæreseos condemnat Luth. Leo Papa 425
Præstat nullam quàm aliquam tantum hæresim eijcere 707
Hæreses obortæ contemptu, & despicientia summi Pontificis 698
Hæresum omnium fundamentum 670
Hæreses huius temporis vnde originem duxerunt. 45.430
Hæresi nullum crimen grauius 679
Hæresis omnium peccatorum maximum 698.692
Hæresis & peccatum, & causa, & pœna peccati. ibid.
Hæresum & schismatum præcipua causa 718
Hæreses quoties ortæ, semper à præclaris viris confutatæ. 319
Hæreses in scriptura vocantur dijalieni 469.470
Hæreses vnde maximè obortæ 399
Hæreses adulteræ dicuntur 325
Hæreses & errores quare patitur Deus 315
Hæreses non sunt nouæ quibus hodie Ecclesiæ vexatur 399.400
Hæresis Hussi qualis 98
Hæresis Gaiana à quintilla exsuscitata 80
Hæresim sequuntur seditio, tumultus & bella 732. 734 618
Hæresis peruersitas 618
Hæresis de intelligentia & sensu non de scriptura sit 625 457
Hæretica doctrina quæ 457
Hæreticæ impietatis nullus est finis, & à discipulis proprijs suis ipsi argumentis atq; exemplis refelluntur 744
Hæretici ad officium non illiciendi, sed compellendi 358 469
Hæretici,dum litigant excæcantur 682
Hæretici cur maximè à Christo negabuntur 722
Hæretici in Atheismum inclinant
Hæretici schismatis initio duntaxat opus habent,reliqua quasi per decliue trudendo cylindro sua mole præcipitant 722.725.727
Hæretici nimium altercando veritatem amittunt sacræ scripturæ corruptores 722
Hæretici Iudæis Christum crucifigentibus crudeliores 724
Hæretici ab ecclesia quantulumcunq; laxatos illico diuellunt 722.723
Hæretici in eucharistię sacramenti vsu,sicut in reliquis omnibus, non tam laicis negari alteram speciem, quam Ecclesiæ præscriptum obseruari indignantur 724.725
Hæretici satanæ discipuli, ecclesiæ in omnibus vtriq; pugnent,id maximè laborant 725
Hęretici dissotiationẽ,& simultates assiduè procurãt 725 721
Hæretici veri sunt idololatræ
Hæretici tam leuibus initijs ad tantam impietatem proiecti exemplo esse debent, quanta sagacitate principijs sit occurrendum. 728
Hæretici inter Reges, & populum Principes, & subiectos nihil interesse volunt 732
Hæretici Regiam potestatem ijsdem argumentis, qui bus sacerdotium,& prædicationem externam abrogare conantur 733
Hæretici cum externo sacrificio externum etiam verbum Dei prædicandi ministerium abrogare conãtur 732
Hæretici prædicatores Theodactos, id est à Deo doctos esse debere contendunt 733
Hæretici ex veris mendacia fingunt 736.737
Hæretici nihil præter scripturas admittunt 743.744
Hæretici omnia deprauant, sicut Cypriani testimonium de Eucharistia adulterant, vt quod ille sacrificium,isti cœnam vbiq; vertant 747
Hæretici in eucharistiæ sacrificio suis ipsorum argumentis doctissimè conuincuntur. 748.749
Hæretici,ad eucharistiæ celebrationem referri Malachiæ locum de munda oblatione, confitei coacti, de sacerdotum actione quasi illis expiatio tribuatur, cauillantur 751 456
Hæretici à catholicis scripturas mutuantur 464
Hæretici Anarchiam introducere moliuntur
Hæretici concionatores vulgò placere student. 465 428
Hæretici corrigi nolunt 518
Hæretici cur defendant communionem vtriusq; speciei 509
Hæretici cur non ferant chrisma
Hæretici cur sibi Ecclesiæ Cathol. nomen vendicent. 587 Hæ



Hæretici cur solas scripturas vrgeant 574
Hæretici de sectis in sectas ruunt 550.557
Hæretici docent Ecclesiam contemnendam 519
Hæretici dogmata sua velut idola adorari volunt. 469
Hæreticidum parua initio contemnunt,mox in grauissima scelera prolabuntur 607
Hæretici Episcoporum labores augent plurimum . 452
Hæretici libenter sacerdotum vitia in ore habent. 489
Hæretici militibus Christum crucifigentibus crudeliores 600.689
Hæretici mox initio vi comprimendi 602
Hæretici neq; scripturis,neq; traditione conuincuntur 555
Hæretici non acquiescunt concilijs 457
Hæretici nostri tẽporis mutuò se accusant & condemnant 639
Hæretici nolunt reprehendi 428
Hæretici nostri vt mutuò se persequantur 429
Hæretici omnes in quo consentiant 453
Hæretici peccant in Spiritum sanctum 494
Hæretici quàm impudenter scripta quædam diuina reijciant 464
Hęretici legum & Imperatorum minis potius quàm disputatione conuertuntur 437.440
Hæretici quantum sibi tribuant 439
Hæretici quantumuis peruersi, tamen conuersi sibi videntur 432.433
Hæretici qui brutorum more libidine se contaminant 439
Hæretici quid præcipuè moliantur 465
Hæretici quomodo ex sententia VVestphali tractari debeant 430
Hęretici quoq; docent hæreticos gladio rectè vindicari 548
Hæretici à Prophetis dicuntur Sacerdotes excelsorũ, Cæci, cæcorum duces, Prophetæ mendaces, Contemnentes legem, polluentes sanctuaria, Colles sublimes 546
Hæretici scripturas iactant 455
Hæretici scripturas sine sensu loquuntur 448
Hæretici simul accusatores & Iudices 640
Hæretici soluunt Christum 602
Hæretici verbo Dei scripto non tradito credunt. 552
Hæretici verbum Dei falsò iactitant 482
Hæretici vt se in omni colle sublimi prosternant. 546
Hæretici vt in peius proficiant 444
Hæretici vt olim etiam Patrum auctoritatem eleuarint 549
Hæretici vt sibi nomen Ecclesiæ vendicent 586
Hæretici in angelos lucis transfigurati 614
Hæretici quales fures 327
Hæretici ad confirmanda sua dogmata testimonijs S.scripturæ vtuntur 614
Hæretici quomodo scripturas recipiant 398
Hæretici transfigurati in Apostolos Christi 615
Hæretici solis inhærent nominibus 618
Hæretici cœlestes Prophetæ volunt dici 624
Hæretici charitate vacui 628
Hæretici volunt Deum in ordinem cogere 631
Hæretici nõ scripturarum auctoritati subijci,sed scripturas sibi subijcere cupiunt 638
Hæretici in aranearum morẽ, nihil è diuinis scripturis figunt quàm exitiale venenum 641
Hæretici id rectum esse quod sibi videtur,quod verò Ecclesiæ videtur vniuersæ,non rectum putant. 653
Hæretici pluris momenta rationum in disputando, quàm sanctorum Patrum auctoritates facere solent 658
Hæretici propter eam quam sibi indulserunt libertatem decies Sodomitis nequiores 660
Hæretici & schismatici maledictis & probris Ecclesiã Dei incessunt 665
Hæretici bacchanalia seruant reijcientes iciunia. 362
Hæretici in Ecclesia non sepeliendi 351
Hæretici scripturam & verbum Dei prętexunt suis dogmatibus 105.399
Hæretici suas origines ad Apostolos aut Ecclesiam Catholicam referre nequeunt 401
Hæretici nobilium ædes diruerunt & incenderunt. 698
Hæretici ad scripturas prouocant 399
Hæretici quo melioris vitæ eo detestabiliores 182
Hæretici moderni Deum auctorem mali faciunt. 190.191
Hæretici non possident scripturam 327
Hæretici ab errore retrahendi 356
Hæretici periuri propter violatum votum 335
Hæretici quo modo refellendi sint 400
Hæretici etiam hærere se Papæ simulabant 672
Hæreticum esse quid 671.699
Hæretici diuinitatis nomen affectant 315
Hæretici Patrum sententias oppugnant, quorum tamen,cũ visum fuerit,auctoritatib⁹ vtuntur, neglecto eorum testimonio, quorum hæreses tuentur. 400.401
Hæretici Papam sicut Philosophi Deum exterminare volunt 687
Hæreticis omnibus deteriores sunt Anabaptistæ. 432
Hæreticorum axioma 675
Hæreticos Caluinus igni & gladio coërcẽdos docuit 678
Hæreticos puniendos Beza docuit ibid.
Hæretici puniendi 679
Hæretici mirabile genus 679
Hæreticorum denominationes 682
Hæreticos vulpes significant ibid.
Hæretici qua in re verissimi 688
Hæreticis extremum iudicium durissimum ibid.
Hæreticis locus accommodatus 688
Cur hæretici non resipiscant, vt resipiscant quid facere debeant 689
Hæretici sanctis imperitiam obijciebant ibid.
Cur hæreses Satan cœperit à Paparus oppugnatione. 692
Hæretici omnia faciunt in despectum Papæ 693
Hæretici de suorum iudicijs iudicare nolunt 694
Hæretici preciosi fures 698
Ab hæreticis plurima affinguntur ibid.
Hæretici manticam alienam inspiciunt suã neglecta. 702
Supplicatio qua vti oporteret hæreticos 690
Hæreticorum dogmata non sunt diuturna ibi.
Hæreticorum doctrina sibi non constat 693
Hæreticorum prima fornicatio 702
Hæreticorum secunda & tertia fornicatio 588
Hæreticorum de vtraq; specie sententia 693
Hæreticorum initia, & progressus animaduersione dignissimi 723
Hæreticorum in alienas species sese transformantiũ astutia 695
Hæreticorum proprium est scripturam scriptura impugnare 736
Hæreticorum de Missa abolenda stolidæ impietatis argumenta, omnem & mandatorum religionem, officiorum rationem euertunt 738
Hæreticorum obiectio contra Papatum 702
Hæreticorum doctrina,est lignum Paradisi interdictum 691
Hæreticorum optima vita nihil illis proderit ad salutem 415
Hæreticorum successio 402
Hæreticorum sententia de Romani Pontificis auctoritate 59
Hæreticorum dissensiones 52
Hæreticorum rationes de ciborum vel temporum delectu excutiuntur 359.360
Hæreticorum Ecclesiæ 57.58
Hæreticorum inter se diuisio fidem nostram confirmat 56
Hæreticorum proprium nihil recipere, quod in scripturis non est 154
Hæreticorum dissidia 179
Hæreticorum confessiones variæ 446

Universidad de Deusto
Biblioteca



Hæreticorum dissidium quid coarguat 440
Hæreticorum in concilijs generalibus praxis 378
Hæreticorum mos ad solas scripturas prouocandi. 513
Hæreticorum mendacium 612
Hæreticorum doctrina quò tendat 613
Hæreticorum conuenticula 615
Hæreticorum voces impiæ 613
Hæreticorum voces pestilentissimæ 462
Hæreticorum proprium 672
Hæreticorum inimicitiæ & dissentiones 618
Hæreticorum aduersus orthodoxos congressus 617
Hæreticorum superbia, arrogantia, mentis inflatio & tyrannis 621
Hæreticorum religio qualis 628
Hæreticorum nostri temporis sacrilega audacia & impietas 633
Hæreticorum bella inter se intestina 638
Hæreticorum voces impiæ in despectum Papæ & cõciliorum 640
Hæreticorum pro sua cuiusq; Ecclesia conflictatio. 315
Hæreticorum quò tendit intentio 315
Hæreticos antiquos quos imitentur nostri 470
Hæreticos cur Carolus Quintus non profligarit. 509
Hæreticus Lutherus Papatui sõlum obesse studet. 426
Hæreticus proprie quis sit 484
Hæreticus vnde nomen ducat ibid.
Hæreticus & schismaticus quis censendus 623
Hebdomada Paschatis est ea, quæ resurrectionem præcedit 362
Hebdomada quot horas habeat 135
Hebdomadæ sanctæ obseruatio 362
Hebdomada sancta quomodo ieiunandum 361
Hebdomada sancta dies Paschæ appellata 361
Hebræorum pueri non intelligebant quid agerent, cũ clamabant, osanna filio Dauid 133
Heluetijs nullum inter nobiles & plebeios discrimen 698
Henriciani hæretici 129
Henricus Rex Angliæ scripsit contra Lutherum. 470
Heshusij de VVittembergensibus opinio 681
Hieremias fuit mediator inter Deum & hominem. 221
Hieremiæ locus exponitur 517
Hieronymus sacros libros in linguam Dalmaticam vertisse dicitur 664
Hieronymus an digamiam omnem improbet 543
Hieronymus an Origenizet ibid.
Hilarij Episcopi constantia 449
Hildesamenses damnantur à Caluino 431
Hispaniarum regni commendatio 540
Historia ab hæreticis deceptorum, cum resipuerint, ad cauendum celebranda 733.728
Hoc facite, quid significet 654
Homicida laudatius, misericors punitus 575
Homicida quis 321
Homicidium multiplex ibid.
Homicidium maximum si quis vita sua contaminata corrumpat alios ibid.
Homicidium quodnam bonum 569
Hominem nec iustum reddit, nec condemnat reputatio, sed ipsa rei veritas 270
Hominem non saluat opus suum, sed facultatem dat operandi 281
Homines peruersi lenitate non flectuntur 356
Homines à pecoribus religione maximè dignoscuntur, in procemio confess.
Hominis precium 691
Hominibus capitis nomen vt tribuatur 595
Homo Dei cooperarius 235
Homo ab eo fit iustus, qui iniustus esse non potest. 264
Homo quomodo ad imaginem Dei factus 261
Homo in quo statu ante & post lapsum ibi.
Homo perfectus qui dicatur 312
Homo factus ad imaginem trinitatis 261
Homo vnde dictus 320
Homo homini consultum vt velit maximè omnium secundum naturam est, & è conuerso 325
Homo habet duas radices 268
Homo non est capax omnium virtutum 3[illegible]
Homousij vocem Arriani reijciebant 211
Honesta quædam prohibentur 185
Honoris æqualitas pace turbat
Honor & gloria quomodo Deo, & quomodo hominibus detur 218 Ibid.
Honor sanctis tributus Deo confertur. 217
Honor Dei & sanctorum 485
Honorius Papa ab hæresi vindicatur 320
Honos quid significet 218
Horæ canonicæ à Daniele seruatæ
Horæ canonicæ mysterium trinitatis significant. ibid.
Horæ Missæ in secularia & ridicula negotia insumendæ non sunt 136
Hosij auctoris in explicando concilij Nicæni canone error agnitus 496.497
Hosij pro Ecclesiæ tuitione labores & pericula suscepta 643
Hosius auctor cur de hæresibus quædam præmittat. 424
Hosius auctor cur de certitudine salutis disputet. 436
Hosius auctor Regis Poloniæ legatus ad Carolum Quintum 439
Hostia in ara crucis oblata, eadem est cum ea, quæ in Missa offertur, differt tamen offerendi modo. 120
Hostia quæ immoletur 109
Hostia vna Christianorum non multæ
Hostiæ omnes cessauerunt immolato agno Christo. 160
Hostiam offerre Deo placentem quid sit 317
Hugo suo seculo alter Augustinus dictus 296
Humana iustitia ad diuinam comparata est iniustitia 286 287 383
Humanæ constitutiones quatenus obligent 320
Humanitas vnde dicta 409
Humanitas mater piorum

I.

IAcobelli peruersum dogma 647
Iacob typus Ecclesiæ 464
Iacobi Apostoli epistola scribendæ occasio 32
Ianitorum, clericorum officium 166
Ianua cœli baptizatis aperitur 77
Iagellonum regum Poloniæ pietas & abstinentia. 381
Idem sapere quid sit 406
Idiotæ vt in negotio fidei gerere se debeant 482
Idola quid 637
Idola dogmata contraria rectæ fidei 316
Idololatræ sunt hæretici 228.405 ibid.
Idololatria quæ 376
Ieiunandi causæ tres ibid.
Ieiunandi ætas obnoxia 380
Ieiunare qui non potest, quid facere debeat C.362.363
Iciunia reijcientes catholici non sunt 359
Ieiunia obseruamus non secundum iudæorum observationem 165
Ieiunia cur ordinationes sacras præcedunt 159
Ieiunia temporariam pœnam auertunt 360.378
Ieiunia ad satisfactionem pertinent 377
Ieiunij transgressio an sit punienda 321
Ieiunij sextæ feriæ ratio 378
Ieiunij præceptum cur pœnale 563
Ieiunij contemptor Aërius
Ieiunio quomodo remissio peccatorum tribuatur. 176 ibid.
Ieiunio in paradisum redimus 376 ibid.
Ieiunio præcipiendo Græci Latini duriores 372
à Ieiunio exempti ibid.
De ieiunio veterum orthodoxorum sententiæ ibid.
De ieiunio recentiorum sententiæ Ieiunio



Ieiuniorum instituendorum causa 367
Ieiuniorum variæ consuetudines & leges 368
Ieiunium quadragesimale quo consilio ab Ecclesia institutum, & quis eius auctor 361
Ieiunium generale præfertur priuato 363
Ieiunium virtuosum quod 371
Ieiunium quartæ & sextæ feriæ cur seruetur 580
Ieiunium à cibis tantùm an sit cultus Deo placens. ibid.
Ieiunium non est corporalis exercitatio 376
Ieiunium in Propheticis, Apostolicis, & Euangelicis literis præceptum 159.376
Ieiunium est cultus Dei 370
Ieiunium vniuersale Deo gratum 363
Ieiunium quatuor temporum cur institutum 360
Ieiunium sabbathi quo tempore cœperit eiusq; instituti rationes 359
Ieiunium quadragesimale tribus de causis in Ecclesia celebratur 360.378
Ieiunium & vigilias non prodesse nisi mores corrigantur 373
Ieiunium quartæ & sextæ feriæ cur seruetur 360
Iesu appellatio est totius trinitatis confessio 108
Iesum soluere quid sit 426
Ignorantia quali scientiæ præponenda, &c. 467
Illa fides nobis senibus tenenda quam pueri didicimus 637
Illyricus probris insectatur Adiaphoristas 441
Imagines Christi & sanctorum à quibus olim contẽptæ 19.507
Imagines Christi & sanctorum venerandæ ibid.
Imagines ante hoc seculum in Germania nunquam deiectæ 33
Imagines ex templis eiecit Carolstadius 427
Imagines qui ex templis eijciunt quam audierint a Luthero sententiam ibid.
Imago Dei verbum 455
Imago Dei quomodo in homine restituatur 261
Imago verbi homo ibid.
Imago Dei in anima ibid.
Imago Dei post lapsum in homine plane deformata. ibid.
Imitandi sancti quomodo 219
Immersio terna in baptismo quid significet 10
Imperatores de rebus ecclesiasticis litigantes ad Romanum Pont. remittebant 61
Imperatores etiam hæretici non vsurpant sibi iudicium de religione 508
Imperatores & Principes cur legatos mittant ad concilia 505
Imperatores in concilijs non nisi post omnes Episcopos subscribunt 505
Imperatores prisci de fidei causa non cognoscebant. 478
Impiæ Ecclesiæ contra summum Pontificem 632
Impij Picardi Apologia 647
Impietas cuiusdam Iacobi Schelr. in despectum Papæ 634
Impossibile nihil Christianis præcep. 251
Impunitas multorum causa errorum 440
Imputari quomodo à Dauide vsurpatum 271
Imputationis vox noua in sensu quo Lutherani vtuntur 270
Inanis gloria filia superbiæ 408
Inanis gloriæ cupiditas veritati inimica ibid.
Incarnationis Christi memoria quomodo & quando cum gaudio à fidelibus celebretur 5
Incontinentibus an post votum nubere liceat 194
Indignitas ministrorum sacramentis nihil derogat. 337
Indocti & instabiles deprauant scripturas 117
Indocti est non de scaliquid, sed quæ à doctis didicerit vel audierit tantum proferre 645
Indulgentiæ vnde ortæ 160
Indulgentiæ valent ad impetrãdam remissionem peccatorum ibid.
Indulgentiæ quomodo Latinè dicantur 636
Indulgentiarum prædicandarum munus Augustinensibus primùm mandatum ibid.
Indulgentiarum prædicandarum munus Dominicanis, post Augustinenſibus mandatum ibid.
Indulgentiarum vis quæ 160
Indulgentias quomodo Lutherus, & an pietate oppugnarit 636
Indurare cor alicuius quomodo Deus dicatur 688
Inedia Apostolorum præ contemplatione 367
In Ecclesia esse quid 213
In Ecclesiæ iudicio acquiescendum 315
Infantes quomodo credant 81
Infantes baptizandi 79
Infantes cur aliena fide intercedente baptizantur. 81
Infantibus cur sal in os imponitur, & aures, nares q; sputo liniuntur 87
In fide maiorum salui fiunt minores 662
Infirmis in extremis constitutis proponenda 291
Ingeniorum æstus quàm periculosus 711
Inimici crucis Christi iniuste sacrificio Missæ idololatriam vocant 106
Iniquitates vel à Deo, vel ab homine puniri, necesse est 156
Iniquitates, quòd nobis inhæreant, sed nõ imputentur falsum est 271
In Moravia & Boëmia sex aut septem sectæ inter se dissectæ 631
Iniustus an persecutionem pati queat 458
Inobedientia non quæliber damnabilis 391
In Papatu veram scripturam esse fatetur Lutherus. 634
In peccatore præcedere quiddam, quo dignus est iustificatione, quomodo intelligendum 280
Insciția confidentiam parit 432.436
In scripturis sacris nullum est mendacium, sed in earum sensu, quem ad fert falsus interpres 622
Insufflatio in baptismo quid significet 86
Integra Christi & nostra futura resurrectio 755.756
Intentio dirigit actus 372
Intentio matrimonij qualis esse debeat 187
Intentio opinionem imponit 276
Intentio imponit nomen operibus nostris 462
Intentio legislatorum potius, quàm verba spectanda 632
Intentionem vel affectum spectat Deus in operibus hominum 277
Intentionem in voto factam Deus attendit 189
Interimistæ varij 440
Interimistæ æquè sacrilegi, vt alij Lutheristæ 631
Intercessio sanctorum efficax 70.413
Interna Deus considerat, eãq; vel punit vel coronat. 275.328
Inuidiæ malum 212
Initio etiam facilia sunt difficilia 191
Inuocatione sanctorum non obscuratur gloria Christi 117.118
Inuocatio sanctorum non est inuocatio mortuorum neq; derogat gloriæ Christi 220
Inuocatio sanctorum in scripturis corroborata 219
Ioachimi VVestphali de hæreticis persequendis vera sententia 429
Ioannes VVicleff 701
Ioannes Campanus qualis in religione 439
Ioannes Gerson de Berengario 563
Ioannes Galeatius in templo interfectus 706
Ioannes Chrysostomus ad Rom. Pontif. confugit. 723
Ioannes Patriarcha Alexandrinus cur dictus Eleemosynarius 546
Ioannes Spangenbergius 678
Ioannes Hus sectator VVicleffi 647
Ioannes 22. an fuerit hæreticus 486
Inter Christianos & Arrianos discordia de vno iota tantum 633
Ioannis VVicleffi impietas 655
Ioannis Caluini in Eucharistiæ sacramento rabies. 633
Ioannis locus exponitur 545

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ioan. Scoti de Miss. valore sententia 476
Ioannis Gersonis professio fidei 287
Ioannis caput sextum nullam neq; calicis, neq; vini mentionem facit 97
Iosias Rex Israël cur gentili gladio occisus 155
Ira & odium Lutheri in summum Pontificem 646
Iracundiæ materia est contentio 441.425
Ira fallit & fallitur 425
Iræ proprium falli & fallere 408
Iræ quid proprium 425.408
Iracundus ferè nemo verax 409
Is qui de totius Ecclesiæ consensu dubitat, ambigere quoq; videtur, an Deus verax sit 624
Israël secundum spiritum, & Israël secundum carnem 126
Iteratio sacramenti altaris quam causam habeat 130
Iudæi non omnes intelligebant quò tendebant ritus ac cæremoniæ sacrificiorum 133
Iudæis quomodo aliqua animalia interdicta 364
Iudæorum sacrificia qualia 116
Iudæorum testimonia de sacrificio noui testamenti 116
Iudæorum simulata religio 644
Iudæorum sacerdotium vmbra erat 97.116
Iudicare seipsum quid sit 182 183
Iudicij generalis vsus 230
Iudicij veritas penes iustos Pont. 462
Iudicium de causa fidei semper penes sacerdotes fuit. 478
Iudicium extremum cur in die ascensionis recolatur 9
Iudicium extremum ad quid futurum sit 145.292
Iudicium de doctrina ad Episcopum pertinet 178
Iuge sacrificium quid 116
Iulianus Imperator 707
Iulij Plugij laus 428
Iurare quatenus liceat 316
Iuratio Dei incredulorum est increpatio 127
Iusiurandum quale prohibitum 316
Iusiurandum Dei de sacrificio æterno Melchisedech. 125
Ius canonicum incendit Lutherus 426
Iuris diuini & humani discrimen 312
Iustificari quid Paulo sit & Ecclesiæ 263
Iustificatio hominis quæ secundum Augustinum & Græcos 264
Iustificationes 20. à Confessionistis constituuntur. 445
Iustificationis nostræ causa meritoria quæ 265
Iustificationis nostræ causa exemplaris Christi 265
Iustiniani Imperatoris dictum de carnibus publicè vendendis, ac edendis in fame à Catholicis contemptum diebus quadragesimæ 366
Iustitia nostra Deus est 209
Iustitia nostra charitas est ibid.
Iustitia absoluta est in fide, spe, & charitate 261
Iustitia Dei quare dicatur, & quomodo nostra nominetur 167
Iustitia imputatiua 270
Iustitia Dei & creaturarum diuersa 295
Iustitia Christi 78
Iustitia nostra ex participatione cum Christo est. 294
Iustitia Dei Christi, & nostra quomodo dicatur. 267
Iustitia Dei per filium in Spiritu Sancto transit ad omnes ibid.
Iustitia absoluta in quibus consistat 261
Iusti legis vniuersa est dilectio 266
Iustitia Christi non tantum imputatione, sed realiter nobis inhærente iusti sumus 269
Iustitia nostra nõ tantùm remissione, sed interna mẽtis renouatione sit 263.273
Iustitia fides est illa, quæ per charitatem operatur. 258
Iustitia duplex 264.267.262
Iustitia nostra perfecta, & quomodo imperfecta. 309
Iustitia imputatiua ab hæreticis sine scriptura asseritur 269.270
Iustitia nostra quæ 318
Iustitia iustificans in Deo: iustitia iustificata in nobis 267
Iustitiæ hominum nihil sunt ad dona, quæ à Deo supeditantur 295
Iustitiæ nostræ omnes quasi pannus menstruatæ quatenus ex nobis 274.296
Iustitiæ nihil nos habere dicentes mentimur 278
Iustitiæ nostræ vis 309
Iustitiæ perfectio 262.274
Iustitiam extrà nos esse asserentes, errant 308
Iusti lapsus qualis 262
Iusti quomodo nos 267
Iusto non est lex posita quomodo intelligatur 235
Iusto quotidianus victus deesse non potest 248
Iustum esse quid sit, & quis dicatur iustus 189
Iustum se nemo iudicet 372
Iustum esse definit, quod iustè non fit 298
Iustus periret, si remota pietate iudicaretur 262
Iustus quomodo Deus 437
Iustut Menius confutat Anabaptistas 560
Iuuenes non debent in leges inquirere 800
Iuuenes de lege non disputent

K.

Καταγγελια multa & varia inueniuntur hoc die 438
Καταγγελια quatuor præcipua Lutheri, Zuinglij, Munceri, Suencfeldij ibid.

L.

LAbor iniquitate maior, quàm in Dei præceptis 253.254 145
Lachrymarum vis in pœnitente ibid.
Lachrymarum fructus 109
Laica communio vnde traxit nomen 40
Laici docti an in Concil. locum habeant
Laici neq; debent neq; possunt determinare de fide. 40
Laici etiam sanctissimi Prælatos suos vel improbos reuereri debent, non iudicare 508 517
Laici non tenentur vtramq; speciem sumere 518
Laicis calicis vsus ablatus
Laicis sub vna ne an sub vtraque communicandum. 106 208
Laicorum oblationes 172
Laicorum sacerdotium, baptismus est
Laicus populus quomodo gens sancta & regale sacerdotium ibid. 308
Lapsus iusti & peccatoris differunt 134
Latina lingua celebrantur sacra in Occidentali & Septentrionali Ecclesia 146
Latro in cruce credens propter fidem saluatus 123
Latus Christi apertum fontem nobis saluificum effudit 172 168
Lectores qui & quod illorum officium
Legati Christi qui sint
Legatorum & Episcoporum officium in Concilijs. 712 135
Legati in Concil. Patriarchis superiores ibid.
Legem apud Iudæos pauci intelligebant 640
Legendo scripturas, charitas nos ædificat
Leges benè constitutas iuuenibus conuellere nõ licet. 111 22.328.386
Legis nouæ & veteris discrimen 246
Legislator etiam noster Christus, non solùm redemptor 328 628
Legum humanarum & diuinarum discrimen 426
Legum mutatio quid mali vehat 451
Leo decimus Lutherum hæreticos condemnauit. 425
Leo Papa honoratur à Rege Attila 426
Leo Papa beatissimus à Luthero dicitur
Leo Papa per triennium toleranit Lutherum Leuitarum ordo 168
Lex Euangelij an ad salutem sufficiat 313
Lex quibus posita 314.380
Lex vniuersa quomodo ex duobus præceptis pẽdeat. 312
Lex vetus & Euangelica quomod differant 22
Lex crucifixi vno verbo continetur 531
Liberari nos à malo, cur petamus 236
Liberij Pontificis constantia 449
Liberius Papa non fuit hæreticus 485
Libertatis Euangeliorum fructus qui 305
Libri scripturæ de quibus vnquam dubitatum, recitantur, & canonici probantur 584
Libros legis Dei combustos Esdras restituit 320
Lingua locutio, quæ lingua sit 328
Lingua etiam vernacula in templis cantari cantilenas suis locis & temporibus permittit Ecclesia. 134
Linguæ detractricis malum 327
Linguarum dispersio & congregatio 51.320
Lipsicorum theologorum nouum Interim 440
Lysimamimus trinitarius 694
Lytania quomodo ab Ecclesia cantatur 220
Lytaniæ formula antiqua & vsitata à patribus accepta ibid.
Litera vna quantam inter Catholicos & hæreticos olim turbam excitarit 523
Lithuani quandiu Christiani fuerint, & quàm constantes in religione 424.695
Liturgia quid 173
Loca Deus sibi elegit 347
Locorum hoc in libello contentorum compendiosa collectio 643
Locus & tempus diligenter vbique obseruanda 343. & seq.
Loquitur Spiritus Sanctus in sanctis, loquuntur & ipsi 281
Louanienses articulos explicauit Tapper 427
Luciferi superbia punita 212
Luminarium vsum reiecit Caluin. 426
Lupi rapaces qui 456
Lupi rapaces hæretici appellati 61.647
Lutheranà dogmata de operibus 283
Lutheranæ doctrinæ auctor, Luthero etiam confiteti diabolus 425
Lutheranæ doctrinæ cardo 444
Lutherani omnes baptizatos esse sacerdotes, falsò dicunt 173
Lutherani Domini scripturæ esse volunt 398
Lutherani contra Imperatorem 173
Lutherani cur vrgeant calicem 518
Lutherani bacchanalia seruant, ieiunia reijciunt. 362
Lutherani fatentur calicis vsum non esse de necessitate salutis 518
Lutherani pauciores sunt, quàm Sacramentarij. 427
Lutherani quale iudicium à Caluino acceperint. 431
Luther. quot modis iudicati 600
Lutherani seditiosi & hoc nomine etiam Turcarum Principi detestabiles 467
Luth. vbi Arrianis consentiant 94
Lutheranorum & Zuinglianorum consensio 638
Luth. constitutiones quales 210
Lutheranorum rationes contra traditiones Apostolicas de ieiunio 362
Lutheranorum doctrinam non nisi leuissimus quisque amplectitur 272
Lutheranorum, Zuinglianorum, & Anabaptistarũ schisma 616
Lutheranorum animi tumor 627
Lutheranissimi progressus 676
Lutherus vas Satanæ electum 627
Lutheri sententia de vtraq; specie sacramenti altaris ad Bohemios 107
Lutheri contra se testimonium de schismate 409
Luth. scripta inter se pugnant 52.428
Lutheri superba verba 321.409



Lutheri maledicentia 395
Lutheri propositum ibid.
Lutheri successio 400. & seq.
Lutheri doctrina homines fieri deteriores 272
Lutheri amicus quamdiu fuerit Carolstadius 427
Lutheri auctoritas an Suenkfeldij auctoritas sit maior 439
Lutheri causa vnde nata sit 425
Lutheri de hæreticis vera sententia 427
Lutheri de sacramento sententia 428
Lutheri de sua maleuolentia dictum 429
Lutheri discipuli dicti Euangelici 426
Lutherus de libero & seruo arbit. 676
Lutherus à tecto Eccl. dirutere cœpit ibid.
Lutherus diabolo præceptore vsus 607
Lutherus Satanam inuitatus in euertenda Ecclesia. ibid.
Lutheri elogia atq; cognominia 678
Lutheri spiritus nihil reliquum VVittembergæ 688
Lutheri leuis ad summam impietatem progressio. 687
Lutherus de Missa angulari diabolo se præceptore vsum fatetur ibi.
Lutherus Christum diuidere conatus, ipse quoq; diuisus est 681
Lutheri spiritus sua sede pulsus ibid.
Lutherus & Caluinus diuersum à sua doctrina faciunt 702
Lutheri discipuli quam spirituales 487
Lutheri dogma initio non oppressum quò impietatis progressum sit 440
Lutheri erga Papatum maleuolentia 427
Lutheri erga Pontificem submissio 425
Lutheri & Carolstadij inimicitiæ 426
Lutheri ex verbo quanta subsecuta sit diuisio 465
Lutheri fastus & arrogantia 428
Lutheri libri contra cœlestes Prophetas 427
Lutheri obitus qualis 426
Lutheri quanta gloriæ cupiditas 427
Lutheri scripta Sacramentarijs occasionem dederunt 427
Lutheri iudicium contra Sacramentarios 673
Lutheri testimonium verum de Papatu 513
Lutheri verba, quibus non tam Zuinglianos quàm etiam se condemnat 429
Lutheri præcepta 510
Lutheri conatus 650
Lutheri decretum 624
Lutheri tyrannis 634
Luthero Christus est impanatus 427
Lutherum ad schisma quæ impulerint 608
Lutheri de Papatu iudicium 702.708
Lutherum in quibus sequitur Caluinus 429
Lutherus an fuerit Sacramentarius 672
Lutherus Sacramentarios sibi displicere scribit ad Argentoratenses 673
Lutherus non liberum, sed seruum arbitrium docet. 401
Lutherus Sacramentariorum & Anabaptistarum dux & sectarum auctor 429.430
Lutherus pro Helia & Prophera à suis habitus 639
Lutheri in dicendo & scribendo propositum 674
Lutherus omni Protheo mutabilior 634
Lutherus à diabolo inductus, sacerdotium, & sacrificium euertere est conatus 428
Lutherus ad qualem Deum sua retulerit 425
Lutherus Anabaptistis Ecclesiæ auctoritatem opponit, quam alias non curat 438
Lutherus Papatum primus condemnauit sed nõ Christum 672
Lutherus an benè docuerit Eucharistiam extra sumptionem non esse adorandam 427
Lutheri consensus cum Papatu & cum Sacramentarijs dissidium 674
Lutherus Anabaptist. erroris causa fuit 431
Lutherus architectus hæreseon 43
Lutherus à Pontifice impugnando sectam orditur. 436

Universidad de Deusto
Biblioteca



Lutherus argumenta contra Missam producta didicit à diabolo 426
Lutherus an sectarum auctor sit, & quarum 427
Lutherus ad duos Plebanos de Anabaptist. 673
Lutherus auctor doctrinæ Brentianæ 428
Lutherus Buceri fraude adductus, male de Eucharistia docet 427
Lutherus cum Eckio disputans quibus verbis animi sui morbum ostenderit 425
Lutherus contra Carolstadium 674
Lutherus cur Carolstadio præpositus 426
Lutherus cur suos Euangelicos vocauerit ibid.
Luth. de Missa angulari scripsit ibid.
Lutherus & Bucerus sibi inuicem concedunt 427
Lutherus Eucharistiæ venerationem prohibuit. 428
Lutherus gloriæ cupidissimus 427
Lutherus hæreticus declaratus nihil aliud conatur q. vt Papatui incommodet ibid.
Lutherus impudentiam suam & arrogantiam erga concilium generale quibus verbis declararit. 428
Lutherus in dies se ipso deterior vnde 425
Lutherus in sacramẽto Eucharistiæ panis & vini substantiam permanere docuit 426
Lutherus ius canonicum & bullas incendit 426
Lutherus quo fundamento vsus 670
Lutherus multarum auctor sectarum 427
Lutherus multos contra Sacramẽtarios edidit libros. 427
Lutherus non quærit Dei gloriam 425
Lutherus Pontificis auctoritatem primum infirmare conatus est 426
Lutherus qualis aduersus eos, qui imagines è templis eijciunt 427
Lutheti odium in Papatum 673
Lutherus qualis erga Papatum suo testimonio docet. 424.426
Lutherus quàm contemnat Papam & concilia. 519
Lutherus quando in lucem prodierit 423
Lutherus quanti fecerit scripta Philippi 443
Lutherus qua occasione dissidia excitarit 425
Lutherus quibus rebus paulatim factus deterior: ibid.
Lutherus quomodo indulgentias oppugnarit ibid.
Lutherus Sathanismi architectus 441
Lutherus scripsit captiuitatem Babylonicam 425
Lutherus testatur suos esse Catholicis deteriores: 426
Luth. dissentioni ferendæ deditus 206
Lutherus vt affectus à Carolstadio in religione VVitembergæ multa videns immutata ibid.
Lutherus vt docuerit ex contemptu peccare in Ecclesiam 569
Lux Christus est, lux & Apostoli 54
Lycurgus Laconum leges conscribi noluit 555. 585.

M.

Macedonij errores qui reuocent 439
Machabæi martyres appellati 160
Magdeburgenses damnantur à Caluino. 431
Magister vnus 171
Magistratibus obediendum 390
Magistratibus licet occidere 322
Magistratum omnem hæretici profligatum cupiunt. 271
Magistratus politici Ecclesiæ sunt ministri 45
Magistratus si sontes non punit, homicida est 322
Magistratus prophanos presbyteros eligere nequit nec debet 178
Magistratuum, & totius politiæ confusionem ibi secutam esse, vbi ab Ecclesiæ, & Romani Pontificis obedientia discessum fuit, exemplis probatur. 733.734
Magno se scelere obstringit qui consuetudini Ecclesiæ obluctatur 649
Maiora opera fecerunt Christi discipuli, quàm ipse Christus 216
Maiorum decreta soluentes sua rescindant 705
Mala nostra solummodo nostra sunt: bona verò nostra, & Dei sunt, & nostra 254
Mala quæ ex hæreticorum idololatria proficiscuntur 638
Malachiæ prophetia de sacrificio Ecclesiæ quomodo à Patribus, & quomodo ab hæreticis intelligatur: 116
Malachiæ locum de oblatione munda, de Eucharistiæ sacramento intelligendum esse 733
À maledicentia ad cædem quis progressus 41
Mali bonis permixti nihil nocent 185
Malorum fons inæqualitas 413.490
Mali bonis sunt permixti 537
Mali quandiu Ecclesiæ sunt membra 68
Malis præsidentibus quid agendum
Mandata omnia in vno charitatis mandato 312. 313
Mandatorum Dei perfecta expletio quæ ibi.
Manducatio corporis, & bibitio sanguinis Christi, partim sacramentalis, partim spiritualis 140
Manducatio & potio corporis & sanguinis Domini duplex 237
Manè orandum, orandum & vespere 401
Manichæi hæretici 672
Manichæi impijssimi hæretici
Manichæi nec externa sacrificia, nec imagines admittebant 129
Manuum impositio & Iudæorum & Christianorum probata est cæremonia 484
Marcellinus Papa falsò arguitur hæreseos 483
Marcellinus Papa thura adoleuit, sed post pœnitentiam egit 401
Marcionis error
Marcus quidam Ephesius implacabili odio flagrans in Latinos in Concilio Florentino 651
Maria signum magnum apud Ioannem 425
Maria theotocos & non Christothocos appellari cur debeat 317
Maria mediatrix optima apud Deum 239
Maria non Eua, mater reuiuiscentum ibid.
Maria à sanctis Patribus summè honorata ibid.
Maria multis indicijs & figuris præsignata ibid.
Maria spes, aduocata ab Ephrem appellata ibid.
In Maria fuit clausa porta virginitatis
Maria Christipara appellari prohibita in cõcil. Ephesino, sed Deipara 629.723 239
Mariæ & Euæ collatio
Mariæ Magdalenæ seruitus quomodo Christo grata. 374 240
Mariæ honestè meminisse decet
Maria virga Aaron & Gedeonis vellus niueum. 238
Maritum & sacerdotem esse quomodo concedat Ecclesia 195.196
Martyr extra Ecclesiam esse nequit 436
Martyrem quid faciat 437
Martyres pro nobis orant: ipsi verò nostris orationibus non indigent 140 158
Martyres purgatorium non ingrediuntur 427
Martyres quo cultu colant Catholici 223
Martyribus quantus honos delatus 257
Martyrij desiderium in muliere Ediss.
Martyrium tam corona, quàm Baptismus appellatur 81
Martyrium interdum baptismi vicem supplet. 81
Martyrum solennia cur & quomodo celebrantur. 140 437
Martyrum constantia diuersa à pertinacia hæreticorum
Martinus Lutherus sathanæ antesignanus, 615 618
Martinus Lutherus eadem machera vsus qua Marcion quondam hæreticus Mar-



Martini Luth. errores ibid.
Martini Luth. pernicies 623
Martinus Luth. de Papatu 634
Martini Lutheri in fide constantia. & contrarietas 647.648
Martini Luth. errores plusquam sexcenti à Catholicis animaduersi in sanctis Biblijs vertendis 664
Masouij in religione quales 424
Materia omnium sacramentorum signum vel elementum 72
Materia duplex in pœnitentia 143
Matthias Flaccus contra Luthe. & eius assectatores. 603
Matres vt infantes suos tradiderint occidendos. 439
Matrimonij mystica significatio 186
Matrimonij significationum explicatio ibi.
Matrimonij instituti cautæ ibid.
Matrimonij impedimenta 189
Matrimonij tria bona 187
Matrimonium temperantiæ sacramentum 185
Matrimonium suapte natura à peccato fluxit. 195
Matrimonium honorabile ob liberorum procreationem 195
Matrimonium, licet Dei benedictione honorabile factum sit, natura tamen à peccato fluxit 211
Matrimonium sacramentum magnum, mysterium magnum ibid.
Matrimonium Christianorum sacramenti nomen fere solùm obtinet, eius commoda ibid.
In matrimonio sacramento gratia infunditur. 186
Matrimonium & ordo quomodo cõueniant, in quo aduersantur 195
Matrimonium suscipientes quomodo affectos esse oportet 187
Matrimonium contrahere quibus liceat 323
Matrimonium triplicis rei signum 186
Matrimonium quomodo violetur 324
Matthæi loci exponuntur 449
Mediator cur sit Christus 435
Mediator aliter de Christo & aliter de sanctis dicitur. 222
Mediatorem futurum quomodo oportuit credere in lege 3.4
Mediatoris nomen aliter Christo, aliter Sacerdoti tributur 473
Medicina animæ pœnitentia 145
Medicus animarum solus est Christus 73
Melanchton de Carolstadio 427
Melanchton Ecclesiam visibilem facit 515
Melanchton Paparum turbæ & hæresum in Germania diuersitatis pertæsus ad Ecclesiæ vnitatem rediturus videbatur 735
Melchisedech sacrificium figurauit sacrificium Ecclesiæ 114.115.124
Melchisedech ante Leui & Aaron sacerdos fuit. 116
Melchisedech Christiani sacrificij typus ibi.
Melchisedech sacerdos erat gentium 126
Melchisedech panem, & vinum, at Christus in cœna sub illis speciebus corpus, & sanguinem suum obtulit 749
Membra Satanæ hæretici 654
Menno Phrysius mundum & Angelos iudicaturum se dixit 432
Memoria passionis Christi quàm necessaria Christia no. 137 ea vt retineatur signis opus habet ibid.
Memoria defunctorum in Missa ex Apostolica traditione 140
Memoria redemptionis nostræ in sacrificio Missæ celebratur ibid.
Memoriæ humanæ labefactatio 262
Mendax filius diaboli 327
Mendacij tria genera ibi.
Mendacium filia superbiæ ibid.
Mendacium quale peccatum ibid.
Mendaci apud templa cur assideant, & quorum nos admonere debeant 318
Mendici, vulnerum nostrorum Medici 360
Merces bonorum operum gloria æterna 284
Mercuriales statuæ cur antiquitus ad biuia positæ. 16
Mercurialibus statuis abrogatis crux Christi suffecta. ibid.
Merita nostra vnde existant 235
Merita sanctorum nobis suffragantur 160
Merita operum quomodo sint in regenerato 78 255
Merita alia paruuli, alia adulti 299
Merita nostra nulla sunt ante fidem 150.237
Merita duplicia 287
Merita operum arrogantiam excludunt, non autem fiduciam 299
Merita operum 288
Meriti profectio non tam operi quàm voluntati adscribitur 275
Meritis Sanctorum non est detrahendum 160
Meritorum ad præmium comparatio 275
Meritorum penuria periculosa paupertas 298
Meriti ratio duplex 78
Meritum non tollit scriptura, sed præsumptionem. 281.298
Meritum congrui & condigni quod 279
Meritum passionis Christi abundantius omnibus totius mundi flagitijs 160
Meritum Christi radix est omnium meritorum 284
Metropolitanus Armeniorum Episcopus cur dictus Catholicon. 64
Merlini hæretici impietas 635
Michaël Seruetus in religione quas turbas excitarit. 439
Michaëlis Episc. Mensburgensis conciones 134
Migrantibus à vita grauissimum instat certamen. 185
Minardi casus 706
Ministerium in Eucharistiæ sacrificio sacerdotibus duntaxat tribui satis norunt Hæretici, etiã Theologorum, quos scholasticos vocant consensu. 757
Ministri malitia non impedit bonum opus personæ. 338
Ministris etiam malis Deus vtitur 182
Ministri reconciliationis Presbyteri, non sacerdotes ab Apostolis vocati 185
Ministrorum Ecclesiæ differentia 185
Ministrorum vitijs nihil illorum functioni detrahitur 741
Ministros appellant hæretici synagogæ inseruientes, quoniam cum sacrificio sacerdotium necessarium abstulerat 749
Ministrorum matrimonia impura 39 703
Ministri Sathanæ è Polonia pellendi 704
Mira nec minus pia auct. vehementia 632
Mira Dei potentia 644
Miracula apud hæreticos nulla 397
Miracula in se facta vt testabantur olim antiqui. 425
Misericordiæ Domini neq; tẽpus, neq; mensura præfinienda 146
Misericordiam quibus præstet Christus 43
Missa quibus argumentis euerti debeat dedicit Lutherus à diabolo 426
Missa Basilij & Chrysostomi 140
Missa quàm aptè officium dicatur 174
Missa ab Euangelio non discrepat, sed omnia Christi beneficia nobis ob oculos ponit 138
Missa est sacrificium 131. & seq.
Missa cur in Occidentalibus & Septentrionis Ecclesijs Latinè fiat 51
Missa quid 114
Missa cur post concionem audienda 134
Missa mali Sacerdotis non est negligenda 337
Missa sine necessitate in locis profanis fieri non debet 358.359
Missa omnis publica 411. 413

Universidad de Deusto
Biblioteca



Missa an sine communica, celebrari possit ibid.
Missa omni die audienda, vel ad minus dominica. 137
Missæ sacrificium pro mortuis valet 365
Missæ sacrificio adstant Angeli 135
In Missæ sacrificio congregantur tam qui cum Christo triumphant, quàm q corporibus præsentes, & qui purgatione indigent 139
In Missæ sacrificio quid vulgus agere, meditari ac precari debeat 136
Missæ tremenda mysteria ibi.
Missæ sacrificium à Christo institutum, & cur quotidiè celebretur 115
Missæ ad finem intermanendum statuto Agathensis & Aurelia. conciliorum cautum 137.319
Missæ priuatæ non semper inuentæ aut seruari cœptæ sunt 344
Missæ contradicentia hæreticorum argumenta exponuntur. 728. confutantur. 728. retorquentur. 730. 732. 742
Missæ tremendum sacrificium 736
Missæ sacrificium Trophæo comparatum 741
Missæ sacrificio astantium Christianorum precatio opportuna 740
Missam celebrantium amictus significatio 739. 740
Missæ collectæ omnes cur terminentur, Per Dominum nostrum Iesum Christum: & cur opus absoluatur cum, Ite, missa est 741
Missæ Ambrosij, Iacobi Apostoli, Basilij, Chrysostomi, Ethiopum mentio 746
Missæ sacrificij institutio probatur ex lege, ex psalmis ex ipsius Christi verbis, & factis, & ex Ecclesiæ per 1500. annos consuetudine 753
Missam Græci lyturgiam vocant 741. 746
Missam ex opere operato prodesse quomodo intelligendum 337. 119
Missam audire vtilius ne sit an concionem 134
Missam audire quomodo oporteat 133. 316. 337
Missam Basilius, & Chrysosto. propter excellentiam liturgiam dixerunt 153
Missam celebraturus quid facere debeat 315
Missam exterminantes grauissimè contra primum præceptum peccant 315
Missam abrogauit Carolstadius 427
Missam de Spiritu sancto ridet Brent. 536
Missam quam angularem vocat, libro oppugnat Lutherus 426
Mittere se deorsum quid 615. 603
Mœchia spiritualis maior est adulterio
Mœchia spiritualis hæreticos in istas absurditates abduxit 329
Mœchiæ nomen quàm latè patet 313
Monachatus non est cultus Dei, sed est via expeditior ad colendum Deum 335
Monachatus non est idololatria 335
Monachatus in colendo Deo nihil à reliquis Christianis differt 335
Monachi fides non est alia quam coniugati Christiani ibid.
Monachi prisci quàm dediti fuerint diuinis contemplationibus 307
Monachi Ecclesiam primitiuam quomodo referant. 335
Monachorum habitum primus Carolstadius abiecit. 426
Monasteria charitatem præcipuè seruant 577
Monasteria honestatis & sanctitatis loca, Semnia apud Eusebium dicta 343
Monasterij vt inter se hæretici pugnarint 432
Mons magnus apud Danielem Mariam præfiguratuit 239
Morientibus maximè insidiatur diabolus 163
Mors Christi quibus vtilis & quibus inutilis 434
Mors Christi humanitatem eius declarauit 9
Mors Christi fidelibus lugubris esse debet 7
Morti vicinus quomodo consolandus 202
Mortis memoria in Missæ sacrificio sacramento nobis relicta 111
Mortui fideles ad Christi corpus pertinent 140
Mortui ante Christum cur lugerentur 229
Mortuorum memoria in sacrificio ibid.
Mos peruersus inter pocula de diuinis sermonem habere 657
Mos laudatissimus patrum nostrorum nunc planè intercidit 357
Moscus inuitatus ad Concilium 713
Moses quot annis fuerit post primum hominem. 552
Moses primus verbum Dei scribere cœpit ibid.
Moses fuit inter Deum & hominem mediator 228
Moses postquam prophetauit, nō amplius vxorì coniunctus est 196
Mosi diffidentia vt sit punita 135
Moses rubus Mariam figurauit 238
Mulier fortis apud Salomonem quæ ibid.
Mulieres in necessitate baptizare possunt 80
Mulieres hæreticæ quàm procaces 177
Mulierum officium inter viros suos 185
Mulierum nostri seculi audacia, simul & arrogantia, impudentiaq; 664
Multa præcepta veteri & noua lege mutata vel non obseruata 650
Multæ virtutes intra nos, nostri curam habentes. 663
Multis de causis apud plerosq; effectum, vt vernacula lingua sacra fierent 664
Multitudinis concordis oratio quàm efficax sit 135
Munceri errores 438
Mutari in virum alium quid sit 273
Mysteria vnde dicta 117
Mysteria non omnibus manifestanda ibid.
Mysteria chrismatis multa 501
Mysteria in silentio tradita 115. 119
Mysterium Græcè, sacramentum Latinè 185.

N.

NAbuchodonosor columba Dei appellatus. 279 5
Natalis Christi cæremoniæ 78
Natiuitatis Christi vtilitas 195
Natiuitatis triplex genus 97
Natura etiam ipsa benedictione muratur 68
Nauis in qua Christus sedit, typus Ecclesiæ 375
Nazareorum vita & continentia 569
Necessitas non habet legem, sed facit 627. 630
Negare Deum qui dicantur 224
Nemo potest diligere, quod esse non credit 320
Nemo aliena rapiens, & pauperi impertiens mercedē accipiet 613
Nemo vnquam de salute securus dici potest 634
Nemo vnquam fidelium dicit de necessitate salutis esse laicos vtriusq; specie participes fieri 645
Nemo sibi de totius orbis iudicio iudicandi potestatem sumere debet 550
Nero impurissimus neminem pudicum esse censebat 439
194
Nestoriani noui 646
Nestorij arrogantia & Philautia 715
Nestorij error de Eucharistiæ sacramento in concilio Ephesino condemnatus 497
Nestorij condemnatio 522
Nicæni concilij canon exponitur 497
Nicæno concilio detrahit Brentius ibi.
Nicænum concilium quomodo celebratum 694
Nicænum concilium quot habuerit Patres 667
Niger trinitarius 273
Nihil aliud credendum, quàm credit Ecclesia 117
Nihil nunc adferunt hæretici, quod ante mille annos non fuerit hæreseos condemnatum 620
Nihil tanquam necessariū de calicis vsu laicis à Christo præceptum 97. 114
Nihil commune cum hæreticis habendum 666
Nihil pernicios̄ius, quàm separationis principium. 666 538
Nili liber ab Illyrico editus 612
Ninivitarum Regis pœnitentia No



Nobilitas quibus in locis loco suo & ordine mota. 698
Nocturnæ preces non sunt negligendæ 237
Nolle obedire, & non obedire differunt 391
Nomen Dei quomodo frustrà vsurpatur 316
Nomen sanctum sine sanctis moribus non prodest. 265. 266
Nomen Athanasij in optimam partem semper cognitum 636
Nomine Christiano nihil gloriosius 424
Nomine vno cur Christiani censeri voluerint ibid.
Non posse, id est, nolle 325
Non est scriptum, frequenter hæretici occlamant. 270
Non disputandum de interpretatione scripturarum, sed ea remittenda ad traditionem Ecclesiasticam. 619
Non statim scripturarum adductarum testimonio ac quiescendum 621
Non in vsu Sacramentorum, sed in præcisione vnitatis Ecclesiast. vitium est 628
Non multitudini aliquid petenti contra morem Ecclesiæ concedendum 629
Non potest corpus Christi conficere, cui eius conficiendi nulla data est potestas 631
Non illicitus Gallicis vsus laicis dum modo publica totius Ecclesiæ auctoritas vsurpetur 632
Non de scriptura, sed de scripturæ sensu inter nos, & hæreticos solùm controuersia est 636
Nostri temporis pseudoprophetæ negant Deum operum nostrorum curam habere 613
Noua fides, vel fidei noua confessio, patribus semper inuisa & absurda fuit 603
Noua creatura quid sit 78
Noua vita institui nequit, nisi veteris prius pœniteat 83
Nouati error circa Pauli verba de iterando baptismo. 105
Nouati hæresis vnde 671
Nouatores mandata Dei non tantùm difficilia, sed & impossibilia faciunt 249
Nouatores Deum auctorem malorum faciunt. 254
Nouatores omnem ordinem rerum confundunt. 276. 323
Nouatorum cæcitas 282. 283
Nouatorum duriora vincula quàm Papæ 685
Nouatorum crudelitas in Gallia 699
Noui Euangelici Martyres delicati 190
Nouum quoddam Prophetarum genus nostris temporibus emersum 621
Nulla ineunda cum hæreticis disputatio 619
Nullius vitæ in terra adæquare potest cœlestem gloriam 288
Nullius actus noster ex sua natura meritorius est vitæ æternæ 286
Nullum præceptum de calice necessariò sumendo est laicis, nec si ab eo abstineant contra Christi institutionem fieri 651
Numismata nostrum charitas est 316
Nuptiæ quomodo bonæ, & quomodo non 195. 196
Nuptias vocat Hieronymus indulgentias 196
Nuptiarum munus in paradiso concessum, & earum vsus extra paradisum sumpsit exordium 194

O.

OBedientia vera quæ 574
Obedientiā Sacerdotis & Ecclesiæ ordinationem aspernantium supplicium horrescendum 726. 275
Oblatio duplex 119. 121
Oblatio Ecclesiæ qualis 20. 118
Oblatio munda in Ecclesia quæ 113. 127
Oblationes Laicorum 202
Oblationes soli Deo fiunt, non martyribus 140
Oblationes variæ sunt 203
Oblationis nomen Diabolus ferre nequit 140
Ochini de Sacramentarijs iudicium 675
Ochini testimonium de Tigurinis 680
Ochinus 695
Ochinus inimicus & defensor Ecclesiæ ibid.
Ochiniastus ibid.
Ochinus victus conciliorum auctoritate, quò diuertit ibid.
Ochinus simia Lutheri ibid.
Ochinus nec adorandum Deum credit, nec præsidiū ab eo expectandum ibid.
Odium proximi, Dei amorem excludit 313
Oecolampadius quid de Luthero sentiat 430
Offerendi vsus antiquissimus 202
Offertoria in Missa fieri solita vnde 202
Officium etiam aptè vocatur sacrificium 174
Officiantes etiam dicti Sacerdotes ibid.
Olei vnctione multos sanabant Apostoli 163
Oleum in chrismate quid significet 90
Omnia munda mundis vt intelligatur 379
Omnia sibi volunt concedi nostri temporis hæretici 656
Omnis ex Ecclesia sublatus ordo iam propemodum esse videtur 240
Onus Dei leue est, postquàm hoc ferre cœperimus. 252
Opera non præcedunt, sed sequuntur gratiam. 242
Opera nostra, quatenus à libero arbitrio proficiscuntur, parui valoris sunt 244
Opera nostra, quatenus informata charitate, & gratia, Dei potius sunt, quàm nostra 244
Opera nostra non sunt meritoria, nisi acceptatione diuina 328
Opera bona spem generant, mala desperationem. 303
Opera nostra quatenus vitam mereamur æternam. 588
Opera quomodo valeant 477
Opera bona quatenus meritoria 301
Opera siue bona, siue mala habebunt iudicium 244
Opera bona necessaria in Christiano ibid.
Opera nostra opera Dei sunt, & quomodo nostra, & quomodo Dei ibi. & 150
Opera renatorum & infidelium differunt 77. 297
Opera quæ fidem præcedunt dispositiones sunt ad gloriam 245
Opera Deus exigit, non verba 317
Opera seruilia Sabbato prohibita, & quomodo licitè fieri possint 318
Opera sunt testimonia voluntatis internæ 245. 328
Opera fidei & charitatis quomodo ad remissionem peccatorum sufficiant 243. 104
Opera sunt meritoria si ex fide fiunt 306
Opera duplex genus, quæ gratiam præcedunt, non sunt meritoria ibid.
Opera quænam sint meritoria. Vide meritum
Operum iustificationem præcedentium vis 280
Operibus quomodo mundemur 477
Operum bonorum qualis Catholica doctrina 587
Opus operans & opus operatum quid vocent Scholastici 474
Opus operans & opus operatum quid & quomodo differant 114
Oportunitas vbiq; spectanda 113
Orandi, orandiq; modus 232
Orandi ratio 215
Orantium non multitudo, sed vnanimitas exauditur 499
Orare ad Orientem cur nos Apostoli voluerint. 566
Orare sine intermissione quomodo intelligendum. 359
Oratio multorum in Ecclesia efficax 237. 344
Oratio concionem præcedere & subsequi debet. 134
Oratio Ecclesiæ prodest fidelibus defunctis Purgatorio detentis 152. 157
Oratio Sacerdotis plurimum prodest 135
Oratio fructuosa 218
Oratio Christiana spe & fide firmata esse debet 215

Universidad de Deusto
Biblioteca



Oratio priuata efficax 135.232
Oratio qualis esse debet 115.231
Oratio dominica cæteris anteferenda 231
Oratio dominica cur publica & communis 231
Oratio dominica breuibus verbis collecta, sed multis spiritualibus bonis referta 232
Oratio duas alas habet, quibus ad cœlum perfertur. 359
Orationem quomodo docuit Christus 231
Orationes Ecclesiæ omnes per Iesum Christum concluduntur, & patri offeruntur 221
Orationi magis quàm audiendo Euangelia templa dicata videntur 344
Orationi quomodo mens præparanda 235
Orationis dominicæ explicatio per Cyprianum facta, eiusq; efficacia, quodq; ea Deus præ omnibus alijs inuocari malit 215.252. & seq.
Orationis anima est ieiunium 359
Orbis Christiani ante 40. annos consensus 424
Ordinandis calix cur porrigatur 166
Ordinatio sacerdotum præsente populo fieri debet, & cur 179
Ordinationes quibus temporibus celebrentur 354
Ordinationes hæreticorum quales 177
Ordines cur certo temporis interuallo conferantur. 167
Ordines post ieiunium cur conferantur 334
Ordinis Episcopus est minister 176
Ordinis sacramentum quatenus cõsistat in matrimonio 196
Ordinis sacramentum non iterandum 175
Ordinis in Ecclesia necessitas 477
Ordo Sacerdotalis sacramentum est 175
Ordo in Ecclesia necessarius 19.163
Ordo in Sacerdotibus, Episcopis & Pontificibus generalis est, sed dignitas, auctoritas, & potestas specialis atq; inæqualis 166
Ordo ministrorum institutionis diuinæ ibi.
Ordo salubriter in eccles. constitutus 686
Ordinum sacrorum conferendorum cæremoniæ. 334
Origenes an sit hæreticus 543
Originalis peccati fomes 156
Orthodoxorum constantia 633
Osiander malè tractatus à Confessionistis 444
Osiandri doctrina à VVittembergensibus damnata & approbata ibid.
Osiandri de VVittemberg. iudicium 681
Osiandri doctrinam approbauit Brentius ibi.
Osiandri dogma 444
Ostiarij qui, & quod eorum officium 165
Oües pastoris sui vita non debent offendi 320
Ouibus pastores iudicare non licet 741
Ozias Rex exemplo est Principibus, ne sibi quæ Sacerdotum sunt, vsurpent 468

P.

PAllium Pontificale 717.718
Palpones 327
Panem & vinum cur Christus voluerit retinere colorem & saporem suum 93. & seq.
Panem nostrum quotidianum, cur petamus, & quomodo intelligendum 234.282
Panis & vinum verè transsubstantiantur in Eucharistia 93. & seq.
Pro vno Papa multi nati sunt 678
Papa ab hæreticis iniquè damnatus 680
Papæ verum & proprium officium 671
Papa vnde dictus 176
Papæ delicta toleranda & excusabilia Philippi sententia ibi.
Papæ tot sunt in Regionibus schismaticis, quot sunt hæresium magistri 735
Papatum Germanicorum iugum durius, quàm Papæ Romani ibi.
Papæ iugo excusso Germania facta est Babylonia. 681
Papa de dubijs fidei discernere debet 66. & seq.
Papa caput Ecclesiæ quomodo 630
Papa legitimo reiecto multos fieri oportet 681
Papæ seu Pontificis maximi eminentia 65.67.69. 176 67
Papæ cur sanctissimi dicantur 717
Papa propter quæ honorandus 518
Papam quàm contemnant Lutherus 673
In Papatu doctrinam Christianam explosam esse malè asserit Caluinus
Papatui incommodare solùm studebat Lutherus. 426 677
Papatus Saxonicus 685
In Papatu omnia honestè fiunt ibid.
Cur Papatus sit institutus 686
Papatus ecclesiastica hierarchia
Papatum cupiuit tollere, vt ipse testis est Lutherus. 426 414
Papatus nullo modo relinquendus 669
Papistarum nomen glorioſum
Papistæ nomen qui adit, is paulò pòst Cæsaristæ, & Registæ nomen abhorresset 735
Papistæ nomen abhorrens, sataniſta breui euadit. 735 735
Papistæ nomen glorioſum
Papatus est legitimus Ecclesiæ Cathol, Magistratus. 670 320
Parentes cum primis honorandi ibi. 324.
Parentum nomine qui intelligendi
Paruuli in fide Ecclesiæ (quia non habent propriæ quisitam) baptizantur 80 81
Paruuli absq; baptismo non saluantur
Paruuli, licet sanctis parentibus procreati, originali peccato non absoluentur, nisi per baptismum. 80 82
Paruuli aliena confessione credere dicuntur 114
Pascha nostrum Christus 560
Pascha cur vno die Patres celebrari voluerint 557
Paschæ controuersiam sustulit conscribendo Concilio Constantinus Imperator 317
Paschæ celebratio ab Apostolis ibid.
Paschatis celebrando vno, eodemq; die causæ ibid.
De Paschate controuersia 117
Passio Christi fuit verum sacrificium 106
Passio Christi abundè satisfecit 281
Passiones Christi, passiones nostræ 162
Passiones martyrum, Christi passiones sunt 130.151
Passionis Christi memoriam Christiani sedulò habere debent 53
Pastor Ecclesiæ totius, vnus esse debet qui cæteris præsit 665
Pastores ecclesiæ cùm pro se, tum pro ouibus sibi creditis reddere rationem Deo debent 598
Pastor malus quatenus ferendus
Pater maior Christo, quomodo Ecclesia intelligit. 24 74
Pater causa principalis efficiens salutis nostræ 320
Pater spiritualis omnium est Deus mater Ecclesia. 321 232
Pater carnalis est omnium Adam
Patrem cur appellamus Deum 384
Patibulum erectum vbi solebat fieri sacrificium & crucis Christi recommemoratio 25 ibid.
Patres docuerunt rectam fidem
Patres quomodo hæreticos confutarunt 399
Patres stilo quidem diuerso, non autem diuersa fide scripserunt 515
Patres insimulat erroris Brentius 249
Patres nostri semper recognoscendi
Patres prisci quomodo populum instituerunt 717
Patriarcharum Orientalium nullus in Romanũ Pontificem parem potestatem exercuit ibid.
Patriarchis alijs absentibus, sit verè œcumenicum cõcilium
Patriarcha Alexandrin. ad Concilium vocatus. ibid. 717
Patriarchas Orientales Rom. pontifex excommunicat





Patriarchas quatuor Orientales Roman. Pontifex præmijs ornauit, & pœnis affecit 716
Patroni Ecclesiarum quid iuris habeant 179
Patrum auctoritas in controuersis dogmatibus. 399
Patrum errores quales fuerint. 26.603
Patrum orthodoxorum interpretationes non sunt reijciendæ 24
Patrum scripta quantum habeant auctoritatis 540. 549
Patrum sententias affert Augustinus 545
Pauli loci exponuntur 541
Pauli tempore clerus non fuit sine vitijs 405
Pauli sudaria & semicinctia pleroſq; à dæmonijs liberarunt 217
Pauli amor in Christum quàm vehemens 307
Paulus non reijcit bona opera 243
Paulus quomodo imperfectionem suam accuset. 307
Paulus sub sua persona de quouis homine nonnunquam loquitur ibid.
Paulus qualis seruus fuerit 448
Paulus ad Hebræos de Melchisedech loquens, cur panis, & vini oblationis non meminit 749.751
Pauperes de Lugduno à Lucio Papa reiecti 64
pauperes & calamitoſos à foribus templi arcere conantes, meritò reprehendendi 360
pax Ecclesiæ quibus modis reformari possit 605
pax nostra mutua cum Deo maximum sacrificium. 235
peccamus non naturæ impotentia, sed auersa arbitrij libertate. 251
Peccamus eò quòd non velimus, non eò quòd non possumus 251
peccare in Spiritum sanctum quid 637
peccata maxima ex paruis fiunt nostra negligentia. 692
peccata magna interdum non tanto studio vitanda sunt, quanto parua. ibi.
peccata nostra ostium regni cœlorum claudunt. 149
peccata carnalia maioris sunt infamiæ, sed minoris culpæ quàm spiritualia 214
peccata Sacerdoti manifestanda 147
peccant grauissimè qui Deum mendacij testem producunt 316
peccantes non omnes iustitiam amittunt 305
peccantes contra primum præceptum, qui contra secundum, & sic ex ordine omnia 312.316
peccati primorum parentum quanta vis 270
peccatum impunè esse non potest 156
peccatum non imputari quomodo intelligendum. 271
peccatum animi morbus grauissimus 314
peccatum & causa, & pœna peccati 687
Peccatum cur peccati pœna fiat ibi.
Peccati pœna 688
peccatum grauissima seruitus 319
peccatum nullum sine voluntate 328
pecora ægra quòd sanctis commendentur vetustissimum esse 227
pelagianorum error circa paruulorum baptismum. 80
per amarum poculum cõfessionis peruenitur ad gaudium salutis 301
peregrinationes Deo non ingratæ 348
Perfectio fidei quæ sit 310
perfectio duplex 305
perfectum vt se dixerit Paulus 308
perfectus discipulus quis dicatur in Euangelio 308
pericula in quem finem subeunda 711
periurij pœna in veteri testamento qualis 327
periurium grauissimum crimen ibi.
persecutionem facere an iustus queat 438
persona in Sacerdote non est spectanda 66
personæ non suscipiendæ, sed nomina 67
personarum acceptio erroris est mater ibid.
peruersa hæreticorum religio & conscientia 672
petra Christi, fidem & Petrum Christum confitentem significat 54
petra vocatur Christus, Petri Fides ibid.
Petri à Soto encomion 448
Petri vmbra ægros sanauit 224
Petri locus exponitur 520
Petri sedem obtinens, præsentem habet Christum. 483
Petri Dresdensis hæresis. 647
Petrum à Soto, Brentius conuitijs aggreditur 446
Petrus Apostolus qualis seruus fuerit 448
Petrus à Soto cur aduersus Brentij confessionem scripserit 446
Petrus humaniter admonet Ducem VVirbergensem 447
Petrus à Soto quem in confutando Brentio sequutus sit ordinem 447
Petrus Christum negans fidem non amisit 245
Petrus totius Ecclesiæ figuram gessit 49
Petrus Lombardus immeritò reprehenditur 305
Petrus Vergerius hæreticus supra modum seditiosus, imò ad seditiones excitandas natus 646
Pflugij laus 428
Pharisæi scripturarum testimonio Christum non esse prophetam, & esse morte dignum concludebãt. 205
Philippi de Suenckfeldio sententia 438
Philippus Melanct. in articulo iustificationis quatuordecies variauit 272
Philippus Melanchthon Saxonicus Papa secundus. 679
Philippus ab Illyrico condemnatus ibid.
De Philippo iudicium Gallorum 679
Philippus liberum arbitrium nunc negat nũc asserit. 443
Philippus Melanchthon quæritur licere vnicuiq; monstrosa dogmata fingere 669
Philippus libros suos variando condemnat ibid.
Philippus se Manichæum fuisse declarat 444
Philippus primus Christianus Imperator quàm subditus Romano pontifici 448
Philippus Melanchthon turpiter se seruisse Luthero conqueritur, eidemq; conuiciatur 639
Philippus Melanchthon discipulus Martini Lutheri. 650
Phinees homicidium cur Deo gratum 208. 332
Photij depositio 715
pia auctoris ad Christum oratio, &c. 639
piæ exhortationes 668
picardorum doctrina contra magistrat. 701
De Picardis iudicium Lutheri 699
Picardi genus hæreticorum non solum Orthodoxorum, sed hæreticorum etiam maximè inuisum. 657
Picardorum Apologia 615
pietas quid & vnde dicta: in procemio confessionis.
pietas Dei cultus est 700
Pighij sententia de Sacerdotibus vxores ducentibus. 333
Pighius immeritò à Melanct. reprehensus ibid.
Pinzouia magis quàm Athenien impia. 695
Pinzouiæ locus Ezech. accommodatur ibid.
Pinzouiæ externi fornicatores 696
Pinz. ob fornicationem pœna prædicitur ibid.
Pinzouiæ nomen obscurum ibid.
Pinzouia ignominiæ Polonorum apud exteros causa ibid.
Pinzouiensium fornicatio 696
Pinzouiensium vecordia 698
Piscinæ probaticæ prærogatiua 340
Piscium esus cur licitus 365
Plurima scribere coactus fuit Lutherus contra animi sui sententiam impotentia quadam iræ atq; odij. 647
Platonis consilium in eligendo loco academiæ insalubri 382
Pœna æterna sanctificatiõe Christi in cruce aboletur, temporaria verò nostra 151
pœna in attentantes sacras Virgines 207
Pœna non semper remittitur cum culpa 155

Universidad de Deusto
Biblioteca



pœnæ timore cogendi quidam ad rectam fidem. 356
pœnæ temporariæ pro æternis nonnunquam à Deo infliguntur 150
pœnitentia duplex 6
pœnitentia exterior index interioris 153
pœnitentia publica cur die cœnæ Dominicæ habeatur 5
pœnitentia tres actus, qui materiæ loco sunt habet. 144
pœnitentia baptismus lachrymarum, à Gregorio Nazianzeno dicitur 145
pœnitentia laboriosus baptismus 150
pœnitentia agenda 437
per pœnitentiam non statim penitus culpa aboletur. 154
pœnitentiæ sacramentum à Christo institutum: quæ illius materia & forma 143
pœnitentiæ fructus 145
pœnitentiæ partes 144
pœnitentiæ nullum tempus incommodum ibid.
pœnitentiæ remedium, non iustitiæ examen, damnatis præstandum 63
politica functio quomodo differat ab Ecclesiastica 454
In Polonia plurimi adulteri spirituales 690
Polonia quandiu Christiana sit 177
Abominationes in Polonia grassantes deflentur. 694
Polonia quàm studiosa fuerit olim pietatis & religionis 696
Poloniæ iniuriæ ibid.
Poloniæ sentina & asylum hæreticorum, etiam ab hæreticis appellatur 696
Poloniæ totius ignominiæ causa sunt concilia quorundam Polonorum a Tigurinis petita 696
Poloniæ Episcoporum vigilantia 424
Poloniæ Reges eligunt Episcopos 449
Poloniæ Reges fuerunt Vitoldus & VVladislaus fratres patrueles 424
Ex Polonia non solùm Trinitarij, sed omnes hæretici pellendi 704
Maiores Polonorum ab Idololatriæ crimine vindicantur 704
Poloniæ Reges VVladislaus & Vitoldus, Poloniæ Regnum sibi oblatum, quibus verbis propter hæresim respuerint ibid.
Poloniæ Regi dicatus est liber Brentij 428
Poloniæ Regum pietas cum Apostolorum pietate confertur 425
Polonia doctis viris abundat 698
Polo. Rex qua voce in conuentu vsus sit 429
Poloni studiosi linguæ latinæ 134
Poloni quidam nobiles ab hostibus nobilitatis consilia petunt 698
Poloni constantes in religione à 600 an. 276
Poloni Boëmorum partis nunquam esse voluerunt. 424
Poloni quando Christiani facti 406
Polonorum fides cur diu integra permanserit 424
Poloni quandiu Christiani & quàm concordes semper fuerint ibid.
Ad Polonos adhortatio pro vnitate religionis 700
Ad Polonos dehort. à scissione in relig. ibid.
Polonorum religio 382
Polonorum ad suos maiores comparatio 689
Polonorum & Boëmorum lingua vna 424
poltronus à Beza inter mart. relatus 70
Polycarpi corpus quando venerabile habitum 426
Polygami Euangelici 491
Polygamiam approbantes hæretici 210
pontifex Romanus verè caput Episcoporum 42
pontifex Rom. semper præfuit conciliis 512
pontif. summus quàm necessarius ecclesiæ 596
pontifices etiam improbi rectè sancti dicuntur 492
pontifices calicis vsum non ademerunt 107
pontifices mali reuerenter audiendi 267
pontif. decreto in rebus fidei assentiendum 59
pontificis Romani auctoritatem primùm infirmare conatus est Lutherus 426
pontificis Romani est, vera dogmata à falsis discernere 60
De pontificis Rom. auctoritate testimonium Hieronymi 718
pontifici Rom. datum vniuersalis Episcopi nomen. 713
Pontificis Rom. auctoritas in Ecclesijs Orientalibus. 716
pontificis non vitæ meritum, sed officium spectandũ 481
pontifices politici 647
pontifices à politicis magistratibus contemni Euangelici docuerunt suo malo 684
pontificum nouum genus 685
pontifex Rom. potestatem non ab hominibus, sed à Deo accepit 718
pontifex Romano. nullus à fide Petri aberrauit 486
pontifici honor exhibitus in Deum redundat 716
pontificum Catholicorum successio veritatem Ecclesiæ testatur 49
populi officium 463
populis bonis licere sibi magistratus creare 178
populus maximè deflendus quis 689
portæ infero. contra ecclesiam non possunt prævalere, sed contra vnum aliquod ecclesiæ membrum. 537
posse pro velle sæpe in script. vsurpatum 325
possibilia sunt credenti 306
post cœnam non communicandum, nisi infirmis, & alterius necessitatis causa 65
potestatis Ecclesiast. & ciuilis collatio 451
præcepta spiritus sancti, obseruantur: impossibilia dicere, impium est 250
præcepta Dei impossibilia non sunt 249
præcepta diuina duplicia 388
præcepta Dei quomodo & quibũs grauia 256
præcepta Ecclesiæ cum Dei præceptis congruunt. 542 552
præcepta patrum seruanda 314
præceptorum trium ratio 310
præceptorum diuinorum qualia compendia nobis Deus dederit 328
præcepto non concupisces, non prohibetur inclinatio mala seu fomes, qui nobis insitus est 244.238
præceptum dilectionis expleri potest 584
præceptum Domini lucidum, & tamen in scripturis multa obscura inueniuntur 311
præceptum dilectionis vnum videtur, sed duo continet 314
præceptum dilectionis diuinæ tribus modis transgredimur 322
præceptum non occides, quatenus se extendat 424
prædicationis munus olim solis Presbyterus dabatur 325
præfatio qua de re instituta 504
prælati officium spectandum non meritum 455
prælati si sint mali, an Ecclesia sit deserenda 508
prælatis reuerentia præstanda & obedientia subditi
prælatos etiam non piè viuentes non debent subditi iudicare 459
præmonstratensis Apostota qualis 248
præmium absq; certamine non datur 703
præpositis cur obediendum 360
presbyteri vnde dicti, item cur nomen hoc præ Sacerdotum nomine Apostoli elegerint 175
preces quæ fiunt in templo sunt Deo gratiores 325
presbyteri non in hoc ordinantur, vt sint ministri verbi 159
princeps sibi vsurpãs iudicium religionis quàm immaniter peccet 469
principes de doctrina religionis iudicare nefas est. 469
principes non debere sibi sumere quæ Sacerdotum sunt, exemplis probatur 468
principes immites nimijs vectigalibus suos subditos exugentes rei fiunt septimi præcepti 326
principes executores decretorum ecclesiasticorum. 45 prin-



principibus duplex honos debetur 320
Principibus non permittit Ecclesiæ causas Athanasius 509
Principijs hæreticorum quanta diligentia obstandũ. 723.728
Principum Catholicorum quod sit officium 494
Principum opem postulant Episcopi contra hæreticos. 471
Prisci ritus Ecclesiæ non abrogandi 667
Probati quomodo manifesti fiant 538
Processio singulis diebus dominicis quare ab Ecclesia peragatur 11
Promissiones Dei vt nunquam irritæ fuerint 483
promissiones veteris testamenti quibus potissimum factæ ibid.
Prophetas falsos cauendos, quomodo intelligendum 451
Prophetis non semper præsto fuit Spiritus sanctus. 488
Prophetis etiam malis vtitur Deus 182
Prophetarum & Apostolica scripta quando optimè intelliguntur 670
Pro reprobis habendi qui laudabili Ecclesiæ consuetudini obluctantur 648
Proteruè agere contra ea quæ à sanctis patrib. tradita sunt, blasphemia est in spiritum sanctum 491
Proximi odium, odium Dei 312
Proximi contemptus, Deo contumacem reddit 687
Proximi duo sunt 312
Proximis reconciliari debemus si corpore Christi interi volumus 142
Prussi in religione quales 424
Psalliani siue Euchitæ 359
Psaphonis cuiusdam mira impostura 316
Pseudoapostolorum in primitiua Ecclesia calliditas 616
Pseudo Euangelicorum sycophantia 272.367
Pseudoprophetæ à quibus declarandi 450
Publica & communia præferenda sunt priuatis. 363
Pudenda patrum non detegenda 68
Pudor animæ innatus quomodo perit 692
Pudor in confessione pœnam subleuat 147
Pulcheriæ Augustæ prædicatio 506
Pulcheriæ nomen celebre 38
Purgatorium esse post vitam 137
Purgatorium à Cypriano asseritur 158

Q

QVa de causa vsus vtriusque speciei in sacramento Eucharistiæ ab Ecclesia Catholica abrogatus fuerit 646
Quadragesimæ ieiunium tribus de causis institutũ 360
Quadragesimæ in vernum tempus institutæ ratio 360
Quadragesimæ tempus dies afflictionis, pœnæ, mœroris, &c. ibid & seq.
Quadragesimæ violatores grauiter peccant 361.380
Quadragesimæ obseruatæ exempla 5.361
Quadragesimæ ieiunium per vniuersum orbem adnunciatum, teste Basilio 361.
Quadragesimæ ieiunium à Deo potius quàm ab homine institutum 360
Quadragesimæ vltima septimana qua pietate à veteribus obseruata 5
Quadraginta dies cur Christus à resurrectione cum discipulis suis conuersatus 2
Quanta huius temporis hæreticorum in Deum & ecclesiam blasphemia 620
Quanta inest in hæretic. mentis cæcitas 631
Quare Saxones nunquàm a placitis magistri sui Lutheri discedendum duxerunt 633
Quare in alicuius Euangelistæ aut insignis doctoris lectione memoria cani soleri, In medio Ecclesiæ aperuit os eius 622
Quare tanta caligo inter hæreticos 633
Quare desitum est ab vtriusque specie communione 633
Quare in hoc libro auctor de Vergerio author mentionem fecerit 465
Quare sit orandum potius lingua latina quàm vernacula 720
Quatuor esse euangelia vnde constet 75
Quatuor temporum ieiunium institutum 360
Quælibet actio laudabilis, vel culpabilis est ratione finis 365
Quæstiones de fide quomodo facilè dirimi queant 517
Querelæ Basilij de statu Ecclesiæ 490. 489
Quibus contenti esse debent simpliciores & indocti 644
Qui resistunt potestati, ipsi sibi damnationem acquirunt, quomodo intelligendum 390
Qui Ecclesiæ Catholicæ sensum & consensum sequitur nullo pacto errare potest 636
Qui se à Christi corpore separauit Christianus dici nõ debet 633
Qui sunt illi qui volunt sacrum ac reliqua diuina officia lingua vernacula celebrari 722
Quid sit credere penes hæreticos 614
Quid Sathanas hæreticis polliceatur 616
Quid sit de suo loqui in diuinis scripturis 265
Quid sub idolorum nomine sancti patres significari voluerint 637
Quidnam hoc seculo scientia inflati, omnia rident quæ maiores nostri coluerunt 647
Quis diuidat 412
Quinquaginta dies interiecti à Pascha ad Pentecosten cur ieiunio liberi 9
Quo Dei timore perculsi sunt Lutherani. 627
Quo tandem productus est Lutheranismus ex paruo principio 31
Quo tendit Sathanas cum Papatum tanto studio euersum cupit 614
Quod certo homini, Omni etiam homini est possibile, & è contra 258
Quod Deo soluitur, altera gratia rependitur 290
Quod legis sacræ exemplis diabolus ad fallendum vtatur 615
Quo tempore habitum est Conci. Latera 721
Quod à Deo præceptum est, indifferens habeti non potest 650
Quod de Papatu conantur efficere hæretici idem de omni dominatu, & Regnis tollendis, quo hæreticorum spectant consilia eos moliri censendum est 635
Quomodo intelligendum, Bibite ex hoc omnes 625
Quomodo non quærendum Christiano 96.108
Quomodo sit intelligendum, quod effusus sanguis Christi bibitur 626
Quorum merita præsciuit Deus, eorum præmia prædestinauit 544
Quorum Deus venter est, quomodo intelligitur 373
Quorundam huius sæculi idiotarum præscriptum. 613
Quotannis immutat dogmata sua Philippus Melanthon 650

R

RAdices bonarum & malarum rerum 424
Rahab, licet infidelis, Ob absconsos exploratores, à Deo remunerata 279
Rapina grauior quàm furtum 326
Ratio quare cum hostibus Euangelij non consentiendum 636
Rationis humanæ obtenebratio 262
Rationis signa in multis animantibus deprehenduntur. in procemio confess.
Reatus manet etiam in renatis remissa culpa 155
Rechabitæ vinum non biberunt etiam præcipiente Propheta Ieremia 375
Recantationum publicandarum vtilitas 728.733
Reconciliatio mortis Christi in Eucharistia nobis proposita 140
Reconciliatio quomodo contigerit nobis 142
Reconciliationis ministerium duplex 169
Recordatio mortis Christi in Eucharistiam nobis proposita 139
Reddere debitum vxori, & reddere debitum Deo iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ge sacrificium offerendo, pugnantia sunt 200
Redemptio sanguinis Christi vilesceret, si iustificatio quæ fit gratiam, meritis præcedentibus debetur. 280
Regem vnum spinis coronatum, & cruci affixum volunt hæretici, præterea neminem 732
Reges nostro tempore Catholici qui sint & qui non sint 453
Reges quomodo serui 248
Regiam potestatem iisdem argumentis, quibus sacerdotium, & prædicationem externam, abrogare conantur hæretici 733
Regnum Cælorum non dormientibus, sed vigilantibus prouenit 248
Regnum Cælorum non est dantis sed accipientis. 344
Regnum Cælorum tantum valet, quantum habes. 302
Regnum cæleste ac terrestre 232
Regnum cælorum quomodo venale 300
Regnum Dei cur aduenire petimus 233
Regnum Dei in quo consistat 1.424.304
Regula humanarum actionum quæ sit 56
Regula omnium actuum humanorum lex est charitatis diuinæ 313
Regum Poloniæ religio quanta 643
Religio vnde dicta. in procem. confess.
Relig. animorum imitatur rationem corp. 235
Religio vna 51. & deinde
Reliquiæ Sanctorum venerandæ ex antiquissima institutione 225 330
Remedia fugiendæ libidinis 192
Remissio peccatorum extra ecclesiam nulla confertur 214
Remissio peccatorum sola non est iustitia nostra. 262
Remissio peccatorum in Eucharistia quomodo datur 264
Remittere proximis nolentes, ab Ecclesia excommunicantur 5
Renati ad graue certamen vocantur 88
Renouatio nostra quando incipiat 262
Renouari quid sit ibid.
Rerum diuinarum & humanarum confusio ex conuulsione decre. Ecclesiæ 646
Resipiscentiæ fructus qui 360
Restitutio quæ sit 154
Resurrectionem carnis non credens non est Christi. 214
Resurrectionis Christi duplex vtilitas 8
Resurrectionis nostræ spes ibid.
Resurrectio Christi est iustificatio nostra 214
Resurrectio Christi diuinitatem eius declarauit. ibid.
Resurr. ex mortuis nostræ fidei basis 164
Reum esse corporis Domini quid significat 246
Ex leui risu quis progressus ad peccatum 747
Rex pastor
Regi non satis est ipsi esse pium ibid.
Quæ in re officium Regum ab officio Episcoporum diuersum ibid.
Ritus noui in Ecclesiam à priuato aliquo non inducendi 134
Ritus Eccle. qui contemnit schismat. est 526
Ritus externi quid habeant 441
Rossensis pro fide mortuus 520
Roma regalissima vrbium 225
Romana Eccle. nunquam à fide defecit 490
Romanæ Ecclesiæ commendatio 503
Romanæ Eccl. quid à Calui. tribuatur 484
Romanæ sedis quantum priuilegium 484
Romani Pont. auctoritatem primum infirmare Lutherus studuit 426
Ruardus Tapper articulos Louanienses explicauit. 427
Ruardus Tapper vir doctus 626
Rudis & indocti vulgi stultarumq; quarundam mulierc. superbia 649
Russi Catholici quales in religione 424
Rusticorum bellum in Germania vnde ortum 215.

S.

SAbbathi præceptum & ad cæremonias & ad mores pertinet 316
Sabbathi Iudaici triplex significatio ibid.
Sabbathum æternum quando 317
Sabbathum ibi. & 317
Sabbathum ex Sabbatho 317.317
Sabbat. cur dominicum diem vocitemus 168
Sacerdos mediator inter Deum, & hominem 334
Sacerdos futurus quid præ oculis habere debeat. 334
Sacerdos prudens & doctus eligendus confitenti. 147 148
Sacerdos dum consecrat, duas sustinet personas. 476
Sacerdos qui primus vxorē duxerit in Germania. 427
Sacerdos quomodo sit minister reconciliationis. 292
Sacerdos non suum, sed Christi opus applicat in missa 340 167
Sacerdos legatus Christi 167.338
Sacerdos minister reconciliationis 337
Sacerdos quomodo se admissam reconciliare debeat 337
Sacerdos minister Christi capitis & Ecclesiæ corporis, quomodo 167
Sacerdotes in omnibus officijs suis symb. tantùm implent, Deus verò omnia per illos operatur 168
Sacerdotes quomodo peccata populi comedere dicantur 359
Sacerdotes cur Chrismate vtantur ibid.
Sacerdotes etiam mali habent Spiritum sanctum. 288
Sacerdotes Græci an iure ducant vxores 561.562
Sacerdotes recte dicuntur mediatores 472
Sacerdotes Regibus excellentiores 368
Sacerdotibus soli ligandi soluendiq; potestas à Christo 147
Sacerdotibus nunquam licuit neq; licebit vxores ducere 308
Sacerdotij dignitas 167
Sacerdotis institutio non est penes magistratum prophanum, sed penes Episcopum 177.178
Sacerdotis, vel ministri indignitate missæ sacrificio aut eius functioni nihil detrahitur 741.742
Sacerdotis vita in Eucharistiæ consecratione, non magis consideratur, quàm ligna ad ardendum exhibentis 757
Sacerdotio quando functus Christus 315
Sacerdotium Eccles. Catho. vnde cœperit 502
Sacerdotium & sacrificium vbi nullum est, ibi nec Deus agnoscitur 428
Sacerdotium ob vitia Sacerdotum non est reprehendum 268
Sacerdotium & sacrificium tollunt, qui Eucharistiæ fola sumptione constare asserunt 93
Sacerdotium Christi duplex secundum ordinem Melchisech, & secundum ordinem Aaron 114
Sacerdotium & sacrificium ex Ecclesia tolli nequeūt vno sublato alterum tollitur 94
Sacerdotium vbi, ibi & sacrificium 115
Sacerdotum officium 167
Sacerdotum & Monachorum proprium officium iuge sacrificium, iugesq; preces Deo offerre 359. & seq. 474
Sacerdotum improbitas non derogat efficaciæ Sacramentorum 512. & seq. 75
Sacerdotum præstantia & dignitas 167
Sacramenta Eccl. commun. sunt fidelium 288
Sacramenta Eccle sigilla sunt siue signa quibus Christiani à non Christian. dignoscuntur ibid. 185
Sacramenta mysteria sunt 74
Sacramenta ad septem genera accommodantur. 624
Sacramentarij qui 674
Sacramentarij & Anabaptistæ exorti à Luther. 177
Sacramentarij Luthero sunt Sathanæ ministri, mendaces, ipsum mendacium, fumus, Simulatio, Sathanæ venenum 426 429
Sacramentarij plures sunt quàm Lutherani 757
Sacramentarij habent iratum Deum & sui exercitationem 315 743
In Sacramentarios iræ diuinæ argumentum certissimum ibid.
Sacramentarij præcedunt Lutheranos doctrina, pietate,



tate, multitudine 428
Sacramentarij quidam in consecratione non dicūt: Hoc est corpus meū, sed Hoc est panis meus 427
Sacramentarijs dederunt occasionem Lutheri scripta ibid.
Sacramentariorum error 655
Sacramentariorum conatus 367
Sacrament. de Lutheranis sententia 430
Sacramentariorum hæresim cur Carolstadius excitarit 427
Luth. Sacramentariorum hæresim detestabatur. 664
Sacramentariorum hæresis vnde originem sumpserit 428
Sacramentarios in deorum foramina scripturam laceraſſe Luth. auctor est 427
Sacramentarios multos libris oppugnauit Luth. ibi.
Sacramentarari j mendacij Christum arguunt 673
Sacramenti causa est commemora. Christi 130
Sacramenti spiritualis virtus 123 339
Sacramentis vim præbet verbum Dei, & hoc ipsum sacramentorum forma 73. 74
Sacramentorum administratio an vera Ecclesiæ nota 595
Sacramentorum Anacephaleosis 184
Sacramentum Euch. sacræ rei signum quomodo. ibi.
Sacramentum Eucha. non in sumptione aut vsu, sed in verbis Christi vim suam habet ibid.
Sacramentum nihil est absq; signo crucis 15
Sacramentum corporis Christi reliquis omnibus præstat 111
Sacramentum Eucha. cur sub speciebus panis & vini dare voluit Christ. 92. 111. 138
Sacramentum corporis Christi & sanguinis, est sacrificium, dicturq; Eucharistia, synaxis, viaticum, &c. 113
Sacramentum Corporis Christi, sacramentum sacramentorum est 113
Sacramentum corporis Christi, vitam præstat 52
Sacramentum corporis Christi sumere omnibus diebus licitum 354
Sacrificia, & cultus extra Dei verbum, Deo tamen grata 743
Sacrificij & sacramenti vsus 123
Sacrificij Missæ explicatio 721
Sacrificij applicatio longè vetustissima 340
Sacrificij Missæ Deo perfectè adhæremus 337
Sacrificij quotidiano quid tribuat Eccle. 123
In Sacrificio Missæ præsentes quomodo affecti esse debeant 337
Sacrificiorum Christi Ecclesiæ Catholicæ & Iudaorū discrimen 112
Sacrificiorum, siue oblationum quatuor genera. 739
Sacrificium Eucharistiæ Rabinorum etiam Iudaico testimonio approbatum 752
Sacrificium quotidianum Christus intulit 112
Sacrificium Ecclesiæ visibile quod 113
Sacrificium duplex 114
Sacrificium tolletur tempore Antichristi 128
Sacrificium aliud, quàm Christus obtulit, nos in Missa celebranda non offerimus 737
Sacrificium noua lege non sublatum, sed translatum. non abrogatum, sed consummatum 732
Sacrificium signum est visibile rerum inuisibilium. 336
Sacrificium secundum ordinem Melchisedech Ecclesia in dies celebrat 124. 123
Sacrificium Aaronis cessare debuit 114. 148
Sacrificium vetus & nouum quomodo differant. 214 127. 136
Sacrificium quotidianum quantum valeat 123
Sacrificium translatum non sublatum docet Paulus, & obseruat Ecclesia 171
Sacrificium Ecclesiæ habet testimonia scripturæ clara 114
Sacrificium durabit vsq; ad finem mundi 116
Sacrificium nullo die intermittendum 337
Sacrificium Christi in omni loco 127
Sacrificium temporibus Augustini oppugnatum. 129 340
Sacrificium verum quod 336
Sacrificium sine bono motu non valet 337
Sacrificium propitiatorium in Missa applicatur. 340
Sacrificijs non aliter fas est corpus Dominicum confi cere, offerre aut sumere, quàm sub vtraq; specie. 648
Saliua infantium ori cur imponatur 87
Salis aspersio quàm efficax 342
Salus nostra omnis in cruce Christi 13
Salus nulli vnquam contigit nec contingere potest nisi per agni Christi immolationem 114
Salutatio Apostolis à Christo in via cur sit prohibita. 213
Salutatio Angelica Dominicæ orationi subiungi debet 237
Samsonis problema 699
Sancta cur dicatur Ecclesia 28
Sancti subiecti legibus 369
Sancti inuocantur non vt largitores, sed tanquam intercessores 220
Sancti & peccatoris lapsus quomodo differant 305
Sancti peccantes non amittunt sanctitatem ibid.
Sancti operibus suis non plane diffiderunt sub tēpus mortis 292
Sancti patres ab humanis affectibus sunt remoti 400. 401
Sancti viuunt 216
Sancti mediatores inter Deum & hominem 224
Sancti fideles sponte cruci subiecti 257
Sancti quomodo imitandi, cur nobis ad imitandum propositi 219
Sancti ciunt petitiones nostras 228
Sancti quomodo dicantur castra Dei 28. 29
Sancti vt inuocentur a Catholicis 495
Sanctificari nomen Dei cur & quomodo petimus. 233
Sanctificatio à quo sit 259
Sanctificationem, quæ eadem est & iustificatio tribuit Rupertus charit. ibid.
Sanctitas hæreticorum diabolica 432
Sanctorum intercessio & inuocatio 215. 228
Sanctorum meritis nihil derogandum ibi.
Sanctorum merita & passiones ad remissionem valent 160
Sanctorum inuocatio non prohibetur primo præcepto 215. 315
Sanctorum inuocatio non obscurat gloriam Christi. 216
Sanctorum celebritates sacræ scripturæ auctoritate institutæ 221
Sanctorum memorias cur celebremus 221
Sanctorum vestes ob deuotionem tangi vetustissimū est 227
Sanctorum preces iræ Dei resistunt 70
Sanctos quomodo inuocemus 215. 220
In sanctos quomodo credimus
Sanctus nemo est sicut Dominus 294
Sanctus, dictio cur magis Deo spiritui tribuatur quā patri & filio 259
Sanæ intelligentiæ lux soli Ecclesiæ promissa 283
Sanguis Christi purpura est, qua tinguntur sanctorū animæ 234
Sanguis Christi, precium nostrum est 300
Sanguis ad Christi corpus resurgentis redijt, ac iūctus est diuinitati 655
Sapere ad sobrietatem quid 691
Plus sapere quid ibid
Sapiens quis in Ecclesia Dei dicatur 622
Sapientia humana diuinæ comparata, insipientia est 293 538
Sapientia non est cum peccato ibid.
Sapientia quid ibid.
Sapientiæ liber est Canonicus
Sapientiam non intrare in maleuolam animam, quo modo intelligendum ibid.
Satan cur dicatur dæmon 515
Satan à minimis incipit 692
Satan venena sua scrip. vocibus obtegit 693
Satan proprium inter fratres diuidere 693
Satanæ nerui 614
Satanæ integumentum 617

Universidad de Deusto
Biblioteca



Satanæ conatus ad Ecclesiæ ordinationem subruendam 626
Satanæ fraus atq; calliditas quàm admirabilis 628
Satanæ fraudes cuneo similimæ 629
Satanam ad disputationem an admittere debeamus. 535
Satanas quid hæreticis polliceatur, & persuadeat. 616
Satanas non minus Apostolos, quàm Christum suis armis aggressus est ibid.
Satanas aduersarius interpretatur 628
Sataniimi vires 643
Satanismus qui regnat in Germania vnde sumpserit originem 424
Satanismus quibus gradibus Germaniam occuparit. 442
Sataniſtæ qui 371
Satisfacere quomodo oporteat 153
Satisfactio veniam conciliat 130
Satisfactio quomodo fiat & quare 130
Satisfactio necessaria pro temporaria pœna auferenda 150
Satisfactio tertia pars pœnitentiæ ibid.
Satisfactio nostra satisfactioni Christi non derogat. 154
Satisfactionem quomodo Luth. reijciant ibid.
Satisf. nostræ & Christi discrimen 153
Satius fuerit mille mortibus occumbere, quàm aliquid aduersus Ecclesiam concedere, aut pati, aut fieri. 630
Saulis inobedientia quàm grauiter punita 209
Saxonicis theologis Caluinus quæ epitheta tribuat. 444
Smalcaldicum fœdus quale 548
Schisma & hæretici vnde 716
Schisma quantum discrimen 212
Schismatis fructus in Gallia quis fuerit 699
Schisma grauius quam idololatria crimen 414
Schismata vnde maximè oriantur 213.414
Schismata fugienda 600
Schismata vnde nostro tempore ortà 600
Schismatici vnde hodie dignoscantur 526
Schismaticorum causa efficiens 689
Schismatis crimen quàm grauiter punitum olim. 212 414
Schneppi, Merlini, Stigelij, Sarcerij, contra Philippum Melanct. bellum 455
Scholastici Theologi contra hæreticorum calumnias defenduntur 473
Scholasticorum Theologorum sententia de meritis bonorum operum 288
Scholasticorum doctrina de opere operato 340
Scientia carens pietate nulla est 20
Scientia inflat, charitas ædificat 20.407
Scientia potest esse cum peccato 539
In scientia diuina qui errare non possint 747
Scientia diabolica 409
Scientia quænam in vita futura destruetur 518.526. 530
Scopus diuinæ scripturæ, dilectio 640
Scripta Lutheri referta calumnijs 228
Scire & nescire Dei quid sit 68
Scripto tradita non magis obseruanda, quàm ea, quæ sermone 744
Scriptura quouis modo à quocunq; prolata, nõ continuò verbum est 727
Scriptura quomodo contineat omnia saluti necessaria 522
Scriptura sacra etiam non intellecta vtilissima 133
Scriptura pleraq; habet intellectu difficilia 521.469
Scriptura an sit vera nota Ecclesiæ 591
Scriptura Euangelica & verbum Euangelij vti differant 530
Scriptura sacra nihil certius nec verius 24
Scriptura vnde habeat auctoritatem 529
Scriptura sacra non omnia continet 171
Scriptura quemadmodum ab hæreticis proferatur, verbum est diaboli 551
Scripturæ vti recipiantur à Catholicis 500
Scripturæ frustra contra hæreticos proferuntur. 464
Scripturæ possunt etiam ab impijs intelligi 314
Scripturæ sacræ non omnia continent 171
Scripturæ auctoritas dependet ab Ecclesia 516.22. 517
Scripturæ eo quo scriptæ sunt spiritu, debent intelligi 23
Scripturarum interpretationes quæ sunt accipiendæ. 398
Scripturam esse obscuram hæretici suis dissidijs probant 528
Scripturam rectè distingui à prædicatione Dei verbi. 531
Scripturam per scripturam interpretari quatenus prohandum 594
Scripturam sacram quam vocet Ecclesia 513
Scripturarum possessio non competit hæreticis 327
Scripturarum intelligentia vnde petenda 526
Scripturas non esse legendas qui docerant 439
Scripturis plus Catholici quàm hæretici tribuunt. 525. 529
Scripturis vt se tegant hæretici 495.497
Secta Lutherana in tres sectas dissecta 440
Sectæ quædam horrendæ sub Luthero natæ 45
Sectarij quid venentur 446
Sectarij se scripturam per scripturam interpretari iactant 545
Sectarijs non sine periculo creditur 446
Secundum ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ omnia fieri nostra debent 648
Sedere à dextris non petitionibus defertur, sed meritis 344
Segregatio ab Ecclesia summopere cauenda 437
Seleuciani Baptismum in aqua non suscipiunt 80
Semen arboris gratiæ Spiritus sancti, comparatum. 282 309
Semina virtutum nobis innata 394
Semitæ antiquæ quæ sunt 691
De sensu elato manducare vetuit Deus 681
Sensus scripturæ genuinus non nisi in Ecclesia est, etiam Caluino teste 482
Separationis crimẽ grauissimo semper supplicio vindicatum 699 700
Sepulchra sanctorum ab hæret. violata ibid.
Sepulchrorum religio apud Ethnicos 440.678
Seruetus flammis à Caluin. exustus 712
Sessio & in eadem dicendi sententias ordo 243
Simonis magi hæresis, asserentis non ex bonis actionibus, sed ex gratia saluari 17
Sontes qui in supplicijs tolluntur quomodo adhortandi 498
Spei definitio à Petro Lom. tradita, defensa 435
Spei ratio in quo posita 100
Species sacramenti non confert salutem neq; damnationem 303
Spes quid sit 435
Spes nostra cuiusmodi esse debeat 215
Spes galeæ & ancoræ comparata 240
Spes Christianorum qualis esse debet ibid.
Spes nostra vt ne inanis sit quid agendum 218
De speciebus sacramenti Eucharistiæ non contendendum 708
Contra pseudoeuangelicos 378
Spiridionis Epis, præclarum exemplum 457
Spiritum sanctum qui blasphement hodie 135
Spiritus in nobis orat 9
Spiritus sanctus cur quinquagesimo die post resurrectionem datus 9
Spiritus sancti missionem cur proponat fidelibus Ecclesia 9
Spiritus sanctus in baptismo datur in remissionem peccatorum, in confirmatione in robur contra hostes 90 175
Spiritus sanctus causa efficiens vitæ æternæ 259.138
Spiritus sanctus quomodo & quando nobis dari dicatur. 228
Spiritus sanctus quomodo in Apostolis loquitur 400
Spiritus sanctorum etiam absentium facta nocuerunt 228 478
Spiritus quomodo probandi
Spiritus vertiginis inter hæreticos Spiritus



Spiritus vbi vult spirat 478
Spiritus Dei etiam per malos diuinat 483
Spiritus hæreticorum vt probandus 461
Spiritus sanctus non hæreticis, sed Ecclesiæ Catholicę promissus 160
Spiritus sanctus in quibus rebus nobis omnibus adsit & in quibus non 274
Spiritus Sapientiæ & Scientiæ differunt 539
Sponsæ Christi Christiani 324
Sponsi nostri vestis qualis 690
Sponsus & sponsa Christus quomodo 99
Stancarus collis sublimis Pinzouiæ 694
Stancarij libri exusti Pinzouiæ ibid.
Stanislai Episcopi Cracouiensis martyrium 451
Stationum dies vnde dicti 354
Stephani Papæ verborum sensus de matrimonio. 201
Subdiaconis olim non permittebantur vxores 202
Subdola cuiusdam hæretici cogitatio 657
Successio legitima sacerdotum quantum habeat momenti 480
Successor legitimus habendus etiam qui non imitatur eos, quibus successit 481
Sucincторium Adæ 154
Sueneckfeldiani describuntur 437
Sueneckfeldiani quibus vtantur scripturis 439
Sueneckfeldiani sanctissimi videntur ibid.
Sueneckfeldij errores ibid.
Sueneckfeldius vocatur à Melanchone Stenckfeldius ibid.
Sueneckfeldius 728
Sumptio non facit sacramentum, sed Dei verbum. 92
Suo iudicio se damnatum hæreseos esse vidit Luther 649
Superbia præcipuum inuestigandæ veritatis obstaculum 640
Superbia mater contentionis & inanis gloriæ 408
Superbia in recte factis cauenda 299
Superbiæ quatuor species 285
Superbia, totius pulchritudinis, & integritatis vermis 299
Superbia hæreticorum diabolica 471
Superbiam odit Deus 299 345.409
Supplicatio qua vti oportet sectarios 654
Supplicium exquæsitum à sacerdotio Dei & ab Ecclesiæ obseruantia discedentium 725
Surgum corda, dum cantatur à sacerdote quid meditandum 337
Susurrones 328
Symbolum quid 18
Synagoga Ecclesiæ vmbra 463.464
Synaxis seu communio 113
Synodi prouinciales cur institutæ 181
Synodi prouinciales Rom. Pont. auctoritate probantur 717
Pro Synodalibus suis decretis hæretici Rom. Pont. auctoritatem implorabant ibid.
Syrarum mulierum pudicitia 206

T.

TAbulæ priores tria præcepta quæ 314
Templa floribus & frondibus ornare nouum non est 342
Templa Christian. cur ad orientem spectent 568
Templa memoriæ martyrum ab Augustino dicuntur 349.350
Templa cur Ecclesia dicta 345
Templa sanctis non erigi 350
Templa & cœmeteria etiam corporibus hominum sepeliendis consecrata 351
Templorum antiquitas & vsus 402.35
Templi prærogatiua 346
Templum domus Dei 343
In templis angeli habitant 343
Tempora certa cur prisci mutarint 503
Tempora obseruandi vel mutandi duplex causa. 354 354
Temporum in Ecclesia primitiua diligẽs obseruatio. 271
Tempus de quo prædixit Paul. 2. Tim. 4. venit 271
Tempus hoc vigilia magni illius festi, scilicet fœlicitatis æternæ 359
Terminos antiquos transgredi quid sit 385
Tertulliani vetustissimi scriptoris de præscriptis aduersus hæreticos 680
Tertullianus Montanizat. 542
Testamenti libros quosdam eur auctores pleriq; non esse Canonicos existimarint 514
Testis falsi pœna 327
Theodosius imperator an iudex inter Episcopos fuerit 504
Theologastrorum nostri temporis arrogantia 111
Thomæ Munceri errores 438
Thomas Muncerus Catholicè obijt 433
Thomas Aquinas celebris inter scholasticos 284
Tigurina schola à Caluino incensa 430
Tigurina & Laskana confessio 631
Tigurini de Luthero ibi.
Tigurini Suermeri 673
Tigur. libros Caluini exurunt 743
Tigurini & Geneuensis inter se dissident 698
Timanus Bremẽsis docet rectè puniri hæreticos. 446
Timor qui pellatur à charitate 370
Timor etiam seruilis ad charitatem disponit ibid.
Tonsura clericalis 166
Totum quod sumus, & habemus boni, à Deo habemus 290
Traditio apostolica, quòd in causis fidei ad Pontificẽ deferatur 67
Traditiones Apostolorum & patrum seruandæ. 384. 385
Traditiones Ecclesiasticæ non reddunt viam aut portam ad salutem angustiorem, sed expeditiorẽ 391
Traditiones Apostolicæ æquè ac scripturæ obseruandæ 540. & seq.
Traditiones Apostolicæ vt cognoscamus 555
Traditiones cum scriptura conferuntur 564
Traditiones non scriptæ eandem ad pietatem vim habent, quam scriptæ 566
Traditiones num hodie ad scripturam exigendæ. 532
Traditiones quantam habeant vim ad pietatem. 567
Traditiones quanti faciendæ 552
Tradition. quomodo mutari possint 559
Traditiones sunt viuum Euangelium 564
Tradit. vt sint fidei fundamentum 553
Traditiones quis iudicare possit 558
Traditioni credendum sine scriptura 553
Traditionibus hæretici conuicti 56
Traditionibus pœnæ adiectæ 389
Traditionibus Ecclesiasticis non acquiescens ab Origine hæreticus pronunciatur 393
Traditionum Apostolicarum scopus 561
Traditionum scopus charitas 558
Traditionum contemptus, non esca condemnat. 377
Traditionum auctoritas 735.745
Traditus est Christus multis modis 461
Transformari in Deum vt possimus 312
Transgressores legis humanæ ex contemptu grauiter peccant 391
Transmutatio seu transelementatio, aut transsubstantiatio in sacramento altaris 92
Tria quæ sibi postulant hæretici concedi in concilijs Poloniæ 657
Tridentini concilij decretum & describitur, & explicatur 438
Trinitas in homine quæ primi parentis vicio deformata, per Christum reparata 201
Ad sanctam & adorandum Trinitatem supplicatio. 707
Trinitas soli comparata 269
Trinitas à Christianis cur creditur 10.77
Trinitatis fides sine dono Spiritus sancti haberi nequit 10
Trinitatis opera inseparabilia 10.77
Trinitatis festum cur mox Spiritus Sancti missionem ab ecclesia celebretur 10
Trinitatis operum distinctio 76.26
Trinitarij errorem hauserunt à Luthero & Tigurinis 670

Universidad de Deusto
Biblioteca



Trinitariorum secta vnde orta 744.745
Trinitariorum hæresis in Polonia recens 670
Trinitariorum doctrinæ fundamentum ibid.
Trinitarios plùs vltra processisse temere arguunt Sacramentarij 674
Trinitariorum ad Sacramentarios apostrophe 675
à Trinitarijs progressus Satanismi describitur 676
Trinitarij fundamentum diruunt 676 694
Trinitarij Ecclesiæ fundamentum diruerunt ibid.
Scalæ Trinitariorum Polonorum 705
Tunica Christi inconsutilis veritatem Ecclesiæ significat 325

V.

Valentiani iniqua lex de duabus vxoribus ducendis 188
Valentiniani imperatoris erga Episcopos reuerentia 509
Valentinus Herbortus Episcopus orator ad Concil. Tridentinum 697
Vana est continentia, nisi ad rectum finem dirigatur 365
Varietas doctrinæ inter hæreticos 272
Vasa sacra quo in honore haberi debeant 341
Velatæ virgines si nubant quo loco habendæ 579
Velle, & agere quod Deus vult, ab ipso datur 291
Veneris die cur ieiunemus 553
Venusta similitudo luporum & accipitrum ad Satanam & eius ministros 667
Vera Dei Ecclesia 642
Verbi Dei ministerium ad Episcopos propriè pertinet 178
Verbi Dei prætextu se venditant hæretici 374.383
Verbis Christi sicut nihil detrahere, sic addere non oportet 654
Verbo Dei soli credendum vt verè dicatur 552
Verborum Pauli de Anathematizando hæretico cuiusdam Luther. expositio 637
Verbum Christi Sacramentis omnibus vim præbet 74
Verbum Dei qui audit, in compunctionē venit. 249
Verbum Dei quod verè censendum sit ibid.
Verbum salutificans est charitas 437
Verbum Dei longius, quàm scriptura canonica 532
Verbum Dei non fuit scriptum vsq; ad Moysem. ibi.
Verbum Dei syncerum quis recipiat & quis non recipiat 593
Vergerij impudentia 494
Vergerij hæretici mens, & inconstantia 465
Vergerius Brent instar numinis colit 215.216
Vergerius Pontificis minister fuit 494
Veritas ex sola Ecclesia catholica conspicitur 24
Veritas doctrinæ aut Sacramentorum non pendet à dignitate ministrorum 535
Veritas omnium vel multorum est, non vnius. 460. 622
Veritas promissionum Dei nulla hominum iniustitia labefactari potest 462
Veritas multiplex esse nequit 52
Veritas vbi sit 460
Veritas non est priuata 409
Veritas credenda est 409
Veritas in sola Ecclesia Catholica ibid.
Veritatem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia quis prius negauerit 64
Veritatis vis quanta ibid.
Verorum & falsorum prophetarum discrimen 611
Verum vnum est, mendacium multiplex 440
Vesperi cur orandum 251
Vestes ouium quæ sunt 456
Vestigijs Christi baptizatos incedere oportet 88
Vestem candidam quare baptizatus induitur 88
Veteris & nouæ legis differentia 539
Vetus mos Satanæ 634
Via Dei inchoantibus angusta, perfectè viuentibus lata 252
Via qua dissidium religionis commodè tolli possit. 400
Viam fecit semitæ iræ suæ, explicatur 638
Viaticum est veteribus Eucharistia 138
Victima transitus Domini est, Missæ sacrificium. 746
Viduæ, quæ se Deo deuouerunt, transeuntes ad secundas nuptias, quomodo puniendæ 577
Vigiliæ nocturnæ quomodo obseruabantur olim à Christianis 354
Vigilanti error explosus de intercessione sanctorum. 358 481
Vigilij Papæ memorabile dictum 481
Vindictæ diuinæ exemplum à sacerdote Dei, & ab Ecclesiæ ordinatione discedentium 726
Vincentius Lirinensis quando scripserit libellū suū. 478 109
Vini vsus iam olim Germaniæ incognitus 588
Vinum aqua mixtum offerre oportet 588
Vinum aqua mixtum quid significat 348
Vir vnde dictus, dux mulieris 69
Vir iustus munus patriæ 238
Virga Aaron Mariam figurauit 207
Virgines concubitu pollutæ apud Ethnicos viuæ sepeliebantur 195.577
Virgines post votum nubentes, fiunt adulteræ 575
Virgines Deo sacratas violare quàm sit impium. 575. 576 575
Virginitas libera est ibi.
Virginitas quàm sit Deo grata 570
Virginitatis votum quoq; Apostolorum tempore in vsu fuit 457
Viri sanguinum qui sint 108
Virtus & efficacia Sacramentorum solius Dei non sacerdotum est 108
Virtus omnis absq; Dei cognitione vana: in proœmio confess. 250
Virtutes, nisi ad Deum referantur, vitia sunt potius, quàm virtutes 364
Virtutes sine concordia, virtutes non sunt 603
Virtutes cœlestes nominum suorum appellatione delectatæ 313
Vis charitatis 291
Visum D. Bernardi in excessu mentis extremum iam spiritum trahentis 138
Visus magis mouet homines, quàm auditus 283
Vita æterna est in gratia sicut arbor in semine 137
Vita duplex, gratiæ & gloriæ 297
Vita nostra bona, Dei gratia 77
Vita æterna finis regenerationis Christi 627
Vitæ æternæ promissio non calici sed pani facta. 286
Vita æterna dignus quomodo quis sit 244
Vitam æternam ex sola fide nemo sibi promittat. 300
Vita nostra mercatus est, quo sempiterna temporalibus commutantur 309
Vitia contra naturam sunt, virtutes verò secundum naturam 255 287
Viuere in Deo quid 63
Vltimus in regno 626
Viuum Christi corpus cum sanguine, anima & diuinitate sub solas specie sumitur 662
Vmbra & figura Euchar. Sacramenti 163
Vna ciuitas aut diœcesis duos Episcopos habere non debet 88
Vnctio extrema sacramentum perseuerantiæ, & ex hac vita migrantium 542
Vnctio baptizandis cur adhiberur 302
Vnctio Sacerdotum quàm sit antiqua 88
Vna gutta sanguinis Christi sufficisset ad redimendū totum genus humanum 163
Vnctio Chrismate in fronte quare crucē fit 622
Vnctio extrema rectè sacramentum dicitur 52
Vnde fiat hæresis 599
Vnitas non est in ijs, qui ab Ecclesiæ doctrina diuisi sunt 599
Vnitas Ecclesiastica prædicatur 480 80
Vnitas signum verum Ecclesiæ 332.344
Vnitas in Ecclesia quomodo retineatur 592
Vnitas in orando apud Deum multū valet 407
Vnitas spiritus à quibus non seruetur ibi.
Vnitas diabolo inimica



Vnitatis Christianæ laus ibid.
Vocatio cuilibet expectanda 164
Voluntas à Deo iudicatur 328
Voluntas coronatur, quæ non facultatem habet 79. 275
Voluntas humana à Deo præparatur 254
Voluntas charitatis maxima 256
Voluntas magna charitas est 254.274
Voluntas omnium factorum meritorumq; mensura 274
Voluntas mala suæ libertati permittenda non est. 356
Voluntas nostra adsit oportet ad iustitiam Dei impetrandam 256
Voluntas est, qua vel peccatur, vel rectè viuitur 276
Voluntatem bonam remunerat Deus 303
Voluntatem Dei fieri cur petimus, & quæ sit eius voluntas 233
Vota præstringere quàm sit impium 637
Vota seruanda diuini est præcepti 572
Votum temerè non est faciendum 193
Votum cœlibatus an sit relaxandum ibid.
Votum cœlibatus dispensationem non admittit. 195
Votum facere pium est, Christianum & Deo gratum 188
Votum duplex, solenne & priuatum 578
Vox viua magnam habet energiam 519
Vox Ecclesiæ, vox Dei 239
Vsus sub vtraq; specie communicandi à quo tempore in Ecclesia est prohibitus 460
Vtriusq; speciei communio, à Paulo tertio Pōtif. Maximo nonnullis concessa 108
Vtrum precationes, quæ in templis fiunt publicè, vernacula lingua fieri debeat 662
Valdenses fratres Anabaptistæ habentur 431
VValdensis lepra quando Boëmiam infecerit 424
VVestphalus damnatur à Caluino 431
VVicelij laus 492
VVittembergenses à Luth. defecerunt 678
VVittembergæ promouendi quid iurare cogantur. 444
VVladislai & Vitoldi regum Poloniæ pietas cum Apostolorum pietate confertur 424
VVladislai Iagellonis Regis Poloniæ abstinentia. 252
VVladislai Iagellionis pietas 704
VVladislaus & Vitoldus in fide quàm constantes. 424
Vulgò minimè permittendum de doctrina iudicium 460
Vulgo quæ nosse sufficit 467
Vulgo quantam licentiam hæretici attulerint 451 452
Vulgus quid sit 460
Vulpes hæreticos significant 52
Vxor Episcopi electi in Monasterium ingreditur. 106
Vxorem deserens sterilitatis gratia & fœcundam suscipiens, adulterium committit 186
Vxores qualiter habendæ 324.325

X.

Xenia cur noui animi auspicio dantur 5
Xisti sententia de adulterio in matrimonio commisso 314

Z.

Zachæi publicani satisfactio 152
Zelus non omnis admitti debet 447
Zuingliani Lutheranos credere dicunt Christum impanatum 694
Zuingliani sacramentarij 655
Zuinglianorum in Lutheristas bellum 638
Zuinglianorum & Lutheranorum collatio 427
Zuinglij error circa Eucharistiam ab Ecclesia conuictus 23
Zuinglius & Oecolampadius hæretici 396
Zuinglij hæresis iam pridem damnata 670
Zuinglij crudele dictum ibid.
Zuinglius partes Ecclesiæ diuisit 676
Zuinglius Papa 678
Zuinglius in acie vitam fudit ibid.
Zuinglius satelles diaboli 694
Zuinglij blasphemiæ ibid.

Frater Aurelius Schilinus ordinis Prædicatorum de Obseruantia, Sacræ Theologiæ Magister, ac in Serenissimo Dominio Dominorum Venetorum Inquisitor Generalis.

FINIS

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de
Sevilla